ECA NAZ.
Emanuele III
XX
G
O
OLI

Digitized by Google

XXX.
9.
10.

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS

VARANDÆI,

OPERA OMNIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS VARANDÆI,

CONSILIARII MEDICI,
PROFESSORISQVE REGII,
ET DECANI FACVLTATIS
MEDICÆ MONSPELIENSIS,

OPERA OMNIA.

AD FIDEM CODICVM IPSIVS AVTHORIS
Manuſcriptorum recognita & emendata,

Poſtrema hâc Editione multis Tractatibus nunquam antea editis auctiora.

Cura & ſtudio HENRICI GRAS, Doctoris Medici Monſpelienſis, Vice-Decani Collegij Medicorum Lugdunenſium, Chriſtianiſſimo Regi, & Sereniſſimo Principi de Turenne à Conſiliis Medicis.



BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

LVGDVNI,
Sumptibus CHRISTOPHORI FOVRMY, via Mercatoria, ſub Signo Occaſionis.

M. DC. LVIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

AMPLISSIMO, SAPIENTISSIMOQVE VIRO,

D.D. PETRO DE MARIDAT,
IN MAGNO CHRISTIANISSIMI REGIS CONSILIO SENATORI INTEGERRIMO,

HENRICVS GRAS D. M. LVGDVNENSIS. S, D.

PYTHAGORÆIS olim, præter ſeriam ἐχεμυθίαν, non ſolùm in more poſitum, ſed etiam Legibus cautum erat, ne ſi quid eduliorum inter epulas è menſa fortè decidiſſet, vllo modo tolleretur. Nos autem in lautiſſimis Conuiuiis Sapientiæ, nempe Sophorum Colloquiis, & inſigni doctrina reboantibus Auditoriis, cenſemus eorum excellentes ἀκροάσεις diligenter excipiendas eſſe, bonis omnibus & doctis communicandas, necnon cum Authorum famâ propagandas. Ego itaque ſedulus olim Auditor Venerandi VARANDÆI τῦ μακαρίτου, id quoque debeo Reipublicæ Medicæ, atque Optimo Præceptori. Hunc igitur quaſi rediuiuum coram te ſiſto, VIR AMPLISSIME ET SAPIENTISSIME, non vllius quidem (quod abſit) criminis reum; ſed integrum vitæ & exquiſitæ Doctrinæ Virum, ſuo tempore Celeberrimæ Facultatis Medicæ Monſpelienſis Decanum & Columen firmiſſimum: Eundémque in lucem emitto, vt cuiuis pateat quàm ſana ſit ac ſalutifera Doctrina Regiæ illius Scholæ Medicæ; eáque jampridem illecti Medicinæ Candidati palàm & liberè ad votum expleri poſſint: tum vt conſtet qualis quantúſque fuerit VARANDÆVS, ab omnibus doctis ἐν κυμηλίοις habendus, præſertim verò Philiatris ſuſpiciendus: quippe qui mirâ breuitate & perſpicuitate, ſuis hiſce lucubrationibus, non tantùm veræ Medicinæ fundamenta complexus eſt: verùm etiam quaſuis arduas & difficiles, ſed neceſſarias quæſtiones, ac momentoſa dubia, diligenter ad dioptram Philoſophicam examinauit, accuratè & eleganter enucleauit; omniúmque ſolutiones, magno ſanè compendio, ſuis ſcriptis interſeruit: ſeriò quidem pleraſque futiles, proindéque inutiles diſputationes omittens, quæ tricarum inſtar Lectorem remorantur dum occupant, ſicque vel ſolà pretioſiſſimi temporis iacturâ noxiæ ſunt. Quemadmodum enim celebris illa Protogenis & Apellis Tabula, quæ duos ſummos artifices tenuitate linearum exercuit, nihil habuit quàm Subtilitatis miraculum, cùm alioqui nullius vtilis rei repræſentauerit imaginem: Ita ſanè quorumdam diſputationes, cùm nihil doceant quod faciat ad bene viuendum aut medendum, tantùm oſtentant otioſam laſciuientis ingenij ſubtilitatem. ὁ χρήσιμε ἰσθὸς, οὐχ ὁ πολὺ εἰδὼς, σοφός.

Tum etiam hunc librum publico, vt exemplo meo inducti quicunque penès ſe habent nondum edita RONDELETII, IOVBERTI, SAPORTÆ, FEYNÆI, & quorumcunque aliorum celebrium Virorum monumenta, publici iuris ea faciant, vt aliis etiam proſint, nec vlteriùs ſupprimant. Denique vt meâ etiam exhortatione, vel potiùs Magni

VARANDÆI & aliorum Artis Procerum exemplo, Celeberrimi quique Medicinæ Profeſſores, præſertim Monſpelienſes perſuaſi, Spartam ſuam ornare, hoc eſt, veram Medicinam excolere, ampliare, ſcriptíſque illuſtrare pro virili ſemper, ſicuti ſolent, contendant, vt magno laudis præconio, VARANDÆI & aliorum Scholæ illius Anteceſſorum verè poſteri, non præpoſteri ſucceſſores dici mereantur.

Cùm autem hoc Venerandi Medicinæ Antiſtitis Opus contineat non ſolùm præſtantiſſimum aduerſus gliſcentem inſcitiam amuletum; ſed etiam ad omnes morbos quamuis grauiſſimos abarcendos, profligandos, penitúſque auerruncandos certiſſimam methodum & antidotum; omnium ſanè bene ſentientium iudicio eximium eſt, & maximo iure Illuſtri Patrono dignum; qualem te faciunt inſignis comitas, ſingularis eruditio (quæ politioris literaturæ, omniúmque diſciplinarum mixturâ conſtat) ſublime ingenium, acerrimum iudicium, ſumma æquitas, & reliquæ virtutes, quæ omnes in te luculenter eminent: vnde Chriſtianiſſimo Regi acceptiſſimus es, cæteris verò omnibus ſummè amabilis & admirandus. Patere igitur, VIR AMPLISSIME ET SAPIENTISSIME, vt ſub inclyti Nominis tui fœlicibus auſpiciis prodeat in lucem; ſicque non tantùm inſtructiſſimæ tuæ Bibliothecæ inſertum, ſed etiam quà patet orbis, quoquouerſum diditum & admiſſum, perpes meum in te ſtudium, quódque jampridem voui iuge obſequium, debitámque venerationem omnibus teſtificetur. Obſecrationem meam, vt reor, non repudiabis hoc ſolo nomine quòd Liber ſit Medicæ ſupellectilis: Medicina enim procul dubio non paruo eſt apud te in pretio, vtpote quæ ſit affinis Sapientiæ: nam vtraque malorum auerrunca eſt, fida poténſque *Ζώτικα*, leges dictat hominibus, & ipſis etiam Imperatoribus imperat. Nec aſpernaberis, opinor, hanc ipſam noſtram Medicinam, afflictam, ſupplicem, & de plagiariis quoque grauiter conquerentem. Enimuerò propter immundi mundi ſcelera & ingratitudinem, Medentium item culpam & varios errores, Deum acerrimum vindicem experta eſt. Nam quæ Principum olim, imò etiam Regum, & doctiſſimorum tantùm Virorum ſtudio ſemper exculta fuit (quorum hodie paſſim non exiguus eſt numerus) contra ius fáſque, nunc à plurimis imperitis flagitiosè dilaniatur, tenebris pluſquàm Cimmeriis obſcuratur, crudeliſſimè denique excipitur. Quidam enim penitus diſciplinarum exortes, & à Muſarum contubernio planè extorres, quorum etiam non pauci ſunt *ἀναλφάβητοι*, omnes verò *ἀλάστορες*, maximo ſanè Reipublicæ diſpendio, petulanter Medici nomine ſuperbiunt, & munus obire volunt, ſolâ opinione freti cum inſolenti temeritate: ſunt enim tam verè Medici quàm Comœdi ſunt Imperatores: cupiunt tamen volúntque pro Medicis haberi. Cæneus quidam, apud Plutarchum, è muliere ſubitò factus eſt vir, optando tantùm: ſed vt ſolis pollicitis nemo diues, ita nec ſolis optatis peritus Medicus vnquam factus eſt: nec qui cubitum abiit infrunitus & ignarus, protinus ſurget ſapiens & doctus, niſi fortè per ſomnium. Hi agyrtæ lucripetæ negotiantur animas, & credulorum loculos ſubtiliter exhauriunt, ſæpe ſolâ in fundo relictâ pœnitentiâ; poſtmodum abiturientes obganniunt & cauillantur. Plerique etiam eorum qui ſacramento Tyrocinij, toti eſſe debent in mandatis Medicorum fideliter exequendis (videlicet ea omnia diligenter & opportunè præparando, exhibendo, admouendo, & faciendo, quæ illi præſcripſerunt ægrotantibus; nam in eum finem inſtituti deſtinatíque ſunt Chirurgi & Pharmacopœi, vt illo onere leuarent Medicos, qui antiquitus iis laboribus vacare ſolebant) neſcio quo fato, ſubleſtâ fide, immemores officij, Artíſque propriæ quaſi pertæſi & negligentes, ſeditiosè Medicinam exambiunt: ſuperciliosè Præceptores ſuos aſpernantur, eorúmque documenta licèt faſtidiant, munia tamen omnia capeſſere & per ſe obire ſatagunt: fingunt ſe Medicos modis omnibus, micantem in carpis ægrorum arteriam ſollicitè admodum explorant; caperatâ fronte lotia inſpectant, de illis & pulſu iudicaturi, vt cæci de coloribus: quinimò futili quadam alacritate

Digitized by Google

euecti, quæ non proficiſcitur aliunde quàm ex mera ἀῤῥωσίᾳ τῆς Διανοίας, magna remedia promiſcuè imperant, & μοχλικὰ ſæpiſſime exhibent. Quæ omnia contra ius & ſupra vires ſibi ſumunt atque arrogant, auſu non tantùm temerario, ſed etiam improbo & planè nefario: ægros enim in extrema pericula præcipitant, ipſorúmque præcordiis crudeli tandem Libitinæ litant. Atque ita omnium Medicaſtrorum ambitio nutrix eſt inexplebilis eorum auaritiæ, & infeſta nouerca vitæ hominum iiſdem confidentium. Iſtis autem omnibus vt miſerabilis ignorantia maximum eſt temeritatis incentiuum; ſic quoque impunitas pernicacis contumaciæ quoddam veluti priuilegium, ſecuritatíſque certum eſt pignus & argumentum. Ita fit vt quæ Regio iuſſu ſuper hac re iuſtè & ſolemniter ſancita ſunt, faſtidioſè negligantur & prætereantur, atque etiam vrbes ſuis ciuibus orbentur. Poteſt equidem Scarabæus operi rotandæ pilulæ genialis ſedulus inuigilare, roſas verò, quæ Veneri ſacræ ſunt, ſine cruciatu & interitu tangere non poteſt: Illi etiam pariter Placiti Regij violatores & tranſgreſſores, ab officio ſuo planè deuij, ſi ἀρχιλεκτονικὴν Medicinam poſthac ambire præſumant, commodùm atrocioris ſententiæ fulmine proſterni poſſunt. At iſtorum aliqui, proh dolor, quibuſdam etiam Doctoribus Ignorantiam exprobrant! Sanè quidam βραβεῖον quidem (culpâ βραβευτῶν, magnóque Reipublicæ præiudicio & Medicinæ probro) obtinuerunt, ſed immeritum; non enim vicerunt in certamine. Hi Medici, verè Memoriales tantùm, pecorum ritu ſequuntur ἀλόγως præcedentium gregem, pergentes quò itur, non quò eundum eſt: remediis pumilioni dicatis Herculem curare volunt, & Herculi conuenientibus, pumilionem. Scioli, maleferiati, verſuti πολυπράγμονες, nihil habent præter inanem verborum tinnitum atque φλυαρίας, quæ tamen inueniunt quandoque ſuos amaſios, haud ſecus ac pupæ improuidas ætates. Sed facilè in poſterum iſta calamitas auertetur; ſi, quemadmodum Aquilæ pullos inconniuentibus oculis Solem intuentes, ſolos pro ſuis agnoſcunt & educant; alios verò tanquam degeneres abiiciunt: ita ſingulæ Academiæ, procul odio & fauore, omnes Vertumnis, quotquot ſunt, natos iniquis, funeſta ſcilicet Artis propudia penitus arceant; nec vnquam in familiam Medicam recipiant, niſi probatæ Vitæ & Doctrinæ viros, Naturæ Conſultos, veris Medici characteriſmis, præceptis item & methodo inſtructos: qui nimirum ex certis quibuſdam idoneis & ſelectis ſimplicibus, variâ debitáq; proportione & doſi inuicē mixtis, ope λογιστικῆς Medicæ, multiplices lectiſſimorum remediorū compoſitiones, cunctis indicationibus ad morborum medelam neceſſariis apprimè ſatisfacientes, concinnare queant: haud ſecus ac, ex ſolis Elementis alphabeticis, quanquam paucis, diuerſimodè inter ſe diſpoſitis & combinatis, infinitæ propemodum vocabulorum myriades componi poſſunt. Verùm in omnibus hiſce tum emendandis tum ſtabiliendis, Tua, FVLGENTISSIMVM THEMIDIS IVBAR, Tuíque ſimilium Authoritas, vt neceſſaria ſic omnipotens eſt: ἔστι δ' ἄπασιν ἀνθρώποις σφῶιν εὐκολα. Ad laudis igitur æmulationem & multorum errorum correctionem, ſurgenti adnitentíque ſæculo manum porrige: noſtrum VARANDÆVM, & quam ille ſummâ cum fide & laude profeſſus eſt Medicinam (cuius integritas cum publica Salute coniunctiſſima eſt) protege: méque Tui ſtudioſiſſimum cultorem amare perge, Vale. E Muſæo meo, Lugduni, pridie Kalendas Octobres. Anno, à nato Chriſto Redemptore noſtro, Milleſimo Sexcenteſimo Quinquageſimo Septimo. Ab obitu VARANDÆI, Quadrageſimo. Ætatis meæ, currente Sexageſimo Quarto.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO,

MEDICINÆ CANDIDATO,

HENRICVS GRAS, D. M. LVGDVNENSIS, S.

NVNC tandem habes, CANDIDE LECTOR, *quas toties efflagitaſti, & tecum jampridem omnes docti Medici ſummis votis expetiuerunt, ac vehementer laudarunt, Venerandi* VARANDÆI *lucubrationes, in philiatrorum gratiam potiſſimùm editas, longè quidem emendatiores, ac velut interpolatas, necnon è Manuſcriptis & chartis Authoris lituratis plurimùm auctiores. Nam & pleraque adjecta, quæ in editis Libris deſiderabantur, repletis ita compluſculis veluti lacunis; multique tractatus noui additi ſunt: nempe* ΤΡΙΕΙΝΗ: Tractatus de morbis Inteſtinorum : Hepatis : *(cuius tria duntaxat capita antea prodierant)* Lienis : & partium Genitalium in Viris *(qui poſtremus imperfectus eſt.)* Exercitatio in librum Hippocr. ΠΕΡΙ ΦΥΣΙΟΣ ΑΝΘΡΩΠΟΥ : Explicatio quintæ ſectionis Aphoriſmorum: Commentarius in tertium librum ΕΠΙΔΗΜΙΩΝ, nempe duodecim hiſtoriarum,& Conſtitutionis Peſtilentis : Principium Explicationis libri ΠΕΡΙ ΠΑΘΩΝ. *Quamuis autem Author omni liberali doctrinâ politiſſimus, & Arte Medicâ cluentiſſimus, immaturâ morte præuentus, vltimam manum hiſce operibus admouere non potuerit; digniſſima tamen ſunt quæ legantur, ne fragmentis quidem exceptis. Quemadmodum enim in Opalo gemmâ, præter proprias virtutes, multarum gemmarum dotes emicant; nempe, vt verbis vtar Plinij,* carbunculi tenuior ignis, amethyſti fulgens purpura, ſmaragdi virens mare, cunctáque hæc pariter incredibili miſtura lucentia : *Sic in iis ſcriptis, præter ſermonis elegantiam, eximiam ἀκρίβειαν, & in ſoluendis dubiis iudicium acre, mirámque ingenij dexteritatem; inconcuſſa Principum Medicorum Placita fideliter continentur & explicantur. Non potes itaque tutiùs, vt loquar cum expertis, cubare in Trifolio, ſine metu ſerpentum; quàm verſari in lectione horum librorum omnis veneni expertium : idque citra ſuſpicionem κακοζηλίας, quæ contingit legentibus innumera plurimorum recentiorum ſcripta, titiuillitio non emenda. Quod ſi quid in his tibi minùs arrideat, exempli cauſa, quum improbatur Sectio Cæſarea, &c. Sanè dies, vt noſti, diem docet : ſic Artes per ætates incrementa capiunt, Artificéſque frequentibus experimentis peritiores euadunt. Iudex equidem in causâ nihil tribuens amori, tantum rem perpendit, & ſecundùm eam pronunciat : Sed in audiendis Philoſophis, aut legendis eorum ſcriptis, ad multos lapſus illorum, humanè conniuendum eſt. Vnde veteres iuxta Mercurij ſtatuam, Gratiarum item ponere ſoliti ſunt. His tu litare memento, atque hunc Authorem perdius & pernox diligentiſſimè perlegito, vt intelligas. Montium proceritas minùs patet procul intuentibus; vbi acceſſeris, tum apparet quàm ſint in arduo : haud abſimili ſanè ratione, quantus ſit* VARANDÆVS *nunquam perſpicies, niſi propiùs contempleris, & imitatione ad illum acceſſeris. Quod tibi opto, atque vt fiat ex animo precor.* VALE.

ELENCHVS

ELENCHVS OPERVM
IOANNIS VARANDÆI.

PHYSIOLOGIA.

PRÆFATIO, continens præcognita generalia in vniuerſam Medicinam pag. j.
De Elementis xj.
De Temperamentis xviij.
De Partibus xxxvj.
De Humoribus xlvj.
De Spiritibus & Calido innato lviij.
De Facultatibus & functionibus lxviij.
De Prima hominis conformatione lxxxv.

PATHOLOGIA VNIVERSALIS.

PRÆFATIO. pag. c.
De eo quod eſt ſecundum, præter, & contra naturam cj.
De Triplici corporis noſtri conſtitutione ciij.
De Sanitate cv.
Quid ſit Morbus cvij.
Aliquot Obiectionum in morbi definitionem ſolutio cix.
Symptomata fieri à morbo mediatè vel immediatè cx.
De Morbo per conſenſum, & variis compatiendi modis cxij.
De Morbo facto & fiente cxiv.
De Primis morborum generibus cxv.
De Similaris morbi ſpeciebus & differentiis cxvj.
De quibuſdam in morbos ſimilares dubiis cxvij.
De Morbis materiæ & formæ cxxj.
De Organici morbi ſpeciebus & differentiis cxxviij.
De quibuſdam in morbos organicos dubiis cxxxij.
De Morbo communi ſiue ſolutione continui, eiúſque differentiis & ſpeciebus cxxxiv.
De quibuſdam in morbos communes dubiis cxxxvj.
De Communibus quibuſdam morborum differentiis cxxxvij.
De Temporibus morborum cxlv.
Quid Cauſa morbi & quotuplex cxlvij.
De Externis morborum cauſis cxlviij.
De Internis morborum cauſis cl.
De morbi cauſa Continente clj.
De vniuſcuiuſque morbi cauſa clij.
Quid ſit Symptoma cliv.

SEMEIOTICE.

Diagnoſis Partis affectæ clxiv.
De dignoſcēdis morborū Cauſis clxix.
De dignoſcendâ Specie affectus, ſeu morbi naturâ & differentiis clxxv.
Prognoſtice Medica clxxxj.
Præcognita clxxxiv.
Prognoſis medica ex Specie morbi clxxxvij.
Prognoſis ex More morbi exc.
Ex Motu morbi ibid.
Ex morbi Magnitudine excij.
Ab Actionibus principibus ibid.
Ex Senſu interno, ad quem Somnus & Vigilia, Inſomnia & Decubitus referuntur excij.
A Senſibus externis, quatenus in ſuis propriis inſtrumentis aut functionibus ſunt læſi excv.
Ex Naribus, olfactu, & ſternutatione excvj.

Digitized by Google

Elenchus

Ex Cute & ſenſu tactus, qui in illâ exercetur. Item ex doloribus variarum corporis noſtri partium cxcvij.

Ex Linguâ, dentibus, & reliquis oris partibus in quibus guſtus, vox, & loquela conſiderantur cxcviij.

Ex Motu, & partibus illi dicatis cc.

Ex Actionibus Vitalibus, ad quas referuntur Reſpiratio & Pulſus, cum cordis ipſius palpitatione, & tuſſi ccj.

Ab Actionibus Naturalibus, potiſſimùm Fame & Siti ccij.

Ex Tactilibus primis & ſecundis qualitatibus, in toto vel aliqua parte corporis immutatis cciij.

Ex Qualitatibus ſeu obiectis aliorum ſenſuum immutatis, tam propriis quàm communibus cciv.

Ex tertio ſymptomatum genere, nempe Excretis & Retentis, eorum ſubſtantiâ, quantitate qualitatibus, & exeundi modo: Vbi etiam de criticis vacuationibus, & earum ſignis tam generalibus quàm particularibus ccvj

Ex Vrinâ, & aliis, quæ per veſicam profunduntur ccvij.

Ex Fæcibus, Lumbricis, & omni deiectione ccxj.

Ex Vomitu ccxij.

Ex Sudore & Ictero ccxiij.

Ex Hæmorrhagiâ per nares, Vterum, & Hæmorrhoidas ccxv.

Ex Abſceſſu, puſtulis, pure, ſanie, & ſimilibus ccxvj.

Appendix de Recidiua, & tranſmutatione in alium morbum à morbo ſuperueniente ccxvij.

Ex Sputo, ſaliua, ſpuma oris, muco narium, lachrymis, aurium ſordibus, excretione lactis, ſeminis, & ſimilium ccxix.

Ex Natura & Viribus ægrotantis ccxxj.

Ex Varia partis affectæ conſtitutione ccxxiij.

Ab Extemis concurrentibus ccxxiv.

Ἀναχεφαλαίωσις Prognoſeos Medicæ ccxxv.

ΥΓΙΕΙΝΗ,

Propoſita cum explicatione *Libri tertij Artis parvæ* Galeni.

PROLEGOMENA in Artem paruam Galeni pag. 9.

Cauſæ Salubres, Inſalubres & Neutræ 13.

De Materia Salubri in genere, & eius vſu 19.

De Aëre 22.

De Cibo, & Potu, ſeu Alimentis 25.

De Excretis & Retentis 29.

De Exercitatione, ſeu Motu & Quiete 31.

De Somno & Vigilia 34.

De animi Pathematis 38.

De Indicationibus, & communi illa, An ſimilia ſimilibus conſeruentur pag. 41.

De Conſeruatione exactè ſani 43.

De lis, qui à ſanitatis perfectione ſecundum temperiem lapſi ſunt 46.

De lis, qui à ſanitatis perfectione ſecundum conformationem, & partium Vnionem lapſi ſunt 48.

ΘΕΡΑΠΕΥΤΙΚΗ.

De Indicationibus Curatiuis.

PRÆFATIO pag. 50.

De Actionibus Medici ibid.

Conditiones actionum medicarum pag. 51.

Inſtrumenta Medica 52.

Rationes, ſeu Modi inueniendorum iſtorum remediorum ibid.

Quid

Digitized by Google

Quid ſit Indicatio, Coindicatio, & Contraindicatio 54.
Quot ſint Indicationes, & à quibus petantur, tum Coindicationes & Contraindicationes 56.
De Communiſſimâ Indicatione Curatiuâ 59.
An Contraria oporteat eſſe æqualia pag. 61.
De Scopis curatiuis, ſeu tribus intentionibus, & quomodo per indicationes compleantur 63.
De Indicationibus & ſcopis Diætæ ægrorum 68.
Dubia de Victu ægrorum 73.
De Indicationibus Curatiuis in morbo ſimilari ſeu intemperie 75.
De Vacuatione in genere & Vacuantibus 77.
De Reuulſione, Deriuatione, & particulari Vacuatione 78.
De Alteratione, corporis humorúmque Præparatione, Coctione, & Corroboratione 81.
De Concoctione 83.
De Indicationibus morborum organicorum 86.
De Figurâ Vitiatâ 87.
De Cauitate, meatu, & orificio malè affecto, vbi de obſtructione 89.
De Læuitate, & Aſperitate præter naturam 92.
De Numero ac Magnitudine auctis vel imminutis 93.
De malo Situ & Connexu, vbi Luxationum indicationes traduntur pag. 94.
De Indicationibus in morbo communi, ſeu ſolutione continui 95.
De Vulneribus 96.
De Contuſione 99.
De Fracturis 100.
De Vlceribus 101.
De mixtis morborum Indicationibus pag. 104.
De Indicationibus tumorum præter naturam 106.

FORMVLÆ REMEDIORVM.

PRÆFATIO 110.
Formulæ Remediorum Internorum ad purgandos & præparandos humores, alterandas, roborandáſque corporis noſtri partes 112.
Ad Bilem in capite ibid. in corde 113. in Ventriculo ibid. & 114. in Hepate & liene ibid. In renibus, Veſica & Vtero 115. in Iuncturis & habitu corporis 116.
Ad Melancholiam in capite: In pectore ibid. in corde, in Ventriculo, 117. in hepate, in liene, in renibus, & Veſica 118. in Vtero, in habitu, & in Iuncturis 119.
Ad Pituitam in capite. In pectore 120. in corde, in Ventriculo, in hepate, 121. In liene, in renibus, & Veſica 122. in Vtero, in habitu, & Iuncturis 123.
Ad Seroſos humores hydragoga ibid.
De Sudorificis 125.
De Vomitoriis 127.
Formulæ remediorũ externorum 130.
De Suppoſitoriis & Clyſteribus ibid.
De Iniectionibus variis 133.
De Peſſariis & Naſcalibus 135.
De Eclegmatis ſiue Lohoc 136.
De Maſticatoriis & Gargariſmatis 138.
De Sternutatoriis & Errhinis 139.
De Collyriis 140.
De Decoctis ad fotus, lotiones, inſeſſus, & balnea 141.
De Epithematibus Liquidis & ſolidis pag. 145.
De Sacculis, Cucuphis, & Frontalibus 146.
De Suffitibus, & Odoramentis 147.
De Oleis 149.
De Pulueribus quibuſdam 150.
De Linimentis & Vnguentis 151.
De Cataplaſmatis, Pultibus, Sinapiſmis, & Veſicatoriis ibid.
De Ceratis & Emplaſtris 151.

DE

Digitized by Google

Elenchus

DE AFFECTIBVS VENTRICVLI.

PRÆFATIO 154.
De Cardiogmo, Cardialgia ſeu Cardiaca Paſſione & ventriculi περιωδυνία pag. 156.
De Ἀνορεξία, & Ἀσιτία, id eſt, deiecta Appetentia & Cibi faſtidio 168.
De Fame Canina & Boulimo 176.
De Pica ſeu Malacia 181.
De Siti Morboſa 185.
De Apepſia, Dyſpepſia, Bradypepſia, cruditate ſcilicet, Ructu flatuque Ventriculi 190.
De Singultuoſo affectu 196.
De Nauſea & Vomitu 201.
De Cholera morbo 210.

DE MORBIS INTESTINORVM.

PRÆFATIO 213.
De Inteſtinorum dolore, ac præcipuè Colico 214.
De Lumbricis 225.
De Suppreſſa aluo 236.
De Ileo ſeu Voluulo 244.
De Diarrhœa 250.
De Lienteria 260.
De Dyſenteria 266.
De Teneſmo 280.
De Hæmorrhoidibus 285.

DE MORBIS HEPATIS.

PRÆFATIO 294.
De Elephantiaſi 296.
De Lue Venerea 320.
De Hepatitide, ſeu Iecoris ἀλονίᾳ, quam alui fluxus Chyloſus, Cruentus, ſanioſus, & ſimiles conſequuntur 348.
De Inflammatione hepatis, Abſceſſu, & Vlcere illius 356.
De Obſtructione, & Scirrho hepatis pag. 370.
De καχεξίᾳ, ἀποφύσει, & χλωρώσει, ſeu fœdis virginum Coloribus 380.
De Ictero flauo & Nigro 387.
De Hydrope, & eius ſpeciebus 396

AFFECTVS LIENIS.

De Phlegmone Lienis 416.
De Obſtructione & Scirrho lienis 418.

DE AFFECTIBVS RENVM & Veſicæ.

PRÆFATIO 421.
De Calculo Renum & Veſicæ 422.
De Renum & Veſicæ Inflammatione, id eſt, tumore phlegmonoſo vel eryſipelatoſo 438.
De Vrina ſanguinolenta, ſiue mictu Sanguinis 446.
De Vrina purulenta, ſeu Vlceribus Renum & Veſicæ 454.
De Diabete, ſeu Immoderato Vrinæ profluuio 461.
De Vrinæ Incontinentia 465.
De Laborioſa mictione, nempe ἰσχουρίᾳ, στραγγουρίᾳ & δυσουρίᾳ 469.

DE MORBIS MVLIERVM Liber Primus.

PRÆFATIO 477.
De χλωρώσει, ſeu fœdis Virginum coloribus, eorúmque annexis 483.
De Suppreſſione fluxus Menſtrui 492.
De Immodico Menſium fluxu & eorum ſtillicidio 501.
De Muliebri fluore & Gonorrhœa 509.
De Melancholia, & Furore vterino 516.
De Suffocatione matricis 520.
De Inflammatione Vteri 529.
De Hydrope & Flatu Vteri 535.
De Scirrho & Cancro Vteri 540.
De Procidentia, ſubuerſione, & omni malo ſitu Vteri 544.
De Abſceſſu & Vlcere Vteri 553.
De Condylomatis, Verrucis, Rhagadibus, ſeu ſciſſuris Vteri & ſimilibus 560.

DE

DE MORBIS MVLIERVM
Liber Secundus.

PÆFATIO 563.
De Sterilitate muliebri 564
De Cognitione prægnantium, & earum Regimine.
De Mola & Monſtris 593.
De Superfœtatione & Gemellis 599.
De Aborſu 602.
De Partu iuuando, & eis quæ ad partum conſequuntur 607.
De Regimine Enixarum 617.
De Affectibus morboſis puerperarum pag. 620.

DE MORBIS MVLIERVM
Liber Tertius.

PRÆFATIO 626
De Regimine Infantis nuper nati & nutricis 626.
De Affectibus mammarum præcipuis, & eorum Curatione 636.
De Vitiis quæ lacti contingunt, & correctione 646.

DE MORBIS GENITALIVM
in Viris.

PRÆFATIO 656.
De Senilitate Virili 658.
De Impotentia Venereorum 661.
De Satyriaſi & Priapiſmo 667.
De Gonorrhœa & pollutione nocturna 670.
De Ramicibus, ſeu variis herniarum ſpeciebus 674.

EXERCITATIO IN LIBRVM
Hippocratis de natura humana pro Curſibus.

PRÆFATIO 676.
Lectio prima de Natura humana 681.
Lectio Secunda 682.
Lectio Tertia 686.
Lectio Quarta 691.
Lectio Quinta 695.
Lectio Sexta 699.
Lectio Septima 703.
Lectio Octaua 708.
Lectio Nona 712.
Lectio Decima 717.
Lectio Vndecima 721.
Lectio Duodecima 725.
Lectio Decima tertia 730.
Lectio Decima quarta 735.
Lectio Decima quinta 740.
Lectio Decima ſexta 745.

EXPLICATIO SECTIONIS QVINTÆ
Aphoriſmorum Hippocratis.

PRÆFATIO 740.
Explicatio Primi Aphoriſmi 754.
Explicatio Aphoriſmi Secundi 760.
Explicatio Aphoriſmi Tertij 767.
Explicatio Aphoriſmi Quarti 770.
Explicatio Aphoriſmi Quinti 771.
Explicatio Aphoriſmi Sexti 780.

COMMENTARIVS IN TERTIVM
Librum ΕΠΙΔΗΜΙΩΝ, *nempe duodecim Hiſtoriarum & Conſtitutionis Peſtilentis.*

PRÆFATIO 786.
Hiſtoria Prima 789.
Hiſtoria Secunda 798
Hiſtoria Tertia, Quarta, & Quinta 803.
Hiſtoria Sexta 806.
Hiſtoria Septima 810.
Hiſtoria Octaua 814.
Hiſtoria Nona 816.
Hiſtoria Decima 817.
Hiſtoria Vndecima 817.
Hiſtoria Duodecima 820.

EXPLICATIO LIBRI HIPPOCRATIS
ΠΕΡΙ ΠΑΘΩΝ, *de grauiſſimis morbis.*

PRÆFATIO 828.
Contextus Hippocratis 833.

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII REGII.

CHRISTIANISSIMI Franciæ & Nauarræ Regis LVDOVICI XIV. Semper Auguſti, Edicto ſancitum eſt, nequis in ipſius Regnis, aliiſue terris eius ditioni ſubiectis, intra proximos ſexdecim annos, à die perfectæ primæ editionis inchoandos & computandos, excudat, vendat, vel excudendum aut vendendum curet librum qui inſcribitur, *Joannis Varandæi, Conſiliarij Medici, Profeſſoriſque Regij, & Decani Facultatis Medicæ Monſpelienſis Opera omnia*: præter IOANNEM CHAMPION, Bibliopôlam Lugdunenſem, aut illos quibus ipſe conceſſerit, ſub pœnis contra delinquentes in Originali diplomate expreſſis. Pariſiis die 16. Maij, 1656.

De Mandato Regis,

FOVRNIER.

IOANNES CHAMPION ceſſit jus Priuilegij CHRISTOPHORO FOVRMY.

Editio prima perfecta eſt die 1. *Octobris*, 1657.

IOANNIS

Digitized by Google

IOANNIS VARANDÆI
PHYSIOLOGIA.

PRÆFATIO,

Continens præcognita generalia in vniuerſam Medicinam.

QVONIAM propoſitum eſt nobis totius Medicinæ tractationem commentariis hiſce noſtris perſequi & illuſtrare: rationi conſentaneum eſſe videtur, vt priuſquam in medias res irrumpamus, aliquid præfationis causâ de Medicinæ ipſius ſinitione, ſubiecto, fine & partibus dicamus: ſic enim totius noſtri ambitus exiguâ veluti tabellâ, quod ſolent Geographi, depictus, ſeſe contemplandum facilius cuiuis dabit & haurire.

Verum antequam quid ſit Medicina perquiramus, non abs re facturi ſumus, ſi quæſtionem illam εἰ ἔστι an ſit, *prius mouerimus: eam enim eſſe vel ex toto, vel ex parte, vel eſſe neceſſariam negarunt & nunc & olim multi, vt patet ex variis Hippocratis libellis ἰσαγωγικοῖς, in quibus τὸ ὅτι Medicinæ,* quod ſit, *probare aduerſus calumniatores ſui temporis nititur. Cum enim Medicina, vt & reliqui intellectus habitus, non ſubiiciatur ſenſibus, facile fuit ſemper, de illius eſſentiâ dubitare. Ideo Hippocrates tum ἀποδεικτικῶς, tum ἐλεγκτικῶς; demonſtratoriè, & confutatoriè aduerſariorum argumenta refellendo illud confeciſſe videtur* libris *potiſſimùm* de arte & de veteri Medicinâ. *Cum enim plura ſint mediorum genera ad probandum rem eſſe; ille primùm ab efficientibus, authoribus ſcilicet & artificibus, oſtendit Medicinam, quæ deis ipſis adſcribi meruit, aut certis hominibus ἀποδιδόναι, hoc eſt diuinitate & cælo donatis propter ingentia generi humano collata beneficia: & quæ ſummo ſtudio ac diligentiâ ob neceſſitatem fuit inuenta & exculta, non inane nomen & vanum eſſe poſſe, ex quo tam præclari viri ſuas appellationes deſumere dignati ſunt. An potuit eſſe mera ἀτεχνία, & vana profeſſio Medicinæ, de quâ tam grauiter, tantâque cum æmulatione, vt videre eſt apud Galenum 2. Methodi, tres celeberrimæ ſchola Rhodia, Cnidia, & Coa apud Græcos antiquiores decertarunt? poſtea in totâ Aſiâ, Europâ, & apud ipſos Mauritanos tam curioſe fuit exercita, non quidem à quibuſlibet, ſed eruditiſſimis fere omnium nationum hominibus, qui ſeſe Medicos eſſe & dici voluerunt. Quos omnes ſi contempleris, non omnes δημιουργοὺς Medicinæ eadem peritiâ præditos eſſe reperies (addit Hippocrates,) ſed multum inter ſe diſcrepantes καὶ κατὰ χεῖρας, καὶ κατὰ γνώμην, tum manu, tum etiam mente ſiue diſcurſu. Sequitur itaque aliquam eſſe ſcientiam ſiue medendi artem, quam qui perfectius norit, ita etiam melius operetur.*

A causâ verò materiali, finali, & effectis ita argumentatur Hippocrates lib. de arte: *Nomina, inquit, lege quadam rebus indita sunt & ex hominum instituto, siue existentibus, vt equo, boui, homini: siue non existentibus, vt Chimeræ, Centauro & similibus. Species autem rerum seu notæ non ex arbitrio hominum pendent, sed naturæ sunt germina & effectus, ex rebus scilicet subiectis emergere solent. Hoc modo Medicina subiectum habet naturale & excellens, imo nobilissimum, circa quod operationes aliquas exercere debet, propter aliquid* ἀφ' τὶ, *finem nimirum præstantissimum: Ergo aliquam reipsa esse oportet Medicinam, vel iam inuentam, vel post inueniendam, aut certè amplificandam & omnino constituendam. Vt igitur aliqua est rerum naturalium scientia, quam tot Philosophi, Physicam appellarunt; sic etiam illi subiecta Medicina, quæ particularius res omnes ad sui subiecti commoda & vtilitatem refert. At effectus ipsos contemplare, & iam sensibiliter Medicinam esse agnosces, dum ex variâ diætæ instituendæ ratione, ex pharmacorum & chirurgicarum operationum administratione modo adiici, modo subtrahi, vacuari, reuelli & similia fieri, sicque iustum sanitatis statum conseruari, deciduum restitui, morbos præcaueri & profligari animaduertis: aut certè sensuum ipsorum fides abneganda, aut aliqua Medicinæ disciplina admittenda, in quâ* τὸ ὀρθὸν καὶ τὸ μὴ ὀρθὸν, *rectum & non rectum certos suos fines habeant: quos definire aut circumscribere non potest casus, vel imperitia; sed potius recta quædam ratio & certis regulis ac præceptis constans disciplina, ad finem quemdam consequendum instituta. Adde his omnibus ingenitam fere quibuscunque hominibus, imo & belluis ipsis cupiditatem inueniendi remedia, quibus aduentantes aduersæ valetudinis casus propulsent. Quod non frustra illis inserüisse naturam certum est, sed vt tandem præstantissima hæc ars stabiliretur.*

Neque obstat, ipsomet declarante Hippocrate, quod sophistæ propter ἀμαθίην obiiciunt: Artem scilicet medicam non esse, quia sæpissimè fine suo frustratur; multi enim quos suscepit curandos, aut non curantur, aut etiam moriuntur. Præterea si esset peritia aliqua in medendo, quosuis morbos curandos susciperet, non tantùm curatu faciles: at hoc non præstat, quia multos etiam morbos non audet aggredi. Deinde multi sponte & fortuitò, sine Medico, aut artis medicæ operâ conualescunt, quare illius nulla necessitas. Hæc sic diluit Hippocrates: In medendo errores dupliciter contingere posse, vel ratione medentis, vel ratione ægri cui medetur: verisimile autem est, eum qui ad peccandum plures habet occasiones, culpam huius erroris potius ferre, quam eum qui pauciores: plures verò habet æger, tum quia artis imperitus, tum quia dolore & appetitus violentiâ distractus rationi & bene suadenti Medico parere nequit: vt veritati magis consentaneum sit ægrum sibi ipsi mortem propter incontinentiam conscisisse: quam Medicum ἀναμάρτητον & peritum illius causam fuisse. Præterea non est necessarium, vt semper ars finem suum consequatur; cum id natura semper non præstet, quæ monstra sæpissimè & πάρεργα producit: peritia enim medica non tantum est de curandis, sed etiam cognoscendis morbis: sicque inartificiosum esset quos tibi ars morbos incurabiles demonstrarit, artificem curandos suscipere. An non prudentis est Medici eum qui sanari non potest, non attingere, nec subire speciem eius vt occisi, quem fors sua peremerit? Multos porrò morbos sine Medico curari fatetur Hippocrates; at sine Medicinâ nullos: ægri enim aut aliquid, aut nihil agentes sanati sunt: agentes aliquid aut recte, aut non recte: si recte, quamuis temere factum sit, iuuati sunt: si non rectè, læsi. Quare etiam apud ignaros est aliqua Medicinæ ratio, quâ modò læduntur, modo iuuantur: Nihil autem agentes naturæ operâ valentioris curati fuere, quæ est αὐτοδίδακτος, *& sine doctore quæ agenda sunt nouit: quamque Medicus sibi perpetuo imitandam proponit. Vnde sequitur sine Medico multos, at non*

sine

Digitized by Google

ſine Medicinâ ſanationem conſequi, cuius principium modò à naturâ ſolâ, modò quibuſdam remediis adiuta pendet.

Medicina igitur exiſtit, & quidem ab antiquo, vt ait Hippocrates: neceſſitas enim homines ad Medicinam inueniendam, non minus quam ad naturæ conuenientia alimenta indaganda impulit. Quod fuit inuentionis principium, quando vnuſquiſque varia experiebatur, quæ videbantur à mundi opifice in hominum vſus fuiſſe creata: à quibus cum laderentur aut iuuarentur, prout ſors ferebat, ex frequenti illâ ſenſuum repetitione & memoriâ obſeruatio citra vllam rationem, atque experientia exorta eſt: & qui illi magis addicti deinceps in faciendâ Medicinâ Empirici *appellati, ampliſſimæ ſectæ originem dederunt.*

Aſclepiadæ verò ex his particularibus memoriis & obſeruationibus, quas in Dianæ & Æſculapij fano appendebant, quaſi collectione quadam vniuerſalia præcepta conſtituerunt, vſi duobus rerum omnium γενηϊοις, nempe ratione & experientia: & ſic prima artis rationalis lineamenta iecerunt.

Demum interpretationis ſeu traditionis principium factum, ex ipſius naturæ ſeu phyſicâ ſpeculatione, vt inquit Athenæus: tunc enim doceri cœpit Medicina, quando Philoſophiæ fuit connecta, omneſque partes quæ ad bene medendum erant neceſſariæ, accepit, quando ſecta illa dogmatica & rationalis inualuit; cuius veluti neuus & ἐμφυλὴ fuit illa methodica, duabus aut tribus communitatibus ad artem conſtituendam contenta. Quamuis igitur Medicina à medendo dicta ſit, non tamen præcepta tantum curatiua continet, ſed ea omnia quæ ad curationem prænoſſe oportet. Idem enim vult Galenus libr. ad Thraſybul. cap. vltimo, *Medicinæ, quod Geometriæ contigiſſe. Cum enim hæc apud Ægyptios primum eſſet inuenta, ad agrorum terminos Nili inundationibus perfuſos quotannis dimetiendos; quòd terræ metiendæ causâ primum excultæ ſit, Geometria appellatur, nomenque antiquum retinet: quamuis hodie non ſolum ea Geometræ vtantur ad planorum terræque dimenſionem, ſed quidquid ſuâ eſt quantitate commenſurabile, conuexa, concaua, cælos ipſos, elementa, ſolis, ſtellarúmque magnitudines. Sic Medicina cum in ipſo inuentionis principio propter ſolam expeteretur curationem, à fine illo præcipuo nomen accepit & retinet: quamuis deinceps plures alias ſub ſe partes contineat, vt poſtea videbimus, propoſitâ prius eius definitione.*

DEFINITIO. *Vnius rei vnicam eſſe definitionem docet Philoſophus, vt vnica eſt rei ipſius eſſentia: At quoniam nobis in hac rerum caligine poſitis, nec rerum eſſentias contemplari, nec ſatis accuratâ verborum circumſcriptione exprimere datum eſt: fit vt variæ de eadem re definitiones aliis aliæ perfectiores afferantur, prout vnuſquiſque perfectius res ipſas perſpexerit: quamuis res ſemper eadem & ſimilis maneat. Hinc mirum eſſe non debet, ſi plures & diuerſæ definitiones Medicinæ fuerint traditæ ab Hippocrate, Galeno, Auicenna, Auerrhoe, & aliis, prout in aſſignando illius genere, & propriis differentiis inueniendis laborarunt.*

Apud Hippocratem nullam licet reperire perfectam Medicinæ definitionem quæ rei eſſentiam explicet. Libro de arte, Medicina, *inquit*, eſt morbos ab ægris tollere, & eorum vehementes impetus obtundere. Libro de flatibus; Medicina eſt adiectio deficientium, ſubtractio redundantium: *ita vt per vniuerſales quaſdam operationes Medicinam explicet, quæ non magis Medico quam ſartori aut ſutori ſunt communes. Verum Hippocrati in illis locis Medicinam non fuit propoſitum definire, ſed tantum quid Medicina efficeret oſtendere.* Galenus libro de ſectis ad eos qui introducuntur, *vult ab antiquis Medicinam eſſe dictam ſalubrium & inſalubrium ſcientiam.* In libro finitionum, *Medicina eſt ars quæ*

Digitized by Google

præeſt ſanis victus ratione regendis, atque ægrotis curandis. In introductorio, *eſt ſcientia ſanitatis conſeruatrix morborúmque curatrix.* Libro *autem* artis paruæ *præclara quidem habetur Medicinæ definitio, quæ ad Herophilum refertur, ſed illi tantum libro inſeruiens, in quo Medicinam in vniuerſum ſuſcepit explicandam methodo definitiuâ: cum ait Medicinam eſſe ſcientiam ſalubrium, inſalubrium & neutrorum, corporum ſcilicet, ſignorum, & cauſarum.*

Auerrhoi autem 6. Coll. cap. 1. *Medicina eſt ars operatrix, ratione & experimento inuenta, vt ſanitas conſeruetur, & morbus auferatur.*

Sed quia ex Philoſopho magis perfecta ſunt illæ definitiones, quæ per cauſarum genera deſumuntur, ideo nobis magis arridet Auicennæ definitio. Medicina, *inquit,* eſt ſcientia, qua humani corporis diſpoſitiones noſcuntur, vt vel habita ſanitas conſeruetur, vel amiſſa recuperetur: *quia genus proprium aſſignat, & illius ſubiectum, finem & partes complectitur.*

Medicinam autem modò artem dici promiſcuè apud authores reperies, veteres potiſſimum, quibus non ita accuratè diſtincta fuerunt iſta nomina, vt apud Philoſophum, qui 6. ethic. & libro ſecundo de demonſtratione, *vult ſcientiam eſſe habitum, demonſtratione comparatum, de rebus vniuerſis & neceſſariis, in quâ ſint principia, ſubiectum reale per ſe exiſtens, proprietates ſubiecti, & quæ veritatem, ſeu eius contemplationem ſolam habeat pro fine propoſitam: vt ſcientiam ab arte (quam voluit eſſe habitum cum ratione factiuum, circa ea quæ aliter ſe habere poſſunt, qui frequenti operatione comparatur) fine potiſſimùm & certitudine diſtinguat.*

Nobis tamen placet Medicinam potius ſcientiam quam artem appellare (quamuis inter vtriuſque naturam ambigere videatur: Primò, quia habet ſua principia & axiomata æterna & infallibilia, vt ſimilia ſimilibus conſeruari, contraria contrariis curari, *quæ non minus ſunt vera, quam bis duo eſſe quatuor, ſuáſque demonſtrationes non minus fortaſſe neceſſarias, imò magis certas ipsâ Phyſicâ, vtpote à ſenſuum fide petitas, vt vult Galenus* 9. de placit. Hippocrat. & Platon. *qui per Anatomen infinitos Ariſtotelis errores conuincit: Secundò, quia habet ſubiectum reale per ſe exiſtens & præſtantiſſimum: Tertiò, quoniam actionis medicæ principium non eſt ſemper in artifice, vt in veris artibus, ſed ſæpius in re & extra Medicum, vt in morbis quos ſola natura ſanat: Quartò, quia Medicina non tam ex frequenti operatione, vt alij habitus artificioſi, comparatur, quam ex librorum doctorúmque ſedulâ inſtitutione, & naturæ potiſſimum explicatione: iſque Medicus meritò dici poſſit, qui hanc medendi ſcientiam tenuerit, quamuis nunquam fuerit operatus. Quod ſi quis finem obiiciat, quaſi propter eum neceſſario Medicina inter artes ſit reponenda: reſpondemus cum Aphrodiſæo, conſiderari Medicinam dupliciter, primariò, quatenus ſcilicet docetur ex certis, firmis, & indubitatis principiis, & tunc ſcientia haberi debet, non minus quam Geometria aut Arithmetica, ſeipsâ, ſuíque cognitione contenta: vel ſecundariò, quatenus ad vſus hominum reuocatur, vt Geometria ad terras metiendas, Arithmetica ad numeros computandos; & tunc finem habet opus, idque præſtantiſſimum & vtiliſſimum.*

Mereantur igitur tot doctorum hominum ſtudia, qui Medicinam ornarunt, excoluerúntque, vt ſcientia, ſi non propriè, ſaltem ſub generali ſignificato dicatur. Nunc itaque explicato illius genere, ad reliquas definitionis partes accedamus, Medicinæ ſcilicet ſubiectum, finem & partes deſcribendas.

SVBIECTVM. *Scientiæ itaque & artes cum circa rei alicuius conſiderationem verſentur, aut in eâ operationes exerceant; res illa vocatur ſubiectum*

ſiue

Digitized by Google

ſiue cauſa materialis. Videndum igitur quod illud ſit in Medicinâ. Recentiores quidam ſtatuunt Medicinæ proprium ſubiectum eſſe ſanitatem : alij ſanitatem & morbum ; idque allatâ Galeni authoritate libro de ſectis, *vbi ſcripſit*, ſcopus ſanitas eſt, finis autem poſſeſſio : *ibi per ſcopum ſubiectum interpretantur, quia ſcopum à fine diſtinguit. Adferunt etiam locum ex* libro de partibus artis Medicinæ, *vbi habetur*, quod' ſicut Phyſici materia eſt generatio & corruptio ; corpus verò materia ſecunda, & quaſi per accidens : ita Medici, non corpus humanum, ſed ſanitas. *His ſatisfacere haud eſt difficile : etenim conſtat ex Galeno* libro primo de ſymptom. different. & alibi paſſim, *hæc tria inter ſe diſtingui, ſubiectum, ſcopum, & finem.* Subiectum *ergo vocat ibi Galenus, nominum non ita curioſus ſemper conſectator, finem ex quo vel in quo :* Scopum *autem, finem primarium ſeu qui primo ſeſe offert Medico : vltimum autem* finem, *in cuius adeptione conquieſcit : Vnde* citato loco *vocauit Galenus ſanitatem Medicinæ ſcopum, finem verò eius poſſeſſionem. In ſecundo autem loco prius adducto dicimus Galenum magis agere de ratione formali obiecti Medicinæ, quam de vero ſubiecto ; ac proinde particularem illius conſiderationem, quatenus ſcilicet eſt ſanabile, ibi expreſſiſſe.*

Cum igitur ſanitati ac morbo proprietates ſubiecti non poſſint competere, ideo dicimus corpus humanum in quo & circa quod operatur Medicus, & quod idem manens varias ſubit paſſiones, eſſe Medicinæ ſubiectum præſtantiſſimum, cuius gratiâ potiſſimùm omnes tam actiuas quam factiuas ſcientias præcellit. Corpus autem hoc humanum in Medicinâ habet rem conſideratam & conſiderandi modum, vt loquuntur barbari, materiale ſcilicet & formale : materiale quidem, vt ſubſtantia vel corpus operationum illarum medicarum capax : formale verò, prout conſideratur ſub ratione corporis ſanabilis, vt ſanabile eſt ; & ſic ab aliis omnium ſcientiarum obiectis vel ſubiectis diſtinguitur. Dicet aliquis. Cum Medicus non ſolùm corpus hominis contempletur, ſed res omnes creatas, elementa, mixta, cælos ipſos, & quidquid immenſa illa mundi vniuerſitas ſuo continet ambitu : ideo multo latius diffundi videtur eius ſubiectum ; quod Galenus ipſe ſenſiſſe videtur libro ad Thraſyb. *dum ait : Medicæ artis, vna cum ſit, infinitæ ſunt materiæ, & corpus ipſum ſanitatem accipiens, & cibi ac potus & vocata* ἀφαιρήματα. *Ad id reſpondemus, Medicum non ſimpliciter aut per ſe illa omnia ſpectare, ſed quatenus ad humani corporis commoda reuocari, aut remedij vicem ſubire poſſunt : Ac propterea quamuis ſubiectum contemplationis dici quodammodo mereantur : corpus tamen humanum proprium eſt ſubiectum, reductionis ſcilicet, vt* ibidem *innuit Galenus, dum addit*, corpus autem tanquam id ex quo finis, & in quod : *Vnde Hippocrates* libro de camibus, de meteoris, *inquit*, non eſt mihi agendum ſimpliciter & extra artis contemplationem, ſed quatenus ad hominem referuntur, in eóque cauſæ ſunt ſanitatis, morborum aut mortis.

FINIS. *Pergamus igitur & inuento Medicinæ ſubiecto, videamus διὰ τί, propter quid in eo operetur Medicus, id eſt, quem finem habeat ſibi propoſitum. Galenus* eodem lib. ad Thraſyb. *vult finem eſſe quo acquiſito conquieſcit artifex : Sic Philoſophi in cauſis finalibus, vt in aliis, progreſſum dari in infinitum negant : ita vt in omni actione præſtantiſſimum quid ſeu bonum ponendum ſit, cuius causâ fiat, eóque parto conquieſcat : Vt enim actiones cum motu coniunctæ ſunt : ſic finis in quiete poſitus eſt. In finibus porro multi ſunt intermedij & ſubordinati (hos Galenus ſcopos appellat) vnus verò, quem vltimatum & cauſam primam intentionalem vocant Philoſophi, de quo nobis hîc ſermo : finem autem hunc aliqui ponendum in artibus putant, quem artifex ſemper aſſequi poſſit : vnde non perſuadere, ſed*

Digitized by Google

bene dicere & facere omnia quæ ad perſuadendum ſunt apta, contendunt eſſe finem rhetorices, quia illud rhetor peritus ſemper aſſequi poteſt. Alij verò iam à nobis adducti finem artium eſſe volunt, quo parto, ſi nihil impediat, conquieſcat artifex: ac proinde officium à fine diſtinguendum putant; officio functus eſt rhetor verbi gratia, ſi dixit & fecit omnia, quæ erant apta ad perſuadendum: ſi tamen non perſuaſit, finem ſuum non eſſe aſſecutum, cuius gratiâ illa dixit & fecit, ſatis patet: ſic Medicus ſi omnia artis ſuæ præcepta ad curandum Socratem accuratè & diligenter reuocarit, probè officio ſuo dicetur functus, finem tamen ſuum non eſt adeptus, cuius gratiâ inceperat motus & actio. Neque ſemper illum aſſequi poteſt ex patientis aut agentium vitio, vt in male moratis ægris, aut quibus natura eſt planè effæta, vel quando conuenientia remedia non ſuppetunt. Verum obiici poteſt, cum dictum ſit actionem eſſe factiuarum ſcientiarum finem, quemadmodum ſpeculatiuarum contemplationem: quomodo ſanitas quæ actio non eſt, finis Medicinæ dicetur? Reſpondemus ex præmiſsâ diuiſione, finem vnum eſſe vltimum & præſtantiſſimum, alios verò intermedios & ſubordinatos, qui ad illum conſequendum inſtituuntur. Quod ſpectat ad illum vltimum finem, non poteſt eſſe actio, quia eſt poſitus in quiete ſeu actionum ceſſatione, ſequitur tamen ad illas & ſine eis acquiri non poteſt: vnde concludimus ſanitatem eum eſſe in Medicinâ finem: actiones verò eſſe media quibus vtitur Medicus ad illam conſequendam: & illa media poſſe etiam poni pro fine artis medicæ, quia ſanitas non fit à Medico, ſed ſequitur ad illas actiones, vt eſt apud Galenum lib. qui introductio inſcribitur.

PARTES MEDICINÆ. *At quoniam nemo Medicinæ finem rectè aſſequi poterit, niſi prius nouerit ea ex quibus tractatio illius conſtat, de partibus Medicinæ conſequenter eſt nobis agendum. Medicina igitur variè à multis diuiditur, vt ab Hippocrate, ex vniuerſalibus quibuſdam actionibus in adiectionem & ſubtractionem: ex effectis illarum operationum, in curatricem & conſeruatricem ab empirico Theuta apud Galenum* libro de ſubfigur. empir. *ex varietate remediorum quibus ad eas vtitur, in Diæteticem, Pharmaceuticem & Chirurgiam. Ratione autem materiæ ſubiectæ, hoc eſt theorematum medicorum, ab eodem Galeno* libro dicto, *in* Φυσιολογικὴν *ſubiecti hominis,* παθολογικὴν *affectionum ſubiecto inhærentium,* αἰτιολογικὴν *cauſarum efficientium,* σημειωτικὴν *ſignorum, &* θεραπευτικὴν *actionum. Nos autem ex propoſitâ nobis definitione illas ita inueſtigemus. Cum in Medicinâ præcepta ſint quædam & theoremata cognitionis, longius ab operatione remota, illa vel reſpiciunt naturam ſubiecti & eius conſtitutionem, vel paſſiones eius ſubiecti, quatenus mutatur de ſanitate in morbum, & contrà: vel tradunt ſigna quibus variæ illæ conſtitutiones à Medico agnoſcantur: ergo tres erunt partes Medicinæ ad theoriam magis ſpectantes,* Φυσιολόγια *ſcilicet,* παθολόγια *&* σημειωτικὴ. *Quoniam verò hæc omnia ſpeculamur in Medicinâ, vt ſanitas præſens conſeruetur, vel amiſſa recuperetur: duæ erunt illius partes practicæ, quibus operationum medicarum modus & ratio traditur,* ὑγιεινὴ *nimirum circa ſanitatem ſuâ latitudine donatam, quæ etiam ſtatum aliquando neutrum ſub ſe complectitur,* θεραπευτικὴ *circa morbos curandos occupata. Harum itaque quinque partium clarior deſcriptio ſubnectenda eſt, vt ex eâ velut compendio ſciant omnes quid tota Medicinæ tractatio complectatur.*

ΦΥΣΙΟΛΟΓΙΑ *igitur eſt Medicinæ pars, quæ naturam hominis vniuerſam, hoc eſt naturalem illius conſtitutionem perſequitur methodo quam compoſitionis vocant, ducto ab elementis exordio. Elementum autem cum ſit pars eius cuius eſt elementum, tria facit hominis elementa Phyſiologus, remota, media, & proxima. Remota appellat communia illa corpora omnium mixtorum fundamenta, aquam, terram, aërem,*

&

Digitized by Google

& ignem : proxima verò, propinqua & ſenſibilia corporis noſtri elementa ſunt partes ipſæ ſimilares, ex quibus organicæ ſeu diſſimilares, ex diſſimilaribus tota corporis compages conſtituitur : horum media exiſtunt humores, omnibus animantibus ſanguineis communes, ſanguis, pituita, bilis, melancholia & ichor, quibus vtrumque ſemen & corporis noſtri nutritio adſcribitur. Horum omnium eſſentiam, cauſas & effectus, potiſſimùm verò temperamenta perſcrutatur. At cum homo non tantum corpore, ſed etiam animâ conſtet, ipſam etiam animam, quatenus functiones varias & multiplices à facultatibus pendentes exercet, contemplatur : facultates enim ab ipſis functionibus, functiones ab operibus diſtinguit, vnuſcuiuſque partes, functiones, & vſus conſiderat, agendique modum docet. Cúmque anima, quæ tota eſt immaterialis & incorporea, vt vteretur ad actiones partibus corporis, opus habuit quodam medio quaſi communi inſtrumento, quo iſta perficeret : hoc inſtrumentum vocat Phyſiologus ſpiritum calorémque innatum, quidque ſit & quotuplex oſtendit, quæ Hippocrates per continentia, contenta, & impellentia deſignauit. Neque ſolùm hominem iam numeris omnibus completum, ſed etiam primam illius procreationem perquirit : de ſemine, & menſtruo generationis noſtræ principiis, de conceptione & primâ partium conformatione, de motu fœtus & perfectione, déque illius cum parentibus ſimilitudine diſputat. Sub hac parte continetur Anatome, artificioſa ſcilicet corporum ſectio, qua particularum omnium ſitus, & connexus accuratè per αὐτοψίαν dignoſcuntur : ex cuius certitudine Galenus tot falſas Philoſophorum opiniones vbique confutauit.

ΠΑΘΟΛΟΓΙΑ verò, quæ nobiliſſimam ſub ſe partem αἰτιολογικὴν continet, cognitâ perſpectáque per Phyſiologiam naturali hominis compoſitione & conſtitutione, ad ipſos affectus qui illi ſecundum & præter naturam accidunt, cognoſcendos aggreditur. Docet igitur quid ſit ſanitas, neutra conſtitutio, actio, paſſio, cauſa, morbus, ſymptoma : definit enim morbum, morborum genera diuidit, & differentias aſſignat, enumerat cauſas, concauſas, externas, internas, antecedentes, coniunctas, materiales, immateriales, manifeſtas & occultas. Docet quid ſit ſymptoma, ſymptomatum cauſas & differentias examinat. Denique particulares omnium corporis partium morbos & ſymptomata enumerat. Pars hæc eſt nobiliſſima, & quæ Medicinam perfeciſſe videtur. Quoniam verò conſtitutiones iſtæ variæ non poſſunt à Medico, niſi certis quibuſdam ſignis dignoſci, ideo duabus hiſce Medicinæ partibus neceſſariò ſucceſſit

ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗ, tantopere ab Hippocrate celebratam τέκμαρσι continens ; hæc enim ſignorum ſeriem deſcribit, quibus non ſolum ægri corporis, ſed & ſalubris & neutri ſtatum poſſimus agnoſcere : quæ vt variam temporis differentiam reſpiciunt, ſic etiam dicuntur διαγνωστικὰ, προγνωστικὰ, & ἀναμνηστικὰ, prout præſentem, futuram aut præteritam ſanitatem, morbum, vel neutralitatem repræſentant. Ideò σημειωτικῆς duæ præcipuæ partes exiſtunt, προγνωστικὴ & διαγνωστικὴ.

ΠΡΟΓΝΩΣΤΙΚΗ quidem docet præuidere varios morborum euentus, diuturnitatem vel breuitatem, ſecuritatem vel periculum, idque per obſeruationem κρίσεων καὶ λύσεων, μεταβάσεων ; habita etiam ratione certorum dierum criticorum, contemplabilium aut indicatoriorum & intercidentium, quibus iſtæ mutationes contingere ſolent. Hanc prognoſin cum ſummus Hippocrates teneret, diuinis pene affectus eſt honoribus : Galenus autem pro mago & veticinatore Roma habitus. Diagnoſtice verò quæ conſultandi rationem complectitur, docet quomodo ex certis ſignis pars affecta, affectus natura, & cauſæ deprehendi poſſint. Adfert in vnoquoque morbo ſigna παθογνωμονικὰ χαρακτηριστικὰ, συνεδρεύοντα, διαγνώμονα. Signa autem petit ex cauſis & effectibus ; vt actionibus omnibus naturalibus, vitalibus, animalibus : ab excretis, eorum ſubſtantiâ, quantitate, qualitate, contentis, & excernendi modo : à qualitatibus

tibus mutatis, quæ vel in exteriore habitu positæ sunt, vel alio quouis modo sensibus nostris percipi possunt, vt ad ea quæ interiora sunt, Medici discursus penetrare possit.

Cognito ergo tam naturali quam non naturali statu, statim sequitur medica actio, quæ varia est: bona enim valetudo conseruari, non adeo bona reduci, si iam adsit; si futura, præcaueri: mala verò, tolli & curari, ac, si non possit, mitigari saltem debet. Hinc emergunt quinque actiones Medicinæ præcipuæ, nempe conseruatio, reductio, præseruatio, curatio, & mitigatio, sub duabus illis partibus quas practicas vocabamus.

ΥΓΙΕΙΝΗ *enim est illa, cui Galenus duplicem scopum voluit esse propositum: corpus scilicet sanum in pristinâ eius temperie tueri, vel si deficiat, in meliorem reducere, donec* εὐεξίαν *sit consecutum: quæ conseruat similibus, contrariis restituit. Ad quos scopos assequendos vtitur rebus à recentioribus* non naturalibus *appellatis, Aëre, Cibo, Potu, Somno & Vigilia, Excretis & Retentis, Exercitationibus & animi Pathematis, eorúmque adiunctis, vt Venere, balneo, & reliquis, quæ Galenus sub quatuor capitibus Admouendorum, Gerendorum, Educendorum, & Assumendorum complexus est. Sub hac parte continentur multæ aliæ, vt* προφυλακτικὴ *præseruatoria, quæ ad therapeian vsque aliquando extenditur:* εὐεκτικὴ *boni habitus procreatrix, &* γυμναστικὴ *olim Athletarum collegiis maximè exculta:* παιδοτροφὴ, γηροκομικὴ & ἀναλεπτικὴ, *ratio scilicet educandi pueros, senes & emaciatos. Neque vererer huic parti duas alias subiicere,* κομμωτικὴν & κοσμητικὴν, *comptoriam scilicet & exornatoriam. Quamuis enim Galenus neget aliquando istas ad Medici dignitatem pertinere, neque ab eo nisi à magnis Principibus coacto exercendas, multi tamen veterum clarissimi Archigenes, Heraclides Tarentinus, Crito, nostræque ætatis homines clarissimi partes has excoluerunt: neque tam Stoicus aut μισοκαλος fuit Galenus, quando huius artis summa capita tradidit* lib. 1. κατὰ τόπους.

ΘΕΡΑΠΕΥΤΙΚΗ *supereſt* ἰατρικὴ, *curatrix & medicatoria dicta, quæ corporis humani affectus contra naturam certis præceptis & quasi regulis curare docet, sumptis indicationibus à morbo, morbi causâ, totius ac partis natura: non neglectis coindicationibus, & contraindicationibus. Idque tum in genere, vniuersali scilicet methodo, tum in specie, in vniuscuiusque affectus sublatione exequitur, triplici instrumento, Diatâ scilicet, Pharmaciâ & Chirurgiâ, vnde totidem Therapeuticæ partes recensentur. Diætæ instituendæ ratio exigit perfectam facultatum quæ alimentis insunt cognitionem, item debitæ præparationis, quantitatis, temporis, & ordinis obseruandi in cibo potúque ægris exhibendo, necnon aliis rebus non naturalibus ritè instituendis. Pharmaceutice continet totius materiæ medicæ, rei scilicet herbariæ, sub quâ* βοτανικὴ, *metallicæ, & ex animalibus petitæ cognitionem, electionem, præparationem, mixtionem & conuenientem illius administrandæ modum. Sub præparatione continetur Chymica, seu Spagyrica ad extractiones medicamentorum & separationes partium purarum ab impuris faciendas, supra vulgarem rationem hodie celebratissima.*

Chirurgia denique diuiditur ab actionibus vniuersalibus in σύνθεσιν, πρόσθεσιν, διαίρεσιν, & ἀφαίρεσιν, *coniunctionem, appositionem, diuisionem & ablationem, quæ infinitas sub se alias simplices, vel ex his mixtas complectuntur, phlebotomiam, arteriotomiam & similes, suis quasque tractatibus explicandas. Atque hæc de Medicinæ partibus & prolegomenis dixisse sufficiat, si modo annotauerimus Neotericos has omnes tractationes in tria distraxisse capita, rerum scilicet naturalium, non naturalium & præter naturam, siue sint signa, siue corpora, seu causæ. Naturales res spectant corporis iustam constitutionem & compositionem: res præter*

naturam

Digitized by Google

naturam complectuntur ea omnia, quæ particulari noſtræ naturæ ſunt aduerſa: non naturales medio modo ſe habent, quia ſunt externa omnia, quorum vſu corpus noſtrum modò leditur, modò iuuatur, prout variè ſunt conſtituta, ſiue agant in nos neceſſariò & ordinariè, ſeu caſu tantum & fortuitò. Nunc ad Phyſiologiæ noſtræ tractationem accedamus.

De naturæ apud Medicos acceptione, & de Phyſiologia particularius.

VT nihil eſt naturæ nomine vulgarius, ſic etiam nihil quod plures ſignificationes apud varios homines tam eruditos quam ineruditos acceperit, quam natura nomen: quod nobis propoſitum eſt hic prius diſtinguere, quàm Medicam Phyſiologiæ quæ à naturâ nomen deſumpſit tractationem exordiamur.

Naturam itaque omnes duplicem faciunt, prout vel vniuerſi huius, vel vniuſcuiuſque rei in ſuâ ſpecie aut indiuiduali conſtitutione imaginem contemplantur: Hinc natura naturans, & natura naturata: natura indiuiduans & indiuiduata: natura vniuerſalis & particularis. Naturam illam naturantem qui dicit, quid aliud quam Deum dicit? qui prima eſt & infinita natura, prima cauſa omnium, naturæ particularis, faciique Creator & Dominus, omnia per ſeſe & per cauſas ſecundas faciens. Hoc luculentis verbis expreſſit Galenus 9. de placit. Quæ ſubſtantiâ ſit naturæ, quæ nos & finxit & gubernat, non audeo pronunciare, ſed noſtræ creationis, & aliarum rerum omnium authorem, vt omnibus hominibus mos eſt, Deum appello. *Vnde videre eſt quàm falsò impietatis à quibuſdam inſimuletur. Alij malunt naturam hanc vniuerſalem non quidem Deum eſſe, ſed ordinariam Dei poteſtatem, vt fortunam eius voluntatem: vnde Hippocrates* Φύσιν πάντες θεοὶ δικαίωμεν: *alij ordinem connexionémque cauſarum cum effectibus, vt Stoici: alij vim formarum omnium inferiorum à ſuperioribus pendentium in effectione & conſeruatione, vt Aſtrologi: alij vero confinxerunt animam quandam mundi* παντοιομίαν, *quam Plato* in Timæo Φύσιν διακοσμίαν *vocat, Auicennas vero* in metaphyſicis Cholcodeam, *quæ mundanæ huic materiæ præſit. Sit ergo hæc natura Deus aut Dei vis vniuerſo huic mundo infuſa.*

Natura verò particularis ſeu indiuiduatæ nomen etiam apud Philoſophos multipliciter ſumitur, nam aliquando tam latam habet ſignificationem, vt ſynonymum ſit cum vocabulo rei & entis, & complectatur quamlibet eſſentiam ſubſtantiæ corporeæ & incorporeæ, cuiuſlibet accidentis ſenſibilis & inſenſibilis. Alias contrahitur ad ſubſtantiam, eámque corpoream, quæ principium eſt internum motus & quietis per ſe & non per accidens, vt eſt definita ab Ariſtotele in Phyſicis libro ſecundo. *Aliquando natura Philoſophis communiter & quaſi impropriè ſumitur pro quauis differentiâ ſpecificâ, vt quando dicunt aliam eſſe auri & argenti naturam; aliam equi & canis: pro quouis accidente proprio ſeu inſeparabili, vt dum dicunt naturâ ignem calefacere, hominem natura ridere, &c. Sumitur etiam pro energia & viribus, dum naturas herbarum, gemmarum & ſimilium vocant.*

Medici naturæ nomen ad proprios ſuos vſus transferentes, de tribus potiſſimum rebus, vt ait Auerrhois, naturam dicunt: Primò de facultate ſeu virtute: Secundò de complexione ſeu temperamento: Tertiò, de compoſitione ſeu corporis quauis conſtitutione, quæ ad agendum vel patiendum concurrit. Quod ad facultatem ſpectat, illud videre eſt apud Hippocratem & Galenum libro tertio de facultat. ſimpl. cap. 13. *qui paſſim alimentorum, medicamentorum, & ſimilium facultates ac naturas pro eodem, nempe eorum viribus & energia ſumunt. Nec illud ſolum ad fa-*

cultates corporis, ſed etiam animi transferunt: Unde apud Hippocratem natura, id eſt ingenium ſeu indoles ad Medicinam & alias artes ediſcendas eſt εὐφυέστατον & principaliſſimum inſtrumentum.

Quod ad complexionem verò ſeu temperamentum attinet, illa tam vulgaris eſt eſt & recepta apud Galenum vſurpatio, vt propria Medicis videatur, quod patet ex comment. in Aphoriſm. 2. ſect. 3. & 51. ſect. 2. *Item* libro de temperamentis. *Naturam, inquit, cum dico, totam ſubſtantiam & mixtionem intelligo, quæ ex primis elementorum qualitatibus emerſit, omnium in nobis actionum authorem. Tuncque temperamenti ſignificatum extendit ad calorem vſque innatum, vt habetur* comment. in Aphoriſm. 15. ſect. 1. Ventres hyeme calidiſſimi naturâ, *id eſt calido innato: nam* 2. ad Glauconem, *calorem natiuum eſſe vult vel animæ ipſius ſubſtantiam, vel primarium eius inſtrumentum: quod ſe habeat vt agens & forma, cætera partes vt patiens & materia: Hinc naturæ ἀντιδιδακτοὶ apud Hippocratem* lib. de arte. *Hinc morborum medicatrices, præcipuè humoralium dicuntur, quia calidum illud agitat, concoquit, præparat, & expurgat cauſas earum diſpoſitionum: cóque euaneſcente aut imminuto omnes corporis functiones labefactantur. Nec ſolum id de corpore humano, ſed etiam de quibuſuis rebus mixtis intellexit Galenus, in quibus propria temperies & caloris in certâ materiâ gradus, variarum facultatum & virium eſt author. Non igitur per naturam, καῦσιν & calidum innatum accidens tantum audit Galenus, ſed ſubſtantiam quandam ex humido primigenio & viuifico calore conflatam, quæ ſit internum illud principium motus & actionũ omnium in rebus mixtis: ſuperiorem enim aliam formã & quæ ſenſibus ſit imperceptibilis, non eſt Medici indagare.*

Quod ad tertium naturæ ſignificatum attinet: certum eſt apud Medicos quodcunque poteſt ad aliquid efficiendum in homine vel agendo vel patiendo concurrere, illud etiam aliquando naturam dici: vt figuram, compoſitionem & ſimilia: hinc 1. epid. maximè moriebantur, *inquit Hippocrates*, quibus natura vergebat ad tabem, *qui videlicet habebant pectus anguſtum, collum oblongius, tibias graciles, & ſcapulas πτερυγώδεις, alarum inſtar conformatas. Atque hæc de naturæ ſignificatis, quæ erant intelligenda priuſquam ad Phyſiologiæ Medicæ tractationem accederemus, quæ à naturâ ideo ſuum nomen deſumpſit, quod in eâ omnem naturalem hominis conſtitutionem, ſecundum ſuas facultates, complexionem, & compoſitionem variam deſcribere ſoleant Medici.*

Supereſt tamen adhuc quædam difficultas eximenda, propter eos qui Phyſiologiam Medicinæ partem eſſe inficiantur. In illâ enim, aiunt, nihil tractatur, quod à Phyſicis non fuerit iam traditum, v. g. ab Ariſtotele lib. de cœlo, de ortu & interitu, de animâ, de hiſtoriâ animalium & alibi paſſim. *Cui nos ita ſatisfacimus dicentes, hoc nihil impedire, quin Phyſiologia ſit propria Medicinæ pars: repetit quidem multa ex Philoſophia: differt tamen ab eâ tum fine, tum tractationis modo. V. g. adfert Philoſophus vt probet animalia omnia ex quatuor elementis eſſe conſtituta, mutationem, alterationémque ſecundum primas qualitates, quæ omnibus animalibus contingunt. Medicus verò vt probet non omnia animalia & mixta, ſed ipſum hominem ex eiſdem elementis eſſe conſtitutum, aſſumit quidem iam in ſuperiore ſcientiâ velut de genere dicta & confirmata: adducit tamen alia ex propriâ profeſſione petita, vt dolorem, humorum, partiúmque diuerſitatem, varios morbos, & cætera eiuſmodi, quibus idem confirmat Hippocrates* libro de naturâ humanâ. *Præterea, vt aſſerit Galenus* libro de partibus Medicinæ, *notitia illa, ſine quibus ars aliqua cognoſci, illiúſque finis minime attingi poteſt, partes ſunt ipſius Artis: verùm ſine notitiâ humorum, temperamentorum, partium, functionum, de quibus Phyſiologia agit; neque certa Medicinæ cognitio haberi, nec finis illius attingi poteſt; rectum enim,*

ſiue

ſiue naturale, eſt index ſui & obliqui eius quod eſt præter naturam. Vnde Hippocrates libr. de veteri Medicinâ : ἐκ ὅτι δυνατὸν ἐπιστῆμην ἰδέναι, ὅστις οἶδεν ὅκη χρὴ ἄνθρωπον, καὶ ὅκως ἐγγίνεται νοῦσος, καὶ ὅκως συντυχόντα : necessarium, *addit ille*, est Medico hæc accuratè scire, ἵνωις τὶ μέλλει τῶν δεόντων ποιήσειν.

Quod si argumentum ab illis propositum valeret : Philosophia tractat de eis quæ & Physiologia medica, ergo hæc non est Medicinæ pars : tollendæ essent omnes particulares scientiæ, quæ entis affectiones particularius persequuntur : Generalis enim illa Philosophiæ tractatio, quid est quod non attingat ? cum etiam Aristoteles causas morborum & sanitatis explicare ad Philosophum pertinere dixerit. Crediderim ego Medicinam Physicæ subiectam & subalternatam, non solum ratione subiecti, sed etiam demonstrationum & principiorum quæ ab illâ repetit : Vnde vult Hippocrates lib. de decenti ornat. *Philosophiam in Medicinam esse transferendam, ac vicissim Medicinam ad Philosophiam. Habere tamen suas tractationes, in quibus particularius versatur, à generali illâ cognitione distinctas. Quod Physiologiæ medicæ potissimum contigit : cuius nos tractationem septem capitibus complectemur : quorum primo agemus de elementis : secundo de temperamentis : tertio de partibus : quarto de humoribus quinto de spiritibus & calido innato : sexto de facultatibus & functionibus : septimo de primâ hominis conformatione.*

CAPVT PRIMVM.

De Elementis.

APERTON DE PRINCIPIIS RERVM NATVRALIVM ADVERSVS PARACELSVM ET CHYMICOS. Vetustissimi homines, qui rerum naturalium causas primi indagarunt, cum earum vicissitudines, motus ac mutationes mirarentur, factum est vt scitè rerum omnium principia scrutati sint à confessis notisque ordientes, & ab his ad ignota procedentes. Ex fluxu enim & refluxu quo sublunaria ista continuè versari videmus, (Hippocrates ait *lib. 1. de diæta, ab ortu ad Iouem, à Ioue ad ortum omnia reuertuntur*) mutabilia esse omnia quæ naturâ constant, rectè statuerunt. Præterea mutabilitatem hanc considerantes attentius, tandem animaduerterunt in omni mutatione aliquid remanere ex quo omnia fierent, & in quod omnia reuerterentur, ipso interim permanente : aliàs mundum citò interiturum defectu quasi pabuli & materiæ, nisi in mutationibus omnibus, non solum eis in quibus neque nomen, neque naturam res amittunt, vt cum homo calefit, refrigeratur, dormit, vigilat, & similia : verum aliis in quibus vtrumque deperditur, vt cum ex semine homo, ex ouo pullus generatur, daretur aliquid perpetuum & semper subsistens : Hinc manarunt recepta illa apud Physicos axiomata : ex nihilo (naturaliter scilicet & extra creationem) nihil fieri, & rem nullam per se subsistentem ad nihilum reduci.

Hanc autem perpetuo permanentem rem dum explicare voluerunt, varij & pugnantes fuerunt : alij enim atomos & ἀνάρη corpuscula, indiuidua & variis figuris prædita per inane, immensum, seu vacuum volitantia : alij partes quasdam homimereis in omnibus rebus contentas : alij vnum vel duo ex receptis elementis, quia videbant ea inuicem transmutari, & esse rerum mixtarum fundamenta : Attamen in eo errarunt, quod vltimum omnium rerum subiectum, quod vlterius in alia resolui non potest, certâ donarunt formâ, cum omnibus nudatum & priuatum esse debeat. Ex eorum tamen argumentationibus posteriores rectè collegerunt, res omnes generabiles & corruptibiles compositas esse ex duobus principiis, videlicet re quapiam permanente seu subiecto, & ea quæ in hoc per motum aut mutationem inducitur forma.

Digitized by Google

Cæterum cum non eandem formam in his manere, ſed mutari & aboleri frequenter in ſubiectâ materiâ viderent, non tamen quamlibet in quodlibet introduci, vt neque omni ex ligno Mercurium, ſed ex certo & determinato aliud fieri cognouiſſent, alterius principij neceſſitatem comprehenderunt, propter quod ſubiectum vnam magis formam, quam aliam recipere poſſet: hoc principium priuationem vocarunt, non puram quidem negationem, ſed aptitudinem potius ſeu habilitatem ad formas ſuſcipiendas, intelligentes materiæ inſitam, quæ ſit principium rerum, non quatenus exiſtunt, aut factæ ſunt, ſed quatenus fiunt aut fieri poſſunt. Et ſic emeiſerunt tria illa principia rerum naturalium, non quidem per ſe aut ſeorſim ſubſiſtentia, ſed ſolâ cogitatione ſeparabilia: κατ' ἔννοιαν μόνην χωριζομένας.

Hæc eſt Peripateticorum de principiis philoſophia, ab vniuerſo eruditorum cœtu ſummo applauſu recepta ab hinc mille & quingentis annis: quam tamen hodie nouatores quidam ex grege potiſſimum Chymiſtarum, improbare nituntur, vt ſuam deinceps adſtruere poſſint ſententiam. Obiiciunt enim Ariſtotelem & eius ſectatores corpora ex incorporeis conflare: materiam enim & formam non eſſe corpus, ac proinde corpora non poſſe ex eis, tanquam partibus eſſentialibus conſtare. Præterea dicunt: illa materiæ primæ cognitio tam eſt obſcura, & difficilis, vt ad eam nec per ζήτησιν, nec ἀνάλυσιν perueniri poſſit, ſed per analogiam tantum quamdam intelligitur. Exiſtimant ergo noſtri ſufflones, corpora non componi ex aliis quam ex his in quæ reſoluuntur. Denique principia notiora eſſe debere compoſitis, cum contrarium tamen contingat in principiis illis aſſignatis, quæ vix intellectu percipi poſſunt.

Iſtis itaque obiectionibus eſt ſatisfaciendum, priuſquam illorum opinionem examinemus: hoc primùm in memoriam reuocato, principium ſcilicet ab elemento ita diſtingui, vt principia extra compoſitum non ſint niſi ſolâ cogitatione, quodque ex ipſis elementa etiam ipſa fiant: elementa autem mixtorum omnium eſſe materiam quam ſecundam vocant, & ex mixtis iterum generari. Ideo non eſt neceſſe hæc principia corpora eſſe & ſubſtantias completas per ſe ſubſiſtentes, ſed incompletas, & quæ prima illa corpora ſimpliciſſima, nempe elementa, conſtituant. Aliàs, ſi non eſſet deuenire ad aliquod corpus ſimplex, quod non rurſus ex aliis componeretur corporibus, fieret progreſſus in infinitum. Nos igitur ex incorporeis prima & ſimpliciſſima illa corpora componimus, non quidem per ſe & ſeparatim ſubſiſtentibus: numquam enim materia ſine formâ, aut hæc ſine illa fuit; ſed concurſu ſuo quaſi coniunctione hoc vel illud elementum ſecundum varias mutationes conſtituentibus. Ac proinde obſcura eſt illa materiæ primæ cognitio, quam vereres Philoſophi ſub Prothei nomine, Scriptura ſacra ſub nomine Chaos expreſſerunt, propter magnam imperfectionem, & quia ſenſibus non eſt perceptibilis. Sufficit ergo illa analogia, quæ petitur à materiâ ſecundâ & aliis rebus tam arti quam naturæ ſubiectis. Cognoſcitur tamen per analogiam aliarum rerum, quæ pro ſubiecto in rebus manifeſtioribus eſſe ſolent. Non enim eſt neceſſe principia naturæ eſſe notiora ipſis compoſitis ſeu effectis, quippe ex his illa intelliguntur: quod Chymici diſtinguere neſciuerunt, & ideo voluerunt principia eſſe rerum omnium quæ arte ſpagyricâ ex corporibus elici poſſunt: quod nobis iam eſt confutandum.

Sal ergo, ſulphur, & mercurium facit Paracelſus tria rerum omnium principia, mixtorum, ſimplicium corporum, imo etiam aliquando incorporeorum, quaſi vnquam angelum vel dæmonem diſtillaſſet, tanta eſt hominis amentia, in quibus etiam valde eſt inconſtans. Per quæ nomina, vt clariores illius diſcipuli referunt, non communia & omnibus nota tria illa mineralia corpora ſignificauit, ſed per ſulphur intellexit quidquid in corporibus facile accenditur: per ſalem, quod fundum petit velut cineres: per mercurium, quod liquatur magis aut in fumum ſeu vaporem ſublimatione tollitur. Hæc tria cum corpora ſint actu & per ſe ſubſiſtentia, vult tamen fumoſus ille Philoſophus eſſe rerum omnium etiam ſimpliciſſimarum principia; corpora enim eſſe ex ipſius ſententia patet, quandoquidem vult per artem ita ſeparari, vt in conſpectum & contactum veniant, ac diſtinguantur inuicem: quod non poteſt niſi vero corpori competere. Si vera igitur ſunt corpora, actum habent per quem exiſtunt, & potentiam in qua actus ille exiſtit. Præterea cum ſint mutabilia ex ipſomet Paracelſo hæc principia, diuerſa enim & pugnantia conſtituit genera ſalis, mercurij & ſulphuris: quî mutari poterunt, niſi habeant

ſubiectum

ſubiectum mutationis ſuæ,& ſpeciem quâ induantur poſt factam mutationem ; ergo & formam & materiam habeant neceſſe eſt.

Verum dicet aliquis, in hæc tria per ſpagyricam artem omnia mixta reſoluuntur, ergo in illis fuiſſe oportuit. Reſpondemus primum,quod ad naturam principij attinet, non oportere corpora diſſolui in prima illa principia ex quibus compoſita ſunt: hæc enim propoſitio intelligi debet de partibus naturalibus & corporatis, ſeipſis actu & ſeorſum ſubſiſtere valentibus : ac proinde ex eo quod Paracelſici volunt illa tria eſſe ſeparabilia , conficiunt etiam non eſſe rerum naturalium principia. Sed donetur hoc Paracelſo parum Philoſophiæ perito, vt principium pro elemento ſumpſerit : an concedendum illa eſſe elementa rerum naturalium ? Reſpondemus, nullo modo : nam quod ad elementa,cœlos & ſimilia ſpectat , quis vmquam conceſſerit eiuſmodi Chymicis ex purâ aquâ , vel aëre , aut cœli partibus elici poſſe hoc ſulphur , ſal & mercurium in alembicis ſuis ? Quare ſi non poſſunt elicere ex illis ſimplicibus corporibus, ſequetur hæc non eſſe ex illis compoſita,& ſaltem eſſe æquè ſimplicia : cur igitur non erunt mixtorum elementa potius quam iſta Paracelſica ? Quod ad mixta vero & elementata attinet, dicimus , non eſſe neceſſarium vt ea conſtent ex illis omnibus, quæ arte ab eis elici poſſunt , vel etiam in quæ aliquando reſoluuntur : quis enim neſcit animantium corpora in pediculos, vermes , apes, & ſimilia fuiſſe conuerſa , ex quibus tamen nemo vmquam dixerit illa fuiſſe conſtituta ? Imo multa ſunt ex quibus corpus noſtrum veriſſimè conſtituitur, in quæ tamen neque naturâ , neque arte reſolui poteſt , vt ſemen & ſanguis menſtruus. Sic eliciunt Chymici ex mixtis elementa illa tria , quæ reſpondent quodammodo veris elementis; vtpote liquorem aquoſum aquæ,oleum duplex,rubrum & ſplendens igni, flauum aëri , & ſalem terræ. Quod illi obſcuris verbis exprimere voluerunt , vt artem ſuam commendarent : nos veram & vltimam reſolutionem ſpectamus , quâ res mixtæ in quatuor conceſſa elementa faceſſunt, certis ſuis ſedibus vniuerſi compagem conſtituentia.

Oſtendant nobis quæſo Chymici loca propria , in quibus naturaliter hæc tria ſua elementa quieſcunt: dicant , vbi dicata ſedes ſulphuri , mercurio & ſali,quò tranſmeare poſſint ; & inde repeti ad generationem. Si hîc maneant in centro mundi & terram nobiſcum incolant , audient ſtatim terram in illis adhuc dominari & elementa eſſe terræ,aëris,aquæ,& ignis plus minus participia : nec vllo modo elementa prima rerum mixtarum dici poſſe,multo minus corporum ſimplicium principia. Atque hæc pro digreſſione noſtra aduerſus Chymicos ſufficiant : quorum ſententia hic deſtruenda fuit,quoniam ex iſtis principiis illi deriuare conantur, non ſolum rationem temperamentorum,partium & ſimilium:ſed variorum morborum & cauſarum,necnon medendi methodum.

QVID ELEMENTVM ET QVOTVPLEX. Elementum quaſi alimentum appellari volunt aliqui , eo quod illis velut alimentis foueantur conſeruenturque miſta corpora. Græci *στοιχεῖον* appellarunt ab ordine, quod illa quodam quaſi ordine & proportione inter ſe conſtituta mundum & mixta ipſa componant. Eſtque nomen relationis , quia eſt tale habito reſpectu ad id cuius eſt elementum , propterea que homonymiam patitur pro diuerſitate rerum quas componit. Nam in Geometria dicuntur elementa punctum , linea , ſuperficies , & ſimilia : In Grammaticâ literæ vocantur ſyllabarum elementa : & in magno hoc mundo cœlum , ignis , aër , aqua, terra ſunt elementa , compoſitionis ſcilicet , vt ait Hippocrates *lib. de carnibus*, quia æther ſuperiorem partem , infimam tellus aquæ adiuncta , mediam aër occupat. Phyſici autem & Medici hoc nomen contraxerunt ad ſignificanda ea corpora ſimplicia,ex quibus mixtis & variè alteratis reliqua conſtituuntur.

Ariſtoteles enim ſic definit 5. *metaph.* *στοιχεῖον δὲ ἐξ οὗ συγκεῖται πρώτου ἐνυπάρχοντος ἀδιαιρέτου τῷ εἴδει εἰς ἕτερον εἶδος*, id eſt, *elementum eſt ex quo fit aliquid primò cum inſit, & eſt indiuiſibile ſecundum ſpeciem in aliam ſpeciem* : omne enim elementum , vt docet ille,materiæ ratione obtinet:quare ex eo aliquid fit:ineſt autem rei quæ fit,quo modo differt à priuatione,ex quâ tamen tanquam ex termino aliquid fit , ſed non manet in re quæ fit. Dicitur indiuiſibile ſecundum ſpeciem , ad differentiam primæ materiæ , quæ cum ſpeciem ſeu formam certam non habeat , dici non poteſt diuiſibilis ſecundum eam ; & ad differentiam materiæ ſecundæ quarumcunque rerum, quæ cum ſit compoſita ex ipſis elementis , diuiditur in alias ſpecies.Galenus 1. *de elementis & 9. de decretis*, non fuit diuerſus à Philoſopho, dum ait, *elementum eſſe illud quod eſt minima pars eius cuius eſt elementum* : intelligere autem oportet , addit ille,minimum

nimum quod amplius diuiſionem recipere nequit ſecundum ſpeciem, nam ſecundum magnitudinem nullum datur reuera huiuſmodi: minimum enim illud ad ſenſum ſunt partium corporis noſtri particulę, quaſi dicas atomos, & minutula corpora, de quibus non eſt nobis hic propoſitum agere, ſed de corporibus illis ſimplicibus, & ſecundum ſpeciem indiuiſibilibus.

Hæc autem quatuor eſſe priſci illi Philoſophi repererunt, nempe ignem, aërem, aquam & terram, quæ totam ſublunaris huius mundi capacitatem implent, vſi ſenſuum fide & diſcurſu. Nam ſiue rerum mixtarum generationem ſpectes, ſiue cauſarum diſſolutionem vltimam & naturalem, perpetuò iſta tibi elementa quatuor occurrent. In generatione quidem qualitates contrariæ materiam temperantes & miſcentes non vniformem, ſed aqueam magis aliquando, aliàs reliquorum elementorum naturam magis redolentem, oſtendunt quatuor illa corpora primarum qualitatum ſuſceptiua ibi adeſſe. In diſſolutione autem illud manifeſte apparet, etiam rerum quæ ſenſui ſimpliciſſimæ videntur, vt lactis, vini & ſimilium: vinum enim dum putreſcit, videmus fæcem craſſam & terream ſubſidere, aqueam partem & inſipidam adeſſe, cui flos quidam aëris & ignis particeps ſupernatat, quorum tamen præcipuas partes exhalaſſe, imminuta valde quantitas teſtatur. Deinde cum corpora iſta quatuor per circularem generationem inuicem tranſmutentur, vt vnum alteri totam materiam præſtet & in illud faceſſat, quod non fit in rectâ aliorum corporum generatione, coniecerunt aptiſſimè illa eſſe materiam hanc ſecundam, ex quâ res omnes mixtæ conſtituuntur. His addunt Medici rationem ex diuersâ partium corporis noſtri & aliorum ἀνομοιομερῶν naturâ petitam: oſſa enim verbi gratia, cartilagines & ligamenta ſenſibiliter terram repræſentant; humores aquam; ſpiritus & flatus aërem; calidum tam influens quam innatum, ignem: Ac proinde putant erraſſe illos, qui vnicum rerum omnium elementum ſtatuebant: quia ſic, ait Hippocrates *lib. de naturâ humanâ*, nullum haberet contrarium per quod mutatio fieret, ergo numquam corrumperetur homo verbi gratia, neque doleret (quia dolor ab obiecto ſenſibili confertim immutante) non eſſent diuerſæ ſpecies & ideæ morborum, neque diuerſa ad curationes remedia, ſed ἓν τὸ νόσημα καὶ ἓν τὸ ὑγιαῖνον. Falluntur etiam illi, qui infinita faciunt elementa ſecundum minimas partes, quæ ſenſui appareant, vt docet Galenus *lib. de elementis*; ſiue enim diuerſi generis faciant, vt Anaxagoras, in eo erant quod minima phyſica quæ actu non dantur, caſu quodam ad generationem concurrentia ponant: ſiue eiuſdem generis, vt Democritus, ſolis figuris diſcrepantia; quia inter contraria debet fieri generatio; & per alterationem, non ſolam approximationem mixtio, vt poſt videbimus. Nec requiritur quod illi putant, elementa eſſe numero infinita, quia rerum generatio infinita eſt: ſufficit enim elementa hæc quamuis actu finita, nuſquam perire, ſed per ſucceſſiuas generationes quaſi infinita eſſe potentiâ, ſicut ex viginti quatuor literis infinita nomina linguarum conſtant. Qui duo aut tria tantum elementa ſtatuunt, in eo videntur deficere, quod cum recipiant corpora quædam eſſe primarum qualitatum ſuſceptiua, vnam tamen aut duas ex illis ſine primo & proprio ſubiecto relinquere coguntur. Vt illi qui ſtatuunt quinque, nouam etiam aliquam qualitatem fingant neceſſe eſt, quæ in corporibus mixtis reperiatur: vnde illi calorem noſtrum diuinum & cœleſtem appellare coacti: Nam quod ſpectat ad quintam illam Chymicorum eſſentiam, nihil eſt aliud quam compoſitum attenuatum, & ſub olei ſpecie extractum, vires illius eminenter retinens. Qui ſex, vt Empedocles addens & amicitiam, male facit, quia mixtorum affectiones pro eorum elementis & cauſâ materiali ponit. Pythagoreorum autem doctrina, quæ omnia ad numeros: vel Platonicorum, ad certas figuras geometricas mundi & mixtorum conſtitutionem refert: vel eſt myſtica, vel certè non ſatis firma, vtpote quæ ignoraſſe videtur numerum & figuras affectiones eſſe ſubſtantiæ & ſequi ſubſtantiam, ac proinde illius cauſas aut elementa eſſe non poſſe.

Maneamus igitur in receptâ Philoſophorum ac Medicorum ſententiâ de numero elementorum: quod enim Montanus & Cardanus hac in re innouare voluerunt, ſatis ab aliis fuit refutatum.

QVALIA SINT ELEMENTA. Diximus prius elementa eſſe corpora ſimpliciſſima, ex materiâ & formâ conſtantia, quæ materiam primam & ſimpliciſſimam etiam vocauimus: illorum itaque formas oportet eſſe imperfectiſſimas & naturæ materiæ vel accidentium ex Auerrhoë propinquiſſimas: quoniam elementa reliquorum mixtorum ſunt materia ſecunda. Ideo Alexander voluit grauitatem & leuitatem

Digitized by Google

uitatem esse eorum formas, quandoquidem hæ qualitates videntur esse motus principium in elementis, & hac ratione veræ sunt mundi partes. Alij qualitates primas, caliditatem nempe, frigiditatem, humiditatem & siccitatem, vt Galenus, qui 1. *de elementis*; *si caliditas*, ait, *summa & siccitas materia coniungantur, ignis fit, & comment. in 1 de naturâ humanâ*, vbi habet summam caliditatem cum materiâ, ignem facere; summam verò humiditatem, aquam. Qui omnes quamuis probabiliter suam tueantur opinionem, videtur tamen mihi forma elementorum aliquid magis intrinsecum & nobis occultum esse, vltra prædictas qualitates: aliàs fatendum esset qualitates esse corporeas cum Stoicis, vel saltem substantiæ partes: substantiam intendi & remitti, & formas esse compositas, nimirum ex duabus qualitatibus quæ vnicuique elemento insunt. Clarissimi tamen illi viri coacti sunt elementorum formas per qualitates illas exprimere, non quod veræ sint eorum & substantiales formæ, sed accidentia formam comitantia, & ad eorum actionem proximè facientia.

Quæ igitur illæ sint, accuratè debet inquirere Medicus, vtpote qui compositorum omnium qualitates, vim ac facultates ex componentium naturâ & modo rimatur. Ponuntur autem duplices hæ elementorum qualitates, quædam nimirum primæ, caliditas, frigiditas, humiditas & siccitas: quædam secundæ, vt leuitas & grauitas: illæ alterant, hæ vero mouent. De qualitatibus ergo primis erit nobis sermo, qui hominis temperamentum, non mundi compositionem, habemus inuestigandum & rerum mixtarum facultates. Per has autem qualitates τὸ θερμὸν, τὸ ψυχρὸν, &c. absolutè dictum, elementa vt plurimum designat Hippocrates.

Aristoteles 2. *de generatione & alibi*, vt quaternarium elementorum numerum constituit, ita singulis elementis tribuit singulas qualitates excellentes, aliam verò remissam eius comitem: itaque ignem summè calidum, remissè siccum: aërem summè humidum, remissè calidum: aquam summè frigidam, remissè humidam: terram summè siccam, remisse frigidam statuit. Galenus *comment. in lib. de naturâ humanâ*, *& lib. de elementis*, etiam vnicuique elemento duplicem tribuit qualitatem, sed vtramque summam & excellentem: cui & ratio & ipse Aristoteles fauere videtur, nam *lib. 4. meteor.* summam humiditatem aquæ concedit: & in physicis scripsit, id quod minus tale est, ob contrarij mixtionem minus esse tale. Itaque si in vnoquoque elementorum vna est qualitas remissa, altera intensa, oportebit esse adhuc contrariæ permixtionem, qua vis & excessus alterius retundatur; & sic tres erunt, non duæ qualitates tantum. Nec est quod reclament Peripatetici, hoc non fieri per contrarij permixtionem, sed ab æterno vel in creatione sic condita fuisse elementa. Quamuis enim elementa tota de nouo nunc minimè generentur, singulis tamen diebus per partes generantur: in quâ permutatione oportet & tria illa concurrere, vt vnius qualitatis remissio contingeret. Poni igitur potest in elementis vtraque qualitas æquè intensa, quamuis vna aliquando remissior appareat, propter substantiæ modum, raritatem scilicet vel densitatem (ignis enim verbi gratia in materiâ valde rarâ non comburit, vix calefacit) vel alterius qualitatis coniunctionem. Vnde in igne caliditas maior quam in aëre, propter iunctam siccitatem quæ lima est caloris: & aqua magis humectat aëre propter partium crassitiem, sed in solâ superficie corporum: nam aërea magis peruadunt interiora, vt patet de oleosis omnibus & pinguibus propter suam tenuitatem.

De qualitatibus tamen aëris adhuc dubitatur, vtrum calidus & humidus; quod enim aër vestes & similia humore diffluentia exsiccet, nemini est dubium: Item aëris perflatum corpora nostra ventilare, & putredinem à corporibus arcere certum est, quam ex humoris dominio contingere omnes etiam fatentur: ergo siccus potius quam humidus videtur. Item non esse calidum contendebant Stoici, vt Seneca *lib. 2. quæst. natural.* multis rationibus; sed frigidum, eo quod ex aquâ quæ naturâ suâ frigida existit, solâ rarefactione generatur, & in medio suæ regionis, vbi maximè naturam suam retinere verisimile est, frigidissimus existit ex ipso Aristotele, motusque aër frigidior apparet: an non eum omnia animantia refrigerij & temperandi natiui caloris causâ inspirant? Adde quod res omnis naturalis remotis iis quæ eam alterabant, redit in naturam suam: sed aër vbi sol recedit à nobis per hyemem, aut solâ absentiâ per noctem fit frigidus: imo autumno eadem die calor & frigus vigent; ergo talis est ex suâ naturâ. Hæc Stoici. Peripatetici verò contra contendunt aërem esse calidum, quod à causâ calidâ dissoluente fiat, quæ potior est ad temperiem ipsâ materiâ. Quod etiam patet ex rebus aëreis, vt melle, vino, oleo, & similibus

similibus, quorum nusquam tanta est concretio & congelatio, vt frigidorum, humidorumque corporum: Imo illa refectio corporum nostrorum ex cibis aëreâ seu oleosâ & pingui maximè substantiâ constantibus, non potest adscribi nisi caliditati & humiditati: cum aquosa, frigida, humidaque pituitam potius & excrementa producant: vel potius, quomodo leuitas illa & tenuitas aëris frigori coniunctæ esse possunt, cuius contrarij apparent in rebus mixtis effectus? Essetne consentaneum, aërem & aquam diuersa elementa easdem habere omnino qualitates? Refrigeratur ergo facillimè aër ob tenuitatem maximam recedente aut absente sole, potissimum viciniâ aquæ, aut vaporum illi permixtorum, qui nocte densantur & in aquam coalescunt. In mediâ autem sui regione propter antiperistasim, vel ob continuos vapores eò delatos friget, non ex suâ naturâ, sed ex instituto summi Opificis ad vniuersi conseruationem. Motus etiam quieto sentitur frigidior, & inspiratus temperat æstum cordis, quia succedit in locum eius, qui iam corporis nostri contactu nimium incaluerat. Exsiccat etiam vestes & alia tenuitate suâ & motu, non siccitate natiuâ: Item ob coniunctum calorem solis quo humor resoluitur: qua etiam ratione putredines arcet ventilando, & quasi exagitando humorem. Sit itaque aër calidus humidusque cum tenuitate tantâ, quantâ efficit, vt ferè temperatus, & omnium qualitatum expers videatur: vt sensit Galenus *cap. 4. libri quod animi mores corporis temperiem sequantur.* Quod ad qualitates autem secundas elementorum spectat, vt raritatem & densitatem, crassitiem, & tenuitatem, duritiem & mollitiem, splendorem & opacitatem, illæ vel per se notæ sunt, vel extra nostrum institutum: ad quod iam accedimus.

MIXTIO ELEMENTORVM AD CORPORIS HVMANI GENERATIONEM ET EIVS CAVSÆ. Sciendum imprimis mixtionis nomen, vt patet, non semper eodem modo vsurpari: aliquando enim congeriem & aceruum rerum commistarum, vt milij, tritici aliorumque talium superficies suas integras seruantium significat, & propriè est appositio: interdum vero compositionem duorum, trium, vel plurium corporum ita inter se confusorum, vt quamuis singula naturam suam seruent, ac aliquando iterum separari possint, vnum tamen ex omnibus confectum corpus denotat. Tale est corpus illud ex aquâ & vino, similibusque liquoribus compositum, crama dictum: quod non est vnum formâ, sed continuatione tantum: etsi enim neque aqua, nec vinum terminis suis sint separata, sub formâ tamen suâ naturali vtrumque ibi continetur, quomodo in auro argentum & in argento aurum occultatur, quod per aquam separationis dictam secernitur: talia sunt melicratum, hydromel, tetrapharmacum & alia per artem composita. Tertio propriè sumitur mixtio apud Philosophos, quando ex pluribus specie diuersis alteratis & vnitis vnum corpus ita constituitur, vt illud sit à componentium naturâ distinctum, & propriam ab illis omnibus formam sortitum.

Tribus hisce modis corporis nostri mixtionem fieri à variis Philosophis creditum est: Empedocles enim quamuis quatuor vulgata elementa vocarit primas rerum omnium radices, in ea tamen fuit sententiâ, vt hæc nonalterari & permisceri dixerit, sed in minima frustula comminuta cum propriis formis & qualitatibus, partium solâ approximatione res compositas constituere. Democritus verò & Epicurus, atomos infinitas fortunâ aut casu concurrentes corporis nostri elementa fecerunt, ita inter se confusas, vt quamuis singulæ naturam suam seruent, ac aliquando iterum separari possint, vnum tamen ex omnibus corpus confectum sit. Nos autem, qui Hippocratis & Aristotelis doctrinam sequimur, tertio modo misceri elementa ad corporis nostri constitutionem putamus, quod inter omnia mixta perfectissimum & aliorum omnium veluti regula existit: ita vt miscibilia hæc ante ipsam vnionem, non solum comminuta & confusa, sed per totas substantias alterata, deinde vnita ac præstantissimæ formæ imperio subiecta sint: Quippe impossibile est, vt ex pluribus inter se commixtis vnum aliquid per se fiat ab omnibus distinctum, si ea quæ sic concurrunt, non alterentur tota: vt enim est apud Hippocratem *lib. de naturâ humanâ*, quamuis elementa sint ὁμόφυλα & καταλλήλως conueniant, nihil generare possunt, nisi contingat ea bene habere τὴν κρῆσιν πρὸς ἀλλήλα.

Huius mixtionis causam primariam efficientem censemus esse calorem illum cœlestem per omnia diffusum, & motu superiorum corporum, varioque illorum aspectu adiutum, qui materiam hanc versans, modò immediatè ex elementis imperfectè mixta & animantia, quæ per æquiuocam generationem producit: modò intermediis generationibus multis seu mixtionibus procreatione (quidam tamen asserunt hominem

etiam

etiam per æquiuocam generationem produci:) nam ex terra conuenienti humore madefactâ & genitali calore perfusâ producit plantas & semina plantarum, quibus vescuntur animalia: ex his omnibus nos cibum capimus: ex cibo humores quatuor diuersi procreantur, & inde semen ac menstruum generationis nostræ primordia, variis qualitatibus primis prædita, quæ sunt instrumentariæ causæ & immediatæ huius alterationis & vnionis: quando certâ proportione ita concurrunt, vt inde generatio perfecta secundum vnamquamque speciem exoriri possit, ad mundi inferioris varietatem & pulchritudinem conseruandam. Materia itaque elementorum in mistis, & ipsâ hominis structurâ, remanet. Vtrum verò ipsæ etiam formæ cum qualitatibus integris remaneant, & vtrum substantiæ elementorum in mixtione totis totæ permisceantur, an qualitates tantum: Hæc quamuis parum ad rem medicam facientia, vt docet Galenus *lib.1. de elementis, & lib.1. meth. cap.* 2. breuiter attingamus, ne quicquam omisisse videamur.

Stoici ergo, qui elementa actu completo ponebant in mixtis, eaque seipsa permeare, ac substantias eorum totas totis permisceri, satis eo videntur refutati, quod penetrationem dimensionum admittebant: fieri enim non potest, ac ne intelligi quidem, vt corporum substantiæ suâ quantitate prædita seipsas penetrent & quasi subingrediantur. Sed ita diuiduntur, comminuntur & alterantur, vt ad sensum ipsum quasi permixtæ videantur, quod fortassis ipsi senserunt Stoici.

Auicennas verò, Scotus cum omnibus fere Metaphysicis, & Fernelius, parum admodum à Stoicorum sententiâ absunt: putarunt enim in mixto corpore elementa esse in actu completo, quantum attinet ad formas substantiales: neque in formis illis fieri mixtionem aut alterationem vllam, sed elementa inuicem misceri ob primas qualitates, illisque mutuâ actione reductis ad temperiem, quæ alicuius corporis mixti complexioni conueniat, generare mixtum illud corpus. Quæ opinio non videtur etiam recipienda, quamuis multis argumentis fulta. Si enim formæ substantiales remanerent in mixto per actum quem vocant completum, fieri non posset, vt in eo alia forma esset præter illas, nam ex axiomate Philosophico: *quidquid aduenit enti & substantia in actu per se existenti, est accidens, non substantia*; aliàs vnum idemque corpus haberet duplex esse: & sic plures materiæ partes elementorum formis subsistentes, plurium corporum rationem obtinerent. Et vix possunt illæ formæ tam discrepantes vel secum, vel cum mixti nouâ formâ conuenire, quin citò dissoluerentur.

Auerrhois verò voluit formas elementorum esse imperfectissimas, vt supra notauimus, inter omnes formas substantiales, ideóque plurimum recedere à naturâ substantiæ, & accedere ad naturam accidentium: ita vt more eorum frangi, minui, atque remitti possint; & rursus si contiugat, intendi & fieri perfectiores. Quare cum more accidentium se habeant, minuuntur, & augentur vi qualitatum se oppugnantium vt formæ nobiliori subiiciantur, rursus naturam suam resumentes, vbi illa fuerit profligata. Hæc quamuis accuratè & subtiliter dicta sint, multa tamen absurda continent. Primò quòd dicant rerum substantias intendi & remitti, vnde sequeretur hunc ignem modo esse magis ignem quando esset vt octo, modò minùs vt quatuor secundum suam formam. Et sic daretur certus remissionis gradus, sub quo minimo consisterent elementa, sub minore verò constare nequirent: ac substantiæ daretur vltimum instans sub quo esset, quod refutatur 8. *Physicor.* Præterea ridiculum est ponere medium inter illa, quæ non sunt eiusdem generis. Substantia igitur & accidens cum toto genere differant, non possunt dici extrema quæ includant medium: nec poni potest medium inter substantias & accidentia. Ac proinde sequimur sententiam Hippocratis, Galeni & Peripateticorum, existimantium in mixtis formas elementorum non manere, sed qualitates, easque refractas. Aristoteles sic sentire videtur, dum ait: *Eorum quæ sunt, alia facultate, alia actu sunt: fit autem vt quæ in mixtionem recipiuntur, quodammodo sint & non sint: neque enim actu remanent vt corpus & candor, neque alterum aut vtrumque deletur, quia illorum facultas salua manet.* Galenus *lib.8. de placit.* commendat Hippocratem, quod prima elementa nominibus qualitatum designarit: & secunda, humores scilicet, nominibus substantiarum, *potestate siquidem*, ait Galenus, *illa insunt, non actu in corporibus.* Quod Hippocrates luculenter confirmat *lib. de carnibus, & de natura hum.* Hæc opinio inter alias omnes mihi arridet, vt multa incommoda vitentur. Primò ne detur penetratio dimensionum: Secundò ne generatio mixti sit generatio tantum secundum quid, non simpliciter: Tertiò ne plures formæ substantiales in eadem materiâ admittantur: Quartò ne detur intensio formarum & gradus quidditatis. Et sic elementa mixtis inesse volumus in actu refracto secundum formas,

qui potentia proxima dicitur, ex quâ dum dissoluitur mixtum, ad suam naturam, non numero eandem, sed specie per nouam generationem reuertantur: quemadmodum qualitates ipsæ repressæ fuerunt per mutuam illam actionem & perpessionem, quando ὅλῳ δὲ ὅλων totæ totis, vt loquitur Hippocrates, in materiâ permixtæ fuerint, & complexionem siue temperiem homini propriam constituerint, quæ est ratio formalis mixtionis illas omnes virtute continens. Atque hæc de mistionis modo breuiter & pro Medici instituto dicta sufficiant, vt ad temperamentorum doctrinam venire possemus.

CAPVT II.

De Temperamentis.

QVID SIT TEMPERAMENTVM. Hippocrates *lib. de naturâ humanâ*, docuit eleganter μίξω, id est mixtionem elementorum esse primam conditionem, quæ requiritur ad compositorum corporum generationem: ex elementis enim debitâ proportione κατὰ δύναμιν καὶ κατὰ πλῆθος permixtis, alteratis, & vnitis exurgit secunda conditio, quæ ab Hippocrate omnium primo, secundum Galeni sententiam, κρῆσις seu κρᾶσις, temperies seu complexio dicta est, pro variâ rerum generandarum naturâ multiplex & πολυμόρφη: de quâ est nobis post tractationem elementorum agendum, quia est immediata eorum sequela & effectus.

Esse igitur κρᾶσιν, temperiem siue temperamentum, id satis conficit & demonstrat, quod de elementorum concursu & mixtione iam à nobis adductum fuit. Si enim illa ad mixtorum constitutionem non tantum terminos mathematicos amittunt, vt liquida confusaque; neque tantum se contingunt, vt atomi Epicureæ, sed materiæ elementaris diuisione, & qualitatum perfusione ita alterantur vt continuum fiat corpus & reuera, per formæ quæ introducitur vnitatem: sequitur etiam quamdam esse huius mixtionis rationem, quam barbari meritum complexionis vocant: Aristoteles autem μίξιν λόγου, non vnam & similem, sed diuersam ac multiplicem: non solum varietate speciei, vt in homine, leone, cane: sed etiam indiuiduorum in eadem specie, quæ infinitis propemodum temperamentorum differentiis inter se distingui, certissimum est. At indiuiduorum seu particulariũ velut infinitorum notitia cùm sub nullius scientiæ cognitionem veniat, appositè Medici ad certa distinctaque genera infinitos hos mistionum modos, sub sanitatis latitudine reuocarũt: ad quos priusquam accedamus, temperamenti natura per conuenientem definitionem est proponenda.

Temperamentum igitur Galeno est congrua elementorum ad actiones hominis conuenienter obeundas mixtio: Auicennæ, qualitas noua ex mutuâ actione perpessioneque calidorum, frigidorum, humidorum, ac siccorum, certâ proportione (hinc varietates temperamentorum inter species, inter indiuidua, inter partes eiusdem indiuidui) congressorum orta: Recentioribus, harmonia seu concentus earum quæ in mistis elementis sunt principum qualitatum: quasi dicas concordem quamdam mediocritatem ex præcedente eorum discordia exortam. Quod Hippocrates *lib. de carnibus* accuratius distinxit, dum in quauis temperatione elementorum harmoniam agnouit, in specificâ seu congruâ huic vel illi speciei symphoniam: in peculiari verò seu indiuiduâ vniuscuiusque mixtione tonum, qui sit veluti ratio mixtionis certæ & in concreto consideratæ qualitas propria, ex hoc v. g. elementorum in Socratis generationem concursu exorta.

Tria igitur sunt genera quæ in definitione temperamenti assumi solent: mixtio, harmonia, concentus, siue proportio; & qualitas noua: vnde variæ difficultates exoriuntur. Qui enim temperamentum per mixtionem definiunt, illi causam potius adferre, & διτιώδη definitionem assignare videntur, quam verum genus declarare: certissimum enim est mixtionem non prius efficere temperiem, quam ad iustam & conuenientem moderantiam peruenerit, quæ est ratio formalis ipsius mixtionis. Vt igitur sonus non est percussio aëris, sed ad eam sequitur: sic reuera mixtio temperies non est, sed eam efficit. Galenus tamen temperiem vocauit mixtionem Medicorum more, qui rerum causas proximas sensibiles & ad suæ artis vsum commodas sæpe in definitionibus assumunt, vt dum epilepsiam obstructionem cerebri meatuum: febrem calorem

præter

Digitized by Google

præter naturam & ſimilia dicunt : quod tamen curioſius philoſophantem diſtinguere non impediunt.

Per harmoniam vero, concentum aut proportionem temperamentum definire, eſt verbis metaphoricis non tam quid ſit res, quam cui ſimilis ſit, oſtendere. Attamen ſi per illam harmoniam, concentum aut proportionem, non tam meram quamdam & ſimplicem relationem intelligant, quam certam qualitatem in miſtionis proportione & concentu poſitam, nihil impedit, quin defectu proprij vocabuli temperiem liceat harmoniam quamuis metaphoricè appellare : quæ ſit accidentalis ſimilarium partium forma : & quatenus eſt qualitas, vt doctiſſimè annotauit Auerrhois *in vocabulo ſimilitudinis* : & calida, frigida, humida, ac ſicca appelletur : actioneſque proprias edat, ac ſecundarum qualitatum ſit cauſa. Nec eadem eſt ratio temperiei ac animæ: anima enim cum ſimplex ſit, & incompoſita, malè à veteribus Philoſophis, vt docet Ariſtoteles, harmonia aut concentus vocabatur : ſecus autem eſt de temperie, quæ ex concurſu & concordia quatuor diſcrepantium corporum exoritur. Neque etiam valet quod alij obiiciunt : ſi temperamentum eſſet proportio qualitatum ac elementorum, cum proportio & harmonia quæuis facillimè alteretur, mutenturque à quacunque causâ etiam externâ: temperamentum noſtrum in perpetuâ eſſet mutatione, nullo modo conſiſtens aut firmum. Quod etſi de aduentitio temperamento fortaſſe cõceſſerimus, de innato tamen minime, quia eſt proportio ex primo illo concentu exorta, hoc eſt primâ miſtionis æqualitate, quam corruptio & interitus tantum diſſoluere poteſt. Nec validius eſt quod dicunt, temperamentum eſſe principium functionum, ac dari poſſe aliquam corporis partem, quæ conſtet eadem elementorum proportione quâ ventriculus aut hepar, & tamen chylum aut ſanguinem non generare. Primum enim negatur dari eamdem in variis partibus mixtionis proportionem. Quamuis enim partes omnes vel carnoſæ vel ſpermaticæ dicantur, habent tamen vnaquæque proprium ſuum temperamenti gradum & formalem rationem quâ diſtinguuntur inuicem. Deinde cum actiones illæ adductæ non ſint purè ſimilares, ſed mixtæ, quomodo exerceri poterant ab aliis quæ diuerſam habent ab his conformationem & figuram ? Probamus tamen maximè Auicennæ definitionem. Cum enim temperamentum non tam ratione elementaris materiæ fiat, quam ipſarum qualitatum concurrentium, æquum eſt illud qualitatem appellare, cum etiam earum nominibus vulgo donari ſoleat. Eſſe autem qualitatem aliam ab ea quæ in primis corporibus exiſtebat : id oſtendit quod reducta ad temperiem & remiſſa, ac omnium illarum quodammodo particeps exiſtit. An non in rebus arte compoſitis, vt theriacâ, tetrapharmaco & ſimilibus exoritur noua per mixtionem vis & qualitas, quæ in ſingulis corporibus ad mixtionem ſumptis non aderat, illorum tamen naturam redolens? Fruſtra igitur Fernelius tot verbis hanc definitionem impugnat. Fingit qualitatem hanc Auicennæ ſimplicem eſſe reliquis pereuntibus: cum Auicennas tantum velit ex primis illis quatuor refractis, nouam quaſi qualitatem exoriri, quam multi quintam appellant, quæ inter alias quatuor ſimpliciter recenſeri non poſſit : ſit tamen modo vnius, modo duarum magis particeps, pro naturâ elementi, quod in mixtione vicerit.

At ſupereſt maior in temperamenti definitione ex Galeno allatâ, difficultas, vbi vult congruam elementorum quatuor (non enim duo vel tria elementa ſufficiunt ad perfectè mixtum conſtituendum, ſed *puriores* tantum & rudiora quædam elementata) mixtionem efficere temperiem ad actiones obeundas idoneam. Atque ideo vocat vbique temperamentum eſſentiam partium ſimilarium, principium functionum ac facultatum. Auerrhois quoque idem ſentit. Quæ qualitati conuenire non poſſunt, cum & eſſentiæ rerum per formas compleantur, & ab his omnes proprietates facultateſque proficiſcantur. Si igitur temperamentum forma ſit, eaque eſſentialis Galeno, minimè ſub accidentia aut qualitates reponi debet. Sed facile erit hanc Galeni ſententiam exponere, ſi dicamus idem illi in aſſignandis partium ſimilarium formis ſeu eſſentiâ accidiſſe, quod Philoſophis quibuſdam in elementorum formis : quas cum ignorarent, per qualitates primas, formæ ipſius vim maxime referentes eas expreſſerunt. Sic Galenus 1. *de vſu partium*, dum voluit carnem per temperamentum eſſe carnem, & alias partes, indicauit in ſimilaribus temperiem velut formam accidentalem proximè intercedere ad omnes facultates functioneſque in viuentibus exercendas: quamuis à diuiniore principio gubernentur & dirigantur, quia illud medicam tractationem excedit. Atque hæc de temperamenti definitione: quæ ſi vis ex ſuperius dictis ita concinnetur.

Temperamentum eſt diſpoſitio ſeu qualitas exurgens ex quatuor elementorum

mixtione debitáque qualitatum primarum proportione, quæ pro varietate illius ad obeundas speciei eiusque & partium similarium actiones est accommodata.

TEMPERAMENTORVM DIFFERENTIÆ. Viuens omne quatenus est viuens, calidum esse, experientia ipsa, tum Aristotelis suadet authoritas, qui *libro de vita & morte*, vitam nihil aliud esse vult, quam mansionem altricis vitæ cum calore nativo, γένεσις, inquit, τοῦ ζώου ἐστὶν ἡ πρώτη μίτεξις σὺν τῷ θερμῷ τῆς τροφικῆς ψυχῆς. Ζωὴ δ' ἡ μονὴ ταύτης; quasi in calore fomenta & vitæ essentiam positam esse dicat, actuali scilicet operante per animam, quæ in aliis vt inanimatis potentiâ tantum calidis non adest, sed sufficit illis prima ex elementis mixtio. Quia in viuentibus, cum perpetua continuataque nutritionis saltem actio requiratur, non poterat nisi assiduâ caloris operâ exerceri: quo deficiente concidit statim vita, & temperamentum vitæ idoneum, remanente tantum elementari mixtione, vt in cadauere.

Hinc quæri potest. Si viuens omne calidum, vitaque in calore posita: hominis temperiem omnem calidam esse sequetur: neque alias illius assignandas esse differentias: aut si mauis calidam humidam, cum calor ille viuentium in humido pingui, alibili, quod primigenium & radicale appellant, tanquam escâ & pabulo subsistat. Hæc accuratâ interpretatione indigent. Non enim satisfacit, quod aliqui aiunt, Galenum & alios in assignandis temperamentorum differentiis, solam mixtionis temperiem considerare, quæ potentia potius quam actu existit. Refellentur enim ab ipso Galeno *lib. de temperamentis*, vbi profitetur se de eis quæ talia sunt actu non potentiâ agere, quatenus hominis varia temperamenta rimatur. Neque etiam valet quòd alij adducunt, Galenum agere de temperamento innato, quod habitum primum & ad substantiam vocant, homini scilicet à primâ generatione insitum: non autem de aduentitio, quod est leuis tantum dispositio ex proportione qualitatum actu existentium, in humoribus potius & fluxili materiâ, quam partibus, & solidâ corporis substantiâ: quodque multis modis & variis de causis, quasi in momenta variatur. Quamuis enim Galenus primò & principaliter de illo agat, non tamen aduentitium omisit; sed vtrumque sub temperamenti nomine est complexus, quandoquidem temperamenti iudicem & internuncium facit tactum, qui primam à secundâ temperie non potis est distinguere, sed vtrumque sub specie huius vel illius qualitatis tactilis percipit.

Dicamus igitur nos, in hominis temperie multa considerari posse. Primò quatenus homo est mixtum quid, substantiæque elementaris conditionis particeps, vt in cadauere & reliquis inanimatis: deinde quatenus est viuens simpliciter, insitum quemdam calorem habet, quî per omnia membra æqualiter est sparsus atque in oleoso illo pingui & seminario humore positus: denique quatenus est perfectum viuens, variisque operationibus præter nutritionem præditum, quæ non poterant solo illo calore insito exerceri, obtinet influxum facultatum & materiæ spirituosæ ac humoralis, qui ex corde, hepate, testibus, cerebro, velut vberrimis naturæ humanæ fontibus, promanat ad excitandam iuuandamque insiti illius vim & potestatem. Atque ex horum trium aggregato & veluti ξυνδρομῇ constitui temperamentum humanum etiam primarium ex generatione nostra petitum, maioris, minorisque ratione differens, prout huius vel illius qualitatis plus minus est particeps.

Ex triplici igitur illâ substantiæ solidæ, humoralis ac spirituosæ congerie in nobis, quæ magis ac minus secundum qualitatem & quantitatem variis admodum modis suscipere potest: exurgit aliqua qualitas sensilis vnius vel duarum primarum qualitatum victoriam sequens, aut in earum æquabilitate posita: vnde Medici cum Galeno nouem temperamentorum hominis differentias constituerunt: superante enim vnâ primarum qualitatum fiunt quatuor temperamenta simplicia dicta; calidum, frigidum, humidum, siccum: per combinationem vero duarum qualitatum possibilem, actiuæ scilicet & passiuæ, quæ simul cum sensibili victoriâ subsistere possunt, totidem emergunt, nempe calidum & humidum, calidum & siccum, frigidum & humidum, frigidum & siccum. Vbi verò istarum omnium est æquabilitas & tanta concordia, vt ex nullius parte excessus appareat, fit nonum temperamentum, quod Galenus εὔκρατον appellat, iustitiâ vel pondere constitutum. Veralius decimum ponebat huic oppositum, in quo scilicet omnium qualitatum esset inæqualitas & quasi disproportio. Sed ridiculè, nam eiusmodi temperamentum subsistere non potest in tantâ qualitatum discordiâ, multo minus quam temperamentum ex duabus tantum qualitatibus contrariis compositum, vt calidum frigidum, &c. quod esse nequit ex Galeno & Aristotele.

Hæc

Digitized by Google

Hæc igitur à nobis de temperamentorum differentiis ita efferuntur, vt in primis ſciendum ſit Medico calidum, frigidum, &c. ita vſurpari, vt nunc abſolutè, nunc verò comparatè dicatur: abſolutè, vt cum ignem & reliqua in ſummo exceſſu poſita ita vocamus; quo ſignificato etiam dicitur homo temperatus, quia eſt veluti medium & regula omnium rerum mixtarum. Comparatè vero tripliciter, vt ad genus, vt ad ſpeciem, vt ad indiuiduum: inter diuerſa genera, vt quando metalli temperiem cum ſtirpis aut hominis temperie conferimus: inter varias ſpecies, cum temperamentum leonis comparatione hominis aut canis calidum eſſe dicimus: inter diuerſa indiuidua, vt cum Socratem Petro frigidiorem vel humidiorem pronunciamus, qui rurſus cum ſeipſo iuuene, ſene aut alio modo, modò frigidus, modò calidus dici poteſt. Et vt inter indiuidua fit hæc comparatio, ſic etiam inter partes alterius vel ipſius indiuidui inuicem collatas, vt hepar cum pulmone, vel hepate alterius hominis, vterus cum cerebro & ſimiles. Quæ rurſus pro variis temporibus etiam comparari cum ſeipſis poſſunt, vt hoc hepar hodie cum præteritâ eius ante aliquot annos conſtitutione: vnde emergunt ſigna illa quæ in arte paruâ Galeni habentur, hepatis, cordis, hepatis, &c. frigidioris, calidioris, &c. ita vt illud frigidum vel frigidius dicatur, quod cum alio aut cum ſeipſo alias comparatum minus eſt calidum: illud ſiccum vel ſiccius, quod minus humidum eſt per collationem, ſicque tactu vel ratione etiam iudicatur. Rurſus ſciendum eſt, quamuis iſtæ fiant vel inuicem, vel cum aliis comparationes, ſemper tamen natiui temperamenti in ſua latitudine conſiderati conſtitutionem manere: quamuis varia ſexus, ætatis aut aduenientium cauſarum vi immutari videatur: nam mulierem verbi gratia calidam & ſiccam, vtpote bilioſam, temperamento proprio dicere poſſumus: quamuis ſi ſexus ipſius complexionem reſpicias, frigiditatis ac humiditatis ſit particeps: ſenem calidum, & humidum, vtpote ſanguineum, qui tamen ætatis ſeniique ratione frigidus ſiccúſque appellabitur: temperamento phlegmaticum, frigidum humidúmque cenſebimus ſemper, quamuis accidentaliter incaleſcat, tertianâ verbi gratia febre aut cauſone correptus. His ita poſitis, iam ad ea quæ in temperamenti diuiſione exoriuntur, dubia accedimus.

Primum enim quæri ſolet, an dentur temperamenta quædam ſimplicia, ex vnius ſcilicet qualitatis dominio? quod ante Galenum plurimi negarunt, & ipſe Auerrhois refutauit. Etenim dicebant illi, ſi ſpectetur in temperamento victoria, perdet ea ab elementi cuiuſdam prædominio: quæ cum duplici prædita ſint qualitate, oportet etiam duplicem in quouis exuperante temperamento inueniri: ac proinde nullum ſimplex exiſtit. Deinde humidum & ſiccum, qualitates nimirum paſſiuæ, ſunt veluti materia calidi & frigidi: ita vt ſine his tanquam materiâ ſubſiſtere vix poſſint. Hanc ſententiam ipſemet Galenus *lib. 6. de ſanit. tuend.* recepiſſe videtur, dum vult impoſſibile eſſe, vt intemperies aliqua ſimplex diu duret, quin ſibi alteram ex neceſſitate aſciſcat: quod & Auicennas recepit. Quare ſi temperamenta illa ſimplicia diu durare nequeant, non ſunt innatis adſcribenda & ſubſtantialibus temperamentis, quæ conſiſtere ad diſſolutionem vſque integram dicebamus.

His non parum roboris adferre videntur appellationes temperamentorum illorum, non barbaris tantum (quidquid dicat Fernelius) ſed ipſi Galeno & Hippocrati vſitatiſſimæ, bilioſi nimirum, pituitoſi, melancholici, & ſanguinei. Si enim ex ſemine ac menſtruo generationis noſtræ principiis conſtituti fuimus: quid obſtat eum dicere bilioſum, in quo bilioſior ſanguis; pituitoſum, in quo pituitoſus ſanguis materialem ſuppeditauit cauſam ſemini vel menſtruo generando: & in quo poſtea talis plurimum humor producitur, qualis fuit is à quo primordia ſua accepit? Hippocrati nihil vſitatius quam *μικροχόλους φλεγματίας* appellare *τὰ ἄνω, τὰ κάτω*: *& lib. 6. epid τὸ ὀπίσθιον καὶ ἔναιμον σῶμα, μελαγχολικὸν γίνεται μὴ ἔχον ἐξερέωσιας*: Item apud Ariſtotelem *in problematis*, melancholicos eſſe ingenioſos; quicunque naturâ bilioſi aut ſanguinei exiſtentes leuiter ſanguinem adurunt. Ne alia loca ſatis omnibus obuia videamur perſequi: quibus quatuor tantum eſſe temperamenta, eáque compoſita ex duplicis qualitatis dominio pro numero elementorum aut humorum confirmatur.

Nos verò hiſce obiectionibus ſatisfacientes dicamus, gradum quem ponit Galenus in aſſignandis temperamentis, non eſſe gradum quemcunque, ſed qui excellens ſit & temperamento ob ſenſibilem victoriam dare denominationem propriam poſſit. Ea eſt igitur Galeni demonſtratio: Si enim, inquit, calidum omne non ſit iunctum ſiccitati, ſed & humiditati, cur non erit calidum, quod nec humiditati

nec ſiccitati iungatur in exceſſu temperamenti? Item, ſi frigidum non omne humiditati, ſed ſiccitati aliquando, vt patet derebus externis, coniungatur: quod eodem modo dep aſſiuis dicas, cur non ſola ſubſiſtere poterunt in latitudine temperamenti humani? Non igitur obſtat quod dicebant illi, victoriam pendere ab aliquo elemento, quod duabus qualitatibus eſt præditum: nam in mixtione & alteratione vna qualitas potuit retundi, aliâ remanente in exceſſu. Non conſiſtunt quidem (quod ſecunda volebat illorum ratio) qualitates actiuæ ſine paſſiuis, ſed earum aliqua in mixtione dominatur, à quâ temperamentum illud ſimplex appellatur, non habitâ alterius ratione, quæ tamen ſub inferiore gradu velut materiaalteri ſubiecta eſſe poteſt. Idem dicas de humoribus, qui ſunt principiacorporis noſtri materialia: cum enim mutantur & alterantur, fieri poteſt vt pro variâ eorum mixtione, vna tantum qualitas excellens temperamento det appellationem, cæteris refractis retuſiſque. Verbi gratia ſi ſanguis bilioſo ſucco ita ſit permixtus, vt caliditatem quidem, ſed ſine humiditate excedente & ſenſibili retineat. Quod vero Hippocrates cæterique multi compoſita tantum temperamenta agnouerunt, corpúſque bilioſum, pituitoſum, melancholicum & ſanguineum appellarunt: id tantum oſtendit temperamenta illa ex combinatione qualitatum compoſita frequentius reperiri & ſub Medici cognitionem cadere, quam ſimplicia: quæ tamen dari poſſunt, vtpote de iis qui ex duorum humorum dominatu, ſanguinei ſimul & bilioſi, &c. dicuntur, in quibus tantùm caliditas excellit: & non ſolum per certum tempus, ſed ad mortem vſque, quando diſſoluitur mixtum, perdurare poſſunt, mutato tantum adſcititio temperamento, & factâ cum aliis comparatione, vt iam docuimus.

Præter hæc ſunt qui dubitent, an inter compoſita temperamenta, calidum & humidum, frigidum ſiccumque dari poſſit: quia, inquiunt, calor humores depaſcitur, cui neceſſariò ſuccedit ſiccitas: frigiditas autem inutiles ſuccos atque humiditatem congerit aceruatque; ergo breui temporis ſpatio in calidum ſiccum; in frigidum & humidum mutabuntur. Sed his ſatisfieri poteſt eadem ratione: nam in aſſignandis temperamentis his, ſiue ſimplicibus, ſiue compoſitis, non actionem quæ poſtea ſuccedit, caliditatis, frigiditatis conſideramus, ſed victoriam quæ in mixtione contingit, quæ cum poſſit eſſe caliditas humiditati iuncta, vel frigiditas ſiccitati, ab ea ſit temperamentorum iſtorum denominatio, propterea quod præcipuum habent in partibus ſolidis fundamentum, quod non niſi omnimodâ earum diſſolutione deſtruitur.

Alij volunt, nullum temperamentum eſſe compoſitum. Si enim ſit qualitas quædam noua exurgens ex varia elementorum & qualitatum mixtione, nullum erit compoſitum, ſed ſimplex, quia qualitas noua. Verùm dicimus nos, qualitatem illam nouam, prout ex omnibus refractis conflata eſt, ita vnius vel duarum in miſtione vincentium naturam redolere poſſe, quemadmodum in variâ mixtione.

Dicet aliquis, ſi hoc ſit, dabitur temperamentum calidum & frigidum ſimul: ſiccum & humidum ſimul, aut compoſitum ex tribus qualitatibus. Quamuis enim in elementis, ſimplicibus ſcilicet corporibus qualitates iſtæ dari nequeant, in compoſitis tamen nihil impedit, cum omnes ad mixtionem concurrere neceſſe ſit. Et vt in temperamento ἐυκράτῳ & temperato, quatuor qualitatum æqualitas agnoſcitur, cur non duæ qualitates contrariæ, aut tres in aliis æquales reperientur? Reſpondemus, in temperamentis compoſitis, vt & in ſimplicibus, adeſſe quidem omnes omnium elementorum qualitates, ſed victoriam ad ſummum duarum poſſibilium cõſiſtere: Contrariæ enim duæ vel tres vincere aut excellere non poſſunt, ſi mixtio fieri debeat, in quâ & diſcordiam ſeu diſſenſum adeſſe oportet, dum fit, & conſenſum omnium aut victoriam ex dominio alicuius. In temperato enim omnes adſunt, ſed ſine vlla victoriâ, tantâ inter ſe æquabilitate, vt corpus illud ἐυκρατὸν conſtituant, de quo mox agemus.

Ridiculum autem eſt quod Paracelſici de temperamentis confingunt ſulphuris, ſalis, & mercurij, quæ cum prius probauerimus, neque principia, neque elementa eſſe corporis noſtri: ſequitur quoque manifeſtè ex his pendere non poſſe humanam κρᾶσιν aut temperationem. Ridiculi etiam illi, qui diſſonantiam omnium qualitatum volunt conſtituere decimum temperamentum temperato oppoſitum.

TEMPERAMENTVM ἘΥΚΡΑΤΟΝ. Veteres quidam Philoſophi duas tantum temperamentorum [illegible]entias agnouerunt: omiſſis enim ſimplicibus, & duobus compoſitis reproba[illegible]lum tantum & ſiccum, ac frigidum & humidum temperamentum

Digitized by Google

tum conſtituebant ; relicto etiam ipſo ἰυκράτῳ ſeu temperato. Nos verò prius probauimus tum ſimplicia quatuor, tum quatuor compoſita eſſe admittenda, nunc videamus de temperato.

Εὐκρασία igitur ſiue εὔκρατον dupliciter ſumi poteſt, tum pro eo quod optimam habeat temperiem, iuſtam ſcilicet & conuenientem operationibus obeundis : tum pro eo quod æquabilem, proportionatam. & quaſi pondere libratam obtinet. Cum enim tam qualitates elementorum, quam eorum ſubſtantiæ ad iſtius corporis conſtitutionem concurrant, poteſt illa mixtio conſiderari vel ex parte quantitatis, ponderis, & menſuræ, quæ proportio arithmetica dicitur : vel ex parte qualitatum iuſtâ ratione coeuntium, vt perfectum in ſuâ ſpecie mixtum generent, quam geometricam Plato appellabat : vnde duæ temperamenti appellationes apud Galenum κατὰ σταθμὸν, & κατὰ δικαιοσύνην, quaſi dicas ad lancem vel pondus ; & ad legem ſiue iuſtitiam : quod Hippocrat. κατὰ νόμον καὶ κατὰ φύσιν appellaſſe videtur. Vtrum verò admittenda ſint temperamenta iſta tam ad pondus quam ad iuſtitiam temperata, multi dubitarunt. Omnes fere temperamentum ad pondus è rerum naturâ excludunt : alij etiam temperamentum ad iuſtitiam, docendi tantum causâ, à Galeno confictum eſſe volunt. Noſtrum eſt rem hanc & ad lancem & ad iuſtitiam expendere.

Duo eſſe ad res cognoſcendas iudicandaſque κριτήρια, ſenſum nimirum & intellectum, certo certius eſt. Inter quæ quamuis ratio ſiue iudicium præcellat dignitate, vult tamen Galenus in Medicinâ potiorem cognoſcendarum rerum certitudinem ex ſenſuum fide ac teſtimonio deſumi. Accidit itaque in tractatione Medicâ aliquando, vt exquiſitiore ratiocinationis trutinâ artis noſtræ præcepta & axiomata expendantur : ſæpius verò ſenſuum tantum ſcrutinio confirmentur. Quod animaduertere eſt opus in hac temperamentorum ad pondus & iuſtitiam ſtabiliendorum varietate.

Galenus enim *comment. in librum 1. de naturâ humanâ*, vbi habetur ad μίξιν, κρᾶσιν καὶ γόνιμον debere elementa κατὰ πλῆθος καὶ κατὰ δύναμιν, ſecundum quantitatem & vires mediocriter & æqualiter, μετρίως καὶ ἴσως concurrere, videtur temperamentum illud æquali lance & pondere libratum admittere. Et *lib. 1. de temperament.* conſtituit hominem quadratum totius ſubſtantiæ mixtæ medium, ex æquali elementorum mole conſtantem, ad quam veluti ad regulam omnia alia referantur. Præterea cutem, quæ eſt in internâ manus parte, volam appellant, & extremis digitorum apicibus, æqualiter eſſe temperatam aſſerit, cum neque planè exanguis ſit vt neruus ; neque ſanguine abundans, vt caro ; ſed ex his duobus æqualiter conflata conſtitutáque, abſque vllo caloris, frigoris, humoris, & ſiccitatis, vel duritiei, mollitiei, aliarúmue qualitatum exceſſu : vt maximè decuit inſtrumentum, quod omnes omnium rerum differentias, quæ ſub tactum cadunt, omnium exquiſitiſſimè dignoſcere & diſtinguere debebat.

Quæ à Galeno prolata receptáque de temperamento σταθμικῷ, maximè ſunt vera, ſi ſenſus κριτήριον & fidem conſulas, quod Medico ſufficere videtur. Certiſſimum enim eſt, vt ad temperamentorum in exceſſu poſitorum conſtitutionem elementa impari pondere & viribus pene ad infinitum variis concurrunt, quæ ſenſus in hanc vel illam extremitatem declinantia percipit & iudicat : Sic poſitis his extremis à ſenſu perceptis, non eſt abſurdum ponere medium ab eodem ſenſu comprehenſum, in quo dum nullam imparitatem inæqualitatémque percipit, cenſet illud æquabiliter & ad pondus temperatum, ſiue diu, ſiue parum perdurare poſſit.

Itaque apud Galenum temperamentum ad pondus & ad iuſtitiam non ſunt differentiæ oppoſitæ, & ex aduerſo diuidentes temperamentum εὔκρατον, quandoquidem de eodem affirmari poſſunt : ſed illud temperamentum ad pondus eſſe perfectionem totius temperati ad iuſtitiam intelligit, quaſi quid magis ἀκριβὲς & exquiſitum. Neque illud fruſtra à Galeno conſtitutum eſſe patet, ſed vt in temperamentorum deſcriptione, temperamentum illud eſſet velut norma, ad quam omnes aliorum exceſſus relati facilius percipi poſſent. Quemadmodum ad Polycleti ſtatuam relata aliorum artificum opera iudicabantur, & quid illis deeſſet intelligebatur : ſic ibi Galenus εὔκρατον illum hominem depingit, ſuiſque deſignat notis, vt ſit veluti idea quædam & exemplar animo Medici hærens ad aliorum temperamentorum dignotionem.

Sit igitur temperamentum illud ad pondus ſenſu medico perceptum, bene à Galeno conſtitutum, atque etiam, ſi ſors ita ferat, in rerum naturâ aliquando per ali-

quod

quod tempus ſubſiſtat. At ſi intellectum ſubtiliorémque rationis cenſuram adhibeas, nullâ ratione admittas temperamentum illud, quod ipſe Galenus repudiat *libro* 2. *de ſanitate tuendâ & alibi paſſim*, atque grauiſſima rationum pondera conuellunt.

An illud dices temperatum ad pondus, ad cuius conſtitutionem quatuor elementa concurrere debent, quorum vnum, ignis nempe, ἁπλῶς, ſimpliciter & abſolutè leue, nullam ponderis rationem ſubire poteſt? Non enim maior eſt verbi gratia in hoc magno igne grauitas, quam in hoc paruo, imò leuitas maior, ſi maius quale ſequatur maius quantum: quandoquidem leuitas eſt vna ex intimis propriiſque igneæ illius ſubſtantiæ qualitatibus: ſi leuitas abſolutè nullo pondere, nullâ ſaterâ expendi poterit. Iam igitur terræ & aquæ moles vbique maior ad ſoliditatem & conſiſtentiam mixtis tribuendam, quæ hoc veluti pondere adacta terram petant & naturaliter in eâ quieſcant.

Neque fælicius ſuccedet, ſi elementorum vires æquali pondere expendere velis. Nam certiſſimum eſt in ipſis generationis noſtræ principiis plus caloris fuiſſe quam frigoris, plus humoris quam ſiccitatis; vnde omne viuens calidum humidúmque ex Ariſtotele prius vocabant: & Hippocrati calidum illud viuificum omnia per omnia miſcet & generat. Vincit igitur vt agens, & quoniam frigus non per ſe ingreditur opera naturæ, ſed per accidens, vel comparatiuè tantum. Nulla itaque ſubſtantiarum aut virium ad pondus æqualitas.

Adferunt præterea doctiſſimi Arabes duo grauiſſima incommoda ad impugnandum temperamentum iſtud ad pondus. Primum eſt. Si miſcibilia adæquarentur in mixto, mixtum aut eſſet immobile, aut nullibi quieſcens, quia nullum haberet locum, cui cum naturâ locati conueniret, aut certè in medio aëris & aquæ conſiſteret, quæ omnia ſunt abſurda: omnia enim mixta ſaltem perfecta terram pro loco ſuo proprio & naturali agnoſcunt. Hoc incommodum ridiculè nituntur quidam eludere, agentes de cutis quæ in volâ manus exiſtit, temperamento, quod illi ad pondus eſſe volunt: concedunt enim cutem manus in medio aëris & aquæ conſiſtere ſuapte naturâ poſſe, niſi obſtarent aliæ partes quibus ipſa cutis coniuncta eſt: illas enim quæ plus terræ habent, deorſum ferri, & cutem ſecum trahere contendunt. Quod ſi cutis auellatur, & ſeparetur ab aliis partibus, tunc non amplius eſſe temperatam, vt quæ mortua ſit. Hac ratione exiſtimant ſententiam ſuam redargui non poſſe. Sed nonne illa cutis quam temperatam ad pondus fingunt, ſuam habet ſoliditatem & tractabilitatem, vt ita loquar, à terrâ? quâ præualente, quantumcunque ſpiritu, & calore ſuo perfuſa ſit, nullâ ratione illud lancis æquilibrium adeſſe poteſt. Et ſi temperata ſit in viuente, cur non etiam in demortuo? cum primum illud & proprium temperamentum partium conſideremus, non tantum influens, quod viuentis exiſtit.

Secundum incommodum tale eſt. Si æqualia eſſent elementa tam mole quam viribus, omnis mixtio eſſet vna atque eadem in illo corpore, & ſic meritum illud mixtionis, harmonia, & concentus idem eſſet in omnibus illius partibus: vnde ſequeretur vel nullas habere partes temperie differentes, putâ cerebrum, cor, ventriculum, hepar, & ſimiles: vel ex ſimilibus omnino quantitate & qualitate, diuerſa generari partium temperamenta, quod eſt impoſſibile.

Explodendum itaque illud temperamentum ad pondus è rerum cenſu: cum temperamentum aliud à nobis allatum ſufficiat, vt homo medium rerum omnium temperatarum dicatur, quam vt exactiſſimè tactilium differentias diſcernere poſſit. De hoc igitur agendum.

Definit autem ſiue potius deſcribit Galenus temperamentum illud ad iuſtitiam, ſymmetron atque eucraton, in quo ea eſt elementorum ſecundum vires & molem proportio ac moderatio, quæ cum animantis naturâ conuenire, & ad ſpeciei illius verbi grati a hominis actiones optimè exercendas conferre poſſit. Facit autem iſtius temperamenti magnam latitudinem. Notandum tamen proportionem illam temperatam ſiue gradum, licet latitudinem non paruam habeat, continere tamen indiuiſibile quid & ἄτομον, quaſi punctum in quo ſumma illa temperiei perfectio conſiſtit, quam nos temperamentum ad pondus ſenſu perceptum ex Galeno vocabamus. Vt enim in temperandis fidibus & concentu muſico magna eſt bene ſonantium vocum latitudo: ſic in iuſtitiali illo temperamento, congrua ad functiones edendas elementorum temperatio multos latitudinis ſuæ gradus obtinet, ſub quibus continetur ſanitas illa, quam ἐυεξίαν vocauit & depinxit *libro qui de bonâ habitudine inſcribitur.*

In

In hoc itaque temperamento ſua eſt particularis cerebro, hepati, cordi, cæteriſque viſceribus atque accommoda temperies & conformatio: quæ non ſolum viſitur in ætate puerili aut iuuenili: ſed etiam in conſtante atque etiam ſenili, prout ætates illæ ſuam habent peculiarem perfectionem in exercendis operationibus illi ætati maximè congruis. Non enim hîc fingimus temperiem ad iuſtitiam, quæ ſit in ſolâ ætate v. g. iuuenili, certo tantum tempore, & regione: ſed hæc omnia ex virium propriarum robore & perfectione expendimus.

Quæri autem ſolet de hoc temperamento iuſtitiali, an ſit calidum humidum? an habeat omnes operationes perfectiſſimas? an maximè morbis reſiſtat? & an ſit longæuiſſimum? de quibus paucis eſt agendum. Galenus *libro primo de temperamentis*, fusè agit contra Athenæi ſectatores, qui temperatum & εὔκρατον idem eſſe cum calido humido exiſtimabant, ſiue temperiem totius, ſiue humorum, ſiue tempeſtatum anni reſpicias. Cum ver calidum humidum dicatur Hippocrati *libro de naturâ humanâ*, quaſi temperatum, & ſanguis omnium noſtri corporis humiditatum temperatiſſimus, calidus humidúſque cenſeatur: & vita in caliditate ac humiditate poſita ſit: túncque mors introducatur, quando ἀλίβαντες exſuccati, calore ſcilicet nativo propriáque humiditate priuamur: Vnde ſequitur (dicebant illi) illud optimum temperamentum maximè ad vitæ noſtræ principia accedere, caliditatem ſcilicet & humiditatem. Galenus contrà nullum vult eſſe in illo temperamento εὐκράτῳ exceſſum, nullam præpollentis qualitatis victoriam, ſuámque eſſe calido humidóque temperamento vincentium harum qualitatum intemperiem, eámque parum laudabilem, cum & morbis maximè ſit obnoxia & σηπεδονώδης putredinoſa illa conſtitutio cenſeatur.

Verùm non fuit ea Athenæi meo iudicio ſententia, vt temperatum ideo corpus calidum humidum appellaret, quod has vellet qualitates in exceſſu poſitas, ſed potius in mediocritate ſummâ, quæ εὐκράτῳ temperamento conueniret, quemadmodum & ſanguini omnium humorum mitiſſimo & vernæ tempeſtati clementiſſimæ. Cum enim reliqua omnia temperamenta in vitæ & actionum perfectione excellere deberet, oportuit etiam eis abundare principiis, quæ maximè ad vitam conſeruandam faciunt: non à caliditate & humiditate aduentitiâ vel excedente, quæ omnis putredinis parens eſt.

Sit igitur optima hæc conſtitutio, non quidem habitus athleticus, magnâ carnis mole & ſanguinis copiâ ingenti cõſtans, qui ideo periculoſiſſimus Hipppocrati & citò ſoluendus dicebatur: non Milonis habitudo ad omnes actiones & robur corporis aptiſſima, ad mentis operationes ineptiſſima: ſed qualis Herculis aut Achillis præſtantiſſimorum heroum, qui corpus nacti εὔκρατον, maximè robuſtum & ſalubre, mentémque præclariſſimam ingentia facinora poſteritatíque admiranda perfecerunt: εὐεξία enim ſeu bona habitudo eſt perfectio ſeu potius effectus iſtius εὐκρασίας ſeu iuſti temperamenti: in quo non ſolum partes omnes ſimilares propriam ſuam & conuenientem ſortiuntur temperiem: ſed etiam diſſimilares, quæ inſtrumentariæ ſunt, magnitudine, numero, formatione, ordinéque inter ſe moderatiſſimo ſunt conſtitutæ. Hoc corpus ita ſe habens duo habet neceſſariò, tum vt optimè omnes actiones ſpeciei conuenientes exerceat, tum vt difficilius quam cætera, morbis corripiatur, illorúmque cauſis reſiſtat valentius. Certiſſimum enim eſt partem eam quæ ſuas probè functiones exercet, duo indicare, in ſimilaribus bonam temperiem, in inſtrumentariis debitam conſtitutionem. Quare etiam corpus hoc noſtrum εὔκρατον, quod in horũ duorũ perfectione poſuimus, ſuas præſtantiſſimè obibit actiones.

Difficillimè etiam incidet in morbos: quia morbi vel à cauſis internis vel externis contingunt. Externis parum afficietur corpus temperatum, vt frigore, calore, ſiccitate, humiditate: quoniam id quod ab ipſis extremis vndequaque diſtat, in temperaturæ ἀμετρίαν vix dilabetur. Propter robur etiam partium & actionum perfectionem, difficillimè laſſitudines, cæteróſque tam animi quam corporis dolores perſentiet. Ab internis etiam non facilè lædetur, quæ ab alimentorum excrementis tam qualitate quam quantitate peccantibus potiſſimum proueniunt: cum eius natura εὔχυμα ſit, neque copioſo aut vitioſo ſucco redundans: ſin verò quippiam generetur, vel facilè expellet, vel ab eo propter δυναβεσιαν non lædetur. Quod vitæ principia habeat firmiſſima, actiones perfectiſſimas, ad morbos ſummam reſiſtendi vim, ſequitur etiam procul dubio hoc temperamentum fore longæuiſſimum, cum neque morte naturali, neque accidentariâ facilè extingui poſſit.

Contra hæc tamen ſic à nobis conſtituta de temperamento εὐκράτῳ iuſtitiali,

multa adferri solent. Si enim homo omnium animantium perfectissimus sit, temperatos verò homines omnes excellat, sequitur illum hominem tum omnes animantes, tum reliquos homines actionum perfectione superare. At id falsum est, quoniam & ab aranea tactu, & à lynce visu, & à leone aut tauro fortitudine superatur: neque intemperatis hominibus perfectiores edit actiones, quoniam actionis vis à vincente qualitate dependet: biliosus enim citius concoquit, pituitosus seu frigido ventriculo præditus melius appetit, & melancholicus Aristoteli est ingeniosior.

Quod ad *δυσπάθειαν* & morborum resistentiam, non videtur temperatus magis resistere posse intemperatis, cum frigidus remotior sit ab excessu calido, & siccus ab humido, quam temperatus: ergo magis resistent illis intemperamentis. Deinde corpus illud temperatum dicunt esse medium non solum inter primas qualitates, sed etiam secundas, vt inter molle & durum, rarum & densum. Quod si verum sit, magis patebit causarum internarum iniuriis, quam is qui habitu & contextu admodum est raro: externarum autem, eo qui densâ est cute ac solido corporis habitu: vt est apud Hippocratem *libro de alimento*: *Laxitas corporis, quibus plura perspirationis causâ per cutem feruntur, salubrior; quibus pauciora, minus salubris.* Adferunt etiam Aristotelis authoritatem *problem.* 22. *sect.* 5. qui vult corpora temperata citius affici & liberari morbis quam intemperata. Atque ex his concludunt, corpora illa temperata neque omnes operationes habere perfectiores, neque salubriora aut longæuiora esse.

Sed his non est difficile respondere, cum posuerimus illius actiones esse perfectissimas, si in humanâ specie considerentur, non in alio genere animantium, quod ad certam quandam actionem à naturâ comparatum præstantiora instrumenta obtinuit, quam ipse homo, cuius potissimum perfectio in ipsius rationis excellentia posita est velut propriâ actione. Intemperatum autem hominem aliquam habere validiorem actionem nihil vetat, cum non vna ac particularis actio consideranda sit, sed omnis vitalium, animalium, naturalium functionum congeries, in quibus omnibus simul consideratis superat temperatus intemperatos, vt docet Galenus *lib. de ἰυξίᾳ*. Neque dubitamus temperatum futurum prudentiorem atque ingeniosiorem melancholico, si paria adfuerint studia: dicuntur tamen melancholici ingenioſi Aristoteli, ob aduentitium potius temperamentum quam innatum: & quia optima constitutio cum rarissimè contingat, sæpius fit, vt qui sanguine optimo & tenuissimo præditi sunt, sub ætatis inclinationem illum leuiter exurant, ac melancholici per accidens euadant, qui cæteros ingenio ac prudentiâ præcellunt. Quod ad morborum resistentiam, non tam consideramus etiam recessum ab intemperamento vnico, quam omnibus, & vires cuiuis morbo resistendi: quæ cum in temperato sint validiores, facilius causis quibusuis intemperamentum facientibus resistunt. Dictum autem illud Hippocratis de laxitate & densitate cutis admittimus: nam temperatum corpus inter hæc & alia medium mediocri cutis laxitate excrementa interiùs contenta satis expellet, meliúsque externarum causarum iniuriis mediocri suâ densitate resistet. Problema verò Aristotelicum de symmetro, vel non est intelligendum de exacte temperato, sed de eo quod tale apparet, vt *ἰυσάρκῳ* & athletico habitu; vel de raro tantum & laxo corporis statu, qui mollitiem habet excedentem. Atque hæc de temperamento *ἰυκράτῳ* sufficiant.

AN TACTVS CERTVS SIT TEMPERAMENTI IVDEX. Quæcumque in Medicinâ dicuntur, ea ad vsum reuocari debent, & Medicum ad præclarè exercendam artem instituere. Ac proinde non satis est nosse, quot sint temperamentorum differentiæ, & à quibus proficiscantur causis, nisi eas distinguere & certis agnoscere signis valeamus: Quod Galenus generatim præscribit *libro secundo de temperamentis*. Nam particularia, vt huius vel illius hominis aut partium temperiem vel intemperiem iudicare pertinet ad *σημειωτικὴν*. Nos ergo quoniam in præcedentibus sæpe diximus Medicum esse sensualem artificem, & de temperamentis ad sensum potissimum iudicare, ideo paucis explicanda est ista sententia: reliquum ad tractationem *σημειωτικῆς* relegantes, vel ad Galenum *lib.* 2. *de temperamentis & artis parua*, vbi ista accuratè tractauit.

Natura igitur totius mundi gubernatrix non solùm hominem ratione & diuino intellectu ornauit: sed sensibus donauit externis, velut fidelissimis internunciis, quibus rerum differentias & species animo complecteretur, per certa quædam obiecta huic vel illi sensui magis accommodata, vel etiam omnibus quodammodo communia:

ita

ita vt quamuis ſenſus externus & particularis nequeat de obiecto aliquo iudicare, niſi concurſu rationis, dicatur tamen iudex earum qualitatum quæ illi propriè obiiciuntur. Temperamentorum itaque diuerſitas cum qualitatum primarum victoriam ſeu dominium conſequatur, quæ tactiles vulgò vocantur: ideo rectè Galenus temperamenti iudicium tactui adſcribit, hominis potiſſimùm, qui inter omnia animantia exactam temperiem nactus eſt, quique in ſuâ ſpecie ſit εὔκρατος bene temperatus, & ſecundum eam potiſſimùm partem, quæ in homine magis temperata cenſetur, nempe cutem volæ manus & extremorum digitorum, nullâ alienâ qualitate affectam, exſiccatam, humectatam aut callo obductam à rebus externis, ſed in naturali mediocritate poſitam. Sic enim certum eſt tactus ſenſorium referre poſſe intellectui non tantum proprium & quaſi gradualem caloris vel frigoris exceſſum, ſed etiam temperiem & qualitatum illarum æquabilitatem, priuatione ſcilicet non habitu (ſic enim tenebras lucis priuatione ſentimus,) nam quæcunque nec calida ſentiet aut frigida, nec humida aut ſicca, ſed in omnibus refracta, temperata plus minus cum ratione iudicabit.

Verum non parua hic ſubeſt difficultas. Cum enim Galenus *libro ſecundo de temperamentis*, dixerit, *tactum ſolum iudicem eſſe calidi & frigidi, humidi autem & ſicci cum tactu rationem*: non videtur tamen magis poſſe iudicare de caliditate, aut frigiditate corporis noſtri & partium tactus ſolus, quam de humiditate & ſiccitate. Vt enim ex horum parte contingit in tactu error, quia videlicet ſicca per duritiem, humida verò per mollitiem tactui ſeſe repræſentant: poſſunt tamen ab aliis cauſis contingere, durities videlicet à repletione, vt in vtre aëre pleno, ventre hydropicorum: à concretione, vt in glacie, reliquiſque rebus frigoris vi condenſatis: mollities in quouis liquido & fuſo ſeu liquefacto ſentitur, quamuis ſiccandi vi prædito, vt in humoribus bilioſo, atrabilario, metallis liquidis vel liquefactis, aquâ forti & ſimilibus: ac proinde iſtæ qualitates tactui imponere poſſunt, niſi ratio in conſilium vocetur. Idem videtur dicendum de caliditate & frigiditate: nam cum alia actu, alia poteſtate talia ſint, quædam per ſe & natiuâ temperie, alia per accidens talia, vt calefacta: an non ſimilis aut etiam grauior ſuccedet error, niſi conuocata ratione, quæ iſta omnia diſtinguat atque ſubſtantiam, ſtructuram & naturalem cuiuſque conſtitutionem exploret? vt patet de partibus internis corporis noſtri, quæ cum omnes vario ſpirituum humorúmque affluxu incaleſcant, perpetuò quamdiu in viuis erit homo, calidæ à tactu cenſebuntur: & pericardios verbi gratia tunica cor ambiens calidior hoc modo cenſebitur, quam caro muſculorum in externo habitu poſita: contrà piper, pyrethrum, cinamomum, vinum ipſum, aëri hyberno expoſita, frigidiſſima, quæ nemo neſcit, vehementi calore eſſe prædita. Reſpondemus, illam Galeni ſententiam eſſe ita intelligendam, vt tactus ſit ſolus iudex calidi & frigidi, in toto verbi gratia homine, nullâ inter partes ipſas factâ comparatione, quæ proprie ad rationem pertinet: Item de eis quæ talia ſunt per ſe, non per accidens, actu non poteſtate: ſemper enim in iſtis omnibus eſt verum dicere, tactum eſſe verum iudicem caloris vel frigoris, prout iam exiſtunt: quod in humido & ſicco non contingit ſimiliter, quia per alias quaſi qualitates, nempe mollitiem & duritiem ſeſe tactui repræſentant.

Eleganter itaque Galenus in explorandis omnino temperamentis rerum non ſolum tactum cum ratione coniungit, ſed etiam omnium aliorum ſenſuum opem implorat, quatenus effectus ac cauſas temperamenti ſeu mixtionis percipere valent, vt certum ferri poſſit de tantâ re iudicium: ſic calorem in facie efflorescentem, in pilis & excrementis contemplatur, hirſutiem, glabritiem, craſſitiem, & gracilitatem, denſitatem cutis, laxitatem, latitudinem & anguſtiam venarum, odores, ſapores, & ſimilia: quinimo animi ipſius mores & functiones, facilémque perpeſſionem ab hac vel illâ qualitate, aut difficilem, prout ſymbolæ ſint vel non. Item ſeparat & cogitatione diſtinguit influxum caloris qui in ſingulas corporis partes fieri poteſt, prout proximiores ſunt vel remotiores ab illius fontibus: nec non ipſarum partium ſi diſſimilares ſunt naturam & temperiem quaſi ſupputat ex ſimplicium variâ compoſitione: ſi ſimilares, ex quanam materiâ factæ ſint, cogitat: priuſquam vel totius, vel partium temperamentum diiudicet: vt videre eſt *libro ſecundo de temperamentis verè aureo, & lib. artis parua citato.*

Quod verò attinet ad ea quæ potestate non actu talia sunt, videndum est quid hac in re sit sentiendum. Galenus *libro* 3. *de temperament.* δυνάμει ταῦτα ἅπαντα λέγεται, ὅσα μήπω ἐστὶν ἃ λέγεται, ᾗ δὲ δι' αὑτοῦ γίνεσθαι; id est, *potentia dicimus ea esse omnia, quæcunque non sunt adhuc, id quod esse dicuntur, sed facile id ipsum fieri possunt*: potentia autem est, vt Musicus dormiens ad canendum; auis nuper nata ad volandum: Secundò vt materia continens eorum quæ fiunt, quemadmodum sanguis potentia caro dicitur: Tertiò potentia esse id dicitur, quod efficere potest aliquid per se, non per accidens, quamuis tale non percipiatur in principio, v.g. calidum, frigidum. Per accidens verò, quod efficit aliquid intermedio vno vel pluribus. Cum itaque illa omnia dicantur ad aliquid, talia scilicet ad corpus nostrum relata, vt medicamenta, alimenta, & venena, prout illud intensè vel remissè primis illis qualitatibus secundùm varios gradus afficiunt: ideo de illorum etiam temperie iudicare docet Galenus *eisdem libris*, non solum ex sapore, odore & tactilibus qualitatibus, quæ proximè consequuntur temperiem, ac proinde secundæ vocantur: sed potissimum ex effectu, & tempore effectus. Vtpote cum corpus nostrum refrigeratur aut incalescit à re aliquâ sumptâ vel admotâ, in quâ nulla talis qualitas antea sensui inesse videbatur: idque vehementer vel remissè, citò non tardè: nam quæ diuturno post tempore id præstant, per accidens potius quam per se agere videntur, vt aqua frigida vel nix admota statim refrigerant, diu tamen post, reuocato calore natiuo & quasi collecto calfaciunt: quâ ratione ventres hyeme calidiores esse ab Hippocrate censentur. Sed hæc pro instituto nostro sufficiant: reliqua enim ex ipso Galeno repetenda: nunc ad ætatum temperamenta inquirenda transeamus.

ÆTATVM TEMPERAMENTA. Ætatum, sexuum, temporum, regionúmque temperamenta Medico diligenter excutienda, inquirendáque: cum ad morborum, causarum morbificarum, variarúmque in ægris sanísque dispositionum cognitionem faciant, diuino attestante sene *sectione tertia Aphorism.* Vbi secundum ætatum & anni temporum varias constitutiones, varios in hominibus affectus fieri solitos persequitur. *Libro verò de aëre, aquis & locis, & in epidemiis*, secundum aëris & regionum diuersitatem. Vnde etiam Galenus *commentario in Aphorismum* 17. *sectionis primæ*, ex ætatum ratione vult maximam indicationem desumi ad diætam ægris instituendam: Et idem Hippocrates *libro secundo prorrhet. Qui de vlceribus*, ait, *cognoscere volet, quomodo singula finiantur, eum primò hominum species*, id est temperamenta, *perscrutari oportet: deinde ætates nosse, in quibus singula vlcera curatu facilia aut difficilia existunt.* Hæc autem cum non sit facile in pathologicis aut therapeuticis agnoscere, nisi Physiologico prius more sint pertractata: ideo nunc de ætatum variis constiturionibus, mox de aliis etiam breuiter dicemus.

Quamuis ergo quidam olim sophistæ, referente Galeno *libro de marasmo*, vt hodie Chymici ex auro quodam potabili, aut elicitis gemmarum, corallorum, & margaritarum essentiis quas vocant, vitæ ac facultatum omnium conseruationem in multa sæcula, veri balsami renouationem, iuuentutis reuocationem, robur & plenam immortalitatem polliceantur: vt Circe illa Vlyssi.

θηητὸν ἀθανατὸν καὶ ἀγήραον ἦμαρ ἅπαντα.

Certissimum tamen est nos ex contrariâ diuersorum corporum materiâ, fluxilíque & maximè dissipabili substantiâ constitutos perennes esse non posse, cúmque calidum illud vitæ nostræ author & moderator sit agens physicum, quod agendo repatitur: certum est etiam illud morâ & successione temporis marcescere, sibíque obiectum pabulum absumere, nec idem in absumpti locum reponere ex assumptis posse. Adde externarum causarum vim & violentiam, quibus tanquam confertissimo hostium agmine cincti in dies mutamur, tandémque externam huius curriculi metam dimenso spatio attingimus.

Hinc humanæ huius vitæ decursus certis annorum finibus quasi cancellis circumscriptus, varias subit mutationes pro variâ temperamenti, certo quodam spatio perseuerantis, immutatione, quam ætatum nomine donarunt.

Recentiores Philosophi æternitatem, æuum, & ætatem sic distinguunt: vt æternitatem definiant durationem permanentem rei permanentis: æuum verò durationem successiuam rei permanentis: & hæ duæ durationes extra tempus sunt: ætatem verò sub tempore, vocant durationem successiuam rei successiuæ. Hippocrates tamen noster totum humanæ vitæ spatium τὸ μέγεθος τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς,

Digitized by Google

ζωὴς, αἰῶνα siue ævum appellat, vt *lib. de carnibus* ὁ ἄλλον τῦ ἀνθρώπου βίον ἑβδομαῖος, vel ἑπταμήνιος: ætatem autem seu ἡλικίαν appellat propriè illius ævi humani partem manifestâ mutatione constantem, quam ex vulgatâ loquendi ratione definiunt: Temporis spatium hominis vitæ præfixum & in varias partes diuisum, ac sub quantitate tanquam sub proprio genere collocant. Nos verò non tam temporis diuturnitatem, quam quæ sub eâ fit in homine mutationem considerantes, eam sic definimus. Ætas est dispositio quædam in viuentibus iuxta complexionem variam, ex actione calidi in humidum causata, & sensibili mutatione mensurata, in quâ animal augetur, consistit, decrescit & tandem interit.

Quæ definitio eo nomine videtur perfecta, quia per causas fit; & verum illi assignat genus, dispositionem nimirum, quoniam ætas designat Medicis qualitatem quamdam in animantibus, homine potissimùm, quæ variam illius temperiem ab agentibus extrinsecis & intrinsecis mutationem consequitur. Eiusmodi dispositiones mutationesque variæ, quæ sunt istius vitæ partes & periodi certis annorum spatiis non possunt describi, vt monet Galenus, atque etiam ipse Aristoteles *in politicis*, cum pro diuersitate naturarum valde sint inæquales, & alios aliis maturiùs consenescere iuxta variam agendi & resistendi potentiam conspiciamus. Calidum enim siue naturale, siue extraneo commistum, cum diuersimodè afficiat humidum radicale pro diuersâ corporis dispositione, quæ diuersitatem ætatum efficit, Medicis ætatum terminos non exactè aut simpliciter, sed cum magná latitudine definire licet. Multi ergo multas distinctiones faciunt.

Iurisperiti enim, quibus reipublicæ moderandæ cura incumbit, pro variâ actionum humanarum diuersitate, quam leges Romanæ potissimum respiciunt, hominis vitam in septem partes describunt. Prima est infantia, à primo ortu ad septimum vsque annum: Secunda pueritia, quæ à septimo ad decimum quartum masculis, fœminis ad duodecimum vsque protenditur: Tertia adolescentia, quæ hinc ad vigesimum quintum peruenit: Quarta iuuentus, quæ à vigesimo quinto incipiens quadragesimo terminatur: Quinta à quadragesimo ad sexagesimum ætas consistens appellatur: Sexta ætas decidentiæ à sexagesimo ad septuagesimum perueniens: Septima est reliqua vitæ pars, senium seu extrema senectus, quæ aliquando ad centesimum vsque annum producitur: Vltra enim sæculum lex neminem viuere præsumit.

Sic igitur apud Romanos infantes sedulâ matris ac mulierum operâ ad annum vsque septimum educabantur. Post magistris & pædotribais ad decimum quartum vsque tradebantur, qui eos & bonis moribus, & literis imbuebant humanioribus. A decimo quarto ad decimum octauum vmbratili palæstrâ & leuioribus armis per athletas & gladiatores publicos exercebantur. A decimo octauo ad trigesimum quintum militiam Romanam faciebant, & destinati erant milites. Post trigesimum quintum emeriti erant, & ad sexagesimum vsque honoribus militaribus perfungebantur, Tribuni militum, ærarij, & Centuriones fiebant. Vbi sexagesimum attigerant, completa erat militia, liberumque erat illis fixis ad postem Herculis armis, vel deferri ad ærarium, ibique stipendiis reipublicæ viuere, vel pacis munera, ciuilia scilicet opera capessere ad annum vsque septuagesimum. Ab hoc ad reliquum vsque tempus domi manebant, diis pro salute reipublicæ vota & sacra facientes: felicesque illi habebantur, qui ad hoc vsque senium peruenerant. Atque hæc fuit ætatum diuisio apud Romanos: quamuis Horatius quadripartitam tantum fecerit vitam.

Pythagoras eadem ratione ætates per vigenarium in quatuor tantum distinxit: παῖδες ἔτεσι, μειράκιοι ἔτεσι, νεανίσκοι ἔτεσι, γέροντες ἔτεσι: Pueri per viginti annos sumus, iuuenes per viginti, viri per viginti, senes per viginti.

Plato duas tantum fecit vitæ partes, cum ait: *Ætas adolescentum insana, senum autem sana*: cuius sententiam explicat Galenus *lib. quod animi mores sequuntur corporis temperiem.* Aristoteles verò tres: Iuuentutem, virilitatem & senectutem: vt *in* 2. *Rhetor. ad Theodect. cap.* 12. Ægyptij autem duas tantum, idque miro respectu, vt videre est apud Plinium: *Cor*, inquit, *augeri per singulos annos in homine, ac binas drachmas ponderis ad quinquagesimum vsque annum accedere: ab eo detrahi tantumdem, & ideo non viuere hominem vltra centesimum annum defectu cordis, Ægyptij existimant, quibus mos est cadauera asseruare medicata.* Putabant illi hominis vitam esse acmasticam ad quinquagesimum annum, quamdiu cor augetur: paracmasticam vsque ad centesimum, dum cor omnino decreuerit.

Astrologi, qui rerum omnium nostrarum mutationes rei immutabili & constanti, nempe cœlo adscribunt, quadam probabilitate, septem vitæ nostræ partes pro numero

planetarum faciunt. Prima subiicitur Lunæ, quæ vt infimus est planetarum, sic valde humida putatur, puerique multo humido constant: Secunda Mercurio, qui planeta ἀδιάφορος censetur, neque malus, neque bonus per se, nisi cum aliis coniungatur: sic nos dum teneri sumus, facilè quouis humore imbuimur, vt ait poëta, hæcque ætatis pars à sexto incipiens decimo terminatur: Tertia Veneri, quæ per octo annos dominatur, à decimo anno vsque ad decimum octauum flos viget pulchritudinis: Quarta Soli; quæ nouemdecim annis terminatur: Quinta Marti quindecim annorum, & hæc est ætas magnanimitatis, superbiæ, & rixarum: Sexta Ioui annorum duodecim, qui vt planeta est benignus, sic homines relicto armorum studio, pacis & ciuilium operum cultores facit: Septima Saturno frigido sicco, tristi & melancholie planetæ, qui extremam vitæ partem, tristemque senectam regit, vt volunt positiones Astrologorum.

Licet vnicuique pro arbitrio diuidere, dummodo in enarrandis mutationibus, quæ in temperamentis accidunt, non aberret. Qui enim minores faciunt partitiones, in subdiuisionibus reliquas partes comprehendunt: ita vt nihil interfit, si quis in duas, tres, vel quatuor, vel alias partes diuidat, dummodo res ipsa semper intelligatur. Nos medicas diuisiones nunc videamus.

Author definitionum medicarum sic diuidit. Ætates quatuor sunt: Prima iuuenum: Secunda vigentium: Tertia mediorum: Quarta senum, qui Hippocratis sententiam videtur sequutus *Aph.* 13. *lib.* 3. Vbi recenset παιδία, μειράκια, ἀνδρήκοντας, & γέροντας. Quæ diuisio valde congruit, quia habet analogiam cum quatuor elementis, humoribus, temperamentis compositis, & anni tempestatibus.

Cælius Aurelianus ex Græcorum nominum diuersitate sedecim ætates numerat. Nos verò quadrimembrem illam vitæ nostræ partitionem ex Hippocrate probamus, nec non amplectimur subdiuisiones quas facit Galenus, ex quo prima ætas παιδία seu pueritia dicitur, quæ confestim ab eo tempore incipit, quo infans maternum vterum egreditur, & durat vsque ad annum decimum quintum, quo etiam frigido temperamento præditi incipiunt pubescere. Vnde secunda ætatis differentia dicitur pubertas, quæ Galeno teste *lib.* 3. *Aph. com.* 27. & 5. *Aph. com.* 7. initium capit anno decimo quinto, & ad decimum octauum extenditur: Tertia vocatur adolescentia, quæ incipit anno decimo quinto, duratque ad vigesimum quintum Galeno *comment.* 9. *in lib.* 5. *Aph.* Eam Hippocrates sub pubertate complectitur, atque etiam Galenus interdum: Quarta iuuentus est florens ętas; orditur anno vigesimo quinto, & ad trigesimum quintum extenditur, quod innuit Hippocrates 3. *prognost. Magis*, inquit ille, *expectare oportet sanguinis eruptiones in minoribus natu trigesimum quintum annum habentibus: in maioribus natu suppurationem*: Quinta ætas est ἀκμηκυία, constans & media scilicet inter iuuentutem & senectutem, dicitur ἀνθηρὰ à fortitudine & virilitate; incipit trigesimo quinto & finitur quinquagesimo: Sexta demum ætatis differentia senectus appellatur, quæ reliqua est vitæ pars: quam Galenus rursum in tres partitur *lib.* 5. *de tuend. valetud.* Prima est eorum qui ὠμογέροντες, id est viridi senectâ prædicti sunt, qui adhuc ciuilia munera obire possunt: Secunda eorum qui πολιοκράταιοι omnino sunt cani: Tertia, in quâ est omnium functionum imbecillitas, qui Latinis silicernia, Græcis πιμπλοὶ & ἀλλβαντες vel πάππαι vocantur, quo nomine fortassis summus Pontifex Romæ Papa dicitur, quia hic honos patribus iam ad extremam vitæ catastrophen constitutis conceditur: quo nomine iure donari poterat Nestor, de quo Homerus.

Τρὶς γὰρ δὴ μιν φασὶν ἀναξάσσ γενεὰ ἀνδρῶν.

Et Ioannes ille de temporibus dictus, quem maiorum nostrorum memoria ac historiæ referunt annos vixisse trecentos sexaginta vnum, idest tres & quinquaginta septenarios. Sed nos iam ad ætatum temperamenta veniamus, quæ operæ pretium est imprimis cognoscere, in quorum inquisitione quadrimembrem & Hippocraticam ætatum differentiam sequi oportet, puerorum, iuuenum, virorum, & senum facilioris doctrinæ gratiâ.

In his ergo ætatum temperamentis iudicandis vult Galenus eas calidas, frigidas, humidas, aut siccas intelligi, collatione factâ ad eam ætatem, quæ omnium optima temperatissimaque habetur. Et cum prima ætas in pueritiam, & adolescentiam diuidatur, adolescentia in temperie posita habetur, quod ad corporis animique actiones edendas sit expeditissima, ad quam spectantes, dicimus calidos humidos temperaturâ, ac similes aëri, humori sanguineo, & vernæ tempestati: florentes calidos & siccos eamdem cum æstate, igne & bile temperiem adeptos: medios frigidos & siccos melancholiæ, terræ, & autumno consimiles: senes frigidos & humidos hyemis, pituitæ & aquei elementi

Digitized by Google

elementi temperaturam referentes. Quamuis enim ſiccitas ſemper progreſſu temporis intendatur in partibus ſolidis, quia tamen ob aduentitium temperamentum & excrementa ſenes maximè pituitoſi ſunt, ideo humidos eos eſſe plerumque fatetur Galenus, vt *lib. 8. de placitis Hipp. & Platon.* Et certiſſimum eſt intenſam frigiditatem, quamuis ſiccitati in principio iuncta ſit, magnam tamen progrediendo cruditatum copiam colligere: vnde ſequitur calidum innatum pueris multum, florentibus intenſum, mediis medium, ſenibus pauciſſimum eſſe.

Hanc de ætatum temperamentis ſententiam confirmat vbique Hippocrates, vt *Aphor. 14. ſect. 1. Qui creſcunt*, inquit, *plurimum habent calidi innati, plurimo igitur egent alimento, alioqui corpus abſumitur: ſenibus verò parum, paucis propterea fomitibus egent, quia à multis extingueretur*: Quod ſic explicat *lib. 2. de naturâ humanâ: Homo primis diebus calidiſſimus eſt ſui reſpectu, vltimis frigidiſſimus: neceſſe eſt enim augeſcens & ad vim procedens corpus calidum eſſe: vbi autem inceperit marceſcere corpus, delabens in ocium ſeu marcorem; frigidiſſimum euadit.* Idem habet Author lib. 1. de diætâ, *Puer*, inquit, *ex calidis & humidis temperatus eſt, quia ex his conſtitutus eſt*, (menſtruo ſcilicet & ſemine) *& in his augmentum accepit.* Et vt proxima generationi ſunt corpora, ſic calidiſſima humidiſſimaque. Iuuenis autem calidus eſt, quia ignis impetus aquæ dominatur: ſiccus autem, quia humidum ex puero abſumptum eſt, partim in augmentum corporis, partim ad motum caloris, partim præ laboribus ac exercitiis. Vir autem, quum iam ſteterit corpus, ſiccus eſt ac frigidus, quia caliditatis impetus non amplius dominatur, ſed ſtat corpus ab augmento quieſcens & perfrigeratum: nam ex iuuenili ætate ſiccitas adeſt, ex ſequenti frigiditas: cum ſenes frigidi ſint ac humidi propter frigiditatem, quæ ſibi humiditatem accerſit comitem.

Hinc patet ſolutio illius quæſtionis, quâ petitur maiorne ſit calor pueri an iuuenis: cum enim calor hic ſeu calidum, Galeno ſic interpretante *Aphor. proximè citato*, potius de ſubſtantiâ quam ſimplici qualitate intelligatur: ex parte quantitatis ſeu maioris ſubſtantiæ, maior eſt calidi humidique copia in adoleſcente, ſeruatâ corporum proportione, quam in iuuene: quod ſi de qualitate tantum intelligas ſeu gradu, intenſior calor in iuuene, quia ſiccitatem ex diminuto humore illo primigenio, velut limam ſibi coniunctam habet. Et ſic caloris modo differunt: puerilis enim mitis, ſuauis, & halituoſus eſt, vtpote perfuſus multo humido naturali: iuuenilis mordax, acer, & inſuauis, quia pendet ab adſcititio: cuius tantum eſt repoſitum, quantum iam innati caloris conſumptum fuit.

De ſenum autem temperamento eos frigidos eſſe omnes concedunt. Vtrum verò ſicci vel humidi cenſendi ſint, dubitatur. Dicamus itaque dupliciter illorum temperiem conſiderari poſſe nempe ſecundum ſolidarum partium conſtitutionem, & ſecundum excrementorum prouentum, qui in illis defectu caloris oboriri ſolet. Ac proinde reſpectu partium ſolidarum, quo proximior eſt orco ſenectus, eo magis ad ſiccitatem & depauperationem humidi primigenij tendit, vt docet Galenus *lib. 3. de temperam. & lib. 2. de ſanit. tuendâ.* Reſpectu verò alterius, nempe excrementitiæ humiditatis, quam neceſſariò in hac ætate colligunt, dicuntur à Medicis humidiſſimi, vt ſeruetur illa analogia ad humores, elementa & anni tempeſtates: Sicque mediis ſeu conſiſtentis ætatis hominibus ſua illa conſtitutio frigida & ſicca commodius adſcribatur. Atque hæc de ætatibus, ac proinde ad ſexuum varietatem deueniendum, ſi prius quędam de anno Climacterico annotauerimus.

Appendix de anno Climacterico. Huic de ætatum temperamentis diſputationi non inutile erit adiungere breuem de anno Climacterico dicto diſſertationem, quæ non minus iucunditatis quam vtilitatis adferre poterit.

Vocant annum omnes vitæ noſtræ Climactericum, qui integrum vitæ noſtræ horizonta implens, quaſi finitor illius appellari poteſt. Cumque varij eiuſmodi Climacterici termini à multis ſint ſtatuti, certior tamen eſt eorum ſententia, qui ſexageſimum tertium vitæ noſtræ annum Climactericum faciunt. *Obſeruatum eſt*, inquit Agellius *lib. 15. cap. 7. in multâ hominum memoriâ, expertumque in ſenioribus pleriſque omnibus ſexageſimum tertium vitæ annum cum periculo & clade aliquâ venire, aut corporis morbique grauioris, aut vitæ interitus, aut animi aegritudinis, ſine illud ab interioribus cauſis, vt fatali morte, ſine violentâ contingat.* Extat etiam Auguſti ad Caium nepotem epiſtola ad A. D. IX. calendas Octobres huiuſmodi. *Aue mi Cai, mens ocellus iucundiſſimus, quem ſemper mediis fidius deſidero, quàm à me abes, ſed precipuè diebus talibus, qualis eſt hodiernus, oculi mei requirunt meum Caium, quem vbicumque & hoc die fuiſſi ſpero lætum & bene valentem celebraſſe quartum & ſexageſimum natalem meum: nam vt vides κλιμακτῆρα communem ſeniorum*

omnium

Digitized by Google

omnium tertium & sexagesimum exasimus. Quod si quis in illustrium ac eruditorum virorum successus humanos inquirere velit, inueniet plerosque hoc anno aut obiisse, aut certè summa pericula passos fuisse. Cicero hoc anno miserè à cliente suo interfectus: Aristoteles Philosophiæ parens illo extremum vitæ suæ diem clausit magnâ posteritatis iacturâ, cum longior illi vita ad complendam de animalibus historiam requireretur. Hac nostrâ ætate, ne alios recensеam, fato suo functi sunt Bocacius, Erasmus, Syluius, Linacer & alij plures cum sexagesimum tertium annum attigissent.

Ac si qui hunc vitæ terminum excesserunt, illi certè omnes aut in septenarium, aut nouenarium, quasi vitæ limitem extremum peruenerunt, Plato nouies nouenarium impleuisse dicitur: Galenus decimum septenarium: Hippocrates decimum quintum attigit: vt vita hæc nostra septenariis regi, nouenariisque videatur.

Cuius rei ratio, si quæ probabilis confingi assignarique possit, hæc est: quia eadem videtur esse debere proportio ortus nostri atque interitus. Modo constat ex longâ Hippocratis & omnium obseruatione, ortum nostrum septimo mense, aut nono perfectum extare, cum alio mense nati aut non viuant, aut infeliciter, *Vita*, inquit Hippocrates, *hominis est ἑπτάμηνος* vel *ἑβδομαῖος*, *septem dierum*, vel *septimanaria*: Et qui septimo aut nono mense nascuntur, ij cum habeant numerum accuratè hebdomadis respondentem, viuunt: alij non item: vt nos in tractatu de procreatione hominis ostendemus: Natis iam mutationes per septenarium contingunt: Septenario primo *ὀδοντοφυοῦσι* dentes emittunt: Secundo puberes fiunt: Tertio nubiles & florentes existunt Item per septenarios morbi acuti iudicantur: & si quis per septem dies ab omni cibo & potu abstineat, plerumque moritur, quamuis postea cibum assumere velit.

Horum numerorum potentia, cum ita sit longâ obseruatione comprobata, & τὸ *ὅτι* à nullo ignoretur: quamuis τὸ *διότι*, causa videlicet certa eorum assignari non possit: credibile est, vt septenarius & nouenarius hominibus initium nascendi tribuere solent: ita quoque numerum ex vtriusque propagatione coalescentem exitium afferre assueuisse: ex septenario autem & nouenario in sese ductis sexagesimus tertius existit: qui ideo Climactericus vocatur, & frequenter viris interitum afferre solet, potissimùm illustribus & præclaris.

Viris autem, dixi, non mulieribus, quia fœminæ non tam septenario, quam senario numero, vt imperfectiores, imperfectiore gubernantur: Sic in vtero citam magis habent procreationem: extra vterum sexto anno robur animi & corporis habent: duodecimo puberes sunt: decimo octauo nubiles; vt proinde Plato pares numeros fœminis, impares maribus tribuerit. Ac obseruatum est generosis & illustribus fœminis annum trigesimum sextum, qui senarij quadratus est: & quinquagesimum quartum, qui fit ex senario & nouenario in sese ductis plerumque exitiosos esse. Hæc omnia nos minimè numeris tanquam efficientibus causis tribuimus, cum numeri affectiones sint substantiæ, & eam consequantur: sed tanquam signis & terminis, quibus natura certas mutationes explere solet.

SEXVS TEMPERAMENTVM. Natura sagax & omnium rerum moderatrix sapientissima cum perfectiorum animantium, qualis est homo, generationi continuæ prouidendum duxisset, & impossibile videretur in eadem specie vnicum individuum tam agentis quam suscipientis rationem subire (quod tamen Plato in sua Androgyne somniauerat) distinxit in perfectioribus speciebus, maiori potentiâ, impotentiâque marem à fœminâ, vt scilicet quod concoquere & secernere semen, agendique principium sit, mas appelletur; quod verò non ita concoquere & secernere, sed potius suscipere & concipere aptum natum est, fœmina habeatur: quæ vt in seipsâ generat, sic locum materiamque præbet generationi idoneam.

Vir igitur à fœminâ non differt naturâ, specie siue formâ, nec materiâ siue principiis generationis: sed accidentibus tantùm, vt membrorum genitalium formatione & temperie quadam. Quæ verò illa sit controuertitur; author enim libri primi de diætâ: *Masculi*, inquit, *& fœmellæ hoc modo gignuntur: fœmellæ quidem ab aquâ magis, & à frigidis ac humidis & mollibus augescunt tum cibis tum potibus, itemque studiis ac exercitiis. Masculi verò ab igne magis, à siccis videlicet ac calidis cibis & reliquâ diætâ: Vt si vniuersalia*, inquit, *spectes, masculi in totum calidiores sint & siciores: fœminæ verò humidiores ac frigidiores. Propterea quod ab initio vtrique in talibus geniti sunt, & à talibus augescunt. In lucem quin etiam editi masculi victu ac diætâ laboriosiore vtuntur, vt excalescant ac resiccentur: fœminæ verò humidioribus & pigrioribus dietis vtuntur, & τῇ θερμῇ κάθαρσιν calidi ipsius, nempe sanguinis purgationem ex corpore singulis mensibus faciunt.* Id confirmat Hippocrates *lib. de genitura*, vbi in vtroque fecit sperma *ἰσχυρότερον*

&

& ἀσθενὲς, robuſtum ex quo mas, debile ex quo fœmina naſcitur, & cætera huiuſmodi.

Sic Ariſtoteles *lib.* 1. *de generatione animal.* & ipſa experientia teſtatur nouellam, & adhuc infirmam ætatem, cum ſenescente fœminas generare, potiſſimùm ſi cibis crudioribus reliquaque diætâ frigidiore vtantur: vt contrà valida & virens ętasmares plerumque producere ſolet. Itaque ex parte principiorum quæ vtrique ortum dederunt, mas fœminâ calidior apparet & ſiccior.

Adde quod mas in ipſo vtero citius & dearticulatur & mouetur propter maiorem caloris natiui impetum, & ex Hippocr. mas in dextris plurimum, fœmina verò in ſiniſtris vteri partibus geſtatur. Imo lac ipſum ſi mas ſit genitus, craſſius & calidius: ſi fœmina, frigidius ac dilutius apparet.

Poſt ortum etiam omnia calori in maribus atteſtantur, ſiue habitum ſpectes, ſiue actiones: nam colore magis ſaturato & vegeto ſplendet vultus in maſculis: hirſuties non ſolum barbæ, ſed etiam totius corporis maior ex pororum laxitate ac fuliginum copiâ: latitudo venarum, gracilitas, duricies, & ſimilia calorem cum ſiccitate in illo præpollere oſtendunt: actiones tam corporis quam animi etiam robuſtiores: mas enim homo ad diſciplinas omnes aptiſſimus, bello paratiſſimus & laboribus addictus, cum mulier otio & vitâ vmbratili maximè gaudeat: vt quæ vir robore fretus ſuo vndique conquirit & congerit, fœmina domi ſeruet ſtudioſiſſimè. Denique vitalium, facultatum actiones, præcipuè pulſus & reſpiratio, in mare vehementiores validioreſque apparent: vox quoque grauior & intenſior, ex organorum amplitudine & firmitate: ira & magnanimitas maior ſine perturbatione: Vt etiã naturalium, cum ex perfectiore coctione ſanguis perfectior in mare, dilutior verò in fœminâ & imperfectior, quamuis copioſior appareat: adeſt etiam in viris paucitas excrementorũ, quæ in mulieribus ſcatere ſolent: ſemen denique ipſum virile robuſtius, principiũ motus & efficientiæ præſtat in fœtus formatione, cũ muliebre inualidũ ſit, & veluti illius materia.

Quæ autem de maris ac fœminæ calore dicta fuerunt, ita ſunt intelligenda, vt de totius potiſſimum temperamentò, non partis vnius audiri debeãt, & de innato potius quam de adſcititio: nam fieri poteſt, idque contingit frequentiſſimè, vt parte vnâ intẽperata mulier, viri calorem eadem parte intemperati vincat pro minore aut maiore lapſu: vnde Rondeletius mulieres omnes κατὰ calidiores omnibus viris exiſtimabat: ἄνω verò frigidiores. Fieri etiam poteſt, vt mulier labori & exercitationi incumbens diætâ vtens calidâ ſiccâque hominis otioſi temperamentum adſcititium vincat & ſuperet. Sed totum fœminarum genus, à virili in totius & innati temperamenti calore ſuperari aſſerimus. Quod ſi ἀνδρόγυναι quædam mulieres ſeu viragines hominibus ſuperiores aliquando naſcuntur, quales Amazonas tradunt, eæ portenta potius quam naturales fœminæ ſunt exiſtimandæ, quas natura admirationis causâ produxit: vt viri etiam naſcuntur mulieroſi & imbelles naturæ quadam παραβάσει & errore: vel morbo ſuperueniente, vt de maleficiatis & euiratis notum eſt. Ita vt extra cõtrouerſiam hoc fere apud Medicos poſitum ſit, virum muliere calidiorem & ſicciorem eſſe. Sunt tamen qui hæc à nobis ſic conſtituta multis argumentis impugnare nitantur.

Primò oſtendunt illi hoc in theſi verum non eſſe, marem ſcilicet fœminâ calidiorem, cum in toto rapacium auium genere, fœminæ maribus grandiores validioreſque ſint: lœna leone, vrſa vrſo crudelior ac ferocior. Ac non ſolum hæc in theſim, ſed etiam contra hypotheſim noſtram contendunt, fœminam viro eſſe calidiorem in ſpecie humanâ, ex antiquâ Parmenidis ſententiâ *lib.* 2. *de partibus animal.* Et apud Hippocratem inſignis eſt contextus *lib.* 1. *de morb. mulier.* vbi illud conceptis verbis etiam addita ratione ſignificauit. *Mulier*, inquit, *eſt ἁπαλοσαρκοτέρη carne rariore ac molliore, calidiorem habet ſanguinem καὶ διὰτοῦτο θερμοτέρη ἐξ ἐστὶ τοῦ ἀνδρὸς: & propterea calidior eſt quam vir.* Et *lib. de aëre, locis, & aquis*, recenſet Hippocrates hiſtoriam Scytharum, apud quos viri frigidi, molles, ad Venerem inepti dicuntur: mulieres verò vegetiores & alacriores. Quod autẽ mas plerumque actiones edat mulieribus perfectiores, id illi cum Hippocrate *lib.* 1. *de morb. mulier.* ad ſiccitatem, exercitationem & laboris aſſuetudinem ex quâ ſiccitas oritur, non ad caliditatem propriam referunt. Ac ne videantur ſuam cauſam deſerere, etiam de actionum perfectione multarum cum viris contendunt. Ingenioſæ enim, inquiunt illi, ſunt mulieres & multâ ſubtilitate præditæ, quã Galenus ſanguinis puritati & tenuitati adſcribit. Sunt etiam iracundiores, & ad vindictam viris proniores, quos & pulſus frequentiâ & celeritate apud Galenum ſuperant. Et ſi tantum caloris habeamus, quantum ſanguinis, fœmina viro manifeſte calidior, quæ non ſolum ſibi, ſed etiam fœtui alibilem procreat ſanguinem, menſtruis fluentem periodis, & lac alendo fœtui idoneum: vnde etiam viro pinguior, propter maio-

rem oleosi & purioris sanguinis copiam, qui in adipem faceſſit. Maiori item tenentur fœminæ coëundi appetitu, quam viri, aut saltem diutius perseuerant in coitu, cum tamen meatus illos seminarios maribus ampliores habeant. An non fœminæ viris citius adolescunt, pubescunt, & sobolem suscipiunt, certissimo caliditatis validioris signo? Quod enim tardius in vtero perficiantur, id fit ratione maioris perfectionis, quæ in fœminæ procreatione requiritur.

Hæc illi: quibus nos vt satisfaciamus, fatemur quidem antiquam fuisse hanc de mulieris caliditate sententiam, sed etiam ab antiquis impugnatam refutatamque rationibus iam prius à nobis adductis. Itaque Hippocrates *lib. illo de morb. mulier. citato*, dum mulieres viris calidiores esse censet, vel ad quantitatem tantum sanguinis, non qualitatem respexit: vel certè morbosi tantum temperamenti in mulieribus aut adscitiij meminit: aut contextus ille est vitiatus: cum alibi passim virum muliere calidiorem esse pronuntiet ratione totius & innati temperamenti: Neque Scytharum mares fœminis Scythicis comparat, sed aliis maribus, à quibus magis recedunt Scythæ illi, propter victus & exercitationis rationem, quam mulieres à nostratibus, quibus victus ille humidus, & vita otiosa non ita aduersatur, vt viris, qui contrario prædicti sunt temperamento. Nec ad siccitatem solam referri potest perfectio actionum in viris, cum siccitas sit concomitans tantum & coadiuuans causa, quæ si calori minori iuncta sit, valde actionibus est incommoda.

Ingenium mulieribus & sagacitas quædam à naturâ concessa est, vt defectum iudicij quodammodo compensaret: vnde etiam illa iracundiæ & vindictæ cupiditas propter mentis impotentiam. Denique maior est sanguinis copia in muliere dilutioris & serosioris, qui natiuâ eiusdem frigiditate concrescit in adipem, & ad fœtus alimoniam in vtero, lactisque generationem, naturæ prouidentiâ comparatus est. Non tamen puto ob menstrui sanguinis fluxum, mulierem maiorem sanguinis copiam viro generare: cum vir labore continuo dissipet ac resoluat eam humoris portionem, quam fœmina otio suo ac inertiâ coaceruat: quandoquidem mulieres quæ exercentur, vix hoc fluxu sanguinis tententur, aut certè pauciſſimo. Fluit igitur è muliere sanguis menstruo quoque tempore, naturali quadam cruditate, inquit Aristoteles *lib. 1. de generat. animal. cap. 20.* at etiam pallet magis, & euidentius viro mulier venas habet tenuiores, & exiliores, vt si τὰ κάτω spectes, mulier plus sanguinis viro; si τὰ ἄνω, vir multo plus habere intelligatur. Adde quod vir in generatione seminis prolifici, non parum optimi sanguinis absumit, quod excernit exercitique magnâ spirituum copiâ in dies horasque. Fœmina vt imperfectum quid, desiderat marem, vt se impleat: mas, vt se depleat, fœminam: vnde mulier magis in coitu perseuerare potest. Sicque mulier in vtero tardius perficitur, non perfectionis maioris causâ: sic enim perfectior esset extra vterum & magis duraret, sed, vt docet Hipp. *lib. de naturâ pueri*: fœmina tardè generatur in vtero, & tardè mouetur, caliditatis defectu, & humiditatis copiâ: mas verò breui, quoniam calor auctus, & semen verè constans citò firmantur & consistunt: Sic extra vterum fœmina citius adolescit, parturit, & ætates suas præterit: quia quæ humida sunt, vt facilè extenduntur, & augentur, sic fluxa sunt magis & dissipabilia.

Quæ verò illi dicebant de thesi, quamuis parum ad hypothesim nostram faciant, non sunt tamen recipienda: aues enim rapaces fœminæ non calidiores maribus, sed humidiores, quæ humiditas efficit vt caliditas illa intensa non ita exurat & exsiccet fœminarum corpora ac marium: vnde grandiores apparent. Leæna verò & vrsa cæteræque feræ animantes, crudeliores quidem ac ferociores maribus, sed non robustiores ac validiores: quamuis enim maiore impetu ferantur in pugnam, non tamen ita perseuerant ac mares. Adde quod brutorum fœminæ omnes Aristoteli post partum furere dicantur, vel quod non expurgantur inquinamentis illis fœtus: vel quia ita à naturâ constitutum est ad fœtuum conseruationem.

TEMPORVM AC REGIONVM TEMPERAMENTVM. Tempora nouisse eorumque mutationes, vt est Medico ad sanitatis conseruationem morborumque curationes valde necessarium: sic ratio temperamentorum quæ mutationes illas temporum consequuntur, ad Physiologiam spectat: vtque mutationes temporum Medico tenendæ & cognoscendæ sunt, sic varia regionum temperamenta, pro quarum diuersitate soli cælique constitutiones variæ existunt.

Temporis itaque nomine, aëris varias dispositiones intelligimus, quæ pro diuerso syderum, præcipuè verò solis ad nos accessu vel recessu, ortu vel occasu secundum primas illas qualitates sensibiliter mutantur: vnde etiam & diei ipsius varietas appareret, cuius partes ὥραι apud Hippocratem, vulgo tempestates vocantur. Quod ad

mensis

menſis enim & hebdomadæ rationem attinet, illa lunæ potius quam ſolis vim & motum ſequuntur.

Dicamus igitur annum, Græcis ἐνιαυτὸν, quod in ſeipſum redeat, & in ſua ſemper veſtigia labatur, cum illud temporis ſpatium quo ſolà puncto vno Zodiaci egreſſus, illo peragrato, ad idem punctum redit, varias tempeſtates efficiens dierum trecentorum ſexaginta quinque numero conſtantes à quocunque incipias puncto. Igitur nihil intereſt, dummodo ad idem reuertaris. Aſtrologi quidem vt commodius anni tempora deſcribantur, incipiunt ab ipſo Ariete, quem cæli caput appellant,& ſingulis anni quadris tria Zodiaci ſigna aſſignant, per quæ diſcurrens ſol indefeſsâ latione, æterna rerum omnium ſæcula metitur. Medici verò iſtas anni tempeſtates magis ad ſenſum diuidunt,ex ſenſibilibus quibuſdam effectis quæ ſequuntur illas ſolis peragrationes in his inferioribus, vtpote cum dicunt,vel eſſe illud anni tempus, quo aër & omnia animantia ipſaque tellus modico calore humoreque perfuſa, gratiſſimum anni renaſcentis gaudium ſuſcipiunt maximâ cum ſalubritate:& ſic de reliquis: aliquando tamen diſtinguunt Medici haſce anni partes ſecundum ortus & occaſus inſigniorum ſtellarum & vulgo magis notarum: vnde Hippocrates ſæpiſſimè hyemem à Pleiadum occaſu vſque ad æquinoctium vernum: ver autem ab ipſo æquinoctio vſque ad Pleiadum exortum: æſtatem à Pleiadum exortu vſque ad Arcturi exortum: autumnum ab Arcturi ortu vſque ad Pleiadum occaſum metitur. Quæ omnia vera ſunt in Helleſponti parallelo, (vt interpretatur Galenus) qui à noſtro Narbonenſis Galliæ,Occitanico ſcilicet, non multum differt,vbi altitudo poli eſt quadraginta trium circiter graduum. Notandum etiam apud Hippocratem, tempeſtates iſtas aliquando ſubdiuidi: vt ver in nouum adultum & præceps: æſtatem in duas partes,quarum prima eſt à Pleiadum ortu vſque ad caniculam; ſecunda extenditur à canis ortu, vſque ad ortum coſmicum Bootis: hyemem in tres, quarum media ſolſtitio hyberno definitur,& aliis duabus extremis continetur.

Quidquid ſit, hæc tempora ſiue tempeſtates annum conſtituunt, quæ vt docet Hippocrates *lib. de naturâ humanâ*, omnium ſunt participes, calidi,frigidi,humidi,& ſicci: ac proinde ad generationem elementorum,humorum & temperamentorũ,cum quibus ſymbolum habent,ad expugnandas contrarias intemperies ſunt accommodatiſſimæ:quod eſſe verum deprehendemus,ſi per ſingula anni tempora diſcurramus.

Quando itaque Sol à primo Arietis puncto diſcedens totum Tauri & Geminorum ſignum peragrat, tunc calorem mediocrẽ cum humiditate benignâ in hac ſublunari materiâ gignit:calor enim cum fiat à ſole triplici de causâ,propter acceſſum propinquum,aſpectum rectum,ac longiorem moram ſupra horizontem:hæc iam omnia incipiunt concurrere ſub illud tempus, quo ſol ab hyemali ſolſtitio,quod eſt circa finẽ Decembris ad nos redire incipit: Humiditas verò ſuſcitatur,quia dum ſol hæc inferiora calefacit, niues,& hyemis frigore concretam glaciem reſoluit funditque: quæ aërem tepidiorem reddunt. Hæc tempeſtas ver dicitur, temperata & ſaluberrima, vt eſt *Aph. 9 ſect. 3.* ſymbolum habens cum aëre,cum ſanguine,& temperamento, εὐκράτῳ, caloris humoriſque mediocris participe.

Vbi verò ſol propinquior nobis factus Cancrum ingreſſus conficit ſigna Leonis & Virginis:tunc maximum calorem & ſiccitatem excitat: calorem quidem ob diuturnam in horizonte noſtro moram & aſpectum rectum, per quem radij perpendiculariter demittuntur, & ad angulos rectos reflectuntur: calore autem maximo vigente exhauritur humiditas illa ex vernâ tempeſtate reſtans,& ſiccitas inducitur. Tempus hoc æſtas vocatur quaſi æſtuans ſymbolum habens cum ignis elemento,cum bile,& temperamento calido ſiccoque.

Sol regulari illo & continuo motu vlterius progrediens,à Libræ puncto, vbi adeſt autumnale æquinoctium,vſque ad Sagittarij ſignum,ſiccitatem tunc & frigiditatem paulatim inducit: hanc quidem quia iam ſol breuiorem ſupra nos moram faciens,& obliquiores emittens radios, quibus terræ & aquæ globus parum incaleſcit, fit vt remotâ calfaciente causâ excellenti,natiua illarum frigiditas intendatur:& aërem afficit,inæqualiter tamen & cum variâ caloris frigoriſque reciprocatione: ſiccitatem verò propter conſumptum æſtate humidum,& vehementem inductum ſqualloremqui nondum temperari poteſt. Iſta tempeſtas autumnus appellatur, inæqualis valde & inſaluberrima,vt videre eſt *in multis Aphoriſmis ſect.* 3. Symbolum habet cum elemento terræ,humore melancholico,& temperamento frigido ſiccoque.

Tribus his partibus peractis, ſol Capricorni ſignum ingreditur, ad Arietis rurſus punctum rediturus, eóque tempore frigoris humoriſque magna vis:tum propter

ſolis receſſum & dierum breuitatem : tum etiam vaporum ſuperioribus tempeſtatibus collectorum copiam, qui tunc denſati in humorem & pluuias conuertuntur. Hyems igitur frigida humidaque, aquæ, pituitæ, ſenilique temperamento reſpondet. Vtque totus annus ſic variatur & recurrit ad mundi totius & elementorum conſeruationem : ſic dies, ex quibus annus componitur, quadras ſuas habent illis reſpondentes, prout ſol nobis oritur & occidit, ſublimis eſt aut ſub terra poſitus : matutinam ſcilicet veri, meridianam æſtati, veſpertinam autumno, canticinium ſeu noctem mediam hyemi, proportionatas eſſe ſentimus : in quibus etiam congeneres humores magis moueri ac dominari creduntur.

Atque hæc eſt anni temporum & dierum ratio, cui omnes conſentiunt. Quamuis enim Hippocrates *in Aphoriſmis* multos, eoſque pernicioſos morbos recenſeat, qui veris tempore ſolent contingere, non tamen ideo ſalubritas illius tollitur : quoniam hoc per accidens in corporibus cacochymis contingit, per hyemem magnam prauorum ſuccorum copiam coaceruantibus : quæ ſuccedente veris tepore funditur, & aliquando putreſcit, ſicque in illis malas diſpoſitiones infert. Salubria autem & bene conſtituta corpora nihil eſt quod magis conſeruet, & in propriâ retineat temperie, quam veris tempus, illis ſimillimum. Quod verò Galenus *lib. 2. de temperamentis*, digladiatur aduerſus eos, qui ver calidum & humidum faciunt : illud tantum intelligendum eſt de exceſſu & magnâ exuperantiâ iſtarum qualitatum, quam veri nullo modo competere poſſe oſtendit : earum tamen æquabilitatem & moderantiam ad componendum ſtatum illum εὐκρατον & ſaluberrimum cum Hippocrate admittit.

Verum cum hæc dicantur ratione poſitionis noſtræ in orbe, quæ eſt citra Æquatorem verſus boream : ideo Medici præter illam anni conſiderationem reſpectu noſtri, quæ in aliis mundi partibus alia eſſe poteſt : contemplantur etiam varias regiones, climata, terrarum, vrbium, & locorum tractus, in quibus ſenſibilis fit temperamentorum iſtorum varietas & mutatio. Sic mundum ſecundum eius cardines in quatuor primas regiones diuidunt, à quibus etiam quatuor potentiſſimi venti ad aëris qualitates mutandas, profieiſcuntur : Orientalem ſcilicet calidam ſiccamque, vnde eurus : occiduam frigidam ſiccamque, vnde zephyrus : ſeptentrionalem frigidam humidamque, vnde aquilo : & meridionalem calidam humidamque, vnde auſter perflat. Quamuis hæc aliquando mutentur pro varietate locorum, per quæ eiuſmodi venti tranſeunt : Vnde in Africâ auſter frigidior, nobis calidior apparet : Sed hæc ſunt intelligenda pro ſitu orbis generali. Præterea ex ſententiâ Aſtrologorum, qui quartam hanc terræ partem cuius ſumus incolæ, in ſeptem climata diuidunt : inter illa quartum & quintum temperata exiſtimant, reliqua verò intemperata, & minus habitationi hominum accommodata. Item in vno eodemque climate ſpectant Regiones, Vrbes, Domus, & alia loca, vtpote montoſa, & edita, ſeptentrionique expoſita, velut frigidiora : demiſſiora autem, concaua, & in vallibus poſita, & ad meridiem vergentia, calidiora & inſalubria : veluti paludibus, mari, fluminibus proxima, humidiora : ſalebroſis verò, & aſperis locis aut ſabuloſis vicina, ſicciora, ſi ventis bene perflentur : ea autem maximè ad temperiem accedere, quæ inter occidentem & ſeptentrionem ſita, neque edita, neque depreſſa ſunt, ſed in æquali planitie vel patentiore quodam tumulo collocata. Quæ cum accuratè ab Aſtrologis, Coſmographis & Hippocrate ſint explicata *lib. de aëre, aquis & locis*, nos his contenti erimus pro phyſiologicâ temperamentorum tractatione : quod enim ſpectat ad partium corporis & humorum temperamenta illa, ſuis locis proponentur. Nunc igitur ad partium tractationem accedamus.

CAPVT III.

De Partibus.

VID SIT PARS. Triplicem fieri poſſe rei alicuius diuiſionem tradunt Philoſophi : quarum vna eſt in partes eſſentiales, vt generis in ſuas ſpecies, compoſiti in materiam & formam : altera in potentias ſeu virtutes ſuas : tertia in partes quantitatiuas & integrantes. Nos igitur, qui hominis naturam ſuſcepimus explorandam, & quaſi per partes explicandam, cum prius partes illius

Digitized by Google

illius ſecundum ſpeciem minimas & indiuiſibiles, velut materiam, propoſuerimus: nunc inſtare videtur, vt de partibus eis, quæ magis ſunt ſenſibiles, & verè integrantes, breuiter agamus, demum illius potentias & virtutes conſideraturi, quando animæ facultates & functiones explicabimus.

Pars igitur, Græcis μέρος, nomen eſt multis rebus commune, & quod in relatione poſitum eſt; quippe pars, vt docet Gal. *lib.* 1. *Method.* totius integrique pars dicitur: quemadmodum totum & integrum per relationem ad partes & particulas nominatur: vnde Ariſtoteles *lib.* 1. *Phyſicor.* dicit *partes eſſe eas in quas cum inſint, totum diuiditur.* Simpliciſſima igitur & generalis hæc partis ſignificatio complectitur eam, quam Medicus proprie conſiderat, cuius diſtinctionem apud Hippocratem aliquando reperire eſt, inter μέρος ſcilicet & μόριον, hoc eſt, partem & particulam: μέρος enim figuratum membrum præcipuè deſignare videtur, dum ὁλομέρειαν totius corporis ſtructuram, & ex diuerſis partibus compagem appellat: aliquando hæc nomina confundit. Itaque cum homo à Medicis variâ & multiplici ratione velut totum ſpectetur, hinc variæ partis definitiones & non paucæ controuerſiæ. Idem enim Hippocrates habito reſpectu eorum omnium quæ in humano corpore inſunt, & ſine quibus ſubſiſtere non poteſt, diuiſit hominis corpus in *continentia*, *contenta*, *& impellentia* ſeu *impetum facientia*, ipſos ſcilicet ſpiritus, humores ac partes ſolidas intelligens, nihil denique excipiens, quod ad vitam hominis conſtituendam conſeruandamque neceſſarium videbatur, & ipſemet Galenus explicat. Sic Ariſtoteles *lib. de partibus animalium*, conſiderans animal ſecundum ſpeciem, quatenus diuerſas debuit habere partes ad propriam naturam, & diſtinctam ab aliis ſpeciem conſtituendam, omnia illa partes vocauit, ſanguinem videlicet, ſeuum, adipem, pilos, vngues, & cornua, & cætera huiuſmodi, quibus variè prædita ſunt animalia. Galenus verò partem ita definire videtur, vt figuræ potius ſeu formæ illius accidentariæ rationem habeat quam materiæ, vnde *lib.* 1. *de vſu partium*, vult membrum corporis eſſe, *quod non habet ſuam vndiquaque* περιγραφὴν *circumſcriptionem, neque omnino coniunctum eſt.* Quod ſolis tantum partibus organicis conuenire poteſt, quandiu in corpore ſunt; nam & ſuam habent propriam circumſcriptionem, & toti coniunguntur: ſimilares verò quatenus tales, neque circumſcribuntur propriè, nec toti coniunguntur, niſi interuentu inſtrumenti ipſius. Et *lib.* 1. *de locis affectis*, vult *locum*, & *partem* idem eſſe, vbi pars affecta potiſſimùm organica inueſtiganda exponitur. Auicenna contrà *lib.* 1. *ſui canonis*, partem ſeu membrum ita definit, vt ſimilares tantum & ſimplices partes ſua definitione complecti videatur, dum ait, membra eſſe corpora, quæ ex primâ humorum generantur mixtione, quemadmodum humores ſunt corpora, quæ ex primâ ciborum commixtione fiunt. At inſtrumentariæ partes non tam ex primâ humorum commixtione, quàm ex ipſarum ſimilarium compoſitione conſtituuntur. Fernelius verò *lib.* 2. *ſuæ Phyſiolog.* non incommodè partem definiuiſſe videtur habito corporis viuentis reſpectu, & vt eſt proprium morbi ac ſanitatis ſubiectum, tum etiam quatenus facit ad functionem in corpore exercendam, dum vult partem eſſe *corpus toti coherens, communique vitâ coniunctum, & ad illius functiones vſumue comparatum.* Dicit eſſe *corpus*, quia oportet partem eiuſdem eſſe rationis cum toto, vt ſi totum ſit ſubſtantia, illa etiam ſubſtantiæ nomen retineat. Dicit eſſe *toti coherens*, vt fluxos fluenteſque ſpiritus ac humores è partium numero excludat. Vnde Galenus *lib.* 1. *de vſu partium*, vult membrum circumſcriptionem habere, ſed non omni ex parte, quia adhæret per vnionem. Addit *communi vitâ coniunctum*, quia omnis pars corporis noſtri viuentis debet propriè nutriri & augeri, & ſic pilos, vngues, medullam, adipem, & ſimilia, quæ per appoſitionem tantum incrementum capiunt, excludit. *Ad functionem vſumue comparatum*, vt expungantur à partis definitione omnes tumores præter naturam, calli verrucæ, & ſimilia, quæ actionibus potius impedimentum, quam iuuamentum adferunt. Denique illam functionem intelligit determinatam & propriam, quæ ſpectat potiſſimùm ad partes organicas. Hanc igitur, vt noſtro huic inſtituto conuenientem, definitionem retineamus.

Pars similaris et dissimilaris. Ex humorum commixtione primas corporis noſtri partes generari ex Auicennâ dicebamus. Et quidem quæcunque ex ſimplici hac generatione exurgunt partes, meritò ſimplices, ſimilares & primigeniæ appellantur, ex quibus aliæ componuntur multiplici ratione, ideóque compoſitæ, diſſimilares & ſecundariæ iure merito dicuntur. Atque hæc eſt prima partium corporis noſtri differentia, reſpectu materiæ ex quâ fiunt; optime enim ſimplici com-

poſitum, ſimilari diſſimilare, primigenio ſecundarium opponitur. Eſt & alia differentia, qua partes quædam inſtrumentariæ, officiales, & organicæ dicuntur per excellentiam, & opponuntur non organicis ſiue particulis, quæ actiones ſuas temperamento potius, quam certæ figuræ, magnitudini aut conformationi acceptas referunt, quarum omnium ratio explicanda eſt. Similaris igitur pars ὁμοιομερὴς dicta, ſic definitur à Galeno *lib.* 1. *meth. Homogenea*, inquit, *ſeu ſimilaris pars eſt, quæ vndique in ſimiles particulas diuiditur, veluti in oculo vitreus humor & cryſtallinus & propria tunicarum ſubſtantia. Libro verò* 8. *de decretis*; vbi vides Platonem quidem & Ariſtotelem, non autem Hippocratem iſtarum partium ſeu corporum ſimplicium meminiſſe, ſic illas definit, quæ omnes partes tum ſibi mutuo, tum toti ſimiles habent. At vulgata hodie partis ſimilaris & diſſimilaris definitio ex Auicenna repetitur. *Partes*, inquit, *ſimilares ſunt, quarum quamcunque ſenſibilem partem aſſumpſeris, in nomine & definitione erit toti communicans, ſicut caro in ſuis partibus, & neruus in ſuis partibus, & hu ſimilia.*

Compoſitæ verò ſeu diſſimilares ſunt, addit Auicenna, *quarum quamcunque acceperis partem, in nomine & definitione toti communicans non erit, ſicut manus & facies; pars enim faciei non eſt facies, neque pars manus eſt manus.* Hæc definitio partis ſimilaris multas interim dubitationes patitur. Cum enim ipſemet Auicenna inter partes ſimilares venas, arterias, & neruos enumeret: non videntur tamen partes diſſecti nerui, venæ, & arteriæ, nomen & definitionem totius retinere. Verbi gratia, dicit ille, neruum eſſe partem ſimilarem albam, à cerebro vel ſpinali medullâ ortam, ad motum ſenſúmque toti corpori communicandum, comparatam: at hoc minimis neruorum particulis conuenire nequit, vtpote quia vſum aut actionem illam corpori præſtare non valent. Adde quod ſi nerui ſubſtantiam accuratius ſpectes, illa ex medullosâ quadam materiâ interiori & membranis externis inuoluentibus compoſita eſt. Dicendum itaque in partis ſimilaris ac diſſimilaris deſcriptione, Galenum & Auicennam ſolam ſpectare materiam, non figuram aut vſum toti corpori communem, ac proinde ſimilares opponere diſſimilaribus, non ratione figuræ, ſed materiæ tantum, ex quâ componuntur, prout in ſimilari vnica eſt & ſimplex, in diſſimilari verò varia & multiplex. Itaque ſi hoc modo neruum conſideres, ſimilaris pars dici poterit, vtpote qui per totam ſuam continuitatem conſimilem materiam & ſubſtantiam ſenſui repræſentet. Illa autem accuratior diſtinctio nerui in membranam & corpus medulloſum, quamuis admittenda ſit, non tollit tamen paritatem ſuæ naturæ & ſubſtantiæ, quæ homogenea ſenſibus apparet, & talis à Medico dici poteſt.

Cum igitur partes ſimilares vniformem & ſimilem debeant habere materiam ad ſenſum, videamus quæ & quot in corpore hominis talem ſortitæ ſint: reliquæ enim omnes, præter has, diſſimilares, & compoſitæ erunt. Ariſtoteles partes ſimilares diuidit in molles ſiue humidas, & ſiccas ſeu calidas. Inter molles enumerat ſanguinem, ſaniem, adipem, ſeuum, medullam, ſemen, fel, lac, carnem, pituitam, excrementáque omnia. Inter ſiccas verò neruum, cutem, venam, pilum, os, cartilaginem, ligamentum, vngues, pilos, adipem, neruum, cerebrum, carnem, fibras, membranas. *Libro* autem *de differentiis morborum* addit venam & arteriam, quas tamen aliàs ſæpius compoſitas eſſe aſſerit ex fibris & membranis. Vnde videre eſt quanta ſit in eis diſcrepantia, quæ tamen facile conciliabitur ex præmiſſis à nobis diſtinctionibus. Quod enim Ariſtoteles ea omnia inter partes ſimilares enumerat, quæ tamen partes corporis viuentis dici non poſſunt, inde factum eſt vt diximus, quia in illis libris conſiderat partes omnes, quæ animalis cuiuſque ſpeciem conſtituunt, quod ipſemet innuit *lib.* 2 *de partibus*, cum vult veras corporis partes ex ſanguine componi. Et Galenus idem docet, dum omnem partem corporis viuentis vult quatuor ſaltem virtutibus eſſe præditam, quas naturales vocamus. Quod verò Galenus aliquando cerebrum, lienem, veſicam, vterum, hepar & ſimiles partes ſimilares vocet, id non fit reſpectu totius, ſed præcipuæ partis, cuius vi functiones illarum potiſſimum exercentur, vt parenchymatis in hepate, medullæ in cerebro, tunicarum in ventriculo, & ſic de reliquis. Sic etiam vocat tendinem, arteriam, venam modo ſimilares partes, reſpectu temperamenti & ſubſtantiæ conſimilis qua prædiræ ſunt ad ſenſum; modo diſſimilares, dum ſubtiliorem illam compoſitionem rimatur, vt iam diximus.

Nos itaque ex variis Galeni locis, numerum partium iſtarum ſimilarium denarium eſſe reperimus, & tales eſſe putamus os, cartilaginem, ligamentum, membranam, tendinem, neruum, ſub quo ſpinalis medulla continetur; arterias, venas,

carnem,

Digitized by Google

carnem, ſub quâ glandes, parenchymata, & muſculoſa ſubſtantia, cutem. Quibus addere potes pilos, vngues, adipem, oſſium medullam, ſpiritus & humores, ſi quidquid corpus conſtituit inter partes referre velis. Has igitur partes ſimilares numero decem ſolet Galenus in ſolidas & carnoſas diuidere, atque in ſpermaticas & ſanguineas: nam *lib.* 11. *meth* ſolidas dici vult, propterea quod firmitatem maximam & ſtabilitatem habeant: ita vt quantitas earum ſemper eadem remaneat, numero quidem in iis quæ adhuc augentur, in aliis verò quæ abſolutæ iam ſunt, etiam magnitudine. Carnoſas verò illis opponit, propterea quod minimè ſolidæ & firmæ ſint, ſed perpetuam magnitudinis ſuæ, & quantitatis varietatem ſuſcipiunt. Spermatica autem ſanguineis opponit, non ſolum ratione materiæ ex qua fiunt, ſed etiam temperamenti quo præditæ ſunt, cum ſpermaticas frigidas ſiccas, ſanguineas calidas humidáſque eſſe cenſeat. Primam quidem diuiſionem partium ſimilarium in ſolidas & carnoſas, omnes facilè admittunt: at ſecundam, qua vult Galenus alias ſpermaticas veluti ex ſemine profectas, alias verò ſanguineas dici, non recipiunt, oſtendúntque partes omnes ex ſanguine fieri, nullas ex ſemine. Qua de re peculiariter agemus, quando hominis conformationem, & partium omnium in vtero generationem perluſtrabimus. Nunc autem ſufficiat annotare partes iſtas ſimilares recte à Galeno in ſpermaticas & ſanguineas eſſe diuiſas, ſiue ſemen propinqua earum fuerit materia, ſiue ſanguis excoctus & elaboratus in feminis formam. Cui noſtræ ſententiæ conſentire videtur ipſemet Galenus *comment. in lib.* 1 *de naturâ humanâ. Pleraſque*, inquit, *corporis noſtri partes ex ſemine apertum eſt fieri, cum ſola carnoſa ex ſanguine fingantur. At quatenus ſemen in parvâ eſt mole, in vterum coniectum, nutrit autem iſtud & amplificat ſanguis, eatenus corporis partes ex ſanguine propè fieri dixeris.* Atque hæc ſit ſimilarium partium materia; forma verò illarum ſubſtantialis, per quam ſcilicet viuunt actionéſque exercent, eſt ipſa anima: accidentaria vero, per quam ſcilicet inter ſe diſtinguuntur & certo modo operantur, vnde nomen particulare ſortitæ ſunt, eſt ipſum temperamentum, cum ſuis primis & ſecundis qualitatibus. Quod cum ſit in totâ parte ſimilari idem, fit vt illa actio inſita & vernacula ſimplicibus partibus, quæ propriè naturalis dicitur, à temperie inchoetur, ab eadem perficiatur, & à qualibet partis particulâ, integra & perfectâ edatur, quod organicis contingere non poteſt, vt iam videbimus.

PARTES ORGANICÆ. De ſimilari ergo diſſimilariſque parte ſit dictum ſatis, quæ quidem appellationes, materiam tantum & eius diuerſitatem reſpiciunt. At organicæ ſeu inſtrumentariæ nomen ſpectat potiſſimum formam illam externam ſiue figuram, cuius varietas tantam corpori pulchritudinem & commoditatem affert. Vnde partem organicam definiunt aliqui *ex lib.* 1 *de elementis*, quæ ex ſimilaribus compoſita ad vnam operationem certam & ab aliis diſtinctam à natura eſt facta, & ex Ariſtotele 1. *de hiſtoriâ animal.* vbi vult inſtrumenta eſſe partes compoſitas. Itaque ſiue membrum aut ſecundariò genitam partem dicas, nihil differre putant multi, propterea quod nulla ſit pars organica, quæ non reipſa pluribus conſtet & diuerſis ſubſtantiis ſiue particulis, quamuis contrarium ſenſui appareat. Sed falluntur illi, quoniam ratio figuræ ſeu conformationis non includit neceſſariò diuerſitatem materiæ, ſed in vna eadémque ſubſiſtere poteſt vis naturæ, quemadmodum artificis opera, gladius, ſecuris, aut ſcamnum non ſolum ex diuerſâ materiâ, ſed etiam ex ſolo ferro, & ligno fieri poſſunt. Itaque ſimilaris pars organicæ non opponitur ratione materiæ, ſed actionis tantum, quæ ſequitur propria & determinata inſtrumenta, & exercetur in nobis beneficio illorum conformationis. Non obſtat igitur, quod illi obiiciebant, nullam eſſe partem organicam, quæ reipſa ex diſſimilari ſubſtantiâ non conſtet, quamuis contrarium ſenſu appareat: tota enim iſtarum ſimilarium diſſimilariúmque partium differentia ſit ad ſenſum potius quam accuratam rationis normam. Quod verò Galenus ſæpiſſimè inſtrumentariam pro diſſimilari vſurpet, id fit, quia pauciſſimæ ſunt partes organicæ, quæ ex vnicâ ſimilari conſtent: plures verò quæ ex variis ſimilaribus componuntur.

Dicamus igitur partem organicam eſſe ſecundum aſſignatam à Galeno definitionem, quæ ſibi propriam ſiue determinatam, vniuerſo verò corpori communem edit actionem, ſiue ex vnâ, ſiue ex pluribus partibus ſimilaribus ſit compoſita. Forma itaque illius, quæ ex vnica ſimilari conſtat, poſita eſt in conformatione & iuſtâ magnitudine: illius verò, quæ ex pluribus præter conformationem & magnitudinem in numero conſiſtit. Vt enim domum tunc bene conſtructam dicimus, & appoſitè ad habitandum fabricatam, quando ſubiecta in illa materia ſecundum varias

partes

partes, debitam obtinet conformationem, magnitudinem, numerum & connexum inter illas: ſic etiam partem organicam, ac proinde totum corpus, iſtis prædita eſſe debent, vt principem actionem ad quam aptum natũ eſt, vi & concurſu ſuarũ partium edere poſſit. Rurſus quemadmodum ex ſtructurâ & coagmentatione partium domus, aliæ aliis principaliores dignioréſq; ad habitandum cenſentur; ſic in organi compoſitione varia partium genera obſeruantur, quarum primæ, præcipuæ, & principales dicuntur: ſecundæ ſine quibus non; tertiæ per quas melius: quartæ conſeruantes. Verbi gratia in oculo prima dicitur pars cryſtallinus humor, vtpote qui ſolus colorum ſpecies & cætera viſilia excipiat. Vitreus verò & albugineus humor, necnon opticus neruus, dicuntur partes ſine quibus non poteſt fieri viſio: Tunicæ verò oculum inuoluentes & muſculi eundem mouentes, dicuntur partes cum quibus melius illa exercetur. Denique interior illa orbita, palpebræ & circumiectæ partes dicuntur conſeruantes ipſum oculum & eius actionem. Et ſic de reliquis.

Quemadmodum igitur in vno eodémque organo variæ conſiderantur partes, ſic etiam rurſus iſtæ partes organicæ, prout ſunt magis vel minus compoſitæ, & à præcipuâ actione magis vel minus remotæ, ita etiam in quatuor ordines diſtinguuntur. Primi enim ordinis ſunt, quæcunque ex ſimilaribus partibus vnius & ſimpliciſſimæ operationis gratia ſunt compoſitæ, vt muſculus, vena, arteria, neruus & ſimilia. Secundi verò ordinis quæ ex pluribus iſtarum rurſus componuntur, & iam totius inſtrumenti actioni quodammodo deſeruiunt, vt digitus. Tertij autem, quæ actioni iam propinquiores, illam quodammodo exercere valent, vt pes & externa manus. Quarti denique, quæ totum ipſum organum ambulationi, vel apprehenſioni dicatum conſtituunt, vt crus, manus integra & ſimiles. Integra etiam iſta organa, prout maiorem dignioremue obtinent locum in corpore, & ad vitam magis vel minus ſunt neceſſaria, diuiduntur in partes nobiles, & ignobiles, principes & miniſtrantes, neceſſarias abſolutè & ſecundum quid. Ignobiles cenſentur eæ quæ ſibi ſolis & priuatim viuunt. Nobiles verò, quæ publico funguntur officio, ac toti corpori facultatem quamdam, vel ſaltem neceſſariam materiam largiuntur. Vnde extat celebris illa apud Galenum partium diuiſio quadrimembris, in eas ſcilicet, quæ regunt & non reguntur, quæ regunt & reguntur, quæ nec regunt nec reguntur, quæ reguntur & non regunt. Eas quæ regunt & non reguntur vocat principes ſimpliciter, quatuor ſcilicet facultatum in corpore quaſi fontes, vt cerebrum, cor, iecur, & teſtes. Quæ regunt & reguntur, eas quæ quamuis operam toti communem præſtent, à principiis tamen vim iſtam mutuantur, vt ſunt ventriculus, lien, pulmones, & ſimiles. Quæ nec regunt nec reguntur, quæ innatam tantùm habent facultatem, vt os, ligamentum, caro. Quæ verò reguntur & non regunt, quæ partibus principibus miniſtrant & auxiliantur, vt iecori venæ, cordi arteriæ, cerebro nerui, teſtibus vaſa ſpermatica. Atque hæc de partium diuiſionibus ſufficiunt. Nunc ad temperamenta illarum indaganda veniamus.

TEMPERAMENTVM PARTIVM. Inæqualem eſſe & diuerſam partium corporis noſtri temperiem, vt & figuram neceſſum fuit ad tam varias & diſcrepantes actiones obeundas. Vnde aliæ aliis frigidiores, calidiores, ſicciores, humidioreſue dicuntur, vt duriores, molliores, laxiores, denſioréſque ipſius tactus ac rationis iudicio deprehenduntur. Harum itaque tam ſimilarium quam diſſimilarium temperamenta breuiter tradituri, à ſimilaribus & ſimplicibus exordimur, vt ex illarum temperie cognita, diſſimilarium & compoſitarum ratio pateat facilius. Videndum ergo imprimis, an partes ſpermaticæ frigidiores ſicciorésque carnoſis ſiue ſanguineis ſint exiſtimandæ. Ex huius enim quæſtionis ſolutione, velut fundamento & principio medico, omnium partium temperamenta deinceps iudicantur.

Supponamus igitur, quod poſtea probaturi ſumus, alias quidem corporis noſtri partes ex ſeminis materiâ; alias verò ex ſanguine produci. Inde enim ſequitur partes redolere temperiem & naturam illius materiæ ex quâ proximè conſtitutæ ſunt; & generationis modum. Proinde cum ſemen ipſum duarum præcipuè ſit partium, & vnius quidem ſpirituoſæ & tenuis: alterius verò, quæ craſſamentum dicitur, aquoſæ & viſcidæ, in teſtibus glanduloſis ſcilicet & ipſo hepate frigidioribus confectæ. Ideo membra illa, quæ ex ſeminali hac materiâ, vel ſanguine diutius concocto & dealbato ſuam corpulentiam acceperunt in vtero, probabile eſt non ex tenui illâ & ſpirituoſâ ſubſtantiâ, in quâ ſpiritus rector & facultas formatrix poſitæ erant, confecta fuiſſe: ſed ex illo craſſamento viſcido & aquoſo, quod erat ſpiritui velut ſubſtrata materia ad generandas partes, vt illarum durities, natiua ſoliditas & craſſities

ſatis

ſatis atteſtantur. Ergo partes illæ materiam habuerunt frigidiorem ſicciorémque ob ipſum generationis modum. Nam ex illâ longâ coctione & elaborationè, quæ in illis requiritur, vaneſcentibus ſpiritibus & humido tenuiore, remanet velut μάγμα & craſſamentum quoddam materiæ, velut in rebus externis diutius igni expoſitis & excoctis, donec ſoliditatem acquirant & firmitudinem, ſatis apparet. Inde partes iſtæ Hippocrati & Galeno cæteriſque Medicis exangues dicuntur, non quod omnino ſanguine careant, aut quod ex illo non nutriantur aut generentur, ſed quia is per diuturnam illam concoctionem mutat omnino naturam ſuam & temperiem, fitque ex humido ſiccus, ex calido frigidus, ex rubro albus, vt nullæ illius amplius notæ in eiuſmodi partibus appareant. Imo plurimæ earum non immediatè à ſanguine nutriuntur, ſed per medullam iam incraſſatam, & ad oſſium quodammodo naturam accedentem. Item ſagax ac prudens natura, ne eiuſmodi partes ab externo frigore illis maximè infenſo læderentur, multis teguminibus & quaſi carnoſis operuit velamentis, quæ eiuſmodi iniuriam propulſarent. Hinc *Aphoriſm.* 18. *ſect.* 5. frigidum inimicum oſſibus, dentibus, neruis, cerebro, ſpinali medullæ & ſimilibus dicitur: calidum verò vtile; *Nam quæcunque*, inquit Galenus, *partes naturæ ſuâ frigidiores & exangues ſunt, citius ac magis ab immodico frigidi vſu offenduntur: quemadmodum calidiores, vt cor, pulmones, & ſimiles illius appulſu gaudent & recreantur.* Ex his conuincitur, partes omnes ſpermaticas ſiue exangues, frigidiores eſſe ſicciorésque, reſpectu habito ad medium temperatum, nempe cutem; carnoſas verò ſiue ſanguineas calidiores humidiorésque. Sunt tamẽ aliqui, quibus hæc Medicorum placita de temperamento ſimilarium partium non arrident. Quamuis enim in paſſiuis concedant partes ſpermaticas ficciores eſſe, quod natiua earum duities apertè teſtatur, non ex congelante frigore, aut materiâ replente, ſed calore exſiccante exorta. De actiuis tamen contrarium ſentiunt, nempe partes iſtas calidiores eſſe multo ipſis carnoſis, & rationes iam à nobis adductas in noſmetipſos retorquere conantur. Similia, inquiunt illi, ſimilibus gaudent & conſeruantur in latitudine ſanitatis. Cum igitur oſſa, nerui & cætera calido gaudeant & conſeruentur, ſequitur falſum eſſe quod concludebat Galenus, partes iſtas eſſe frigidas, imo potius calidas, quæ læduntur à frigore, velut contrario. Præterea natura prudens & ſagax, vt dictum eſt, condidit iſtas partes & texit diligenter, non, ne à frigore ſibi oppoſito læderentur, ſed vt vis caloris natiui, illis potiſſimum inſita, curiosè ſeruaretur. An non actiones omnes fere, vi & operâ eiuſmodi partium perficiuntur, vt ventriculi chylificatio, vteri fœtus productio, puris confectio, villorum & fibrarum, ſpirituum animalium elaboratio, cerebri, ſenſus & motus neruorum operâ, partium exanguium & ſpermaticarum, quæ non frigori, ſed potius calori eique præpotenti ſunt adſcribendæ? Deinde cum orta atteſtentur ſuis principiis, cur partes iſtæ, quas Medici ex ſemine fieri contendunt, non erunt calidiores carnoſis & ex ſanguine genitis? Ipſa vero nutritio idem docet, cum partes iſtæ vt plurimum medullâ oleosâ & pingui aut tenuiore ſanguine, quo interiores illarum meatus peruadere poſſit, reficiantur, carnoſæ verò ſanguine crudo & minus elaborato.

Nos itaque, vt hiſce obiectionibus ſatisfaciamus, dicimus primo ad illud axioma, ſimilia ſimilibus conſeruari, verum quidem eſſe, quoties temperata ſunt vtrinque & in eodem gradu poſita, vt docet elegantèr Galenus: ſin verò ad exceſſum & intemperiem inclinent, potius lædi quam iuuari. Vnde illa conſeruatio in intemperatis fit potius modico contrarij vſu, quam ſimili: nam verbi gratia bilioſos calidioribus alimentis aut aëre in febrilem exceſſum facile trahi videmus, refrigerantibus autem temperari & ad mediocritatem reduci. Sic in partibus corporis noſtri, quæcunque paululum excedunt verſus vnam qualitatem, ab eadem, ſi exuperarit, facilius afficiuntur, quam à contrariâ, cuius ſtatui ſunt magis oppoſitæ. Bene igitur Hippocrates & Galenus dixerunt à frigido externo partes illas ſpermaticas facilius lædi, quia facile deiiciuntur in frigidam conſtitutionem illis conſimilem, quam calida ſolent impedire: & ſic eadem de cauſa in feruidioribus corporis noſtri locis collocatæ ſunt, vt baſis & fundamenti inſtar totam illam ſtructuram fulcirent & ſuſtentarent; tum etiam ne tam facilè ab externâ frigoris inclementiâ læderentur, quam facillimè ſuſcipiunt, vti patet in cerebro, neruis & ſimilibus vulneratis & detectis. Actiones verò illæ quas edunt partes ſpermaticæ in

nobis, vt concoctiones & ſimilia, non oſtendunt vim caloris excedentis, ſed imminuti potius, ſi comparentur cum partibus carnoſis, vt in hepate, corde, pulmone, & ſimilibus. Adde quod ob illarum denſitatem contingere aliquando poteſt, vt caliditas intenſior in eis ſentiatur, ſi quidem copioſum eius influxum ſuſcipiant à corde, ſed non proprio inſitoque temperamento, quod nos potiſſimum indagamus. Quod ad ſeminis verò naturam ſpectat, iam dictum eſt, totum ſemen ſi cum ſpiritibus ſuis conſideretur, calidius eſſe ipſo ſanguine. Sed quia partes iſtæ ſpermaticæ non ex ſpirituoſâ illius ſubſtantiâ, ſed aquoſâ potius & terreſtri conficiuntur, ideo frigidiores ſunt partibus carnoſis, quæ ex ſanguine quaſi formam & temperiem retinente, conficiuntur: Orta enim atteſtantur ſuis principiis, ſi quidem non ſunt mutata & elaborata per vim cauſæ efficientis, vt contingit in hiſce partibus: quamuis enim ſemen actu ſit humidum, illæ tamen ſicciſſimæ & duriſſimæ euadunt.

Demum nutritio partium iſtarum fit ex conſimili alimento, nempe ſanguine craſſiore & quaſi mucoſo, vt patet in cerebro, neruis, ventriculo & ſimilibus. In oſſibus autem quia natura non poterat generare propagines venarum in duriorem ſubſtantiam & diſpergere, ideo per quoddam medium, nempe medullam in cauitatibus eorum retentam, illa nutrire voluit, cuius craſſior & oſſi ſimilior portio ſenſim & conuenienter attrahitur, remanente tenuiore, & pinguiore ad irrigandam eorum ſubſtantiam, temperandámque tum ſiccitatem, tum frigiditatem. Sit igitur firmum & ratum, bene traditam fuiſſe à maioribus noſtris temperiem partium ſpermaticarum & ſanguinearum, ad quarum particularius examen iam deſcendimus.

PECVLIARE SIMILARIVM PARTIVM TEMPERAMENTVM. Cum igitur inter partes ad ſenſum ſimilares, alias quidem calidas humidas; alias verò frigidas ſiccas ſtatuerimus, plus minus id omne intelligendum eſt, relatione factâ ad partem quamdam temperatam, quæ ſit aliarum omnium veluti medium & regula. Hanc autem partem oſtendimus eſſe ipſam cutem. Quamuis enim laxiorem, denſiorem, molliorem, duriorem, humidiorem aut ſicciorem dicamus eſſe ipſam aliquando cutem, vt eſt *in libr. de elementis*; hoc tamen non fit reſpectu aliarum partium, ſed comparatione ad ſeipſam, accidente aliquo externo immutatam, vel in variis individuis conſideratam.

Quod nullo modo impedit, quin temperata in ſua ſpecie reſpectu omnium aliarum partium dicatur: Eſt enim cutis Galeno neruus quidam ſanguineus, per totum corporis habitum exteriorem diffuſus, vt ibi tactilia externa ad conſeruationem animantis exquiſitè percipiat. Cum igitur in illius conſtitutione aqualis ſit miſcella ſpermaticæ partis & carnoſæ, ſequitur & æquabile eſſe & moderatum illius temperamentum inter omnes partes. Sic Hippocrates *lib. de humidorum vſu*; *Exterior*, inquit, *cutis pars* (quaſi dicat cuticulam, quam nos epidermida appellamus) *continua eſt ſibi ipſi & νεύρῳ ἰνώδει neruo ſanguineo*, quaſi dicat veræ cuti, quæ ex æquis neruoſæ & ſanguineæ materiæ partibus conflata hoc nomen apud Hippocratem meruit, cui *διέρμα* ſiue cutis proxime adhæret, eſtque eius velut recrementum aëris occurſu refrigeratum *lib. de carnibus*, ac proinde inſenſibilis & *ἀναισθητὴ* exiſtens.

Caro autem & carnoſæ partes ſanguineæ à Galeno dictæ, calidæ humidæ poſitæ: iam ſunt à nobis, ſed magis tamen aut minus, prout ſanguis ex quo illæ conſtitutæ ſunt & nutriuntur, varius eſt & multiplex. Carnis autem lata eſt & anguſta ſignificatio. Propriè caro apud Galenum eſt pars corporis noſtri ſimilaris, mollis & rubicunda, ex ſanguine primâ alteratione genita, quæ muſculorum fibras complectitur, illaſque fulcit & implet. At latè ſumpta caro genus eſt ad ſubſtantiam verè carnoſam, glanduloſam & viſceroſam. Continet enim muſculorum carnem, & eam quæ in glandibus eſt & viſceribus, quam Herophilus *παρέγχυμα* appellabat. Sic ſumpta caro maximam corporis noſtri partem conſtituit, vnde Hippocrates *lib. de locis in homine*, corpus in tres præcipuas partes diuidit, caput, ventres & carnes. Et *lib. de naturâ pueri κάρνα* ſumit pro omni corporeâ maſsâ, quæ ex ſemine ac menſtruo ſanguine primum fit à facultate formatrice, deinde dearticulatur. Hæc igitur caro muſculoſa, glanduloſa & viſceroſa, cum ex ſanguine leuiter alterato fiat, qualitates illius, non ſolum primarias, ſed etiam ſecundarias imitabitur. Atque vt muſculoſa caro, quæ propriè à calido & humido fit apud Hippocratem *lib. de carnibus*, vbique fere ſibi ſimilis eſt,

Digitized by Google

eſt, ſic multum differunt inter ſe glanduloſa & viſceroſa. Alia enim eſt ſubſtantiæ illius ſanguineæ ratio in glandibus, teſtium, mammarum, inguinum, alarum & ſimilium: alia etiam in parenchymate hepatis, lienis, cordis, pulmonis, & ſimilium, prout varia fuit affuſi ſanguinis ſubſtantia & modus, cum tamen omnes in caloris humiditatiſque dominio reſpectu ſpermaticarum partium poſitæ conſtitutæque ſint.

Reliquæ partes ſimilares, vt os, cartilago, ligamentum, tendo, membrana, neruus, vena & arteria, vt ſpermaticæ ſunt, ſic etiam frigidæ ſiccæque exiſtimandæ, illaſque partes diſſimilares, quarum compoſitionem ingrediuntur, in ſuam naturam & temperamenti ſimilitudinem trahunt; quidquid dicat Auicenna de venarum & arteriarum calore; cum enim ex fibroſis membranoſiſque partibus vndique & ſimiliter conſtitutæ ſint, non poſſunt dici calidæ ob ſanguinem & ſpiritum, quem in cauitatibus ſuis, vaſis inſtar, continent; ſed ex propriâ ſuâ compoſitione, ratio temperamenti in eis vt in aliis reddenda.

De neruis etiam ſubeſt aliqua difficultas ex contextu Galeni *lib.* 1. *de temperamentis*, vbi videtur neruos molliores in oppoſitione humidi & ſicci temperatos facere. Quidam exiſtimant locum illum Galeni corruptum, atque ita reſtituendum, vt velit neruos ſenſionis, vt ſunt cute molliores, ita etiam humidiores eſſe; duros autem quodammodo ad ipſam cutis temperiem in hac oppoſitione accedere, ſed non in aliâ. Verum in hoc parum laborandum: iſta enim Galeni loca non efficiunt, quin perpetuò partes quæcumque ſpermaticæ ſint frigidiores, ſicciorésque carnoſis, quamuis aliquando in vnâ oppoſitione videantur ad cutis naturam quodammodo accedere.

Pili, vngues, oſſium medullæ, adeps, quæ dicebamus eſſe partes corporis noſtri ſubſtantiam & ſtructuram complentes, habent etiam ſua temperamenta, in exceſſu vnius vel duarum qualitatum poſita. Pilos enim ipſis oſſibus ſicciores probat Auicenna ex materiâ generationis eorum, quæ eſt fumoſa excrementorum exhalatio, pauco humido mixta, & externi frigoris vi concreſcens. Ex eo etiam, quod nulla animantia pilis veſcantur, vt oſſibus aliquid alimentarij habentibus, & quod per diſtillationem maior humiditas ex oſſibus quam ex pilis eliciatur. Vngues etiam ad oſſium naturam proximè accedunt. Medullam propriè dictam quod attinet, quæ vel in oſſium συελίγμασιν quaſi fiſtulis, vel ἀυλίγγοις foraminibus continetur, cum ex ſanguine ortum, materiamque ducat, qui in cauitatibus oſſium concoquitur & elaboratur, certum eſt eam ortus ſui naturam & temperiem ſapere: vnde etiam ab Hippocrate pinguis & oleoſa vocatur. Quando vero iam multum eſt dealbata, & craſſitiem oſſis æmulam adepta, tunc frigidior ſicciórque euadit. Quod ad pinguedinem autem, adipem, & ſeuum ſpectat, adeps mediam naturam inter vtrumque obtinet. Nam vt pinguedo ex crudiore & magis aquoſo ſanguine, ſic ſeuum ex parte magis terreſtri & ſiccâ; adeps verò ex pingui & oleosâ vi partium membranoſarum concreſcit. Tam igitur pinguedo quam adeps, ſiue ſeuum, etiam frigida humidáque vulgò cenſentur. Sed non parum reſiſtit illa à nobis ſæpe adducta ratio de ſanguinearum partium naturâ, quæ calidæ humidæque exiſtimantur. Etenim ſi adeps materiam ſuæ generationis acceptam referat ſanguini oleoſo, vt plerumque omnes fatentur, & ipſe Hippocrates, dum vult eamdem eſſe materiam ſeminis & adipis: hinc ſequitur adipem caloris potius, quam frigiditatis participem eſſe, præſertim cum illa adipis generatio, quæ frigori adſcribitur, non parum ſit controuerſa, quandoquidem in corde calidiſſimo membro, & in renibus frequentiſſimè reperiatur. In membranis verò cerebri & quam plurimis aliis nuſquam. Quare cum ipſum efficiens adipis vel ſit calor remiſſus aut vehementer reſoluens, non poteſt mutare naturam materialis principij. Quod etiam ex effectis probare licet, quandoquidem omnis adeps apud Galenum calefactoriâ & reſolutoriâ vi præditus eſt. Atque hæc de ſimilarium temperamento.

TEMPERAMENTVM PARTIVM DISSIMILARIVM. Organicarum partium temperamenta poſituri, ea breuiter percurremus ſecundum ordinem facultatum quibus ſubſeruiunt. Animali enim functioni tam principi, quam ſenſificæ & motrici miniſtrant cerebrum, ſpinalis medulla, nerui ſenſorij & motorij muſculi & reliqua ſenſuum externorum organa. De cute quidem, neruis & muſculis inter ſimilares partes ſufficienter egimus: organorum vero externis ſenſibus dicatorum temperamenta, vt oculorum, aurium, narium, linguæ, inquirere ex compoſitionis ratione facillimum eſt. Quamuis enim de oculi temperamento multi dubitent, certum tamen eſt, illum ex tribus præcipuè humoribus, membranis quibuſ-

dam, & neruo optico conſtantem, non poſſe niſi humidum frigidumque cenſeri; quamuis multâ ſpirituum affluentium copiâ ſplendeſcat, & flammeam quaſi naturam participare videatur, quæ tamen illi aduentitia eſt potius quam natiua.

Temperiem autem cerebri ac ſpinalis medullæ variam faciunt Galenus & Ariſtoteles. Vterque quidem humiditatem illis adſcribit, quamuis ſpinalis medulla iam quodammodo ſicceſcat, & in neruoſam naturam degeneret. At de caliditate frigiditateque cerebri ſimul contendunt. Ariſtoteles enim 2. *de part.* cerebrum omnium corporis noſtri partium frigidiſſimum eſſe aſſerit, idque ex tactu & ratione compoſitionis, vtpote quod album ſit & exangue, refrigerando cordi & pulmonibus partibus æſtuoſis, pituitoſarumque fluxionum author præcipuus. Galenus contrà *lib.* 8. *de vſu partium*, hanc Ariſtotelis ſententiam refutans, oſtendit cerebrum non eſſe tactu frigidum, ſed quouis meridiano aëre calidius tangenti apparere. Quæ Galeni contra Ariſtotelem diſputatio eo potiſſimum nomine eſt inſtituta, vt oſtenderet cerebrum, non ignobilem & abiectam eſſe partem, ſed nobiliſſimam, aliarumque veluti principem, cum ratiocinantis animæ ſedes ſit, & ſpirituum animalium officina: atque ideo ſuo abundare calore, tum natiuo, tum eo qui ab aliis partibus, corde potiſſimum & hepate, illi copioſiſſimè ſuppeditatur ad munera ſua exercenda. Sic igitur cerebrum principum animæ facultatum organum, non poteſt eſſe illi frigidum ratione totius temperamenti, aduentitij potiſſimùm, quod ad illius functiones erat neceſſarium. Vnde *lib.* 2. *de temperam. Quomodo*, inquit, *cerebrum erit frigidum, conuerſans cum tantâ copiâ calidorum vaporum, ex omni parte cinctum choroide valde calente ob multiplices arterias, quamuis ratione ipſius ſubſtantiæ cerebri & aliarum partium componentium naturâ ſuâ frigidum dicendum ſit.* Quod Hippocrates eleganter confirmauit *lib. de carnibus. Cerebrum*, ait, *eſt metropolis frigidi & glutinoſi*: Et *lib. de gland. Cerebrum eſt ſimile glandi, album & friabile, maioremque partem fluxionum in externas partes ablegat.* Et alibi, *radicem fere omnium morborum ex cerebro propter humoris illius copiam pendere exiſtimat.* Vnde apparet, ineptam eſſe illorum ſententiam, qui exiſtimant cerebrum eſſe naturâ ſuâ calidum humidumque, vtpote medulloſum: frigidum verò ex accidente, gratiâ vaporum in caluaria concreſcentium, quandoquidem ipſa ſubſtantia cerebri exanguis, & membranæ, quibus intus & extra obuoluitur, contrarium ſuadent. Cerebrum enim & ſpinalis medulla non niſi æquiuocè dicuntur medullæ, vt ipſemet Hippocrates docuit *citato libro. Non eſt*, inquit, *cerebro aut illius productioni proprium nomen medulla, cum ſentiat exquiſitè & membranis inuolutum ſit, & non ſit pingue, aut liquetur inſtar veræ medullæ, quæ nutrit oſſa.* Statuamus igitur cerebrum temperie ſuâ frigidum, quod tamen multa vaporum ſanguinis & ſpirituum copia ad animales functiones neceſſaria incaleſcat. Atque hæc de temperie cerebri. Nunc de partibus vitali facultati miniſtrantibus agamus.

In medio itaque ventre quem thoracem appellamus, vitalis facultas potiſſimum exercetur, ibique multæ ſunt partes, vt membranæ, arteriæ, venæ, nerui, adeps, muſculi, diaphragma, quarum temperamenta aut prius ſunt tradita, aut facile iudicantur, prout ad naturam carnoſarum vel ſpermaticarum partium magis accedunt. Excellunt autem in hac regione cor & pulmo, de quorum temperie controuertitur. *Cor*, inquit Hippocrates *lib. de carnibus, eſt caloris natiui metropolis: ineſt enim plurimum caloris in venis ac corde, & propterea ſpiritum cor habet copioſiſſimum, vtpote quod omnium intra hominem membrorum ſit calidiſſimum.* Hanc Hippocratis ſententiam de cordis caliditate, Ariſtoteles, Galenus, reliquique omnes Philoſophi ac Medici deinceps ſecuti ſunt, ſolo contradicente Auerrhoe, qui ex ratione compoſitionis cor eſſe frigidum contendit, quoniam ex pluribus partibus ſpermaticis compoſitum eſt, vt vena caua, quæ ab hepate proreptat in cor, vena arterioſa, aortæ truncus, arteria venoſa, valuulæ cordis, auriculæ cordis, capſula & adeps illi adhærens; quæ omnia ipſius parenchymati multo præponderant. Verum iſta ratio in eo deficit, quod in recenſendis cordis partibus præcipuam illius partem omittit, nempe parenchyma & humidi illius primigenij copiam, quæ radicaliter in ipſo corde poſita eſſe videtur, cum partes illæ commemoratæ ſint potius adiunctæ & aduentitiæ, quam ipſi cordi propriæ. Vnde facile concludere licet, cor calidum eſſe, tum ratione proprij parenchymatis, quod ſecundum naturam carnoſarum partium, calidum exiſtit, tum etiam multitudine inſiti ſpiritus & ſanguinis ſpirituoſi in eo contenti & generati. Cum ergo credibile non videatur, partem frigidam proprio temperamento, poſſe eſſe fontem ſpirituum, ſanguinis, & caloris omnis influentis; cor certè frigidum non dicemus. Vnde Galenus ſcribit, tantum in ſiniſtro cordis ventriculo

calorem

calorem contineri,vt possit digitum illius exurere,qui eum in recens mactati animantis ventriculum cordis immiserit.

De passiuis etiam cordis qualitatibus dubitatur;nam Auicenna in suo catalogo vult cor esse siccum, ductâ ratione tum ab ipsius parenchmatis duritie, quæ siccitatis est index:tum ab ingenti caliditate,quâ præditum est, exsiccante nimirum & absumente: & quia nutritur sanguine crasso, vt testatur Galenus 6. *de vsupartium*. Hæc verò non impediunt quin cor sit humidius ipsâ cute, iuxta Galeni sententiã,quoniam plurimum calidi innati continet, quod solum in humiditate subsistere potest. Duritiei autem illa non est tanta in corde,quanta in cute,si consideretur à musculis separata. Præditum est quidem cor ingenti calore, non tamen proinde siccescit,ob perennem sanguinis & humoris affluxum quo humectatur & efflorescit. Exteriorque tãtum cordis pars sanguine crassiusculo alitur à vena coronaria, cum interior gaudeat sanguine tenuissimo atque humidissimo, quem habet in suis ventriculis, non solum quantum satis est illi æstuanti in medelam,vt loquitur Hippocrates *lib. de corde*, sed etiam ad irrigandum totum corpus. Quare statuamus, cor membrum omnium corporis nostri ex Hippocrate θερμότατον, ipsáque cute non siccius,sed paulo humidius.

Cordi pulmo est proximus, & quasi custos, thoracis estudinem adimplens, vt inquit Hippocrates, parenchymate præditus mollissimo,rarissimo, spongoide, colore spumanti sanguini simillimo, cuius temperies est inquirenda. *Pulmo*, inquit Hippocrates, *lib. de corde, mihi frigidus videtur, quia & perspiratione refrigeratur, & suo circumiectu cordis feruorem & intemperationem castigat.* Quibus verbis satis patet,Hippocratem designasse potius temperiem pulmonis aduentitiam ab aëre inspirato & humore pituitoso influente,quàm natiuam, quæ necessariò calida statuenda est,cum sit membrum sanguineum,& nutriatur arteriali flauo ac tenui sanguine per venam arteriosam ex dextro cordis ventriculo in illius substantiam irrumpente.

Vtrum verò illa caliditas coniuncta sit humiditati,vt censet Galenus,an verò siccitati, vt Auicenna,videndum. Galenus sumit argumentum à tactu, & copiosis excrementis pituitosis, quæ ex thorace screando emittere solemus; tactus enim pulmonis mollitiem, quam dicebamus humiditatis esse signum, facile persentiscit. Ad id respondet Auicenna, cui nos hac in parte subscribimus; non humidum esse naturâ pulmonem, sed madidum, hoc est, pituita à cerebro defluente refertum, vnde copiosi illi screatus in hominibus præsertim catarrhosis. Sic mollitiem illam non ex innatâ humiditate proficisci, sed potius laxitate substantiæ, quæ sequitur tenuitatem materiæ,ex quâ fit & nutritur, nempe sanguinis bilioſi calidi siccique; cuius temperiem æmulatur. Atque hæc de partibus facultati vitali subseruientibus.Superstunt naturales.

Has nos facilioris doctrinæ gratiâ, in sanguineas seu parenchymosas,& membranosas seu spermaticas diuidemus, sub quibus etiam glandes & partes generationi dicatas complectemur. Parenchymate ergo præditæ, vt calidæ humidæ ratione sui ortus generatim censentur, sic etiam plus minus differunt pro varietate materiæ, & compositionis. Hepar etenim, quod Hippocrates vocat αἱματοειδέστατον, *cæteris omnibus sanguinolentius*: & factum esse vult *lib. de carnibus*, quando multum calidi cum humido in pelliculâ fuit conclusum, naturamque sui principij, idest sanguinis coagulati, & non immutati refert.

Lien vero affusio est nigrioris & fæculenti sanguinis,admodum elaborati & attenuati, vnde pars laxa & spongiosa genita est, minus calida humidaque quam ipsum hepar, pro ratione sanguinis ex quo factus est & nutritur. Vnde Galenus 14. *de vsu partium*;*Splenis*,inquit,*corpus, cum tanto rarius sit hepate, quanto est pulmone crassius, merito ex simili sanguinis portione nutritur. Quamuis enim sanguis, qui ad splenem deducitur, crassior sit eo qui est in hepate, quia tamen elaboratur ab arteriis copiosissimis quibus præditus est, ideo tenuior multo euadit. Vt autem summatim perstringamus, nutritio horum trium viscerum sic se habet. Hepar quidem ex rubicundo,sed crasso sanguine: lien ex nigro, sed subtili ac spirituoso sumit alimentum, sicque species substantia eorum ad proportionem nutrientis succi se habent.* Hæc Galenus de temperie hepatis & lienis.

Renes autem densissimo parenchymate ad sanguinis serosioris transcolationem præditi, durissimum viscus Hippocrati *lib.de carnibus*, dicuntur, quorum alimentum Galeno *lib* 5. *de vsu partium*, est bilioſior, tenuior, & serosior sanguinis portio, quam facultate quadam propriâ & occultâ attrahunt, & à sero ipso secernunt ad sui alimoniam. Eò etiam hepate minus calidi humidique censendi sunt naturaliter, tum ratione sanguinis quo nutriuntur, tum etiam seri, cuius perpetuo affluxu quodammodo

modo refrigerantur. Sic propter circumiectam membranam, magna adipis copia circa illos colligi solet, & tenuioris sanguinis portione, roris instar, ex solido isto corpore exudantis.

Reliqua autem parenchymata ventris inferioris, vt pancreas, mesenterium, testes, glans virilis & similes sequuntur naturam adenum, qui nihil aliud sunt, quam partes carnoso generi subiectæ, raræ, spongiosæ, & in globuli figuram vt plurimum conformatæ, humore pituitoso redundantes. Author definitionum medicarum, vocat glandulam circumuolutionem carnosam, ad duplicem vsum comparatam, vt docet Galenus *lib. 2. de semine*. Glandularum enim vt duplex differentia, sic & vsus: aliæ enim densiores & ficciores mediis sublimium vasorum diuisionibus suppositæ, vt puluinaris instar illa fulciant, & ruptionis periculo liberent. Quædam verò rariores humidioresque, à naturâ ita comparatæ, vt essent veluti emunctoria principum partium, vel etiam vicinas partes irrigarent. Sunt etiam glandulæ quædam, quæ actionem non solum sibi propriam habent, sed etiam communem, & toti vtilem, videlicet glandulæ mammarum, quæ γαλακτοποιητικαὶ dicuntur; testium, quæ σπερματικαὶ. Harum omnium temperies cum sub carnoso genere latè sumpto contineatur, calida quodammodo humida censenda est. Quia tamen ex crudiore minusque elaboratâ sanguinis portione generantur, ideo minus caloris obtinent, quam curo musculorum, vel parenchymata. Hinc Galenus *comment. in Aphor. 40. sect. 3.* vult adenum naturam, illorum præsertim, qui in mammis sunt, exanguem esse & frigidam, atque ideo sanguinem qui ad ipsos defertur, in lac frigidius commutare. *Quanto enim*, inquit, *adenes hi frigidiores sunt hepatis carne, tanto etiam lac frigidius sanguine.* Neque repugnat hoc Hippocrati dicenti *lib. de glandulis; quod si eas dissecces, largus sanguis erumpit*, quoniam sanguis ille ex superpositis vasis promanat: vel est albicans, & veluti pituita. Sunt igitur omnes glandulæ paulò frigidiores humidioresque genere carnoso.

De partibus verò aliis exanguibus & membranosis totius ventris inferioris, earumque temperamento licet generatim pronuntiare, eas frigidas esse & siccas propriâ temperie, vt œsophagum, ventriculum, intestina, vesicam vrinæ, & fellis, vterum, scrotum, vasa spermatica, peritonæum & similia, quamuis aduentitiâ temperie multum humectentur. Circa ventrem enim inferiorem, velut totius corporis sentinam, magna est humiditatum σύρασις & collectio, vt loquitur author lib. de diæta, & Hippocrates *lib. de humoribus*, ventriculum hydriæ comparat, quæ aquam continet: vterum vero mucosum, vesicam fero scatentem vbique appellat. Atque hæc de partium temperamentis ex instituto nostro dicta sufficiant. Reliqua enim ad partium naturam cognoscendam necessaria fusiùs in anatomicâ tractatione proponi debent, in quâ artifex contrario naturæ ordine ad partium διαιρέσεις progreditur, nempe à magis compositis diuidendo, donec ad minimas sensu simplicissimas peruentum sit, cum natura à simplicibus & similaribus incipiat, vt compositæ generentur, quam nos hic sumus imitati: ac proinde iam instat, vt ad tractatum de humoribus transeamus.

CAPVT IV.

De Humoribus.

QVID HVMOR, ET QVOTVPLEX IN NOBIS. Humores in corporibus nostris esse, quos elementa animantium omnium sanguineorum media prius vocabamus, sensus ipse tam certò & manifestè iudicat, vt nullâ vlteriori indigeat probatione: substantiæ enim eiusmodi liquidæ & profluentes, variæ & multiplices quotidie per nares, per vteri venas, per hæmorrhoidas, per venam aut arteriam sectam, per inflictum vulnus erumpunt: illis intumescunt venæ, palpitant arteriæ, irrigantur partes, replentur acetabula, reliquæque cauitates turgent, vt mera sit insania, summæ stupiditati aut peruicaciæ iuncta, eos negare velle cum Paracelsistis, qui Medicos rationales & dogmaticos per irrisionem Galenicos & Humoristas appellare audent. Præterea cum eorum auctâ vel imminutâ quantitate, vitiatâ substantiâ,

Digitized by Google

tiâ, ſitu mutato, & qualitatibus diuerſis non ſolum ſtatus præter naturam inducatur, ſed etiam variè mutentur hominum temperamenta, partium nutricatus, cutis & pilorum, præcipuè in vultu colores: fruſtra contendebant Eraſiſtratei, ex Galeno *lib. de atra bile*, quos Chymici noſtri ſequuntur, Medicum nihil humorum contemplatione egere ad Artis munera. Imo dicendum eſt circa ipſos valde occupatum eſſe oportere, ſi modo velit rectam rationem omnium aliarum rerum naturalium tenere: vel cauſarum quæ ſanitatem morboſque vſitatiſſimos inducunt. Nos itaque videamus quid humoris primùm nomine intelligatur.

Apud Hippocratem χυλὸς & χυμὸς ſumitur aliquando promiſcuè pro quouis humore, qui in corporibus noſtris continetur, vt etiam in aliis rebus externis, quaſi ὑγρότητα dicas ſiue humiditatem: aliàs, vt à Galeno & poſteris illud *chyli* nomen tributum eſt materiæ illi, quæ in ventriculo confecta per inteſtina & venas meſaraicas cremori ptiſanæ ſimillima ad hepar transfertur: χυμὸς autem de illis humoribus omnibus, potiſſimum verò alimentariis, qui ad ſecundam corporis noſtri coctionem ſequuntur. Sic apud Medicos recentiores humoris nomen quamcunque ſubſtantiam liquidam & profluentem ſignificat, ſiue in nobis, ſiue extra nos ſit, quæ facilè alienis terminis continetur, ſuis difficile: ſiue laudatus ſit & naturæ conueniens, ſiue illaudatus & illi noxius, vel quoquo modo collectus. Alio modo humor κατ' ἐξοχὴν & quaſi propriè ſumptus de humiditatibus corporis noſtri intelligitur, quæ per coctionis modum in eo generantur: vnde ſic definiri poteſt. Humor eſt corpus fluidum, quod ex alimenti tranſmutatione ſeu coctione fit in nobis nutritionis cauſa, vel ad alia corporis commoda. Dicitur *corpus*, quia ex primis fit corporibus ſeu elementis, quorum materiam & vires redolet, impletque corporis humani ſtructuram, quæ ex triplici ſubſtantiâ conſtare dicitur, ſpirituosâ, humorali, & ſolidâ: quaſque Hippocrates per continentia, contenta, & impellentia expreſſit. Dicitur *fluidum*, quoniam naturaliter inſtar alterius cuiuſuis liquoris labitur & profluit ad varias corporis noſtri regiones, donec in ſubſtantiam partium perueniens ibi ſiſtatur, vel certè à cauſis violentis concreſcat (vt de ſanguine taurino narrant) in propriis conceptaculis, aut extra ea in grumos, vel craſſiorem quamdam ſubſtantiam conuertatur per coctionem nimiam, aut alicuius rei permiſtionem: quod poſtea melius patebit. Dicitur etiam *fieri in nobis ex alimenti tranſmutatione*, vt excludantur omnes aliæ humiditates, quæ in corpus noſtrum irrumpere per varios meatus poſſunt, abſque vllâ alteratione aut mutatione: præterea vt oſtendatur generationis eorum modus: nam corpus noſtrum calore natiuo præditum cum non poſſit diu propter continuum triplicis ſubſtantiæ effluxum ſubſiſtere, niſi in deperditæ locum alia accedat, quæ conueniens & partibus alendis ſit proportionata: Ideo natura ad animantium, hominis potiſſimum conſeruationem varia produxit alimenta, liquida, ſolida, craſſa, tenuia, & omnibus ferè qualitatibus prædita: ex quibus ritè etiam præparatis & commixtis, ſi opus ſit, veſceretur homo ad ſui nutritionem, non immediatè, ſed præcedentibus multis mutationibus, quæ qualitates corpori alendo aptiſſimas & ſubſtantiæ modum illis imprimerent: vnde attritio in ore: permixtio omnium exquiſita in ventriculo & dealbatio, quam chyloſim appellant: expulſio per inteſtina, & defæcatio ſeu ſeparatio terrenæ & inutilis materiæ: tractio per venas meſaraicas in hepar, vbi materia illa, quæ vniformis primùm videbatur, heterogeneis vero & multiplicibus partibus conſtabat, caloris natiui in iecore & propriæ ſubſtantiæ ſeu parenchymatis vi in quatuor præcipuas ſubſtantias alibiles conuertitur, ſub ſanguinis tamen nomine ſeu maſſæ ſanguinariæ contentas: quæ ideo excrementis ſuis circa ipſum hepar depuratur, nigro ſcilicet & flauo ſucco, atque exundantis ſeri portione, vt poſſit deinceps ſincerior ad partes deferri, & ibi paulatim & quaſi per gradus perfectam illam ὁμοίωσιν aſſequi.

Atque hi omnes humores naturales dicuntur, quia naturaliter & quandiu homo ſe bene habet in eo generantur. Diuiduntur verò in alibiles & excrementitios: quoniam illi in venis & arteriis aut partium cauitatibus contenti faceſſunt in corporis alimoniam, vt dicebamus: hi verò ſecreti, & in ſuos quaſi loculos ſepoſiti, vt conuenienti tempore ac modo excernantur, poſtquam eum corpori vſum & commoda præſtiterint, ad quæ ſunt prudenter à naturâ deſtinati. Quoniam verò humanæ naturæ conditio fluxilis & momentanea non ſemper in eodem ſtatu permanet, nec eiuſmodi ſuccos conuenienti proportione aut qualitate generat: ideo tam alibiles illi, quam excrementitij ſucci, ſi vitium præter naturam ſemel contraxerint ab externis aut internis cauſis, inutiles & noxij euadunt, ac proinde à naturalibus

talibus diſtinguuntur, tam alibilibus quam excrementitiis. Quia tamen ſub excrementi nomine ea aliquando ſignificantur, quæ tum quantitate tantum, vt laudatiſſimus ſanguis exuperans, ſemen, lac, & ſimilia: tum qualitate ſunt inutilia corpori & moleſta: ideo ſub excrementitiis humoribus hi etiam præter naturam ſucci audiuntur. Quod imprimis diſtinguere erat neceſſarium.

Dicamus igitur omnes hos humores, ſiue naturales ſiue præter naturam; alibiles aut excrementitios, tam vtiles quam inutiles, apud Hippocratem quatuor humorum nomine contineri, Sanguinis videlicet, Pituitæ, Bilis & Melancholiæ, *lib. valde germano de naturâ humanâ*; quorum duos à ſapore γλυκὺ dulce, & πικρὸν amarum: alios duos à colore appellauit λευκὸν ϗ μελὰν album & nigrum. Non ſine ratione; nam vt ſanguis naturalis perpetuò dulcis & ſuaui ſapore præditus; bilis etiam ſub quocunque colore, flauo, pallido, rufo, cæruleo, porraceo & ſimilibus perpetuò amara: ſic pituita perpetuò alba, quamuis aliquando inſipida, aliàs dulcis, acida, aut ſalſa guſtui appareat: melancholia verò ſemper nigra, quamuis aliquando acida, vt naturalis; vel acris aut amara ſit, vt quando per aſſationem generatur. *Libro quidem 4. de morbis, & lib. de geniturâ. Sunt in corpore*, inquit, *humidi ſpecies quatuor, Sanguis, Bilis, Aqua, & Pituita*, vbi videtur omiſiſſe Melancholiam: ſed vſitatiſſimum eſt Hippocrati per χολὴν bilem ſcilicet, ὀξυτὰν, ξανθὴν ϗ μέλαιναν intelligere: per aquam autem ſerum ipſum ſiue ichoras, quos aliàs ſub pituitæ nomine complectitur: aliâs, vt *lib. de naturâ humanâ citato*, per omnimodum, ſic interpretante Galeno, expreſſit.

Nos itaque ex recepto humorum numero, qui in ſecundâ coctione generari ſolent, inquiramus peculiariter eorum naturam & effectus, & ſi quid dubij in illos incidere ſolet, breuiter explicemus, ducto ab ipſo ſanguine velut præſtantiori exordio. Quoniam vero quatuor hos humores κατὰ δύναμιν, vt loquitur Hippocrates, ϗ ἰδέην valde differentes diximus ab hepate, ex materiâ chylosâ in ventriculo confecta, generari, ſciendum prius quomodo illud fieri poſſit. Præterea cum ſtatuerimus humores iſtos naturales alios eſſe alibiles, alios non alibiles ſeu excrementitios: & inter alibiles non ſolum ſanguinem, ſed etiam alios eſſe voluerimus maſſam ſanguinariam conſtituentes, quæ intra venarum conceptacula continetur, contra Philoſophum & Peripateticos facimus, qui vnico nos ſanguine veſci, eumque ſolum ac ſincerum in venis contineri aſſeruerunt. Quam Galenus *comment. in lib. de naturâ humanâ & 2. de elementis*, quæſtionem ſeu controuerſiam valde difficilem & ſpinoſam eſſe exiſtimauit. Videndum igitur paucis quid hac de re ſtatuere poſſimus.

GENERATIO HVMORVM IN HEPATE, ET AN SOLVS SANGVIS NOS ALAT? Hepar quidem ſanguinis & humorum veram eſſe officinam, non cor, capite de facultatibus & functionibus apertè demonſtrabimus: hic verò dubitatur: quomodo vnus idemque caloris gradus in hepate, vnaque & eadem partis ſubſtantia ac temperies, quatuor differentes humores ex vnicâ materiâ chylosâ albâ & cremori ptiſanæ ſimillimâ excitare poſſit? Siue illud efficiat contactu immediato, ſeu virtute, quod eſt credibilius, in ipſis venarum canaliculis. Quidam exiſtimant ſubſtantiam & innatum hepatis temperamentum nihil facere ad varias iſtas formas inducendas, ſed tantum ad ſecretionem partium heterogenearum & attractionem ſucci conuenientis: ac proinde volunt illi hepar, vbi primum acceſſerit materia illa chyloſa, portionem benigniorem & magis alibilem trahere ad ſe nutritionis cauſa, & in venas ipſas ſibi ſuperfluum dimittere, ab aliis etiam fortaſſe partibus attractum: reliquas verò partes, frigidiores putà & calidiores, elici à conuenientibus & dicatis partibus, vt veſiculâ fellis, liene & renibus, vbi deinceps formarum ſuarum perfectionem nanciſcuntur. Sed hæc non videntur admittenda: Etenim ſi hepar locus eſſet tantum ſecretionis per vim caloris, non coctionis & alterationis per qualitatum ſuarum & temperamenti actionem, ſequeretur in quouis hepate, & quocunque caloris gradu, dummodo ſimilia eſſent alimenta, futuram eamdem quatuor humorum portionem, quia tantum ſeparatentur ab inuicem; quod falſum eſſe quotidiana experientia teſtatur: etenim ex aſſumptis lactucis, plus bilis aliquando feruidum hepar generabit, quam frigidum ex cepis aut alliis. Præterea ſi nulla ſit alteratio, ſed tantum ſecretio, cur non idem color remanet. aut ſaltem cur non in vnâ earum partium albus qui prius fuit in chylo: ſed is qui maximè hepati ſimilis exiſtit? Item ſi eiuſmodi diuerſorum humorum ſpecies ac formæ non inducantur ab hepate, fient ab agente æquiuoco, nempe cœli aut ſyderum potentiâ,

quæ

quæ non pote rit inducere formas eas niſi ex certâ materiæ diſpoſitione, ac proinde fiet, vt pro variâ chyli naturâ modò bilioſum tantum ſuccum, modò melancholicum, aut duos tantum producet, quod eſt falſiſſimum, cum ſemper quatuor in vnaquaque alimenti coctione producantur. Quod enim illi putant humores iſtos nanciſci ſuam formam in ſuis conceptaculis, abſurdum eſt: Etenim ſi hoc eſſet, nulla bilis reperiretur, nulla melancholia, priuſquam in cyſtide fellea aut liene fuiſſent: ſed per iſtarum partium obſtructiones & imbecillitates, quando non admittunt, aut non attrahunt eiuſmodi ſuccum: tunc plurimus exundat per totum corpus. Quare ſuam formam & naturam ab illis non recipit.

Dicamus igitur temperamentum proprium hepatis, cum certo ſubſtantiæ modo, quem *ἰδιοσυγκρασίαν* vocant, eſſe efficiens vniuocum & determinatum horum quatuor humorum, ex materiâ chylosâ diuerſis partibus & heterogeneis conſtante; nam cum hepatis ſubſtantia ac temperamentum ex mixtione quatuor illorum humorum ita conſtet, vt veluti ex affuſione tantum factum ſit, & inde parenchymatis nomen adeptum: fit vt facillimè per coctionem & alterationem imprimere poſſit in chyloſam materiam, prout variè diſpoſita eſt, quatuor illas differentes ſpecies & colores, ex quibus ipſum conſtituitur. Ratione autem caloris ſegregat ſeparatque trahendo quod eſt ſibi magis familiare: vt ratione intenſionis exurendo magis ſeu aſſando copioſiorem producit bilem: remiſſioris verò, ſi humiditatem habeat iunctam, pituitoſum ſuccum: ſin autem ſiccitatem, melancholicum: ſemper tamen quatuor illos humores in ſingulis coctionibus plus minus producet: quia viribus, & facultatibus variis præditum eſt ſub vnitate illâ temperiei & formæ quâ donatum eſt. Et quemadmodum reliqua corporis noſtri membra vno temperamento prædita, coquunt, attrahunt, retinent, & expellunt, huius tamen aut illius qualitatis beneficio quæ in illo temperamento continetur: ſic hepar ritè à naturâ inſtitutum, vt ex variis quaſi partibus vnius temperamenti varios producere valeat humores.

Vtrum verò ſeiunctis ſecretiſque humoribus excrementitiis, bilioſo ſcilicet, & melancholico, quod ſupereſt & in venas ad ſingularum partium alimoniam transfertur: purus ſit & merus ſanguis; an verò ex quatuor humorum congerie & quaſi aggregato conſtans, diſputant Medici aduerſus Philoſophos pro aſſerendâ Hippocratis authoritate.

Ariſtoteles igitur 2. *de partibus animal. cap.* 3. & Auerrhois 2. *colliget*, putant, non eſſe admittẽdum, nutritionem corporis noſtri fieri ab aliis humoribus quam ſanguine puro, & iam ab illis in ſecundâ hepatis coctione defæcato: qui naturâ ſuâ ſit dulcis & temperatus: alij verò amari, acidi, inſipidi, & intemperati, ad nutriendum inepti. Secundò, quomodo igitur, ſi illi actu & qualitatibus ſuis præditi ſint intra venas, non amareſcit maſſa illa ſanguinis, cum pauciſſima bilis quantitas ſufficiat inficiendæ magnæ liquoris copiæ? quomodo totũ corpus ictero non corripitur? Tertio, cum eadem ſint nutritionis noſtræ & generationis primordia: partes autem fœtus producantur ex ſanguine menſtruo, nutrientur etiam extra vterum ſolo ſanguine. Quartò, ſi quædam partes illis ſuccis nutrirentur, amareſcerent, vel acidæ guſtanti apparerent, quod eſt falſum. Quinto, ſi humores illi continerentur in maſsâ ſanguinariâ actu, non generarentur denuò ex eâ inflammatâ, putrefactâ, corruptâ: ſed contrarium quotidiana docet experientia, nempe in febribus ſanguineis putridis ex tenuiore ſanguinis portione bilem, ex craſſiore melancholiam procreari: ergo non ibi antea erant, niſi poteſtate. Sexto, natura ipſa illud oſtendit in ſuperpurgationibus, cum reliquos humores facilè emittat, tanquam excrementitios, vi purgantis impulſa; ſolum tamen ſanguinem velut alibilem ſuccum ſummo retinet conatu, nec niſi iam eneruata aut reſeratis venarum oſculis fluere permittit. Hæc & ſimilia adferunt in medium Peripatetici ad præceptoris ſui ſententiam confirmandam.

Nos verò dicimus, nihil iſtas rationes vrgere, neque noſtram euertere opinionem, qua exiſtimamus ſanguinis maſſam ex quatuor partibus, eiſque omnibus alibilibus ac maiore veri ſanguinis copiâ dilutis conſtare, quarum tenuior & flaueſcens bilis vel bilioſus ſanguis; mediocris, ſanguis purus ſummâ dulcedine præditus: craſſior & crudior cum humiditate, pituita vel pituitoſus ſanguis: ſiccior vero & ad atrum vergens, melancholia, vel melancholicus ſanguis dicatur: quæ manifeſtiſſimè & ad ſenſum apparent, vbi alicui quantumuis ſano liquor ex venâ ſectâ profunditur, ita diſtinctè, vt ichor ſuperiora occupet cum flaueſcente ſpumâ ſeu tenuiore portione; rubra medium; atra verò & limoſa vaſculi fundum. Quod etiam rationi maximè eſt conſentaneum. Primò enim cum varia ſit diuerſaque alimentorum, quibus

quotidie veſcimur, natura, quorum alia ad hoc magis, quam ad illud temperamentum humoriſque conditionem accedit, non videtur ex hoc ſubiecto ſiue materiâ vnicus tantum humor alimentarius exurgere, ſed plures, aliâs maior eorum portio in excrementa faceſſeret, quod eſt abſurdum cogitare: Secundò varietas temperamentorum, quæ in hominibus ſanguineis, bilioſis, pituitoſis, aut melancholicis naturaliter reperitur, cum non poſſit aliunde pendere, quam ex vario humorum dominatu, qui in nutritionem corporis cedunt, certè vel fatendum erit illa temperamenta à puris excrementis pendere: vel in venis eos actu humores & ſecundum naturam contineri, qui naturalia hæc temperamenta conſtituant: Tertiò varietas partium corporis noſtri, quarum aliæ calidiores, frigidiores, humidiores, ſiccíores, diſcrepantibus ſecundis qualitatibus præditæ ſunt, non videtur admittere poſſe vnum idemque alimentum, ex quo diuerſæ illæ ſubſtantiæ reparentur; ſed quemadmodum, vt habet Hippocrates *lib. 4. de morbis*, ex vno eodemque ſolo variæ ſtirpes diuerſos ſuccos ex quibus reficiantur, ſolent attrahere, ſic natura varios alibiles ſuccos producit, ex quibus pro varietate partium ſuam ſibi & aliis conuenientem parare poſſint alimoniam. Nec credibile eſt columbas, quæ non habent cyſtidem felleam, non habere fel ſanguini permixtum, quem ideo & calidiorem & collyriis aptum dicimus. Conſule ergo ipſas partes, & contemplare lienis ſubſtantiam melancholico ſucco alibili ſimillimam, hepatis ſanguineo, pulmonum bilioſo, cerebri pituitoſo, vt tandem veritati aſſentiaris. Quod ad rationes enim Philoſophorum ſpectat, Medici exiſtimant illas tantum facere aduerſus humores excrementitios, quos illi numquam in venis eſſe admittunt, niſi præter naturam: Philoſophos tamen in eo deceptos eſſe arbitrantur, quod maſſam ſanguinariam homogeneam, non heterogeneam eſſe cenſent. Atquæ hæc de iſta quæſtione ſufficiant.

SANGVIS PROPRIE DICTVS. Iam igitur de humoribus particulariter agamus, ducto à ſanguine exordio. Quidam auſi ſunt aſſerere nullum eſſe propriè dictum ſanguinem, idque lactis ſimilitudine, quod proximè ex eo fit, demonſtrant. Vt enim à butyro, caſeo, & ſero nulla alia eſt pars diſtincta, quæ lac nominetur, ſed vno lactis nomine tres illas ſubſtantias ſimul mixtas deſignamus: ſic ſanguinis nomine maſſam illam audimus, ex pituitoſi ſucci, melancholici & bilioſi portionibus confectam. Verum hæc opinio non eſt recipienda: propterea quod rubor ille qui in maſsâ ſanguinariâ dominatur, non poteſt niſi à veri ſanguinis dominatu pendere, cum alij peculiares ſuos colores habeant: & caro quæ muſculos viſceraque componit, non poſſet rubeſcere, eâque temperie prædita eſſe, niſi vero ſanguine eóque puriore nutriretur. An non calor noſter innatus in coctione id quod moderatum eſt intendit, potius quam immoderatum? Ergo potius humorem temperie præditum, quam alios in quibus exceſſus adeſt qualitatum, generabit. Eſt igitur in maſsâ illâ ſanguinariâ verus ſanguis, qui aliis tribus maioreque copiâ iunctus temperiem homini propriam efficit, & quatuor primorum corporum vires æmulatur. Neque vrget lactis ſimilitudo: nam eadem ratione dicere poſſem, ſanguinem ex duabus tantum conſtare partibus, quia ſemen quod ex eo proximè conficitur, ex ſpirituoſâ, & aqueâ ſeu humidâ conflatur: non enim eſt neceſſe, vt eædem ſint partes eius quod materia eſt, & illius quod fit ex eâ per coctionem. Quod vt melius pateat, conſiderare debes illas lactis partes: & videbis non reſpondere partibus ſanguinis: ſerum enim illius non poteſt reſpondere pituitæ coctæ, ſed potius ichoribus humorum; butyrum, quod eſt temperatum in calore & frigore, humidum autem in exceſſu, non reſpondebit bilioſo ſucco, qui calidus eſt ſiccuſque: caſeus denique, qui eſt maxima lactis portio, non reſpondet melancholiæ, cuius eſt minima in maſſa humorali quantitas, vt poſtea dicemus.

Sanguis igitur propriè dictus, humor eſt in calore humoreque temperatus, vt eleganter docet Galenus *lib. 2. de facult. natur.* aduerſus eos, qui ſimpliciter calidum humidumque eſſe contendebant: rubro colore ſaturatus, ſubſtantiâ mediocris, & dulci ſapore præditus, maximéque alendo corpori accommodatus. Abundat potiſſimum veris tempore & in adoleſcentia, ſi quidem alimentis temperatis & boni ſucci fruatur. Facit homines in quibus dominatur, venuſtos, florido colore & ex albo rubeſcentes, bene carnoſos, tranquillis moribus & blandis, ſed nonnihil ſtupidos ob humoris copiam, niſi leuiter torreatur, vnde melancholici ingenioſique euadunt. Eſt autem duplex hic humor, venalis ſcilicet & arterialis, non tantum ratione vaſorum in quibus continetur, ſed potius qualitatibus differens: nam arterialis tanto eſt venali calidior, quanto cor ſuperat hepar caliditate: eſt item tenuior, ob mul-

torum

torum ſpirituum permixtionem & maiorē depurationem: eſt flauior & minus ruber venali, quia aërea pars in corde permixta diluit ſaturatum illum colorem. Vterque tamen eſt alibilis, ſed venalis ſolidarum magis partium, arterialis ſpirituoſarum & humoralis illius ſubſtantiæ primigeniæ. Fit autem hic humor naturæ aduerſus, aliquando in propriis ſuis conceptaculis, nempe cordis ſinubus, venis & arteriis: aliquando extra, dum effunditur in cauitates corporis, aut tenues partium poros, vt in tumoribus præter naturam phlegmonoſis, in illis plurimum concreſcit per ſuas fibras & in grumos congelatur: in his putredinem concipiens alteratur & vi caloris ac temperamenti ſpermaticarum partium albeſcit & in pus conuertitur: in loco verò proprio fit non naturalis, vel permixtione alieni humoris, vt quando excrementa ab eo non ſufficienter ſecernuntur: vel ſine mixtione per ſimplicem alterationem, vt dum refrigeratur aut incaleſcit nimium, adhucque ſanguinis nomen retinet & alit; ſed vitioſè: aut per putredinem & corruptionem, quando omnino nomen amittit; & craſſiore ſui parte in melancholiam, alia in bilem faceſſit: aliquando in venenatum quendam & malignum ſuccum, quemadmodum in peſtilenti conſtitutione; aut ſumma partium κακοχυμία contingit. Naturaliter autem ſanguis nullum excrementum facit vt alij humores: quia temperatus & aëreæ naturæ particeps, humori primigenio & partibus alendis accommodatus non debet ſecerni aut excerni, ſed potius retineri ad naturæ munera. Reliqui verò humores, vtpote igneæ naturæ, vel terrenæ participes, purgari debuerunt, ne quantitate ſuâ nimiâ vel qualitate periculum inferant extinctionis, marcoris, aut ſuffocationis calori natiuo.

De fibris autem quæ in vero ſanguine potiſſimum reperiuntur, ſciendum eſt illas à naturâ fuiſſe comparatas, vt ſanguis circa partes facilius concreſcere poſſet, & illis agglutinari: ſunt autem tenues quędam partes quaſi villi; ex terrenâ eius parte & magis tenaci, tum in ventriculi primâ coctione, tum in hepate genitæ, quę colato ſanguine per linteolum facillimè deprehenduntur, aut illo in aquæ peluim coniecto, quoniam fundum petunt. Habent igitur omnia animantia ſanguinea eiuſmodi ſanguinis fibras, ſed vel pauciores, vel plures, prout ſubtiliorem habent vel craſſiorem ſanguinem: vnde ſcripſit Ariſtoteles ceruos, damas, & camelos illis carere, id eſt pauciſſimas habere: tauros autem, apros, vrſos & ſimiles habere quamplurimas, & craſſiſſimas, vnde animoſi & valde iracundi exiſtunt, conceptum ſcilicet in ſanguine ſpiſſiore feruorem diutius retinentes. Harum autem beneficio fibrarum, vt nutritio iuuatur, ſic per illas fit ſanguinis concretio in grumos extra venas, quæ proprietate quadam, non tepore ſolo, vt putauit Ariſtoteles, eum conſeruant inconcretum; in mortuorum enim venis non cōcreſcit, niſi ex rarâ admodum causâ, ex quâ vidit Fernelius ſanguinem aliquando ex venis coralli modo induratum & fruticantem eximi: & in partibus corporis noſtri, dum viuimus, calore perfuſis concreſcit. Quid verò Hippocrates *lib. de alimento*, per ſanguinem humidum & ſolidum ſignificare voluit, difficile eſt interpretari, niſi fortaſſe craſſiorem & denſiorem, qui multas obſtructiones faciat, ſi non apponatur partibus: illis verò appoſitus valde firmum & ſolidum alimentum.

Maior multo eſt difficultas ex eiuſdem Hippocratis verbis *lib. de corde*. *Sanguis*, inquit, *non eſt naturâ calidus, neque enim alia aqua, ſed caleſcit.* Quamuis alibi ſæpe ſanguinem calidum & omnis caloris fomitem eſſe pronuntiet. Hunc ſequutus videtur Ariſtoteles 2. *de partibus anim. cap* 3. dum ſcribit ſanguinem frigidum eſſe naturâ ſiccumque. Hoc nos ita interpretamur, ſanguinem ſcilicet reſolutis ſpiritibus & tenuiori exhalatione, quam ab hepate, corde, & reliquis corporis partibus calentibus recipit; frigidum eſſe actu, quemadmodum alios omnes liquores: item ſiccum ob terreſtrem portionem & fibroſam, quæ in eo maximè remanet extra corpus, ſubtiliore exhalata: vnde fit vt ſanguis, quando comeditur, talem præſter alimoniam: vt autem in nobis conſideratur, & quandiu eſt intra venas naturaliter conſtitutus, tandiu calidus eſt & aëreâ humiditate præditus, qua partes corporis reficit & caloris innati robur conſeruat. Atque hæc de ſanguine propriè dicto: nunc reliquos humores tam alibiles, quàm excrementitios perſequamur.

PITVITA. Græci φλέγματος nomine pituitam quaſi per antiphraſin donarunt, quod minimè inflammationi ſit idonea. Nam illud nomen φλέγμα apud Hippocratem ſæpe intenſum calorem & φλόγωσιν ſeu φλεγμασίαν ſignificat, vt *in prognoſticis*, *Quibus circa hypochondria τὸ φλέγματος ἢ ἐγγένηται inflammatorium quid contigerit*, ipſo interpretante Galeno: tum 7. *Epid. lib.* 2. *de morbis & alibi ſæpe*: vnde Galenus *commentario in Aphoriſmum ſeptimum ſectionis primæ*; vocat παλαιὸν ἔθος τῆς λέξεως, antiquam illius vocis ſignificationem: & Prodicus Hippocratis magiſter

humorem vſtum corporis noſtri & valde coctum appellabat *lib. 1. de facult. natural.* φλέγμα à verbo πεφλέχθαι: album verò & humidum βλέννα. Inualuit tamen poſtea vſus, quemadmodum *lib. 2. de differens. febrium* habetur, vt omnis humor corporis noſtri frigidus humiduſque φλέγμα, nobis pituita, quaſi (vt quibuſdam placet) petens vitam, diceretur.

Ariſtoteles 6. *topicor. cap.* 2. eam definiuit, humidum primum à cibo, indigeſtum: & Galenus ſæpe crudioris ſucci nomine pituitam quamuis audit, ſiue alibilem, ſiue excrementitiam, vtilem vel inutilem. Quod ad alibilem ergo ſpectat, crudior eſt ſanguinis portio in hepate geniti, frigidior ſcilicet & humidior aqueâ humiditate, non aëreâ, quæ præcipuè dicto ſanguini competit, ad albedinem tendens, ἄποιος ſeu ſaporis expers: quando enim Galenus dulcem eſſe vult, extendit tunc dulcis ſignificatum ad inſipidum vſque, ex alimentis frigidioribus humidioribuſque aut nimiâ copiâ aſſumptis genita, hyemis potiſſimùm tempore, ætate ſenili, & ociosâ vitâ. Homines in quibus dominatur, ſomnolentos facit & ſegnes, πολυσάρκους, molles & albeſcentes. Quamuis autem Galenus ſcripſerit pituitæ naturam ad morum cultum nihil facere, ſed in ciborum tantum primâ generatione fieri: credibilius eſt tamen hominibus pituitoſis, ſicut & reliquis, ſuos eſſe proprios mores & effectus, quos non melius depingere poſſis, quam ſi biliosis contrarios eſſe dicas. Hæc eſt ergo alibilis pituita in maſſæ ſanguinariæ aggregato contenta: cuius portio eſt venis illabens in artuum & iuncturarum acetabula ſeu cauitates, partes illas mobiles madefacit, exſiccationemque prohibet. Excrementitia verò pituita in ſingulis gignitur partibus ex vitiatâ tertiâ coctione, aut pituitoſioris alimenti reſiduo, vel etiam vaporibus qui ad eas efferuntur: vnde cerebrum propter illas omnes cauſas copioſius cæteris hac pituitâ ſcatere ſolet: vnde ab Hippocrate dicitur μητρόπολις τῆ ὑγρῆ: poſtea ventriculus quando cruditates patitur, tum ipſa inteſtina. Lien autem quamuis ab Hippocrate aliquando cruditatum author dicatur, non tam eſt ratione ſui, quam ipſius ventriculi, qui ex illius vicinià & qualitatibus refrigeratur. Huius pituitæ excrementitiæ traduntur differentiæ modo à ſapore, modo à conſiſtentiâ. Ratione ſaporis quadruplex exiſtit, inſipida, acida, dulcis, & ſalſa: quæ enim inſipida eſt, redolet adhuc veræ pituitæ alibilis naturam: quod ſi coctionis defectu magis refrigeretur, acida euadit: ſin verò à calore mitificetur & πεπασμὸν recipiat, dulcis euadit: ita vt per diuturnas inedias & famem illâ nutriri corpus exiſtimarit Galenus, conuerſa ſcilicet per integram πέψιν in ſanguinem. Quod ſi non coquatur & mitificetur, ſed putreſcat vel exuratur ab intenſo calore (tunc enim aſſæ vi caloris aut putredinis reliquis aquoſioribus permiſcentur:) aut permiſceatur biliosо ſero, fit ſalſa omnium peſſima, cuius contumaciam & acredinem tantopere in dyſenteriis exhorreſcit Galenus. Ratione autem materiæ ſeu conſiſtentiæ diuiditur in tenuem ſeu aquoſam, vt ichor: quæ modò è naribus ſtillat, modò expuitur, & è cerebro in plurimas partes etiam per media muſculorum interualla, vt quæ arthritidem parit, effuſa, catarrhos gignit varios. Quæ ſi à calore noſtro ex tenui craſſior euadat, lentorem acquirit, & tunc βλέννα ſeu mucus dicitur: quod ſi craſſa quidem fiat, ſed ſplendens, & perſpicua, quale eſt oui albumen aut fuſum vitrum, ὑαλώδης, vitrea appellatur, actu frigida, quæque in inteſtinis (vt de ſeipſo narrat Galenus *lib. 2. de locis affectis*) frequenter aceruatur, in vrinis aliquando viſitur, quas ideo ὑαλοειδεῖς, vocat Hippocrates. Quod ſi vel mucoſa vel pituitoſa vlterius excoquatur, potiſſimum in articulis aut bronchiis pulmonum, euadit grandini aut tophis ſimillima, & gypſea vocitatur: quæ podagricis pedum articulos euertere poteſt, & iſchiadicis detruſo femoris capite claudicationem inferre.

Verùm hîc ſubeſt difficultas. Cum enim dixerimus vitream pituitam actu frigidam eſſe in nobis, quæri poteſt à quibus partibus fuerit progenita, quæ actu frigidæ ſint, & quomodo ab iis in quibus continetur, vt inteſtinis, vel etiam motu & exagitatione non incaleſcat? Cui ita breuiter ſatisfacimus, pituitam ſcilicet iſtam non à certis fieri partibus, ſed à quacunque pituitâ mucosâ vel ſeroſa, quæ puritatis cuiuſdam ſit particeps. Non incaleſcere autem à partibus continentibus eam, quia vbi ſemel à regimine naturæ velut indomita, & inſuperabilis relicta eſt, redit vt aqua ad propriam naturam, nempe frigiditatem, quæ etiam poſt excretionem in eâ ſentitur manu admotâ, vt Galenus ipſe teſtatur *loco citato*. Atque hæc de pituitâ.

Biliosvs svccvs. Pituitæ omnino contrarius humor eſt biliosus, calidus ſiccuſque

cuſque & igneæ naturæ particeps, atque ideo aliorum humorum veluti calcar & ſtimulus: vnde orgaſmon ſeu impetum propriè dicitur habere Hippocrati. Quatenus ergo eſt alimentaria, portio eſt tenuior ac leuior maſſæ ſanguineæ, ad flauitiem tendens, alendis partibus ſimilibus, vt pulmonibus idonea: quæ in iuuentute maximè dominatur, & ſub æſtatis præcipuè tempus gignitur ex cibis inflammationi obnoxiis, vt acribus, ſalſis, piperatis, pinguibus, oleoſis, & dulcibus: potiſſimùm ſi vigiliæ, exercitationes nimiæ, abſtinentia & ſimiles cauſæ corpus incendentes concurrant. Dicet aliquis, cum pinguia, oleoſa, & dulcia temperatæ naturæ & aëreæ maximè ſint participia, cur dicimus ex his aſſumptis bilem ſuſcitari? Et cur Hippocrates *lib. 4. de morbis*, vocat humorem hunc pinguem ac leuem, vt etiam 6. *epidem.* biliosum vult eſſe à pingui? Reſpondemus: iſta quidem ex ſuâ naturâ non igneæ naturæ, ſed potius aëreæ reſpondere: quia tamen ob tenuitatem maximè ſunt inflammationi obnoxia, ideo ex illis facillimè biliosum ſuccum in corporibus ad caliditatem vergentibus ſuſcitari: cum in aliis, temperatis ſcilicet vel frigidioribus potius ſanguinem producerent: vt de mellis ac lactis vſu patet, quorum illud ſenibus, hoc autem pueris maximè confert ad alimoniam: vtrumque verò in florentibus facillimè bilescit. Quamuis igitur biliosus ſuccus ex piperatis, ſalſis, cepis, alliis & ſimilibus calidioribus progigni poſſit, quia tamen illa propter ingratitudinem non magnâ copiâ ingeruntur, ſed ad reliquorum veluti condimentum: ideo non tantam ex illis biliosæ materiæ copiam, quàm διὰ τῶ πίνους ſuſcitari voluit Hippocrates: & hanc materiam pinguem eſſe, quia ex eâ circa partes ſpermaticas & membranoſas effuſa propter tenuitatem ſuam pinguedo contingit: vel certè quia inflammationi & febribus excitandis aptiſſima eſt.

Rurſus ex ipſomet Hippocrate oritur dubium, qui cùm multis locis biliosum hunc humorem omnibus aliis calidiorem agnoſcat: *lib.* tamen 1. *de morbis* bilem aliquanto ſanguine frigidiorem eſſe ſcripſit. An liber ille ſpurius eſt dicendus, nec genuina Hippocratis proles, vtpote in quo multa ipſius doctrinæ aduerſantia continentur? An potius dicendum ſanguinem totâ ſuâ quantitate & mole, biliosi in corpore ſucci caliditatem quamuis gradu intenſiorem ſuperare? vel etiam intellexit de calore proprio & vtili ad alimoniam, quem biliosо ſucco plurimum deeſſe ſcimus: hac enim ratione febricitantium corpora quamuis æſtuoſa, minus tamen habere caloris proprij & naturalis dicimus, quam ſani hominis. Atque hæc de bile alimentariâ.

Excrementitia verò eaque vtilis à cyſtide felleâ per quamdam ſimilitudinem ſubſtantiæ attrahitur, & in eâ continetur innoxie, donec per meatum illum cholidochum in inteſtina, præcipuè duodenum, illabatur, ibique deiectionem veluti clyſter naturalis ſtimulet, & lentam pituitam inteſtinorum tunicis adhæreſcentem detergeat: vnde Galenus *lib.* 2, *de natur. facult. cap.* 2. aduerſus Eraſiſtratum oſtendit bilem corpori non eſſe inutilem. Sapore eſt amaro, colore flauo ſeu rufo, ξάνθον vocant Græci, cui ſi humoris ſeroſi pars quædam admiſceatur, fit ὠχρὰ pallida, colore remiſſiori & conſiſtentia humidior: quod Hippocrates in biliosо humore pituiteſcere vocat aliquando. Ex his dum caloris extranei acrimoniâ ſummè coquuntur & quaſi extorrentur, vt ex flauo aut pallido igneum & ſaturatum valde colorem, & ex tenui ſubſtantiâ craſſiorem conſequantur, fit vitellina, quidquid ſentiat Auicennas, qui putauit illam fieri ex permixtione pituitæ, aſſatis ouorum vitellis ſimillima. Superſunt tres aliæ, quæ à Galeno *lib. de atra bile*, non ſolum inutiles, ſed præternaturales ex totâ ſubſtantiâ nominantur, porracea ſcilicet, æruginoſa, & cærulea ſiue glaſtea, quæ nunc in iecore & venis, aliàs in ventriculo aut aliis cauitatibus corporis generationem habent. Vtpote in ventriculo, ob eſculentorum quorumdam, videlicet olerum, betæ, braſſicæ & ſimilium cruditatem, quæ dum non poteſt ab eo vinci & in chyli naturam conuerti, colorem ſuum magnâ ex parte retinent, primumque fit porracea ſeu praſſina: in aliis verò partibus ab exurente calore & flauum colorem in viridem permutante oritur: qui ſi magis ac magis perſiſtat, æruginoſa euadit: tandem nigredini vicinior fit glaſtea ſiue cærulea obſcura, omnibus deterior, vtpote quæ parum ab atra bile diſcrepet: & hæc eſt Zinaria bilis Auicennæ, veneno proxima.

Attamen ſoluenda eſt hic difficultas. Cum enim dixerimus bilem porraceam in ventriculo generari aliquando per certorum ciborum cruditatem: dubitari poteſt quomodo bilis quæ eſt humor calidus ſiccuſque ex cruditate ſeu refrigeratione ortum habere poſſit. Ad id reſpondendum: cruditatem ventriculi duplicem

esse: vnam quæ mera est frigiditatis soboles, in qua ructus illi acidi apparent; aliam quæ fit ab æstuoso calore & præter naturam, quam sequuntur ructus illi nidorosi & humorum exustio: huius itaque sobolem esse volumus porraceam, ita vt dupliciter vitiari possint hæc alimenta, vel quando non coquuntur defectu caloris, & ibi retinent suam speciem & qualitates: atque id bilis porracea æquiuocè tantum aut propter similitudinem quandam coloris dicitur, cum tamen sit crudus & frigidus humor: vel quando illic à vehementiori calore exuruntur tantum, nec coquuntur; & acria calidioráque seipsis euadunt. Atque hæc de bile.

MELANCHOLIA. Τὸ μέλαινα apud Hippocratem & Galenum variè sumuntur, vt est *libro de atra bile*, & *Aphorism. 23. sect. 4.* ibi enim & plerisque aliis locis triplex habetur genus: Primum τὸ μέλαν seu μελαινὸν αἷμα, sanguis scilicet niger & splendens, qui extra vasa grumescit & quasi coagulatur: hac ratione differt ab aliis duobus, quæ perpetuò fusa sunt & liquida absque concretione: atque horum alterum naturale, & vtile excrementum dici meretur: alterum prorsus damnosum & præter naturam: illud τὸ μέλαινα propriè & μελαγχολικὸς χυμὸς humor melancholicus dicitur: hoc vero μέλαινα χολὴ atra bilis. Melancholia igitur propriè dicta seu humor melancholicus, est ea massæ sanguinariæ portio in hepatis secundâ coctione genita, plane terrea & velut fæx quædam ἰλὺς vel ὑπόστασις frigida siccáque, colore nigro, acerbo sapore, & consistentia crassior: cuius partem per venas deferri diximus cum sanguine, tum vt illi robur & consistentiam aliquam tribuat; tum ad nutritionem membrorum consimili temperamento præditorum & eâ materiâ gaudentium: aliam verò à liene attrahi, secerni, & expurgari, tam in superiorem ventriculi partem per vas breue seu μελαινοδόχον, vt appetentiam ibi excitet, vel certè, quod placuit Galeno, retentionem suâ acerbitate & adstrictione iuuet: quam in inferiorem aluum, vt cum reliquis fæcibus expurgetur. Gignitur hic humor plurimum consistente ætate ex cibis crassioribus & qui non facile coquuntur: circa autumni tempus, ab hominibus sollicitam vitam, curis, mœroribus, vigiliisque anxiam agentibus: quos etiam facit tardos, (& hæc melancholia dicitur asinina) tristes, plumbei, aut nigri coloris, quasi μισανθρώπους, & vitæ politicæ parum idoneos.

Hic igitur humor ita se habet naturaliter secundum primam humorum generationem: per accidens in naturis biliosis & sanguineis, aut qui hepar habent paulò calidius ficciúsque, sine vllo tamen morbo, sed sensim & præcedente ætate, portio quædam sanguinis exuritur, & in humorem melancholicum facessit, qui homines ingenioſos, magnanimos, ἐκστατικοὺς, omnium artium & scientiarum inuentores facit. Propterea áque sanguinis splendor ingenitus, aut celeres bilioſi humoris motus, accipiunt ab hoc succo constantiam & firmitatem in retinendo, versandóque varias rerum ac notionum cogitationes, vnde εὐστόχους illos appellat Philosophus *in problematis*, quasi bonos coniectores, ob profundam illam & perpetuam contemplationem rei obiectæ, ad cuius ideo naturam & causas bene collimare & progredi solent. Hoc temperamentum eleganter sub sanitatis latitudine descripsit Galenus *in arte paruâ & aliis locis*, vbi sæpe per atram bilem hunc succum leuiter exustum & consistenti ætati absque morbo valde familiarem intelligit.

At verò humor ille, quem atram bilem μέλαιναν χολὴν, & toto genere præter naturam esse iam diximus: vt inutilis planè & exitialis est, sic in nullo bene sano corpore reperitur, sed à caloris extranei exurentis, vel putrefacientis alios humores vi excitatur: cui recipiendo nullum à naturâ viscus dicatum: quem omnes partes velut infensissimum hostem auersantur: omnibus qualitatibus ingratum & nocentissimum: tantam scilicet cum aciditate acrimoniam retinens, vt exedendo exulceret, quoties partibus corporis impermistus adhæresceit. Nec tantum membra perrodit, verum etiam in terram effusus, acerrimo aceto vel potius aquæ forti simillimus eam fermentat, muscas abigit & bullas excitat: vnde pernicioſissimos morbos progignere dicitur Hippocrati *Aphorism. 22. & sequent. sect. 4.* ex quibus ægri vix vnquam euadunt, sed plurimum eo exeunte, tanta est succi malitia: sequenti die moriuntur. De causâ itaque huius humoris exusti atrabilarij efficiente omnes consentiunt, fieri scilicet à partibus plus iusto inflammatis exsiccatisque, dum succos contentos extorrent & incinerant: vel à putredinoso calore inducto in humores: de causâ tamen materiali dubitatur. Videtur Galenus aliquando existimare ex quouis humore illum excitari posse, ac proinde quatuor eius facit species *lib. 2. de natur. facult.* Prima est, quando vi putredinis aut exurentis caloris melancholia naturalis ad vltimum siccitatis gradum non sine ἐμπυρίσματος impressione peruenerit: differtque

à naturali

à naturali, vt fæx vſta à non vſtâ, à carbone pruna, ferrum candens à non candente. Secunda producitur ex bile, quæ vſtione in vitellinam, æruginoſam, & cæruleam degenerans, tandem fit atra, omnium perniciosiſſima. Tertia fit ex ſanguinis feruore: ſupra enim modum putreſcens aut exuſtus, vt eſt 3. *de differentijs febr.* parte ſubtiliori in flauam, craſſiori in atram bilem degenerat. Quarta & vltima oritur ex ſalsâ pituitâ, quæ longiori vſtione vel bilioſi ſucci permiſtione tam mordax & infeſta euadit, vt ad confinium atræ bilis accedere videatur.

Alij tamen putant neq; ex ſanguine, neq; ex pituitâ atram bilẽ genetari poſſe. Non ex ſanguine propriè dicto, quoniam mitis & blandus humor caliditate humiditatéque multâ perfuſus non poteſt tantũ incendium aut malignitatem concipere, vt in teterrimũ iſtum ſuccum exuſtione degeneret, ſed tantum in nigrum humorem, melancholiæ naturali non valde abſimilem. Pituita verò cum alba ſit, numquam in atrum colorem tranſire, niſi per alios medios, vt rubrum, flauum, æruginoſum & ſimiles poterit, ac quodammodo ſanguis aut bilis prius fieri, quod à nullo adhuc eſt conceſſum. Præterea, aiunt, cum pituita frigida ſit & humida, non eſt exuſtioni idonea, aut ſi quidem à calore attingatur, ſubtiliores eius partes reſoluuntur, remanente craſſiori & veluti lapideſcente: vnde gypſea exoritur pituita, quæ tamen albedinem ſuam perpetuo retinet. His reſpondemus: quod ad ſanguinem ſpectat; cum vſtione vel putredine atram bilem fieri poſſe, vtpote ex terrenis eius partibus velut cineritio quodam remanente: eſſe tamen inter omnes atræ bilis ſpecies maximè mitem, vtpote priſtinæ naturæ adhuc quodammodo participem: attamen bilem atram eſſe, vnde carbunculorum plurimos in cancros degeneraſſe: & febres ſanguineas putridas in quartanam deſiiſſe obſeruatum eſt. Quod ad pituitam verò ſalſam attinet, dicimus eam in atræ bilis naturam aliquando faceſſere, vel ob malitiam & erodendi ſummam vim quam longiori vſtione adipiſcitur, vel etiam quod ſi paucæ bili vſtæ aut ſanguini torrefacto miſceatur, facile fuſcedinem quamdam adipiſcitur, vt patet de fuliginis exiguâ admodum quantitate, liquoris cuiuſuis, ſed potiſſimum albi, magnam copiam inficientis: aut etiam ex inæquali & violentâ vſtione denigrari poſſe, permiſtis ſcilicet fumis cum illa, vnde carbones ex lignis etiam albiſſimis conficiuntur: quando verò ſenſim & æqualiter excoquitur, vt in articulis, propriam retinet albedinem. Atque hæc de iſtâ graui admodum difficultate ſufficiant.

Rurſum cum dictum ſit à nobis inter quatuor humores corporis noſtri duos eſſe humiditate præditos, & totidem ſiccos: quæri poteſt vtrum vnum & idem corpus humidum ſimul ſiue humor, & ſiccum dici poſſit: illa enim *συζυγία* videtur impoſſibilis. Reſpondendum eſt, humores ſiccos dici poſſe humidos, primò reſpectu habito vnius ad alterum, vnde bilis vitellina ſiccior dici poteſt pallidâ & multo ſero delibutâ: pituita humidior ſucco melancholico, quia magis eſt liquida & diffluens. Alio modo, & magis proprio, dici humores ſiccos & humidos poteſtate ſeu effectu: nam etſi humoribus omnibus commune ſit vt liquidi ſint & fluidi, non tamen omnes humectant, ſed potenter exſiccant, vt bilis vtraque, qua ratione aquam maris aut muriam ſiccas eſſe intelligimus.

SERVM SEV ICHORES. Hactenus de ſanguine, melancholico ſucco, bile, & pituita, ſub qua multi, vt Ariſtoteles 2. *de partibus animal. cap.* 4. ſerum ſiue ichoras complectuntur: quia tamen vnicuique humori, vt ſcribit Galenus *comment.* 2. *in* 6. *epid. & alibi frequenter*, ſuum ſerum adſcribitur: & ſerum nullo modo alibile exiſtit, vt pituita illa ſanguini permiſta: ideo peculiarius eſt nobis de eo nunc agendum. Ichoris autem nomen varia ſignificat apud Medicos: nam aliquando omnes humores ſubtiles & qui facilè effunduntur extra vaſa, complectitur, præcipuè quando aliquâ malignitate & acrimoniâ præditi ſunt, vt eſt *comment. in* 6. *epid. & Aphor.* 29 *ſect.* 2. vnde variæ exulcerationes fiunt in cute & pruritus 2. *epidem.* Aliquando ſumitur apud Hippocratem pro quauis ſanie & corrupto humore ex corpore noſtro emanante, vt poſt partum dicitur *ἰχὼρ ψυχὸς καὶ ἐρυθρὸς* ſeu *αἱματώδης* effluere, per quem nihil aliud intelligit, quam lochia illa in venis circa vterum retenta, quæ excluſo fœtu effunduntur. Et in vlceribus omnis ſanies ſeu tenuis humor incoctus effluens *ἰχὼρ* appellatur *lib.* 3. *meth.* & apud Celſum *cap.* 27. *lib* 5 quo ſenſu dixit Homerus Iliad. 5. *ἰχῶρα* fluxiſſe è manibus vulneratæ Veneris, quaſi cruorem aquoſum: quando dij *ἀναίμονες ἐδὲ οἶνον ἔδουσ', ἀ πίνουσι ἄϊθωνα οἶνον.* At præcipuè *ἰχὼρ* dicitur de omni humiditate tenui, quæ in maſsâ ſanguinariâ reſpondeat *τῷ ὀρρῷ*, id eſt lactis ſero: ac pro variâ humorum naturâ, variam etiam ſortitur, vt idem docet Galenus 4. *de victus ratione in acutis*, qualitatem & nomen, aliúſque bilioſus, alius melancholicus, pituitoſus,

pituitoſus, aut ſanguineus vocatur. Quam ſententiam æmulatus Plato *in Timæo*, dixit ichorem ſanguinis eſſe blandum, melancholiæ verò ἄγριον ſiue ferum. Eſt igitur ichor hic nihil aliud quam pars aquea ſanguinis & aliorum humorum, tam alibilium quam excrementitiorum, illis à naturâ tributa, vt facilius transferantur & liqueſcant per totum corpus. Si potus chylo permixtus reddit illum fluxilem & permeabilem per venas portæ ad hepar, & inde ὄχημα τροφῆς vocatur Hippocrati & Galeno *lib.4.de vſu partium*: poſtea in ſerum degenerans tranſuehit ſingulos humores excrementitios in ſua loca, totámque maſſam ſanguinis vehiculi inſtar defert ad ſingulas partes alendas: vbi munere ſuo perfunctum, quia nutritioni eſt ineptum, vel in ſudores effunditur, vel ad renes permeans in vrinam faceſſit: aut etiam, ſi maiore ſit copiâ collectum, labitur per aluum & diarrhœis excluditur, aut etiam per illa emiſſaria & fonticulos, quos illi quotidie ars medica parare ſolet. Hoc ſero igitur magis abundant partes illæ, quæ humidiore aut frigidiore ſunt temperamento præditæ, vt cerebrum, vterus & ſimiles: quâ de causâ Fernelius exiſtimauit inde repetendam eſſe omnem ſeroſarum fluxionum originem. Quod etſi illi concedi poſſit maiore ex parte, certum tamen eſt ſingulas hoc ſero eſſe præditas, eóque vel ſolâ quantitate, vel etiam qualitate peccante exundantes, illud effundere poſſe non ſolum in cutem, ſed etiam in articulos, neruoſum genus & ſimilia corporis membra. Fit autem hoc ſerum præter naturam, vel putredine humoris cui cõmixtum eſt, vel permixtione alieni & vitioſi ſucci: vnde etiam illa ſpecies cauſi ab Hippocr. commemorati, à venulis reſiccatis & inflammatis exoritur. Eſt & aliud vitium in humoribus ratione ichoris, quando ſcilicet per vehementem calorem ſuo in totum ſero deſtituuntur & ſinceri euadunt: vnde *Aphor.6. ſect.7.* Hippocrates ſummopere extimeſcit in morbo diuturno ἀκρήτους ὑποχωρήσιας deiectiones meracas ſeu ſinceras, quæ, interpretante Galeno, exuſtam eſſe omnem natiuam humiditatem à calore febrili demonſtrant, vel certè naturam ceſſare ab omni coctione & ſecretione. Reliqua de ichoribus ſcitu digna clarius in tractatu de ſudore & vrinâ, quæ ab illis fiunt velut communi materiâ, explicari debent.

PROPORTIO ET MOTVS HVMORVM. Humores iam commemorari non ſolùm κατὰ δύναμιν, id eſt qualitates ſuas ac facultatem corporis noſtri nutritionem & temperamentum efficiunt, ſed etiam κατὰ πλῆθος ſecundum iuſtam & conuenientem copiam. Ac proinde eorum debita proportio cognoſcenda, vt ex illius comparatione exceſſus humorum ſecundum copiam facilius intelligi poſſit. Certum eſt igitur in hæmatoſi ſeu hepatis coctione naturam ſemper intendere corporis commodum quantum poteſt, & pro conditione obiecti alimenti eum potiſſimum ſuſcitare humorem, qui maximè ad nutritionem faciat: illum autem minus, qui nutritioni minus ſit idoneus. Itaque maiorem ſanguinis verè dicti quantitatem molitur, quo & reliqui humores temperantur, & tota illa maſſa ad alendum, præbendámque ſpirituum generationi conuenientem materiam ſit accommodata. Poſt ſanguinem purum viriſimile eſt pituitam alibilem præſtare, vtpote quæ inſipida eſt, poteſtque in ſanguinem aliquando perfectiorem conuerti, & plures ſunt in corpore partes conſimilis temperamenti, quibus nutriendis eſt neceſſaria. Tertio loco ponunt aliqui melancholiam: alij verò variis rationibus bilioſum ſuccum, quod ipſe videtur ſentire Hippocrates *lib. de veteri Medicinâ ſub finem*, vbi vult acidum ſuccum eſſe omnium maximè incommodum. Ego tamen exiſtimo melancholiæ maiorem, quam bili quantitatem adſcribendam, in temperatâ ſcilicèt conſtitutione, tum quod plures ſunt partes alendæ, quæ cum illo habent conſimilem temperiem, frigidam ſcilicet & ſiccam, vt lien, oſſa, cartilagines, & ſimilia: tum etiam quod effuſo per venæ ſectionem ſanguine, maior multo humoris craſſi & nigri in imo ſubſidentis copia apparere ſolet, quam tenuis & flaui in ſuperficie. Non tamen negauerim in temperamentis valde bilioſis contingere poſſe, vt minor ſit melancholiæ quantitas: imo etiam aliquando pituitæ: præcipuè in morbosâ cacochymiâ aut plethorâ cacochymicâ, de quibus non eſt propoſitum hic nobis agere.

Verum obiici poteſt, ſi quidem temperamenta bilioſa, pituitoſa, melancholica etiam intra ſanitatis latitudinem appellentur ex dominatu illorum humorum: quomodo dictum eſt ſanguinem quantitate exuperare omnes alios qui in venis continentur? ſic enim omnia temperamenta ex prædominio ſanguinea vocabuntur. Reſpondendum, hoc nihil impedire, quin minus talia dicantur temperamenta: quamuis enim ſanguis perpetuò mole ſuâ exuperet alios ſuccos in venis: fit tamen vt magna ſit eius rei latitudo: aç proinde in quibus bilioſus ſuccus, pituitoſus aut melancholicus

Digitized by Google

cholicus maiori ineſt copiâ, quam in temperatâ conſtitutione, in quâ ſimpliciter ſanguis exuperat, ſine ſenſibili aliorum humorum exceſſu; in eis eiuſmodi ſuccus temperiem totius maſſæ ſanguinariæ immutat, quæ proinde nomen ab ea parte retinet, quæ viribus, non copiâ aut quantitate præpollet.

Quod ad motum verò humorum ſpectat, qui nihil aliud eſt, quam certa & naturalis eorum agitatio in diuerſa corporis loca, quaſi dicas fluxum & refluxum: credibile eſt eum à natura inſtitutum, tum ne humores diuturniore otio vitium contraherent, quemadmodum perpetuâ agitatione nimium diſſiparentur: tum etiam ad actiones ſenſuum peragendas, quando opus erat in externis corporis partibus: & celebrandas concoctiones interius, quando ſenſus externi feriantur: vnde videmus animam ſpirituum potiſſimum miniſterio adiutam per interualla, & prout à variis concitatur obiectis, vt per gaudia, mœrores, iracundias, & ſimiles affectus modò à centro ad ſuperficiem; modò ab hac ad centrum humores ciere: quod ſenſibiliter patet in ipſa vigilia, quæ euocat humores foras ad ſenſuum miniſteria, quantum poteſt: cum ſomnus ad interiora retrahat, concoctionis & reparandæ ſpirituum diſſipationis causâ. Atque hic eſt generalis humorum motus, quem perpetua ſenſuum fides ſatis confirmat: particularis verò eſt is quem ſinguli humores habere creduntur, idque dupliciter, primò ex manifeſto cum aëre ambiente conſenſu: ſecundò ex occultâ magis & latente causâ: Primus fit reſpectu quatuor anni tempeſtatum, vt diximus: vnde vere ſanguis, æſtate bilis, autumno melancholia, hyeme pituita dominari dicitur: & quatuor diei partium in quibus commouentur, vtpote ſanguis ob temperiem & conſentientem naturam mane: bilis flaua ob calorem, meridie: humor melancholicus, ſiccior & frigidior cœlo circa occiduum ſolem: pituita, noctu humore iam dominante per ſympathiam quandam ſeu ſymbolum cum aëre & elementis impellitur. Quod facile obſeruare licet in morbis humoralibus; qui enim à pituitâ ſuſcitantur, illi noctu ingraueſcunt: qui à bile circa meridiem, & ſic de reliquis. Secundus vero humoris cuiuſque motus ex occultâ magis & latente causâ oritur: vtpote quod ſanguis æquales habeat impulſiones: pituita autem quotidie: bilis tertio quoque die: melancholia autem quarto ſuas exacerbationes in continuis, aut per paroxyſmos in intermittentibus exerceat. Cum enim illud ad quantitatem ſolam vel qualitatem manifeſtam referri nequeat, neceſſariò in ſingulis *idiorρωμία* agnoſcenda eſt, ſiue motus ex occultâ proprietate, de quâ in tractatu febrium fuſius diſputatur.

HVMORES SECVNDARII. Non ſufficit Phyſiologo ſcire humores in primâ ſecundáque corporis noſtri officinâ procreari certâ quantitate, ſeu proportione, & certis qualitatibus eſſe præditos ad partium nutritionem: niſi etiam rationem teneat quâ eiuſmodi ſucci per venas tranſlati & à ſingulis membris conuenienter attracti in proximam eorum alimoniam conuertantur, & *ὁμοίωσιν*, coctionis omnis vltimum finem vbique aſſequantur. Galenus 1. *de natur. facult.* apertiſſimis hoc verbis deſcripſit. Poſtquam enim oſtendit quam variæ alterationes & expurgationes requirantur, vt alimentum illud externum corpori diſſimile, ſed tamen analogum, quod Hippocrati dicitur *τὸ μελλὸν τρεφὴ*, id eſt nutriturum, fiat ſimile, & prius in ſanguinem conuertatur, qui dicitur Hippocrati *libro de alimento*, *τὸ οἷον τροφὴ*, tanquam actu nutriens: quàm eſſe poſſit *τροφὴ τὸ τρεφὲν*, verè & actu nutriens. *Poſtquam*, inquit, *ſuccus is à venarum etiam capillarium conceptaculis excidit, qui omnem animalis particulam nutriturus eſt, in totam primùm eius ſubſtantiam roris inſtar diſpergitur: mox illi adiungitur ſeu agglutinatur: demùm aſſimilatur*: differie enim inter ſe adhærentiam illam ab aſſimilatione docet illa vitiliginis ſpecies, quam *λειχὴν* appellant, in quâ appoſitio quidem ſeu agglutinatio fit humoris, ſed qui non aſſimilatur. In hydrope autem, præcipuè anaſarca dicto, fit quidem multa nutrimenti in partes affuſio: quod tamen quia aquoſum nec ad ſiccum ſufficienter redactum, nec lentorem & glutinis conſiſtentiam, quæ naturalis caloris ope prouenit, adeptum, adhærentiam conſequi non valet: ſed delabitur & partibus minimè vnitur. Per atrophias autem & tabes vel propter ſiccitatem nimiam non fluit, vel propter conſumptionem non defertur, aut diſſeminatur in partium ſubſtantiam. Vides quam apertè hoc in loco Galenus totam nutritionis rationem expreſſerit: cui adde ſi vis locum ex *libro ſeptimo methodi*, *capite ſexto*, vbi quatuor ſiccitates quæ membris contingere ſolent, accuratè deſcribit. *Eſt*, inquit, *prorſus conſummata ſiccitas, vbi ſolida ſimplicium partium ſubſtantia reddita eſt ſiccior*:

altera verò, cum ea quorum ſubſtantia ex humore concreto conſtat, ſicut caro aut adeps, ſunt liquata: etiam tertia ante hæc, cum proprium humor, vnde partes nutriuntur, omnino eſt abſumptus: alia denique ſiccitas eſt, qua in propriis cuiuſque particulæ exilibus venis & arteriis conſiſtit: prouenit autem hæc ex ſanguinis penuriâ. Hæc Galenus.

Ex his manarunt quatuor illi humores ſecundarij ſeu humiditates Auicennæ, vulgo à Barbaris decantatæ: quarum prima ἐπώνυμος dicitur humor alibilis in extremitatibus exilium venarum: ſecunda ros appellatur, humor tenuis & roris æmulus, per omnia tranſiens membra, & nutritioni accommodatus: tertia cambium, concreſcens iam humor & incipiens mutari: quarta gluten dicitur, aſſimilata iam materia, per quam partium continuitas exiſtit, & illarum ſubſtantia vltimò reparatur. Qua in re dubitare licet, quomodo hæc, quatuor humores ſeu humiditates dici poſſint: quandoquidem cambium illud & gluten non ſunt corpora fluida, ſed iam concreta, & partium naturam æmulantia: item quomodo ros ille, qui è venis capillaribus exiliens in partium ſubſtantiam effunditur, ibidem conſeruetur, cum tamen ſanguis quotidie extra vaſa proiectus corrumpi ac putreſcere videatur. Reſpondendum primæ quæſtioni, iſta dici humiditates ſeu humores ſecundarios, quia proximè ab aliis fiunt, nec adhuc partis nomen adepti ſunt: tum quod reſpondent ſeu opponuntur totidem ſiccitatibus iam à Galeno deſcriptis, pro quarum numero ex ratione contrariorum ſuas etiam deſcripſit humiditates Auicenna. Ad ſecundam vero dicimus, rorem & alias humiditates in partium poris non putreſcere, propterea quod in illis proprium habent ſuum locum conſeruationis, non minus quam ſanguis in venis aut arteriis, ibique iam vel vitâ donati, vel vitæ ſunt proximi: cum in phlegmone ſanguis præter naturam nimiâ quantitate effluat in illos poros, & ibi deſtitutus à naturæ regimine putreſcit, & tandem ſuppuratur. Atque hæc de humorum naturâ, differentiis, cauſis & effectis dicta ſufficiant. Quod ad oculi enim humores & ſimilia ſpectat, ea in anatome & partium hiſtoria deſcribuntur. Nos vero ad tractatum de ſpiritibus & calido innato accedamus.

CAPVT V.

De ſpiritibus & calido innato.

QVID SIT SPIRITVS. Corpus noſtrum eſſe ξύμπνοον καὶ ξυῤῥοῦν, conſpirabile, & confluxile docuit ſæpe Hippocrates, & experientia ipſa confirmat, quæ motus & agitationes fieri humorum ἔνθα καὶ ἔνθα, hinc & illinc obſeruauit indeſinenter, confeſtim & magno impetu, vt partium palpitationes, diaſtoles, ſyſtoles, & varias attractiones, expulſionéſque, tam in conſueto hominis ſtatu: quàm, idque euidentius multò, dum paſſionibus animi, irâ, gaudio, mœrore, verecundiâ, & ſimilibus torquetur. Eſſe igitur aliquid, quod agitet, moueat & concitet humores, partéſque ſolidas, quæ ſponte ſua & naturali grauitate quieſcunt, præter ipſam animam ſeu formam immaterialem & per ſe immotam, docet ſyncope ſeu præceps virium omnium lapſus abſque vllâ ſubſtantiæ humoralis vel ſolidæ deperditione: illiuſque reuocatio, quæ ſolis odoratis & vaporoſis perficitur. Adde quod natura vix vnquam extrema & omnino oppoſita ſine medio iungit, potiſſimum ad operationes obeundas: inter corpus itaque & animam aliquid intercedere oportuit velut commune vinculum & intermedium inſtrumentum (inquit Aphrodiſæus) quo illa vteretur ad hanc molem agitandam: illud autem non potuit commodius præſtare, quam ex ſubtili, aëreâ, aut potius æthereâ ſubſtantiâ, quæ in nobis continetur, & omnia per omnia, vt loquitur Hippocrates *lib. 1. de diæta*, permeans animæ munera omnia perficit. Hoc ſatis oſtendit ſeminis illius prolifici ex quo ſuſcitamur, natura, tota ſpumans, & ſpiritu turgida, quo euaneſcente liquor ſolum aqueus, & infœcundus remanet: oſtendit etiam clarè ſummâ illa reſpirandi neceſſitas, ſine qua vix per horæ quadrantem ſubſiſtere viui poſſumus: & magnæ, cordis, cerebri, arteriarumque cauitates, quæ vt in demortuis concidunt: ſic in viuentibus diſtentas fuiſſe oportuit ſubſtantiâ quadam ſpirituosâ

Digitized by Google

tuosâ : Ac proinde veteres Medici meritò corpus noſtrum ex triplici conſtare ſubſtantiâ voluerunt, ſolidâ, humorali, & ſpirituosâ : merito etiam dixit Hippocrates corpus noſtrum diuidi in ἴσχοντα, ἰσχόμενα & ἰσχοῦντα : per impellentia ſeu impetum facientia, ſpiritus intelligens.

Eſſe igitur in nobis ſpiritus conſtat. Priuſquam tamen quid illi ſint & reliqua ad eos pertinentia explicemus : ſciendum ſpiritus nomen multipliciter ſumi : aliquando enim complectitur omnem ſubſtantiam incorpoream & inaſpectabilem, vt tertiam perſonam Trinitatis, Angelos, Dæmonas, animam ipſam : aliquando totam illam ætheris aëríſque nobis circumfuſam, & ſpirabilem molem, quam Ambientis nomine Medici exprimunt : vnde Hippocrates dixit ſpiritum maximum eorum quæ in corporibus fiunt authorem & dominum : tria enim facit alimenta, cibum, potum, & ſpiritum ; per hunc intelligens tum aërem externum, quem pro alimento animantibus eſſe voluit : tum interiorem illam ſubſtantiam tenuem & aëream : quam rurſus duplicem facit, flatum ſcilicet & ſpiritum, φύσαν καὶ πνεῦμα : φύσαν quidem craſſiorem, impurum, nebuloſum, & quaſi noxium in nobis halitum : vnde tot genera morborum & ſonituum in nobis, erumpente aut coërcito violenter flatu : πνεῦμα autem puriſſimam, tenuiſſimam & vitæ conſeruandæ omnino neceſſariam exhalationem, calorique natiuo coniunctiſſimam.

Eſt ergo ſpiritus ſubſtantia tenuis, lucida, & ætherea, tam inſita corporis noſtri partibus, quam ab exhalatione ſanguinis benignâ & inſpiratu aëris deinceps genita & influens, ad vniuerſas functiones corporis obeundas neceſſaria. Dicitur *ſubſtantia*, quia conſtituit & complet corporis noſtri ſubſtantiam, quam prius diximus ex ſolidâ, humorali, & ſpirituosâ conſtare. Neque enim accidens vnquam illud eſſe poterit, quod pars eſt corporis aut ſubſtantiæ corporeæ. Eſt autem *ſubſtantia tenuis*, imo tenuiſſima, quia penetrat & peruadit totam molem corpoream, omnia per omnia, ſubito & quaſi in inſtanti : replet minutiſſimos particularum poros, & muſculorum interſtitia ſeu interiectas rimulas ſubit naturaliter, vt eſt apud Hippocratem *lib. περὶ τέχνης*. Dicitur autem *lucida & illuſtris*, non ex opinione vulgi, vt putat Argenterius ; ſed quia ſplendoris & perſpicuitatis maximè eſt capax, vtpote naturæ illius æthereæ & cœleſtis particeps, quæ lucis & claritatis primaria eſt origo : Reſpondet enim, ex ſententiâ Ariſtotelis 2. *de generat. animal. cap.* 3. proportione quadam elemento ſtellarum. Hæc luciditas & ſplendor ſpirituum maximè ex eo patet, quod ſi humoris melancholici vaporibus inficiantur, aut malis halitibus cuiuſque rei externæ vel internæ, vt in ebriis, obſcurentur, ſtatim exoriuntur interiores illæ ſpirituum tenebræ præter naturam, quæ omnes ſuperioris animæ functiones obnubilant & peruertunt. Huius rei ſignum dat etiam Auicennas *lib. de viribus cordis: quia anima*, inquit, *noſtra cum ſpiritibus gaudet luce, non tenebris : & ſpiritus valde ſunt alacriores die ſereno quàm nubiloſo, quia à ſimili exſuſcitantur & fouentur ; à contrario vitiantur.* Vt igitur aër attenuatus & elaboratus faceſſit in ſuperiorem ætheris naturam ſiue elementi illius purioris, quod cœleſtibus corporibus propinquius eſt : ſic longâ in corporibus noſtris elaboratione & quaſi circulatione fit puriſſima, ætherea & pene diuina illa ſubſtantia, animæ & corporis vinculum, vtriuſque naturæ quaſi particeps & intermedia. Diximus autem ſubſtantiam hanc ſpirituoſam tum eſſe infixam & ex ſemine in ſingulas partes deriuatam ad particulares actiones obeundas : tum influentem ex præcipuis corporis noſtri fontibus, ad excitandam vim inſiti in ſingulis membris calidi natiui : vnde vulgo in ſcholis ſpiritum duplicem, inſitum ſcilicet vel complantatum, quem Stoici olim ἕντονον vocabant ; & influentem ſeu tranſlatum, qui ſit veluti ἐντελέχεια perfectio & exſuſcitatio inſiti illius : Quem in ſingulis adeſſe partibus id conficit & demonſtrat, quod cum ſimile à ſimili generetur, quod ſine illius operâ, videlicet in corde & aliis partibus, non poſſet alius, nempe influens, progigni : & quod facultas alteratrix, auctrici ac conformatrici ſubſeruiens non poſſet ſuos effectus in particularibus iſtis locis perficere, niſi operâ & auxilio perfectioris huiuſce inſtrumenti : etenim ſemen, quod ex ſingulis corporis partibus prolabitur, ſatis oſtendit materiam quamdam ex illis ſpirituoſam deriuari, à ſanis ſanam, à morboſis morbidam, quæ illarum vim & naturam in prole repræſentat. Spiritus igitur ille intus alit & magno ſe corpore miſcet, à ſemine primò in totum ſparſus, & deinceps in materiâ pingui, oleosâ, ſiue primigenia ſuſtentatus, de quâ mox accuratius, dum calidi innati naturam explorabimus.

Influens autem vt efficientem ac primarium authorem agnoſcit inſitum, cum certâ partis alicuius principis & præſtantioris temperie: ſic finalem, vt iam dicebamus, perfectionem, ſeu exſuſcitationem inſiti, qui in dies diſſipatur ac diffluit, indigetque iſtius refectione ſeu renutritione, vt perdurare poſſit: materialem autem duplicem, tum exhalationem tenuiorem & benigniorem ſanguinis, tum aëris externi & ſolis calore illuſtrati aduentum: quibus per varias præparationes & concoctiones perficitur, ita vt varias ſortiatur ſpecies. Vltimo addidimus in definitione noſtrâ, *ſpiritum eſſe neceſſarium ad omnes corporis functiones obeundas*: quod ſatis oſtendit vnica syncope, in qua ob defectum vel retractionem ſpirituum, vires omnes ſubitò collabuntur & actiones intercidunt. Oſtendit etiam id, quod intercepto canali per quem influxus fit illorum in certam partem, illius functio violatur, & ſi quidem diutius id contingat, tandem intermoritur. De quibus omnibus deinceps accuratius pertractandum.

NVMERVS, CAVSÆ, ET EFFECTVS SPIRITVVM. Diximus alium eſſe ſpiritum inſitum, alium verò influentem. Inſitus ergo & vniuerſi corporis partibus inhærens, vniformis eſt & eiuſdem naturæ, vtpote à ſemine æquabili & ſibi vndiquaque ſimili deriuatus: At influens cum ex diuerſis ac temperie omnino naturâque diſcrepantibus partibus proficiſcatur, & facultatis certæ, non cuiuſuis ſit delator: videtur diuerſus eſſe, non vnus & idem ſpecie: nam qui ab hepate cum ſanguinis maſsâ per venas effunditur, is nutritioni potiſſimum dicatus, naturalis dicitur: qui verò à corde per arterias proficiſcitur, vitalis appellatur, quoniam in perfectis animantibus vita non ſolum craſſiore illo ſpiritu & ſanguine conſeruari poterat, ſed per actionum multitudinem & diſſipationem continuam; indiguit alterius vberioris calidioriſque operâ, quem ideo vitalem quaſi per excellentiam dixerunt. Præterea cum non ſolum viuere, ſed etiam bene viuere propoſitum ſit, quod non poterat eſſe in animantibus magis quam in plantis, niſi per ſenſum tam internum quam externum & motum quem progreſſiuum vocant, ſub appetitus imperio poſitum: Ideo huiuſce facultatis animantibus propriæ conſtituit inſtrumentum proprium & delatorem ſpiritum, eum qui à cerebro per neruos in partes omnes ſenſui ac motui accommodatas, animalis ideo dictus, defertur. Eſt ergo à Galeno, Auicenna, & reliquis authoribus probatiſſimis, triplex ſpiritus conſtitutus, animalis ſcilicet, vitalis, & naturalis, pro numero facultatum præcipuarum in nobis, & diuerſitate partium principum à quibus illi influunt, partiúmque per quas deferuntur varietatem. Quæ tamen maximas apud alios patiuntur difficultates.

Quidam enim naturalem influentem eſſe omnino negant. ſed penitus inſitum: quidam etiam de animali dubitant, vtrum talis detur in cerebri ventriculis ad principes functiones obeundas, & vtrum influat in partes per neruorum canaliculos, quod illi potius irradiatione quadam fieri exiſtimant. Argenterius denique vnicum eſſe ſpiritum influentem putat, qui omnibus illis facultatibus inſeruiat, nullâ ratione diſtinctum, ſed conſimilem, vt vnica eſt anima, vnus calor, vnicum partium alimentum, nempe ſanguis; & vnicus qui inſpiratur aër. De his agendum eſt breuiter, vt adductus à nobis ſpirituum numerus ſtabiliatur. Qui naturalem itaque ſpiritum eſſe negant, primò Galeni authoritatem adducunt, dubitantis de hoc ſpiritu *lib.* 12. *meth. cap.* 5. *Quod ſi aliquis*, inquit, *naturalis ſpiritus eſt, vtique is in iecore, tanquam fonte, & venis, vt inſtrumentis, continebitur.* Etenim, vt dicunt illi, ſpiritu naturali, qui nutriendi facultatem ad corporis partes deferat, non eſt opus, quod ea omnibus corporis partibus ſit inſita, non ſecus atque magneti lapidi vis attrahendi ferrum, & ſuccino paleas: vt in *lib. de natur. facult.* longâ oſtendit diſputatione Galenus. Præterea adferunt illum ex 1. *de ſympt. cauſis* locum, vbi ille vult, πᾶν τὸ ἔργον φυσικὸν ὁμοίως ἁπανταχοῦ κατά τε τὰ φυτὰ καὶ τὰ ζῶα. Nutriuntur itaque, creſcunt & generant plantæ, non minus quam homines, omniaque obeunt munia ad virtutem naturalem ſpectantia ſine influxu: quare non eſt ponendus illius facultatis per ſpiritum influxus in hominibus. Ad hæc reſpondemus, nos Galenum aliquando de hoc ſpiritu dubitaſſe, quoniam eſt rudior adhuc & materialis, vt ipſemet vocat; nec tam manifeſtus quam is qui vitalis vocatur: neceſſariò tamen conſtituendus, non quidem vt inſitas ſingulis partibus facultates attrahendi, retinendi, concoquendi & expellendi deferat: ſed vt ab hepate in venas tam quæ ipſum præcedunt, quam quæ ſubſequuntur, vim quamdam præparandi, perficiendique ſanguinem, diſtribuat, quæ illis vtpote ſubſtantia omnino diuerſis, inſita eſſe non poteſt, vt Galenus docuit *lib.* 6. *de placitis.* Cum itaque hanc deferri facultatem oporteat, idque per accommodatum inſtrumentum, nempe ſpiritum, quid erit quod eum tollere poſſit? Nam finalis

adest causa manifestissima, delatio facultatis ad præparandum & elaborandum sanguinem: efficiens, nempe ictoris partis principis temperies, cum calore & spiritu insito: materialis ex quâ, in quâ & per quam: ex quâ, nempe exhalatio benignioris sanguinis, cum aëris portione quæ illi per transpiratum, per arteriolam, & diaphragmatis perpetuam ventilationem communicatur: in quâ, nempe locus generationis, qui est in ipso hepatis sinu circa ampliores illas venas supra & infra positas, potissimùm verò vbi est transitus à portâ ad cauam per magnam illam vasorum velut radicum inuicem coëuntium communicationem: per quam vero, est locus delationis, videlicet venæ ipsæ, quæ quamuis arteriis ipsis tenuiores, sufficiunt tamen ad retinendum eiusmodi halitum spissiorem & adhuc minus elaboratum, quo etiam non palpitant aut mouentur, quia hepar principium venarum in quiete positum non agitat orientes ab eo venas: & ille spiritus non tantâ mouetur agilitate, quantâ vitalis.

Æquum est igitur naturalem hunc spiritum constituere, velut præparationem quamdam vitalis, cuius generatio in corde erit facilior ex spirituosâ istâ & iam attenuatâ materiâ: quam ex solo & spiritibus destituto sanguine. Quemadmodum igitur ex vitali velut materiâ credunt fere omnes, animalem adhuc perfectiorem confici: sic ex portione naturalis spiritus & sanguinis puriors in cordis sinum dextrum effusi, vitalem excitari: quod Hippocrates eleganti sermone expressit *lib. de corde*: vbi vult spiritum nutriri purissimâ & illustri substantiâ ex sanguinis διακρίσει seu secretione orta: vitalis enim hic spiritus duplicem habet materiam, eam videlicet quam commemorauimus, & aëream per inspiratum attractam, in pulmonibus præparatam, & in sinistrum cordis ventriculum delatam: vt alteri permisceatur, quæ per mediam cordis substantiam seu interiectum illud septum multis foueis, & veluti cuniculis, præcipuè in viuentibus peruium, impellente naturâ, ac sanguinis ipsius feruore meatus dilatante, in sinistrum transferturiquidquid alij aduersus doctam hanc Galeni sententiam argutentur (nempe Columbus, qui per venam arteriosam transuehi putat: Botallus per foramen insigne à dextrâ in sinistram cordis auriculam permeans: Vlmus, qui ex liene per arterias in sinistrum cordis ventriculum) vtraque materia in cordis proprio ἐργαστηρίῳ attenuata, calfacta, & penitus elaborata vi insiti caloris & spiritus, fit vitalis, qui per arterias velut tubulos, continendæ huic tenuiori materiæ sextuplo venis crassiores à natura fabrefactas in totum corpus transfertur, vt vi sua & quasi lumine totum corpus foueat & illustret. Atque hæc est vitalis spiritus confectio & delatio, quam ridiculo quodam experimento quidam expugnare conantur: Si enim, inquiunt, in præcisam arteriam calamum secundum illius longitudinem immittas, & constringas arteriam laqueo, cum spiritui pateat via per calamum, partes quæ vltra laqueum sunt, immotæ statim redduntur: etenim quomodo præcisâ arteriâ spiritus in eâ continebuntur, immisso potissimum intus calamo? aut quomodo subsequentes partes moueri poterunt, cum non tantum spiritus influxu, sed primo illo cordis motu agitari velimus? Frustra igitur illi spiritum vitalem & facultatis per eum delationem inficiantur, quam ipsemet sensus sufficienter demonstrat.

Vt igitur ex naturali vitalem excitari, sic ex hoc per arterias in cerebri sinus delato, fieri animalem prius diximus. Nunc autem modum quo illud perficitur, videamus. Vitalis ergo hic spiritus cum sanguinis arterioſi copiâ per carotidas & ceruicales arterias in cerebri basin, inde in superiores defertur ventriculos, vbi aëris inspirati per nares & os portioni permistus formam suam & speciem adipiscitur. Itaque præparatio illius fit in plexibus illis minutulis arteriolarum, quos ideo natura, sicut & in aliis partibus, imo maiori curâ retis instar affabrè confecit: ibi igitur attenuatur magis ac magis spiritus ille vitalis, tandemque in cerebri ventriculos per tenues poros vel orificia effusus, aërique attracto & prius, vt quidam putat, in ossis illius cauitate quod fontis vocant, præparato, commixtus & elaboratus ab ipsâ partis, nempe cerebri substantiâ, per illos quatuor insignes ventriculos, tandem in vltimum peruenit, non solùm vt principibus animæ nostræ facultatibus idoneum suppeditet instrumentum: sed etiam per ipsam cerebri substantiam & neruos sparsus variè distribuatur, ad sensuum exteriorum perfectionem & complementum. Nec obstat quod aliqui obiiciunt, cerebri substantiam frigidam humidamque non esse aptam elaborationi spirituum: item ventriculos cerebri multâ pituitâ & excrementis scatere, quibus facillimè eiusmodi substantia spirituosa inficeretur: vel certè concresceront illi spiritus, & instar vaporum in aquam condensarentur: aut per manife-

ſtiſſimos ductus, vel etiam occultos præ tenuitate ſuâ euolarent: nec vmquam ob leuitatem ſuam & raritatem cogi poſſent, vt ad inferiores neruos & imas corporis partes delaberentur. Nos enim reſpondemus, talem cerebri temperiem conſultò factam eſſe à naturâ, vt vitalium ſpirituum feruor ab eâ reprimeretur, cogitationibus noſtris & ſenſationibus firmitas compararetu: Sufficit tamen actualis ille cerebri calor cum ſubſtantiæ ipſius proprietate ad elaborandos ſpiritus, iam præparatos & attenuatos, quemadmodum fabris ferrariis tenuior lima ad perpoliendum illud, quod iam validioribus aut craſſioribus dedolatum præparatumque fuit. Continentur quidem in cerebri ventriculis excrementa, quemadmodum in aliis cauitatibus quæ cocrioni cuidam dicatæ ſunt: ſed cum illa perpetuo effluant & expurgentur, non poſſunt inficere ſpiritus animales, quamdiu cerebrum ſecundum naturam ſe habet. Non concreſcunt autem ſpiritus in cerebro vt vapores præ denſitate & frigiditate illius, quia non ſunt aqueæ, ſed potius igneæ aut æthereæ naturæ participes. Neque euolant per illos ductus inſtar fuliginum aut excrementorum, quia ab amicâ partis naturâ & familiaritate ſubſtantiæ retinentur. Coguntur autem, diriguntur & demandantur in neruos ſubiectaſque partes, animæ noſtræ vi, cuius imperio ſunt obſequentiſſimi & veluti facultatum adminiſtri.

Verum inſurgunt illi denuò, & obiiciunt: ſi quidem ventriculi cerebri ſpiritibus ſunt pleni, cur non fiunt perpetuò ſenſationes cogitationeſque, cum ſemper adſint animæ ipſius facultates? Reſpondemus, animam noſtram numquam ociari, quoties obiecta vel externorum ſenſuum vel internorum illam afficiunt, modo tamen magis, modo minus, prout varia conſtitutio ſpirituum iſtorum ſecundum qualitatem quantitatemque eſſe poteſt. Ad quorum reſtaurationem prudens natura ſomni beneficium commodiſſimè animantibus conceſſit, per quem veluti factis induciis aliquantiſper feriarentur. Eſto igitur ſint ſpiritus in ipſo cerebro, velut primarium animæ ad principes functiones exercendas inſtrumentum: Videamus nunc an etiam influant per neruos ad delationem facultatis ſenſoriæ & motricis. Galenus enim hac in re valde eſt ambiguus, & apertis verbis ſæpius pronunciauit ſolâ irradiatione, nullo corporeæ rei, qualis eſt ſpiritus, influxu facultatem deferri. Et rationes ſunt multæ, quę idem ſuadere videntur. Etenim cum ſpiritus corporeus ſit, nec in inſtanti moueatur, ſi quidem facultas per eum ad alias partes trãsferretur, nequaquam repente communicari poſſet, ſed ſub certo quodam temporis interuallo: At nos tam cito ſentimus v. g. rem calidam, ac illa admota fuerit: tam citò mouemus pedem vel manum quam volumus, vnóque momento varias exercemus motiones: ergo id fit ſolius qualitatis, non corporis diffuſione. Præterea ſi aliquis ſpiritus influeret animalis ad ſenſum & motum, ille per aliquod tempus ſenſationem motionemque in partibus efficeret ſine alterius aduentu: ſed contrarium ſuadet experientia: nam eodem momento quo vel cerebrum vel neruus obſtruitur, concidit etiam motus & ſenſus in toto corpore, vel in eâ parte ad quam defertur. Item ex diſſipatione eorumdem ſpirituum contingeret infirmitas quædam & debilitatio in partibus: ſed phrenitici, in quibus ob affectum cerebri & totius corporis φλόγωσιν veriſimile eſt magnam eorum iacturam contingere, validiſſimos edunt motus, imo ſenſibus aliquando ſunt acutiſſimis, vt viſu & auditu. Denique cum nullæ ſint in neruis cauitates ſenſiles & ductus manifeſti, quomodo per compactam denſamque neruorum ſubſtantiam delabentur ſpiritus, qui pituitæ illis adhærentis particulam, vt in paralyſi, permeare non poſſunt? Quod enim de cauitate neruorum opticorum vulgo fertur, Anatomici noſtri falſum compererunt, & vno clauſo oculo alterius pupillam dilatari per influxum ſpiritus vitalis in arteriis, non neruis contenti, fieri animaduertunt: quoniam nerui illi optici dicti in partem oculi interiorem diſtribuuntur.

His & ſimilibus argumentis influxum facultatis motricis & ſenſificæ per ſolam irradiationem ſeu qualitatis diffuſionem fieri conficiunt: quibus tamen non eſt aſſentiendum. Nam cum iam à nobis probatum ſit ſpiritus animales in cerebro generari, & eſſe primum ac proprium animæ noſtræ inſtrumentum ad ſua exercenda munia, quia non poterat immediatè craſſioribus illis corporis partibus vti, ideo cenſemus neceſſariò ſenſum ac motum beneficio ſpiritus exerceri in toto corpore, quia omne agens producit actionem ſuam per proprium & peculiare inſtrumentum. Hinc fit vt multi ægri ratione & memoriâ conſtantes, moueri tamen aut bene ſentire non poſſint defectu ſpirituũ qui debent influere ad ſingulas partes. Hinc etiam contingit defatigatio in ſenſibus & partibus motui dicatis, quando ſpiritus per labores & exercitationem nimiam aut diuturnã ſunt imminuti: ita vt motus ad quem maior copia illo-

rum

rum requiritur quam ad ſenſum, prius debilitetur, quam ipſe tactus. Ad rationes verò ſuperius adductas dicimus, Galenum aliquando dubitare, ſed numquam negare ſpiritus animalis influxum ſimul cum irradiatione. Quamuis enim ſpiritus corporeus ſit, tantâ tamen eſt tenuitatis ac mobilitatis, vt ferè momento percurrat omnes corporis noſtri partes: & perpetuo aliquis adeſt in partibus, qui ſenſationem motionemque producere poteſt, dummodo adſit animæ imperium, quod vocant principij aſſiſtentiam, & irradiatio facultatis, ſine qua in præciſis, ligatis aut obſtructis neruis exerceri nequeunt. Phrenitici autem propter mentis perturbationem & cerebri ac neruorum ſiccitatem aliquando exactius ſentiunt aut violentos edunt motus, qui tamen in ſummam infirmitatem illis reſipientibus deſinunt. Sufficit autem ſpiritibus hiſce tenuiſſimis ſubſtantia neruorum medulloſa & poris referta, per quos deferuntur facillimè, vbi ſecundum naturam ſe habet: vbi verò pituitâ aut ſero repletur; vel propter ſummam eorum mollitiem motus debilitatur, vel propter ſummam repletionem permeare non poſſunt. Adde quod eadem ratio facit contra eos qui irradiationem admittunt. In oculis etiam fieri dilatationem pupillæ ex aduentu ſpirituum, non ſolum vitalium, ſed etiam animalium, euidenter illud oſtendit, quod vno clauſo vel obcæcato, alter clarius & perſpicacius videt. Quare ex præcedenti diſputatione concludimus triplicem eſſe ſpiritum in nobis ſpecie & formâ diſtinctum, quo per vniuerſum corpus influente, anima quamuis vnica, ad varias tamen functiones exercendas, velut proprio inſtrumento, vtitur: eumque producit ex vnico quidem alimento & inſpirato aëre velut materiâ, ſed variis modis præparato, pro diuerſitate temperamenti & ſubſtantiæ partium in quibus conficitur: quemadmodum vnaquæque earum ex eodem ſanguine propriam ſibi alimoniam præparat & peculiariter immutat.

Quod verò attinet ad Actuarium & Auicennam, quorum ille exiſtimauit ſpiritum ventriculi influentem addendum eſſe, quo inteſtina munus illud chylificum exercere poſſint: hic verò teſticulorum, quo toti corpori robur & virilitas conciliatur. Reſpondemus, ſpiritum ventriculi & inteſtinorum eſſe potius inſitum quam influentem, & vim ſuam perfectionemque ab aliis influentibus ſuſcipere per venas, arterias, & neruos: nec inteſtina ab eo aliquem ſpiritum aut facultatem recipere, ſed ſolam materiam, quam ſimilitudine ſuæ ſubſtantiæ maximâ conficiunt & elaborant. Sic teſticulos nullam habere peculiarem facultatem indiuiduo neceſſariam, aut ſpiritum qui influat, ſed eſſe veluti aggregatum aliarum trium facultatum, potiſſimum verò naturalis, in quo vis illa generatrix eluceat, per confectionem ſeminis ex humorali & ſpirituoſâ materiâ à præcipuis corporis partibus deriuatâ.

Recipiunt itaque teſtes facultatem & materiam ab aliis: non emittunt in reliquum corpus, ſed extra corpus ad procreationem hominis & ſpeciei conſeruationem: vnde ratione ſpeciei inter principes & nobiliſſimas partes aliquando recenſentur.

Quibus ita conſtitutis de numero ſpirituum influentium, cum dixerimus illos generari ex variâ materia, & ad vitæ functiones potiſſimum facere: dubitari poteſt vtrum ſpiritus nutriantur & viuant. Nutriri ſcribit Hippocrates *lib. de corde & natura pueri*, item Galenus ſæpe, & ratio ſuadere videtur: nam ſi nutritio nihil aliud ſit quam refectio ſeu reſtauratio deperditi, quæ fit per aſſimilationem aduenientis alimenti in ſubſtantiam nutriendi: certiſſimum eſt ſpiritus iſtos non ſolum influentes, ſed etiam inſitos quotidie reſolui & reparari per aëris inſpirati aduentum & tenuiorem ſanguinis exhalationem, quæ vi ſpiritus inſiti in partibus aſſimilatur & certam ſpeciem adipiſcitur. Si nutriantur, ergo etiam viuunt, quoniam vita nutritione potiſſimum conſtat & agnoſcitur. Hæc quamuis valde probabilia videantur, veriſimilius tamen ſpiritus non nutriri, ac proinde non viuere, quemadmodum nec humores: ſed Galenum atque Hippocratem nutritionis nomen latâ ſignificatione ſumpſiſſe pro omni refectione & repoſitione. Quemadmodum ergo ſanguis non nutritur, ſed reparatur per aduentum noui ſanguinis in hepate geniti & in locum deperditi perpetuò aduentantis: ſic ſpiritus influens reſtauratur per acceſſionem alterius ex partibus principibus deriuati, vbi propriè conficitur. Oportet enim manere quod nutritur propriè, vt attrahat nouum alimentum, concoquatque: oportet etiam in omnem dimenſionem nutriri, ſparſo ſcilicet per eius ſubſtantiam alimento, quæ cum ſpiritibus potiſſimum influentibus (de implantato alia eſt ſententia) conuenire non poſſint, concludimus illos refici quidem, ſed non verè nutriri, nec vitâ præditos eſſe, ſed vitæ officium ſuum ac operam ſuppeditare per delationem facultatis ad partes.

Digitized by Google

QVID SIT CALIDVM INNATVM, ET QVÆ NAM HVMIDI PRIMIGENII NATVRA. Τὸ ἐμφυτὸν θερμὸν calidum innatum non esse simplicis alicuius qualitatis appellationem apud Medicos docet Galenus *comment. in Aphor. 14. sect. 1.* sed substantiæ viuentibus propriæ, quæ caliditatis certam speciem seu gradum, in spiritu complantato ac humido primigenio, oleoso & pingui, per omnes corporis partes sparso, fundarum complectitur. Talem autem calorem innatum, viuentibus proprium & familiarem, adesse, ab eo scilicet qui primam corporis & partium solidarùm mixtionem sequitur, id ostendit: quod defuncto animante supereſt illa ex primis elementis & qualitatibus mixtio, iam extincto vel resoluto proprio viuentis calore. Ostendit etiam multorum animantium & stirpium constitutio, quæ cum ex elementari illa constitutione, frigidissimæ existant, vt mandragora, altercum, salamandra, torpedo & similes, habent tamen hunc calorem viuificum, quo nutriuntur, augentur, & conseruantur, quamdiu præsens fuerit: absente vero pereunt. Vnde Hippocrates *lib. 1. de diatâ*: *Hic*, inquit, *omnia per omnia gubernat, & hæc & illa, numquam qui esces*: & *libro de carnibus*: *Calidum omnia miscet, omnia vinificat.* Et Aristoteli vita nihil aliud est quam permansio caloris in certo humido: nam siccum non esse huius caloris subiectum id probat, quod vbi siccitatem acquisiuit, continuò caliditas illa natiua fit præter naturam, operationes peruertit, & corpus totum absumit. Verum cum humidum sit duplex: vnum quidem aqueum, aliud verò pingue, oleosum & aëreum: certè non debet calor ille viuificus reponi in humido aqueo, vtpote quod naturâ suâ frigidum sit, fluxile, & valde dissipabile; sed potius in aëreo illo, pingui, vnctuoso & magis stabili. Quod in rebus externis manifestè patet: nam (thermæ seu balnea sponte naturæ calida, non habent caloris sui fomitem in aqua, sed in bitumine, aut sulphureâ quadam pinguedine) accensum ellychnium vel candela non fouentur aquâ vel liquoribus aqueis affusis, sed instillato oleo, vel circumiectâ pinguedine & seuo. Humidum igitur pingue, quod ἀρχηγονὸν primigenium, & radicale vocant, nec non primum & proprium caloris viuifici subiectum, per omnes corporis nostri partes cum spiritu implantato sparsum esse multæ rationes comprobant: etenim contrectatæ corporis nostri partes, puerorum potissimum & adolescentum, molle quid & vnctuosum præ se ferunt: vnde apud Hippocratem, qui crescunt plurimum habere dicuntur calidi innati: & ventres hyeme calidiores naturâ, quia maiorem huius materiæ copiam habemus, quo propius ad ortus nostri primordia accedimus, quæ calore hoc humoreque sunt perfusa: & quominus hæc substantia digeritur, aut dissipatur ab externo ambientis calore. An non per immodicas seminis excretiones, per febrium æstus, rugosa & flaccida euadunt corpora nostra, vix aut parum consumptis partibus solidis vel carnosis? Et quæcunque arbores, plantæ reliquæ vel animalia, multum substantiæ huius pinguis & bene solidis partibus commixtæ ex suis principiis receperunt, illa sunt longissimæ vitæ apud Aristotelem *lib. de vita brevit. ac longitud.* Quin imo ligna quæ vetustate humiditatem hanc amiserunt penitus, cariosa & quasi tabida vix comburi possunt. Cum autem oleosam & pinguem substantiam dicimus, non est intelligendus adeps vel seuum, quæ frequentissimè in mulieribus, in senibus, vel viris aliis multo otio & delicatiore victu fruentibus copiosè circa membranas & cutem colliguntur, ossium vero, neruorum, viscerumque substantiam vix attingunt: hæc enim non sunt vitalis caloris subiectum, sed sæpius impedimentum: vbi enim abunde increscunt, onus sunt tam corpori quam animæ, mortemque immaturam inferunt, vt est in Aphorismis: cum natiuus ille humor, quanto magis abundat, tanto vtilior ac commodior est ad omnia animantis munera exercenda, vitamque producendam. Esto igitur calidum illud innatum, substantia humida, pinguis, & oleosa, per omnes, sed præcipuè solidas ac radicales corporis nostri partes sparsa, multo spiritu, & calore viuifico perfusa, commune ac præcipuum animæ nostræ ad actiones omnes exercendas instrumentum, quod perenni influentis caloris, spiritus, & humorum affluxu suscitatur & sustentatur. Hæc enim duo mutuam ita sibi operam præstant, vt influens calidum sit veluti ἐντελέχεια & perfectio insiti in singulis corporis partibus: innatum verò seu complantatum in principibus membris, vt corde, hepate, & cerebro, cum propriâ illorum substantiâ & temperie sit parens & author influentis: vnde totum illud aggregatum ex innato & influente naturam à Medicis totius corporis moderatricem dici suprà annotauimus.

Quæ verò sit caloris istius viuifici & humidi primigenij origo, reparatio & conseruatio videndum est. Prius autem diximus generationis nostræ primordia, semen scilicet

ſcilicet vtrumque,& menſtrui benigniorem partem calore hoc benigno ac humore multo conſtare: vnde non ſolum craſſiores & ſolidæ corporis noſtri partes primum conſtitutę fuerunt,vt poſtea videbimus;ſed etiam ſpirituoſæ & humorales,quæ calidi huius innati ſubſtantiam conſtituunt. Hæc igitur ſeminalis potiſſimum ſubſtantia exactiſſimas coctiones & elaborationes nacta, ſolis & ſuperiorum corporum luminibus ac calore adiuta,prima eſt caloris huiuſce viuifici origo,qui non tam corpoream ingreditur molem,quam eam regit,cõtinet,& viuificat: vnde pueruli,ephebi,& adoleſcentes, vt dicebamus ex Hippocrate,quo propinquiores ſunt vitæ ſuæ principiis, eo magis humore hoc radicali & calore innato abundant: qui diuturnitate temporis ætatumque decurſu paulatim abſumitur & reſoluitur per μάρανσιν, pabuli ipſius defectu & nectarei iſtius balſami inopiâ, quod nequit ab alimento perfectè repararii vel confertim & violenter exhauritur,vt per largas ſanguinis vacuationes, eximios corporis ardores,famem diuturnam & ſimilia: tum per σβέσιν ſiue ſuffocationem, quando excrementorum multitudine obruitur,vel aquei humoris copia, aut inſigni frigoris inclementiâ extinguitur. Abſorbentia igitur,exhaurientia,ſuffocantia,extinguentia hunc calorem natiuum, præcipites inducunt interitus: Reſoluentia autem ſenſim inferunt neceſſitatem mortis illius,quam naturalem & extremi ſenij vocant: ſiue ab externis pendeant cauſis, ſiue internis, vt fuſius in Hygieine ipsâ docetur: Nam,vt doctè annotauit Auicennas, calor hic etiam in pueritiâ regit proculdubio humiditatem & ſuperat: aliàs enim ab ipsâ ſuffocaretur. Præcedit itaque velut ſuperior, in ipſam ſemper agendo & exſiccando. Quamuis autem in principio ætatis, ea exſiccatio æqualitatis cuiuſdam videatur particeps, in progeſſu tamen vbi ad terminum temperatæ ſiccitatis peruenerit, tunc vt qualitate potentior, & in materia magis diſpoſita reſoluit magis,donec ad vltimum exſiccationis perueniens refrigeratur,& tandem euaneſcit.

Interea dum nos continet & vitæ noſtræ ſummam moderatur, eget etiam ſua reſtauratione & conſeruatione ordinariâ: quam præſtant tum calor ille cœleſtis & ſuperiorum ſyderum, præcipuè vero ſolis influxu aſſiſtens inferiori huic orbi per varium ad nos acceſſum receſſumque: tum circumſtantium nos elementorum vires, præcipuè verò aëris, cuius benigno inſpiratu & commoda ventilatione ſubſtantia hæc ſpirituoſa reſarcitur, calor temperatur, & à ſuis fuliginibus repurgatur. Tum etiam materiæ alimentariæ aduentu, homini maximè congruæ & diligenti coctione, mixtione & ſimili artificio exteriori præparatæ: ex illius enim benignitate ſuſcitatur gratus ille vapor, quo totum corpus irroratur, ſpiritus procreantur, & ſolidæ partes reficiuntur. Alimentarius ergo ille humor faceſſit in locum etiam abſumpti primigenij, quâ parte magis eſt aëreus, pinguis & oleoſus: qua verò eſt aqueus,reficit humiditatem illam aquoſam, cuius beneficio continuitas partium ſuſtentatur, caloriſque ipſius vim maxime excipit & retardat, ne tam cito depopuletur humidum illud pingue & aëreum: quemadmodum videmus ſaccharo, melli, aut oleo permixtam aquam dum decoquuntur, abſumi, illis permanentibus, aut parum imminutis. Hæc eſt ergo origo, conſeruatio, & refectio caloris noſtri natiui, quem vulgo naturam vocant: cuius effectus tam præclari & mirabiles viſi ſunt Medicis, non ſolum in primâ noſtri procreatione ad partes conformandas: ſed etiam deinceps in corporis nutritione, accretione, ſeminis prolifici generatione, viuificatione,ſpirituum per totum corpus diſtributione: nec non morborum profligatione per certas periodos, recurrenteſque paroxyſmos, pepaſmos, criſes certo dierum numero definitas, lyſes, & metaſtaſes: vt iure merito de illius eſſentiâ dubitarint: vtrum ſcilicet communi huic & elementari naturæ, vel potius ſuperiori & cœleſti ſit adſcribendus referenduſque. Quę dubitatio quamuis parum ad Medicinæ vſum faciat, quia tamen à celeberrimis noſtræ ætatis Medicis hinc inde agitata magnam hodie habet iactationem in vulgus: ideo nobis etiam de ea aliquid eſt proponendum.

An calor noster nativvs elementaris vel coelestis habendvs sit? Indagaturi caloris noſtri natiui originem: vtrum ſcilicet elementaris vel cœleſtis habenda ſit: ſciendum prius quæ ſit tam elementaris quam cœleſtis illius caloris natura, & cuinam magis natiui noſtri caloris functiones conueniant. Calor itaque elementaris acris & vehemens ea omnia in quæ agit, valde calfacit, attenuat, rarefacit, diſgregat, & ſi quidem in tenuem magis & aëream materiam incidat, flammam: ſi in terreſtrem & craſſam, prunas & carbones excitat: cuncta tandem vrens, ſiccans immodicè, & in cineret reſoluens. Cæleſtis verò qui lux eſt à ſuperioribus illis corporibus deriuata, ſplendens non vrens,

viuentia omnia illuſtrat, conſeruat & viuificat: quod ſolis præſentia & abſentia, acceſſuſque ad nos & receſſus ſatis confirmat: eius enim vitali & æthereo calore omnia ita fouentur, vt non ſolum ſol & homo hominem generent, ſed ſolus ſol infinitas animantium & ſtirpium ſpecies per eam quam vocant generationem æquiuocam producat, & deinceps conſeruet: non ſolum in extimâ terræ ſuperficie, ſed in imis ipſius penetralibus lapides, metalla, gemmas, & ſimilia, pro vario illius influxu perfectiora vel imperfectiora ſuſcitat: imo in mediis aquarum & maris ipſius gurgitibus, vbi nulla elementarij caloris potentia, quæ citiſſimè à ſuo contrario obrueretur, ſtella illa ſalutifera radios ſuos eiaculans, ibi mixtiones & temperationes promouet, ac piſcium ingentes cateruas, & grandia cete producit. Vt autem à ſolis calore omnia ortus ſui principium repetunt, ſic incrementum & viuificationem accipiunt, quod arbores & ſata omnia ſatis oſtendunt, dum genitali hoc igne perfuſa circa veris tempus in folia & flores ſe reſoluunt, fructus & ſemina producunt, quæ iuſtam tum maturitatem adipiſcuntur, quando conuenienti ſolaris huius caloris actione temperata fuerint.

Quod ſi omnia mixta externo hoc ſolis & ſyderum calore, viuifico & ſalutari agunt, an non internũ & natiuum etiam vitæ noſtræ authorem huic conſimilem eſſe oportet, blandum ſcilicet & gratioſum, non mixtum elementari ſubſtantiæ, ſed eam miſcentem & gubernantem: cuius præſentiâ viuit homo cæteraque animantia: illius verò abſentiâ ne minimum quidem ſubſiſtere poteſt: ſed euolante hoc calore & ſpiritu, truncus iners, ex quatuor tamen elementorum congerie conſtitutus, iacet. Omnia itaque viuentia cum moderati caloris operâ viuant, non frigoris aut æſtuantis caloris, qui ad elementaris naturam accedit: quidni cæleſtem eum origine & naturâ eſſe cenſebimus, qui tamen in his inferioribus elementari ſe habeat modo, quemadmodum qualitates elementares denſitas, raritas, tenuitas, craſſities, cęleſti ſe habent modo in ſyderibus? aut propter conditionem materiæ cui inhæret, & ratione cuius contrarij capax redditur: vel propter concentrationem ſeu coadunationem illius, aut propter permiſtionem alienæ fuliginis & vaporis, vt per febres contingit: ſic enim ſolares aliquando radij comburunt per accidens, dum vel coguntur nimium concauis ſpeculis: vel in materiam valde inflammabilem incidunt: vel exhalationibus igneis permiſcentur. Sed rem iſtam conficiamus adhuc apertius.

Si quidem calor elementaris vitam præſtare cenſendus ſit, eum oporteret in omni animante atque etiam plantâ exuperare, vt non ſolum mixtioni primæ dominaretur, ſed etiam actionibus deinceps regendis præeſſet: ſed inter animantia pleraque eſſe, in quorum mixtione frigiditas prævaluit, exemplo ſalamandræ, torpedinis, ſerpentum, talpæ, & aliorum doceri poteſt. Inter plantas illud adhuc vulgarius eſt, inter quas papauer, mandragora, altercum, cicuta, ſolanum & ſimilia etiam narcotica ob intenſum frigiditatis gradum cenſentur. Vbi igitur calor hic elementarius, qui vitam iſtorum regere & moderari, actioneſque perficere valeat? An non immerſus corporeæ moli, & quaſi ſepultus, alium debet habere veluti præfectum, à quo actu exiſtente & omnia permeante dirigatur? Cuius opera deſtituta arſenicum, ſandaraca, ſulphur & ſimilia quamuis calidiſſima non viuunt: & pyrethrum, piper, cinamomum, poſt illius diſceſſum, quamquam caliditatis maximè participia, non amplius viuunt? Mures, ranæ, lumbrici, & ſimilia animalcula ex puterdine ſuſcitata, non viuunt calore illo putredinoſo & corrumpente, qui in primâ eorum cõformatione adfuit, ſed viuifico eo & ſalutari quem à cælo acceperunt. An non ſuperiorem hunc & immixtum calorem demortuo homine vel aliis quibuſuis animantibus ſentimus paulatim exhalare & euaneſcere, vt per ſpatium octo aut decem horarum, remanẽte eo tantum, qui elementorum mixtionem ingreditur, quique inductâ in cadauer putredine manifeſtatur.

Eſt igitur calor quo viuimus ab elementari diuerſus, cui frigus prõpriè non eſt cõtrarium, ſed priuatio quædam oppoſita, vt luci tenebræ & viſioni cæcitas: vnde Philoſophus conceptis verbis 2. *de generatione animalium* τὸ καλούμενον θερμὸν natiuum calorẽ, nullo modo ignem aut igneum eſſe ſcripſit, ſed θειότερον, τι, & naturam quamdam ἀνάλογον ἑαυτῷ τῶν ἄνω στοιχέιω. *Quoniam*, addit, *nihil viuens generat, ſed ſolis calore & viuentium in ſemine propagatur.* Hinc veteres Mythologi Prometheum finxerunt, ignẽ clauculũ ex ſolis orbitâ rapuiſſe, & hominis, quem ex luto confinxerat, cordi indidiſſe. Hic etiã eſt ignis Platonicus lucens non vrens, qui non ſolũ totam mundi compagem illuſtrat & continet, ſed etiã viuentia omnia fouet & cõſeruat. Hunc facilè admittet Cardanus & alij, qui elementũ ignis è rerũ naturâ ſuſtulerunt, omnemque calorem à ſuperioribus illis & cęleſtibus corporibus deriuari putarũt. Fernelius autem, vir magnę eloquentiæ

quentiæ & authoritatis, ſtudioſiſſimè recepit, & elegantiſſimis rationibus confirmauit, vt poſſet deinceps ſuper hoc veluti fundamento morbos formæ ſtabilire, qui præcipuum habent ad calorem iſtum æthereum, diuinum & pene formalem, reſpectum.

Verumtamen non deeſt alia factio eorum, qui totum iſtud velut commentum aſpernantur, nec calores in nobis multiplicãdos eſſe cenſent: cum vnus idemque numero, iſque elementaris calor, variè affectus, poſſit effectus quantumuis differentes proferre: calor enim ſiccus denſat, humidus laxat, immoderatus corrũpit, temperatus conſeruat; idem, qui coquit, aſſat aut elixat, diuturniore morâ aut gradu auctiore exurit. Sic in nobis varios profert effectus pro modo intenſionis extenſionisque ſuæ, & prout modo animæ dirigentis & moderantis, modo vilioris cuiuſdam formæ imperio ſubeſt, vt in demortuis aut inanimatis. Etenim ſi in pyrotechnia & arte culinariâ ac chymicâ per vim regulati ignis & graduati, vt vocant, mira præſtari videmus, temperationes, coctiones, extractiones & ſimilia: quid obſtabit animam noſtram eodem calore elementari, qui compoſitionem noſtram ingreditur, refracto, & ad certum temperiei gradum, qui humanæ ſpeciei conueniat, reducto, omnes corporis noſtri actiones exercere? Certum eſt accidentia pro more ſubiectorũ ſuorum ſe habere. Calidum ergo hoc natiuum cum inſit humido, quod ex generationis noſtræ primordiis, ipſiſque elementis traxit originem, cur elementare non erit? An non alimentorum benigniore parte, aëris inſpiratu, ignis noſtratis præſentiâ conſeruatur & augetur: à frigore autem velut contrario refrigerationem ſuſcipit; & actionis diuturnâ morâ ita repatitur, vt tandem euaneſcat? Ergo elementaris huiuſce & mutationi obnoxiæ materiæ naturam participabit. Cæleſtem enim eſſe non poſſe, niſi analogiâ, quatenus ſcilicet effectus ſupra elementi conditiones profert, vi & dominio formæ cui ſubiicitur, velut inſtrumentum, quod in rebus externis & artificialibus per artificis operam omnino à ſuâ naturâ aliena producit: vt quãdo ſecuris, ſerra, dolabra, & ſimilia politiſſimis ſcamnis, nauibus & ſimilibus ſubſeruiunt: id docet quod reuera nullus ſit calor cæleſtis niſi ἐνεργητικὸς à luce ſolis & ſyderum in his inferioribus productus, qui eodem modo ſe habet quo & elementaris, imo & elementarem quotidie generat & auget, quemadmodum motus aut rerum ſolidarum confricatio. Et quoniam ea quæ τῇ ἀναλογίᾳ eadem dunt axat ſunt, non ſunt eiuſdem naturæ ac generis.

Quod vero ad obiectiones prius adductas attinet, putant facillimo negotio ſolui poſſe, propterea quod concedũr illi quidem calorem duplici modo in mixtis ſe habere, prout ſcilicet illa quatuor elementorum materiam & qualitates recipiunt, & prout viuentia habẽt eum actu, tam influentem, quã inſitum, qui tamen ſpecie non differat ab alio. Per hunc igitur viuunt ſalamandra, cicuta, papauer, ſenex iam decrepitus & alia, quamuis eo pauco aut iam tabeſcente prædita. Arſenicum verò, ſulphur & ſimilia minime viuunt defectu animæ, non caloris, qui in illis excellẽs eſt, vt in demortuo pipere, cantharidibus & aliis. Animantia verò & plantæ per putredinem genita habuerunt ſuum calorem, tum ab ipsâ mixtione, tum à ſole, qui in materiâ diſpoſitâ igneum facile ſuſcitat, vt iam dictum eſt. Et hoc actuali calore tamdiu feruent demortua animalia, donec ille ſenſim exhalarit & ſolam elementorum mixtionem ac compagem, cui non hærebat, ſed potius ſpirituoſæ ac tenui ſubſtantiæ, reliquerit. Quæ autem à Philoſopho de analogiâ iſtius caloris cum elemento ſtellarum, de Promętheo à Poëtis, vel de igne à Platone, dicuntur, nihil contra faciunt, ſed tantum oſtendunt caloris iſtius natiui moderantiam & temperiem, quâ vtens anima miros producit effectus; quemadmodum artifex per ignem variè regulatum & directum: quos ſupra conditionem ipſius ignis ſolâ ſua naturâ & impetu agentis, poſitos eſſe nemo negat, quamuis cum Fernelio duos in nobis calores ſpecie diſtinctos non admittat.

Ecce quomodo quæſtionis iſtius problematicæ veritas probabilibus vtrinque argumentis fulciatur: de quâ, ſi nobis inter tantos viros aliquid dicere liceat, cenſemus calorem illũ quo viuimus, & quo anima tam varias actiones exercet, diuinioris eſſe quodammodo conditionis, quam ſint illæ qualitates, quæ in ſimplicibus corporibus aut mixtis inanimatis reperiuntur: habere tamen ſuam originẽ, tum à ſupremis illis & cœleſtibus corporibus, lumine ſuo inferiorẽ hunc orbem & calorem in ſphærâ hac elementari regentibus: tum ab elementis, vt aëre, aquâ, & mixtis, quę alimentorum nomine donantur, & quæ generando ſemini ac ſanguini menſtruo, totique corpori nutriendo operam ſuam præſtant: Ac proinde ſimpliciter elementarem ſiue igneum dici non poſſe, quia eſt ſecunda & noua qualitas, in certo ſubiecto ſubſiſtens, & ad viuentium operationes faciens: quæ per proportionem quamdam cæleſtis, diuina & ætherea quodammodo appellari mereatur. Atque de hoc ſatis.

CAPVT VI.

De facultatibus & functionibus.

PERLVSTRATA corporis nostri structurâ illiusque partibus omnibus & affectionibus explicatis:iam supereſt vt alteram hominis partem magis à sensibus remotam & inaspectabilem inquiramus, quæ apud Medicos species,forma, natura, seu anima frequenter appellatur. In cuius contemplatione ideo breuiores erimus,quoniam in Philosophicis exercitationibus quæcunque ad eam spectant,copiosè explicata fuerunt.Sufficiet ergo nobis ea tantum proponere,quæ vel Medicis sunt peculiaria,& apud Hippocratem, & Galenum aduersus Philosophorum placita tenentur: vel certè quæ ad artis nostræ vsum sunt magis accommodata.

Illa igitur nomina promiscuè aliquando à Medicis sumuntur, pro eâ scilicet parte compositi præcipuâ & principali,quæ ipsi dat suum esse ab aliis rebus distinctum:ita tamen vt species,forma,& natura aliquid sint magis vniuersale & commune,tam animatis, quam inanimatis, quorum vnumquodque suam habet ab aliis distinctam speciem, propriam formam, & peculiarem naturam, quam aliquando Galenus totam substantiam vocat, suis certis viribus & potentiis præditam, quæ in aliis non reperiuntur.Est tamen frequentissimum Galeno, vt naturam pro inferiore animæ gradu sumat, qui in vegetabilibus reperitur: vnde in plantis actiones à naturâ sine vllâ electione fieri,& in sentientibus ac intelligentibus easdem naturales vocat,quas animalibus opponit, tanquam voluntarium inuoluntario, vt postea videbimus.Quam igitur in plantis & stirpibus vegetantem animam vocant Philosophi,eam Galenus naturæ vocabulo simpliciter donauit, cuius facultates sub sentiente & rationali in brutis & homine includuntur, quemadmodum perfectiora imperfectiorum, superiora inferiorum vires & naturam, non variis essentiis,sed rationibus continent;vel,vt docet Philosophus, quemadmodum in mathematicis tetragonus triangulum; pentagonus vtrumque; quinarius numerus binarium & ternarium absque vllâ compositione complectitur.

Esse igitur in nobis formam aliquam, quæ hominem ab aliis rebus distinguat, & quæ sit functionum præstantissimarum causa,vbique concedit Galenus, eiusque naturam & vires in administrandâ corporis nostri œconomiâ miratur: etenim cum actiones,inquit ille, *lib. 12. de vsu partium*, sint de numero seu genere eorum,quæ suam habent positam essentiam in fieri & perpetuo fluxu, necesse est dari in nobis stabilem aliquam & permanentem rem, quam illæ, vbi opus est, sicut effectus causam consequantur: hæc verò cum non sit corpus aut materia, perpessionis seu susceptionis tantum principium;formam esse oportet, quam in hac rerum specie animam appellamus: & quâ discedente cadauer, quamuis organis ad actiones comparatis instructum, ne minimum quidem eorum munus obire potest, quæ prius dum esset in viuis exequebatur. Quæ verò sit propria huius formæ seu animæ essentia, & quo pacto ab aliis differat, non audet pronuntiare Galenus, nisi à posteriore siue effectis. Quamuis enim aliquando temperiem, calorem natiuum, spiritum insitum & similia actionum instrumenta, animæ vocabulo donare videatur: esse tamen distinctam & aliam eius essentiam ab istis declarauit apertè *lib.6. de placitis: Arteriarum spiritus*, inquit, *vitalis est, animalis autem in cerebro consistit, non tanquam anima substantia, sed quasi organum primarium ipsius, qualiscumque ea sit substantia. Quod enim animalis spiritus*, addit ille, *neque substantia sit anima, neque eius domicilium, sed duntaxat instrumentum, inde didicimus, quod ipso per vulnera aut alio modo vacuato, veluti mortuum concidit sæpe animal:ille autem recollecto à facultate quæ adhuc intus latebat, reuiuiscit.* Tanti autem fuit candoris Galenus, vt semper de illis dubitare potius, quam asserere maluerit, quorum nullam habuit demonstrationem: vtrum scilicet anima sit accidens vel substantia, eaque corporea vel incorporea, coëxtensa, vel indiuisibilis, mortalis vel immortalis, & similia, de quibus certiorem habemus ex diuina reuelatione, quam rationis discursu cognitionem.Sufficit enim Galeno & Medicis scire animam esse principium siue causam corporis viuentis, tum formale,quia per animam habet

quod

quod sit tale, hoc est animatum: finale, quia animæ causâ corporea omnia organa certam conformationem adepta sunt; tum etiam efficiens, quia anima est principium facultatum, seu continet eas facultates, à quibus tot actiones in animantibus exerceri videmus: & vt est 2. *de animâ*; *illa est principium, quo viuimus, sentimus, intelligimus, nutrimur, & loco mouemur.* Quæ definitio ad Medicinam est aptissima, huicque nostræ tractationi accommodata, in qua de illius facultatibus & functionibus agere propositum est. Aliam enim à Philosopho propositam definitionem vix præstantiorem esse putamus, cum tam obscurum illi genus & homonymum assignarit, vt non solum veteres de nominis illius ἐντελεχίας significato, sed etiam recentiores acerrimè contendant: & quod nostri perfectionem vel actum primum interpretantur, non satis videtur conuenire substantiæ, sed etiam ad accidentia & res artificiales extendi: tum etiam quod illud organum in definitione Aristotelicâ videtur superfluum, quia non solum animata, sed etiam reliqua sua habent instrumenta, formæ cuidam accommodata ad actiones proprias exercendas. Liceat tamen vnicuique prout volet sentire, nos enim ad propositam tractationem accedimus, in qua primò dicturi sumus, quid sit facultas, functio, opus, & vsus: Secundò quotuplex sit facultas: Tertiò quæ sint facultatum istarum principia seu instrumenta in corpore: Quartò quomodo hæ facultates à suis principiis in totum corpus influant, & quem sibi inuicem vsum præstent: Quintò singulas facultatum & functionum species sigillatim persequemur, donec ad infima peruentum fuerit, & quæ occurrere solent dubia, breuiter explanauerimus.

QVID IN NOBIS SIT FACVLTAS, FVNCTIO, OPVS ET VSVS. Δύναμις, ἐνέργεια, potentia, virtus, vis, & facultas idem sonant apud Medicos: ita vt generaliter denotent cuiuscunque rei quamcunque efficientem causam in elementis, mixtis, stirpibus, animantibus, quæ ad aliquid præstandum potentiam obtinuerunt, vnde tot de medicamentorum simplicium vel compositorum facultatibus libri conscripti sunt: & Galeno facultas est id quod primò actionis causa existit, quam causam constituit effectricem *libro* 1. *de sympt. causis cap.* 1. Alias tamen hoc nomen facultatis contrahitur ad animæ ipsius, vt præstantissimæ causæ potentias, vnde ad eam vel ad actionem habitâ relatione dicunt Medici facultatem esse primum & immediatum animæ effectum: vel principium & causam functionum. Quæ definitiones quamuis Medico sufficere possint, non tamen satis docent, quid sit facultas; oportet enim proprium illius genus quærere, & reliqua quæ in definitionibus assumuntur proponere.

Fuchsius putat facultatem causam esse efficientem, eámque nihil aliud quam natiuam cuiuscunque rei temperiem. Sed illius opinio non est recipienda. Nam si facultates istæ, de quibus agimus, ad animam potissimum referuntur, non ad corpus, quomodo facultas temperies dicitur in animâ, quæ simplex est & immaterialis? Quod si dicas eum ad proximum animæ instrumentum respéxisse, quo illa functiones suas exercet: certè ineptum est illud, nec est admittendum, quia anima non solùm per temperiem, sed etiam per totius substantiæ proprietates, quas tantopere celebrat & vbique miratur Galenus; necnon per iustam ac conuenientem partium conformationem, & earum vnitatem functiones suas exercet. Ac proinde facultas non potest dici natiua vel aduentitia temperies, quia tot essent facultates in nobis, quot sunt varia in partibus temperamenta, quibus variè functiones exercentur.

Nec satis placet etiam Argenterij sententia, qui facultatem ipsammet esse formæ seu animæ substantiam existimat, nullo modo ab eâ distinctam, quæ in eodem individuo, vel specie differentes actiones proferat ex diuersitate instrumentorum: nam cum animæ substantia dicatur, quomodo triplicem in nobis facultatem distinctam & diuersam constituere poterimus, cum in homine vnicam esse animam confiteamur?

Fernelius autem vult facultatem esse vim illam & potestatem, quam anima, tanquam de sinu suo promit, & ad munerum functiones profert: esse enim illam insitam proprietatem, quæ sit accidens animæ intimum, atque ideo intestinum, vt plerisque illius essentia putetur. Differre autem illam ab animæ parte, quod facultas possit ab animæ substantiâ seiungi, pars verò nequeat. Hæc Fernelius: in quibus facultatem non satis appositè per vim & potentiam definit, quæ idem sunt, nec magis differunt quam ensis & gladius aut similia. Neque bene statuit facultatem separabilem esse: quia si facultas sit proprietas intima animæ, vt ille loquitur, quomodo ab eâ separari poterit? proprietates enim rerum à rebus seiungi nequeunt, vt

risibilitas ab homine. Nec valet quod obiicit idem Fernelius, vim & facultatem augescendi post vigorem ætatis confirmatum intercidere & aboleri: non enim aboletur animæ aliqua facultas, sed illa perpetuo exerceri nequit materiæ, subiecti, vel instrumenti vitio: quemadmodum faber ligatus, vel sine ligno aut serrâ non secat. Magnes allio perunctus non amittit facultatem trahendi ferrum, sed ob contrarij præsentiam, illam exercere nequit. Des seni oculum vel corpus pueri, rursus in eo visionem acutam, & auctionem fieri animaduertes. Non ergo abierat aut perierat facultas illa auctrix vel visoria. Denique distinguendæ actiones à facultatibus: actiones enim sunt compositorum seu coniuncti, non componentium: ac proinde vt actio exerceatur, quæ nihil aliud est quam motus actiuus seu effectiuus facultatis in aliquâ corporis parte: non solum debet adesse anima suis facultatibus instructa, sed etiam recta organi ad agendum dispositio, sine quâ functio obiri nequit, quemadmodum recedente animâ, nihil eiusmodi partium dispositiones præstare possunt.

Cum igitur facultatem non esse ipsam animæ substantiam siue essentiam dixerimus, superest vt sit accidens proprium & inseparabile, per quod certas functiones in composito proximè exercet, Anima enim non est causa efficiens suarum potentiarum, sed subiectiua, quemadmodum ignis siccitatis & caloris: quibus mediantibus, vt reliquæ omnes substantiæ, per instrumenta accidentalia operatur. Atque hæc definitio probabilis & recipienda nobis videtur: quamuis multa etiam aduersus eam adferri possint: quibus omissis dicimus tantam esse inter facultates & functiones cognationem ac similitudinem, vt non sit opus eas variis tractationibus persequi & explicare, cum facultas sine functione, neque hæc sine illâ intelligi non possit. Notandum tamen, functionem seu actionem non solùm denotare vim quamdam & potentiam animæ, sed etiam partis alicuius ad id vel illud præstandum aptitudinem: quod si factum iam & completum permaneat, opus dicitur à Galeno, vt chylus, sanguis, caro, & similia. Istæ autem aptitudines partium ad aliquid agendum, vel concurrunt simul ad functionem illam exercendam, & tunc Medicis actionem habere dicuntur illæ partes similarem, organicam, vel ex vtraque mixtam, prout vel sola temperies, aut conformatio, aut vtraque necessario concurrunt ad illam obeundam: vnde partes omnes viuentis quatenus tales, actiones similares nutritioni subseruientes sibi proprias habent & insitas: secus verò in actionibus publicis, seu officialibus, quæ determinatam partis alicuius structuram consequuntur: nam verbi gratia ad hæmatosim intestina non actionem aliquam præstant, sed vsum tantum, vt per ea chylus deferatur: in oculo humor crystallinus propriè visionis author, reliquæ partes commodum & vtilitatem tantum ad visionem præstant. Vsus igitur ab actione distinguitur, quoniam actio in motu seu operatione consistit perpetua, nec sine illis intelligi potest: vsus verò etiam in otio partis positus est, imo in demortuis superstes aliquando manet, vt patet de cute ad tegendum totum corpus, & sic de reliquis: quæ tamen Galenus non ita accuratè distinxit, libris illis de vsu partium verè aureis; sed tam actionem quam vsum promiscuè vsurpauit.

Qvot sint facvltates. Cum facultatem siue potentiam dixerimus esse quid proprium & intestinum animæ, quæ sensus nostros omnes effugit: ideo facultatum differentias & numerum complecti non possumus, nisi ex varietate actuum, operum & obiectorum circa quæ illæ versantur. Medici igitur ista curiosius speculantes, cum viderent diuersos & multiplices in nobis actus seu functiones à tribus principiis seu instrumentis corporeis pendere potissimùm, & ex illorum bonâ & laudabili constitutione bene & laudabiliter perfici eiusmodi functiones, & quæcunque illis subseruiunt: ideo ex relatione illâ quam inter facultatem, partem, & functionem esse annotauimus, intulerunt triplicem etiam esse debere potentiam seu animæ nostræ facultatem, à quibus reliquæ omnes pendeant, & in varias subiectásque species distribuantur. Naturalis igitur, vitalis, & animalis facultas, tres sunt præcipuæ & generales potentiæ apud Medicos, quibus tota humani corporis œconomia constat & regitur: ex quarum concursu, & quasi aggregato vita nostra constituitur: vitalis enim κατ' ἐξοχὴν & per excellentiam ita appellata, cordi insidens, per arterias ceu canales quosdam calorem viuificum vniuerso corpori cum tenuiore sanguine & spiritu impertit: naturalis autem in hepate sedem habens præcipuam, per venas omnibus partibus alimoniam conuenientem præbet: animalis denique in cerebro tanquam arce residens, principem, sensificam, & motricem constituit: vnde

ex

ex diuersitate instrumentorum præcipuorum & obiectorum bene videntur triplicem hanc facultatum diuisionem fecisse. Galenus tamen *lib. 1. de sympt. causis*, statim initio, duarum tantum meminit, naturalis scilicet & animalis, omissâ vitali: & *lib. artis parvæ*, dum testes inter partes nobiles reponit, facultatis generatricis authores, quartam videtur adstruere facultatem ab aliis distinctam. Ad hæc respondemus, Galenum aliquando in statuendo facultatum numero respexisse ad accuratam diuidendi legem, vt scilicet voluntarium inuoluntario opponeret. Cum itaque vitalis functio non minus quam naturalis vi & impetu naturæ fiat, non ex animantis arbitrio, ideo sub nomine naturalis tunc vtramque expressit, quamuis alibi & sæpius distinguat, quemadmodum distincta sua habent principia & munera. Quando verò testes facit partes principes, hoc non eo fecit consilio, vt nouam quamdam & distinctam facultatem stabiliret, sed vt eorum tantùm præstantiam & vtilitatem in propagandâ humani generis specie ostenderet.

Quod verò ad Aristotelem spectat, qui cum omnes animæ partes & facultates accuratè recensuerit, nullam tamen fecit vitalis facultatis mentionem, sed eam quæ à corde proficiscitur nullo discrimine altricem vocauit, & vitam cum nutritione idem esse putauit. Dicimus Philosophum, quia vnicum constituebat principium nutritionis seu viuificationis, vt ita loquar, nempe cor, ideo non debuisse facere distinctas facultates, nutriendi simpliciter & viuificandi: quemadmodum Medici, qui in animantibus perfectioribus sublimiorem quamdam facultatem ad actum nutritionis & conseruationis perficiendum agnoscunt, quæ in corde sita sit, primam illam alendi vim adiuuans, quæ ab hepate cum massâ sanguinariâ in totum corpus proficiscitur.

Has autem facultates statuendas esse & distinguendas ea docent ratione seu axiomate Medici: quod ea quæcunque sic comparata sunt, vt vnum lædi vel labefactari possit, aliis permanentibus, ea separata sunt & diuersa: atqui os, cartilago, naturaliter constituta, sensu omnino destituuntur, cum tamen viuant & alantur; lethargico autem sensus eripitur, paralytico motus, & tamen nutriuntur: ergo, inquiunt Medici, naturalis facultas ab animali manifestè discrepat. Sic vitalem ab animali distinctam esse id demonstrat, quod nobis dormientibus, aut feriantibus, cor tamen pulsat cum arteriis, nec sequitur voluntatis nostræ imperium.

Eodem modo vitalem à naturali differre ostendit pars ἀπεφίᾳ laborans, aut totum corpus, vt in marasmo, quod iam alimenti defectu contabuit, viuit tamen, per vitalem scilicet facultatem à corde, quæ adhuc illam tuetur & conseruat. Contra veneno aut peste, manifestissimè per syncopes, palpitationes & similes affectus, videmus ruere & quasi suffocari viuificam illam facultatem aliis permanentibus saluis, aut vix in suâ essentiâ læsis. Deinde si ex priuatione dignoscantur habitus: nullus est qui non videat, malè affecto hepate corpus non nutriri, aut male nutriri: cerebro læso sensum & motum lædi: patiente corde vitalem hanc, quam ita lubuit Medicis appellare, primo & præcipuè labefactari: necnon adhibitâ istis partibus remedia, si feliciter vsurpentur, facere ad restitutionem eiusmodi functionum. Itaque non dubitant de adstruendo illorum numero & differentiis, quidquid Philosophi aduersus hanc doctrinam argutentur. Sed vt clariùs hæc pateant, agendum adhuc de principiis & instrumentis harum facultatum.

QVÆ SINT FACVLTATVM ISTARVM PRINCIPIA ET INSTRVMENTA IN CORPORE. Magna est inter Aristotelem & Galenum controuersia de sede seu instrumentis istarum facultatum in corpore: Aristoteles enim, Auerrhoes & qui eos sequuntur, cor omnium facultatum fontem & principium statuunt, à quo in reliquas omnes partes demandentur. Galenus verò cum Platone, Hippocrate, & totâ Medicorum factione triplex faciunt illarum principium, vt iam annotauimus. Quod Auicennas *fen. 1. lib. 1. doct. 6.* ita conciliare nititur: *Sunt*, inquit, *de sententiâ Aristotelis omnes virtutes in corde, vt primâ radice: caterum manifesta fiunt in aliis membris: animalis scilicet virtus manifestatius est in cerebro, radicaliter in corde: quemadmodum de sententiâ Galeni visiua virtus in cerebro est, vt primo fonte, tamen in oculis elucet, propterea quod sunt ad videndum commodum instrumentum.* Hæc Auicennas. Sed meo iudicio præferendum est hic consilium Auenzoaris, qui post adductas vtrinque rationes, concludit tandem, melius esse Medico credere, membra quoad virtutum sedem plura esse: quoniam illis ægrotantibus labefactentur facultates, bene valentibus recte habent, medicamentáque illis, non semper cordi sunt imponenda.

Galenus

Galenus igitur, vt oſtendat tria eſſe facultatum principia, procedit præcipuè ex φαινομένοις, rei euidentiâ ac ſenſuali demonſtratione, quæ per anatomen comparatur. Facultas enim, inquit, ibi poſita eſt, vbi propria ſunt illius organa, & vnde partes deferentes talem vim aut materiam per totum corpus, oriuntur. At ex cerebro nerui cum ſenſu & motu: ex hepate venæ cum conuenienti & alibili materiâ: ex corde arteriæ cum ſpiritu & calore copioſo: ergo tria talia ſunt conſtituenda principia, cum multa impediant ne poſſit fieri vnum tantum in corpore hominis principium: nempe varietas iſtarum facultatum, quæ vt commodè functiones exercerent ſuas, egebant diuersâ temperie, & conformatione, necnon ſitu, quæ in vnico reperire membro erat impoſſibile: Deinde non erat tutum ex vnicâ parte omnia functionum inſtrumenta deducere, venas, neruos & arterias: periculum enim erat vel ruptionis ob tantorum vaſorum pondus; aut certè diſtributionis minus accommodatæ, & functionum perturbationis, quemadmodum videmus hominem πολυπράγμονα & multis negotiis implicitum minus commode illis perfungi. Natura itaque ordini & pulchræ rerum adminiſtrationi addicta, melius multò hæc munera pluribus diſtinctiſque partibus attribuit quam vni, per quam non ita commodè ea præſtare poterat.

Neruos igitur tam ſenſorios quam motorios à cerebro & ſpinali medulla oriri, non à corde: ſatis conuincit tum ipſa ſubſtantiæ ratio (medulla enim ſeu pars nerui interior, cerebri medullæ: duplex nerui tunica duabus cerebri meningibus manifeſtè reſpondent) tum ipſa partium continuitas & diſſectionis ratio, quam ſi, vt his temporibus exercetur, agnouiſſet Ariſtoteles, non dubitamus quin ipſe fibris quibuſdam & membranulis in corde ad particulares vſus comparatis deceptus, idem nobiſcum recepturus eſſet. Adde quod ſi ſenſus & motus cum neruis è corde emanaret, oporteret neruis obſtructis, compreſſis, aut ligatis partes eas quæ cordi, non cerebro propinquiores eſſent, illæſas permanere, alias verò ſenſu & motu deſtitui. At contrarium apparet perpetuò, nempe in eiuſmodi neruoſarum partium affectibus, quæcumque ad cerebrum magis accedunt, illas magis influxum eiuſmodi facultatum recipere: quoniam ſcilicet in eo, non in corde ſedem ſuam habent. Pungatur neruus in quacunque corporis parte, videbimus primò partem illam conuulſiuo motu agitari verſus ſuam originem, & ſi malum perſeueret, alias in conſenſum rapere, facto ſemper progreſſu, donec ad cerebrum peruentum ſit, velut primam neruoſæ iſtius propaginis radicem.

Venas etiam è iecore, non corde oriri, ibique præcipuam illam functionem ἀιμάτωσιν dictam exerceri, manifeſtiſſimæ & inexpugnabiles rationes conuincunt: quarum prima peti poteſt ex nutritione fœtus in vtero, qui alimentum ex materno ſanguine excipiens per vmbilici vaſa, duas habet arterias, vrachum & venam in medium hepatis ſinum implantatam; quod natura non feciſſet, niſi hepar deinceps ſanguini conficiendo, & venis ſuſtinendis dicatum fuiſſet. Præterea radicatio illa venæ portæ & cauæ, qua totum hepatis parenchyma veluti fibris refertum eſt, nonne oſtendit ibi fixam eſſe poſitamque earum originem, vt & diuiſio venæ cauæ in aſcendentem & deſcendentem velut ramos, quæ ſtatim poſt exortum ab hepate contingit? Et cum omnia primæ regionis viſcera in abdominis cauo contenta, recipiant tantum propagines venæ portæ, quæ hepati eſt manifeſtè continua, nullo modo ad cor perueniens, quis dicet materiam alibilem ex corde ad eas deriuari? An non ſunt multa animalia, ipſomet teſte Ariſtotele, *lib. de partib. animal.* quæ carent dextro cordis ventriculo, vt quæ pulmonibus ſunt deſtituta; ergo in illis dexter iſte ventriculus non erit origo venarum, cum tamen rei communis commune debeat eſſe principium. Sed contemplemur venam cauam aſcendentem in dextrum cordis ventriculum, vt apertè pateat, eam non ab eo oriri, ſed in illud inſeri: nonne oſtiola ſeu valuulæ eius orificio annexæ, ſunt ita comparatæ, vt ingreſſui foris intrò quidem pateant: occludantur autem egreſſui intus foras, ne quicquam inde elabatur? At hoc non debuit eſſe, ſi quidem cor ſit venarum radicatio, & materiæ alibilis fons: nam exitui eiuſmodi humorum maximè externa orificia cordis patere oportuiſſet, vt per totum corpus deferrentur: Adde quod ſubſtantia illa iecoris concreto ſanguini ſimillima, multo accommodatior exiſtit ad ἀιμάτωσιν ſuſcipiendam, quam cordis ex duro ac ſicco admodum parenchymate conſtituti. Quâ de causâ prudens noſtri Opifex circa hepar appoſuit partes illas, quæ depurandæ huic maſſæ ſanguinariæ fuerunt deſtinatæ,

tæ, vt fellis cyſtidem, lienem & renes : cum venis illis ad anum pertingentibus, quas hæmorrhoidales vocant, vt illius tam plethora, quam cacochymia commodius vacuaretur.

Certum itaque ſit hoc & ratum apud Medicos, tria eſſe principia ſeu partes principes, in quibus anima velut commodis ὀργανικοῖς & inſtrumentis tres illas primas, & principes facultates exercet, & in totum corpus, cum certâ materiâ ſiue ſubiecto, quod ſpiritum ſuperiori vocauimus tractatione, demandat : nam, vt eleganter annotauit Galenus *lib. de placitis*, Peripateticorum argumenta pro adſtruendo cordis principatu & monarchiâ, nihil aliud concludere poſſunt, quam illud eſſe caloris influentis & viuifici fontem, ad ſuſcitandas omnes animæ functiones neceſſarij, quod Medici lubenter concedunt : reliqua verò velut abſurda & αὐτοψίᾳ repugnantia reiiciunt.

AN ISTÆ FACVLTATES, ET QVOMODO A SVIS PRINCIPIIS IN TOTVM CORPVS INFLVANT : QVEMQVE SIBI VSVM INVICEM PRÆSTENT.

Vnicam eſſe animam, tribus præditam facultatibus, quas in principibus illis corporis partibus exercet, ſuperior confecit demonſtratio : an verò & quibus modis iſtæ facultates influant in reliquum corpus, iam eſt videndum. Non enim ſibi ſolis natæ ſunt eiuſmodi partes, ſed toti : nec ab animâ ſolæ informantur, ſed vniuerſum corpus viuens, & varias actiones illius vi & imperio exercent. Dicet aliquis : cum anima ſit tota in toto ſuis facultatibus inſtructa, quæ ab eâ ſunt inſeparabiles, cur non vbique actiones omnes iſtas promiſcuè exercet ? Reſpondeo, animam quidem ex parte ſui aptam eſſe, vt vbique functiones iſtas obeat, ſed inſtrumentorum defectu non poſſe, quæ ideo natura illi non ſolum in certis & primariis partibus comparauit, ſed etiam in reliquis per ductus quoſdam & quaſi canales diuiſit, quibus interceptis labefactari & perire ſolent : quamuis nullum ſecundum propriam eſſentiam affectum membra iſta ſecundaria ſuſcepiſſe videantur. Plures enim quotidie obſeruamus, quibus ob ſolam venarum obſtructionem partes ἀπροφίᾳ laborant, vel ob vulneratos aut colliſos neruos, in ſpinalis verbi gratia medullæ exortu, pes vel manus obtorpeſcunt. Quæ liquido demonſtrant, aliqua eſſe in nobis membra velut fontes, ex quibus propria harum facultatum auxilia defluant in alias, prout aptæ natæ ſunt illa ſuſcipere, & ad certas actiones comparatæ ſunt.

Hæc igitur vis ſeu facultas animæ imperio ſeu aſſiſtentiæ principij iuncta, cùm demandetur in reliquas partes per certos ductus à nobis commemoratos, debuit in certo ſubiecto ſeu materiâ fluxili, permeabili & tenuiſſimâ deferri, vt cito totum interiectum ſpatium, quoties opus erat, emetiri ac peruadere poſſet. Hoc autem ſubiectum ſeu materiam eſſe ſpiritum, eúmque triplicem, naturalem, vitalem, & animalem, prius in tractatu ſpirituum oſtendimus : etenim ſi ὀργανικῶς tantum, virtualiter & irradiatiuè, vt loquuntur, hic influxus fieret : cur natura tam curiosè eiuſmodi cauitates & continuos ductus fabricata eſſet, cum qualitatis & virtutis diffuſio poſſit facillimè per quodcumque corpus annexum ſeu obuium fieri ? quemadmodum radios ſolares vndiquaque per aërem, aquam, terram & ſimiles mundi partes diſpergi videmus. Illos igitur comparauit, vt tanquam per tubulos materia hæc ſpirituoſa conuenienter deferri, ire ac redire per iuſtas & patentes vias poſſet.

Tres itaque iſti ſpiritus cum ſuis facultatibus & potentiis, vndiquaque ſparſi mutuam ſibi operam & vſum præſtant : naturalis enim cum ſanguine in ſingulas partes delapſus commodam partium nutritionem, temperiem & incrementum promouet : vitalis exſuſcitat & intendit vim functionum illarum inſitarum, & diſponit ad ſenſum & motum : quemadmodum ſenſifica & motrix, percipiens quæ vtilia ſunt aut inutilia ad ea perſequenda vel euitanda, vim excitat, robur corporis confirmat, & facultates omnes perficit. Vnde prudenter factum eſt à naturâ, vt vbique tria illa inſtrumenta ; nerui, venæ, & arteriæ coniuncta ſint. Certè inter venas & arterias tanta eſt connexio, vt non ſolum eiuſmodi vaſa pluribus in locis per oſcula patentiſſima coëant, ſed etiam in continuo illo ductu ſuas habeant συμφύσεις & ἀναστομώσεις à Galeno annotatas, quibus materiæ iſtæ hinc inde transferri & commeare poſſunt. Sic per febres ſectâ venâ refrigeratur cor, quia arteriæ venis per iſta oſcula coniunctæ ſunt : Vnde etiam Hippocrates totum corpus confluxile & conſpirabile eſſe ſcripſit. Præterea facultates iſtæ ita concurrunt, vt iraſcibilis in corde poſita, condita videatur in rationalis ſubſi-

dium quæ cerebro inſidet, aduerſus concupiſcibilem hepati inſitam, velut canis quidam contra agreſtem feram, inquit Galenus 6. *de placitis*. Nam cum cupiditas nobis ſit indita, vt ſine voluptatibus non viueremus, ſi quidem illa fiat intemperantior, tunc ratio ſedare debet illius impetum. adiuta vi illâ θυμικῇ, quæ reſpuat fœdas iſtas & immundas voluptates: quemadmodum ratio ſæpius iraſcibili fert aſſenſum, vbi vindictâ opus eſſe iudicarit: & ſic de reliquis animæ noſtræ functionibus: ad quarum peculiarem magis tractationem nunc accedimus.

NATVRALIS FACVLTAS ET EIVS SPECIES. Animam noſtram velut ſuperiorem quamdam formam, inferiorum vires & facultates includere prius docuimus. Itaque vegetatricis, quæ eſt in plantis; & ſentientis, quæ in brutis conſpicitur, potentias omnes obtinet: quarum deſcriptionem iam aggredimur, ducto à vegetante exordio, quæ in homine naturalis facultas appellari ſolet. Tot igitur erunt naturales iſtæ in nobis potentiæ, quot vegetatrices in plantis, procreatrix nempe, auctrix & altrix, quæ ſigillatim ſunt Medico conſiderandæ. De procreatrice ergo cum ſequenti tractatione fusè acturi ſimus, quatenus ad hominem ſpectat: nunc tantum dicamus eſſe eam vim animanti inſitam ſibi ſimile generandi: eiúſque actionem ſeu actiuum motum eſſe ſubſtantialis formæ in materiâ acquiſitionem, ſiue progreſſum ad formam. Hæc igitur facultas ſemini vtriuſque parẽtis inhærens, dum in ſubſtratam ſibi materiam agit, neceſſariáſque & prævias excipiendæ formæ diſpoſitiones inducit, non ſolum illam alterat, ſed etiam in conuenientem naturæ ſuæ ac ſpeciei figuram conformat: vnde duæ exurgunt procreatrici ſubiectæ potentiæ, immutatrix ſcilicet & conformatrix. Illa primis & elementaribus qualitatibus, calore potiſſimum analogo & quaſi cœleſti vtens, ſemen & ſanguinem menſtruum, ſubiectam homini generando materiam immutat in qualitatibus tam primis quam ſecundis, vt ex ea os, neruus, vena, arteria, & quælibet partium fiat: vnde tot particulares iſtæ facultates immutatrices recenſentur, quot ſunt partes ſimilares, oſſifica, neruifica, venifica, & ſic de reliquis. Conformatrix verò, quam Auicennas non ex ſponte ſuâ, ſed ex præcepto creatoris ſui agere eleganter ſcripſit; immutatam iam hanc materiam artificiosè effingit, vt congruentem figuram, ſitum, compoſitionem, cauitates, ſoliditates, aſperitates, lævitates, apophyſes, epiphyſes & cætera huiuſmodi diſponat ad cuiuſlibet partis conſtitutionem, actioni ſcilicet & vſui idoneam. Hæc etiam diuiditur pro diuerſitate partium organicarum.

Auctrix verò facultas, quam Auicenna creſcitiuam appellat, eſt quâ corpus accreſcit in omnem dimenſionem: actio enim eius quæ eſt auctio, eſt ſolidarum animalis partium, quarum prius fuit generatio, ampliatio in longum, latum & profundum, formâ propriâ & continuitate priore ſeruatâ: & hoc eſt quod vocat Ariſtoteles augeri ſecundum formam: Hoc autem eſt ſolius naturæ opus, non artis, quæ tantum demit longitudini, quantum verbi gratia tribuit latitudini, & contra. Auctrix hæc facultas ita vtitur nutricis operâ, vt citra illius opem compleri non poſſit: ídque aliquos mouit, vt eamdem eſſe facultatem dicerent: propterea quod virtutes diuerſæ diuerſarum operationum oportet vt ſint: ſed augentis (inquiunt) nulla eſt propria actio diuerſa à nutritione: nam cum tantum reparatur ex alimento confecto, quantum quotidiano effluuio perierat, nutritur corpus: cum plus reponitur, augetur: ſed plus aut minus reparari non variat actionis ſpeciem: quare neque virtus erit diuerſa auctrix à nutrice. Nos verò exiſtimamus bene & appoſitè à Galeno has facultates diſtingui, quas tamen ſibi mutuò ſubſeruientes appellauit: tum quod auctrix non habet idem obiectum atque altrix: altrix enim verſatur circa alimentum: auctrix verò circa ipſas partes ſolidas, quas illa in omnem partem effert atque dilatat, vt nutrix illis ita diffuſis alimentum apponat, affigat & aſſimilet, non tantum quantum deperiit, ſed etiam copioſius: tum quod multi creſcere & augeri videantur, qui paruâ admodum nutricatione vtuntur, vt patet in pueris & adoleſcentibus morbo detentis: contra multi lautè & opiparè viuentes, pingues & ſaburrati, non tamen proceritatem eam attingunt quæ homini decentior eſt: quare exiſtimanda eſt auctrix non eſſe maior aut minor nutricatio, ſed diſtincta facultas, vt & à procreatione, in quâ fit ad nouam ſubſtantiam progreſſus; in accretione ad molem tantum & amplitudinem: ſiquidem quod gignitur nondum eſt, nec certam obtinuit ſpeciem: quod augetur, formam ſuam adeptum eſt perfectam, ſed non complementum dimenſionis ſuæ. Itaque ſic inuicem ſibi hæ facultates inſeruiunt, vt quod procreatum eſt, augeatur ad certam & determinatam magnitudinem: quod auctum eſt, nutri-

tione,

tione, & alimenti appulsu conseruetur. Nec minus procreatrix facultas aliis etiam duabus ancillatur; nam & dentes in infantibus, necnon aliquando in adultis de nouo producuntur: Et Galenus in capite arteriam satis insignis magnitudinis vidit regeneratam: quemadmodum in cauo & profundo vlcere implendo, venæ & arteriæ capillares recuperantur, vnde est via ad nouæ carnis generationem. Sic facultates istæ tres & sibi mutuas præstant operas, & inuicem distinguuntur.

De nutrice igitur peculiarius acturi, dicamus nunc nutritionem contingere, quando nutrimenti cum nutrito perfecta fit assimilatio, hoc est, cum quod in nutrimenti specie affluit, omnibus corporis, quod nutritur, partibus solidis apponitur, affigitur, assimilatur, sine vllâ tamen ampliatione: succus enim omnem animalis partem nutriturus, vbi à vasis excidit, ceu ros quidam per totam partem nutriendam dispergitur, mox apponitur seu adiungitur: deinde siccitatem sufficientem ac lenitorem à calore natiuo adeptus, agglutinatur, coalescit, & vnitur. Ad hoc opus perficiendum vtitur facultas nutrix auxiliariis quibusdam & administris facultatibus, quas Galenus quaternario numero incluſit *variis in libris*, & vocat ἑλκτικὴν, κατεχούσην seu καθεκτικὴν, ἀλλοιωτικὴν, ἐκπεπτικὴν vel διακριτικὴν id est tractricem, retentricem, alteratricem, & expultricem. Cum enim nutritio, vt iam dictum est, fiat mutatione materiæ alimentariæ in substantiam illius quod nutritur, & ad hanc mutationem, nihil opus sit quam tractione eius quod est vtile, tracti retentione, retenti mutatione, & partis inutilis, qualis necessariò in quauis concoctione separatur, expulsione: constat quatuor solummodo esse virtutes naturales nutrici ministrantes.

Attractrix quidem conuenientem succum allicit ad ipsius partis nutritionem (quod cuilibet parti commune est, alimentum sibi familiare trahenti, nunc per fibras fectas, vt in ventriculo: nunc à solo partis temperamento, vt in reliquis propriè partibus) vel etiam ad eius delectationem & voluptatem, ἀναζωπύρισιν vocant Græci: veluti os vteri semen, vesicula bilem flauam ex iecore fruendi & voluptandi, vt ita loquar, causâ allectat & attrahit. Retentrix attractum familiarem succum, quoad vsque absoluta fuerit coctio, retinet, si alimentum sit: si excrementum, donec quantitate distendat, aut qualitate acri vel mordaci partem, verbi gratia intestina aut vesicam, offendat. Hæc vt cæteræ facultates, omnibus inest nutriendis partibus: apertius autem apparet in partibus magnam cauitatem habentibus, vt ventriculo, vtero, vesicis: in hisque villis obliquis maximè iuuatur: in reliquis partibus est obscurior, atque in earum sita temperamento. Concoctrix verò substantiam in parte retentam, si parti in quanto & qualitatibus fuerit proxima, & magnam cum eâ cognationem habeat, citissimè alterando parti ipsi assimilat, vt ex sanguine caro mox efficitur: si verò magis à partis temperie fuerit remota, illam per omnes medias qualitates prius immutat. Verbi gratia os durum, album, frigidum, ex sanguine humido, rubro, & calido, vno & eodem impetu fieri non potest, sed multis in medio alterationibus & mutationibus opus est, quas facultas ista concoctrix exequitur, idque proprio cuiusque partis temperamento. Expultrix autem ea, quæ peruinci, percoqui, perfecte alterari, & cum nutriendo similitudinem recipere non potuerunt, expellit & deturbat, vbi partem quæ ipsa vel coquendo vel trahendo secreuit, ceu onere alieno grauant, & quantitate distendunt, vel acri qualitate molesta sunt. Expulsio tractioni contraria sæpe fit per eosdem meatus, vt deglutitio & vomitus per gulam: vtitur tamen fibris potissimum transuersis, in partibus quibus hæ reperiuntur, & quæ publico funguntur munere: in aliis ipsâ temperie, vt iam dictum est.

Dicet aliquis, plures aliæ recensentur apud authores clarissimos, præter istas quatuor facultates, quarum nunc meminimus. Auerrhoes enim 7. *Physicor. cap.* 10. existimat esse quinque, addens superioribus secretricem: cuius sententiam confirmat Auicennas 3. *lib. canonis*, dum de paruitate hepatis agit, & causas anasarcæ enarrat. Galenus etiam alterius facultatis præter has videtur meminisse *1. de sympt. causis*, vbi causas naturalis famis recensens, ait primò venas exinaniri: deinde appetere naturali appetitu: post trahere fugendo ex ventriculo: ex cuius fuctus sensu excitatur animalis appetentia, quam famem appellat. Appetentia enim quæ in ventriculo est cum sensu, animalis: quæ in venis sine sensu, naturalis dicitur. Oportet igitur naturalibus instrumentis cum appetant naturaliter, suam inesse appetendi facultatem, vt actionum numero par sit facultatum numerus. Præterea habet hæc facultas suas læsiones, vt ipsemet Galenus docet *libro sexto de locis affectis, capite tertio.* Diabetes verbi gratia fit ob debilem & infirmam renum retentricem:

sed inexhausta illa quæ est in hoc affectu, nascitur ex nimiâ naturali renum appetentiâ: ita vt serum ad se copiosius attrahentes ventriculum exhauriant & exsiccent, sitimque in eo concitent. Quare appetendi facultas naturalibus addenda videtur. Idem Galenus 4. *Aphor.* secretricem addidit, cum inquit, siquidem præire oportet coctionem, subsequi verò secretionem, demum euacuationem. Sed & *in* 1. *de facult. natur. cap.* 12. cum docuisset concoctricem in venis ac membris esse, secretrice opus esse ait, vt ea quæ superflua sunt, possit expellere. *In* 3. *autem de sympt. causis cap.* 1. meminit Galenus non solum secernentis quam διακριτικὴν appellat, sed etiam distribuentis siue ἀναδοτικῆς: ibique docet symptomata quæ ex illarum actionibus vitiatis exoriuntur: vt atrophia fit distributionis, ictcrus secretionis defectu. Itaque cum istæ, & sua patiantur nocumenta, & longe aliud sit, deducere alimenta per corpus & excrementa separare, vt excludantur; quam trahere, retinere, coquere & expellere: ratio ipsa suadere videtur has virtutes ab illis esse diuersas. Præter istas omnes sunt qui adhuc alias inuehunt, vt apponendi, affigendi siue agglutinandi, & assimilandi, quas etiam ex actionibus constituunt: sic enim affictricis facultatis, vt ita loquar, necessitatem demonstrant. Vt nutriatur corpus, non satis est, vt quod nutriturum est, trahatur, retineatur, alteretur, & pars illius inutilis excludatur; nisi id quod retinetur, affigatur nutriendæ particulæ: At affigendo membris cibo reliquæ facultates non sufficiunt: hoc enim maxime efficeret retentrix: tractio tamen versus partem, longaque in illâ retentio, vnionem tantum facere potest: quæ vnio ex Gal. 1. *de facult. natur. cap.* 11. non eadem est cum hac affigendi facultate, quod probat exemplo hydropis: in anasarca enim praua fit nutritio, quia etsi appositio siue vnio ciborum fiat, tamen interuentu aquei humoris non affiguntur. Ergo affigendi actio est propriæ facultatis, & ab aliis diuersæ.

Hæc argumenta, quamuis probabilitatem aliquam habeant, non tamen efficiunt vt plures sint naturales facultates ministrantes, præter illas quatuor à nobis recensitas. Atque vt illis breuiter satisfaciamus, ad id quod primò obiiciebant, dicimus, appetitum quidem naturalem singulis naturalibus instrumentis inesse, eius, quod sibi secundum propriam cuiusque naturam conueniens est. Sed tamen cum propter finem operari & illum appetere, insitum sit etiam inanimatis, in quibus facultates naturales non sunt: non magis indigent membra facultate distinctâ ad appetendum alimenta, quam terra vt descendere, ignis ascendere appetat. Ad id quod secundò adferebant, dicimus facultates illas, distributricem scilicet & secretricem, non esse alias facultates à quatuor prædictis distinctas, sed operationes quæ consequuntur ad opus aliarum. Nam cum distributionem alimenti in corpus vniuersum fieri, aliis membris expellentibus, iis scilicet quibus redundans est succus; aliis trahentibus propter indigentiam, ex ipso Galeno constet: non admodum nos commouebit, si distributionem aliquando nominet. Fuerit enim facile dicere hanc non esse ab aliis diuersam, sed ad alias reduci, non minus quam secretricem. Nam cum concoctio omnis separet excrementa ab alimentis, & membra vim habeant trahendi cum delectu vtilia, reliqua expellendi: quâ amplius facultate secretrice est opus? An non istas operationes necessariò consequitur secretio? Et vt secretricem facultatem nullâ ratione necessariam esse exemplo appositissimo declaremus: Ponatur pars linei panni in vino aquâ mixto, cuius extremum propendeat aquâ prius madefactũ: tota aqua guttatim exibit relicto ibi vino ob similitudinem tantum & grauitatem, quamuis ibi non sit facultas illa secretrix, sed solum attractrix rei conuenientis. Longè igitur minus erit necessaria in animalibus.

Quod verò dicunt Galenum & Auicennam eam in iecore constituere; verum quidem est: ibi enim ponunt causas hydropis apparentes, & cum in talibus appareat plerumque vrina sanguinea, quæ fit ex debilitate concoctricis iecoris, cum debilitate concoctionis renum (per primam enim fit difficilis separatio, per secundam non fit separatio) & causa debilis coctionis in iecore per accidens sit plerumque debilitas retentricis: ideo ne dicant tot causas, ponunt vnum effectum, nempe secretionem, pro pluribus causis, nempe facultatibus illis læsis. Ad id quod vltimò adferunt de facultate agglutinante seu affigente, respondemus, hanc operationem non pendere ab aliquâ facultate particulari, sed dicendum est varios esse gradus & perfectiones coctionis, quæ suis ita nominibus à Galeno & aliis, aliquando facilioris doctrinæ causâ distinguuntur: quamuis reuera sub illis contineantur. Et sic remanet quaternarius ille numerus potentiarum facultati naturali inseruientium, ad varia illa opera sufficiens.

VITALIS

y Google

VITALIS FACVLTAS ET EIVSSPECIES. Vitalem à naturali & animali diuerſam in perfectis animantibus, diſtinctamque eſſe facultatem ſuperius iam docuimus: eamque in corde innati caloris & influentis fonte collocauimus. Huic ergo facultati, quam alij θυμικὴν & παθητικὴν appellant, tribuuntur affectiones ſeu animi noſtri pathemata, vt lætitia, triſtitia, ſpes, deſperatio, confidentia, metus, verecundia, amor, odium, inuidia, ira, furor & cætera eiuſmodi: quæ in corde ideo fieri dicuntur, quoniam, ſi fuerit boni apprehenſio, conſecutione quadam & colligantia facultatum & cordis, ſequitur illius & ſpirituum dilatatio & ad exteriora expanſio: ſin verò quid mali perceptum ſit, eorum coarctatio & quaſi auerſio: vnde materialiter in corde; in cerebro verò formaliter fieri eiuſmodi paſſiones dicunt Philoſophi. Ira enim verbi gratia quamuis formaliter deſignet actum quo appetimus ſeu ferimur ad vindictam: materialiter tamen refertur ad feruorem ſeu ebullitionem iſtam ſanguinis circa cor, quam ſequitur ſenſibilis in corpore mutatio: & ſic de reliquis, quibus relictis, vtpote quæ in Hygieine curioſius tractantur, duas tantum perſequemur actiones vitalis facultatis, ad caloris viuifici conſeruationem maximè conferentes, pulſum nempe & reſpirationem, quæ illi ſubſeruientes & adminiſtræ dicuntur.

Pulſus igitur & reſpirationis tres cenſentur continentes cauſæ, hoc eſt quæ alterari aut mutari non poſſunt, manente effectu integro & immutato: hæ autem ſunt facultas, inſtrumentum & vſus. Quod ad vſum ſpectat, ille omnino ſimilis eſt tam in pulſu quam reſpiratione: reliquis verò duabus differunt, facultate ſcilicet & inſtrumentis: etenim reſpirationem conſeruare calorem natiuum, feruorem temperando, ſpiritus vitales reficiendo, & fuliginoſa excrementa educendo, ex eo probatur, quia exhauſto ſpiritu per labores, aut caliditate cordis auctâ ob quamcumque cauſam, ſtatim fit reſpiratio maior, velocior & crebrior: & ſi quis priuetur inſpiratione, vt in ſuffocatis, cordis calor ob nimiam inflammationem, vel excrementorum illorum retentionem extinguitur. Pulſus etiam eumdem eſſe vſum, conſtat, quia quæcumque cauſa (vt ira, exercitatio nimia, crapula) permutando vſum permutat reſpirationem; atque etiam ſimiliter pulſum, ad eaſdem differentias magnitudinis, celeritatis, crebritatis, aut contrariarum. Quare idem eſt vſus pulſus atque reſpirationis: ita tamen vt quod reſpiratio ſoli præſtat cordi & pulmonibus, id pulſus reliquis omnibus membris præſtet, per quæ arteriarum propagines ſunt diſſeminatæ; ſitque cordis motus & arteriarum multo velocior, quam thoracis: quinquies enim pulſant arteriæ & cor per vnicam thoracis contractionẽ, & dilatationem: vtraque enim iſtarum actionum conſtat dilatatione & conſtrictione: quas in reſpiratione inſpirationem & expirationem, in pulſu ſyſtolem & diaſtolem appellamus; cum duplici quiete, vnâ quidem internâ, quæ inſpirationem & ſyſtolem ſequitur: aliâ vero externâ, quæ fit poſt expirationem & diaſtolem.

De facultate autem & inſtrumentis quibus fit reſpiratio maior eſt controuerſia. Quidam enim putant à naturâ tantum, id eſt naturalibus inſtrumentis fieri: Alij verò voluntatis imperium omnino ſequi: Tertia denique eſt opinio eorum qui putant ab vtraque pendere: ita vt ſit mixta actio, partim ab animali, partim à vitali dependens. Qui anhelitum purè naturalem eſſe exiſtimant, illi non ſatis aptè ſuam probare poſſunt ſententiam: etenim contra eorum opinionem facit elegans Galeni ratio, quam habet *lib. 2. de motu muſculor.* vbi ſic ait. *Ea quæ cum facta iam ſunt ſedare potes, ſi vis, & cum nondum ſunt facta, facere, voluntaria ſunt. Si ergo præter hæc citius aut tardius, crebrius aut rarius ea faciendi poteſtatem habes, manifeſtum eſt actionem eam ſeruire voluntati.* Quod ipſi reſpirationi contingit beneficio diaphragmatis & muſculorum thoracicorum, vt ipſemet confirmat barbari cuiuſdam ſerui exemplo, qui compreſſo ſponte anhelitu extinctus eſt. Quod verò illi dicunt reſpirationem eſſe motum purè naturalem, propterea quod nobis dormientibus, quo tempore ceſſant animales actiones, fit reſpiratio, parum vrget: nam inter dormiendum, quædam fit motuum voluntariorum interceptio, ſed non integra, quia tunc videmus multos loqui, brachia iactare ſæpiſſimè, imo etiam aliquando dormientes ambulare, vt de ſeipſo Galenus narrat: quare nihil vetat per ſomnum etiam influere ſufficientem in thoracis muſculos vim animalem, qua eiuſmodi actio tantopere ad vitam neceſſaria exerceatur.

Non etiam eſſe purè animalem reſpirationem, illud demonſtrare videtur, quod principium motus actionis iſtius non tantum pendet à cerebro & muſculis thoracis atque aliarum partium, de quorum numero inter veteres & recentes Anatomicos controuertitur: ſed etiam à corde & pulmonibus. Hoc eſt efficientem cauſam actio-

nis istius non simpliciter esse voluntariam, vt videtur voluisse Galenus; sed per organa etiam naturalia perfici. Nam quemadmodum concedit ille calorem cordis causam esse respirationis vt finem, & animalem vitali hîc subseruire: sic etiam nos putamus pulmones non tantum consecutione quadam & vacui fugâ ad thoracis motum agitari, sed potius naturali motu, qui non solum in illis, sed & in cerebro, ventriculo, & aliis partibus sensibiliter reperitur. Vel certè dicamus, naturam calidi esse quemcunque humorem attollere, & in maiorem molem diffundere. Ideo sanguinem illum arteriosum cum spiritu copiosissimo, qui in cordis sinubus continetur & feruet, non solum cor ipsum dilatare, vnde fit pulsus: sed & pulmonem, vnde fit respiratio: factâ scilicet in eum continuâ illius deriuatione per vasa cordis patentissima: Amplificato sic pulmone necesse est thoracem dilatari, & aërem externum intromitti in asperam arteriam, quæ inspiratio vocatur: vnde subsequitur pulmonum humorisque in illis feruentis refrigeratio, quæ causa est diminutionis & quasi contractionis illorum: quemadmodum videmus in ollis feruentibus iniectis aliquot frigidæ guttulis contingere. Desidente itaque & contracto pulmone necesse est inspiratum aërem reddi, quæ expiratio vocatur: vnde patet calorem cordis non tantum esse finalem respirandi causam, ratione vsus; sed etiam principium, vnde motus & agitatio illa pulmonum contingit: ac proinde mixtam esse hanc & quasi mediam actionem, quæ à duplici facultate efficienter pendeat: quemadmodum excretionis fœtus, vrinarum, & fæcum: quas cohibere quidem possumus ad tempus, ratione musculorum; vrgente tamen motu naturali illas exercere etiam inuiti cogimur: sic in respiratione postquam clauso ore & naribus illam cohibueris paulisper, cogeris tandem os aperire & aërem externum maiore solito impetu haurire ac reddere: quia vincitur à naturali motu voluntarius motus. Vnde suspecta semper mihi fuit serui illius barbari historia apud Galenum, quem scripsit ad suffocationem vsque spiritum cohibuisse: non enim sufficit constantia voluntatis in spiritu cohibendo, sed vires sunt ad extremum necessariæ, quæ resistere possint motui naturæ contrario. Ex cuius rei intellectione patet, quomodo per paralyses aut apoplexias pereunte per totum corpus sensu & motu, permaneat tamen aliquantisper respiratio, quia non solum animali opera, sed etiam cordis vi & pulmonum absoluitur. Nam quod respondet Galenus, summam respirandi necessitatem tunc excitare neruorum vim ad agendum, quamuis in aliis partibus perierit, non satisfacit: quoniam abolito in illis sensu; ita vt siue pungas, siue vras, non percipiant, quomodo sentire poterunt respirandi necessitatem? Est ergo melius respirationem ad cordis motum partim referre eâ quam attulimus ratione: sic enim commodius respiratio ad vitalem facultatem, velut eius quædam species, reduci poterit.

Σφυγμικὴ autem siue pulsatoria vis purè ab insito cordi motu dependet extra voluntatis nostræ imperium; quod continuitate quadam & facultatis influxu arterias per totum corpus disseminatas mouet & agitat ad fouendum in illis calorem natiuum, vt diximus, & excludendas fuligines, quæ ex singulis cõctionibus emergunt: & pro varietate vsus istius aucti vel imminuti ad varias permutatur differentias velocitatis, tarditatis, frequentiæ, raritatis, & similium, quas Galenus tam accurate libris huic rei dicatis persecutus est, vt non sit opus de pulsuum hic differentiis agere. Quod spectat autem ad motum illum cordis continuum, qui tamdiu perseuerat, quamdiu animal est in viuis: non solum ad calorem & spirituum agitationem cum Aristotele illum censemus referendum; sed etiam ad vim & animæ proprietatem contrahentis & dilatantis illud indesinenter, ob præsentiam obiecti siue necessitatis perpetuæ: quemadmodum partes mouet per interualla, & quoties opus fuerit, etiam sine musculis, vt cerebrum, ventriculum, vesicam, vterum & similes. Vtrum verò dilatato corde distendantur etiam arteriæ, vel contra, & alias multas quæstiones, hic pertractare non est nobis propositum, sed ad reliqua pergere, quæ huic nostro instituto sunt magis accommodata.

FACVLTAS ANIMALIS ET EIVS SPECIES. Animali facultati tanquam generi duas subiicit virtutes Auicenna *fen. 1. lib. 1.* Comprehensiuam scilicet & Motiuam: Comprehensiuam rursus diuidit in comprehensiuam manifestè, & comprehensiuam occultè. Cõprehensiuam manifestè vult esse sensibilem, quæ sit genus quoddã quinque virtutum videndi, audiendi, odorandi, gustandi & tangendi: Comprehensiuam verò occultè, vult esse interiorem cerebri facultatem, sub quâ quinque alias virtutes statuit, nempe sensum communem, phantasiam, cogitatiuam seu imaginatiuam, existimatiuam & memoratiuam. Galenus verò hæc ita digessit *lib. de differ. symptom. cap. 3.*

cap. 3. dum ait: *Animales facultates primum diuidimus in ſenſibiles, motiuas, & tertias rectrices, quarum vnaquaeque rurſus in ſuas differentias diuiditur: Senſibilis enim animæ functio quinque in totum habet differentias, totidemque inſtrumenta: motiua verò actio continuatum ſibi inſtrumentum vnum habet, motioniſque eius rationem vnam: variatur autem in particularibus inſtrumentis, ita vt varias ſpecies habere videatur: Rectrix verò ſeu princeps in imaginatricem, ratiocinatricem & recordatricem diducitur.* Hæc ille, de quibus nos rurſum agamus ſigillatim. Facultas igitur animalis apprehenſiua ſpecies rerum ſenſibilium percipit vel abſentes, vel præſentes (ſenſus enim recipit ſpecies rerum materialium abſtractas ſine materiâ: ſicut cera ſuſcipit ſigillum vel imaginem ab annulo:) quæ præſentes apprehendit in animato corpore, ſenſus exterior dicitur: non tam quod extra foraſque promineat, quam quod rerum externarum præſentes ſpecies ſuſcipiat & percipiat: Vt autem illud fiat, concurrere debent inſtrumentum bene diſpoſitum, obiectum proportionatum, neque nimium excellens, neque nimium deficiens: medium, per quod fit multiplicatio ſpecierum à ſenſibili bene præparatum. Denique conueniens eſſe debet diſtantia inter obiectum & ſenſum, vt bona & perfecta fiat ſenſatio.

Dicamus igitur de quolibet ſenſu atque ſenſibili breuiter, à tactu auſpicaturi: cum hic ſenſus ad eſſe neceſſarius eſſe dicatur: alij verò διὰ τὸ εὖ, ad bene eſſe vel commoditatis causâ inditi ſint animantibus. Tactum igitur definimus potentiam ſenſitiuam exteriorem, poſitam in neruis per totum corpus expanſis, mediâ cute aut carne, ad percipiendas qualitates proprias: tactus etenim obiectum ſunt qualitates tum primæ, calidum nempe, frigidum, humidum & ſiccum: tum ſecundæ, vt aſperum, læue, aridum, lubricum, graue, leue, durum, molle, craſſum, ſubtile, & cætera huiuſmodi. Inſtrumentum verò, vel organum illius eſſe neruum quemdam multiplicem & ramoſum, multis ſurculis & quaſi capillatim per totum corpus ſub carne vel cute diſperſum & expanſum, non tantum in partibus externis, ſed etiam internis, ad quas eiuſmodi neruus diſpergitur, id demonſtrat, quod partes omnes quæ neruis deſtitutæ ſunt, ſenſu & tactu careant, vt patet in parenchymatis viſcerum: tum etiam quod obſtructis vel colliſis eiuſmodi neruis, qui ad partes deferuntur, ſtatim perit ſenſus tactus in illis, quamuis caro & cutis in illis integræ & ſanæ ſint: quas ideo diximus eſſe medium inter tactile & neruum ipſum. Cæterum ſenſus hic tactus non vnus videtur ſenſus, ſed plures: quia tactiones multarum ſunt oppoſitionum, vtpote calidi, frigidi, humidi & ſicci, duri & mollis, & aliarum non conſtitutarum ſub eodem genere. Itaque ſi tactus ſumatur pro diſpoſitione, quâ organum aptum eſt ad recipiendas qualitates iſtas, proculdubio multiplex ſtatuendus erit: vnicus tamen erit, ſi reſpexeris tum ad organum, quod vnicum eſt, quo mediante anima hanc operationem exercet: tum ad ipſum actum tangendi, qui ſimiliter tam in hac, quam in illâ tactilis obiecti differentiâ exercetur. Senſus hic tactus craſſiſſimus eſt, & terrenæ maximè naturæ particeps dicitur, quoniam ea quorum differentiæ tactu diſcernuntur, ſoliditatem aliquam & conſiſtentiam maiorem, quam aliorum ſenſuum obiecta habere debent, magiſque materiæ hærent.

Guſtus tactui affinis eſt admodum, & quodammodo tactus, cum vterque ſentiat ſine medio extrinſeco, & in eadem parte fiant; nam lingua eadem parte & calidum ſentit & dulce, non tamen idem ſunt, cum nec vbique ſimul reperiantur, nec eadem habeant obiecta. Guſtus ergo dicatur potentia ſenſitiua exterior, apprehendens ſapores per linguam medio humido ſaliuoſo. Qualitas igitur guſtatilis ſiue ſapor illius eſt obiectum, qui ex duabus qualitatibus paſſiuis emergere potiſſimum ſolet, nempe humido plus minus digeſto, vel permixto cum ſicco terreſtri per calorem ſolis aut aliorum: vnde ex diuerſo concoctionis iſtius modo, emergunt vulgatæ illæ ſaporum differentiæ ſeptenario numero comprehenſæ, acerbus, auſterus, acidus, frigiditatis ſeu crudæ humiditatis magis participes: dulcis, qui temperatus quoque eſt: ſalſus, amarus, acer, qui caloris vim magis ſequuntur.

Medium eſt ſaliuoſus ille humor, in quo ſuſcipiuntur qualitates iſtæ à rebus ſapidis defluentes: cuiuſque defectu quicunque linguam habent duriorem & aſperam, guſtu deſtituuntur: eſt enim lingua proprium organum, cum neruulis illis tertiæ & quartæ coniugationis qui ad illam deriuantur. Hic autem ſenſus potiſſimum facit ad vim nutritiuam, quia non expediebat quicquam ingeri ad alimoniam animantium, quin gratum & vtile eiſdem eſſe ex iſtis ſaporibus fuiſſet inuentum. Accedit etiam ad naturam aquæ, quia ſine humore, vt diximus, exerceri nequit.

Sequitur olfactus, qui vt inter omnes alios ſenſus in homine eſt debiliſſimus, ſic etiam

etiam medius: est enim subtilior tenuiorque tactu & gustu: crassior ac magis hærens materiæ, auditu & visu. Olfactus itaque est sensus exterior apprehendens odorem per processus cerebri mammillares, medio aëre vel aquâ: Illius obiectum est odor, qui est qualitas emergens ex sicco concocto per vim caloris in humido, & euaporante per vim caloris: vapor enim siue exhalatio eleuata ex huiusmodi corporibus, modò realiter, quando ingreditur ipsum sensorium: modo intentionaliter, quando se se per medium tantum multiplicat, prout hoc vel illo modo afficit organum, varias etiam desumit differentias, quæ saporibus quodammodo respondent. Dicitur enim odor gratus & suauis: ingratus, fœtidus & insuauis: odor dulcis, acutus, & sic de reliquis. De organo autem olfactus non ita consentiunt authores: Galenus enim aliquando anteriores cerebri ventriculos esse olfactus organum constituit, ex *lib. de vsu partium* 8. *cap.* 6. Auerrhoes 2. *collig. cap.* 17. existimat esse ipsum nasum, vel interiorem illius tunicam: alij cauitatem ipsam in osse frontis iuxta nares positam. Auicennas vero *fen.* 5. *lib.* 3. *cap.* 1. putat odoratus instrumentum in carunculis mammillaribus cerebri quæ ad os ethmoides pertingunt, situm esse, cui assentitur Vesalius. Verùm vt breuiter quod hac de re sentimus, aperiamus: Cerebrum non videtur esse subiectum sensus odoratus, neque instrumentum: imo cum careat sensu tactus, carebit etiam, iuxta Aristotelis regulam odoratu, & omni sensu alio: neque principium sensus occupatum esse debet circa particularia obiecta: Neque nares aut interior illarum tunica, sunt instrumentum odoratus: quia nisi spiritum trahamus, repletis quantumcumque odore naribus, non olfacimus: & obstructâ viâ quæ est inter nares & cerebrum, homo odores non sentit, vt per coryzas: quare neque nares, neque illius partes erunt odoratus instrumentum. Nec etiam spiritus in cauitate frontis contentus, nisi de præparatione aliquâ aëris in loco illo intelligas, non de proprio sensorio: quia non est ibi neruus aut via, per quam ad interiorem sensum deferatur.

Supereſt itaque, vt sint processus illi mammillares, qui positi sunt aptissimè inter nares & cerebrum: cum natura nihil faciat frustra, & nullus alius visus processibus his adhuc sit adinuentus: qui eo longiores sunt & eminentiores, quo sagaciore animal præditum est olfactu. Medium dicitur esse aër vel aqua, quia eiusmodi exhalationes, quæ ad olfactum sunt necessariæ, medij sunt quodammodo generis, neque aëreæ prorsus aut aqueæ substantiæ participes, sed mediæ cuiusdam inter has naturæ, nempe vaporis: & facilius per ista corpora rara & penetrabilia deferuntur, quam per terram, quæ nimis est densa: licet talpa in visceribus terræ olfacere credatur: vel per ignem, qui insigni sua caliditate illas absumit: est quidem ignis odores & vapores istos eleuans, sed non recipiens aut conseruans. Atque hæc de olfactu, nunc ad auditum progrediamur.

Auditus definitur, sensus exterior, percipiens auribus eam qualitatem ex aëris commotione prouenientem, quam sonum appellamus, medio aëre vel aqua. Medium illius est aër vel aqua, eadem ratione quæ de odoribus dicta fuit. Obiectum est sonus, qui proficiscitur ex aëris percussione, quæ ambienti corpori communicata orbiculariter defertur, vt ad omnem positionis differentiam percipi possit. Ad cuius generationem tria requiruntur, corpus percutiens, percussum, & medium, quod vocant actuatum, cui nimirum illa qualitas communicatur. Ista autem cum variè disponi possint, variæ etiam exurgunt sonorum differentiæ, veluti acutus, grauis, & sic de reliquis. Sonus etiam aliter diuiditur; est enim alius vox, alius non vox. Sonus vox, fit ab ore animalis, cum alicuius significationis imagine, cuius organum est vocalis arteria, à quâ per illam inspiratur aër & refringitur. Sonus autem non vox, fit ex collisione duorum corporum extremorum, veluti fragor concussorum lapidum, strepitus pedum & similia eiusmodi: ad cuius perfectionem requiritur quod corpora collisa sint dura, læuia, vel concaua. Aliquando tamen aër vice percussi corporis, simul & medij collisi aut scissi fungitur, vt in sono flagri virgæue, & in rupturâ panni: vbi duæ aëris partes se mutuò collidentes sunt causa soni: & quia propter corporis illius rupturam subitò ingreditur aër ad eum locum replendum. Est & alia soni species quæ echo dicitur (Homerus πολυπλαγχὶν appellat) sonus nempe secundarius, causatus ex aëre moto, & primario sono editus, qui per repercussionem alicuius obstaculi à quo reflectitur, efficit sonum priori similem.

De auditus, sicut & olfactus organo, non parum quoque controuertitur, cuius rei causa esse videtur ipsius auris internæ mira constructio: externa enim auris quam auriculam vocant, confert tantum ad collectionem aëris illius externi

per,

per quem ſonus ad interiora defertur. Auris autem interna, eſt cauitas in oſſe temporum ſupra apophyſes maſtoeides, flexuoſa admodum & contorta, ad cerebri vſque baſim pertingens, in cuius fere extremo neruus eſt ex quinto pari auditorius, qui membranam meatui obextenſam conſtituit tympanum dictam: huic adnata ſunt tria officula, quæ pro ratione figuræ, ſtapes, incus, & malleus dicuntur: poſt hæc ſitus eſt ſpiritus ſiue aër implantatus, quem vernaculum vocant. Alij igitur putant hæc officula eſſe præcipuum auditus inſtrumentum: alij membranam ipſam: alij verò ſpiritum illum inſitum: qui aër ſeu ſpiritus contineatur inter membranam quietus cum ſonis non agitatur: ſonos enim ſentiri alterato hoc aëre, externo deferente ſonos tranſmittenteque in internum: quorum ſententia probabilior videtur: nam vt ſenſus fiat, oportet eum commodè à ſuis obiectis affici. Cum igitur ſonus ab aëre colliſo excitetur, & per eum qualitas iſta deferatur, credibile eſt etiam eiuſmodi ſonos, vt interiori ſenſili communicentur, percipi potius ab iſto aëre ſeu ſpiritu complantato & animato, quam ab aliis corporibus duris & alienis à qualitate illâ ſonoriferâ: Niſi dicas membranam illam & officula ſimul cum iſto ſpiritu coniuncta concurrere ſimul ad ſenſationem iſtam perficiendam: eo tamen modo, vt membrana illa cum officulis ſint potius partes organi adiuuantes, quam principales. Sicque auditus quoad medium ſuum & proprium organum erit maximè aëris particeps. Quamuis etiam per mediam aquam ſoni credantur deferri, illud tamen perpetuò dependet à primâ illâ colliſione in aëre factâ.

Supereſt viſus, ſenſuum exteriorum nobiliſſimus, quiſque maximè facit ad vitæ vſum & dulcedinem retinendam. Quamuis enim auditus ſenſus diſciplinæ dicatur, & ſimpliciter plus conferat viſu ad ſcientiam ab alio acquirendam: viſus tamen per ſe magis valet ad ſcientiæ adeptionem, quia plures rerum differentias oſtendit: atque etiam per accidens, quia viſu veterum & recentiorum de omnibus artibus & ſcientiis monumenta percurrimus: cum auditus ad præſentes tantum pertineat. Viſum igitur dicamus eſſe potentiam ſenſitiuam exteriorem, ſpecies colorum lucidorumque corporum percipientem, per medium diaphanes: ita vt obiectum illius ſit color latè ſumptus, qui non ſolum ex quatuor primis qualitatibus ſit conflatus, ſed etiam qui propter repercuſſionem, aut perſpicuitatem in corpore ſimplici aut alio quocunque emergit: vnde viſibilia alia non videntur niſi lumine extrinſeco: alia verò per ſe videntur, ſufficiuntque ad medij illuſtrationem, vt omnia ignita & ſplendoris participia, quæ per medias tenebras videntur, vt felium oculi, ſquamæ piſcium, putres arborum trunci, & ſimilia.

Color igitur latè ſumptus complectitur tam apparentem quam realem, qui ideo dicitur extremitas perſpicui in corpore terminato, quia eſt qualitas viſibilis in extremitate corporis opaci terminata, quæ perſpicuum tangit & beneficio luminis videtur: cauſatur enim hic color ex luminoſitate ignis, & perſpicuo aëris, vel aquæ, cum opaco terræ, cooperantibus variè primis qualitatibus: vnde incerta quæ ex coloribus repetuntur indicia ad temperamentorum cognitionem, cum ex tam diuerſis rebus conficiantur. Colorum verò ſeptẽ præcipuæ differentiæ recẽſentur, quorum duo dicuntur extremi, tum quod ſint aliorum velut elementa, tum quod vnus diaphaneitatis ſeu luciditatis, nempe albus: alter verò ſummæ opacitatis particeps ſit, nempe niger; habẽtque effectus omnino differẽtes: albi enim eſt viſum diſgregare: nigri verò congregare ſeu colligere. Reliqui verò dicuntur intermedij, quia fiunt ex concurſu & quaſi permixtione variarum cauſarum à quibus illi conſtituuntur, quatenus plus vel minus ad hunc vel illum accedunt. Viſus autem medium eſt omne perſpicuum ſiue diaphanes: vt liquidus & perſpicuus aër, vel aqua, gemma, vitrum & ſimilia: quod corpus perſpicuum ſaltem in extremitate quâ coniunctum eſt colori, debet eſſe tranſlucidum: quia radius viſiuus eſt lumen pyramidale multiplicatum ab obiecto viſibili, præſertim lucido, continuatâ ſpeciei ſeu pyramidis axe ad oculos vſque.

Quod verò proprium ſit organum & inſtrumentum viſus, ambigitur: vulgatum eſt quinque eſſe oculi tunicas; tres autem humores: & humorem cryſtallinum indui tunicâ luciditſſimâ quam araneam appellant. Quidam exiſtimant hanc tunicam eſſe proprium viſus organum: alij ipſum humorem cryſtallinum: alij & tunicam & humorem ſimul: quod eſſe non poteſt; quia inſtrumentum principale operationis vnius, non debet eſſe compoſitum: nam, vt dicit Ariſtoteles 2. *de part. anim. cap.* 1. ſenſationes fiunt in ſimilaribus, motiones in inſtrumẽtariis partibus: At ſic fieret ſenſatio ab inſtrumẽtariâ, non ſimilari parte. Neque tunica illa arachnoides eſt proprium inſtrumẽtum viſus: nam vt docet Galenus *l.* 10. *de vſu partium c.* 6. tunica illa eſt operimẽtum inſtru-

menti viſorij,non ipſum inſtrumentum.Sed probabilius eſt humorem cryſtallinum, cui illa tunica operimenti inſtar ſubſeruit,eſſe præcipuum videndi organum:quia puritate ſummâ & luciditate præditus analogiam habet maximam cum luce externâ & coloribus.Adde quod veluti centrum in oculo cõſtitutus, eo ad interiorem ſenſum per opticũ neruum ſpecies viſiles rectâ deferri poſſunt. Huius ſenſus naturam aqueã eſſe vult Ariſtoteles,quia debuit eſſe diaphanes & bene conſeruatiuus ſpecierũ, quod valde aquæ conuenit. Plato & Galenus igneam,quandoquidem nobis vel claudentibus oculos,aut in tenebris morantibus multi videntur fulgores ante oculos obuerſari. Democritus verò, vt eſt *in lib.de ſenſu & ſenſili*,exiſtimauit oculũ quidem eſſe aqueæ naturæ,quod ipſi humores in eo contenti demonſtrant;ſed viſionem fieri per huiuſmodi fulgores,cuius opinio valde eſt probabilis. Porro viſionem fieri in ipſo oculo exiſtimamus,admiſſis in illum rerum ſpeciebus,quemadmodum & alias ſenſationes in ſuis organis,non extra exercentur: non autem ſpiritu aut facultate exeunte, aut in ipſo aëre operante:quia ſic ſenſatio extra ipſum organum fieret , neque tam citò ac oculos aperimus videremus,& maxima fieret ſpirituum diſſipatio,quam animal ferre non poſſet.Attamen putamus lumẽ aliquod ex oculo influere & emitti,quod externo coniunctum facit ad meliorem,vel deteriorem viſionem:vt patet in illis qui de noctu vident,propter inſignem fulgorem,quo oculos habent præditos,& medium ſufficienter illuſtrant.Atque hæc de ſenſibus externis,nunc ad internos accedamus.

FACVLTATES SENSITIVÆ INTERIORES. Diximus proximo capite facultatem apprehenſiuam animalem rerum ſenſibilium ſpecies,vel abſentes,vel præſentes percipere:eam quæ præſentes tantum percipit,ſenſum exteriorem appellauimus:quę verò non ſolum præſentes,ſed etiam abſentes apprehendit,ſenſus interior dicitur;qui multò nobilior eſt exteriori,quamuis ab illo accipiat omnia fomẽta cognitionis ſuæ: exteriores enim ſenſus per ſua organa immittunt ſpecies qualitatũ ſenſibiliũ & idola ad ſenſus internos,quibus ducibus animal oblatas ſpecies non tantùm nudè ſentit & percipit,ſed etiam ſe percipere animaduertit.De horum numero nunc agendum.

Facultates internas,à quibus principes animæ noſtræ actiones oriuntur,vulgus Philoſophorum accommodatè quaternario numero complectitur : ſenſum nempe communem,phantaſiam,cogitatiuam,& memoratiuam:quod enim Auicẽnas addit imaginatiuam à phantaſiâ diſtinctam,quæ ſit vlterior quidam actus eliciendi & cõponendi eiuſmodi ſpecies,parum facit ad noſtrum inſtitutum,nec quod ille tam curiosè,ne dicam ſuperſtitiosè,de imaginatione exaltata & illius vi tradidit.Galenus verò dum tres tantũ principes facultates recenſet,ſenſum communẽ ab externis non ſeparauit, ſed veluti eorum fontẽ eſſe agnouit, à quo riuuli iſti proficiſcerentur.Vel,vt alij volunt,dicendum eſt Galenum ſub phantaſiâ ſenſum communẽ repoſuiſſe,ex *l.de differ. ſympt.*quoniam læſio ſenſus communis ſequitur neceſſariò læſionem phantaſiæ : quẽadmodum ratiocinantem *l.* 8. *de vſu partium* , vult eſſe authorem mentis,intellectus, conſiderationis,iudicij,opinionis,ſapientiæ & ſimilium.Nos ergo ſenſum communẽ inde conſtituendum eſſe probamus,quod inter ſenſus particulares tanquam iudicem & æquum æſtimatorem eſſe conuenit,qui diuerſorum ſenſuum obiecta diſtinguat & comparet:ita vt ſenſus communis ſit potentia ſenſitiua interior,quę ſuſcipit tranſmiſſas ſpecies à ſenſibus particularibus,triaque potiſſimum munera exercet:Primò enim cognoſcit & diſcernit operationes ſenſuum exteriorum,ita vt ſentiat & iudicet quod caro tangit,oculus videt,eorumque ceſſationem deprehendat.Secundò obiecta ſenſuum exteriorum diſcernit,cõparat inter ſe & confert quid vel conueniant vel diſſentiant,vt quando iudicat hoc amarũ non eſſe album.Tertiò huic ſenſui maximè proprium eſt cognoſcere ſenſibilia communia, vt magnitudinem , numerum , motum, tempus , locum, figuram , quæ alij ſenſus externi, non niſi impropriè & cum alienis qualitatibus percipiunt.

Senſibiliter ergo qualitates leuius ſenſui cõmuni impreſſas,altius & penitius recondit ſibi phantaſia,eaſque verſat,ſpeciem cum ſpecie componẽs,fingenſque varias rerum imagines,quæ numquã fuerunt in exteriori ſenſu ſic apprehenſæ,vt montẽ ſmaragdinum,ſatyros,cynocephalum hominem & ſimilia.In corporibus noſtris magnam habet vim nõ ſolum quoad ratiocinationẽ ſpectat,ſed etiã ad commouendũ appetitũ, ſuſcitandos ſpiritus,& calorem natiuũ pro variâ illius repræſentatione,vt dicebamus.

Potentia verò illa διανοητικὴ cogitatiua,ſeu diſcurſiua,quam in brutis æſtimatiuam appellant ; non ſolum hoc præſtat,ſed etiam ex ſpeciebus rerum ſenſatarum,ſpecies rerum inſenſatarum, hoc eſt intentiones elicit , aliudque colligit, vt amicitiæ , odij, fugæ & ſimilium. Agnus viſâ matre naturaliter concipit amicitiam , viſo lupo inimicitiam ,

inimicitiam, vt pulli conſpecto miluo; & ſic de reliquis, quæ in ſenſu aut phantaſiâ numquam fuerunt.

Denique memoria ſpecies ab aliis functionibus internis perceptas,recondit & reſeruat,& quaſi inſculptas gerit, idque cum notatione temporis; ad memoriam enim requiritur interuallum quoddam temporis, inter actum cognoſcendi, de quo eſt memoria; & actum memoratiuum: ſi enim continuetur actus ille, non dicimus nos de illo habere memoriam, ſed dicimus nos ſcire, vel imaginari, vel ſentire. Reminiſcentia autem, quamuis non ſit facultas ab hac diuerſa, ſed vlterior quidam motus, qui in ſolo homine diſcurrente reperitur, hoc tamen differre videtur, quod ad memoriam ſufficit prius nouiſſe & rurſus cognoſcere ſe hoc ſciuiſſe; ad reminiſcentiam verò requiritur obliuio, non omnimoda,quia ſic reminiſci eſſet de nouo addiſcere; ſed partialis, ſpeciem remiſſam vocant,à quâ fit proceſſus ratiocinatiuus ad actum reminiſcendi.

His ita conſtitutis de ſenſibus internis, magna adhuc ſupereſt de propriis harum facultatum inſtrumentis diſputatio: an ſcilicet hæ facultates internæ exerceantur promiſcuè in cerebro, vel ſecundum ſedes diuerſas. Negant neoterici fere omnes, principes has facultates animæ ſedibus eſſe diſtinctas, & quaſi abſurdum reiiciunt. Recipiunt verò doctiſſimi Arabes: Galenus non negat,antiquiores Medici probant. Ne nobis hîc vniuerſam Græcorum Medicorum familiam obiiciat Fernelius, qui non animaduertit Aëtium *tetrab* 2. *cap.*2. illi contradicere, vbi apertè Auicennæ & Philoſophorum ſententiam confirmat:vt taceam Fernelij contradictionem,qui *lib.*5. *phyſiolog.cap.*13. dum de vitali facultate agit:*Omnia*,inquit,*quæcunque comparata ſunt vt poſſit eorum vnumquodque vel læsi vel labefactari,aliis conſtantibus & inuiolatis,diſtincta ea ſunt,neque vnam eandemque ſubſtantiã complent.*Hoc tanquam axiomate vtitur ad probandam diſtinctionem vitalis facultatis à naturali: poſtea ſui oblitus negat in diſtinctione ſedis principum facultatum,pro exemplo adducens facultates naturales miniſtrantes in eodem loco poſitas. Nos verò cum Philoſophis omnibus exiſtimamus imaginatiuam in primis ventriculis cerebri reſidere: cogitatiuam in medio: memoratiuam in poſtremo; harum enim vna aliquando lædi poteſt aliis integris, quod fieri non poſſet, ſi in eodem loco omnes conſiſterent. Nec eadem eſt ratio attractricis, retentricis, concoctricis, & expultricis; hæ enim cum ſint actiones partium ſimilarium plane naturales, poteſt vna harum lædi integris aliis,prout variè temperies immutari poteſt: Licet etiam in partibus illis ſimilaribus, vbi fit coctio quædam toti corpori vtilis, vt in ventriculo,facultates iſtæ naturales magis in vnâ parte quam aliâ vigeant:læsâ coctione fundum ventriculi, læsâ attractione ſuperiorem partem magis affici dicimus: Cerebri vero functiones,vt & aliarum organicarum partium, non tam ratione temperamenti quam ſtructuræ fiunt: quæ varias ita immutationes ſuſcipere non poteſt,vt temperies.Neque valet quod obiiciunt, facultates iſtas aliquando lædi non læſis ipſis ventriculis,vt quando meninges tantum inflammantur: tunc enim ventriculi ſi non primariò, ſaltem ſecundariò afficiuntur. Neque etiam quod dicunt, Galenum nullam talem indicationem ad imponendum auxilia capiti deſumpſiſſe,ſed in quacunque phrenitide *meth.*13.*cap.*21. auxilia infundere in futuram coronalem. Ibi enim Galenus ad ſolam ſtructuram membri reſpexit, vt facilius penetret remedium,non habitâ ratione ſedis affectæ. Itaque cum natura ſenſus externos in priore cerebri parte poſuerit,conueniens eſt potentiam eam quæ imagines rerum ſuſcipit,in anteriore parte poſitam eſſe:poſtea cogitationem ſecundum locum ſibi vendicare,vt quæ iſtas rerum ſpecies aut ab illis abſtractas diiudicet,& commendet memoriæ,quæ ob id in poſtremo loco verſus cerebellum collocata eſt: ſic enim dabitur ordo in locis ipſarum facultatum,vt datur quidam progreſſus in illarum operationibus. Mirum profecto, ſi cerebrum tot cauitates & ita diſtinctas obtinuit, ſi non diſtinctè conferant ad eas actiones,quarum eſt proprius & vnicus fons ſedeſque. Cur enim qui latum habent occiput & amplam eam cauitatem,quæ ceruici coniungitur,memoriâ plurimum valere videmus? Contra verò affici, qui contrario modo conſtituti ſunt.Cur eis felicem tribuimus imaginationem & apprehenſionem,quibus frons & ſinciput eſt amplum? Illos verò iudicio pollere videmus, qui mediam & ſupremam capitis partem obtinent amplam & bene figuratam? Credibilius igitur eſt iſtas facultates principes, cum non à ſolâ temperie, ſed etiam à conformatione pendeant, ſedibus etiam diſtinctas eſſe, quemadmodum cerebrum ventriculos ſuos habet apud Galenum, non ſolum loco, ſed etiam perfectionis gradibus diſtinctos.

SOMNVS, VIGILIA ET INSOMNIA. Quamdiu sensus tam interni quam externi munera sua functionesque obeunt, tamdiu dicitur animal vigilare: quod idem est ac si dicas sensuum opera obire & exercere. Verum quia fieri non poterat, vt perpetua esset sensus agitatio, sed consumptis spiritibus & defatigatis sensoriis debuit potentia illa sensitiua quiescere interdum: quies illa est & dicitur somnus, qui vigiliæ est priuatio, saltem in formali significato, dum sensus potentes & non potentes sentire respicis. Fit autem somnus dum spiritus, calor, humoresque ab externis ad interna concitantur: vigilia verò contra: ita vt per vigiliam operetur vis cerebri in toto corpore externas actiones potissimùm: facultates autem per somnum internis actionibus plus studeant. Neque hic multum laborandum est, sit ne somnus actio aut vis cerebri, & hoc ipsum dormire agere sit, aut cessare; vel an sit motus ille ab externis ad interna, aut obstructio cerebri à vaporibus benignioribus alimenti: (quamquam non semper somnus ab his fiat, vt putauit Aristoteles *lib. de somno & vigilia*:) in quocunque enim horum somni naturam collocare non refert, dummodo sciamus hæc dormientibus contingere. Ego tamen somni essentiam in illâ caloris retractione ab externis ad interna, lubenter collocauerim, dummodo fiat secundum naturam: qui rursum motus à pluribus contingit. Vel enim id fit, quia caloris nativi ingis non fit & perennis generatio: vnde illius defectu post longa ieiunia, & famem somnum obrepere videmus: vel quia per intensiores animi cogitationes, labores, & curas nimia fit illius substantiæ dissipatio: & sic qui diutius laborarunt, profundius etiam dormiunt. Contingit etiam hanc spirituosam substantiam somnum parere, propter inordinatos motus, vnde & nauigantes, & qui se in gyrum circumferunt, somno opprimuntur: vel fit aliquando dum illius substantia quasi congelata subsistit & intercipitur à frigidis v.g. assumptis, vel admotis, vt lactucâ, mandragorâ, opio: Frequentius tamen oboritur ob aëris nocturno tempore refrigerati præsentiam, quo humores intrò repelluntur: tum etiam à vaporibus, qui à coctione alimentorum eleuati ad caput, viam calori influenti ad sensoria præcludunt, quemadmodum per soporosos affectus, vt carum, coma, lethargum; vel etiam magna vulnera contundentia caput, aut magnos tumores cerebri morbosus somnus excitatur, occlusis meatibus per quos patere debuit spiritibus ad externa aditus. Nascitur quandoque somnus, dum idem calor à primo sensorio retrahitur, vt per leues inferiorum partium frictiones & lotiones. Item nox, tenebræ, oculorumque conniuentia somnos alliciunt, quia obiecta quæ sensus mouent, & calorem naturæ instrumentum ad se commouent, tollunt. Idem præstat animi securitas, cessatio cogitationum, strepitus aquarum ex alto cadentium, suauis cantus, & similia, quæ veluti in quiete animum & sensus collocant: in quibus cum calor nihil agendum habeat, ne sit otiosus, refugit ad interna, vbi semper aliquid habet concoquendum & elaborandum.

Si per istas causas, vel istarum aliquam contingat fortior atque profundior somnus, non modo externi sensus, sed & interiores facultates consopitæ iacent: si verò mediocris ille fuerit, ita vt sensus quidem communis cum exterioribus effundatur, imaginatrix autem facultas libera sit, tunc somnium contingit, quod, vt somnus & vigilia sensus communis, sic illud phantasiæ proprius est affectus. Somnium enim dicimus esse visum siue phantasma per somnum apparens: quod accidere volunt, vel ab externis causis, vel ab internis. Externis quidem, aut per reseruationem specierum & simulacrorum earum rerum quas interdiu fecimus, vidimus, audiuimus: aut à virtutibus cælestibus, & intelligentiis bonis vel malis, per quas suppeditantur naturæ nostræ simulacra earum rerum quæ longè absunt aut deinceps futuræ sunt. Internis autem causis naturalibus fiunt somnia, vt ab humoribus & temperamento cuiusque proprio: verbi gratia bilioſi ignem, coruscationes, & rixas somniant: sanguineis rubra in somno obuersantur: quibus sunt distenti semine testes, mulierculas & coitus cogitant: hincque Medici plerumque tum insitum temperamentum, tum humoris dominatum deprehendunt: Non naturalibus causis, vt per plethoras, cacochymias, morbos præsentes, vel imminentes varia exoriri solent insomnia, de quibus Hippocrates *libro peculiari* tractauit. Somnij quidam recordantur, quidam verò non, idque propter fortitudinem, aut debilitatem specierum, quæ memoratiuæ facultati obiectæ fuerunt. Circa primum somni tempus vix somniamus, aut saltem confusè, vt illi qui cibo aut potu se ingurgitant; quia superfluo humore aut vapore cerebrum quasi opprimitur: matutinis verò horis clara & illustria vigent somnia; ex quibus ὀνειροκρῖται suas desumunt coniecturas ad prædicendum.

APPETITIVA ET MOTIVA FACVLTAS. Obiectum primò afficit sensum externum,

ternum, à quo ſpecies delata ad interiorem, mouet illum : hoc moto cogitatrix fi-ctrixque facultas rem ſubiectam contemplatur, quam ſi vt bonam & iucundam apprehenderit, tunc appetitus inſurgens, qui ὄρεξις dicitur, concitat animal ad motum vel actionem, vt illo potiatur, & contra. Eſt quando nullo obiecto externo, ſed tantum recordatione iucundi, appetit animal & mouetur : ita vt cognitio & appetitus principia ſint & cauſæ actionis atque progreſſionis animalium, quæ ſolum κατ' ὁρμὴν, vt loquuntur ; ſed etiam κατὰ προαίρεσιν agunt. Hinc aliqui, vt dicebamus, ſenſitiuam animæ vim diuidunt in potentiam apprehenſiuam, quæ ſpecies rerum ſenſibilium apprehendit, præſentes vel abſentes, per ſenſum exteriorem aut interiorem : & potentiam motiuam, quam rurſus diuidunt in imperantem & proſequentem.

Dicamus igitur appetitum in nobis eſſe quamdam facultatem, quæ ad alias interiores iam recenſitas conſequitur, quæque animalis vim motricem excitat, ſiue ſit proſequendum, ſiue refugiendum. Quamuis enim non ſit negandum ipſis ſtirpibus & inanimatis ſuum eſſe appetitum, quem ὁρμὴν, nos inſtinctum vocamus ; quo ſuam conſeruationem & ſibi ſimile atque amicum, nullâ præcedente interiore cognitione, appetunt attrahuntque : animalis tamen perpetuo apprehenſionem conſequitur. Et hunc in plures ſpecies rurſus diſtinguunt, prout à variis partibus primum ſuum ortum habuerit. Nam ſi magis reſpicit partes nutritioni vel generationi dicatas, concupiſcibilis ; ſi verò cor animoſam illam partem, quæ maximos facit impetus in animantibus, irafcibilis vocatur. Quemadmodum ſi cum iudicio & deliberatione coniungatur, intellectualis & rationalis dicitur ſiue voluntas, ſoli homini peculiaris, ex qua exurgunt actiones illæ & virtutes vulgo morales dictæ. Ipſum verò quod appetitur bonum vtile, iucundum aut honeſtum, vel reipſa tale, vel apparens, excitat animal ad motum, cuius inſtrumentum proximum in perfectis animantibus (nam inſecta ſine muſculis mouentur, ſed habent aliquid quod proportione reſpondet) eſt muſculus, qui vim iſtam à neruis habet : nerui autem à cerebro acceptam deferunt cum ſpiritu. Itaque vbi primùm appetitus aut voluntas mouenti facultati per muſculos & neruos diffuſæ cum ſpiritu imperarit, in quamcunque illa partem intenderit (ſi quidem pars illa bene diſpoſita fuerit, nam per paralyticus, aut podagricus, propter doloris vehementiam, voluntate quamuis id iubente non progreditur) continuò illius mouens facultas concita motum exercet & imperio paret.

Vtrum vero mouens hæc facultas à cerebri medullâ per neruorum fibras & ſubſtantiam pendeat : ſentiens verò à meningibus per tunicas neruorum ſeorſim deriuetur, vt Fernelius cenſet ; parui eſt momenti inquirere : & Galenus contrarium docuit *lib. 7 de placitis*, tam ſolidè & eleganter, vt rationes Fernelij nullo modo Galenicæ demonſtrationi conferendæ ſint. Atque hæc de facultatibus & functionibus. Quod ad operationes enim proprias intellectus noſtri attinet, cum illæ non indigeant organo corporeo niſi per accidens, ideo earum particularem tractationem omittemus : vt iam ad vltimum accedamus Phyſiologiæ noſtræ caput, quod eſt de primâ hominis conformatione.

CAPVT VII. & vltimum.

De prima hominis conformatione.

HOMINEM numeris omnibus & partibus ſuis completum ita conſiderauimus, vt facto à ſimplicioribus ad magis compoſita progreſſu, nihil quod ad integram illius conſtitutionem & perfectionem faciat, reliquerimus intactum : Supereſt igitur, vt à quibus & quomodo fiat, ſiue quæ ſint generationis illius principia ac formationis ratio diligenter poſtremo hoc Phyſiologiæ capite inquiramus.

Natura, quæ perpetuæ ſpecierum conſeruationi per indiuiduorum propagationem ſtudere ſolet, ſic omnia hæc ſublunaria diſpoſuit, vt quemadmodum rei vniuſcuiuſque certi ſunt definitique durationis termini : ita certi ac conſtituti propagationis, ſeu generationis modi, quibus vna eademque rerum facies permaneret : per-

fectiorum enim animantium, qualis est homo, generationi continuæ ita prouidit, vt cum impossibile esse videretur in eadem specie vnicum indiuiduum tam agentis quam susciepientis rationem subire (quod Plato in sua Androgyne somniarat) distinxit in eadem specie maiori potentiâ, impotentiáque marem à fœminâ, vt scilicet quod concoquere, constituere, & secernere semen, agendique sit principium, mas appelletur: quod verò non ita concoquere & secernere, sed potius susciepere aptum natum est, fœmina habeatur. Quæ vt in seipsâ generat, sic locum materiámque præbet cum quadam efficientiâ, vt postea ostendemus.

Non igitur audiendi illi, qui fœminam à naturâ non intendi primariò in ipsâ generatione existimant, sed secundariò tantum, & defectu perfectioris: vnde illam animal occasionatum, quasi dicas mutilum & imperfectum θρυπτόμενον καὶ ἀποπηρούμενον vocarunt. An quæso fœmina naturæ παρέκβασις καὶ παρεργον, excursus & præuaricatio censenda, quæ in fœtus generatione vim & potentiam eiusmodi obtinuit, vt materiam saltem & locum idoneum præstet? An imperfectum dices aut mutilum illud, cui nihil deest eorum, quæ mari adsunt, vt potius peruersus vel inuersus mas, quàm mutilus dicendus sit? Sed obiiciunt illi, quæ natura in maribus exeruit, in illis condidit intus caloris inopiâ. Ego contra existimo, mammas atque matricem quæ in fœmina sunt, & materiæ copiam & ad eam informandam caloris, qui facultatis πλαστικῆς instrumentum est, vim præpotentem, non inopiam ostendere. Denique si non nisi ex masculo & fœmellâ ducunt ortus suos animantes perfectiores, vtrumque æquè fuit necessarium in naturâ humanâ. Aut potius dicámus fœminam esse quamdam speciei perfectionem, quia sexus non nisi in speciebus perfectis distinctus est. Sit Aristoteli fœmina mari comparata παρέκβασις τῆς φύσεως, at per se & ad speciei propagationem ἀναγκαιοτέρα τῇ φύσει.

Mas igitur homo naturâ validior calidiórque, vt supra probauimus *capite de temperamentis*, vbi iam augmenti sui terminos attigerit, quæcumque benignioris alimenti copiâ in corpore redundant, testium iam grandiorum potentiorúmque vi prolicit per vasa seminaria, & certâ quadam facultate donat, quâ semen dicitur. Hoc spirituoso calidóque semine turgens circa decimum quartum annum vndique pube erumpente hircire τραγᾶν incipit, non solum secundum vocem mutari, sed etiam indomito libidinis impetu in Venerem ferri, donec per idoneum concubitum immodica illa seminis prolifici quantitas imminuta, & in agrum naturæ conuenientissimum proiecta fuerit, quæ successiuo alterius materiæ prouentu quotidie reparatur. Sic fœmina homo suis non caruit igniculis, quibus concubitum auidissimè expeteret, marísque tanquam perfectioris congressum exposceret: suo enim semine velut aceto irritatur, vterúsque peculiari appetitu quasi animans seminis virilis desiderio ardentissimo tenetur. Mas ergo vt sese depleat, fœmina vt sese impleat, congrediuntur. Hic congressus, si ritè omnia fuerint dispositа, non ἀποφύλιος & irritus existit, sed permixtis coëuntibúsque seminibus ex Hippocratis doctrinâ, fit illud quod benigno sanguinis materni affluxu alitum, perfectúmque, hominis formam tandem est adepturum. De quo iam peculiarius tractaturi primò agemus de vtriusque seminis naturâ: Secundò de sanguine materno: Tertiò de conceptione & primâ fœtus delineatione: Quartò de motu ac perfectione fœtus: Quintò de partu seu exitu infantis ab vtero: Sextò tandem & vltimò de similitudine natorum cum parentibus: sicque tractatui nostro Physiologico finem imponemus.

VTRIVSQVE SEMINIS NATVRA. Semen itaque, σπέρμα latius patet quam γονὴ siue genitura: illud enim de quauis materiâ seu compositо ad generandum aliud simile illi ex quo profluxit, idoneo dicitur. Genitura verò propriè de substantiâ humidâ & spirituosâ, quæ ex animantibus, vt ab homine ad alterius hominis generationem profluit: consuetudine tamen seminis & genituræ vocabula in animantibus promiscuè vsurpantur.

Genitura ergo siue semen humanum est substantia humida & spirituosa in testibus elaborata, ex residuo tertiæ coctionis alimento in eos deriuata, potestate hominis formam continens & ad fœtus partes producendas non solum ἐνεργητικῶς seu virtualiter, sed etiam materialiter & σωματικῶς concurrens. Hac definitione placuit Hippocr. & Medicorum placita velut firma & rata constituere, quæ deinceps aduersus aliorum sententias in ipsius definitionis explicatione confirmabimus: semen enim diximus esse substantiam, eamque humidam, quoniam homines propagationi studentes non per solum congressum aut columbationem, vt vocant; non per susceptionem zephyri aut auræ alterius genitalis, vt de equabus narrant: non per solius vocis susceptionem

ceptionem fœcundantur, ſed proiectione ſeu emiſſione alicuius materiæ, quam ſeminalem vocamus: & cuius duæ ſunt partes præcipuæ: vna quidem aquea magis & humida, velut baſis alterius aëreæ & ſpirituoſæ, quæ illam turgere, albeſcere, & ſpumeſcere (hinc Venus ex ſpumâ maris nata dicitur), facit. Turget enim propter mobilitatem & ὁρμὴν ſeu impetum, quo prædita eſt; albeſcit vi teſtium & ſpermaticarum partium, quæ illius concoctioni operam præſtiterunt, quemadmodum fit in lactis & puris concoctione; ſpumeſcit autem tum ob calorem illum genitalem quo perfuſa eſt; agitationem & quaſi circulationem, quæ illius elaborationem præceſſit, & ob ſpirituum copiam; in quibus veluti præcipuâ ſeminis parte ἀρχηγονὴς formatrix illa ſeu procreatrix facultas ſita eſt. Elaborari autem hanc materiam in teſtibus illud conficit, quod quibus contriti, execti aut malè conſtituti ſunt præter naturam, in illis nullum ſemen prolificum generatur & corporis virilitas amittitur. Vis itaque hæc σπερματοποιητικὴ non ſolum ipſi teſtium ſubſtantiæ inhærens, ſed etiam per ἀγγεῖα vaſis deferentibus, præparantibus, & continentibus communicata, ob id à naturâ mira artificio conſtructis, ſuam dat huic ſeminali materiæ naturam peculiarem & quaſi ἐντελέχειαν, per quam prolificum & ἀλλοιωτικὸν exiſtit. Vnde vero iſta deriuetur & deferatur ad teſtes materia, maximè eſt controuerſum. Nos poſſumus ex tertiæ coctionis reſiduo defluere in vaſa ſeminaria, vi etiam teſtium elicitam & attractam. Nullo enim modo adduci poſſumus vt credamus, ſolum ſanguinem rudiorem & ſub naturâ ſuâ conſiſtentem eſſe materiam proximam ſeminis, vt multi exiſtimarunt. Hac enim ratione non eſſet præſtantior ſeminis elaboratio, quam cuiuſuis alterius partis coctio, & paraſtatæ illæ, ſeu epidydimis aliquando ſanguine repletæ in diſſectionibus apparerent, cum tamen album humorem, aut ſaltem albicantem perpetuò obtineant, nunquam rubeſcentem. Nam quod obiiciunt aliqui, per immodicos coitus aliquando ſanguinem effundi, illud oſtendit patentes eſſe vias & ductus à teſtibus ad maiora vaſa, per quæ magno naturæ conatu aliquando ſanguis excerni poteſt: in conſtitutione verò naturali eſſe aliam in maſsâ ſanguinariâ ſubſtantiam iam in partibus elaboratam, quam teſtes ad ſe tam nutritionis quam ſpermatis generandi cauſa proliciunt. Hæc autem materia ab omnibus parentis partibus decidua, ex ſententiâ Hippocratis *lib. de geniturâ*, vim & ideam totius refert, & ſi quidem ſanæ ſint illæ partes, ſanum; ſin languidæ & morboſæ, morboſum ſemen euadit; ſimilitudinémque illam, quæ in accidentibus partium viſitur inter parentes & liberos, præcipuè efficit. Hæc materia igitur non per colliquationem morboſam delapſa, ſed à partibus ipſis nimiâ quantitate humoris alibilis diffluentibus amandata, tamdiu in venis arteriiſque continetur, donec vi teſtium prolecta & influentis ſpiritus commercio aucta, alterius materiæ ſeminalis iam per congreſſus venereos excretæ, locum & naturam ſubeat. Non quidem ex minimis partibus, vt putat Fernelius, quæ cogitatione potius quam ſenſu comprehendi poſſunt, materiam hanc deriuari cenſemus, ſed ſingulis partibus ſimilaribus, quæ ſenſibilia corporis noſtri elementa vocantur, potiſſimùm verò principibus, quæ illos viuificos ſuppeditant, & quarum vitio ſæpe infœcundum redditur animal. Copioſum quidem eſt id quod ad ſeminis materiam amandatur, vt ſufficiat perenni illius generationi; ſed tamen non tantæ quantitatis vt multum ſuperfluat, niſi in longâ veneris abſtinentiâ: per quam ſolet in partium nutritionem faceſſere, non autem in teſticulos deriuari. Nihil autem impedit eam ſeminis quantitatem quæ vno congreſſu excluditur, naturam omnium partium ſimilarium referre, & ſpirituum inſitorum vim redolere: quandoquidem per tria vaſorum genera inuicem complantata, toti corpori communia & per anaſtomoſes coniuncta, perpetuò defertur & in teſtibus accuratiſſimè commiſcetur. Ac proinde nihil eſt quod nos ab Hippocratis ſententiâ diſcedere cogat, qui ſeminis materiam tam humoralem, quam ſpirituoſam ab omnibus corporis partibus, ſimilaribus ſcilicet & præcipuis decidere exiſtimauit: vt ſcilicet per triplicem illam coctionem elaborata aptior eſſet ad formam hanc & vim prolificam recipiendam.

Videamus igitur, quomodo ſemen vim hanc & formam futuri animantis contineat. Quidam putant ſemen actu eſſe animatum, & formam illam habere, quæ deinceps compoſitum organiſatum eſt informatura: Nos verò diximus poteſtate ſemen humanum hominis formam continere. Nam cum hominis anima diuina & immortalis, non ex traduce oriatur, ſed potius extrinſecus θύραθεν, ἔξωθεν etiam ex Philoſopho adueniat, non poſſumus dicere ſemen animam humanam habere niſi potentiâ, quatenus aptum natum eſt eas diſpoſitiones inducere, quæ ad ſuſcipiendum

nobilioris

nobilioris huius formæ aduentum ſunt neceſſariæ. Nec etiam in aliis animantibus ſemen actu eſſe animatum cenſemus, ſed potentiâ tantum eáque proximá, quia eam habet vim conformatricem in ſpiritu poſitam, qua ſimile producit animatum, vbi ſemel in cõuenientem locum proiectum, ſubiectámque materiam nactum fuerit. Illam autem vim ſeminis formæ inſitam eſſe, quæ tamen non ſit anima, nihil eſt abſurdi, cum in rebus inanimatis, vt magnete, rhabarbaro & ſimilibus præſtantiſſimæ facultates ſine animâ reperiantur. Corrumpitur itaque ſéminis forma, vbi primum anima aduenerit corpori iam diſpoſito & quaſi delineato: vitámque plantæ tamdiu viuere videtur, quamdiu ſimpliciter nutritur. Vbi verò iam organa ſenſus motúſque fuerint perfecta, vitam bruti animantis agere dicitur, quoniam nondum rationalis animæ opera edere poteſt, nec etiam extra vterum, donec cerebri temperies, & ſpirituum recta diſpoſitio adfuerit. Itaque ſemen ſuam habere propriam formam concludimus, per quam ſemen eſt, cui iuncta eſt vis illa prolifica & conformatrix, ad nobilioris formæ acquiſitionem tendens, cuius aduentu ſemen, quod poteſtate id quod futurum erat, iam actu tale exiſtit.

Cum igitur in generatione noſtrâ ſemen velut opifex & Phidias agnoſcatur, qui operi principium motus & energiam præſtat: quæri ſolet vtrum ſemen opus illud ſuum ingrediatur, & non ſolum efficientis, ſed etiam materialis principij rationem obtineat. Item vtrum muliebre ſemen prolificum ſit, efficiendi ſcilicet aliquam vim in fœtu producendo conferat, vel ſit tantum excrementum irrigando vtero & ſollicitandæ concubitus appetentiæ idoneum, vt putat Philoſophus: vel, vt quidam Medici, ſit virilis ſeminis quaſi pabulum & materia, quâ ad certarum partium vt ſecundinarum productionem vtatur. De his breuiter & ex ſententiâ Hippocratis eſt agendum. Quod ad primum itaque ſpectat, cum certum ſit ſemen in vtero ſuſceptum conceptionis eſſe authorem, & tam auidè ab illo ſuſcipi, vt tunc claudatur exactiſſimè *Aphoriſm. 51. ſectionis quintæ*; ſequitur materiam ſeminis quæ ſpiritui ſubſtrata eſt, ibidem retineri, non effluere aut in flatus reſolui, quia vtrumque morboſum eſſet; illud ſcilicet vteri infirmitatem denotaret; hoc verò diſtentionem in eo pareret. Ac proinde cum intus maneat, in materiam fœtus & partium ſpermaticarum delineationem faceſſat neceſſe eſt: alias corrumperetur aut putreret ibidem, quod nullo modo eſt concedendum. Et quæcumque mulieres ab Hippocrate obſeruatæ ſunt primis illis diebus, vt ſexto die poſt conceptum, genituræ effluxus pati, in eis vidit ſemen tenui pelliculâ contentum iam veluti tres bullas multis filamentis connexas contraxiſſe, quæ principum partium lineamenta repræſentabant. Non igitur euaneſcit ſemen, vt putant Peripatetici; ſed operi materiam valde idoneam præſtat. Cum enim ſpermaticæ omnes partes dictæ, nerui, venæ, arteriæ, membranæ, oſſa, ligamenta, ſimillimam habeant ſemini ſubſtantiam: cur natura illo non vtetur ad prima partium rudimenta efformanda, ſed expellet, vt poſtea menſtrui ſanguinis longè maiorem elaborationem ad partes illas ſolidas generandas aggrediatur? Certè multo credibilius eſt earum primam deſcriptionem ex ſeminali materiâ ad id paratiſſima, & tanquam primo generationis fundamento fieri, quæ deinceps menſtrui ſanguinis aduentu augeatur & foueatur. Nec eſt abſurdum, vt Philoſophi obiiciunt, in eodem ſemine virili eſſe agens & patiens; formans & formatum, ſi varias illius partes contempleris: quâ enim ſpirituoſum eſt, & caloris illius viuifici capax, eâ agit, verſat & agitat, tandémque informat humidiorem illam & craſſiorem ſubſtantiam, quæ illi pro ſubiecto & quaſi materia adiuncta eſt. Quod in ſeminibus etiam plantarum & in ouis ipſis videre eſt, in quibus poſt ſuſceptum à terrâ, vel incumbente gallinâ calorem, ſpiritus ille prolificus ſuſcitatur, qui in eiuſdem ſeminis aut oui materiam conuenienter agens, partium conformationem aggreditur & perficit. In arte factis quidem efficiens aut opifex non ingreditur rem factam ſiue opus, quia extrinſecum tantum materiæ attingit: natura verò vniuſcuiuſque rei intus poſita operis ſui interiora exterioráque vtrinque peruadit, & in eo perfecto velut proprio domicilio conſiſtit. Ac proinde nihil impedit, quin ſemen virile tum efficiendi vim, tum materiam quandam præſtet fœtui, pro varietate partium quibus eſt donatum.

Vtrum verò muliebre aliquod ſit ſemen, & quandam in prole ſuſcitandâ vim habeat, nunc eſt videndum. Certe Hippocrates conſtanter illud vbique confirmat: *ἢν τις ἀσυνέτῳ τὴν ψυχὴν μίσγηται τῇ ψυχῇ, ἄφρων ἔσω: Si quis*, inquit, *animam animæ*, id eſt ſemen ſemini, *miſceri neget, inſipiens habeatur*: quod Medici

lubenter

luculenter exceperunt : & ipſum Ariſtotelem etiam inuitum in ſuam ſententiam trahere nituntur, qui *libro decimo de hiſtoriâ animalium*, ſcripſit, oportere vtroſque, marem ſcilicet & fœminam, ſemen ſimul emittere, vt fiat conceptus. At hoc non eſſet neceſſarium, ſi ſolum ſemen virile conferret vim πλαστικὴν, & ſanguis ſolus menſtruus materiam. Adferunt etiam quotidianam mulierum experientiam, referentium ſe aliquid maiori cum voluptate emiſiſſe in illo coitu quo concepe-runt. Item adducunt ἀυτοψίαν & rationem partium in fœminis, quæ teſtibus ſunt à naturâ donatæ, non ad ornatum tantum, vt viri mammis; ſed ad ſeminis concoctionem, quo etiam albicante & bene elaborato ſæpius turgere & refertos eſſe in diſſectionibus compertum eſt : eáſque magnis aliquando afficit incommodis, quando præter naturam retinetur. Ac proinde ex virilis & materni ſeminis contemperatione mixtionéque fieri illud tertium cenſent, quod aptum eſt humano fœtui generando : ac pro vario eorum dominatu liberos exiſtere modo patri, aliàs matri magis ſimiles cenſent. Contra Peripatetici exiſtimant ſemen muliebre homonymως tantum & per quamdam analogiam eſſe ſemen : per ſe autem irritando coitui aut irrigandis vteri lateribus inſeruire : quoniam ſi ſemen haberent prolificum, continerent in ſe materiam & facultatem producendi, ac proinde ſæpius ſine congreſſu virili conciperent. Deinde ſicut forma non poteſt eſſe niſi vna vnius rei, ita principium continens formam, non poteſt eſſe niſi vnum: vnicum igitur ſemen. Forma enim cum ſit ſimplex & indiuiſibilis, in inſtanti introducitur, & ex duobus componi non poteſt. At componeretur ſi ex mare & fœminâ prodiret. Addunt etiam in vnico motu vnum eſſe mouens proximum : motus autem ad generationem, vt eſt *ſecundo Phyſicorum*, à facultate fit quæ in ſemine ineſt : ergo à maris ſemine velut præſtantiori pendet. Sic enim ſemina plantarum in terram coniecta velut matricem, & ibi conuenienti ſucco irrigata principium dant alterius plantæ ortui, abſque concurſu alterius facultatis. His certe Philoſophorum ac Medicorum rationibus vndique penſitatis, tanta dubitatio ſuboritur, vt cui ſuffragium feras, vix poſſis concludere. Vna tamen ratio efficit, vt ego malim Hippocratis, quam Ariſtotelis ſententiæ ſubſcribere, quæ à variorum ſeminum, id eſt ſpecie differentium mixtione exoritur. Nam in coitu verbi gratia canis cum vulpeculâ, lupi cum cane, aſini vel bouis cum equâ, ſi quidem muliebre ſemen nihil ad conformationem conferat, ſed tantum materiam præſtet, quî fit, quod inde genitus fœtus ſemper magis ſpeciem fœminæ, quam maris repræſentet? Hoc certè ſatis indicat vtriuſque ſemen ita eſſe prolificum, vt nullum per ſe & ſolum ſufficiat ad fœtus productionem, ſed inuicem commixta & contemperata : vnde fit in vtero vnum quid ex his duobus, dans principium motus & formam compoſito. Quâ diſtinctione ſatis facilè diſſolui poſſunt Philoſophorum obiectiones. Iam de menſtruo ſanguine agamus.

SANGVIS MATERNVS. Effuſum in vteri ſpatia vtrumque ſemen, poſtquam mutuo amplexu coierunt, ſolet ſtatim contrahi vterus, vt dicebamus; & vim illius ſopitam ac deliteſcentem proprietate quadam inſitâ & ſibi peculiari ſuſcitare. Quæ in ſpiritu illo & calore natiuo reſidens, illicò agere incipit in materiam iſtam ſeminalem, ex craſſioribus eius partibus membranas, & ſtamina partium exordiens, cum vaſis illis vmbilicalibus : quæ vbi ſemel per cotyledones vtero affixa fuerint, affluit materni ſanguinis copia, quâ perficiuntur rudimenta illa & partium delineationes. Sanguis enim iſte eſt præcipua materia, ex quâ non ſolum muſculorum & viſcerum carnes, ſed etiam reliquarum omnium ſubſtantia alitur, augeſcit, & perfectionem ſuam conſequitur. De illius itaque naturâ paucis eſt nunc agendum.

Vbi mulier iuſtum augmenti ſui terminum, vaſorúmque conuenientem amplitudinem adepta fuerit, incipit eam ſanguinis portionem, quæ in eâ ſuperfluit ex totius alimenti reſiduo, in vteri venas, tum quæ in fundum illius, tum in cerui-cem deſinunt per anaſtomoſim menſtruis periodis factam effundere : ſi quidem nullum ſit in vtero fœtus, aut alterius rei impedimentum. Incipit autem hic fluxus in mulieribus; aliæ enim animantes non patiuntur ſimilem excretionem; quibuſdam circa duodecimum : aliis circa decimumquartum annum, quando ſororiantes mammæ turgere incipiunt, corpus venereâ libidine titillari, & genitalia lanugine inſpergi. Tandiúque durat, donec iam debilior calor nullas facit laudabilis ſanguinis reliquias, aut eas expellere commodè non poteſt circa quinquageſimum

vel quinquagesimum quintum ætatis annum. Fit autem in bene constitutis hæc purgatio stata & periodica semel in mense tantum : cum aliorum excrementorum vacuationes singulis penè diebus & horis contingant : tum quia est benigni & vtilis humoris excretio, quæ non debuit fieri, nisi dum quantitate nimiâ est molestus : quod plurimum intra mensis spatium contingit : tum ratione cursus & motus lunæ, quæ vt humidis omnibus in hoc inferiori orbe positis præest: sic agitatione sua & circumuolutione muliebrem hanc vacuationem concitat, circa nouilunium quidem in iuuenibus, quia satis copioso abundantes calore ad primum lunæ reditum profundunt redundantem humorem : seniores verò plenilunio, quia tunc lumen calórque syderis illius auctus eas ad excernendam hanc materiam commodius iuuat : quod duorum, trium vel quatuor dierum spatio perficitur, prout natura robustior, viæ magis expeditæ, & humoris varia fuerit quantitas : quæ apud Hippocratem respondere debet mensuræ duarum heminarum Atticarum *libro primo περὶ γονικῶν* : quarum vnaquæque est vnciarum nouem. Est itaque hic sanguis portio siue residuum illius, qui in fœminâ generatur, & in partium nutritionem & augmentum non amplius facessit : eadem etiam alimentari materiâ, consimili temperie & coctricis facultatis vi elaboratum & in eisdem vasis conseruatum : vnde eisdem qualitatibus & naturâ præditum esse omnino necesse est. Ideo Hippocrates scribit, in bene sanis sanguinem hunc effluere rubro colore & viuido saturatum, qualis est à victimâ recenter mactatâ, nullo dolore aut labore, sed magno muliercularum commodo : ex quo fit recta illâ fœtus accretio & nutritio, & ex quo ad mammas refluente & transiato lac, substantia dulcissima & temperatissima excitatur: Sunt tamen qui existimant, eiusmodi sanguinem qualitate quadam noxiâ & fere venenatâ præditum esse, ac veluti inutile excrementum à muliebri corpore propelli.

Plinius hoc multis verbis expressit *libro septimo suæ historiæ*, & Fernelius, *in Physiologiâ*, contendit hunc sanguinem qui menstruatim profunditur, non esse alimentarium, nec eiusdem naturæ cum eo quo fœtus alitur : quorum tamen rationes leuissimæ sunt & parui ponderis. Nam vt omnia illa menstrui maleficia & incommoda quæ ab illis adducuntur, admittamus : certè hæc vel in cacochymis & male constitutis mulieribus tantum reperiuntur, dum proluuiem excrementorum, vt solet, cum sanguine menstruo effundunt : vel contingunt menstruo ob corruptelam quam concipit, dum præter naturam in corpore retinetur, vel dum extra effunditur, & computrescit, aut in grumos conuertitur, quod & lacti & carnibus & omnibus aliis quantumuis bene temperatis contingere potest, si semel temperiei suæ naturam amiserint. De variolarum autem ortu, quem multi ad menstrui huius malignitatem referunt, non est hic disputandi locus ; sufficiat nunc scire maternum hunc sanguinem naturæ prouidentiâ singulis mensibus vterum veluti naturæ agrum irrigare, vt conuenienti semine aspersus fructum aliquando post istos flores proferat : quorum aduentu & præsentiâ, si bonam temperiem, iustam quantitatem, & ordinariam periodum obtineant, de muliercularum fœcunditate certiores euadimus. Non quod existimemus cum Aëtio, nusquam mulieres concipere posse, nisi fluxus iste apparuerit ; cui refragatur frequens obseruatio in virginibus & lactantibus : sed quia hoc signo agnoscimus proli suscitandæ idoneam materiam intus esse reconditam, cuius portio exterius apparet. Atque hæc de principiis nostræ generationis breuiter dicta sufficiant, vt iam vlterius progrediamur.

CONCEPTIO ET PRIMA FOETVS DELINEATIO. Tria sunt fœtus tempora, conceptio, motus, & partus, de quibus est sigillatim agendum. Conceptio autem nihil aliud est, quam prima illa seminum in vtero susceptio & amplexus, post quem coarctatur & corrugatur arctissimè, vt fœtus procreationi natiuâ suâ facultate ; quemadmodum ventriculus chylosi, hepar hæmatosi, incumbat : ex cuius contractionis sensu perculsæ mulieres horrore quodam percelluntur per consensum partium membranosarum : quemadmodum torpor & segnities circa hypogastrium percipitur : mammæ obdurescunt & extuberant cum papillarum nigredine : Veneris appetentia languescit, vrget cibi fastidium sine febre, & menstrua deinceps purgatio sistitur, ex *Aphorismo sexagesimoprimo sectionis quintæ*. Quod si marem conceperit, multò alacrior, & melius colorata apparet mulier, *Aphorism.* 48. *eiusdem sectionis*, & circa dextras

vteri

vteri partes magis intumeſcit, lácque calidius & multo coctius ex mammis profundit. Quæ omnia vt veriſimilia ab Hippocrate fuerunt prolata: ſic etiam reliqua de conceptionis progreſſu, longâ obſeruationum fide confirmata, in abortibus ſcilicet & fœtibus vario tempore exclusis, vt videre eſt *libris ſæpius citatis.*

Spiritus igitur ille opifex & calor inſitus totam hanc molem agitans, primùm, inquit Hippocrates, heterogenea ab homogeneis per ἀφοχώρησιν ſeparat, congregátque ſimilia, ſicque per coctionem membranas illas fœtum inuoluentes, χόριον ſcilicet, allantoeidem & amnion cum vaſis vmbilicalibus ſuſcitat. Ad quæ ſequitur ſtatim materni ſanguinis affuſio, quâ auctum ſemen & quaſi nutritum, delineantur ſimul partes, tum principes, tum aliæ, ad vitam neceſſariæ, vt ego quidem puto; non quod maior ſit tunc cordis, iecoris, cerebri, aut ventriculi neceſſitas, cum tam ſpiritus vitalis, quam ſanguis à matre per venulas ſuppeditentur: ſed quia hoc eſſe naturæ ſagacis inſtitutum veriſimile eſt, vt præcipua hæc operis fundamenta ſimul iaciantur intra ſeptimum diem, aut ſaltem ſexti diei initium, ſummo docente Hippocrate: qui ante illud tempus ὕστερον κύημα, ἀλλὰ γονὴν, ſimplicem genituram eſſe ſcripſit.

Poſt ſeptimum verò, affluente iam copioſius materno ſanguine σὰρξ γίνεται, caro fit, id eſt ſanguis ille partium ſubſtantiam complere, augeréque incipit, & κύημα tunc vere cenſetur, quaſi dicas carnis affuſionem. Quæ deinceps magis ac magis ὑπὸ πνεύματος ἀγρῆται à facultate illâ πλαστικῇ per ſpiritum concinnatur, & in partes primum ſimilares, demum organicas diſtinguitur, donec embryo omnibus ſuis numeris fuerit completus. quod contingit circa trigeſimum vel trigeſimum quintum, vt plurimum diem in maribus: circa quadrageſimum vel quadrageſimum ſecundum, ob ſeminis frigidiorem conſtitutionem, in fœminis: ſdque confirmat Hippocrates ex ſpatio ſeu tempore λοχίων, purgationis ſcilicet illius quæ fit in mulieribus poſt partum, cuius materiam tunc temporis collectam fuiſſe, ac proinde reſpondere dies vacuationis, totidem collectionis diebus cenſet. Et mulieres quotidie obſeruant mares citius in vtero moueri, quam fœminas: vnde etiam citius perfici omnes confitentur. Quæ ita ab Hippocrate & aliis Medicis ſtabilita, ſi quis impugnare contendat, rei iam per ſe abſtruſæ & in imis naturæ penetralibus reconditæ nouam obſcuritatem inferet, & experientiæ certitudinem importunâ ſuâ dubitatione infringet nullo cum fructu. Melius eſt itaque alia pergere, quæ medicâ contemplatione digna exiſtunt.

Generatur ergo fœtus ex ſemine tam virili quam muliebri ſimul mixtis in vteri ſinu, & ſenſim ac ſuo tempore, materno affluente ſanguine, ſi iuſtæ fuerint omnia quantitatis & debitis qualitatibus prædita: ſin minus, vel omnino non fit, vel eſt vitioſa & imperfecta conceptio: vnde πάρεργα & naturæ errores exoriuntur, quando ſcilicet propoſito ſuo fine ob vitium materiæ vel alterius cauſæ externæ priuatur. Sic monſtra illa dicuntur ſimpliciter, quæ extra ſpeciem poſita, alterius rei potius quam indiuidui humani formam repræſentant: vnde quædam mulieres ſerpentem, aliæ portentum lepotino capite, & ſimilia peperiſſe dicuntur, quæ vt prodigioſa ab Hiſtoricis ſtudioſè annotantur: ſic Medici à malâ ſeminis corruptelâ potiſſimum contingere arbitrantur: aliquando ab alieno & impuro belluarum concubitu, vt de hippocentauris, ſatyris, & ſimilibus narrant. Reſpectu autem quantitatis deficientis vel exuperantis ſuſcitantur etiam monſtra, ſed non omnino contra naturam, quia formæ humanæ participia, mutila vtroque brachio, cruribus, auriculis, naſo & ſimilibus viſuntur: aut ſuperfluis partibus prædita, vt triplici teſte, ſexto digito, cornu in capitis vertice: vel quod magis eſt mirabile, duplici capite, & ſimilibus. Quæ ſeminis ſuperfluitas ſiue redundantia potiſſimum in Hermaphroditis illis ſeu Androgynis apparet: qui duplici ſexu prædiți, tam maris quam fœminæ genitalia à natiuitate obtinuerunt, & vtriſque aliquando ſatis commodè vti poſſunt: aliàs in vno tantum ſunt validi: vnde legibus cautum eſt & præceptum eiuſmodi Hermaphroditis, vt cuius voluerint ſexus electionem faciant, & illo, ſi viſum fuerit, vtantur: alio autem omnino abſtineant propter rei fœditatem.

Ex redundante itaque ſeminum quantitate iſtæ partes ſuperfluæ & duplices conformantur cum quodam facultatis robore, ſi quidem illa in eodem vteri locello, & continuatim poſita ſint: ſin verò magna ſeminis & ſufficiens portio, vno concubitu in vtrumque vteri ſinum effunditur, tunc gemelli tunicis illis inuoluen-

tibus distinct̃i, non cellulis quibusdam, vt somniarunt veteres Anatomici cum Iurisperitis, producuntur: qui vt plurimùm duo sunt, ob duplicem illum vteri sinum solâ lineâ & quasi futurâ, vt in scroto distinctum: vnde duæ mammæ ad id conditæ videntur: alias plures, prout facultas illa formatrix plures tunicas continendis eiusmodi fœtibus & nutriendis conficere potest: qui eodem etiam fermè tempore perficiuntur, mouentur, & ex vtero prodeunt: quamuis vt plurimum alij aliis robustiores & viuaciores sint, in specie saltem humanâ.

Quod si post primam illam conceptionem, vteri os non exactè clausum, ad alios concubitus adaperiatur, & semen auidissimè prolectet in interiorem sui cauitatem, fit superfœtatio, nouissimis potissimùm mensibus, quando nondum valde cauitas illa repleta est primi fœtus incremento. Quod Hippocrates *libro huic rei dicato* confirmauit, & experientia in quibusdam, quæ vno post primum partum, vel altero mense, vitalem alium ediderunt, verum esse ostendit. Sed hæc valde sunt rara, quia vel hiante matricis osculo primi secundique conceptus fit exclusio: vel certè dum vterque male in vtero collocati incrementum capiunt maius, vix contineri possunt, & sic per aborsum vnus eorum vel vterque excutiuntur, potissimum in mulieribus: nam in brutis, quia vterus non ita propendet ad inferiora, facilius superfœtationes conseruari possunt, vt de lepusculis narrant.

Frequentius autem ipsâ superfœtatione, contingit in vtero malus conceptus, quem *falsum germen* vulgus mulierc̃ularum nostrarum appellat: authores nostri *molam*, quasi rudem dicas carnis indigestamque molem, quam Galenus 14. *de vsu partium* definit σαρκὰ ἄργὴν καὶ ἀδιαπλαστον. Est enim illius substantia carnosa ac rubra, omni animali motu destituta, quamuis aliquando ad vteri motum palpitare sentiatur: vel ob permixtos & intus suscitatos flatus. Est etiam informis, nullâ partium distinctione constans, quam vis conformatrix in semine residens non potuit perficere, redundantis menstrui copiâ & importuno aduentu obruta: quamuis rudimenta quædam illius inceperit, vt patet ex membranis quibus vestitur, & ligamentis siue vasis quibus vtero connectitur. Cuius generationem ita describit Hippocrates *libro* 1. περὶ γυναικείων. *Quando*, inquit, *magna menstrui quantitas paucum & morbidum semen repererit, non fit conceptus legitimus seu κύημα, sed venter ex inutili molâ intumescit.* Non igitur ex solo sanguine molam fieri voluit Hippocrates, sed semini iuncto. Vtrum verò semen virile requiratur ad molæ productionem, vel muliebre tantum in vteri capacitatem effusum sufficiat, vt in illis quæ pollutiones nocturnas patiuntur, dubitatur: quia tamen vix aut nusquam reperitur eiusmodi molæ productio, nisi in fœminis viri congressu vtentibus: ideo verisimile est virile semen ad illam requiri, sed paucum, languidum, ac morbosum, quod non habeat potestatem materiæ illius ritè conformandæ, sed id quod possibile est, producat, nempe carnosum frustum ἡμίζωον, vitâ plantæ & solâ nutritione constans: quam etiam aliquando amittit per putredinem, indurationem, aut aliam corruptelam in locis illis conceptam. Hæc mola, vt sæpe mulierculis & inspectantibus ob ascititium illum motum & menstruorum suppressionem imponit: sic Medico est distinguenda à vero conceptu, tum etiam à tumore vteri flatuoso, scirrhoso & œdematoso & alio, certis quibusdam signis, quæ ipsemet Hippocrates *lib. citato & lib. de sterilibus* recenset. Celerius, inquit, ex mola intumescit vterus quam ex vero fœtu, difficilius gestatur, & cum maiori pondere: motum etiam non habet ita continuum vt puer, sed per interualla & laborioſum, dum vterus ad eam excutiendam commouetur. Neque lac in mammis apparet, sed rugosæ ac flaccidæ manent, cum reliquo corpore. Denique vbi status pariendi terminus post gestationem aduenerit, nulla apparent signa naturalis partus vel aborsus, sed intus latet per biennium aut triennium vsque, nisi ope medicâ succurratur: vt suis locis docetur. Nunc ad secundum tempus, siue motum fœtus veniamus.

Motvs ac perfectio foetvs. Eleganter Philosophus 1. *de generat. animal.* ἐκ ἅμα γίνεται ζῶον καὶ ἄνθρωπος, *non simul*, inquit, *generatur in vtero viuens ac homo.* Cùm enim variæ sint præparationes in seminali materiâ & partium delineationes ac incrementa, priusquam anima seu forma embryonis omnes suas actiones exercere possit: ideo primis illis formationis temporibus ζῶον quidem existit, quia vitam agit & nutritur; sed nondum ἄνθρωπος, homo numeris suis omnibus absolutus, si quidem actus secundos & functiones à facultatibus & partium dispositionibus prodeuntes respicias. Factus ergo puer membrisque omnibus conformatus secundum partes tam solidas

zed by Google

ſolidas quam carnoſas, quod Hippocrates contingere voluit circa tertium menſem, ſi mas fuerit: circa quartum vero, ſi fœmina: quantum increſcit in corporis magnitudinem, tantum etiam firmatur & vires acquirit eundo. Cerebrum enim factum validius iam dimittit in reliqua membra facultatem motricem, per quam agitari & commoueri incipit ſenſibiliter, vt non ſolum à matribus, ſed etiam à contingentibus ventrem prægnantis manifeſtè percipitur. Ac tunc temporis mammæ turgentiores lactis indicia proferre ſolent: quia ſcilicet preſſis à grandiori fœtu venis, ſanguis ad ſuperiora, locumque à naturâ dicatum refluit, iuxta ſummum vteri ac mammarum conſenſum, non tam per venas illas epigaſtricas, vt quidam volunt; quam totius venæ cauæ & axillaris ductum.

Fœtus igitur quamuis tunc perfectus, ſi partium generationem & abſolutionem ſpectes, quando moueri incipit, quia tamen nondum iuſtæ magnitudinis ſuæ & incrementi modum ſuſcepit: ideo nutritioni & accretioni, quod reliquum eſt tempus in vtero impendit, reliquaſque functiones tam vitales quam animales exercet, non ſimili prorſus ratione, qua dum extra vterum poſitus eſt, ſed paulò diſcrepante, cuius nunc explicationem paucis aggrediamur. Quod ad nutritionem itaque illius, accretionem, & reliquas naturales functiones attinet, primo illud pro certo habendum eſt, materiam eamdem eſſe quæ fuit ad primam conformationem, delineationem, & perfectionem partium, nempe maternum ſanguinem per venas illas vmbilicales conuenienter attractum: vnde Hippocrates *lib. de alimento & lib. de naturâ pueri & alibi* ἀρχαιοτάτη τροφὴ διὰ τῦ ὄμφαλος: *primum alimentum*, inquit, *per ipſum abdomen eſt vmbilicus*, in quem vaſa illa implantantur: non enim per ea ſugit infans, cum nulla ſit oris & vteri continuitas non in ventriculo cibos conficit, quoniam puro ſanguine materno fruitur, qui per venam illam allectus vmbilicalem, ipſius ſcilicet portæ propaginem, vel certè in fiſſuram hepatis, ſeu partem cauam deſinentem, vbi vena porta inſeritur, primò inteſtina, ventriculum ipſum, lienem, meſenterium, & cæteras abdominis partes nutrit: deinde ipſum iecur penetrans, venæ cauæ amplitudinem conuenienti temperie donatus, non per nouam ἀναστόμωσιν, ſed per ἀλλοίωσιν tantum ingreditur; & ad alimoniam reliqui corporis transfertur. Cumque omnem coctionem ſecretio quædam puri ab impuro ſequatur, fit vt fœtus partes aliæ craſſiorem quamdam portionem ſecernant, vt ventriculus & inteſtina, in quibus nato nuper infante ſicca quædam & nigrior materia reperitur, meconio non abſimilis, quam ideo *papaueretum* appellant. Secundæ verò regionis partes ſeroſam illam materiam quæ ſanguini eſt pro vehiculo, refundunt in tunicam illam allantoeidem, quæ faſciæ inſtar mediam vmbilici regionem cingit, per vrachon ſiue canalem oblongum & exanguem, qui à veſicæ fundo ad eam vſque perducitur. Totus vero habitus roris inſtar ſiue ſudoris profundit excrementa ſua in tunicam illam penitus fœtum ſuccingentem, quam vocamus amnion, vbi continentur ad ſubleuandum quaſi & ſuſtentandum fœtum, qui aliàs futurus erat grauior, donec inſtante partu & diſruptis iſtis tunicis effundantur ad lubrificandas vias & laxandam vteri ceruicem. Hæc igitur eſt functionum naturaliu m & nutritionis ratio in fœtu, ad quam pariter eius accretio conſequitur.

Vitales autem quomodo exerceat, nunc eſt inquirendum ex Galeni ipſius doctrinâ *lib. 6. & 15. de vſu partium*, qui vult fœtum per arterias illas vmbilicales ſpirituoſum ſanguinem trahere, illumque à ramis iliacis per aortam aſcendere, & totum corpus viuificare, ſine vllâ cordis operâ aut pulmonum, qui tunc neque mouentur, neque reſpirant, ſed ſolâ vtuntur tranſpiratione, & arteriarum diaſtole. Huius rei veritatem docet Galenus tribus potiſſimum rationibus: Primò quoniam pulmo in fœtu ruber & craſſus, non albicans & tenuis, vt extra vterum apparet, ac proinde non nutritur ſanguine tenui & arterioſo, ſed craſſo, qualis eſt ille qui in venis continetur: Secundò quod cum nulla ſit in fœtu aëris externi attractio, vnde enim illum attraheret in ergaſtulo matricis concluſus? nulla etiam reſpiratio, ac proinde nulla thoracis, nulla pulmonum, aut cordis agitatio, ſed tota vitalium ſpirituũ propagatio quamdiu fœtus eſt in vtero, vmbilicalibus illis arteriis adſcribenda. Tertio denique docet illud Galenus ex ſtructurâ vaſorum cordis, quæ in recens edito fœtu, aut ex vteri ſinu educto viſitur, & in adultis poſtea amittitur: nam vena illa caua quæ aſcendit ad cor, & illius ventriculum dextrum lambit, non effundit tunc ſanguinem intrò, quia non opus fuit; ſed per διαφόμωσιν coniuncta venæ arterioſæ ſuppeditat illi eam ſanguinis portionem quæ alendo pulmoni ſufficiat. Verum

quia pulmo nutriri quidem hoc sanguine crassiore & nullis spiritibus permixto vitalibus poterat: in grandioribus enim sufficit iste sanguis ex venâ arteriosâ sine illo aortæ canaliculo, quia in dextro sinu cordis attenuatur & quibusdam spiritibus permiscetur cum externo aëre: sed quia idem pulmo crasso illo sanguine nutritus, non poterat ab illo viuificari, ideo prudens natura alium ductum fabricata est, quo possent materni spiritus vitales ad ipsum fœtus pulmonem penetrare, nempe canaliculum quemdam, qui ab aortâ ad eamdem venam arteriosam tendit, & huic muneri dicatus est. Ex his igitur patet, in fœtu neque respirationem adesse, neque motum pulmonis aut cordis ad generationem spirituum vitalium, sed fœtus arterias eos ex maternâ benignitate suscipere: ipsumque cor & arterias pueri ad motum arteriarum parentis agitari. Vt ergo respiratione, sic voce priuatur infans, donec melioris vitæ cupidus, & cordis calore aucto, quod auræ genitalis deinceps afflatum expetit, cum prius solâ transpiratione, vt hystericæ mulieres aut plantæ, sustentaretur, claustra illa matricis disrumpat, & mundi istius fiat nouus hospes & incola. Eo edito primo statim naturæ ἀντιπεριστάσεως impetu, attrahit aërem, vociferatur, & admoto vberibus ore lac sugit, ex quo deinceps naturales suas vitalesque functiones exerit, cessante priori œconomiâ, quæ ad tempus tantum fuerat instituta: ac proinde illud osculum & canalis prius recensita sensim contabescunt, & resiccantur, nec in adultis conspicua sunt.

Supersunt animales functiones. Quod ad motum itaque spectat, diximus primis mensibus non moueri fœtum, præ mollitie summâ tam cerebri quam neruorum: adde quod musculi adhuc minus bene conformati agitandis partibus & contractioni parum sunt idonei. Circa tertium verò vel quartum mensem, fit motus, duplo scilicet temporis spatio ad conformationem, vt docuit Hippocrates; iam affluente in musculos animali spiritu, qui in cerebro infantis ex spirituum vitalium materiâ conficitur, quam per arterias iam sæpe à nobis commemoratas ex materno fonte velut riuulos deriuatas suscipit, seque hoc modo intra vterum sustinet ac fulcit, *lib. de naturâ pueri*; vt quasi contractus & conglobatus genua manibus apprehendat, reflexis ad podicem cruribus: caput autem manibus incumbit, oculos habens vtrique manus pollici respondentes, & nasum veluti intermedium: sic enim minimum spatij continet, & quando ad exitum properat, facilius vertitur præuio capite in ipsam vteri ceruicem, vt postea dicemus.

Hic igitur est motus situsque infantis in vtero. Quod ad sensus vero attinet, nullus tunc sensuum externorum vsus, quia obiecta eorum propria absunt & medium ad ea suscipienda parum est in vtero idoneum. Nullus igitur ibi vsus oculorum, aurium, narium, linguæ; parua etiam sensus tactus actio: quibus omnibus tenellus ille fœtus priuatur, vt commodius in suis locellis degat, totus nutritioni & accretioni intentus. Multo igitur minus interiores sensus & principes facultates exercet, quæ non possunt fieri sine delatione illâ externarum specierum in sensum communem & phantasiam. Siue igitur anima nostra congenitas habeat quasdam species & notiones illi in primâ creatione infusas, siue sit tabula rasa, omni specie & imagine orbata, donec illi ab externis obiectis insculpta fuerit: certè tunc veluti sopita iacet instrumentorum defectu, quorum perfectio paulatim extra vterum inducitur. Vbi enim infans post aliquot menses ridere inceperit, putant etiam Philosophi intellectum nostrum tunc prima sua munera exordiri. Non tamen ideo existimandum est cum multis, fœtum in vtero primò animam plantæ, postea bruti, demum hominis habere: tot enim corruptiones succedere oporteret; sed credendum est, animam humanam circa quadragesimum diem iam penitus conformato fœtu infundi, quæ tamen functiones illas homini proprias exercere nequit, donec conuenienter disposita fuerint organa: interim vero circa inferiores functiones occupatur plantis & brutis communes, quas omnes illa velut superior forma eminenter continet. Atque hæc de perfectione & motu fœtus.

PARTVS SEV EXITVS INFANTIS AB VTERO. Notum est ex præcedentibus, tres præcipuas esse mutationes, quæ fœtui dum vtero geritur certis temporibus contingere solent, figurationem nempe, motum, & partum: qui nihil est aliud quam fœtus iam perfecti & absoluti in vtero, conueniens & suo tempore facta exclusio; cuius causæ, & termini rationes sunt breuiter inuestigandæ à nobis hoc capite: Prius autem annotandum, harum trium mutationum certam esse & definitam ad inuicem proportionem: ita vt tempus motus duplum sit temporis figurationis,

Digitized by Google

tionis, & tempus partus triplum temporis motus; hæc enim iusta illarum ac geometrica æquabilitas, ab Hippocrate iampridem obseruata, quam tamen multi doctrinæ Hippocraticæ prorsus ignari Auicennæ adscribere ausi sunt: quos vnico Hippocratis contextu allato confutare lubet, qui est *lib. περὶ φύσιος*, vbi varios figurationis, motus, & partus terminos, seruatâ tali proportione, describit: *Ad figurationem*, inquit, *soles triginta quinque: ad motum septuaginta: ad exitum ducenti & decem: Alij ad discriminationem quadraginta: ad motum octoginta: ad elapsum ducenti quadraginta: Alij ad formam quinquaginta: ad primum saltum centum: ad exclusionem trecenti requiruntur:* Ex quibus Hippocratis verbis multa ad propositum nostrum facientia eliciemus: Primò dies integros hic esse computandos, & menses solares triginta diebus constantes, non lunares esse audiendos. Quamuis enim hac in parte varius esse videatur Hippocrates aliquando, locis tamen valde apertis illud significauit, & terminorum ratio reliquæque proportiones huic rei consentiunt. Præterea in embryonis generatione ac primâ figuratione non eumdem esse terminum, sed à trigesimo plurimùm die ad quinquagesimum vsque extendi, quod facit deinceps omnem varietatem tam in motu quam in partu. Vnde ex hac hypothesi tot sæculis receptâ, & rationibus ex seminis paterni varietate, vt vult Fracastorius: menstrui sanguinis, & vteri: necnon superiorum corporum aspectu, & aëris nos circumstantis, ac aliarum causarum externarum & internarum constitutione, confirmatâ dicimus, legitimum partum nullum ante septimi mensis initium contingere posse, sed alios omnes, genituræ effluxus vel aborsus esse censendos, quicunque ante hoc tempus ex vtero prodeunt: quoniam nullam habent certam figurationis, motus, & exitus proportionem. Cum enim trigesimus dies primus sit terminus quo fœtus figurari potest, hic duplicatus incidet in sexagesimum diem, quo moueri incipiet: rursum iste triplicatus efficit centum octoginta, nempe sex menses integros in septimi initium incidentes, quo tempore, non antea legitimè excludi potest fœtus: & hi etiam sunt parum vitales: quia adhuc sexti mensis naturam quodammodo redolent: melius autem & commodius viuent, si trigesimo secundo, vel trigesimo tertio, vel trigesimo quinto figurati incidant in mediam vel vltimam septimi mensis partem. Ac proinde septimestris partus ponitur ab Hippocrate primus parturiendi terminus, quem Iurisconsulti, vt ait Paulus, propter summam eius authoritatem & doctrinam receperunt.

Vtque trigesimus dies positus est ab Hippocrate pro primo figurationis termino, sic quinquagesimus pro vltimo; hoc ergo tempore figuratus embryo mouebitur die centesimo: excludetur vero circa trecentesimum: qui vltima erit pariendi meta, includens totum decimum, & incidens in principium mensis vndecimi. Quæ ab Hippocrate modò subtilius, modò crassiori ratione supputata ansam dederunt Iurisconsultis dubitandi, an vndecimo mense natus pro legitimo habendus sit: siquidem Imperator *nouella* 39. partum vndecimi mensis nequaquam ex defuncto susceptum esse statuit. Adriani autem quodam decreto, vndecimo à morte mariti mense partus habetur legitimus. Quod Cuiacius eruditè ex principio & fine vndecimi mensis distinxit secundum propositam à nobis istorum proportionem, quæ ὅτι τὸ πολὺ semper aut plurimum veritatem obtinet, ac proinde legis & regulæ vim habere debet. Quamuis pertinaciter asseuerare nolim, vltra vndecimum mensem vterum gestari non posse: Plinio enim referente, *Massurius author est*, inquit, *Lucium Papyrium Prætorem secundo hærede agente bonorum possessionem contra eum dedisse: cum mater partum se tredecim mensibus diceret tulisse, quoniam nullum certum tempus pariendi statutum videretur.* Et Auicennas testatur probam quamdam mulierem etiam decimo quarto mense peperisse. Velim tamen hoc loco Iureconsultos monitos, ne temerè de eâ re iudicent: quamuis enim id rarò fiat, potest tamen contingere, vt mulier vltra vndecimum mensem partum edat legitimum, propter variam generantis seminis naturam, victus, educationis, & temperamenti tam viri quam mulieris: item varietatem magnitudinis & figuræ vteri: cælique ac solis diuersitatem: quæ omnia aliquando efficere possunt, vt diuturnior sit & quasi portentosus pariendi terminus. Adde quod error hic alius contingere potest, ex molâ videlicet genitâ ante verum fœtum: nam dum illa falsam refert ingrauidationem, putat mulier se ab eo tempore concepisse quo primum purgatio menstrua fuerit intercepta. Sed hæc vt rara sunt, sic etiam artis certo præcepto contineri non possunt: ac proinde bene à nobis constituti sunt duo extremi fœtuum legitimè editorum termini,

nempe

nempe septimus mensis & vndecimus. Iam de intermediis videamus, octauo scilicet, nono & decimo, vtrum partus in illis vitales accidere possint.

Certè si spectes tantum illam proportionem à nobis adductam figurationis, motus, & partus, menses omnes isti excludendis fœtibus erunt idonei : ac proinde octimestres vitales præter omnium sententiam. Sed ex ipsius Hippocratis doctrinâ, præter istam proportionem, sciendum fœtum in vtero suas habere mutationes & impetus laudabiliores, morborum crisibus quodammodo respondentes. Vtque breuiores morbi per quaterniones, paulo longiores per septimanas iudicantur vsque ad quadragesimum diem, qui omnium acutorum est vltimus : sic fœtus in vtero singulis quasi quadraginta diebus istas in vtero agitationes suscipit. In primâ enim quadragenariâ, vt figuratio plurimum fit, sic plurimùm aborsus, quam si effugerint, tutiores habentur mulieres, quod ad seminis seu genituræ effluxus. Secunda, tertia, quarta quadragenaria contemplatoriæ sunt & quasi indicatoriæ futuri partus felicioris vel infelicioris, pro ratione earum affectionum quæ grauidas tunc temporis occupant. Quinta autem quadragenaria iam felix & auspicata respondet septimo mensi : sexta vero infausta octauo : septima nono, & decimi principio, quo maximè tempore vitales fœtus eduntur.

Ecce igitur verisimilem rationem, cur octimestres partus parum aut nullomodo sint vitales : tum etiam, vt addit ipsemet Hippocrates, quia fœtus septimo mense primos suos impetus exeundi facit. Hic conatus, si propter fœtus aut aliarum rerum impedimenta fuerit irritus, defatigatur valde infans & laborat in vtero : Labor ille rursum quadraginta totos dies perdurat, quibus octauus mensis continetur. Ac proinde periculosum est illum hoc tempore exire, ne scilicet labore iam prægresso defatigatus, huic nouæ agitationi succumbat. Vbi autem dies illos sextæ quadragenariæ excesserit, nonum mensem ingreditur, quo recollectis viribus, nouoque facto impetu, angustioris carceris valuas feliciter disrumpit, erumpitque. Decimi itaque mensis initium cum nono mense recensetur, ideoque fœlix Hippocrati habetur, quia septimam quadragenariam includit, longiusque abest ab illâ in vtero κακοπαθείη seu afflictione, quam octauus mensis intulit. Si verò septimam illam quadragenariam excedens, ad finem decimi mensis, vel vndecimi principium accedat, non tam laudabilis est partus, quia denotat aliquam fœtus imbecillitatem, qui iusto termino erumpere non potuit, cogitur aliquantisper laborare præ loci angustia, & pabuli spiritusque defectu. Talis est igitur terminorum partus ratio ex Hippocrate, talis eius fœlicitas aut infœlicitas : quibus nonnulli, vt Pythagorei, addunt numerorum vim : Chaldæi cæli dissidentiam & congruentiam : Constantinus Africanus planetarum dominium : quorum placita vt non omnino respuimus, sic nostra hæc ex legitimo naturæ ordine & motu petita longè illis præferenda esse censemus.

Naturalis ergo & legitimus partus requirit tam fœtæ quam fœtus robur : vt scilicet mater animo corporeque sit valens : infans etiam vegetus & mediocris magnitudinis, qui iam melioris vitæ cupidus, locique & alimenti defectu, inuolucra sua disrumpat, vnde vteri os & ceruix aquarum prodeuntium alluuione madefacta dilatantur. Puer verò conuerso ad inferiora capite vi facit sibi viam, cui ipsa coccyx cartilaginosa locum cedit exeunti : non enim credibile est aut ossa pubis firmissima synchondrosi alligata, aut ipsas coxendices bene articulatas disparari. Dolor tamen ingens exoritur ex disruptione membranarum vtero adhærentium, & summâ oris ac ceruicis vteri dilatatione. Reliqui partus omnes præternaturales & laborioſi : vnde Agrippæ, & Cæsares dicti, in quibus magnum fuit parenti & fœtui mortis periculum, vt docetur in tractatu περὶ γυναικείων, de affectibus mulierum. Supereſt de similitudine liberorum cum genitoribus breuiter agamus.

SIMILITVDO NATORVM CVM PARENTIBVS. Ardua supereſt quæstio de similitudine natorum cum parentibus. Triplex autem similitudo spectatur, speciei scilicet, sexus, & effigiei seu accidentium. Quod ad similitudinem speciei spectat, illa fluit ab intimis ipsius speciei principiis, quæ natura illa vniuersalis vnicuique semini indidit ad sese propagandum : non enim ego facilè cum Fernelio & aliis existimauerim hanc speciei similitudinem ex solâ materiæ copiâ pendere, quandoquidem species ipsa potius formæ naturam & vim, quam materiæ repræsentat. Quod verò fœminæ diuersæ speciei cum aliis maribus coëuntes, vt equa cum asino, ouis cum hirco,

ed by Google

hirco, producunt fœtus ſibi potius quam maribus ſimiles ſecundum ſpeciem: hoc fit, meo quidem iudicio, propterea quod ſemine prolifico præditæ non minus quam mares, agunt toto geſtationis tempore in ipſum fœtum, illumque variis modis afficiunt in vtero, cum mares nihil præter exiguum ſemen circa principium generando fœtui ſuppeditent. Etenim ſi illa ſpeciei repræſentatio tota materiæ, nempe materno ſanguini eſſet tribuenda, in commixtione iſtâ ſpecierum, fœtus omnino matrem repræſentaret; non autem haberet quaſi particam illam ſimilitudinem vtriuſque parentis. Credere igitur eſt potius intima huius rei principia ſeminibus ipſis & materno vtero eſſe indita, quam à ſolâ materiâ pendere.

Similitudo autem illa ſiue repræſentatio quæ circa ſexum viſitur, ſolet referri ab authoribus noſtris ad temperiem vtriuſque ſeminis: vt ſi quidem calor in ſemine ſuperet cum victoriâ, mares: ſin verò frigidius ſit, fœminæ producuntur: vnde varia illa geſtationis accidentia apparere exiſtimant, vt quæ mares habent in vtero, coloratiores, vegetiores & multò alacriores ſpectentur: quæ verò fœminas, pallidiores & infirmiores, quod caloris potentioris vel impotentioris vi adſcribunt. Verum non partua hic ſubeſt difficultas. Nam ſi in generatione marium perpetuò agnoſcenda ſit caloris potentia, in fœminis impotentia, quî fit quod mares aliquando imbecilli valde & effœminati naſcantur: fœminæ autem vegetæ, & ipſis robuſtiores maribus? Reſpondent, infirmos & inualidos mares aliquando generari reſpectu ad alios mares, non ad fœminas habito: vel nihil impedire, quin ex diuerſis parentibus, verbi gratia, robuſtioribus naſcantur fœminæ, quæ ſint vegetiores quibuſdam maribus ab aliis parentibus, infirmis videlicet & imbecillis. Sed hoc non ſatisfacit; perpetuò enim manet obiectio de caloris potentia: & certiſſimum eſt ac quotidianâ experientiâ ſancitum, non ſolum à diuerſis, ſed etiam ab eiſdem parentibus progigni fœmellas aliquando robuſtiores maribus, quos illimet antè vel poſt ſuſceperint. An cenſendum cum Empedocle, diuulſa eſſe ſobolis membra: ita vt partes illæ ſeminis, quæ à genitalibus virorum & mulierum, non minus quam ab aliis membris ſecedunt, faciant hanc ſexus ſimilitudinem: vt ſi quidem in duobus ſeminibus mixtis partes genitalium muliebrium ſuperent, fœminæ: ſin partes genitalium virorum, mares producantur? An verò dicendum, naturam perpetuò in quouis fœtu marem velut perfectum quid intendere: ſæpe tamen impediri, non ſolum à caliditate, vel frigiditate ſeminis, ſed etiam quibuſcunque aliis cauſis, vt robuſtiore mulieris ſemine, menſtrui naturâ, vteri particulari (hanc ego maximè cauſam eſſe exiſtimo) conſtitutione, & ſimilibus, ob quas in aliquibus individuis concurrentes videmus robuſtiſſimos homines ſæpe, ex mulieribus certis perpetuò fœminas: ex aliis perpetuò aut ferè maſculos ſuſcipere.

Supereſt tertia ſimilitudo, nempe effigiei & accidentium illorum externorum, vt figuræ, magnitudinis, coloris, ſitus & ſimilium, quæ liberi à parentibus proximis vel remotis ſuſcepta referre ſolent. Nam quod ad temperamenti ſimilitudinem ſpectat, in eo certum eſt qualitatum gradum quæ in ſeminibus & ſanguine menſtruo fuerint, aut quæ prolificam iſtam materiam in vtero vehementius affecerint, cauſam eſſe illius temperiei, quæ in liberis reperitur, & modo ad huius vel illius parentis naturam magis accedere, prout vis alteratrix huius vel illius ſeminis cum ſanguine materno præpolluerit: Vnde etiam ὁμοιοπροπία ſimilitudo morum in hanc vel illam partem vergit: nam vt cecinit Poëta,

Qui viret in foliis, venit à radicibus humor:
Sic patrum in natos abeunt cum ſemine mores.

Hinc etiam morborum hæreditariorum origo, quicunque ſcilicet habent diſpoſitiones generanti huic facultati & alteratrici proximas, quæ labis illius originalis eſt particeps: hinc etiam temperamentorum refractio & coæquatio, vt vocant; quando parentes diſſimilis omnino temperamenti & naturæ, liberos temperatos & mediæ naturæ producunt: Sic etiam mulier bene temperata ex elephantico ſemine aliquando bene ſanum ſuſcipiet fœtum, & contrà elegantiſſimi viri ex ineptâ muliere, liberos ſtupidiſſimos & imbelles: vnde illud, *He-*

rum filij, nexa. Quamuis non negauerim alia multa concurrere posse: verum hæc est præcipua & frequentissima causa.

Sed maior multo est difficultas in assignandâ ratione similitudinis illius, quæ varias figuras, & externa accidentia consequitur. Cur videlicet pater oblongioris colli, crurum graciliorum, scapularum alatarum, vel mater aquilino naso, oculis nigris, fronte amplâ & similibus prædita, liberos eadem partium conformatione præditos producant? Cur masculi sæpius matribus; fœminæ patribus secundum hæc accidentia sint similes? Cur non solum à parentibus eiusmodi effigies in liberos deriuentur, sed etiam in nepotes, & tertiam vel quartam generationem? Denique quâ vi & modo tot signacula & alienarum rerum effigies proli communicentur, vt cerasi, moti, pedis porcini & similium: vel certa stigmata, quæ non sine admiratione vulgo in variis hominibus spectantur? His ergo vt satisfaciamus repetendum est ex superioribus, vim in semine vtroque πλαστικὴν seu conformatricem insitam esse penitus admirandam & quasi diuinam, quæ singulis speciebus peculiaris & vernacula producit omnes partes ad illam constituendam necessarias, & accidentia ista externa, quibus inuicem differunt. Quemadmodum igitur semina habent vim illam confingendi partes speciei conuenientes secundum externa accidentia, sic ratione indiuidui, cuius naturam propius, & singularum partium effigiem, vtpote ab illis decidua, redolent: possunt non solum qualitates complexionales, vt loquuntur; sed etiam instrumentarias seu figurationes imitari: vnde fit vt si perpetuam & ordinariam rerum generationem spectes, liberi parentibus hac in parte similes semper esse debeant, nisi aliquid externi impediat, & dispositiones istæ sint insignes in parentibus ab ortu contractæ habituales. Prout vis ergo seminis paterni aut materni fortior fuerit, eo magis repræsentabunt: vel si æqualis existat, participes erunt vtriusque similitudinis: vel certè secundum hanc partem patri, secundum illam matri magis erunt similes. Ideoque mares sæpissime matribus secundum hæc accidentia similiores esse censeo: propterea quod in concubitu illo quo mares producuntur, oportet robustum & masculinum semen vtrinque excerni: cum autem fœmineum sæpius quantitate exuperet, ab ipso etiam menstruo adiutum, fit vt partes matri similiores conformentur. Vt contrà in illo concubitu quo fœminæ producuntur, oporteat semen inualidum magis & effœminatum concurrere: fit vt virile vim conformandi supra fœmineum tetineat, & frequenter fœtus fœmineos patribus magis similes efficiat. Nec solum alterutrius parentis propinquissimi effigiem referunt liberi, sed etiam prædecessorum, præcipuè eorum qui insigni aliquo robore, aut illustri formâ fuerunt præditi: quia dimittunt eam cum proprio semine in liberos, in quibus si propter aliquas causas impedientes non satis apparuerit, postea in prole sequenti, quasi de semine in semen profecta, reuiuiscit: quemadmodum motus à lapide in aquâ concitatus non solum contiguas partes, sed etiam valde remotas agitat, & magnes vim annulis infundit ferreis, vt alios trahere valeant. Si ergo liberè agat vis illa formatrix & ordinariè, fœtus parentibus similes perpetuò procreabit, vtpote quæ eorum naturam quasi insculptam & effigiatam obtineat. Quod in plantis & brutis animantibus magis elucescit. Extraordinaria igitur hæc causa est ipsa imaginatio seu matris phantasia: quæ si primis conceptionis aut conformationis temporibus valde immutetur & afficiatur ab obiectis quibusdam externis, vt effigie, & formâ alterius hominis amati, vel figuræ conspectæ & similium, fit, vt potentior hæc facultas, nempe princeps, tenello adhuc & quasi lacteo embryoni suum characterem alio obliterato imprimat: vnde narrant mulieres adulteras maritis plurimum simillimos fœtus producere: quia dum congrediuntur cum suis procis, vel metu vel conscientiæ quodam stimulo affectæ, perpetuo maritorum effigiem sibi repræsentant: Vnde etiam Galenus *libro de theriacâ ad Pisonem*, turpi cuidam mulieri vt pulchros pareret liberos consuluit, formosam imaginem ad lecti pedes apponere, & frequenter ac attentè, coitus potissimum tempore, eam contemplari: Hinc fit, vt pauones, quibus lintea alba vndique circumposita fuerint, dum ouis incubant, non gemmantis coloris, sed albicantis pullos producant. Inde Iacob variegatis virgultis pecori, vbi coibat, obiectis, talem suscipiebat prolem & fructum: sic eorum, quæ prægnantes primis illis potissimùm mensibus auidius exoptarint, vt mora, cerasa, amygdalas, pedem suillùm, & similia, effigies fœtui imprimuntur:

fortis

fortis enim illa imaginatio ſpiritus ſtatim mouet, illius rei ſpeciem deferentes & ſanguini materno imprimentes, qui ad vterum allatus, ſi quidem illa effigies exterius feratur, deinceps in fœtu genito apparet. Vnde ſolent noſtrates mulieres grauidis ſimilia appetentibus conſulere, vt manum natibus vel poſteriori cuiuis parti admoueant, quo eiuſmodi effigies in illis conſiſtat; nec fallit eas aliquando euentus. Quamuis enim ego nolim tantam imaginationi vim cum Auicenna tribuere, vt in aliena agere poſſit corpora, & in omnem materiam habere imperium: attamen nemo rerum naturalium ſpeculator diligens, aut Medicus inficiari illius potentiam audeat in proprium & continuatum corpus ad curandos morbos, agitandos humores, conturbandos ſpiritus, & ſimilia præſtanda. Cum itaque fœtus ſit veluti continuum cum parente corpus: illius ſpiritus & ſanguinem continuò recipiens, quidni poterit ſimiliter illius impreſſiones & vim ſuſcipere, potiſſimùm quamdiu adhuc mollior, & veluti cereus exiſtit?

Quemadmodum igitur totam ſimilitudinis rationem phantaſiæ cum Fernelio tribuere nolim, quoniam multæ effigies, vt auorum vel atauorum numquam mulieris imaginationi repræſentatæ in liberis conſpiciuntur: & ſua facultati formatrici vis non eſt deneganda, quæ ſine vllo imaginationis concurſu in plantis, atque etiam animalibus frequenter ſimilem ſuſcitat ſecundum iſta accidentia prolem: ita etiam illius potentia ſæpius eſt agnoſcenda,

Poteſt quidem aliquando figura variè deprauari ab externis aut internis cauſis, vt comprimentibus, diuellentibus, & ſimilia efficientibus: vnde matres quæ arctioribus indumentis vtuntur, aut aliquid aliud violentum agunt ſaltando, nendo, ſuendo: aut dum cadunt vel vulnerantur, poſſunt contorquere, dilatare teneriora fœtus membra, & multis modis afficere, ita vt figura eorum immutetur: Sed iſta cum cauſas ſuas habeant manifeſtas & euidentes, non requirunt vlteriorem earum indagationem. Illa vero magis ſunt obſcura & ad interiorem hanc cauſam referenda, cum alia veriſimilior non ſuppetat. Hæc igitur de tam difficili quæſtione habuimus proponenda: vt tandem Phyſiologiæ noſtræ optatiſſimum finem imponamus.

IOANNIS VARANDÆI
PATHOLOGIA VNIVERSALIS.

PRÆFATIO.

TRIA *fuiſſe Medicinæ principia docet Galenus* libro qui introductio dicitur: *inuentionis ſcilicet, conſtitutionis & interpretationis, principium vetuſtiſſimum exiſtit & communiſſimum: ab omni enim tempore coacti ſunt homines, aut caſu, aut neceſſitate, varia experiri, quæ mundi opifex in illos vſus & humanæ infirmitatis ſubſidium creaſſe videtur: ex quibus aliquos adiutos, alios verò non parum læſos fuiſſe credibile eſt: vnde ex frequenti illâ ſenſuum repetitione, memoria, obſeruatio, atque experientia citra vllam rationem facta eſt, & quotidie exercetur, vnde noua illa & propemodum infinita remediorum inuentio.*

Ad conſtitutionem verò artis, & facienda ex his particularibus generalia præcepta: Aſclepiadæ, inquit Hippocrates, vſi ſunt ratione & experientiâ: appenſis enim illis in Dianæ aut Æſculapij fano publicis curationibus, vel de manu in manum traditis poſteritati obſeruationibus: primam artis noſtræ faciem & ideam delinearunt.

Interpretationis autem ſiue traditionis initium quo primùm Medicina doceri cœpit, & demonſtrationibus illuſtrari, fuit natura ſpeculatio, vt ait Athenæus; Φύσις γὰρ τῆ σώματος ἀρχὴ τῆ ἐν ἰατρικῆ λόγῳ; *primum Medicæ orationis & inſtitutionis initium eſſe debet* natura: *id eſt naturalis humani corporis conſtitutio. Vnde Philoſophus Medicum ibi incipere voluit, vbi deſinit Phyſicus. Et Hippocrates* libro de veteri Medicinâ: ἀναγκαῖον δύναται εἶναι, *inquit,* ἰητρικὴν εἰδέναι, ὅστις μὴ οἶδεν ὅ, τι ἐστὶν ἄνθρωπος καὶ ὅτεω ἐγένετο πρῶτον, καὶ ὅτεω συνεστήκη: *neceſſarium enim eſt hoc Medico curioſè ſcire,* εἴπερ τι μέλλει τῶν δεόντων ποιήσειν, *ſi modo aliquid eorum quæ fieri debent rectè præſtare velit. Quomodo enim fieri poterit, vt ea quæ contra naturam ſunt, cognoſcat, niſi prius naturalibus cognitis? cum rectum ſui index ſit & obliqui.*

Nos igitur quadam rerum ſerie ducti, poſt Phyſiologicam explicationem ad Pathologiæ vniuerſalis interpretationem accedimus, quæ eſt ſecunda Medicinæ pars theorica, de conſtitutionibus præter naturam corporis noſtri agens: ita vt in primis illarum generibus & ſpeciebus ſubſiſtat: ſuam particulari Pathologiæ tractationem relinquens, quæ eſt de peculiaribus ſingularum partium morbis, ſymptomatis & cauſis, cum eorumdem propriâ curatione, quod vulgò Praxes Medicas *vocant. Suos etiam fines & terminos Semeiotice, ſub qua Diagnoſtice & Prognoſtice continentur, liberos permittens, quæ de ſignis iſtarum conſtitutionum præſentibus & futuris diſputant, vt vtrumque ſuo loco & ſemel doceatur.*

Præſentis ergo noſtræ tractationis Pathologicæ quatuor erunt præcipuæ partes. Cum enim res iſtæ præter naturam conſiderentur, vel vt ſunt conſtitutiones quædam corporis noſtri morboſæ & partium eius: vel vt cauſæ illarum conſtitutionum, aut

earumdem

Digitized by Google

earumdem effectus qui ſymptomata vocantur : ideo primâ huius operis parte agemus de communibus illis vocabulis, ſecundum, præter, & contra naturam : *quia illorum explicatio facit ad ſequentium clariorem intelligentiam ; & de triplici corporis noſtri conſtitutione, ſalubri, ſcilicet, in ſalubri, & neutra tantopere apud Galenum decantata : vt ex illarum explicatione faciamus nobis viam, & quaſi gradum ad morbi naturam melius intelligendam. In ſecundâ ergo operis parte agemus de morbi definitione, eius ſpeciebus & differentiis, atque de morborum temporibus. In tertiâ de cauſis morbificis, & earum varietate. In quartâ & vltimâ de ſymptomatum naturâ & eorum diuerſis ſpeciebus.*

Imprimis tamen notandum παθολογίας *nomen deſumptum eſſe* ἀπὸ τοῦ πάθους, *quod vocabulum non ſemper pro ſimplici paſſione & alteratione, quæ morbum præcedit, ſumi ſolet : quod habet eſſentiam ſuam poſitam* ἐν τῇ γενέσει, *in ipſo fieri : ita vt ſit* ἰυλυτόν τι ἢ ἰυκινητὸν, *totum pendens ab actione & ἐνεργείᾳ ipſius cauſæ : ſed etiam pro omni affectu præter naturam, qui corpori noſtro vim inferre & eius naturam immutare poteſt, ſiue ſit cauſa quædam morbifica, ſiue morbus, ſeu ſymptoma : vt ex variis Hippocratis & Galeni locis apparet. Ac proinde illud nomen* παθολογίας *in hoc ſignificato ſumptum aptè complectitur ea omnia, quæ in hoc tractatu explicaturi ſumus : cuius vtilitas ex eo patet, quod Medicus* διεξοδικὸς *curaturus non poteſt ſuam actionem niſi iſtorum præmiſſâ cognitione velut neceſſariâ* προκαταρκτικῇ *rectè inſtituere.*

PARS PRIMA PATHOLOGIÆ VNIVERSALIS.

CAPVT I.

De eo quod eſt ſecundum, præter, & contra naturam.

SI rerum omnium naturam vniuerſalem ſpectes, & ordinem ac ſtatum, qui hiſce omnibus præfixus eſt, nihil præter aut contra naturam dici poterit : omnia enim naturæ vniuerſalis imperio continentur. Sin verò naturam particularem, & vnicuique ſpeciei velut humanæ propriam, reſpicias, vt debet Medicus ; multa præter naturam & contra ſeſe ſtatim offerent, quæ ſcilicet naturæ illius particularis & debitæ conſtitutionis fines excedunt, quæ naturalem humani corporis ſtatum infringunt, atque ob id, res præter & contra naturam Medicis recentioribus dicuntur. Verborum igitur iſtorum *ſecundum, præter, & contra naturam*, cum frequens ſit apud Medicos vſus, potiſſimùm in Pathologiâ, breuiter quid illis ſignificetur, definiamus.

Hippocrates, Ariſtoteles, Galenus, & antiquiores ſæpius quidem meminerunt illius quod eſt ſecundum naturam & præter naturam, *κατὰ φύσιν καὶ παρὰ φύσιν* : nunquam verò illius quod contra naturam *ἀντὶ φύσεως*. Quamuis enim Hippocrates *lib. de diebus decretoriis*, etiam quoſdam morbos appellet ſecundum naturam, qui ſcilicet ſunt parum naturæ infeſti, vel illius propriam conſtitutionem imitantur, vt quando biliоſus febre tertianâ laborat, & ſic de reliquis : vt *lib. περὶ τροφῆς* eodem ſenſu vocat excretiones quaſdam ſecundum & præter naturam. Galenus tamen illud *præter naturam*, non ſemper eodem modo ſumpſiſſe videtur, ſed cum quadam diſtinctione : ita vt aliquando quippiam *præter naturam* eſſe ſimpliciter : aliàs toto genere præter naturam dicat, vt ſanguinis excretionem, & ſimilia, quæ maiorem naturæ noſtræ vim inferunt, vel longius ab eius inſtituto recedunt. Quod ad Ariſtotelem verò & eius interpretes ſpectat, in hiſce appellationibus conſtituendis re-

ſpexiſſe ad eam diſpoſitionem phyſicam, quæ ex materiâ & formâ in compoſito exurgit, veriſimile eſt: nam illa quæ proueniunt ab vtroque principio, maximè ſecundum naturam eſſe exiſtimarunt: quæ ab vno tantum, medij quodammodo eſſe ordinis. Et quoniam forma eſt magis natura, aut magis confert ad naturam ſpecificam conſtituendam, quam materia: ideo in quibus forma & formæ vis ſeruaretur, illa magis ſecundum naturam eſſe exiſtimarunt, quam ea in quibus propriæ formæ ratio labefactata eſſet, debita licet remanente materiâ. Vnde illa in quibus vtrumque principium ſeruatur, prorſus ſecundum naturam: in quibus vtrumque deperit aut immutatur, prorſus præter naturam, in quibus horum alterum, alio inuiolato peruertitur, modo ſecundum, nunc præter naturam dixerunt.

Sic monſtra Ariſtoteli quodammodo ſecundum naturam & præter naturam vocantur: vtpote in quibus materia ſeruari ſolet, naturali formâ deprauatâ. Nec ſolum animalia ipſa, animantiúmque partes, ſed etiam motus, actiones, qualitates, & quæcunque alia rerum accidentia ſecundum naturam eſſe, ſi ſpeciei conditionem ſequerentur; ſi non, præter naturam eſſe voluit. Mors enim alia ſecundum naturam illi dicitur, quæcunque ab internis principiis oritur, naturali ſcilicet ſiccitate, quæ caloris natiui opera ſenſim humidum primigenium depopulantis contingit: alia præter naturam & violenta, quando principium motus non incepit à naturâ, vel naturalem decurſum non obſeruat: ſed pendet à violentiâ cauſarum tam *ἐπόντων* quam *ἀνιόντων*, vt loquitur Hippocrates. Eadem ratione putredo dicitur illi ſecundum naturam: quia ſequitur naturam & exuperantiam primarum qualitatum ex quibus miſta conſtituuntur. Illud autem *præter naturam*, eius interpretes ponunt in eo, quod quamuis naturâ ſuâ fieri non poſſit, aliquando tamen contingit ex alicuius principij defectu vel impetu rerum externarum; illud *contra naturam* negligentes, quia ex naturæ repugnantiâ fieri non poſſe crediderunt, vt ex homine flumen, ſtellam, aut arborem, qualia Poëtæ & metamorphoſeon ſcriptores confinxerunt.

Vnus tamen Auerrhoes videtur illud quod contra naturam eſt, recepiſſe, atque illius ſignificationem non ad ea quæ fieri non poſſunt, ſed quæ omnino propriæ naturæ aduerſa ſunt, contraxiſſe: nam *comment. in lib. 1. de cælo*, in motu elementorum tria iſta, *ſecundum, præter, & contra naturam*, agnouit. Verbi gratia ignis propriâ naturâ & ſecundum eam maximè, ſurſum fertur: contra naturam igitur deorſum mouebitur, vt quod ex diametro cum illius naturâ pugnet: at non ſolum ſurſum & deorſum, ſed etiam in circumferentiam fertur, vtpote cœli raptu & circumuolutione: hanc ergo, quia ſine magnâ patitur violentiâ, præter naturam appellauit: ac recentioribus Medicis fortaſſe anſam dedit, vt iſtas horum nominum ſignificationes in ſuam tractationem transferrent: nam vt Philoſophi illis ad conſtitutionem phyſicam, quæ eſt materiæ & formæ, reſpexerunt: ſic Medici ad ſuam, quæ nimirum eſt ipſa temperies, ſeu conformatio partium & vnitas, & quæ ea conſequuntur: vnde apud Medicos putredo vel mors nunquam eſſe poſſunt ſecundum naturam: quamuis ex principiis aliquando internis ſint orta: quia viuentis hominis moderantiam & temperiem, quam ſpectat Medicus, labefactant & corrumpunt.

Quamuis igitur Galenus illius tantum quod eſt præter naturam meminerit, quid flagitij eſt, ſi clarioris doctrinæ gratiâ exemplo Auerrhois, illud quod eſt contra naturam in tractatum Pathologicum neoterici inuexerint; cum ipſemet Galenus id quod præter naturam eſt ſimpliciter, ab eo quod eſt toto genere præter naturam diſtinxerit; ita vt illa præter naturam eſſe ſtatuant, quæ naturæ noſtræ nullam aut minimam vim inferunt, cuiuſmodi eſt fœdus ictericorum color, & qui ſolis ardore contrahitur, & faciei lentigo, omníſque leuior affectus, qui ob paruitatem nec noſtris, nec laborantium ſenſibus animaduerti poteſt: vel etiam ea omnia quæ ſub neutro ſtatu continentur: quaſi dicas cum Hippocrate morbos blandos *καὶ μὴ ἐμπαθίσιους*. Illud verò contra naturam eſſe, quod non ſolum naturæ limites & ſtatum excedit, ſed etiam illi vim infert, eiuſque functiones manifeſtè interturbat. Mihi certè quamuis eos non improbem, qui antiquam loquendi rationem obſeruant, hæc diſtinctio non videtur eſſe incommoda Pathologo, præſertim qui corporis noſtri conſtitutionem ex Galeni ſententiâ ſtatuit: de quâ nobis nunc eſt diſſerendum.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT II.

De triplici corporis noſtri conſtitutione.

HOMINEM aliquando ſanum eſſe, aliquando verò ægrum omnibus eſt in confeſſo, vnde duæ illæ conſtitutiones ſine controuerſiâ admittuntur, ſana ſcilicet & morboſa, ſiue ſalubris & inſalubris. Verum verò recipienda ſit tertia quædam conſtitutio, quam mediam ſiue neutram appellant, non eſt ita manifeſtum. Auicennas quidem *lib. 1. doctr. 1. cap. 2.* ex ſententiâ Galeni agens: *Corporis*, inquit, *humani diſpoſitiones ſecundum Galenum ſunt tres: nempe ſanitas quæ eſt diſpoſitio, per quam corpus hominis in ſui complexione & compoſitione tale exiſtit, vt ex eo operationes eius omnes ſanæ & incolumes proueniant: ægritudo, quæ eſt diſpoſitio huic contraria: & diſpoſitio, quæ eſt apud eum neque ſanitas, neque ægritudo: aut ideo quod non eſt ſanitas in vltimo, nec ægritudo in vltimo, quemadmodum corpora ſenum, conualeſcentium, puerorum & grauidarum: aut ideo quod ambæ res in vno tempore in duobus ſunt copulatæ membris: aut in vno membro, ſed in duobus generibus remotis: ſicut qui eſt in complexione ſanus, & in compoſitione ager: aut in vno membro duorum generum propinquorum, ſicut qui eſt ſanus in figurâ, & non ſanus in quantitate & ſitu: aut qui eſt ſanus in duabus qualitatibus paſſiuis, & non ſanus in duabus qualitatibus actiuis: aut viciſſitudine duarum rerum in duobus temporibus, ſicut qui ſanatur hyeme, & ægrotat vere vel æſtate.*

Hæc Auicennas, dum Medicorum more agit: quamuis ipſe neutram hanc diſpoſitionem excludat ſtatim *initio libri primi*, λογικῶτερος rem ipſam conſiderans, & ipſum ſequutus Ariſtotelem *cap. de oppoſitis*, qui morbum & ſanitatem contraria ἄμεσα eſſe voluit, neque quicquam magis inter illa intercedere, quam inter par & impar. Hanc etiam Plato ſententiam ſtatuiſſe videtur *dialogo, qui de voto inſcribitur*, his verbis Soc. *Suntne quidam, qui neutrum iſtorum patiuntur?* AB. *Nequaquam; neceſſe eſt enim hominem ægrotare, vel non ægrotare.* Qui cum iſtis idem ſentiunt, adferunt locos ex ipſo Galeno, vbi neutram iſtam habitudinem neglexiſſe videtur: vt *ex primo de criſibus cap. 1.* vbi ait tranſitum à ſanitate in morbum fieri in puncto imperceptibili: *ex libro 1. de locis affect. Cum corpus*, inquit, *egreditur ſanitatem, ingreditur morbum. Ex ipſo libro artis parvæ cap. 8.* Vbi poſtquam totam ſanitatis latitudinem in tres partes diuiſit, optimam, mediam & remiſſam: poſt hanc ſanitatem ægra corpora ſequi ſubiunxit. Adferunt etiam rationes quibus idem efficere nituntur: ſanitatem enim ex Galeno ipſo *lib. 1. de differ. morb.* mediocritatem eſſe ſeu moderantiam, morbum immoderantiam: ſanitatem æqualitatem, morbum inæqualitatem: at medium inter moderatum & immoderatum: æquale & inæquale eſſe non poteſt, vt quæ στερητικῶς, id eſt priuatiuè opponuntur. Item ſanitatem affectum eſſe qui bonam actionem edit, & non ſenſibiliter læſam: morbum autem actionem edere ſenſibiliter læſam: ſed inter ſenſibiliter & non ſenſibiliter læſum, quæ contradictoriè ſe habent, non poteſt aliquis fingere tertium, quia ſimul duo contradictoria vera eſſe contingeret: quare nec inter morbum & ſanitatem.

Hæc & eiuſmodi adferunt Medici Φιλοσοφότεροι, & qui omnia Medicinæ præcepta ad tenuiores Dialecticorum regulas deducere conantur. Nos verò qui tractationem medicam maximè ad opus ipſum accommodatam eſſe cupimus: ne parum frugiferis quæſtionibus librum noſtrum inuoluamus, non dicemus cum quibuſdam, Galenum ideo neutrum ſtatum ponere, quia ſanitatem & morbum in abſtracto, ſiue ſecundum formam & ſpeciem propriam expendit, quæ neque intenditur, neque remittitur: etenim ſanitas & morbus non niſi in ſubiecto à naturali Philoſopho conſiderari poſſunt. Neque dicemus cum aliis, vt Manardo, qui iſtud ſub ſanitatis latitudine intellexit, Galenum inter ſalubre & inſalubre neutrum quidem poſuiſſe, non autem inter ægrum & ſanum, ſicque Ariſtoteli non aduerſari. Id enim facile refellere poſſumus multis ex Galeno locis, vt *lib. 5. de ſanitate tuendâ*, cum de ſenibus agit: ait enim inter ſanum & ægrum dari medium, vt placuit Herophilo, qui primus nomen illud ἀδιάφορα in Medicinam inuexit, & ex cuius ſententiâ Galenus Medicinæ diuiſionem, ſub quâ neutralitas continetur, *libro artis parvæ*, eſt perſecutus.

zed by Google

tus. Item *libr.de conſtitutione artis*, vbi ſcribit quædam eſſe ſymptomata media inter ea quæ in ſanis ſunt, & illa quæ contingunt morbo laborantibus.

Sed vt breuiter controuerſiam iſtam componamus, dicimus nullam eſſe hac in parte inter Philoſophos & Medicos controuerſiam, quod ad rem ſpectat, ſed non eodem vti vtroſque ſanitatis & morbi nomine. Aliquando enim Galenum tantam facere ſanitatis latitudinem, vt eam quæ eſt in habitu & habitudine, optimam, mediocrem & ambiguam morbóque vicinam complectatur, túnque medium inter ſanum & ægrum nullum conſtituere, vt locis ſupra citatis: Ariſtotelem autem, vt vult illius interpres Ammonius, ſub morbo intelligere *πᾶσαν τὴν ἐκστασιν ἐκ τῦ κατὰ φύσιν ἔχεσθαι, omnem quocunque modo factam à naturali ſtatu & integritate declinationem*: ita vt morbus complectatur ipſam ſanitatem, quæ iam à ſummâ & perfectâ delapſa eſt. Alias Galenum dum attentiùs operationes, quæ circa corpus noſtrum exercentur, attendit, ſanitatem arctioribus contrahere finibus, vt inter illam, perfectam ſcilicet & morbum, detur habitudo quæ neutralitas nuncupatur, dum ambigit corpus, vtrum ſano vel ægro ſit magis propinquum. Vnde Haly *commentar. in art. paruam; Differt*, inquit, *Galenus ab Ariſtotele ſolo nomine; nam cum morbus adeo remiſſus eſt, vt non impediat multum operationes, tunc apud Medicum non dicitur eger, etſi ſit tam apud illum, quam apud Philoſophum, ſi rei veritas ſpectetur.* Hippocrates quidem conſtitutionem hanc neutram numquam ex profeſſo deſignaſſe videtur: indicauit tamen *lib.de diebus decretoriis*, vbi morbos mites vocat ſecundum naturam: & *lib.de veteri Medicinâ*, vbi vult quoſdam eſſe morbos *οἳ μήτε νοσέοντι αὐτέῳ, μήτε ἄλλοις μελλῆσι ἔσεσθαι ἐπιδηλοι ἐσιεῖς*, quemadmodum conſtitutionem extremam & morboſam vocat *ἄφορον καὶ χαλεπὸν νόσημα*: optimam verò ſanitatem in Aphoriſmis athleticam conſtitutionem, *ἰσχίων*, & *lib. præceptionum*, *Φύσιν φύσει ἐξιατρευομένην*.

Intereſt tamen Medico tres iſtas conſtitutiones ſtabilire, duplici potiſſimùm ratione: Primâ, ex modo ſeu differentiis operationum medicarum, vt diximus: ægris enim cum debeatur curatio, ſanis conſeruatio, neutris corporibus ſi ſint decidua verſus morbum, debetur præſeruatio: ſi conualeſcentia à morbo, reſtauratio ſiue refectio; vt ſanitatem adipiſci poſſint. Secunda, ducta eſt à diebus decretoriis, qui non ab initio infirmioris cuiuſuis valetudinis ſunt computandi, ſed morbi ſenſibilis & vehementis, quando ſcilicet homo cogitur decumbere. Quibus ita intellectis, facile eſt locos ſupra adductos conciliare, pro variâ ſanitatis & morbi acceptione amplâ vel ſtrictâ: & aduerſis rationibus reſpondere. Nam quod dicunt ſanitatem eſſe moderantiam & æqualitatem: morbum verò immoderantiam ſeu inæqualitatem: inter hæc autem non dari medium; diſtinctione ſoluitur: Nam illud moderatum & æquale, vel ſumitur pro exactè moderato, & æquali, quod tantum bonæ ſanitati competit; vel pro quocunque moderato & æquali, quod extendi poteſt vſque ad ſtatum morboſum. Si priore modo ſumatur, patet eſſe quamdam conſtitutionem velut mediam, quæ eſt inter exactè moderatam ſeu æqualem, & morboſam ſiue immoderatam & inæqualem: non enim fit tranſitus ab extremo in extremum, niſi per medium aliquod, cuius naturam Medici appellatione neutrâ deſignarunt. Eodem modo diluitur illud quod dicunt, inter ſenſibiliter actiones lædere, quod facit morbus; & non lædere actiones, quod præſtat ſanitas, non poſſe aliud intercedere. Nam, vt ſanitas actiones non lædit, imo potius perficit; & morbus valde ſenſibiliter lædit: ſic etiam poteſt dari aliqua conſtitutio, quæ non ita ſenſibiliter lædat actiones, tantúmque à ſanitatis perfectæ naturâ recedat, quantum iam verſus morboſam conſtitutionem accedit. Quod verò Galenus dicebat tranſitum à ſanitate in morbum fieri in puncto, intelligendum de integrâ ſanitate, quæ vbi minimum eſt violata, totum illud continetur aliquando latâ morbi ſignificatione, aliquando à Medicis diuiditur in duas partes, vt iam ſæpe diximus. Et ſic manebit neutra illa diſpoſitio, non inutiliter ab Herophilo & ſequentibus excogitata.

Neutra porro hæc conſtitutio varios recipit modos, vt iam ex Auicenna propoſuimus, & libro artis paruæ continentur. Neutrum enim eſt, vel quia neutro extremorum, id eſt ſanitatis & morbi participat, & id vocant neutrum per abnegationem: vel quia vtroque, & id neutrum per participationem appellant. Quod vtroque participat, id rurſum facit dupliciter, vel diuerſis temporibus, vel eodem tempore. Rurſus quod eodem tempore, æqualiter vel inæqualiter: in toto vel in quibuſdam partibus. Quæ vt parum vtilia huic noſtræ tractationi relinquimus: ipſam neutralitatem ſub latiore quadã ſpecie conſiderantes, quatenus actiones profert neq; omnino naturales neq; omnino morboſas, ſed inter eas quodammodo medias, modò verſus ſanitatem, aliàs verſus morbum magis declinantes. Nunc de ſanitate agamus. CAPVT

Digitized by Google

CAPVT III.

De ſanitate.

QVæ igitur tres iſtæ corporis conſtitutiones non paruam habeant latitudinem, fit vt plures ſint & quaſi infinitæ corporis noſtri diſpoſitiones, ſi quid indiuiſibile & minutum ſpectes: ſin verò ſecundum artis noſtræ præcepta latius rem iſtam metiaris, nouem præcipuas reperies cum ſuâ amplitudine valde conſpicuas. Eſt enim optima ſanitas ſiue εὐεξία omnium aliarum perfectio: ſanitas bona ſiue communis, qua vulgatiter & plerumque fruuntur homines: ſanitas tenuis & parum conſtans, quam inſalubrem vocant: neutra verò conſtitutio quædam ad ſanitatem propenſa, & conualeſcentium propria: neutra abſoluto ſermone, quæ ſcilicet nullius extremi ſenſibilis eſt particeps: neutra ad morbum inclinans, quæ decidentiæ vocatur. Morbus autem alius ſimplex & leuis, quo facilè defunguntur homines; vel incipiens tantum & in principio ſuæ generationis: morbus grauis & anceps, cuius incerta eſt prædictio & euentus: morbus grauiſſimus, & ita periculoſus, vt eum mors conſequatur.

Quia verò omnes iſtæ conſtitutiones ita vocantur & cenſentur, reſpectu habito ad ipſam ſanitatem perfectam, quæ eſt omnium regula & veluti index: ideo paucis etiam de ſanitate diſſerendum, vt ſic viam nobis faciliorem paremus ad futuram de morbo & reliquis rebus præter naturam diſputationem. Sanitatem ergo, quam Græci ὑγιείαν vocant, velut ſummum corporis bonum, Antiqui Σανθιώνα donarunt, & pro dea coluerunt, per cuius etiam ſacra iurare non puduit Hippocratem in ipſo operum ſuorum limine. Medici autem phyſici rem ipſam & eius cauſas ſpeculantes variè ſanitatem definierunt: Ariſtoteli enim ſanitas ſæpius perfectio corporis dicitur: vt 3. *Topicor. cap.* 1. ſanitatem in ſiccis & humidis ponit: robur in neruis & oſſibus: pulchritudinem in quadam membrorum commenſuratione. Galenus autem ſanitatem aliquando per ſolam temperiem definit, vt *Aphor.* 28. *ſect.* 4. ὑγιὲς ἐν συμμετρῳ κράσει, νόσος δὲ ἐξ ἀμέτρου δυσκρασίας: aliquando per ſolam partium ſymmetriam & commoderantiam: aliàs per vtrumque, vt *in arte parui*, dum dicit ſanum corpus eſſe, quod bonam habet temperiem in ſimplicibus & primis particulis: in organicis autem bonam conformationem. Aliquando per actionem, vel conſtitutionem naturaliter ſe habentes, atque etiam per negationem, vt *lib.* 1. *de ſanit. tuend. Sanitas*, inquit, *eſt conſtitutio, in quâ nec doloribus cruciamur, nec in vita actionibus impedimur.* Prout igitur in nobis conſiderauit materialia quædam ſiue realia, elementa ſcilicet bene mixta, & organa recte compoſita: vel formalia quædam, proportionem ſcilicet commodam iſtorum componentium: vel denique potentiam quam iſta habent ad actiones ſpeciei dicatas, ita etiam variè ſanitatem definiuit. Nos verò cum Galeno ipſo dicamus, ſanitatem potentiâ potius quam operatione definiendam, quia non ſemper agimus, aut functiones obimus: ſatis eſt ſi agere poſſimus vt dormientes: ac proinde ſanitas, quemadmodum morbus, per ἀόριστον commodiùs definientur. Ita vt ſanitas ſit diſpoſitio naturalis omnium corporis partium, quæ per bonam ſimilarium partium temperiem, organicarum conuenientem ſymmetriam & vnionem functionum laudabilium cauſa exiſtit. Nec obſtat quod obiiciunt aliqui, ſanitatem non eſſe ipſam conſtitutionem naturalem, ſed perfectionem quæ eſt in ipsâ conſtitutione, cum iſta cogitatione potius quam re ipſa differant, & apud Phyſicos definitiones ſunt vt plurimùm cauſales, ſonus eſt aëris colliſio, id eſt ex colliſione: epilepſia eſt obſtructio, id eſt ab obſtructione, & ſimilia. Neque debet aliud eſſe genus ſanitatis quam morbi, vtpote contrariorum. Addidimus autem in definitione, *omnium partium*, quia ad bonam ſanitatem requiritur, non vnius aut duarum, ſed omnium bona commoderatio: vt contrà ad morbum vnius immoderatio ſufficit: ad deſtruendum quippe vnum, ad conſtruendum plura requiruntur, vt eſt in Topicis. Ideo etiam Hippocr. *lib. de natur. human.* ſanitatis cauſas coniunctim protulit; ægritudinis autem diſiunctim. Diximus etiam, *quæ exiſtit laudabilium ſeu bonarum actionum cauſa*: quia non omnis conſtitutio aut affectus ſecundum naturam dicitur ſanitas. V. gr. Æthiopum nigritia, Germanorum flauities, &c. affectus ſunt illis ſecundum naturam, non tamen ſanitas dicentur, quia illa in eis conſiſtit, quæ cauſæ rationem ad aliquod opus obtinent.

Sanitatis ergo cauſas ſcitè admodum explicauit Hippocrates *libro citato*, dum ait, *Sanum eſt corpus cum omnia ſe mediocriter habuerint, temperamento, facultate, & multitudine.* Etenim cum ſanitas & morbus ſint accidentia corporis, non habent materialem cauſam ex quâ fiant, quia materia propriè dicta aſſignatur tantum ſubſtantiæ compoſitæ, & materia eſt pars facti ex materiâ. Subiectum igitur cum ſit accidentibus pro causâ materiali corporis viuentis (non enim ſanitas & morbus, ex *libro de ſenſu & ſenſili*, fiunt in carentibus vitâ) partes quæ actiones edunt, ſubiectum tum ſanitatis, tum morbi exiſtunt: formalis autem illorum ratio erit ſecundum naturam & contra naturam eſſe: finalis, actiones obire & actionibus officere: efficiens autem externa multiplex, tam neceſſaria ſub ſex rebus non naturalibus comprehenſa; quam non neceſſaria & fortuita. Interna principalis ſpiritus & humores, quæ Hippocrati contenta & impellentia vocantur ſecundum qualitatem, quantitatem, & proportionem, boni, mali, excedentes, mediocres, vel deficientes, moderati vel immoderati: ſanitas enim & morbus pendent ab humoribus effectiuè non materialiter, aut ſubiectiue, niſi admodum impropriè.

Quantitas autem eorum debita ad ſanitatem ſtabiliendam requiritur, quia non ſub quauis copiâ & multitudine humores commixtionem & temperiem adipiſci poſſunt: nec multa paucis, ac magna paruis adiuncta mixtionem efficiunt, ſed ſub certâ ac menſuratâ quantitate conſiſtere & naturaliter agere poſſunt. Qualitas autem; quia vbi ſenſibilis fuerit qualitatis humorum à naturali ſtatu mutatio, ſtatim oritur intemperies, quæ morbus exiſtit. Proportio verò & bona humorum commoderatio; quia exacta proportionatæ quantitatis, & qualitatis humorum permiſtio, eſt ſanitatis efficiens cauſa perfectiſſima, primo in ſimilaribus partibus, in quibus conſideramus duplicem vnionem, τῆς συνεχείας videlicet continuitatis quantitatiuæ, & συμφυίας continuitatis qualitatiuæ: mox in organicis & compoſitis.

Quod ad differentias ſanitatis ſpectat, apud Galenum nullæ dantur, niſi maioris minoriſque ratione; illiuſque varietates, ſi quæ ſunt, petit ex diuerſitate functionum, quæ aliæ aliis ſunt perfectiores. Quemadmodum enim niuis albedo, ab eâ quæ eſt in pariete, non differt, niſi quia magis eſt intenſa: ſic Socratis verbi gratia ſanitas ab eâ quæ eſt in Platone non differt, quatenus ſanitas; ſed quod melior ſit in hoc, quam in illo: cuius perfectio iudicabitur actionum omnium, non vnius integritate, quandoquidem intemperati vnam aliquando actionem perfectius edunt, quam exquiſitè ſani. Vt enim in citharæ aut fidium conſonantiâ vna eſt & inſectilis, ſi ſummam & exactiſſimam intelligamus: quæ verò ſingulis diebus auditur, latitudinem maximam patitur: nam ſæpe vbi citharœdus percommodè illam temperaſſe videbitur, alius peritior ſuperueniens exactius temperabit. Sic ſanitas vnica eſt, ſi perfectam ſpectes; plures verò eius differentiæ in variis hominibus, quos idcircò Galenus vocat ſanos κατ' ἕξιν, κατὰ χίον, habitu, habitudine, vt nunc, vt ſemper, vt plurimum: idque cum maximâ latitudine, ne introducatur ἀκαταθησία illa, quam Medici, vt abſurdam meritò reiecerunt. Neque enim cuiuſuis functionis imbecillitas morbus eſt, niſi præter naturam fuerit particularem indiuidui aut ſpeciei. Quis hominum etiam bene ſanus non malè videt, ſi cum Lynce aut Aquilâ comparetur? Quis non imperfectè audit, ſi cum Melampode? Quis non inualidis eſt pedibus, ſi cum Iphiclo, aut Achille conferatur? Attamen perfectâ frui poteſt ſanitate, & functiones omnes ſecundum naturam exercere. Atque hæc de conſtitutione ſalubri ſufficiant pro noſtro inſtituto, nunc ad inſalubrem ſiue morboſam tranſeamus, quæ eſt præcipuum huius noſtræ tractationis ſubiectum. Notandum tamen prius, quod cum ſalubre, inſalubre, & neutrum dicantur de corporibus, ſignis & cauſis: propriè enunciatur de corporibus, de aliis verò per analogiam tantum & quamdam ſimilitudinem, prout ſcilicet ſunt indicatiua & effectiua illarum conſtitutionum in corporibus.

PATHO

Digitized by Google

PATHOLOGIÆ VNIVERSALIS

PARS SECVNDA DE MORBIS.

CAPVT PRIMVM

Quid ſit morbus.

SAPIENTER eſt illud à veteribus dictum, multum eſſe laborandum in promendis ſcientiarum & artium principiis: illis enim bene conſtitutis cætera deinceps firmiter cohærent, & ex illis inferuntur: quemadmodum ex falſis principiis nihil niſi falſum & abſurdum ſubſequi poteſt: At in Pathologiâ morbi definitio obtinet vim principij & fundamenti totius futuræ diſputationis, quare in illius naturâ deſcribendâ & exprimendâ plurimum operæ ponendum eſt: morbos enim eſſe quiuis facilè etiam cum dolore ac cruciatu olim fortè expertus fatebitur. Quid verò ſit morbus, & in quo eius conſiſtat natura, non eſt ita compertum. Galenus *lib.* 1. *meth.* Iulianum & Menemachum ridet, qui cum multas de re medicâ inſtitutiones ſcripſiſſent, nuſquam tamen in illis auſi eſſent prodere, quid ſit morbus: ibidémque Olympicum exagitat, quod ridiculas quaſdam ſanitatis & morbi definitionem ita latè patentem & generalem fecit, referente Galeno *lib.* 5. *de placitis* (definit enim ſic, *Morbus eſt rei naturæ cognatæ ex aliquâ corruptelâ diſſenſio*:) Vt illa definitio videatur reſpondere generali Medicinæ ideæ, quæ eſt omnium rerum medela à ſuâ naturâ recedentium: nec ſolum ad animæ corporiſque morbos, tam in animantibus, plantis, quam inanimatis; ſed etiam per quamdam analogiam ad ipſas ciuitates & politeias extendatur. Melius ergo, quod ad inſtitutum noſtrum ſpectat, morbum definiuit & expreſſit Iuriſconſultus *leg.* 1. *ff. de ædilitio edicto. §. Sciendum*, his verbis: *Sciendum eſt, morbum apud Sabinum ſic definitum eſſe: habitum cuiuſque corporis contra naturam, qui vſum eius ad id faciat deteriorem, cuius causâ natura nobis eius corporis ſanitatem dedit.* Sed nos his relictis ad rei iſtius inueſtigationem conuertamur.

Cum omnis noſtra cognitio initium habeat à ſenſibus: ex ſenſilibus enim axiomata conſtruuntur, quæ initia ſunt & fundamenta ſcientiarum omnium, vtpote quæ illarum ſint principia omnibus: inueniendæ ſunt nobis immediatæ quædam propoſitiones & communes ſententiæ à ſenſibus proximè ſumptæ, quibus hæc noſtra ſtabilietur demonſtratio. At quæ eſt de morbo hominibus confeſſa notio? Nunquid vbi abſque vllâ ſenſibili læſione omnes omnium corporis partium functiones integras exercent, ſe tunc bene valere arbitrantur: vt contrà quando alicuius particulæ actionem aut non fieri, aut male fieri conſpexerint, ſe tunc ægrotare & illam morbo teneri exiſtimant? vnde emanauit illud Hippocraticum ὅτι ἂν λυπῇ τὸν ἄνθρωπον, τοῦτο κακόν τι τοῦ σώματος. Quocirca quia hoc pro confeſſo habetur, oculum v. gr. ſanum bene, ægrum malè videre, ſtatim quæri ſolet quæ ſit huius bonæ vel malæ viſionis cauſa. Ad quod inquirendum mouemur alio axiomate, de quo etiam inter omnes conuenit, *Nihil ſine causâ fieri.* Itaque impoſſibile eſt, vt in alio morbum quæramus, quam vel in ipsâ actione læsâ, vel in læſionis proximâ causâ. At nemo doctus exiſtimabit morbum eſſe actionem ipſam læſam, quandoquidem ſanitas & morbus ſub eodem genere vtpote contraria reponantur, oportet: niſi quis in Theſſali dogma à Galeno notatum *lib.* 1 *meth. cap* 7. incidere velit. Quare neque morbum in ipsâ actione læsâ conſtituemus, ſed in ipsâ læſionis causâ, quæ immediata ſit & proxima. Quæ verò erit illa? Aut affectus corporis, inquit Galenus; aut corpus quoquo modo affectum. Non ipſum corpus aut membrum, quia illud modo ſanum, modo ægrum exiſtit: ergo certus corporis affectus ſeu diſpoſitio naturali oppoſita. Vnde conueniens definitio elicitur à Galeno *libro de differ. ſympt. cap.* 1. Νόσος ἐστὶ κατάστασις τις παρὰ φύσιν, ἐφ' ἧς ἐνέργεια βλάπτεται πρώτως: Et rurſus: Νόσημα ἐστὶ διάθεσις σώματος ἐνεργείας τινὸς ἐμποδιστικὴ πρώτως: id eſt, morbus eſt diſpoſitio ſeu conſtitutio corporis præter naturam, actionem illius aliquam primariò lædens. Quibus reſpondet illa Auicennæ definitio *fen.* 1. *libri primi cap.* 1. *doctr.* 1. Ægritudo eſt diſpoſitio non naturalis in corpore huma-

no, ex quâ in operatione eſſentialiter prouenit nocumentum prouentu primo, id eſt immediato.

Videamus itaque definitionis propoſitæ ex Galeno particulas: vt ex earum peculiari explicatione morbi natura melius eluceſcat. Ponitur primùm κατασκευὴ ſeu διάθεσις pro genere, quæ eſt prima qualitatis ſpecies generatim ſumpta, quam apud Philoſophum non ſolum pro diſpoſitione, ſeu præparatione ad habitum, ſed tam ipſam diſpoſitionem, quam habitum includens: Fuitque adeo vſitatum & familiare hoc ſignificatum antiquioribus Medicis, vt διαθέσεις ſimpliciter dictæ apud Dioſcoridem, Theophraſtum & ſimiles, imo apud ipſum Galenum morbos ſignificent, vt διαθέσεις ὕπνου, διάθεσις κολικὴ. Hic affectus igitur, qui morbus ſeu διάθεσις dicitur, innuit quamdam eſſentiæ ſuæ διαμονὴν, partium τάξιν, poſitionem & conſtantiam, quâ diſtinguitur à ſimplici affectione ſeu pathemate, tertiâ qualitatis ſpecie, vt docet Galenus 1. *meth. cap.* 3. Vt enim cauſa morbifica quamdiu agit & ſubiectum corpus immutat per ſuam ἰσχύειαν, inducit paſſionem ſiue affectionem πάθος ſiue πάθημα, ἐυλυτόν τι καὶ ἰυκίνητον, quod facile ſolubile & mutabile, quod ſuam habet eſſentiam ἐν τῷ γίγνεσθαι in ipſo fieri: ſic morbus eſt terminus ſeu finis motus, qui ſequitur illam alterationem, & iam ita habet ſuum factum eſſe in parte corporis ſiue eſſentiam independentem, vt ſine causâ ſuâ ſubſiſtere poſſit deinceps, ſaltem antecedente. Verùm dicet aliquis, ſi morbus ſit finis & quaſi terminus motus illius alterationis, quomodo per febres verbi gratia tantopere mutamur, cruciamur, & earum varia ſunt tempora ſiue ætates? Reſpondeo, in febribus vt & in omnibus morbis eſſe aliquid facti, per quod morbi illi tales ſunt & generationem ſuam adipiſcuntur in nobis. Quoniam verò præſens humor verbi gratia putris ſuâ actiuitate multiplicat qualitatem illam morboſam, ideò hoc reſpectu eſſe in fieri; augeri autem & intendi, donec in hecticam & æqualem totius intemperiem peruenerit; vel remitti, quoties coctione vel expulſione materialis illa & antecedens cauſa vincitur & eliminatur. Ætates autem morborum ſiue tempora reſpicere eorum augmentum & varias conſtitutiones, non autem generationem & eſſentiam. Quemadmodum enim puer verbi gratia ex adoleſcentiâ in conſtantem ætatem tranſiens, non mutat eſſentiam, aut generationem nouam acquirit, ſed augetur tantum, & tandem decreſcit: ſic etiam morbi iam facti & geniti ſua percurrunt tempora, in quibus variè afficimur, vt de his poſtea fuſius dicetur.

Iam igitur poſito morbi genere, ad alias definitionis partes accedamus. Dicitur *contra naturam*: quia cum ſit ſanitati è diametro oppoſitus, quæ maximè eſt ſecundum naturam, naturalis ſcilicet partium corporis perfectio: iure contra naturam eſt dicendus, vt ſuus ſtet quaſi intermedius locus neutræ conſtitutioni & affectionibus illis leuioribus, quas præter naturam tantum eſſe dicebamus. Ac proinde adiungitur, *actionem ladens*. Vt enim omnis affectus ſecundum naturam non eſt ſanitas, niſi cauſæ rationem ad opus aliquod rectè edendum obtineat: ſic morboſæ conſtitutioni verè competit, vt actionem aliquam impediat. Vtque Medicus eſt ſenſualis artifex, morbi naturam magis contemplatur in eo quod actiones lædit, quam in eo quod eſt præter naturam, vel quod eſt certa quædam conſtitutio: quia per actionem læſam adeſſe morbum potius deprehendit, quam per alias conditiones propoſitas. Cum autem dicimus morbum actionem lædere, aut ſanitatem optimas edere functiones, nolumus illud ita accipi, tanquam morbus vel ſanitas eſſent efficientes in nobis actionum cauſæ: ipſa enim anima principium eſt & author omnium functionum in nobis: ſed vt bona vel mala ſit illa actio, requiritur certa partium & inſtrumentorum diſpoſitio, quæ ad determinatam aliquam functionem edendam ſunt comparata: vnde illi diſpoſitioni, ſi bona ſit, tribuitur actionum perfectio; ſi mala, læſio ſiue impedimentum earumdem, velut inſtrumento.

Ponitur vltimò in definitione, *primo & per ſe*, vt cauſæ morbificæ tam antecedentes quam coniunctæ ab hac definitione excluderentur. Cum enim morbus ſit ea diſpoſitio, quæ proximè intercedit ad actionem lædendam, vt poſtea videbimus; neceſſe eſt cauſas, priuſquam illam lædant, talem conſtitutionem introduxiſſe: ac proinde non primò, ſed ſecundariò & mediatè actionibus incommodum adferre poſſunt. Illud autem *per ſe*, excludit externos errores vel impedimenta. Qui enim ligatis pedibus verbi gratia non poteſt incedere, non dicitur habere actionem illam vitiatam per ſe, ſed ab externâ causâ: qui non poteſt deuoratos lapillos aut acinos vuarum in ventriculo concoquere, non dicitur læſam habere illius coctionem, ſed impeditam ratione obiecti. Auicennas autem hoc complexus eſt, dum *eſſentialiter*,

ter lædere dixit, & morbos etiam sympathicos excludere ab hoc censu voluit, qui interuenientibus certis dispositionibus aliarum partium, quibus non insident, actiones peruertere possunt. Atque hæc de morbi definitione.

CAPVT II.

Aliquot obiectionum in morbi definitionem solutio.

AOROMAXIAN in Medicinâ fugiendam esse, & logicas quæstiones vitandas vbique docet Galenus. Vt enim de nominum significationibus cito oportet conuenire; sic artem seriam inutili dubitationum multitudine, nihil ad finem propositum facientium, inuoluere, est hominum literis atque otio abutentium. Nobis itaque non est propositum omnes argutiolas minutatim persequi, ne in immensum crescat hoc opus: sed grauiora tantum, quæ deinceps occurrent dubia, diluere, vt tota hæc nostra doctrina clarior, & propositæ rei natura notior reddatur. Quod ad definitionem ergo morbi à nobis ex Galeno adductam & explicatam attinet: multis non omnino recipienda videtur. Quidam enim morbum, non sub solâ qualitatis specie reponendum esse censent, quandoquidem apud Galenum non solum intemperies pro morbosis affectibus habentur, sed etiam solutiones continui, numeri & magnitudines auctæ, vel imminutæ, tumores præter naturam, calculus in vesica, lumbrici, & similia, quæ potius ad substantiam, quantitatem & alias categorias, quam ad qualitatem referri possunt. Vnde orta est aliorum opinio, existimantium, morbum collocandum esse potius in simplici relatione, seu improportione illâ quam ἀμετρίαν vocant, quatenus respectu habito ad sanitatem excedit lineas moderantiæ & symmetrias, quam in qualitatis aut habitus certâ specie: illam enim immoderantiam esse fundatam in quacunque re siue causa, vt substantiâ, quantitate & similibus, ex quâ eiusmodi vitium proficisci potest.

Relictis ergo longis rationum ambagibus, quæ vtrinque in hanc sententiam adferri solent: dicimus omnes morbos vnum quid esse vnius eiusdemque generis participatione, quemadmodum omnes homines sub eadem animalitatis ratione positi sunt: morbum enim per diuersas vagari categorias aut aliquod esse transcendens, nemo Philosophiæ peritus concesserit. Ac proinde cum non possit esse substantia, cui nihil per se est contrarium, quæ neque intenditur neque remittitur, vt morbus solet: non possit esse quantitas, numerus, magnitudo, figura, situs, quæ ex se nullam agendi vim obtinent, cum morbi præcipua ratio posita sit in functionum læsione: ideo dicimus omnem morbum esse qualitatem corpori nostro aduenientem, nempe dispositionem præter naturam. Non quod omnis sit intemperies, aut à qualitatibus primis corpus nostrum immutantibus genita, sed ab omnibus aliis causis, quæ eiusmodi dispositionem ἀνωμαλίαν functionibus infestam producere possunt: Vnde fundamentaliter, vt loquuntur Logici, videtur esse in multis categoriis, quando videlicet illa dispositio corpori aduenies pendet modo à substantiâ præter naturam in nobis productâ, aliquando à numero, figurâ, situ & similibus: quamuis formaliter perpetuò ad qualitatem reducatur, quæ ex istis emergit. Ac proinde, cum non supperetent propria nomina, quibus Galenus & cæteri istas dispositiones significarent, coacti sunt causarum propinquissimarum & inseparabilium, quæ erant valde notæ, appellationibus eas insignire, licet tantum causæ sint; quod patet, quia sæpe in nobis sunt absque villâ functionum noxâ; nec prius actionibus vim inferant, quam aliquam dispositionem, vt obstructionem, diuulsionem & similes excitarint: vnde lapides in vesicâ, lumbricos, sextum digitum, & similia morbos appellant clarioris doctrinæ gratiâ: tum quia illud sufficiebat Medico curationem instituenti, nimirum naturam illius rei tenere in morbosâ constitutione, ex cuius sublatione tota dispositio præter naturam & functionibus noxam inferens tollebatur: tum quod eiusmodi qualitates molestæ, ex calculo verbi gratia, sexto digito & similibus, non habeant vim sese propagandi, quemadmodum illæ, quæ ab excessu caloris, frigoris & similium pendent: hinc enim fit vt Medicus essentiam morbi per istos affectus organicos, eius δυναμιν & rationem potius in causis immediatis, quam in ipsâ morbi naturâ reponat, &

ex aggregato vtriuſque, cauſæ nimirum propinquiſſimæ & diſpoſitionis illam conſequentis, morbos magnitudinis, numeri, figuræ, ſitus & ſimilium conſtituat.

Quod ad relationem verò ſpectat: quamuis Galenus dixerit morbum ſanitati comparatum eſſe ἀμετρίαν, immoderantiam & improportionatum quid: & ipſemet Philoſophus 7. *phyſic. cap.* 3. voluerit ſanitatem & morbum dici ad aliquid: non tamen intellexerunt nudam quandam relationem, quæ in comparatione tantum poſita ſit, quæ rebus ſubiectis accidere poteſt abſque vllâ earum mutatione: neque enim principium eſt aut terminus motus, ex eodem Philoſopho 5. *phyſicor.* Sed voluerunt eſſe relata, ſanitatem & morbum, qualitates ſcilicet poſitiuas corporis noſtri, quarum tamen reſpectu & comparatione, modo ſani, modo ægri dicimur, quemadmodum in reliquis qualitatibus contingere poteſt: & in hoc ſenſu ſanitatem eſſe συμμετρίαν ſiue moderantiam concedimus, quia eſt diſpoſitio corpori conueniens, & in mediocritate rerum naturalium poſita: morbum ἀμετρίαν ſiue immoderantiam, quia eſt diſpoſitio corpori infeſta, & in exceſſu quodam earum rerum quæ corpus noſtrum conſtituunt, poſita: & ſic habent inuicem reſpectum atque comparationem inter ſe, vt duo colores, vel odores, vel etiam virtutes aut vitia, & ſimilia, quæ corpori aut animæ realiter accidunt. Atque hæc de morbi genere.

Præter obiectiones autem aduerſus morbi genus propoſitas ſolent infinitos ſcrupulos & dubitationes aduerſus reliquas definitionis partes adducere: quas non eſt nobis propoſitum nunc, vt dicebamus, minutius perſequi: quia vel ſunt argutiolæ tantum, parum ad inſtitutum noſtrum facientes: vel facilè ex præmiſſis diſſolui poſſunt. Vt tamen aliquâ ex parte illis ſatisfaciamus, tria nunc huic noſtræ tractationi valde vtilia paucis explicabimus, nempe ſymptomata omnia fieri à morbo mediatè vel immediatè: potiſſimùm verò actionem læſam, quæ ἐξοχώτατος & eminenter ſymptoma dicitur, & ab illo procedit ex Galeni ſententiâ: Secundo agemus de morbo per conſenſum, & variis compatiendi modis, vt ſic diuerſa actionum læſio, quæ à morbo proficiſcitur, melius innoteſcat: Tertiò de morbis fientibus & factis pauca diſputabimus, quoniam illi διαμονὴν & permanentiam, quam Galenus morbo adſcripſit ex fientis morbi naturâ, conuellere nituntur.

CAPVT III.

Symptomata omnia fieri à morbo mediatè vel immediatè.

PRonamvs itaque imprimis, quod iam ſæpius à nobis dictum fuit, cauſas morborum, morbos, & ſymptomata propriè ſumpta, de quibus hic agimus, ita eſſe res præter vel contra naturam, vt nullo modo intra ſanitatis latitudinem ſubſiſtere poſſint. Ac proinde non quemcunque affectum lædentem operationes, vt etiam noxa ſentiri poſſit, eſſe morbum, niſi is etiam præter naturam ſpeciei, vt loquuntur, aut ſaltem ipſius indiuidui fuerit: verbi gratia temperamentum πικρόχολον ſeu valde bilioſum reddit homines peruigiles, furibundos, male coquentes, faſtidioſos: ſenium efficit tremulos, imbelles, & ad omnes vitæ actiones ineptos: hæ tamen conſtitutiones cum ſequantur natiuam temperiem vel decurſum ætatis ordinarium, non poſſunt dici præter vel contra naturam: ita vt vigilia, & faſtidium in bilioſo, in ſene tremor; non dicentur propriè ſymptomata, ſed impotentiæ quædam hominibus ſecundum naturam contingentes: omnes enim potentiæ corporis noſtri patiuntur tum ſymptomata, tum impotentias naturales. Quare vt Galenus *lib. de different. ſympt.* admonet, *diligenter attendere oportet & perfectè diſtinguere ab operibus animantis ipſa ſymptomata: ſæpe enim ita inter ſe ſunt ſimilia, vt & ſymptoma putetur opus, & opus ſymptoma: vt niſi quis in hoc ſano ſit iudicio, in quibus ipſe fallitur, diſputationem accuſabit.* Hæc Galenus. Ex quibus conſtat, quaſcunque actiones à diſpoſitione naturali, vel causâ externâ, aut obiecto ipſo deprauatas, vel imminutas, ſi nondum morbus ſit genitus, non eſſe ſymptomata, ſed opera naturæ impotentis vel impeditæ: vnde etiam illud bene dictum, *ſanitatem & morbum non pendere à causâ primitiuâ.* Quis enim exiſtimauerit manum ſani hominis vinculo conſtrictam ideo ægram eſſe, quod tunc apprehendere non poſſit? vel manum paralytici verbi gratia ſanam, quæ alterius manu directa

directa literas exaret? His igitur ita distinctis, patet aduersus nouatorum obiectiones, vera symptomata, quæ contra naturam sunt, non nisi ab eis etiam, quæ contra naturam sunt, dispositionibus fieri posse. Videamus itaque, an omnia symptomata à morbis tantum, vel etiam à causis morbificis internis quædam excitentur, & ab ipsis symptomatis: ita vt symptoma symptomatis alterius sit causa.

Primò quod ad causas spectat, videntur illæ omnia symptomatum genera immediatè producere: fœtor enim v.gr. totius corporis in febre putridâ, aut sudoris & aliorum excrementorum, fit ex materiâ putridâ seu putrescente in nobis, cuius portiò per ἀναθυμίασιν eleuatur in vniuersam cutem, vel cum prædictis excrementis decidit: quemadmodum sapor acidus aut salsus linguæ fit immediatè ab hoc vel illo humore substantiam illius imbuente. Idem dicas de rigore per febres tertianas, qui excitatur ex humore bilioso & pungente, translato per extimas corporis partes. In phlegmone rubor, in erysipelate flauities ab ipsâ humoris tumorem committentis conditione pendet. Quare qualitates mutatæ plerumque & frequentius à morbi causâ, quam à morbo contingunt. Idem videre est in excretis. Nam si quis v.g. bene sanus immittat profundius digitos in fauces, vel maritimæ nauigationi insuetus sese committat, vomet proculdubio, nullo intercedẽte morbo: quemadmodum si humor è cerebro quamprimum defluat in asperam arteriam, tussim excitabit. In actione etiam læsâ, quam potissimum à morbo fieri volunt, illud etiam sæpe contingit à causâ morbificâ tantum: vtpote si decumbat subitò in ventriculum pituitosi aut biliosi humoris copia, corrumpet aut impediet ipsam concoctionem, nullo adhuc intercedente morbo, quia vomitu aut deiectione exclusâ, bene rursus & laudabiliter coquet. Quare in omni symptomatum genere pleraque sæpissime à causis fiunt proximè & immediatè, non semper à morbo.

Symptomata etiam aliorum symptomatum esse causas immediatas tam est clarum, vt probatione indigere non videatur: nam actiones læsæ partium v.g. principum aut officialium ita manifestè peruertunt aliarum functiones, nullo in eis genito morbo, vt grauissimarum affectionum sint causæ: vitiata χύλωσις peruertit ἀιμάτωσιν nullo hepatis vitio: ἀιμάτωσις corrupta totius corporis nutritionem labefactat. Attractrix renum aucta vt in diabete, ita vesicæ excretricem commouet, vt perpetuò quasi sis meiendum, vesica nullo morbo affecta, & sic de reliquis: Excretio immodica sanguinis, concoctiones ventriculi & aliarum partium peruertit, alui fluxus & similia excitat. Denique qualitates mutatæ idem præstant; nam color tunicæ corneæ flauus aut ruber ita deprauat visionem, vt obiecta omnia flauo vel rubro colore infecta conspiciantur.

His ergo, ex præmissis à nobis distinctionibus, ita est satisfaciendum: Morbum semper esse causam mediatè vel immediatè cuiusuis symptomatis propriè sumpti, & quod sit præter naturam: non autem operis naturæ impeditæ vel irritatæ à causâ primitiuâ, vel obiecto externo. Item perpetuò immediatè actionem lædere, id est primò & per se in morbis idiopathicis: in sympathicis autem contingere posse, vt quadam consecutione & per dependentiam, vt loquuntur, vnius partis primariæ læsa actio reliquis noxam inferat, & varia in illis symptomata inducat, quod nos non negamus. Ac proinde fœtor, qui contingit in febre putridâ, cùm fiat à corruptela humorum, quam intemperies illa produxit, agnoscit morbum velut causam sui effectricem, quo tempora sua decurrente critic⁊s vel symptomatic⁊s eiusmodi humor, aut illius portio excernitur. Idem dicas de sapore illo acido aut salso linguæ: vel enim ipsius linguæ intemperiem sequitur, aut partis eius prauam coctionem, ex quâ in illam deriuatur. Rigor etiam præcedens febrem tertianam, est effectus biliosi succi delati per sensiles corporis partes, sed per intermediam intemperiem frigidam, ex recursu caloris ad interiora; aut vellicationem & punctionem partium, quæ est species solutionis continui Quemadmodum in phlegmone rubor, in erysipelate flauities fit quidem ab humore implente spatia alicuius partis, sed qui morbum eúmque humoralem constituit, ad quem cum suâ causâ coniunctâ isti affectus consequuntur. Idem dicas de excretis: quotiescunque enim vomimus immisso in fauces digito, vel agitatione nauis & similium, toties illud tribuendum est causæ primitiuæ, à quâ non verum symptoma excitatur: quemadmodum dum aluum deiicimus iniectâ aut glande aut sumpto pharmaco. Et illa tussis quæ fit fluente in fauces humore à cerebro, est sympathica, pendens à primario affectu, ex cuius vitio illa colligitur & profluit. Eadem est responsio de actione læsâ, quæ sæpe à solo obiecto impeditur, vt quando acini vuarum aut similia non concoquuntur in ventriculo:

ventriculo:quæ naturâ ſuâ aut propter nimiam quantitatem πέψιν recipere nequeunt: non ex vitio partis aut facultatis.Ac proinde omnia ſymptomata propriè dicta ad morbum proximè vel præcipuè referuntur.

Nam quamuis ſymptoma alterius ſymptomatis poſſit eſſe cauſa : id tamen fit vi prioris morbi,à quo aliqua actio læſa fuit primò & per ſe: vnde illa diſtinctio in morbos idiopathicos & ſympathicos. Et χύλωσις peruertit ἀμάτωσιν, tanquam improportionatum obiectum : & vrina copioſa vi renum attracta non lædit actionem veſicæ, niſi prius inducto aliquo morbo, ſed tantum irritat. Denique excretiones immodicæ ſanguinis & aliorum obtinent vim cauſarum , quatenus per illas inducuntur refrigerationes partium, & exolutiones ſpirituum ; quæ deinceps coctiones lædunt. Flauus autem ille color corneæ tunicæ poteſt quodammodo dici morbus numeri in illâ parte,quæ viſioni dicata expers eſſe debet eiuſmodi colorum,vt excipiat externorum ſpecies puras & impermixtas, vt patet in aliis ſenſibus. Itaque facile eſt propoſitas obiectiones diluere,vt tandem concludamus,ſymptomata propriè dicta ſemper à morbo mediatè vel immediatè proficiſci : actionem verò læſam propinquiſſimè in morbis idiopathicis,in morbis autem ſympathicis per illorum dependentiam, vt iam clariùs dicemus.

CAPVT IV.

De morbo per conſenſum , & variis compatiendi modis.

SYMPATHIAM vulgò vocant compaſſionem ſiue conſenſum quemdam multarum rerum ad aliquid agendum vel patiendum,ex manifeſtâ aut incognitâ cauſâ : quemadmodum ἀντιπάθειαν ad idem repugnantiam dicunt. Medicis autem, vt δυσπάθεια ſumitur pro quadam conditione partium, aut totius, quâ difficilè à quibuſdam cauſis pati poſſunt : ita ſympathia pro compaſſione partium corporis noſtri ad inuicem , quando vna in alterius affectæ conſenſum facile protrahitur. Prout ergo partes corporis noſtri maiorem habent inter ſe ſocietatem & connexum , ita facilius iſtas ſympathias obtinent. Quamuis igitur apud Hippocratem *lib. de locis in homine* , omnia ſint ξυμπαθέα in nobis , tamen apud eumdem facilis eſt ac prompta compaſſio τῶν ἀρχέων καὶ τῶν νευρώδεων , principiorum & propaginum , vt cerebri cum neruis , & muſculis : cordis cum arteriis , & ſic de reliquis. Galenus autem ex ſententia Sabini , partes illas maximè inuicem compati voluit , quæ vicinæ ſunt , vel habent generis communitatem , aut officij ſocietate tenentur. Ob viciniam enim muſculi intercoſtales condoleſcunt inflammatâ pleurâ : veſicâ calculo diſtentâ inteſtinum rectum coarctatur & moleſtiâ afficitur. Ob generis autem communitatem membranoſæ partes & neruoſæ ita inuicem conſentiunt , vt vnâ vel leuiter punctâ reliquæ veluti conuulſione tententur. Operis etiam ſiue officij ſocietas multum ad illud poteſt ; nam mammæ, quas natura alendo fœtui , vt vterum illius generationi dicauit , ita affecto vtero compatiuntur , vt malè ſe habente fœtu , manifeſtiſſima illius ſigna in mammis habeantur : Ren vnus alteri inflammato vel calculis obſeſſo ita condoleſcit propter genus & officij ſocietatem ſimul, vt apud Hippocratem , ſæpius langueat & munere ſuo non perfungatur. Et ſic de reliquis partibus, quæ ſunt vicinæ, congeneres , aut ſociæ eiuſdem operis.

Quibus autem potiſſimum modis iſtæ partium ſyntimoriæ contingant , operæ pretium eſt ſcire, tam ad actum therapeuticum , quam diagnoſticum , quemadmodum in conſultationibus videre eſt: vnde illa apud Medicos nomina ἰδιοπαθείας, πρωτοπαθείας, δευτεροπαθείας,quibus deſignare voluerunt affectus propriè inſidentes partibus , primarios & ſecundarios, ex quorum variâ conſideratione diuerſa etiam præſagiendi & curandi ratio emergit.Hæc igitur partium ſympathia Galeno dupliciter contingit, poſitiuè ſcilicet & priuatiuè.

Poſitiuè quidem , quando aliquid ab vnâ parte in aliam deriuatur , ſiue ſit qualitas tantum per ὄμμιγμα aucta , ſiue materia,vt vapor , vel humor tenuis & fugax , qui aliquando ob quantitatem nimiã, aſcititiam quamdam & extraneam qualitatem, vel etiam motum præpoſterum,malè afficiat partes iſtas in quas transfertur : Sic ex

ventriculo

ventriculo ſublati vapores in cerebrum, vertigines & epilepſias, in aures tinnitus, in oculos ſuffuſiones illas fugaces ingenerant, culicum & muſcarum effigiem repræſentantes. In quibus affectibus per ſympathiam ex communicatione materiæ genitis, illud eſt obſeruandum, vt delctâ priore causâ à quâ pendebant, ſtatim etiam deleantur: aliàs ſi ſunt ſtabiles & perſeuerent ſine illius præſentiâ, iam διυτερωπαθικὰ dicuntur: vt quando angina quæ prius ob ſimplicem ſympathiam pulmones vexabat, iam facto humoris maiore decubitu, vt docet Hippocrates *Aph.* 10. *ſect.* 5. tranſit in peripneumoniam: catarrhus delabens in ventriculum, exulcerationem in eo parit. Priuatiuè autem fit morbus ſympathicus dupliciter: priuatione ſcilicet facultatis, quæ à principe parte in alias ſolita eſt influere: vel negatione materiæ, quæ eſt ad edendam functionem aliquam neceſſaria. Omnis ſympathiæ ratio in exemplo vocis appoſitè declarari poteſt, cuius præcipuum organum ſunt ipſi pulmones cum toto larynge. In iſtas itaque partes ſi catarrhus etiam leuior deerret, vel etiam ex muſculis intercoſtalibus inflammatis ichores quidam reſudent, fit vox rauca, clangoſa, vel aſpera: negata verò tantùm facultate tollitur vox, quando præciſis neruis recurrentibus obmutescunt animantia, vt in canibus ſæpe eſt exploratum: Et Galenus narrat illis frequenter contigiſſe, qui ſtrumas colli per ampurationem ſanabant: aliquando inflicto vulnere vertebris dorſi, aut ſpinali medullâ obſtructâ intercipitur vox cum illâ facultate animali, quæ debet muſculos thoracis agitare. In vulnere autem thoracis pleuram penetrante, & obiectum lumen extinguente, deperit vox: quia effluit materia ad vocem edendam neceſſaria, nempe aër inſpiratus, qui exſufflari deinde debet, & ad laryngem recurrere, vt vox efformari poſſit.

Quæritur iam vtrum læſiones actionum iſtarum quæ per ſympathiam contingunt, morbo ſint adſcribendæ, non ſolùm primario, à quo cauſa illorum pendet (hæc enim vulgaris eſt ſolutio) ſed etiam diſpoſitioni partis illius, cuius eſt illa actio propria. Quando enim functio verbi gratia minimi digiti aboletur ob ſuſceptum in cerebro vel ſpinali medullâ vulnus, certum eſt digitum illum verbi gratia paralyticum, ſi σωματικὴν illius οὐσίαν ſpectes, nihil habere immutatum: attamen ſi rei ipſius naturam accuratius animaduertas, non poteſt ſe eodem modo habere quo prius, quando flexionem ſuam & extenſionem commodè exercebat. Quid igitur eſt illud à quo actio iſta impeditur? Dic eſſe paſſionem vel fientem ſiue incipientem morbum, à ſuâ cauſa omnino pendentem, quæ ſi diutius agendo perſeueret, tandem proprium ingenerat affectum & diſpoſitionem morboſam, vt eſt valde apertum in illis morbis, qui ex ſympathiâ communicatæ vel negatæ materiæ aut qualitatis contingunt: diuturnitate enim temporis cerebrum vapores verbi gratia ventriculi recipiens, in ſuâ eſſentiâ ita labefactatur, quemadmodum pars, quæ priuatur ſpiritu aut alibili ſanguine, ita refrigeratur aut marceſcit, vt ex ſympathiâ vera euadat διυτερωπάθεια, & factus confirmatuſque morbus. At in negatâ facultate quæ eſt ἀνεύρυτος & quaſi incorporea, non eſt ita manifeſtum: nihil enim digitus ille, vt dicebamus, paralyticus, videtur pati: quamuis animalis facultas in eum non influat: quia neque temperies illius, neque conformatio aut vnitas partium mutata videbitur, quantumcunque perduret, vt in aliis ſympathiæ ſpeciebus contingit. Dicamus igitur partes iſtas, quæ influxum animalis facultatis ſuſcipiunt, conſiderari poſſe, vel vt ſunt corpora viuentia tantum cum ſuis inſitis functionibus ad nutritionem neceſſariis: vel vt ſunt etiam inſtrumenta ſenſus & motus, quæ debent eiuſmodi vim à neruorum principio repetere. Vt ſunt viuentia tantum, certum eſt per iſtas ſympathias nihil propriè pati, habent enim ſuam συμφυΐαν, vt loquuntur, & συνέχειαν naturalem: At vt ſunt inſtrumenta ſenſus & motus, maximè patiuntur, quia deſtituuntur eo quod eſt neceſſarium ad illos exercendos: ac proinde paſſione aut morbo tenentur fiente, ex cuius diuturnitate etiam gracileſcunt & valde immutantur paralytica membra, vt videre eſt in vſu quotidiano. Verum dicet ille, ſi in his partibus aliqua ſit diſpoſitio præter naturam, ad quod genus erit referenda? Non ad temperiem, quæ adhuc integra eſt; non ad vnitatem, quæ continua exiſtit; ſed ad vitium conformationis referri puto, quæ eſt in numero deficiente: deeſt enim illud quod eſt neceſſarium ad actiones exercendas.

Neglexit autem naturam iſtorum affectuum Galenus, quia nihil faciunt ad curandi rationem; non enim remedia paralytico verbi gratia digito ſunt tunc admouenda, ſed ſpinali vertebræ luxatæ, aut cerebro vulnerato, à quibus pendet eiuſmodi interceptio. Ac proinde Medico therapeutico parui ſunt momenti, quamuis in Pathologiâ de illis ita videatur ſtatuendum.

CAPVT V.

De morbo facto & fiente.

QVAMVIS morbi facti & fientis diſputatio commodius ad differentias morborum referri poſſe videatur:quia tamen ad perfectam propoſitæ definitionis explicationem pertinet:ideo libuit hoc loco illorum naturam paucis proponere. Illa igitur in fieri eſſe dicuntur ἐν τῷ ποιεῖν ἢ ἐν τῷ γίγνεσθαι, quæ tamdiu ſunt,quamdiu fiunt:vnde artes quædam actiuæ dicuntur, quarum nullum opus apparet ceſſante artifice, ſed illius actionem concomitantur, & ſimul cum eâ deſinunt,vt ſaltatrix, cantoria, & ſimiles,quibus factiuæ opponuntur,quæ opus poſt ſe relinquunt, vt fabrilis & ſimiles.Aliæ verò dicuntur eſſe in fieri, quæ ſunt adhuc in viâ ſeu motu vt fiant, ſiue reſpiciant alterationem tantum, ſiue accretionem ſuam, ſiue etiam generationem. Ex quibus Medici iſtas morborum differentias fientis & facti deduxere: Et Galenus *lib.1. de locis affect.* valde laudat hanc morbi diſtinctionem,vt ad curandi rationem accommodatam: vnde *lib. artis parua & alibi,* non ſolum morbos quoſdam in fieri, alios in facto eſſe ſtatuit, ſed quoſdam etiam, qui partim in fieri, partim in facto eſſe poſiti ſint. Contra *lib.2. & 8.method.* item *lib.de different.ſympt.* videtur hanc diſtinctionem reiicere, dum contendit omnem morbum eſſe factum: differre enim eo paſſionem ab affectu,quòd paſſio ſit alteratio & motus, qui adhuc ſit circa materiam: effectus verò ſit alteratio & qualitas,quę poſt motum in materiâ manet. Quæ ſententia magis congruere videtur cum propoſito morbi genere,quando diſpoſitionem,ſiue conſtitutionem præter naturam eum appellabamus.

Dicamus igitur illud fieri & factum eſſe in morbis variè ſumi poſſe. Vel enim reſpicit cauſæ vim & præſentiam, à quâ fouentur & efficiuntur morbi: vel propriæ eſſentiæ morbificæ rationem, quatenus primùm gignitur, accreſcit, aut decreſcit; vel ipſum ſubiectum, partem ſcilicet affectam æqualiter aut inæqualiter ab eiuſmodi morbo immutatam. Quamdiu igitur morbus cauſæ ſuæ viribus & præſentia ita fruitur, vt ab eâ augeatur & ſuſtentetur, tunc etiam in fieri dicitur Medicis: quia totus quaſi à ſuâ cauſâ pendet, ſaltem in permanentiâ, vt loquuntur quamuis in eſſentiâ ſuâ & propriæ naturæ ratione factus ſit, vtpote res ſimilaris ac vniformis, quæ ſtatim in primo ſuo ortu dicitur perfecta. Quamdiu etiam morbus intenditur, augetur ſcilicet & ſua percurrit tempora, dici etiam poteſt eſſe in fieri, videlicet motu accretionis, quemadmodum puer dum in virum aſſurgit. Denique ratione partis affectæ dicitur morbus in fieri, ſi illius temperamentum & propria natura parum ſit adhuc immutata: in facto verò quando morboſa conſtitutio naturalem ita ſuperauit, vt iam æqualiter omnes ſubiecti partes occupauerit. Vnde apud Galenum æqualis & inæqualis intemperies factæ & fienti reſpondent: & morbi hac ratione ἕξεις, leuiter ſcilicet inhærentes, aut hectici vocantur: *lib.* enim *de inæquali intemperie,* Galenus repræſentat factam hanc intemperiem exemplo ligni, quod igni impoſitum ita exarſit, vt deinceps à foco exemptum nullam amplius ligni ſpeciem repræſentet, ſed tantum carbonis vel cinerum: & lanæ,quæ alieno colore imbuta,proprium & natiuum nullo modo amplius retinet.

Cum igitur tot modis fientes & facti morbi apud noſtros authores dicantur: certum eſt ſi pathologicè rem iſtam perſcrutari velis, & ſecundum morbi eſſentiam tantum, ad quam reſpexit Galenus *loco nuper citato*, morbos omnes eſſe factos: ſunt enim terminus motus ipſius alterationis & paſſionis, ad quem vbi primum peruenerint, gignitur diſpoſitio illa morboſa, à quâ velut reuera exiſtente, & iam per poſitionem quamdam ſuarum partium ſubiectum ſiue partem affectam occupante, læduntur eius actiones ſenſibiliter. At ſi therapeuticè rem ipſam perſcruteris, quatenus ſcilicet vtiles indicationes exurgunt ad curandi methodum, certè commodius dices morbos illos eſſe fientes,qui adhuc à ſuâ cauſâ pendent, vtpote cuius ſublatione ſine aliâ remediorum ope euaneſcunt: factos verò, qui peculiarem therapeiam exigant, ob ἕξιν illam, & iam altiùs impreſſum veſtigium in partem: alios verò partim factos,partim fientes,qui quidem à ſuâ cauſâ præſente

Digitized by Google

ſente augentur, habent tamen eſſentiam ſuam ita iam confirmatam,vt ſine ea ſubſiſtere poſſint, quales ſunt ferè omnes febres putridæ, & reliquæ intemperies humorales, vbi diutius in nobis perdurarint. Et ſic propoſita difficultas facilè diſſolui poteſt, nec quicquam facit morbi fientis natura aduerſus adductam à nobis morbi definitionem. Iam igitur ad eius diuiſionem, inquirenda ſcilicet morborum genera & ſpecies accedamus.

CAPVT VI.

De primis morborum generibus.

GENERA & differentias rerum ex definitionibus colligi ſcribit Galenus *lib.1. meth.cap.3.& 5.* Ideo propoſitâ prius morbi definitione, ad illius diuiſionem eſt accedendum, vt poſſimus morborum genera, ſpecies, & differentias inuenire, quantum ad Pathologiam vniuerſalem attinet. Quamuis autem apud Galenum promiſcuè genera, ſpecies, & differentiæ morborum pro eodem ſumantur, vt eſt 11. *meth.* latâ quadam nominis ſignificatione: ita tamen à nobis diſtinguentur,vt differentiæ illæ eſſentiales & conſtitutiuæ generis vel ſpeciei ſeiungantur ab accidentalibus,quæ communiter tantum differre faciunt,& deſumuntur ex communibus morborum accidentibus vel proprietatibus,vt ſuo loco dicetur.

Ac proinde cum morbus ex accidentium genere exiſtat,quod corporis noſtri partibus ineſſe ſolet,patet eſſentiales illius & genericas ſeu primas differentias potiſſimum repetendas ex primis ſubiectis,ſeu partium primâ differentiâ,quibus inhærere ſolent. Inter partes autem corporis noſtri cum ab Hippocrate recenſeantur, continentia,contenta, & impetum facientia,nempe partes ſolidæ viuentes,& ad actionem aliquam certam & determinatam comparatæ,humores, & ſpiritus: non videtur morbus in ſpiritibus & humoribus reponendus, qui propriè non viuunt, neque nutriuntur, ſed per appoſitionem tantùm partium reficiuntur.Si enim morbi in ſpiritibus aut humoribus reponerentur, quam quæſo actionem læderent:cum iſtæ partes nullam ex ſe actionem edere poſſint, ſed cauſæ tantùm ſint & communia inſtrumenta actionum edendarum?Poteſt itaque ſpiritus aut humor ægritudinis eſſe cauſa, dum ſuis qualitatibus v.gr.veras corporis viuentis partes immutat: ſed ægrotare, aut morbi proprium ſubiectum eſſe non poteſt. Vnde illud vulgatum, & verum in Pathologiâ,ſi de morbis intemperiei potiſſimum intelligatur:*Cauſas eſſe in contentis & impellentibus: ſymptomata in actionibus quæ à partibus proficiſcuntur:morbos autem in continentibus ſeu veris partibus,& ad vitam,actionem,vel vſum comparatis.*

Porro cum partes illæ corporis noſtri ſub duplici contineantur differentiâ,ſimilarium videlicet ſiue ſimplicium, quæ ex conſimili atque vniformi materiâ conſtitutæ ſunt: & diſſimilarium, quæ ex duabus vel pluribus ſimplicibus compoſitæ,organum aliquod peculiare conficiunt: ſintque actiones duarum iſtarum partium,quatenus tales ſunt,diſtinctæ,vt in Phyſiologiâ probatum eſt:Sequitur inde morbum illum qui ſimilarium, quatenus ſimilares ſunt,partium actiones peruertit ſimilarem: qui verò organicis partibus primario officit, organicum eſſe cenſendum:quod ſi aliqua ſit diſpoſitio,quæ vtriſque accidere poſſit,& earum actiones ex æquo euertere,communem eſſe appellandum. At certum eſt ſimilarium partium perfectionem & quaſi ἐντελέχειαν in bonâ τῆ περιε poſitam eſſe: organicarum in debitâ conformatione:in vtriſque autem requiri συνέχειαν naturalem, continuitatem, & contiguitatem propriam, vt vnum quid ſint. Ergo tres etiam morboſæ & primæ conſtitutiones totidem conſtitutionibus ſecundum naturam oppoſitæ emergunt, nempe intemperies, mala ſtructura ſeu conformatio,& continui ſiue vnitatis ſolutio,per ſe ſubſiſtentes & inuicem ita diſtinctæ, vt ſeorſim actiones partium corporis noſtri lædere poſſint: quæ rurſus ſuas habent ſubiectas ſpecies & differentias, vt poſtea ex vniuſcuiuſque ſubdiuiſione conſtabit apertius:quam ad vnguem tenere & explicare oportet,tum propter inſignem huius rei in faciendâ medicinâ,& conſultationibus vtilitatem,tum frequentiſſimas ſuper hac re neotericorum controuerſias. Nunc igitur ad ſimilaris morbi differentias accedamus.

CAPVT VII.

De ſimilaris morbi ſpeciebus & differentiis.

TRES eſſe dicebamus corporis noſtri conſtitutiones naturales, quibus partium perfectio & actionum integritas conſtat, nempe temperiem, debitam conformationem,ac vnitatem: vnde tres eſſe primas conſtitutiones morboſas oſtendimus, illis ex aduerſo reſpondentes. Cum itaque morbi iſti, ſeu primæ diſpoſitiones contra naturam exiſtant,videndum an habeant ſibi ſubiectas ſpecies, & differentias. Cum autem intemperies proprius ſit ſimilarium partium morbus, quas naturâ & origine organicis, quæ ex illis componuntur, priores eſſe conſtat: ideo inter morbos primarium meritò locum obtinuit intemperies, de cuius etiam diuiſione primò eſt diſſerendum. Itaque morbum hunc plures recipere differentias, & ſibi ſubiectas ſpecies, inde colligere licet, quod cum temperies ex quatuor elementorum ſiue qualitatum concurſu ac debitâ mixtione emergat, quæcunque iſtarum à legitimâ ſymmetriâ & commoderatione deflectet, pariet variam intemperiem morboſam in parte ſimilari: aliquando ſimplicem, ſi vnica tantum exceſſerit: calidam, frigidam,humidam, vel ſiccam: aliàs compoſitam, quoties duæ ſimul poſſibiles præter naturæ modum productæ fuerint, ſub quaternario etiam numero, calidam humidam, calidam ſiccam, frigidam humidam, frigidam ſiccam: vnde octo ſunt ſpecies ſiue differentiæ morborum ſimilarium extra latitudinem ſanitatis, & ſenſibili actionum noxâ à totidem temperamentis diſtinctæ. Quamuis enim bilioſus verbi gratia ſanus, calidior ſicciorque exiſtat, quam par ſit, ad iuſtam temperamenti regulam conſtituendam: attamen non dicitur morboſus, quamdiu actiones pro natura & conditione innati temperamenti exercebit, ſed tantum ſi ab impulſu cauſarum externarum vel interarum propriæ ſanitatis lineas excedens in febrem verbi gratia tertianam aut ſimiles inciderit,& ſic de reliquis.

Hæ ſunt igitur propriæ & ſpecificæ morbi ſimilaris differentiæ,quæ à numero qualitatum primarum & earum combinationibus deſumuntur.Quia tamen aliæ ſunt ad omnem medicam actionem vtiles, ideo Galenus illas ita perſequitur:Omnis intemperies, inquit, morboſa, vel in totum corpus incidit, vel in vnam aut plures partes: Rurſum vel eſt nuda ſimplexque qualitas ab exteriore tantum causâ profecta ſine interioris concurſu: quæ intemperies immaterialis dicitur apud Medicos: vel cum qualitate, iuncta eſt etiam interior cauſa materialis,humor, vapor, aut flatus, qui intemperiem cum materiâ dictam conſtituit, morbum ſcilicet vſitatiſſimum & notiſſimum,ſub quo tumorum præter naturam variæ ſpecies continentur: quorum in ipſo generationis limine,magna eſt & valde manifeſta cognitio,ob repletionem tenſionemque partium ab alienâ materiâ:cum nudæ illæ qualitates & immateriales non facilè diſtingui internoſciue poſſint, niſi iam plurimum à cõſueto ſtatu diſceſſerint & functionibus inſignem noxam afferant. Apparent tamen aliquando tam in toto quam in partibus,verbi gratia calida intemperies totum corpus immaterialiter infeſtat,præcipuè verò cor,per hecticas illas febres primarias, quæ vi & impetu cauſarum externarum ſtatim in partem ſolidam imprimuntur:in partibus etiam) *καύματα* iſta & *συεκτάσεις* ſæpe apparent,vt in capite per ſimplices cephalalgias & vehementi æſtu:vnde *σιμάσεις*: in tibiis per hyemẽ fiunt *Φωλίδες* & *Φαιδιγλῖες* circuli rubicundi ab igne excitati,quos Plinius vocat crurum maculas & varietates igneas. Frigida quoque intemperies in toto corpore immaterialiter contingit,vt in iis qui ſub vehementi aquilone iter aggreſſi,aut qui in prægelidis(vt narrant de Alexandro Magno)aquis natantes ſemimortui & rigidi apparuerunt. In extremitatibus verò, pedibus videlicet aut manibus *ψυγμὰς* iſtos & *ψύξεις* perfrigerationes & gelidationes ab antiquis dictas ſæpius cõſpicere ſolemus,vtpote quibus ex nimiâ refrigeratione emortuis non rarò decidere accidit.Sicca item intemperies ſine humore fit ab exhauſto per omnes corporis partes,vt in fame,longis hæmorrhagiis, mataſmo ſenili & ſimilibus: vel etiam in particulis propter obſtructiones,aliaque vitia ſuo genio & alimoniâ priuatis,quę velut ſale exiccatæ contabeſcunt. Humida verò intemperies vix ſine affluxu humoris

noui

zed by Google

noui in toto aut partibus contingere poteſt. Galenus *lib. de præcogn. ex puls. cap.* 8. humidæ intemperiei ſine materiæ accurſu aut generatione nouâ, adfert exemplum vxoris Boëthi viri Romani & Conſularis, quæ præ mollitie & laxitate partium vix incedere poterat. Idem dicas de intemperiebus ex duplici qualitate conſtantibus, quas Galenus aliquando, vt *lib. 2. de med. compoſit. ſecund. loc. cap. 2.* vocat ſimplices, ſi ſine affluxu materiæ contingant, reſpectu cauſæ, non qualitatis, vt dicebamus.

Denique idem Galenus diuidit omnem intemperiem in fientem & factam: æqualem & inæqualem, de quibus à nobis in ſuperioribus iam diſputatum fuit. Reliquæ differentiæ, quæ huic morbo ſimilari, aliiſque contingere ſolent, & authoribus noſtris fuerunt vſitatæ, ſuo deinde loco à nobis proponentur. Iam ad quædam dubia, quæ in morbum ſimilarem adferri ſolent, accedamus.

CAPVT VIII.

De quibuſdam in morbos ſimilares dubiis.

HÆc ita à Galeno de ſimilaris morbi differentiis ſtatuta, non leues tamen patiuntur difficultates. Cum enim poſitum ſit octo eſſe intemperies: quatuor ſimplices, ex ſimplicium qualitatum exceſſu: quatuor compoſitas, ex duplici poſſibilium exceſſu, qui quadruplex etiam eſt: ídque cum materiâ, vel ſine materiâ: Dubitatur primò, an ſit aliqua intemperies ſine humore aut materiâ: Secundò aſſerunt quidam, nullam dari ſimplicem intemperiem ex vnius qualitatis exceſſu: Tertiò è compoſitarum numero tollendam calidam humidam, frigidam ſiccam intemperiem: ac inter compoſitas reponi poſſe quamdam, quæ calida ſimul ſit & frigida: quamdam quæ humida ſimul & ſicca: Quartò cum morbi iſti intemperamenti ſimilares dicti ſint, vt in ſimilaribus partibus inhærentes: organici quod in inſtrumentariis: non videtur tamen aut ſimilaris morbus ſimilares tantum, ſed etiam organicas actiones lædere: ita & organicus aliquando ſimilares. De quibus omnibus eſt videndum.

Primò igitur nullam eſſe intemperiem nudam ſine materiâ & humoris affluxu, dubitarunt Eraſiſtratei, vt refert Galenus *lib. de locis aff. cap. 1. & lib. 7. meth. cap. 2.* Quandoquidem & ab Hippocrate omnis morbus vlcus ſit appellatus, & affectio illa in quâ non eſt ὄγκος tumor, humoriſque collectio, potius imbecillitas ſit cenſenda, quam verè morbus. Præterea cum corpus noſtrum triplici conſtet ſubſtantiâ, ſolidâ, ſcilicet, ſpirituoſâ & humorali: non videntur qualitates illæ primariæ aptius quam in humore ipſo collocari poſſe maximè patibili, earúmque ſuſceptibili: ac cum omni ferè morbo dolor ſit adiunctus comes, fiet attractio per dolorem copioſi humoris, vt certè etiam calor in morbis calidis potentiſſimè trahit. Sicca porrò intemperies quomodo ſine materiâ inuenietur in nobis, cum extrema illa ſiccitas omnis humoris excluſionem deſignet, quæ adeſſe non poteſt quamdiu viuimus: ita vt ſiccitas illa in viuentibus non poſſit eſſe niſi ab humore potentiâ ſicco & exſiccante, bilioſo videlicet aut melancholico. Humidam autem intemperiem eſſe abſque humore, ridiculum putant. Verum illis non erit difficile reſpondere ex prædictis, cum ſciamus nos hîc per materialem aut immaterialem intemperiem cauſas efficientes horum morborum deſignare, non ſubiecta aut ſuſcipientia eorum. Quamuis igitur concedamus frequentiores, grauiores, ac conſideratione medicâ digniores, eos eſſe intemperamenti morbos, qui ex humoris affluxu tanquam efficiente cauſâ fiunt: non tamen inde ſequi, vt ſine hac cauſâ interiore humorali agente nullus produci poſſit, cum & quotidiana experientia cauſarum externarum calefacientium, refrigerantium, id ſatis oſtendat, quæ partes afficiunt, ſuiſque qualitatibus immutant, vt exemplis prius adductis ſatis fuit comprobatum. Præterea cum materiales & immateriales dicimus has intemperies, non tam ad humores, qui in parte ægrotante poſiti ſunt, reſpicimus, quam ad affluxum nouæ materiæ, quæ ab aliis in eas irrumpere debet. Poterit itaque eſſe caliditas verbi gratia in partis cuiuſdam humore proprio, qui tamen immaterialis dicitur, quamdiu nulla ingruet ex aliis

y Google

fluxio : quamuis enim & dolor & calor trahant, non tamen ſemper ita inſigniter trahunt, vt ſenſibiles iſtos humorum affluxus ὄγκους tumores aut vlcera in omnibus partibus efficiant. Item ſicca intemperies aderit in viuentis toto corpore aut partibus, quando propter exhauſtam propriam humiditatem ſicciores multò (ſic enim comparatè eſt intelligendum) quam priùs apparent. Denique humida intemperies erit in partibus abſque humore non proprio partis, ſed alieno, quando ſcilicet partes mucoſæ & flaccidæ apparent per exceſſum paſſiuæ huius qualitatis in parte, abſque vllo nouo confluxu : quod facilè fieri poſſe, cauſis potiſſimum externis adiuuantibus, nemo eſt qui non facile concipiat.

At qui nullam dari ſimplicem intemperiem ex vnius qualitatis exceſſu contendunt: primum id probant in intemperiebus quæ ex affluxu materiæ fiunt: cum enim pendeant ab vno corporis noſtri humore, quorum vnuſquiſque duplici qualitate præditus eſt, fiet etiam ſemper ab illis compoſita intemperies. Sine affluxu autem materiæ intemperies fiunt à cauſis externis, quarum omnes cum duplicem habeant qualitatem : vel enim ſunt ſimplicia, vt elementa ; vel mixta ex illis : duplicem etiam ac compoſitum ingenerabunt exceſſum qualitatum. Quare perpetuò erit duplex, nunquam ſimplex intemperies. Verum demonſtratio quâ ipſemet Galenus vtitur *lib. 1. de temperament. cap.* 8. vt probet quatuor eſſe temperamenta ſimplicia, ſufficiet nobis vt oſtendamus, totidem etiam eſſe intemperamenta. Nam ſi qualitates actiuæ ſibi vtramque ex paſſiuis adiungere poſſunt intenſam, vt verbi gratia, ſit caliditas morboſa cum ſiccitate morboſâ, cur non ſibi adiunget eamdem ſiccitatem moderatam, quæ morboſa non erit ? Idem dicas de humiditate aut frigiditate; ita vt quamuis duæ ſimul ſint qualitates, quia tamen aliquando vtraque eſt morboſa, ideo compoſita intemperies dicitur : quando verò vna tantum actiones lædit, tunc ſimplex & vnica qualitatis immoderantia iure appellabitur : ſiue enim cauſæ internæ humorales agant, ſiue externæ, propter cauſarum commixtionem ſeſe in vnâ qualitate intendentium, in vnâ contemperantium, propter aptitudinem maiorem aut minorem agentis vel ſuſcipientis, fient intemperierum exceſſus ſimplices : Verbi gratia ſit aër intemperatus ad calidam humidámque intemperiem : ſint alimenta frigidiora humidioráque, frigiditas ciborum contemperabit caliditatem aëris, ne morboſam diſpoſitionem calidam in nos inducat : humidam autem augebit, quæ ſola erit in exceſſu : ſic bilis iuncta ſanguini, vt eius humiditatem ſuâ ſiccitate temperat, ita eius caliditatem intendit, ac proinde intemperiem in exceſſu ſimplicem, nempe calidam generabunt. Sic hepar calidum & ſiccum propriâ temperie, ex vſu refrigerantium & exſiccantium, vt eius caliditas contemperatur, ſic ſiccitas ſola augetur, & morboſa euadit. Quare ſimplices dabuntur intemperies, vt & temperamenta ſimplicia ex aptitudine variâ agentis & ſuſcipientis. Nunc ad tertium dubium veniamus.

Contendunt multi, vt etiam Galenus refert *lib. 6. de ſanit. tuend.* nullam eſſe intemperiem morboſam calidam humidámque, nullam frigidam ſiccámque : & eſſe intemperiem à Galeno receptam, quæ calida frigidáque ſit ſimul, quæ humida ſiccáque exiſtat. Primò de calidâ humidáque dicunt morboſam eam eſſe non poſſe, cum ſit principiis vitæ noſtræ conſentanea, quæ in humore caloréque ſunt poſita. Deinde cum in omni conſtitutione morboſâ, exceſſus ſit & intenſio maxima qualitatum, fit vt calor ita excedens & intenſus non poſſit ſubſiſtere cum humiditate ita excedente & morboſâ, ſed diſſipando exſiccandóque ſibi comitem facere ſiccitatem. De frigidâ item & ſiccâ patet, frigus intenſum ſibi illico humorem accerſere, ac in corporibus noſtris cruditates immenſas parere, quæ ſynatriſmos ſuccorum faciunt celerrimos & intemperies humidas. Verùm contra iſtud dicimus, intemperiem calidam & humidam morboſam frequentiſſimam eſſe, propterea quod calida humidáque, ſi non diffluentur ventilentúrque, maximè ſunt putredini obnoxia : vnde totus ille ſtatus tam in nobis quam extra nos, vt in aëre & diætâ dicitur Hippocrati σηπεδονώδης putredinoſus, vt videre eſt in deſcriptionibus epidemiis: quamuis enim ſint cum principiis vitæ noſtræ analoga, non ſequitur hinc morboſa eſſe non poſſe, cum ſæpe ea quæ ſunt naturâ ſuâ optima, & maximè ſalutaria, ſi exceſſerint & in contrarium naturæ ſuæ modum labantur, maximè ſint pernicioſa, & vitæ humanæ infenſa : cum ſemen ipſum & ſanguis in venenatas prope qualitates degenerent, dum corrumpuntur : vnde in hominibus epileptici inſultus, furores in mulieribus, ſuffocationes vterinæ, ſyncopæ & ſimiles grauiſſimi affectus. Caliditatem quidem excedentem humorem tandem abſorbere fatemur : at non illicò,

Digitized by Google

illicò, ac proinde illud tempus ſufficere ad morborum etiam ſæuiſſimorum conſtitutionem, vt patet de febribus putridis ſanguineis, in quibus vt caliditas humiditati iuncta exceſſum vtraque morboſum pariunt: ita ſi diutius perdurent, in intemperiem tandē deſinent vel calidam tantum, vt cauſum; vel calidam & ſiccam, vt hecticā, ac tandem frigidā & ſiccam, maiori in dies factâ calidi & humidi noſtri diſſipatione, quæ maraſmos appellatur: Nemo tamō negauerit ob ſucceſſiuos morbos priorem febrem ex duplici exceſſu conſtantem, morbum fuiſſe. Idem dicendum de intemperie frigidâ ſiccáque: quamuis enim frigoris exceſſus in nobis humorem coaceruet & eruditates accerſat, nihil tamen obeſt, quin duæ illæ qualitates iunctæ morboſæ ſint tamdiu, quamdiu ita corpus noſtrum afficiunt: imo verò in ſenibus ad vitæ vſque extremam periodum perdurant, neque ab excrementorum proluuie quibus ſcatet ſenectus, immutari poſſunt: ſed tandem mortem illam naturalem inducunt.

Nunc verò maior inſtat difficultas, an ſcilicet inter intemperies iſtas compoſitas admittenda ſit calida frigidáque ſimul, humida ſiccáque ſimul: duæ ſcilicet contrariæ qualitates, & ex diametro oppoſitæ: ſicque augendus ſit numerus intemperierum compoſitarum. Id Galenus recipere videtur *lib. de cauſis morbor. cap. 6. Contingit*, ait ille, *licet fieri non poſſe videatur, vt idem corpus ſimul calidius & frigidius, aut ſimul & humidius & ſiccius, quam pro naturali habitu reddatur.* An non in febre epialâ frigus calórque ſimul in eiſdem partibus κατὰ μικρὸν & δι' ἐλάχιστα ſentitur? An non in lipyriis extrema algent, interna vruntur? Et qui v. g. perfrigeratas admodum habent manus, ſi eas vehementiſſimo igni exponant, nonne dolorem ſentient intenſiſſimum ex duorum contrariorum in parte illâ exiſtentium ſimul pugnâ & conflictu? Sit aliquis ſub ſole ardenti nudus, cui frigida aqua affundatur, is eodem tempore, & calorem radiorum, & aquæ frigiditatem in eiſdem partibus ſentiet. Idem dicas de humiditate ſicciatéque, ſimul eas eſſe poſſe: cum enim corpora ſenum & ſicca dicantur, hoc eſt priuata humore benigno & alibili: & humida perfuſione humoris alieni atque excrementitij, cur non idem contingere poterit per affectus morboſos? Vnde patet compoſitas eſſe poſſe intemperies ex contrariis qualitatibus quarum vtraque ſit morboſa. Nos quid ſit reſpondendum videamus.

Primùm ex conſtanti illo Philoſophiæ decreto, *duo contraria realia intenſa non poſſe recipi in eodem ſubiecto adæquate*: dicimus idem non poſſe moueri motibus contrariis, eodem loco, & eodem tempore. Quapropter non poſſe eſſe compoſitam intemperiem ex duabus contrariis, quæ in vnâ eadémque parte, ac eodem tempore diſpoſitionem morboſam ingeneret; ſed id vel fieri in diuerſis partibus, vt in inæquali temperie; vel in diuerſis temporibus contingere, quod nos non negamus: propter tamen & partium & temporis exiguitatem ſenſum non diſcernere illam varietatem. In lipyriis itaque febribus manifeſtum eſt alias partes, interiores ſcilicet eryſipelate obſeſſas exuri: alias, nempe exteriores, calore priuatas, qui ad centrum eſt reuocatus, vi flammeæ illius diſpoſitionis, algere. In epialis cum gignantur ex pituitâ frigidiſſimâ inæqualiter putreſcente, quæ per corpus, exteriorem potiſſimum habitum delata, pars putreſcens calorem, non putreſcens frigus inducit; certum eſt id non fieri ſecundum eamdem particulam: nam ſic oporteret illas portiũculas pituitæ & ſeipſas penetrare, & particulas corporis ſubintrare: ſed ob exiguitatem, vt dicebamus, ſenſus contrarium iudicat. Sunt itaque duo morbi; alter calidus, frigidus alter, non vnus ex his duobus cõpoſitus. Quemadmodum multi ſimul dolore & voluptate afficiuntur: vt qui prurientem ſcabiem ſcalpunt, quia aliæ partes dolent ex repletione & mordicatione humoris vitioſi: aliæ verò voluptatem percipiunt ex vacuatione eiuſdem per frictionem illam & attractionem: aut ſaltem id fit ſucceſſiue. quamuis fluxus ille indiſtinctè percipiatur. Eadem eſt ratio eius qui ſole calfactus frigidâ perfunditur, & qui algentem manum igni offert: ex ſubitâ enim contrarij expulſione per contrarij aduentum fit dolor, quod cum frequentius repetatur ex ardore & perfrigeratione inductis, ideo videtur ſimul eaſdem contrariorum diſpoſitiones ſuſcipere in eiſdem partibus, quamuis minimè ſit in eadem æquatâ portiunculâ: aut dic non facere ſimul compoſitam intemperiem in ſubiecto, ſed potius ſeſe inuicem oppugnare. Quod attinet ad Galeni authoritatem, certum eſt eum ibi agere de inæqualibus intemperiebus duabus, quarum vna hanc, illa verò iſtam partem obſident, quod nullus negat; ſed ex illis duabus fieri mixtam intemperiem vnicam non intellexit: quoniam potius ex illis duabus fieret reductio ad mediocritatem & temperationem. Quod in rebus externis facile eſt videre, ex permiſtione ſcilicet frigidæ cum ardente aquâ χλιαρὸν & teporem induci. Et omnis remiſſio

miſſio ex contrarij fit permiſtione.Eadem eſt ratio intemperiei humidæ & ſiccæ. Vt enim ſenes partibus ſolidis ſicci ſunt, quoad excrementa & primas vias humidi, ſic etiam duæ intemperies morboſæ contingere poſſunt,quarum vna has, illa veroalias partes obſideat,actionéſque variè lædat,quemadmodum febris ſæpe hectica cum hydrope,maraſmus cum catarrho & ſimiles cõplicantur.Iam igitur ad alia tranſeamus.

Supereſt vltimum illud quo quærebatur, an ſimilares morbi organicarum partium functiones per ſe lædant,& organici ſimilarium,quod non eſſe debet, ſi diſpoſitiones iſtæ ad proprias ſuas functiones exercendas ſint deſtinatæ.Sunt tamen qui illud aſſerere audeant,idque,vt aiunt,ex Galeni ipſius ſententiâ:qui *lib.* 3. *de ſympt.cauſis*,de concoctione ventriculi agens : *Malè*,inquit, *coquit ventriculus actione eius lesâ, per intemperies quidem κατὰ τὴν ἰδίαν ἑαυτοῦ ἐοίαν:per alios autem morbos quicunque ſimpliciter ſunt organici,impeditâ ſolum:at per illos qui ex intemperie & organico morbo compoſiti ſunt, vtroque modo.*Ecce quomodo hîc Galenus manifeſtè velit coctionem,quæ actio eſt ſimilarium & temperie perficitur, non ſolum abeâ vitiatâ, ſed etiam ab organicis morbis vitiari : quod in aliis appoſitione exemplorum illuſtrari poteſt:ſic enim ſanguificatio, aſſimilatio, ab obſtructione impeditur & ſimilibus:quare actiones ſimilares ab organicis morbis,vt organicæ à ſimilaribus lædentur. An non febris ambulationem, apprehenſionem, ſtationem, inſtrumentarias functiones, vires deiiciendo non ſolum deprauat, ſed etiam tollit ? An non intemperies humoris v. gr. cryſtallini viſionem impedit ? Vnde ſequi videtur promiſcuè iſtas actiones à quibuſuis morbis lædi.

Sed contrarium eſſe verum multa ſuadent nobis incommoda,quæ in hanc ſententiam incidere poſſunt:nam cum anima ſit principium in nobis quod agit, corpus inſtrumentum quo agit, certum eſt animam impatibilem & immutabilem, non ex ſui vitio, ſed ex organi diſpoſitione malas actiones edere,atque in certis partibus certas exercere.Vt enim non in oculo audit,ſed videt;non in aure videt,ſed audit;ſic in parte ſimilari actiones ſimilares in organo organicas exercet,per proprias earum diſpoſitiones vel bonas vel malas. Fieri igitur non poteſt, cum diſpoſitio bona vel mala ſit proxima cauſa agendi, & ſimilaris operatio ab organicâ ſit diſtincta, eam diſpoſitionem eſſe cauſam proximam & per ſe illius : operationiſ læſæ, quæ ab aliâ diſpoſitione diuersâ pendet. Sic enim coincideremt membra contra ſe diuiſa. Sic diceretur actio læſa eius partis, cuius diſpoſitio eſſet integra & ſana, quod impoſſibile eſſe prius fuit oſtenſum. Sic denique euerteretur omnis diagnoſtice locorum affectorum, quæ fit per ſigna ex actionibus potiſſimum læſis petita,ex quibus datur ſtatim colligere eam partem eſſe morbo detentam, cuius functio læſa apparet ſecundum eam diſpoſitionem,quæ eius operationis eſt proxima cauſa Quod cum eſſe non poſſit,dicimus,vt in ſanitate actiones hæ diſtinctæ à partibus diſtinctis, & variis earum diſpoſitionibus exercentur : ſic in morbis illas lædi, prout diſpoſitiones iſtæ mutantur, & morboſæ exiſtunt.Fieri tamen in functionibus mixtis,quæ vt à temperie inchoantur,ſic à conformatione perficiuntur,vtrumque morbum actiones iſtas lædere & impedire:intemperiem quidem primariò,poſt vitiatam conformationem,prout ab hac vel illâ magis pendent:vt fit in chylificatione,ſanguificatione, & eiuſmodi mixtis operationibus, quæ abeis pro exemplo ad ſuam ſententiam confirmandam ex Galeno adducebantur:in aliis verò per accidens & ſecundariò, vt quod dicunt de febre & aliis intemperiebus,quæ organicas actiones impedire ſolent : In organicis enim ſupponere debemus materiam imprimis rite diſpoſitam,nempe partes ipſas ſimilares,ex quibus organicæ conflantur:illarum namque vitium non lædit per ſe ipſam conformationem, aut actiones organicas,ſed per accidens : quemadmodum febris exhauſtis ſpiritibus, conſumpta triplici noſtrâ ſubſtantiâ vires omnes labefactat,& proinde ſenſus & motum deprauat,nullâ in organicis,quatenus organicæ ſunt,deprauatione exiſtente,ſed ex accidente materiam ipſam organicarum, nempe ſimilarium æconomiam & vim corporis demoliendo. Idem de impeditâ viſione, & aliis particularibus dicendum, quæ ex accidente à morbis intemperamenti læduntur : nam intemperies cryſtallini humoris primò lædit actiones ipſius cryſtallini ſimilares, ex quibus ſi ſubſequatur vitium in tenuitate,luciditate,colore aut ſimilibus, organicas diſpoſitiones ſpectantibus,fiet læſio actionis ipſius organicæ ſecundariò. Vel quia in illis certa eſt pars ſimilaris,quæ primarium eſt quodammodo inſtrumentum illud actionis à quo inchoatur, actiones illæ quodammodo mixtæ dici poterunt. Atque ſic ſoluta ſint dubia in morbos ſimilares propoſita : nunc de morbis materiæ & formæ agamus.

CAPVT

CAPVT IX.

De morbis materiæ & formæ.

HAc nostrâ ætate Paracelsus, Fernelius, Argenterius multùm rem medicam nouis quibusdam inuentis sese iuuisse & auxisse gloriantur: inter quæ primas dant huic nouo morborum generi, quod totius substantiæ appellant: Paracelsici enim nihil aliud quam formales, substantiales, essentiales, ideales morbos, cum remediis suis, si diis placet, formalibus, substantialibus, & specificis iactitant: quorum vanitatem sequutus est Argenterius, formæ morbos, vt etiam medicamina, admittens. Fernelius verò non solum formæ, sed etiam materiæ morbos sese inuexisse gloriatur, veteribus ignotos ac incompertos, cum magnâ medicæ artis iacturâ & incommodo. Verùm cum nulli quantumuis diserto fides sit adhibenda, nisi vera dicat, & sententiam suam firmissimis confirmet demonstrationibus: ideo in primis sciendum, quid sibi velint per morbos materiæ & formæ: cur sint ab illis inuenti: quibúsque rationibus confirmati. Primò morbos istos materiæ & formæ non inter instrumentarios, non inter communes reponunt, sed similares esse volunt, ac partibus simplicibus inhærentes primò & per se, earúmque actiones lædentes: quod ex propositâ à Galeno methodo sic inquirunt.

Cum in illis partibus tria spectentur, materia, temperamentum & forma: vt horum tertium naturalis constitutio & symmetria sanitas est: ita vniuscuiusque immoderatio & ametria, quæ contra naturam euaserit, morbus erit censendus. Sit igitur intemperies temperamenti, inquiunt, immoderatio materiæ, corruptela formæ, morbi distincti in partibus similaribus, prout dispositiones sunt materiales, formales, & complexionales, vt ita loquar, alias sub se species continentes. Vt enim sub intemperie octo reponuntur intemperamenta, sic sub materiæ immoderatione mollities & durities, laxitas & adstrictio, tenuitas & crassities, raritas & densitas collocandæ, vt illius proprij & varij affectus, per quos contingit actiones similarium violari. Sic etiam sub formæ corruptelâ varij sunt morbi, qui partium substantiam primo & per se labefactant. Nam vt insitus spiritus, & diuinus illius calor & facultates ipsáque forma à causis manifestis vel occultis læduntur: sic etiam morbi huic subiecti causæ suæ naturam redolentes, vel sunt manifesti, vel occulti. Manifesti rursus, vel sunt cum putredine ex primarum qualitatum intemperie natâ, vt vlcera maligna & partium putredo: vel sine putredine, per dissolutionem spiritus innati, vt contingit vigiliarum, laborum, inediarum, dolorum atrocitate: aut per extinctionem caloris natiui, vt contingit per strangulatus & summas aëris frigidioris inclementias. Occulti autem à cæcis causis totam substantiam oppugnantes tripliciter diuiduntur, in venenatos, tam ex assumpto quam intus genito veneno: in contagiosos, qui ex occulto seminario ortum habent seséque propagant, vt accidit in venenis, quæ non assumuntur, sed exterius in nos agunt; & morbis siue febre ac putredine contagiosis, lue venereâ, elephantiasi, & similibus. Denique in pestilentes, quorum alij grauiores, at satis vsitati, qui ex aëre cœlestium corporum viribus inquinato, suscitantur, vt febris verè pestilens, carbunculus, bubo pestilens: alij insolentes & inusitati, ex nouis syderum concursionibus permistionibúsque geniti; qualis fuit sudor Britannicus nostro sæculo. Alij denique leuiores & vsitati, vt exanthemata, ecthymata; purpuratæ febres & similes.

Hæc est genuina Fernelij sententia de morbis materiæ & formæ, quam proposuit in suâ Pathologiâ absque demonstratione, & libris de abditis rerum causis, quos longè antea ediderat, multis rationibus hinc inde confirmare conatus est. Nos eas postea fideliter ac sedulò recensebimus, diligenter & accuratè confutabimus, vt rem non pauci momenti, & quæ iam multorum animos occupasse videtur: si prius quædam proposuerimus, quæ ad totius rei clariorem intelligentiam facere videntur.

Imprimis igitur illud reuocandum est in memoriam, quod à nobis sæpe dictum est de naturâ partis similaris & actione illius: Partem quidem similarem,

quatenus eſt talis, ſimilem ſibi vbique eſſe, & actiones ſuas inſitas, quæ quadruplices recenſentur, attractionem, retentionem, coctionem & expulſionem exercere vi temperamenti per totas diffuſi,quod ab influente iuuatur & excitatur:Quamuis enim illæ, vt quantæ ſunt & terminatæ, magnitudinem habeant & figuram, certumque ſuæ conſtitutionis modum, quæ laxæ vel denſæ, leues aut graues dicuntur : certum tamen eſt hæc nihil conferre, iuuare, aut lædere ſimilarium actiones, niſi aliqua primarum qualitatum exceſſerit.Porro cum actiones ſint compoſitorum, non cõponentium,vtque anima ſola nullam actionum iſtarum edere poteſt, ſed organo corporeo vtens,pro cuius modo & variâ conſtitutione nunc bonam, alias malam edit operationem:ſic etiam certum eſt ſanitatem & morbum proximas eſſe cauſas inſtrumentales actionis bonæ vel malę,qualitates ſcilicet,accidentia & diſpoſitiones,non animæ aut formæ, ſed ipſius corporis,quo anima vtitur ad actiones obeundas. Fruſtra igitur eſſet,ſi quis velit morbum & ſanitatem in formam eſſentialem & ſpecificam incidere,tanquam in ſubiectum. Omnes quidem morbi ad ſublationem formæ & corruptionem tendunt : at hoc fit ex corporei organi peruerſione,ruinâ & corruptione,ad quam ſequitur compoſiti ipſius diſſolutio & interitus : vt ſcitè admodum docent Philoſophi. Quod ſi formæ illæ eſſentiales eſſent ſubiecta morborum, primò malè definita eſſet tum à veteribus, tum à dogmatis iſtius aſſertoribus ſanitas & morbus,quæ eſſe volunt diſpoſitiones corporis ſeu partium viuentis,à quibus primò bona vel mala actio editur : nam ſic non corpus aut partes compoſiti, ſed formæ eſſent aliquando ſubiecta morborum : per ſe primò pati poſſent, generari, atque corrumpi abſque ſubiecti ſui læſione. Et cum iam pro certo poſitum ſit omnem ſubſtantiæ mutationem eſſe generationem aut corruptionem, formáſque acquiri aut aboleri in inſtanti, cum ſint indiuiſibiles : per iſtos tamen tertia admittenda erit ſubſtantiæ mutatio, nempe morbus : & ſic ad ſubſtantiam eſſe motum, quia morbus motu comparatur : formam per partes corrumpi ac magis & minus ſuſcipere, ſubſtantiam habere contrarium & ſimilia Philoſophiæ repugnantia, cum pro morbi magnitudine ac paruitate in totam illam ſubſtantiam incidentis ſit maior vel minor illius noxa.

Præterea ſi illa formæ aut totius ſubſtantiæ corruptela, quam illi vocant, ſit morbus, vel eſt in termino & abſoluta, aut in viâ & fieri. Quæ facta eſt & abſolutâ, quid aliud eſſe poteſt, quam animantis interitus & integra pernicies, non morbus ? Si ſit in fieri tantum & in motu, erit alteratio corruptioni illi prævia : at alteratio motus eſt in qualitate : & proinde etiam morbus erit illa alteratio ſeu qualitas, in intemperamento poſitus. Quamuis enim corrumpatur tandem ſubſtantia, & compoſitum per morbos iſtos grauiores, non ſola qualitas : hoc fit tamen vi qualitatum, quæ ſolæ poſſunt immutare ſubſtantiam in aliam, & rerum mutationes inducere : vt eleganter oſtendit Galenus,præſertim *lib.de conſtitut.artis,cap.9.& lib.1.de facult.nat.c.6.* Vbi ex Ariſtotele docet generationi & corruptioni adiunctam eſſe alterationem,quæ fit beneficio primarum qualitatum potiſſimùm. Vnde patet illam formæ corruptelam,non poſſe eſſe morbum;aut ſi ſit morbus, abuſiue intelligendos eſſe grauiores ac vehementiores morbos,quibus vita animantis tollitur atque deſtruitur.

Neque puto ego ita erraſſe Fernelium, vt exiſtimarit omninò formam noſtram morbos pati, illorúmque eſſe ſubiectum, quo nihil abſurdius fingi & excogitari poteſt. Sed cum videret in nobis tam atroces ferocéſque morbos generari aliquando, vt ex integrâ vehementiſſimáque temperamenti noſtri ruinâ, ſubitam inferrent internecionem & formæ à corpore diſſolutionem : vt diſtingueret iſtos ſe paratéque à communibus aliis intemperaturis, quæ maximè in primarum qualitatum noxâ ac peruerſione paulatinâ poſitæ ſunt : Ideo hos vocaſſe ſimpliciter morbos intemperamenti : illos verò totius formæ aut ſubſtantiæ, qui mutationes corruptionéſque citiſſimas inferre ſolent. Cúmque in nobis & partibus noſtris triplex ſit temperamentum : illud ſcilicet quod tale dici ſolet, ex qualitatum primarum exceſſu, & prædominio : aliud quod conſequitur modum primæ mixtionis in laxitate, raritate, duritie, mollitie, quod exortum eſt ex variâ primorum corporum miſcellâ, & qualitatum primarum actione : aliud denique quod viuentis appellatur, poſitum in duplici calore, inſito nimirum vnicuique parti, & influente ex præcipuis corporis noſtri fontibus:qui calor non ſimplex nudaue qualitas eſt,ſed poſita in humido quodam primigenio, pingui,aëreo, oleoſo, & maximè temperato. Certum eſt temperamentum hoc viuentis, à quo pendent potiſſimæ actiones ſimilarium, eſſe veluti formale illarum temperamentum,per quod viuunt functionéſque obeunt.

Vt

Vt ſi qui morbi non tam temperiem verbi gratiâ calidam aut frigidam, humidam aut ſiccam partium immutent, quam temperamentum hoc viuentis, calidum ſcilicet innatum cum humido primigenio primariò oppugnent illiſque inhæreant: morbi quodammodo formales & ſubſtantiales dici poſſint: cum Galenus ipſe συνδυασμὸν illam & aggregatum temperamentorum iſtorum formam vocet partium ſimilarium, aliaſque formas aut neglexerit, aut ignorarit. Si hoc voluit & cogitauit Fernelius, quamuis admodum ambiguè & obſcurè, nihil abſurdi aſſeruit, cum, vt poſtea videbimus, multi ſint huiuſmodi morbi ex diametro vitale temperamentum oppugnantes, & non inutiliter illos recenſuit: nihil tamen contra Galenum fecit, aut aliquod genus morbi illi ignotum attulit, cum omnes ſub intemperie collocari poſſint & debeant. Si verò ſecus ſenſit, & morbos aliquos formæ ipſius verè & eſſentialis proprios eſſe putauit, perperam & abſurdè id fecit, vt nos in particulari poſtea exemplorum ſuorum ac rationum confutatione clarius oſtendemus. Nunc verò de morbis materiæ agendum.

Compoſitum ex formâ & materiâ, cum totis ſuis accidentibus iuncta, conſtare certiſſimum eſt: & cum materia prima omni & communiſſimæ formæ ſubſtrata, ſit potius analogia quadam & mentis diſcurſu perceptibilis, quam ex effectis ſuis & propriâ exiſtentiâ: certum eſt etiam morbi aut ſanitatis ſubiectum eſſe non poſſe proximum, quod medicâ conſideratione egeat: cum enim ex ſe actu non ſit, nihil ei poteſt accidere: neque poteſt illa eſſe vllius actionis principium vel cauſa. Adde quod in accidentali mutatione ſubiectum eſt ipſa ſubſtantia perfecta iam & conſummata. Materia vero ſecunda & particularis, ſuis accidentibus comitata, quam conſideraſſe Fernelium ſatis eſt apertum, cum qualitates habeat quaſdam, quæ materiales à Philoſophis & Medicis appellari ſolent, eo quod non ſolam vim & effectionem primarum qualitatum, ſed etiam primorum corporum variam miſcellam conſequuntur: puta laxitatem, denſitatem, duritiem, mollitiem, tenuitatem, craſſitiem & ſimiles: quas nos prius temperamentum illud materiale medicum conſtituere admittebamus: quia habet conſtitutionem quamdam naturalem, quæ adeſſe debet parti, vt ritè & ſecundum naturam diſpoſita dicatur: ideo etiam ex immutatione illius conſtitutionis, penes qualitates iſtas materiales, videntur exoriri morborum plura genera in partium materiâ poſita. Quod primus animaduertiſſe videtur Iacobus Forliuienſis *in ſuo commentario Auicennæ*, qui agens de morbis ſimilarium partium; dubitauit an ſecundæ qualitates, quæ à primis pendent, dum actiones lædunt morbi ſint ſimilarium aut organicarum partium: quandoquidem læuitas & aſperitas ſecundæ qualitates, vt poſtea videbimus, inter morbos organicos referuntur: Fernelius maluit materiæ huic ſecundariæ partibus ſimilaribus ſubſtratæ, ſuiſque qualitatibus comitatæ, ad patiendum magis quam agendum comparatis, morbos iſtos adſcribere. Quam bene id fecerit, nos in particulari morborum iſtorum examine videbimus: Nunc verò aggrediamur ad argumenta, quibus formales iſtos materialeſque morbos communiter aſſerere conatur Fernelius: Sunt autem alia ſumpta à partium conſtitutione, alia ab actionibus quæ in morbi definitione aſſumuntur, alia denique ab effectis & rerum euidentiâ.

Tria ſunt, inquit Fernelius, in vnaquaque parte ſimilari, temperamentum, ſubiecta materia, & forma ſeu ſpecies quibus illa perficitur & integratur: erunt ergo totidem, quorum vitio illius integritas, perfectio ac bona conſtitutio euerteretur: ac proinde tria morborum genera in parte ſimilari. Verum reſpondemus nos, actionum integritatem aut deprauationem, formæ vel materiæ adſcribi non poſſe, ſed manare ex compoſito materiam & formam habente, in quo certa diſpoſitio reperitur actionis bonæ vel malæ proxima cauſa: aliud enim eſt σύνθεσιν, aliud διάθεσιν dicere: σύνθεσις enim eſt compoſitio materiæ, formæ & accidentium omnium, quibus perficitur aliquid & integratur: διάθεσις verò diſpoſitio ea quæ eſt in integrato iſto ad hoc vel illud agendum. Sic in rebus artificialibus, ſecuris verbi gratia ex ferro tanquam materia conſtat, figuramque velut formam quamdam habet quadratam, oblongam, palmarem, &c. At vt per hæc eſt & dicitur ſecuris, ſiue bene ſiue male ſecet, ſic ex his non pendet proximè bona vel mala ſciſſio, ſed à nitore, duritie, acutie, & ſimili apparatu, quo inſtructa bene vel male incidere poteſt. Sic in partibus non materia, non forma earum actiones per ſe & proximè bene vel male edunt. Sed in compoſito ex illis reperitur diſpoſitio, per quam illæ bene aut malè exercentur. σύνθεσις illa ſubſtantiam, eamque compleram reſpicit. διάθεσις verò accidentia & qualitates ſubſtantiæ illi aduenientes, in quibus morbus propriè eſt poſitus, vt docuit metipſe

Fernelius : quamuis enim forma principium ſit actionum & motus naturalis, non tamen bonæ aut malæ actionis proxima eſt cauſa, ſed hoc pendet ex diſpoſitione inſtrumentali, quæ eſt in ſimilari temperamentum, in organicâ compoſitio, in vtriſque vnio.

Verùm vrget ille, ab actionum in vnâ eadémque parte, variâ læſione. Ventriculus, inquit v. gr. vt pars ſimilaris ſæpe imbecillitate laborans nihil concoquit, vnde cruditas & lienteria conſequuntur : hanc verò imbecillitatem contrahit variis modis. Nam vel aliquando immodicè refrigeratus per nimios aquæ potus, lactucarum & ſimilium refrigerantium vſus, vires eius deiiciuntur : aliquando relaxatus debilitatur, vt olei tepentis hauſtu, reliquiſque chalaſticis aſſumptis : aliquando verò hæc affectio introducitur ab extraneis venenatiſque qualitatibus, quibus laceſſitus pereellitur & formæ ſuæ robur amittit : vnde patet tres has noxas temperamenti, materiæ, & formæ diſtinctas, ſimilaribus ineſſe poſſe. Neque hoc ſolum ex læſione actionum in partibus colligere eſt, ſed etiam ex parte agentium, vt medicamentorum viribus & effectis, quorum hi materiam, alij temperamentum, quidam formam ipſam magis reſpiciunt ; ac congeneres in nobis affectus ingenerant : temperamenti enim vires & actionem in nobis nemo negat : materiæ autem & formæ paſſim adſtruit Galenus, cum adſtringentia vult ſemper permiſceri inunctionibus hepatis, ventriculi & cæterarum partium, quarum naturale robur eſt conſeruandum : & duras frictiones artus corroborare tradit, quod illorum materiam compactiorem firmiorémque reddant. Actionem autem formalem ſeu à formæ vi pendentem agnoſcit, dum vult quædam occultâ proprietate, roborare, alterare, purgare, cæteráſque huiuſmodi actiones in nobis exercere. Vnde licet colligere, tot eſſe genera morborum in partibus ſimilaribus, quot in eis euidenter eſſe apparent ex diuerſarum rerum affectionibus.

Hæ Fernelianæ obiectiones quamuis veriſimilitudinem quamdam habere videantur, longè tamen à veritate ipsâ abſunt. Primò enim in ſuo illo ventriculi exemplo peccat, cuius coctio, chylificatio dicta, non eſt purè ſimilaris, ſed vt à temperamento inchoatur, ſic etiam ope ipſius conformationis perficitur : non enim tantùm alterare debet ventriculus ea quæ aſſumuntur, ſed etiam complecti ac continere illa. Nunc alteratio ſiue aſſimilatio illa vt fit vi ipſius temperamenti, ſic retentio & complexus pendet à recta organi diſpoſitione quæ id præſtare debet : Sic igitur temperies ventriculi deiecta & debilitata vſu refrigerantium, verus eſt ſimilaris eius partis morbus, quo propria conſtitutio violatur : relaxatio verò, quæ impedit ne ventriculus ſeipſum colligere ac coarctare poſſit ad continendos cibos, cauſa eſt morbifica organi diſpoſitionem reſpiciens : quæ ſi intemperiem non conſequatur verbi gratia humidiorem, nullo modo ſpectabit ad ventriculum, quatenus eſt pars ſimilaris, ſed quatenus organica : neque tunc propria eius nutritio violabitur, niſi per accidens, fruſtratis ſcilicet omnibus partibus eâ alimoniâ quâ ſuſtentari ſolent. Porro vt in ventriculo temperies illa adeſt manifeſta ex qualitatis primariæ exceſſu : quo ventriculus temperamento frigidior cuti comparatus dicitur, quemadmodum reliquæ partes ſpermaticæ : ſic etiam in illo eſt temperamentum illud quod viuentis appellabamus, cuius ope functiones præcipuè ſuas exercet. Illius itaque ſi fuerit corruptio aut deprauatio à rebus venenatis, deleteriis, certum eſt etiam ventriculum noxam paſſurum in ſuis functionibus, quæ ad temperamenti iacturam referri poterit, ſi propriè loquamur. Quod verò ait de medicamentis, non magis firma ſunt. Quamuis enim Galenus & materiales & formales quaſdam vires admittere videatur in illis, hæ tamen nihil ſine primarum vi præſtare poſſunt, aut ſeipſas propagare. Verbi gratia adſtringentia, non quatenus adſtringentia, cogunt denſantque corporis noſtri partes, ſed quatenus frigida & ſicca : non laxa, quatenus talia, relaxant, ſed quatenus calidita-te moderatâ ſunt prædita : Vnde ex qualitatum illarum numero quæ in medicamentis reperiuntur, non eſt idem vel nouus morborum numerus afferendus : cum aut illæ ex primis procedant, & per primas ſeſe extendant ac multiplicent, ſicque eiuſmodi morbi ad intemperies ſemper referentur, quarum effectus & ſymptomata erunt adſtrictio illa, laxitas, mollities, duities, & ſimilia : aut certè eiuſmodi diſpoſitiones inter organicos morbos erunt reponendæ, ſi organorum conſtitutionem lædant. Idem dicere licet de duris illis frictionibus, quæ non ſuâ duritie, quatenus duræ, artus corroborant, ſed dum per inſenſiles poros excremẽta & humiditates, quæ intermedia particularum ſpatia occupabant, diſcutiendo exſiccant. Quod autẽ ad vim illam occultam

cultam & proprietatem ſubſtantiæ attinet, quâ vult Galenus cum Fernelio, multa in nos agere: certum eſt nullam ſubſtantiam corpoream niſi laceret, contundat, vulneret, & ſimilia efficiat, poſſe realem & permanentem corpori alieno paſſionem imprimere, niſi vi & operâ primarum qualitatum. Quod igitur à Galeno formaliter aut totâ ſubſtantiâ in nos agere dicitur, id medicè dicitur, quod non propter copiam, ſed propter eximiam vim, actionem illam in nobis exercet: Sic inquinamenta aëris peſtilentia, ſic medicamenta ſeptica dicuntur totâ ſubſtantiâ in nos agere, quamuis calefaciendo, putrefaciendo, erodendo violenter nos offendant. In eis quæ iuuant par eſt ratio. Si enim hoc efficiant ſummâ vi, magis quam ratione copiæ & multitudinis, totâ ſubſtantiâ agere dicuntur Galeno, & veræ antidoti appellantur. Quæ vis poſita eſt in totâ temperie compoſiti alicuius, quæ non in eodem gradu aut temperatione alibi reperiri poteſt, & proinde occulta appellatur. Non igitur aut variæ affectiones partium, aut læſiones actionum, aut diuerſæ facultates medicamentorum oſtendunt tria eſſe genera morborum in partibus ſimilaribus, quod nitebatur conficere Fernelius. Nunc particulares morbos ab eo recenſitos excutiamus.

Vt oſtendat qualitates illas materiales, laxitatem, denſitatem, duritiem, molliciem, craſſitiem, tenuitatem non pendere ab ipsâ temperie aut effectis primarum qualitatum, ſed ex modo tantùm mixtionis corporum elementatorum: ac proinde diſtinctos ab intemperie morbos generare: Adfert exemplum multarum partium, quæ quamuis qualitatibus primis eodem modo intemperatæ videantur: diſcrepant tamen multum in his materialibus: aut contrà conueniunt in his materialibus, diſcrepant in actiuis: nam pulmones & glandulæ laxæ, molleſque partes ſunt, quamuis hæ frigidiores, illi calidiores: cor & renes denſa duraque ſunt: cum tamen cor calidum, renes frigidi habeantur: cor & pulmones ſunt calida ſiccaque, hi molles & laxi, illud durum & denſum: cerebrum & os frigida ſunt, hoc tamen durum, illud molle: quod non fieret ſi iſtæ qualitates à primis penderent, ſed quæcunque partes eiſdem eſſent præditæ primis qualitatibus, eaſdem etiam iſtas obtinerent. Deinde quî fit, addit Fernelius, vt multis intemperatis aut temperatis pari modo, vni horum vel duobus ventriculus neque acetum, neque ſinapi, piper aut alia huiuſmodi ferre poſſit: alius verò facillimè ferat? quî fit vt certis quidam odoribus delectentur, quos alij ſine offenſione ſentire nequeunt? Hoc certè non ad temperiem referri poteſt, cum eos iam ſimiliter intemperatos, verbi gratia bilioſos aut melancholicos ſuppoſuerimus: quare ad materiæ ipſius conditionem erit reuocandum: cum ipſemet Galenus *lib. artis parvæ*, voluerit tenuitatem ſubſtantiæ cerebri maximè ad ſubtilitatem ingenij facere: craſſitiem contra hebetes & ſtupidos reddere. An non multi bene temperati labores ferre non poſſunt & externis iniuriis valde vexantur: contra multi intemperati labores ferre non poſſunt & externis iniuriis valde vexantur: contrà multi intemperati ſine moleſtia quoſcunque labores ſubeunt, & iniurias aëris vix perſentiſcunt? Non itaque illud ad temperamentum referri debet, ſed potius ad corporis molliciem & raritatem, quæ in illis eſt: in his ad duritiem & denſitatem ſuarum partium, exterioris potiſſimum habitus. Docet Galenus *lib. 11. meth. cap. 3.* vires conſeruari, ſi ſpirituum, humorum, partium carnoſarum, & ſolidarum non ſolum qualitas bona & laudabilis, ſed etiam iuſta ac mediocris quantitas conſeruetur: Vnde ſatis innuit qualitatem ad temperiem, quantitatem ad materiam referri, cuius moderantiâ & immoderantiâ ad ſtatum naturalem aut morboſum facit. Nonne multis aut ab ortu, aut per morbos contingit articulos habere laxiſſimos, & veluti fluxiles, vt de Scytharum gente narrat Hippocrates? aliis habere eos ita intentos & rigidos cum ipſis muſculis, vt vix dimoueri loco poſſint. Vidit Ruellius militem, qui ex morbo tantam in oſſibus molliciem ac flexibilitatem contraxerat, vt pene cerea viderentur. An non morbis iſtis medemur adſtringentibus, relaxantibus, indurantibus, emollientibus, & ſimilibus: quemadmodum intemperiebus, calidorum, frigidorum, humidorum & ſiccorum vſu? Ex his omnibus colligit Fernelius materiæ immoderantiam, non minus quam temperiei, morbos diſtinctos in ſimilaribus partibus parere poſſe ſecundum eius molliciem, duritiem laxitatem, adſtrictionem: tenuitatem, craſſitiem: raritatem ac denſitatem præter naturam excedentes.

Nos vt illi ſatisfaciamus, dicimus affectiones iſtas materiæ, aut non eſſe morbos ſimilarium partium, ſed organicarum: aut cauſas eſſe quaſdam morbificas, aut ſymptomata morborum, qui in intemperie poſiti ſunt. Nam vt à molli & duro in-

cipiamus : certum eſt hos affectus eſſe ſymptomata tactilium qualitatum, non morbos, quæ pendent à morbis intemperiei. Sic mollities eſt humiditatis nimiæ effectus, vel aliunde in partes influentis, vel propriæ, quæ cauſarum externarum vi ſupra alios dominatur. Non igitur mollities illa morbus, ſed ad morbum, intemperiem ſcilicet humidam ſequitur, quæ proxima eſt actionum læſarum cauſa. Non in œdemate verbi gratia mollities morbus eſt, ſed ab intemperie illâ fit & humoris affluxu, qui partes laxas, molles, & tumidas reddit. Sic durities ad varias intemperies ſequi ſolet : durum enim, vt docet Galenus 5. *de ſimpl. medicam. fac. cap.* 4. ob ſiccitatem, concretionem & repletionem fit. Quæ prouenit à ſiccitate, intemperiei illius ſiccæ eſt ſymptoma : quæ à concretione, frigidam congelantem & condenſantem ſequitur : quæ à repletione & diſtentione fit (quod propriè renitens appellatur *σκίρρωσις*) ſequitur etiam copiam humoris, aut eius eſſentiam ingreditur : aut flatus implentis, & partis magnitudinem vitiantis.

Laxitas verò & adſtrictio partis tam manifeſtè ad morbos organicos, qui in connexu partium, vel viarum & meatuum conniuentiâ aut recluſione poſiti ſunt, referuntur, vt mirum ſit ipſum Fernelium, qui hos morbos organicos eſſe cum Galeno ſequentibus capitibus aſſeruit, id non animaduertiſſe. Idem dicas de raritate & denſitate : quæ ſpectant potiſſimum meatus illos & poros inſenſiles cutis, per quos fit diffiatio excrementorum fuliginoſorum : hi enim in cute, tanquam parte organicâ, non tanquam ſimilari ſpectantur, & ad obſtructionis aut adſtrictionis morbos referuntur. Denique craſſities & tenuitas, vel morboſæ non ſunt affectiones, ſed naturales pendentes ex temperie, & primarum qualitatum effectione : vel certè ad morbos auctæ vel imminutæ magnitudinis, organicos nimirum referendi, cum ipſis partibus ſimilaribus, quatenus tales ſunt, aut earum actionibus non noceant.

Quod igitur efficere conatur, qualitates iſtas materiæ modum, non qualitatum primarum effectus ſequi, ex variâ temperie partium, quæ in his tamen conſentiunt, & contrà : nihil vrget ; cum ſciamus nuſquam eſſe partes duas, quæ ſint eiuſdem temperamenti exactè ſecundum gradum, vt in exemplis ab eo adductis patet : vnde fieri poteſt, vt duæ calidæ, vna mollis, altera dura ſit : quia illa calorem habens moderatum cum humiditate, ſubſiſtere poteſt : hæc habens intenſiorem, dura ſit propter ſiccitatem quæ introducitur. Præterea cum in ſingulis elementis duæ inſint diuerſæ qualitates, hinc etiam diuerſi effectus oriri poſſunt : cerebrum verbi gratia molle ab aquæ dominio, os durum à terræ exceſſu ; & tamen vtraque frigida, quia in vtroque elemento adeſt frigiditas ; in altero verò humiditas, in alio ſiccitas : vt hinc minimè inferre poſſit Fernelius qualitates iſtas à primis non pendere, ſed à ſolâ ſubſtantiarum & corporum mixtione : & proinde diſtinctos ab eis morbos inferre.

Quod verò obiicit quorumdam ventriculum non ferre poſſe acetum, piper aut ſimilia, & multos ſimiliter intemperatos, alios his cibis aut odoribus offendi, alios verò etiam lætari : maiore indiget diſceptatione : quod Galenus reuocauit ad *ἰδιοσυγκρασίας*, particulares ſcilicet diſpoſitiones, non totius ſpeciei, ſed paucorum indiuiduorum in illâ : quibus accidit vt ab hoc verbi gratia acri, amaro, aut ſalſo abhorreant, non ab omnibus huiuſmodi, vt hunc verbi gratia odorem roſæ refugiant, alios lubenter admittant. At ſi hoc ex materiæ laxitate, denſitate, tenuitate, penderet, omnibus æqualiter afficerentur cibis vel odoribus ſub eodem genere contentis. Quod cum non fiat, illud potius eſt referendum ad certum temperamenti gradum cum ſuâ materiâ iunctum, qui occultè huic vel illi rei propter illum gradum repugnat, quàm ad manifeſtam illam materiæ conditionem. Quod dicunt de ſubtilitate ingenij, quam retulit Galenus ad tenuitatem ſubſtantiæ cerebri, nihil contra nos facit : diſtinguendæ enim hîc ſunt actiones purè ſimilares aut organicæ à mixtis : cum enim ingenij & cogitationum celeritas organica magis quam ſimilaris actio ſit, certiſſimum eſt non ſolùm temperiem cerebri & ſpirituum ad eam conferre, ſed etiam eorumdem debitam conformationem in tenuitate, craſſitie, figurâ & ſimilibus. Item laborum tolerantia non ad ſolam temperiem, ſed ad conformationem ipſam partium referenda, atque etiam potiſſimùm ad conſuetudinem, vt eſt *eleganti illo Aphoriſmo* 49. *ſect.* 2. *Qui aſſueuerunt*, inquit Hippocrates, *labores aliquos ferre, quamuis inualidi ſint & ſenes, facilius ferunt, quam qui non ſunt aſſueti, quamuis robuſti & iuuenes.* Quod ad quantitatem ſpirituum, humorum, partium ſolidarum, quam vult Galenus iuſtam ſeruari cum debitâ qualitate, nihil facit ad ſuos morbos materiæ : quia hæc contenta ſeu cauſas morborum reſpiciunt :

aut

aut inter cauſas morbificas potius ex ipſius doctrinâ ſunt referanda, qui morbos non aut inter cauſas morbificas potius ex ipſius doctrinâ ſunt referenda, qui morbos non in contentis, ſed in continentibus requirit. Laxitas autem illa aut rigiditas articulorum, mollities oſſium tam manifeſtè referuntur ad intemperiei exceſſum, vt ſine eo fieri non poſſe cuiuis ſit manifeſtum: atque iſta omnia ſunt potius apparatus quidam in partibus ſimilaribus ad organicarum conſtitutionem, quam propriæ earum conſtitutiones, cum nihil ad ſuas actiones ſimilares obeundas conferant. Denique relaxantibus quidem, adſtringentibus, indurantibus, mollientibus, & ſimilibus medemur contrariis affectionibus. Sed hæc omnia quamuis ita appellentur ex vltimo effectu qui poſt illorum actionem inducitur, certiſſimum tamen eſt ea omnia non niſi primarum qualitatum, quæ effectiuæ propriè exiſtunt, operâ exerceri poſſe. Quis enim dixerit ſpongiam verbi gratia laxam, aut lapidem denſum corpori appoſita laxitatem aut adſtrictionem generare, vt iam ſupra à nobis eſt probatum? Ex quibus omnibus certum eſt; vt nulli ſunt morbi iſti materiæ, ſic nihil promouere rationes à Fernelio pro illis adductas. Nunc operæ pretium eſt, vt morbos formæ ab eo inuectos peculiariter excutiamus: quoniam à pluribus ſunt recepti, qui materiæ morbos noluerunt admittere, vt ab Argenterio.

Diuidebantur ab eo in manifeſtos & occultos. Inter manifeſtos alij cum putredine, alij ſine putredine, corrumpunt, diſſoluunt, extinguunt calorem noſtrum innatum. Inquirendum igitur an affectus iſti minime referri poſſint ad vulgares & Galenicos morbos, ſed alterius ſint naturæ & generis. Manifeſti illi cum putredine ſunt, vt vlcera maligna, & putrilagines partium ipſarum, quæ per ſphacelos & gangrænas contingunt, aut minores etiam corruptelas, ex manifeſtarum qualitatum intemperie ſenſim procedentes, vt per febres putridas, ſcabiem, pruritum, & ſimiles: in quibus vult Fernelius coniunctum eſſe morbum totius ſubſtantiæ, cum morbo intemperamenti. Sed quam bene id aſſerat, nobis eſt examinandum. Nam certum eſt putredinem eſſe affectionem non formæ, ſed mixti quoad mixtum eſt, & tunc maximè putredinem induci, quando temperamentum non leuiter, ſed inſigniter violatur, qualitatibus paſſiuis ſupra actiuas dominantibus. Hæc igitur putredo vel eſt in termino, & tunc eſt φθορὰ corruptela mixti, non morbus: vel eſt in via, & tunc manifeſtè intemperies eſt calida humidaque ex contractione alieni caloris cum ſuperante humiditate. Hæc eſt vel in humoribus & ſpiritibus, & tunc morbi cauſa exiſtit, non morbus; vel in ſolidis partibus contracta, & tunc non video, cur Fernelio potius ſubſtantiæ, quam intemperamenti morbus dicatur. Nam quod ait ideo eſſe ſubſtantiæ morbum, quia tandem totam ſubſtantiam corrumpit: & quia in curatione non eſt eadem ratio, atque in morbis intemperamenti: hîc enim indicatio eſt tollere id quod putrefactum eſt, in intemperiebus verò alterare. Nihil vrget; ſic enim quiuis morbus, qui ad necem hominis deſinit, diceretur morbus formæ, vt vulnus enſe inflictum, lapis in renibus obſtruens, & cætera huiuſmodi. Quòd verò ad curationem attinet, dicimus ea quæ ad naturalem ſtatum reſtitui non poſſunt, indicare integram ſui ſublationem: ſic ea quæ ita ſunt putrefacta, & intemperata, vt alterantibus corrigi non valeant, ſuadet Galenus, vt amputentur, ſecludantur, & à partibus ſanis ſeparentur: quæ verò corrigi poſſunt, alterentur, & contrariis ad temperiem denuò reducantur: cum tamen vtraque & putrefacta, & quæ putrefiunt ex intemperie ſecundum magis & minus laborent, neque aliam morborum ſpeciem conſtituant: putredo enim facta aut fiens, ſine intemperie, ne imaginabilis quidem exiſtit.

Videamus nunc, an morbi illi manifeſti ſine putredine à Fernelio adducti, ſint formæ totiuſque ſubſtantiæ morbi. *Quando*, inquit, *vel diſſoluitur, vel extinguitur ſpiritus, & calor noſter innatus, tunc morbus ſubſtantiæ inducitur: per inediæ enim, laboret, vigiliæ, dolorum atrocitatem reſoluitur, per ſtrangulatum & penetrabilia frigora ſuffocatur.* Vix poſſis hic percipere, quid ſibi velit Fernelius; nam extinctio, ſuffocatio, imminutio caloris natiui & ſpirituum tam manifeſtè ad intemperiem reducitur, vt nihil clarius eſſe poſſit. Siue enim influentem calorem, ſiue inſitum conſideres, qui ſubſtantiam partium ingreditur, vt calor ille poſitus eſt in certo ſubiecto, ſpiritu ſcilicet & humore: ſic etiam modo extinguitur, minuiturve ex contrariæ qualitatis violentiâ illum expugnantis: modo ad diſſipationem illius ſubſtantiæ cui inhæret, reſoluitur etiam & minuitur. At quomodocumque ſit ex parte caloris, ſemper illius extinctio & imminutio eſt contrariæ qualitatis introductio, nempe frigiditatis: ex parte ipſius ſubſtantiæ quæ diſſipatur, certum eſt non ipſam ſubſtantiam quæ receſſit,

ceſſit, non quæ remanſit, morbum eſſe: morbus enim accidens eſt, non ſubſtantia. Supereſt igitur vt illud vitium ad cauſam morbificam referatur, vel ſit organicum in quanticate imminutâ partium poſitum, non morbum aliquem ſubſtantiæ.

Superſunt occulti illi, quos diuidit in venenatos, contagioſos, & peſtilentes: qui quoniam ex cauſis abditioribus, nec ita vulgatis originem trahunt, ideo dicuntur à Fernelio morbi abditi formæ vel totius ſubſtantiæ. In quibus hoc primum animaduertendum, diuiſionis huius leges non eſſe bonas, cum membrum huius diuiſionis ſub ſe plura contineat, quam diuiſum, & vnum in altero continetur & coincidit. Nam contagioſum plura complectitur: cum hæc differentia communis ſit etiam morbis ſuis formæ manifeſtis & pluribus morbis intemperamenti, atque etiam venenato & peſtilenti. Dicimus igitur nos morbos iſtos conſiderari poſſe vel cum ſuâ causâ, vel ſeorſim: ſic enim inquinamenta illa peſtilentia, quæ tum ab aëris propriâ putredine, vel vaporum aliunde allatorum permiſtione, vel denique prauorum eduliorum vſu contrahuntur, & in nos illabuntur: ſic vapores illi putrilaginoſi, qui per effluuia ab hoc corpore in aliud contagionem inferunt: ſic denique venena vel aſſumpta, vel intus genita ex ſummâ corruptione humorum aut partium quæ ad venenorum naturam accedit: cauſæ ſunt morborum, non morbi. Ac proinde quamuis totâ ſuâ ſubſtantiâ agere dicantur, & remediis totâ ſubſtantiâ contrariis oppugnari: non tamen idcirco ſequitur morbos totius ſubſtantiæ ingenerare, ſed vel magnas intemperies, citam & violentam mortem inferentes ex vi illâ, & celeritate agendi quâ prædiræ ſunt: vel morbos organicos, obſtructiones potiſſimum, tumores præter naturam & ſimiles; vel ſolutiones continui dolorificas, exulcerationes, ruptiones, apertiones vaſorum, quibus maximè & violentiſſimè corpus noſtrum infeſtatur: vt illis ſatis patebit, qui & cauſarum iſtarum naturam, & morborum ex his genitorum, ac ſymptomatum conſequentium conſtitutiones accuratius fuerit contemplatus, in peſtilentiis, lue venereâ, elephantiaſi, corporibus veneno ſublatis: in quibus procul dubio reperiet morbos illos intemperamenti, ſolutiones continui, malas diſpoſitiones organicas, & ſymptomata conſueta quamuis ſæuiora: non ſecus quam in aliis aliarum cauſarum violentiâ vel peremptis, vel tentatis tantum. Quod ſi quædam remedia adhibeantur his morbis, quæ totius ſubſtantiæ ἰνεργέια agere dicuntur, vt antidoti, alexiteria, alexipharmaca, ea potiſſimum cauſam morbificam reſpiciunt, cui reſiſtere interius, aut eam tollere debent & extra corpus propellere: vel certè agunt ex proprietate quadam, quæ ſequitur certi cuiuſdam & proprij temperamenti vim, quam Medici totam ſubſtantiam appellant.

Concludamus igitur, nullos eſſe peculiares ſimilarium partium morbos, qui earum materiam conſequantur: quoniam omnes illæ affectiones à Fernelio recenſitæ, vel ſunt ſecundæ qualitates à primis profectæ, vel ad morbos organicos potius quam ſimilares relegandæ, aut ſunt ſymptomata aliorum morborum. Nullos etiam eſſe morbos formæ aut totius ſubſtantiæ, niſi eo modo intelligantur, quo à nobis ſupra explicatum eſt, nempe intemperies aliquas vehementiores, & à certo proinde occulto mixtionis gradu proficiſcentes, propter quem caloris noſtri natiui ſeu viuentium proprij robur potenter oppugnant, & demoliuntur. Quod neque Galenus, neque alij eius dogmata ſequentes vmquam negarunt. Atque hæc de morbis materiæ & formæ.

CAPVT X.

De organici morbi ſpeciebus & differentiis.

A Similaribus morbis ad organicos tranſeundum eſt: velut à ſimplicioribus & primis particulis, quibus illi inhærent, ad eas, quæ ex illis fiunt & componuntur. Certum enim eſt partes ſimilares eſſe veluti ſubſtratam materiam organicarum, ſiue ex vnâ, ſiue ex pluribus illarum conſtent: prout organicæ iſtæ partes ſunt primi, ſecundi, vel alterius ordinis, quo magis ad totius corporis ſtructuram accedunt. Quemadmodum igitur in arte factis v.gr. domo, quæ ex varijs rebus, vt lapidibus, ligni, cemento,

mento, & aliis conflatur; primum ſupponere oportet idoneam materiam: deinde iſtorum omnium rectam conformationem, partium debitam magnitudinem, numerum & ſitum ſeu connexum, vt domus perfecta, & ad commodè habitandum idonea conſtruatur: Sic in corpore noſtro, quamuis ſimilares partes vt quantæ ſuos terminos, figuram quamdam, magnitudinem & poſitum obtineant: quia tamen iſta non faciunt ad actiones illarum propriè obeundas: ideo iſta ad organicarum conſtitutionem referuntur, quæ ita ſunt conſtructæ in nobis, vt certæ & determinatæ cuidam actioni ſint idoneæ: verbi gratia viſioni oculi, ambulationi pedes & ſimilia.

Ex quibus ſequitur, quot ſunt conſtitutiones ſecundum naturam in partibus inſtrumentariis neceſſariæ, vt functiones ſuas exerceant, totidem etiam eſſe diſpoſitiones præter naturam illis oppoſitas, quæ illarum functioni noxam inferre valent. Quatuor igitur ſunt primæ ſpecies morborum organicorum, nempe conformationis, magnitudinis, numeri, & ſitus, quorum rurſus differentiæ minutatim inquirendæ & exemplis aliquot illuſtrandæ.

Conformatio itaque partium diſſimilarium in ſingulis propria, & ab aliis diuerſa ſpectat tum terminos quoſdam externæ ſuperficiei, & in illis conuenientem figuram, tum cauitates & meatus, quibus aliquando eiuſmodi partes præditæ ſunt: nec non in eiuſmodi ſuperficie, meatu, & cauitate, aſperitatem vel læuitatem, per quas planæ & æquales, vel rugoſæ & inæquales aliquando dicantur: ita vt conformationis morbus triplex ſit, figuræ, cauitatis ſiue meatus, aſperitatis & læuitatis.

Figura porrò in partibus tam internis quam externis tot patitur differentias, quot diuerſa figurarum vitia, quæ huic vel illi parti hoc modo naturaliter figuratæ, & à debito ſtatu recedenti accidere poſſunt: membrum enim quod verbi gratia oblongum, rotundum, curuum, rectum, conuexum, aut concauum eſſe debet, reliquas omnes figuras, velut morbificas diſpoſitiones agnoſcit, quarum aliæ propriis nominibus apud authores noſtros ſunt donatæ, aliæ verò minimè. Verbi gratia Hippocrates *lib. de aëre, locis & aquis* meminit *μακροκεφάλων* quorumdam populorum, quorum capita admodum fuerunt oblonga, & *lib. de vulner. capitis*, vt & Galenus *lib. 9. de vſu partium* vitioſas capitis figuras ex futurarum potiſſimùm peruerſione recenſet, & *φοξότητας* appellat: figuræ deprauationes in vultu elephanticorum apparent, quæ ex immutatâ omni particularum proportione, & naturali ferinam & truculentam illam faciem repræſentant, vt narium ſimitate, oculorum exacta rotunditate, ſuperciliorum tuberoſitate, frontis ariditate, auricularum peruerſione & ſimilibus. Item in morituris vi morborum acutorum vultus ille apparet, qui vulgo Hippocraticus appellatur. Vt etiam Galenus *lib. 6. epidem. ſect. 3.* ad contextum Hippocratis deſcribit naturas ad tabem propenſas ſecundum figuræ vitia, vtpote quibus exilia crura, collum oblongum, pectus anguſtum, ſcapulæ alarum inſtar eleuatæ. Denique Planci, Pernæ, Vacij, Vari, Claudi, & ſimiles nomina ſunt figurarum deprauatarum in cruribus: In ſpina inſignes ſunt *λόρδωσις, κύφωσις, σκολίωσις, σῖσις*. Galenus lib. artis paruæ meminit alicuius, qui exactè rotundum habuit ventriculum, cum oblongus naturaliter eſſe debeat: vt exempla & nomina multa eſſe poſſunt in aliis partibus, prout figura in illis variè immutatur. Atque hæc de figurâ, quæ prima eſt conformationis ſpecies.

Cauitas verò in quâ morborum organicorum natura ſecundum conformationem ſpectatur, duo reſpicit, vias ſcilicet ſiue meatus, & conceptacula, ſinus ſeu ventriculos partium inſtrumentalium. Viæ ſunt & meatus tam ſenſiles quam inſenſiles, per quos materia aliqua pertranſit ad aliquem locum, vt œſophagus, arteria aſpera, vteri ceruix, viæ vrinariæ, venæ, arteriæ, nerui, cutis ſpiracula ſeu pori, in quibus orificia ſeu oſcula varia ſpectamus, quatenus vel admittunt vel emittunt aliquid. Ventriculi ſeu receptacula ſunt cauitates eæ ampliores, quæ materiam aliquam recipiunt & continent, vt, vterus, veſica, ventriculus, ſinus cordis, cerebri, & quæcunque interſtitia notabiliora partibus inſunt *κοιλίας* nomine deſignata ab Hippocrate. In his morbis cauitatum, meatuum, conceptaculorum, orificiorum, ſinuum valde oportet eſſe attentum Medicum, cum potiſſima morborum pars aut in iis vitiis ſit poſita, aut certè cum his coniuncta & complicata. Vult autem Galenus iſtos oriri ab exceſſu vel defectu tam multitudinis quam magnitudinis; illiuſque tres præcipuas differentias conſtituit *lib. de cauſis cap. 7.* nempe adſtrictionem, obſtructionem & dilatationem. Adſtrictio, quam

ille modo στύψιν, modò πυκνότητα appellat, fit aliquando ex coalitu, vt à defectu multitudinis, quando aliquis meatus vel cauitas, quæ in corpore noſtro adeſſe debet naturaliter, eſt contracta prorſus, & occluſa, vt ſæpe contingit podici, vuluæ, potiſſimùm puerulis quibus ars ſuccurrere ſolet & quaſi de nouo meatum debitum ſcalpello parare: à defectu autem magnitudinis, quando idem meatus non ex toto eſt occluſus, ſed ex maiori ſuâ parte: adeſt enim tunc idem numerus meatuum, qui antea, ſed vnus ex illis eſt redditus anguſtior. Aliquando parietes & tunicæ iſtorum conceptaculorum concidunt per ſe & conniuent, vt fit in ſummis infirmitatibus, & deploratâ partium eneruatione: vel etiam dum ſeipſas colligunt ad rei alicuius nòxiæ expulſionem, vt fit in inſultu epileptico ventriculorum cerebri. Aliquando coarctantur ex diſtentione aut compreſſione rerum vel externarum, vt iniecto faucibus vinculo; aut internarum, ſed extra meatum poſitarum, vt quando infans in vtero comprimit ita parentis anum, vt vix deiicere poſſit: anginæ inflammatio œſophagum coarctat & deglutitionem impedit. Atque hæc omnia ad adſtrictionem referuntur.

Obſtructio verò quæ ἔμφραξις dicitur, ſemper ex humoris alicuius ſaburrâ, aut materiali ductuum illorum infarctu naſcitur, ſiue res illæ qualitate ſuâ lentâ, craſsâ, viſcidâ, tenaci opplere apta nata ſint: ſeu quantitate nimiâ vias præcludere poſſint. Nihil eſt frequentiùs in Medicinâ, quam infarctus, obſtructiones, oppilationes viſcerum, & ductuum illorum accuſare, per quos communes quædam materiæ tam vtiles quam inutiles ferri & diſtribui ſolent. Frequens eſt & aſſuetus venarum meſaraicarum infarctus à craſsâ & viſcidâ pituitâ, quæ ἀπέψιαν primæ ſecundæque coctionis impedit. Frequens etiam renum & veſicæ obſtructio ex calculis, ſabulo, muco, grumis ſanguinis, carunculis, & ſimilibus. In inteſtinis ſtercoris aliquando induratio, lumbricorum ingens multitudo tantam obſtructionem pariunt, vt ileon & horrendas illas voluuli affectiones inducant. Sic enim obſtructio materiam ſemper aliquam opplentem interius agnoſcit: adſtrictio autem ſine eiuſmodi interiore & inteſtinâ materiâ meatui aut cauitati contingere poteſt, vt iam eſt dictum: quamuis Galenus ſæpe his duobus nominibus στενώσεως & ἐμφράξεως abuti videatur.

Obſtructioni itaque & adſtrictioni, contraria eſt dilatatio & amplitudo meatuum aut cauitatum nimia, ab exceſſu potiſſimum magnitudinis: hæc contingit vel in ipſo orificio, vel in ipſo tractu meatus aut cauitatis: ſic vaſculorum reſeratio διαστόμωσις Galeno dicitur: in pupillâ dilatatio mydriaſis appellatur; vuluæ interiori & quâ orificium habet ingens ſæpe contingere ſolet præter naturam amplitudo ex laborioſo partu: ſcrotum & inteſtina aliquando valde ex flatuum vi & copiâ dilatantur, vt & aliæ partes quæ eiuſmodi ſinubus ſunt præditæ. Atque hæc de cauitatis morbis, quæ eſt ſecunda vitiatæ conformationis ſpecies. Tertia verò eſt ipſa partium in ſuis illis cauitatibus & ductibus vitiata ſuperficies: cum enim illi ductus & conceptacula ita ſint à naturâ comparata, vt materia quædam debeat per illa leuiter ferri, aut in illis diutius ſubſiſtere: ideo in his interiorem illam ſuperficiem inæqualem, rugoſam, aſperam fabricata eſt: in illis æqualem, læuem & planam. Vnde his conſtitutionibus præter naturam immutatis duo exoriuntur morborum genera, quæ à Galeno læuitatis & aſperitatis appellantur. Vlcera matricis verbi gratia maiora ſterilitatem inducunt contractâ cicatrice æquali, quâ reddita plani & læuiores vteri genituram aut fœtum continere non poſſunt. In ventriculo & inteſtinis naſcitur morbus ſatis familiaris lienteria dictus, per quem continuâ & æquabili redditâ eorum ſuperficie, cibi inconcocti elabuntur, ſiue ex inductis cicatricibus, vt poſt ſæuiorem dyſenteriam id fiat; ſiue ex humore glutinoſo, internæ toti tunicæ obducto. Contra aſperitas contingit oſſibus, ſi minutius confringantur, vel carie tententur: aſperæ arteriæ & faucibus, ſi interior eorum tunica quæ plana eſſe debet, ob catarrhi in eas prolapſum, aut vlceris vehementiam inæqualitatem contraxerit. Suum etiam eſt oculo τράχωμα, quando interior palpebræ pars aſperior rugoſiorque reddita, dolorem grauitatemque inducit. Atque hæc eſt prima organici morbi ſpecies, nempe conformatio præter naturam, quæ ſub ſe figuræ, cauitatis, & ſuperficiei vitia complectitur, iam ad alias accedamus.

Magnitudinis igitur & numeri affectus ſequuntur, in quantitate illi continuâ, hi verò diſcretâ. Magnitudo augetur vel minuitur in toto vel in parte,

by Google

te, tam ab externis quam internis cauſis: linguam tantum excreuiſſe vidimus aliquando, vt in nullam oris partem poſſet ſeſe deflectere: ita quandoque minuitur, vt vix palati extrema attingat. In glandibus ſtrumæ, in pene priapiſmus, in mammis vtriculatio, in cruribus elephas, in oculo encanthis auctæ magnitudinis vitia communiter annotantur. Qui caſtra ſequuntur magnas partium mutilationes ſecantibus aut diuellentibus factas conſpiciunt. Nicomacho Smyrnæo, & Dionyſio Heracleotæ Tyranno totum corpus in tantam excreuerat molem, vt ille ex Galeno 14. *meth. cap.* 15. neque incedere poſſet ſine moleſtiâ, nec ſedem propter ventris extenſionem contingere, nec liberè reſpirare: alter perpetuâ hirudinum per totum corpus applicatione periculum ſuffocationis auertebat, neque in publicum prodire audebat. Alij ita gracileſcunt toto corpore, vt ſceleton inſtar oſſa tantum pelle contecta habere videantur: vt narrant de quodam Anacreonte Philoſopho, qui ſoleas ferreas geſtare cogebatur, ne flante vehementius vento ſurſum abriperetur.

In numero etiam duplex eſt vitium exceſſus & defectus. Cùm enim certus numerus partium ſimilarium concurrat ad inſtrumenta fabricanda, ſi quis in hoc numero contingat error, inſtrumentum illud vitio tenetur: & quoniam inſtrumenta, nempe partes, non eædem ſunt, ſed aliæ aliis magis compoſitæ: ideo vt in minoribus inſtrumentis condendis, certus tantum ſimilarium partium numerus eſt neceſſarius; ſic minorum inſtrumentorum, in conſtituendis maioribus organis. Digitus verbi gratia ex tribus conſtat phalangibus, manus extrema, ex quinque digitis & metacarpio: magna manus ex illâ & brachio, & ſic de reliquis: quare quomodocunque iſta redundent, vel deficiant, faciunt vitium, quod numeri aucti vel imminuti vocant. Rurſum quod redundat duplex eſt. Vel enim eſt ex eorum genere, quæ adhuc in naturali ſunt habitu quodammodo; vt ſextus digitus, oculi pterygion, carnis excreſcentia in naſo, fungus in membranâ cerebri vulneratâ, callus etiam in fracturis oſſium male conformatus, & ſic de reliquis: vel eſt omnino præter naturam, vt lumbrici, lapides, verrucæ, cataracta in oculo, melicerides & ſimilia, quæ ex inutili conſtant materiâ, nec habent ſimilitudinem cum aliquâ parte naturali, quorum aliqua proximè pariunt diſpoſitionem præter naturam actionibus noxiam: alia verò multis interuenientibus, vt ſatis patet.

Quod verò deficiens eſt in numero, perpetuò eſt in rebus ſiue partibus quæ ſunt ſecundum naturam, quotieſcumque vel ex toto auferuntur, vel mutilantur tantùm: idque accidit in ipſo vtero & primâ generatione, vel poſt exitum ab vtero: vnde multi ſine brachiis, aut ſine cruribus naſcuntur, quidam nullis aut vnico teſticulo donati. Quotidie amputantur partes gangrænâ obſeſſæ, vel etiam ob alias cauſas, vt teſtes ad herniam ſiſtendam, dentes carioſi, venæ varicoſæ, præputium Iudæis, vt omittamus ea quæ in præliis & ſimilibus calamitatibus euenire ſolent. Quod ſi cui dens additus ab ortu vitioſus & extuberans, ſextus digitus actionem impediens auferatur, non dicetur morbum numeri deficientis pati, quia etſi ablatum ſit illi id quod ab ortu contraxerat, fit tamen potius reſtitutio debitæ functionis per eiuſmodi ſublationem, quam eius impeditio. Rurſus notandum, morbum qui contingit in numero partis deficientis omnino ablatæ, non eſſe illi adſcribendum, ſed vel toti corpori, quod priuatur illâ actione, vt quando brachium eſt omnino abſciſſum: vel illi parti ſuperſtiti, quæ propter eiuſmodi ſublationem patitur noxam functionis propriæ: dens enim auulſus, locutionem oris; duo digiti manus amputati, eius apprehenſionem vitiant, ac proinde illis adſcribuntur. Atque hic etiam eſt aduertendum, morbos qui fiunt ex parte non exemptâ omnino, ſed mutilatâ tantùm, ad vtrumque genus magnitudinis & numeri referri poſſe, cùm animanti tum ſimplicium particularum verus numerus, tum iuſta inſtrumenti magnitudo deficiat: vel dic cum Fuchſio, in morbis auctæ vel imminutæ magnitudinis propriam ſeruari partium figuram, quæ in morbis numeri pereat.

Supereſt vltima officialis morbi ſpecies, quæ eſt in ſitu vitiato: quem duplicem facit Galenus, in poſitu ſcilicet, & in connexu: Arabes in loco vocant, & in ſocietate: partes enim quæ ad ἑλκυσμὸν illam Hippocraticam conſtituendam inuicem cohærere debent, aliquando à propriis ſedibus recedunt, vt in luxationibus, in ramicibus, in procidentiâ ani & ſimilibus: aliàs laxa ſunt nimis aut intenta, ob vinculorum quibus connectuntur vitium: alias ea quæ cohærere non

debent ſimul, vt palpebræ, digiti, vuluæ orificium, podex, & ſimilia ſimul coaleſcunt. Auicennas morborum ſitus quatuor facit differentias. Prima eſt, quando membra à ſuis articulis, quos vocat iuncturas, egrediuntur, velut in luxationibus: Secunda, quando pars aliqua ſedem ſuam non deſerens alienam occupat, vt in herniâ omentum vel inteſtina non deſerunt ſedem ſuam omnino, quæ eſt intra peritonæum; ad teſtes tamen deſcendunt: Tertia, quando membrum mouetur, nec motu omnino naturali, nec voluntario, vt in tremore: Quarta, quando partes ita affiguntur loco ſuo, vt dimoueri non poſſint, quemadmodum articuli podagrâ indurati. Vtilius erit, ſi in hoc morbo conſideres, aliquando partibus accidere quæ continentur: alias verò illis quæ connectuntur tantum: illas autem quæ continentur, poſitum & connexum naturalem amittere, aliquando vitio proprio, vel continentis aut ligamentorum, vel omnium aut duorum ſimul. Sic inteſtina craſſiora reddita, omentum pinguius pondere ſuo ſæpe diſrumpunt peritonæum & in ſcrotum delabuntur: alias naturalem magnitudinem ſeruantia, ob ſolam peritonæi relaxationem. Vterus ligamentis ſuis dilatatis aut relaxatis ſæpe procidit: vuea tunica erumpit, quoties eroſio aut ſciſſura in corneam inciderit. In eis verò partibus, quæ non continentur, ſed tantum connectuntur, vt in oſſium articulationibus, illud contingere defectu excipientis, vel excepti, aut firmantis ſiue vinculi, vt in tractatu luxationum traditur. Atque hæ ſunt organicorum morborum ſpecies & differentiæ.

CAPVT XI.

De quibuſdam in morbos organicos dubiis.

VIDENDVM in primis, vtrum præter adductos organicarum partium affectus alij ſint admittendi, vt multis viſum eſt; quia, inquiunt illi, ſi quæcunque quibus inſtrumentum redditur aptum ad propria munera obeunda, in illis etiam vbi naturalem conſtitutionem amiſerunt, morbi exiſtant: certè multò plura alia erunt ponenda, quam compoſitio, numerus, magnitudo, & ſitus. De eſſentiâ inſtrumentariarum partium, quoniam plura ſunt quæ illarum actionem perficiunt & lædunt: etenim officiales iſtæ partes requirunt ad actiones ſuas obeundas calidum, quod influit à corde bene affectum, & etiam infixum ſiue innatum: quandoquidem eo abſente aut læſo læduntur actiones totius corporis, vt patet in ſyncope, timore, rigore & horrore: ac proinde calidum illud influens, ſanguis & ſpiritus faciunt ad partium organicarum actiones bene vel male peragendas.

Præterea ſubſtantia partium requiritur idonea ad bonam inſtrumenti conſtitutionem, præter figuram, magnitudinem, numerum & ſitum. Si enim manus aut pes verbi gratia, quæ conſtare debent carne, oſſibus, ligamentis & ſimilibus, ſint oſſea tota vel carnea, reddetur procul dubio malâ harum partium organicarum ſtructura, quamuis illa ſuperius enumerata recte ſe habeant.

Denique ob qualitates tam ſecundas quam tertias, duritiem videlicet, mollitiem, craſſitiem, tenuitatem, colorem, odorem, ſaporemque alienum actiones partium organicarum lædi manifeſtiſſimum eſt. Partes quam par ſit duriores, vel molliores redditæ, redduntur etiam ad motum & ſenſum aliaſque actiones, quæ organicis partibus tribuuntur, ineptiſſimæ. Galenus cerebri craſſitiem ad ingenij acumen plurimùm obeſſe exiſtimat: tenuitatem vaſorum eſſe cauſam profuſionis ſanguinis per *διαπήδησιν* factæ: laxitatem impedire ventriculum quo minus alimentum recte complectatur. Certè cornea oculi tunica denſior aut rarior viſioni officit: ſapor & odor malus linguæ aut naribus impreſſus, harum actiones corrumpit. Præterea à febre, nonne motus, ſenſuſque omnes, pulſus cordis & ſimilia immutantur? Quibus conficitur, iſta omnia facere ad morbos inſtrumentarios, ſi quidem verum ſit vniuſcuiuſque partis actionem à propriâ diſpoſitione præter naturam lædi.

His obiectionibus pro aſſerendâ Galeni doctrinâ ſatisfaciendum eſt. Primò igitur ad primam dicamus: à cuiuſque partis conſtitutione propriâ eſſe diſtinguenda communia

munia instrumenta, omnibus actionibus tam similarium quam organicarum partium necessaria: Ideo partis organicæ morbi non debent dici propriè priuatio istorum instrumentorum, quamuis ab illis actiones earum lædantur: quia vaga sunt & fluxa, neque parti inhærent, aut certam conformationem adepta sunt: vel certè illi affectus erunt referendi ad sympathiam tantùm negatæ materiæ vel facultatis.

Ad secundam quâ volunt substantiam ipsam impedire & iuuare actiones partium organicarum, respondemus: quod si partes similares ex quibus pars organica constat, fiant omnes caro aut quid aliud, tunc ipsarum numerum non seruari: quia omnes vnius consimilisque rationem obtinerent. Dicatur itaque pes vel manus tota ossea vel carnea morbo numeri teneri, quia caret suis ligamentis, venis, neruis, & similibus.

Quod verò dicunt qualitates secundas & tertias, atque nonnumquam ipsam temperiem actiones partium organicarum lædere, ac proinde morbos illarum esse: Respondemus, morbos esse vitia, non materiæ, sed ipsius dispositionis quæ est in certâ materiâ: quemadmodum essentia rerum non à materiâ sumitur, sed à formâ quæ est in materiâ: verbi gratia lapides, ligna, cæmentum non sunt domus, sed ipsa forma quam artifex illis induxit. Itaque illa quæ sequuntur materiam similarium partium, & modum substantiæ, aut quæ sunt in formâ earumdem, non possunt tribui organicis: debita enim substantia similarium partium earúmque temperies est supponenda, vt ex illis instrumentariæ secundum naturam conficiantur. Non ergo illa substantiæ laxitas, densitas, raritas, mollities partium similarium, si quando contingat, vel intemperies vt febrilis, ideo adscribendæ sunt parti organicæ, quamuis illius actionem lædant, quia hoc fit ex accidenti: quemadmodum domus corruit, vbi ligna, vel lapides sunt putria, cariosa aut similiter affecta, quamuis illud non spectet ad domus rationem.

Sed vrgent illi denuò, & obiiciunt, istas omnes qualitates non minus referendas esse ad instrumenti morbos, quam asperitatem & læuitatem, quarum sub conformatione vitiata meminimus. Verum dicimus non esse parem rationem, quandoquidem duities, mollities, sapor & alia non mutantur, nisi per ipsam temperiem similarium, aut substantiæ rationem immutatam: asperitas verò & læuitas superficiei partium ita fit à conformatrice facultate, vt sine vllâ diuersitate temperamenti, quasdam planas & æquabiles, alias inæquales & asperas faciat. Patet hoc in ossibus, quæ cum siccissimæ sint corporis nostri partes, deberent etiam summâ asperitate esse prædita, cuius tamen contrarium videtur: & idem ventriculus in externâ superficie planus, in aliâ rugosus & asper. Per causas autem externas videmus scalpello verbi gratia læuigari aut exasperari partium extima sine vllo temperamenti vitio. Adde quod eiusmodi asperitas & læuitas ita violant actiones instrumentarias, vt similaribus nullam noxam, aut vix sensibilem inferre soleant.

Porrò in diuisionem morborum numeri, quando dicebamus earum quæ excedunt partium, alias sequi naturalem habitum reliquarum, vt sextum digitum, tertium testem, dentem superadditum & similia: alias esse toto genere præter naturam, vt calculum, lumbricos &c. Quidam obiiciunt ista quæ sunt toto genere præter naturam, nullâ ratione morbos numeri dici posse: alioqui quibus talia non insunt, bene sani, in particularum numero deficerent, mutilatóque essent corpore, quod est absurdum. Sunt qui ad hoc respondent, talia partibus quodammodo annumerari posse, vt quædam superflua & similitudinaria membra: quia scilicet ex humore à naturâ in locum suæ generationis traducto fiant, eorúmque materia à naturali calore inspissetur, induretur, & illius operâ augmentum suum accipiat. Verum dices, melius ista propriè ad numerum partium auctum referri, quia propriè in istis fit numeri additio partium, quæ prius non erant in nobis: non tamen inde sequi, sanos qui illis carent, in numero partium deficere: quod enim præter naturam est non deficit, quia est inter imperfecta respectu nostri: sed cum adest, peruertit naturalem statum, partium numerum augendo.

Obiiciunt præterea aduersus morbos numeri, Galenum 14. *meth.* illis annumerare verrucas, vitiliginem, meliceridas, atheromata, steatomata, item ophiasim & alopeciam: quæ omnia vel sunt symptomata tantum, vel morbis intemperamenti potius adscribenda: ophiasis enim & alopecia non curantur, nisi per sublationem intemperiei, humoris scilicet maligni à quo profecta sunt. Vitiligo etiam à Galeno *lib. de sympt. causis*, collocatur inter symptomata quæ malam nutritionem sequuntur: vnde etiam suscitantur melicerides, steatomata, atheromata, & reliqui tumores

per congeſtionem geniti. Reſpondendum, aliud eſſe apud Galenum ſymptoma ſimplex, aliud verò ſymptomaticum morbum: nam ſimplex ſymptoma, ſublato à quo pendebat morbo, ſtatim tollitur, quod non contingit ſemper ſymptomatico ſiue ſecundario morbo: febris enim quæ pleuritidem aut peripneumoniam conſequitur, non ſemper illis curatis abit, quamuis ſymptomatica dicatur; aliquando firmatis in corde radicibus illis ſuperſtes exiſtit: ſic etiam affectus commemorati, quamuis intemperies partium & humorum *συναθροισμὸς* ſequantur, vbi tamen geniti fuerunt, habent ſuam *λόγον* & eſſentiam peculiarem: cuius ratione Galenus, dum conſiderat vitia quæ ex illis oriuntur, inter morbos numeri recenſet: vbi reſpectum habet ad cauſas proximas, ad intemperiem refert, quod non eſt abſurdum, quoniam vnicus affectus ratione variorum reſpectuum ad diuerſa morborum genera referri poteſt. Ex principali tamen ſignificato ad illud referendum eſt, quod eſſentiam eius & propriam naturam complectitur.

Supereſt adhuc vnica difficultas in morbis iſtis organicis, quos diſſimilaribus partibus, & inſtrumentariis velut propriis ſubiectis accidere diximus. Cum enim inſtrumentum ſiue pars organica nihil aliud ſit Galeno, quam id quod ex ſimilaribus congmentatis vnius actionis certæ & determinatæ gratiâ factum eſt, videtur inſtrumentum non eſſe pars quædam per ſe ſubſiſtens, ſed aut in ſimilaribus, vel per ſimilares, ac proinde non poterit eſſe ſubiectum quorumdam morborum: aut dices accidentis ſubiectum, quod eſt abſurdum. Reſpondemus ad illud, morbos omnes, ſi ſubiectum tantum inhæſionis ſpectes, reuera eſſe in ſimilaribus, quæ ſunt ſubiecta materia totius corporis: attamen quia in componendis organis ſimilares materiæ tantum rationem obtinent, ideo organica pars, velut domus aut aliud arte factum, dicetur eſſe ſubiectum illorum morborum, qui formæ rationem illius propriæ reſpiciunt. Vt enim domus obſcura, aut male poſita, vel male ædificata dicitur, non autem lapides & ligna ex quibus eſt confecta: poteſt enim contingere, vt optima ſint ligna, cæmentum, lapides bene figurati & alia, domus tamen male conformata, & contrà, vt vnicuique patet, quia hoc non ſpectat ad propriam domus rationem: Sic etiam affectiones illæ dicentur propriæ organicarum partium, non ſimilarium, quandoquidem illarum propriam ſtructuram & actiones ſpectant, non autem diſpoſitiones ſimilarium: & ſic accidens non erit accidentis ſubiectum, ſed pars vera & organica, quæ aliquot ſimilares velut ſubiectam ſibi materiam complectitur: quemadmodum iſtæ habuerunt pro materiâ ſemen & ſanguinem, & ex fibris cum certâ carne componuntur. Atque hæc de morbis inſtrumentariis, nunc ad communes tranſeamus.

CAPVT XII.

De morbo communi ſiue ſolutione continui, eiuſque differentiis & ſpeciebus.

CORPVS noſtrum ex organicis ſimilaribuſque partibus conſtare certum eſt, peculiaréſque morbos tam ſimplicium, quam ex his compoſitarum partium hactenus propoſuimus. Reliquum igitur eſt, vt de morbi illius natura diſſeramus, qui communis ideo vocatur, quod vtriuſque partis actionibus noxam inferre poteſt, ſiue ſimul & ſemel illud fiat, ſiue ſeorſim, modo hanc actionem, modo illam lædat. Huiuſmodi morbus vnitatis ſiue continuitatis ſolutio dicitur à Galeno: quia per eum contingunt diuiſiones in partibus, quæ illam vnitatem partium diſſoluunt, vt deinceps reuera continuæ aut contiguæ dici non poſſint. Vtrum verò vna eadémque ſit huius morbi ratio, an verò plures ſub ſe contineat ſpecies & differentias, quæ faciant ad methodum curandi, iam eſt videndum.

Cum itaque non ab vnâ eadémque cauſâ inducatur eiuſmodi ſolutio continui, ſed à variis; neque ſimilis ſit in omnibus partibus, ſed diuerſa ac variis nominibus donata: ideo tum à cauſis, tum à partibus quibus incidit, ſpecies ſuas & differentias præcipuas ac Medico vtiles repetat oportet. Quod ad cauſas attinet, earum ratione

Digitized by Google

ratione quatuor præcipuæ recenſentur ſolutiones continui, nempe ſectio, eroſio, contuſio, & diuulſio, ſeu ruptura. Sectio ea eſt ſpecies ſolutionis continui, quæ fit ab externis cauſis incidentibus ſiue punctim ſiue cæſim, vt loquuntur, in quauis corporis parte, ſub qua τρώματα & τραύματα Hippocrati dicta, vulnera videlicet continentur, ſiue ſint cum ſimplici ἀλκοσύνῃ, ſeu etiam ἀποκοσύνῃ deperditionem ſubſtantiæ complectantur, abſque pure vel ſaniosâ materiâ.

Solutio verò, quæ fit ab internis potiſſimùm cauſis: vt acribus & mordacibus ſuccis, partium ſubſtantiam primò calfacientibus, deinde pungentibus & erodentibus, cum ſenſibili ſubſtantiæ iacturâ, & excrementorum prouentu, eroſio & vlcus appellatur: quæ etiam aliquando contingere ſolet ab externis ſiue admotis, vtpote vrentibus actu talibus, vel potentiâ cauſticis, cathæreticis, ſepticis, materiâ vel contactu contagioſi corporis & ſimilium, quæ æquè vt interna illa cauſa arrodere partium ſubſtantiam poſſunt, & vlcera excitare, non ſolùm in carnoſis partibus, vt quidam volunt; ſed etiam in quibuſcumque aliis.

At verò tertia ſolutionis ſpecies contuſio dicitur, in quâ non ſemper eſt manifeſta, ſed occulta tantum ſolutio continui: fit enim quoties à re graui & obtusâ ita allidi-tur cutis, vel aliqua corporis noſtri pars, vt plures illius fibræ, & particulæ violenter in vnum veluti punctum adactæ, in ea parte cogantur, ab aliâ verò diſiungantur cum ſanguinis in parte contenti expreſſione: vnde apparent μώλωπες, vibices, ſugillata, & ecchymomata à veteribus dicta, in caſu, motu vehementi aut percuſſione illarum rerum quæ ſecare nequeunt.

Diuulſio autem ſiue ruptura, quarta ſolutæ vnitatis ſpecies, quæ fit à vehementer diſtrahentibus, & ita diuellentibus ſubſtantiam partis, vt tandem abrumpatur, quod ſæpe in colluctationibus Athletarum contingit, in torturâ reis admotâ, & ſimilibus violentis. Aliquando etiam ab internâ causâ, vt quando nimio motu, clamore, aut humorum valido impetu, diſrumpuntur orificia vel tunicæ vaſorum, ad quod largæ & periculoſæ ſequuntur hæmorrhagiæ. Eſt aliquando, vt à corpore vehementer contundente tanta fiat in nobis impreſſio, vt non ſolum collidantur partes, ſed etiam diuellantur & diſrumpantur, vt quotidie in ſclopetorum ictibus conſpicimus, in quibus contuſio diuulſioni ſæpius coniungitur. Atque hæ ſunt præcipuæ ſolutæ vnitatis ſpecies, quas Practici noſtri ſub nomine vulnerum, vlcerum, luxationum, & fracturarum curare docent: ita vt vulnera complectantur præcipuè ſectiones, contuſiones & diuulſiones in partibus mollioribus factas: fracturæ comprehendant vulnera durarum, vt oſſium: luxationes ſint quædam diuulſiones articulis propriæ. Vlcera autem contineant eas præcipuè ſolutiones continui, quæ fiunt à causâ internâ cum pure & ſanie: quarum alia faciunt primaria, vt quæ ſimpliciter ab erodentibus humoribus, vel admotis contingunt: alia ſecundaria, vt quæ ſuccedunt vulneribus & tumoribus præter naturam, ſuppuratis. Atque vt iſtæ differentiæ maximè eſſentiales exiſtunt, ſic etiam alij pro diuerſitate partium quibus ſolutiones continui contingunt, ſolent eas ex Galeni ſententiâ diſtinguere, vt *lib. meth. & alibi plerumque.*

In ſimilaribus enim partibus, inquiunt, continui ſolutio varias ſortitur appellationes pro numero partium iſtarum ſimplicium: vt in oſſe κάταγμα fractura dicitur, ſub qua fiſſura, quoniam ea propriè frangi & findi dicuntur, quæ dura ſunt & ſolida. In carnoſis verò partibus vnitatis ſolutio ex extrinſecis violenter facta, τραῦμα, id eſt vulnus: ea verò quæ citra vulnerationem ex humorum acrimoniâ contingit, ἕλκος vlcus vocatur: in carnoſis muſculorum partibus ex diſtenſione prouenies ſolutio continui, ῥῆγμα ruptio vel ruptura appellatur: vbi verò fibræ tantum diſrumpuntur, ῥαγὰς ſeu diuulſio villorum dicitur Hippocrati, (non intellexit vim huius nominis Argenterius, qui id pro conuulſione ſumpſit.) Cartilaginis quæcunque ſit ſolutio, nomen peculiare nondum inuenit: neruorum autem ſolutiones punctura, inciſio, contuſio appellantur: venis, & arteriis eædem contingunt, vt etiam ἀνατόμωσις, ῥάβδωσις, ἀλαπάδησις: membranarum ſolutiones manifeſtæ dicuntur rupturæ, ſeu ſciſſuræ; aliæ verò dilatationes: cutis leuior ſolutio, quæ tantum epidermida auellat, excoriatio: at quæ in ipſum ὄρθρον aut altius in carnem penetrat, nomen vulneris aut vlceris meretur: In ligamentis autem ἀλγωσμὸς aut διάστασμα peculiari nomine nuncupatur. Ac deinceps peculiaria nomina indita ſunt ſolutionibus continui, quæ oſſibus v. g. capitis aut reliquis infliguntur, quorum propria enumeratio ad particularem Pathologiam pertinet: in partibus enim inſtrumentariis, quando contingunt ſolutiones continui, ſiue ſit totius organi, vt manus à brachio; ſiue partis ſimilaris, vt

nerui

nerui aut ligamenti auulſi ab ipsâ parte organicâ, generali quodam ſignificato ἀποσπάσματα, quaſi dicas auulſiones, appellantur. Atque hæc de differentiis morbi communis: nunc videamus dubia, quæ in propoſitam à nobis doctrinam obiici ſolent.

CAPVT XIII.

De quibuſdam in morbos communes dubiis.

DIcebamvs itaque primùm ex Galeni ſententiâ, ſolutionem continui morbum eſſe communem, tam ſimilaribus, quam organicis partibus, quia vtrorumque actiones lædere poteſt: & quia vtriſque συνέχεια & continuitas eſt neceſſaria; Attamen Auerrhoës & Argenterius, duo Galeni hoſtes coniurati, contrarium ſentiunt, in diuerſas abeuntes ſententias: ille enim putat ſolutionem continui ad ſimilares tantum partes pertinere: Argenterius verò contrà eſſe propriam organicis. Talis eſt ratio Auerrhois: Continuum, inquit, quod reuera tale eſt, hoc eſt cuius extrema ſunt vnum, ſimilari tantum parti conuenire poteſt, quia habet ſubſtantiæ vnitatem: diſſimilares verò ſunt tantum contiguæ, idque ratione ſimilarium ex quibus componuntur, quarum extrema ſe contingunt, vt partem organicam conſtituant: ac proinde continuum & eius ſolutio propriè ad ſimilares tantum pertinere poteſt: contiguum verò per accidens tantum organicis, & ratione ſimilarium. Vnde ſequitur non eſſe morbum vtriſque communem: nam ſi ſoluatur illa contiguitas, erit iam morbus ſitus ſiue connexionis, de quo inter morbos inſtrumentarios agebamus. Verum reſpondemus nos, apud Galenum iſta nomina contigui & continui non ita diſtingui, vt apud Philoſophos, ſufficere enim Medico, vt ſciat eſſe naturam quamdam communem in partibus, propter quam vnum dicuntur. Vt igitur ſimilaris pars ratione materiæ vniformis dicitur vna & continua, ſic etiam organica ratione figuræ & conformationis quâ prædita eſt, quemadmodum totum corpus ratione illarum: vna enim & contigua dicitur manus vel pes, non minus quam os vel caro, quamdiu partium ſuarum habet vnitatem, quaſque non ſolum contiguas eſſe certum eſt, ſed etiam fibris perpetuis & quaſi vinculis inuicem erumpentibus ita copulatas, vt continuitate donatas eſſe facile aſſerere poſſimus.

Deinde cum conſtet per magnas verbi gratia ſectiones partium non minus, imo verò magis lædi actiones organicarum partium, quam ſimilarium, non immeritò dicet Medicus, eiuſmodi affectus eſſe proprios, tam organicis quam ſimilaribus partibus. Quod verò dicit, per eiuſmodi ſectiones fieri mutationem ſitus vel connexus, qui parum eſt aliquando deprauatus, vt patet in puncturis & ſimilibus, quæ grauiſſima inferunt ſymptomata, atque aliquando mortem citiſſimam, quamuis parua ſit ſitus vel connexus mutatio. Atque hæc ad Auerrhoëm.

Argenterius vero, qui putauit hunc morbum organicis tantum partibus conuenire, his ſententiam ſuam rationibus confirmare conatur: Solutio continui, inquit, neque propriam ſimilarium partium conſtitutionem euertit, quę temperies eſt emergens ex mixtione elementorum: neque earum actiones labefactat. Ac proinde non poteſt cenſeri morbus ſimilarium partium, ſed tantum organicarum, quas certum eſt & experientiæ manifeſtum per eiuſmodi ſectiones, fracturas, & ſimilia noxam inſignem in ſuis functionibus recipere. Quod autem temperies ſimilarium partium non vitietur ſemper in eiuſmodi ſolutionibus continui, hinc patet quod in ſimplici verbi gratia vulnere per ſolam agglutinationem, abſque vllâ ſenſibili partis alteratione, fit vnio diuiſæ partis, quæ neque inflammata, neque exſiccata aut refrigerata fuerit, & ſic de reliquis. Actiones verò ſimilarium partium non vitiari etiam in maioribus vulneribus, in quibus eſt deperditio ſubſtantiæ, fracturis, vel vlceribus, inde conficitur, quod partes hæ attrahunt copioſum alimentum, illud retinent, & concoquunt: vnde magna puris albi, læuis, & æqualis copia, item regeneratio ſubſtantiæ deperditæ, & carnis tanta ſæpe in vlceribus accretio, vt cogantur Chirurgi illius augmentum inhibere: quæ omnia bonæ temperiei, viuidi

viuidi & vegeti caloris natiui, integratúmque actionum ſunt ſigna in partibus ſimilaribus per eiuſmodi ſolutiones continui.

Ad id vt reſpondeamus, ſciendum eſt, Argenterium hac in parte hallucinari, qui exiſtimauit ſolutam vnitatem non poſſe euertere conſtitutionem ſimilarium partium, niſi temperie euersâ & immutatâ. Quamuis enim temperies ſit propria conſtitutio ſimilarium, vt organicarum conformatio: attamen in vtriſque eſt alia communis natura ſeu conſtitutio, vnio ſeu continuitas partium appellata: quæ vbi violatur, poteſt immediatè, & abſque vllo alio vitio temperamenti, tum iſtam communem naturam in ſimilaribus labefactare, tum actiones earumdem euertere. Quis enim negauerit, vt res ſit adhuc manifeſtior; ſimilares partes fibris quibuſdam eſſe præditas rectis, obliquis, tranſuerſis, quarum diſſolutio ſiue ſectio peruertit earum conſtitutionem, & impedimentum affert retentrici, attractrici, & expultrici vi earumdem partium? Quod enim ait, alimentum accedere ad partem vulneratam copioſum, regenerari carnem, pus confici, id potius accidit impetu & prouidentiâ naturæ, quæ in partes afflictas, aut dolore affectas, ſolet ſpiritus & humores confertim, quaſi in auxilium dimittere: vnde aliquando non parua ſubſequitur noxa ex copioſo prouentu excrementorum, quæ in eiuſmodi ſolutionibus continui ſuccreſcunt. Quis enim dixerit ichores, ſaniem, imo ipſum pus eſſe perfectæ coctionis indicia, cum perpetuò naturæ noſtræ ſint infeſta & expurgatione indigeant? Reficitur etiam caro ac deperdita ſubſtantia in vulnere ac vlcere, ſed à circumiectis partibus potiſſimùm, quæ adhuc ſanæ ſunt & integræ: vnde videmus partes ſiue membra vulnerata, aut vlceribus tentata plurimùm gracileſcere, & quaſi in ἀτροφίαν totum corpus aliquando coniici, dum hæc perficiuntur.

Quod cum ſentiret Argenterius, quamuis eiuſmodi conſtitutio læderet, inquit, actiones ſimilarium partium, non tamen inde ſequeretur eſſe diſpoſitionem illis propriam: quia morbi etiam organici, vt figuræ, cauitatis, & ſimilium lædunt etiam actiones ſimilarium partium, quamuis illis non ſint proprij. Sed huic obiectioni ſatisfacere licet ex præcedentibus, morbos ſcilicet organicos lædere aliquando actiones ſimilarium, vt ſimilares organicarum ex accidenti, non autem primò & per ſe: nihil enim attinet ad os vel carnem, quomodocunque ſint figurata, vel magnitudine prædita, vt nutriantur, & naturales actiones exerceant: ſed ſi v. g. obſtructi ſint meatus oſſis aut carnis propter negationem alimenti, quod debet ad illa affluere, non poſſunt deinceps ali priuata obiecto illo neceſſario ad nutritionem: at per morbos ſolutæ vnitatis, quæ magis propriè illis competit quam organicis, vt aſſerebat Auerrhoes; tum conſtitutio illa ſeu continuitas partium violatur, tum earum actiones primò & per ſe corrumpuntur. Atque hæc de triplici morborum genere eorúmque ſpeciebus: nunc differentias aliquot illis communes & authoribus noſtris valde vſitatas, paucis percurramus.

CAPVT XIV.

De communibus quibuſdam morborum differentiis.

QVONIAM præter recenſita à nobis morborum genera, & ſubiectas illis ſpecies multæ ſunt adhuc illorum differentiæ à variis rebus petitæ, & accidentales dictæ: quarum cognitio tum ad morborum peculiarem naturam percipiendam, tum ad prognoſim & variam curandi rationem facit: ideo lubet illas nunc ſeriatim pertractare. Quod multo commodius fiet, ſi ad certa quædam capita referantur, vtpote eſſentiam ipſam morborum: eorum cauſas: effectus: tempus & locum tam generationis quam durationis & terminationis.

AB ESSENTIA DESVMPTÆ DIFFERENTIÆ. Itaque ab eſſentiâ ipsâ morborum ſeu eis quæ propriè illi accidunt, cum ea ſit vnica vel multiplex, ſincera vel mixta, intenſa vel remiſſa: inde exoriuntur morborum differentiæ, per quas dicitur morbus eſſe vnus vel plures, legitimus vel nothus, magnus vel paruus. *Vnus* porrò ita propriè dicitur, qui vnicam corporis ſedem occupat, & ab vnicâ cauſâ excitatur,

ſicut obſtructio iecoris, vel mala figura naſi & ſimilium, qui ad vnum tantum ex generibus à nobis propoſitis ſpectat, & is *ſimplex* etiam appellatur: aliquando enim *vnus* eſſe dicitur morbus, quamuis non ſimplex, ſed compoſitus ex diuerſis morborum generibus ſimul iunctis, ſi vnam eamdémque partem occupent, vt intemperies calida & humida iecoris, vlcus pulmonis phlegmonoſum & ſimiles, vnum quidem conſtituunt morbum, ſed compoſitum: qui rurſum duplex eſt: Aut enim eiuſdem generis morbi confunduntur & permiſcentur, vt febris tertiana cum quotidianâ in hemitritæo, vt calculus in vretere, qui morbum in numero aucto ſimul, & in viâ ſeu cauitate, vt fractura luxationi & vlceri coniuncta, ex quibus reſultat morbus compoſitus ex variis ſpeciebus, eiuſdem tamen generis: Alias componuntur iſti morbi ex variis generibus ſimul iunctis, vt in vulnere inflammato, & in tumoribus præter naturam, in quibus adeſt & intemperies cum humore, & vitiata conformatio cum ſolutione continui. Sic igitur Medici morbum *vnum* conſiderant.

Plures vero ſiue *multi* morbi corpus infeſtare dicuntur, qui multas & diuerſas illius partes occupant: qui rurſum quadruplices ſunt: impliciti ſcilicet, conſequentes, connexi, & diſiuncti. *Impliciti* quidem ſiue inuoluti ac complicati dicuntur, quando variæ illæ partes quibus inſident, in communem vſum vel functionem conſpirant, vt pleuritis & aſthma, quorum concurſu communia quædam exurgunt ſymptomata, vt tuſſis & dyſpnœa: renis inflammatio cum veſicæ vlcere: vnde dyſuria, & ſic de reliquis.

Conſequentes verò propriè dicuntur, qui mutatione quadam ſibi ſuccedunt, ita vt ſimul eodémque tempore non ſint, ſed prior in poſteriorem abeat: vt pleuritis in peripneumoniam ſæpe tranſit, phlegmone in ſcirrhum, apoplexia in hemiplegiam, & ſic de reliquis.

Connexi autem ſimul & conſequentes appellantur, quorum prior ſuperſtes adhuc, poſterioris eſt cauſa: id quod bifariam contingit: alias ex morbi naturâ, quemadmodum inflammationibus internis, vt hepatis, pulmonum, cerebri, & ſimilium perpetuò connexæ ſunt febres aſſiduæ: alias ex partium conditione, quarum vna alteri affectum communicat: vt per *συμπάθειαν*, qualis eſt vtero cum mammis, cerebro cum ore ventriculi, ventriculo cum renibus, & ſic de reliquis: vel ob ſitum decliuiorem & vias patentiores, vnde ſuperiorum excrementa in inferiores facile delabuntur, vnde varicum in cruribus copia ex hepate feruidiore, pulmonum obſtructio ex frequenti & copioſo catarrho: vel denique partium robore & præſtantiâ, quâ in imbecillas & ignobiles humores deponunt ſibi moleſtos: ſic interiora in cutem & habitum corporis ſæpe ſuam cacochymiam propulſant, vnde ſcabies & alij affectus cutanei; partes autem principes in ſua emunctoria, nempe glandulas pone aures, ad alas, & inguina poſitas, vbi bubones per ſtatus potiſſimùm malignos procreantur. Atque ſub hac differentiâ continentur morbi primarij & ſecundarij dicti, protopathici & deuteropathici, qui ex ſympathiâ contingunt, vt ſupra docuimus.

Diſiuncti verò ac ſeparati morbi illi ſunt, qui in diſtantibus ſemotiſque partibus eodem tempore conſiſtunt, quarum neque functio, neque vſus eſt communis, ſibi inuicem cauſam morbificam communicant, vtpote vlcus pedis cum luxatione manus: ophthalmia cum veſicæ calculo, & ſic de reliquis. Sic igitur vnus & plures morbi dicuntur.

Alia differentia morborum ab eſſentiâ petita erat legitimi & ſpurij. *Legitimus* igitur morbus, ſiue exquiſitus, ſincerus, & *ἀκριβὴς* dictus, is appellatur, qui in ſuo genere vel ſpecie naturam ſuam maximè retinet, cauſámque habet à quâ producitur, ingenuam & ſinceram: vtpote quando tertiana febris à bile flauâ, quartana à melancholia naturali oriuntur, ſuáſque ſtatas periodos & inuadendi ſoluendíque modum obſeruant. Cui opponitur *nothus*, *ſpurius*, ſeu *illegitimus*, qui neque ſuam naturam retinet puram, neque cauſam à quâ ſit habet ſinceram: vnde febres illæ, quæ ex permixtione variorum humorum fiunt, vel ex tranſmutatione vnius in alterum, omnes ſpuriæ & nothæ dicuntur: ſuos enim typos ita habent confuſos, vt vix propriæ indolis & ſpeciei conditionem obſeruent.

Tertia autem differẽtia morbi ab eſſentiâ erat magni & parui. Quamuis enim magnitudo & paruitas, æqualitas & inæqualitas ſint quantitatis potius, quã qualitatis ad quam morbus eſt referendus: ita tamen vſus obtinuit apud Medicos, vt *magnus* dicatur morbus, quicunque ratione eſſentiæ ſuæ, & cauſarum valde eſt intenſus: ita vt à mediocritate naturali plurimùm recedat. Galeno autem magnus morbus triplici ratione dicitur. Ratione videlicet partis principis, vel ad vitam neceſſariæ quam

obſidet

Digitized by Google

obſidet: ratione cauſarum violenter agentium à quibus fit: & ſympromatum concomitantium, quorum atrocitate, & vehementiâ plurimum eſt corpori noſtro infeſtus. Contrà *parum* is appellatur, qui ratione propriæ eſſentiæ parum excedit à conſtitutione naturali, vel vires noſtras parum labefactat.

A CAVSIS. Ratione verò cauſarum primò efficientium externarum dicuntur morbi quidam ab *aëre*, *à cibo* vel *potu* & ſimilibus producti (huc refer illas appellationes vulgares morborum, quando adſcribuntur quibuſdam Sanctis illos immittentibus vel curantibus, vnde *morbus Diui Ioannis*, &c.) Internarum autem, quia morbi fiunt à ſimplici qualitate ſine humoris aut materiæ vllius concurſu; vel cum materiâ: ideo hac ratione dicuntur materiales & immateriales. *Materiales* quidem ab humore vario, bilioſo, pituitoſo, ſanguineo, vel melancholico, ſimplici vel mixto, ſincero, vel ichoribus multis diluto, putrido aut ſine putredine: item à vapore aut flatu, qui ex certâ quadam humorum minerâ, vel totâ maſsâ ſanguinariâ eleuatur, & in vnam vel plures partes defertur: habétque vel ſimplicem & manifeſtam qualitatem iunctam, vt calidam, frigidam: aut occultam magis & deleteriam, vt in epilepſiâ, ſuffocatione vterinâ, & ſimilibus. *Immateriales* contrà quicunque neque humorem, neque vaporem aut flatum ſuæ generationis authorem agnoſcunt, ſed habent ſimplicem exceſſum qualitatis, vt ſuo loco iam eſt probatum.

A cauſa verò materiali ſiue ſubiecto in quo reſidet morbus, plures ducuntur differentiæ: vtpote vniuerſalis, particularis: externus, internus: conſentaneus, diſſentaneus: ſenilis, puerilis, muliebris, Telephius, Chironius & ſimiles. *Vniuerſalis* itaque & *particularis* præcipua ſignificatio eſt, vt ille totius ſit corporis affectus: vel quia qualitas toti communicatur, vt in febre; vel ipſum ſymptoma, vt in apoplexia, ſyncope & ſimilibus. Hic verò vnicam tantum partem vel duas occupat, vt phlegmone digiti, calculus renum, & ſimiles abſque diffuſione ſeu expanſione qualitatis ſuæ in reliquum corpus. Quod ſi extimas tantùm corporis partes & viſui noſtro obuias occupet, *externus* dicitur morbus, de quo viſus cum aliis ſenſibus, ſimul locum & affectus ſpeciem deprehendit: ſi autem conditus in interioribus membris lateat, ita vt diſcurſu potius quam ſenſu illius ſedes & natura deprehendatur, *internus* dicitur. At verò *conſentaneus* & *diſſentaneus* is appellatur, quem alij proportionabilem & improportionabilem vocant, ratione ipſius indiuidui aut partis cui inhæret. Si enim cum illorum naturâ conſentiat, proportionabilis dicetur, vt cum bilioſus febre tertianâ laborat, cerebrum frigidâ intemperie tenetur: contrà improportionabilis & diſſentaneus, ſi diſcrepet, vt quando bilioſus quotidianâ febre, cerebrum calidâ, ſiccave intemperie occupatur: vnde Aphoriſmus ille 34. *ſect.* 2. *In morbis minus periclitantur illi, quorum natura, ætati, conſuetudini, aut anni tempori magis congruit morbus, quam vbi iſtorum nulli conuenit.* Ac proinde vt huic vel illi ætati, ſexui, conditioni, & ſimilibus magis accidere ſolet, reliquas ſortitur appellationes, *puerilis*, *muliebris* &c. ab Hippocrate *lib.* 3. *Aphoriſm.* & *libro de aëre, aquis & locis*, diligenter annotatas. Vt *Chironia* & *Telephia* dicta ſunt quædam vlcera à præſtantiſſimis vel notioribus quibuſdam viris, qui iſta ſunt perpeſſi: epilepſia morbus Herculeus vocatur, quòd eâ laboraſſe Herculem ferunt.

Rurſum cùm morbus variè in ſubiecta, homines videlicet graſſetur, inde *epidemius*, *endemius*, & *ſporadicus* dicitur. Quando enim morbi alicuius ſpecies à cauſâ quadam communi & valde generali genita, videlicet influxu ſyderum, aëris corruptelâ aut diætâ vniformiter in quaſlibet hominum ætates, ſexus & conditiones graſſatur, & magnam ægrorum multitudinem concitat, inſignem orbis plagam peragrando, velut ſagitta quædam mortifera; tunc *epidemij* morbi, *πανδημοι* & populares exoriuntur: quorum qui pernicioſiſſimi ſunt & deleteriæ qualitatis participes, propriè *peſtilentes* vocantur, alij verò generis nomen retinent. *Endemij* autem, *ἐγχώριοι* vernaculi & gentilitij, quamuis communes ſint, & eiuſdem ſpeciei, non tamen ita vniuerſales, ſed vel eamdem potius regionem obſident, ob aërem patrium, fruges, mores, ſeu viuendi rationem & ſimilia illi loco familiaria, vt bronchocele Alpinis, ſtrumæ Hiſpanis, tabes Luſitanis, carbunculus Narbonenſi huic Galliæ: vel per contagium transferantur ſenſim ab vnâ regione in aliam, vt elephantiaſis, quæ Ægypto propria in Europam à Romanis Pompeij tempore tranſlata eſt, lues venerea ab Indis, & ſimiles. Sub hac appellatione continentur etiam differentiæ morborum à loco petitæ, vt ſudor Anglicus, morbus Polonicus hac noſtrâ ætate exortus, Cirrum vocant, & ſic de reliquis. Demique *ſporadici* ſiue diſperſi, epidemiis & endemiis oppoſiti, hoc habent proprium,

vt neque eamdem habeant ſpeciem, neque eamdem cauſam communem, neque huic quam illi regioni magis ſint familiares, ſed prout contigerit ex indiuiduorum variâ conſtitutione & regimine: hic puer verbi gratia vermibus, mulier vterinâ ſuffocatione: hic vir pleuritide biliosâ, ſenex catarrho, & ſic de reliquis, vno eodémque tempore, corripientur, ex particularium cauſarum, quas quiſque ſibi accerſiuerit, vel in quas fortuito inciderit, potentiâ.

Atque vt à modo graſſandi in ſubiecta, illæ petuntur differentiæ, ſic etiam à varietate inhærendi, aliæ petuntur iam à nobis commemoratæ: *ſimplicis* ſcilicet & *facti* morbi: *æqualis* & *inæqualis*, de quibus vide in ſuperioribus. Quibus adde quod ad inæqualem intemperiem ſpectat, apud Galenum varias illius reperiri ſignificationes: dicitur enim apud eum inæqualis diſpoſitio, quæ non eſt æqualiter omnibus corporis partibus inſita, ſed huic magis, illi minus, vt in febre hecticâ, quæ cor magis quam alias partes incendit: vel quando eidem parti non inhæret in eodem gradu, vt in febribus ſpirituoſis, vel humoralibus dicemus, iſta in corde magis eſſe inflammata, quam partes illius ſolidas. Dicitur etiam quando contrariis diſpoſitionibus exercetur corpus ſimul, vt in epialâ vel lipyriâ, aut ſucceſſiuè, vt in paroxyſmis tertianæ: vel quando diuerſæ partes in eodem homine aduerſis occupantur qualitatibus: vtpote hepar calidâ, ventriculus frigidâ intemperie, quod eſt frequentiſſimum: aut quando idem affectus modò minuitur, modò augetur difformiter & ſine certo typo, quorum omnium exempla apud Galenum reperiuntur.

A fine etiam ſiue ab exitu morborum, dicuntur morbi alij eſſe *ſalutares*, alij *dubij*, ſeu *periculoſi*, alij denique, *lethales*, vel *incurabiles*. Cum enim naturæ aut morbi victoria ex variis illorum viribus & contentione pendeat, concurrente Medici velut naturæ miniſtri auxilio: contingit morbos aliquos ita faciles eſſe ex ſuâ naturâ, vt vel ſponte, aut leuiſſimo auxilio, boniſque ægri rebus ſoluantur, numquam ſaltem ad internecionem deſinant ex ſe, vt ephemera febris, tertiana, phlegmone externarum partium & ſimiles: alij contra tantâ atrocitate vim corporis noſtri moderatricem aggrediuntur, vt planè de eâ triumphent & mortem ſæpiſſimè ægris inferant, quales ſunt apoplexia, ileos, cholera morbus & ſimiles pernicioſi toto genere, θανάσιμοι & *lethales*: alij quamuis mortem non inferant promptam, ita tamen ſunt pertinaces δυσιατοὶ, δυσκαταμάχητοι, vel potius ἀνίατοι *incurabiles*, vt nunquam naturæ Medicóque opitulanti cedant, vt raucedines in ſenibus, calculoſa renum diſpoſitio, podagra, elephantiaſis & ſimiles. Inter hos autem quaſi medij exiſtunt *dubij*, *ancipites* ſeu *periculoſi*, qui neque ſpem ſalutis omnino auferunt, neque adferunt, ſed ancipiti exitu modò perniciem inferunt, modò naturæ robore expugnantur, vt ſunt omnes febres continuæ & acuti morbi, de quibus verè pronunciauit Hippocrates *Aphoriſm.* 19. *ſect.* 2. non omnino certas eſſe illorum prædictiones, vel ad ſalutem, vel ad mortem.

Ab effectis. Vt autem ab eſſentiâ & cauſis morborum varias propoſuimus differentias, ſic etiam aliæ ſunt ab effectis, quæ nos ad duo potiſſimùm capita reducemus, morem ſcilicet morbi & motum. Quod ad morem ſpectat, duæ præcipuæ differentiæ ab eo exoriuntur, quando dicitur morbus quidam ἤμερος *mitis* & *benignus*: vel κακοήθης *malignus* & *ferus*. Quemadmodum ergo *benignus* is appellatur, qui minus quam pro naturâ ſuâ & ſpecie ſæuit, vt quando febris continua, pleuritis, angina & ſimiles minimis ſunt comitata ſymptomatis: ſic *malignus* is erit exiſtimandus, qui vel præter naturam ſuam & ſpeciem ſæuit, vt quando febris tertiana lethalis euadit præter conſuetum, vlcus fit δυσηθέλατον, & ſimiles: vel ex propriâ eſſentiæ ac cauſarum ſuarum conditione ferus & immanis exiſtit: cui ſubiiciuntur tres vulgatiſſimæ morborum differentiæ, *peſtilens* ſcilicet, *venenatus*, & *contagioſus*: *venenatus* enim is eſt, qui ob ſumpti, admoti, vel intus geniti ex teterrimis humoribus veneni aduerſam habet omnino vitæ qualitatem & deleteriam, ad cuius vim interitus ægri plurimum ſubſequitur. *Peſtilens* autem, præter deleteriam illam qualitatem & internecionem, habet etiam proprium illud, quod communiter vagatur, vt ſupra dicebamus, & contagione quadam in vicinos ſerpit: *contagioſus* enim is eſt, qui ſeſe multiplicare poteſt, & alios eodem affectus genere inficere. Quod vt melius intelligatur & propter rei vtilitatem, paucis de naturâ contagij eſt diſſerendum.

Morbos itaque eſſe, qui non ſolum indiuidua affligunt, quibus inhærent, ſed etiam qui alios inficiunt, certo certius eſt, & experientiâ eorum ſatis comperrum, quicumque non ſolum peſtilentes ſtatus, elephantiaſim, luem veneream, & ſimiles

contemplati

contemplati ſunt ; ſed etiam ſcabiem, ophthalmiam , catarrhos,phthiſim,aſthmata, ſtrumas, & ſimiles morbos : quorum alij contagium ſuum communicant contactu ſolo corporis infecti , vt rabies canina : alij præter contactum etiam fomite , quem in veſtibus, linteolis , & ſimilibus rebus raris ac foraminulentis relinquunt, vt lepra, ſcabies,&c. Alij præter contactum & fomitem ad diſtans etiam eiaculantur illam labem, vt phthiſis , febres peſtilentes &c. Quomodo verò hoc contingat , vt morborum alij vicinos inficiant , alij verò non, difficile eſt ſtatuere. Si enim contagio, vt multi arbitrantur , ſequeretur vim & violentiam morbi , oporteret morbos qui eſſent vehementiores , maximè contagioſos eſſe , cum tamen contrarium appareat in apoplexiâ , conuulſione, pleuritide, cholerâ morbo & ſimilibus , qui nullam infectionis maculam adſtantibus vel contingentibus inurunt : quod tamen placidi quidam & mitiores morbi , ſcabies , ophthalmia , & ſimiles efficiunt : & aliquando in peſte remiſſa eſt admodum febris , pulſus conſtans , & vrina laudabilis. Sin verò, quod alij putant, contagio eſſet effectus magnæ inflammationis,ſequeretur ardentiores febres eſſe valde contagioſas:cùm tamen & cauſus & ſynochus ſimileſque omni contagionis ſuſpicione ſæpius careant.

Dicamus itaque quatuor potiſſimùm conditiones requiri,vt morbus aliquis contagioſus exiſtat : primò putredinem : ſecundò humoris lentorem : tertiò vt illa putredo habeat analogiam vel ſit qualitatis malignæ & occultæ particeps,propter quam illam partem magis quam aliam afficiat : quartò vt locus in quo reſident ſeminaria illius affectus, ſit exhalationi accommodus,vnde transferri poſſunt & defluere in adſtantes vel fomitem.

Requiri autem ad contagium putredinem ita confirmatur. Vapor ille ſeu corpuſculum μίασμα,per quod νοσερὰ διάθεσις infectio defertur , non exurgit ab humore quieto, ſed agitato , quemadmodum patet in rebus externis : quo enim magis mouentur ſordes, eo magis exhalant & fœtent. Agitatur ergo vel à calore innato, vel extraneo. Ab innato reduceretur potius ad mediocritatem & temperiem,quam ad malignam qualitatem. Adde quod innatus noſter calor parum materias iſtas contagioſas, vel extra regimen ſuum poſitas aggreditur : Ab extraneo igitur , qui cum ſit duplex , comburens vel putrefaciens:comburens diſſipat & conſumit fomitem magis quam eleuat aut tranſmittit. Fiet ergo potius à putrido, qui magis diſſoluit,quam conſumit,facitque expirationem maximam.

Verum dicet aliquis, contagium ſæpe citra febrem apparet, ac proinde citra putredinem, cum eam putredo accendat : at in catarrho , aſthmate , ophthalmia , elephantiaſi , lue venereâ , ſcabie , & ſimilibus contagioſis , nulla aliquando febris. Reſpondemus , non eſſe neceſſarium , vt omnis putredo febrem accendat , niſi ſit valida , & quæ rectà per vaporem poſſit cor impetere. In iis ergo cùm putredo vel ſit adhuc in parte tantum humoris , vel exhalet ad exteriora , non ad ipſum cor , fit vt febris nulla aut leuior ſubſequatur. Ita contingit in rabie caninâ aliquando ſeminarium morbi per menſem , imo quod Galenus ſcripſit, per annum latitare , donec quædam putredinis rudimenta conceperit , per quam veluti agitata lues illa intus latitans erumpere poſſit in actum , corpuſque non ſolum in quo eſt, ſed etiam alia cum quibus fit contactus , inficere. Eſt itaque omnis contagio cum putred ne. Et quemadmodum omni contagio iungitur aliqua putredo , ita omni putredini aliquod contagium : Hinc putridæ febres , vbi vnum aut alterum in domo aliquâ inuaſerint , reliquis fere communicantur , nec ſatis eſt tutum cum eis verſari.

Potiſſimùm ſi huic putredini ſecunda conditio acceſſerit , lentor videlicet humoris putrefacti , qui poſſit reniti aëris diſſipationi & calori digerenti , tam ſubiectorum corporum, quam inficiendorum , necnon exquiſitè miſceri & illis adhæreſcere : defectu enim huius conditionis plerumque febres ardentiſſimæ non ſunt contagioſæ , quia humorem habent aorem , facilè diſſipabilem & combuſtibilem.

Putredo autem iſta ſeu corruptio ad contagium neceſſaria non tam poſita eſt in manifeſtâ quadam temperamenti immutatione , quam totius mixtionis & propriæ partium ſubſtantiæ corruptela , ad quam ſequitur infectio habens analogiam cum his vel illis partibus , potius quam aliis : vnde fit, vt ſcabioſi, ophthalmici,aut phthiſici effluuium , quamuis omnesobiecti hominis partes attingere poſſit , non tamen afficiat , ſed peculiariter cutem,oculos & pulmones : quod inter alia maximè eſt mirum in morbis iſtis contagioſis.

Denique non ſolum prædicta ad contagium ſunt neceſſaria , ſed etiam locus ſiue pars in quâ corruptio contagioſa poſita eſt , debet eſſe exhalationi ad exteriora ac-

commodata: : quomodo enim in vicina corpora transferretur, niſi illa corpuſcula, quæ exhalatione quadam in fomitem tranſmitti debent, vel ad diſtans concitari, habeant exitum per externos corporis meatus, vt cutis, narium, oris, & ſimilium partium, quæ eructare poſſunt eiuſmodi vapores in vicina corpora? Tot igitur requiruntur conditiones ad morbum contagioſum, de quo hæc non inutiliter, quamuis fortaſſe non ſuo loco, quia ad tractatum cauſarum referri poterant, dicta ſufficiant.

Ab effectis morborum duo præcipuè pendere diximus, morem ſcilicet, de quo iam actum eſt; & motum. Quod ad motum itaque attinet, multæ ex eo morborum appellationes & differentiæ exoriuntur Medicis vſitatiſſimæ. Dicitur enim morbus hac de causâ *vehemens, velox, acutus & grauis*: aliàs *languidus, tardus, obtuſus, leuis*: dicitur etiam *continuus & intermittens: ordinatus & inordinatus*. Acutus itaque, qui potiſſimum hic conſiderandus venit, quia vehementiam ſimul cum velocitate & grauitate ſeu periculo obtinet, à magno differt: quia non omnes magni breues ſunt & veloces, ſed plerique longi & tardi, quorum ſcilicet generatio pendet ex paulatinâ temperamenti & partium præcipuarum immutatione, vt epilepſia, arthritis, hydrops, hectica & ſimiles, quos fouet pertinax cauſarum efficientium conſtantia, quæ non niſi annorum aliquando numero, aut certe cum vitâ hominis poſt diuturnam excarnificationem tantum deſinunt. Differt etiam à breui: quia non omnes breues velocitatem habent aut vehementiam coniunctam, ſed plerique eorum, vt cito terminantur, ſic etiam citra periculum, quales ſunt ephemera febris, cephalalgia ſimplex & ſimiles. Acutus ergo morbus eſt, ſi quis verbi gratia coniungat naturam magni & breuis, periculum ſcilicet cum celeritate: quia acuti morbi propriè appellati coniunctam habent continuam febrem & vehementem ab humore putrefacto, vel inflammato, qui cito mouetur, naturamque indefinenter affligit: ſiue ille humor ſit vagus & in maſſa ſanguinariâ contentus, vt per cauſos, ſynochos, & alias febres primarias: ſiue parti alicui affixus, vt per inflammationes ſyſtrophicas partium internarum in pleuritide, peripneumonia, phrenitide, & ſimilibus, ad quas ſymptomaticæ febres conſequuntur: non enim humor craſſus, lentus, frigidus, & tarde mobilis acutos iſtos morbos generare poteſt ratione ſui: quamuis aliquando ratione loci, quem occupat, acutos morbos, id eſt periculoſos, & qui ob priuationem actionis ad vitam neceſſariæ, vt reſpirationis, citò interimunt, producit: vt per apoplexiam, tetanum, catarrhos præfocantes, & ſimiles videre licet. Vt igitur acuti morbi magni ſunt & periculoſi, ita etiam breues: ac pro durationis huius varietate etiam diſtincti, in *acutos ſimpliciter, peracutos, perperacutos, acutos adauctos, acutos ex conuerſione*, vel *ex decidentiâ*. Cum enim motus naturæ & humoris certis periodis contineri ſit obſeruatum, quaternariis ſcilicet & ſeptenariis: hinc morbi acuti ſimpliciter dicti duobus dierum ſeptenariis iudicantur, vt eſt *Aph. 23. ſect. 2*. At ſi maior fuerit tum naturæ, tum morbi impetus, fiunt νόσοι κατόξεις peracuti, qui primâ ſtatim ſeptimanâ iudicantur, in quibus Hippocrates vult extremos ſtatim labores adeſſe, & longè tenuiſſimo victu eſſe vtendum. Vbi Galenus *in commento* diuidit iſtum morbum in non exacte peracutum, qui ſeptimo die à nobis dictus eſt terminari: & exacte peracutum, qui ad quartum tantùm diem peruenit, & in eo iudicatur: quem Practici ſignificantiſſimo vocabulo expreſſerunt, pe peracutum vocantes.

Quod ſi in morbis iſtis celeritas quodammodo & vehementia minuantur, ex minori cauſæ morbificæ ratione, in quam natura non ita intenta vel coctioni ſtudet, vel dimidiatas tantum & imperfectas criſes molitur, fiunt acuti illi adaucti, ad quorum iudicationem & terminationem tertius ſeptenarius, ad vigeſimum ſcilicet aut vigeſimum primum diem requiritur: vel ſi minor ſit adhuc impetus, fiunt tunc acuti illi morbi, qui per μετάστασιν, conuerſionem & decidentiam tales vocantur, & ad quadrageſimum vſque diem excurrunt, de quibus Hippocrates *in prognoſticis, ſpirandi facilitas maximam vim ad ſalutem ſperandam habet, in omnibus morbis acutis, quibus febris copulatur, quique quadraginta diebus terminantur*. Quod verò in epidemiis modò quadrageſimum, nunc ſexageſimum, tandem etiam criticorum dierum ſupremum ſtatuit centeſimum & vigeſimum: id factum eſt, quia ortum conſiderauit morbi acuti, qui ex variis conuerſionibus & ὑποτροπιασμοῖς, vt ille loquitur; modo ad quadrageſimum, qui eſt vulgaris acutorum ex decidentiâ terminus modò ad ſexageſimum, aliquando etiam ad centeſimum vigeſimum peruenire poteſt: vbi iam menſium quaternio exurgit, qui tunc primum morbos longos menſium & annorum

eadem

eadem computatione quaternariorum & ſeptenariorum iudicare incipit. Atque hæc de acutorum differentiis.

Quoniam verò diximus omni morbo acuto proprium eſſe, vt ſit continuus in ſuo motu & actione: non tamen ſoli competit: quia poſſunt morbi tum longi, tum mites habere continuitatem, & conſimilem affligendi modum donec deſinant, vt patet de ephemerâ ſimplici & extensâ, necnon aliis multis. Hæc autem continuitas ſiue aſſiduitas agendi, vel ſemper ſibi ſimilis eſt & æqualis donec deſinat: vel accreſcit in dies, vel decreſcit: vnde febres illæ ſynochæ apud Galenum *homotonæ*, *epacmaſticæ*, & *paracmaſticæ* vocantur. Quibus opponuntur *intermittentes* & *remittentes*. Illi dilucida habent interualla inter ſuos paroxyſmos, vt nullum appareat ferè morbi veſtigium per intermiſſionem, quemadmodum in arthritide, epilepſiâ, febribus periodicis in ἀπυρεξίαν deſinentibus, colico affectu & aliis. *Remittentes* verò ſolam imminutionem habent ſuæ vehementiæ, quæ deinde ingraueſcit, vel certâ & ordinatâ periodo, vel incertâ & inordinatâ, quæ morbos conſtantes & inconſtantes: ſtabiles & erraticos faciunt. His videntur annectendi morbi illi, qui redeunt, ac recidiuas faciunt, ſiue ſint ſimiles cum ſuperiore radice, ſeu diſſimiles: iſta enim ὑποτροπιάζοντα καὶ ἐπανερχόμενα νοσήματα dicuntur Galeno, quæ dum penitus extincta putantur, aut ſaltem minima eorum ſymptomata apparent, ad declinationem perfectam deſinentia, quaſi poſtliminio reuertuntur, & ægrum de nouo inuadunt, propter relictam in viſceribus materiam aut intemperiem, vel prauum ægri victum. Atque hæc de effectis ſeu differentiis quæ ab eis petuntur.

A TEMPORE ET LOCO. Cum verò cauſæ non producant ſuos effectus, niſi ſub quadam ratione temporis & loci in quo fiunt: ideo etiam multæ hinc ducuntur morborum differentiæ. Quod ad locum ergo ſpectat, iam de appellationibus morborum ab eo deſumptis egimus, dum de epidemiis, & endemiis morbis tractabamus. Ratione verò temporis, quo fiunt morbi, reſpicimus ordinem generationis, durationis, & ſolutionis: vnde morbus *primarius* & *ſecundarius*: ad quos referuntur *idiopathicus*, *protopathicus*, *ſympathicus* & *deuteropathicus*, de quibus & vario ſympathiæ modo iampridem à nobis actum fuit. Dicitur etiam *hereditarius*, *congenitus*, *connutritus*, vel *aduentitius*: *recens* vel *inueteratus*: *brevis* vel *longus*: *eſtiuus*, *hyemalis* & ſimiliter.

Quicunque igitur morbi ſequuntur labem à parentibus deriuatam, qui eodem vel non abſimili affectu laborarunt, propriè *hereditarij* dicuntur, quia per ſucceſſionem, & quaſi ius hæreditarium in prolem deriuantur. Hoc latius patet *congenitus* ſeu *innatus* συγγενὴς, item *connutritus* ſiue σύντροφος: quæcunque enim diſpoſitiones præter naturam vel in ipſo vtero ob varias cauſas, vel ſtatim dum exit ab vtero infans eum occupant, innatæ ſeu congenitæ cenſentur: quæ verò non quidem ab vtero, ſed paulo poſt in pueritiâ emergunt, hominémque per alias ætates comitantur, *connutrita* dicuntur ex ſententia Hippocratis: quibus opponitur *aduentitius*, qui quomodocunque per omnes ætates & varias cauſas accedit, receditque extra omnem ſuſpicionem vitij ſeminalis aut aliorum principiorum.

Vt autem paulò latius de naturâ & cauſis hæreditarij morbi diſſeramus, ſciendum eſt triplicem eſſe parentum ad liberos ſimilitudinẽ Galeno. *lib. de ſemine*: Prima quæ eſt ſpeciei, quando videlicet homo hominem, equus equum generat, quæ pendent ex ſpecificâ facultatis formatricis ſemini inſitæ varietate: Secundo ſimilitudo poſita eſt in ſexu, cuius diuerſitas pendere poteſt ex vtriuſque ſeminis, menſtrui, & vteri calidioris, aut frigidioris, humidioris, vel ſiccioris temperamento: vnde Hippocrates ab vtroque parente modò maſculum, modò fœmineum ſemen profundi exiſtimauit, & Galenus, poſt menſtruas purgationes mares: ante illas, id eſt circa earum periodum, fœminas, ob copioſiorem humiditatem: Tertia ſimilitudo eſt in accidentibus variis, ſiue animi mores ſpectes, ſiue corporis conſtitutiones in temperamento proprio, figurâ, compoſitione & ſimilibus, ſiue bonis, ſiue malis. Cùm enim ſemen, iuxta probatiſſimam Medicorum ſententiam, ex præcipuis & quaſi ſingulis animantium partibus profluat, è ſanis quidem ſanum, è morbidis morbidum, vt loquitur Hippocrates *lib. περὶ γονῆς*: ſi non materialiter, ſaltem virtualiter, vt loquuntur; cum ſpiritu deferente ſecum ideam & characterem illarum partium: Fit vt illa vis πλαστικὴ hoc ſpiritu, tanquam præcipuo artifice, vtens, Archetypi ſpeciem ſubiecto ſuo imprimat, & pro materiæ conditione partes ipſius embryonis conformet.

Duo

Duo itaque requiruntur in hac ſimilitudine accidentali, vt transferri poſſit in prolem, nempe vt vel ipſi corpori inhæreat, vel animæ ipſius facultati, quæ ſit genetatrici proxima: præterea vt accidentia illa imprimenda ſint facta & quaſi habitualia ipſis parentibus, nec pugnent adhuc valde cum natiuo membrorum temperamento. Hinc fit vt affectus ſuperioris animæ & principis, vt virtutes intellectuales, ſcientiæ, artes, & ſimilia non tranſeant in liberos per traducem: quia nihil habent commune cum generante facultate, ſed ab eâ plurimùm abſunt: mores tamen (*veniunt cum ſemine mores*) virtutes & vitia, quando ſequuntur potius ipſam organi diſpoſitionem, quam acquiſitionem & diſciplinam, tranſeunt in liberos: iracundi vel iracundæ proles in iram propenſa, timidi vel timidæ ignaua vt plurimum euadit. Hinc etiam fit vt affectus illi, diſpoſitiones ſeu accidentia, quæ nondum in habitum tranſiuerunt, ſed habent repugnantiam in membris, vt febres putridæ, dolores, inflammationes partium & ſimiles, non tranſeunt in liberos, quod ad actum ipſum ſpectat, quamuis propenſionem aliquam habere poſſint ad illos facilius recipiendos. Facti verò & in habitum conuerſi plurimum transferuntur in prolem, quoniam immutant conditionem ſeminalis materiæ, niſi permixtione alterius genituræ aut menſtrui temperentur. Elephanticus itaque confirmatus, nephriticus, colicus, podagricus, & ſimiles prolem producunt in ipſo actu, vel certè magnâ aptitudine ad hunc morbum qui tunc primum exorietur, quando minimarum cauſarum aderit concurſus ad illum ſuſcitandum, vel ætatis exortus huic morbo conuenientioris, aut in quâ parentes eo laborare cœperunt. Eadem de causâ conformatio ſeu figura corporis, illius pulchritudo, vel deformitas in liberos tranſit, quoniam ſunt qualitates fixæ & ſtabiles, ex quarum veluti exemplari vis illa conformatrix, vt dicebamus, puerulorum effigiem concinnat, niſi ab imaginationis perturbationibus, alterutrius ſeminis reſiſtentiâ, aut materiæ ineptitudine impediatur, ob quorum varietatem tanta etiam diſſimilitudo aliquando apparet inter parentes & liberos in ſpecie humanâ. Atque hæc pauca de morbo hæreditario: nunc reliquas differentias percurramus.

Morbus ego *recens* is dicitur, qui de nouo factus paruam adhuc in corpore moram traxit: cui opponitur *inueteratus*, paulo minus patens quam *connutritus*, de quo ſuperius agebamus: breuis autem is dicetur, qui vel ex naturâ ſuâ, vel artis beneficio expugnatus parum durat, ſiue habeat iunctam vehementiam, vt in acutis; ſiue illâ careat. Cui opponitur *longus, chronicus* vel πολυχρόνιος dictus, qui coincidit quaſi cum connutrito & inueterato: ita vt ex propriâ ſuâ naturâ habeat durationis ſuæ terminos productiores & diuturnos. Qui morbi apud Hippocratem non tam dierum vel ſeptimanarum, quam menſium & annorum numero iudicantur: Sic puerilis epilepſia, niſi circa vigeſimum quintum annum euaneſcat per calidioris ætatis aduentum & ἐκλαμψιν, reliquum vitæ tempus perdurat. Sic morbi chronici, qui hyeme fiunt, in contraria conſtitutione ſoluuntur plerumque, vt æſtate; vel in aliâ quæ reſpondeat computationi menſium per quaternarios & ſeptenarios, vt ſuprà dictum fuit.

Porrò cum iſta fiant per certas anni tempeſtates & mutationes ſyderum, ideo annotauit Hippocrates in generatione morborum æquinoctia, vtrumque ſolſtitium, caniculæ ortum, & ſimilia, vocauitque morbos alios *eſtiuos*, *hyemales*, *autumnales*, & *vernos*, vel qui eo anni tempore gignuntur, vel qui temperiem & naturam habent illi reſpondentem: Vnde *Aphoriſmo vigeſimo quinto ſectionis tertiæ*, quartanæ *eſtiuæ* dicuntur, quæ tunc temporis homines inuadere ſolent: & *Aphoriſmo quarto ſectionis tertiæ*, *autumnales* morbi quicunque ſuâ inconſtantiâ & inæqualitate autumni ſtatum imitantur. Sed vt iſta breuitas, longitudo & ſimiles morborum differentiæ intelligantur, par eſt vt iam de morborum temporibus, tanquam eorum partibus agamus.

CAPVT

CAPVT XV.

De temporibus morborum.

TEMPORA, partes, siue ætates morborum distinguere posse est vtilissimum, tam propter ipsam curationem, remediorum scilicet & diætæ vsum, quæ pro diuerso morbi tempore variantur: quàm propter salutis mortisque præsagium & iudiciorum siue crisewn rationem. Tempora autem morborum appellant Medici, ductâ quadam ab animantibus similitudine. Quemadmodum enim illa per certas mutationes augentur & intereunt: ita quoque morbi ex motione suarum causarum, aut propriæ essentiæ mutatione, vt incipiunt primò & generantur, sic etiam augentur & vigent, ac vicissim minuuntur, & decidunt: Nihil enim aliud est morbi tempus, nisi pars eius, aut ætas, quæ successionis quadam vicissitudine aliam constitutionem suscipit: vel spatium id & interuallum, quo insignes fiunt in illis mutationes.

Sunt autem tempora morborum vel vniuersalia, vel particularia. Vniuersalia dicuntur ea quibus totus morbi decursus comprehenditur: quorum vnumquodque rursum in principium, medium & finem distinguitur. Particularia verò sunt minores partes, in quas singulæ accessiones diuiduntur: quæ accessiones seu paroxysmi sunt deteriores totius periodi & circuitus partes. Periodum autem in morbis appellat Galenus *comment. in Aph.* 43. *lib.* 7. eiusdem ad idem per certum tempus & ordinem, reditum. Porrò tam vniuersalia, quam particularia tempora quatuor ab omnibus vno consensu statuuntur, principium nempe, augmentum, status & declinatio. Principium autem morbi, vt idem docet Galenus *comment. in Aphor.* 12. *sect.* 7. trifariam sumitur: Vel pro primo eius insultu & inuasione manifestâ, quam *Paroxysmum* vocant, Barbari principium principians, quo scilicet aliquis male habere incipit, & cogitur decumbere, vel sumitur pro spatio trium dierum, ex quo aliquis incommodâ valetudine vsus est: vel pro toto illo tempore quo materia morbifica cruda existit. Quod attinet ad primam principij significationem, vtilis est Medico propter dies criticos & morbi iudicia, quorum computatio facienda est ex primâ aggressionis horâ, quâ cœpit æger decumbere, vel certè decubitu egere. Secunda verò principij significatio ex vulgari hominum loquendi ratione desumpta est, qui illud vocant esse in principio, quod parua adhuc habet suæ generationis incrementa, vel parum durauit: vnde etiam Medici, vt certum quoddam temporis spatium designarent cum Hippocrate, si quid est mouendum, vt vena secanda, vel exhibendum pharmacum ob materiæ ἐργασμὸν in principio morbi, illud de tribus primis diebus interpretantur, vbi aliæ deiunt notæ & indicia. Ac propterea illa magis est artificiosa principij significatio in morbis humoralibus, quæ ex cruditate & coctione finitur. Cum enim totus morbi decursus constet ex pugnâ naturæ cum materiâ morbificâ, certum est in principio actionis naturæ non posse adhuc esse magna coctionis rudimenta, sed cruditatem esse insignem, pro variâ humoris & partium ratione, quæ causa est potissima inæqualitatis temporum, vt principium verbi gratia longum, incrementum vel status sit breuis, aut contrà: tempus enim illud quod statim principium excipit, incrementum, augmentum, ascensus, αὔξησις & ἀνάβασις seu ἐπίδοσις vocatur, quando morbus vires acquirens intenditur & eleuatur, donec ad summum vigorem peruenerit, qui status siue ἀκμὴ vocatur: in quo cum grauissima adsit naturæ & morbificæ causæ decertatio, oportet citò victoriam ex parte alterutrius sequi, quam si natura obtinuerit debellato morbo, succedit vltimum illud tempus, quod κατάπαυσις declinatio vocatur, quia paulatim exolescit, & tandem bonis ægri rebus euanescit affectus: aliàs si morbus omnem naturæ conatum superauerit, perniciem tunc frequentissimè adferre solet.

Ex quibus fere colligitur, tempora hæc morborum vniuersalia penes tria potissimum versari, causarum scilicet morbificarum statum: morbi propriam essentiam: & effectuum siue symptomatum paruitatem aut vehementiam. Causa enim morbifica, vt iam dicebamus, vt mutat corpus nostrum agendo, sic etiam inuicem patiendo multas patitur mutationes per cuiusque morbi humoralis decursum. Ex respectu itaque materiæ morbificæ & actionis calidi innati in eam, dicimus tunc esse principium,

quamdiu calor natiuus quaſi obrutus multitudine illius,vt flamma à lignis viridibus vel humidis,nulla adhuc emittit rudimenta concoctionis in humore:ſed omnia eruda & quaſi intacta apparent.Vbi verò cœpit illuceſcere vis naturę humorem agitantis,& coquentis, quaſi flammæ lignum delambentis, & vrere incipientis, tunc augmentum exiſtit,donec appareant manifeſta concocti humoris indicia, quæ Hippocrates per ideam puris albi, læuis,æqualis,& minimum fœtidi deſcripſit in prognoſticis. Et quoniam is eſt ordo & ſeries functionum naturalium,vt poſt coctionem fiat ſecretio vtilis ab inutili,huiuſque per conſuetas vias expulſio:ideo in ſtatu poſt peractam coctionem, cum natura ſit in procinctu ad criſim, vacuationem ſcilicet & ſecretionem,ideo maxima perturbatio exiſtit,& ſymptomatum violentia,de quâ meminit Hippocrates *Aphor.* 13. *lib.* 2. non ex parte coctionis, quæ iam ex maiori parte perfecta eſt, vt diximus; ſed expulſionis:quâ peractâ perfectè vel imperfectè ſuccedit declinatio cum naturæ triumpho,& certis proximæ ſalutis indiciis. Aliquando etiam Galenus tempora iſta morborum diſtinguit,in morbis ex fluxione concitatis, ratione illius primum fientis,deinde implentis partem,donec ad ſummam diſtentionem peruenerit,cuius vacuatio etiam ſenſilis vel reſolutio facit declinationem.

Penes verò eſſentiam & propriam morborum naturam diſtinguuntur tempora morborum, quando videlicet illa eſſentia, vt calor in febre, magnitudo & ſimilia in morbis organicis aut communibus intenditur aut remittitur:vnde penes eſſentiã dicitur principium morbi,quãdiu propinquiſſimus generationi ſuæ parum adhuc promouit naturæ ſuæ propagationem.Contrà augmentum,vbi ſenſibiliter accreſcit penes eſſentiam;ſtatus,vbi ſummum ſuæ perfectionis, quantum coniicere licet,acquiſiuit:in quâ cum non poſſit diu durare ægro ſuperſtite, ideo vel eum perimit, vel minuitur & deſcrecit: cuius rei exemplum in qualitatibus alicui ſubiecto impreſſis eſt manifeſtum.

Quemadmodum igitur cauſæ morbificæ & morbi ipſi varias mutationes ſubeunt, ſic etiam effectus qui ab illis proficiſcuntur,ſiue ſymptomata variè mutari per morbi tempus oportet.Ac proinde cum ex ſymptomatis maximè ſenſibiles notæ conſtitutionum morboſarum deſumantur,ideo apud Galenum ſæpe illa ex ſymptomatũ paruitate vel vehementiâ diſtinguuntur. In principio enim morbi cum nondum ſit factus magnus receſſus à naturali ſtatu penes eſſentiam morbi, neque adhuc multum agitata ſit cauſa morbifica, tunc parua etiam oportet eſſe ſymptomata, vt contrà in augmento & ſtatu,quando intenditur naturæ & morbi certamen,quo pacto neceſſe eſt etiam ſymptomata ſuccedente declinatione remitti. Non tamen idcirco exiſtimandum eſt diuerſa eſſe ſtatuenda tempora,vt quidam faciũt,in vno eodemque morbo,alia ſcilicet quę ſequãtur eſſentiam morbi,alia cauſarum mutationes,alia vero effectuum ſiue ſymptomatum:cum enim hæc ſe mutuò cõſequantur,& vnum ab altero pẽdeat,non poſſunt diſtincta facere tempora & diuerſa:ſed intenſiſſima eſſe ſymptomata in ſtatu cum concoctione & mitificatione humoris morbifici,ſit ratione ſecretionis & expulſionis,in quâ maior eſt naturæ perturbatio, & materiæ reſiſtentia; quam in ipſâ coctione,vt iam dicebamus.Præterea cuiuſuis morbi tempora non poſſunt ſecundum iſta tria diſtingui. Quomodo enim febris hectica, aut ephemera & aliæ immateriales qualitates,vel etiam calculi,vulnera & ſimiles concoctione diſtinguantur?Aut quomodo febris verbi gratia peſtilens per ſymptomata,quæ ſæpius homines è medio tollit,nullis grauioribus ſymptomatis apparentibus ? Sunt igitur iſta tria ita inter ſe componenda, vt aliquando ex omnibus ſimul, aliquando ex vno aut duobus eorum magis notis & apparentibus tempora morborum diſtinguamus.

Verùm quæri hic ſolet,vtrum omnes morbi quatuor iſta tempora vniuerſalia percurrant? Ad quod reſpondendum eſt,adhibitâ diſtinctione morborum ſalutarium & eorum qui mortem inferunt.Quod ad ſalutares,credibile eſt eos quatuor illa tempora percurrere;cum enim incipiant, non poſſunt perdurare, & ad ſalubrem ſtatum deſinere,quin augeantur & perſiſtant aliquantiſper in ſuo ſtatu.Hic enim eſt ordo earum rerum quæ oriuntur,vt conſuetas ſuas ætates percurrant.Quia tamen inter iſta tempora apparet aliquando ſumma inæqualitas durationis,hinc fit vt illa quæ principium vel augmentum,ſtatum,aut declinationem habent breuiſſima,exiſtimentur aliquando illis carere : Vnde Galenus *lib.de optima ſecta*,ſcripſit nonnullos morbos acutos,vt apoplexiã,ſimul atque inuadunt vigorẽ aſſumere:& 9.*meth.* gloriatur ſe multas febres ſanguinis miſſione iugulaſſe:quaſi dicat tã ſubito curaſſe,vt ſtatim in declinationem, aut perfectã ſanitatẽ peruenerint.Quod eadẽ ratione intelligẽdum eſt de febribus illis,quas vocat,epacmaſticas, paracmaſticas,& homotonas:tã breuia ſcilicet habere & inæqualia

inæqualia quædam tempora, vt ex alterius longiore duratione nomen & appellationem deſumpſerint. Iſta autem temporum inæqualitas in morbis, eorumque breuitas & diuturnitas pendet à varietate efficientium cauſarum, naturæ diuersâ conſtitutione, & partium ac meatuum corporis noſtri laxitate, denſitate, & aliis conditionibus.

Lethales autem morbi non percurrunt quatuor iſta tempora, quoniam in principio ipſo ſaltem ſenſibili, vt patet de venenatis & peſtilentibus morbis, qui aliquando intra paucas horas interficiunt, mors accidere poteſt: ſæpius in augmento, vel ſtatu vigente pugnâ morbi & naturæ. In declinatione enim vniuerſali verâ nemo moritur: nam fieri poſſe non videtur, vt tunc ſuccumbat natura, quando hoſtem deuicit. Quod ſi aliquis moriatur aliquando, poſtquam morbus videbatur factus leuior, exiſtimandum eſt falſam fuiſſe declinationem, aut quia virtus imbecilla non contendebat amplius cum cauſâ morbificâ: aut illa quieſcebat ad tempus, mox ferocius naturam inuaſura; vnde frequentes recidiuæ: tum etiam ex inordinato ægri victu & intempeſtiuo remediorum vſu, quibus ægri de nouo in periculum præcipitantur. Atque hæc de temporibus morborum ſufficiant. Nunc ad tertiam Pathologiæ partem accedamus, quæ eſt de cauſis morborum.

PATHOLOGIÆ VNIVERSALIS
PARS TERTIA DE CAVSIS MORBORVM.

CAPVT PRIMVM.

Quid cauſa morbi, & quotuplex.

EXPLICATA morbi naturâ, definitione, generibus, differentiis & partibus, iam ſupereſſe videtur, vt de morborum cauſis & effectibus diſſeramus. Cum enim nihil ſine cauſâ fieri certiſſimum ſit, & cauſæ cognitio ad rei cuiuſque naturam clarius intelligendam faciat, ideo ex Galeni ſententiâ maximè laborare debet Medicus in cauſarum morbificarum διαγνώσει, ſi quidem therapeiam rectè & methodicè velit inſtituere.

Genus autem omne cauſæ, cum ſit apud Philoſophum vel in rei formâ, vel in materiâ, aut in fine, vel ſit efficiens: cauſa verò formalis ſit propria cuiuſuis rei eſſentia: non eſt quod de cauſâ formali morborum rurſum agamus, quandoquidem de ſingulorum naturâ & differentiis iam prius diſputauerimus: neque etiam de materiali: cum enim morbus ſit accidens, non habet materiam ex quâ fiat, ſed tantùm in quâ exiſtat velut ἐκτικὸν πρῶτον, partes ſcilicet corporis viuentis, tam ſimilares quam diſſimilares, vt prius oſtendimus. Quod ad cauſam verò finalem ſpectat, vel eâ caret morbus, vt cætera quæ in imperfectione poſita ſunt: vel certè per accidens tantum habet, quatenus ad eius generationem ſequitur functionum læſio, quæ eſt præcipuus morbi effectus, vt poſtea in tractatu ſymptomatum videbimus.

Supereſt igitur efficiens morborum cauſa, ad quam referantur tractatus omnes, qui apud Galenum & alios Medicinæ authores habentur, de morborum cauſis, & cuius causâ explicationem iſtam ſuſcepimus.

Cauſa igitur iſta efficiens morbifica cum dicatur ratione effectus quem præſtat, vel præſtare poteſt, eſt quædam relatio κατὰ τὸ πρός τι, quia ſemper habet reſpectum ad eam diſpoſitionem, quam in corporibus noſtris inducere poteſt: quumque ſit accidentarij effectus cauſa, illius etiam actio pendet præcipuè ab aliquo accidente, cuius vitalis effectus producitur, nempe qualitate. Neque enim humor verbi gratia febrem facit, quatenus eſt quædam ſubſtantia; ſed accedente qualitate, vt putredine, viſcione, & ſimilibus: Neque etiam quantitas, ſitus aut ſimilia immediatè morbum parere poſſunt, ſed concomitanter, vt aiunt, & propter connatam illis aliquam qualitatem, vt preſſionem, diſtentionem, obſtructionem & ſimilia: ad quam omnes morbificæ cauſæ ſaltem coniunctæ & proximæ reduci debent.

Dicamus igitur morborum efficientem hanc cauſam non ſolum eſſe à quâ fit morbus, vel à quâ primò fit motus, vt eſt apud Philoſophum: ſed latiori ſignificato, quæ quocunque modo aliquid ad generationem morbi confert: ſiue ſuapte naturâ primò, principaliter, & per ſe: ſiue per accidens, ſecundariò, mediatè & coadiuuando illud tantum præſtet. Quærit enim Medicus efficientes omnis generis, quid morbum gignat, augeat, & foueat: quid iam faciat vel facere poſſit: quid vt communis cauſa, quid vt particularis & propria: quid remotè, quid propinquè: denique quid vnumquodque tam rerum naturalium, vt diſponentium; quam non naturalium & præter naturam in morbis præſtare valeat, expendimus: quemadmodum cauſas cum quibus & ſine quibus, alioſque cauſarum modos.

Cauſam enim morbificam per ſe agere & ex ſuâ naturâ dicimus, cum propriâ & iuſtâ vi, nullius alterius interuentu id præſtat: per accidens verò, quando aliquid aliud excitat, cuius interuentu, quamuis ad hoc non videbatur apta, fit diſpoſitio quædam morboſa. Sic aqua frigida vel nix corpori noſtro affuſa refrigerat: per accidens verò calfacit, denſatâ cute & coërcito intus calore natiuo: Similiter ſcammonium per ſe corpus calfacit, acre ſcilicet & exurens medicamentum; ſed quia bilem calidoſque humores potenter expurgat, *κατὰ συμβεβηκὸς* refrigerat.

Cauſa autem ea morbi iam agere dicitur, quæ accedente patientis debitâ præparatione, illius robore, vtriuſque applicatione, & temporis morâ conueniente mutationem aliquam in corpus noſtrum inducit. Ea verò agere poteſt, vt dicebamus, quæ ex ſuâ naturâ, ſi ſupradicta omnia conueniant, illud efficere ſolet: ita vt dicatur principalis ſiue gignens, quæ vel primum dedit effectui motum, vel ſola illum concitare valet. Cauſa verò adiutrix, quæ alio nomine concauſa & *συναίτιον* ab Hippocrate appellatur, à recentioribus cauſa ſine quâ non: quia vel id non efficit ſola, ſed præcipuæ auxiliatur cauſæ, vel quod adiumentum tantum & quaſi præparationem adfert, vt cauſa principalis agat: ita vt ſine eâ actura non fuiſſet, aut certè cum eâ commodius vel vehementius agat. Cauſa etiam morbi quædam communis dicitur, quæ in pluribus plures eiuſdem rationis vel diuerſæ excitat morbos: Peculiaris verò ea, quæ vnius certi morbi, vel huius, vel illius in hoc indiuiduo exiſtit. Sic remota ea eſt, inter quam & morbum aliæ plures intercedunt: propinqua verò ſiue coniuncta, quæ immediatè & proximè morbum ipſum parit.

Cæterum cum omnes cauſæ, quæ corpora noſtra afficiunt & immutant, vel intra noſtrum corpus ſint poſitæ, & eius quaſi partes exiſtant, vel forinſecus aduenient, aut certè corporis ipſius naturam non ſequantur: ideo factum eſt vt communis & magis vſitata cauſarum iſtarum morbificarum diuiſio apud Medicos habeatur, in externas ſcilicet, & internas, de quibus etiam operæ pretium eſt vt paucis agamus.

CAPVT II.

De externis morborum cauſis.

TA voluit vſus, cuius magna eſt in aſſignandis rerum appellationibus potentia, vt cauſæ morborum euidentes, omnibus manifeſtæ & cognitæ, Græcis *προκαταρκτικὰ*, *προδηλοὶ* & *προφάσεις* dictæ: Barbaris verò ſignificanti vocabulo primitiuæ vel præincipientes, externarum nomine contineantur: ſiue quod ab exterioribus rebus proueniant, vt aëre, cibo, potu, agitationibus variis, vulneranti-tibus & ſimilibus, quæ effectiuè potius quam materialiter concurrunt ad morborum generationem ſaltem immediatè, quia cibus & potus prius in humores conuertantur oportet: ſiue quod ab animâ, quæ diuerſa eſt à ſubſtantiâ corporis, proueniant, vt irâ, mœrore, reliquiſque animi pathematis: ſiue quod ita ſunt perſpicuæ & euidentes, verbi gratia ſomnus, vigilia, excreta, & retenta, vt quaſi exterius poſitæ ab omnibus ſine vllo vlteriori ratiocinio percipiantur, cum interiores abditæ ſint magis & obſcuræ. Præterea inter cauſas iſtas extrinſecas & euidentes videtur Galenus *lib. de morborum cauſis*, diſcrimen aliquod conſtituere, ita vt procatarcticas ſeu præincipientes cauſas eas tantum appellet, quæ vehementer corpus alterant, & immutant: ita vt ex propriâ vi & actionis potentiâ morbum producere valeant: alias verò quæ ſuapte naturâ morbum inferre nequeunt, ſed ſaltem diſponunt, vel tantum obſcuram

corporis

corporis ad morbum aliquem ſuſcipiendum, præparationem, ad id impellunt προφάσεις, quaſi dicas occaſiones, vocauit.

Ex quibus Galeni verbis orta eſt illorum dubitatio, qui exiſtimant externas iſtas res, aut omnino non eſſe cauſas morborum: aut ſi quodammodo cauſæ ſint cenſendæ eorum, id eſſe tantum ex accidenti, & velut occaſione. Nam ſi v. g. exercitatio, vinum aut balneum cauſæ febrium eſſent per ſe, in quemcunque hominem inciderent, febrem generarent: non enim poteſt ſeparari effectus à re cui ineſt per ſe: ſed ſint bis mille homines in theatro confertiſſimi ſub ſole meridiano, vel plures in conuiuio lautiori, duos fortaſſe vel tres continget febricitare ab illo æſtu aut abundantiore potu: ac proinde oportet febricitandi cauſam non in illis externis, ſed in iſtis qui febricitarunt, fuiſſe. Ad illud reſpondet Galenus *lib. 1. de different. febrium cap. 4.* Oportet, inquit, memoriâ repetere, quod nulla cauſarum ſine patientis aptitudine agere poteſt, alioquin omnes qui ſub æſtiuo ſole commorarentur, febricitarent: poſſunt enim externa iſta febrem ex naturâ ſuâ modo validius, modo infirmiùs excitare, dummodo adſit in his qui illas patiuntur, quædam præparatio: vnde pro illarum cauſarum potentiâ vel impotentiâ, ſubiecti maiore vel minore diſpoſitione, aliorúmque externorum conſenſu vel diſſenſu tot effectuum varietates ſubſequuntur.

Verùm dicent illi, quamuis hoc admittamus, nulla tamen harum cauſarum febrem aut alium morbum poterit efficere, quin promoueat & quaſi excitet internarum aliquam: ita vt proprium ſit externis cauſis per motionem antecedentium internarum morbos generare. Sed nos iſtorum opinionem infinitis propè exemplis conuincere poſſumus. Nam quod ad cauſas violentas externas, vt vulnera, nemo incertum eſt diſpoſitiones, quæ ab illis inducuntur, non agnoſcere internarum concurſum: quando enim gladio præſcinditur manus vel alia pars: quando caſu frangitur os auris, & ſimilia, nulla eſt hic motio cauſarum internarum, quod ad morbi generationem ſpectet, niſi fortaſſis poſtea ob vim doloris fluxiones concitentur: Sic qui ex itinere ſemianimes præ frigore in hoſpitium deferuntur, illi refrigerationem patiuntur nudam ex ſolo occurſu aëris aquilonij aut aquæ gelidæ, ſi in illam præcipitati fuerint. Imo etiam multæ ſunt febres, quæ generationis ſuæ cauſas omnino externis rebus acceptas referunt, vt patet de hecticis primariis, de diariis ab irâ aut motu concitatis, quæ paucarum horarum ſpatio euaneſcunt. Ac proinde certum eſt externas iſtas cauſas per ſe morbos efficere poſſe, & ſæpiſſimè abſque vllius internæ concurſu.

Porro Galenus omnem cauſarum iſtarum externarum materiam *lib. de ſanit. tuend.* in quatuor diſtinxit genera, *aſſumendorum, faciendorum, educendorum & admouendorum*: his enim cauſarum generibus non modo cuſtodia ſanitatis perficitur, verum morbi etiam omnes generationem ſuam curationémque acceptam referunt: *Sumendorum* enim nomine cibus, potus, & ſi quid medicamentorum interò ſumitur, atque etiam ipſe aër qui perpetuò inſpiratur, intelligitur: *Faciendorum* nomine frictiones, ambulationes, equitationes, vectiones, denique motus omnis & exercitatio, necnon ſomnus, vigilia, ac Veneris vſus: *Educendorum* autem, ea omnia, quæ in corpore continentur, quacunque parte ferantur, aut educi debeant, ſub quibus omne vacuationum genus continetur: *Admouendorum & foris incidentium*, primus eſt aër nos ambiens, balnea, & reliqua omnia, quæ vnctionis, emplaſtri, cataplaſmatis, aut alterius rei formâ cuti applicantur.

Alij malunt omnes iſtas cauſas externas diuidere in eas quæ dicuntur neceſſariæ, & in non neceſſarias. Neceſſariæ enim ſunt ſex illæ res non naturales vulgo Medicorum dictæ, quoniam non poſſumus illis carere, nec in totum eas fugere aut declinare, quamdiu vitâ fruimur: ſed quoties illis bene vtimur, ſanitatis noſtræ & correctionis morborum præcipua ſunt fundamenta, vt contra aduerſam ſanitatem inferunt, quoties illis male vtimur, ſiue coacti, ſeu imprudenter & caſu quodam: Tales ſunt aër, cibus & potus, motus & quies, ſomnus & vigilia, excreta, retenta, & animi pathemata. Non neceſſariæ vero illæ ſunt, quas in vniuerſum vitare poſſumus, aut ſine quibus vita ſeruari poteſt, vt hic aër, hic cibus, balneum & ſimilia: omniáque fortuita, vt gladiorum ictus, ruentis lapidis aut beſtiarum occurſus & alia. Hæc igitur omnia morborum cauſæ externæ eſſe poſſunt, quarum explicatio particularis in tractatu ſanitatis tuendæ proponi ſolet. Nobis itaque illas nunc enumeraſſe ſufficiat, vt ad internas morborum cauſas veniamus.

zed by Google

CAPVT III.

De internis morborum cauſis.

INTERNAM morborum cauſam ideo appellatam eſſe dicebamus, tum quod interius abdita ſit, & vulgarem hominum notitiam lateat: tum quod ſit corporis veluti pars aut ſaltem contentum, quod præter naturam affectum ſanitatis ſymmetriam diſſoluit, totíque corpori vel alicui parti diſpoſitionem morbificam infert: ſpiritus enim, flatus, vapores, humores, excrementa tam naturalia, quam præter naturam, imo etiam ipſæ partium particulæ, & quidquid in illis continetur aut adnaſcitur, cauſæ iſtius interioris morbificæ naturam ſubire poteſt. Ac proinde cum cauſæ iſtæ interiores morbificæ, aliæ affectus præter naturam proximè & immediatè excitent, aliæ verò interueniente motu, & multis intermediis aliquando alterationibus, ideo etiam internæ iſtæ cauſæ in antecedentes, medias, proximas, coniunctas, & continentes diuiduntur. Antecedens enim cauſa nondum eſt, ſed erit cauſa morbi, maximéque ab illo diſtat: coniuncta vero ſeu continens ea eſt quæ actu parit morbum, illíque eſt propinquiſſima, vt portio bilioſi ſucci, quæ iam paroxyſmum febris tertianæ mouit: reliquæ omnes intermediæ exiſtunt, donec ab antecedente ad coniunctam peruentum ſit. Inter coniunctam autem & continentem quidam hanc eſſe volunt differentiam, vt coniuncta ſit tantum morbo proxima, continens verò non ſolum proxima, ſed quaſi de eſſentiâ morbi, ita vt ſine eo ſubſiſtere nequeat. Vnde multi recentiorum, quamuis antecedentem cauſam & coniunctam ſiue proximam in morbis admittant, continentem tamen omnino reiiciunt, & nullo modo apud Galenum inueniri contendunt.

Nos itaque de continente cauſa ſequenti capite paucis diſputabimus, nunc verò controuerſiam quamdam apud Hippocratem de internis hiſce morborum cauſis non prorſus ab inſtituto noſtro alienam conciliabimus: Ille enim *lib. de naturâ humanâ*, omnem morbi cauſam ad quatuor humores in nobis contentos referre videtur, dum ait: *Corpus autem hominũ continet in ſe ſanguinem, pituitam, & bilem vtramque: propter iſta agrotat & ſanum eſt: agrotat quidem cum horum aliquid minus aut amplius euaſerit: aut ſeparatum in corpore fuerit, nec omnino contemperatum. Lib.* verò *de affectionibus & lib. 1. de morbis* duos tantum humores morborum cauſas conſtituit, bilem ſcilicet & pituitam, his verbis: *Morbi omnes hominibus à bile ac pituitâ fiunt: bilis autem & pituita morbos exhibent, quum in corpore nimium aut reſiccantur aut humectantur, aut incaleſcunt, aut frigeſiunt.* Longè verò ab his diuerſa eſt ſententia *lib. de flatibus*: Vbi etiam cum demonſtratione conficere nititur flatum omnium morborum authorem eſſe, dum ait: *Flatus ipſi omnium morborum omnimoda exiſtunt cauſæ: cætera verò quæ cauſa videri poſſunt, vel hos adiuuant, vel conſequenter poſt hos in corporibus morbos generant.* Ita varius eſt & dubius in aſſignandis morborum cauſis Hippocrates, vt liceat alicui res minus accuratè examinanti, illud in Hippocratem retorquere, quod ipſe Æſculapio tribuit *epiſtolâ ad Democritum, ipſum nempe Medicinæ inuentorem à ſeipſo in multis diſſentire*: Sed nos interpretatione laudabili, & mentem authoris obſeruando pugnantiam iſtam tollere conabimur.

Totius enim libri illius περὶ φύσιος ſcopus eſt, vt probet quatuor eſſe elementa quibus corpus noſtrum conſtituitur, aduerſus Democritum & alios ſui temporis Philoſophos, quod præſtat argumentis tum à generali rerum notitiâ petitis, tum particulari corporis conſtitutione: vt quando ex quatuor humoribus diuerſis quibus abundamus, totidem eſſe elementa, quibus remotè corpus conſtituitur, aſſerit: & ab eiſdem diuerſos fieri morbos, velut effectricibus morborum cauſis, ſub quibus ea omnia complectitur, quæ alibi contentorum nomine ſignificauit. At *lib.* περὶ παθῶν, vbi duos tantum humores, eóſque nominibus bilis & phlegmatis deſignatos: exiſtimamus eum præcipuos tantum recenſuiſſe humores, à quibus vt plurimùm & frequentiſſimè morbi gignuntur, quíque reliquos vi ac poteſtate quodammodo continent: per bilem enim χολὴν δίχην ξανθὴν καὶ μέλαιναν, vt eſt plerumque alibi, flauam & nigram intellexit: ſub phlegmate, omnes pituitæ & ſeroſitatum

tum ſpecies. Quia verò ſanguis, aut numquam præter naturam eſt, aut ſi ſit, iam formam ſuam amittit, & in alios humores degenerat, ideo illum omiſiſſe credibile eſt. *In lib.* vero *de flatibus* generalem tantum cauſam, & quaſi primariam inquirit, quæ reliquis omnibus particularibus motum præſtet: vnde meminit *συνεκτικοῦ τοῦ μετεωρικοῦ*. Nam ſicuti naturalis ſpiritus, quem ille ſub flatus nomine complexus eſt, ad animantis naturam efformandam, conſeruandámque præcipuam vim obtinet: ita è contrario præter naturam affectus maximam vim ad illam deſtruendam obtinebit. Atque hæc de propoſitâ controuerſiâ.

CAPVT IV.

De morbi cauſa continente.

CELEBRIS eſt magis quam vtilis iſta de morbi cauſâ continente apud Neotericos diſputatio, quam paucis abſoluere propoſitum eſt. Συνεκτικὸν igitur αἴτιον, continens cauſa, nomen fuit tum Philoſophis, tum Medicis antiquioribus incognitum, & à Stoicis primò inuentum, vt teſtantur Galenus *lib. de plenitud.* & Alexander Aphrodiſæus *lib. de mixtione*; exiſtimantibus tenuem eſſe ſpiritum toti mundo & eius partibus infuſum, quo res omnes continebantur, & in ſua quaſi naturâ conſeruabantur. Attamen Galenus hoc nomen ſæpius vſurpauit, vt *lib.* 1. *de pulſuum cauſis cap.* 1. triplex eſſe ait cauſarum genus, non in pulſibus modo, ſed & in aliis cunctis rebus: Vnum, quod primum & præcipuum eſt, continens appellant, cuius inde appellatio deducta eſt quod illorum eſſentiam contineat. Idque repetitur *lib. de hiſt. philoſoph. Comment.* autem 1. *in lib. de natur. humanâ*, continentem cauſam admittit in illo tantum rerum genere, quæ non ſunt, niſi quamdiu fiunt: in rebus autem factis reiicit: Non enim in illis, inquit, effectrix cauſa eſſentiam rerum continet, ſed forma potius in certâ materiâ exiſtens, vnde forma, non efficiens in iſtis cauſa continens eſſet dicenda: Ac Iulianum illum accuſat, qui in omnibus cauſæ continentis nomen male vſurpabat.

In hoc igitur nos primum cum Galeno conſentimus, quod cum de continente morborum cauſâ agimus, non formas eorum inquirimus, ſed effectricem cauſam, eámque corporatam, vt vocant, internam ac materialem: quam Philoſophus ὁμόγονον appellare videtur: quámque nos more medico, id eſt ad ſenſum iſta expendentes, definimus, *cauſam quæ præſens morbum efficit, & quâ abeunte morbi ab eâ excitati ceſſant.* Quamuis enim morbus non ſit de ſucceſſiuorum genere, eorum ſcilicet quæ continuâ egent cauſæ actione, quia eſſentiam non ſimul obtinent, vt motus, locutio, ſaltatio, & ſimilia; ſed eatenus ſibi per partes ſuccedunt, quatenus actio cauſæ perdurat. Attamen morbi quidam ita exilem habent eſſentiam, & à cauſâ dependentem, vt ferè omnino ſint in fieri, ſi conſeruationem eorum & durationem ſpectes in ſubiecto, quæ non poteſt eſſe diuturna & ſenſibilis ſine cauſæ iſtius præſentiâ, quam continentem vocamus, eóque nomine à coniunctâ & proximâ diſtinguebamus, quod omnis quidem continens eſt proxima, ſed non contra in illis morbis, qui iam ſunt facti, & ἀμόνιον habere poſſunt ſublatis omnibus cauſis effectricibus & corporeis, à quibus primum fuerunt excitati. Non enim hîc intelligimus cum Argenterio, qui in Iuliani errorem ferè recidit, immoderantias, inæqualitates, intemperies aut exceſſus eſſe cauſas iſtas continentes morborum: ſic enim omnis morbus eâ eſſet præditus, quia iſta immoderantia, exceſſus, & ſimilia ſunt potius formalis ratio, quam effectrix cauſa ipſius conſtituionis præter naturam.

Nos igitur relictis Logicorum iſtorum argutiolis oſtendamus, in quouis morborum genere, quamuis non in omni morbo dari aliquando cauſam continentem effectricem & corpoream; cuius ideo eſſentiam & naturam in quibuſdam morbis coactus eſt complecti Galenus, potiſſimum organicis. In intemperie primùm cum certum ſit qualitates illas actiuas à quibus producitur aliquando, leuiter tantum eſſe impreſſas toti corpori vel partibus, vt remotâ non dicam cauſâ internâ, ſed etiam externâ facilè euaneſcant, vt patet de dolore capitis ab inſolatu & ſimilibus: quis dubitauerit in illis intemperiebus fientibus cauſam continentem agnoſcere, à

quâ

quâ generantur & conſeruantur, cum eâ ſublatâ protinus, aut ſaltem ad ſenſum, quod Medico ſufficit, euaneſcant? Et Galenus 8. *meth.* febrium intermittentium exemplo confirmat, quarum paroxyſmus ſtatim deſinit, vbi primùm humor vel vapor à quo fouebatur, per inſenſilem tranſpirationem, ſudorem, vrinas, vomitum, aut alui fluxum fuerit excluſus: quod in maiorum etiam morborum criſibus, & ſubitis curationibus apparet. In inſtrumentariis verò morbis dari iſtam cauſam continentem, multò adhuc apertius eſt. Cum enim cauſæ morborum iſtorum, corporis noſtri conſtitutionem immutent talibus accidentibus ſeu qualitatibus, quas nec deſerere, nec aliis corporibus communicare poſſunt: quis non videt tales cauſas ſuo diſceſſu ſtatim affectum præter naturam tollere, quemadmodum ſuo acceſſu peperérint, quod eſt cauſam continentem eſſe? Figura, magnitudo, numerus & ſitus non ita ſe multiplicant, aut propagare poſſunt in vicinum corpus, quemadmodum calor & frigus. Quidquid igitur præſtabunt in nobis, in totum auferent ſecum, quando à corpore tollentur. V. g. ſublatâ materiâ, aut calculo obſtruente, ſtatim tollitur obſtructio: ſublato ſexto digito, aut aliâ parte ſuperfluâ, ſtatim reſtituitur debitus partium numerus, & vitium quod ex illo pendebat aufertur, ac proinde cauſa fuit illius continens. Niſi velis in Fuchſij abſurditates incidere, qui morbum eſſe ſubſtantiam contendebat.

Quod ad ſolutam vnitatem ſpectat, quæ vel perfecta eſt vel imperfecta: quatenus in illâ quæ perfecta dicitur & manifeſta, non videatur dari cauſa continens, non enim ſublato telo, aut humore erodente ſtatim tollitur vulnus aut vlcus: attamen in occultâ ſeu imperfectâ, quæ diuulſione, diſtentione, aut preſſione perficitur, manifeſtiſſimum eſt adeſſe cauſam continentem. Quoties enim colon inteſtinum, verbi gratia flatu diſtentum dolet, toties & tam ſubitò curatur, quam flatus ille fuerit extruſus aut diſſipatus: quemadmodum in omni tumore præter naturam, ſublatâ materiâ aufertur tum magnitudo præter naturam, tum diuulſio illa & compreſſio partium. Ac proinde patet in omni genere morborum dari aliquando iſtam cauſam continentem.

Nam quod obiiciunt aduerſarij, morbos eſſe de genere permanentium & rerum factarum, quæ habent partes ſuas & eſſentiam ſimul in ſubiecto, ac proinde remotis cauſis permanere poſſe, facilè ex ſupradictis ſoluitur. Si enim illæ partes & illa eſſentia ſint leuiter introductæ in partes corporis noſtri, vix poſſunt ſubſiſtere abſque cauſæ ſuæ præſentiâ, aut certè tam exiguo temporis momento tolluntur, vt ſub Medici conſiderationem non veniat, quemadmodum ſuperioribus exemplis probatum fuit. Adde quod, vt dicebamus, in morbis organicis totus ille effectus pendet perpetuò à præſentiâ cauſæ. Vt enim ſimilaris diſpoſitio *κατὰ δύναμιν*: ſic inſtrumentalis *καὶ ὅλον* potius aut *κατὰ τόπον* corpori præter naturam inhæret. Atque hæc de propoſita quæſtione.

CAPVT V.

De vniuſcuiuſque morbi cauſa.

NIVSCVIVSQVE morbi cauſas tenere ſecundum genera & ſpecies vtiliſſimum: quia in perquirendis particularium affectuum propriis & indiuiduis cauſis, oportet fontes iſtorum à primis & generalibus repetere. Vt igitur intemperies primum locum inter morbos obtinere videtur: ſic etiam ab illius cauſis eſt auſpicandum. Ea autem cum ſit calida, frigida, humida, vel ſicca: ſimplex aut compoſita: exordiendum ab intemperie calidâ, cuius cauſas recenſet Galenus *libro huic rei dicato*, motum, putredinem, viciniam cuiuſcunque rei calidæ, conſtrictionem, & cibum potumve calidiorem: ad has enim quinque omnes ab aliis authoribus recenſitæ referri poſſe videntur. Qui febricitat ab exercitatione violentâ, irâ, metu, aut alio quocunque animi affectu, is ex motu febrem contraxit, quia agitati in nobis ſpiritus, & humores, dum attenuantur, maius ſpatium continent, incendij vim concipiunt & plures partes attingunt. In eis verò quæ putredinem concipiunt, non eſt mirum calorem augeri, eúmque proprij generis,

nempe

nempe putredinoſum, quandoquidem in omni putredine ſaltem fiente augetur extranea caliditas, & humor copioſus reſoluitur, qui vapores plurimos in cor & vicinas partes diffundit. At præter putridæ rei vim, omnis vicinia & propinquitas rei calidioris intendere poteſt intemperiem iſtam calidam, vt ſolàreâ radij, hypocauſti feruentioris æſtus, balneum, admota medicamenta, vt dropaces, ſinapiſmi & ſimilia: quemadmodum aſſumpta quæ ad cibum & potum referuntur, ebrietas, ſatietas nimia, eſus alliorum, ceparum, piperis, aut vrentium medicamentorum, & ſimilia, quæ per ſe caliditatem inducere valent. Quæ verò conſtrictione corporis & pororum id præſtant per accidens, vt natatio in aquis aluminoſis vel gypſeis, medicamenta emplaſtica, & obturantia admota, nix ipſa aut glacies; quæ per antiperiſtaſin coadunare & quaſi cogere poſſunt diſſipabilem caloris noſtri ſubſtantiam: vnde Hippocrati aquæ frigidæ affuſio tetanum aliquando curare poteſt.

Verum dicet aliquis, calidæ ſiccæque naturæ *oſtiuo methodi* ex fame in febrem facile incidunt, & picrocholi apud Hippocratem ex vigiliis, quæ ſub nullo dictarum cauſarum genere contineri poſſunt. Reſpondemus, famem excitare febrim in bilioſis, vel ex viciniâ rei calidæ, quia incandeſcunt viſcera illorum debito alimento priuata, vel ex motu excrementorum acrium & ſpirituum, quæ tunc violenter agitantur in naturæ ſubſidium. Vigiliæ etiam ad motum referri poſſunt, cum ſint potentiæ animalis labor & agitatio, quemadmodum ſomnus quies, & qui diutius vigilant, acriores ſuccos & excrementorum copiam colligunt. Ac proinde ad ſupradicta fames & vigilia commodè reducuntur.

Frigiditatis autem in nobis excitandæ cauſas aſſignauit Galenus frigidorum vicinitam: aſſumptorum qualitatem & quantitatem, ſiue ſecundum exceſſum ſiue defectum: conſtipationem, raritatem, immodicum otium, & motum immoderatum. Hæc enim ſex calorem noſtrum extinguere poſſunt: vel alterando, vt cum actione & contactu frigidorum ſumptorum vel admotorum expugnatur: opij vel mandragoræ vis ea eſt, vt per *ἀφεσιν* calorem noſtrum natiuum opprimant: ex niuium & frigoris vehementia multis pedes manúſque quaſi congelata & exanimata conciderunt: vel ſuffocando, vnde nimia ciborum copia, conſtipatione ingenti, otio ſuperfluo collectis copioſioribus excrementis, metu aut mœſtitiâ coacernatis intus, & quaſi conculcatis humoribus, calor noſter natiuus, vt ignis lignorum multitudine obruitur. Vel diſſipando, quâ ratione vigilia immoderata, exercitationes violentæ, effuſum gaudium id præſtare poſſunt. Aut denique tabefaciendo, quando ſubiectum illud proprium caloris noſtri natiui, nempe humidum primigenium abſumitur, & marceſcit per ieiunia, vacuationes ſanguinis, aut cuiuſuis ſucci laudabilis. Qui quatuor modi extinctionis caloris noſtri ad duos reuocari etiam poſſunt ab Ariſtotele propoſitos, *ἀθροον* ſcilicet & *μάραινσιν* & ex prædictis intelligi poteſt, eandem ſæpius eſſe poſſe cauſam refrigerantem & calfacientem, quorum vnum illi conueniat per ſe, alterum ex accidenti: ſiue hoc fiat propter diuerſum cauſæ vſum, ſiue diſpoſitionem patientis, vt infuſio aquæ frigidæ in iuuene carnoſo, & boni habitus ſanat conuulſionem, non in alio.

Siccitas autem duplici fit ratione in nobis, alteratione ſcilicet, aut reſolutione. Alterando enim alimenta, medicamenta, & quæcumque aſſumpta vel admota ſiccandi potentiam obtinent, eandem intemperiem inducunt. Reſolutione verò deſiccant, quæcumque faciunt corpus aut partes plus reſolui quam nutriantur ſiue reficianturi quod nonnulla præſtant vehementer augentia iſtam *διαφόρησιν*, etſi nutritionem non impediunt, vt exercitatio violenta, nimia in ſole mora, diuturnæ vigiliæ: nonnulla verò impediendo nutritionem, quamuis nihil aut parum reſoluant, vt curæ, mœſtitia, inedia, vſus alimentorum parum nutrientium, qualia ſunt valde excrementoſa, & ea quæ adſtringunt, quia impediunt humoris alibilis per membra diſtributionem: eóque nomine interdicuntur macilentis à Galeno 8. *meth. cap. 7.* & eis qui partem aliquam habent conſumptam.

Humiditas denique contingit alteratione, & retentione eorum quæ expirare & diſſolui in nobis poſſunt. Alterant igitur humectando largior potus, copia alimentorum humidiorum & euchymon, vicinia corporis humidi, vt aëris paluſtris, flatus auſtrini, balnei aquæ dulcis & tepentis. Quæ verò prohibent diſſolutionem, illa humectant, quia humorum copiam augent in nobis, vt obſtructio pororum cutis, ſuppreſſio vacuationis alicuius conſuetæ & ſimilia. Per accidens verò humectant partes, quæcunque attrahendi humores in illas vim habent, vt exercitatio mediocris, balneum ſtatim à cibo, dropaces & ſimilia, quæ Galenus

impinguandis macilentis hominibus vſurpauit *libr. de ſanitate tuenda & decimoquarto method. cap.* 17.

Tales igitur ſunt cauſæ ſimplicium intemperierum. Compoſitæ verò ex cauſis iſtis concurrentibus fiunt, aliquando ab vnicâ, vt patet de calore, cuius vi dum reſoluuntur corpora, etiam exſiccantur; & frigore, quod reſolutionem impediendo, aut cruditates multiplicando, accerſere ſibi ſolet humiditatem comitem. Sic humiditas & ſiccitas calorem aliquando inducere poſſunt, vel refrigerationem pro naturâ cauſæ à quâ ſuſcitantur: quod in ſingularibus affectibus fit magis manifeſtum.

Intemperies autem cum materiâ fiunt ab aliquo corporis noſtri humore, vapore, aut flatu ab eis eleuato: redundantia enim ſanguinis boni & laudabilis calfacit & humectat: pituitæ refrigerat & humectat: bilis calfacit & exſiccat: melancholiæ refrigerat & exſiccat: quia talibus ſunt prædita qualitatibus. Vbi enim accidentia quædam in humores præter naturam inducuntur, vt putredo; tunc humores illi, vt pituita, quamuis frigidi, calfaciunt & quotidianam febrem pariunt: melancholia aduſta cancrum, & vlcera depaſcentia inducit.

Porro humores iſti redundant in partibus, vel per fluxionem, quando ab vnâ parte in aliam amandantur; vel congeſtionem, quando in ipſo membro colliguntur. Congeſtio fit ex debilitate alteratricis, quæ particulare alimentum corrumpit; vel expultricis vitio, quæ excrementa ex nutritione ſuſcitata non excludit. Fluxio autem fit ratione partium mittentium, excipientium, viarum & materiæ fluentis: quæ omnia, vt & cauſæ morborum organicorum, & ſolutionum continui ſatis accuratè à nobis explicabuntur tractatu de indicationibus curatiuis, quò auditorem beneuolum remittendum cenſuimus: vt tandem ad vltimam Pathologiæ vniuerſalis partem aggrediamur, quæ eſt de ſymptomatis morborum.

PATHOLOGIÆ VNIVERSALIS

PARS QVARTA, ET VLTIMA DE MORBORVM EFFECTIBVS SEV SYMPTOMATIS.

Quid ſit ſymptoma.

CAVSIS ad effectus morborum progrediendum eſt, vt vltimam operis noſtri partem abſoluamus. Effectus autem morborum ſymptomata vocant Medici. *Symptomatis* verò aliquando generalior, aliquando particularis eſt ſignificatio: etenim ea voce Galenus *lib. 2. meth. cap.* 3. complectitur quidquid à naturali ſtatu recedit, ſiue ſit morbus, ſiue pathos, ſiue morbi cauſa, aut illius effectus, quia iſta omnia corpori præter naturam accidunt: ſpeciatim verò & propriè Medici ſymptoma vocant, quidquid præter morbum, pathema, aut cauſam morbificam corpori noſtro aduenit, id eſt *συμπτώματα*: in quo ſignificatu Galeno *libro de different. ſymptomat.* eſt *διάθεσις* ſeu affectus præter naturam, qui morbos velut vmbra corpus neceſſariò ſequitur, illiſque ſuccedit: aliqui *παρεπόμενα* appellant, quamuis hoc nomen non ſit vſque adeo conſuetum, vt illius dependentiam melius exprimant. Cornelius Celſus *libro ſecundo* ſymptoma vertit acceſſionem: alij caſus ſatis appoſitè: alij verò accidentia, ſed impropriè: eſt enim accidens Galeno τὸ *συμβεβηκός*, ita vt ægrorum ſint ſymptomata, ſanorum autem *συμβεβηκότα*. Quamuis enim Galenus *libro de optimâ ſectâ*, ſcripſerit quædam eſſe ſymptomata ſecundum naturam, vt color niger Indorum, Germanorum candor: quædam præter naturam, vt nares vi morbi factæ acutæ: & *ſecundo artis parua* velit ſymptomata quæ ſanis accidunt, vt timorem, horrorem, ruborem ſecundum naturam eſſe: quæ verò ægris ſymptomata cum adiectione, *νοσώδη* morboſa dici debere. In illis tamen locis, aut ex aliorum

aliorum loquutus eſt ſententiâ, aut generalem ſymptomatis ſignificationem reſpexit: nos autem de ſymptomate propriè dicto diſputamus.

Sit itaque ſymptoma affectus præter naturam, qui morbum velut effectricem cauſam ſequitur, & ab eo ſeparari nequit, hoc eſt ſine eo & ſeorſim ſubſiſtere nequit. Probauimus enim prius, omnia ſymptomata à morbo oriri mediatè vel immediate. Symptoma illud præcipuum verbi gratia & morbo proximum, nempe actio læſa, aliud excitare poteſt in excretis aut retentis, vel in qualitate mutatâ. Et in hac definitione affectus paulò latiore ſignificatu dicitur, quam in morbi definitione: quandoquidem non omne ſymptoma diſpoſitio eſt, vel permanentiam habet; ſed præcipua poſitam habent ſuam eſſentiam in fieri: functiones enim ſiue integræ ſiue vitiatæ in ſolo motu conſiſtunt: excreta etiam & retenta tamdiu ſunt, quamdiu fiunt: Qualitates ſimplices ſeu patibiles aliquando fixæ ſunt & permanentes. Dicuntur etiam ſymptomata morbum ſequi, quia ab eo efficiuntur, vt effectus eſt poſterior ſuâ causâ; quod fit tripliciter. Vel enim ſimul cum morbo incidunt *συμπαρομενικὰ* dicta, à quibus certa & neceſſaria petuntur morbi ſigna: vel morbo iam progreſſo ſuperueniunt, *ἐπιγενόμενα* ſeu *ἐπιφαινόμενα* ideo appellata; alia inter hæc duo medij ſunt generis, *συνδιοῦντα* vocata, quæ aliquando cum morbo ipſo inuadunt, aliquando iam facto morbo apparent, aliquando nullo modo accedunt, quia neque à morbo *ἀχωρίστως* inſeparabilia ſunt, neque eius ſpeciem deſignant, ſed aliquando tempora oſtendunt, vel differentias aliquas conſtituunt.

Ex his ergo patet, ſymptoma à morbi causâ differre; vt enim huius eſt morbum præcedere, ſic illius ſequi: à paſſione ſiue pathemate, quod non omnis paſſio, verbi gratia ſenſuum alteratio, ſit præter naturam: ſymptoma autem ſit ſemper extra naturalis ſtatus limites: à morbo verò, quia eſt illius ſoboles & propago: impropriè enim morbos aliquando ſymptomata dici apparet. Verbi gratia febres quæ ſequuntur ad partium internarum inflammationes, & alios morbos conſequentes appellamus ſymptomaticos, non quod ſymptomatis propriè ſumpti nomen illis conueniat, aut illi ſub aliquâ ſymptomatis ſpecie contineri poſſint: ſed quia generalius ſymptoma appellamus quidquid præter naturam accidit, & ex morbo proficiſcitur. Vt enim ſymptoma ſymptomatis, ſic morbus interdum alterius morbi cauſa eſſe poteſt. At ſymptoma propriè ſumptum, neque morbus, neque morbi cauſa immediata eſſe poteſt, neque vſquam ſymptoma in morbum verti commutarive poteſt, vt doctè annotauit contra Auicennam Fernelius. *Capitis dolor*, inquit Auicennas, *ex ſtomachi vitio perdurans diutius, ſit tandem idiopathicòs: ergo qui prius erat ſymptoma, morbus tandem factus eſt.* At fallitur, quia dolor ille ex ſympathiâ contractus, non degenerat in morbum, priſtinam ſymptomatis naturam commutando: ſed quia ex diutinâ vaporum & materiæ communicatione illa intemperies euadit tandem *idiopathicòs*, & contrahitur in cerebro, ideo dicitur in morbum commutari, qui tantum erat paſſio, ſiue leuis affectus. Atque hæc de ſymptomatis naturâ.

DIFFERENTIÆ SYMPTOMATVM. Diximus ſymptoma eſſe quidquid præter naturam in nobis reperitur excepto morbo & morbificâ causâ. Videndum igitur quot ſint prima ſymptomatum genera, vt ex eorum rurſum diuiſione ad infimas vſque ſpecies & differentias peruenire poſſimus, quod iubet analytica methodus. Eiuſmodi ergo affectus in nobis qui à morbo proficiſcuntur, conſiderari poſſunt, vel vt ſunt in motu quodam & dependentiâ à ſuis cauſis, vel vt habent quamdam *διάθεσιν* & permanentiam. Poſſunt etiam conſiderari, prout ſunt in continentibus ſiue partibus ſolidis, vel in contentis, humoribus ſcilicet, aut excrementis: vel denique in actionibus earum partium: & ſic à Galeno in tria genera fuerunt diſtincta, functionis ſcilicet læſæ, excretorum & retentorum, ac ſimplicium affectuum ſeu qualitatum, partibus ipſis inhærent. Quòd ſi alicubi in duo tantum membra diuidat, vt *libro primo method. capite octauo*, in actionem ſcilicet læſam & qualitatem mutatam, ibi tamen ſub qualitate mutatâ, aut ſub actionibus complectitur excretorum vitium, quod ſemper dependet ab aliquâ functione læsâ, aut qualitates corporis immutare ſolet. Nihil autem refert hoc vel illo modo diuidere, dummodo in rebus nihil ſit prætermiſſum.

Actio igitur læſa primum eſt ſymptomatum genus. Actiones autem omnes pro numero facultatum triplices ſunt, animales, vitales, & naturales. Animales rurſum

ſum diuiduntur in ſenſificas, motrices, & principes. Senſificæ quinque ſunt in vniuerſum, viſoria, guſtatoria, auditoria, odoratoria & tactrix. Motrix actio, continens quidem inſtrumentum vnum habet, nempe muſculum; modúmque motionis vnum per dilatationem & contractionem: ac propter diuerſas partes in quibus exercetur, multiformis & varia apparet. Princeps functio apud Medicos in tres ſecatur potentias, imaginationem, ratiocinationem & memoriam. Actiones vitales ſunt pulſus & reſpiratio. Naturales verò in ſingulis membris quatuor præcipuæ & quaſi radicales, attractrix, retentrix, concoctrix, & expultrix, quarum beneficio perficitur nutritio, accretio: illiſque ſubſunt alimenti diſtributio, ſecretio, vnio, aſſimilatio & dilatatio ſeu extenſio membri ad accretionem. Tot igitur functionibus corporis noſtri læſionum ſympromata accidere poſſunt.

Porro actio læditur, quando vel non fit, vel male fit: & malè fit rurſum dupliciter, quia diminutè, aut deprauatè exercetur. Eſt igitur actio læſa triplex apud Galenum, abolita, imminuta, & deprauata. Abolita ea dicitur, quæ vel nullo modo amplius fit, vel certè quantum ſenſus iudicare poteſt, periit, vt in apoplexia ſenſus & motus, in cæcitate viſus, & ſic de reliquis. Imminuta verò eſt actio debilis, quæ vix fit, longioréque indiget tempore vt perficiatur; aut etiam numquam perfectionem ſummam aſſequitur, vt patet in cruditate ventriculi, in eis qui ſurdaſtri dicuntur & ſimilibus. Deprauatæ autem actionis nomen plura ſignificare videtur apud Galenum: aliquando enim pro corruptâ ſumit, quæ ſcilicet in alienam qualitatem tranſmutat ſibi propoſitum obiectum, vt quando ventriculus in nidoroſos ſuccos aut bilem porraceam alimenta conuertit. Aliquando deprauatam actionem eſſe vult, quæ non percipit obiectum tale quale eſt, vt in maniâ, melancholiâ, & quando viſioni res omnes flauæ aut rubræ apparent. Aliquando quæ non agit vt debet, vt in rigore, horrore, palpitatione, ſingultu, & ſimilibus, quia videntur in eiuſmodi affectibus perperam agitari partes: aut certè coguntur agitari violenter ab obiecto præter naturam, vt in dyſenteriâ, vomitu, ſternutatione & ſimilibus. Ex quibus facile eſt coniicere, Galenum per actionem deprauatam omnia actionis læſæ vitia complecti præter abolitam & imminutam, vbicumque recedit à naturali ſtatu, vel ratione proprij temperamenti immutati, aut alterius affectus membris impreſſi; vel ratione obiecti morboſi & irritantis facultatem præter naturam, vt ſuperioribus exemplis patuit.

Excrementorum vitium ſecundum eſt ſymptomatum genus, ſub quo etiam omnia excreta intelligimus, ſiue ſint mera excrementa, ſiue ſuccus laudabilis, ſeu partium ipſarum ramenta & ſimilia. Quæ conſiderantur, vel vt excernuntur nimium, vel vt retinentur, quatenus videlicet ſequuntur interiora vitia functionum læſarum, excretricis potiſſimum & retentricis. Peccant autem iſta excrementa apud Galenum ſubſtantiâ, quantitate, qualitate, & excernendi modo. Quod ſecundum ſubſtantiam peccat, aliquando dicit eſſe toto genere præter naturam, idque dupliciter: vel quia id quod excernitur eſt omnino à naturâ alienum, vt calculus, lumbrici, pus, & ſimilia, quæ alienam formam & ſubſtantiam à corpore noſtro ſuſceperunt: vel quod ipſa illius rei excretio, eſt præter naturæ inſtitutum, vt quando ſanguinis, adipis, caruncularum aut tramentorum fit ex quauis parte eruptio, quæ cum ſint naturæ amica, non debent ab eâ excerni naturaliter. Quantitate verò dicuntur peccare excreta, cum iuſta in illis vacuationibus, quæ naturæ potiſſimum ſunt conſuetæ, menſura minime tenetur, ſed vel abundantius iuſto, vel parcius profluunt: vnde poſtea vires grauant, aut vaſa & concauitates quibus continentur, præter naturam replent & diſtendunt. Qualitate autem excreta peccare dicuntur, quando ea quæ excernuntur, non retinent propria ſibi & familiaria accidentia, ſed habent qualitates, non ſolum primas, ſed etiam ſecundas à naturalibus alienas, ſecundum colores, odores, ſapores, & ſimilia, vt quando ſanguis niger & coagulatus, bilis eruginoſa, pituita vitrea, & ſimilia deiiciuntur. Quæ ſi non fiant ſolito tempore, aut loco, vel per partes non aſſuetas, tunc vitium eſt in ipſo modo excretionis: quorum exempla in particularibus affectibus quotidie obſeruare licet.

Supereſt vltimum genus ſymptomatum, quod in ſimplici affectu ſeu qualitatibus

taribus mutatis repoſuit Galenus. Sunt autem illæ qualitates ſecundæ à primis profectæ, quæ ideo temperamenti labem potiſſimum conſequuntur, ſuntque patibiles & ſenſibus noſtris perceptibiles. Sic viſilis qualitas, nempe color præter naturam in toto corpore, vt in ictericis: vel in parte aliquâ, vt in melasmate aut alpho, & quauis vitiliginis ſpecie, ad viſum refertur. Ad odoratum quoidæ quæuis exhalationes ex toto corpore, vt elephanticorum, aut lue venereâ affectorum eleuatæ; ex partibus, vt ore, naribus, alis, inguinibus; pudendis, & ſimilibus. Ad guſtum ſapores, vt linguæ amaror, ſaliuæ aciditas & ſimilia. Ad auditum, ſoni præter naturam, vt tinnitus in auribus, rugitus in ventre. Quamuis enim ea aliquando omittat Galenus, quia ad retentionem excrementorum ſiue flatuum ſpectare videntur, à quibus eiuſmodi ſtrepitus excitantur, eſſet tamen par ratio aliarum qualitatum patibilium, quæ ſæpius ab eiſdem retentis proficiſcuntur. Ea autem eſt differentia, quod iſtæ qualitates mutatæ debent iam eſſe in partibus corporis noſtri, & ibi affectum hunc præter naturam conſtituere: cum ſemper ſit neceſſe ad excretorum vacuationem vel retentionem illud ſequi. Ad tactum denique referuntur qualitates illæ de quibus iudicare ſolet, vt partium vel totius duities, mollities; laxitas, denſitas, & ſic de reliquis. Superest vt quædam dubia aduerſus prædictam doctrinam adferri ſolita paucis diſſoluamus.

Diximus igitur tria eſſe ſymptomatum genera, actionem ſcilicet læſam, excrementum, & qualitatem mutatam: præterea actionem lædi tripliciter, aboleri nempe, minui aut deprauari. Verum iſta non ſatisfaciunt Argenterio, qui ita ſymptomata diuidit: Symptomata, inquit, vel ſunt actiones, vel opera. Actiones autem ſunt ablatæ, diminutæ, auctæ, deprauatæ, triſtes, aut voluptuoſæ. Opera autem ſunt in qualitatibus ſecundis, aut humoribus, aut excrementis. Actio autem aucta complectitur maiorem, vehementiorem, anticipantem, velociorem, crebriorem, longiorem, continuam & quæ confertim obitur. Triſtem verò actionem intelligit, in quâ dolor ſentitur, vel alia moleſtia, qualia ſunt triſtia inſomnia, & mœſtitiæ. Voluptuoſam autem præter naturam, in qua iucunditas ſentitur à cauſâ morboſâ, vt in pruritu, excrementorum deiectione, vbi adeſt vlcus, & ſimilibus. Præterea ſomnus & vigilia ſub Galeni diuiſione comprehendi non poſſunt: nam ſub quo erunt illa genere in tempore? quoniam ſcilicet primum ſenſus inſtrumentum plus temporis quam oportet, laborat vel ceſſat.

Ad noua igitur iſta placita, dicendum, non temerè euertendum eſſe veterum doctrinam, modo rebus ipſis non aduerſetur. Nam quando diuidit Argenterius ſymptoma in actiones & opera, vltimum hoc membrum continet excretorum vitium, & qualitatem mutatam, quia ſunt opera ſeu effectus actionum læſarum, vt facile eſt vnicuique videre. Fruſtra ergo mutauit Galeni verba. Quod verò ait actionem lædi: quia tollitur aut minuitur, aut deprauatur, augetur, vel contriſtatur &c. Quid aliud eſt, quam deprauationis modos minutius proponere? quandoquidem deprauatio, vt ſupra dicebamus, apud Galenum non tantùm ratione facultatis, ſed etiam conſtitutionis partium, vel obiecti irritantis dicitur, ſub quibus iſtæ continentur. Verum vrget ille: Si auctam functionem ſub deprauatâ comprehendas, eodem modo & diminutam, & ſic duo tantum erunt actionum vitia, nempe abolitio & deprauatio aduerſus Galeni ſententiam. Verum non eſt par ratio. Cum enim imminutio fiat peculiariter à debili, vel imbecillâ facultate: aucta præter naturam non fit ab eadem robuſta: nam ſic vires & potentia naturalis inter cauſas ſymptomatum eſſent referendæ, quod eſt abſurdum; ſed ab obiecto vehementer ac præter naturam irritante. Ex ſic melius eſt ſub diuerſis membris cum Galeno iſtas læſiones actionum conſtituere.

Quod verò ſpectat ad ſomnum & vigiliam, quæ Argenterius negat inter actiones læſas contineri, ſed eſſe ſymptoma in tempore, quia plus temporis, inquit, quàm pro naturæ modo vigilant aut dormiunt ægrotantes: non minus eſt abſurdum; nam, vt ait Galenus, ſopor aut ſomnus præter naturam, nihil eſt aliud quam communis totius corporis torpor. Vt ergo cum torpet membrum aliquod, debilem habet motum & ſenſum: ita ſopore occupatum primum ſenſus inſtrumentum valde diminutas habet in toto corpore actiones, vt per vigiliam

immoderatam, deprauatas & plures quam oportet. Ergo vigilia immodica deprauatus eſt motus, vt ſomnus, diminutus in primo αἰσθητηρίῳ ſentiendi organo.

Dicet aliquis, videtur Galenus agnouiſſe dolorem, ſomnum & vigiliam ſub eâ quam proponit diuiſione non contineri, quandoquidem *libro de different. ſympt.* poſtquam de reliquis diſſeruit, conſequenter addit: Porrò ſenſus tactus egregium inter cæteros ſenſus ſymptoma poſſidet, nempe dolorem: & adhuc etiam duo egregia circa primum ſenſum, qui & omnium ſenſuum eſt communis, ſomnus & vigilia verſantur. Si quis tamen rem ipſam accuratius expendat, reperiet hæc à Galeno clarioris doctrinæ causâ ita fuiſſe diſtincta, non autem quod extra diuiſionem ab eo propoſitam ſint, ſed quod inſignia illius ſint membra, ac proinde notatu digna, vt nos poſtea de dolore dicemus. Alij alias afferunt obiectiones, quas nos conſulto omittimus, vt de ſymptomatum cauſis pauca diſſeramus.

SYMPTOMATVM CAVSÆ. Galenus libro quem de ſymptomatum cauſis peculiariter edidit, fusè & eleganter rem iſtam perſequitur: ita vt non ſit opus nunc de particularibus ſymptomatum cauſis differere, ſed tantum generalia quædam adferre, quæ ad Pathologiam noſtram vniuerſalem magis faciunt. Ac proinde cum à nobis iam ſuperius probatum ſit, omne ſymptoma verum & propriè ſumptum à morbo mediatè vel immediatè proficiſci: hinc etiam ſequitur ſymptomatum cauſas ita eſſe à Medico perquirendas, vt ſemper ad morbum aliquem, vel morbi cauſam proximam, quæ ſæpe cum illo à Medicis confunditur, perueniat. Quod igitur ad actionum læſiones ſpectat, primùm functionem aliquam in nobis aboleri contingit, vel ratione ipſius facultatis, quæ omnino interiit, ob maximas intemperies & δυσκρασίας partium, vt patet in læuitate inteſtinorum, quando alimenta inconfecta, & talia reiiciuntur, qualia aſſumpta ſunt, ob ſummam refrigerationem ventriculi & inteſtinorum. Qua in re inquirendum eſt, à quibus ſcilicet morbis facultates maximè afficiantur. Nam etſi omnes grauiores intemperies vim habeant abolendi facultatem, quædam tamen ſunt quæ has potius quam illas. Vt enim calor excedens coctionem non abolet, niſi maximo exceſſu temperiem penitus diſſoluat: ita frigus minore exceſſu illud præſtare poteſt, cum tamen appetitum augeat. Sic retentrix facultas ab humidâ potiſſimùm intemperie exoluitur, & ſic de reliquis, quæ in particulari tractatu explicantur. Vel igitur aboletur functio, exolutâ facultate, vel ob affectum commune inſtrumentum, vt calorem à corde influentem, qui ſi diſſoluatur, aut intercipiatur à partibus, facit ruinam functionum omnium corporis, vel earum partium à quibus excluditur: quod eodem modo dicas de interceptione animalis ſpiritus in partibus, quæ ſenſui aut motui ſunt deſtinatæ. Vel etiam aboletur facultas male affecto inſtrumento particulari, vt oculo, naribus, & ſimilibus. Quoties enim iſta organa male ſunt conformata, vel vulneribus aut aliis cauſis præter naturam affecta, tunc contingit particularem etiam illam actionem aboleri: Vnde fit vt quarumdam partium functiones lædantur aliis illæſis, quia vel facultas, vel inſtrumentum commune aut particulare peculiariter in illis mutatum eſt: in aliis verò non. Imo contingit in vno eodemque membro actiones quaſdam lædi aliis illæſis, quia diuerſa ſunt inſtrumenta illarum functionum, fibræ videlicet tranſuerſæ, rectæ, vel obliquæ; ad retentricem, attractricem & expultricem exercendam: ad ſenſum & motum varij nerui, qui in muſculos aut cutem implantantur, & ſic de reliquis.

Quemadmodum igitur à prædictis cauſis abolentur actiones corporis noſtri, ſic etiam minuuntur & debiliores fiunt, quando iſtæ cauſæ ſunt leuiores. Deprauantur verò tum ratione facultatis ſiue propriæ temperiei eo modo immutatæ, vt non poſſit percipere obiectum tale quale eſt, vt patet in melancholicis, maniacis, phreniticis, & omnibus delirantibus. Quod aliquando contingit ratione inſtrumenti communis, vel particularis diuerſimodè affecti: tum obiecti ipſius morbifici irritantis & ſtimulantis facultatem præter naturam vt ſupra annotauimus. Quamuis igitur dictum ſit à Galeno, functionem imminui à frigido, quia ex paucitate ſpirituum partis robur infringitur: depraui à calido, quia mutat potenter & alienas qualitates in materiam inducit:

non

Digitized by Google

non eſt tamen vndiquaque verum, vt ex prædictis patere poteſt : & ex ſingularum partium ſymptomatis in Pathologiâ particulari explicandis, innoteſcit.

Ab actionum læſionibus ad excernendorum vitia accedamus. Vt enim iſtâ pendent à noxâ functionum, ſic etiam pariunt qualitates in toto corpore aut partibus mutatas : vnde primum, ſecundum & tertium ſymptomatum genus dicitur. Quoties igitur adeſt nimia excrementi alicuius, aut ſucci cuiuſuis vacuatio præter naturam, vel imbecilla eſt & eneruata facultas, vtpote retentrix illius partis : vel excretrix nimium irrìtata à qualitate vel quantitate humoris : aut aliquod ſubeſt vitium inſtrumentis huic materiæ continendæ vel excernendæ dicatis : vt quando vaſa illa aperiuntur in ſuis orificiis & hiant, ob propriam imbecillitatem vel humoris quantitatem : quando eroduntur à cauſâ externâ vel internâ : aut diſrumpuntur ſenſibiliter vel tantum dilatantur, vt patet in ſanguinis excretione, quæ fit per ἀναστόμωσιν, διάβρωσιν, ῥῆξιν aut διαπήδησιν. Contra verò excernendorum quantitas minuitur, quotieſcunque illa parciùs generantur, vel ob alimentorum paucitatem, eorumdem qualitatem craſſiorem & ſicciorem, vel ob vacuationes contrarias, quæ ſolitam ſiſtere ſolent, vel totius corporis nimiam reſolutionem, quæ fit per meatus externos cutis. Aut certè retentrice facultate roboratâ, vel expultrice factâ obtuſiore ob imminutum partium ſenſum : aut denique viarum anguſtia vel obſtructione, quæ à variis cauſis & morbis proficiſcuntur. Idque exemplo ſuppreſſionis menſtruæ in mulierculis poteſt illuſtrius euadere : quam Galenus *lib. 3. de ſymptomat. cauſis* in vteri aut menſtrui ſanguinis, aut totius corporis vitium retulit.

Denique qualitates ſiue affectus ſimplices pendent modò ab actione læſa tantum, modo intercedente etiam excrementorum vitio. Quod ad colores enim corporis noſtri ſpectat, illi immutantur, quando humores aut partes à ſuo naturali temperamento deficiunt. Sic enim bilis vitellina aut æruginoſa colores illos acquirunt quum, partes nimium calefactæ rubeſcunt, refrigeratæ aut percuſſæ liueſcunt : vel quando motus eſt violentus humorum in ſuperficiem aut interiora corporis, vt in ſyncope, irâ, mœrore, & ſimilibus apparet : vel denique quando humores per fluxionem, vt in ictero ; aut per congeſtionem ſub cute coaceruantur, vt in alpho & omni vitiligine : & omnis cacochymia pro ſuâ naturâ colores in ſanis & ægrotantibus efficit. Sic fœtores, & reliqui odores mali à putredine & corruptelâ partium vel humorum. Sapores alieni ab excrementis linguam alluentibus. Soni præternaturales fiunt ob flatuum copiam alicubi in nobis incluſorum, & eorum variam agitationem, prout variæ ſunt ipſarum partium anguſtiæ vel dilatationes, functionumque potentiæ vel impotentiæ. Cutis denique & alia quæuis pars fit ſcabra, mollis, dura, & ſecundum alias qualitates tactiles immutatur, prout iſtæ à vario humorum vitio aut partium temperamento afficiuntur. Vt enim duritiès à ſiccitate, plenitudine, & congelatione oritur : ſic mollities ab humiditate, inanitione & colliquatione. Quæ exempli cauſâ dicta ſint : reliqua enim perſequi non eſt nobis propoſitum.

GRAVISSIMVM SYMPTOMA DOLOR ET EIVS CAVSÆ.

De ſomni & vigiliæ præternaturalis, reliquorumque ſymptomatum cauſis in particulari eorum omnium tractatu erit diſputandum. Sed quia dolor inſigne eſt ſymptoma, & frequentiſſimum, quodque omnibus corporis noſtri partibus accidere poteſt : ideo operæ pretium eſſe videtur, vt in generali hac Pathologiâ, de generali iſto ſymptomate, tanquam operis coronide agamus.

Dolor igitur à Latinis, qui in ſimplicitate, tanquam virtutum nutrice, viam ad felicitatem ſtatuebant, à dolo, quem omnium rerum maximè deteſtabantur, dictus eſſe videtur : vt voluptas eius contrarium à voluntate appellata fuit. Porrò dolor alius ad animum refertur, vt quando mœrore afficimur nos dolere dicimus, & tunc λυπὴ Græcis appellatur : alius ad ipſum corpus, qui Græcis ὀδύνη nuncupatur, definiturque à Stoicis λυπὴ ἰσχνοτέρα, ægritudo laborioſa, de quo iam inſtitutus eſt nobis ſermo. Hic autem dupliciter apud Hippocratem vſurpatur. Primò pro ipſo affectu, qui dolorem efficit, vt videre

eſt

eſt *libro ſexto epidem.* cum dicit: *In Cranone antiqui dolores frigidi, recentes verò calidi*: Vbi per dolorem morbum ſignificat, ſeu affectum contra naturam dolorificum, vt Galenus interpretatur: & *libro de locis in homine*: *Curantur*, inquit, *dolores contrarijs, vt & alij morbi.* Secundò dolor ſumitur pro ſymptomate ſiue effectu morboſæ alicuius & præter naturam conſtitutionis, ad quam ſequitur moleſtus, triſtis, & laborioſus ſenſus propter excellens ſenſile, aut alio modo improportionatum, ipſum ſenſorium corrumpens: & ſub hac ſignificatione definitur dolor apud Medicos.

Senſatio eſt triſtis ſenſus tactus, ab obiecto alterante, vel continuum ſoluente confertim & violenter facta in parte ſenſili. Quæ definitio hoc potiſſimùm fundamento nititur, quia vt naturales partium affectiones duæ, bona temperies & vnitas, lætitiam bonamque & naturalem ſenſationem producunt: Sic duæ innaturales earumdem partium diſpoſitiones, intemperies ſcilicet & ſoluta vnitas, malam & triſtem ſenſationem efficiunt. Vt enim affirmationis affirmatio, ſic negationis negatio cauſa dicitur. Verùm multis hinc inde obiectionibus propoſita definitio exagitari ſolet. Quod ad genus enim doloris ſpectat quidam putant dolorem eſſe quoddam ſenſile: alij motum quemdam appetentis animæ: alij non ipſam ſenſationem, ſed accidentalem ſenſationis affectionem. Qui ſenſile quoddam eſſe putant, dicunt: Non infrequentius cenſetur aliquis dolorem ſentire, quam calorem aut frigus: cur non igitur dolor inter ſenſilia ponetur, vt figura, motus, numerus &c. An non qui dentem dolet, ſentit? Interrogatus quid ſentiat, non tam continui ſolutionem, eroſionem, tenſionem, calorem reſpondet, quam dolorem. Sentitur igitur dolor, ac proinde inter communia ſenſilia reponendus. Sed hæc ſententia paucis refutari poteſt: dolorem enim non poſſe dici ſenſile proprium vel commune id conficit: quia ſenſilia illa debent eſſe ante ipſam ſenſationem, non enim ab ipſis ſenſibus generantur, ſed ſunt eorum obiecta. Vbi autem fuit dolor ante ſenſum? Quod verò afferunt vitatam loquendi formam, *ſentio dolorem*, quaſi ſit aliquod ſenſile, nihil vrget: ſentitur enim doloris cauſa, quæ male afficit ſenſum: eam tamen cum non poſſimus aliquando exacte diſtinguere, dicimus nos dolorem ſentire potius quam calorem, tenſionem, eroſionem aut ſimilia. Cum igitur dolor non ſit ſenſile, ſed ſit potius munus ſeu accidens alicuius facultatis animæ: conſtat non eſſe vegetantis, ſiquidem plantæ nec dolore, nec voluptate afficiuntur: Non rationalis, bruta enim ἄλογα & rationis expertia, dolent: Non motricis, dolor enim prius ſentitur, quam moueatur animal ad illum fugiendum. Supereſt igitur vt ſit ſenſitricis vel appetitricis animæ. Philoſophi ad appetitum referunt his moti rationibus: Si dolor eſſet triſtis ſenſatio, complecteretur duo, nempe ſenſationem & triſtitiam: at dolori contraria eſt voluptas; voluptas igitur non poſſet eſſe ſenſatio, quia duo contraria complecteretur. Deinde ſentire & triſtari duæ ſunt actiones diuerſæ. Non ſunt itaque ambo iuncta, dolor. Et omnis ſenſatio tanquam actus potentiam reddit meliorem, cum tamen dolor ſenſorium deſtruat. Adde quod Phrenitici, Maniaci aut alio modo delirantes non percipiunt dolorem, quamuis dolorificis cauſis eorum ſenſoria percellantur, quia mens illis ægrotat. Quare dolor erit potius actio ipſius appetitus, qui in ſentiente dolor aut voluptas; in intelligente, quem voluntatem appellamus; gaudium & triſtitia dicitur.

Verum iſtæ phyſicæ rationes parum vrgent Medicum. Per ſenſationem enim non ſolum intelligimus ipſius ſpeciei receptionem ſeu impreſſionem, ſed etiam illius perceptionem: ac proinde facile eſt prædictis argumentis reſpondere: & ſi accuratius loqui velimus, dolor non eſt ipſa ſenſatio, ſed accidentalis quædam illius affectio. Atque vt color malus alienam ſequitur temperiem, bonus naturalem: hoc ferme modo voluptas & dolor ſenſationi accidunt. Ideo Galenus aliquando diſtinguit ſigna à dolore ſumpta ab eis quæ petuntur ab actionibus læſis: quia videbat dolorem non tam eſſe ipſam ſenſationem, quam aliquid ſenſationi accidens. Quia tamen parum refert ad Medicinam iſta ſubtilius diſtinguere, ideo ſenſationem ſæpius vocat, & inter ſymptomata ſenſus tactus reponit. Videamus tamen quid aduerſus iſta Argenterius & alij obiicere ſoleant.

Primò igitur dicunt dolorem non eſſe actionem, ſed paſſionem potius, quia

quia tunc fit quando ſenſus patitur ſeu male afficitur. Præterea non eſſe actionem læſam, quia nec abolita, nec imminuta; ſenſus enim percipit dolorem intensè: non deprauata, quia in dolore percipitur obiectum tale quale eſt. Verum ad iſta dicimus, dolorem partim ex paſſione ſeu receptione ſpeciei dolorificæ, partim eius perceptione fieri. Vt igitur ſenſus non ſolum eſt potentia paſſiua, ſed etiam actiua: ſic nihil obeſt, quin ſenſationem illam in quâ dolor percipitur, actionem vocemus: eamque deprauatam ratione obiecti, quod deprauat, vel etiam corrumpit facultatem ipſam, nempe temperiem vel vnitatem partis.

Sed inſurgunt denuo in illud quod diximus, dolorem eſſe ſymptoma ſenſus tactus: non enim ſolius tactus, ſed etiam reliquorum ſenſuum videtur eſſe affectio: quoniam illi ab excellentibus qualitatibus & improportionatis non minus corrumpuntur, quam tactus, viſus ſplendidiore colore, auditus grauiore ſono, & ſic de reliquis. Sed iſta paſſui ſunt momenti: Nam etſi hoc fateamur, attamen verum eſt ſemper dolorem eſſe inſigne ſymptoma tactus: cum in aliis ſenſibus, vel ſint leuiores tantum paſſiones: vel certè contingant per modum ſenſus tactus: album enim ſeu valde luminoſum obiectum non alio modo viſui nocet, quam nimium diſgregando ſpiritus & quaſi ſoluendo continuum: ſonus vehementior etiam diſſipando & quaſi contundendo auriculæ interioris ſpatia ob aërem confertim irrumpentem, vt iſta conſideranti diligentius patet: ac proinde tactus eſt quaſi proprium ſymptoma dolor, qui eſt ſenſus per totum corpus, & in aliorum ſenſoria diſperſus.

Deinde contra propoſitam doloris conditionem: quando dicebamus cauſam dolorificam confertim ἀθρόως agere debere, vt ex ſubita illâ mutatione afficiatur ſenſus: ab aſſuetis enim aut illis quæ paulatim fiunt, non fit paſſio. Obiiciunt illi: Si dolor feſtino ad immoderantiam lapſu contingeret, eadem ratione voluptas fieret repentino ad naturalem ſtatum recurſu, vt ipſemet Galenus docet *libro primo de ſymptom. cauſis*. At contrarium habetur 12. *method.* Vbi voluit reditum ad naturam, ſi confertim fiat, dolorem inferre: quod ratio & experientia ſuadent: omne enim violentum & repentinæ mutationes naturæ inimicæ, inquit Hippocrates; rigens ex frigore manus luculento igni expoſita, dum in naturalem temperiem confertim redit, dolet; & manus ambuſta in frigidam immerſa. Non igitur eſt neceſſaria illa conditio ad dolorem: cum ipſi dolores podagrici aut venerei non confertim, ſed longâ morâ & temporis diuturnitate contingant. Ad id reſpondemus, illam conditionem eſſe neceſſariam ad dolorem, quatenus eſt ſymptoma, ſeu effectus alicuius morbi. Quamuis enim cauſa doloris ſenſim cumuletur, vt in lue venereâ & ſimilibus: diſtentio tamen aut compreſſio, quæ triſtem hanc ſenſationem efficiunt, confertim agunt & violenter immutant: quia ceſſante illâ conditione ceſſant etiam dolores illi nocturni, vel alio modo excitati. Ad voluptatem alia eſt ratio. Etenim ſi paruus eſt lapſus è naturali, vt parua refrigeratio; fit voluptas quando confertim in priſtinum ſtatum redeunt: Sin verò longè à naturali receſſerint, fit dolor: quia duo contraria intenſa ſeſe mutuò in ſubiecto violenter oppugnant & dolorem ex accidenti commouent. Atque vt hæc melius intelligantur, pauca de cauſis doloris ſunt ſubnectenda: Varia enim eſt authorum hac de re ſententia; nam quidam cum Auerrhoe, exiſtimant, ſolam alterationem quæ ex primis fit qualitatibus dolorem facere, tanquam proximam cauſam; ſolutionem verò continui per accidens tantum & mediatè. Cum enim non ſit proprium tactus ſenſile, non poſſe illum afficere, niſi aliquo mediante, cuius immoderatio percipiatur. Alij verò contra putant, ſolutionem continui ſolam, vt eſt apud Galenum *lib. de inæquali intemperie*, & immediatam eſſe doloris cauſam: alterantia verò non prius dolorem facere, quin continuum ſoluant, vt calor ingens ſeparando, diuidendo; frigus violentum conſtringendo & quaſi contundendo: aliàs enim calor aut frigus nullum dolorem inferunt, vt patet.

Auicennas vero Galenum ſecutus 12. *method. & in arte paruâ*, ſtatuit duas æque proximas doloris cauſas, alterationem ſcilicet & ſolutionem continui. Cum enim ad efficiendum dolorem hoc requiratur, vt mutatio fiat in parte ſenſibili repente, quæ afficiat ſenſum tactus: illa autem non tantum fieri poſſit à ſolutione continui, ſed etiam ab intemperie primarum qualitatum ſubitò agentium: quidni

vtraque ſeorſim erit doloris proxima cauſa? quæ cum coniungantur ſimul, atrociſſimos dolores excitant, vt intellexit Galenus *citato loco de inæquali intemp.* Ad id verò quod obiiciebat Auerrhois, ſolutionem continui non poſſe ſentiri à tactu, niſi accedente qualitate: quia non eſt proprium vel commune eius obiectum: reſponderi poteſt primò. ſolutionem continui violentam ſitum & motum partium immutare, dum diuidit, comprimit, vel diſtendit, ac proinde per ſpeciem motus violenti à ſenſu tactus percipi. Vel etiam dicendum tactum non ſolum primas qualitates, ſed etiam ſecundas percipere, vt aſperitatem, læuitatem, duritiem, mollitiem & ſimilia, quæ cum facillimè coniungi poſſint cum causâ vehementi continuum ſoluente, non eſt mirum, ſi à ſenſu tactus percipiantur.

Iſta autem perceptio dolorifica, quamuis fiat in primo ſenſorio per ſpeciem intentionalem, in ipſo tamen organo ſeu medio organum tangente eſt realiter, quod alterat vel diſſoluit: vnde fit doloris ſenſus per primum ſenſorium iſtud vt à percipiente. Verum obiiciunt denuò illi, qui putant intemperiem non eſſe cauſam doloris: Omnis cauſa per ſe eſt etiam de omni, ſed non omnis qualitas facit dolorem, nam neque humida, neque remiſſa: quare qualitas non poteſt eſſe principium & per ſe doloris cauſa, ſed quando in tantum augetur, vt ſoluat continuum. Deinde in dolore qui fit per ſympathiam nulla eſt intemperies, eſſet enim iam factus morbus, quod eſt falſum. Quibus ita ſatisfieri poteſt, quod ad dolorem ex ſympathiâ, illum pendere non à morbo facto, ſed fiente, ſeu leui affectione, quæ tamen ſemper refertur vel ad intemperiem, vel ad ſolutionem continui: quando enim iugulum dolet inflammato iecore aut pleurâ, id fit propter tenſionem vel diuulſionem, quia intermediæ partes membranoſæ trahuntur violenter: dolor verò capitis ex ſympathiâ ventriculi, fit à communicatis vaporibus, qui vel quantitate ſuâ diuellant membranas, vel qualitate acri pungant & afficiant cerebrum. Quod verò intemperies humida vel remiſſa non efficiunt dolorem, id contingit, non ex naturâ ſuâ, quia poſſunt immutare partis naturam ſed ex defectu illius conditionis, quam diximus eſſe ad dolorem neceſſariam, nimirum vt confertim ſeu violenter illud fiat: quæ enim humectant, non niſi longo tempore illud efficere poſſunt, & omnis qualitas remiſſa agit debiliter & longâ morâ. Nihil igitur obſtat, quin iſta duo, nempe ſolutio continui & intemperies ſint æquè proximæ doloris cauſæ.

Atque vt hac in re ſententiam noſtram aperiamus, exiſtimamus aliquid tertium ab illis produci, quod ſit continens & immediata doloris cauſa: quæcunque enim non ſunt ſub eodem genere, vnius tamen & eiuſdem rei ſunt cauſæ, debent habere ordinem inter ſe vt producant aliquid commune, ad cuius generationem ſequitur talis effectus: Ignis verbi gratia generatur à percuſſione durioris corporis, à ſole, & ab alio igne: id fit, quia iſta tria poſſunt commune quid producere, vt ſummam aëris rarefactionem & calorem, à quo ignis deinde in materiâ diſpoſitâ ſuſcitatur. Itaque cum dolor fiat tum à ſolutione continui, tum à qualitatibus primis, neceſſe eſt vel vnum horum alterius cauſam eſſe, vel ambo vnum quid efficere, quod ſit immediata doloris cauſa. Solutionem quidem continui aliquando intemperiem facere, vel intemperiem quando multum exceſſerit, vnitatem ſoluere fateor, at non ſemper. Probabilius eſt igitur iſta duo tertium quid generare, ad quod ſequitur proximè dolor: hoc autem multi vocant diſſolutionem harmoniæ partis, vel patibilem qualitatem, quæ ſequitur iſtam immoderantiam. Quæ à nobis ita aſſeruntur, vt adferenti meliora non ſimus repugnaturi. Atque hæc de Pathologia vniuerſali, morbo, morbi causâ & ſymptomatis dicta ſufficiant.

IOANNIS

Digitized by Google

IOANNIS VARANDÆI
ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗ,

Continens ΔΙΑΓΝΩΣΤΙΚΗΝ & ΠΡΟΓΝΩΣΤΙΚΗΝ Medicam.

PRÆFATIO.

ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗ *est tertia Medicinæ dogmaticæ pars, post Physiologiam explicanda. Vbi enim naturalis constitutio subiecti medici, id est, corporis humani per accuratam Anatomes inspectionem seu ἀνατομὴν, & physiologicas demonstrationes cognita fuerit, vbi illius affectiones, sanitas, morbus, & neutra dispositio, earúmque causæ & effectûs siue symptomata pathologicis discursibus intellecta fuerint; tunc demum Medicus rationalis velut gradibus factus ad artis finem propiùs accedens, debet ista omnia in proposito subiecto agnoscere, non tantùm homine secundùm speciem sumpto, sed etiam in individuis, vt Socrate, Calliâ, Platone, & similibus, in quibus propriè actio medica versatur. Non potest autem præsentes dispositiones in hoc vel illo individuo dignoscere, vel futuros earundem euentûs præuidere, nisi certis quibusdam signis & veluti notis instructus, quarum beneficio ea quæ sunt magis abdita & à sensibus nostris remota per artificialem coniecturam assequitur. Quod igitur sunt Astrologis vel Agricolis τὰ φαινόμενα, apparentia in cœlestibus Sphæris vel aëre, ex quibus colligunt varias rerum mutationes & maioris mundi statum; idem sunt Medicis τὰ σημεῖα, ἰκτήρια & τεκμήρια, in deprehendendis parui huius mundi, nimirum hominis variis constitutionibus. Est enim signum medicum nihil aliud, quàm nota sensilis & manifesta, cuius ope aliquid latens & magis occultum in corpore nostro deprehendimus, siue illud sit præsens, siue futurum; vnde duæ præcipuæ σημειωτικῆς partes exurgunt, nimirum διαγνωστικὴ & προγνωστικὴ. Quamuis enim Galenus* in arte paruâ *tertiam addiderit, nimirum ἀναμνηστικὴν, quasi dicas, præteritorum rememoratricem: attamen quia ista omnia præterita ideò tantùm reuocantur in memoriam Medici, vt vel præsentes dispositiones agnoscat, vel futuros earum euentûs præuideat, ideò commodè sub istis duabus siue vllo doctrinæ dispendio comprehendi potest.*

Porrò cùm triplex sit corporis nostri status, vt ex Pathologia constat, sanus scilicet, morbosus & neuter, qui omnes à Medico sunt cognoscendi, vt pro eorum diuersitate varias in illis actiones exerceat; quia tamen salubris status vulgari quadam notitia facilè intelligitur, quotiescunque integritatem actionum, bonamque & naturalem temperiem, rectam partium omnium conformationem, earumdemque vnionem in aliquo conspicimus, & ex morbosi accuratâ descriptione, velut contrarij perceptione satis eluescit; eodemque modo neutra dispositio, siue sit decidentiæ, siue conualescentiæ, vt vocant, inter vtrumque velut medium posita, ab extremis intellectis facilè deprehendi possit; ideò διάγνωσις ista, cuius nunc explicationem meditamur, præcipuè spectabit statum morbosum, eiusque cognitionem persequetur.

Vt autem iste status morbosus perfectè & vtiliter, ad actiones suas dirigendas,

agnoſcatur à Medico, quoniam eſt diſpoſitio occupans vel totum corpus, vel vnam aut plures corporis partes, externas aut internas, primariò vel ſecundariò, ſitque à pluribus & diuerſis cauſis, quarum vi & operâ immutato naturali ſtatu, fuit introducta.

Præterea cùm iſte ſtatus morboſus non ſit vnicus & ſimplex: ſed varius, pro diuerſis conſtitutionibus, quæ humano corpori accidere poſſunt, ratione intemperiei, malæ conformationis, & ſolutæ vnitatis; ideò propria propoſiti affectus vnius vel plurium ſpecies eſt indaganda, vt ſecundùm illius naturam, illiuſque differentias & tempara, aptum & conueniens remedium inueniri poſſit.

Erunt igitur tres præcipuæ iſtius διαγνώσεως partes, quarum prima ſigna & notas affectæ partis indagabit, ſecunda cauſarum morbificarum indicia perſequetur; tertia & vltima ipſam affectûs ſpeciem inuenire docebit. Quamuis enim in vſu artis & ipsâ exercitatione iſta non maneant ita diſtincta, ſed plerumque ex vnico ſigno aut duobus perceptis, ſtatim & affectus ſpecies, & illius ſubiectum, nimirum pars affecta, atque etiam cauſa aliquando innoteſcat; attamen in ſtabilienda doctrina melius eſſe videtur, iſta diſtincte & ſeorſim, quàm ſimul & confuſè explicare.

Vt autem in προγνώσει medica explicanda, diuinam Hippocratis ſolertiam, qui in illa artis parte omnibus excelluit, quantum fieri potuit, ſecuti ſumus; ſic in διαγνώσει præcipuè imitandum habemus Galenum, qui libro de locis affectis & in arte paruâ, *illam accuratè explicauit, non ſpretis neotericorum inuentis, ſiquid vtilitatis huic rei afferre videantur.*

PARS PRIMA ΔΙΑΓΝΩΣΕΩΣ.

Διάγνωσις partis affectæ.

SIGNVM cum re ſignificata connexionem quandam naturalem habere debet, propter quam cognoſcimus hoc ad illud ſequi, vel neceſſariò, vnde τεκμήρια apud Hippocratem exoriuntur, quæ recentioribus χαρακτηριστικὰ & παθογνωμονικὰ dicuntur; vel vt plurimum & frequenter, vnde ἐικότα, & ϛημεῖα, tam ϛυμπτώματα quàm ἐπιφαίνοντα, quæ concurrunt ſimul cum affectibus præter naturam, vel illis ſuperueniunt. Hæc autem connexio ſigni naturalis non intentionalis, quod ex arbitrio hominum conſtituitur, cum re ſignificata, vel eſt vt cauſa illius, vel vt effectus; vel illud fit ab eadem ſimul cauſa, quo res ſignificata: Poteſt enim fieri vt aliquando cauſa alicuius rei pateat, cuius effectus nondum ſint valde manifeſti; vt contrà latente causâ effectus aliquando ſunt manifeſtiſſimi. Et ſæpe fieri poteſt, vt neque cauſa, neque effectus tam ſint manifeſti, quàm aliquid aliud, quod ab eadem cauſa cum iis proficiſcitur. Aliàs in multis rebus iſta omnia ſenſibus noſtris obiiciuntur, noſque admonent de generatione vel natura rei illius, quæ adhuc latere poteſt. Quorum omnium exempla plurima in rebus externis & corporis noſtri conſtitutionibus dari poſſunt, vt in ſequentibus videbimus. Quod igitur hoc modo non ſignificat, non habebitur à nobis pro vero ſigno medico ad διάγνωϛιν partium affectarum, cauſarum morbificarum, vel affectuum præter naturam faciens.

Hoc poſito velut principio, iam accedamus ad perquirendos fontes ſignorum, quibus τὸ πρῶτον δεικτικὸν, proprium ſubiectum, nimirum pars corporis noſtri malè & præter naturam affecta dignoſci poteſt. Quamuis enim morbi quidam vniuerſales dicantur, qui verbi gratia totum corpus occupant, vt febris, elephantiaſis, & ſimiles, ſi fructus eorum & propagines ſpectes; attamen ſi radicem & quaſi fundamentum ex quo pullulant contempleris, perpetuò aliquam partem primariam labem

Digitized by Google

labem contraxiſſe reperies, vt cor in febre, hepar in elephantiaſi, & ſic de reliquis.

Rurſum cùm corporis noſtri partes ab Anatomicis diuidantur in continentes & contentas, ſeu externas & internas; certum eſt externas, quæ ſcilicet viſui & tactui expoſitæ ſunt, non indigere aliis ſignis vt eorum affectus deprehendantur. Attamen quia externi illi affectus, verbi gratia phlegmone aut eryſipelas in manu vel pede, non fiunt vt plurimùm, niſi interiore cauſa concurrente & quaſi emiſſa ab interioribus illis viſceribus; & vbi fiunt & ſtabulantur corporis noſtri humores: ideò in conſultatione iſtorum affectuum externorum, neceſſum eſt deprehendere etiam per ſigna interiores illas noxas à quibus dependent, vt ritè curari poſſint; præcipuè tamen iſti fontes ſignorum diagnoſticorum diriguntur ad interiores corporis particulas cognoſcendas, quoties affectu præter naturam detinentur.

Quamuis igitur multi multas proponant vias inueſtigandæ partis affectæ; & ipſemet Galenus ſibi aliquando diſſentire videatur; attamen maximè nobis placet illa quam ſequitur *libro de locis affectis*, vtpote facilior, & magis rei medicæ accommodata, vt ex illius explicatione patebit.

Quinque igitur proponit fontes ſignorum ad dignoſcendam partem affectam. Cùm enim omnis corporis noſtri pars, ſiue ſit ſimilaris, ſiue organica, aliquam exerceat in nobis actionem peculiarem, quæ tamdiu rectè ſe habet, quamdiu ſtatus naturalis perſeuerat; ideò oportet neceſſariò illam immutari & deficere ab iſta perfectione, quando ſtatus morboſus introductus eſt. Debet igitur primò Medicus ab eiuſmodi actione, velut communi quadam notione, coniecturam facere de parte affecta, quæ illam edere ſolita eſt; iſta enim actio vel imminuta, vel abolita, vel deprauata, ſiue ſit naturalis, ſiue vitalis, ſiue animalis, oſtendit labem in illa parte eſſe contractam, ex quâ pendebat. Sic deliria cerebrum, ſurditas aures, pulſus velox aut frequens cordis ventriculos, nutritio vitiata hepar, aut aliam partem coctionibus dicatam, præter naturam affectas eſſe oſtendunt: ſicque progrediendo ad exquiſitam eius notitiam, quantum fieri poteſt, perueniendum eſt, prout illa actio magis erit ſenſibilis & manifeſta. Neque ſolùm actio ipſa, quæ eſt motus partis factiuus; conſideranda eſt, ſed etiam vſus, qui ſine vlla motione concurrit, vt cauſa ſine quâ non, vel vt adiuuans ad actiones perficiendas. Ex illo enim immutato plerumque contingit, partium actiones perire aut deprauari, quod in organicis valde eſt manifeſtum. Nam in viſione quoquomodo læsâ verbi gratia non ſolùm cryſtallinus humor, vel neruus opticus malè affici poteſt, ſed etiam aliæ tunicæ aliíque humores, vel palpebræ; Vnde per actionem læſam, & illius læſionis modum, non ſolùm deprehendenda eſt aliqua pars organica malè affecta, ſed etiam partis illius particula quæ primarium affectum ſuſtinet.

Ad actiones corporis noſtri, potiſſimùm eas quæ coctionibus, ſecretionibus & expulſionibus conſtant, ſequuntur opera quædam ſeu effectus permanentes ab obiectis earum geniti, nempe humores, ſpiritus, vapores, flatus, & omnia excrementorum genera, quæ ſi excernantur vel retineantur præter naturam, cauſæ ſunt aliquando vel effectus, & quaſi ſequela actionum in partibus affectis læſarum; imò multæ actiones non ſunt manifeſtæ, vt ventriculi, hepatis, &c. niſi per iſta opera: Vnde Galenus ſecundum ſignorum loci affecti fontem repetit ab ipſis excretis. Iſta igitur excreta vel ſunt communia & quaſi ex illuuie totius corporis ſubſtantia, vt fæces & vrina, quæ non poſſunt tam certò partem aliquam affectam deſignare, quamuis etiam ſuum habeant vſum in hac artis parte, vt ex variis Hippocrat. Aphoriſmis conſtat, & eorum particulari tractatu. Alia verò peculiaria, ſiue ſint propriæ partis particulæ, vt ramenta & cruſtulæ partium, ſiue aliquid eis adnatum ſecundùm naturam, vt adeps inteſtinis; vel præter naturam, vt fungus meningi vulneratæ, caruncula meatui vrinario, & ſic de reliquis: ſiue ſit aliquid naturaliter in eis contentum, vt ſanguis in venis, vel arteriis, chylus in ventriculo, aër inſpiratus in thorace, & ſic de reliquis. Iſta igitur propria excrementa principaliter indicant, quænam pars corporis ſit affecta, ita vt in illis ſpectemus propriam ſpeciem ſiue ſubſtantiam, qualitatem, quantitatem, excernendi modum & ordinem; quod exemplorum appoſitione reddetur illuſtrius.

Etenim excreta cartilago per tuſſim aut pellicula oſtendit eam deraſam eſſe ex pulmonum bronchiis aut aſperâ arteriâ, quia eiuſdem eſt naturæ & ſubſtantiæ cum illis: fruſtulum autem carnis fungoſæ & quaſi ſpumantis, ex ipſis pulmonibus putrefactis expulſum; Sic meïendo ſi quis carunculas emittat, *Aphoriſm. 75. ſect. 4.* re-

num ſubſtantiam detritam eſſe ſignificant: furfuracea autem & laminoſa, veſicæ exulcerationem. Ratione qualitatis excretorum, ſanguis flaueſcens & tenuior, cum quadam diaſtole & ſaltu exiliens, arteriam potiùs quàm venam apertam eſſe oſtendit, ex quâ craſſior & rubicundior prodire ſolet. Ratione quantitatis, ſanguis meiendo excretus, ſi paucus ſit, ex veſica exangui potiùs proficiſci; ſi multus, ex renibus vel ſuperioribus partibus, vbi maiore copiâ continetur, ſignificat. Ratione excretionis & modi excernendi, quæ per vomitum excluduntur, ex affecto ventriculo potiſſimùm; quæ per tuſſim, ex thorace prodire eſt apertum. Denique ipſe etiam ordo in excrementis deſignat ipſam partem affectam; nam in dyſenteriâ ſi pus aut ſanguis purus ante fæces exeat, credibile eſt inteſtinum rectum potiùs vlceratum quàm reliqua; ſin verò poſt fæces, aut illis valde permixtus, ſuperiora aut media inteſtina affectu præter naturam detineri, & ſic de reliquis.

Sed quoniam Medicus Anatomes peritus, iſtas actiones & excrementa partium affectarum conſiderans, perpetuò ſibi velut ob oculos repræſentat locum quem in corpore occupant; ideò ſi quid exteriori ſenſu, vt viſu aut tactu deprehendi poſſit, accedit ad tertium fontem ſignorum diagnoſticorum, qui ex ſitu, poſitu, & connexu ducitur à Galeno; Vbi non ſolùm localem illam differentiam ſpectat, ſed etiam quicquid in eâ aliquando percipi poteſt, nimirum figuram, magnitudinem præter naturam, tumorem, & ſimilia: imò etiam calorem, frigiditatem, duritiem, mollitiem, & ſimilia partibus contingentia, quæ Neoterici eſſentialiter inhærentia appellarunt, vnde Hippocrates ſublimes ventris dolores à profundis diſtinguit. Tumor ingens ſub dextro hypochondrio & verſus ventriculum, ſi orbicularem aut quaſi lunarem figuram obtineat, hepar potiſſimùm circa gibbam ſui partem affici; ſi profundus, circa cauam; ſi ille tumor ſit oblongus, & exterior, muſculos abdominis, rectos præcipuè, affici oſtendit; ſi ingens tactu calor & renitentia ſentiatur in ſiniſtro hypochondrio, qui inſtar linguæ bubulæ extendatur verſus vmbilicum, lienem affici ſtatim exiſtimamus, & focum morbi præcipuum ibi repoſitum eſſe. Quis etiam, vbi videt inteſtina in ſcrotum delapſa, non agnoſcit peritonæum tunicam, quæ ad teſtes protenditur, eſſe ruptam vel laxatam? Denique ex maiore Anatomes peritiâ, certum eſt Medicum, magnam ex iſto fonte ſignorum certitudinem in agnoſcendis partibus affectis reportare; cùm viſi ſint hac noſtrâ ætate, qui gloriabantur ſe poſſe circini operâ, dimetiendo ab vmbilici regione verſus alias corporis partes in quibus eſſet aliqua ægrotorum querimonia, quaſi in puncto deſignare, quæ eſſet non ſolùm pars affecta, ſed etiam partis particula. Quod tamen non eſt omnino credibile, propter magnam corporum varietatem, quæ menſuram illam geometricam ab illis vſurpatam fallere poteſt.

Hiſce igitur tribus ſignorum fontibus, ſuccedit quartus, non minoris fortaſſe momenti in diagnoſi partis affectæ, quem Galenus doloris proprietatem appellat. Quamuis enim dolor ad actionem læſam referri poſſit, quia tamen eſt quædam paſſio ſeu triſtis ſenſatio ſenſus tactus expanſi per vniuerſas corporis partes, quæ neruorum propagines à cerebro aut ſpinali medullâ recipiunt: Hinc fit vt paſſio iſta imprimatur ab obiecto improportionato in partibus corporis noſtri, non vniformiter, ſed pro modo & variâ illarum conſtitutione. Sic enim dolor qui membranoſum genus occupat, alius eſt & ſentitur ſub aliâ ratione, quàm qui eſt in carnoſo vel viſceroſo: hinc fit vt variæ dolorum differentiæ à Medicis ægriſque annotatæ, varias etiam partes affectas detegant. In renem grauis dolor, inquit Hippocrates, à calculo eos comprimente & quaſi contundente, qui ſi in caput vreteris inſinuetur, tunc mutata doloris ſpecie acutus & vehemens euadit. Idem dicas de cæteris viſceribus, vt liene, hepate & pulmonibus. Nam dolor punctorius qui membranam ſuccingentem infeſtabat, facta metaſtaſi materiæ pleuritidis in pulmonem, ceſſat & permutatur in obtuſum aut grauatiuum. Si membranæ oſſa tegentes περιόστεα dictæ diuellantur à flatu aut humore illic impacto, vt in lue veneream veteri contingit, & initiis acceſſionum quartanę febris, fit dolor à veteribus ὀστεόκοπος dictus, oſſa quaſi contundens & ſummâ acerbitate moleſtus. In neruis autem & tendinibus conuulſorius dicitur, quia ſtatim irritat naturam ad contractiones illas dolorificas, quæ in eorum affectibus grauioribus apparent. In arteriis autem inflammatis aut compreſſis exoritur dolor pulſatorius, vt patet in tumoribus phlegmonoſis & ſuppurationibus: hîc enim vaporibus repletæ arteriæ, quæ priùs indolenter & inſenſibiliter in parte pulſabant, iam agitantur cum dolore & graui moleſtia. Qui tamen abeſt in peripneumonia & non ſentitur propter mollitiem & laxitatem pulmonum; in pleuritide

propterea,

propterea quod exiguæ illæ arteriolæ quæ in latus deferuntur, non ingrediuntur ipſam pleuram, ſed in coſtarum interſtitiis ſunt collocatæ. Oportet igitur obſeruare iſtas dolorum differentias, quæ pro diuerſitate partium contingunt, vt affectus præter naturam illis ineſſe dignoſcamus.

At verò præter dolorem qui partibus affectis contingit variis modis, ſunt etiam propria quædam accidentia ſeu effectus, qui partes affectas comitantur vel ſubſequuntur, ex quibus quintum & vltimum ſignorum diagnoſticorum fontem repetit Galenus. Iſta autem propria accidentia accommodatè referri poſſunt ad tertium illud ſymptomatum genus, quod qualitates mutatas vocant, variáſque habent differentias, prout obiecta ſunt diuerſorum ſenſuum. Sic color plumbeus & quaſi exanguis apparet per cachexias hepate refrigerato, citrinus ob cyſtidos felleæ imbecillitatem aut obſtructionem, nigricans liene laborante, & ſic de reliquis. In pulmonum inflammatione rubor pertinax genas occupat, ob effumationem illam calidiorum vaporum ad ſuperiora. In muſculis phlegmone affectis ingens etiam rubor, in eryſipelate ad flammeum tendens, in ſcirrho nigricans, in œdemate albicans color apparet, pro varietate humorum, à quibus iſti tumores committuntur. In phthiſicis iam morituris vngues recurui & liuidi aſpiciuntur. In oſſe etiam corrupto caro liuida apparet, ex *Aphoriſm.* 2 *ſect.* 7. Borborygmi in ventre inteſtina flatibus agitari. Et ſic de reliquis, quæ longa exercitatione & experientia indigent, vt poſſimus iſtos morborum characteriſmos partibus affectis inhærentes deprehendere.

Hiſce ſignorum fontibus à Galeno eleganter conſtitutis, addunt neoterici iuuantia & lædentia, ex quibus etiam ſigna partium affectarum diagnoſtica depromi exiſtimant. Verùm iſta iuuantia & lædentia videntur mihi magis ad actum prognoſticum vel therapeuticum pertinere, quàm ad veram diagnoſim. Aut certè cùm iſta iuuantia & lædentia referantur potiſſimùm ad cauſas, de quibus poſteà ex profeſſo agendum eſt, non videntur hoc loco inutiliter inculcanda.

Quod verò ex ſimilitudine ſeu proportione, ſigna etiam partium affectarum repetunt, non videtur admodum vtile aut neceſſarium, cùm iſta analogia non habeat illam connexionem cum re ſignificata, quam dicebamus in veris ſignis medicis adeſſe debere. Nos igitur ad alia progrediemur.

VTRVM PARS AFFECTA PRIMARIO VEL SECVNDARIO LABORET, QVOMODO DIGNOSCENDVM. Non ſatis eſt ſcire partem aliquam affectam eſſe præter naturam, ſed etiam ſciendum an primariò vel ſecundariò ſeu per ſympathiam laboret: hoc enim valde ad therapiam facit, cuius gratiâ omnes aliæ Medicinæ partes traduntur; quia potiſſima indicatio ſeu curandi ratio conuertenda eſt ad eum locum, vbi morbi & cauſarum fomites primariò latitant, & in alios deriuantur.

Sympathia igitur, compaſſio & condolentia, quæ denotat diſpoſitionem quamdam in partibus fientem & dependentem ab alia parte, quæ idiopathia ſeu primario affectu laborat, duplex omnino à Medicis ſtatuitur. Vna quidem quæ ſimplex dicitur, alia compoſita. Simplex ea cenſetur, quando mera tantùm condolentia contingit, ob partium viciniam, generis ſocietatem, vel officij communionem. Ratione enim viciniæ, ſub quâ etiam connexionem partium ſubintelligimus, rectum inteſtinum v. gr. vtero aut veſicæ facilè compatitur; ratione generis neruoſum neruoſo, membranoſum membranoſo; ratione verò officij, quæ ad idem munus obeundum comparatæ ſunt partes, facilè alias in conſenſum trahunt, vt mammæ, vterus & genitalia, vt pleura affecta muſculos intercoſtales, pulmones, & alias thoracis partes inſpirationi dicatas. Quòd ſi duo aut tria ſimul iſtorum concurrant, maior adhuc & facilior erit ſympathia. Compoſita verò eſt, quæ fit aliquo quaſi tertio interueniente, etiam ob communicationem, tripliciter, ſcilicet vel priuationem alicuius materiæ aut facultatis. Sic enim partes corporis recipientes aliquem humorem aut vaporem extraneum ab aliis, præcipitantur in iſtos affectus ſympathicos, qui ſi diutiùs perſeuerent, firmitatem tandem obtinent, neque ſimpliciter dependent ab illa cauſa primaria, ſed *δευτεροπαθεῖς* ab authoribus noſtris appellantur, vt quando cephalæa à fumis ventriculi introducta, tandem cerebro diſpoſitionem præter naturam ſtabilem & firmam inurit: Ex priuatione verò ſpirituoſæ materiæ & facultatis ſubita fit ſympathia in partibus, quæ animales actiones aut vitales exercent: ſublato enim commeatu iſto ſpirituum animalium ex cerebro per neruos, vitalium à corde per arterias influentium, ſtatim partes, quæ iſtos influxus ſuſcipere ſolent, eis deſtitutæ in

ſympathicos

sympathicos affectus trahuntur, consuetisque actionibus omnino priuantur, vel minùs commodè fruuntur. Quod in naturalibus functionibus nutritioni dicatis non ita est manifestum, quia eiusmodi functiones sunt insitæ & quasi congenitæ omnibus corporis nostri particulis, vt exemplo plantarum confirmat Galenus. Deficit tamen illud exemplum, quia animantium corpora, non vt plantæ suam ex terra alimoniam trahunt, sed ex certis corporis partibus, vbi fiunt concoctiones, ideóque ratione materiæ siue obiecti alimenti, quo necessariò frui debent, vt suas operationes edant, etiam in sympathiam trahuntur. Nam siue priuentur sanguine illo qui in hepate genitus; debet per venas alimentum illis suppeditare, aut minore quantitate illius fruantur, paulatim contabescunt, vt in marasmo vniuersali & particulari apparet; Vel si illud alimentum sit alienum & disproportionatum naturæ, partes etiam trahuntur in consensum, & vt in cachexia, λευκοφλεγματίᾳ, vitiligine, & similibus apparet, nutritio illarum vitiatur.

His ita præmissis, vbi aliqua pars affecta sese per actionis læsionem offert, videndum an ex earum sit numero, quæ facilè in sympathiam rapiuntur ob conditiones supradictas. Verbi gratia motus vel tactus sit læsus in manu vel pede, post grauiorem casum aut contusionem inflictam spinæ vertebris & neruis ab eâ exorientibus: non est dubium quin illa læsio partibus illis accidat, ex sympathia priuationis influxus illius, qui à cerebro per neruos in omnes partes sensui aut motui dicatas derivatur. Si cerebrum per interualla doleat aut vertigine tentetur, quoties aliquis in victu peccauit, & ventriculi morsus ac cardialgias anteà percepit, certum est etiam illud fieri ob fumos & vapores ab eo eleuatos, qui qualitate suâ feriunt, vel quantitate distendunt cerebri meninges, & sic de reliquis, potissimùm quando aliqua pars præter modum debilitata ex accidenti aut hæreditario iure apparet, vt in eis qui verbi gratia vulnera olim in capite acceperunt, vel qui articulos habent laxiores & infirmos ab ipso ortu.

Notandæ igitur causæ præcedentes, tam externæ quàm internæ, quæ vim aliquam corpori nostro intulerunt aut partibus illius. Ibi enim credibile est firmatam esse primariam morbi sedem, vbi illæ priùs impetum suum exercuerunt. Deinde animaduertenda incrementa & decrementa istorum affectuum, qui in partibus existunt. Nam si ille verbi gratia dolor qui est in capite, augeatur prout mala quædam infestant ventriculum, eisque cessantibus desinat, manifestum erit cerebrum ex sympathia tantùm ventriculi laborare. Quòd si in ista parte affecta sint dilucida interualla, ita vt tunc optimè se habens, subitò præcipitetur in istas noxas & incommoda sine causâ quæ in ea manifestè appareat, fit adhuc magis certum, eam ex consensu alterius laborare. Sit enim iuuenis robustus, cui cor firmum & validum existat, syncopæ aut lipothymiæ post aliquos vitæ errores obnoxius, quæ illum subitò & interiectis periodis inuadat, credibile est materiam aliquam siue auram malignam ex aliquo corporis loco expirare, quæ cordis sinus ingrediens, illius robur & functiones infestet. Id manifestum est in suffocatione vterinâ, quæ derepente mulierem respiratione priuat, & quasi strangulatus metum in faucibus inuehit. Denique vbi duæ partes ita laborant, vt vtriusque noxa sit sensibilis, sit tamen suspicio sympathiæ inter illas, adhibita remedia vtrique ostendent, quæ illarum primariò vel secundariò laboret; nam eâ quæ per *idiopathiam* afficitur curatâ, alterius affectus citò tollitur; illi verò adhibita quæ sympathicè afficitur, nihil aut parùm proficere videntur. Quod Galenus 1. *de loc. affect.* eleganti docet exemplo, illius qui cùm ex rhedâ cecidisset in dorsi superiorem partem, vbi contusio, inflammatio, & tandem scirrhosa dispositio exorta erat, ita vt tres etiam digiti manus sensum & motum amisissent. Cùm enim Medici remedia manui frustrà adhiberent, Galenus iussit circa septimam dorsi vertebram, vnde nerui isti exoriuntur, eadem remedia admoueri, sicque curato primario affectu, restituta est digitis manus sua functio. Atque hæc de parte affectâ dignoscendâ, quæ est prima διαγνώσεως pars.

PARS

ΔΙΑΓΝΩΣΕΩΣ PARS II.

De dignoſcendis morborum cauſis.

QVONIAM ex cognitione efficientis cauſæ & proprij ſubiecti in quod agit, natura effectus ipſius quaſi per ſe eluceſcit: ideò poſt explicatam *διάγνωσιν* partis affectæ velut ſubiecti morborum, iam accedimus ad dignotionem cauſarum, à quibus fit vel iam factus eſt, vt ex vtriuſque veluti facta comparatione, morbi natura, ſpecies, & differentiæ meliùs innoteſcant. Per cauſas igitur morborum hîc efficientes & quoquomodo illius generationem iuuantes, intelligimus potiſſimùm internas. Externæ enim vel præſentes adhuc ſunt & omnibus ſenſibiles exiſtunt; vel præceſſerunt, & ex ægri aut adſtantium relatu cognoſcuntur.

Quod ad cauſas itaque internas ſpectat, à quibus morbi efficiuntur, illæ potiſſimum à Medicis ad humores ipſos in nobis contentos, & qui ex eis eleuantur vapores & flatus referuntur, faciuntque duas vniuerſales cauſas, nimirum plethoram & cacochymiam. Rurſum plethoram volunt eſſe duplicem; Vnam quam vocant ad vaſa, quando diſtenduntur aut premuntur multitudine humorum; Aliam ad vires, quando quantitas illa improportionata viribus corporis, ipſas opprimit & grauat ſine inſigni mole; Cacochymiam verò triplicem conſtituunt, pro numero excrementorum quæ in nobis ſuſcitari ſolent, bilioſam ſcilicet, melancholicam ſeu atrabilariam, & pituitoſam, ſub qua ichoroſam ſeu ſeroſam, flatuoſam, aliaſque complectuntur: Ex his enim ſeorſim vel complicatis, vt in plethorâ cacochymicâ; potiſſima morborum partiumque affectarum ſoboles dependet, quique harum cognitionem rectè tenuerit, feliciter in morborum curatione negotiabitur. Hinc enim Paracelſici vocant Medicos Galeni viam ſequentes, Humoriſtas: & loco iſtarum cauſarum, ponunt ſal, ſulphur, & Mercurium, à quorum vario exceſſu morbi in nobis producantur, ideò peculiaria tradunt ſigna quibus cauſæ iſtæ, & morbi mercuriales, ſulphurei, & ex ſale iſto tartareo pendentes dignoſcantur. Sed ſublato verborum ænigmate, quibus illi ſua myſteria tegere conantur, certũ eſt iſta omnia commodè ad humorales cauſas à nobis recenſitas, reduci poſſe.

Vt igitur illæ cognoſcantur, oportet ſigna repetere primò ex cauſis efficientibus, diſponentibus & materialibus, à quibus producuntur, tum ex effectis, quæ ad illarum generationem manifeſtè conſequuntur. Cauſarum ſeries ergo conſtabit ex cenſu rerum naturalium, temperamenti ſcilicet proprij, totius & partium, ætatis, ſexus, & conſuetudinis; rerum non naturalium, vt aëris, regionis, & loci in quo verſamur, alimentorum, aquarum, & ſimilium quibus veſcimur, ſomni, vigiliæ, exercitationum, excretorum, retentorum, animi pathematum, rei venereæ, balneorum & ſimilium, in eis qui illis vti ſolent. Eodem modo rerum præter naturam conſideratio non erit negligenda. Quicunque enim morbi aut ſymptomata præceſſerunt aliàs, vel oriuntur frequenter, efficiunt ſimiles ſibi humores, aut diſponunt partes ad eorum generationem, ſicque oſtendunt naturam humorum naturalium, contra naturam in nobis dominantium, vt meliùs deinde in particulari eorum enumeratione patebit.

Effectus verò generaliter qui humorum dominatum demonſtrant, ad tres potiſſimùm reducuntur, colores ſcilicet, ſapores, & motum qui vnicuique proprius eſt. Etenim certiſſimum eſt, & à Galeno ſæpiùs annotatum, tales in nobis efflorеſcere colores, qualis eſt in interioribus humor, quique inde ad ſuperficiem corporis, præcipuè autem faciem transfertur, vel etiam in aliis partibus præter naturam affectis apparet, vt in tumoribus præter naturam, dum materia quædam humoralis in eas effunditur. Quòd ſi iſta materia regurgitet in ventriculum, fauces & palatum, excitantur ſapores alieni, qui repræſentant dominatũ & naturã excedentis humoris. Vt enim color ruber ſanguinis prædominium, ſic dulcis ſapor æquabilem eius temperiem ſignificat: Albus verò cum inſipiditate quadã pituitã, ſi fuerit naturalis: ſin verò ab ea degeneret, acidũ quid aut falſum repræſentat; Melancholia naturalis, auſterum ſaporẽ cum nigredine, qui in atrâ bile eſt acer & mordax. Denique bilis omnes ſpecies amaroꝛẽ habẽt coniũctum plus minus, prout à flauâ, vitellinâ, porraceâ, & glaſteâ ad atrã vſque degenerant.

Vbi autem permiſcentur iſti humores æqualiter vel inæqualiter, variegatos etiam colores & ſapores referunt. Quod eſt diligenter animaduertendum cum cauſis naturalibus, non naturalibus, & præter naturam, quæ eorum generationem promouere poſſunt.

Præterea quidam eſt in humoribus motus, tam in ſtatu naturali, quàm præter naturam, qui illorum oſtendit dominatum, vtpote ſanguis creditur matutinis potiſſimùm horis, bilis verò meridianis, melancholicus ſuccus veſpertinis, pituitoſus nocturnis agitari: & qui morbi ab illis pendent, iſtos ſequuntur etiam motus & exacerbationes: vbi verò iſti putreſcunt humores, acquirunt mirabili quodam modo *ἰδιοτροπίαν*, & certas periodos, propter quas ſanguis putreſcens æquabilem & ferè continuum habet motum, pituitoſus verò humor ſingulis diebus, bilioſus alternis ſeu tertio quoque die per *ζυκάφθειαν* computato, melancholicus quarto obtinet ſuum & peculiarem paroxyſmum, ſicque pro tenuitate & caliditate velocius, pro craſſitie aut frigiditate tardius mouentur, cum rigore, horrore, concuſſione, aut ſtupore partium. Quorum omnium particularis explicatio in variis morborum, præcipuè febrium, ſpeciebus proponi ſolet.

Quemadmodum autem ex motu, colore, & ſapore humores dominantes dignoſcimus, ſic etiam ex mole ſeu habitu corporis, nec non mixto quodam ſymptomate, quod Hippocrates *κόπον*, nos laſſitudinem vocamus. Moles enim ſeu habitus corporis plenior & in mediocritate poſitus, *εὐεξίαν* & laudati ſanguinis plethoram deſignat; ſin verò laxior & mollis, pituitæ exceſſum: ſtrigoſior autem, durior, & macie deformis *καχεξίαν*, & bilioſi humoris aut melancholici exuperantiam. Laſſitudo autem, quæ eſt impotentia quædam aduentitia & ſine labore prægreſſo, ad motum animalem exercendum, cum moleſtia & triſti ſenſatione dum membra agitantur: triplex exiſtit apud Galenum: tenſiua quæ eſt index multitudinis humorum & colliquationis eorundem in partes muſculoſas; vlceroſa cum ſenſu quodam pruritus & acrimoniæ, quæ oſtendit cacochymiam dominari; & phlegmonoſa quæ ex his videtur mixta, quoniam cum tenſione quam facit materiæ copia, ſenſus etiam ardoris adeſt, qui coniunctam putredinem aut inflammationem humorum oſtendit.

Ex hiſce igitur omnibus & ſingulis venabitur Medicus cognitionem cauſarum antecedentium humoralium, à quibus coniunctæ morborum deriuantur: Hiſce addendo (vt iam diximus) antecedentia, nimirum cauſas efficientes vel diſponentes eorum: & conſequentia, nimirum omnia ſymptomata, quæ ad humores iſtos exoriri potiſſimùm ſolent. Nec non iuuantia & lædentia, ex quorum animaduerſione inter curandum, detegere etiam poſſumus, quis potiſſimùm humor prævaleat. Vt enim alterantia & vacuantia commodum vel incommodum adferunt ex lege contrariorum bene vſurpata, ſic etiam faciunt ad notitiam materiæ noxiæ, quæ hoc vel illo remedio miteſcit aut exaſperatur. Niſi fortè in deploratis & malignis morbis, in quibus omnia etiam optimè adhibita remedia nullum adferunt commodum, vnde illud Hippocr. *Quæ iuuare debent & non iuuant, malum.*

In hiſce itaque eluceſcere debet Medici *διάγνωσιν* exercentis ſolertia. Aliquando enim iſti humores vniuerſaliter per totum corpus dominantur, aliquando peculiariter in vno tantùm membro; aliquando conſimiles vel diſſimiles, vt quando in cerebro pituita, in pulmone bilis exultat: aliquando ſinceri, alias permixti, idque æqualiter vel inæqualiter, ſecundùm varias proportiones & mixtiones eorum inter ſe: tuncque maior eſt cognoſcendi difficultas ex confuſione ſignorum ad inuicem.

Vt autem cauſæ iſtæ humorales, potiſſimùm in morbis intemperamenti conſiderandæ, ſic etiam in organicis & ſolutionibus continui, qui ab eis etiam vt plurimùm proximè vel remotè pendere ſolent, verbi gratia magnitudo aucta totius vel partis à plethorâ vniuerſali vel particulari; numerus ſuperfluus vel imminutus à redundante vel deficiente materiâ, obſtructio vaſorum ab humore pituitoſo vel alio oppleute, lumbrici à pituita in inteſtinis putrente; arenulæ & calculi renum & veſicæ ab eâdem excoctâ & induratâ procedunt; vlcus ab humore acri, diuulſio à flatu aut humore diſtendente, & ſic de reliquis, quę Medico valde ſunt conſideranda, vt cauſarum ſeriem cognitam habeat.

De signis hvmorvm in specie. Quamuis ſuperiore capite videamur ſufficienter ſigna propoſuiſſe, ex quibus humorū in nobis dominatus, quoties morborū cauſę antecedētes aut coniunctę euadunt, haberi poſſit: attamen quoniā iſta tractatio magnæ eſt vtilitatis in Medicina, nequid omiſiſſe hac in parte videamur, lubet adhuc

ſigna

ſignâ vniuſcuiuſque humoris ſpeciatim perſequi hoc capite, ducto à ſanguine velut præſtantiori, initio, quia dum exundat aut alteratur, magnos periculoſóſque affectus afferre ſolet, non minùs quàm bilis, melancholia, ichor, & pituita; ex eíſque eleuati vapores & flatus.

Sanguis igitur, ſub cuius nomine complectimur modò totam illam maſſam ſanguinariam in venis & arteriis potiſſimùm contentam, & ad alendum proportionabiliter conſtitutam, modò puriorem illius & ſalubriorem partem, temperie ſummâ, colore rubro, ſaporéque dulci præditam, quæ ob ſui præſtantiam toti denominationem tribuit: tunc dominari in corporibus noſtris cenſetur, quando cauſæ præceſſere, quæ illum generare ac multiplicare poſſunt, vtpote ex parte rerum naturalium, temperies totius vel iecoris & cordis calidior humidiórque, ætas à pueritia vſque ad pubertatem, & ſexus muliebris, donec menſtrua effluere incipiant. Ex parte rerum non naturalium, aëris temperies mediocris, vt verna vel auſtrina, quæ tamen ad humidiorem iam nimis accedens, ſi diutiùs perſeueret humores ad putredinem diſponit; regio, domus, & alia loca meridiei aut orienti expoſita, otium, vel exercitatio, quæ intendat appetitum, non reſoluat; lætitia, & vita ſine curis, (*bontemps*,) ſomnus dulcis & moderatus. Quibus materiam ſuppeditant victus plenior ex alimentis potiſſimùm euchymis, vt pane recenti albiſſimo, ac probè fermentato coctóque, ouis tremulis & mollibus, carnibus iuniorum animalium, & boni ſucci, gallinarum, perdicum, phaſianorum, vitulorum, hœdorum, & ſimilium, aquâ puriore fontanâ vinóque generoſo ſalubriter dilutâ. Quibus ſi acceſſerint ſuppreſſiones vacuationum ſolitarum, vt hæmorrhagiæ narium in ephebis, hæmorrhoidum in adultis, aut aliquo inſigniore membro mutilis, menſium in mulieribus: tunc plethora iſta ſanguinea valde intenditur, vt Athleticum illum habitum ab Hippocrate in Aphoriſm. damnatum repræſentet.

Huiuſmodi igitur ſanguinis redundantiam, ſequuntur color faciei intenſus & rubore multum ſaturatus, qui etiam in venulis oculorum diſtentis conſpicitur, & ſi paulò craſſior extiterit, deuoluitur in muſculos & cutem tibiarum, vbi non ſolùm rubores, ſed etiam inflammationes parit aliquándo, & quaſi per periodos in multis: venæ etiam in illis poſt modicam exercitationem aut æſtum turgent, ac muſculi diſtenduntur, vnde laſſitudines illæ tenſiuæ aut phlegmonoſæ exoriuntur, vehementer pulſant arteriæ, & reſpiratio facilè intenditur. Animi mores iucundi, cum diſcurſu & memoria facili, ſed minùs firma. Somnus profundior, plenus inſomniis rerum rubrarum & hilaritate conditarum. Procliuitas in Venerem, eiúſque facilis tolerantia ob copiam ſeminalis materiæ. Appetitus ventriculi intenſus, niſi iam multitudo iſtius humoris exceſſerit, quæ ſatietatem pariat, vnde ſapores in ore dulces & gratos perſentiunt. Vrinas profundunt copioſas, laudabili conſiſtentia & colore præditas, ſed contentorum multitudine aliquando refertas. Molem & habitum corporis mediocrem aut carnoſum obtinent, multo halitu blando perfuſum.

Quod ſi iam cauſæ aliquæ externæ & violentæ acceſſerint, quæ hunc ſtatum à naturali deiiciant, facilè labuntur in febres ſynochas & purpuratas ex inflammato aut putrente ſanguine, qui ſudores copioſos & fœtoris non expertes prolicit: in phlegmonoſos etiam tumores partium, puſtulas ſanguineas, & ſimiles, qui ſummopere iuuantur largâ ſanguinis miſſione, aut ſpontaneâ illius profuſione.

Sanguinem ſequitur pituita, quia tum quantitate, tum alendi bonitate ad illum proximè accedit; quæ tamen diuiditur in alimentariam & excrementitiam. Alimentaria eaſdem habet ferè notas cum ſanguine, & in eum, vt vult Galenus, vlteriore coctione tranſmutatur. Excrementitia verò, quæ in ventriculo, inteſtinis, pulmonibus, & cerebro maximè redundare ſolet, diuiditur pro variis quibus prædita eſſe ſolet, ſaporibus & conſiſtentiâ in dulcem, inſipidam, acidam & ſalſam: deinde in ſeroſam, mucoſam, vitream, & gypſeam. Ex eiſdem autem fontibus repetenda ſunt ſigna quæ illius dominatum oſtendunt, vtpote temperamento totius vel partium, vt iecoris, ventriculi, aut cerebri frigidioris humidioríſque, ſexu muliebri, ætate ſenili aut puerili, propter ingluuiem & incautam viuendi rationem, hyemali tempore, regionibus quæ ſtagnis, paludibus aut fluminibus ſunt vicinæ, boreæ & niuibus expoſitæ, quales ſunt quæ polo magis ſunt propinquæ, vel Pyrenæis aut Alpibus ſubiacent. Item aër ſerotinus in regionibus feruentiſſimis circa æſtatis vigorem maximè pituitam in cerebro colligit & catarrhos concitat, ob condenſatos vapores, quibus tunc ſcatere ſolet. (Hinc Galli, Angli, Germani, qui Luſitaniam adeunt, ferè omnes in catarrhos

& phthiſin præcipitantur æſtatis tempore, quia ob aëris diuturni feruorem, deinceps Sole occidente incautiùs excipiunt auras frigidiores, vel ſeſe nocturno aëri exponunt.) Item ex victu præcedente qui pituitam gignere aptus ſit, vtpote ex fructibus ὑγροῖς, oleribus crudis, vini recentis potu, aquæ, ceruiſiæ, pomatij vel pyratij in non aſſuetis, caſeo recenti, piſcibus, & animalium partibus exanguibus & neruoſis, ſomno & otio diuturniore; omiſsâ conſuetudine ſpontaneâ pituitam vacuandi per vomitum aut ſeceſſum, vel artificiosâ per exercitationes, vt paruæ pilæ luſum & ſimiles, aut vſu aquarum thermalium, laconici, catharticorum medicamentorum aut diureticorum. Ex his enim intermiſſis cruditates & pituitæ generationes multiplicantur.

Vnde ſequuntur, actionum omnium ſegnities, mentis torpor, ſenſuum hebetudo, mentis tarditas, ad ſomnum propenſio, cum inſomniis pluuiarum, niuis, ſubmerſionis, & ſimilium. Ira remiſſior, pulſus paruitas & mollities, ſitis carentia, appetentia etiam languidior, vnde ieiunia ferunt facillimè. Plurima per os, nares, & alios ductus excrementa albicantia reiiciuntur, vrinámque habent pallidam & tenuem, ſi obſtructiones ſimul patiantur; aliàs craſſam & turbidam cum ſedimento copioſiore. Totum corpus craſſum, molle & albicans, tactúque quodammodo frigidum. Valdéque iuuantur ſi calidioribus ſiccioribúſque vtantur; aliàs facilè labuntur in hydropem, cachexiam pituitoſam, lethargos, paralyſin, catarrhoſas conſtitutiones, & ſimiles morbos chronicos, ac tardioris motus.

Quæ omnia intelligenda ſunt de pituitâ verâ & impermixtâ, quæ dulcis, vel inſipida, vel acida guſtu deprehenditur, pro maioris cruditatis ratione; Nam ſalſa, propter mixtionem ſeri acrioris, vel quandam putredinem contractam, caliditatis non parum eſt particeps. Quod cauſæ etiam prægreſſæ, pituitam acriorem generantes, inflammantes, putrefacientes, aut permiſcentes oſtendunt; ipsíque effectus, nimirum ſitis immenſa, & ſapor alienus linguam velut muria inficiens, quod in catarrhis ferinis, aphthoſis & exulcerantibus fauces & pulmonem, tandémque phthiſin inducentibus, videre eſt. Prætereà in dyſenteriis illis peſſimis, quæ fiunt decumbente eiuſmodi humore in inteſtina, & ea abradente. Quòd ſi ſumma corporis petat, inducit lepras & ſcabiem fœdam cum pruritu immenſo, quo affecti aliquando ſenes contabeſcere ſolent, & cum maximo tædio vitam cum morte tandem commutare. Non rarò etiam impetens vrinæ vias, dyſuriam excitat moleſtiſſimam, abrasâ interiori veſicæ membranâ. Et ſic de reliquis.

Seroſa autem pituita, quæ tenuitate prædita, in ſanguinis maſſa aliquando contineri ſolet magnâ quantitate, vt educto per phlebotomiam ſanguine in vaſculis apparet; aliquando deerrat etiam per alias partes: fit ob magnam potus copiam, quâ ſe ægrotantes vel etiam ſani ingurgitare ſolent, ob largiorem vſum fructuum recentiorum, aut iuſculorum, ſimiliúmque humidiorum & liquidiorum. Ad hoc etiam iuuant ventriculi frigiditas, iecoris aut lienis obſtructiones & ſcirrhi, quia infarctu laborantes iſtæ partes, dum non admittunt ſolitum alimentum, ſolet refluere, quod tenuius eſt & ſeroſum in totum corpus, vel aliquam partem, vt abdominis cauitatem, ibíque hydropem illum aſcitem dictum generare, in aliis verò particulares hydropes. Non parum etiam facit ad ſeri iſtius generationem, vehemens hepatis feruor, ex cuius vaporibus eleuatis ad cerebrum, cranij denſitate coguntur, & in pluuioſam iſtam ſubſtantiam conuertuntur. Vnde ſcaturigo præcipua fluxionum in bilioſis & ſanguineis, túncque magna vrinæ copia crudioris & aquoſioris profundi ſolet, vel ſudores, vel diarrhœæ excitantur. Iſti ſunt magni ſaliuatores & ſputatores, ſæpiúſque coryzas ex ſtillicidio huius ſeroſitatis patiuntur; Quæ ſi craſſeſcat, in pituitam mucoſam, qualem è naribus prodire videmus, conuertetur, & tandem gypſeam omnium ſicciſſimam, vt videre eſt in tophis & nodoſitatibus, quæ circa articulos podagricorum concreſcunt.

Vitrea autem pituita, ὑαλώδης dicta, quia vitro nuper fuſo ſimilis eſt, in inteſtinis potiſſimùm colligitur, vbi derelicta à regimine caloris natiui, vt voluit Galenus *lib. 2. de loc. affect.* tanquam inſuperabilem frigiditatem actualem acquirit, (quemadmodum aqua calefacta, vbi ignis actio euaneſcit, denuò refrigeratur) propter quam colicos cruciatus inducit, non vagos vt à flatu, ſed fixos & terebræ inſtar colon perforantes, ac dolorem nephriticum repræſentantes, vt ibidem de ſeipſo narrat Galenus; quæ excreta per clyſterem, etiam foras tactu frigida apparet. Hippocrates tamen *in Coacis*, in vrinâ phlegmaticorum talem pituitam obſeruauit. Ad illius ergo generationem magnas cruditates præceſſiſſe neceſſum eſt,

eſt, idque ex vitio partium concoquentium, vel ipſius obiecti, nimirum alimentorum, quæ craſſeſcere quidem potuerunt, ſed non ſubigi, & in mediocrem caliditatis gradum deduci. Hanc ego exiſtimo, vt modicè craſſam & frigidam eſſe actu voluit Galenus, ſic etiam valde acidam eſſe aut acerbam ſapore, quemadmodum in fructibus immaturis contingit.

Atque hæc de pituitæ differentiis & ſignis. Quoniam verò ex eiuſmodi materiâ pituitosâ & crudâ, vt plurimùm eleuantur flatus illi craſſiores, quibus corpus noſtrum variè torqueri ſolet, ideò iam de flatibus per conſequutionem quandam agendum videtur: vapores enim ſimplices, tenues & fumoſi fiunt ex quocunque humore calefacto & ebulliente per quandam ἀναθυμίασιν, potiſſimùm autem ſanguine & bilioſo humore. Flatus igitur in nobis ventorum generationi non videntur abſimiles. Quoties enim calor in materiam quandam copioſam ac rebellem agit, quæ non facilè coqui, ſed in multos vapores craſſos conuerti apta nata eſt; tunc excitantur eiuſmodi flatus, qui variè hincinde mouentur, etiam cum ſonitu & agitatione partium aliquando, ideóque à calore debili ſeu improportionato fieri exiſtimantur, quia iſte calor ſufficiens fuit ad eos eleuandos, non autem diſſipandos; vt patet in rebus externis. Itaque ventriculus imbecillior, inteſtináque multam iſtiuſmodi flatuum copiam colligere ſolent, ob cruditatum multitudinem in eis contentam, qui modò concluſi ſtrepitus & dolores violentos in abdomine, atque etiam hydropem illum tympanitem excitant, modò erumpentes ſurſum aut deorſum, multos ructus & crepitus ventris ſonoros producunt. Eſt etiam aliquando cùm feruor ſubiectarum partium illos excitat ex materiâ melancholicâ in viſceribus latitante, quam omnino domare & ſubigere nequit, quemadmodum in affectu hypochondriaco contingit, vnde melancholici φυσώδεις dicuntur apud Hippocr. Ad hos flatus generandos alimenta quædam peculiarem habent dotem, vt caſtaneæ, fabæ, rapa, napi, tubera, & ſimilia. Auicennas etiam exiſtimat poma multùm eſſe flatuoſa, & proprietatem illam ſeruare vſque ad tertiam coctionem. Eiuſmodi repletionem flatulentam præter morbos ſupra dictos, ſolent ſequi tenſiui dolores ſine grauitate & pondere per totum corpus; ſed vagi & citò deſinentes, palpitationes & concuſſiones partium cum frequentibus oſcitationibus & pandiculationibus; vt docet Galenus *libro huic rei peculiariter dicato.*

Pituitæ affinis eſt melancholia naturalis & limoſa, ratione frigiditatis; ſed ſiccitate differt, vnde acido & auſtero ſapore prædita eſt, propter quam creditur effuſa in ſuperius orificium ventriculi, per vas breue, appetentiam animalem, inſtar aceti naturalis, excitare. Hæc igitur fit in temperamentis frigidioribus ſiccioribuſque, & multiplicatur per totum corpus, liene obſtructo aut debilitato, dum non poteſt eam attrahere, vel conuenienter ſecernere, in mulieribus aut viris quibus menſtruæ purgationes aut hæmorrhoidum fluxus iam aſſuetus, ſuppreſſus eſt; Autumnali tempeſtate, & inæquali aëris cuiuſuis & regionis conſtitutione, potiſſimùm vbi craſſioribus, durioribus, & quaſi terreis alimentis vtuntur, pane atro & furfuraceo, vino nigro & craſſo, aquis turbidis, leguminibus, caſeo veteri & ſalito, carnibus bubulis, ceruinis, leporinis, ſuillis, aprinis, auium paluſtrium, piſcibus cetaceis, oſtreaceis, vel aliter duris & ſalſis, aut fumo induratis, braſſicis, paſtinaca, & ſimilibus, potiſſimùm ſi curis, vigiliis, mœſtitiâ, aut timore torqueantur, vt contingit famis aùt belli graſſantis tempore: Huius humoris dominatum ſequitur ſtupiditas ſenſuum, & taciturnitas, frequens vigilia, & ſomnus interruptus, cum ſpectris rerum nigrarum, fumi, cadauerum, & ſimilium rerum horrendarum. Omnia etiam tuta pertimeſcunt, pulſumque cum reſpiratione tardum habent & paruum, voracitate vt plurimùm laborant, parum ſiticuloſi, & tamen ſaliuatores ob ſeri copiam, vt docet Gal. ructuſque multos acidos patiuntur. Habitum corporis habent ſubliuidum & nigricantem, macilentum ſquallidumue, aſperum & durum, ſæpiuſque varicibus deformatum in coxis & cruribus, ob fæcem iſtam ſanguini permixtam & delabentem in partes decliuiores, & venas immodicè diſtendentem.

Atque vt iſta contingunt in temperamento melancholico naturali ſeu ab ortu contracto, quem ideò *Aſinionum* vocant; ſic etiam eſt alia melancholiæ ſpecies, aduentitiæ ſcilicet & per accidens genitæ in nobis, quam ingenioſam dixit Ariſtoteles, quæ fit leuiter vſtâ ſanguinis portione tenuiori, vnde ſplendor ille ſiccus exoritur, quem voluit Heraclitus animam reddere ſapientiſſimam, viroſque magnos & eruditos producere, propter cogitationum fixationem ſeu firmitatem & iudicij vim. Hippocrates igitur *in Epidemiis*, iure exiſtimauit, ſanguineos & bilioſos tandem fieri

melancholicos, niſi habeant ἐξιέρωσιας effluxus ſiue expurgationes, quod interpretantur de fluxu hæmorrhoidum, quem natura huic rei dicaſſe videtur. Galenus *in arte parvâ* exiſtimat, hanc melancholiæ ſpeciem, decurſu ætatis contingere circa annum 45. quando ſcilicet calor natiuus pauliſper imminuitur, humoreſque craſſiores & ſicciores euadunt ob prægreſſi caloris incinerationem. Hæc igitur ſi intrà limites ſanitatis remanſerit, facit homines, vt diximus, ingenioſos ad artium inuentionem, ſcientiarum perfectionem, & rerum politicarum ac bellicarum adminiſtrationem aptiſſimos. Quod ſi gradum illum exceſſerit & nimis quaſi refrixerit, deſipientes, ſuperſtitioſos, & variarum nugarum repertores. Quod experientia oſtendit in compluribus viris doctiſſimis aut bellicoſiſſimis, qui tandem in ἄνοιαν, fatuitatem aut ſtultitiam, & memoriæ abolitionem inciderunt.

At verò vbi non ſolùm ſanguis torretur, ſed etiam melancholia iſta, vel etiam bilioſus ſuccus immodicè exuritur, aut putreſcens incineratur cum inſigni feruore, fit ſpecies illa melancholiæ præter naturam, quam atram bilem vocant; omnium humorum peſſimam & funeſtiſſimam, quæ quamuis colore cum naturali & aduentitiâ conſentire videatur; attamen aliis qualitatibus multùm differt. Hæc enim interiores partes erodit, carnem corrumpit & colliquat, cancroſos tumores excitat, elephantiaſin, vlcera phagedænica, & ſcabiem malignam. Cuius excretio per ſeceſſum aut vomitum in principio morborum facta, certum mortis periculum minatur apud Hipp. *Aph.* 22. *ſect.* 4. In terram verò effuſa, illam inſtar aceti ſtillatitij, aut aquæ illius fortis dictæ fermentat, ampullas excitat, muſcas abigit, & ſimilia feruentis caliditatis ac deleteriæ qualitatis indicia profert. Diſtinguitur à ſanguine atro, quod non concreſcat, vt ille, ſed fuſa maneat, *comment. in Aphoriſm.* 23. *ſectionis* 4.

Supereſt igitur bilioſus humor, qui colore flauo, amarore ſummo, tenuitate maximâ ſeſe reddit inſignem, ac præcipuè propter mobilitatem & orgaſmum illum mirabilem, quo præditus præcipua morborum acutorum cauſa cenſetur. Bilis itaque flaua in hepate genita, à cyſtide felleâ trahitur, & in propriâ cauitate aceruatur, donec regurgitans amandetur per meatum cholidochum in duodenum & reliqua inteſtina, vt clyſteris naturalis inſtar, inquit Galenus, facultatem expultricem irritet ad deponendas alui fæces. Quod ſi aliquando motu præpoſtero, vel propter malam implantationem iſtius meatus cholidochi, irrumpat in ventriculum, cardiogmos & vomitus excitare ſolet, vnde apud Hippocr. πυρέχολοι ἄνω & κάτω, *lib.* 2. *de vict. rat. in acut.* Hæc bilis flaua mixtione & vlteriori coctione euadit pallida, rufa, vitellina, porracea, & æruginoſa, quæ proximè ad atram bilem accedit. Neque hîc audiendum de porraceâ illâ bile, quæ in ventriculo ipſo gignitur ex vſu nimio braſſicæ, potri, lactucæ, & ſimilium olerum, quoniam illa potiùs ad pituitæ quàm bilis ſpecies pertinet, quia eſt tantùm chylus crudior adhuc, viridi colore infectus. Bilis igitur dominatum oſtendent primò cauſæ illam producentes, vt temperies totius calida ſiccáque, cordis & iecoris feruor, qui ex euchymo etiam alimento procreat iſtum humorem, potiſſimùm verò ſi accedat cibi & potus analogia ad illum producendum, ex acribus, ſalſis, piperatis, & ſimilibus, ætas florens & iuuenilis, aër feruens æſtatis tempore aut regione feruida, exercitatio vehemens & diuturna, vigiliæ, curæ, & rixarum multitudo; omiſſa conſuetudo ſpontanea vel artificioſa bilem vacuandi per vomitum, deiectionem, vrinas, aut ſudores. In eis viget animi dexteritas, audacia & iracundia, vigiliarum multitudo, & inſomnia turbulenta incendiorum & bellorum. Bilis ſunt flauis, facie palleſcente, oculis etiam rufeſcentibus, habitu macilento & gracili: Adeſt inediæ difficilis tolerantia cum ſiti & oris amarore ac ſiccitate. Pulſus magnus & celer, vrina tenuis & rufa, fæces alui coloratiores, aurium excrementa copioſa & valde rufa. Ac proinde admodum iuuantur eis omnibus quæ æſtum illum compeſcere & humoris ferociam retundere poſſunt, refrigerantibus ſcilicet & humectantibus, victu, balneo, & ſimilibus. Aliàs facilè incidunt in febres ardentes & bilioſas circa caniculares dies, celeris motus ac periculi, phrenitin, pleuritidem, & ſimiles eryſipelatoſas conſtitutiones, quæ ſi exteriùs erumpunt, ἀκτεριτίαν, puſtulas vrentes, herpetes, & ſimiles generant. Ac prout cauſæ & effectus, ſeu antecedentia & conſequentia fuerint vehementiora, eò magis aduſtam bilem ſignificant, ac proinde hanc vel illam ſpeciem dominari. Atque hæc de humoribus, velut præcipuis morborum cauſis dignoſcendis ſufficiant.

ΔΙΑΓΝΩΣΕΩΣ PARS III.

De dignoſcendâ ſpecie affectus, ſeu morbi naturâ & differentiis.

POST cognitionem proprij ſubiecti, vbi reſidet morbus, nimirum partis primariò vel ſecundariò affectæ, poſt διάγνωσιν cauſæ quæ affectum produxit; iam ſupereſt vt morbi ipſius ideam & infimam ſpeciem in quodam indiuiduo propoſiti, dignoſcere ex certis quibuſdam ſignis doceamus. Quamuis enim dixerit Hippocrates, omnem morbum eſſe vlcus, illud tamen per ἀντονομασίαν quamdam intelligendum eſt de grauioribus affectibus. Non quòd voluerit ille, vnicam eſſe morborum ſpeciem, cùm eleganter à Galeno demonſtratum ſit in pathologicis, tria eſſe ſumma morborum genera, intemperiem, malam conformationem, & vnitatis ſolutionem, ſub quibus variæ rurſum ſpecies continentur, ad infimas vſque perſequendæ, ſiue ſolæ per ſe exiſtant, ſiue compoſitæ & complicatæ, vt ſæpiùs contingit.

Vt igitur certo ordine ſigna iſta quæ ſpeciem morbi oſtendunt proponam, ſequar fontes ſignorum iam adductos in parte affectâ inueſtigandâ, videbimuſque quid ad iſtud conferre valeant, & quid illis ſit addendum vel detrahendum. Actio igitur læſa non oſtendit propriè ſpeciem morbi, quia à variis morbis eadem actio lædi poteſt. Item ab erroribus externis & obiectis improportionatis, vt docet Galenus. Attamen cùm certum ſit actiones quaſdam, à temperamento præcipuè pendere, alias à conformatione, vel à partium vnitate, hinc fit vt quando actio naturalis, vt coctio læſa eſt, magis propriè temperamentum immutatum exiſtimemus, & in eâ parte factam eſſe intemperiem. Quando animalis actio, verbi gratia motrix eſt læſa, quia ſequitur præcipuè muſculorum & neruorum bonam conformationem, per quos influere debet ſpiritus ille animalis à cerebro, tunc etiam in eis genitam obſtructionem, aut factam ſolutionem continui cenſemus, præcipuè ſi ſubitò oriantur, qui eſt modus actionis læſæ, illi proprius, quia intemperies ſaltem firma, non niſi ſenſim & tractu quodam temporis introduci poteſt. Quod ſi actio ſit mixta, vt ſæpè fit; tunc ad vtramque diſpoſitionem, temperamenti ſcilicet & organi reſpiciendum, vt videamus ex aliis ſignis, quæ iſtarum potiſſimùm ſit immutata, vel vtrùm ambæ patiantur. Item cùm actio læſa ſit abolita, imminuta, vel deprauata, exiſtimat Galenus abolitam præcipuè naturalem ſequi intenſam frigiditatem, imminutam etiam & remiſſam ob caloris natiui & ſpirituum depauperationem; deprauatam verò ſequi calidiorem intemperiem. Quod tamen vſquequaque non eſt verum. Nam quamuis frigidior intemperies ſine materia, vel etiam cum materia pituitoſa id præſtet, attamen in melancholica cacochymia videmus manifeſtè deprauari imaginationem & rationem. In bilioſa quando quantitate ſuperfluit, imminui etiam & aboleri actiones, vt patet in febribus, ac proinde iſta ſub eiuſmodi diſtinctionibus admittenda.

Poſt actionem læſam, excreta ſuppeditant ſigna, non ſolùm partis affectæ, ſed etiam ſpeciei affectus; nam ramenta in deiectionibus apparentia, vlcus inteſtinorum dyſenteriâ affectorum denotant, rubra hypoſtaſis vrinę & arenoſa intemperiem renum calidam: Sic excernendi modus; Nam ſanguis multus affatim tuſſiendo erumpens, ruptionis vaſis eſt nota; ſin verò paucus, ſenſim & cum pure permixtus, exulcerationis in aliqua thoracis parte. Denique excrementorum color, odor, ſapor, & reliquæ qualitates, vt ſunt ſigna humoris dominantis, morbumque committentis: ſic etiam naturam affectus, qui introductus eſt, deſignant. Bilis enim verbi gratia magna copia in principio febrilis paroxyſmi erumpens, febrem tertianam adeſſe; ſanguis fluens è naribus in corpore plethorico & inflammato, ſynochon; atra bilis in principio morbi excreta ſurſum vel deorſum, ſi cum febre, peſſimam & κακοήθη intemperiem; ſi abſque illâ, melancholicum vel maniacum affectum portendit. Iſtæ autem qualitates excrementorum, non ſolùm propriæ & natiuæ ſunt conſiderandæ, ſed etiam aduentitiæ, vt quando putreſcens melancholia aut pituita, febres alioſque morbos calidos generant, quod adiunctus fœtor velut proprium pathema

thema declarat. Idem dicas de retentis humoribus, pure, ſanie, calculo, lumbricis; & ſimilibus, quæ pro ſuâ vniuſcuiuſque naturâ, vbi præter naturam in nobis retinentur, morborum ſpecies ſibi conſimiles parere ſolent.

Ex ſitu verò partis, quædam etiam duci poſſunt indicia ſpeciei & naturæ morbi, quia vnaquæque pars peculiares habet & magis ſibi conuenientes morbos. Sic hepar, lien, & reliquæ partes meſenterij, phlegmonas, ſcirrhos, & obſtructiones lubentiùs patiuntur. Quod diſtingues, conſiderando eſſentialiter iſtis morbis inhærentia, vt ex calore aut frigiditate, quæ in hiſce partibus tunc ſentitur, duritie, mollitie, & ſimilibus, quæ inter illos diſtinctionem facient. In pleurâ, meningibus, & reliquis partibus membranoſis, eryſipelata potiùs quàm reliqui tumores præter naturam contingunt. In oſſibus caries, quam liuiditas circumiectarum partium detegit, & tenuis virulentaque ſanies illinc tandem erumpens, vnde *Aph.* 45 *ſect.* 6. Vlcera quæcunque annua aut etiam diuturniora exiſtunt, ſignificant abſceſſum cum oſſe communicari, & tandem cicatrices cauas fieri.

Sequitur doloris proprietas. Vt enim partes corporis noſtri variæ hoc vel illo modo, non autem ſimili excipiunt hanc moleſtiam & triſtem ſenſationem, quæ contingit in ſenſu tactus ab obiecto improportionato; ſic etiam varij morbi illam diuerſis modis inferunt. Dolor enim inflammans, ab intemperie calida, pulſans & diſtendens, à ſuppuratione ob compreſſionem vicinarum arteriarum, ſtupidus & quaſi adſtringens à frigida intemperie, pruriens & mordens ab exulceratione; vnde Galenus *in arte paruâ*, puncturam nerui aut tendinis, acutiſſimum dolorem inferre, & citò conuulſiones accerſere voluit, imò etiam gangrænas & mortificationes ſubitas partium, vt nos experientia frequenti obſeruauimus, ob teterrimam ſaniem quæ in hiſce partibus ita affectis citò colligitur. Dolor profundus & qui circa veſperam magis exaſperatur, intemperiem denotat frigidam, præcipuè pituitoſam, quæ circa oſſium membranas inhæret, & excitato flatu eas diſtendit. Et ſic de reliquis.

Superſunt propria accidentia, ex quibus etiam multa indicia propria morborum ſpeciei deſumi poſſunt. Iſtæ enim qualitates mutatæ magis hunc quàm illum morbum ſequuntur. Verbi gratia inflammationem phlegmonoſam rubor intenſus & quaſi purpureus alicubi efflorescens, vt in genis præſente peripneumoniâ; eryſipelatoſam verò & bilioſam flaueſcens, vt in exquiſitâ pleuritide non rarò oculos croceo colore infectos obſeruauimus. In febribus etiam ſimilibus icterum & ante & poſt ſeptimum diem ſuperuenire, in febre ardente linguam areſcere & nigricare, in tabido affectu vngues aduncos fieri, in iecoris obſtructione, & cyſtidos felleæ affectibus, totam cutem aureo quaſi colore infici, in lienis debilitate & ſcirrho nigreſcere. Quis etiam neſcit, tumores præter naturam, tam internos quàm externos, eiuſmodi accidentibus diſtingui: leucophlegmatiam, hydropem tympanitem & aſcitem, colore, ſonitu, mollitie, duritie, & ſimilibus inter ſe differre? Quæ omnia ſunt obſeruanda in peculiari morborum dignotione.

His etiam addi poſſunt iuuantia & lædentia, nec non ſimilitudo & analogia cum aliis morbis, vel familiaribus alicui regioni, vel populariter graſſantibus. Etenim ſi iuuent ægrotantem calfacientia, noceant refrigerantia, id morbum frigidum eſſe oſtendit, & contra. Niſi fortaſſis per accidens fiat illa curatio, vt patet de frigidæ affuſione in tetano aut doloribus podagricis apud Hippocratem. Si iuuant humectantia, noceant verò exſiccantia, morbum ſiccum adeſſe ſignificatur, vt maraſmum, febrem hecticam, intemperiem ex melancholia contractam. Tamdiu enim, inquit Galenus, curaneur melancholici, quamdiu humectantur. Et quos morbos parit repletio, inanitione ſanantur apud Hippocr. & ſic de reliquis. Quæ valde ſunt ſpectanda, habitâ ratione eorum quæ aſſumuntur, quæ geruntur, quæ foris admouentur, & quæ excernuntur vel retinentur.

Vt igitur morbi ſpecies & natura peculiaris, ex hiſce ſignorum fontibus diligenter examinatis dignoſcitur; ſic etiam morborum differentiæ quædam inquirendæ, quæ ad vſum artis magis faciunt, vtrùm ſcilicet morbus ſit magnus vel paruus; benignus vel malignus; acutus & breuis, vel tardus & chronicus; ac ſic de reliquis. Morbus ergo magnus cognoſcetur ex naturâ cauſarum, à quibus productus eſt, partis cui inhæret præſtantia, eſſentiâ propriâ & ſymptomatis quæ comitantur eum aut conſequuntur. Magnum igitur dicetur vulnus ex. gratia, quod vehemens cauſa pungens, vt robuſta manus, & ad interiora viſcera penetrans, ſecans aut contundens

produxit,

Digitized by Google

produxit,quod inflictum eſt iecori,ventriculo,pulmonibus,pericardio,cerebro,& ſimilibus.Vnde Hippocr.capitis vulnus,quamuis minimum intuenti aliquando appareat,vt rima cranij vel fiſſura,maximum eſſe voluit,ob ſubſtratam cerebri ſubſtantiam,quę defluente ſanie corrumpitur aut inflammatur.Ex propria etiam eſſentia id apparet, quãdo quantitas vulneris eſt valde extenſa in exterioribus propter ſectionẽ vel contuſionẽ, aut verſus interiora,vt fit inſtrumentis acutis & pungentibus:tunc enim conſequuntur ſymptomata grauiſſima,vt patet in magnis cerebri vulneribus; conuulſiones,ſtupores, vomitiones,ſanguinis per nares,per os,vel aures eruptiones, vel deinde exoriuntur circa dies criticos affecto cerebro ob putridam ſaniem,vt febres,deliria,reſolutiones partium & tandem mors ipſa Quod eodẽ modo dicere poſſis in morbis intemperamenti, vt febribus,& malæ conformationis,vt obſtructione & ſimilibus.In quibus notandũ eſt aliquando morbum dici poſſe magnũ, ratione tantùm partis affectæ nobilis aut ad vitam neceſſariæ,quamuis reliqua non concurrãt,vt patet in epilepſia,vniuerſali paralyſi, apoplexiâ & tetano, quæ fiunt ab humore pituitoſo;nõ enim magni cenſendi ſunt tam ratione cauſæ,nimirum pituitæ,quæ eſt humor omnium ignauiſſimus ad agendũ,quàm ratione loci quem occupant,obſtruendo & impediendo cõmeatum facultatis animalis ad reſpirationẽ neceſſariæ propter muſculos thoracis. Neque etiam protinùs morbum cenſendum eſſe magnum,vbi partem principem occupat,vt patet de ephemerâ febre, quæ cordi inhæret,niſi habeat vehementiam eſſentiæ & ſymptomatum. Aliquando tamen ex ſola cauſæ vehementia & magnitudine morbũ iudicamus magnum,vt in ſumpto vel admoto veneno,contagio peſtilenti,elephãtico aut venereo;atræ bilis dominatu;quamuis reliqua nondũ concurrant,quia cùm iſtę cauſæ ſint magnę actiuitatis,facilè poſſunt propagari,præſtantioreſq; corporis partes tandẽ inficere,atq; etiam mortẽ breui inferre.Idem iudicabis de morbo paruo,ex contrariis ſignis & conſtitutionibus.

Magnitudini igitur ſæpe coniungitur malignitas,vnde morbi maligni κακοήθεις, vel benigni ἰοήθεις dicuntur,in quibus illud θεῖόν τι Hippocratis præcipuè eluceſcit.Digneſcuntur autem potiſſimùm ex conditione & naturâ cauſæ efficientis,vt peſtilentis,venenatæ,aut contagioſæ,quæcunque illa fuerit, quamuis nondum effectus ſuos manifeſtè exerat.Demorſus à cane rabido v.g.ſæpe per 40. dies integros,aliquando per 4. menſes aut annum,nullo tentatur furore;qui tamen ſubitò ſolet in ὑδροφοβίαν illam horrendã incidere & obuios quoſcũque mordere. In cancro,in elephãtiaſi,& reliquis morbis atrabilariis,tanta adeſt malignitas,vt quamuis in principio mites, & nullius ferè momenti appareant,poſtmodum tamen ita exaſperãtur,vt non priùs conquieſcant,quàm ægrũ multis affectum cruciatibus è medio ſuſtulerint.In peſtilẽti ſtatu ſæpe vidimus febres tertianas aut quartanas omnium ſecuriſſimas,ita affici maligno iſto aëris cõtagio,vt deleteriæ euaderent.Item poſt annonæ caritatem,quando plebecula diu cogitur vidĩtare alimentis cacochymis,tantam deinde morborum ſęuitiam graſſari obſeruauimus,vt fere ad peſtilentiæ naturam accedere videantur;vnde non immeritò Hippocrates dixiſſe videtur μετὰ λιμὸν ὁ λοιμός.Idem contingit frequenter in exercitu & copiis militaribus ex ingluuie aut vſu aquarum paluſtrium,putrentium & ſimilium.Deinde ſunt quędam accidentia,quæ peculiariter iſtos morbos malignos comitari ſolent,quia natura ob prauitatem humorum nititur excludere foras portionem illius materiæ à quâ opprimitur, vnde puſtulæ,exanthemata,ecthymata,carbunculi,bubones in alis & inguinibus,parotides ponè auriculas,vlcera δυσπυλωτὰ,& ſimilia. Habent etiam ſuos effectus, quibus tandem ſe produnt,vt lipothymias recurrentes,& ſyncopes ſine inſigni virium iactura,δυσφορίας & ἰσχναυμὸς, cũ peruigiliis vel ſomno profundiori, quamuis febris non ita vehemens ſentiatur. Denique ea quę iuuare debẽt,non iuuant,ſiue ſint ſpontaneæ vacuationes, ſiue præſidia ex arte repetita & prudenter adhibita. Benigni verò morbi contrarias omnino habent cauſas, mores, & conſtitutionem placidam, etiam ſupra ipſius ſpeciei naturam,vt quando febres ſynochi aut cauſi ſunt ſatis mites & vt plurimùm ſalutiferæ ſine grauioribus ſymptomatis.

Eſt etiam alia differentia in morbis valde annotanda,propter quam ex motus ſui duratione & permanentiâ maiore vel minore dicuntur acuti & chronici. Quamuis enim acutus morbus præter celeritatem motus,habeat etiam coniunctam vehementiã cum periculo vitæ,tamen vſus in Medicinâ voluit,vt chronicis & diuturnis opponantur,quia breues ſimpliciter,vt diaria febris,vel cephalalgia ex inſolatu,paruæ ſunt apud Medicos conſiderationis.Acutus igitur morbus talis eſt ex proprietate ſuæ cauſæ,quæ mobilitate & agendi vi maximâ prædita,naturam ita vrget & ſtimulat,vt conflictus ſit breuiter & nullis datis induciis cum eâ conferendus,vel neceſſariò ſit occumbendum,vt febres ardẽtes & continuæ ex bilioſo humore aut atrabilario ſuſcitatæ,quæ intra 14. diem,hiſtoriam ſuam peragunt,quod longiſſimum eſt,vt docet Hippocr. Tales etiam ſunt omnes inflãmationes phlegmonoſæ aut eryſipelatoſæ partium internarum pleuritides, peripneumo

neumoniæ,phrenitides,& ſimiles,quæ doloribus & intenſiſſimâ febre ægrum excruciãt, donec ſuppurentur vel reſoluantur. Alij morbi ſunt acuti ex accidenti, vt apoplexia, epilepſia puerulorum,tetanus,paralyſis vniuerſalis, qui etſi fiant ab humoribus craſſis, lentis,& paruæ actiuitatis, vt pituitoſo vel melancholico;attamen ratione locorum aut viarum quas occupant,ad vitæ vſus neceſſariarum,citò ægrotantẽ è medio tollunt,cùm tamen ſuapte natura chronici & diuturni eſſe deberent.Porrò acuti iſti morbi,qui tales ſunt ex ſuâ naturâ,aliquando propter vacuationes quę ſuperueniunt diebus criticis,ſed imperfectas;aliàs propter permixtionem alienæ materiæ,vt quando bilioſus humor pituitoſo temperatur;aut ineptitudinem viarum corporis noſtri obſtructarũ aut alio modo adſtrictarũ,fit vt degenerent à ſuâ ſpecie & diuturniores fiant,vſque ad 20. 40. 60. & aliquando 100. diem peruenientes, quos vocat Galenus acutos ex conuerſione aut decidẽtia In abſceſſibus,vlceribus,& vulneribus internarum partium id luculenter apparet;vbi enim primum acutorum morborum terminum pertrãſierint,quo valde lethales eſſe ſolent,deinceps chronicorum ideam ſuſcipiunt,& ad plures menſes,imò & annos aliquando extenduntur,vt patet in empyemate aut vlcere pulmonis,quod phthiſin procreare ſolet.Proprius acuti & peracuti morbi character apud Hipp.habetur. *Aph. 7. ſect. 1. Vbi morbus*,inquit,*peracutus eſt ſtatim extremos habet labores,& extremè tenuiſſimo victu vtendum eſt*.Nam cùm intra 4. dies,inquit Galenus,tranſire debeat principium ſuum & augmentum,citò ad ſtatũ peruenies, in quo conferitur pugna inter naturam & morbũ, fit vt 7.die ſalus aut mors cõtingere ſoleãt.In aliis verò paulò vlterior fiat dimicatio,poſt coctiones & pręparationes debitas,vt ille ibidem docet.Extremi autem illi labores complectuntur omnia ſymptom. grauiora,vt capitis dolores immẽſos,vigilias terroris& delirij plenas,ſitim ardẽtem,iactationes corporis,cibi faſtidia,anxietates,& ſimilia.Quę vt meliùs intelligantur, agendum eſt nobis ſequenti capite de dignoſcendis morborum temporibus,quoniam illa tractatio ad *διάγνωσιν, πρόγνωσιν* , & *θεράπειαν* eſt vtiliſſima.

De dignoscendis morborvm temporibvs. Morbi vt reliquæ res genitæ, ſuam habent durationem,& permanentiam , quæ varias mutationes à primo ortu , vſque ad finem ſuſcipit.

Tempora igitur morborum vniuerſalia, (nam particulares deinde in illis poſſunt eſſe mutationes,quæ particularia conſtituere poſſunt tempora,vt in eis eſt manifeſtum,qui paroxyſmos,id eſt,acceſſiones patiuntur)quatuor ab authoribus noſtris recẽſentur,principium,augmentũ,ſtatus & declinatio.Principium rurſus apud Galenum tripliciter ſumitur,pro initio ſcilicet,principio principiante,vt vocãt,ſeu primâ horâ inuaſionis,quâ cœpit decumbere æger , aut manifeſtam actionum læſionem percipere, & ab horâ iſtâ cõ putari debent dies critici. Secundò ſumitur pro tribus primis morbi diebus,quæ ſignificatio valde eſt inartificioſa, vt ipſemet docet,quia multi morbi celeres & acuti intra triduum peruenire poſſunt non ſolùm ad augmentũ , ſed etiã ſtatum ſuum;alij verò tardi & chronici longè magis habẽt extenſum principium.Ideóque principium morbi propriè & artificiosè apud eum ſumitur pro toto eo tempore quo mera cruditas in humoribus & excrementis apparet ſine vllo coctionis rudimento.Augmentum verò cenſetur,quãdo iam manifeſtæ coctionis notę eluceſcunt.Status quando adeſt perfecta coctio,ad quam excretio materiæ ſenſibilis ſubſequitur,cuius beneficio exoritur declinatio morbi deficientis & cedentis locum naturæ vincenti.Quę tempora 4.in morbis ita cenſentur eſſe,ſi quidẽ ſalutares fuerint,& bonis ægri rebus finiantur:lethales enim non expectatis eiuſmodi temporibus,& in principio,ſi tanta ſit materiæ copia,quæ naturam opprimat,& in augmento ex vehementiâ ſymptomatum,& in ſtatu ſuccumbente naturâ iugulare ſolent ægrotantem.Imò ſunt quidã morbi, qui eiuſmodi tempora habere non videntur,vt ſi alicui ceruix abſcindatur,vel cor vulneretur,vel ex veneno acerrimo ſtatim occumbat ſine iſta diſtinctione mutationũ,quæ ſenſibiliter percipi poſſint.Ideóq; iſta tempora & mutationes potiſſimum audiendæ ſunt in morbis humoralibus, in quibus calor noſter natiuus aduerſus cauſas internas pugnans,imprimit veſtigium & notas actionis ſuæ in excrementis & humoribus.

Verùm dicet aliquis, hæc non videntur omninò admittenda. Primò, quia ſunt morbi quidam humorales, vt febres ſynochi ex putrente ſanguine , quarum aliæ epacmaſticæ dicuntur apud Galenum , aliæ homotonæ , aliæ verò paracmaſticæ , quaſi vnico tantùm tempore conſtarent, & vnicam paterentur mutationem.Epacmaſticæ quidem augmenti,homotonę ſtatus,& paracmaſticę declinationis. Secundo,quia cùm ſint multi morbi,diu etiam perſeuerantes,vt febris hectica , maraſmus ſenilis , paralyſis, tetanus, apoplexia, & ſimiles,in quibus nullæ concoctiones aut excretiones manifeſtæ animaduertuntur ; ſequeretur iſtos morbos nulla habere tempora, aut certè illorum tempora notis diſtingui non poſſe. Ad id igitur reſpondendum. Quod ad febres putridas ex ſanguine, illas ita diuidi à Galeno , non quod reuera aliis temporibus careant ,

reant,ſi in ſalutem ægri deſinant;ſed quia ad ſenſum & craſſiore modo conſiderata, tam citò prætereant alia tempora,vt vix conſideratione medicâ indigeant. Vbi enim diu putret ſanguis æqualiter,homotonon profert;vbi inæqualiter,accretione putredinis,epacmaſticam;decretione autem illius,paracmaſticam. Idque etiam à Galeno doctrinæ potiùs gratiâ dictum,quod ita fieri poſſit; quàm vt tales ſæpiùs in vſu atis animaduertantur. In ſecunda obiectione maior eſt difficultas, quia certum eſt morbos multos non eſſe humorales, aut certè non verſari circa cruditates aut coctiones excrementorum,vel eorundem criticas vacuationes; ac proinde fatendum eſt omnium morborum tempora per diſpoſitionem cauſæ humoralis morbificæ diſtingui non poſſe, ſed potiſſimùm febres putridas. In aliis ergo morbis conſiderandam eſſe propriam eſſentiam ſecundùm extenſionem in ſuo ſubiecto, & ſecundùm intenſionem vel remiſſionem ſymptomatum.Ratione enim eſſentiæ dicitur hectica v gr.primi,ſecundi,& tertij gradus,prout variis corporis partibus adhæret. Ratione ſymptomatum dixit Hippocrates, in ſtatu omnia eſſe grauiora, in declinatione mitiora, & neminem mori in declinatione vniuerſali.Aliquando igitur iſtæ tres notæ in quibuſdam morbis concurrunt, vt in febribus putridis, & quæ ſequuntur inflammationes partium,vt etiam in vlceribus,nimirum à propria eſſentia,à cruditate vel coctione,& intenſione vel remiſſione ſymptomatum. Aliquando duo, vt ab eſſentia & ſymptomatis,in tetano verbi gratia aut paralyſi.Aliquando vnicum tantum,à ſola eſſentia,vt in ſimplicibus vulneribus,magnitudine aucta,numero immiuuto,figurâ vitiatâ & ſimilibus, in maraſmo vel febre hecticâ & ephemerâ.

Verùm obiiciet adhuc aliquis, cùm dixerimus à tribus peti notas temporum & mutationum in morbis,ab ipſius morbi eſſentia, à cauſæ humoralis diſpoſitione ſecundùm cruditatem & coctionem,& ab ipſis ſymptomatis, vtrùm iſta ſimul coincidant,an non,quandoquidem dictum etiam fuit,in ſtatu omnia vehementiora eſſe ſecundùm morbi eſſentiam & ſymptomata,& tamen in eo eſſe materiæ concoctionem & vacuationem,quæ præſupponit morbi mitificationem. Item quomodo dictum ſi in declinatione vniuerſali neminem mori, cùm tamen certum ſit multos interire, poſt concoctiones & vacuationes criticas,ad quas debet ſequi iſta declinatio.

Ad id igitur reſpondemus notas iſtas temporum ſæpe coincidere poſſe, alias verò non,propter heterogeneitatem materiæ morbificæ,ita vt ex vnâ parte ſit cocta, ex aliâ verò cruda,vel eius orgaſmum,dum ab vno loco in alium ſubitò irrumpit,& nouos inſultus parit.Quòd verò vehementia ſymptomatum appareat in ſtatu,cum coctionis notis,id fit quia natura non ſolùm coctioni cauſæ morbificæ intendit,ſed etiã ſecretioni & expulſioni, vnde exurgit illa perturbatio poſt peractam coctionem,quod Hippocrat.eleganter annotauit illo Aphoriſmo quo ait,noctem quæ criſin præcedit; moleſtiſſimam eſſe.Iſta igitur perturbatio ſi appareat cum manifeſtis coctionis ſignis, terret vulgares quidem homines,non autem Medicum,qui expectat materiæ iam coctæ ſecretionem & vacuationem; ſin verò abſque concoctione accidat,mortis præmuntia eſſe ſolet, ob vehementiam & morbi & ſymptomatum cum materiæ ἀλυσιτελείᾳ, quæ ſimul concurrunt.

Quod vero ad declinationis vniuerſalis naturam ſpectat,certũ eſt ex parte morbi aut cauſæ illius,neminem tunc mori debere:attamen ex parte virium & caloris natiui debilioris,qui multùm in pugnâ illâ criticâ laborauit,fieri poteſt vt per exolutionem intereant aliquando ægri.Aut certè quando falſa eſt declinatio,quæ videtur ſequi ad vacuationem alicuius materiæ,quæ non fuit tamen præcipua cauſa præſentis morbi,vt ſi quis v.g.poſt longam hæmorrhagiam,ex dyſenteria,vel poſt ſudores ex pleuritide moriatur.Et ſic de reliquis.

Hæc igitur 4.ſunt vniuerſalia morborum tempora,ſiue maiores mutationes.Particularia verò vocãtur acceſſiones, exacerbationes ſiue paroxyſmi,quãdo morbus habet inſultus repetentes certa vel incertâ periodo.Sic enim febres intermittentes ſuos habent paroxyſmos & interualla,quæ aliquando deſinunt in perfectam ἀπυρεξίαν,aliquãdo verò non.Continuæ eti ãprout pendent à variis humoribus ſuas habẽt his vel illis diebus exacerbationes,quę aliis diebus remittuntur. Sic epilepſia,dolor colicus, podagra,& ſimiles,habẽt ſuas inuaſiones aliquando diſtãtiores, aliquãdo propinquiores,& ſic de reliquis.Iſta igitur tempora particularia ſuas etiam habent partes, & alia quaſi tempora Medico conſideranda ad victus rationem inſtituendã & remedia admouenda.Diebus enim interualli purgare,venã ſecare,& ſimilia,cõmodiùs præſtare poſſumus.In principio acceſſionum febrilium, quamdiu durat frigus aut rigor,neque cibos neque potum exhibere debemus,donec calor ad pedes & manus extendatur,vt

loquitur Hippocrates, epithemata aut inunctiones non niſi in ſtatu paroxyſmi, aut circa declinationem, ad extinguendum febrilem ardorem. Iſta autem tempora particularia in febribus intermittentibus ferè eſſe dicuntur, inæqualitas ſcilicet ſiue tempus horroris, rigoris, aut frigoris, quando natura incipit materiam commouere & dimittere ad externas partes : Principium vbi incaleſcere incipit : Augmentum quando calor intenditur : Status vbi ſuum vigorem adeptus eſt, qui exorientе ſudore minuitur, & oritur declinatio : poſteà eſt integritas ſeu interuallum exoritur. Alij quauor tantùm recenſent, typum ſeu inæqualitatem, & principium febris coniungentes, ipſum autem interuallum à numero temporum excludentes, quia non eſt pars acceſſionis, ſed totius periodi, & in aliis morbis ita proportionabiliter conſiderari poſſunt tempora iſta particularia.

Porrò iſta particularia tempora, modò breuiora, modò longiora, cum aliis morbis, vel etiam inuicem comparata, modò ordinata, alias inordinata, aliquando æqualia, aliàs verò inæqualia, tam ratione gignentis vel efficientis cauſæ validioris vel debilioris, qualitatis & quantitatis humorum morbificorum, quàm partium affectarum conſtitutionis, caloris natiui & remediorum actionis variæ, quibus iſta multis immutari poſſunt, vt vnicuique conſideranti ſatis patet.

Vt autem morborum tempora vniuerſalia cognoſcamus, repetere oportet, id quod habetur *Aphoriſm.* 12. *ſection.* 1. *Acceſſiones*, inquit, *& conſtitutiones indicabunt tum morbi ipſi, tum anni tempora, & periodorum ad inuicem proportiones, ſiue ſingulis diebus, ſiue alternis, aut maiore ſiant interuallo. Praterea ex eis quæ poſſ apparent, velut in pleuritide, ſi ſputum citò appareat, breuiorem fore denuntiat : ſi verò tardiùs, longiorem. Sic vrina, alui faces, & ſudores, prout varia apparent, ſic morbos facilis aut difficilis iudicij, diuturniores vel breuiores oſtendunt.* Ex quibus colligere licet, ad cognitionem temporum morbi, conſiderandas primùm cauſas & ea quæ præceſſerunt, vt anni tempus, quo cœpit vel perſeuerat morbus, regionem, aëris temperiem particularem : nam qui morbi hyeme incipiunt aut autumno, tempora habent, diuturniora, quàm qui æſtate aut vere; qui tempore pluuioſo, quàm qui ſicco gignuntur : qui noctu, quàm qui interdiu inualeſcunt. Item morborum tempora in naturis bilioſis breuiùs perficiuntur, quàm in pituitoſis aut melancholicis, præcipuè ſi victu conſimili vſæ fuerint. Prætereà ſi vires ſint validæ, quod ex pulſu & aliis functionibus iudicare oportet, fortiùs oppugnant cauſam morbificam, quàm infirmæ; citiuſque expellunt morbum, ſi debeat eſſe ſalutaris : ſin verò funeſtus, diutiùs reſiſtunt, & tempora producuntur.

Secundò ad illud maximè faciunt, idea, ſpecies, & vehementia morbi. Sunt enim multi morbi, qui ex propriâ ſuâ naturâ citò perficiunt ſua tempora, vt omnes acuti ab Hippocrate dicti, vt ſynochus, cauſus, angina, pleuritis, &c. Inter quos qui maiorem habent vehementiam, peracuti & perperacuti vocantur, quia intra paucos dies terminantur; chronici verò contrà, vt quartana, hydrops, tabes, &c. in longum ſpatium producuntur, & habent ſua tempora extenſa, ita vt menſes & annos attingant.

Tertiò, ratione motûs morbi & cauſæ ſuæ, conſiderandæ acceſſionum mutationes, in illis qui habent paroxyſmos : prout enim variantur in horâ quâ ſolent reuerti, in tempore durationis, & in ſymptomatum intenſione aut remiſſione, ſic etiam varia morborum tempora oſtendunt; vbi enim anticipant horam ſui reditus, & diuturniores ſunt & ſymptomatum ſæuitia intenditur, ſignum eſt morbum augeri, & ad ſtatum properare; contrà verò declinationem inſtare, ſi acceſſiones poſtponant, breuiores ſint & minùs vehementes.

Quartò, diſpoſitiones excrementorum ſunt conſiderandæ, vt vrinæ, fæcum, ſudoris, ſputi, & ſimilium, pro varietate morborum, qui ab illis pendent. Vbi enim mera eſt cruditas, principium etiam morbi perdurare cenſendum eſt, donec rudimenta coctionis appareant, quæ augmentum adeſſe ſignificabunt. Πεπαιωμένος autem perfectus ſtatum, in quo vacuationes etiam fieri debent, vt contingat declinatio perfecta vel imperfecta, prout maiores vel minores reliquiæ morbifici illius humoris ſuperſunt.

Quintò, ſi morbus non pendeat ab humorum vitio, diſtinguenda erunt tempora ex ſymptomatum varietate. Nam in principio, quia morbus non ita validè aggreditur naturam, minora ſunt ſymptomata; vbi verò iam vires acquiſiuit eundo, pugna maior incipit naturæ & morbi, vnde omnia circa illius augmentum intendun-

tur;

Digitized by Google

duntur; quæ in ipſo vigore ſunt intenſiſſima, & circa declinationem denuò remittuntur.

In particularibus verò morborum temporibus, ſunt etiam ſigna, quæ principium, augmentum, ſtatum, & declinationem deſignant. Vt in febribus intermittentibus verbi gratia principium indicatur ex pulſu coarctato & profundo, quia tunc materia naturam grauat, ex colore valde mutato in pallidum aut liueſcentem, ex frigiditate extremarum partium, aliquando cum horrore vel rigore, ob concentrationem caloris natiui, & recurſum ſpirituum ad interiora; ex motu & ſenſu hebeti, ſomnolentia quadam, tuſſicula, ſaliuatione, nauſeâ, & aliquando vomitu. Augmentum verò, quia tunc pulſus incipit maior fieri & frequentior, calórque ad circumferentiam corporis expanditur. Status ex intenſo calore, anxietate, & ſiti, poſt quam ſudor erumpit, qui ſi fuerit copioſus, aderit declinatio, cum omnium ſymptomatum & caloris remiſſione, potiſſimùm verò pulſus redintegratione in naturalem ſtatum, quo maximè diſtinguitur vera declinatio particularis à falsâ, in febribus intermittentibus. Atque eodem modo in aliis morbis, qui acceſſiones vel remiſſiones habent, iſta erunt obſeruanda, pro varia eorum naturâ & ſpecie. Nobis enim iſta exempli causâ attuliſſe ſufficiat.

Quibus διάγνωσιν noſtram vniuerſalem perfeciſſe videmur, deinceps enim in ſingulis morbis, particularia ſigna diagnoſtica ſunt apponenda, & tractatio pulſuum, vrinarum, reliquorúmque excrementorum, à quibus illa deſumuntur, eſſet nunc ſubnectenda, vt hæc doctrina abſoluta haberetur. Interim Auditores φιλίατροι poterunt repetere pulſuum explicationem ex Galeno, vrinarum ex Actuario, reliquorúmque excrementorum, vt ſudoris, fæcum, muci, & ſimilium, ex Hieronymo Mercuriali, qui illa accuratè perſecutus eſt libro huic rei dicato.

ΠΡΟΓΝΩΣΤΙΚΗ MEDICA.

PRÆFATIO.

MEDICVS rationalis artifex cum habeat pro fine propoſito ſanitatem conſeruandam, vel recuperandam, antequam accedat ad operationes exercendas, quæ ad hunc finem aſſequendum ſunt neceſſariæ, duabus Artis noſtræ partibus, nempe Hygieine & Therapeutice, traditæ, quas Recentiores Practicas *vocant, debet habere cognitum accuratius tum proprium ſubiectum, in quo illas exercet, nempe corpus humanum, illiuſque naturam, partes, actiones, & earum cauſas, repetitis ex Philoſophiâ naturali principiis & demonſtrationibus; tum etiam vniuerſale,* circa quod, *vt loquuntur; nempe res omnes creatas & ſenſiles, quatenus ad finem propoſitum reduci poſſunt, & illi inſtrumenta ſuppeditant ad operationes exercendas: vnde plantarum, animantium, metallorum, & ſimilium apud Medicos, vt accuratæ deſcriptiones habentur, earum vires & facultates explicantes, electionis, præparationum, & mixtionum modi traduntur, ex quibus conſtituitur prima Medicinæ pars, nempe* Theorica, *quam* Phyſiologiam *vocant.*

Tali igitur ſubiecto cognito, debet Medicus quaſi progreſſu facto, varias ſubiecti ſui mutationes contemplari, propter quas modò ſanum, & ſuis perfectè actionibus præditum in optimâ conſtitutione dicitur; modò ægrum, quando omnes, vel illarum quædam ita eſt labefactata, vt morboſâ conſtitutione ſenſibiliter detineri percipiatur;

modò neutrum dicitur, quando vel à ſanitate in morbum præcipitatur, vel à morbo ad ſanitatem per mediam iſtam conſtitutionem reuertitur. Neque ſolum iſtas conſtitutiones conſiderat diligenter Medicus cum ſuis differentiis, ſed etiam earum cauſas & effectus, ſiue ſymptomata perluſtrat in ſecundâ Theorices *parte, quam* Pathologiam *dicunt.*

Verum quoniam iſta cognitio tota quanta eſt, ad opus vel actionem tendit commodè & ſapienter exercendam in corpore humano pro variis eius conſtitutionibus, quæ aliquando magis occultæ ſunt, & latentes, vt patet in affectibus internarum partium, vel earum mutationes & euentus magis dubij & incerti: ideo vt Medicus circa illam minime fallatur, conſtituta fuit tertia Medicinæ Theoricæ pars, quam Simioticen vocant, quæ ex certis ſignis & notis ſenſibilibus docet progredi ad cognitionem præſentium iſtarum diſpoſitionum, commemorationem præteritarum, & futurarum præuiſionem. Vnde apud Hippocratem & Galenum ſigna diuiduntur in ἀναμνηστικὰ, διαγνωστικὰ, & προγνωστικὰ. Sed quia commemoratio præteritorum omnis eò tendit, vt vel præſentia melius cognoſcantur, vel futura præuideantur, ideo Simiotice *in duas partes principales diuiſa fuit, nempe* Diagnoſticam & Prognoſticam. *Rurſum cum iſta προγνωστικὴ ſeu futurorum præuiſio, præcipuè ſpectet dubios euentus, mutationéſque incertas; (quamuis & in diſpoſitione ſalubri & in neutrâ locum habeat, vt patet ex variis Hippocratis locis, verbi gratia,* Aphoriſm. 44. ſect. 2. Qui naturaliter admodum ſunt obeſi, ſubitò moriuntur potiùs quàm graciles: 41. ſect. 2. *vbi inquit:* Qui ſani crebro & vehementer ſine manifeſtâ causâ animo linquuntur, illi derepente moriuntur: *ſic* in Coacis prænot. *Cardialgia frequens in ſe valde eſt ſuſpecta:* Aphoriſm. 5. ſect. 2. Laſſitudines ſpontaneæ morbos prænunciant: *& ſimilibus) ideo talis* πρόγνωσις *medica tradita fuit, quæ κυρίως & principaliter reſpicit ſtatum inſalubrem: tum quia Medicus ad illius ſublationem potiſſimùm vocatur, eiúſque opera in illo maximè eluceſcit; tum quia mutationes, & euentus varij, qui in illo contingere ſolent, magis ſunt repentini & dubij, quam in aliis conſtitutionibus. Vnde Hippocratis opus prognoſticum fere totum, reſpicit euentus morborum acutorum potius quam chronicorum, quia in illis occaſiones agendorum præcipites, motúſque violenti maiorem ſolent ægrotantibus, Medicis, & adſtantibus terrorem ac ſollicitudinem afferre.*

Prognoſis igitur iſta apud Hippocratem præuiſio aut præcognitio futurorum, aliàs prorrheſis, & proagoreuſis, prædictio aut prænunciatio dicitur, quatenus non tantum eſt in mente Medici, ſed etiam in vulgus effertur, & inſtar oraculi pronunciatur in ægrorum aut adſtantium gratiam. Dicitur etiam πρόνοια, *id eſt prouidentia in* proœmio *operis prognoſtici, quoniam iſta præcognitio ſeu præuiſio eſt pars prudentiæ humanæ, quæ ſolet in omnibus aliis actionibus dirigendis tanquam lumen naturale à Deo nobis conceſſum effulgere, non ſolum in conuenientibus mediis inueniendis, eligendis, & diſponendis ad finem aliquem aſſequendum neceſſariis, ſed etiam in iis præuidendis, quæ in eiuſmodi actione contingere poſſunt, tam ex parte ipſius rei, quam mediorum, & eius qui illis vtitur; vnde dicitur illi coniuncta circumſpectio, ratione circumſtantiarum, & cautio ratione impedimentorum, quæ ſuperuenire poſſunt, declinandorum aut remouendorum. Sic Imperator in bello hoſtium inſidias; Nauta mari ſe committens futuras tempeſtates; Agricola varias aëris mutationes præuidere, ex certis ſignis conantur, vt commodius victoriam, portum, & frugum vbertatem aſſequi valeant. Eadem ratione Medicus præuidendo ea, quæ in morbis contingere poſſunt, primò Artis dignitatem auget, ſibique maximam authoritatem comparat, dum videtur, numinis inſtar, ea cognoſcere, quæ multo pòſt futura ſunt in morbis: ad quam ſequitur maior ægri & adſtantium erga illum confidentia, & obſequium*

ad

ad ea quæ imperantur perficienda. Secundò calumnias vitat, quæ in illum iactari possunt: cum enim omnes ægri, vt inquit Hippocrates, curari non possint; sed multos interire necesse sit, vel delicto proprio, vel infirmitate naturæ, aut causarum vehementi impetu, vt quando illud τὸ θεῖον, causa scilicet vniuersalis, & deleteria grassatur: ideo oportet Medicum, vt in morbo salutari & benigno minime trepidare; sic etiam in lethali & periculoso prædicere euentum, ne in illum culpa interitus reiiciatur. Tertiò denique ex ista præcognitione futurorum id adipiscitur Medicus, vt occasionem agendorum melius captare possit. Neque enim die critico verbi gratia, aut quando natura maximè opprimitur, vel instante morte, generosum aliquod remedium vsurpabit, sed omnia opportunè, & cum ægrotantis commodo aggreditur prudens Medicus, qualem in hac Medicinæ parte potissimùm requirit Hippocrates, vt scilicet præter artis istius præcepta bene cognita, abundet lumine illo naturali, quo dicebamus actiones nostras sapienter dirigi. Itaque quando Medicus in hac præsagitione morborum deficit, & frequentius hallucinatur, vult Galenus ipsius artificis minus sagacis errorem esse, non autem ipsius artis, quæ luculenter ab Hippocrate, reliquisque authoribus tradita fuit. Verum dicet aliquis; notum est ex Philosopho, futurorum contingentium non esse certam & determinatam scientiam; & ipsemet Hippocrates Aphorism. 19. sect. 2. *vult non esse certas prædictiones salutis aut mortis per morbos acutos: vnde mirabilis ille Galenus, dum præcognitiones istas Romæ exerceret, vbi magna tum Philosophorum turba viuebat, non pro Medico, sed pro Vate aut Mago habitus est. Ad id respondemus, rerum futurarum purè contingentium, quales sunt illa quæ à voluntate & arbitrio hominis dependent, non esse determinatam scientiam quoad nos: effectuum autem naturalium, qui pendent à causis suis & præuisis dispositionibus, posse esse præcognitionem ex earum solerti animaduersione, antequam illi effectus oriantur: sic ex flante austro, aëre caliginoso & nubilus atris conijcimus futuram pluuiam: ex sole viuido & rubente cælo circa vesperam prædicimus serenitatem sequentis diei: Astrologi ex cognitione motus cælestis, eclipses solis & lunæ ante centum annos certissimè prædicunt, quia norunt per supputationem tali tempore futuram interpositionem istorum corporum: & sic de reliquis: Eodem modo Medicus prædicit, ægrum moriturum, ex naturâ causarum & dispositionum malignarum, quæ apparent in valente aut progrediente morbo, vt si atra bilis verbi gratia foras erumpat in principio morbi: si ictterus ante septimum diem in febre continuâ contingat, & similibus. Nec obstat quod Hippocrates scripsit, non esse omnino certas prædictiones in acutis, propter subitam translationem & ὀξυροπίαν materiæ, quia hæc cognitio certis quibusdam signis constans, aliquando fallitur propter causas contrarias superuenientes, vel occultum naturæ robur: vnde satis est, si ista prædictiones parum aut rarò fallant, quod Hippocrates vocat verum esse vt plurimum. Neque mirum est Galenum, virum solertissimum, & in hac artis parte versatissimum, primo fuisse habitum Romæ pro Vate & Mago ab ipsis Philosophis Peripateticis, Stoicis, aut Epicureis, quibus illa erat incognita, quia vigebat tunc solummodo secta Empiricorum aut Methodicorum, qui Medicinam ex solis obseruationibus, aut ieiunis quibusdam communitatibus factitabant; qui tamen postea edocti scriptis Galeni, facilè perceperunt doctrinam hanc naturalem esse, & ex serie causarum cum suis effectibus repetitam, vt in Præcognitis videbitur.*

PRÆCOGNITA.

PRÆCOGNITA.

QVID SIT PROGNOSIS MEDICA. Prognosis igitur Medica nihil est aliud, quam artificiosa cognitio futurorum euentuum & mutationum in morbis, constans certis signis, habentibus connexionem naturalem cum re significatâ. Diximus esse *artificiosam cognitionem*, quia prognosis est pars artis nostræ valde eximia, certis regulis & præceptis stabilita ad finem Medici tendentibus, non rudi obseruatione tantum constans, neque temeraria aut futilis, qualis fuit eorum apud Hippocratem *in prorrhet.* qui vana quædam & nullo momento innixa proferebant: vnde *ibidem* vult Hippocrates, Medicum diligentem esse in animaduertendis erroribus externis, aut adstantium vel ægri delictis, vt possit illa secernere à vero prædictionis suæ statu. Diximus deinde, esse *cognitionem futurorum euentuum & mutationum in morbis*, vt denotaremus, ipsam prædictionem medicam ea omnia cognoscere debere, quæ in morbis contingere possunt. Hinc Galenus vult signa prognostica esse triplicia, cruditatis scilicet & coctionis, decretoria, & salutis vel mortis. Quamuis enim hæc omnia eò spectent, vt sciamus, vtrum æger à morbo sit euasurus, vel illius vi periturus, quia tamen, antequam hoc contingat, multæ mutationes fiunt, & quasi dispositiones præuiæ ad salutem consequendam, vel inferendam mortem, ideo hæc omnino sub prognosticis signis vult comprehendi; etenim in morbis humoralibus (vt febribus continuis & acutis) qui omnium sunt frequentissimi, vel cum aliis grauioribus vt plurimum coniuncti, certissimum est naturam aduersus causas morbificas pugnantem, illas primùm functionibus suis naturalibus, & caloris insiti operâ alterare & concoquere, quantum illi pro materiæ conditione est possibile: deinde expellere vel subitò & confertim, vel paulatim & partitis vicibus extra ipsum corpus per sensibiles vacuationes, vel de parte in partem, vt per abscessus: Hinc fit, vt consideratio cruditatis & coctionis humorum ducat Medicum ad cognitionem vacuationis faustæ vel infaustæ, promptæ vel diuturnæ: vel demonstret etiam futuram μετάστασιν aut ἀπογίνωσιν, quando auctâ quantitate, vel communicatâ materiâ, morbus vnus aut plures affectui priori succedunt. Et sic mors vel salus in ægrotante est sperabilis, idque hoc vel illo morbi tempore, illâ die aut horâ, per hunc vel illum solutionis modum.

Quamuis autem dixerimus in morbis humoralibus, febribus scilicet continuis, & acutis potissimùm, hæc signa prognostica exercere: non excludimus tamen prædictiones ab aliis morbis, tum intermittentibus vel chronicis, tam cum materiâ quam immaterialibus: tum etiam organicis aut magnis solutionibus continui: Nam in febre intermittente v. g. est pronunciatum Hippocratis vniuersale, salutem & securitatem in illis certam esse: & in tertianâ exquisitâ solutionem septimo aut nono ad summum paroxysmo pollicetur. In chronicis verò affectibus nemo nescit apud eundem Hippocratem, epilepsiam puerilem vigesimo quinto ætatis anno frequenter desinere, diuturnos autem morbos in senibus ad extremum vitæ exitum vt plurimum perdurare.

An non etiam certum est, omnes morbos non finiri per coctiones aut cruditates, per crises aut vacuationes alias: cum quidam derepente interimant per suffocationem, vt apoplexia: per extinctionem caloris natiui, vt syncope: alij verò per marcorem & paulatinam consumptionem, vt hectica: vel illi qui diuturnis affectibus & cruciatibus ægros affligunt. Sic etiam in magnis vulneribus, potissimum capitis, dies criticos obseruandos docuit Hippocrates, & Chirurgi nostri quotidie experiuntur, vel propter magnam naturæ afflictionem, vel commotos simul cum magnis istis solutionibus continui humores, febrémque complicatam. Imo simpliciter in vulneribus ratione partis affectæ prædicit Hippocrat. *Aphorism.* 18. *sect.* 6. *& lib. de fracturis*: *In triginta*, inquit, *diebus vniuersis cubiti ossa ex toto corroborantur.* Idem licet dicere de organicis affectibus, quorum alij cito historiam peragunt, vt obstructiones partium nobilium, calculi in vretere & similes: alij diutius protrahuntur cum periculo vel sine periculo. Est igitur in omnibus morbis, non solum febribus continuis, humoralibus, & acutis præsagiendum, vt possimus eorum exitum, & varias mutationes

Digitized by Google

nes adſtantibus ſignificare, remediorúmque commodè adhibendorum occaſiones reperire.

Verum exoritur hic difficultas non contemnada, ex diuerſis Hippocratis locis orta. Nam *Aphor. iam citato* pronunciauit, *acutorum morborum non eſſe certas prædictiones*: attamen 3. *progn. text. 7. & 9.* comparans prædictionem acutorum & diuturnorum affectuum, hæc verba protulit: *Morborum qui longo tempore finiuntur, difficile eſt iudicium, quia habent ſua principia ſimillima: eorum verò qui breui, facilior eſt notitia, quoniam ſtatim ab initio magnas habent differentias, ſiue perituri ſint ægri, ſiue euaſuri:* Vnde Rhaſes, *Acutorum*, inquit, *incerta prædictiones, quanto magis chronicorum?* Attamen iſta facile erit conciliare, ſi dicas Hippocr. *in progn.* non ſimpliciter comparare prænotionem acutorum & diuturnorum affectuum, quoad totius morbi conſtitutionem & exitum; ſed tantum ratione principij. Cum enim diuturni affectus ex ſuâ naturâ, vel etiam qui tales euadunt per conuerſionem acutorum, aut ex decidentiâ, vt loquuntur, lento magis gradu procedant, quam acuti verè dicti: hinc fit, vt ſtatim in principio morbi non poſſint tam facile Medico indicare ex ſignis ἐπιγινομένοις ea, quæ futura ſunt in aliis temporibus, vt faciunt acuti, qui ſtatim extremos labores dicuntur habere in Aphoriſmis. Rhaſes verò id dicebat de diuturnis morbis ratione errorum multorum, qui in illis contingere poſſunt, tam ex parte ægrotantis, quam rerum externarum per longioris temporis tractum. Sit igitur hoc certum, omnium morborum ſuas eſſe prædictiones, quæ iſtâ artis parte docentur generaliter, quamque ideo prognoſticam vniuerſalem appellamus: cum alia ſit particularis & vnicuique morbo dicata, vt pleuritidi, anginæ, & ſimilibus, quam in ſingulis iſtorum affectuum deſcriptionibus ſolent authores noſtri attexere. Nunc igitur videamus, ex quibus fontibus & locis prognoſis iſta vniuerſalis ſit repetenda.

PROGNOSIS VNDE PETENDA. Dicebamus in vltimâ definitionis noſtræ parte, prognoſim medicam conſtare ex certis ſignis ſenſibilibus & manifeſtis, per quæ ducimur ad cognitionem rei futuræ, & nondum manifeſtæ, propter connexionem quam habent naturalem cum re ſignificatâ. Non enim ſunt ſigna iſta artificialia, & ex inſtituto hominum pendentia, vt quando appenſa hedera vinum vendibile deſignat; ſed ex rei ipſius naturâ profecta, quæ cum habeant propriam ſuam ſpeciem, ſignis pathognomonicis comitatam, vbi illa primum apparent, non ſolum oſtendunt Medico quis ſit ille affectus, vtpote pleuritis vel apoplexia; ſed etiam quid de eo ſit ſperandum: Deinde morbi habent ſuas cauſas internas, & externas, eáſque multiplices, ex quarum animaduerſione, quatenus habent qualitates, quantitatem, ſitum, & motum, coniicit Medicus quid ex earum diuerſa conſtitutione & effectibus poſſit in illis contingere. Denique habent ſuos effectus morbi, qui ſymptomata vulgò dicuntur, non ſolum pathognomonica, ſed etiam epigenomena, quæ ſuperuenire poſſunt in variis morbi temporibus ſola, vel συνδρέουσα ſiue concurrentia cum multis aliis, ex quorum diuerſitate, more ſcilicet & magnitudine, manifeſtum etiam fit, quis ægritudinis euentus ſit ſperandus. Verum quia morbus non generatur ſine naturæ aggreſſione, neque curatur ſine illius viribus morbum oppugnantibus, ſi validæ ſint; vel ſuccumbentibus, ſi infirmiores: ideo ex comparatione ipſius naturæ & virium cum morbo oritur tota vis prædicendi, quemadmodum ex duobus Athletis concertantibus coniicimus luctam fore diuturnam, ſi paribus congrediantur viribus; vel victoriam promptam ex parte illius qui robuſtior fuerit: itaque docet Hippocrates prognoſim inſtituere in morbis ex conſideratione naturæ & ipſius partis affectæ, vt ſuo loco videbimus. Denique cum externa multa, tam neceſſaria, quam fortuita varia concurrant ad naturam iuuandam vel oppugnandam; ideo non eſt etiam negligenda illorum contemplatio, ſi ſapienter in morbis prædicere velimus.

Cum igitur in duobus præcipuè conſiſtat prognoſticandi fundamentum; in morbo ſcilicet, & eo qui detinetur: idcirco duas imprimis tractatus noſtri partes conſtituemus: in quarum priori agemus tam de ratione præſagiendi ex morbo, & eius quidem ſpecie & naturâ, eius more, motu, atque magnitudine, quàm ex conſtitutione functionum animalium, vitalium, & naturalium Medicus ſolet præcipuè metiri.

In poſteriori tractabimus de prognoſi, quatenus ea deſumitur ex naturâ ægrotantis, & partium in illo affectarum: quibus breuiſſimè adiungemus extrinſecus accidentia & concurrentia, quæ in prognoſeos certitudine non leuem ſolent mutationem afferre. Quæ quidem omnia ex ſententiâ non tam noſtrâ, quam Hippocratis perſequemur, qui in hac artis parte excelluit, adductis potiſſimum illius Aphoriſmis, &

variis ſententiis, velut oraculis quibuſdam medicis ad prognoſim morborum ſtabiliendam facientibus: ſi tamen prius quædam præmiſerimus breuiter de regulis & certis quibuſdam cautionibus in prædicendo obſeruandis.

QVIBVS REGVLIS ET CAVTIONIBVS PROGNOSIS MEDICA INSTITVENDA. Magnam eſſe inter artifices differentiam dicebant antiqui: quod in prognoſi medicâ obſeruare licet. Vt enim ad iſtam rem conuenienter exercendam dicebamus requiri virum excellenti ingenio & ſolertiâ præditum, vt poſſit vniuerſalia Artis præcepta ad peculiares ſingulorum ægritudines referre; ſic etiam opus eſt certis regulis,& cautionibus ne in præſagiendo aberret: *Nihil enim eſt ineptius, quam Medicum in prognoſi morborum frequenter falli*, vt Hippocrates 2. *prorrhet.* inquit. Vt igitur vitium illud grauiſſimum fugiat, oportet, ex Galeni ſententiâ, prius accuratè perceptâ morbi naturâ per diagnoſim, ipſiúſque ægri temperamento, viribus & reliquo apparatu naturali diligenter expenſis, iudicium de euentu proferre, non quidem dubium & amphibologiâ laborans, vt quidam cenſent, inſtar reſponſi delphici; ſed tamen cum debitâ ſuppoſitione,& conditionibus adhibitis, quæ pendent ex ægrotantis arbitrio, miniſtrantium aut rerum externarum, præcipuè fortuitarum, concurſu: noſtra enim ars neque præuidere, neque regere poteſt ea, quæ fiunt à talibus cauſis, quæ tamen ſolent euertere totius prædictionis ſtatum, vt ſi æger iam conualeſcentiæ proximus recidiuam ſubito patiatur, ob Veneris v.g. vſum intempeſtiuum, vini meri copioſiorem potum, ſi aduentante ſudore impatiens æger ſeſe aëri expoſuerit, adſtantes intempeſtiuè coram illo rixati ſint, canum latratus moleſtior, aut tonitruum fragor nocte criticâ ſuperuenerit. Vnde ſapiẽter Hippoc. 1. *Aphor. Neque enim Medicũ ſufficit ea omnia gerere, quæ conueniunt, ſed & ægrum ipſum, & aſſidentes, & omnia exteriora.*

Sit igitur prima medicæ prognoſeos cautio: niſi aliquid delictum fuerit, aut extrinſecus fortuitò aduenerit: quæ ideò diligenter animaduertenda, vt poſſit oſtẽdere Medicus, errorẽ non ex defectu prædictionis ſuæ, ſed illarum rerum interuentu contigiſſe.

Præterea non debet Medicus prænotionem ſuam aut ſucceſſum euentus moleſtioris, ipſi ægro ſignificare, ſed tantum propinquis & eis quorum intereſt, vt hæreditati & negotiis domeſticis proſpiciatur, ſi ita contigerit: ægrotanti autem omnia læta, & tuta polliceri, vt erigatur animus illius hac ſpe,& vires quaſi ſubleuentur, niſi forteſſe ſit moroſior,& proteruus, remediáque ad curationem neceſſaria reſpuat, quæ admitteret facilius, imo forſan expoſcet, vbi nouerit ſe in graui periculo verſari.

Omnium igitur ſignorum *συνδρομὴ* contemplanda & comparanda, ex eiſque colligendum, quid prædici debeat; conſiderare enim oportet, quæ bona, quæ mala exiſtant, quæ ſemper talia vel aliquando aut indifferenter ſe habeant: vtrum bona malis, vel contrà numero præualeant, vel ſi ſint æqualia, vtrum ſit aliquod ita exuperans, vt ad ſalutem, vel mortem prædicendam ſufficiat: ſic enim ex puſtulâ liuente aut viridi circa regionem thoracis ſæpe mortem in puerorum exanthematis prædicimus certiſſimè, quamuis reliqua omnia bene ſe habere videantur.

Non eſt enim fidendum ſubitis ægrorum alleuiationibus, vt eſt *in Aphor.* quæ ſine ratione & cauſâ manifeſtâ repente fiunt, ſed ſuſpectæ eſſe debent; quemadmodum non ſunt pertimeſcenda mala, quæ temerè eueniunt.

Vbi igitur iſte ſignorum conflictus adeſt, ita vt valde ſit dubium, in quam partem ſpectare debeat ſalus, vel interitus ægri, tunc ſuſpendendum iudicium vſque ad dierum criticorum aduentum, ex quorum contemplatione patefiet melius pugna, & victoria naturæ cum morbo, vel contrà: vnde rarò ſolemus præſagire in principiis morborum ex Galeni ſententiâ, niſi fuerint perperacuti, qui quarto die iudicantur: in aliis verò expectamus progreſſum aliorum temporum, vt ex eis quæ ſuperuenire ſolent, de euentu certius aliquid prædicere poſſimus.

In prænotione etiam faciendâ diligenter attendendum ad id quod ait Hippocrates in procœmio operis prognoſt. an ſcilicet in morbis, qui tunc graſſantur, *τὸ θεῖον diuinum quid* reperiatur: ſiue *diuinum* illud interpretemur ex Aſtrologorum ſententiâ de occultis quibuſdam & malignis cælestium corporum coniunctionibus & influentiis; vel potius cum Galeno de aëre ambiente corrupto, & deleteriâ qualitate affecto, velut cauſâ vniuerſali inferente morbos epidemicos, vt plurimum lethales & perniciоſos; certum eſt eiuſmodi cauſæ conſiderationem euertere prognoſin medicam, quia, vt eſt *lib. 2. de naturâ humanâ*, potentior eſt omni naturâ & temperamento, omnique remedio, quod aduerſus eam adhiberi poteſt: vnde in peſtilenti ſtatu moriuntur ſæpiſſimè ægri cum omnibus coctionis notis, vrinâ laudabili, pulſu integro, & ſic de reliquis: ſiue etiam *diuinum* audiamus de omni cauſâ ſuperiore agente ſupra naturæ ordinem

dinem in hæc inferiora, vt quando à Dæmone & Magis, vel Veneficis quibuſdam ægritudines inferuntur, quæ nullâ ope medicâ iuuari poſſunt: ſed in quibus neceſſario recurrendum eſt ad ipſius mali authorem, vt quotidianâ obſeruamus experientiâ; tunc etiam prognoſis medica non eſt proferenda, quia derepente ſeruari aut interire ſolent eiuſmodi ægrotantes, quibuſcunque ſignis bonis vel malis apparentibus. Denique ad prædictas cautiones referri poteſt illa analogia ſiue proportio cum aliis, ab Argenterio decantata; nam ſi plures ægri tunc intereant quam ſeruentur, ſi ægritudines populariter vagentur, vel ſporadicè multos infeſtent: ſi remedia vulgaria plus nocere quam iuuare videantur: tunc omnia ſuſpecta habenda ſunt, & ex iſtâ ſimilitudine morborum etiam euentus æſtimandi, & prognoſis medica inſtituenda.

Medicus igitur ad ægrum accedens hilari & compoſito vultu, debet primò illius decubitum, eiúſque modum, & figuram ſpectare: deinde videre quo animo Medici aduentum excipiat, alacri an deiecto: poſtea faciem illius diligenter contemplari, velut ſpeculum corporis, & animi, potiſſimùm verò oculos, in quibus eluceſcit vitæ noſtræ & virium præcipuus character; mox iubere vt linguam exerat, ad contemplandam illius & dentium conſtitutionem: imo ſi aliquid de faucibus, gurgulione, aut pariſthmiis conqueratur, iſtas partes depreſsâ linguâ cochlearis manubrio aut aliâ re diligenter intueri. Vbi pauliſper conquieuerit æger, debet pulſum in vtriuſque manus carpo contrectare; nam fieri poteſt, vt ex cicatrice, aut natiuâ conformatione arteriæ motus in alterutro minus ſentiatur. Poſtmodum conuertendus animus ad conſiderationem hypochondriorum & totius ventris inferioris, in quo velut foco præcipuè morborum humoralium cauſæ reſidere ſolent. Ea igitur accuratè contrectabit, vt poſſit cognoſcere, quid vitij in illis lateat: Deinde ſi quæ ſit pars dolens, de quâ peculiariter ægrotus conqueratur, inſpicienda, vt etiam tumores, puſtulæ, aut vlcera, ſi quæ ante morbum fuerint, vel etiam in ipſo morbo ſint exorta. Quibus peractis, vrinas, deiectiones, ſputa, aut ſi quod aliud excrementi genus, cuius vacuatione teneatur æger, contemplari oportet, vt ex iſtis omnibus ſecundum ſigna à nobis poſtea recenſenda, poſſit de mutationibus morbi & euentu pronunciare, conuenientémque victus rationem ac remediorum ſeriem ſecundum varia morborum tempora, & ægri conſtitutiones præſcribere. Nunc igitur ad rem ipſam accedamus.

ΠΡΟΓΝΩΣΤΙΚΗΣ MEDICÆ PARS I.

PROGNOSIS MEDICA EX SPECIE MORBI. Species morbi nihil denotat apud Medicos, quam eiuſdem naturam peculiarem cum præcipuis differentiis, æqualitate videlicet aut inæqualitate, intermiſſione vel continuitate, intenſione aut remiſſione, extenſione paruâ vel magnâ, & ſic de reliquis, & ipſis cauſis proximis, quæ morbi eſſentiam frequenter conſtituunt, vt patet in calculo, lumbricis, febre putridâ & ſimilibus. Hæc igitur morbi ſpecies, ſiue eſſentia modò eſt vna, modò multiplex. Vnica quidem ſiue ſola dicitur, quando vnicus affectus ægrotantem detinet, & tunc eiuſmodi affectus ex ſuis pathognomonicis ſignis deprehenſus, dicitur ratione euentus lenis & ſalutaris, ſi nullum vitæ periculum ex ſuâ naturâ & ſpecie inferat, qualis eſt ephemera febris, quæ non ſolum in ſalutem feliciter deſinit, ſed etiam cito terminatur, quia illud incendium in ſpiritibus tantum conceptum mox ceſſare ſolet ob materiæ tenuitatem, vt ignis in ſtipulâ; niſi aliquando tranſeat in humores aut ſolidas partes, & ſic in febres putridas aut hecticas degeneret, quod fieri ſolet in præparatis, vt docet Galenus; bilioſis ſcilicet, ſiccis & ſtrigoſis corporibus: aliquando tamen pendet à cauſâ malignâ & peſtilenti, vt in ſudore Britannico, qui nihil aliud eſt, quam febris ephemera popularis & peſtilens, ab aëris vitio contracta, hominéſque qui ſudoris vehementioris impetum ferre non poſſunt, intra ſpatium viginti quatuor horarum iugulans. Sed hæc conſideratio magis pertinet ad ſequens caput, vbi de more morbi agemus. Quantopere autem diaria vera & ſimplex ſit ſalutaris, oſtendit Hippocrates *Aphor.* 55. *ſect.* 4. *Quæcunque*, inquit, *febres bubonibus ſuperueniunt, omnes malæ, exceptis diariis*; quia vt interpretatur Galenus *in comment.* ephemeræ in illis excitantur, vel à ſolis cauſis procatarcticis, vel à vi doloris, vt inflammatis

Digitized by Google

ſpiritibus, non autem ab interiore cacochymiâ. Sic febris intermittens, quæcunque illa ſit, periculo carere dicitur Hippocrati ex ſuâ naturâ, vt interpretatur Galenus *Aphoriſm.* 43. *ſect.* 4. Item tertiana exquiſita *Aphoriſm.* 59. *ſect.* 4. & 6. *epid.* & *in Coacis*, dicitur quinque, aut ſeptem, aut ad ſummum nouem acceſſionibus ſalubriter terminari, idque per vomitum bilioſum aut ſeceſſum in principio paroxyſmi, deinde copioſis ſudoribus circa illius declinationem.

Contra verò grauis & pernicioſus affectus ille dicitur ex ſuâ naturâ & ſpecie, qui ægrotantes vt plurimum interficere ſolet, inter quos apoplexia, *Aphoriſm.* 42. *ſect.* 2. præcipuè celebratur: fortem enim & conſummatam curare impoſſibile eſt, leuem verò non facile, quam etiam neceſſario in paralyſin degenerare oportet. Pereunt autem *Aphoriſm.* 51. *ſect.* 6. *intra ſeptem dies, niſi forte febris ſuperuenerit.* Sic etiam *Aphoriſm.* 6. *ſect.* 5. *Quicunque tetano corripiuntur intra quatuor dies moriuntur; ſi autem illos effugerint, ſani fiunt.* Quicunque verò ſtrangulati deficiunt, nondum tamen ſunt mortui, non redeunt ad vitam, ſi ſpuma circa os illis apparuerit, *Aphoriſm.* 43. *ſect.* 2. Eodem modo ſyncope frequenter rediens, aut etiam lipothymia cenſebatur Hippocrati lethales *Aphoriſm.* 41 *ſect.* 2. quia ſignificant vitale cordis robur valde opprimi, aut omnino deiectum eſſe. Sic etiam hydrops ex ſuâ ſpecie pernicioſus, quamuis diuturniori tempore, quia violata omnino hepatis temperies non videtur reparabilis: etenim Galeno omnes intemperies hecticæ & æquales, non admittunt curationem, propter firmum earum habitum in partibus, vel quia nihil eſt ex parte naturæ quod eas oppugnet. Dubij autem & ancipites morbi ex ſuâ naturâ & ſpecie illi habentur, qui variè inclinant ad ſalutem vel interitum ægrotantis, quales ſunt omnes febres continuæ & ardentes, ſiue primariæ ex humorum putredine & incendio in maioribus vaſis excitatæ, ſiue ſecundariæ ab inflammatione internorum viſcerum excitatæ, vt in hepatitide vel peripneumoniâ, pleuritide, anginâ, phrenitide, & ſimilibus: eſt enim opus, inquit Galenus, inſigni virium robore, vt æger ab eiuſmodi affectibus euadat, omniáque recte inſtituantur, quæ ad curandum ſunt neceſſaria: neque licet in principio iſtorum affectuum dubiorum præſagire de ſalute aut morte ægrotantis, niſi progreſſu temporis circa dies criticos, & ex ſignis ἐπιγινομένοις ſeu ſymptomatis ſuperuenientibus. Debet igitur Medicus accurate nouiſſe, qui morbi leues ex ſuâ ſpecie, & ſine periculo exiſtant, qui graues & pernicioſi, qui denique dubij & ancipites, vt poſſit etiam in principio morbi ea præcognoſcere, quæ naturam eorum conſequuntur. Quod ad ſpecies enim morborum ſpectat, certum eſt morbum calidum ex ſuâ naturâ acutum, celerem & vehementiorem eſſe; frigidum verò contra tardiorem, & minus periculoſum, niſi partes nobiles obſideat, aut vias corporis communes; ſiccum difficilem ſolutu, vbi ſemel pedem fixerit, ob imbellem contrariorum vim in agendo; humidum verò ſi excedat, ſuffocationis periculum obruto calore natiuo minari; & ſic de reliquis intemperiebus combinatis.

Organici autem affectus quicunque obſident vias expurgationi dicatas, aut diſtributioni humorum, valde & citò enecant, vt calculus in vretere vel canali virgæ, catarrhus præfocans, & perpendicularis in epiglottida recta defluens: lumbricus in cordis ſinus repens, vel orificium ventriculi lancinans; & ſic de reliquis. Aliàs enim vel non ſunt lethales, vel valde diuturni & contumaces. Inſignis eſt Aphoriſmus 46. *ſect.* 6. *Quicumque*, inquit Hippocrates, *ex aſthmate fiunt gibbi, aut ex tuſſi ante pubertatem, moriuntur*, quia, interpretante Galeno, pulmone grandiore facto, aut tuberculo quo luxata ſpina fuit, thorax dilatari amplius nequit.

Solutiones item continui ex ſuâ naturâ non videntur lethales, niſi ſint magnæ, vel ad interiora penetrantes: nam propter inſignem hæmorrhagiam quæ vires ſubitò exhaurit, vel propter materiæ putridæ collectionem, quæ febres ardentes excitat; partium corruptelas, vel propter paulatinam conſumptionem ſpiritus & humidi primigenij, vt in antiquis vulneribus & fiſtulis, ægrotantes è medio tolluntur: de quibus omnibus vide varios Aphoriſmos ſectionis ſextæ & ſeptimæ, quos eſſet nimis prolixum hic recenſere. Atque hæc de morbo vnico & ſolitario.

Quando autem multiplices ſunt affectus qui ægrotantem exercent, vt in complicatione & conſecutione illorum, debemus etiam præſagire, prout iſta connexio facit ad faciliorem, vel difficiliorem curationem aut affectus ſolutionem. Hemitritæus febris Galeno valde curatu difficilis exiſtit; longa ac vt plurimum pernicioſa, quæ ex quotidianâ continuâ cum tertianâ intermittente exurgit, quia iſti paroxyſmi & inſultus diuerſi naturam proſternunt, nec dant curanti Medico inducias conuenientes, & habent indicationes omnino contrarias ad ſui ſublationem: ita febrem

conuulſioni

conuulſioni ſuperuenire apud Hippocratem melius eſt, quam conuulſionem febri. Et hydrops febri coniunctus aut illi ſuperueniens ſemper lethalis eſt 1. *Prognoſt.* quia febrem non ſoluit, ſed additâ humorum copiâ putredinem intendit, doloribus torquet, & ſuffocationem maiorem inducit. Nemo etiam neſcit, pleuritidem cum aſthmate coniunctam haberi lethalem apud authores noſtros, quia repletis pulmonum bronchiis ab humore illo pituitoſo aſthma committente, nulla poteſt eſſe euacuatio commoda materiæ pleuritidem efficientis per διαπύησιν: & reſpiratio ab vtroque affectu ita impeditur, vt cito ægrotantem perire neceſſe ſit. Eodem modo hecticæ febris cum putridâ complicatio inſperabilem facit ægrotanti ſalutem, quia vtraque alterius vim intendit, & vna alterius curationem impedit: putridæ enim vacuantia conueniunt, quæ hectica ferre non poteſt. Quicunque etiam diſpoſitione elephanticâ laborantes in luem veneream incidunt, in illis vix curatur, aut certè remediis aduerſus luem inſtituris, vt decocto ſudorifico & exſiccante valde exacerbatur elephantiaſis. Calculus eodem modo cum vlcere renum complicatus vix ſanatur. Neque vlcera in hydropicis perpetuò humore irrigata, vt eſt *Aphor.* 8. *ſect.* 6. Iſtæ igitur complicationes, connexiones, & conſecutiones morborum diligenter in prædicendo attendendæ. Ad morbi etiam ſpeciem referimus cauſas illas interiores, quarum conſideratio apud Medicos præcipuam morbi eſſentiam complere videtur, quia in curatione præcipua indicatio ab illis repetenda. Inter cauſas igitur iſtas interiores, certiſſimum eſt, humores principatum obtinere, qui prout hoc vel illo modo conſtituti ſunt, varios etiam ſucceſſus præſtant in diuerſis morborum temporibus. Sanguis verbi gratia humorum benigniſſimus, ſi leue incendium corripiat, vt in ſynocho ſimplici, mitiſſimos producit affectus: quia tamen quantitate exſuperat, & validæ putredinis eſt capax, vbi à naturâ ſuâ deſciuit, ingentes & continuas febres cum magno periculo inducit, exanthematis & variis puſtulis comitatas, qualis fuit illa febris purpurea dicta, quæ hoc noſtro ſæculo graſſata, multos è medio intra aliquot dies tollebat: & apud Hippocratem *in Coacis* iſtæ febres notantur, dum ait; *Quibus in febribus continuis puſtulæ per totum corpus erumpunt, lethale.*

Vbi etiam eſt extrauaſatus ſanguis; & in maiora corporis ſpatia effuſus, vt in cauitatem ventriculi, inteſtinorum, & aliarum partium, grumeſcit aut putreſcit neceſſario, horrendáque ſymptomata & periculoſa excitat: in ſubſtantiam verò ac poros partium effuſus magnas ſuppurationes, & gangrænas parit, quæ internecionem ægrotantibus, aut ipſis partibus ſæpe adferunt. Idem dicas de lacte aut ſemine corrupto ad naturam ſanguinis proximè accedentibus: quo enim quodque in ſuâ naturâ præſtantius exiſtit, quando ab eâ receſſerit, deterius euadere ſolet. Bilis autem feruidiſſimus & tenuiſſimus humor acutos & periculoſos morbos infert, tum propter illam qualitatem, tum etiam coniunctum orgaſmum, per quem velociſſime modo in hanc, modo illam partem irrumpere ſolet. Vt autem bilis mobilitate ſuâ, ſic melancholicus ſuccus craſſitie & pertinaciâ pollet, calorem natiuum ſuffocat, & omnem remediorum vim contemnit, vt patet de melancholiâ hypochondriacâ, ſcirrho, quartanâ, & ſimilibus. Quod ſi ſemel ex incendio & putredine atrabilarius euadat, nihil magis ferinum & lethale apud Hippocratem *variis Aphoriſmis ſectionis quartæ.* Ad atræ bilis periculum proximè accedunt ſinceræ illæ deiectiones, & ſuo ſero orbatæ, quarum meminit *Aphoriſm. 6. & 23. ſect. 7.* Pituitoſus autem ſuccus ex ſuâ naturâ longos quidem, ſed minime periculoſos affectus excitat, niſi partes nobiles aut vias diſtributioni dicatas occuparit, vt patet de apoplexia, catarrho præfocante, & paralyſi, quando nerui reſpirationi dicati ſubitò occupantur. Eſt etiam aliqua pituitæ ſpecies, quam ſalſam vocant, quæ acutiſſimos affectus inducere poteſt ob contractam acrimoniam. Eſt quoque alia quam vocat Galenus *lib. 5. de locis affect.* ex Praxagora, quæ grauiſſimos & dolorificos, potiſſimum colicos affectus, procreat, ob frigiditatem actualem, quæ illi coniuncta dicitur, propterea naturæ robur cito extinguit. Et vt iſti humores ſolitarij ſuos habent effectus varios, ſic etiam inuicem commixti & complicati infinitis propemodum modis prognoſim medicam variare poſſunt. Vlcerum denique diuturnorum aut fiſtularum ſanies ſubito retenta, vel in centrum corporis refluens, multis ſæpe mortem ſubitam, aliis grauiſſimos affectus intulit, quemadmodum pus in thoracis cauitatem effuſum, per empyemata ægros aliquando ſtatim ſuffocat, alias pulmones paulatim putrefaciendo lentâ febre abſumit. Sed de his rurſum fuſius, quando rationem prædicendi ab excretis & retentis proponemus. Iſta igitur ſufficiant de ſignis prognoſticis ex ſpecie morbi, medico more vſurpatâ deſumptis.

PROGNOSIS EX MORE MORBI. Εὐήθεια & κακοήθεια morborum ſæpe apud Hippocratem & Galenum celebrantur: ἦθος enim morbi interpretatur Galenus *lib. 1. de criſibus cap. 3.* τρόπον, quaſi dicas modum & ſtatum, qui ſequitur conſtitutionem affectuum præter naturam, ordinariam, ex propriâ eorum ſpecie, & cauſarum naturâ; vt quando pleuritis aut febris continua ſua habent conſueta ſymptomata, ita vt morbum εὐήθη & ἁπλοῦν, id eſt ſimplicem pro eodem ſumat: vel extraordinariam, & præter conuenientem morbi ideam, ex complicatione cauſæ alicuius malignæ, quæ morbi naturam peruertit. Verbi gratia quando febris tertiana, aut quartana intermittens, tam vehementibus comitatæ ſunt ſymptomatis, vt præter omnem conſuetudinem ægros è medio tollant, vel in maxima pericula præcipitent. Iſti igitur κακοήθεις morbi reſpiciunt aliquando cauſam vniuerſalem, vt aëris corruptelam, qualis peſtilentiæ tempore graſſatur, cuius vi fit, vt quicunque morbi etiam mitiſſimi, euadant malignitatis iſtius participes, aut in naturam peſtilentiæ conuertantur; vnde bubones, carbunculi, & puſtulæ malignæ, ſimiliaque vulgò apparere ſolent; & apud Hippocratem 7. *epid.* in deſcriptione ſtatus illius peſtilentis: *apparebant*, inquit, *eryſipelata cacoëthea.* Vel etiam ſequuntur vulgarem cacochymiam, quæ exorta eſt ob alimentorum vitiatorum diuturniorem vſum, vt ſolet per annonæ caritatem, quando miſera plebs cogitur quibuſcunque rebus famem ſuam compeſcere: Vnde apud Hippocratem *poſt famem peſtis*, id eſt maligni, deleterij, cacoëthes morbi exoriuntur. Idem obſeruauimus contingere ex potu aquarum ſtagnantium & corruptarum, vel etiam frigidiorum crudiorumque paſſim in hac noſtrâ Narbonenſi Galliâ, potiſſimùm Toloſæ, vbi maligna dyſenteria ob iſtam præcipuè cauſam frequenter graſſari ſolet. Vel etiam iſta κακοήθεια ſequitur particulares cauſas, vt aſſumptum vel admotum venenum, cuius vi oriuntur morbi, primâ quidem fronte vulgares, vt inflammatio aut exulceratio ventriculi, qui tamen coniuncta alia habent ſymptomata multo ſæuiora, & maligniora, quibus tandem natura noſtra ſuccumbere cogitur, vt manifeſtiſſimè patet in morſu canis rabidi. Denique iſta κακοήθεια ſequitur etiam peculiarem κακεξίαν alicuius partis, quæ alimentum, quantumuis bonum, corrumpit, & in deteriorem naturam immutat: vnde apud Hippocratem catarrhi illi θηριώδεις ferini dicuntur, qui κακοκραγίαν cerebri acres & adurentes ſuccos generantis conſequuntur. Iſta tamen cauſa maxime obſeruatur in vlceribus, quæ apud Hippocratem κακοήθεια ſeu κοπριώδεα appellantur. *Vlcera*, inquit *Aphor. 4. ſect. 6. circumglabra* κακοήθεα, quia ob malignitatem humoris, qui in parte colligitur, pili decidunt, eorum radicibus exeſis. Hoc etiam licet annotare in vulneribus, quæ quamuis exigua, ſi à venenato telo infligantur, mortem vt plurimum inferre ſolent; & in militibus, vbi iam diutius deprauato victu vſi ſunt, vel eâ die quâ vulnerati ſunt, cepas, allium, porrum, braſſicam aut ſimilia praui ſucci comederint, frequenter lethalia eſſe ſolent. Hippocr. 2. *ſect. Aphor.* vult ratione tempeſtatum anni ſuam propriam temperiem non ſeruantium aliquando exoriri morbos κακοήθεις & δυσκρίτους. Eſt etiam alia cacoëthiæ ſpecies morbis ſæpenumero coniuncta, quæ pendet ex prauâ diſpoſitione ſubiecti, ſiue peculiari ægrotantis naturâ, vt patet in hominibus ſtrumoſis, vel elephantiaſi aut lui venereæ obnoxiis, in quibus reliqui morbi ſuperuenientes, vt febres aut ſolutiones continui, redduntur huius malignitatis participes, vixque vlli therapeiæ cedunt, donec iſta diſpoſitio conuenienter expugnata fuerit.

Ex iſtis igitur omnibus diligenter animaduerſis, expendet Medicus quid in prædicendo afferre poſſit in medium de ſalute aut periculo ægrotantis, de difficultate curandi & ſimilibus: vbi enim aderunt notæ aliquæ, quæ oſtendunt eiuſmodi morbos à talibus cauſis, vel prauis diſpoſitionibus ſubiecti pendere, ſuſpecta debet habere omnia, & iudicium ſuſpendere, donec vis morbi, & cauſarum meliùs eluceſcat. Nuper quidam ſenſim tabeſcens cum coloris fœditate, & ſimilibus accidentibus, quæ vulgares morbos cõſequuntur, putabatur ictero ab obſtructione cyſtidis felleæ laborare: ſuccedentes tamen lipothymiæ & anxietates, obſtenderunt tandem vim latentis veneni exhibiti, cuius notitiam nemo ante habere potuerat. Diætæ autem & aëris vitia, quæ ſunt communes cauſæ, facilius deprehenduntur, quemadmodum particularis cachexia, quæ ob deprauatam coctionem totum corpus vel aliquod membrum occupauit. Atque hæc de moribus morbi, qui ad cauſas, vel etiam effectus illius commodè reduci poſſunt in prædicendo.

PROGNOSIS EX MOTV MORBI. Κινεῖν, id eſt mouere, apud Hippocratem ſumitur aliquando pro omni actione, quæ inducit aliquam mutationem in ægrotantibus,

tibus, ſiue ſit ex parte rerum externarum, ſiue præſidiorum medicorum, vt purgationis, venæ ſectionis,& ſimilium, vt videre eſt *Aphor.* 20. *ſect.* 1. & 29. *ſect.* 2. Κίνησις autem *in Coacis* & paſſim alibi ſumitur pro omni motu abſurdo, quem æger exercet, vt apparet in ἐπιλαυμῷ & δυσφορίᾳ. Generaliter tamen apud Medicos κίνησις ſumpta, deſignat omnem mutationem in morbis à priori habitu ſiue conſtitutione, ſiue iſta mutatio ſecundum qualitatem contingat, vt in alteratione: ſiue ſecundum locum, vt quando humores hinc inde transferuntur: ſiue motus iſte ſit actiuus à vi partium & facultatibus naturalibus editus: vel paſſiuus, vt vocant, quando humores verbi gratia alterantur à calore natiuo, aut variè attrahuntur & expelluntur. Sub motum igitur iſtum referri etiam poſſunt illæ humorum proprietates & idioſyncraſiæ, propter quas certis periodis & circuitibus agitantur, febriumque intermittentium ac continuarum varios typos conſtituunt. Quidam enim continuò, alij ſemel in die, aut alternis diebus, vel poſt tertium inualeſcunt, vnde paroxyſmi quotidianarum, tertianarum, & quartanarum. Eodem modo etiam creduntur humores ſecundum varias anni quadras, & ipſius diei partes magis moueri, vt ſanguis vere & matutinis horis: bilis æſtate & circa meridiem: melancholia autumno & horis veſpertinis: pituita hyeme & per noctem. Eſt autem alius motus in morbis, præcipuè continuis & acutis ab Hippocrate obſeruatus, qui proprie criticus dicitur, quia natura poſt concoctos alteratoſque humores morbificos, non quocunque tempore, ſed certis diebus ab illo etiam diligenter obſeruatis, expulſiones ſuas aut tranſlationem de membro in membrum moliri ſolet: motus enim iſte partim reſpicit actionem naturæ in cauſas morbificas agentis, vt dicebamus; partim humorum ipſorum ἰδιοσυγκρασίαν, propter quam, vt iam annotauimus, imparibus potius diebus quam paribus agitantur: partim impulſum cauſarum externarum & ſuperiorum, vt voluit Galenus, dum dierum criticorum rationem ad Lunæ ipſius motum & varias configurationes refert. Itaque ratione iſtorum omnium motuum conſideramus in morbis illorum celeritatem aut tarditatem, in percurrendis propriis temporibus, tam vniuerſalibus quam particularibus, idque cum vehementiâ vel ſine eâ: vnde celebris illa diſtinctio apud authores in acutos & diuturnos, quorum motus & varios impetus obſeruare debet Medicus, pro diuersâ vniuſcuiuſque naturâ, vt poſſit eorum durationem & exitum prædicere. Ad hanc rem infiniti propemodum habentur Aphoriſmi apud Hippocratem, diligenter obſeruandi ad rei iſtius illuſtrationem, vt inſignis ille contextus *lib. de victus ratione in morbis acutis. In febre*, inquit, *continuâ ſi quis quartâ die aut ſeptimâ valde affligatur, & vndecimâ iudicatus non fuerit, plerumque perire ſolet.* Quæ vt melius tenere poſſint ſtudioſi, debent diligenter perlegere libros de criſibus, & diebus decretoriis, ex Galeno & aliis qui ex profeſſo de illis ſcripſerunt. Nobis enim iſta ſuccinctè tantum, & quatenus magis faciunt ad prognoſin inſtituendam, ſunt proponenda. Apud Hippocratem itaque *lib. de vict. ratione in acutis*, illis qui breuiſſimo tempore perituri ſunt maxima ab initio contingunt ſigna, & celeres humorum motus. Item *Aphor.* 7. *ſect.* 1. *Quicunque morbi extremos ſtatim habent labores, peracuti habentur*, quia cito hiſtoriam ſuam peragunt, ad ſalutem vel interitum ægrotantis: ita vt quarto vel ad ſummum ſeptimo die iudicentur: vnde etiam in illis extrema ſtatim remedia & tenuiſſimus victus competere dicuntur. *De hac re vide initium* 3. *prognoſt. vſque ad text.* 13. Alij verò morbi, qui non tantam habent celeritatem, neque tam grauia in principio ſymptomata, dicuntur acuti ſimpliciter, & ad decimum quartum vſque diem, vel ad vigeſimum extenduntur, poſt quem terminum dicuntur acuti ex decidentiâ vſque ad quadrageſimum diem, qui eſt vltimus acutorum terminus. Quamuis enim etiam ſexageſimus & octogeſimus & centeſimus, & centeſimus vigeſimus dicantur aliquando critici apud Hippocratem, hoc tamen, vt docet Galenus 2. *de criſibus*, ſumitur latâ ſignificatione, quoniam in iſtis diebus fiunt aliquando tam inſignes mutationes & morborum ſolutiones, vt ad acutorum rationes accedere quodammodo videantur. Idem annotauit Hippocrates *lib. prognoſ.* de abſceſſibus qui ſubſequuntur ad iſtos affectus: & nos in capitis vulneribus non raro tales motus obſeruauimus: deinceps verò non diebus, ſed menſibus & annis atque vitæ noſtræ ætatibus mutationes morborum computantur, vt de epilepſia puerili ſcripſit Hippocrat. *Aphor.* 45. *ſect.* 2. & 7. *ſect.* 5. illam mutationem ſuſcipere circa 25. ætatis annum, ſi quidem ſperabilis ſit illius curatio per caloris natiui ἔκλαμψιν, diſſipantis reliquias iſtius affectus pertinacissimi. Hic autem notandum, quoſdam morbos celeriter moueri ſecundum ſuum paroxyſmum, qui tamen ſecundum naturam cauſæ ſuæ tarditatem potius obtinere debebant, vt patet de apoplexiâ, tetano, conuulſione,

conuulſione & ſimilibus, qui cito ægros tollunt è medio ob ſolum ſitum cauſæ ſuæ in viis partium nobilium, aut vitæ dicatarum, quando non poteſt excuti & aliò amandari. Epilepſiam verò eſſe quidem vehementem ac celerrimam ſecundum ſuum paroxyſmum, attamen omnem ſui conſtitutionem & durationem eſſe valde diuturnam, quia materia illa paroxyſmum efficiens diſſipatur & excutitur ſingulis acceſſionibus extra cerebrum. In puerulis tamen recens natis ſæpius videmus iſtas conuulſiones epilepticas intra ſeptimum aut nonum diem funeſtas eſſe: vnde *libr. prognoſt.* ſpaſmi in puerulis frequentiores, & periculoſiores, quam in adultis, quoniam infirmius tunc cerebrum, & neruoſum genus non poſſunt expellere infeſtantem humorem, à quo pars illa obruitur.

Quemadmodum igitur iſti dies, ſeptimus, decimus quartus, & vigeſimus principales & critici per excellentiam dicti, denotant impetum motumque morborum acutorum, ſic etiam alij ſunt παρεμπίπτοντες intercidentes dicti, & quaſi prædictorum ſuccenturiati, qui medias ſeptimanas occupant, & diſtinguunt, vt quartus, vndecimus, decimus ſeptimus: reliqui verò contemplabiles vocantur, propterea quod ex eorum conſtitutione ſolemus de aliis, tam criticis quam incidentibus, iudicare: vnde Hippocrates 3. *prognoſt. text.* 7. iubet in morbis à primâ die contemplari ſingulos quaterniones, vt ſciamus, quò ſe conuerſurus ſit morbus. Notandum ergo morbos acutos diebus imparibus, ex ſuâ naturâ, & humoris bilioſi dominantis proprio impetu commoueri & iudicari, vt eſt *Aphor.* 61. *ſect.* 4. 2. *epidem. & lib. de vict. rat. in acutis*: vnde alternis diebus peius ſe habere ſolent ægrotantes. Continui autem rigores, inquit Hippocrates, & impetus, praui, niſi ſint intermittentis febris complicatæ cum continuâ, vt eſt *Aphor.* 63. *eiuſdem ſection.* Vnde quibus in febribus acutis rigores ſexto die contingunt, difficile iudicium ſubſequi ſolet: nam hic dies propter periculum malæ iudicationis Tyrannus & Hoſtis à Galeno vocatus eſt: Et Hippocrates *in epidem.* miraculi inſtar recenſet curationem Lariſſeæ cuiuſdam virginis, per ſudorem ſexto die excitatum. Eodem modo octauus, decimus, duodecimus, decimus ſextus, & decimus octauus, ſuſpecti habentur in obeundis criſibus, cum tamen in morbis chronicis iſti motus non obſeruentur, verbi gratia paralyſi, colicâ aut nephriticâ paſſione & ſimilibus. Imo in pituitoſis aut melancholicis morbis diuturnioribus pares dies magis commouent & iudicant, quam impares, vt longâ obſeruatione compertum eſt. Atque hæc de morbis continuis.

Intermittentes verò certum eſt habere paroxyſmos diebus acutorum reſpondentes, & pro naturâ cuiuſque humoris variè concurrentes, in quibus etiam ratione motus periodici, ſolemus obſeruare horam qua inuadunt. Quidam enim anticipant, alij retardant acceſſiones ſuas; alij denique eodem & ſtato tempore redeunt. Vnde iudicium fit apud authores noſtros, eos, qui celerrimè redeunt, & anticipant vnam, duas, vel plures horas, vehementioris quidem eſſe motus, ſed citius deſituros, ex naturâ violentorum: Qui verò tardius redeunt, minoris quidem eſſe impetus, ſed periculum adferre maius, ob craſſitiem & naturam rebellem humoris, niſi forte hoc fiat propter imminutam cauſam & mineram materiæ, quod ex ſymptomatum alleuiatione, & meliori ægrotantis tolerantiâ innoteſcit. Qui denique eadem ſemper horâ & ſtato tempore diu reuertuntur, pertinaces eſſe, firmos & durabiles, vt patet ex *Aphor.* 30. *ſect.* 4. Pro naturâ igitur cuiuſque affectûs de illius motu erit iudicandum, ſecuriores nempe illos eſſe, qui proprium ſequuntur impetum, quam alienum.

Eſt etiam alius motus humoris obſeruandus parti cuipiam impacti, ibique phlegmonem aut eryſipelas committentis, vt in pleuritide, anginâ, & ſimilibus internis inflammationibus. Quamuis enim materia illa coniuncta non habeat motum ratione tranſlationis de loco in locum, habet tamen ratione alterationis, quam natura procurat cum maximo labore & moleſtiâ: vnde *Aphor.* 47. *ſect.* 2. dum pus fit, dolores ac febres intenduntur, facto autem pure ſtatim conquieſcunt; ex eiuſmodi enim pugnâ & perturbatione docet Hippocrat. 2. *prognoſt.* quo tempore abſceſſuum maturitatem, & expurgationem expectare debeamus. Quo autem ſolutionis modo debeat æger euadere, per κρίσεις, λύσεις, aut abſceſſus, eorumque differentias, docet eleganter Galenus *lib.* 2. *de criſibus*, & nos etiam in cuiuſque excrementi explicatione poſtea attingemus. Illud interea valde notatu dignum 3 *prognoſt.* de motu morbi periodici, quod errabundæ febres, & ſine typis inuadentes, potiſſimum autumni tempore, & in eis qui trigeſimum annum exceſſerunt, vt plurimum in quartanam mutentur. Et *Aphor.* 13. *ſect.* 2. ratione motus critici in acutis. *Quibus*, inquit,

criſis

criſis inſtat, illâ nox quæ acceſſionem præcedit difficilis : quæ verò ſubſequitur, mitior vt plurimum eſſe ſolet. Atque hæc de prognoſi ex motu morbi deprompta ſufficiant.

PROGNOSIS EX MORBI MAGNITVDINE. Signa ſumuntur ex naturâ cuiuſque rei, vt dicebamus, differentiis, cauſis & effectis illius, quæ omnia videtur magnitudo morbi ſub ſe includere. Magnus enim morbus apud authores tripliciter dicitur, ratione cauſarum & eſſentiæ propriæ, propter quam dicitur habere intenſionem aut extenſionem, vt reliquæ qualitates: Secundò ratione partis affectæ nobilis, aut ad vitam neceſſariæ : Denique ratione ſymptomatum quæ ad illum conſequuntur. Nos igitur ſigna prognoſtica ex morbi magnitudine propoſituri in hoc capite, neque de eſſentiâ illius & cauſarum agemus, quoniam ſub ſpecie morbi ſufficiéter de iis tractatum fuit; neque de partis affectæ naturâ, quia peculiariter in ſequentibus de eâ acturi ſumus ; ſed magnitudinem morbi κοινῶς & principaliter nunc expendemus, ratione effectuum ſiue ſymptomatum, quæ illum comitantur vel ſubſequuntur, in quorum cognitione potiſſima vis præſagiendi in morbis conſiſtit, vt poſtea patebit.

Symptomata igitur ſiue effectus, qui oſtendunt intenſionem & remiſſionem morborum, eorumque futuros euentus prænunciant, petuntur à tribus, vt in Pathologiâ dictum fuit, nempe ab ipſis functionibus, quas peruertunt, vnde actio læſa ; vel partium qualitatibus mutatis, vnde affectus ſimplices ; vel à contentis, vt humoribus, quæ conſtituunt tertium ſymptomatum genus in excretis & retentis, velut operibus, in quibus caloris natiui vis eluceſcit, aut contrà; prout ſcilicet coctiones aut cruditates in illis apparent, criſeſque aut μεταστάσεις contingunt. Oportet igitur minutius iſta contemplari, ab actione læsâ ducto exordio, tanquam primario ſymptomate, idque adductis in medium Hippocratis Aphoriſmis, aliiſque ſententiis, quæ ad præſagiendum pertinere videbuntur. Cum autem actiones in nobis triplices ſint, animales ſcilicet, vitales, & naturales, initium ab ipſis animalibus faciemus, eiſque principibus omnium maximè conſpicuis.

ΠΡΟΓΝΩΣΙΣ AB ACTIONIBVS PRINCIPIBVS. Primò igitur quod ad principes functiones animales ſpectat, imaginationem, iudicium, & memoriam, quas Hippocrates ſequentibus Aphoriſmis, ſub φρενίτιδος & γνώμης nomine complexus eſt, egregia eſt illa ſententia 33. *ſect.* 2. *In omni morbo mente conſtare, & bene ſe habere ad ea quæ offeruntur, bonum.* In eis autem mens ægrotare dicitur, qui non percipiunt obiecta talia qualia ſunt, vel de eis non iudicant, vt in causâ ſitiferâ non ſitire, in dolorificâ non dolere; vel circa alia neceſſaria delirant.

Hinc *Aphor.* 50. *ſect* 4. Inſaniæ & phrenitides, ſi in principio acutorum præcipuè appareant, valde funeſtæ: Et quæcunque ſuperueniunt internis inflammationibus, vt peripneumoniæ, pleuritidi, & ſimilibus, 12. *ſect.* 7.

In ipſis etiam phreniticis iudicat Hippocrates peſſimum ſignum, quando memoria valde aboletur, vt ſi matulam petentes ad meiendum, antequàm offeratur, obdormiſcunt, vel eâ arreptâ non mingunt. Aquam potandam efflagitantes, oblato poculo non bibunt, aut primis tantùm labiis deguſtant, quos ideò βεχυνότας appellauit, & ſic de reliquis. Galenus annotauit *comment. in* 3. *Epidem.* peſtilentes affectus peculiariter memoriæ vim & perniciem inferre, quod videre eſt apud Thucyd. in deſcriptione illa Athenienſis peſtilentiæ, quâ correpti non ſolùm literarum ſed etiam propriæ familiæ & nominis obliuiſcebantur. Species etiam eſt peſſimi delirij & perturbationis in acutâ febre, plangere, aut lachrymari inuoluntariè & ſine cauſa manifeſta.

Eadem ratione *in prognoſticis & 1. Prorrhet. A modeſto & ſapienti viro ferox reſponſum, malum :* quia ſummam iudicij euerſionem ſignificat.

Vnde *Aphor.* 53. *ſect.* 6. Deliria illa quæ cum riſu accidunt, tutiora videntur, & à mitiori causâ, vt ſanguinis feruentis dominatu excitata : quæ verò cum ſtudio & feritate, periculoſiora. Et quemadmodum iſti verbo & opere delirantes, periculosè ſe habere cenſentur : ſic etiam apud Hippocratem *in Coacis*, illi qui cogitatione tantùm inſaniunt, etiam damnantur. *Mentis*, inquit, *emotiones taciturnæ, in eo qui voce priuatus non eſt, perniciosæ.* Quemadmodum etiam obſeruatum eſt in eiuſmodi deliriis ſubitaneam mentis reſtitutionem & reſipiſcentiam ferè funeſtam eſſe, & mortis prænuntiam. Sunt qui in iſtis deliriis quaſi ἐνθουσιασμῷ affecti mira vaticinantur, adſtantes de ſeriis admodum rebus aut futuris admonent & repentè moriuntur, proſtrato iam calore natiuo cerebri ; & vltimos exercente conatus ; Sic lucerna dum extinctioni eſt proxima, maiores ſubitò flammas videtur eructare.

Hippocrates *in Coacis* multa profert de eiuſmodi inſania & triſtitia ægrotantium, quas vult vt plurimùm ſolui, aluo profluente, & nigras deiectiones copioſiùs excernente: vel interitum aut aliquam perniciem adferre. *Triſtitia*, inquit, *cum ſilentio & hominum auerſione*, ἀνανδρίη, *leniter*, id eſt, ſenſim eo modo affectos *occidunt*: *vel diuturnas* ὑδροπληγίας, *ſiderationes inducunt*, collabente ſcilicet & iam obtorpeſcente animali facultate.

Notatu eſt etiam illud dignum, quod *ibidem* habetur, *Mala eſt*, ait, *ex morbo regio fatuitas*, μώρωσις, *aut* νωθρότης, *ſegnities*, interprete Galeno *in Prorrh.* quando ſcilicet in febre acuta ſuperuenerit ictterus, quem deſipientia & eneruatio functionum principum, cum motus & ſenſus torpore ſubſequitur, ab exoluto calore natiuo & ſpiritibus ipſius cerebri exhauſtis, propter inſignem eorum ab ardore febrili diſſipationem. Atque hæc de functionibus animæ principibus.

ΠΡΟΓΝΩΣΙΣ EX SENSV INTERNO, AD QVEM SOMNVS ET VIGILIA; INSOMNIA ET DECVBITVS REFERVNTVR. Ampliſſima etiam eſt ſeges prædicendi apud Hippocratem, ab interiori iſto ſenſu, ad quem referimus ſomnum & vigiliam, inſomnia, & decubitum. Quamuis enim κατάκλισις iſta ſequatur etiam vim motricis facultatis animalis, propter quam ægri in hac vel illâ figurâ decubitus poſſunt permanere magis commodè & indolenter: quia tamen videtur conſectaneus ipſius ſomni, propter quem præcipuè iacere coguntur: ideò placuit illum ſub hoc cenſu reuocare.

Eſt itaque primùm Aphoriſmus 3. ſect. 2. notandus, vbi Hippocrates generaliter pronuntiauit, ſomnum & vigiliam, vtrumque ſi modum exceſſerit, eſſe malum. Quia vtrumque maxima infert incommoda ægrotantibus, vt experientia notiſſimum eſt, & quia vtrumque ſequitur diſpoſitiones morbificas cerebri per ἰδιοπάθειαν aut συμπάθειαν contractas, quæ non paruum illis minantur periculum.

Attamen certum eſt, & à Practicis noſtris diligenter annotatum, vigilias multò deteriores eſſe & periculoſiores in iuuenibus quàm ſenibus: contrà verò ſomnum in ſene, quàm iuuene magis funeſtum: quia indicat lapſum in contrariam omnino conſtitutionem. Vnde vulgò iactatur dictum illud Gallicum, *Ieune qui veille, & vieux qui dort, ſont tous deux proches de la mort*: Dum ſenex dormit, & iuuenis vigilat, vterque morti appropinquat. Somnus eſt mortis imago, vigilia immoderata in ſomnum æternum nos perducit per diſſipationem caloris natiui, & humidi primigenij.

Eleganter igitur Hippocrates 1. *Prognoſt. text.* 12. quod ad ſomni & vigiliæ rationem attinet; ita pronuntiauit: *Ægrotantes vt moris eſt ſecundùm naturam, interdiu vigilare, noctu verò dormire debent*, propter conticinium ſcilicet, aëris frigiditatem, & tenebras, calorem natiuum ad interiora propellentes, quem ſtrepitus, lumen, & calor diurnus illi conſocialis ad externa reuocant. Quod ſi fiat mutatio ab hac conſuetudine, peior eſt ſo mnus qui fit à quarta diei hora ad noctem, quàm qui matutino tempore vſque ad quartam: quia magis turbat œconomiam & curſum naturalem, vt vocant, quietis & vigiliarum. Attamen addit Hippocrates, multò peius eſſe, ſiquis nec noctu nec interdiu dormiat: id enim arguit dolorem & laborem immenſum, vel delirium eſſe in propinquo.

Quòd ſi æger ſufficienter dormiens & tempore debito, non leuetur tamen eiuſmodi quiete, ſed multò peius ſe habeat, aut poſt ſomnum delirare videatur, peſſimum eſſe ſignum docuit, *Aphor.* 1. *&* 2. *ſect.* 2.

Imò *in Prorrh.* excitationes ipſas è ſomno turbulentas ferociſſimas valdè exhorreſcit, & conuulſionis prænuntias exiſtimat, potiſſimùm ſi cum ſudore quodam appareant, qui omnino ſymptomaticus & diaphoreticus eſt cenſendus.

Ideò ſomni profundi & non turbulenti, ſecuri cenſentur *in Coacis*, & firmam præceſſiſſe iudicationem ſignificant: Quos *ibidem* diſtinguit à ſopore & ſomnolentia, quæ iam ad cataphoricos & comatoſos affectus accedunt.

Porrò illa in ſomno ταραχὴ, turbulentia viſitur tum in ſummâ anxietate & δυσφορίᾳ ægrotantium inter dormiendum, tum etiam in ipſis inſomniis & ſpectris, quibus mens variè laceſſitur, mutato corporis totius, vel ipſius cerebri ſtatu à cauſarum morbificarum violentiâ.

Vt enim per ſanitatem, dum ſomno incumbimus, multæ rerum imagines interiori ſenſui repræſentantur, quæ vel pendent à variis curis, & actionibus, quas interdiu agitauimus, & inſomnia animalia dicuntur; vel cælitus aliquando demiſſa creduntur,

Digitized by Google

tur, ad præſagia rerum futurarum vel occultarum,& *diuina* appellantur:vel denique à corporis & humorum naturalium vel accidentalium ex aſſumptorum vitio, intus dominantium vario motu & conſtitutione: quæ ideò naturalia cenſentur: Sic in morbis exoriuntur potiſſimùm eiuſmodi inſomnia ex variâ cauſarum morbificarum conſtitutione, quæ interiores ſuſcitant ſpecies, & imaginationem inter dormiendum commouent:vnde vult Hippocrates *lib.de humor.* Medicũ diligenter obſeruare & inquirere debere,qualia ægri inſomnia videant,an ex illis terreantur vel lætentur, & vtrùm poſſint illa memorare adſtantibus conuenienter, vel eorum obliuiſcantur.

Proinde in Coacis apud Duretum 52. Inſomnia quæ in phreniticis manifeſta contingunt, ita vt illorum ſint memores, bonum; quia delirij finem oſtendunt, & cerebro *σύνεσιν* reſtitui denunciant. Libro quem ſcripſit Hippocrates peculiariter de inſomniis, multa memorat, quæ in morbis ſunt obſeruanda, non ſolùm ad *διάγνωσιν*, ſed etiam ad *πρόγνωσιν*: vtpote natationes in mari aut flumine, volatus, caſus ab alto in loca horrentia, volutationes in cœno aut ſtercore, & ſimilia quæ peculiares expoſcunt interpretationes. Hoc inter alia certiſſimum eſt, tam in latitudine ſanitatis incubum,niſi contingat ex inſigni crapulâ,quàm in morbis magnum portendere periculum: quia indicat flatuoſi humoris molem & naturæ oppreſſionem.

In Coacis Dureti. 543. *τὸ παραχρῆμα ἐνύπνιον*, prænuntiat proximam acceſſionem in Epilepticis.

Quod ad Decubitum autem ægrotantium ſpectat, iſta habentur *primo Prognoſt. à text.* 16. *ad* 24. *Deprehendendus eſt*,inquit,*æger* (antequàm decori cauſa ſe alio modo componere poſſit) *decumbens in latus dextrum vel ſiniſtrum, brachiis, cervice, & cruribus paululum reductis;& reliquum corpus molliter iacens, vt ſolent plurimi dum ſani exiſtunt*: quia illa figura dicitur media & omnium commodiſſima,vtpote in quâ diutiùs ac indolenter cum quodam naturæ robore perſeuerare poſſumus. Minùs ergo bonum, membra habere valde extenta: peius verò ſi ſeipſum æger continere non valens, ſubinde ad pedes delabatur:ſi pedes nudet,quamuis minimè calentes: ſi brachia aut crura inæqualiter diſpergat: ſi hians, (ab exoluto crotaphitâ & maſſetere muſculo, aut vaporum copiâ qui per hanc viam excluduntur)aſſiduè dormiat;vel maneat ſupinus contortis,diuaricatis, complicatiſque cruribus. Quod ſi pronus in ventrem iaceat præter conſuetudinem, eum delirare oportet,aut ventris tormina pati. Vbi autem perpetuò reſidere vult, vt faciunt *ὀρθοπνοϊκὰ* detenti, aut quaſi ſedens iacere in morbi vigore,peſſimum in omnibus morbis acutis, potiſſimùm verò iis qui ex pulmone proficiſcuntur:quia vel inſtantem phrenitidem minatur,propter quam ita exiliunt & inconditè iactantur: vel magnum cordis incendium, quod hoc modo per liberam aëris inſpirationem ſedare cupiunt.Atque hæc de ſenſu interno, & decubitu ægrorum.

ΠΡΟΓΝΩΣΙΣ A SENSIBVS EXTERNIS, QVATENVS IN SVIS PROPRIIS INSTRVMENTIS AVT FVNCTIONIBVS SVNT LÆSI: NAM DE OBIECTIS ILLORVM, RVRSVS SVB PROPRIO SYMPTOMATVM GENERE, NEMPE QVALITATIS MVTATÆ, AGEMVS. Senſus externi non ſunt tantùm internuntij interiorũ animi noſtri paſſionum,ſed etiam affectionum illarum quæ corpori inſunt, & mutationum quæ in morbis contingere ſolent:ideóque Hippocrates ab inſpectione oculorum, aurium, narium,linguæ, & cutis per totum corpus expanſæ,multa ad prognoſim facientia proponit,actionumque hiſce partibus propriarum conſtitutiones accuratè venatur.

Conſiderare oportet, inquit ille, *Apher.* 52. *ſect.6.& 1.prognoſt.c.*14. oculorum in ſomno ſuſpectiones; ſiquid enim candidæ partis commiſſis palpebris apparet,neque ex alui profluuio,aut aliâ vacuatione id contingat, neque æger ita dormire conſueuerit,prauum eſt ſignum,& valde exitiale.

Quod ſi lumen, addit *in prognoſt. text.*13. refugiant, ſi præter voluntatem lachrymentur,aut peruertantur:ſi alter altero fiat minor:& quæ in ipſis alba eſſe debent,rubeſcant,aut palpebræ liueant & in eis venulæ nigreſcant:vel lemę angulos occupent; ſi frequens ſit & elatus eorum motus;ſi valde ſubſideant vel intumeſcant,iam obſcuratâ viſione,& coloris mutatione in tota facie,iſta omnia magnum & imminens periculum portendunt.

In Coacis prænotionibus,multa de oculorũ pręſagitione profert,quæ ferè ad ſuperiora referũtur.Ibi tamẽ in oculis *τὸ διαστρέφεσθαι* diſtorqueri,ob incipientẽ conuulſionẽ, valde exhorreſcit:item ſi albũ increſcat,nigrũ minuatur ob conſumptionẽ & corrugationẽ;ſi nigrũ ſub palpebrâ occultetur;& ſi oculi ipſi in febre ardẽte non ſentiantur

calidi ad tactum,quia ſignificant extinctionem caloris natiui in parte nobili, vel eius retractionem ad interiora ob intenſam inflammationem.

In Prorrh. 410. Oculi confractio in morbis acutis, mala; quia ex oculorum tenore, corporis vires cognoſci, alibi ſcripſit Hippocrates, quod etiam *6. epid. ſect.1.* expreſſit per ſquallores, deiectiones, ac peruerſiones oculorum. Ibidem oculi audaciam & toruum aſpectum pertimeſcit, velut proximi delirij prænuntium. Vulgus noſtrum in morituris obſeruat oculos radiantes nimiùm; vocat ſtellatos,quando ſpiritus in extremo illo naturæ conatu colliguntur,& ſplendorem quendam alienum emittunt, qualis in ſuffuſione perfectâ apparet.

In Coacis 425. *& Aphor.49. ſect.4.* collectim iſta ſigna proponit: In febre, inquit, non intermittente, ſi labium, aut palpebra,vel ſupercilium, vel oculus, vel naſus peruertatur: ſi neque videat,nec audiat,iam debili exiſtente corpore: quicquid horum euenerit,mors eſt in propinquo. Quod ad aures ſpectat

Ibid. 428. In acutâ febre aures obſurdeſcere, phrenitidem portendit, ex raptu ſcil. materiæ biliosæ ad ſuperiora; vnde ibidem ſurditas dicitur aluum ſiſtere,& idem innuit *Aphor.18.ſect.4.* materiam enim iſtam non ſolùm in cerebrum rapi, ſed etiam in genus neruoſum, indicat alia ibidem ſententia: Egregie ſurdi,inquit,qui manibus contremiſcunt, & linguam habent impeditam, peſſimè ſe habent. *Et in Prorrh.* 408. Surditas eodem modo in morbis acutis & turbulentis conſequens,id eſt,quæ ante nulla fuerat,niſi ex debilitate & exolutione contingat iam inſtante obitu: magnos labores & pericula portendit.

Item frigidæ aures, valde albicantes, & quaſi diaphanæ vel inuerſæ mortiferum, vt notauit etiam in prognoſticis.

Ad aurium etiam conſiderationem commodè referri poſſunt hoc loco duo inſignia ſymptomata,quæ multum poſſunt in præſagiendo, nimirum aurium dolor,ὠταλγία dicta, & parotides: ὠταλγίαν enim vocamus, quando in febre continuâ inſignis dolor interiores auris partes occupat, nihil exteriùs erumpente: Parotis verò eſt inſignis tumor,qui ponè aures in glandulis illis apparere ſolet.

Auris itaque vehemens dolor cum febre continuâ, *3. progn. text.* 15. & *in Coacâ Duret.* 106. graue periculum minatur, aut mortis aut grauiſſimi delirij intra ſeptimum diem, *in Epid.6.* intra triduum, potiſſimùm in iuuenibus, qui trigeſimum ætatis annum nondum exceſſerunt, niſi eos copioſa hæmorrhagia, aut puris laudabilis & copioſi effluxus eripiat; in ſenioribus autem non tam præſens exitium adfert,tamen ſi reuertatur, vt plurimùm eos tollit è medio,quia ſunt impares viribus ferendo huic morbo poſteriori,quas prior debilitauit.

Parotides verò (*vt eſt in Coacis Dureti.* 113.) vt plurimùm exoriuntur poſt ſurditates & comatoſas affectiones, nec non peſtilentes & deleterias febres, cerebro deponente ξυμπτωματικῶς potiùs quàm κρητικῶς ſuam cacochymiam in proximum emunctorium,quod parum eſt capax & aptum ad illam excipiendam.

Parotides igitur apud Hippocratem, plurimùm mortem prænuntiant: Quod ſi ſint rubræ & phlegmonoſæ cum faciei inflammatione,aliquando ſalutem adferre poſſunt,ſi citò & bene ſuppurentur: aliàs enim metus eſt ne ad interiora recurrant;& ſubitò ægrum iugulent,aut vaporibus tetris & malignis illud inficiant.

In longis etiam morbis & pituitoſis,vt eſt paraplegia,annotauit ibidem Hippocrates,prauas eſſe apparentes parotidas;quia oſtendunt deprauatum naturæ motum debilis vel nimiùm irritatæ,quæ deponit iſtam materiã in locum minimè idoneum, vbi redditur inſuppurabilis,& magno cruciatu ob diſtenſionẽ ægrotãtes ſæpius interimit.

DE PROGNOSI EX NARIBVS, OLFACTV, ET STERNVTATIONE. Naſus medium faciei occupat, ibique prominens,ſtatim intuenti ſe offert, atque interioribus ſuis cauitatibus, vapores circumiectorum corporum excipiens, ad cerebri ventriculos defert, vbi eorum odores iudicantur, & ſi acrimoniâ quadam aut alio modo vellicent,aut multitudine infeſtent,ſternutationes excitantur.

Apud Hippocratem igitur in deſcriptione faciei illius horrendæ, & alibi paſſim commemorantur, *Nares acutæ,collapſa tempora*: *In Coacis*, vt iam dictum eſt, peruerſæ aut contortæ ab exſiccatione & conſumptione partium carnoſarum, in acuto morbo valde damnantur. Vulgus etiam patulas nimium, & quaſi relaxatas nares, mali ſigni eſſe iudicat: quia in ſyncope aut alio animi deliquio tales apparere ſolent. Quòd ſi liuidæ aut nimiùm frigidæ in extremitate appareant per febrem continuam, mortiferæ, niſi ſit recurſus paroxyſmi alicuius, vt in complicatis febribus, quem ſolet vt plurimùm præcedere illarum frigiditas.

Quod

Quod ſi olfactus omnino intereat, vel valde imminuatur, vt ne acerrimos quidem odores ægri percipiant, potiſſimùm in morbis diuturnis, vel illis qui cerebri arcem occupant, vt apoplexia, comate, lethargo, & ſimilibus, inſigne periculum portendit: niſi hoc fiat ex catarrho occupante mammillares proceſſus, & anteriorem illas cerebri partes, qui viam in iſtos narium ductus affectat.

Sunt etiam quibus exquiſitus nimium odoratus ecſtaſim aut futuram inſaniam prænuntiat ab exſiccatione nimiâ cerebri & ſpirituum valida agitatione, quod nos in quibuſdam obſeruauimus, qui periodicas manias verno aut autumnali tempore patiebantur, dum florum & fructum maxima eſt fragrantia, quâ valde afficiebantur, ſabis florentibus.

Interior itaque cauſa, vt eſt *Aphor.* 51. *ſect.* 7. vel etiam externa cerebrum laceſſens, excitat illius concuſſionem cum ſonitu & ſpiritus flatuoſi emiſſione, quæ ſternutatio appellatur, totiúſque corporis quandam adfert commotionem: vnde parturientibus creditur commodiſſima ad citò excludendum fœtum, & reliquias puerperiorum.

Inſignis eſt illa Hippocratis de ſternutamento ſententia, in Coacis Dureti 271. quæ ſimilibus penè verbis habetur 2. *prognoſt. text.* 49. *Coryza*, inquit, *& ſternutamenta in morbis pulmonum præceſſiſſe aut ſubſequi, malum. In aliis verò morbis exitialibus ſternutamenta ſolutionem adferunt.* In aſthmate enim, peripneumonia, pleuritide, & phthiſi, ex concuſſione iſtâ ſternutamenti lacerantur, & diuelluntur partes thoracicæ: vnde dolor & inflammatio augentur maximè, nec quicquam inde commodi accedit. In aliis verò excutitur per ſternutationem, & quaſi diſſipatur cauſa morbifica, vi naturæ validæ & inſurgentis aduerſus illam. Hoc tamen certum eſt in principio catarrhi & reliquarum affectionum cataphoricarum ſternutamenta eſſe ſymptomatica, & naturæ oppreſſæ potiùs quàm validæ ſignum: neque vnquam ante vacuationes vniuerſales excitanda, ne magis commoueant humorem in cerebro latitantem, quàm excludant. Vnde ortum puto eſſe morem illum bene precandi illis qui ſternutamento tentantur, propter ferinos quoſdam catarrhos olim graſſantes, vt fuit noſtrâ tempeſtate κυνίβηχια illa ſeu *Coqueluche epidemica*: in quorum principio ægrotantes ſternutamentis creberrimis fatigati interibant: Vel quia ſternutamentum frequentiùs repetens epilepticum inſultum ferè æmulatur, & in eis qui illi obnoxij ſunt, accerſere ſolet. In declinatione autem catarrhi & aliorum affectuum capitis apparens, oſtendit diſſipatam iam ferè omnem materiam morboſam, cuius reliquiæ per eiuſmodi motum expelluntur, & ægris ſalus conciliatur. Vnde vulgò fertur, ſternutante ægro Medicum iam poſſe abire cum bonâ ægri venia.

DE PROGNOSI EX CVTE, ET SENSV TACTVS, QVI IN ILLA EXERCETVR. ITEM EX DOLORIBVS VARIARVM CORPORIS NOSTRI PARTIVM.

Tactus eſt ſenſus per vniuerſum corpus diffuſus, ad tuendam animantium ſalutem, vt docet Philoſophus. Et quamuis per neruos illa vis cum ſpiritu animali in varias partes deferatur, tamen in cute magis eſt conſpicuus, quæ eſt velut inuolucrum totius corporis, & compoſita ex carne & neruo ſimul mixtis, vt vult Hippocrates, quam ideò vocat νεῦρον ἔναιμον *nervum ſanguineum*. Nos itaque paucis perſequamur ſigna prognoſtica, quæ inde repeti poſſunt.

Primò igitur certum eſt, cutem aridam & extentam, potiſſimùm quæ in facie apparet, peſſimum eſſe apud Hippocratem 1. *Prognoſt.* quia eſt ſignum conſumpti vel exſiccati corporis præ ardore febris, aut alia vacuatione inſigni: ex quâ euadere non poſſunt, aut ſaltem in maraſmum & hecticam febrem præcipitantur. Sic laxa nimium in morbo diuturno, extenuationem carnium, & ſpirituum quibus ſpatia muſculorum implentur, ſignificat. In Coacis Dureti 568. *Cutis ſqualida, fiſſa aut tuberoſa, cum ſquamulis decidentibus ſine febre, magnam viſcerum coctioni dicatorum labem ſignificat*; quod in Elephanticis obſeruare licet. In ſenibus certè tantam moleſtiam inferre ſolet, vt tandem è vitâ migrare cogat, cum magno ſcabendi conatu & cruciatu.

Torpor verò, ſtupiditas & ἀναισθησία Græcis dicta, quæ in parte iſta potiſſimùm cernitur, mala, ſi ſequatur mentis ſeu primi ſenſorij affectiones: mala etiam, quando fit ob caloris influentis depauperationem, & proprij temperamenti in partibus iacturam. Sine febre ſi motus ſimul pereat, perfectam ſignificat paralyſin: ſi perſeuerante motu contingat, eſt verum & quaſi præcipuum confirmatæ Elephantiaſeos ſignum, (tamen Practici ponunt inter ſigna æquiuoca.) In quibus peculiariter deperditur tactus ob ruinam totius nativæ κράσεως, & neruorum craſſitiem atque

obturationẽm ab alimento incongruo, propter quam neque influere poteſt vis illa animalis, nec ſpẽcies tactilium ad interiora deferri.

In Coacis eleganter Hippocrates prædicit, futuram paralyſin aut apoplexiam, in eis quibus iſti torpores & externæ ſtupiditates, præter ſolitum contingunt: quia denotant cerebrum aut genus neruoſum malè affectum, non poſſe iam illuſtrare externas iſtas partes radiis ſuæ facultatis, vt ſolebat.

Hîc etiam non erit fortè incommodum, rimari ſigna prognoſtica ab Hippocrate propoſita, ex variarum partium doloribus, quamquam referri poterant ad qualitates mutatas, & obiecta ſenſus tactus, de quibus ſuo loco agemus. Ad id autem generaliter pertinet illud à nobis ſuprà commemoratum ex Hippocrate: *In causâ dolorificâ non dolere, vt in ſitiferâ non ſitire, malum.* Qui enim dolorem habent & non ſentiunt, iis mens ægrotat. Quem Aphoriſmum eleganter conuertebat doctiſſimus huius Academiæ Profeſſor Dortomannus aduerſus quoſdam, qui mira ſibi fingunt dolorum & affectuum genera, quorum tamen nullæ aliæ notæ apparent præter iſtas querimonias, vt ſolent melancholici. *Qui dolorem* aiebat, *non habent & ſentiunt, iis pariter mens laborat.*

Suprà de aurium doloribus, Hippocraticas ſententias propoſuimus; oculorum enim & dentium quamuis acerbiſſimi, rarò in febre, aut propter febrem, aliúmve morbum acutum contingunt.

Capitis verò dolores frequentiſſimi ob effumationes continuas viſcerum æſtuantium, vel raptum materiæ morbificæ ad ſuperiorem illam corporis noſtri regionem. Hinc *lib.* 3. *Prognoſt text.* 13. Capitis cum febre vehementes & continui dolores, præcipuè ſi dolor ipſa tempora & totam frontem infeſtet, valdè ſunt pernicioſi, præcipuè ſi aliis coniungantur ſignis lethiferis: quòd ſi abſque illis ad vigeſimum vſque diem perſeuerent, ſoluuntur aut largâ hæmorrhagiâ, vel abſceſſu ad infernas partes apparente. In iuuenibus quidem ſanguinis profuſione, in aliis verò ſuppurato.

In Coac. Dureti. 89. Cephalalgias ſine febre diuturnas cum tinnitus moleſtia & ſtupore excipit tandem apoplexia, epilepſia, lethargus, opiſthotonos, aut etiam cæcitas, decumbente ſcilicet in illas partes doloris causâ; vt plurimùm cephalalgia in febribus eſt index futuræ hæmorrhagiæ, vt poſteà dicemus.

At verò ibidem exhorreſcit in febre diuturnâ ani dolores, quia ſignificant decubitum materiæ cuiuſdam malignæ in illam partem ſine conuenienti vacuatione. Item bubonis dolor diuturnitatem in febribus denotat, quia cruda materia non potuit per ſenſilem vacuationem excludi, quando in emunctoria iſta ſymptomaticè amandatur. *In Epidem.* autem 2. *partic.* 3. mali ſunt bubones, qui ſtatim in initio febrium acutarum apparent: Et Hippocrat. *Aphoriſm.* 55. *ſect.* 4. omnem febrem meritò damnat quæ buboni ſuperuenit, niſi ſit diaria, quia reliquæ inflammationem ac putredinem ſubeſſe teſtantur. Quanquam noſtri Chirurgi experti ſint, melius eſſe in peſte, vt & in lue Venereâ febrem ſuperuenire buboni iam facto, quàm bubonem febri, propter dictam rationem.

Rurſum ex dorſi dolore, ægritudinis principia ſunt difficilia: & lumborum dolor ſine manifeſtâ causâ ſæpe impetens, maligni morbi ſignum eſt, quia oſtendunt magnam iſtarum partium oppreſſionem, ex quantitate materiæ implentis venas & arterias prægrandes per ila excurrentes, quæ faciunt varia ſymptomata & periculoſa, niſi per fluxum ſanguinis ex naribus, vtero aut hæmorrhoidalibus vaſis ſoluantur.

Denique *ibidem* Hippocrates; *In febre*, inquit, *manuum ac pedum dolores, maligni.* Malignus item doloris ex femore progreſſus. Neque genuum dolor bonus eſt; ſed & ſurarum dolores, pernicioſi, mentémque turbant, tum alias, tum præcipuè quando vrinæ ſubſidentia ſeu hypoſtaſis, non eſt laudabilis. Iſta enim omnia oſtendunt laſſitudines vlceroſas aut inflammatorias in hiſce partibus, quæ facilè principibus per μετάστασιν communicantur: niſi ibidem abſceſſus firmetur, qui magnum etiam faceſſere ſolet ægrotantibus negotium.

ΠΡΟΓΝΩΣΙΣ EX LINGVA, DENTIBVS, ET RELIQVIS ORIS PARTIBVS, IN QVIBVS GVSTVS, VOX ET LOQVELA CONSIDERANTVR. Nihil eſt quod faciliùs & frequentiùs ſequatur læſionẽm diſpoſitionum morbificarum, quàm lingua, reliquæque oris partes, in quibus exercetur guſtus, vox & loquela: quoniam eſt meatus ille communis, per quem non ſolùm aſſumenda iniiciuntur, ſed etiam varia expurgantur excrementa cerebri, pulmonum, ventriculi, hepatis, & ſimilium partium, necnon vapores, qui ex totius corporis ſentina aut putrentibus humoribus

moribus per febres acutas eleuantur, exhalare ſolent. Hinc Hippocrates tam accurate ſigna iſta perſecutus eſt ad *κρίσιμον* facientia.

Illud enim quod habetur *Aphor.* 33. *ſect.* 2. *iam à nobis citato* : bene ſe habere ad ea quæ offeruntur, alimenta potiſſimùm : quamuis reſpiciat ipſam ægrotantis *διάνοιαν*, quæ ex ſolo errore mentis poteſt auerſari ea quæ illi conducunt ad virium reparationem & morbi curationem : vel etiam ad appetitum illum tam naturalem quàm animalem, qui orificio ventriculi inſitus eſſe creditur. Attamen certum eſt etiam intelligendum eſſe aliquando, de guſtu inſigniter deprauato, quandoquidem multos quotidie obſeruamus ægrotantes, qui nullo detenti delirio, neque diuexati affectibus ventriculi, ob ingratiſſimum ſaporem quem in cibis percipiunt, tantopere ab eis abhorrent, vt ne eorum quidem conſpectum ferre poſſint. Noſtri laborantes in hac regione vt plurimùm ad ſolam carnium aut ferculorum ex illis paratorum commemorationem exhorreſcunt. Plurimi febricitantes ne vini quidem odorem, quod eſt mirum; ferre poſſunt, ne dicam ſaporem; quod tamen auidiſſimè expetunt, & ſuauiſſimum eſſe teſtantur pleuritici, peripneumonici, aſthmatici, & aliis morbis thoracicis detenti : cuius rei rationem ego nullam aliam veriſimilem reddi poſſe exiſtimo, quàm quod vini ſubſtantia non ingreditur immediatè iſtas partes thoracicas, ſed tantùm quidam vapor benignus, quo maximè vires recreantur, cùm in aliis febricitantibus linguam, ventriculum, hepar, & venas ſubintrans, repentinam calfactionem & humorum morbificorum agitationem inducat, ex quâ maximè afficiuntur, & tam ingratum in ore ſaporem percipiunt. Vt igitur guſtus omnino integer & laudabilis vix reperiri poteſt in morbo acuto, ſic etiam valde deiectus, aut omnino deprauatus, nihil boni portendere poteſt, vt eſt 1. *Epid. ſect.* 2. & 3. *ſect.* 3. In morbo autem diuturno adhuc peior: Vnde ille *Aphor.* 6. *ſect.* 7. *In morbo*, inquit, *chronico διαῤῥοίαι & deiectiones ſinceræ, quæ iam exhauſtam nativam humiditatem oſtendunt, malum.* Vnde in dyſenteria etiam longa valde damnatur, 3. *ſect.* 6. & vbique paſſim, cibi faſtidium perdurans.

Vt igitur guſtus maximè notabilis in hiſce partibus; ſic etiam vox & loquela, quæ illarum beneficio potiſſimùm exercetur: Vnde illa *ἀφωνία* in morbis tantopere celebrata, quæ *Aphor.* 5. *ſect.* 5. in ebriis & crapulâ detentis ſubitanea, vt etiam in delirantibus conuulſionem & mortem infert. *In Coacis vero Duretì* 229. vocat *ἀναυδίαν*, quæ magis deſignat intereeptam loquelam propter impedimentum organorum dialecticorum, hoc eſt, ſermoni dicatorum, nimirum nerui ſeptimæ coniugationis, & nouem muſculorum linguam mouentium : cùm *ἀφωνία* magis ſequatur impedimenta organorum vocalium, vt pulmonum, laryngis, aſperæ arteriæ & ſimilium. Quòd ſi illa *ἀφωνία* fiat ob vim doloris alicuius, quæ reuocatione ſpirituum ad ſe, vel inſigni diſſipatione (*ἴκλυσιν* vocat Hippocrat. *Duret.* 142. & 143.) intercipit vſum vocis (*eodem loco*) & thoracis motum, iam ad extrema ventum eſſe ſignificat.

Vox etiam interrupta inter loquendum, vt ſæpe fit in tabidis, aut eis qui patiuntur prolapſus catarrhi ſuffocantis, vel ferini, vt in maligna febre, magnam oſtendit ægri anxietatem & periculi plenam, *ibidem*; vtpote coniunctam difficili reſpirationi, quæ in febre ſemper ſuſpecta habetur, præcipuè quando poſt irritum rigorem aut criſin imperfectam contingit, ex *μετασάσει* præpoſterâ in illas partes.

Item *ibid.* Vox acuta, vox planctum referens, conuulſionem & præcordiorum retractionem periculoſam ſignificat, qualis potiſſimùm obſeruatur in diaphragmate inflammato. Vox catulina magnam partium thoracicarum oppreſſionem in diuturnis; in acutis verò exolutionem funeſtam portendit. Vox autem vulpina in phthiſicis iam moribundis apparet.

Libro de indicat. & de victꝰ rat. in acut. quædam ſuper hac re habentur notatu digna. *Qui*, inquit, *linguâ offendunt, & labiorum non ſunt potentes, ſi hæc ſedata fuerint, antequàm febris deſinat, ſuppurati euadunt*, ex decubitu ſcilicet materiæ illius catarrhoſæ, quâ nerui illi recurrentes & muſculi vocales replebantur, in aliquam corporis partem. Quòd ſi febrienti quarto die lingua ſit conturbata cum alui fluxu bilioſo, oportet illum delirare, raptâ tandem in cerebrum materiâ, quæ per tales vias non potuit ſufficienter excludi. Quòd ſi illud contingat decimoquarto morbi die, illius diuturnitatem ſignificat, ob materiæ crudæ & rebellis multitudinem, quæ adhuc pepaſmo indiget, antequàm perfecta criſis fieri poſſit.

Præter iſta antè in linguâ ipsâ, dẽtibus, gingiuis, & aliis oris partibus, multa ſigna prognoſtica apparent: Etenim 6. *Ep. ſect.* 5. lingua cõcolor fit dominanti humori: ac proinde per hãc humores dignoſcimus, & futura præſentimus: Et *in Coac. Duret.* 133. Lingua initio morbi ſcabra leuiter cũ colore aſſueto, quæ deinde valde exaſperatur, finditúrq; & tandẽ nigreſcit, peſſima, potiſſimùm ſi quodammodo viridis appareat. Vnde linguæ

etiam

etiam aſperæ multúmque ſiccæ, delirium ab incendio febrili ſuperioribus partibus communicato oſtendunt.

Valde notatu dignum eſt illud, quod *ibidem* habetur: ſi in medio linguæ, vbi linea illa quaſi diuidens excurrit, poſt eiuſmodi alienos colores appareat ſaliua quædam alba, modicè craſſa, ex pepaſmo ſcilicet & humorum mitificatione, ſecuritatem in morbo deſignat. Ludouicus Duretus nullum vidit periiſſe ex morbo acuto, cui tale ſignum in linguâ apparuiſſet, quod ex ore illius accepimus, dum Coacas Lutetiæ interpretabatur.

Linguæ verò τρομώδεις, tremulæ in febre acuta, periculum conuulſionis, aut delirij proximi oſtendunt: vt eſt etiam 1. *Prorrhet.* quia & cerebrum & genus neruoſum in ſympathiam deduci, argumento ſunt. In diuturna autem proximam paralyſin aut apoplexiam eadem ratione. Sunt etiam quibus non ſolùm tremit, ſed etiam præter voluntatem extra os exeritur præ infirmitate, vel craſſitie & reſolutione muſculorum propriorum. Sunt etiam in quibus bullæ quædam flauentes & ecthymata apparere ſolent in linguæ ſuperficie, cum malo etiam vt plurimùm omine, propter metum magnæ inflammationis.

Eodem modo *in Coacis Dur.* 137. Dentes exareſcere peſſimum in febre continuâ: & *Aphoriſm.* 53. *ſect.* 4. *Quibus in febribus circa dentes fiunt lentores*, id eſt, plurimæ ſordes colliguntur & adhæreſcunt, *iis vehementiſſimum incendium & periculoſum ſignificatur*: quod confirmat *lib.* 4. *Epid.*

In prognoſt. 1. *text.* 24. valde exhorreſcit ſtridorem dentium in febricitantibus, ſi non ſit iam aſſuetus à pueritiâ, præcedit enim phrenitidem; aut ſi cum delirio fiat, mortem, quia eſt conuulſorius. Denique gingiuarum in febre eroſiones, & ſanguinis exudationes, malæ; quia ſummam humoris morbifici acrimoniam, vel retentricis exolutionem, præcipuè in morbo diuturno, ſignificant.

ΠΡΟΓΝΩΣΙΣ ΕΧ ΜΟΤΥ, ΕΤ ΡΑΡΤΙΒΥS ILLI DICATIS. Poſt ſenſus internos & externos, iam de motu animali agendum, quatenus ſigna prognoſtica etiam ſuppeditare poteſt. *Libro* enim 2. *prognoſt. text.* 6. inter optima ſigna recenſet: ſi æger facilè ſurgat & conuertatur ſponte vel Medici monitu. Malum verò quando grauis & quaſi torpidus apparet, & ſecundùm totum corpus, & ſecundùm pedes ac manus. Huic enim impotentiæ ſi iungantur vngues aut digiti liuentes, mortem exiſtimat eſſe in propinquo, penitus iam extincto calore natiuo, quod *in Coacis* confirmat: Vnde illa ἐξάψις & νωθρότης in decubitu ægrotantium toties annotata. Et *in prorrh.* damnantur impotentiæ illæ quæ contingunt præter vaſorum vacuationem, id eſt, ſine vllâ causâ manifeſtâ diſſoluente aut eneruante facultatem iſtam animalem.

De laſſitudinibus etiam multa apud Hippocrat. ſiue illæ præcedant morbos, eóſque ſignificent, *Aphoriſm.* 5. *ſect.* 2. ſiue in illis appareant, *Aphor.* 31. *ſect.* 4. *Qui laſſitudine tentantur in febribus, illi circa articulos & maxillas potiſſimùm patiuntur abſceſſus*, ob decubitum materiæ profluentis à cerebro in illas partes: Vnde non ſolùm ægri qui laſſitudine iſtâ tenentur, κοπώδεις vocantur Hippocrati, ſed etiam ipſæ febres, quæ omnes contumaciam & periculum adferre ſolent.

De tremore etiam Hippocrates *in Coacis* agit, pro quo ſæpe rigorem ſumit, vt tremores in febre ardente, delirium præcedere. Quod ſi non ſucceſſerit hæmorrhagia critica, frequenter in abſceſſus ani aut veſicæ deſinunt. In diuturnis verò morbis non tam ab oppreſſione fit, quàm à ſummâ infirmitate & exolutione caloris natiui, quæ mortem appropinquare oſtendit.

Ad hunc etiam ordinem referri poſſunt, conuulſio & conuulſiuus motus, quorum penè infiniti extant Aphoriſmi & ſententiæ apud Hippocratem: febrem videlicet conuulſioni feliciùs ſuperuenire, quàm conuulſionem febri, *Aphoriſm.* 26. *ſect.* 2. quia illa diſſipat cauſam conuulſionis, hæc verò oſtendit exhauſtum vel acrimoniam humoris neruos ferientis. In vulnere etiam, in hæmorrhagia, in hypercatharſi, & quacunque aliâ vacuatione vel exhauſto apparens conuulſio, quantum periculi adferat, vnicuique notum eſt ex Aphoriſmis Hippocratis, quos hîc prætermitto lubens.

Hoc autem notatu dignum habetur 1. *prognoſt. text.* 10. teſtes & pudenda conuulſa & interiora verſus retracta, vehementes dolores & mortis periculum ſignificant. Quemadmodum valde flaccida & pendula, ſummam infirmitatem & exolutionem.

Eſt etiam *ibid.* notatu digna *text.* 26. ſententia, de manuum geſticulationibus. *Signa in febribus acutis*, ait, *manus incondità agitet verſus faciem, aut in vanum iactet: ſi feſtucas*

Digitized by Google

festucas carpat, aut à veste floccos, à pariete paleas auellat, si lecti stragulas, & quasi sarcinas colligat (quæ etiam ad visionis deprauationem referri possunt) quando velut præsentes muscas aut culices abigit, qui nullibi apparent; *hæc omnia insania & proximi interitus sunt signa.* Atque hæc de actionibus animalibus.

ΠΡΟΓΝΩΣΙΣ ΕΧ ACTIONIBVS VITALIBVS, *ad quas referuntur Respiratio, & Pulsus, cum cordis ipsius palpitatione, & tussi.* Vitales actiones eo potissimùm nomine dicuntur apud Medicos, quòd ad vitæ actiones promouendas & exercendas, omnium sunt maximè illustres & manifestæ, per influxum illum perpetuum caloris & spirituum à corde in reliquas partes, cum sensibili ipsius cordis & arteriarum pulsatione & motu, nec non thoracis dilatatione & constrictione, quæ respirationem constituunt. Ideò ad salutem vel mortem prædicendam, præcipua exhibent signa prognostica, vt docet Galenus 2. *artis parua.*

Quamuis enim Hippocrates non videatur ita accuratè persecutus naturam & differentias pulsus, quemadmodum recentiores: attamen non obscurè multis in locis indicauit, se illius etiam rationem habuisse: Nam *libello de alimento, de humoribus, & 2. de morbis*, satis apertè illius meminit; & 2. *Prorrh. Deinde*, inquit, *qui manibus contrectaris ventrem ac venas, minùs falli potest, quam qui non contrectarit.* Vbi per venas nihil aliud intelligere possumus, quàm arterias ipsas micantes in variis corporis partibus: quandoquidem arteriæ nomen, quibus istæ venæ pulsatiles distinguuntur ab aliis, inuentum fuit tempore tantùm Herophili & aliorum Medicorum, qui Alexandriæ floruerunt. Sic etiam pulsus duplex est, qui complectitur παλμὸν, & σφυγμὸν propriè sumptum. Ille denotat motum seu ictum arteriæ micantis in quacunque parte, qui cùm antè insensilis esset, tunc ob coarctationem alicuius arteriæ, vel materiæ contentæ feruorem & agitationem, euadit Medico aspectabilis, & ipsi ægro molestus ac dolorificus: vt patet in omni phlegmone, potissimùm dum tendit ad suppurationem. Alter verò denotat motum, seu liberam micantis arteriæ diastolen atque systolen, sine ictu aut molestiâ partium vicinarum, qui in certis locis, per quæ arteriæ liberiùs excurrunt, à Medico tangente percipitur.

De priore itaque pulsu multæ habentur sententiæ ad προγνωσιν facientes apud Hippocratem. *In Coacis*, pulsus hypochondriorum cum perturbatione, signum est instantis dementiæ, præcipuè si oculi sæpe moueantur. Item; in febribus pulsus ac dolor secundùm venas quæ sunt in collo, in dysenteriam definit, nisi larga accedat hæmorrhagia. Vnde elegans etiam *Aphorismus* ille 21. *sect.* 7. *A vehementi in ulceribus pulsu, larga fit sanguinis eruptio*, apertis scilicet arteriis quæ per partem vulneratam excurrunt, ob erosionem vel compressionem nimiam, quæ inflammationis est comes. In morbis verò diuturnis, vt cachexiâ virginum ob retenta menstrua, tantam videmus aliquando palpitationem, ex materiâ flatulentâ, non solùm cordis, sed etiam arteriarum, quæ per iugulum excurrunt, vt ipsis ægrotantibus maximam pariat molestiam, & pertinaces obstructiones cum periculo hydropis significet. Vnde *in Coacis*, quando in diuturnâ febre, temporum venæ pulsant, vnaque faciei constantia, & hypochondrium non molle adest, vix quiescunt, nisi profluente copiosius sanguine, aut facto in coxendice abscessu. Cordis certè insignis palpitatio, quam authores nostri tremorem & saltum vocant, nihil quicquam boni, in quibuscunque morbis portendere potest, cùm sequatur magnam cordis oppressionem, vel agitationem ex malignâ aut venenatâ qualitate.

Quod ad pulsum verò ordinarium spectat, qui in carpis potissimùm manuum à tangente Medico spectatur, de eo tam accuratè tractauit Galenus *lib. de præsagit. ex pulsib. & reliquis*, vt omnibus ferè posteris ansam præripuerit hac de re quicquã scribendi. Nos verò summatim dicamus, pulsum non immutatũ à causis externis aut animi pathematis, esse verum characterem virium illarum quæ ad morbi profligationẽ requiruntur: ac proinde neminem ex Galeno mori posse, cui pulsus cõstans & validus fuerit: contrà incõstans, inæqualis, & languidus, pessimi euentus est præsagium. Inter quos intermittens vel intercidens in iuuenibus potissimùm, præsens periculum & repentinam mortem minatur. Minutulus verò frequens, vt est formicans aut myurus, vires paulatim deficere, & functionis vitalis proximam ruinam ostendit. Quod ex Galeni doctrinâ accuratius est perdiscendum.

Pulsui proportione quadam respondet respiratio, vtpote ex eâdem causâ dependens, & ad eundem vsum instituta. Ac proinde magni momenti in prædicendâ salute vel morte in ægrotantibus. Εὔπνοιαν itaque, facilem spirationem, tam in acutis quàm chronicis morbis maximè celebrat Hippocrates, 1. *Progn. text.* 27.

& *in Coacis*. Quando igitur in febre continuâ, *Aphor.* 50. *ſect.* 4. difficultas ſpirandi contigerit cum delirio, lethale; conſentientibus ſcilicet ad interitum duobus vitæ principiis, nimirum cerebro & corde. Sic *in prognoſt.* Reſpiratio frequens dolorem & inflammationem innuit in partibus diaphragmate ſuperioribus. Magna & ex longis interuallis, delirium. Frigidus autem ex naribus & ore erumpens ſpiritus, valde exitioſus eſt cenſendus. Quinetiam æſtuoſus & fumidus, quia oſtendit magnam vim inflammationis febrilis: Vnde reſpiratio magna foras, intrò parua, & contrà, peſſima eſt valde ac pernicioſa, præcipuè dum in paruam & denſam ſeu reciprocam; vel paruam & raram mutatur: tunc enim mors eſt in propinquo, ob extinctionem caloris natiui à fumido illo & æſtuoſo vapore, qui non potuit commodè per illas reſpirationes expurgari.

Aphoriſm. etiam 54 *ſect.* 6. meminit reſpirationis clangoſæ ſeu luctuoſæ ſimilis, in morbo acuto, quæ fit vt eſt 6. *Epidem.* duplâ intro reuocatione, velut ſuperinſpirantibus interrupto ſpiritu: quæ ideò pernicioſa cenſetur, quia eſt erroneæ mentis aut conuulſionis ſequela: vel exolutam facultatem indicat, quæ non poteſt vno impetu anhelitum perficere.

Reſpirationi videtur affinitate quadam coniuncta tuſſis, quia fit potiſſimùm in organis vocalibus & reſpirationi dicatis: cuius etiam quædam ſigna prognoſtica habentur. Galenus quidem *comment. ad Aphoriſm.* 9. *ſect.* 5. generaliter illud pronunciauit: Deſtillationes à capite, quæ ſtatim raucos & tuſſiculoſos homines efficiunt, niſi intra proximam anni tempeſtatem ſedentur, vt plurimùm phthiſin inducere excitato in pulmonibus vlcere. Quod eſt valde notandum in hac potiſſimùm regione, vbi frequentiſſima eſt iſta ſpecies tabis ex neglecto catarrho & inueteratâ tuſſiculâ. *In Coacis* illud innuiſſe videtur Hippocrates, dum ait; *Raucedo cum tuſſi pus educit*, ex pulmone ſcilicet paulatim corrupto. In hydropicis tuſſicula, mala, quia oſtendit materiam illam aquoſam irrumpere in thoracem cum metu ſuffocationis repentinæ. In febribus quæ exacerbationes habent, tuſſicula & leuis ſudor tunc exorta, peſſimam conſtitutionem ſignificant, *in Coacis* 42. 6. *Duret.* quia irritos naturæ conatus demonſtrant.

Aphoriſm. 54. *ſect.* 4. *Quibus ſapiùs ſiccæ tuſſes parum irritantes in febribus etiam ardentibus fiunt, parum ſiticuloſi exiſtunt*: quia irrigantur fauces & reliquæ partes ſiti obnoxiæ, hoc humore ſeroſo tuſſim excitante. Atque hæc de vitali actione.

ΠΡΟΓΝΩΣΙΣ ΑΒ ACTIONIBVS NATVRALIBVS, POTISSIMVM FAME ET SITI. Actiones naturales per totum corpus diſperſæ ad nutritionem animantium, valde ſunt obſcuræ, & paruas ſui exerunt notas, niſi ratione operis, nimirum humorum aut excrementorum, quæ ab eis generantur, retinentur, aut excluduntur: de quibus ſuo loco fusè acturi ſumus. Nunc igitur tantùm agemus de illis actionibus, quæ principium quodammodo dant nutritioni ratione appetitus, qui in ventriculi orificio maximè eluceſcit, ob exquiſitiorem ſenſum illuc per neruum deriuatum, ideoque animalis quodammodo cenſetur, quamuis fundamentum ſuum præcipuè habeat in actionibus illis naturalibus, quæ nutritionem ſimpliciter ſpectant.

Iſte igitur appetitus ventriculo inſitus, fertur ad ſolida vel liquida alimenta; ille fames, hic ſitis propriè nuncupatur. Et vterque ſua patitur vitia, quæ in morbis frequenter apparere ſolent, atque anſam prædicendi præſtare. Suprà igitur dum de guſtu & linguâ tractabamus, quædam ex Hippocrat. de Δυσκρισία & cibi faſtidio in medium adduximus, quæ non eſt opus nunc repetere. Hîc tantùm annotabimus, præter abolitum vel imminutum hunc appetitum, poſſe etiam deprauari vel augeri præter naturam in morbis, & vtrumque ſymptoma peſſimi eſſe ominis.

Auctus iſte appetitus, ſiue fames intenſa, *βουλιμία* vulgo dicta, in morbis acutis aut chronicis: ſequitur aliquando vacuationes inſignes, quas fruſtrà æger magnis iſtis repletionibus reſarcire contendit: vel acrimoniam caloris, vt in quibuſdam hecticis, velut fornacis, quæ omnia alimenta ſubitò abſumit, & quaſi in fauillas conuertit: aut certè humorum quorumdam ventriculi orificio affixorum aciditatem, quæ perpetuò vellicat illam partem exquiſitioris ſenſus, cui pro remedio vini meri potionem præſcripſit, *Aphor.* 21. *ſect.* 2.

Hæc igitur fames immenſa, vt eſt portentoſa in morbis, ſic nihil boni indicare poteſt, vt eſt 4 *ſect.* 2. & cauſa eſt peſſimorum excrementorum, quæ in ægrotantibus colliguntur, vt eſt 10. & 17. *ſect.* 2. & 67. *ſect.* 7. Comedentes enim & nihil proficientes ægri, & conualeſcentes malo ſunt loco apud Hippocratem 8. *ſect.* 2. & 31 *ſect.* 2.

Deprauatus verò appetitus dicitur ab authoribus noſtris pica ſeu malacia: quando

quando ad abſurda aut omnino aliena fertur. Quæ quamuis ſit familiaris prægnantibus aut fœminis, quibus menſtruæ purgationes ſuppreſſæ ſunt, ob excrementorum multitudinem, aut malignitatem os ventriculi ferientium : reperitur etiam aliquando in morbis potiſſimùm chronicis,& peſſimus exiſtit;tam ratione cauſæ,quàm ſigni : quia dum ægri ſe ingurgitant cacochymis iſtis cibis, cauſæ morbificæ multiplicantur : & denotat corruptelam temperamenti partium & humorum, propter quam ſimilia illis expetere ſolent. Sapienter quidem dixit Hippocrates 38.*ſect.* 2. paulò deteriorem cibum valde expetitum,ægro quandoque concedendum : ſed cum eâ moderatione,quæ non poſſit grauius illi malum adferre.

Vt igitur in diuturnis morbis,fames minui,augeri,ac deprauati ſolet; ſic in acutis, vt febribus continuis & ardentibus,ſitis. Vnde Hippocrates *Aphoriſm.citato* ; *In causâ ſitiferâ non ſitire,in dolorificâ, non dolere,malum.* Quod 1. *Prorrhet. & in Coacis* ita expreſſit : *Sitis præter rationem ſoluta,in acutis morbis, malum* ; id eſt, ſine manifeſtâ cauſâ, vt quando per tuſſiculam à nobis ſuprà commemoratam madeſcunt fauces ſerosâ humiditate : aliàs ſignificant extinctionem caloris natiui, vel mentis errorem.

Sitis verò inexhauſta, & quæ nullo potu expleri poteſt, magnam arguit ἀνορεξίαν, quæ omne remedium ſuperat, aut conſumptionem humidi primigenij ex retorrido calore, quæ deinceps reſtaurari nequit.

Sunt etiam qui deprauatam hanc habent liquidorum appetentiam, & quaſi moroſam, ita vt neque aquâ, nec diluto vino, aut ſimili liquore conſueto recreentur, ſed alienam potionem expetant, quæ parum naturæ conſentanea exiſtit. Vidimus qui acetum purum copiosè & auidè potarent, aut ſuccum citranguli : Alij aquam roſarum ſtillatitiam, vel aquam vitæ importunè ad bibendum expoſcerent. Sed illi omnes tandem grauiſſimis morbis conflictati occubuerunt, quia natura iam multum à ſuo limite receſſerat, nec potuit poſthac ad conuenientem ſtatum reuocari. Atque hæc de primo ſymptomatum genere ſufficiant, nunc ad ſecundum, nempe qualitates mutatas accedamus.

DE SECVNDO SYMPTOMATVM GENERE, nempe qualitatibus mutatis præter naturam, quatenus variis ſenſibus obiiciuntur.

ET PRIMO

ΠΡΟΓΝΩΣΙΣ *EX TACTILIBVS PRIMIS ET ſecundis, in toto vel aliquâ parte corporis immutatis.*

PRIMÆ qualitates primarium locum inter obiecta tactilia obtinent, deinde ſecundæ illarum quaſi reſpectu conſiderandæ in prognoſi inſtituendâ. Quod Hippocrates innuit *in Coacis* per antonomaſiam: *Externarum partium cita in vtrumque mutatio, prana* : per illud ἀμφότερον caloris & frigoris moleſti viciſſitudinem in morbo acuto intelligens,quia ſignificatur violenta retractio caloris natiui ad interiora ob æſtum febrilem, qui viciſſim & ſubitò recurrens,oſtendit magnam eſſe naturæ pugnam aduersùs morbum. Cùm enim triplex ſit frigus apud Hippocratem,criticum ſcilicet, periodicum, & ſymptomaticum:priora duo ſunt fugacia, & ſecundùm conuenientem naturæ regulam inſtituta,colligẽtis ſcilicet ſuas vires,calorem & ſpiritus,vt deindè validius cauſas morbificas oppugnet:illud verò ſemper malum,ſiue ſit poſitiuum,ex quantitate humoris opprimentis calorẽ natiuum,& ſuâ qualitate partes extimas afficientis:ſiue priuatiuũ, ſublatâ iam & exhauſtâ partium temperie,vel impedito cõmeatu,qui fit ex communibus corporis noſtri fõtibus,ad loca corporis remotiora. Vnde tot apud Hipp. Aphoriſmi & ſententiæ.40.*ſect.* 4. *Vbi in vniuerſo corpore mutationes ſiunt, ita vt modò corpus*

Digitized by Google

refrigeretur, modò incaleſcat ſtatim,& color alius ex alio fiat, longitudo morbi ſignificatur, propter variam ſcilicet humorum miſcellam, quam natura nec citò, nec facilè potis eſt vincere. 1. *ſect.* 7. *In morbis acutis frigus partium extremarum malum.* 48. *ſect.* 4. *In febribus non intermittentibus, ſi partes exteriores ſint frigidæ, interiores verò vrantur, & ſitis vrgeat, mortale. In Coacis Dureti* 391. *&* 2. *prognoſt. text.* 4. eiſdem penè verbis ait Hippocrates: *Mali morbi ſignum eſt, ſi caput, pedes & manus frigida ſentiantur, venire & lateribus æſtuantibus.* Quemadmodum ſecuritatem maximam ſperamus ex corpore æqualiter calido & molli. Vnde etiam patet, ſiccitatem & humiditatem, duritiem & mollitiem ſua exhibere ſigna prognoſtica in morbis: Intenta enim, rigida, ſcabra, aut ſqualida cutis faciei, & aliarum partium valde ſuſpecta Hippocrati, tam in morbis acutis, ex torrefactione incendij febrilis; quàm diuturnis, ex magna conſumptione humiditatis primigeniæ, quod in hecticis febribus & colliquantibus obſeruare licet. Summa verò mollities & extra naturæ limites ſignificat aliquam inſignem putrilaginem, vt patet in cadaueribus peſtilenti febre peremptis: vel mucores alienos in extimis partibus aceruatos, vt apparet in cachexia illa virginum, aut leucophlegmatia vniuerſali, quæ eſt tertia hydropis ſpecies. Vnde colligitur ex vtraque magnum inſtare periculum.

Iubet autem Hippocr. 1. *Prognoſt. text.* 31. *& ſeq. & in Coacis*, vt aliàs annotauimus, ſpectare inprimis conſtitutionem hypochondriorum ſecundùm mollitiem & duritiem, vt poſſimus non ſolùm de naturâ morbi & ſede, ſed etiam de euentu iudicium conuenienter proferre: quoniam in hac epigaſtrij ſeu inferioris ventris parte, quæ nothis coſtis ſubiacet, poſita ſunt præcipua corporis noſtri viſcera, in quibus coctiones & diſtributiones alimentorum atque excrementorum præcipuè exercentur, ſine quibus vita noſtra conſeruari nequit.

Hypochondrium igitur Hippocrati optimum eſt, *ἀνώδυνον τι ἐὸν, καὶ μαλθακὸν, καὶ ὁμαλὸν, καὶ ὅμοιον δεξιὸν καὶ ἐν ἀριστερῷ*, indolens & molle, & vbique æquale, tam in dextrâ quàm ſiniſtrâ abdominis parte, vbi iecur & lien continentur. Nam inflammatum, vel dolorem exhibens, vel diſtentum, aut inæqualiter ſe habens ſecundùm dictas partes, ſuſpectam facit ægrotantis ſalutem, aut certè diuturnitatem morbi, & ſolutionis difficultatem portendit, eóque magis, ſi dextrum afficiatur, quàm ſi ſiniſtrum.

Atque eiuſmodi ventris inferioris tumores, ſi ſint facti & minimè fugaces, ſi ſint calidi & dolentes, vt plurimùm citò ægrotantes iugulant: Sin verò vigeſimum diem exceſſerint, cum febre ſuperſtite, in ſuppuratum conuertuntur. Molles verò & parum dolentes, non ita funeſti ſunt, ſed diuturniores. Si tamen ad ſexageſimum vſque diem extẽdantur cum febre, periculum eſt ne putrilaginẽ etiam experiantur, aut tandem ſcirrhum contrahant, ex quo neceſſum totam œconomiam functionum naturalium corruere, & hydropem aut maraſmum contrahi. Reliquæ verò ventris partes ſub vmbilico poſitæ tumoribus affectæ, non ita periculosè ægros exercent. Hactenus Hippocrates.

ΠΡΟΓΝΩΣΙΣ ΕΧ QVALITATIBVS, *ſeu obiectis aliorum ſenſuum immutatis, tam propriis quàm communibus.* Obiecta aliorum ſenſuum, guſtus ſcilicet, olfactus, auditus, & viſus tam propria quàm communia, hoc capite ſunt perluſtranda, quatenus ad *προγνωσιν* medicam faciunt.

Sapor igitur & odor, qui inter ſe magnam habent affinitatem, immutatus præter naturam in ægrotantibus, ita vt ab ipſis conquerentibus, vel à Medico & adſtantibus percipiatur, magnam in morbis noxam & periculum minantur atque inducunt. Ex tetro enim ſapore tantam *δυσπραξίαν* incurrunt decumbentes, vt nullo deinceps cibo vel potu refici cupiant, & miſerè conficiantur. Fœtor autem intenſus cùm ſit proprium putredinis *πάθημα*, magnam ſubeſſe corruptelam ſignificat, & ægro quaſi ſuffocationem, & animi deliquium infert. Hinc elephantici, ſcabie aut lue Veneréâ infecti, non ſolùm aliis, ſed ſibi ipſis ſunt moleſti. Certè peſtilentes febres ob profundam & malignam putredinem vt plurimùm comitatur iſta *δυσωδία*, quæ adſtantes ab eorum conſortio, non minùs quàm ipſum mortis periculum fugare ſolet. Idem dicas de excrementis peculiaribus nimiùm fœtentibus, vt ſuo loco annotabimus.

Porrò ſoni, flatus, crepitus, rugitus, borborygmi apud Hippocratem frequens eſt mentio, 2. *prognoſt. text.* 24 *&* 25. *& in Coacis & Aphor.* 73. *ſect.* 4. Vbi vult eiuſmodi rugitus & murmura ventris inferioris eſſe optima, inſtante potiſſimùm alui fluxu, ſi ad inferiora tendant, & per anum exeant ſine ſtrepitu, quia tunc materiam

ſubactam

ſubactam eſſe ſignificatur, quæ in tenues auras euaneſcit; vel etiam cum crepitu, quando materia eſt minùs cocta, ſi à volente, non autem inſcio & deliante emittatur. Quando verò poſt borborygmum nihil exit, malum eſt & dolorificum, atque oſtendit mutatum eſſe motum illum inteſtinorum periſtalticum ad ſuperiora cum ægri pernicie, præcipuè ſi aluus inflata maneat.

Et quemadmodum ſtrepitus ille ventris inferioris, occaſionem prædicendi præbet: ſic etiam ſuperioris, ab ore & œſophago ad ventriculum ipſum: Vnde *in Coacis* 425. *Dureti* 37. *Qui in potibus ſubſtrepunt & ſubmurmurant in ſiccis, & qui difficulter deglutiunt ſpiritu tuſſiente, perniciosè habent*, quia hoc fit propter delirium vel exolutam facultatem: Quod clariùs expreſſit 7. *Epid.* in hiſtoria duorum ægrotantium iam morti vicinorum: *Quum biberet*, inquit, *deſcendentis potus in pectora & ventrem ſtrepitus audiebatur*, quod noſtri exprimunt verbis ſignificantiſſimis, dum dicunt, *illis potum vel iuſcula deſcendere velut in puteum coniecta*, reſolutis omnino œſophagi fibris.

Sic 1. *Prognoſt. text.* 14. ſtridor dentium in febribus, quibus non eſt ab ineunte ætate conſuetus, ſiue inter dormiendum, ſeu vigilando contingat, inſaniam & mortem ſignificat. Quòd ſi iam deliranti contingat, eſt valde pernicioſum. In pueris tamen mulierculæ noſtræ volunt eſſe ſignum lumbricorum ſuperiorem ventriculi regionem vellicantium.

De aurium tinnitu illud etiam pronuntiauit Hippocrates 428. *in Coacis Dureti.* 109. *Bombus in acutis, & echo in aure, mortiferum*, quia oſtendunt magnam materiæ crudæ & flatulentæ copiam, quæ ad ſuperiora transfertur, iamque præcipuas primi ſenſorij excubias occupauit, cum metu delirij aut alterius noxæ grauioris.

Quod ad qualitates verò vitiles proprias, nempe colores, Hippocrates valde pertimeſcit illarum mutationes, tam in toto quàm in partibus; faciei bonus color, id eſt, ex rubro ſaturatus, & vehemens torpitas, *in prorrhet.* malum, quia fit ex magno incendio humorum, & effumatione ad ſuperiora. Quod præcipuè in peripneumonicis obſeruare licet, quorum genæ velut minio tinctæ, in ſummâ morbi exacerbatione apparent. Rubores etiam intenſi ac quaſi eryſipelatoſi, in manibus ac pedibus apparentes per morbos acutos pernicioſi, *in Coacis.* Quamuis enim alibi voluerit, bonum eſſe quando eryſipelas ab interioribus ad exteriora mutatur, id tamen intelligendum eſt, quando fit per μετάσασιν ſimplicem & ægri alleuiationem, non autem per ἐπιγένησιν & multiplicationem qualitatis illius phlegmonoſæ quæ viſcera occupauit.

Sic pallor ingens, malus, in facie potiſſimùm, quia ſignificat retractionem caloris violentam ad interiora: vel eiuſdem extinctionem mortuis ſimillimam. Liuiditas etiam & nigrities damnantur. 2. *progn. text.* 8. & 9. tam corporis ipſius, quàm faciei & extremitatum, vt digitorum, quia fiunt vel per ſuffocationem caloris natiui in partibus, vt patet in perfrigeratis; vel materiæ atrabilariæ in eas tranſpoſitionem. Quâ de cauſâ minùs pertimeſcit nigredinem vnguium ac digitorum, quàm liuiditatem: quia illa poteſt pendere aliquando à decubitu humoris, vt diximus: hæc verò ſequitur ſemper caloris extinctionem.

Vt igitur colores illi ſtabiles ac fixi damnantur ab Hippocrate; ſic etiam τὸ χρῶμα μεταβαλλὸν, ſubinde colorem mutare in acutis, quia ſignificat naturam valde oppugnari, aut eſſe congeriem diuerſorum humorum, à quibus periclitantur ægrotantes.

Atque hæc de coloribus apud Hippocratem, ſeu obiectis propriis viſus; de communibus verò, vt figurâ, magnitudine, numero, ſitu, & motu, multa habentur apud eundem ſigna prognoſtica, quorum alibi meminimus, vel deinceps in aliis capitibus mentionem faciemus, quatenus ex vſu medico eſſe videbuntur.

Facies enim illa horrenda & cadaueroſa, 1. *prognoſt.* graphicè delineata, ad hunc cenſum referri poteſt: Denique ea omnia quæ Hippocrates paſſim attulit de charactere & mole variarum partium. Nos duobus Aphoriſmis inſignioribus hîc erimus contenti. Laurent. *in Coacis prænotionibus*: Facies ex tumeſcente reſidens, ſalutaris, & 2. *Epid. ſect.* 25. *Si cui febricitanti facies die critico extenuetur, ſequenti die ſoluetur omnino morbus.*

Quorum primus eſt 28. *ſect.* 2. *Febricitantium non omnino leuiter, permanere & nihil minui corpus, vt etiam præter rationem valde contabeſcere, malum. Illud enim morbi longitudinem, hoc magnam imbecillitatem ſignificat.*

Alter eſt 35. *ſect. eiuſdem. In quouis morbo*, inquit, *qua circa vmbilicum & imum ven-*

trem ſunt, craſitiem quandam habere melius eſt, nam multum contabeſcere, perniciosum; quia ſignificat ruinam coctionum quæ ibi fieri debent, & ſine quibus nulla eſt ægri ſalus ſperabilis. Certè quotquot ita extenuabantur circa iſtas imi ventris partes, obſeruauimus ex febre colliquatiuâ laborare, & niſi ſubitò extinguerentur, paulatim in hecticam & μαρασμώδη febrem incidere, ſine vlla reſtaurationis ſpe; idque etiam verum comperietis in ſanitatis latitudine, illos ſcilicet quibus venter eſt ita extenuatus, vt vertebris quaſi adhærere videatur, rarò eſſe diuturnioris vitæ, & quando corripiuntur morbis, vix aut magna cum difficultate ab eis poſſe euadere. Nos igitur ad tertium ſymptomatum genus, quod eſt de excretis & retentis, tranſeamus.

ΠΡΟΓΝΩΣΙΣ ΕΧ ΤΕΡΤΙΟ ΣΥΜΠΤΟΜΑΤΥΜ GENERE, *nempe excretis & retentis, eorum ſubſtantia, quantitate, qualitatibus & exeundi modo; vbi etiam de criticis vacuationibus & earum ſignis, tam generalibus quàm particularibus, agendum erit.* Quemadmodum ad vitæ noſtræ perennitatem tuendam, quæ in caloris inſiti actione poſita eſt, neceſſariò ingerenda ſunt alimenta, quibus velut materiâ propriâ conuenienter concoctis & ſubactis, ad nutritionis munera vtitur: Sic etiam ex eiuſmodi concoctionibus variæ exoriuntur impuritates, quæ ſecernendæ & expurgandæ ſunt per conuenientes ductus à naturâ inſtitutos, ſi animal ſanum permanere debeat. Nec ſolùm vera illa & propriè ſumpta excrementa foras amandari debent, ſed etiam quæcunque quantitate ſuâ, vel alio modo naturæ moleſta eſſe cœperint: vnde ſanguinis, lactis, ſeminis, puris, arenularum, ramentorum ex variis partibus deciſorum vacuationes recto naturæ inſtituto, quotidie fieri videmus, tam in latitudine ſanitatis, quàm in conſtitutionibus morboſis, in quibus iſta omnia curioſiùs ab Hippocrate & reliquis obſeruantur.

Cùm enim plurimi morbi, vel ab humoribus pendeant, vt ſuis principalibus cauſis: vel certè magnas ex eorum mutatione & conditionibus differentias ſuſcipiant: ideò Galenus ſigna prognoſtica diuidebat in ea quæ cruditatis & coctionis in humoribus notas referunt; quæ criſes, lyſes, & metaſtaſes futuras prænuntiant: denique in ea quæ ſalutem aut mortem principaliter præſagire ſolent. At iſta omnia in excretis maximè eluceſcunt, velut operibus naturæ, ex quorum variâ conſtitutione & characteribus, notas vigentis aut effœti caloris & functionum naturalium deſumimus.

Πεπασμὸς enim ſiue coctio & mitificatio humorum, qui naturæ leges exceſſerunt, oppoſitam habet ἀπεψίαν, μόλυνσιν & cruditatem, quando humores & excrementa ita ſunt indomiti & rebelles, vel tanta caloris natiui adeſt infirmitas, vt nullo modo ad mediocritatem quandam ſubſtantię & qualitatum redigi poſſint, ſine quâ deinceps commodè excludi non poſſunt. De iſtis generaliter pronuntiauit Galenus 2. *de criſibus*, quod in prognoſi eſt animaduertendum. *Ex coctione*, inquit, *perſeuerante ſimpliciter, tam in vniuerſalibus quàm particularibus excrementis, iudicamus futuram ſalutem egrotantis & perfectam criſin. Ex cruditate autem magnâ in principio morbi, nihil adhuc iudicare poſſumus, niſi caloris natiui oppreſſi vel exhauſti debilitatem; in progreſſu autem ſi ſit cum validis viribus, imperfectam quandam & laborioſam criſin, aut morbi longitudinem: ſi cum infirmis verò, interitum breuiorem.* Vbi notandum, duo in coctione perfectâ adeſſe debere, nempe vt ſit continua & perſeuerans, vt appareat ex 2. *prognoſt. text.* 26. agente de vrina, Laurent. 15. b. Aliàs enim ſi ſit interrupta, deſignat naturæ coquentis imbecillitatem, aut materiæ morbificæ contumaciam & inæqualitatem, quod eſt periculoſum: *Aphoriſmo* enim 33. *ſect.* 7. *Quibus vrinæ inæquales & diſſimiles ſunt, iis magna adeſt in corpore perturbatio.* Deinde vt non fiat tantùm aut appareat in particularibus excrementis, ſed præcipuè in vniuerſalibus: aliàs periculum eſſet, ne Medici prognoſin eluderet, dum eſt intentus tantùm peculiari coctioni alicuius partis priuatæ. Vniuerſalia autem excrementa ſunt vrinæ & deiectiones, per quæ totum corpus ſua περιττώματα amandare poteſt, & in quibus naturalium functionum œconomia manifeſtiùs eluceſcit, vt ſuo loco videbimus. Quoniam verò iſta excrementorum contemplatio eò tendit, vt ſolutiones morborum ex eis præuidere poſſimus, per diuerſas vacuationes quas natura in morbis iudicatoriè molitur: ideò inualuit apud Medicos, nomen illud κρίσεως, cuius explicatio etiam paucis proponenda.

Criſis generaliter ſumpta, dicitur de omni ſolutione morborum, præcipuè verò acutorum, quando ſcilicet terminantur & quaſi iudicantur excretâ quadam materiâ morbificâ confertim, per ſenſiles & conſuetos corporis ductus, quæ eſt

vera

vera & genuina criſis; vel paulatim & interiectis diebus, quæ ptopriè λύσις appellatur : aut tranſlato de parte in partem humore per decubitum, quæ μετάστασις vel μετάπτωσις nominatur : Vnde criſis alia perfecta dicitur, alia imperfecta, fida vel infida. Alia ad ſalutem aut ſaltem ægri alleuiationem : Alia in peiorem ſtatum, aut mutationem in alium morbum, quæ καταχρηστικῶς talis dicitur, cùm purè ſit ſymptomatica.

Ad bonam igitur, fidam & perfectam criſim, tria requirit Hippocrates, nempe πεπασμὸν, ἐρεθισμὸν, & ἔκκρισιν. Πεπασμὸς ſeu coctio humoris morbifici præcedere debet & conuenientibus ſignis in vrinâ, aut deiectionibus deprehendi, illud vocat Hippocrates eſſe εὔσημον, bonis ſignis iudicatum. Ad coctionem factam ſequitur ſecretio eiuſdem, vtilis ſcilicet ab inutili : poſteà ἐρεθισμὸς ille ſeu irritatio naturæ & perturbatio, quæ præcedere debet ipſam vacuationem ; Vnde nos quæ criſim præcedit, moleſtior eſſe ſolet, *ex Aphoriſmo* 13. *ſect.* 2. *& 2. Epid.* Deinde fit ἔκκρισις, euacuatio ſcilicet non promiſcuè aut quouis die, ſed certis & iudicatoriis, quorum cauſas (criſimorum ſcilicet dierum) proprio opere perſecutus eſt Galenus. Illa vacuatio debet eſſe ſufficiens, nihil enim paucum, criticum, *in Coacis* ; poteſt tamen eſſe ſignificatiuum futuræ criſeos die critico, verbi gratia ſeptimo, ſi quarto contemplabili contigerit : Debet eſſe ſpecies vacuationis conueniens ægrotantis naturæ, ætati ac morbo : ad quam ſequitur curatio vel melior ægri tolerantia.

Criſes etiam bonas vocat Hippocrates *lib. de victus ration. in acut.* ἁπλουστέρας, καὶ ἀνεκκριτωτέρας καὶ ἧσσον ἐπικρεμάδιας, ſimpliciores, ex vnico tantùm vacuationis genere conſtantes, quæ minorem naturæ perturbationem ſignificat, facilioris excretionis ob præmiſſam coctionem & vias patentes, minuſque recidiuæ eiuſdem radicis vel diuerſæ obnoxias, quia nihil relinquitur, quod de nouo naturam infeſtare poſſit.

Criſes etenim aliquando ex pluribus vacuationibus fieri poſſe in eodem ægro, conſtat ex Hippocrate 1. *Epid.* adductâ Heraclidis hiſtoriâ, cui & ſanguis è naribus erupit, & aluus turbata eſt, & per veſicam fuit purgatus : Multarúmque mulierum, quibus & menſtrua copioſiùs fluxerunt, deinde ſudores ſucceſſerunt.

Criſin autem futuram demonſtrant ſigna, quæ vel ipſum diem & tempus deſignant, ex ratione dierum criticorum, contemplabilium, & intercidentium, vt ſuprà docuimus, *capite de motu morbi.* Vel ipſam ſpeciem vacuationis, vt per ſudorem, hæmorrhagiam, alui fluxum & ſimilia, quæ nos iam peculiariter meditamur.

De prognosi ex vrina, et aliis quæ per vesicam profvndvntvr. Dicebamus duo eſſe excrementa vniuerſalia, per quæ totum corpus ſuam cacochymiam & plethoram commodè poteſt expurgare, quia reſpiciunt duas priores coctionum officinas, in quibus generantur (nempe vrinam & deiectiones :) ideò ab vrinâ exordiendum, in ſignis prognoſticis excrementorum deſcribendis.

Vbi primùm eſt notandum, vrinam in affectibus renum & veſicæ primarium obtinere διαγνώστως & προγνώστως locum, quia vt in ventriculo & iecore materiam, ſic in illis formam ſuam & perfectionem adipiſcitur : Quâ de causâ Hippocrates eleganter, 2. *Prognoſt. text.* 37. in contemplandis vrinis monuit, vt animaduerteremus diligenter, vtrùm veſica ſit tunc malè affecta, ne ſcilicet quod illius vitio contingit in vrinâ, toti corpori tribuatur. Deinde vrinam in affectibus iecoris, venarum, arteriarum, & omnium partium nutritioni dicatarum, efficaciſſimum haberi ſignum, vt in febribus tam continuis quàm intermittentibus. Denique in áliis omnibus morbis non parum etiam conferre vrinarum contemplationem, quia multum refert in quouis morbo intelligere, quomodo iſta ſuccorum procreatrix facultas ſe habeat. Vnde tanta inualuit ἰατρομαντικὴς authoritas apud vulgus ipſum, vt qui ex vrinæ inſpectione non poſſit cognoſcere præſentem & futurum morbi ſtatum, is pro Medico non habeatur.

Vt igitur vrina per ſe & primariò cruditates & coctiones ; ſecundariò autem ſecuritatem ac periculum, morbi breuitatem aut diuturnitatem, horamque ſiue tempus ſolutionis demonſtrat : Sic etiam per illam vacuationes criticæ & morbos iudicantes contingere poſſunt, quoties natura ductum iſtum ſecundæ corporis noſtri

regionis

regionis potiùs quàm alios affectat, ad cauſæ morbificæ expurgationem.

Quod ad primum igitur ſpectat, conſulendus *Aphoriſmus* 68. *ſection.* 7. *Conſiderare oportet ea quæ per veſicam excernuntur, num ſint ſanis ſimilia: quò enim minùs ſunt ſimilia, eò morboſiora.* Vbi complectitur non ſolùm τὸ οὖρον vrinam propriè dictam, ſed etiam πᾶν τὸ οὐρούμενον, quicquid meiendo excernitur: vnde Medici in ipsâ vrinâ conſiderant ipſum liquorem & contenta.

Portò in liquore, qui fit ex triplici potiſſimùm materiâ, nempe ſero humorum in maſsâ ſanguinariâ contentorum, colliquatione partium, & ſuperfluâ potatione, conſideramus quantitatem tam diſcretam quàm continuam, & ſubſtantiam, quæ tenuitate & craſſitie, perſpicuitate & turbulentiâ intelligitur apud Medicos: His ſe adiungit qualitas, nempe color: 2. *progn. text.* 32. (odoris enim & ſaporis rarò meminit Hippocrates) color, inquam, oſtendens, tum caloris natiui & extranei gradum, tum mixtionis modum, qui ex variis humoribus cum illa confuſis, vel eorundem priuatione contingit.

Contenta verò vrinæ faciunt multiplicia. Nam ratione ſitus, illud quod in ſuperficie, aut ſummo matulæ conſiſtit, νεφέλη, tela, nubecula dicitur: quod in medio ὑποστάσεως & ſublimamentum: quod in fundo, hypoſtaſis & reſidentia vocatur. Ratione verò ſimilitudinis cum multis rebus, purulentum, ſputiforme, *yeuodes*, furfuraceum, lamineum appellant, & ſic de reliquis. Ratione autem alienæ materiæ vrinis immixtæ, oleoſum, pingue, ſanguineum, arenoſum, piloſum, carnoſum, pelliculoſum, & ſic de reliquis, apud Hippocratem commemoratis, ex quibus ſigna prognoſtica deſumuntur, quæ nos in pauca contrahemus.

Quantitas igitur vrinæ excedens, ſi non fiat ab euidente cauſâ, vt nimio potu, qui præripit anſam concoctioni, & ante illam elabitur, vel naturæ motu peculiari, affectantis iſtum corporis meatum ad vacuationem vniuerſalem, vt in peirrhœâ criticâ, ſemper mala eſt in quocunque morbo, quia ſequitur humoris excrementitij & crudi abundantiam, aut renum calidiorem intemperiem, quæ dicitur diabeten parere, vel certè eorundem exolutionem, aut totius corporis colliquationem, tum quia vires deiicit, ſpiritus natiuumque calorem exhauriendo: Eſt tamen quando fit reuocato naturæ impetu ab aluo ad vias vrinæ: vnde Aphoriſm. illo 83. *ſection.* 4. *Mictio*, inquit, *noctu copioſior facta, deiectiones minuit.* Multò peior & funeſtior illa vrinæ copia, quæ inſcio aut immemori elabitur, quia ſequitur ſummam virium infirmitatem, vel mentis alienationem, vt eſt in Coacis, ἄλυσιν πᾶν τὸ λαθραίως οὐρούμενον. *Durer.* 524. Τὰ οὐρούμενα μὴ ὑποπιπτάντων, ἀλίθρια.

Pauca verò vrina ſi non ſit retenta vitio renum aut veſicæ, vel ex potus priuatione contingat, mala habetur, tam in diuturno morbo, quàm in acuto, quia ſequitur ſecretricis & excretricis facultatis imbecillitatem, aut quia indicat calorem exurentem humiditates corporis, aut aliò transferentem ſymptomaticè, quod eſt pernicioſum.

Vnde Hippocrat. *in Coacis* 424. Quibus rigor, illis vrinæ ſuppreſſio: Vrinæ cum rigore ſuppreſſæ, malæ & conuulſoriæ, tum alias, tum ſi quis anteà graui ſopore oppreſſus fuerit: in talibus enim parotides periculosè exoriri ſolent: niſi deinde copioſus ſudor ſubſequatur, euacuans ſcilicet huius humoris ſuppreſſi aut tranſlati materiam. Ibidem habentur aliquot ſententiæ de ſuppreſsâ vrinâ elegantes. Renum, inquit, dolor repentè obortus, cum vrinæ ἰσχίσιν, retentione, lapillos aut craſſam vrinam ex permixtione phlegmatis, meiendo reddendam oſtendit. Quod maximè fit in ſenibus, quando priùs tremore quodam concutiuntur: item, vrinæ interceptio cum pondere circa imum ventrem, inſtantem ſtranguriam denunciat; vel, ſi non contigerit, quendam alium morbum adfuturum ex his quibus æger eſt obnoxius. In ileoſis certè retentionem vrinæ, vult eſſe mortis propinquæ nunciam, ex vtriuſque meatus integrâ obturatione, & naturæ imbecillitate.

Quod ad tenuitatem verò & craſſitiem; perſpicuitatem & turbulentiam, colores, & varia vrinæ contenta ſpectat: ſic Hippocrates pluribus in locis præſagire ſolet.

Vt *lib.* 3. *Epid. ſect.* 3. οὖρα τὰ λεπτὰ οὐδὲν κρίσιμον, οὐδὲ χρηστὸν. Vrinæ tenues nihil criticum aut ſalutare indicant. Quia eiuſmodi tenuitas caloris imbecillitatem arguit, qui non poteſt materiam ad pepaſmum mediocriter incraſſando perducere, tuncque

tuncque alba vt plurimùm eſt & aquoſa : quod ſi ſit tenuis, & flauo aut rubicundo colore prædita, ſignum eſt caloris ignei omnia diſſipantis & abſumentis. Idque in febribus continuis & acutis, in quibus, vt loquitur Hippocrates, 2. *prognoſt. text.* 30. *Σημαίνει τὸ νόσημα, ἔκτηκτον εἶναι.* Ideóque talis perſeuerans, cum virium imbecillitate, mortem; cum robore verò, morbi longitudinem vel abſceſſum in partibus inferioribus prænuntiat: Aut ſi poſt criſim talis diu appareat, recidiuam minatur.

In aliis verò morbis, vt febribus intermittentibus aut mitioribus apparens, magnas lienis, hepatis, meſenterij, & aliarum partium obſtructiones deſignat, per quas iſta vrina veluti percolata deponit humores permixtos, à quibus craſſior, & coloratior fieri ſolet. Quòd ſi fiat ab imbecillitate concoctricis, *ὑδατώδης ἢ λευκὸς*, non eſt ſine periculo, vt habetur in Coacis Duret. 516. etiam in diuturnis morbis.

Omne igitur excrementum, vt & vrina, mediocriter craſſeſcere debet, morbo eunte ad iudicationem, vt eſt 2. *prognoſt. text.* 16. Attamen ſi ſit craſſior extra mediocritatis leges, oſtendit potiùs magnam prauorum humorum permiſtionem, aut naturæ oppreſſionem, quàm debitam concoctionem. Potiſſimùm ſi ſit valdè confuſa, ſpiſſa, & turbulenta, qualem iumenta profundere ſolent: tunc enim, vt eſt *Aphoriſm.* 70. *ſect.* 4. capitis dolores, deliria, & ſæpe interitum præſagit. 7. *Epid.* 377. *b. Rubicunda conturbata vrina velut iumenti, peſſima.* Et mox, *Vrina denſa ac perturbata, certum ſunt doloris capitis, conuulſionis, & mortis ſignum*, quod variarum hiſtoriarum fide confirmat: quoniam ex iſtâ vehementi perturbatione, & humorum vaporúmque in venis agitatione; caput repletur, genus neruoſum afficitur, & ipſi ſpiritus animales ſuffocantur. Debet autem iſta vrina tanti mali prænuncia, non ſolùm turbida meiji, ſed talis deinde remanere, ita vt igni etiam appoſita non clareſcat. Quæ enim clara primùm meiitur, deinde conturbatur poſt aliquod tempus, ſignificat potiùs naturam iam inchoaſſe coctionem, quàm perfeciſſe: Quæ verò perturbata & confuſa meiitur, deinde per ſeipſam clara euadit & limpida, naturæ victoriam iam ſecernentis heterogenea, & quod ſibi noxium eſt expellentis, ſignum exiſtit.

De coloribus verò vrinæ & contentorum talia profert Hippocrates ad prognoſin facientia. *Aphoriſm.* 72. *ſect.* 4. *& in Coacis Dureti.* 521. *Quibus vrina ſunt perſpicua & albæ* (quas aquoſas vocat in prognoſt.) *cum febre continuâ, malæ, potiſſimùm in phreniticis*; Nullum enim cum eiuſmodi vrinâ ſeruatum eſſe annotat *ibidem* Galenus. Vnde ad illud reſpiciens 6. *Epidem.* vult vrinam quæ multam habet ſubſidentiam, à mentis emotione liberare & à futuro abſceſſu, vt *Aphor.* 74. *ſect.* 4. multam, craſſam, & albam.

Vrina igitur mediocris conſiſtentiæ, coloris etiam medij, quæ hypoſtaſin habet albam, læuem, & æqualem, optimo puri proportione reſpondentem, quæque circa morbi ſtatum præcipuè apparet, & diu talis perſeuerat, ſecuriſſima eſt, optimarumque κρίσεων prænuncia, *vt eſt* 2. *prognoſt. text.* 26. *& in Coacis Dureti.* 509. ταχεῖαν ἄφιξιν Σημαίνει. (Alias *vt eſt in Coacis Dureti.* 534. vrina quæ vtilem habet hypoſtaſin, & mox non habet, laborem & mutationem in peius denunciat. Item 541.)

Rubicunda verò vrina, quæ talem habet & æqualem reſidentiam, ſuperiore quidem minùs bona, quia diuturniorem morbum ſignificat, attamen ſalutarem. *Ibidem text.* 27.

Cui ſententiæ aduerſari quodammodo videtur Aphoriſmus ille 71. *ſect.* 4. *Quibus ſeptimâ die iudicari debet morbus, iis quartâ die nubeculam rubicundam habet vrina.* Quod tamen intelligendum eſt, ex interpretatione Galeni, in morbo peracuto, qui cùm celerem habeat motum, ex primo quaſi rudimento coctionis in die contemplabili apparente, mox criticam vacuationem die iudicatorio experitur, *vt eſt in Coacis* 442. *Quibus vrina citò habent ſubſidentiam, hi citò iudicantur, Duret.* 543. Quaſi dicat in eiuſmodi morbis ſufficere, ſi talis nubecula in vrinis appareat, quamuis multò inferior hypoſtaſi illi albæ, læui, & æquali, à nobis commemoratæ.

Sic Aphor. 32. ſect. 7. *Quibus ſedimenta ſunt bilioſa, ſuperne autem tenuia, acutus morbus ſignificatur*, & proinde periculoſus.

Vrinæ vitreæ, *ὑαλοειδὴς*, albumineæ, meminit Hippocrates *in Coacis* 433. quam ego exiſtimo eſſe craſſam & pellucidam ex permixtione ſimilis pituitæ:

cuius excretionem copioſam vult esse ſalutarem in longis morbis, præcipuè ex vitio cerebri & rheumate pendentibus. *Secundo autem Prognoſt. & in Coacis Dureti.* 517. 524. Nebulas omnes damnat, quæ multum ad ſuprema vrinæ feruntur, item nigras aut liuidas. Quod eodem modo profert de liquore ipſius vrinæ, *text.* 33. nigras ſcilicet vrinas in viris & mulieribus, peſſimas, quia fiunt ob torrefactionem humorum, niſi contingant in iſtis ob retenta menſtrua aut lochia poſt partum; in pueris verò aquoſas & crudas, quia magis recedunt à naturali cuiuſque conſtitutione.

In Coacis Dureti. 530. inſignis eſt contextus de nubecula nigra, quam vult in febribus erraticis apparentem, eſſe ſignum futuræ quartanæ. Item 531. Lixiuio ſimiles vrinas in febribus continuis extra ſuſpicionem calculi præſagire inſtantem hydropem, ex contracta hepatis labe, quæ per illas ſignificatur, vt in ictericis obſeruamus.

De eis quæ in ſuperficie vrinæ viſuntur, vt bullis aut tela aranearum ſupernatantibus, ita ſentit Hippocrates, *Aphoriſmo* 34. *ſect.* 7. *Quibus in vrinarum ſumma πομφόλυγες, id eſt, bulla innatant, nephriticos affectus portendunt & morbum diuturnum*, ob flatus craſſioris copiam circa renes collecti. Spuma autem copioſa *ibidem* apparens, præſentes aut futuros capitis dolores ſignificat. 35. *ſect.* 7. Vbi verò confertim pinguedo liquata innatat vrinæ, aut parietibus matulæ, velut γεφῦς illa dum ſeuum in lebete funditur, adhæreſcit, ex renibus proficiſcitur, ob morbi acuti violentiam & feruorem, quia ibi magna adipis copia ſubitò liquatâ effluere poteſt, non autem ex alia quauis corporis parte. Oleoſa autem vrina, & puncta olei inſtar in ſuperficie diffuſa, reliqui corporis colliquationem oſtendunt. *In Coacis Dureti* 522. ἰλυώδης damnatur ἐκ πυελῆς ζωτικῆς, quæ ante rigorem & criſim apparet. Maximè autem terrere debet tela illa aranearum ſimilis, ſupremum vrinæ occupans. Corpus enim tabeſcere oſtendit, *vt eſt ſecundo prognoſtic. textu trigeſimo quinto*; & febrilem calorem iam iam partes ſolidas inuaſurum.

Sanguinis autem, puris, caruncularum, furfuraceorum aut laminoſorum corporum, arenularum, pilorum & ſimilium, cum vrina permixtio, magis pertinent ad affectus peculiares renum & veſicæ, quàm totius corporis, vt eſt ab *Aphoriſmo* 75. *ſect.* 4. vſque ad vltimum.

Hoc tamen peculiariter obſeruauimus, in vrinis puerorum aut aliorum qui exanthemata illa aut ecthymata patiuntur, ſemper ſanguineas in progreſſu morbi apparentes, quod eſt frequentiſſimum, eſſe funeſtas, quia videlicet oſtendunt ſummam humorum acrimoniam ſanguini permixtorum, vaſorum tunicas erodentium: aut naturæ infirmitatem maximam, familiariſſimum ſibi & vtiliſſimum humorem retinere nequeuntis.

At verò ſedimina in vrinis febricitantium, quæ craſſioris farinæ ſpeciem referunt, diuturnam fore ægritudinem ſignificant. 31. *ſect.* 7. vel etiam exitialem, vt confirmat duabus hiſtoriis, *libro primo & tertio Epidem.* Sileni & Dealcis. *Secundo autem prognoſt. text.* 28. addit etiam laminoſa & furfuracea ſedimenta, velut febricitantibus periculoſa, quia oſtendunt materiæ morbificæ contumaciam ab omni coctione alienam.

Verùm poſt tot Hippocratis & Galeni ſententias ad πρόγνωσιν ex inſpectione vrinarum facientes, dubitare poſſit aliquis: quomodo coctionum tanta ſit apud authores iſtos celebritas, tantaque vrinæ concoctæ cum ſuis contentis ad ſecuritatem ægrotantis commendatio, cùm tamen certiſſimum ſit & diuturnâ experientiâ confirmatum, in multis febribus deleteriis & peſtilentibus, vrinas ſanorum ſimillimas profundi, & cum talibus vrinis ægrotantes frequenter è medio tolli. Quod ſubolfeciſſe videtur Hippocrates *in Coacis Dureti.* 520. dum ait: *Vrinæ derepente & extra rationem coctæ, praua, & quicquid in acutis ὀξέλογος coctum, peſſimum.*

Ad id reſpondemus, noſtras ex vrinâ προγνώσεις vulgarem reſpicere humorum tam integrorum, quàm putridorum conſtitutionem, non autem eam, in quâ illud θεῖόν τι dominatur: cuius interuentu docuit Hippocrates *in proœmio prognoſt.* omnem turbari prædicendi rationem. Cauſa enim illa ſuperior, deleteria, & venenata, quæ ſequitur aëris occultam labem, non tam iecori, ventriculo, aut vaſis coctioni dicatis bellum indixit, quàm ipſi cordi, & vitalibus ſpiritibus, quorum integritas

ſubito

ſubitò & derepente deſtrui poteſt, ab hoſte illo potentiſſimo, quantumcunque œconomia naturalis in corpore noſtro bene ſe habeat. Ac proinde non eſſe mirum, ſi cum vrinis illis laudatiſſimis ægri intereant, cùm idem contingere videamus in aſſumpto veneno: Hippocrates verò *loco citato* non ſimpliciter coctionem in vrinis vituperat, aut aliis excrementis; ſed eam quæ ſit appatenter tantùm, quæ non perſeuerat, aut quæ non habuit ſuas cauſas bene diſpoſitas, vt calorem natiuum, humoris benignitatem, & ſimilia ad eam producendam neceſſaria.

Supereſt igitur vt paucis videamus, quomodo inſtantem per vrinas criſim præcognoſcere poſſimus. Illud enim aliquando contingere, tam Hippocratis relatu, quàm diuturnâ obſeruatione conſtat. Hippocrates 1. *Epid. ſect.* 2. vocat κρισίμους. Cuius tamen nulla peculiaria ſigna ſcriptis ſuis tradidit, quia fortaſſis iſta criſis rarior exiſtit. Eſt igitur illius magna ſignificatio, quando reliquæ ſpecies criſeων per diarrhœam, per ſudores, per hæmorrhagiam, & ſimiles, & illarum præſagia deficiunt, omneſque humorum impetus inclinare videntur verſus hypogaſtrium. Hyemalis conſtitutio, ætas ſenilis, cutis conſtipatio, & habitus corporis denſus, huic vacuationi ſolent eſſe opportuna. Tunc autem inſtare verisimile eſt, quando in renibus pondus ſentitur, & diſtentâ veſicâ aliquis pruritus in extremo pudendo ſentitur, donec vrina confertim profundatur cum ægri leuamine. Atque hæc de prognoſi ex vrinis.

DE PROGNOSI EX FÆCIBVS, LVMBRICIS, ET OMNI DEIECTIONE. Per fæces non ſolùm intelligimus, excrementum illud craſſius primæ concoctionis, quod in inteſtinis continetur, & vulgò ſtercus, & κόπρος dicitur: ſed etiam quamcunque proluuiem & impuritatem corporis, quæ in aluum amandata foras deiicitur, vt ſæpe in morbis contingere ſolet.

Vt igitur rectum index eſt ſui & obliqui, ſeu eorum quæ ab illo deflectunt: apponenda eſt primùm optimæ deiectionis deſcriptio ex Hippocrate, 2. *prognoſt. text.* 13. *& in Coacis Dureti* 545.

Optima eſt, inquit, *alui deiectio, quæ mollis exiſtit, figurata, ſubrufa, nec valde grauelens.* Ipſam etiam tranſmitti oportet, quâ conſuetum eſt horâ, potiſſimum matutinâ, & eâ copiâ quæ aſſumptis reſpondeat.

Etenim, *vt eſt 6. Epid. ſect.* 3. ventris ſegnities, omnium eſt confuſio & vaſorum impuritas tam in ſanis quàm ægris. Et *lib. de vict. rat. in acut.* pridianas fæces ſingulis diebus excernit, quicunque valere debet, vt ſit ordo perpetuus æqualium periodorum ingerendi, digerendi, & egerendi, ex bene conſtitutâ naturali œconomiâ.

Primùm itaque quod ad quantitatem deiectionis ſpectat, bene Auicennas, dum vult, nullum morbum eſſe periculi expertem, qui ab aluo fluidâ inceperit, & cum eâ perſeuerat: Vnde Hippocrates *in Coacis Duret.* 555. Per liquida deiectio, neque quieſcens in acutis, mala, idque potiſſimum non ſitientibus, quia ſignificat extinctionem caloris natiui, & functionum illarum quæ ventriculo inſident, quarum irritatio eſſe ſolet ab alui potiſſimum vacuatione. Peſſima eſt etiam alui deiectio, *ibidem*, copioſa, cum ventre ſubtumido & excreſcente. *Duret.* 558.

Quando igitur in morbis aluus liquida contigerit, addit *in prognoſt. text.* 14. præſtat non ſtridere deiiciendo: illud enim oſtendit flatuum & cruditatis copiam; neque frequenter & laborioſe excernere, quia periculum eſt, ne ex fatigatione illa æger admodum debilitetur, aut etiam animo linquatur.

Circa criſim autem inſtantem & in morbi ſtatu, excrementa iſta liquida craſſeſcere docet, 2. *prognoſt. text.* 16. *Duret.* 546. & ipſum ventrem habere contrectando mollem ac molis conuenientis, εὔογκον.

Item lumbricos tunc, ſi qui intus lateant, cum fæcibus expelli bonum eſt, potiſſimum teretes dictos. In principio enim morbi vermes exire, malum eſt, tam viuos quàm mortuos, potiſſimùm ſi ſoli & ſine ſtercore exeant, vt annotauit Galenus. Quanquam Aurelianus ſimpliciter mortuos, Diocles viuos perniciem ſignificare exiſtimauit: quoniam illi cruditatem, aut alimenti defectum; iſti maximam putrilaginem redundare ſignificant, à quâ enecantur. Circa criſin verò & iam factâ coctione exire bonum eſt, quia ſignificatur

naturam dominari tam excrementis quàm omnibus aliis noxiis. Vide Duret. 547. & Mercurial. 323.

Peſſimum autem ſtercus in acutis, addit 2. *prognoſt. text.* 20. *& ſequent.* albicans, aquoſum, pallidum, vireſcens, vehementer rufum, aut ſpumoſum valde, ſi ſit ὠὸειχῶλον, *vt eſt in Coacis Duret.* 547. Item malum perexiguum & glutinoſum, aut ſpiris caprarum ſimillimum, præcipuè nigricans, cui ſuperueniens effuſio ex naribus, mortem prænuntiat. *Duret.* 549. Omnium autem maximè lethiferum, nigrum, liuidum, luridum, ἰῶδες, & pingue cum inſigni fœtore. *In Coacis Duret.* 570. odorem in fæcibus improbat, qui ſit ſimilis foriis infantium. Variegatum autem minùs iſtis mortiferum, ſed tamen periculoſum, præcipuè ſi cum ramentis appareat.

Accuratiùs iſta exprimit *in Coacis, & in Aphoriſm. vt* 21. *ſect.* 4. *Deiectiones atræ aut veluti ſanguis niger, ſponte prodeuntes, tam cum febre, quàm ſine eâ, peßimæ: à medicamento autem cathartico trahente per electionem iſtos humores, non ita malæ.* 22. *ſect.* 4. Incipientibus morbis atram bilem ſurſum vel deorſum expelli, lethale eſſe voluit, quandoquidem circa declinationem, vt annotat Galenus, poteſt criticè poſt concoctionem vacuari, in lienoſis, quartanariis, & ſimilibus melancholicis. Mirus eſt autem Aphoriſmus 23. eiuſdem ſect. non tam demonſtratione, quàm frequenti experientia confirmatus, vbi vult eos qui ex longo aut acuto morbo ſunt extenuati, ſi eiuſmodi bilem atram excreuerint, poſtridie mori. 14. *ſect.* 2. In profluuiis ventris ſymptomaticis laudat mutationes excrementorum, niſi in deteriora fiant: Sinceras autem deiectiones, quas Galenus aliquando ſuo ſero deſtitutas interpretatur: aliquando puras & vnius tantùm humoris excretrices, vituperat, in diuturnis potiſſimùm morbis 6. *ſect.* 7. atque dyſenteriæ prævias exiſtimat, 13. *ſect.* 7.

In Coacis 424. *Quibus adeſt bilioſa alui egeſtio, his circa pectus & orificium ventriculi morſus & amaritudo, malum*: quia oſtendit vacuationem iſtam eſſe ſymptomaticam, nec ſatis copiosè aut commodè excernere excrementitium humorem. Etenim 28. *&* 60. *ſect.* 4. *& in Coacis Duret.* 568. Vt ſurditas in morbo apparens bilioſas deiectiones ſiſtit, ſic ſurditatem & omnia alia ſymptomata ſuperiorum partium ſedare debet bilioſa deiectio, ſi conuenienter fiat. Vnde *in Coacis Duret.* 566. *Quicumque tumores fluente alui aſſurgunt, mali. Ibid.* 567. *Quicunque fluente admodum alui, rutilum habent valde & florentem vultum, illis maximum delirium imminet.* In omnibus etiam morbis, quàm mala ſit deiectio chyloſa, quam ille vocat ἀλφιτώδη, id eſt, pultaceam, *in Coacis Duret.* 548. Quàm mala etiam cruenta, aut loturæ carnium ſimilis, quæ ſequitur dyſenterias hepaticas & viſcerum nutritioni dicatorum ἀτονίας, vnicuique eſt notiſſimum. Idem dicas de purulentâ, quæ ſit poſt vomicæ alicuius ruptionem, præcipuè ſi pus non habeat eas conditiones, quæ ſuo loco dicentur.

Porrò de flatu alui, ſiue ſit cum excretione fæcum, ſiue extra illam, ita ſtatuit Hippocrates *ſecundo Prognoſtic. text.* 27. flatum abſque ſono & ſtrepitu traiici, optimum: quia minorem eſſe cruditatem demonſtrat, quàm dum flatus craſſior & ſonorus gignitur: Melius tamen habendum, ſi cum ſono exeat foras, quàm ſi ſurſum reuoluatur: quamquam ita exiens, ſi ſit præter ægri arbitrium, delirium ſubeſſe ſignificatur, aut dolorem, propter quem cogitur decori & adſtantium obliuiſci.

Iam igitur videamus ſigna illa quæ futuram diarrhœam criticam præſagire poſſunt in morbis: quæ Hippocrates expreſſit *in Coacis Duret.* 77. *Quibus*, inquit, *adſunt ructus frequentes, quibus ſuccedunt flatus multi, & ventris crepitus, cum quodam illius inflatione, in eis oportet expectare alui fluxum.* Sic enim neceſſe eſt fieri, tranſlato humore morbifico poſt pepaſmum à toto corpore in venas meſenterij, & inde in inteſtina, vbi illi rugitus & borborygmi audiuntur. Illis annectitur aliquando ex ſententiâ Hippocratis 6. *Epidem.* lumborum dolor ex quantitate humoris diſtendentis ligamenta, quæ meſocolon connectunt hiſce vertebris. Sæpe etiam ante iſtas diarrhœas ſupprimuntur aut minuuntur vrinæ, vel etiam tenues & albæ apparent, tranſlatis ſcilicet iam humoribus bilioſis ad inteſtina, quibus vrinæ irritabantur, & colorem ſaturatum habebant. Atque hæc de fæcibus.

ΠΡΟΓΝΩΣΙΣ ΕΚ ΤΟΥ ΕΜΕΤΟΥ. Quemadmodum natura ordinariè deponit ſua excrementa per inferiorem aluum, & ventris profluuia ad morborum cutationem molitur: ſic etiam per os & ſuperiorem ductum vomitiones aliquando concitare

Digitized by Google

concitare ſolet, quæ varia ſolent ſuppeditare ſigna prognoſtica apud Hippocratem.

Secundo Prognoſtic. text. 38. *& in Coacis Dureti* 487. Vomitus, inquit, eſt vtiliſſimus & ſecuriſſimus, nempe periodicus, arte aut naturæ impetu inſtitutus. *Aphoriſmo ſecundo ſectionis quartæ, ἐμέτῳ ἀνομάτου γινόμενῳ ξυμφέρει καὶ ἐυφόρων φύσιον.* Vel criticus in morbis tam acutis, quàm diuturnis: Nam ſymptomaticus perpetuò moleſtiæ & fatigationis pleniſſimus, ſit ſine ægri leuatione. Ille igitur vtiliſſimus, qui bilem habet pituitæ mixtam, ita vt neque valde craſſus ſit, nec nimis copioſus; ſinceri autem omnes mali, vt & variis coloribus conſtantes; quia indicant multitudinem materiæ peccantis. Inter alios autem pernicioſus, inquit Hippocrates, viridis, porraceus, & niger, ob malignitatem iſtorum humorum: ſed maximè liuidus cum fœtore iunctus, quia ſummam putrilaginem aut caloris natiui internecionem denuntiat: vnde mors breui ſubſequitur. Omitto vomitum illum fæculentum, qui in ileo deplorato ſuccedere ſolet.

Et quemadmodum excedens quorumcumque humorum vomitus, periculoſus apud Hippocratem: ſic etiam parcus & laborioſus: vnde illud *in Coacis Dureti.* 494. *&* 495. Exigui vomitus bilioſi, malè habent ægrotos, idque cùm aliàs, tum præcipuè ſi vigiliis torqueantur: aut coniunctus ſit cum multâ deiectione, & lumborum prægrandi dolore: quæ malos & multos ſubeſſe humores teſtantur. Vnde nauſeæ etiam & faſtidia ægrorum, cum ſialiſmo, id eſt, ſputatione frequenti valde damnantur apud eundem in febre continuâ.

In vomitu præterea ſingultum, perfrigerationem & ſudorem, (vt & conuulſionem, *in Aphoriſm.*) ſuperuenire valde exhorreſcit *in Coacis Dureti.* 500. &c. quia inſignem exſiccationem ab exhauſto, aut caloris natiui infirmitatem demonſtrant.

Quod ad ſanguinis vomitum ſpectat, quamuis Hippocrates aliquándo extendat ad excretionem illam, quæ fit ex pulmone floridi & ſpumantis ſanguinis, quæ eſt valde pernicioſa: Attamen intelligendus propriè de eo qui niger & quaſi thromboſus, aliquando ex ipſo ventriculo eiicitur, ſiue ab aliis partibus eò feratur, ſiue ibi colligatur ex vaſe illius rupto vel exeſo: ſanguis enim in ventrem præter naturam effuſus, *vt eſt* 20. *ſect.* 6. neceſſariò corrumpitur.

Generaliter itaque pronuntiauit, *Aphoriſm.* 25. *ſect.* 4. Sanguinem quidem ſuprà ferri, qualiſcunque ſit, malum: infrà autem bonum eſt effundi nigricantem, per hæmorrhoidas ſcilicet, quæ dicatæ ſunt expurgationi humoris melancholici. Excipit tamen mulieres quibus menſtrua ſuppreſſa ſunt 232. *ſect.* 5. in quibus iſte vomitus ſedari ſolet illis erumpentibus.

Simpliciter autem ſanguinis vomitum magis reformidat cum febre, quàm ſine febre, 37. *ſect.* 7. quia iuncta inflammatio auget valde periculum in eiuſmoſdi ſanguine extrauaſato. Eſt tamen perpetuò ſanguinis vomitus quomodocunque apparens, dubiæ ſalutis & periculoſus.

At verò ſigna quæ criticam vomitionem denunciant, in febribus potiſſimùm, ita deſcribuntur ab Hippocrate 3. *prognoſt. text.* 32. Si cuipiam febricitanti caput dolet, aut ante oculos aliquid obſcurum ὀφρυάδες obuerſatur, & cardiogmos accidit, illi iam vomitus bilioſus imminet.

Quòd ſi rigor ſuperuenerit, & partes ſub hypochondrio refrigerantur, citiùs aderit vomitio, præſertim ſi quid tunc temporis comederit vel biberit: In iunioribus tamen ſi μαρμαρυγαὶ, ſcintillæ ſplendentes appareant cum aliquâ hypochondrij tenſione, pro vomitu hæmorrhagia accedet critica, vt ſuo deinceps loco dicemus. Futurum ergo vomitum, *vt eſt in Coacis* 426. *b.* 440. *b.* præcedunt cephalalgia præcipuè anterioris capitis partis, nauſea, oris ventriculi morſus, πνευλισμὸς, multa ſaliuæ reiectio, & quædam oculorum caligo, cum inferioris labij palpitatione, iam inſtante vomitu, ob agitationem humorum morbificorum, & fumos ad ſuperiora elatos. Vt plurimum autem vomitionem criticam excipit diarrhœa liberalis, quæ morbo ſalutarem manum imponere ſolet, & reliquias omnes à vomitu omiſſas eliminare.

De προγνώσει ex sudore et ictero. Vt vomitus & deiectio primam corporis noſtri regionem, vrina ſecundam, ſic ſudor tertiam potiſſimùm reſpicit & expurgat, totúmque genus venoſum, quod in habitum corporis tendit: Vnde nulla eſt frequentior vacuatio in febribus, nulla quæ citiùs aut felicius illarum curationem

abſoluat, perſpiratione totius corporis & reuulſione humoris morbifici ab interioribus ad exteriora. Sudoris itaque ſigna prognoſtica accuratè ex Hippocratis fontibus repetenda.

Primò itaque *prognoſt. text.* 27. & 30. conſtituit in morbis duplicem ſudorem; Vnum criticum & ſalutarem, qui contingit potiſſimùm in febribus acutis poſt coctionis ſigna manifeſta, calidus & copiosè prorumpens μετὰ φλεγμῶν καὶ ἀλμυζόντες ab vniuerſo corpore, die critico, cum magna ægri alleuiatione, aut perfectâ curatione apparet.

Quod indicauit etiam *Aphoriſmo* 36. *ſect.* 4. *Sudores febricitantibus ſi inceperint bonæ, tertio die & quinto, & ſeptimo, & nono, & vndecimo, & decimoquarto, & decimoſeptimo, & vigeſimoprimo, & vigeſimoſeptimo, & trigeſimoprimo, & trigeſimoquarto. Hi enim ſudores iudicant morbos.* Imò 3. *Epidem.* Cleanactides octogeſimo die per ſudorem ſanatus eſt perfectè, cùm eius ratio critica omnes haberet notas, in qualitate, copiâ, tempore & excernendi modo. *Duret.* 506.

Alium verò ſudorem conſtituit malum & ſymptomaticum, qui vt eſt prædicto Aphoriſmo, laborem ſignificat, morbi longitudinem, aut recidiuam ὑποτροπιασμὸν; fitque vel ſtatim in principio morbi, τὸ δὲ κρίζιμα μὴ αὐτίκα ἐπιφαρέσθω: Vnde *in Coacis Dureti* 508. ſudor qui vnà cum febre incidit, peſſimus, vt in febribus peſtilentibus, & ſudore illo quem Anglicum vocant, obſeruarunt recentiores. Vel in progreſſu, extra iuſtam diem & coctionis ſigna, iam collabentibus viribus, ideò *dicto prognoſt. loco*, vult eum fieri propter corporis exolutionem, vt patet in omnibus diaphoreticis & ſyncopalibus ſudoribus: vel propter inflammationis vehementiam, & humiditatum copiam.

Sudor igitur frigidus, ad ſenſum ægri & tangentis, peſſimus: præcipuè ſi ex capite tantùm, facie aut ceruice erumpat, & quaſi miliaris appareat: in acutâ enim febre, mortem: cum mitiore diuturnitatem ſignificat: Quod confirmat *Aphoriſm.* 27. *ſect.* 4. Sudatiuncula etiam omnis, quam ἐφίδρωσιν vocant, mala eſt, ſiue in toto corpore appareat, ſiue in aliquâ tantùm parte, vbi ſedem morbi poſitam eſſe denunciat. 38. *ſect.* 4. Multos autem & diutiùs perſeuerantes ex toto corpore ſudores tam frigidos quam calidos vituperat, 42. *ſect.* 4. quia redundantiam humoris ſuperflui denotant, quem natura non poteſt commodè & ſufficienter per hanc viam expurgare. Idem dicas de valde fœtido ſudore, aut alieno colore prædito, qui magnum abeſſe à naturali ſtatu interuallum non ſine periculo ſignificant.

Malum quinetiam eſſe vult Hippocrates, *Aphor.* 4. *ſect.* 7. ſi horror, qui vtplurimùm præcedere ſolet, denuò ſudori ſuccedat, quia nouus ille naturæ conatus oſtendit priorem vacuationem non fuiſſe criticam, aut ſufficientem ad cauſæ morbificæ expulſionem, ideóque naturam de nouo inſurgere ad illud præſtandum, cum magno virium & vitæ periculo. Hinc illud *Aphoriſm.* 71. *ſect.* 5. *Quibus febricitantibus cutis circumtenditur arida & ſicca, ſine ſudore moriuntur. Quibus verò laxa & rara, cum ſudore intereunt.*

Redeamus igitur ad ſudorem illum criticum, quo febres acutas vtplurimùm ſolui voluit Hippocrates, eiúſque inſtantis ſigna proponamus ex illius ſententiâ. Vbi ſigna coctionis manifeſta in vrinæ liquore & hypoſtaſi apparuerint, die potiſſimùm contemplatorio, vt quarto, coniectura erit, ſi humor ſit tenuis & bilioſus, cum calore æqualiter expanſo per totum corpus, quod molli carne & cute bene conſtitutum tangenti appareat, credibile eſt, inquam, ſudorem futurum proximo die iudicatorio, vt ſeptimo, & ſic de reliquis. Ante cuius eruptionem ſentitur quidam leuis mador, roris inſtar ſparſus per vniuerſum corpus, pulſus mollis & vndoſus, cum faciei tumore ſeu eleuatione inſuetâ ad rubedinem tendente: Præcedit etiam frequenter horror aut rigor, vt dicebamus, cum vrinæ ſuppreſſione, refluente iam ſerosâ materiâ ad ſuperiora: Vnde illud Hippocratis, 6. *Epidem.* πρὸ ῥίγεος αἱ οὐρήσιες τοῦ ὕδατος, id eſt, *ante rigorem vrina ſiſtuntur.* Sícque profunditur copioſus ille & vtilis ſudor, ſi materia ſit tenuis & ſeroſa vnâ vel pluribus vicibus intra vnius diei naturalis ſpatium. Quod ſi materia ſit craſſior, vt in ipſis poris & cute ſubſiſtat, exoritur ictterus per vniuerſam cutem, aliquando criticus, ſi poſt nonum diem & ſine vlla viſcerum inflammatione, dolore, aut obſtructione contingat. Aliàs ſymptomaticus & infauſtus, vt docet ipſemet Hippocrates *in Aphoriſmis.* Sudores periodici qui in febribus intermittentibus apparere ſolent, quodammodo reſpondent criticis, ſi perfectam producant ἀναψυξίαν. Quicunque verò calfactione & fuſione

fusione humorum excitantur, vt per laconica, balnea, decocta ligni sancti, & similia, aliquando magnorum morborum fomites excindunt, vt patet de lue Veneréa & similibus chronicis aut malignis affectibus. Iam igitur ad alia transeamus.

PROGNOSIS EX HÆMORRHAGIA, PER NARES, VTERVM, ET HÆMORRHOIDAS. Hippocrates 1. *Epidem. sect.* 3. facit primam iudicationis speciem, quæ febribus ardentibus contingit, ipsam hæmorrhagiam. Cùm enim illæ ex inflammatione viscerum, aut sanguinis feruore ac putredine sæpiùs oriantur, à quibus ob vaporum multitudinem distenduntur vasa, fit vt natura per *ἀναῤῥηξιν*, (aliæ enim species, quæ per *διάθεσιν* fiunt aut *ἕξιν*, omnes symptomaticæ) reseratis illorum osculis, modò in naribus; aliquando in ipso ano per hæmorrhoidas in eis qui sunt assueti; aliàs per vterum in mulieribus, exundantem sanguinis copiam effundat salutariter.

Ista igitur hæmorrhagia, vt febrem continuam curare possit, larga esse debet & liberalis, non interruptis admodum vicibus, sed continua, quamdiu vires sunt ferendo. Debet fieri *κατ' ἔξιν*, è directo aut secundùm rectitudinem partis affectæ, aut quæ motus humorum præcipuè patitur in illo affectu, vtpote iecore inflammato ex nare dextrâ: liene duro aut feruente, ex sinistrâ, *vt est in Prorrhet.* 411. Paruæ igitur è naribus stillæ sanguinis, prauæ, vt nullum paucum est criticum, 1. *Epidem.* 313. Et in morbis diuturnis paruæ & frequentes è naribus hæmorrhagiæ, malæ; *in Coacis* 433. *Duret.* 215. potissimùm si sanguis albicans & serosus, quasi per *ἀφαίμαξιν* effluat ob facultatis retentricis imbecillitatem, aut illius tenuitatem, quæ hydropem citò adfuturum portendunt. Malæ etiam quæ fiunt *κατὰ τὸ ἀνάλογον*, è diuerso siue opposito motus humorum, quia demonstrant naturæ perturbationem, quæ non potuit dirigere illam vacuationem secundùm institutum proprium & consuetum. Malæ etiam illæ quæ fiunt cum grauioribus symptomatis, vt delirio & syncope, aut quæ illa accersunt, vt conuulsionem, *Aphorism.* 3. *sectionis quintæ*, singultum, tremorem, *in Coacis Duret.* 204. & 213. Et similia.

Item *in Coacis Dureti.* 201. valde exhorrescit post hæmorrhagiam diebus criticis contingentem, si perfrigeratio eximia subsequatur, quia arguit summam infirmitatem, & caloris natiui instantem *συγκοπὴν*. Maximè notandum etiam, quod habetur *ibidem Duret.* 206. *Ab hæmorrhagia nigrorum deiectio, pessima:* Malum est etiam excernere prærubra & æruginosa: fiunt enim inde comatosi, conuulsi, & aluo inflatâ intercunt: Quia scilicet ab illâ hæmorrhagiâ ita moderatâ & symptomaticâ abolentur vires hepatis, quod neque concoquere deinceps, nec retinere potest conuenienter excrementa, quæ in illo gignuntur.

Ibidem etiam pessimum esse vult, si post exiguam hæmorrhagiam surditas superueniat, ob scilicet refluxum materiæ ad cerebri interiora, nisi vomitus aut alui fluxus copiosus tollat reliquias materiæ morbificæ. Nam certum est *Aphorism.* 27. *sect.* 4 *Qui in febribus largas patiuntur hæmorrhagias, illis dum conualescunt, aluos fieri laxas & fluidas.*

Quod ad fluxum verò sanguinis per hæmorrhoidas spectat; notissimi sunt illi Aphorismi, nempe 56. *sectionis sextæ. Nephriticis & melancholicis, hæmorrhoidas superuenire bonum.* Item, in febribus tam continuis quàm intermittentibus, potissimùm quartanis, præcipuè in assuetis si moderatè & post coctionis quædam signa contingant: ac proinde suppressio hæmorrhoidum in illis hydropem, tabem, scirrhos, & manias inferre solet.

In mulieribus sanguis fluens liberaliter ab vtero post partum, atque etiam dum morbis acutis tentantur, sæpenumerò solutionem illorum adferre solet, quod plerisque ex Hippocrate historiis, *primo Epidemion* confirmare licet. In virginibus apparentia primùm menstrua magnos & diuturnos morbos sæpe terminant.

Quinetiam dysenteria quædam velut critica laudatur apud Hippocratem, 48. *sect.* 6. quando scilicet euacuat materiam sanguinis impurioris, qui circa lienem continebatur, & 1. *Epidem.* 315. *b.* quæ contingit Eratonis filio & Mylo post hæmorrhagiam, translatâ scilicet materiâ à capite in aluum.

Quod ad signa igitur, quæ futuram hæmorrhagiam, in morbis prænonstrare possunt, illud priùs notandum, *ex 1. prognostic. text.* 36. & 3. *text.* 14. hæmorrhagias maximè expectandas esse in illis qui trigesimum quintum ætatis annum nondum excesserunt, in aliis verò minùs, quibus scilicet, iam deferbuit sanguis, & minori-

minori copia generatur. Et illa ætas florens vt venæſectiones, ſic ſpontaneas ſanguinis vacuationes faciliùs ferre ſolet.

Primò itaque *Epidem.* 113. *b.* in febribus, quibus colli dolor, & temporum grauitas, & caligo vertiginoſa circa oculos, aut etiam præcordiorum diſtentio non cum dolore fit, his ſanguis per nares erumpet. Poſteà 314. *b.* addit etiam facici & oculorum ruborem, & inuitas lachrymas, ab effumatione materiæ verſus ſuperiora. *In Coacis* 426. *b.* venarum pulſationes circa tempora, fugacem βαρυηκοΐαν, & dolores frontis ob eandem cauſam: vt *in prorrhetic.* 411. *b.* & 412.

Lumbis autem dolentibus, oris ventriculi moleſtiæ accedentes ſigna ſunt futuræ fluxionis per hæmorrhoidas, *in prorrhet.* 411. quod in nobiſmetipſis ſæpius experti ſumus. In mulieribus verò fluxum menſtruorum prænunciant. Atque hæc de hæmorrhagia.

ΠΡΟΓΝΩΣΙΣ ΕΧ ΑΒΣCΕSSV, PVSTVLIS, PVRE, SANIE, VLCERE, ET SIMILIBVS. Quotieſcunque vacuationes illæ manifeſtæ & ſenſibiles, confertim factæ, vt in verâ criſi; vel paulatim & partitò, vt in λύσει, per vrinas, deiectiones, vomitus, ſudores, & hæmorrhagias, locum non habent in morbis, aut ſufficienter non fiunt, ſupereſt vt natura humorum morbificorum ſarcinam deponat in cutem, vbi puſtulæ multiplices per μιλάσματα oriuntur: vel in aliquam partem, vbi generantur abſceſſus & tumores præter naturam, per decubitum iſtius materiæ: Hinc frequenter exoriuntur vlcera, puríſque & ſanici eruptio: ex quibus omnibus Hippocrates ſigna deſumit προγνωστικὰ variis in locis.

Certiſſimum eſt igitur omnes puſtulas, phymata, ἐφιδρώσεις, ecthymata, exanthemata, carbunculos, bubones, & ſimiles affectus, in principio febrium acutarum apparentes, nihil boni præſagire poſſe, quia fiunt ſymptomaticè à naturâ perturbatâ, ſine præuiâ coctione & cum magno metu recurſus ad interiora, vt patet in ſtatu peſtilenti. Vnde *in Coacis* 426. *Quibus in febribus continuis puſtulæ per totum corpus erumpunt, lethale, ſi non purulentus abſceſſus illis ſuccedat*: Et alibi 438. *Qui circa articulos rubicundæ in ſuperficie puſtulas habent, inſupérque rigorem, illis circa ventrem & inguina, rubores & μιλάσματα, id eſt, velut vibices exoriuntur, & intereunt. Duret.* 385. Variolæ tamen & morbilli, qui in pueris frequentius apparere ſolent, ſi fiant ſimpliciter ab ebullitione & motu naturæ ſecernentis purum ab impuro, poſſunt contingere ſalubriter & ſine grauiori noxâ: Quando verò pendent à malignâ & venenatâ aëris contagione, vt ſæpe fit, tunc etiam magnam ægrotantibus ſtragem & periculum inuehere ſolent, vt ſuperioribus annis in hac regione obſeruare licuit.

Abſceſſus autem propriè dicti apud Hippocratem, vt ſint critici & vtiles ad finiendos morbos, debent primò ſequi notas coctionis, ad quas nullâ vel exiguâ factâ vacuatione ſenſibili, vt dicebamus, ſuccedat iſte abſceſſus.

Secundò, vt fiat κατ' ἴξιν, & à directo partis affectæ, quemadmodum de hæmorrhagiâ annotauimus, quia ſic natura faciliùs per fibras rectas deponit ſuum onus, & proprij inſtituti videtur memor.

Tertiò debet fieri in partem remotam à foco morbi, externam ac decliuem, vt crura, articulos, emunctoria, brachia, &c. In aliam enim vix ſedant febrem, & maiorem aliquando priore morbo noxam inferunt, vt patet.

Quartò, debet influere illa materia in locum capacem, qui ſufficiat ad recipiendum omnem humorem morbificum; aliàs refluet & relabetur ad interiora viſcera. Denique debet dimitti in partem, quæ non ſit valde doloribus obnoxia. Vidimus enim multos, qui tranſlatâ eiuſmodi materiâ poſt morbum in coxendicis articulum, non ſolùm claudi facti ſunt, ſed etiam magnis & diuturnis doloribus confecti, tandem interierunt.

Rurſus iſti abſceſſus facti debent terminari & reſolui vtiliter, per διαφόρησιν & inſenſilem tranſpiratum; non autem degenerare in ſcirrhoſam conſtitutionem, quæ eſt omnino rebellis & indomita. Quòd ſi per reſolutionem diſſipari nequeant, ſed incendium & putrilaginem concipiant ſuperſtite aut rediuiuâ febre, vult Hippocrates, calidos & dolentes, vt aliàs annotauimus, intra vigeſimum diem: molliores verò & frigidiores circa ſexageſimum, ſi vita tamdiu ſit ſuperſtes, in ſuppuratum conuerti.

Sextò

Digitized by Google

Sexto itaque *Epidem.* 354. *b.* eiuſmodi tubercula quæ ſuppurantur, vult eſſe extrà vergentia, faſtigiata, & æqualiter matureſcentia, non autem obdurata, aut introrſum vergentia, vel bifida, quæ ſequuntur materiæ contumaciam & inæqualitatem. Quod eiſdem ferè verbis expreſſit 1. *prognoſtic. text.* 43. ſed accuratiùs: Tumorum, inquit, qui ſuppurantur, talis obſeruatio facienda eſt. Eorum enim qui exteriùs erumpunt, optimi ſunt qui minores ſunt, & magis ad exteriora eminent, & in acumen eleuantur: qui verò maiores ſunt, plani, & omni acumine deſtituti, mali. Quicunque etiam ad interiora vergunt, vel in internis partibus fiunt, optimi illi qui nihil exteriori parti communicant, ſed contrahuntur & parum doloris inferunt, atque cutis colorem non mutant. Sic enim ſignificant omnem inflammationem ac putrilaginem per coctionem accuratè repreſſam eſſe.

Vbi iam facta eſt vomica potiſſimùm interior, illam diſrumpi neceſſe eſt, vt pus effluat, neque ibi recrudeſcat denuò, aut morando malignam qualitatem acquirat. Imò dum fluit, ſi æger liberari debeat, oportet pus illud eas habere conditiones, quæ ab Hippocrate proponuntur, vt 1. *prognoſtic. text.* 45. *Pus illud eſt optimum, quod eſt album, læue & æquale, ac minimè fœtidum. Huic verò contrarium, peſſimum.* Vnde *in Coacis* 437. *&* *Aphoriſm.* 45. *ſect.* 7. *Quorum hepar ſuppuratum aduritur, ſi pus purum & album fluxerit, euadunt*, in tunicâ enim illis pus continebatur: *Sin verò qualis amurca fluxerit, pereunt.* Sic *libro ſecundo de morbis* 164. *b.* agens de pure ex thoracis vomicâ effluente: *Si pus*, inquit, *album ac purum fuerit, & fibræ ſanguinis inſint, plerumque ſanus fit. Si verò primâ die profluat, vitelli oui ſpeciem habens, aut ſecundâ die defluat craſſum cum virore, ſubpallidum & fœtens, moriuntur, vbi pus effluxerit.*

Item *lib.* 2. *prognoſt. text.* 70. agens de illis qui in cauo thoracis purulentam materiam collegerunt: *Quando*, inquit, *vruntur empyici, ſi pus fluxerit purum, album, & parum fœtidum, ſeruantur: ſi verò ſubcruentum, ſanioſum, & βορβορώδες, id eſt, inſtar cœni vel luti, moriuntur.*

Vbi pus effluxit ab eiuſmodi tumoribus, ſuccedit vlcus, quod ſiue tunc factum ſit, ſiue priùs & ante ipſum morbum exiterit, contemplandum etiam vult ad πρόγνωσιν Hippocrates: Nam 1. *prognoſt. text.* 25. quod repetit *in Coacis* 438. *Si periturus eſt æger, ante mortem liuidum & ſiccum erit, aut cum virore pallidum.* Vnde *libro de locis in homin. fol.* 79. *Vlcuſcula circumcirca liuida, iam debili exiſtente ægro, mortem portendunt.* Imò 3. *prognoſtic. text.* 17. faucium exulcerationes in febre acutâ valde reformidat, ſi cuidam alteri ſigno lethali coniungantur, quia ſequuntur prolapſum ferini catarrhi, vel magnas viſcerum inflammationes & putrilagines.

Supereſt igitur vt ſigna futuri abſceſſus in morbis proponamus. Inſignis eſt contextus *in Coacis* 426. *b. Quibus*, inquit, *diuturnæ febres accidunt & cum ſecuritate, citra dolorem aut inflammationem (in aliqua parte obſirmatam) niſi vacuationes patiantur, his abſceſſus expectandus eſt, cum inſigni tumore, & præcipuè in inferuis partibus. In illis potiſſimùm hominibus, qui trigeſimum ætatis annum exceſſerunt, & tempore frigido, quo & minùs citò ſedantur, & minus παλινδρομίαν.*

Huius etiam rei ſignum eſſe vult *ſecundo prognoſtic. text.* 34. in iſtis morbis, quando vrina tenuis & cruda diutiùs apparet: Vnde 6. *Epidem.* 357. *b.* Vrina multa, craſſa, & alba, qualis Archigenis famulæ erat, in laſſitudinoſis febribus aliquando prodit, & liberat ab abſceſſu, quod eodem ferè modo expreſſit *Aphor.* 74. *ſectionis quartæ.*

Sic etiam *Aphoriſmo trigeſimoprimo ſectionis quartæ*, Laſſitudinem in aliquâ parte obſirmatam, vel dolorem priùs in eâ exiſtentem, vult eſſe ſignum non ſolùm futuri abſceſſus, ſed etiam loci ipſius, in quem fiet iſte decubitus; Omnis enim pars dolens & debilis, ſolet facilè excipere iſtas materiæ tranſlationes, quæ in febribus contingunt. Vnde illud *Aphor.* 33. *ſect.* 4. *Si ante morbum aliqua pars doluerit, ibi morbus obſirmatur.* Vide etiam 2. *prognoſtic. text.* 66.

APPENDIX DE RECIDIVA ET TRANSMVTATIONE IN ALIVM MORBVM, AC MORBO SVPERVENIENTE. Non ſolùm abſceſſus fiunt in morbis per μετάστασιν ad externas partes, ſed etiam morbi in alios degenerant, aut alij ipſis factis ſuperueniunt: vel etiam recidiuæ contingunt. Ex quibus omnibus ſigna oriuntur prognoſtica, quæ nobis ſunt paucis percurrenda.

Lubet tamen de recidiuæ natura & illius cauſis, paulò latiùs hîc diſſerere. Recidiua, quam Hippocrates ἀνάπτωσιν & ἀναπτώσιμον vocat *Aphoriſm.* 36. *ſect.* 4.

aliquando ſumitur pro omni reditu ſiue exacerbatione morbi, qui iam inclinare videbatur, ſiue hoc contingat poſt iudicationem manifeſtam, & ſenſibilem vacuationem, ſiue abſque vllâ κατοχωσει, vt videre eſt in multis ægrorum hiſtoriis, *tertio & ſexto Epidemiorum*. Aliàs verò recidiua ſumitur magis propriè pro repetitione morbi alicuius, qui iam ex declinatione vniuerſali, per aliquod tempus & ſenſibilem moram intermittens, & quaſi poſtliminiò rediens conualescentem hominem inuadit, ſiue illud pendeat à cauſa interna, ſiue externa: ſiue ſit eiuſdem ſpeciei cum ſuperiore, ſiue diuerſam habeat naturam à ſuâ radice ac principali morbo. Iſtarum etiam recidiuarum exempla habentur ſæpiùs apud Hippocratem.

At vera & propriè ſumpta recidiua, tres debet habere conditiones, vt annotant authores noſtri.

Prima eſt, vt morbus aliquis principalis, (radicem vocant barbari) præceſſerit, & ceſſarit cum declinatione vniuerſali poſt factas conuenientes vacuationes: quo modo excluduntur omnes illæ recidiuæ ægrorum, qui in augmento aut ſtatu morbi dicuntur apud Hippocratem *tertio Epidem.* ὑποτροφὰς paſſi, ſine vlla criſi apparente. Excluduntur etiam paroxyſmi tertianæ, quartanæ, & aliarum febrium intermittentium; quia non habent declinationem vniuerſalem, ſed tantùm periodicam, ob quam vnus morbus, non plures eſſe cenſentur. Idem dicas de epilepſiæ inuaſionibus, & ſimilibus.

Secunda proprietas veræ recidiuæ eſt, vt habeat denominationem ſpecificam, hoc eſt, ſimilem naturam cum morbo radicali: Quâ conditione excluduntur noui illi morbi ſiue conſequentes, qui oriuntur poſt alterius ceſſationem, quaſi per μεταβολὴν, tranſmutationem, aut μετάστασιν, tranſpoſitionem. Vt quando ex continuâ febre oritur intermittens, vel tertianæ febri per exuſtionem ſuccedit quartana, aut certè ſcirrho hepatis, hydrops: vel anginæ empyema: febri diuturnæ, abſceſſus in crure, & ſimiles.

Tertia denique proprietas veræ recidiuæ eſt, vt morbus ille παλιμβολῶδες, vt loquitur Hippocrates *ſexto Epidem.* pendeat à reliquiis præcedentis morbi, cuius ſatis magna quantitas, cauſæ potiſſimùm antecedentis relicta eſt ad repullulandum: vel certè talis intemperies in foco & minerâ putredinis, vt facile ſit nouam denuò cacochymiam ὁμοιογενῆ conſimilem aceruare. Et ſic excluduntur omnes illi morbi, qui conualeſcentibus ſuperueniunt ob cauſas primitiuas tantùm, vt loquuntur, verbi gratia malum vitæ regimen, iram, mœrorem, alimentorum & aliarum rerum non naturalium, aut illis annexarum prauam conſtitutionem, ex quibus poteſt quidem fieri παλινδρομὴ ad morbum, ſed non vera ὑποτροφὴ ex ſuperiore morbo pendens.

Vnde Hippocrates *Aphoriſm.* 12. *ſect.* 2. veras principalis recidiuæ cauſas aſſignans: *Quæ relinquuntur*, inquit, *in morbis, recidiuas facere ſolent*, etiam poſt criſim imperfectam, vt interpretatur Galenus: Illud autem quod relinquitur, duplex eſt, vt iam diximus; vel materiæ antecedentis portio, quæ paucis pòſt diebus putreſcens & exagitata, renouat morbo priori ſimilem. Vel eſt intemperies ſiue impreſſio qualitatis in aliquo viſcere, aut foco putredinis relicta, ex quâ breui ſuſcitatur conſimilis priori materia, ex alimento quantumuis laudabili, ſi eo liberalius, vt fit, conualeſcens æger fuerit vſus: Sin verò prauis cibis vtatur diutiùs, & morosè, incurrere quidem poterit recidiuam, ſed non ita purè pendentem à priore affectu: quia eiuſmodi excrementa fuerunt potiùs ſuſcitata ex vitio alimenti, quàm functionum naturalium errore. Idem dicas de reliquis cauſis.

Hinc recidiuarum ſigna prognoſtica, ab Hippocrate inculcata, & in actu prophylactico valde obſeruanda exurgunt, nempe ab eis quæ præcedunt & ſubſequuntur. Prægreſſa ſunt præcipuè ea quæ contigerunt in priore morbo, vtpote ſi ſine vacuatione ſenſibili ceſſauerit, aut ſi vacuatio illa non fuerit qualis & quanta eſſe debuit, vel die infelici & minimè iudicatorio contigerit. Hippocrates enim ratione ſolutionis morborum, quæ contigit ſine criſi, aut alia cauſa ſufficiente, monet *Aphor.* 27. *ſect.* 2. eis quæ παρὰ λόγον, præter rationem & iuſtam cauſam meliùs ſe habent, non eſſe fidendum, quia ſunt ἀβέβαια, non ſueuerunt durare in eo ſtatu, ſed repetitionibus eſſe obnoxia. Ratione verò qualitatis eorum quæ excernuntur, *Aphoriſm.* 2. *ſect.* 1. & aliis. *In vacuationibus ſpontaneis, ſi talia vacuentur, qualia oportet, confert & leuiter ferunt: ſin minus, contrà.* Vnde criſes etiam appellat ὑποτροφὰς,

quæ

quæ contingunt ſine manifeſtis coctionis notis. Ratione verò quantitatis, illud eſt axioma Hippocraticum; Nihil paucum eſſe poſſe criticum. Ratione temporis ſiue dierum in quibus fiunt, eſt *Aphoriſmus trigeſimuſſextus ſectionis quartæ*, de ſudoribus, 61. *ſectionis quartæ. Febricitanti*, ait, *niſi diebus imparibus febris ceſſauerit, ſolet recidiuam facere.* Tum *in Coacis & Prognoſticis* paſſim, quod ipſa confirmat experientia.

Ex his etiam quæ conſequuntur ſigna futuræ vel imminentis recidiuæ exurgunt, vt actionibus læſis, excrementorum prauitat, & affectibus ſeu qualitate corporis mutata. Quando enim poſt morbum remanet verbi gratia oris ſiccitas & inſuauitas, cibi faſtidium, ſitis nimia, grauitas totius corporis, & ſimilia, cum vrinâ confuſâ, vel omnino tenui, deiectionibus variis & grauiter olentibus, ſudore nocturno, colore fœdo, & reliquis, non eſt dubium quin ſuſpicio ſit maxima recidiuæ. *Aphoriſm.* 8. *ſectionis ſecundæ, & in Coacis. Quicunque*, inquit, *ex morbis conualeſcentes bene cibum accipiunt, & nihil proficiunt, hi malignè recidiuant.* Ad illud etiam ſpectat 41. *ſectionis quartæ. Sudor multus*, in conualeſcentibus ſcilicet, *à ſomno ſine cauſa manifeſta factus, corpus copioſiore vti cibo ſignificat; ſi verò cibum non capienti illud contingat, vacuatione indigere.*

Ex præmiſſis igitur facile erit reſpondere ad quæſita illa practicantium: Vtrùm ſcilicet recidiua ſit deterior ſuâ radice: Vtrùm ſit vnicus morbus cum priore: & vtrùm eandem habere computationem dierum criticorum cum illo debeat. Deteriorem enim eſſe ſuâ radice recidiuam ſæpe contingit, ex conditione tam humoris quàm ægrotantis. Humoris quidem relicti, ob inſignem quandam putredinem, aut latitantem malitiam, quæ potuit renouare iam quodammodo deletam intemperiem: Ægrotantis verò ob fractas præcedenti morbo vires, & imminutum calorem natiuum.

Eſt enim illud bene apud Hippocratem dictum, *libro de affectibus* 197. *In morbis cùm alter alteri ſuccedit, plerumque occidit.* Cùm enim corpori à præcedente morbo debilitato, alius morbus acceſſerit, perit defectu virium, priuſquam poſterior morbus deſinat. Aliquando tamen contingit leuiorem eſſe recidiuam priore morbo, quando exiguæ ſunt reliquiæ præcedentis morbi, aut leuior intemperies, quæ vacuantibus aut alterantibus præſidiis facilè corrigitur, ſi æger vires in illo interuallo collegerit.

Eſt etiam vnus aliquando prior morbus cum recidiuâ, ſi cauſam & eſſentiam ſpectes, quando ſcilicet ab eodem humore ſuſcitatur; vel fuit falſa tantùm, non vera prioris morbi ceſſatio. Vbi verò fit noua materiæ collectio, ídque poſt ſenſibilem moram, à priore morbo perfectè curato, tunc nouus morbus à prio recenſendus, quíque peculiarem habet ſuam criticorum dierum computationem quia habet motum ſuum, à priore omnino diſtinctum.

Notandus verò eſt Aphoriſmus ille apud Hippocratem *In Coacis* 426. *& Duret.* 78. *Quibus ſæpe recidiua contigit, ſi tempus ſemeſtre tranſierint, hoc modo, in tabem coxendicu tandem incidunt*: quia fluxio rebellis & indomita in acetabulum illud iſchij profundum & inſigne tandem penetrare ſolet, & illos miris modis excruciare.

Denique quicunque morbus alteri ſuccedit vel ſuperuenit, peſſimus eſt cenſendus, & aliquando funeſtus, niſi prioris cauſam ex diametro oppugnet, vel ſymptomata leniat. Vnde hydrops, 2. *Prognoſtic.* qui acutæ febri ſuperuenit, calamitoſus omnino, quia nec febrem ſedat, neque ſitim tollit, ſed nouis doloribus ægrotantem excruciat. Sic *Aphoriſmo vigeſimoſexto ſectionis ſecundæ* febrem conuulſioni ſuperuenire melius eſt, quàm febri conuulſionem; tetanum enim, ebrietatem, ἀφωνίαν, catarrhos pituitoſos, paralyſin, & ſimiles affectus ſanare ſolet, *Aphoriſm.* 5. *ſectionis quintæ.* Paralyſis autem ſuperueniens apoplexiæ ideo bona, quia ſignificat materiam opprimentem cerebrum, deriuari in neruoſum genus, vbi minus vitæ periculum inferre poteſt. Atque hæc de recidiuâ & morbo ſuperueniente ſufficiant.

ΠΡΟΓΝΩΣΙΣ EX SPVTO, SALIVA, SPVMA ORIS, MVCO NARIVM, LACHRYMIS, AVRIVM SORDIBVS, EXCRETIONE LACTIS, SEMINIS, ET SIMILIVM. Quamuis iſta excrementa videantur reſpicere magis particulares morbos quàm generalem προγνῶσιν nobis hîc propoſitam: quia tamen Hippocrates ab iſtis aliquando deducit cognitionem vniuerſalis ſtatus in morbis, ideò illa etiam paucis percurremus, quatenus faciunt ad præſens inſtitutum.

Sputum igitur & ſaliua, quæ in eo differunt, quòd ſaliua propriè ſit ſeroſa materia, quæ per os ſine tuſſi effunditur: ſputum verò quod cum tuſſi & excreatione, aliquando ſincerum, ſæpiùs variis humoribus commixtum, faciunt in morbis non ſolùm thoracis, ventriculi, aut oris, ſed etiam febribus & quibuſcunque aliis, ad ſalutis & mortis variarúmque mutationum prænotionem. Sic apud Hippocratem *in Prorrhet.* 408. *& in Coacis* 430. πτυαλισμὸς, & ζιαλισμὸς, ſiue ſputatio frequens & præter morem, ſi aliud ſignum etiam acceſſerit, proximam phrenitidem & mentis errorem ſignificat: in longis verò morbis & ſine febre, cruditatum copiam, & partium ἀτονίαν, quæ nihil boni portendit (vt in D. Dortomano Profeſſore Regio.)

Aphoriſmo autem 47. *ſectionis quartæ*; *Excreationes in febribus non intermittentibus liuidæ, cruentæ, bilioſæ, aut fœtidæ, omnes malæ*: quia oſtendunt magnum corporis incendium, & communicatam partibus thoracis labem. Reliqua ad peculiarem ſputi in affectibus thoracicis conſiderationem, repetenda ſunt ex 2. *prognoſt. text.* 43. *& ſeq. & ex Coacis.* 434. *b.*

Spuma autem in ore apparens, fit vel à vehementi calore excitante multos vapores & permiſcente cum ſaliuâ, vt videre eſt in eis quæ igni appoſita feruent, & bulliendo ſpumam eructant: vel motu violento, qui eodem modo flatus cum aquosâ ſubſtantiâ commiſcet, vt patet in mari ventis agitato. Qui igitur ex vehementi irâ, aut curſu, & exercitatione violentâ incandeſcunt, ij poſſunt habere ſpumam in ore ſine periculo, quia fit à causâ procatarcticâ: In febricitantibus non item, quia denotat æſtum interiorem, & agitationem humorum maximam. Sic etiam epileptici circa finem acceſſionis ſpumam eructant ex ore, quæ fit à motu illo violento & agitatione conuulſoriâ, quæ attenuat materiam illam pituitoſam in cerebro contentam, & vaporibus permiſcendo ſpumam iſtam excitat. At verò in apoplecticis, ſuffocatis, ſuſpenſis, animo deficientibus, ſemper malis ægri rebus ſolet ſpuma in ore apparere, quia fit ab extremo naturæ conatu excludente fuligines in pulmonibus contentas, & permiſcente cum ſaliuâ: Vnde *Aphoriſmus ille* 43. *ſect.* 2. *Qui ſuffocantur & animo linquuntur, nondum tamen extincti ſunt, nunquam euadunt, ſi illis ſpuma circa os apparuerit.*

De muco narium, quem Hippocrates βλέννα & μύξα appellare ſolet, hoc tantùm habemus dicendum, quod eiuſmodi mucoſa materia acris, & ſeroſa diutiùs & præter morem fluens, non ſolùm vlcera narium, & malos affectus generare poteſt, ſed etiam ſi ſubitò ſiſtatur, & retro commeet ad interiora, periculoſos cerebri morbos inferre, aut ad pulmones prolabens, phthiſin tandem inducere poſſe, quod non rarò obſeruauimus. Hippocrates *Aphoriſmo ſecundo ſectionis ſextæ*; *Quibus*, inquit, *nares naturâ humidiores, & genitura humidior, illi minùs proſpera ſanitate fruuntur.* Idem habetur 6. *Epid.* 359. *b.* vbi addit, *Plurimis autem quibus ex morbo id contingit, vice versâ, id eſt melius ſe habent, quia vacuatur cauſa morbifica, quæ in cerebro latitabat.*

De lachrymis etiam ſæpiùs diximus, inuoluntarias in morbis acutis inſaniam præſagire, vel ſummam partis principis, nempe cerebri imbecillitatem. Vnde *Aphoriſmo quinquageſimo ſecundo ſectionis quartæ*, omnino iſtæ lachrymæ damnantur: Lemæ verò & craſſiores ſordes oculis adhærentes, vel quæ arenularum inſtar, oculum interiùs infeſtant, mali morbi & vehementis ſignum ſunt, præcipuè ſi phrenitis aut lethargus cerebrum occupent.

Aurium porrò ſordes, quæ naturâ ſuâ flauæ & amaræ exiſtunt, dulceſcere aut colorem mutare, peſſimum apud Hippocratem *ſexto Epidemion*, *folio* 358. *b.* Exiſtimat enim Galenus *in commentario*, illud accidere per colliquationem cerebri in febre acutâ, vel certè quia extincto iam calore natiuo, profluunt aquoſæ humiditates, quæ ſordibus iſtis permixtæ, illarum ſaporem & colorem immutant.

Cerumina verò & aurium humiditates, velut pueris familiares recenſuit Hippocrates *Aphoriſmo vigeſimoquarto ſectionis tertiæ*; quia in illâ ætate cerebrum humidiſſimum & excrementis ſcatens, ſalutariter ſeſe per omnes iſtos ductus expurgat. Quas aurium fluxiones nos etiam periodicè in quibuſdam adultis, cum magno aurium fœtore ſæpiùs fieri vidimus. Mirum magis eſt illud, quod recenſet Hippocrates *quarto Epidem.* Iuuenem quendam continuâ febre laborantem, iudicatum fuiſſe & ſanatum fluentibus magnâ copiâ ex auribus,

craſſis

Digitized by Google

craſſis & viſcidis ſordibus, quem caro aut lethargo detentum fuiſſe credibile eſt.

Denique in grauidis, puerperis, & lactantibus, febre continuâ laborantibus, lactis profuſio è mammis, alieno colore aut ſapore infecti, denotat magnam in corpore cacochymiam, & eius ſpeciem: tum etiam vitia concoctricis & retentricis, ſi tenuius & ſeroſius ſuâ ſponte efflux erit.

Quòd ſi ſubitò exſiccetur aut euaneſcat, magnum oſtendit ex febre incendium, ac depauperationem materiæ alibilis, quæ definit ad mammas deinceps transferri. Atque ex hiſce omnibus periculum. Quemadmodum ſi refluat ſubitò lac ad interiora, magnam etiam putrilaginem aut ſuffocationis metum inducere ſolet.

Quòd ad ſeminis verò effuſionem in adultis, exiſtimat Amatus Luſitanus, vir in praxi Medicâ exercitatiſſimus, eiuſmodi materiæ excretionem, & mentulæ tentiginem in febribus, eſſe certiſſimum conualeſcentiæ ſignum, & roboris naturæ validi. Quo tamen abutentes ſæpiſſimè iuniores, & libidini addicti, dum coitu in ipſis morbis, aut conualeſcentiæ principio vtuntur, in magna pericula & recidiuas exitiales præcipitari ſolent, non ſine Medicorum calumniâ, niſi errores iſti detegantur, quod in magnatibus potiſſimum contingit. Atque hæc de *πρόγνωσιν* ex tertio ſeu vltimo ſymptomatum genere quod eſt ab excretis.

ΠΡΟΓΝΩΣΤΙΚΗΣ MEDICÆ PARS II.

PROGNOSIS EX NATVRA ET VIRIBVS ÆGROTANTIS. Tota ratio prædicendi, vt dicebamus, poſita eſt in comparatione ægritudinis, & naturæ ſiue virium ægrotantis, inuicem de victoriâ pugnantium. Non igitur cognoſcenda tantum morbi ſpecies, mos, motus, & magnitudo, vt prognoſin ſtabiliamus; ſed etiam exploranda conſtitutio ægrotantis & ipſius partis affectæ, vt docet Hippocrates pluribus in locis. Certum eſt igitur, naturam apud Medicos præcipuè intelligi de temperamento tam innato quam aduentitio, caloríſque inſiti & influentis conſtitutione. Quamuis enim ad naturam corporis noſtri ſtabiliendam, non ſolum temperies, ſed etiam iuſta conformatio & vnitas requirantur: quia tamen præcipua agendi vis penes temperiem poſita eſt, vnde illud Hippocratis, *natura morborum medicatrix*; Ideo illius rationem in prædicendo præcipuè habere debet Medicus. Natura autem iſta ſeu temperies, quatenus eſt innata, complectitur propriam vniuſcuiuſque *ἰδιοσυγκρασίαν*, ſecundum varietatem temperamentorum indiuidualium, ſexus differentiam, & diſpoſitiones à parentibus contractas, ad certos affectus, qui hæreditarij appellantur: quatenus vero eſt aduentitia, reſpicit ætatum ſibi inuicem ſuccedentium differentiam & conſuetudinis rationem. Vnde inſignis ille Aphoriſmus trigeſimuſquartus ſectionis ſecundæ: *In morbis minus periclitantur, quorum natura, ætati, & conſuetudini atque aëris tempeſtati morbus magis congruit; quam quibus nullo modo congruit.* Quod tamen videtur falſum in multis; nam morbi verbi gratia frigidi in naturis bilioſis, videntur faciliores curatu, quam calidi, quia oppugnantur ab ipſo temperamento contrario: & catarrhi in valde ſenibus, ex Hippocrate, non concoquuntur, ob defectum caloris natiui; & quibus natura eſt propenſa ad phthiſin, illi magis ex tabe pereunt, quam reliqui: imo quibus eſt hæreditaria diſpoſitio ad aliquem affectum contrahendum, vt elephantiaſin, arthritidem & ſimiles, ſi ſemel eis corripiantur, vix euadere poſſunt, & qui ſæpius aliquo morbo conflictantur, vt plurimùm ab eo perire ſolent. Hippocrates igitur eo Aphoriſmo reſpexit potius cauſæ vehementiam, quæ morbum non proportionalem potuit excitare in diſſimili penitus temperamento, ætate, tempore, & conſuetudine, à qua periculum eſt, ne

tized by Google

omnino ſuperetur natura, & calor inſitus, qui eius generationem impedire non potuit. Cæteris itaque paribus videtur periculoſior ſimili aut proportionali morbo. Vnde illud iactatum apud veteres Practicos: Lapſus in contrarium per viam cauſæ, eſt peior; per viam autem ſigni, minor. Ratione igitur proprij temperamenti timet Galenus in calidis & ſiccis naturis, ne ægri febre continuâ vel etiam intermittente correpti in maraſmum præcipitentur: Vnde *libro octauo methodi* concedit eiuſmodi ægris victum ex liquidis, & forbilibus, in ipsâ acceſſione febrili, ne in hecticam incidant. Item in corporibus naturâ cacochymis, omnes morbi quamuis ſuâ ſpecie leues, magnam habent curandi difficultatem, contra vero in euchymis hominibus, facile & quaſi ſua ſponte curantur.

Ratione autem ætatis Aphoriſmo trigeſimonono ſectionis ſecundæ: *Seniores*, inquit, *magnâ ex parte minus ægrotant quam iuuenes: quicunque tamen illis accidunt morbi diuturni, vt plurimum cum ipſis commoriuntur.* Vnde *renum & veſicæ vitia in ſenibus vix curationem admittunt.* Quod Galenus interpretatur poſt quinquageſimum ætatis annum. Ratione conſuetudinis *libro de victus ratione in acut. 2. Maximæ mutationes*, inquit, *eorum quæ circa naturas noſtras contingunt, plerumque morbos faciunt, eóſque periculoſos*: Vnde *Aphoriſm. 50. ſectionis ſecundæ*, non vult fieri mutationem in ipſis morbis ad inſueta, niſi paulatim. Ratione ſexus Hippocrates *primo Epidemion* vult mulieres in conſtitutione peſtilenti & populari dyſenteriâ minus ægrotaſſe quam viros, & pauciores mortuas, quia per menſium fluxum à febribus frequentiſſimè ſine recidiuâ liberantur, vel etiam erumpente è naribus copioſo ſanguine.

Ad naturam ægrotantis etiam referri poſſunt animi mores, ægri temperantia, vel intemperantia, ſiue ex naturali conſtitutione, ſeu malâ conſuetudine contracta. Certum enim eſt moroſas, & feroces naturas multò magis periclitari in morbis, quam placidas & dociles, tum ob contemptum remediorum, & debiti regiminis, tum etiam ob variam commotionem humorum, quæ facilè ſequitur violentas animi & imaginationis mutationes. Quod Hippocrates indicauit *primo illo Aphoriſmo. Non ſolum*, inquit, *oportet Medicum ea præſtare quæ oportet, ſed etiam ipſum ægrum & aſſiſtentes & exteriora.* Sed quoniam in quacunque natura & temperamento, ſexu, ætate, vel conſuetudine, ſuus eſt & peculiaris virium ſtatus, ſine cuius notitiâ vix quicquam certi prædicere vel agere poſſumus in commodum ægrotantium, ideo Galenus vult non tantùm conſiderandas eſſe præſentes, ſed etiam futuras, id eſt quæ poſſint ſufficere ad integram vſque morbi expugnationem: vires enim robuſtæ quodcunque morbi genus quantumuis validum contemnunt, deiectæ etiam leuiſſimum exhorreſcunt. Vnde recidiua & quiuis morbus alteri ſuccedens, vt ſupra dicebamus, habetur funeſtior, quia ægrotantem priore conflictu eneruatum de nouo aggreditur: vires autem æſtimantur ex validâ functionum corporis noſtri naturalium, vitalium, & animalium conſtitutione: deinde humorum proportione ac *συμμετρία* corporis, ſolido potius quam laxo habitu, humidíque primigenij pinguis, & viſcidi copia, per omnes partes conuenienter ſparſa. Vbi ab hoc ſtatu receſſerint plus minus, robuſtiores etiam aut infirmiores cenſentur.

Quoties igitur à naturali ſtatu deficiunt vires, dicuntur languidæ vel oppreſſæ, quod à variis cauſis contingit. Languidæ ſunt illæ, quæ ſequuntur vim cauſarum immutantium calorem noſtrum natiuum, vel eumdem diſſoluentium. Immutant autem ea, quæ ſua contrarietate agunt, vt vehemens frigus externum, aër corruptus aut contagioſus, alimenta & medicamenta frigidiora, vel malignâ qualitate prædita, humores crudi & ſeroſi vitio ætatis aut aliarum rerum collecti. Diſſoluunt verò calidi & humidi natiui ſubſtantiam ſenſibiliter, quæcunque vacuationes immodicæ, potiſſimum autem humoris laudabilis, vt ſanguinis, lactis, chyli, & ſeminis, propter quam vix audemus in eis, qui nuper vxores duxerunt, vel alio modo venerem intemperanter exercuerunt, celebrare magna illa remedia venæ ſectionem & purgationem, imo morbos in illis tunc exorientes valde pertimeſcimus. Alia inſenſibiliter diſſipant ſpiritus & humores, viréſque reſoluunt, vt aër feruidior, exercitationes immoderatæ, dolorum atrocitas, inedia, vigiliæ, animi paſſiones, aut cogitationes intenſæ, & ſic de reliquis. Oppreſſæ autem vires redduntur velut ex onere nimio, quotieſcunque multitudo humorum etiam laudabilium valde excedit, vt in habitu athletico, pinguibus & craſſis præ-

ter

ter naturam, vel quando plethora cacochymica tum quantitate, tum qualitate aduerſa opprimit & eneruat vim caloris natiui, ad quam ſequuntur laſſitudines illæ quas Hippocrates ſpontaneas vocat. Quocunque igitur modo vires laborent, certum eſt magnum ægrotanti imminere periculum. Magis tamen ſperabilis ſalus, quando ex multitudine afficiuntur, quam ſi ab exhauſtu, quoniam facilius eſt deplere humores ſuperfluos, quam reſtaurare deperditionem iam factam triplicis ſubſtantiæ, ſi immodica fuerit. Horrendus imprimis ille virium lapſus, qui vitalis functionis noxas conſequitur cum conſenſu animalis aut naturalis: vnde lipothymiæ, ſyncopæ, cardialgiæ, & impotentia motricis facultatis tantopere apud Hippocratem ſuſpectæ habentur: *Aphoriſmo* enim 41. *ſect.* 2. *ſæpius citato, quicumque frequenter animo linquuntur, illi derepente moriuntur.* Atque hæc de prognoſi ex viribus.

PROGNOSIS EX VARIA PARTIS AFFECTÆ CONSTITVTIONE. Quemadmodum totum corpus eſt ſubiectum denominationis morborum (dicitur enim Callias aut Socrates ægrotare, quomodocunque vna vel plures illius partes ſint affectæ præter naturam) ſic ipſa pars eſt verum ſubiectum inhæſionis, ſiue ſedes propria ipſius affectus: vnde tot exurgunt differentiæ ratione partis affectæ, non ſolum in curando, ſed etiam in prædicendo. Dicebamus enim prius morbum magnum cenſeri, non ſolum propter eſſentiam illius propriam, & ſymptomatum vehementiam, ſed etiam partis affectæ dignitatem, ſiue illa ſit nobilis & princeps, ſiue ad vitæ vſus neceſſaria, ſeu exquiſitioris ſenſus, propter quem dolores exiſtunt acutiores, & fluxionum impetu facile irritantur, vt patet de tendinibus, neruis & ſimilibus.

In parte igitur ſolemus conſiderare ipſam ſubſtantiam, ſimplicem ſi ſit ſimilaris, carnoſam, ſpermaticam, membranoſam, parenchymoſam, medulloſam, & ſic de reliquis: compoſitam verò ſi ſit diſſimilaris, & ex quibus particulis ſit conflata, & quæ in eâ præpolleat: deinde temperamentum, facultatem inſitam & influentem, vſum, ſitum, & connexum. Ex horum itaque omnium vel ſingulorum conſideratione, ſolemus prædictiones inſtituere de periculo, aut ſecuritate ægritudinis, de facilitate aut difficultate curandi. Verbi gratia apud Galenum organica pars, ſi tota & ſemel fuerit abſciſſa, eſt irreparabilis, præcipuè ſi ſit ex perfectioribus: aliquando enim vidit Galenus arteriarum aut venularum portiones regeneratas in magnis vulneribus per apocopen factis, & regignuntur facile; ſpermaticæ minus, quia maiorem requirunt elaborationem, neque per primum ſcopum, niſi in valde puerulis; ſed ſecundum, vt vocant, nempe calloſam quamdam ſubſtantiam, vel porum ſarcoidem dictum vniuntur. Hippocrates *Aphoriſm.* 18. *ſect.* 6. vulneratâ veſicâ, cerebro, corde, diaphragmate, hepate, ventriculo, aut aliquo ex gracilioribus inteſtinis, vult mortem neceſſario ſuccedere: *Quando autem os inciſum fuerit Aphoriſm.* 19. *eiuſdem ſectionis, aut cartilago, aut nervus, aut bucca tenuior particula, aut præputium, aut tenue inteſtinum: Vigeſimoquarto eiuſdem ſectionis, neque incrementum, neque coalitum fieri. In cerebro concuſſo, aut vulnerato obmuteſcentiam,* 59. *ſectionis ſeptimæ, delirium: vigeſimoquarto ſectionis eiuſdem, febrem & bilis vomitum, quinquageſimo ſectionis ſextæ,* prædicit Hippocrates: *in illius aut in ſphaceliſmo, mortem intra triduum, quos ſi euaſerint, aliquando ſani fiunt, ſexageſimoprimo ſectionis ſeptimæ; ſi in oſſe ægrotante caro livida, malum, ſecundo ſectionis ſeptimæ;* quia denotat magnam eius corruptionem & cariem, quæ vicinis partibus communicatur, vnde perdurantibus vlceribus iſtis abſcedunt tandem oſſa, & putrefactam illam portionem deponunt: vnde poſt curationem cicatrices cauas fieri neceſſe eſt *quadrageſimoquinto ſectionis ſextæ.* Inſignis eſt ille contextus *in Coacis, Fiſtula,* inquit, *difficillima ſunt, quæ in cartilaginoſis & excarnibus locis contingunt, ſuntque admodum cauæ & multâ ſanie redundantes, vt etiam ſi caruncula in fiſtulæ oſculo appareat, ex putri ſcilicet & fungoſâ carne: curatu autem faciliores, quæ in mollibus & carnoſis exiſtunt. Quis etiam neſcit vlcera in pulmonibus quæ phthiſin inferre ſolent, non eſſe curabilia, propter cordis viciniam ſuſcipientis putrefactos vapores, & tandem hecticam febrem concipientis, motum eorum perpetuum, & reſpirandi neceſſitatem?* In veſicâ vero propter continuum ſeroſi humoris affluxum, quo impeditur eorum exſiccatio. Ex inguinum autem tumoribus febres omnes eſſe malas præter diarias voluit Hippocrat. *Aphor.* 55. *ſect* 4. quia eiuſmodi bubones in emunctoriis ſolent ſequi magnas partium nobilium, inflammationes & corruptelas, vt patet in ſtatu peſtilenti, quo illi maximè graſſari

ſolent. Vulnera punctim inflicta tendinibus aut neruis, propter doloris vehementiam, & conuulſionis metum, ob peſſimam ſaniem quæ ibi gignitur, vult per tranſuerſum abſcindi Galenus, quamuis mutilationis metus inde ſubſequatur, ne propter exquiſitum iſtum ſenſum, & *συνεργίαν* quam habent cum cerebro, præſentaneum inferant vitæ periculum: quo etiam nomine affectus orificij ventriculi, tantam inferre ſolent moleſtiam & perniciem, vt videre eſt in cardiogmo. Denique nulla eſt pars corporis noſtri, quæ ratione eorum quæ iam à nobis propoſita ſunt, vbi affectibus præter naturam detinetur, non ſuppediter Medico aliquod prædicendi argumentum, vt ex propoſitis exemplis patet.

PROGNOSIS AB EXTERNIS CONCVRRENTIBVS. Primus ille Aphoriſmorum Hippocratis ſæpe à nobis commemoratus, non ſolum vult Medicum præſtare ea, quæ ſunt neceſſaria ad curandum, ſed etiam ipſum ægrum, & adſtantes, & externa: quibus ſapientiſſimus ille vir ſignificare voluit, multa eſſe extrinſecus accidentia, non ſolum ad ſanationem morborum, ſed etiam prædictionem confirmandam vel euertendam concurrentia, vel per ſe, vel per accidens, quæ nobis nunc conſideranda veniunt. Extrinſeca autem iſta ſunt vel neceſſaria, vt vocant; quibus vita noſtra omnino carere nequit, nempe res non naturales dictæ cum ſuis annexis; vel non neceſſaria ſiue fortuita pro diuerſis occaſionibus & circumſtantiis, quibus contingit immutari ſtatum tam ſanorum quam ægrotantium.

Ratione itaque cæli & ſyderum, quæ inter agentia externa connumerantur, certum eſt Aſtrologos multas prædictiones non ſolum in morbis futuris & factis, ſed etiam in aliis quibuſcunque rebus inſtituere. Sic Regiomontanus dicitur luis venereæ exortum prædixiſſe ex certis conſtellationibus. Apud Guidonem peſtilentia anni 1345. fuit præuiſa ex congreſſu quorundam planetarum: quæ tamen non pertinent propriè ad iſtam prognoſin medicam. Quamuis enim Hippocrates ratione ortus & occaſus quorumdam ſyderum, vt Caniculæ, Pleiadum, Orionis, & ſimilium; vel ingreſſu; Solis in puncta illa Solſtitiorum & Æquinoctiorum, multas mutationes contingere in corporibus noſtris voluerit: illud tamen venatur potius ſub viâ ſigni, vt loquuntur, quam ſub viâ cauſæ, prout tunc fiunt inſignes & ſenſibiles in his ſublunaribus mutationes. Certè Galenus multum adſcribit virium Lunæ motibus & influentiis, quibus acceptam refert dierum criticorum rationem, ſecundum varias eius quadras & configurationes. Vulgus experient â edoctum, Lunæ defectus exhorreſcit in ægrotantibus iam debilitatis, incrementa autem illius laudat. Et in peſtilenti ſtatu circa plenilunia & nouilunia magnos in humoribus motus, multorumque ægrotantium interitus contingere obſeruatum eſt. Quod ad vulgares verò anni & dierum tempeſtates; Hippocrates *tertio prognoſtic. Oportet*, inquit, *motus morborum graſſantium diligenter obſeruare, & temporum anni conſtitutionem, ad recte prædicendum*: vnde illud Θεῖον ἦν etiam manaſſe videtur. Multa verò tradidit de hac re *ſectione tertia Aphoriſm.* quorum iſti ad prognoſin noſtram præcipuè faciunt, videlicet ſeptimus, *Qualis fuerit totius anni conſtitutio, tales vt plurimum morbi*: decimus quintus. *Ex anni conſtitutionibus, in vniuerſum ſiccitates imbribus aſſiduis ſalubriores, & minus morbifera*: Vnde octauus, *In ſtatis temporibus cum tempeſtiua fiunt tempeſtiuè, morbi ſtabiles, & boni iudicij contingunt; in inſtabilibus verò inſtabiles & mali iudicij.* Comparatione verò facta inter anni tempeſtates decimus eiuſdem ſectionis pronunciauit autumnum exitioſiſſimum, ver autem minime mortiferum. Et quemadmodum non dixit autumnum inferre exitium tabidis, ſic *libro ſecundo prorrhet* vult autumnum nono ſolum phthiſicis, ſed omnibus diuturno morbo detentis eſſe calamitoſum. *Lib. autem 3 epid.* æſtiuos morbos ſuccedente hyeme ſolui vt plurimum, hyemales autem circa æſtatem tranſmutari.

Quod ad peculiarem verò dierum conſtitutionem, eleganter pronunciauit 4. *eiuſdem ſectionis. Quando eadem die modò calor, modò frigus viget, autumnales morbos & inconſtantis iudicij expectare oportet.* Notum etiam eſt ex eiuſdem quinto & decimo ſeptimo, quanta ſit vis ventorum ex variis orbis partibus flantium, in immutandâ morborum prognoſi. In hac certè Narbonenſi Galliâ maritimis flatibus valde expoſitâ, quotidie obſeruamus auſtro diutius vigente, decumbentes peſſimè ſe habere, qui aquilonari aurâ ſuccedente ſtatim recreantur. An non etiam ratione regionum, & particularium locorum, in quibus degunt ægrotantes, conſulit

by Google

ſulit Hippocrates *6. epidem.* in morbis chronicis mutationem ſoli, dummodo ſit in natalem locum, vel alium qui contrariam illi in quo morbus fuit contractus, conſtitutionem obtineat. Galenus phthiſicos Romæ degentes mittebat Tabias propè Neapolin. Multos certè vidimus, qui aliâ ratione conualeſcere numquam potuerunt (quod in faciendâ prognoſi debet diligenter annotare Medicus) quam vbi locum aëremque mutarunt.

Quemadmodum igitur ex aëris conſtitutione, ſic etiam ex victu licet prognoſin medicam inſtituere: nam is peſſimè ægrotat, qui morbum contraxit ob prauorum alimentorum diuturnum vſum, quemadmodum in annonæ caritate ſæpius obſeruare licet, morbos epidemicos & malignos vagari: Vnde illud Hippocratis *Poſt Famem Peſtis*; vel quando æger in ipſo morbo non vult à cibis cacochymis abſtinere, aut meliorum penuriâ cogitur quibuſuis ſuſtentari, vt contingit ſæpe inter nauigandum, aut in numeroſo exercitu. Copioſiore etiam alimento ægrotantem vti non eſt bonum, & morbum facit diuturniorem: *Corpora enim impura quo magis nutries, eo magis lades*, quia excrementorum maior fit prouentus.

Poſt alimenta poſſumus recenſere ipſa remedia tam aſſumpta quam admota; omiſſio enim magnorum remediorum in principio morbi ancipitis, magnum portendit periculum, in principiis enim morborum, ſi quid videtur mouendum, moue: Vnde ſi venæ ſectio in principio pleuritidis aut peripneumoniæ non fuerit celebrata, Galenus pro deplorato habet ægrotantem, niſi inſigni vitium robore præditus largâ ſuccedente hæmorrhagiâ liberetur. Sic turgente cacochymiâ, niſi citò purgatio præſcribatur, non eſt dubium quin ægri natura cauſis iſtis morbificis oppreſſa, maximè conflictetur. Quod ſi iſtis omnibus cæteriſque remediis frequenter vſurpatis nihil iuuetur æger, peſſimum eſt ſignum ex Hippocrate, & morbis peſtilentibus admodum familiare, in quorum curatione vix quicquam remedia prodeſſe ſolent. Quicunque etiam ægri incidunt in morbos ob vehementem iracundiam, mœrorem, aut ſimilia animi pathemata, grauiter ægrotant, & vix conualeſcunt, niſi prius illa ſedata fuerint.

Inter externa autem fortuita, potiſſimum locum obtinent miniſtrantes ægro famuli, mulierculæ, aut amici, qui Medicorum conſiliis repugnantes, vel ægrotantis libidini indulgentes, ea præſtant aut omittunt, quæ non ſunt ægro vtilia: multi enim ægrotantes ex eiuſmodi adſtantium culpâ perire ſolent: Reliqua verò externa quæ ægro moleſtias inferre ſolent, vt fulgura, terræ motus, ruina ædium, canum latratus, vicinorum ſtrepitus, mali nuncij repentinus aduentus, non eſt dubium, quin quo vehementiora ſunt, eo maiorem ægrotantibus perniciem, & humoribus perturbationem inferant, aliquando verò ſanationem ex accidenti, vnde contingit prognoſin medicam variè immutari. Flagrante in Galliâ bello ciuili, ſæpe obſeruauimus, peſte detentos aut aliquo grauiori morbo maximè occubuiſſe, quoties vel amici exitium, vel vrbis captæ rumor deferebatur, aut hoſtes magno cum terrore agros deuaſtarent, & ſic de reliquis. Quibus animaduerſis, debet oſtendere Medicus, prædictionem ſuam non errore Artis, ſed externorum iſtorum incurſu, & violentiâ fuiſſe immutatam, vt ſupra annotauimus. Æger quidam morti propinquus, vt videbatur, domus, in quâ decumbebat, incendio commotus, collectis ſarcinis exiuit, & breui ſanatus eſt, detruſis ſcilicet humoribus ab ea parte in quâ putreſcebant, in patentiorem aut minus nobilem partem. Phreniticus etiam fluminis incremento raptus cum propriis ædibus, nando euaſit, aquarumque iſtarum perfrigeratione, vt veriſimile eſt, curatus fuit. Sed hæc potius ad fortunam, quam ad Artem ſpectare videntur, quemadmodum & alia fortuita, de quibus iſta exempli loco adducta hic ſufficiant.

ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ PROGNOSEOS MEDICÆ. Hactenus ſumma genera, & veluti fontes aperuimus, ex quibus repetuntur ſigna vniuerſalia medicæ prognoſeos: Supereſt igitur, vt antequam huic operi extremam manum imponamus, paucis & veluti per epilogum colligamus ea, quæ Medicus prænotionem inſtituens in ſingulis morborum ſpeciebus ſibi proponere debet. Repetens igitur ea omnia quæ à nobis dicta fuerunt, & diligenter expendens, propoſito aliquo affectu iam per διάγνωσιν cognito, vt ad prognoſin accedat, conſiderabit primo, vtrum vnus vel plures affectus ægrotantem exerceant; deinde cuius ſpeciei ſit iſte affectus, vtrum intemperies, mala conformatio, vel vnitatis ſolutio: vtrum cauſas habeat humorales, à quibus pendeat, vel non; etenim ſi cauſas habeat ab humoribus

Digitized by Google

humoribus profectus, niſi illa materia quantitate ſuâ partem aliquam nobilem ſubito opprimat, vt in apoplexiâ; vel quaſi ſuffocet, vt in plethorâ vniuerſali, aut malignâ quadam ac deleteriâ qualitate perimat, vt in peſtilenti conſtitutione, & in aſſumptis vel admotis venenis, aut venenatis humoribus, quemadmodum fit in ſyncope, epilepſia per conſenſum, vterinâ ſuffocatione & ſimilibus; vel motu ſuo præpoſtero (ὀργάσμων vocat Hippocrates) in partes ſubito irrumpens ægrotantem è medio tollat, vt ſæpe contingit in acutis, & continuis febribus biliosis: certum eſt quod natura humorum iſtorum morbificorum alterationi, concoctioni, & ſecretioni intentè incumbat ſecundum naturalem functionem œconomiæ, vt tandem vacuet, vel confertim, & vno impetu extra corpus per vias ordinarias, vel paulatim & partitis vicibus, ſi vires ſint infirmiores, & humor ad excretionem minus ſit diſpoſitus, vel etiam aliquando per ſolam tranſpoſitionem, ſiue abſceſſum, vt vocant; facto decubitu humoris iſtius morbifici à foco & minerâ principali in alias partes, quæ excipiendo tunc erunt magis comparatæ. Fit etiam, ſed rarius, vt humores iſti aliquando per ſimplicem diaphoreſim & inſenſilem tranſpirationem abſumantur. Debet igitur Medicus in talibus affectibus ab humorum vitio pendentibus, contemplari ſtatim à principio cruditatum & coctionum notas in omnibus excrementis, quæ ſeſe dant in conſpectum, tam vniuerſalibus, vt vrina, & deiectionibus, quam particularibus, ſi appareant, vt muco, lachrymis, ſputo, purulentâ materiâ ex vlceribus erumpente, & ſimilibus, vt poſſit per eiuſmodi coctionum vel cruditatum notas, certis morbi diebus conſpicuas, præſagire, quæ & qualis, & quando futura ſit iſta ſolutio, vtrum ſcilicet per vrinæ aut alui fluxum, per vomitum, ſudorem, hæmorrhagiam, & metaſtaſim & ſimiles: vtrum fauſta vel infauſta, perfecta vel imperfecta: vtrum quarto, vel quinto, vel ſeptimo, vel vndecimo, vel decimo quarto die, vt ſolet in acutis, fieri debeat: vel aliis temporum ſpatiis, vt in eis morbis, qui maiorem habent diuturnitatem: Ex his enim omnibus coniicere datur: vtrum diuturna vel breuis futura ſit ægritudo, quia non poteſt niſi excluſis aut ſuperatis cauſis ſuis humoralibus terminari; vtrum ſimpliciter deſitura per aduentum ſanitatis perfectæ, vel in aliam ægritudinem tranſitura, vt ſæpe ſolet, vel etiam recidiuam paſſura ex eis quæ relinquuntur in præcedente morbo. Quod ſi interitus ægrotantis ſit ſuſpicio, ob naturæ infirmitatem, partis alicuius nobilis, aut ad vitam neceſſariæ magnam calamitatem, morbi ipſius & cauſarum violentiam, quæ eluceſcunt ex notis actionum naturalium, animalium, & potiſſimùm vitalium, nempe pulſus: Item ex qualitatibus mutatis, quæ in facie & aliis partibus apparent, vt fusè docuimus; tunc præuidendum etiam quo tempore & die ægritudinis periturus ſit ægèr, vtpote in augmento vel ſtatu, raro enim in principio intereunt, niſi ob cauſas iam à nobis dictas; rarius in declinatione vniuerſali, iam ſcilicet naturâ vincente morbum, niſi fortaſſis per reſolutionem, vt in valde ſenibus, quando natura diſſipatis ſpiritibus, & humore natiuo marceſcit. Præuidendum præterea, in exacerbationibus particularibus, quo acceſſionis tempore ſint morituri: nam credibile eſt eâ horâ periturum ægrum, quâ maior eſt ægritudinis exacerbatio, vt in vigore paroxyſini, vel quando natura eſt infirmior & proſtrata, vt circa declinationem particularem, niſi ſuccumbat ſtatim in principio pugnæ ſiue inuaſionis, vt ſolet contingere in valde debilitatis. Atque hæc in continuis febribus potiſſimum.

In intermittentibus verò numquam vult ex ſe periculum vitæ adeſſe Hippocrates in Aphoriſmis, ſed aliquando ex parte virium, vt docet Galenus, quæ non poſſunt ferre inſultum iſtum humoris quamuis periodicum: præſagimus tamen in iſtis intermittentibus longitudinem vel breuitatem ex propriâ ſpecie, naturâ cauſarum, motu, & ſymptomatum intenſione vel remiſſione; Item ſolutionis modum & tempus ab iiſdem ſignis cruditatum & coctionum.

In morbis autem intemperiei ſimplicis, qui non pendent ab humorum vitio aut corruptelâ, ſed ſolo qualitatis exceſſu, ſi quidem leues ſint, & in χύσει tantum poſiti, vt loquitur Galenus, certum eſt illos neque periculum inferre poſſe, neque diuturnitatem habere, vt patet de diariâ. Quod ſi grauiores facti ſint & ſuas radices egerint in partium ſolidarum ſubſtantiâ, vix vmquam ſoluuntur, & corpori tandem vel parti alicui ruinam afferunt integram. Vnde illud de hecticâ febre vulgò iactatur: primum gradum hecticæ facilè curari, difficulter cognoſci: alios verò gradus facilè cognoſci, difficulter curari & vt plurimum cum pernicie

Digitized by Google

cie ægrotantis terminari. Sic marcores & ſiccitates inſignes totius vel partis, frigiditas altius impreſſa, vel ex depauperatione caloris nativi contracta, vt fit in hydrope, atque etiam humiditas diutius in parte præcipuâ perſeuerans, quia longè ſuperant naturalem temperamenti gradum, vix reſtitui poſſunt naturæ viribus, aut remediorum vſu, quia non poſſunt illis eſſe adæquata. Licet igitur in eiuſmodi hectică, marasmo, & ſimilibus præſagire de diuturniori aut breuiori curatione, ſi quidem æger periturus ſit, quod vt plurimum contingit circa æquinoctia aut ſolſtitia; quando verò euaſurus, de ſolutionis modo & tempore, id in peculiari illorum tractatu accuratius explicatur.

Porro alia eſt febrium continuarum ſpecies, quas ſymptomaticas vocant, quæ ſequuntur ad tumores præter naturam phlegmonoſos, aut eryſipelatoſos, vel alios quoſcunque, qui incendium & putrilaginem diuturnitate conceperunt in interioribus corporis partibus, vel ſubſtantiam partium corruptam, & exulceratam, vt in phthiſi & magnis vulneribus iam putrefactis, & in vlcera conuerſis: in quibus omnibus magna eſt exercitatio prognoſeos medicæ: propterea quod non ſolum coctiones & cruditates particularis materiæ patiuntur, ſed etiam ob eiuſmodi incendium & agitationem humorum habent ſuos motus criticos & exacerbationes varias, quibus fatigare ſolent ægrotantes. Itaque Hippocrates *in progn.* valdè ſollicitus eſt de præſagitione iſtorum affectuum, quia inter periculoſiſſimos fere primatum obtinent: ac proinde cum iſtæ febres pendeant principaliter ab humore illo extrauaſato in partium ſubſtantiâ, qui tumorem illic committit: certum eſt illas etiam ſequi motum & naturam cauſarum iſtarum, tam in excitandis ſymptomatis perniciosiſſimis, quam in cruditate & maturitate eiuſmodi abſceſſuum, qui quidem, vt alias diximus, terminantur quatuor modis, nempe reſolutione, ſuppuratione, corruptela ſiue ſphaceliſmo, & induratione.

Reſolutionem promouent non ſolum inſenſibilis tranſpiratio, ſed etiam repulſio, vacuatioque ſenſibilis, tam arte, vt per venæ ſectionem; quàm naturæ vi inſtituta, vt in pleuritide, & peripneumoniâ per ἀναχάθαρσιν: vel etiam vacuationes vniuerſales, vt ſudores aut vrinæ fluxus, quæ ſuo impetu, ſi poſt coctiones & die conuenienti contingant, rapere etiam ſecum ſolent particularem iſtorum tumorum internorum materiam. Si non ſuccedat reſolutio iſta, oportet neceſſario humores illic putreſcere; quod ſi malignè fiat, introducitur peſſima corruptela, quæ ſubitam necem ægrotantibus infert: vel vincente quodammodo naturâ ſuppurationes contingere; ita vt in illâ coctione dum humores ad pepaſmum deducuntur, magnum naturæ negotium faceſſant, & aliquando mortem afferant: dum pus enim fit, *vt eſt in Aphoriſm.* febres & dolores intenduntur, facto autem pure conquieſcunt: non tamen promittenda inde ſtatim ægro ſalus, niſi pus illud in parte concoctum commodè & per conſentaneas naturæ vias, viribuſque adhuc integris excerni poſſit, eaſque habeat conditiones, quæ ab Hippocrate *loco citato* aſſignantur: imo poſt excretum commodè pus, ſuccedere ſolet ſæpius infeſtiſſimum vlcus, ex quo tandem contabeſcunt ægrotantes, niſi antequam ſordibus inficiatur pars, conuenienti deterſione & exſiccatione curetur. Quod eſt rariſſimum. In aliis verò tumoribus, quorum materia craſſior frigidiorque: ita vt neque integrè reſolui poſſint, neque tantam coctionem ſuſcipere, vt ſuppurentur, ſæpius ſuccedit induratio ſcirrhoſa, quæ ſi in partem nutritioni dicatam incidat, vt hepar vel lienem, ſuccedit hydrops vniuerſalis aut particularis, ex quo perire ſolent.

In eiuſmodi igitur febribus ab inflammatione internâ, & vlceribus, indurationibuſque partium (hæc ſunt verè myſteria Artis noſtræ) animaduertendæ diligenter omnes iſtæ paſſiones, vt de vario illarum euentu ſolidè præſagire poſſimus. Quod eodem modo ſtatuendum in magnis luxationibus, fracturis, contuſionibus, diuulſionibus, ſed præcipuè vulneribus ad interiora penetrantibus, quæ ob commotos humores, ſaniemque excitatam febrem ſibi vt plurimum accerſunt comitem cum vehementiſſimis aliis ſymptomatis, ſuoſque motus criticos patiuntur, vt nos quotidiana docet experientia, quod exempli cauſâ propoſuimus.

Superſunt morbi organici contemplandi, in quorum præſagitione vniuerſali conſiderandum eſt etiam, vtrum coniunctos habeant humorum motus, vimque naturæ inferant, & grauiora excitent ſymptomata: qui enim hiſce deſtituuntur omnibus, ſunt potius impedimenta, quam nocumenta, vt patet de ſexto digito in manu, de cruribus valgis & varis, claudicatione & ſimilibus, cum quibus vita per longum

longum tempus, & ſine periculo perdurare poteſt. Obſtructiones autem ſiue ſint humorales, ſeu à calculo, lumbricis, & aliis interiores partium cauitates occupantibus pendeant: Item adſtrictiones & compreſſiones, vel etiam ſitus & connexus violati, quemadmodum videre eſt in inteſtinis prolabentibus in ſcrotum, ſæpe infetunt mortem, quia magnam naturæ moleſtiam afferunt, præcipuè quando actionem aliquam vitæ neceſſariam tollunt, aut impediunt, vt in apoplexia, iſchuria, & ſimilibus.

Patet etiam quod præſagitio facienda ſit pro naturâ ſeu ſpecie vniuſcuiuſque iſtorum affectuum, motu cauſarum morbificarum, vel earumdem ſitu & adhæſu firmiore in ductibus ad ἀνάδοσιν facultatis alicuius vel materiæ vtilis perficiendam dicatis: vnde maior vel minor affectus duratio, & varij ſolutionis modi per vacuationes ſenſiles vel inſenſiles prædicendi, aut certè interitus per ſuffocationem caloris natiui, vel ſublationem facultatis principis, ad cuius ruinam reliquæ omnes per ſympathiam trahuntur: Quod ingenioſus Medicus ex ſignis à nobis accuratè commemoratis facilè eliciet. Quod ſi non vnicus tantum affectus, ſed plures ſimul eiuſdem vel diuerſæ ſpeciei ægrotantem exerceant, præter particularem vniuſcuiuſque prognoſin, non eſt dubium, quin etiam Medicus habitâ ſimul omnium ratione explorare debeat conuenientibus ſignis, quis illorum citius, vel tardius ſit defuturus, aut ex quo ægrotanti maior aut promptior pernicies immineat: Nam qui alterius eſt veluti cauſa præcipua, vt inflammatio ventriculi, lipyriam febrem excitans; vel ſine quâ, vt ſordes in vlceribus, aqua in hydropicis: certum eſt eum qui ſequitur, aut dependet, non prius abigi, quam is qui illum efficit, fouet & auget fuerit ſublatus. Si verò à ſe inuicem non pendeant, ſed ſeiuncta habeant ſubiecta & cauſas, is videtur ſolutu facilior, qui ſecundum ſuam ſpeciem, motum, morem & magnitudinem minorem vim obtinebit, ſi quidem partis affectæ conſtitutio aptior ſit ad coctiones & expultiones materiæ morbificæ perficiendas, magiſque accommodata ad remediorum vim excipiendam. In quibus omnibus ſolers Medicus artis iſtius prognoſticæ præceptis, ex Hippocrate potiſſimum deſumptis, diligenter imbutus debet ſe quam primum exercere, & in ægris, quos habebit curandos, iſta omnia obſeruare, vt eiuſmodi vſu & obſeruatione comparet ſibi habitum quemdam ad prognoſim medicam faciendam idoneum, cuius beneficio, vno quaſi inſtanti, & oculi ictu deprehendet eas ferè differentias & mutationes in morbis, quæ aliis non poſſunt eſſe notæ, niſi longâ medicatione & diſcurſu, quemadmodum Galenus de ſeipſo variis locis gloriatur. Nos autem huic tractationi finem tandem imponamus, Deo gratias agentes, eumque obteſtantes, vt ex eâ fructum multum faciatis ad ipſius gloriam, artis noſtræ laudem & decus, ægrorumque ſalutem.



IOANNIS

IOANNIS VARANDÆI

ΥΓΙΕΙΝΗ,

Nunc primùm edita;

Propoſita cum explicatione libri Tertij Artis Paruæ Galeni, vbi Indicationes omnes ad Morborum curationem neceſſariæ pertractantur.

PRÆFATIO.

APERTAS Iani noſtri Medici fores, (A.O.) quas diuturna rabientis Syrij inclementia,& varia decumbentium cura opem noſtram Medicam felici ſucceſſu implorãtium, occluſerat, Nemo eſt veſtrûm (credo)qui non grato conſpiciat animo,ſubſelliorúmque iſtorum frequentiam deinceps non exoptet. Ego certè vbi primùm bellum hoc noſtrum Medicum renouatum ſentio,quod debellandæ inſcitiæ,& profligandis errorum monſtris, quaſi veritatis in regnum deducendæ causâ, diu à Mineruâ noſtrâ Medicâ indictum fuit, totus mehercle geſtio, & excuſſo deſidiæ puluere, nihil quàm arma, arma Medica, ſub vexillis Hippocratis & Galeni conuertenda in tæterrimam hominum labem expoſco,poſtquàm intonuit Decani claſſicum.

Quis enim ſiue veteranus,ſiue tyrunculus non exoptet in hoc militare ſolo, in quo tot Heroüm animæ pro ſtabilienda Medicinæ dignitate ſucceſſiuè occubuerunt, tot proceres pro aris focíſque Æſculapij fortiter ſteterunt? Quis, inquam, hoc miſerrimo ſæculo quo ſæuiſſima malorum Erynnis vagatur, non exoptet in otio hoc ſeu potiùs negotio literario diuinitus conceſſo,in hac Schola verſari,quæ vt iam olim ſucceſſionem Græcorum,Arabum,Mauritanorúmque Medicorum feliciſſimè in Occiduo hoc littore adepta eſt,& migrantem ex Epidauro Æſculapium religioſiſſimè ſuſcepit:Sic hodie pulcherrimum eſt totius orbis Medici theatrum,in quod Auditores Profeſſoribus, ſpectatores ſæpe actoribus præſtantiores conueniunt. Nullus certè eſt (A. O.) qui vobiſcum tanquam gratiſſimis commilitonibus verſari, atque in exercitu veſtro, veſtrâ beneuolentiâ, fauore,& quaſi applauſu vti fruíque exoptare non debeat, niſi ſit ille væſanâ quadam inuidiæ libidine percitus, niſi maleuolentiâ pluſquàm μισανθρωπικῇ in humani generis ſuauitatem & delicias feratur; Sic enim ego Philiatros ac Philoſophos homines appellare ſoleo, quales nunc plurimos, confertiſſimos, attentiſſimos,mihíque,vt ego illis, addictiſſimos ſummâ cum animi mei lætitiâ circumſpicio.

Digitized by Google

Ferunt Ariſtotelem morti propinquum, ſucceſſorem Scholæ & eruditionis Peripateticæ deſignâſſe Theophraſtum Lesbium, ac Menedemo Rhodio, quamuis nobiliſſimo atque eruditiſſimo diſcipulo prætuliſſe, quòd ille multo iucundior atque gratior eſſet. Quia nimirum Auditorum animi, non ſolùm eruditione Profeſſoris, ſed potiùs beneuolentiâ ac iucunditate quadam paſcuntur, auidiúſque oblata ſuſcipiunt, ſi dulcibus vtilia permixta fuerint. Quòd ſi hoc in ſcientiis illis contemplatiuis requiratur, quæ omnino in veritatis perquiſitione poſitæ ſunt, quæ ſui-ipſius cauſâ, non alterius expetuntur; Quid de artibus & ſcientiis illis dicemus, quæ totæ ad commoda & vſus humanos comparatæ ſunt, Medicinâ potiſſimúm, quæ præclariſſimam atque vtiliſſimam actionem ex propoſito ſibi fine iucundiſſimo exercet? In quâ Hippocrates vult τὸ ῥηθὲν τεχνικῶς, coniunctum eſſe debere τῷ ποιηθέντι τεχνικῶς, *dictum* ſcil. *eleganter & factum artificiosè.* Quàm iucundé, inquam, ſine ſupercilio aut liuore, opera illa Medica hominibus Philiatris conſcriptis, & iureiurando Medico jam obſtrictis patefacienda ſunt, & veluti digito demonſtranda, vt non ex ſolâ apodeixeos rationúmque appoſitione, ſed ex operationum ipſarum fide illud conſequantur, quod idem voluit Hippocrates, καλὸν ἐκ τῆς διδαχθέντος ἔργου λόγον καὶ ἐπιστήμην, *elegantem ex operandi ratione orationem ac ſcientiam certiſſimam.* Hæc debet eſſe agentis in docendo, ac patientis proportio, vt & afficiat atque afficiatur, mutuóque quaſi animorum contactu, diſcendi docendíque cupiditas incaleſcat. Vt ex hac pluſquàm Pythagoricâ μετεμψυχώσει, fiat ſcientiarum quædam transfuſio & quaſi propagatio.

Cùm igitur & retroacta & præſentia ſæcula, tales homines quàm plurimos tulerint, verè ἰαλεμοχλέας καὶ ἀνεσιμβρότους, quibus nihil fuit antiquius, quàm vt voce, opere, ac ſcriptis non ſolùm preſentes ſed etiam poſteros iuuarent, ac ſucceſſiuâ quaſi indiuiduorum generatione, eruditorum Medicorum ſpeciem rediuiuam & immortalem facerent. Sic etiam nobis in Aſclepiadarum familiâ genitis, enitendum eſt (A.O.) vt ſuſcepta à majoribus noſtris fomenta excolamus, vt ſucceſſioni huic Medicæ tam agendo quàm docendo diligenter incumbamus, vt hæc, hæc ara Medica in Æſculapij noſtri fano poſita perpetuo cultu & deuouentium oblationibus ſplendeſcat. Ad quod ego quamuis non plenam operam & votis meis reſpondentem præſtare poſſim, nuſquam tamen deſinam, quin aut vice fungens cotis, aut diligentiâ & labore quicquid deerit compenſans, illud boni ciuis ac Conſulis Medici munus expleam, quo cauetur, Nequid detrimenti res hæc noſtra publica capiat, ſiue ab externis, ſiue ab internis hominibus.

Atque vt in deploratis ills Romanorum temporibus ſolitum fuit, Dictatoribus ſummam rerum committere: Sic in hac multorum maleuolentiâ ac deſidiâ, ad Dictatores Medicos confugiendum eſſe cenſeo, quibus non ſola ſemeſtris dicendi iuris noſtri data eſt poteſtas, ſed perpetua totius etiam generis humani conſenſu arrogata. *Hippocratem* inquam, & *Galenum*, quos tanquam optimos duces, ſequendos, imitandos, in toto hoc vitæ noſtræ decurſu cenſemus, & ſiquando res Medica ob imperitorum aut exitioſorum hominum factiones laborârit, continuò in auxilium conuocandos, vt ſub eorum tanquam fortiſſimorum Imperatorum conſpectu, tota illa coniuratorum nubes euaneſcat, Agyrtarum, Empiricorum, Sufflonum, Sophiſtarum, Pygmæorum, maximè hoc noſtro æuo, hominum vitæ infeſtorum:

Hæc

Hæc enim duo præſtantiſſima Græciæ omnium ſcientiarum alumnæ lumina, diuinitus ad artem Medicam inueniendam, ſtabiliendam, atque docendam conceſſa, non ſolùm diſcentium & verè candidatorum animos, ſummæ eruditionis ſuæ radiis illuſtrare poſſunt, ſed etiam ingenti illo exiſtimationis fulgore, aliorum omnium qui poſthac non ſine laude floruerunt, ſplendorem quodammodo obſcurare ille enim diuinus Hippocrates, dum votum quod ſibi propoſuerat, explere ſuâ μεγαλυψυχίᾳ fretus contendit, mirum eſt quanto ſucceſſu artem noſtram inuenerit, auxerit, & æternis quaſi legibus fundârit, modò ἱστορικῶς obſeruationes in ſingularibus faciens; modo ἀφοριστικῶς ex particularibus vniuerſalia theoremata conſtituens, Legiſlatoris more; modò μεθοδικῶς & per διάλυσιν obſeruationum illarum & theorematum rationem & cauſas explorans, in libris illis quos διαλυτικὰς recentiores appellârunt. Quæ omnia ſummus ille vir non tam Logicæ facultatis & methodi viribus præſtitit, quæ nondum luculenter erat tradita, quàm ſapientiæ cuiuſdam beneficio, tanquam habitu altiſſimarum concluſionum & principiorum, quo erat præditus. Vnde etiam Ariſtoteles veteres Philoſophos non tam πεπαιδευμένους, quàm σοφὲς, tam *in Logicis inſtitutos*, quàm *ſapientes* fuiſſe voluit in Hippocrate igitur ἐνθουσιαστὴν quendam, & diuinum in tradenda Medicinâ quaſi afflatum agnoſcimus, cuius nomen admirabunda antiquitas poſterioribus ſæculis velut ſacroſanctum tradidit.

At Galenus ille θειότατος, vt loquitur Alexander Trallianus, Hippocratis ex ſcripto diſcipulus, omni diſciplinæ genere excultiſſimus, magnus Orator magnus Philoſophus, magnus Medicus, cùm priùs diligenter Philoſophiæ & Mathematicis ſcientiis incubuiſſet, operam dediſſet ſummis ſuo ſæculo Medicis, Heracliano Alexandriæ, Stratonico & Satyro Pergami, Pelopi in Smyrnâ, Numiſiano Corinthi, Quinto Satyri diſcipulo, & Lyco Hippocratomaſtigy, omnéſque Veterum ſectatores conueniſſet audiendi diſputandíque gratiâ, Herophiléos, Eraſiſtratéos, Athenæos, Aſclepiadæos, tam Empiricæ & Methodicæ, quàm Dogmaticæ factionis Principes, tum demum Romæ ſub Imperatoribus Antonino & Commodo potiſſimùm, in quorum palatium fuerat accîtus, vt Archiatron decebat, ad Medicinam docendam & perficiendam ſeſe contulit: Cumque anteà & multos in Hippocratem commentarios ſcripſiſſet, quibus veluti accensâ demonſtrationis face, obſcuriſſima authoris huius ſcripta illuſtrata fuêre, & ex propria ſententia multos libros tum Philoſophicos, tum Medicos edidiſſet varij argumenti, prout occaſio ſeſe obtulerat, aut amicorum illud expetentium, aut Philoſophorum & Medicorum malè ſentientium, qui confutatione indigebant. Attamen nondum nobiliſſimam hanc Philoſophiæ naturalis partem Medicinam, confiniis ſuis ac ſpatiis propriis deſcripſerat, nondum methodo certâ & abſolutâ tradiderat, vt ſemper hoc præſtantiſſimæ huic arti ante Galenum deeſſe videretur, quod ἀμεθόδως per partes & fragmenta quædam nullo ordine inter ſe connexa doceretur.

Ad hoc igitur quod deerat perficiendum, & addendum Medicinæ colophonem, Dei iuſſu monitus per inſomnia, vt ipſe teſtatur *libris de vſu partium*, primùm libros de demonſtratione præclariſſimos conſcripſit, quibus magnâ cum ſuâ iacturâ poſteritas caret, vbi omnem Peripateticæ doctrinæ ſummam, quod ad Logicam ſpectat, contra Stoicos & Chryſippum luculenter appoſitis ſemper exemplis Medicis aſſerebat, & rationem tradendarum

Digitized by Google

ſcientiarum omnium, ex triplici methodo oſtendebat: Poſt hæc libros de placitis Hippocratis & Platonis edidit, quaſi exercitatorios, vbi potiſſimum Philoſophos malè de Phyſiologia, & contra Hippocratis dogmata ſentientes impugnat, vt ſuę demonſtrationis paradigmata quædam proponeret, in quibus ſæpe librorum illorum περὶ ἀποδείξεως meminit, nequis falsò, vt multi, exiſtimet eoſmet eſſe libros illos demonſtratorios. Atque vt erat vir ille incredibili dicendi copiâ & ſummâ ingenij vi prędituſ, cùm videret jam à ſe ſatis copioſè de totâ Medicinâ per partes & ὑπομνήματα actum, quæ in vnum collecta, διδασκαλίαν illam κατὰ σύνοψιν, factam, vt metipſe loquitur, perficere poterant, ſub mediis ferè vitæ ſuæ temporibus, quaſi de nouo Medicinam conſtituturus & methodo inuenturus, aggreſſus eſt διδασκαλίαν illam κατ' ἀνάλυσιν, *ſecundùm reſolutionem*, quæ ἀπὸ τῶν τέλους ἰνδείας proficiſcitur, editis priùs duobus aliis libris, in quibus illud docebat, Omni arti ex finis notione conſtitutionem effici, vt eſt in *proœmio libri* illius elegantiſſimi, *De conſtitutione artis Medicæ*, quem primus ille abſque alio exemplo aggreſſus eſt, vt eſt initio libri huius noſtri: Iam ſenior verò & in doctrina ac artis operibus conſummatus, cùm non ſolùm inueniendam & docendam feliciter artem noſtram, ſed etiam diſcendam, & memoriæ ſi fieri poſſit fideliter certâ quadam methodo tradendam comperiſſet, illum demum ordinem eſt aggreſſus, qui ad totius Medicinæ ζύνοψιν, & partium omnium memoriam commodiſſimè faceret, ex definitionis διαλύσει & accuratâ explicatione; Cuius nos tertiam partem, vt vtiliſſimam, & vltimo Medicinæ fini coniunctiſſimam, interpretandam ſuſcepimus, Dei potiſſimùm nutu, poſteà veſtro (A. O.) nixi fauore, quem ego vt fauonium quendam vbique implorare ſoleo.

Quoniam verò in hac explicationum noſtrarum nauigatione, prævidendi ſunt omnes ſcopuli, qui ignaris vectoribus periculum creare ſolent, & quia poſteriorum cognitio non ſatis commodè abſque priorum repræſentatione haberi poteſt: Ideò ſi mihi per vos liceat, nunc paucis de triplici Medicinam docendi methodo dicam, vt ſequenti exercitatione προλεγομένοις iſtis quàm breuiſſimè finem imponere poſſimus, ac deinceps profundo artis Medicæ ratem noſtram tutò committere.

Malè olim apud Medicos audiuit Methodus, ſecta nimirum eorum qui Theſſalici vocabantur: (*Vnde illud; Triplex eſt forma medendi, Cui logos, & methodos, cuique experientia nomen.*) Hi enim per κοινότητας, *communitates* quaſdam, Medicinam breuiſſimo ſex menſium ſpatio docentes, illud Hippocratis culpabant, dicentis artem longam, vitam verò breuem eſſe, cùm potiùs illi artem breuiſſimam, ſub longo vitæ humanæ decurſu profiterentur. Verùm non eſt hæc, quam nunc quærimus, artificioſa & Galenica methodus, quamuis illi ex nominis notatione ſibi titulum illum Methodi arrogaſſent, quaſi compendium & breuiorem quendam viam ad diſcendam Medicinam tenerent, in eo falſi, quod obſcuritatem & confuſionem maximam cum inerudità illâ breuitate introducerent. Hoc autem vt neque Philoſopho veritatem contemplanti, multò minùs Medico ſanitatem curanti contingere debet. Vocant igitur Philoſophi Methodum, quam Galenus hîc διδασκαλίαν, id eſt, *doctrinam* appellauit, Modum quendam optimum ſeu ordinem inueniendi, docendi, aut diſcendi totam aliquam artem vel ſcientiam, atque ideò inter inſtrumenta Dialectica reponitur. Quamuis enim certum ſit methodum aliam eſſe totius, aliam verò

partis,

Digitized by Google

partis, quâ ſcil. vtimur in demonſtrandâ particulari aliqua propoſitione, quæ & eadem & diuerſa eſſe poteſt, cum methodo totius. Dicitur tamen propriè magis methodus de toto illo ordine, qui ſcientiam aut artem aliquam ſpectat: ſub quâ tum methodus illa particularis continetur, tum cætera omnia inſtrumenta Dialectica, definitio ſcil. reſolutio, diuiſio, compoſitio, ſyllogiſmus, inductio, exemplum, demonſtratio tam à priori, quàm à poſteriori: Quibus ad rei alicuius eſſentiam, partes, cauſas, effectus, proprietates declarandas vtimur: Vt longè aliud ſit dicere definitionem aut reſolutionem, quàm Methodum definitiuam aut reſolutiuam, quæ totius artis ſeriem ſpectat, & ſub ſe alia omnia continere poteſt. Satis enim eſt, ſiquis v. g. definitiuam aggrediatur, ex propoſita definitione omnes artis partes definitione diligenter explicet, quamuis in ſucceſſu, diuiſione, reſolutione, definitione, & cæteris huiuſmodi, proüt res ipſa poſtulabit, vtatur.

Hæc autem methodus ſiue doctrina, actus ſcil. docentis voce aut ſcripto, quæ ad inueniendas, docendas, aut diſcendas artes tantopere eſt neceſſaria, ordini cuidam eſſentiali inhærens, non vnica ſed multiplex eſt. Euſtratius quidem *in proœmio ſecundi poſteriorum*, agens de particulari methodo, quadruplicem facit, Diuiſiuam ſcilicet, Reſolutiuam, Definitiuam, & Demonſtratiuam; & Auerrhoës *in præfatione Phyſicorum*. Vt enim eſſentias rerum ſciamus, definitiones conficimus, vt quæ ſubſtantias ſequuntur inueniamus, ex ſignificatiuis rationibus ipſius quid eſt eſſe, Demonſtratiuam in talem probationem accipimus. Sed quia in Definitiuâ, opus eſt materiâ, ideò Diuiſione & Reſolutione vtimur, proüt definitiones illæ ſunt ſpecialiſſimæ aut ſubalternæ, à prioribus diuiſione vtentes, à poſterioribus reſolutione. Verùm hæc dicuntur de particulari methodo, de quâ non eſt nobis nunc propoſita quæſtio, ſed de vniuerſali, quæ commodè totam aliquam artem repræſentare poteſt, quod omnibus his ſuprà-dictis conuenire non poteſt, vt demonſtratiuæ: Hanc Galenus noſter triplicem eſſe vult, Reſolutiuam ſcil. Compoſitiuam, & Definitiuam. Reſolutiuam vocans, quæ ex finis notione proficiſcitur, finem non pro finali cauſâ accipiens, quæ moueat ad agendum, ſed pro fine artis intellecto, vtpote quid ſit talis finis, in quibus ſit, à quibus fiat: Cuius rei meminiſſe videtur Ariſtoteles ſub exemplo medico, *lib. 7. Metaphyſ.* Quamuis enim Reſolutiuum ordinem, varium faciunt, illum ſcil. qui à toto integro ad partes integrantes progreditur, à minùs communibus ad magis communia, à concluſionibus ſeu quæſtionibus ad principia ſeu cauſas, à fine ad media quibus comparatur ipſe finis, explicanda: Hic tamen vltimus ſolùm à Galeno adducitur, vtpote magis accommodatis ad artes & ſciencias inueniendas. Cùm enim ipſe finis ea omnia quæ in ipſum referuntur, poteſtate contineat, fit vt ex eius conſideratione, & debitâ reſolutione, certus rerum numerus eliciatur; ita vt nihil ſuperfluum aut diminutum tradi poſſit. Atque in eo duplex eſt progreſſus, vel enim aſſumimus primùm quæ fini ſunt propinquiſſima, alia deinde magis remota tradentes: Vel extrahimus primùm à fine quæ ab illo ſunt remotiſſima, & ſic pertractamus, quod fecit Galenus *lib. de conſtit. artis*: Qua ratione hæc methodus non differt à Compoſitiuâ, niſi nomine, & quia primùm inuentio ex ipſo fine profecta eſt.

Compoſitiua itaque doctrina non diſtat niſi ratione à ſecundo progreſſu reſolutiuæ, cùm eadem ſit via quæ ducit ab hac vrbe Romam, vt quæ à Româ

Digitized by Google

Monſpelium: Vnde Galenus vult eſſe Syntheſm eorum quæ per analyſin reperta ſunt, à ſimplicibus ſcil. ad compoſita, à remotis ad fini propinquiſſima, per intermedia progrediendo. At quia per reſolutiuam fit inuentio partium illarum, quæ in cõpoſitiua accuratiùs tractari debent: ideò ſiue illa in mente tantùm authoris ſit, ſiue proponatur, non eſt inutile modum & exempla analyticæ illius doctrinæ tenere, vt feliciori ordine Compoſitiua procedat, quâ accuratè omnes ſcientiæ docentur.

Denique Definitiuam facit tertiam Galenus methodum, ad diſciplinas ordine tradendas, quia ex propoſita priùs totius artis eſſentiali definitione, licet partes eius explicando & quaſi diuidendo, integrã artem ſufficienter perſequi, & memoriam diſpoſitione iſta plurimum iuuare, cùm ad eam paucæ imagines & ritè ſuis locis collocatæ requirantur, vt de memoria artificiali Simonidis, Quintilianus, Cicero, & alij retulerunt. Vnde hæc Doctrina definitiua dicitur, non quòd definiat, & nudas quaſdam finitiones artis capita continentes proferat, quod Galenus, vel alius, *libro finitionum Medicarum* dicto præſtitit, vt etiam Gorreus hac noſtrâ tempeſtate ſecundùm primarum literarum ſeriem, qui liber in omnium eſt manu: Sed quia initium ſumit ex artis definitione complectente omnia illius capita, in quorum explicatione quæcunque ad Medicinam pertinent, docentur, ſiue poſteà diuiſione, ſeu reſolutione, & cæteris inſtrumentis vtatur.

Harum igitur doctrinarum vnaquæque ſuam preſtantiam, ſua commoda obtinet: Vt enim Reſolutiua, methodo & accurata rerum tractatione excellit, quæ eadem ſunt in Compoſitiuâ: Sic Definitiua *σύνοψιν*, vt diximus & reminiſcentiam maximè conducit. Quamuis autem aliqui his tribus doctrinis generaliter artes tractantibus, Diuiſiuam addere voluerunt; vt ipſemet Galenus 9. *meth.* Quia tamen facilè Diuiſiua vel ad definitiuam, aut reſolutiuam reduci poteſt; vel quia receptis his tribus quæ omnes vsûs explent, ſuperfluè alia quæreretur: Vt enim Reſolutiua inuentioni & conſtitutioni, ſic compoſitiua explicationi ſcientificę; Diffinitiua compendio, vt nihil præterea quartum requiri poſſit. Ideò illius non meminit Galenus *in præmio libri noſtri*, neque cà vſus eſt in tractandâ Medicinâ, ſed tantùm reſolutiuâ, compoſitiuâ, ac definitiua.

Reſolutiua, inquam, methodus Galeni, quam proponit *libro de conſt. artis*, ex notione finis, fit progreſſu illo quem ſecundum appellauimus; primum autem reliquit, quia in idem fermè recidunt: Huius tamen tale poteſt exhiberi paradigma, à fine Medicinæ ad principia ipſa. Cùm Medicinæ finis, ſanitas ſit quam Medicus quantum fieri poterit, aſſequi debet, certiſſimum eſt vel præſentem eam eſſe, quæ conſeruatione indiget, & preſeruatione multiplici; vel abſentem quæ reſtitui debet. Quodcunque horum præſtet Medicus, oportet èum, cùm id non immediatè ſed mediatè præſtet, materiam remediorum ad id idoneam habere, & eius vſum tenere. Quomodo autem ritè vtetur, niſi pręcognitâ priùs ſanitatis & morbi eſſentiâ eorumque cauſis? Verúm cum hæc non ſemper ſenſibus ſubiiciantur, ſed plerumque in intimis corporis noſtri partibus latitantes, diſcurſu indigeant, vt cognoſcantur, neceſſum eſt adeſſe ſignorum quorundam ſeriem artificioſam, quæ nos ad rei ſignificatę notitiam perducant. Signa autem iſta cùm ſint rerum naturalium aut contra naturam effectùs, neceſſariò ipſa corporis natura & partes diligenter addiſcendæ, quod non-

niſi

Digitized by Google

niſi facultatibus, quas anima in vnaquâque determinatè exercet, actionibus, quæ à compoſito proficiſcuntur, addiſci poteſt. Hæ cùm partim à temperamento, partim à conformatione, tanquam inſtrumentis perficiantur, ideò & temperamenta diligenter dignoſcenda, & conformatio ex diſſectione Anatomicâ addiſcenda. Denique partium ipſarum intelligentia haberi debet vſque ad minima, vt ſuperiora meliùs percipiantur; Minima autem ſunt ipſa Elementa ſenſibilia, vt partes ſimilares; Media, vt humores; Remota, vt communia omnibus elementa de quibus agere debet Medicus, vt ea omnia intermedia conſequatur, quæ ad propoſiti priùs finis adeptionem erant neceſſaria.

Ecce quomodo Reſolutiua hæc Medicinæ methodus, ſiue ſit in mente authoris, ſiue ſcripto tradatur, totam ſtatim compoſitiuæ doctrinæ ſummam declaret, quæ deinceps ſingulas has partes clariùs excutere debet. Quam cùm Galenus plurimis ſuis libris in ordinem redactis perfecerit, tum multò perfectius & ex profeſſo Auicennas *in ſuo Canone*, Auerrhoës *in ſuis Colliget*, Fernelius imperfectè quidem ſed Latine admodum: Riolanus in ſuis illis ſæpiùs repetitis curſibus, compendiosè. Quam etiam methodum compoſitiuam, is ſequendam haberet, qui exoptatam à quibuſdam veſtrûm (A.O.) prouinciam illam perlegendi curſûs ſuſciperet, ex vulgata nimirum Medicinæ in quinque partes diſtributione: quarum tres primæ theoriam magis, aliæ practicam ſpectant; Phyſiologiam ſcil. Pathologiam, Simeioticen, Hygieinen, & Therapeuticen: ſub quibus rurſum multæ aliæ continentur: Cuius tale ſit paradigma. Phyſiologia enim Medica totam hominis conſtitutionem perſequitur, velut ſubiecti proprij materialiter ſumpti, explicationem. Ab ipſis elementis primis & communibus ſumpto exordio, deinde ad humores, poſtmodum ad partes ipſas progreditur, in quibus omnibus temperamenta vniuerſa, particularia, numerum, cauſas, effectus, omneſque mutationes conſiderat. Cúmque homo non tantùm corpore, ſed etiam animâ conſtet, Ideò animæ facultates, partium actiones, vſus, & opera proponit: Inſtrumentúmque illud commune explicat, quod calorem natiuum, ſpiritum inſitum, & humidum primigenium appellamus, quîdque ſit & quotuplex oſtendit. Neque ſolùm hominem iam numeris omnibus completum, ſed etiam primam illius procreationem perquirit: De ſemine, de menſtruo, de conceptione, primâ partium conformatione, fœtûs motu, perfectione, & exitu, de illius cum parentibus ſimilitudine ac diſſimilitudine diſputat. Rurſúſque iam compoſitum per artificioſam anatomen reſoluit, quæ ſenſui meliùs ſubſtantiam, magnitudinem, numerum, conformationem, ſitum & connexum exponit.

Ad hanc ſequitur παθολογία, quæ nobiliſſimam ſub ſe partem Αἰτιολογικὴν continet, quam licet in Vniuerſalem & Particularem diuidere: Illa enim cognitâ naturali hominis conſtitutione, ad affectus, qui illi contra naturam accidunt, aggreditur. Docet quid ſit actio cauſæ morbificæ, paſſio, cauſa morbus, ſymptoma. Explicat cauſas, concauſas, coadiuuantes, externas, internas, coniunctas, & antecedentes. Definit morbum, morborum genera diuidit, & differentias aſſignat; Docet quid ſit Symptoma, Symptomatum cauſas & differentias. Particularis verò omnes membrorum corporis noſtri affectus peculiariter deſcribit & aſſignat.

Quod cùm per ſigna efficiatur, ſequitur Σημειωτικὴ tam vniuerſalis quàm particularis, quæ per certiſſima ſigna, totum ægri corporis, neutri & ſalubris ſtatum deſcribit, ac pro variâ temporis differentia in diagnoſtica, prognoſtica,

& anam

& anamniſtica diuiduntur:In hac excellit tantopere decantata διάγνωσις, quæ ex certis ſignis docet, quomodo pars affecta, affectus, & cauſa deprehendi poſſint. Sub hac etiam poſita eſt diuina illa πρόγνωσις, quæ omnem morborum euentum præſagire docet, ſalutem aut mortem, declarat in acutis rationem criſium & dierum criticorum, contemplabilium, intercidentium, aut prouocatoriorum;in longis λύσεις ſeu ſolutiones paulatinas,& decurſûs ac durationes. Particularis adfert in vnoquoque ſigna παθογνωμονικὰ, ἐπιγινόμενα,& ζωιδρεύοντα. Quæ petuntur ex qualitatibus mutatis, vt omni habitu exteriore; ex actionibus vitalibus, naturalibus,animalibus;ab excrementorum vt vrinarum,deiectionum, ſubſtantia, qualitate, quantitate, contentis & ſimilibus.

Vbi verò per ſigna tam naturalis quàm non naturalis ſtatus cognitus eſt,ſequitur Medica actio; Naturalis conſeruatione,ſi optimus;ſi deterior reductione indiget,vel prȩcautione:ſi lapſus,curatione aut mitigatione: Vnde quinque illæ actiones Medicæ oriuntur ſub duabus partibus practicis contentæ.

Υγιεινὴ enim ſub ſe alias multas partes continet,quæ vel optimum ſtatum vel deteriorem ſpectant, quales ſunt ἰυετικὴ, boni ſtatûs conſeruatrix, παιδοτροφικὴ,γυμναστικὴ, κομμωτικὴ, & κοσμητικὴ. Aliæ verò γεροκομικὴ, ἀναληπτικὴ, & προφυλακτικὴ Ad id autem docet inprimis materiam omnem ſalubrium,& illius vſum.

Θεραπευτικὴ tandem ſupereſt,Curatrix & Medicatoria dicta,quæ corporis humani affectûs contra naturam curare ac mitigare docet: Vnde huic ἐπιτερατικὴ ſubiecta eſt. Idque artificiosè ſumptis à rei naturâ, vt morbo,morbi causâ,totiúſque ac partis conſtitutione indicationibus,non neglectis coindicationibus, & contraindicationibus:Idque tum in genere, vniuerſali ſcil. methodo, tum in ſpecie,in vniuſcuiuſque morbi particulari curatione,quod exequitur tribus inſtrumentis, Diætâ, Pharmaciâ, & Chirurgiâ; Vnde totidem partes illius recenſentur: Diæta requirit perfectam cognitionem facultatum omnium quæ alimentis inſunt, item temporis, modi, qualitatis, quantitatis, ordinis obſeruandi in cibo & potu, exhibendis,aliiſque rebus non naturalibus ægro adminiſtrandis.Pharmaceutice continet rei herbariæ,metallicæ,& animatę ad remedia relatę cognitionem; eorum electionem,debitam preparationem,compoſitionem,atque adminiſtrationem,tam καθ' ὕλην quàm κατὰ τόπους. Chirurgia diuiditur in tres actiones vniuerſales, quas vocant ζωώγρειον, διαίρεσιν, & ἀφαίρεσιν.

Quę omnia ſic generaliter in illis partibus explicata,deinde vnicuique morbo curando adaptantur in tractatu particulari,quem vulgò vocant Praxin per excellentiam, vt propoſita Sanitas, quę fuit principium reſolutiuę doctrinę, tandem actionem Medicam ſubſequatur.

Hic eſt igitur reſolutiuus & compoſitiuus Medicinam tractandi ordo,quem vt Galenus penè abſoluit, ſic reſolutiuum tantùm delineauit; definitiuum, vt compendioſum, per capita & quaſi concluſiones perſtrinxit. Hunc nos etiam perſtringemus ſequenti lectione,dum libri huius ſubiectum & partes proponemus. Interim veſtrum eſt, (A.O.)vt duos illos Medicinę Dioſcuros,Hippocratem ſcil. & Galenum, omnibus votis exrollatis,vt vterque vobis doctrinę ſuę lumine quaſi per dies illuceſcat. Nos certè cùm ab Hippocratis ἐνθουσιασμοῖς ad Galeni methodos nunc ſimus delapſi,προφασιν hanc noſtram doctiſſimi Poëtę verſibus concludemus:

Te ſequar, ô Grajæ gentis decus! inque tuis jam
Fixa pedum ponam preſſis veſtigia ſignis.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ

IN ARTEM MEDICAM GALENI,
& peculiariter in Librum illius tertium.

COGIMVR τὰ dicendorum, (A.O.) τὰ priùs quadam de προλεγομένοις huius libri, breuiter in medium afferamus, quàm ad peculiare noſtrum inſtitutum accedamus, qua nos in propriam tractationem τὰ veluti εἰσαγωγικῶς introducant. Ea autem erunt de libri authore, titulo, ſcopo, ſubjecto, partibus, & τὰ utilitate operis.

Quod ad libri authorem attinet, quamuis magni illius Galeni feratur, Quia tamen tum propter æquiuocationem, multorum ſcil. authorum eodem nomine donatorum, tum aliorum ſubditittios ſuos partim magnis τὰ viris adſcribentium, error contingere poteſt, ideò multi eruditi, iique non fruſtra dubitarunt, an genuinus eſſet hic Galeni liber. Cùm enim, τὰ ipſe docet, ex re & locutione dignoſcere illud poſſimus, profectò λέξις, dicendi character ac modus non τὰ videtur Galenicus; Nam cùm alibi perpetuò diffluat Aſiaticâ quadam copiâ Galeni ſtylus, hîc tamen admodum preſſus ac contractus eſt, obſcuritati quam ille ſemper fugiebat, propinquiſſimus: Item nominum Græcorum ſignificationes plurimæ, multò aliter quàm in aliis libris τὰ ſumpantur, ὁμωνύμως, ἀναλογικῶς, ſæpe ambiguè, inuſitatè: Quod Galeno Attica lingua, τὰ ipſe gloriatur, peritiſſimo, iure tribui non poteſt. Denique ex re ipſa, materiâ ſcil. & propoſitionibus, quæ hîc ponuntur; tum τάξει, formâ & diſpoſitione, non τὰ videtur Galeno adſcribendus, cùm ipſamet definitio per ὁμώνυμα vel ἀνάλογα potiùs facta ſatis ineptè τὰ videatur, quæ multos deinceps in libri ſucceſſu ſcrupulos parit. Præterea Neuter hîc admittitur ſtatus, quem alibi plerumque reiecit Galenus; Ipſaque diſpoſitio, ſi totum opus conſideres, non τὰ uniformis, quia quædam fusè, alia concisè explicat, & ſæpe perturbata τὰ videtur. Hæc ſunt quæ multos commouerunt ad dubitandum de libri huius γνησιότητι. Verùm cùm nemo meliùs, quàm quæ peperit, τὰ ut eſt in proverbio, catulos ſuos agnoſcere poſſit. Soluuntur hæc ſtatim eo quòd Galenus in libris indubitatis, huius tanquam ſui & germani mentionem ſæpiùs faciat, libro ſcil. cui titulum fecit, De propriis Galeni libris, lib. 7. meth. therapeut. & 5. de ſan. tuenda *: Vbi refert conſcriptam fuiſſe à ſe τέχνην ἰατρικὴν, artem Medicinalem ordine definitorio. Non igitur mirum ſi βραχύλογος hîc Galenus, qui artem per concluſiones tantùm & quaſi capita tractandam ſuſceperat: Neque nouum, cùm & idem præſtiterit* in lib. de conſtit. artis, libris de differ. & cauſis morb. *τὰ vbi τὰ uniuerſalem Pathologiam pauciſſimis τὰ verbis eſt complexus. Denique in libris methodicè ſcriptis, auream ſæpiùs mediocritatem ſeruauit. Adde quòd ſenex admodum hunc librum edidit, deferueſcente iam illo exundantis ſtyli impetu: Et* in eodem authore, *τὰ ut inquit Soranus*, nunc iunioris ætatis vigor, nunc conſiſtentis ſplendor, modò decreſcentis grauitas appareat. *Quòd ſi quædam permixta ſint τὰ vocabula minùs Græca, inuſitata, ὁμώνυμα, ideò factum eſſe puto, quòd Galenus ex Herophilo, τὰ ut primo inuentore, hæc mutuatus, noluerit cum τὰ verbis ſententiam mutare, ſed per quos profecerat, in hoc etiam libro teſtari. De materiâ & diſpoſitione idem dicendum eſt, Herophileam ſcil. methodum perfectam eſſe potiùs à Galeno, quàm inchoatam, τὰ ut oſtenderet quomodo Medicina definitoriè ad memoriæ ſupplementum tractari poſſet; multæque ex Herophilo propoſitiones aſſumptæ, quamuis Galeno inuſitatæ, ad commodiorem tractationem.*

Hunc itaque libro ἐπιγραφὴν, titulum seu inscriptionem fecit, Τέχνη ἰατρική, ars Medicinalis; *tum vt ab aliis omnibus suis libris quasi liberis distingueret, in quibus potiùs partes aliquæ artis tractantur, quàm ars vniuersa, Et* in libro de Constit. *modus constituendæ potiùs, quàm ars ipsa constituta docetur: tum vt Scopum suum patefaceret. Nam cùm illud Hippocratis,* ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, vita breuis, ars verò longa, *de vsu potiùs quàm doctrinâ dictum, multos ab ipso quasi limine Medicinæ absterrere potuisset, vt etiam conscriptorum iam de Medicinâ voluminum multitudo. Ideò Galenus noster vnico voluit volumine, eóque maximè contracto, ea omnia velut in tabulâ per* ζώγραφιν, *vt ipse ait, depingere, quæ* φιλιάτρῳ *ad adipiscendum Medicinæ finem, cognitu sunt necessaria. Hoc enim libro, velut filo Thesei adiutus, potest facillimè omnes authorum libros, quasi Mæandros reuoluere, & in quâ versetur mundi plagâ, agnoscere. Vt idcircò à multis hic liber* Medicæ tractationis centrum *appellatus sit, ad quod omnes aliorum scriptorum lineæ rectà, & æqualiter ducuntur. Vocatur etiam* Speculum, *in quo licet artis nostræ ideam perfectissimam spectare. Sunt qui* μικροτέχνιον *appellârunt,* artem paruam, *non quasi quid imperfectum & mutilum, sed quia summa artis paucis hîc verbis est circumscripta, eâ proportione ad reliquos Galeni libros, quæ est pueri ad virum, Dialectica ad Rhetoricam; statuæ illius Polycleti Canon dictæ, ad reliquas illius artificis statuas.*

Ars igitur hæc medicinalis cùm omnem Medicinæ tractationem contineat, idem habebit subiectum, ac Medicina materialiter & formaliter sumptum, nempe corpus humanum, quod Medicina considerat, vt in eo operetur, & varias eius passiones consideret. Ad quod præstandum cùm multa alia cognoscenda sint, ista omnia Medicam tractationem ingredi debent certâ methodo constantem, quam triplicem, (ad constituendam, docendam, & discendam feliciter Medicinam, necessariam, præter quos vsus, nihil aliud requiri potest) ex Galeno priùs fecimus; Qui nunc definitiuæ incumbens, hunc ordinem ita hîc obseruat, vt plures libri istius partes fecerit, prout definitionis ipsius membra seriatim explicat.

Primùm enim (vt de primariis partibus istius libri agamus) præmisso proœmio de triplici doctrinarum genere, propter rei fortassis nouitatem, institutum suum patefaciens de methodo definitiuâ, auditorem attentum, docilem & benevolum efficere conatur, antequàm ad rem ipsam accedat. Quam statim exorditur ab ipsius Medicinæ definitione, & ex dissolutione ipsius definitionis, ostendit tripartitam esse hanc tractationem, in eam scil. quæ est de corporibus, quæ de signis, & quæ de causis. Rursus vnamquamque tripliciter diuidi, prout scil. illa sunt Salubria, Insalubria, vel Neutra. Talis enim adfertur Definitio; Medicina est scientia salubrium, insalubrium, & neutrorum, *ex Herophilo deprompta. Scientiam hîc latè, non κυρίως sumptam vocans, quia in hoc libro non tam Medicinæ vsum, & particularia quæ artem faciunt, quàm doctrinam & vniuersalia præcepta tradit, quorum certitudo non minor est, quàm in scientiis propriè sumptis: Non enim minùs (vt Galenus ipse vult) certum est Similia similibus conseruari, Contrariis contraria curari, quàm bis duo esse quatuor, totum esse majus suâ parte. Vult autem scientiam istam esse salubrium, insalubrium & neutrorum,* ὁμωνύμως certè aut potiùs ἀναλογικῶς *sumptorum, ex ordine vel similitudine ipsorum à causa dependente: Corpus enim salubre, insalubre, & neutrum dicitur, quia susceptiuum illorum accidentium; Signum salubre, &c. quia indicatiuum salubritatis, &c. Causa salubris, &c. quia effectiuum salubritatis, &c. Hæc enim vt significant vnam formam, Sic illa principaliter & intrinsecè est in vno significatorum, nempe corpore. Alia verò extrinsecè ab eadem denominantur. Præterea in hac definitione, Neutra admittitur, quam alibi reiicere videtur Galenus. Vnde hîc quæri potest; An hæc definitio facta per ambigua, minùs nota, & inusitata admitti debeat? Et an melior*

assignari

assignari possit, per quam Medicina methodo definitiuâ commodè tradatur? Quod ad primum dubium attinet, certum est bona definitionis leges in illis non obseruari, quia tamen non tam hîc exacta definitio quæritur, quàm methodus definitiua ex resolutione & explicatione ipsius definitionis pendens, ideò admitti potest nunc ea definitio, quæ facilius artis ipsius omnes partes repræsentat. Ambigua enim illa & minùs nota non ita relinquuntur, sed accuratâ postmodum explicatione notissima redduntur. Neutralitas præterea hîc admittitur, quamuis insueta Galeno Philosophicè loquenti, quia Medicum nunc agens, illud erat ex Herophilo recipiendum, quod ad clariorem doctrinam faciebat, vt neutra dispositio, quæ & in corpore nostro variè affecto distingui debet, ad veram morborum computationem, crisium & dierum criticorum obseruationem, & signa quibus internoscatur, atque à suis extremis distinguatur, habere; denique causas tenere, quæ partes Medicinæ vtilissimas constituunt, Præseruatoriam scil. & Refectoriam. Melior igitur, clariar, & perfectior tradi posset Medicinæ definitio ad essentiam eius omnésque causas cognoscendas, vt quam Auicennas aut Auerrhoës proponunt, (cùm dicunt, Medicinam esse scientiam, quâ omnes corporis humani dispositiones noscuntur, vt vel habita sanitas seruetur, vel amissa recuperetur.) Nulla tamen commodior eâ quæ ab Herophilo inuenta, & à Galeno hîc recepta est, ad methodum definitiuam, vt in progressu operis patebit, cùm sufficienter & quasi sub diuisione omnes Medicinæ partes contineat.

Etenim in primo Libro *huius operis, ex illa definitione, agens de Corporibus salubribus, insalubribus, & neutris, vt ἐπιδεκτικοῖς, susceptiuis istorum, (quia scil. primùm in actionibus occurrunt) omnem diuidit humanæ constitutionis latitudinem, siue sana sit, siue ægra, seu neutra, quod est velut fundamentum reliquarum tractationum, atque Physiologiam cum Pathologiâ noua docendi ratio.*

In secundo *verò, ea omnia signa tradit, quæ ad eiusmodi constitutiones dignoscendas sunt necessaria: primùm in genere signorum fontes aperiens, tam diagnosticorum quàm prognosticorum, quæ præsentem vel futuram sanitatem, morbum, & neutralitatem repræsentant. Vnde arreptâ occasione, quod aliis libris suis Medicis deesse videbatur, fusius signa salubria præcipuarum corporis nostri partium & totius persequitur, secundùm temperiem & compositionem earundem naturalem; Quæ pars maximè est prolixa & diffusa. Insalubria item proponit, quæ affectam partem, partis affectum, & affectus causam produnt. Postmodum Neutra in medium adfert, quæ vel decidentiam in morbum, vel conualescentiam à morbo ostendunt: (Cætera vt parum vtilia omittens) Quæ tota est ζωγραφικὴ graphicè depicta.*

His peractis demum ad tertium librum *accedit, seu tractationem de causis, quam nos per διέξοδον explicandam suscepimus, (A. O.) atque ideò accuratiùs nunc est repræsentanda, vt pateat quid in toto huius Ordinarij decursu præstandum habeamus. Soluenda autem est inprimis illa dubitatio quæ incidere potest, An scil. cùm hîc de causis salubribus, insalubribus, ac neutris agat Galenus, quemadmodum de causis sanitatem conseruantibus & efficientibus illi tractare est propositum; sic etiam sub insalubribus & neutris tradat causas morbum & neutralitatem efficientes ac conseruantes, quod esset παθολογικὸν seu αἰτιολογικὸν. Respondemus, Galenum hîc sub nomine causarum salubrium, insalubrium, & neutrarum; de causis tantùm agere, quæ sanitatem conseruant, efficiunt, vel restituunt, sed quia id fit in corpore sano, ægro, & neutro, ideò salubres, insalubres, & neutras appellari, quamuis impropriè respectu subiecti, non finis, vt tota hæc tractatio commodiùs diuisioni superiorum librorum respondere posset. Ita vt in nostro hoc libro, nomen Causæ totam Medicinæ praxin, quam vocant, contineat, quâ docetur sana corpora conseruare, ægra curare vel mitigare, neutra præseruare, & in integrum restituere, per axiomata quædam & propo-*

ſitiones ⁊uniuerſales, ex quibus tota particularium deinde ⁊is deducitur. Huius libri rurſus tres ſunt partes, pro triplici cauſarum diuiſione in ſalubres, inſalubres, & neutras.

In primâ *enim* parte, *Cauſæ ſalubres inquiruntur à Galeno, non quæ ipſius ſanitatis ſunt conſtitutiuæ, ſed quæ illius ſunt conſeruatrices, ⁊el correctrices in ſano corpore: Sanum ⁊erò corpus cùm non ſit ⁊num ſed multiplex, ſequitur etiam diuerſas eſſe eiuſmodi cauſas. Inter ſana enim corpora illud eſt primum, quod optima conſtitutio dicitur: huícque Conſeruatio debetur, quoniam perpetuis rerum externarum alterationibus obiectum, in hoc ſtatu perdurare non poteſt, niſi artis beneficio. Et quia alterationes hæ corpori certis à cauſis contingunt externis, quarum aliæ neceſſariò, aliæ non neceſſariò agunt, ſciendum quæ & quot ſint illæ, ⁊tpote materia cauſarum omnium, prout ⁊ariè in ⁊ſus noſtros ⁊eniunt. Quæ non neceſſariò agunt, ſub artis regulis comprehendi non poſſunt, qualia ſunt enſium ictus, ferarum occurſus, & ſimilia fortuita: Quæ ⁊erò neceſſariò, Galenus certo numero eſt complexus, rerum ſcilicet illarum ſex cum annexis, quas recentiores non-naturales appellant, quia ἀδιαφόρως ſe habent, ſed pro ⁊ariâ earum quantitate, qualitate, & tempore, obtinent rationem cauſarum ſalubrium, inſalubrium, & neutrarum. Has itaque primùm aptat conſeruationi optimæ conſtitutionis, poſteà lapſæ, quæ cùm ⁊el talis conſeruetur, ⁊el in melius transferatur, duplex habet cauſarum genus, primum conſeruatrices proponit, deinde immutatrices ſeu correctrices ſecundùm intemperiem, malam conformationem, & ⁊nionis diſſolutionem, quæ etiamnum ſano corpori contingere poſſunt abſque ⁊alde ſenſibili actionum noxâ. Atque hæc eſt prima huius tertij libri pars, ſub quâ ὑγιεινὴ tractandam habemus.*

Poſteà, in ſecundâ ſcilicet parte, *ad cauſas inſalubres accedit, non quòd ſint cauſæ morbificæ, ⁊t iam eſt dictum, quæ* in pathologiâ *recenſentur, ſed potiùs illæ quæ ſanitatem agris corporibus adferre poſſunt. Itaque cauſæ iſtæ tot erunt, quot conſtitutiones contra naturam, intemperiei ſcilicet, ⁊el malæ conformationis, ⁊el ſolutionis continui curatrices. Quamuis enim communiſſima ſit illa intentio curatiua, Contrariorum: tamen ⁊ariâ eſt contrarij inuentio, pro ⁊aria diſpoſitionum natura. Quod ille ſic perſequitur: Intemperiem primùm omnimodam docet curare per contraria, factam, fientem, & futuram, propoſito exemplo febris putridæ in calidâ, & ſic de aliis per ſuas indicationes. Poſteà curationem ſolutionis continui proponit in genere, deinde in ſpecie, pro ⁊ratione partium, ⁊t in carne, oſſe, neruo, tendine, in affectu complicato, ⁊t ⁊lcere. Demum inſtrumenti ⁊itia corrigere docet in figurâ, obſtructione, aſperitate, læuitate, in affectu complicato, ⁊t tumoribus præter naturam, numero, magnitudine, & ſitu. Atque hæc eſt ſecunda libri huius pars, ſub quâ θεραπευτικὴ tota per artificioſas indicationes continetur.*

Demum in tertia parte *ad cauſas neutras accedit, quæ corporis neutrum ſtatum corrigunt. Has, ⁊t ſigna illarum, in duo potiſſimùm genera diſtinguit, Præſeruantium ſcilicet & Reficientium; illæ corpori neutro ex decidentia conueniunt, hæ ⁊erò conualeſcenti ac ſenili. Præſeruantes autem cauſæ, quæ ſanitatem reſpiciunt, quia ſub cauſis ſalubribus iam fuerant tractatæ: quæ morbum fientem ⁊el futurum ſub inſalubribus. Ideò illis omiſſis ad eas accedit, quæ corpus neutrum reſpiciunt iam lapſurum in morbum, ⁊el à morbo elabens: totæque poſitæ ſunt in humorum ⁊acuatione & alteratione. Quæ autem reficiunt & inſtaurant, in conualeſcentibus & ſenibus locum habent. Quibus ex cognitione diſpoſitionum, ſuas aptat cauſas ſalubres, ex motu, cibis, & potu conuenienter deſumptas, ⁊t ⁊idebimus. Atque hæc eſt ⁊ltima huius libri pars, ad quam refertur φυλακτικὴ neutrorum, ἀναληπτικὴ, & γηροκομικὴ, ⁊tiliſſimæ praxeos Medicæ partes. Hu ſubiungit catalogum librorum ſuorum, ex quibus fuſiorem iſtorum*

doctrinam,

Digitized by Google

doctrinam, quæ hic per capita tantùm ſunt indicata, repetere licet.

Nobis verò iam licet huius libri difficultatem (A. O.) atque vtilitatem contemplari. Difficultatem faciunt breuitas & grauitas dictorum, vnde verè ἀκριβιστικὸς appellari poteſt, vt qui à candidatis nonniſi accuratâ Profeſſoris explicatione intelligi poſſit; ab aliis, nonniſi priùs attentè omnes ferè Galeni libros alios perlegerint. At ſi quæ pulchra, difficilia: Ideò propter rei ipſius præſtantiam & vtilitatem incumbendum eſt nobis diligenter, ſiue in limine tantùm, ſiue in atriis iam Medicinæ poſiti ſimus, vt libelli eius explicatio, quæ ὑγιεινῶ, διαφυλακτικῶ, & προφυλακτικῶ complectetur, habitum nobis ad omnem Medicam praxin adferat, artificiosè & per ſuas indicationes exercendam. Quod diuinum potiùs eſt, quàm humanum munus. Ad Galenicum igitur hunc fontem auidiſſimè accedamus, quo ſi labra proluere & diuturnam noſtram ſitim explere liceat, ne quis deinceps iactitet aut Parnaſſi latices, aut alia Muſarum pocula tot Poëtis ac mythologis decantata: quæ nobis hîc pleno hauſtu ebibenda præbuit Galenus.

TEXTVS CAPITIS LXXXIV.

Ἐπεὶ δὲ καὶ τούτων (τῶν αἰτίων) ἔστι τὰ μὲν ὑγιεινὰ, τὰ δὲ νοσερὰ, τὰ δὲ ἀδιάφορα, πρῶτον περὶ τῶν ὑγιεινῶν ὁ λόγος ἔσται. ἐπεὶ δὲ καὶ τούτων αὐτῶν, τὰ μὲν ἐν φυλακτικὰ, τὰ δὲ ποιητικὰ τῆς ὑγείας. καὶ τὰ ἑξῆς, &c.

Quoniam verò & (cauſarum) harum, hæ quidem ſalubres, hæ autem inſalubres, hæ verò neutræ; primùm de cauſis ſalubribus erit ſermo. Quia verò & harum nonnullæ quidem conſeruatrices, nonnullæ effectrices ſanitatis, &c.

AGGREDIMVR ad explicationem tertiæ partis huius libri, in quâ tota Hygieine Medica luculenter continetur. Quamuis enim (A. O.) multi, iique clariſſimi viri in hoc deſudârint diligenter, & magna cum laude, quorum opera in artem hanc paruam Galeni, in omnium ſunt manu: Quia tamen illi vel omnibus ſcribunt, non certos docere ſuſceperunt, vel quia viuâ magis voce afficimur docentis, Medicinam potiſſimùm, quam nuſquam ex libris tantùm accuratè diſci poſſe exiſtimat Galenus, niſi ἔργου καὶ λόγου, *operæ & ſermonis* acceſſerint. Vel denique quoniam liber hic ſummam totius Medicæ artis continens, velut pingue ſolum frequenti culturâ minimè areſcit, ſed vberiorem fundit ſegetem: Ideò non infrugiferos aut inutiles fore hos noſtros labores exiſtimamus. Noſtrum enim inſtitutum eſt in his Medicis explicationibus aut exercitationibus, vt boni inprimis interpretis officio fungamur, nudam primùm authoris noſtri mentem adferre, eam non tam ex noſtrâ, quàm ex ipſiuſmet Galeni ſententiâ in aliis libris diexodicis contentâ, hoc eſt, Galenum per ipſummet explicare. Poſtmodum ſiquæ dubia fuerint, aut controuerſa, aut non ſatis demonſtrata, nullius addicti verbis in medium proferre, ac pro veritate fortiter ſemper ſtare: Idque non tam ipſius contextûs Galeni interpretationi addicti, & vocularum ſpeculationi, peragemus, quod Medici γραμματικώτεροι ſolent, quàm per capita quædam & quæſtiones. Hinc ducto exordio.

Factâ παραβάσει, tranſit Galenus à tractatu ſignorum ad cauſſas, ſecundùm ordinem operationum Medicarum, in quibus διάγνωσις corporum & diſpoſitionum per ſua ſigna, omnem præcedere debet actionem quæ in cauſis poſita eſt, vt ipſemet indicauit *ſub finem lib.* 1. *de ſanit tu.* Cauſæ enim iſtæ non ſunt conſtitutiuæ ſanitatis aut morbi, cùm eorum conſtitutionem intrinſecam minimè ingrediantur, ſed effectiuæ potiùs & extrinſecæ, quæ prout in variis corporibus operantur, modò ſalubres, modò inſalubres, modò neutræ dicuntur, quamuis omnes ſanitatem conſeruare aut efficere, ex Medici ſcopo propoſitum habeant, & hanc diuiſionem ex natura præmiſſæ definitionis ſuſcipiant.

In tractatu itaque cauſarum, is maximè ordo ſeruandus videtur, qui aut neceſſitatis, aut dignitatis, aut temporis exiſtit, vt ea ſcilicet priùs proponantur, quæ vel magis neceſſaria, vel præſtantiora, vel antiquiora exiſtunt. Inter cauſas autem conſtat, earum vt ad aliquid dictarum cognitionem, magis neceſſariam, digniorem ac priorem eſſe, quæ ſanum corporis noſtri ſtatum reſpiciunt, qui & tempore ægrum ac neutrum præcedit; ſani enim potiùs quàm ægri naſcimur, & dignitate tantum excellit, vt omnes alij ad hunc tanquam ad ſuam perfectionem reduci debeant. Ac ſi neceſſitatem ipſam reſpicias, quæ vt vult Hippocr. *lib. de Vet. Medic.* homines coëgit Medicinam totam inquirere atque inuenire, Quis non exiſtimet τὸ ἀναγκαῖον, durum illud *neceſſe*, priùs eos impuliſſe, dum victu illo ferino vterentur, glandem depaſcentes, aquam crudam potantes, ſub dio nudi pernoctantes, vt ſeſe in commodiorem viuendi rationem transferrent, quàm vt morbis curandis, quod multo eſt operoſius, proſpicerent. Atque, vt ait diuinus ille vir, quemadmodum ægrorum alimenta inuenta non fuiſſent, ſi ea quæ ſanis exhibemus, eiſdem conferre potuiſſent: Sic etiam ipſa ſanorum diæta atque alimonia, quâ nunc vtimur, minimè inuenta fuiſſet, ſi ſuffeciſſet homini idem cibus ac potus, qui boui, aut equo, vel aliis omnibus præter hominem, qualia ſunt cruda omnia, ſponte naſcentia, fructûs, herbæ, & ſimilia; Ita vt prior etiam fuerit neceſſitas inueniendi modum, quo ſanus conſeruaretur homo, & à morbis vindicaretur, quàm vt in morbos lapſus, denuò ad ſanitatem traduceretur.

Verùm ne fruſtrà cum Argenterio, perpetuæ contradictionis viro, contendamus, aſſerentis priorem eſſe tempore & dignitate modum ſanandi morbos, eo qui ſanos conſeruat. Hoc tamen nomine præcedere debet tractatio cauſarum ſalubrium in hoc opere, quòd ſani corporis explicatio ac cognitio præpoſita eſt explicationi ægrorum & neutrorum, vt rectum eſſet index eorum quæ obliqua exiſtunt. Et vt materia ſalubris, quæ non ſolùm in ſtatu ſano, ſed etiam in aliis vtilis eſt, ante eorum tractationem explicata eſſet. Nos igitur ex inſtituto Galeni, priùs de cauſis ſalubribus agentes, quàm de inſalubribus ac neutris, tria habemus præcognoſcenda: Quis ſit nimirum ſtatus ille ſanus, & quotuplex, An arte quadam Medicâ indigeat, vt talis perduret. Denique ſciendum, quæ habeamus dicenda in explicatione generali huius partis Medicinæ, quam ὑγιεινὴν vocant.

Homo rerum omnium creatarum centrum & norma, ad quem & omnia velut ad medium referuntur, & ab eo velut propriâ menſurâ expenduntur, ex corpore & anima conſtans, tanquam partibus eſſentialibus, hac quidem immortali, impatibili, vtpote quæ extrinſecùs, non de materiæ potentiâ aduenerit diuinæ particula auræ: Corpore autem corruptibili, doloribus obnoxio, ob mixtionis ſuæ contrarietatem, & in ea ex quibus primò conditum eſt, reſolubili: Inter quas duas partes & naturas admodum diſſitas poſitum eſt commune quoddam & quaſi medium vinculum, Spiritus ſcilicet æthereus, & calor natiuus, qui ſiue ſit inſitus, ἔμφυτος ſingulis partibus, ſiue à fontibus quibuſdam ἐπίῤῥυτος ſit & influens, corporis quidem rudiorem & brutam molem exſuſcitat, viuificat, & ad actionum munia diſponit, animæ verò quæ actus eſt primus, atque illius materiæ perfectiſſima ἐντελέχεια, inſtrumentum commune ſuppeditat, quo medio actûs omnes ſecundi, & functiones corporis determinatæ à facultatibus variis pendentes exercentur. Quamdiu igitur Anima in corpore adeſt noſtro, illi non aſſiſtens tantùm, ſed minimam quamcunque partem informans, quod fieri non poteſt abſque media illa natura, quam Spiritum & calorem appellauimus, tamdiu actiones multæ in nobis eduntur naturales, vitales, animales dictæ, Cùm viuere nihil ſit aliud quàm agere, & vita in trium iſtarum functionum muneribus poſita ſit.

Verùm vt functiones iſtæ generatim, ab anima & primo eius inſtrumento pendent, ſic determinantur ad certas corporis partes: Non enim anima vbique audit, ſed in aure; non vbique guſtat, ſed in lingua: non vbique ſanguificat, ſed in hepate; iſtis velut propriis organis ad certas illas & determinatas actiones vtens. In quibus vt communis eſt natura corporea, quam ξυμφυὲς Phyſicam, & Mathematicam, vnionem per formam & per continuitatem ſeu cohærentiam, vnde illa ὁμαλίη apud Hippocr. Sic duplex alia eſt conſtitutio, ad actiones duplices, ſimilares ſcilicet & inſtrumentarias, vel ex his mixtas exercendas, quarum prima temperies, alia verò organi conformatio appellatur. Atque vt hæ vel bonæ vel malæ exiſtunt, ſic etiam quæ ex his procedunt functiones, bene vel malè exercentur, vtpote malè diſpoſitis inſtrumentis earum proximis. Sic anima videt per oculum

ſenis,

ſenis, ſed imperfectè, tum propter vitium communis inſtrumenti, caloris ſcilicet natiui iam labaſcentis & conſumpti, tum proprij, oculi ſcilicet intemperati & marcidi: Sic anima ambulat in claudo, ſed deprauatè, ob figuræ vitium: Sic in apoplectico abolitæ ſunt functiones omnes animales, ex multis vitiis occupantibus tunc mentis humanæ ſedem. Quæcunque ergo eales læſiones accidant, ſiue vitio, communis inſtrumenti, ſeu particularis: cùm ex parte animæ non contingant certum eſt eas ſub ratione totius ſpeciei humanæ, prætiaricationes, *παραλλίσματα, νοσήματα*, defectus à communi & naturali conſtitutione appellari. Quæ naturalis conſtitutio in eo poſita eſt potiſſimùm, vt per eam omnes actiones quæ ad hominem & quantum ad hominem pertinent, ritè omnino exerceantur ac ſine moleſtia. Id autem fieri non poteſt, niſi duo illa Animæ inſtrumenta ſint bene comparata, temperamentum ſcilicet (tam vniuerſale, quod viuentis appellamus, quàm particulare, ex debitâ vniuſcuiuſque partis mixtione exurgens) & organorum conformatio in conuenienti figurâ, numero, magnitudine, & ſitu conſiſtens: Ex quibus ita coniunctis exurgit facilitas & voluptas quædam in omnibus operationibus, ſiue ferientur, ſiue exerceantur.

Hinc Galenus varias naturalis huius conſtitutionis definitiones confinxit, prout vel ad hæc materialia, Elementa ſcilicet bene mixta, & organa rectè compoſita: Vel ad formalia, proportionem ſcilicet commodam, componentium, Vel ad potentiam, quæ eſt ad actiones, reſpexit. Vocat enim aliquando temperiem, aliquando ſymmetriam, aliquando actionem naturalem, aliàs conſtitutionem optimam. Aliàs etiam per negationem expreſſit, vt *lib. 1. de ſanit. tu. Sanitas*, inquit, *eſt conſtitutio, in quâ nec doloribus cruciamur, nec in vitæ actionibus impedimur.* In quâ non malè Conſtitutio, ſeu *διάθεσις, diſpoſitio* adfertur, vtpote quæ genericè de morbo ac ſanitate prædicatur, quæque tum actum operandi, tum potentiam includit: Non enim per ſanitatem agimus ſemper, ſatis eſt ſi agere poſſimus, vt dormientes. Vnde talis definitio commodè aſſignari poteſt, Sanitatem eſſe conſtitutionem naturalem omnium corporis partium, quæ in bonâ ſimilarium temperie & vnione, atque organicarum ſymmetriâ poſita, functionum bonarum cauſa exiſtit: inſtrumentalis ſcilicet cauſa ipſius animæ, quæ verè principium effectiuum eſt in nobis. Sanitatis porrò cauſas, effectus, proprietates, hîc accuratiùs inquirere propoſitum non eſt nobis, quod ex *Pathologia* repeti commodiùs poteſt.

Ea enim quæ iam à nobis ſunt dicta, eatenus tantùm propoſita fuerunt, vt oſtenderemus naturalem illum ſtatum, circa quem conſideratio operationis noſtræ verſari nunc debet, non eſſe indiuiſibilem & indiuiſibilem, ſed maximam latitudinem obtinere. Si enim excludatur *ἀνωμαλία* illa antiquorum, certum eſt multos ſub Sani appellatione contineri, qui variè admodum ſecundùm perfectionem & imperfectionem, firmitatem & infirmitatem operationum inter ſe differunt, modò illud non ſit præter naturam particularem indiuidui aut ſpeciei. Nam cùm ſanitas in triplici partium corporis noſtri natura ſit poſita: Ex quibus vel conſentientibus vel diſſentientibus à naturali & perfecto ſtatu, Sanitas velut harmonia quædam exurgere debet; quis dubitet, Conſonantiam illam & tonum infinitis propemodum fieri poſſe modis, prout temperamentorum, ætatum, ſexûs, regionum, conditionum varietas, in his mutationem adferre poteſt. Sîc igitur Sanitatis perfectio ſumma, quæ vnica eſt, in abſtracto potiùs conſideratur à Medicis, vt index ſit & iudex ſanitatum, quæ ab hac deflectentes, in concreto; variis ſcilicet ſubiectis reperiuntur, quarum alias vocat Galenus *lib. de ſanit. tu.* ſanas *καθ' ἕξιν*, alias *κατὰ ἕξιν, habitu & habitudine.* In *libro noſtro* ſanas vt ſemper, vt plurimùm, vt nunc. Alibi vocat optimam ſanitatem, bonam ſanitatem, ſanitatẽ leuem, ac parum conſtantem, vt infinitas propemodum corporis ſani conſtitutiones, quæ quotidie etiam ſenſu in hominibus percipiuntur, in tres illos ordines doctrinæ causá redigeret: in quibus id certiſſimum eſt, optimam ſanitatem, quæ reperitur, tres illas partium noſtri corporis conſtitutiones, à quibus perfectæ eduntur actiones, habere abſolutè: alias verò ſanitates in harum vnâ vel pluribus deficere, aliquando ſcilicet in temperie, aliàs in conformatione, ſæpe in vtriſque, ab optimo ſtatu recedere. Non vnicum igitur conſtat eſſe hunc ſtatum quem vocamus ſanum, ſed ferè infinitum, ſi perfectionis & imperfectionis gradûs ſpectes, in quo *ἰσχία* illa conſtans & ægrè mutabilis conſtitutio ad omnes operationes perfectiſſimè edendas principatum obtinet; Alias verò omnes perfectiores ſeu imperfectiores, quia in aliquo quod ſecundùm naturam eſt, deficiunt, ideò reduxit Galenus *in hoc libro*, vbi indicationes ſanatiuæ

ſumendæ

ſumendæ erant, in triplicem lapſum, ſecundùm temperiem, conformationem, & vnitatem, vt nos poſteà accuratiùs dicturi ſumus. Hæc verò iam ad ſubiecti noſtri διάγνωσιν ſufficiunt. Videndum verò quod ſecundò fuerat propoſitum, An talis ſtatus ſiue magis ſiue minùs ad perfectum illum accedat, arte Medicâ regi debeat, vt talis diu, vel melior perduret, ad certum humanæ vitæ terminum. Non enim hîc immenſum quoddam durationis ſpatium quærimus, quo Poëtæ Hyperboreos viuere fabulantur, multò minùs, vt Circe Vlyſſi, aut vt Ægyptius quidam Medicus, Galeni tempore, immortalitatem pollicemur. Cùm mortis neceſſitas non ſolùm experimento certiſſimo, ſed etiam quicquid dicat Galenus, euidenti ratione demonſtrari poſſit. Si enim quod perpetuò fit, & ex naturæ lege, fit neceſſariò, vt ea omnia quæ aliquando ortum habuere, intereant tandem, eius etiam neceſſariam oportet eſſe cauſam ac perpetuam. Mors enim neceſſariò homini contingit, tum ab internis, tum ab externis cauſis; Internis quidem, tum quæ materialium, tum quæ formalium rationem obtinent: Materialia enim hominis remota ſunt ipſa Elementa, quæ mixtionem corporis noſtri per alterationem & refractionem quandam ingrediuntur, Contraria tamen & quæ pro qualitatis alicuius exceſſu ſtatim dominium in reliqua acquirunt, mutuámque exercent pugnam, vbi κρᾶσις illa & harmonia nimiùm eſt diſſoluta, vt apertis quibus continentur tandem repagulis, denuò (nihil enim violentum perpetuum) in propria reuertantur loca: Proxima verò ſunt humores ipſi, & partes ſimilares; Illi modò qualitatibus contrarij, modò multitudine, pro variâ externarum rerum, & ineuitabilium mutatione, perpetuò ſanitati noſtræ imminent, & in gratiſſimo illo conſenſu, pernicioſum diſſenſum ſemper continent: Partes verò ſimilares ſenſificæ, doloris vt ſunt capaces, ſic etiam diſſolutionis & interitûs, cùm dolor ille nonniſi ex propriæ naturæ, temperiei ſcilicet aut vnitatis immutatione ac recéſſu contingat, qui tandem ex diuturnâ paſſione integer introducitur. Adde naturam materiæ primæ, cui ingenitum eſt illud principium priuationis & diſpoſitionis ad ſuſceptionem nouarum formarum; quod fruſtrà eſſe non poteſt in homine, vt nec in aliis. Ex parte verò formalium, conſideramus ſpiritum primigenium, calorémque natiuum in certo humido poſitum, ex cuius etiam parte certa mortis neceſſitas imminet. Calor enim ille cùm ſit agens Phyſicum finitæ potentiæ, infinito tempore operari non poteſt, atque vt agit, ſic etiam repatitur ſuíque interitûs eſt cauſa per accidens. Calor enim noſter, vt doctè annotauit Auicennas, etiam in pueritiâ procul dubio humiditatem ſuperat, aliàs enim ab ipsâ ſuffocaretur: Procedit itaque velut ſuperior, in ipſam ſemper agendo atque exſiccando. Quamuis autem in principio ætatis, ea exſiccatio, æqualitatis cuiuſdam videatur particeps, in progreſſu tamen vbi ad terminum temperatæ ſiccitatis ventum eſt, tunc Calor vt qualitate potentior, in materiâ magis diſpoſitâ reſoluit magis, donec ad vltimum exſiccationis perueniens, ſublato proprio pabulo, humido ſcilicet primigenio, velut ellychnij propriâ humiditate, ipſemet per μάρανσιν extinguatur. Quod ſi, vt ſæpe ſolet, ad triplicis ſubſtantiæ noſtræ, ſpirituoſæ, humoralis, & ſolidæ, quæ perpetuò effluit, reparationem, aſſumendorum qualitas vel quantitas ſuperior euadat calore noſtro natiuo, fit vt περιττώματα multa colligantur, quæ ſuâ mole, vel inductâ putredine infeſtiſſima exiſtunt: Vnde excrementorum variorum prouentus per σβέσιν & *ſuffocationem* caloris noſtri, ſæpiſſimè dulciſſimum abrumpit vitæ noſtræ vinculum. His adde ex parte formalium, quòd Anima noſtra diuina, originis ſuæ memor, non ſemper terreno huic ergaſtulo adſtricta eſſe debeat.

Externa etiam omnia, vt generationi noſtræ principium dederunt, ſic corruptionis noſtræ authores, & cauſæ ineuitabiles exiſtunt: Cœli enim duplex ille motus, ἑτερότητος omnis & diuerſitatis principium exiſtit, Soliſque acceſſus ac receſſus varius, ortum atque interitum modò his, modò illis adfert ineuitabilem. Elementorum etiam omnium occurſus, quæ nos vndique circumſtant, ita nos infeſtant, vt perpetuam alterationem ac omnimodas viciſſitudines in nos inuehant, caloris, frigoris, humiditatis, ſiccitatis, potiſſimùm Aër in quo illud θεῖον Hippocratis poſitum, temperatiſſimas naturas Orco tradere & veluti debellare aptum natum eſt. Alimenta præterea, & varia annonæ ratio ita nos impugnant, vt ſæpe vel ob vitium ipſarum frugum, aquarum, pecudum, Vel ob ingluuiem hominum intemperatorum, nos expugnet. Violenta denique omnia externa, ictus, caſus, cùm nullâ hominum prouidentiâ in perpetuum euitari poſſint, contingit ſæpe vt vel mortem inſtantem accelerent, vel ex toto perniciem afferant præſentiſſimam.

Ex

Ex quibus omnibus concludere licet, Moriendum esse homini, idque necessariò; Illi enim, vt reliquis omnibus genitis æterna illa lex dicta est, nasci, denasci, oriri, aboriri. Magno tamen cum solatio id bonis viris contingit, quibus è vitâ istâ decedentibus certum est, omnes huius miserrimi Euripi molestias euitare, & sic ex mundi huius centro ad circumferentiam conuolare, vt sub pedibus Olympum conspiciant, Deique omnipotentis velut aspectu fruantur.

Atque vt mortis necessitatem hæc omnia probant, Sic etiam alterationis, immutationis, morborúmque in nobis, qui nihil sunt aliud quàm via ad mortem. Quamdiu autem optimus & naturalis status perdurat, tamdiu & vitæ spes permanet, & iucundè vita transigitur: Vtque sunt causæ internæ, externæ, statum illum immutantes; sic etiam oportet esse conseruantes vel restituentes eundem, cùm per seipsum non subsistat, sed mobilis sit atque alterabilis, vt iam probauimus. Quare erit modus quidam seu ratio vtendi causis istis ad sanitatis perfectæ aut imperfectæ tutelam, vel ex solâ hominum obseruatione constans, quod vulgare est, vel certis quibusdam præceptis constituta, quod inuentum magnum, vt inquit Hippocrates, *lib. de vet. Med.* & multæ artis ac considerationis existit, vtilissimámque Medicinæ partem ὑγιεινὴν constituit.

Sunt tamen qui repugnent, & omnem istam tuendæ sanitatis per præcepta rationem, inutilem esse censeant: Exemplo rusticorum, militum, & idiotarum, qui viuaciores multis vrbanis, Principibus, ac ipsis Medicis existunt. Deinde ratione, quòd accurata hæc norma viuendi sit peior liberâ, cùm ex minimo peccato illa offendatur, hæc verò etiam grauissima facillimè ferat, vt est elegantissimo *aphorismo*, qui *quintus* est *sect.* 1. vbi vult Hippocrates, in ægris & sanis periculosam esse exquisitam diætam & valde constitutam, ὅτι τὰ ἀκριβεύματα χαλεπώτερον φέρεται. Præterea ex ipsomet Galeno dicunt, Naturam solam in temperatis corporibus sufficere, in aliis therapeam requiri, & ad solos otiosos homines hanc tuendæ sanitatis rationem pertinere, cùm in aliis vsurpari non debeat. Tandem adferunt contextum illum pulcherrimum Celsi, viri Romani & eruditi, quo omnem excludere videtur curam Medicam à sano homine: *Sanus*, inquit; *homo, qui & bene valet, & sua sponte est, nullis obligare se legibus debet, ac neque Medico, neque iatraleipta egere; Hunc oportet varium habere vitæ genus, modò ruri esse, modò in vrbe, sæpiùs in agro, nauigare, venari, quiescere interdum, sed frequentiùs se exercere: Prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis vti, modò vngi, modò idipsum negligere, nullum cibi genus fugere, quo populus vtatur, interdum in conuiuio esse, modò ab eo se retrahere, modò plus iusto, modò non amplius assumere, bis die potiùs quàm semel cibum capere. Talia firmis seruanda sunt, cauendúmque ne in secunda valetudine, aduersa præsidia consumantur.* Hæc ille. Quibus multi vtuntur, vt curam hanc, vel artem sanitatis tuendæ, nullam, vel non necessariam esse probent.

Verùm facile erit nobis adhibitâ distinctione respondere, & artem hanc tuendæ sanitatis velut saluberrimam stabilire. Si enim, vt suprà probauimus, certum sit statum salubrem conseruari, restitui, atque destrui vsu illarum rerum variè adhibitarum, quas Recentiores *Non naturales* vocârunt, sequitur etiam vbi adest rectum & non rectum, salubre & non salubre, ibi etiam artem aliquam adesse, quæ doceat vtilia ab inutilibus seligere, non tantùm secundùm vniuersam hominum speciem, quod satis est inartificiosum, sed secundùm vnumquodque hominum temperamentum, sexum, ætatem, regionem, anni tempus, vitæ conditionem. Vtque concedamus religionis, patriæ, ac sapientiæ caussâ negligendam esse sanitatis conseruationem, cùm præstet parum & bene viuere, quàm diu & malè, aut sine laude; Est tamen in illis omnibus quod leges aliquas serues, neque te præcipitem des. Est ratio alia, quâ firmitatem quæras ad actiones, alia quâ vitæ longitudinem aut valetudinem firmam, quâ militem, nautam, viatorem, rusticum, & alios necessariis negotiis adstrictos; alia quâ vrbanum, otiosum, literatum hominem instruas, vt diu sub hac vitæ conditione, & Reipubl. vtiles, & sibi minùs noxios conserues. Interim aliquid constituas ἀκριβὲς, rectum, & exquisitum, quod sit omnium veluti idea & certa regula, à quo deflectere plus minùs possis, pro cereis quæ hîc statuentur legibus. Quis igitur has reiiciat? Quis ab vsibus humanis illud expellat, quod maximè in omnium hominum commoda succedit, vt secundùm temperamenti, ætatis, sexûs differentiam, & vitæ genus varium, sibi commodissimam vitæ rationem ex arte constituat. Nemo certè, nisi qui naturâ

præditus sit ferinâ, quales sunt Scythæ, Nomades,& Anthropophagi, cæteræque huiusmodi hominum pecudes.

Nam quod dicunt, Rusticos, milites diutiùs viuere Principibus, vrbanis viris, ipsisque Medicis, nihil vrget. Nam isti quamuis sine Medico, attamen non sine Medicinæ præceptis, naturâ vel conditione sic vrgente id perficiunt, cùm & labores gnauiter subeant, & frugalitatem in victu seruent, quæ duo esse vult capita conseruationis sanorum Hippocrates: Et quamuis crudioribus eduliis, dyspeptisque magis vtantur quàm vrbani, non tamen ita variis ac putredini obnoxiis, reliquúmque labore vincunt improbo, ac vt vult Hippocrates *lib. de vet. Med. Ex forti eiusmodi victu, vt consentaneum est plurimos debiliore naturâ præditos, aut non assuetos perire; sic illi qui victum istum superare possunt, longiori tempore durant ac resistunt.* Adde animi curas & sollicitudines, ac literarum studia, quibus reliqui perpetuò torquentur: Isti verò illis priuati, nullâ ratione animam à corpore seiungunt, sed terrenis veluti compedibus alligatam diutiùs retinent. Præterea hoc in genere verum non est, sed in indiuiduis quibusdam tantùm, quæ affirmationem vniuersalem conficere non possunt.

Quod verò attinet ad authoritatem Hippocratis, victum exquisitum damnantis, certum est etiam rationem tuendæ sanitatis, non habere pro scopo, ἀκριβῆ & accuratam illam diætam, quæ in nullo peccet, sed pro exemplari tantùm & idéa, ad quam omnes victûs instituendi rationes referuntur, prout magis ad illam accedunt vel recedunt, secundùm temperamenta varia, vitæ conditiones, & similia, quæ omnia Medicus ὑγιεινὸς artificiosè moderatur ac præscribit, non vno, quod aiunt, calopodio in omnibus vtens, sed vario pede ac modulo, prout in his vel illis vitæ conditio & alia requirunt, vt vel firmitatem virium, vel vitæ longæuitatem, vel valetudinem exquisitam procuret: Ad quæ tria intendere debet potissimùm. Atque hac cautione, vt si cui propter vitæ rationem in vno aut altero peccandum sit necessariò, putà aëre, exercitatione, aut alio, doceat quomodo reliquis emendare possit illorum noxas,ac diutiùs incommoda illa perferre. Non igitur solis otiosis hominibus conuenit hæc nostra ὑγιεινὴ, sed quibusuis etiam occupatissimis est necessaria, nisi de eâ parte, quam Reductionem vocant, intelligas, vt suo loco dicetur.

Natura quidem nostra, tam in hac parte, quàm in reliquis vitæ muniis, boni omnis initium & semina præbet: Ars verò complet & perficit. Adde, quòd natura non semper sui compos & regulata, sæpe in sua damna ruit, quæ ars præuidere potest: Neque semper intemperati sani διορθώσεως indigent, si leues fuerint lapsus, qui materiâ salubri corrigi possint.

Celsi autem contextus nihil contra nos facit; Ille enim parum artificiosus Medicus, quamuis disertissimus, & ad Reipubl. commoda respiciens, solam virium firmitatem quærit ex assuetudine & perenni ad causas resistentiâ, quam vt fateamur vtilissimam esse militi Romano, modò Ammonis æstûs, modò Scythicas pruinas sub pellibus & in castris passuro: tamen omnibus conuenire non potest, vt infirmioribus naturis, studiosisque hominibus, qui literarum amore rapti, mentis magis quàm corporis firmitatem quærunt, longiore tamen vitâ ac prosperâ valetudine dignissimi. Quas omnes vitæ & hominum conditiones ars ista complecti debet, non circa particularia quædam tantùm versari. Est igitur τυγιεινὴ, pars Medicinæ saluberrima, vtilissima, quæ & γυμναστικὴν, & ἰατρικὴν, cæteráque multas pro varietate materiæ salubris, vel constitutionum diuersarum distinctas, sub se continet, vt docet eleganter Galenus *libro* cui titulum fecit, *An ars tuendæ sanitatis ad Medicinam pertineat.*

Superest vt videamus, quod tertiò erat propositum; quæ sint à nobis dicenda, vt vniuersalem hanc ὑγιεινὴν tractationem artificiosè complere possimus.

Id autem commodiùs fieri non potest in certis partibus, vt in tota arte, quàm si teste Galeno, ex finis notione, qui cætera potestate continet, progrediamur. Is autem cùm sit sanitas, eáque perfecta vel imperfecta, certum est illam conseruatione indigere, hanc & conseruatione & restitutione. Hoc autem cùm fieri non possit immediatè à Medico, sed media quadam materia, seu instrumentis; Sciendum inprimis est, quæ sit illa materia salubris, & quis eius vsus. Eius autem vsus teneri non potest, nisi sciuerimus quæ sint indicationes seu insinuationes agendorum in corporibus sanis, primò per communissimam indicationem, deinde per particulares in vnoquoque sano. Sanum itaque perfectè, cùm sit veluti regula

omnium

omnium aliorum, ideò primùm de eius cura est agendum, vt deinde eos qui à perfectione recedunt, quod sit vel secundùm temperiem, vel conformationem; vel vnitatem ipsam, solas aut iunctas, arte nostra iuuare possimus, quod est propositum finem assequi, sanitatem scil. integram seruare, vel lapsam sub latitudine tamen sanitatis restituere. Quinque igitur capitibus totam hanc nostram tractationem perficiemus: quorum *primum* erit de materia salubri, & eius vsu in genere. *Secundum*, de indicationibus sanatiuis, & primùm de communissimâ illa, An similia similibus conseruentur, cui tota Hygieine innititur. *Tertium*, de conseruatione exactè sani, & materia in illo salubri. *Quartum*, de sanis, qui lapsi sunt secundùm temperiem, siue æqualiter, siue inæqualiter intemperatis. *Quintum*, & *vltimum* de eis qui lapsi sunt secundùm organi vitia, aut vnionis solutionem. Quibus nihil aliud addi potest, quod ad tutelam sanitatis faciat. Nos verò semper fontes indicabimus, in quibus vberiùs particulares istæ tractationes continentur.

TEXTVS GALENI.

Ἀλλοιῶται τοίνυν τὸ ζῶμα, πρὸς μὲν τινῶν ἐξ ἀνάγκης πρὸς δὲ τινῶν, οὐκ ἐξ ἀνάγκης. λέγω δὲ ἐξ ἀνάγκης μὲν οἷς ἀδύνατον αὐτῷ ἐστι μὴ πληγάζειν· οὐκ ἐξ ἀνάγκης δὲ τὰ λοιπά. καὶ τὰ ἑξῆς.

Alteratur igitur corpus à nonnullis quidem necessariò, à quibusdam verò non necessariò. Dico autem necessariò, quæ nulla est euitandi ratio; Non necessariò autem reliqua, &c.

ΥΓΙΕΙΝΗ,

QVINQVE CAPITIBVS CONCLVDITVR.

CAPVT I.

De materia salubri in genere, & eius vsu.

SANITAS à Medico non immediatè sed mediatè conseruatur, corrigitur, restituitur, per causas scil. quas ideò vocarunt salubres, aliàs instrumenta, aliàs materiam salubrem, quibus vtens Medicus variè actionem illarum dirigit, vt eam propositus finis sequatur. Cognita itaque natura corporis sani, eiusque multiplicis per propria signa, æquum est nunc inprimis scire, quæ sint illæ causæ, quot sint, quæ causarum proprietates & effectus, quis sit vsus in genere, & quid in eo obseruandum, vt illis ita præcognitis feliciùs aptari possint, tam ad conseruationem sani, quàm correctionem lapsi, sub latitudine tamen sanitatis positi.

Quæ sint igitur, & quot sint hæ causæ, ita inquiramus: Cùm certum sit corpus nostrum mutationi omni atque ἀλλοιότητι obnoxium, vndique causarum illud impugnantium vi obsideri, vt quoquò te vertas, vbique instare pericula, & in humanæ vitæ securitatem veluti coniurationes animaduertas. At inter ista patet quædam esse, quæ nobis ita coniuncta sunt & familiaria, vt siue iuuamen siue perniciem secum inferant, ἐξ ἀνάγκης, *necessariò* illis sit in genere vtendum, quamuis enim hoc v. g. aëre qui te circumstat, aut toto Monspelienſi aëre, cùm Pergami fueris, carere possis; at nusquam in totum aëre carebis inspirato aut perspirato, & sic de reliquis. Quæcunque igitur ita ad vitæ conseruationem faciunt, vt sine illis vita diu subsistere non possit, sed perpetuo eorum vsu indigeat, illa certè dicuntur causæ salubres necessariò nos afficientes, circa quas ars Medica salubris potissimùm versari debet. Hæ enim cùm primariò dispositæ sint & comparatæ ad hominis tutelam & conseruationem, fieri tamen potest vt ex contraria constitutione, vel peruerso earum vsu, aut corporum variis affectibus, illi quàm maximè sint noxiæ: Vnde tam salubres, quàm insalubres existunt, quoad nos, & prout in vsu diuersorum considerantur. Quod idem contingere potest causis illis, quæ non semper &

Digitized by Google

ex neceſſitate, ſed aliquando tantùm aut caſu nos afficiunt, vt poſteà dicemus. Porrò cùm viuere, vt docet Ariſtoteles, nihil ſit quàm agere, vitáque noſtra poſita ſit in aggregato trium illarum primarum functionum, animalis ſcil. vitalis, & naturalis, quibus ſubſiſtentibus & ritè munia ſua exercentibus, homo bene valere exiſtimatur. Sic ad vitæ durationem, harum facultatum robur & integritas ſeruanda eſt. Ad quod præſtandum res quaſdam ſenario numero comprehenſas neceſſariò concurrere reperiemus, non plures. Vigilia ſcil. cum ſuo oppoſito, & Motus cum ſuo oppoſito, facultati animali. Aër, & affectûs animi vitali: Cibus cum potu, Excreta cum retentis, naturali. Quarum duæ ſunt res extraneæ & reuera ſubſiſtentes, Aër ſcil. & Cibi ac potus: Aliæ verò ab internis pendentes, exteriorum tamen cauſarum naturam induunt, vt motus, vigilia, animi pathemata, & excretiones, quoniam cùm non ſint corporeæ cauſæ in nobis ſubſiſtentes, ſed corporeas cauſas moueant, ſiue antecedentes ſiue coniunctas, ideò inter Euidentes numerantur. Sunt igitur ſex illæ res ſtatum noſtrum ſalubrem neceſſariò reſpicientes, in vſu etiam inſalubrium & neutrorum ineuitabiles. Nam internæ illæ tres, triplicis ſcil. ſubſtantiæ noſtræ fluor, ſiccitas quæ tempore inducitur, & excrementorum prouentus, quamuis neceſſariò in nos agant, quia tamen antecedentium vel coniunctarum cauſarum rationem obtinent, ideò inter euidentes iſtas & procatarcticas cauſas referri non debent. Præter quas ſex non dari alias id ſuadet, quòd in genere materiæ ſalubris nihil ſit, quod ad iſtas facilè reuocari non poſſit, ſi id neceſſariò nos afficiat. Quamuis enim Galenus *lib. 5. de Sanit. tu.* quatuor fecerit genera materiæ Medicæ, quæ mutandi corpus vim habet in bonum vel malum, aſſumendorum ſcil. faciendorum, educendorum, & admouendorum, ſub quibus multa alia præter iſta ſex reperiuntur, tam neceſſariò quàm non neceſſariò agentia, tam ſponte naturæ quàm ex inſtituto, voluntate, aut caſu nos alterantia. Meliùs tamen hîc quaſi per genera Phyſica propoſuit, & veluti digito indicauit materiam neceſſariò nos afficientem, vt liceret vnicuique tam in enumeratione cauſarum, quàm in conſeruatione ſanitatis, & morborum curatione per hæc primùm diſcurrere, poſtmodum ad ea venire, quæ non ita neceſſariò nos afficiunt, ſed tamen ſæpe caſu, vel ex propoſito proprio quibuſdam mutationes, alterationes, conſeruationes, aut reſtitutiones inuehere poſſunt. Circa quæ vltima, quamuis Galenus nolit artem noſtram ſalubrem verſari: quia tamen ad enumerationem & inuentionem omnium cauſarum in nos agentium maximè conducunt, ideò à nobis, doctrinæ gratiâ, quia harum cognitio ad quatuor facit Medicinæ partes, Pathologiam, Hygieinen, Prophylacticen, & Therapeiam, in duas claſſes cauſæ iſtæ omnes ita digerantur. Sit igitur *primus ordo* rerum in nos neceſſariò agentium, quas nemo in genere euitare poteſt, ſex nimirum illarum, Aëris, Cibi & potus, Somni & vigiliæ, Motus & quietis, Excretorum & retentorum, Animi pathematum. Sit *ſecundus ordo* rerum non ita neceſſariò in nos agentium, ſæpe tamen accidentium, quas referemus ſub quatuor illis generibus, Aſſumendorum, Admouendorum, Educendorum, & Faciendorum. Inter *aſſumenda* licet reuocare ea omnia, quæ præter alimenta ingeruntur, vt venena, medicamenta, lapillos, ferrum, aurum, & cætera huiuſmodi, quæ vel imprudenter, vel vi, aut aliâ ex cauſâ vorantur, aut per aliam patentem corporis viam induntur, vt anum, veſicam, vterum, pudendum, nares, veluti odores omnes & fumi ad interiora penetrantes. Inter *admouenda* præter Aërem, reponemus balnea tum ſicca, vt æſtuaria in Laconico, in arenâ, fimo, & ſimilibus: tum humida, quæ vel arte parantur, vel ſponte naturæ producuntur, qualia ſunt aquæ fluminum, fontium, maris, in quibus lotiones, natationes exercere ſolemus, thermæ variis qualitatibus infectæ, vt aluminoſæ, ſulphureæ, nitroſæ, ferreæ, æreæ, & ſimiles. Sub hoc etiam genere continentur Vnctiones omnes, cataplaſmata, cerata, emplaſtra, tum ea quæ appenduntur collo, aut circumjiciuntur alijs partibus extrinſecis, inter quæ veſtes quibus operimur, principatum obtinent. Non ſolùm enim ad ornatum, ſed ad commodum inuentæ ſunt, dum modò per ſe, modò per accidens corpora noſtra calfaciunt vel refrigerant. Item ad genus hoc reuocari debet Domus ſeu habitaculi conſtitutio, in quo verſamur. Inter *educenda* reponamus, præter ea quæ excernuntur aut retinentur ſolius naturæ operâ, ea omnia quæ è corpore educuntur per vomitus, purgationes, venæſectiones, ſcarificationes artificioſè, aut alio quouis modo inſtituras. Sub quibus etiam Venerem recenſere lubet, vt quæ magis per illud quod excernitur, nos afficit, quàm vel motu corporis, vel commotione animi. Superſunt *gerenda* ſeu

facienda,

facienda, ad quæ reuocantur præter animi & corporis motus aut quietem ; frictiones, incula, ligaturæ, omniaque contundentia, atterentia, vulnerantia, & quæcunque fortuitò in nos irruunt à causis violentis.

Ecce omnem materiam Medicam sub duplici isto ordine repositam, nempe causas salubres, insalubres, & neutras, pro vario earum vsu, secundùm diuersorum hominum naturas & constitutiones necessariò vel non necessariò nos afficientes, modò per se & ex propriis qualitatibus, modò per accidens : Aliàs immediatè & proximè, aliàs verò mediatè, suscitatis scil. causis propinquioribus, aliàs subitò, aliàs verò paulatim. Quarum omnium explicationem nobis propositum non est persequi, sed earum tantùm quæ materiam salubrem & victus rationem respiciunt, hoc est, sex illarum rerum non naturalium dictarum, in quarum enarratione siquæ fuerint ex aliis causis his ita annexæ, vt ferè ab earum cognitione pendeant, breuiter etiam annotabuntur.

Verùm quoniam Galenus in *contextu nostro* videtur sibi ipsi repugnare, dum vult in harum causarum vsu qualitatem solùm & quantitatem spectandam, cùm tamen *alibi* multò plura proponat : Ideò imprimis sciendum, quæ & quot in istis habeamus consideranda, ad sanitatis conseruationem, priusquàm ad explicationem earum particularem veniamus.

Certum est igitur Res istas conseruantes & efficientes sanitatem, tales dici secundùm actionem eam quam exercent in nobis, quæ cùm pendeat ex certâ dispositione causæ illius agentis, & proportione quadam illius cum eo quod afficitur, si debitus & conueniens esse debeat effectus, qualem promouere & procurare Medico ὑγιεινῷ est propositum : sequitur hinc in causis istis, *Qualitatem* spectandam primùm, vtpote à qua actiones pendere solent, & cui vel ad curationem morborum, vel ad sanitatis tutelam, ὑγιείᾳ potissimùm adscribenda videtur. At quia hæc qualitas ex genere affectûs propositi desumpta, siue intensi siue remissi sit gradûs, effectum illum inducere non potest regulatum, nisi tum ex parte ipsius causæ, tum ex parte ipsius corporis afficiendi, (magnitudinem vel paruitatem vocant affectûs) debita quædam quantitas, siue secundùm molem, vt in alimento, siue secundùm durationem, vt in somno, exercitatione, & similibus spectetur, ideò statim qualitati *quantitatem*, tanquam intentiones duas sufficientes coniunxit. Verùm quoniam omnis actio in tempore fit quodam, pro cuius constitutione variâ, aut diuersâ earum rerum quæ tempori subjiciuntur dispositione, felicior vel infelicior ea succedit actio : Ideò *opportunitas* illa velut circumstantia quædam valde necessaria ad actiones Medicas, & ab Hippocrate diligenter est annotata, dum *primo* illo *aphorismo*, non solùm periculosum esse experimentum, & iudicium difficile ex parte subiecti voluit, sed etiam καιρὸν ὀξυν, *occasionem precipitem* ex parte remedij. Et ab ipso Galeno alibi, vt *lib. de optima secta, libris methodi*, Temporis maximè habetur consideratio, vt quæ maximè ad cognitionem affectûs faciat, & ad qualitatem quantitatémque auxilij conjectandam. Hîc tamen eam rejicere, etiam adhibitâ ratione conatur, velut minùs artificiosam, quia si quale quantúmque conuenienter adhibeatur remedium, frustrà temporis habebitur ratio. Si verò extra occasionem & inconuenienter adhibeatur, peccatum fuit non ratione temporis, sed quia non quale quantúmque conueniebat, exhibitum est. Hæc est Galeni ratio in hoc nostro contextu : cui etsi illud concedamus, quod negari non potest, tempus inter indicationes vel curatrices vel conseruatrices annumerari non debere, vtpote quod neque curatur, neque conseruatur; Quia tamen ita concurrit in designandâ propositi affectûs quantitate & qualitate, vt sine eo vix sit perceptibilis ; hinc enim illa morborum in sua tempora diuisio: fit vt ipsa remedij quantitas qualitásque ritè designari non possit, absque ipsius temporis notatione. Hinc tot aphorismi hippocratis, temporis occasionem & opportunitatem remediorum designant, vt 22. & 24. *sect.* 1. 29. *s.* 2. *In principio morborum, siquid mouendum videtur, mone : In statu verò quiescere, melius est.* 10. *sect.* 4. 4. 5. 12. *s.* 4. 8. *s.* 1. *In statu tenuissimo uti victu oportet.* & 9. 10. 11. 17. 19. *eiusdem sect.* vt alios propè infinitos omittam. Quæ omnia suadent, temporis occasionem vtilissimè, si non primò & admodum propriè : ratione tamen agnitionis nostræ, inter ea quæ considerantur in vsu auxiliorum, reponendam esse.

Præter qualitatem, quantitatem, & occasionem, ipsemet Galenus, velut sui & dictorum immemor, videtur duo adhuc alia adjicere, *Substantiam* nimirum, vt in aëre & alimentis, & *Ordinem* inter ea quæ plura numero exhibentur. Ac si rei

Digitized by Google

ipſius Medicæ vtilitatem & commoditatem ſpectes, cùm alimenta ipſa & medicamenta multa, Aër etiam non ſolùm vi ſuarum qualitatum manifeſtarum, ſed etiam totius ſubſtantiæ more Medico ſumptæ, agere in nos dicantur, & perpetuò à Galeno id repetatur, cúrnon etiam in iſtarum cauſarum vſu ſubſtantiam ipſam, ſires ita ferat, ſpectabimus? Denique cùm præter ſubſtantiam, qualitatem, quantitatem, occaſionem, multi contingere poſſint errores, omiſſo cauſarum iſtarum debito ordine, ſi plures ſimul offerendæ ſint, vt patet de cibo & potu, in quibus ipſemet Galenus *Comm. in aphor.* 28. *ſect.* 6. vult Vinum ante cibos ſumptum arthritides gignere, ſolo ordinis vitio, Quidni τάξιν etiam & diſpoſitionem earum, quæ contingit ſecundùm prius & poſterius conſiderabimus, vt hæc faciliùs & diſtinctiùs explicentur? Quamuis ergo & Subſtantia, & Occaſio, & Ordo violenter & quodammodo ad Quantitatem & Qualitatem reuocari poſſint, nos tamen clarioris doctrinæ causâ, hæc quinque ſeiunctim conſideranda exiſtimamus, *Subſtantiam, Qualitatem, Quantitatem, Tempus, & Ordinem*, prout cauſarum illarum natura id ferret, ad quarum explicationem iam accedimus, ducto ab aëre initio.

§. I.

De Aëre.

VT animantium omnium reliquorúmque miſtorum corpora ex elementis primò conflata compoſitáque fuêre; Sic etiam ad eorum nutritionem, conſeruationémque neceſſariò concurrunt, illúdque ſi debitè vſurpata fuerint efficiunt: Sin minùs, mutationem, alterationem, aque adeò interitum inferre poſſunt. Vtque corpora iſta inextinguibili atque infatigabili calore, quamdiu viuunt perfuſa, triplici conſtant ſubſtantiâ, ſolidâ, humorali & ſpirituoſâ, quæ perpetuam patitur ἀνάῤῥοιαν, & effluxum perpetuâ reparatione indigentem: Sic ad ſubſidium iſtud, quatuor illa ex quibus geniti ſumus elementa concurrunt, terreum ſcilicet & aqueum ad ſolidam, humidámque ſubſtantiam potiſſimùm reponendam, non quidem impermixta & ſyncera, ſed ſub genere cibi & potûs, vt poſteà dicemus. Igneum autem & aëreum ad ſpirituoſæ ſubſtantiæ potiſſimùm reparationem, quæ vt maximè eſt diſſipabilis & reſolubilis, ſic etiam celerrimis & copioſiſſimis fomentis indigebat ex aëre inſpirato perſpiratóque deſumtis. Qui non purum quid & ἀκεράσιος elementum exiſtit, ſed corpus permixtum in ſuâ ſubſtantiâ plurimo aëre, partibus igneis multis, vaporibus aqueis, terreníſque exhalationibus conſtans. Hic tantâ celeritate corpus noſtrum aggreditur (quod Hippocrates voluit eſſe ξυμπνεῦν καὶ ξυῤῥεῖν, *tranſpirabile & confluxile*) vt momento temporis inſpiratus, os, guttur, pulmones, cor, arterias omnes, nares, cerebrum peruadat; tranſpiratus verò exteriores arterias, cutiſque poros ſubeat, ac omnem corporis habitum permeet. Tantáque neceſſitate attrahitur, tum ad ſpirituum generationem, qui ex aërea hac materiâ tenuiori benignioris ſanguinis exhalationi permixta ſuſcitantur; tum ad temperationem caloris noſtri æſtuantis & concluſi, qui hoc veluti flabello ventilatur; tum ad excluſionem excrementorum illorum fuliginoſorum, quæ per coctiones in nobis excitantur, non ſolùm in primis officinis, ſed etiam in quibuſuis corporis partibus, vt ſine inſpiratione nouâ & continuâ, tranſpirationéque, ne horam quidem integram homo perdurare poſſit. Hinc Hippocrates *lib. de aëre, aquis & locis*, totus ferè occupatur in inueſtigandâ tradendáque variâ aëris naturâ, Hinc *libro de flatibus* vocat μεγίστην ἐν ἅπασι δύναμιν, *maximum omnium* quæ corpori accidunt, auctorem & *dominum*, Quoniam, vt ſubdit ille, ab omnibus operibus immunes aliquando quieſcere poſſunt homines, ab hoc autem nulla omnibus caducis animantibus requies contingit, niſi ἐν βραχεῖ μέρει perire illis ſit conſtiturum. Hinc Hippocrates *in Epidem.* ſoli mutationem conſulit in longis morbis, & Galenus exurgentes è morbo, vult extra patriam agentes, proprios repetere lares, ad faciliorem conualeſcentiam. De potentiſſimâ itaque & communiſſimâ hac cauſâ acturi, quantum ad hygieinen noſtram pertinet, cùm certum iamque à nobis probatum ſit, Aërem non ſolùm vt effectricem cauſam ſuis nos afficere qualitatibus, ſed etiam materiam ſuppeditare ad generationem ſpirituum; Ideò priùs *ſubſtantia* illius conſideranda, pro cuius variâ conſtitutione, diuerſi in nobis effectus produci poſſunt. Penès hanc autem Purus & impurus, Craſſus & tenuis dicitur. Puritas enim ſpectatur penès integritatem ſubſtantiæ aëreæ, ſiue illa tenuis ſit,

sic, siue crassa; Impuritas verò penès vitium & corruptelam, siue cum tenuitate id contingat, vt sit per receptionem influxus maligni à corporibus cœlestibus, siue cum crassitie, quod frequentius est, ex permixtione tęterrimorum vaporum, fœtidissimarum exhalationum, pulueris, nebularum, & similium heterogeneorum aëri permixtorum. Sic igitur ex parte substantiæ aëris, illius *puritas* maximè laudabilis, & cuicunque temperamento, sexui, ætati, conditioni vtilis, tum ex eo quod immediatè nos iuuat, dum spiritûs nostros collustrat, & defæcatiores profert, sanguinem tenuat, corpus purificat & excrementis liberat: tum mediatè, dum frugibus, aquis, pecudibus, & similibus ex quibus nutrimur, talem substantiæ suæ conditionem impertit. Contrà *impuritas* nulli non temperamenti & vitæ generi noxia, siue sit illa naturalis certæ cuidam regioni ac loco propria, ex perpetuo cloacæ, paludis, fluminis halitu, aut tetterimâ aliâ exhalatione, qualem esse ferunt circa Sardes & Hierapolin: Aut aduentitia, tum ex impressione corporum cœlestium, malefică quadam labe aërem inficientium, qualem fuisse ferunt, anno 1345. post Saturni, Iouis & Martis coniunctionem in XIIII. gradu Aquarij: tum ex corporibus aliis putrentibus, cadaueribus, locustis, leguminibus, cannabe, & similibus, ex quibus ita inficitur aliquando aër, vt non solùm vna regio, sed plerumque integra mundi plaga per ventorum afflatûs, mortifera illa seminaria suscipiat. Quod Hippocrates τὸ θεῖον, *quid diuinum* in morbis appellauit, potentissimam nimirum causam & communissimam labem denotans. Est aliquando cùm impuritas ista non ita est perniciosa, quamuis noxia, vt nebularum, imbrium, vaporum crassissimorum, qualem esse ferunt apud Cimmerios; pulueris perpetuâ ventorum agitatione suscitati, qualem esse dicunt apud Garamantas & deserta Libyæ; cæteráque eiusmodi incommoda aëris impuri, quę miseris mortalibus vitalem auram spirãtibus spirituum obtenebrationem, humorum cõfusionem, ac caloris natiui suffocationem adferre solent.

Alia est ratio crassitiei & tenuitatis aëris; Non enim vt Puritas omnibus simpliciter bona, sic tenuitas; Nec vt impuritas omnibus mala, sic etiam crassities. Quamuis enim *tenuitas* aëris & penetrabilitas ad expurganda corpora faciat: quia tamen resoluit maximè, & qualitates omnes frigiditatis, siccitatis, caliditatis, citò & violenter imprimit, Ideò corporibus infirmis, quibus vel ob natiuum temperamentum, sexum, ætatem, aut morbum, calor natiuus adest imbecillior, non est vtilis. Vt contrà aliis commodus esse potest, qui perflatione maximâ, attenuatione, aut exsiccatione indigent, vtpote ad vlcerum in pulmone sigillationem, Galenus tabidos Romæ degentes, Thabias relegabat. *Crassities* autem aëris, dummodò sit cum puritate, aut certè mediocritas substantiæ, magis conuenit mediæ naturæ & temperamenti hominibus, cùm non ita afficiat & violenter commoueat corpus, quod vbique esse periculosum docuit Hippocrates. Atque hæc de substantia aëris.

Quod ad *Qualitatem* eius attinet, certum est, aërem, vt mediocris temperaturæ inter caliditatem, humiditatem, atque ob substantiæ suæ raritatem, facilè reddi omnium qualitatum participem, vt momento ferè temporis, caliditatis frigiditatisque vicissitudines suscipere possit: Vnde illud Hippocratis, *Aphor. 4. sect. 3.* Ὅταν τῆς αὐτῆς ἡμέρης, ὁτὲ μὲν θάλπῃ, ὁτὲ δὲ ψύχῃ γένηται, φθινοπωρινὰ τὰ νοσήματα μεταδιχῇ χρὴ. Hinc fit vt mutationes in hisce qualitatibus primis vndique suscipere possit. Ab ipso quidem Sole primùm, latione illa diurna ab Oriente in Occidentem, quâ variæ nobis aëris constitutiones repræsentantur, Crepusculi seu auroræ, matutini temporis, meridiei, seri, & noctis, quæ pro vario suo statu, humoribus nostris etiam diurnum motum inferre solent. Inter has diei partes, *serum* illud *tempus*, post breuem Solis occasum, maximè habetur noxium; quoniam tunc vapores eleuati, & in prima aëris regione subsistentes, jam apparente nocte condensantur, & capita infirmiorum hominum penetrant. Qua de causa etiam, quamuis non ita noxiè, sub matutinum crepusculum, vapores qui aduentante Sole eleuantur, nos eadem ratione afficere possunt. Deinde Solis per Zodiacum peragratio suo accessu & recessu ad nos, minore aut diuturniore mora quatuor nobis anni quadras constituit, duobus solstitiis, & totidem æquinoctiis distinctas, variáque temperie præditas, elementis humoribúsque nostris analogas, Ver scil. Æstatem, Autumnum, & Hyemem, de quibus extant tot elegantissimi Aphorismi Hippocratis *sect. 3.* vbi harum tempestatum naturam & effectus in nobis describit. Item præter ipsius vim Solis, credibile est aliarum stellarum influxum concurrere, illam augentium vel minuentium, vt omittam Lunæ efficaciam, crescentis, decrescentis, silentis, & plenæ, quæ manifestum & penè sensibilem habet dominatum in

humidi

humiditates omnes mouendas & augendas. Atque vt ſuperiora corpora in aëre hæc præſtant; ſic inferiora mutationes in illo maximas excitant; Aquarum enim, niuium, glaciei propinquitas, Regionum, vrbium, locorum diuerſitas, quantas in eo pariant mutationes, nemini eſt ignotum. Regiones enim & variæ mundi plagæ, diſtinctáque climata, diſtinctam etiam habent aëris temperaturam: Alia eſt Orientis, alia Occidentis, alia Meridiei, alia Septentrionis conditio. Ita vt vrbes, loca, domus, pro vario ad hos mundi cardines ſitu, vt docet Hippocrates, variam etiam habeant in aëre, aquis, cibis mutationem. Atque in vrbe aut domo poſitiones ſublimes vel demiſſæ, apertæ vel occluſæ, ad montem, conuallem, flumen, mare, ſtagnum, paludem, ſabuleta, nemora varia, aut pingue ſolum, talem adferunt conſtitutionem aëri, qualem iſta quibus ſunt propinqua, habere poſſunt. Quid dicam de Ventorum potentia, ab Hippocrate 3 *ſect. aphor.* 5. & 17. eleganter expreſſa, in mutando aëre, ab Auſtro, axe, ortu, aut occaſu ſpirantium, qui talem inferunt illi qualitatem, qualem ex decurſu ſuo per certam mundi plagam recipiunt, quamuis ex propria ſua natura & origine ſimiles ſint, quique regiones, vrbes, domus variè illis expoſitas, commodiores vel minùs commodas hominibus reddunt. Adde quæcunque in locis quibuſuis ſpirantia, & fragrantia, quæ odoribus illis aëris qualitates immutant. Hæc omnia ſcire & diligenter obſeruare decet Medicum, vt vult Hippocrates *lib. de aër. locis & aquis*, non vt Aſtronomum aut Geographum, ſed vt ſanitati hominum conſulat, venturóſque morbos proſpiciat, aut iam genitorum & popularium naturam detegat, quam efficienti cauſæ ſimilem eſſe par eſt. Quod ille elegantiſſimo illo *libro iam citato*, & *ſect.* 3 *aphoriſmorum* præſtitit, ad quos plenioris doctrinæ gratiâ recurrendum eſt. Nunc enim ſufficiat pro noſtro inſtituto dicere, Aërem temperatum, aut excellenti quadam qualitate affectum, calidâ, frigidâ, humidâ, aut ſiccâ, non æquè omnibus conuenire. Quamuis enim temperatus aër omni videatur exceſſui contrarius, quia tamen non ſufficit ad multa intemperamenta ſub latitudine etiam ſanitatis poſita, corrigenda, ideò cum Galeno *lib.* 1. *de ſanit. tu.* exiſtimamus, temperatum aërem temperatis conuenire, nulli autem aliorum nocere, ſed contrarias qualitates parum potenter corrigere, quæ oppoſitis exceſſibus faciliùs emendantur, vt nos ſuo loco clariùs dicemus. Nunc iſta in genere de qualitatibus aëris dixiſſe ſufficiat.

Poſt ſubſtantiam & qualitatem aëris, Videamus an etiam *Quantitas* illius ſit ſpectanda, quod primò non videtur, quoniam circumfuſi nobis vndiquaque aëris quantitatem moderari, non eſt in nobis poſitum; ſecundò, quia in corpore bene conſtituto, conſtante facultate & inſtrumentis eum inſpiramus aërem, quem vſus, finalis ſcil. cauſa requirit. Attamen cùm poſſimus ex certâ ratione & artis præcepto hunc inſpirandi vel tranſpirandi aëris modum & vſum variare, hinc fit vt quantitatem etiam in illo ſpectare poſſimus: Sic flante Zephyro, aut ſuaui quauis aurâ, apertis naribus, ore patulo, & expanſo pectore illam haurire ſolemus. Contrà in moleſta aëris conſtitutione meatûs omnes corporis contrahimus, aut etiam odoratis opplemus. Sic Hippocrates *lib. de nat. hum* vult in ſtatu peſtilenti, nos quàm pauciſſimum aërem inſpirare, neque vllo vti corporis motu, qui reſpirationem augere poſſit. Adde quòd quantitatem etiam aëris, ex duratione ipſa moderari licet, vt ſcilicet ex longiore & breuiore morâ, cùm non in totum carere poſſimus, hoc tamen vel illo breuiùs fruamur, aëre puro vel impuro, craſſo vel tenui, calido aut frigido, Solis aut Lunæ radiis expoſito, diutiùs aut breuiùs vtamur, pro variis Medici intentionibus: In peſte fugiendum;

Hæc tria tabificam curant aduerbia peſtem,
Mox, longè, tardè, cede, recede, redi.

Quibus moderandæ quantitatis ratio traditur ſecundùm durationem. Supereſt *occaſio*, & *ordo*, in quibus poſitus eſt vtendi modus, qui in ſingulis ſuam habet varietatem & modum, quem erit melius in particulari corporum conſeruatione vel correctione proponere, quàm huic generali doctrinæ inſerere: Ac proinde iſta de *Aëre*, vt communis eſt quædam cauſa ſalubris, inſalubris, & neutra, communiter dicta ſint.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

De Cibo & Potu, ſeu Alimentis.

ALimenti nomen homonymum eſt, quod Hippocrates *lib. de alim.* his verbis diſtinxit: τροφὴ τὸ τρῖφον, καὶ τὸ εἶον τροφὴ, καὶ τὸ μᾶλλον τροφὴ, *quod actu nutrit, quod quaſi eſt nutriens, & quod nutriturum eſt,* vt Galenus frequenter repetit, *Comm. ad aphor.* 39. *ſect.* 5. *lib.* 1. *de facult. nat* & *ſub finem lib.* 1. *de ſanit. tuenda.* Cibus enim & potus, quæ alimenti nomine continentur, cùm non immediatè nos nutriant, ſed multis intercedentibus coctionibus, tum in primis corporis noſtri officinis, tum in ſingulis. Ideò illud totum quod extrà eſt alimentum, quodque iam manſum aut deuoratum chyli naturam ſuſcepit, Hippocrati *nutriturum* dicitur: Quod verò poſt ſecundam concoctionem & αἱματώσιν ſanguinis naturam induit, illud *quaſi nutriens* appellatur: denique quod ex venis & arteriis iam maioribus ad minores illapſum eſt, iamque ex his roris inſtar, in partium poros & ſubſtantiam delapſum, hoc *actu nutriens alimentum* vocat. Nobis autem nunc prima alimenti ſignificatio erit in vſu, externorum ſcilicet corporum, quæ ad nutritionem corporis noſtri, quotidiano vſu, venire ſolent. Etenim vt iam à nobis dictum eſt, cùm triplicis ſubſtantiæ noſtræ diſſipatio fiat continuò, ea niſi indies reparetur, citò animantibus pereundum eſt. Quamuis enim multi multos annos ſine alimentis vixiſſe ferantur, quidam ſine cibo, plures ſine potu, in modum Chamæleontis ſolo aëris afflatu vitam producentes, propter debilitatum eorum calorem, aut craſſiorum copiam humorum & parum reſolubilem: quia tamen hæc rara ſunt, & in corporibus præter naturæ humanæ conditionem conſtitutis accidunt: Ideò hoc non efficit, quin ad repoſitionem humidæ & ſolidæ ſubſtantiæ, opus ſit in homine, & reliquis vegeti caloris animantibus, non ſolâ aëris attractione, quo ſpirituoſa ſubſtantia reficitur tantùm, ſed etiam terreo & aqueo elementis, vel rebus ad naturam illorum maximè accedentibus, quas *Cibum* & *Potum* appellamus: Cibum ſcilicet illud, quod plurimum habet quo ſolidam ſubſtantiam reparare poſſit, minimum quo humidam: Potum contrà, quod plurimum habet quo aqueam, paucum quo ſolidam. Hoc modo multa alimenta excludentes, quæ quamuis liquida ſint & potabilia, vt iuſculum ex contuſis carnibus, expreſſus è perdice aut capone liquor, gelatinæ, deſtillata, & ſimilia, non tamen potûs nomine complectenda, quin potiùs ad cibos liquidos, ab Hippocrate ζωμήματα & *ſorbitiones* dictos referenda: Quamuis etiam *potûs* nomine aliquando ea deſignet, vt *aphor.* 11. *ſect.* 2. dum vult, facilius eſſe refici *potu* quàm cibo, hoc eſt, liquidis alimentis potiùs quàm ſolidis.

Quicquid ſit, cùm alimenta non ſolùm immutent corpora noſtra ſuis qualitatibus, ſed etiam in eorum ſubſtantiam faceſſant & conuertantur, materiámque humorum ſubminiſtrent, ideò accuratè illorum ratio habenda, non ſolùm in therapeia affectuum contra naturam, ſed quod multò potius eſt in vſu ſalubri, habitâ ratione ſubſtantiæ, qualitatis, quantitatis, temporis, & ordinis.

Subſtantia itaque cibi & potûs, apud Medicos ad tria refertur, ad eorum ſcilicet εὐχυμίαν vel κακοχυμίαν: ad δυσπεψίαν vel εὐπεψίαν, *facilem vel difficilem coctionem*; & magnam aut paucam nutritionem. *Cùm enim*, vt inquit Galenus *lib.* 7. *Meth. cap.* 6. *nutrimentum ipſum non ſeipſum concoquat, ac in partes digerat ſed ipſum quod nutriendum eſt, ſibi & nutrimentum attrahat, mutet, concoquat, adiungat, & aſſimilet: idcircò in opportuno cibo eligendo ad duo ſpectandum eſt, vnum ſcilicet ipſius cibi naturam, alterum vires corporis noſtri proprias & inſitas.* Itaque ſi tanta ſit in quibuſdam quæ aſſumuntur reſiſtentia ad calorem noſtrum natiuum, vt vix ea concoquere, & in naturam chyli, ſanguinis, aut partium ſimilarium immutare poſſit, illud alimentum, *crudum* & δύσπεπτον dicitur ſecundùm ſuam ſpeciem: Si verò ab hoc v.g. homine, non ab illo, aut aliis ſuperetur, tunc non ſimpliciter crudum, ſed reſpectu huius vel illius temperamenti, ſexûs, ætatis, conſuetudinis, & ſimilium, difficilis concoctionis dicitur. Contrà ſi à quouis homine cuiuſuis conditionis facilè conuerti & ſuperari poſſit, εὔπεπτον, *facilis concoctionis* exiſtimabitur. Porrò ſi poſt concoctionem iſtam, quæ fit tum in ventriculo, tum in hepate, primarijs ſcilicet corporis noſtri officinis, ex eiuſmodi alimentis ſanguis excitetur purus & laudabilis cum pauco excrementorum prouentu, dicentur alimenta illa εὔχυμα, *boni & vtilis ſuccipluriumum* continere: Quòd ſi impurus & minimè ſyncerus ſanguis producatur, multâ vitioſo-

rum ſuccorum proluuie ſcatens, bilioſorum, pituitoſorum, melancholicorum, ſeroſorum, putredini obnoxiorum, viſcoſorum,& ſimilium, *Cacochyma* ea ſunt & dicuntur. Atque inter hæc ſiue facilis ſeu difficilis coctionis, ſiue euchyma aut cacochyma ſint, contingere poteſt, vt magnam vel paucam præſtent nutritionem: Inter ea enim quæ facilè coquuntur, aut bonum ſuccum proferunt, quædam eſſe poſſunt, quæ admodum paucum, alia quæ multum præbeant. Cùm enim alimenta omnia à nobis ad nutritionem potiſſimùm aſſumantur, ſiue ſit illa ſimplex nutritio, ſeu accretioni iuncta, certum eſt quædam corpora nullo modo nutritioni noſtræ apta eſſe: Vnde illud Theophraſti, 2. *de cauſis plantarum*, Nullum vitæ expers nobis vitam impertire vllo modo poſſe: Neque enim puris elementis nutrimur, neque rebus inanimatis, quæ nuſquam ſcilicet animâ fuêre prædita, cùm nimis à natura noſtra ſint aliena; quamuis enim & aquam crudam potemus,& lapillos, gemmas, aurum, tubera voremus, illud tamen potiùs ad alterationem, temperationem, , aut ſedandam ingluuiem fit, quàm ad veram nutritionem. Inter ea autem quæ animata aliquando fuêre, ſiue plantæ ſint, ſiue animantia, ex quibus omne alimentorum genus deſumitur, alia magis, alia verò minùs, ad alimoniam noſtram faciunt, quando magis accedunt ad modum mixtionis humanæ, vt carnes, &c. Atque ideò Medici in vſu materiæ huius ſalubris, quod ad ſubſtantiam attinet, ea annotârunt quæ boni ſunt vel mali ſuci, concoctu faciliora vel difficiliora, & paucæ aut multæ nutritionis. Ac ſi iſtud in alimentum aliquod contingere poſſit, vt ſit concoctu facile, euchymum, & πολυχυμὸν, illud in genere ſubſtantiæ optimum iudicabitur: Quòd ſi in vno aut duobus horum defecerit, minùs bonum; ſi in omnibus, prauum cenſebitur. Præterea vt faciliùs hanc alimentorum naturam ſecundùm ſubſtantiæ modum diſtinguerent, & tres iſtas conditiones complecterentur, totam materiam alimentorum tripliciter diſtinxerunt, in fortiſſima ſcil. infirma, & media. *Firmiſſima* appellant, ex quibus quamuis concoctu difficillimis, plurimum tamen alimenti ſi vincantur, & ſolidiſſimi aſſumimus, vt ſunt ſucculenta, craſſa, viſcoſa, grauia, & cætera huiuſmodi, quæ robuſtis naturis ac multum ſe exercentibus ſunt accommodata, vt panis ille ſyncomiſtos & ἀυτόπυρος dictus Hippocrati, *lib. de vict. rat. in acutis*, farinæ ſcil. impurioris & furfuraceæ,radices & fructus ſolidioris craſſioriſque ſubſtantiæ, fungi, legumina, caſeus, oſtrea, piſces grandiores pelagi, littorum, lacuum, fluminum, potiſſimùm ſaliti: oua frixa, carnes bubulæ, ceruinæ, leporinæ, aprinæ, anatinæ, & quarumuis auium paluſtrium, ſuillæ, & ſimiles. Vina rubra, nigra, craſſa, cum reliquis huiuſmodi per claſſes digerendis, quæ ſolidum & firmum diætæ modum complent. *Infirma* autem ſeu *tenuia alimenta* vocant, parum & prompte nutrientia, quæ quidem minimo negotio concoquuntur,ſed paucæ ſunt nutritionis, vel potiùs ſubſtantiæ multùm reſolubilis: In quorum numero ſunt tenuia, leuia, rara, liquida, præhumida: qualia ſunt fructus præcoces, delicatiore carne præditi, piſces minuti rapidorum fluminum,juſcula, ptiſana ſimplex, hordei & piſorum cremor, aqua ſeu ſuccus carnis contuſæ, expreſſæ, ſtillatitiæ, panatellæ, gelatinæ, Vina limpidiora, oligophora, & delicata, aquæ cum variis rebus decoctæ: Quæ ægris magis quàm ſanis hominibus ſunt accommodata. *Media* denique *alimenta* dicuntur, quæ inter hæc ambigunt, nullâ intemperie donata, ſanis & delicatis hominibus aptiſſima, vt quæ optimum & frugi ſuccum efficiant, nec tenues nec craſſos humores ſuggerant,ſed mediocres, *polychreſta* ideò dicta Galeno. Id dicitur Alimentum Hippocrati verè, quod nihil habet intemperatum neque forte, *lib. de vet. Med.* Cuius notæ ſunt, panis purus bene ſubactus & fermentatus, quem Hippocrates καθαρὸν vocat, carnes iuniorum gallinarum, caponum, phaſianorum, perdicum, columbarum, turturum, turdorum, merularum, & omnis generis auium montanarum, non paluſtrium, quæ craſſi & fæculenti ſunt ſuci: item vitulinæ, veruecinæ, hœdinæ, porcinæ: piſces ſaxatiles, lac, oua ſorbilia,cremor ex amygdalis expreſſus & percolatus, Vina generoſa, fructus boni ſuci & minimè excrementitij, pyra, mala cydonia, & ſimiles. Quibus adde ſi vis Saccharum, ad eorum condimenta aptiſſimum, & mediæ naturæ iſtius participem. Atque hæc de alimentorum ſubſtantia Medici vtiliter admodum proferunt.

In genere verò *Qualitatis*, multa Medici in alimentorum vſu annotant: Cùm enim illud non minùs verè quàm eleganter dictum ſit ab Hippocrate, In cibo eſſe Medicinam, & in conſeruatione reſtitutioneque ſanorum, neutrorum præſeruatione, atque ægrorum curatione hæc præſcribendorum alimentorum ratio, potiſſi-

mum

mum ſit, gratiſſimum & valde artificioſum remedium: Ideò & ad ſimilia conſeruanda, & ad curanda contraria, maxima qualitatum ratio, in cibo & potu habenda, vt ſcil. ſimilibus ad conſeruationem, contrariis ad curationem temperamento & gradu vtamur. Hinc Galenus libros illos elegantiſſimos conſcripſit *de alimentis boni & mali ſucci, de attenuante victus ratione, & de alimentorum facultatibus*, ad quos recurrere eum oportet, qui pleniorem iſtorum doctrinam aſſequi cupit. In eiuſmodi qualitatibus, non ſolùm primas ſpectare debet bonus διαιτητικὸς, An ſcil. alimentum ſit calidum, frigidum, humidum, aut ſiccum, ſed etiam ſecundas & tertias, vt docet Hippocr. *lib. de vet. Medic.* mollitiem, duritiem, raritatem, denſitatem, liquiditatem, ſoliditatem, attenuationem, incraſſationem, colores, odores, ſapores, propter quos variè ab alimentis afficimur. Atque ideò vult Galenus, *lib. 1. de aliment. facult.* Alimentum non ſimpliciter ſalubre aut inſalubre dicendum, reſpectu harum qualitatum, ſed habita ratione huius vel illius, temperati vel intemperati, iuuenis aut ſenis, robuſti aut imbecillis. Vtque temperata alimenta omnibus ſanis & temperatis proſunt, nulli nocent: Sic contrà intemperatis correctio meliùs fit per oppoſitas medicamentorum qualitates: quas ideò Medicus veluti per claſſes digeſtas in promptu habere debet. Hîc etiam notandum; Alimentum frigidum aut ſiccum dici, non ſimpliciter & abſolutè, ſed reſpectiuè: Quamuis enim ex quibuſuis alimentis actu humidus caliduſque ſanguis generetur, fit tamen vt is, qui ex lactuca, cucurbita, pepone, fructibus horariis excitatur, frigidior ſit & humidior eo, qui ex pane biſcocto, auiculis aſſis, vino generoſo, & ſimilibus fit, quem calidum ſiccúmque appellare poſſumus. Sic etiam cùm volunt Peripatetici, nos ſolis nutriri dulcibus, illud de ipſo ſanguine eſt intelligendum, ſecundâ nimirum Alimenti ſignificatione: Nam & ex amaris, acerbis, inſipidis, acribus, ſalſis, pinguibus corporibus ingeſtis nutrimur, per coctionem tamen depuratis & dulceſcentibus, ac naturam illam mediocrem & blandam ſanguinis induentibus, qui in alimoniam partium corporis noſtri proximam faceſſit. Prætereà inter qualitates alimentorum non tantùm natiuas & ſpontaneas conſideramus, ſed eas etiam quæ arte & induſtriâ hominum parantur: Cùm enim ciborum plerique non quales à natura producti ſunt, aſſumantur, ſed ad domandas qualitates eorum vel materiam, longâ & variâ præparatione commodiores reddantur, coctione ſcil. quæ aſſationem, elixationem, vſtulationem, frixionem continet, lotione, contritione, & varia mixtione eorum quæ vel qualitates eorum corrigere, vt ſalis, ſinapi, mellis, piperis, & ſimilium: vel alias addere gratiores poſſunt. Vnde tota ars coquinaria conſtituitur, in præparandis & condiendis ciborum & potuum variis generibus: quibus Medicus non ad ſolas delicias, ſed etiam ad vtilitatem ſanorum ægrorúmque commodiſſimè vtatur: ſi vim horum omnium exploratam habeat, & pro eorum varietate, variis hominum naturis ac conditionibus aptare nouerit.

Quantitas verò in alimentis, & qualitatum ipſarum vi, noxia aut vtilis eſſe poteſt, cùm ſcilicet pro majori aut minori quanto, qualitatum etiam robur maius vel minus exiſtat: Atque etiam proprio ſuo exceſſu vel defectu incommoda adferre poteſt. Hinc illud Hippocratis, *Aphor. 4. ſect. 2. Neque ſatietas, neque inedia, neque aliud quidquam, quod naturæ modum exceſſerit, bonum.* Naturæ modum appellans, proportionem illam, quæ eſſe debet inter alimenta, & caloris noſtri potentiam ac nutritionis neceſſitatem, ſiue illud ſit ad eſſe tantùm, vt metipſe loquitur, *lib. de alim.* ſiue ad eſſe & augmentum, ſiue etiam ad robur: Quæ omnia ſpectare debet Medicus, non ſolùm in ſpecie, ſed etiam in æſtimanda ſingulorum hominum natura, vt ſcilicet pro eius modo ea victûs quantitas decernatur, quæ nec ſuâ mole ſit infeſta, nec paucitate ſit alendo corpori impar. Hoc vocat Hippocrates in omnibus, ἀκορίλυτης τροφῆς, temperantiam, temulentiæ & ingluuiej contrariam, quam ſanitatis præcipuam cuſtodem ac dominam exiſtimat: Siue enim in alimentis quantitatem continuam, ſiue diſcretam, vnius ſcilicet aut plurium paſtum ſpectes, in vtrâque temperantia obſeruanda: Vnâ enim vice copioſiora ingeſta alimenta, quamuis ὄγκωμα & δύσπεπτα, vt ventriculi calorem confertim obruunt, ſic eruditatibus totum corpus opplent, obſtructiones pariunt, putredines inuehunt, omniúmque generum morbis occaſionem ſuppeditant. Vnde illud *aphor. 17. ſect. 2. Vbi alimentum prater naturam copioſius ingeſtum eſt, morbum facit, oſtendit autem ſanatio*: Quam copiam Auicennas *tertiâ primi, doct. 2. 7.* duabus inſignibus notis circumſcripſit: *Prior* eſt, vt quicunque rationem habere vult valetudinis ſuæ, non edat vſque ad ſatietatem in-

tegram, ſed reliquijs famis nondum ceſſantibus ſurgat à menſa: *Secunda* eſt, vt non ſumatur vſque ad reſpirationis paruitatem, & pulſûs inæqualitatem. Atque vt hæc de copia vnius paſtus dicuntur, quam vocamus quantitatem continuam, ſic etiam de diſcreta intelligendum; frequentiores enim illæ commeſſationes & compotatiunculæ, cùm non permittant ventriculum ingeſta concoquere, ſed nouâ & importunâ alimentorum ſuggeſtione reuocent, eadem incommoda parere poſſunt. Adde quod Vinum frequentiùs ingeſtum, inconcoctos ventriculi humores præcipitat, & in venas cruditatum copiam ſuâ tenuitate penetrare facit, morbos frigidos humidóſque generans per accidens.

In moderanda itaque cibi quantitate, vt temperantiam maximè laudamus, ſic etiam *inediam* non probamus, vt quæ imbecilla, inaſſueta exanguiáque reddat corpora: μοναστικὰ enim Hippocrati *lib. 2. de diæta*, attenuat, ſiccat, aluum ſiſtit: Et *aphor. 5. ſect. 1. Tenuis*, inquit *& accuratus victus, periculoſior paulò pleniore*: In ſtatu ſcilicet ſano conſeruationis: Nam in ſtatu correctionis, alio ſe habere poteſt modo, illomet teſtante, *aphoriſmo* ſcilicet 69. *ſect. 7. famem adhibere oportet corporibus humidas carnes habentibus*; Et in ſenibus ac conualeſcẽtibus cibationes paruæ ex cibis euchymis & liquidis, penè in ſingulas horas conueniunt, vt nos ſuo loco dicturi ſumus.

In horum omnium moderatione, magna habenda eſt temporum, regionum, ætatum, conſuetudinis ratio, vt eſt *aphor. 17. ſect. 1.* Alius enim eſſe debet modus cibandi, ſecundùm varias anni tempeſtates, vt eſt *aphor. 15. & 18. ſect. 1.* Vere & hyeme alimenta copioſiora exhiberi debent: Cibos æſtate & autumno difficilimè ferunt, hyeme facillimè, poſteà vere, quia tunc ventres naturâ calidiſſimi: Alius ſecundùm particulares ipſius diei conſtitutiones, Nam cœnam prandio liberaliorem eſſe debere exiſtimamus in ſanis, tum propter longius interualllum, quod à cœna ad prandium vſque intercedit, tum quòd quies, ſomnus, & nox maximè faciunt ad caloris noſtri & facultatum naturalium vim augendam: ita tamen vt nocturnæ poſt cœnam potationes non ſint admittendæ, vt eſt *aphor. 27. ſ. 5.* Regiones variæ reſpondent diuerſis anni temporibus & conſtitutionibus, eadémque eorum ratio habenda: Ætatum autem diſcrimen luculenter ab Hippocrate eſt expreſſum, *aphor. 13. ſect. 1. Senes*, inquit, *facillimè ieiunium ferunt, poſteà qui conſtantem ætatem degunt, nullatenus adoleſcentes, omnium minimè pueruli, præſertim qui inter illos ſunt robuſtiores.* Denique quod ad conſuetudinem ſpectat, ſi iamdiu inualuerit, alterius naturæ vim æmulatur, vt narrat Galenus de Athenienſi vetula, quæ cicutam comedere ſolebat: Sin noua adhuc & recens eſt, paulatim immutanda, ſi ſit praua, in melius. Vt eſt enim *aphor. 38. ſ. 2. Paulò deterior potus & cibus, ſed aſſuetus aut ſuauior, iis qui meliores ſunt, ſed ingratiores, magis expetendus*: Et *lib. de vict. rat. in acut.* Vult conſuetudinem in cibo & potu efficere, vt τὰ μὴ ἀγαθὰ τῇ φύσει, τὸν φόρως φέρουσιν ἐθισμένοι, δυσφόρως ἂν μὴ ἐθισμένοι.

In alimentorum præterea vſu, *Ordinis* etiam habenda eſt ratio, non ſolùm cibi & potûs, ſed etiam inter ipſos cibos, ſciendum qui primâ, mediâ aut vltimâ menſâ ſumendi ſint. De quo Galenus, *comm. 3. in lib. de vict. rat. in ac.* generale hoc axioma protulit de cibis: Perpetuò priùs ingerendos eſſe, qui & faciliùs corrumpuntur, & ſubducuntur magis; poſteriùs verò contrarios. Cuius ea eſt euidens ratio, quia cùm minore tempore concoquantur quàm craſſi, ideò priùs ingeri debent, ne à craſſis ſubſidentibus, nimiùm in ventriculo remorentur & corrumpantur. Alia eſt ratio cibi & potûs: Quamuis enim potus liquidior ſit cibo & coctu facilior, non tamen idcircò cibum præcedere debet: Cùm enim in moderatis naturis fames ſitim anteuertere ſoleat, ideò etiam cibus præcedere debet, poſteáque alternatim potu & cibo hominem reficere oportet, vt melior ſcilicet fiat vtriuſque mixtio, elixatio, & diſtributio: idque moderatis poculis, ne alterum alteri innatet, cùm grandiores ſcyphi ad ſedandam ſitim, parui ad mixtionem ſint vtiliores, mediocres vtrumque vſum compleant. In ordine etiam *varietas ciborum* ſpectari poteſt, quæ vt nimia putredinem aut inæqualitatem coctionis poteſt inferre; ſic moderata recreando ventriculo & generando ſanguini mediocri & temperato eſt accommodata. Illud maximè animaduertendum in ordine ſumendi vini, quod annotauit Galenus, *comment. in aphor. 18. ſect. 6.* Vinum ante cibos ſumptum crudiores ſuccos præcipitare, neruorum ſubſtantiam offendere, & arthritides parere: Item vini meri & ſolius potionem, famem ſedare, *aphor. 21. ſ. 2.* tanquam medicamentum intemperiem illam frigidam expugnans, aut hærentes humores diſſoluens, non vt alimentum. Atque hæc pro noſtro inſtituto, de cibo & potu dicta ſufficiant.

§. III.

§. III.

De Excretis & Retentis.

ALimentis proxima ſunt Excreta & Retenta, ad ſanitatis conſeruationem, morborúmque generationem ac curationem. Vt enim Nutritio neceſſaria; ſic quoque excrementorum generatio: Nam cùm alimenta actu diſſimilia ſint nobis, potentiâ autem ſimilia, debent ad ſimilitudinem illam deduci, vt nos nutriant, per concoctionem, quæ & vi facultatis & caloris noſtri natiui, ea aſſimilat, quantum ſcil. fieri poteſt per eius quod concoquitur conditionem. Nam quodcunque in alimento & ſubſtantia & qualitatibus conuerti poteſt, Græci πέψιν vocant, illud totum in corporis nutrimentum faceſſit: Quod verò ſubſtantiam non habet ſimilem, illud ſecundùm qualitates tantùm aſſimilatum, Græci παπασμὸν appellant, excrementi naturam induit. Quod pro multitudine coctionum in nobis, varium etiam & multiplex exiſtit, in vnaquaque duplex, tenue ſcil. & craſſum, vt primæ concoctionis fæx & vrina materialiter, quæ in ventriculo & inteſtinis perficitur; ſecundæ quæ in venis & iecinore, bilioſus ſuccus & melancholicus; tertiæ quæ in ſingulis partibus perficitur, ſudor & fuliginoſa recrementa. Quibus omnibus Natura ſua conceptacula, ſuos ductus, ſuas expurgationes conceſſit, vt pro more & naturæ debito contineantur & excernantur. Atque hæc dicuntur Excrementa corporis vniuerſi; Vel quia totum corpus infeſtare queunt; Vel quia in præcipuis corporis partibus gignuntur: Alia verò in quibuſdam partibus aceruantur, vt in naribus mucus, in auribus ſordes, in oculis lemæ & lachrymæ, in ore ſaliua. Quæ omnia verè ſunt excrementa, quòd & ſubſtantia & qualitatibus ſuis naturæ noſtræ ſunt inutilia, ac proinde ſuperflua, morborum antecedentes cauſæ, ſi retineantur futura; ſin debitè excernantur, ad ſanitatis conſeruationem facientia: vt ideò eorum retentio & excretio inter euidentes & procatarcticas cauſas numerentur.

Præter hæc quæ verè ſunt περισσώματα, reliqui omnes ſucci laudabiles, qui in corpore noſtro continentur, ſiue venoſum arterioſúmue genus occupent ſub ſanguinis nomine, ſiue poros & ſpatia ſolidarum partium ſubeant, dum tantâ excreſcunt copiâ, vt vel vaſa diſtendant, vel ipſi naturæ ſint infeſta, duplicem efficiunt plethoram, Vniuerſalem, tum quæ ad vaſa, tum quæ ad vires appellatur: Item particularem, quæ repletiones immodicas partium conſequitur. Quòd ſi ſucci hi alibiles vitio quodam infecti fuerint, ex permixtione alieni humoris, inuehunt mixtos affectus plethoræ ſcil. cacochymicæ, vel cacochymiæ plethoricæ, prout magis vel minùs abundat prauus ille ſuccus: Ad quos ſequuntur laſſitudines eæ, quas Hippocrates noſter ſpontaneas appellauit, morborum prænuncias, vlceroſa, phlegmonoſa, tenſiua, à Galeno eleganter *lib. 2. de ſan. tu.* explicatæ. Contrà verò, ſi aut propter inediam, cibi ſcil. aut potus parcitatem, aut euacuationes aliquas periodicas vel ſymptomaticas præter modum factas, tanta fiat humorum iſtorum penuria, vt vaſa ipſa collabantur, & natura fatiſcat, tunc ſequitur illa κένωσις Hippocratica, cui difficilius eſt mederi quàm plethoræ: & quam *alio libro* κένωσιν vocans, oppoſuit πλησμονῇ, morbóſque ab hac, (repletione nimirum) genitos, vacuatione curandos cenſuit, & contrà.

Eſt igitur certum ad ſanitatis moderantiam, ea quæ excernenda ſunt, ſecundùm ſuam ſubſtantiam, qualitatem, quantitatem, tempus, atque ordinem conſideranda. Vt ſcil. primæ alui fæces, cum quibus etiam bilioſi & melancholici ſucci redundantia expelli debet, molles ſint & cohærentes, ſubfuluæ, & non valde graueolentes, authore Hippocrate, *in prognoſt. & prorrhet.* atque modicæ pro ingeſtorum proportione deturbentur, idque ſingulis diebus bis aut ſemel, pro hominis conſuetudine, poſt peractam primam concoctionem ſecretionémque omnis ſucci laudabilis per venas illas quæ Meſaraicæ appellantur. Id autem continget, ſi neque retentrix facultas imbecilla, neque expultrix vitio aut malâ qualitate excrementorum irritata, neque concoctrix vitiata fuerit: ſi denique viæ omnes & ductus, partes ſcil. corporis ad hoc dicatæ, ritè & ſecundùm naturam diſpoſitæ fuerint. Quod Medicus ὑγιεινὸς accuratè proſpicere debet: Atque vnicuique pro ratione ſuæ cauſæ decenter mederi. Idem dicas de Vrinâ, Sudore, & fuliginoſis illis recrementis, quæ per cutis poros & meatûs expirare ſolent. Quorum omnium

ſubſtantia, qualitas, quantitas plus minùs reſpondere debet in ſanis exactæ aſſumptorum coctioni, eo ſcil. tempore & ordine qui naturæ conueniat, vt ſcil. expultrix facultas, tunc munere ſuo perfungatur, quando retentrix concoctrixque ſuum opus perfecerint. In particularibus autem excrementis narium, oculorum, aurium, oris, pectoris: quæ vt vel nullâ vel pauca admodum in exactè ſano generari ſolent, ſi ſui cuſtodiam habuerit: Ita in intemperatis ſanis vel incautè viuentibus, multa ſcatere poſſunt; hæc etiam decenti expurgatione per loca conferentia indigent, vt prouentus ille & ſynathriſmus naturæ moleſtus, etiam ex minimis particulis arceatur: Vnde illud Hippocratis 6. *Epid. Tranſitûs apertos eſſe oportet, veluti nares & alia quibus opus eſt, & velut opus eſt, & qualia, & quâ parte, & quando, & quantum opus eſt.*

Reliqui verò ſucci, qui in venoſo genere, aut extra venas ſubſiſtunt, ad partium proximam vel futuram alimoniam, in ea ſunt proportione ſeruandi, quâ neque viribus noſtris, aut eorum conceptaculis ſuâ mole ſint infeſti, vt in habitu Athletico, quem ruptionis metu ſtatim ſoluendum ſuadet Hippocrates, 3. *aphor. ſect.* 1. Nec paucitate fouendis viribus reparandiſque partibus impares, quod Hippocr. 5. *aphor. eiuſdem ſect.* cauit. Plethoræ itaque illi depellendæ, ſiue ad vaſa ſit, ſiue ad vires, Natura familiares ductûs molita eſt, per hæmorrhagiam ſcilicet narium, per hæmorrhoidas, tam internas quàm externas, quæ etiam cacochymiæ medentur, mulieribus quoque menſtruo recurſu per vteri venas, luxuriantis & materni ſanguinis copiam expellere periodicòs licet. Quòd ſi in opere ſuo manca fuerit naturæ vis, Ars imitatrix ſubſidium adferet, & cùm ex alimentorum copiâ eiuſmodi rèdundantiæ progigni ſoleant, ſi res inducias dederit, commodiſſimè in ſanis per inediam, aſſumptorúmque parcitatem, ſenſim plethoram iſtam minuet, aut ſolitas illas excretiones promouebit; Imò etiam inſtante periculo per artificioſas venarum ſectiones, arteriotomias, ſcarificationes, exundantem humorum multitudinem æquabiliter exhauriet, ac pro modo laſſitudinum dictarum conueniens remedium adferet, vt ſi maior eſſe vis ſuccorum vitioſorum, quorum vnuſquiſque ſibi corpus ſimiliter attemperat, videatur; decenti pharmaco expurgationem peccantis ſucci, ſiue per vomitum, ſiue per deiectionem moliatur. Quorum omnium præcepta & regulæ, cùm non tam ad ſtatûs ſalubris conſeruationem, quàm ad Prophylacticen referendæ ſint: Ideò ſatis ſit vſum hîc rerum iſtarum indicâſſe, quæ alibi fuſiùs tractabuntur.

Quod autem ad particulares in ſingulis membris, boni & alibilis ſucci repletiones vel vacuationes attinet, vt ex morborum μερικῶν ſumptorum cauſæ eſſe poſſunt, ſic eas à ſtatu ſano remouebit Medicus, ſi vniuerſalis plethoræ aut inanitionis exceſſum maturè & tutò præcauerit. Quoniam verò Semen, inter particulares iſtos excrementi benigni prouentûs, principatum obtinere videtur, ideò de excretione illius retentioneque agendum peculiariter. *Venus* enim blandâ ſuâ voluptate, animíque aut corporis commotione, non tam ſanitatis noſtræ ſtatum afficit, quàm ipſius ſpermatis excretione. Quod ex tenuiori & pinguiori ſanguinis portione in teſtibus concoctum, multóque ſpiritu perfuſum, magnam viribus noxam corporíque pernicioſam inanitionem, per frequentiores concubitûs immodicè excretum, adferre ſolet, cùm ſeminis ita elaborati vnciam Auicennas quadraginta ſanguinis vnciis comparet. Hinc vulgatum illud, tria ad ſanitatem ſufficere, Ἰρεφῆς ἀκοίτην, πόνον ἀσκητὸν, καὶ στόμαχον ἀσίτης ἴηνιν. Verùm cùm non tantùm indiuiduorum conſeruationi, ſed etiam ſpecierum propagationi moderãdæ ſtudere debeat Medicus: Ideò etiam Veneris vſus commodus tribuendus homini ſano, temperamenti calidi humidi, conuenientis ætatis & florentis, aſſueto, vere potiſſimùm & hyeme, aëre pluuio; Vnde Hippocrates *lib. 1 de diæt.* λαγνείην δὲ ὕδατος ἰφθίμων γινομένων πλείονα concedit, per mediocria interualla, vbi in exceſſuum omnium moderatione fuerit poſitus, & poſt peractam concoctionem ventriculi, ac ſi fieri poſſit ſubſequente ſomno, vt vires quodammodo fractæ reparentur. Quibus concurrentibus, non eſt timendum, quin præter ſententiam Epicuri, homo ſanus ex vſu Veneris, alacrior & multò vegetior euadat: Cùm etiam intemperati & morboſi multi concubitu leuentur, quales ſunt melancholici & ſanguinei, quibus ſeminis turgentia cephalalgias, cordis palpitationes, anxietates, anorexias, & ſimiles affectiones parere ſolet: Corruptela verò ſyncopes, lipothymias, inflammationes, atque etiamnum mortes. Pituitoſos autem iuuat Venus magis excitatione illâ & concalfactione totius habitûs, quàm excretione ſeminis. Vnde vult

Hippo

Hippocrates 6. *Epid. comment.* 5. λαγνείαν τῶν ἀπὸ φλέγματος νέοισι ἀφίλιμον, modò vires adhuc ſint firmæ : quod duobus exemplis confirmat, Timocharis quidem, 5. *Epid.* qui hyeme à catarrho in nares violenter defluente ſollicitatus, coitu omnem eum humorem exſiccauit : Et Hicippi, quem refert *in* 4. *Epid.* nocturnam pollutionem dum epialâ laboraret, ſæpenumerò paſſum, leuatum fuiſſe. Ego tamen propter periculum exinanitionis in morbis, & ne vires collabantur, magis probauerim Conciliatoris ſententiam, Coitum quemcunque in febribus ſemper obeſſe ſcribentis. Docet autem Galenus *lib.* 3. *de ſanit. tu.* quomodo infirmitati vel laxitati corporis, quę poſt Veneris vſum ſuccedit, per apotherapiam vel prępparatoriam exercitationem ſit medendum. Atque hæc de excretis & retentis. Labor igitur, Cibus, Somnus, Venus, & excreta omnia, ſi ſint mediocria, ad ſani ſtatûs conſeruationem, morborúmque multorum curationem vtilia ; & contrà.

§. IV.

De Exercitatione, ſeu Motu & Quiete.

MOtus & quies inter cauſas etiam illas euidentes ſunt numeranda, vt quæ corporeas in nobis cauſas ſanitatis aut morbi, antecedentes vel coniunctas exſuſcitant. Quamuis enim Quies priuatio quædam videatur actionum, potiùs quàm actio aliqua : Quia tamen per quietem ſeu ceſſationem, alia & contraria ſæpe diſpoſitio contingit in nobis, quàm per motum & exercitationem ; ideò etiam Quietis ſua recenſentur commoda & incommoda in vſu ſalubri, non minùs quàm motûs, qui homini ideò neceſſarius eſt, quandoquidem à natura non vt plantæ affixus eſt terræ, ſed potentiâ motrice prædituſ, quâ pro vi appetitûs aut voluntatis, (non enim hîc de naturali motu agimus, qui nobis etiam inuitis exerçetur) feratur ad ea, quæ illi ſunt neceſſaria, conquirenda : Ad quod cùm concurrat ſpirituum & caloris natiui efficacia, fit vt pro motûs violentia aut remiſſione, duratione aut breuitate ſuſcitentur vel diſſipentur ſpiritus & calor natiuus, atque etiam aliquando ipſa partium molliorum ſubſtantia : Cui ſuccedanea quies, ad reparationem eorundem, certáſque actiones obeundas, quæ per agitationem illam corporis exerceri non poſſunt, maximè conducit : Vnde illud Philoſophi, *Animam quieſcendo ſapientiorem fieri.*

Porrò Motus hi corporis, vel fiunt ab internis noſtris principiis, vel ab externis rebus nos mouentibus, quod agitationem appellare ſolent, vtpote cùm quis vlnis geritur, incunis circumagitur, nauigat, equitat, lectică, rhedâ aut carpento vehitur, fricatur denique variis modis : quæ plerumque in imbecillis ac parum valentibus naturis, vſum motûs illius ab interno principio pendentis explere poſſunt & ſolent. Motus autem ab internis, alius eſt ſimpliciter motus ille voluntarius, quo vtitur homo, vel à natura ipſa impulſus, vt in puerulis videmus ; aut vt aliquid iucundum proſequatur, ad quod vi appetitûs commotus fuit : ſiue id concitatiùs ſiue remiſſiùs fiat, prout magis vel minùs vrget illa appetitûs cupiditas facultatem motricem : Ad quod gẽnus pertinent ipſæ ſtationes, ſaltus, deambulationes, leues curſitationes, & ſimiles, quæ ſine magna corporis mutatione quotidie exercentur. Alius verò eſt motus, qui cum euidenti corporis noſtri alteratione obitur, calefactione ſcilicet manifeſtâ, & reſpirationis incremento : Qui rurſum duplex eſt, Exercitium ſcilicet, & Labor ſeu Opera. Exercitium enim cùm duabus de cauſis fiat, vel ob ſanitatis conſeruationem, vel ad robur & ἰσχύν corpori comparandam, omnem illam à Galeno celebratam Gymnaſticen conſtituit, quæ varia exercitationum genera, illarumque præparationem & apotherapeian docet. Labor autem ad communes hominum operas refertur, quæ quotidie obeundæ ſunt, pro ſuo cuique munere, & vario artificio, qualia ſunt texere, fodere, remigare, militare, piſcari, venari, fabrilem & quamuis aliam artem exercere, quæ corporis & manuum robur requirit. In his omnibus ſiue ſit agitatio, ſiue motus ſimplex, exercitatio, aut labor tantùm, ſiue quid mixtum ex iſtis, contingit vt aliquando totum corpus æqualiter, aliquando pars ſola vel præcipuè exerceatur, prout ad illum motum corpus integrum, aut vnicum ex membris intendi eſt neceſſe. Sic in genere agitationis, frictio vniuerſalis totum corporis habitum reſpicit, equitatio ventriculum magis exercet.

In

In motu ſimplici volutatio, natatio totum corpus, deambulatiò crura. In exercitatione aliæ quidem totum corpus æqualiter exagitant; quo nomine Galenus tantopere laudauit ludum paruæ pilæ, tum ob animi voluptatem quâ afficiuntur ludentes, facilitatem & æqualitatem in exercendis omnibus corporis partibus, tum quòd omni careat periculo. Aliæ certas corporis partes magis commouent, vt lucta ſuperiores; curſus inferiores; vociferatio, cantus, ſpiritûs retentio thoracem, & ſimiles. Inter labores eâdem ratione, fodere, remigare, onera geſtare, & cætera huiuſmodi, alia totum quidem corpus, alia magis membra quædam reſpiciunt, vt peculariter vnicuique licet per omnia iſta munera & mortalium labores diſcurrere. Hæc igitur ſunt genera & ſpecies motuum ſeu exercitationis generaliter ſumptæ, de qua dicebat Hippocr. *lib.* 1. *de dieta*, Quòd *homo edens ſanus eſſe non poteſt, niſi etiam laboret: Vt enim hæc contrarias inter ſe vires obtinent, ſic inter ſe mixta ad ſanitatem conferunt, Cibus enim implet, Labor deplet*: item *Labor articulis & carnibus confert, Cibus & ſomnus viſceribus*, *lib.* 6. *Epid.* Quæ cùm docet Galenus *lib.* 2. *de ſanit. tu.* Motûs tria proponit commoda, nimirum caloris augmentum, ex quo concoctio & nutritio felicior conſequitur; partium carnoſarum ſolidarúmque duritiem, quâ confirmatæ ad actiones pratiores exiſtunt: Poſtmodùm celeriorem ſpirituum agitationem, cuius impetu cutis ſpiracula magis dehiſcunt, excrementáque tertiæ concoctionis faciliùs expirant. Nos itaque conſeruationi ſanitatis ſtudentes, in his habemus qualitatem, quantitatem, temporis occaſionem atque ordinem pro vſu ſalubri obſeruandum.

Ex parte *Qualitatis*, hi omnes motûs dicuntur, Celeres, tardi; Validi, imbecilli; Vehementes, & leues. Celer motus eſt in quo non robore, ſed agitationis promptitudine opus eſt, qualis eſt pilæ luſus, ſaltatio, curſus, cui opponitur tardus. Validus eſt, in quo non celeritate, ſed corporis robore præcipuè vtimur: qualis eſt lucta, pancratium, foſſio, ſublatio oneris, & ſimiles, Cui opponitur Imbecillus. Vehemens verò ex his duobus compoſitus eſt, celeri nimirum & valido, qualis eſt, armatum currere, grauiſſimum lapidem aut telum contorquere, & alij in quibus & robore & celeritate ſimul opus eſt: Cui opponitur Leuis. Inter has tres oppoſitas differentias Celeris & tardi, Validi & imbecilli, Vehementis & leuis, poſita eſt ſemper mediocritas, quæ vt exceſſum vtriuſque effugit, ſic omnium commoda ad vſûs ſalubres refert. Celer enim motus ex intimis partibus ſopitum & torpeſcentem calorem in omnem habitum euocans, vapores attenuat, inſenſibiliter expellit, humorúmque ſeroſorum copiam excutit, pituitam conſumit, bilem verò excitat. Tardus contrà, calorem quidem natiuum quodammodo excitat, ſed non expandit, qui in viſceribus concluſus ſanguinem & alias concoctiones feliciùs perficit, corporíque augmentum adfert. Validus præter celeris effectûs, partes indurat atque exſiccat, paratioréſque ad laborem reddit: Verùm diuturnitate aut violentiâ calorem natiuum & ſpiritûs diſſipat, refrigerat, viréſque ac tonum corporis frangit. Ruſtici & alij mechanici, ob robuſtos iſtos labores frequentiores, eneruantur, non fiunt robuſti. Imbecillus verò motus excrementa congerit, partibus mollitiem & laxitatem inducit, corpus totum eneruat. Vehemens autem vt ex celeri & valido conſtat; Leuis vt ex tardo & imbecillo perficitur; ſic etiam vtriuſque commoda & incommoda continent. Atque hæc ita à Galeno de qualitatibus motûs, & earum effectibus traduntur.

Quod ad *Quantitatem* verò attinet, vt duratione & temporis præſcriptione definitur; Sic etiam certis quibuſdam notis deſcribitur. Ea enim motûs quantitas, quæ vel parum admodum durauit, vel ex natura ipſius motûs tardi vel imbecilli, nullam in corporis colore aut reſpirationis incremento mutationem attulit, ſub deficientis quantitatis cenſu referenda, quod ad exercitationem attinet, quæ corpori robur aut ſanitatem præſtitura eſt.

Ea verò quæ incipiente iam laſſitudine, colorem efficit floridum, corpus ſubtumidum cum ſudore guttatim fluente, velut ex canalibus, inquit Hippocr. *lib.* 6. *Epid.* illa mediocris cenſenda eſt, vt quæ ſufficientem caloris vim concitauit ad nutritionis commoda, & excrementorum expulſionem: Vt Hippocrates ſignificauit *aphoriſmo illo* 48. *ſect.* 2. *In omni corporis motu, quando fatigari cæperit, quies ſtatim laſſitudinis remedium eſt*: denotans, non eſſe progrediendum vltra notas iſtas ſufficientis exercitationis traditas. Quæ verò iam grauitatem corpori adfert maximam, facici pallorem, partibus carnoſis decrementum, ſudorémque non guttatim ſed copioſiſſimè elicit, ſpiritûs ac humores exeandeſcere & veluti febrire facit: hæc procul

dubio

dubio immoderata & noxia habenda eſt: Ad quam, ob ζωΐτηξιν & colliquationem partium, ſequuntur laſſitudines illæ tenſiuæ, quando nullum ſubeſt humoris vitium, ſed ſola plethora: Vlceroſa & phlegmonoſa, quando ſucci adſunt vitioſi: quibus Antiqui in ſuis gymnaſticis, tot acoporum genera, frictionúmque variarum vſus ad apotherapeian aptauerant. Præter hæc adiiciunt Quantitati, *æqualitatem* aut *inæqualitatem motûs*, vt ſuprà dicebamus Galeno tantopere ludum paruæ pilæ arriſiſſe, ob ſummam æqualitatem in exercendis omnibus corporis partibus: In aliis enim exercitationibus aut laboribus inæqualibus, plerumque contingit; vt ſæpe fatigatis quibuſdam corporis partibus, aliæ obtorpeſcant, aut earum morboſum colliquamentum ſuſcipiant. Quod ſedulò eſt animaduertendum in iſtorum vſu. Vnde Hippocrates, *De victu rat. Qui luctando*, inquit, *fuerit defatigatus, curret: qui curredo, luctet*, vt ſcil. ſuperiores interioreſque partes exerceantur: Et Galenus ſequentis diei exercitationem velut medelam adhibet præcedentis diei laſſitudini, ab exercitatione aut laboris vi exortæ.

Non ſatis eſt qualitatem quantitatémque exercitationum definiiſſe, niſi etiam commodam *temporis occaſionem* & *ordinem* nouerimus, quem elegantiſſimè *lib. 2. de ſanit. tuendâ*, Galenus expreſſit: *Si enim*, inquit ille, *ideò inſtituatur exercitatio, vt & calor natiuus ad nutritionem augeatur, & excrementa tertiæ coctionis digerantur, hinc facile eſt exercitationis commodum tempus coniectari, vt ſcil. poſt excluſa alui & veſicæ excrementa, ante cibos obeatur:* Vnde Hippocrates 6. *Epid.* dum ait; *Labor, cibus, potus, ſomnus, Venus, omnia mediocria*, & modum ſingulorum definiuit per mediocria, & tempus etiam deſignauit ipſo ſermonis ordine. Matutinis ſi fieri poſſit, ſeſe exercendum horis, aut ſi horis pomeridianis, longè poſt ſumptum prandium occidente Sole: Sic enim poſt laborem, & meliùs appetit homo, & meliùs reficitur: Non ſtatim poſt exercitationem bibendum aut edendum, ne rapiantur violentiùs aſſumpta ad partes exinanitas; Vnde viatores qui anheli bibunt aut comedunt, ſæpiùs in magna incidunt valetudinis ſuæ incommoda: poſt mediocrem autem moram, nullum in exercitatione periculum adeſt. Quæ ſtatim poſt ſumptos cibos; frequens eſt cauſa cruditatum, obſtructionum, mortis repentinæ, & ſimillum, quibus obnoxios plerumque aulicos noſtros videmus, aut alios ad tripudia vel digladiationes pleno adhuc ventre ſe conferentes: vt puellæ ob choreas illas intempeſtiuas fœdis occupantur coloribus, cachexias, & grauiſſimos morbos incurrunt. Poſt ſumptum itaque cibum quieſcendum, vel vſurpandæ tantùm deambulationes lentæ & leves, quas Hippocrates *lib. 2. de diæta*, vtiliſſimas eſſe exiſtimat, propterea quod per mediocrem hunc motum alimenta ad fundum ventriculi minori negotio ſubſidunt & permiſceantur, prioráque horis matutinis ſumpta per pylorum, ſi nondum exierint, in inteſtina ſecedunt.

Atque vt in vſu exercitationis vitanda eſt repletio, ſic etiam nimia vaſorum inanitio, & ſpirituum ac humorum inopia, vt docuit eleganter Hippocrates; *aphor. 16. ſect. 2* Ὅκου λιμὸς, οὐ δεῖ πονέειν; *Vbi fames, ibi non eſt laborandum:* Qui enim ob ciborum defectum, in extremam eſuritionem perueniunt, illi ſi exerceantur, exhauſtis promptiſſimè qui ſupererant ſpiritibus, collabuntur, ac lipothymiam, ſyncopes, præcipites virium reſolutiones, nedum mortem ipſam incurrere poſſunt. Eſt itaque mediocritas plenitudinis & vacuitatis obſeruanda.

Porrò in exercitationis vſu habenda eſt maxima ratio ætatis, ſexûs, temperamentíque varij, pro quorum diuerſa ratione moderanda eſt cauſa hæc ſalubris, vt nos in peculiari correctione & conſeruatione dicemus. Hîc annotaſſe ſufficiat, plethoricos nimiùm aut cacochymos non poſſe exerceri ſine periculo; Vt enim nos ſuprà, & Hippocrates 6. *Epid* docet, Tenſiones, inflammationes, vlcera exoriuntur, ſiquis impurgatus laborauerit. Præterea differt multum, ſiquis vere, autumno, æſtate, aut hyeme, ſub Sole aut in vmbra exerceatur, Regione temperata vel intemperata. Quæ omnia pro particulari vniuſcuiuſque iſtorum, & Exercitij & hominum natura ſunt diſponenda. Ac potiſſimùm ſpectanda Conſuetudo, quæ maximam in his diuerſitatem adferre ſolet. Non ſolùm enim *aphor. 49. ſect 2.* Item 50. *ſect. eiuſd.* dixit Hippocrates, *Qui aſſueuerunt labores aliquos ferre, quamuis inualidi ſint & ſenes, facilius ferunt, quàm qui non ſunt aſſueti, quamuis robuſti & iuuenes*: Sed etiam appoſita ratione illud confirmauit *lib. 2. & 3. de diæta*, *Quoniam*, inquit, *inexercitati iſti, vbi derepente laborauerint, colliquationem violentam ac multam facient, cùm carnes habeant humidas, & non depurgetur corpus, ſed excrementum morboſum in partes infirmas & minimè aſſuetas deponat.* Hæc ſunt igitur in vſu ſalubri motuum, exercitatio-

num & laborum ab internis noſtris principiis pendentium obſeruanda : ſiue per iſta totum corpus, ſiue vna aut plures partes exerceantur, vt in prolixioribus tractationibus licet vniuſcuiuſque ſpeciei, exercitationis aut laboris vtilitatem & incommoda perſequi.

Idem dicas de agitationibus variis, quando corpus non ex ſe mouetur, ſed ab alio, vt in geſtatione, nauigatione, equitatione, & ſimilibus contingit : in quibus decet eodem modo qualitatem eorum variam, quantitatem, temporis occaſionem, ac vtendi modum præſcribere, ne fruſtrà illis immoremur : Inter eas autem quoniam *Frictio* annumeratur, quam Galenus ſub gerendis repoſuit, *libris de ſanit. tu.* & de frictionibus *παρασκευαζόντας, præparatoriis,* & *διαθετικοῖς*, in vſus ſui temporis aſſuetos ad nauſeam vſque tractauit : Ideò ſufficiat nobis hîc dicere. Frictionem eſſe corporis agitationem in externo habitu, quæ vel ſimpliciter manu, vel addito oleo, puluere, aut linteolis mollibus, aſperis aut mediocribus exercetur. Differentias autem frictionis ab ipſa quantitate peti, paucæ & multæ, à qualitate mollis & duræ ; inter quas poſitæ ſunt duæ mediocres. Quarum, vt ſcribit Hippocrates *lib. καθ' ἑητῶν*, pauca & mediocris, vim habet carnem augendi & attollendi, multa minuendi, mollis & mediocris ſoluendi, aperiendi, & demulcendi ; dura verò exſiccandi, abſorbendi, exaſperandi. Quarum omnium, vt etiam ex his mixtarum rationes per ſe patent, & Galenus 5. regulis complexus eſt, *lib. 2. de ſanit. tu. cap.* 3. [Aliæ ſunt frictionum differentiæ antiquis vſitatæ, vt ſcil. quædam cum oleo, aliæ ſine oleo fierent, quædam manibus tantùm, aliæ addito puluere, vel linteolis mollibus, aſperis, mediocribus, quibus omnibus eadem ratione afficiuntur corpora noſtra.] Inter has autem differentias maximè annotari debent duæ, ab Hippocrate propoſitæ, 3. *Epid. & lib. de artic.* ἀνάτρεψις ſcil. & κατάτρεψις, ſiue ſit totius corporis, ſiue vnius aut plurium partium. Ἀνάτρεψις eſt frictionis differentia quæ à partibus inferioribus ſurſum verſus ducitur : Κατάτρεψις, quæ à ſuperioribus deorſum verſus : Illa in repellendo influxu humorum *καλαῤῥόπῳ* conuenit, arcendo ſcil. decubitu, qui fieri ſolet à partibus ſupernis ad infernas : Hæc autem vtilior multò à ſupernis ad inferna, omnem illuuiem corporis deducit, *διαφόρησιν* iuuat, & ægrotantibus atque conualeſcentibus in lecto manè vſurpata, exercitationis commoda ſuppeditat. Atque hæc de frictione ſufficiant, reliqua ex Galeno repetantur.

§. V.

De Somno & Vigilia.

SOmnus & Vigilia ſibi mutuò ſuccedunt, vt motui quies, in hac mortali vita, quæ cùm poſita ſit in variis actionibus, idcò per vigiliam præter motum, alias exercemus functiones, animales ſcil. ſenſificas, internas externáſque potiſſimùm, quæ aduentante ſomno conquieſcunt, & ſopito communi illo & interiore ſenſu ipſæ etiam defatigationem ſuam quiete reparant. Contra eſt de naturali & vitali facultate, quæ nuſquam intermittunt, ſed quamdiu ſubeſt calor natiuus, tamdiu exercentur per motus & quietem, per vigilias & ſomnum, imò per hunc feliciùs obeuntur. Cùm enim commune illud animæ inſtrumentum ſuo acceſſu & receſſu ad externas partes, vigiliam ſomnúmque conciliet, ſiue id contingat ex naturali inſtituto poſt reſtaurationem aut diſſipationem illius, ſiue alimenti vapore intercipiente meatus cerebri, ſiue externo frigore intus cogente, ſiue quouis alio intus reuocante : Certum eſt per vigilias, externas magis partes incaleſcere, ſubſtantiam ſpirituum actione illa motrice & ſenſifica diſſipari, vacuationéſque omnes externas promoueri, tunc ſcil. commota magis & ſollicitata excretrice partium facultate. Per ſomnos verò interna viſcera incaleſcere, vitalem naturalémque facultatem, concoctionéſq; omnes augeri, ſpiritûs renouari, membra feſſa leuari, & vacuationes ſupprimi, præter vnum ſudorem, qui etiam per ſomnos copiosè erumpere ſolet, quia ſcilicet tunc durante validiore in inteſtinis concoctione, multi eleuantur vapores, qui nocturnis operculis condenſati, per cutis poros ſemper patentes faciliùs expirant ; ſicque Hippocr. *aphor* 41. *ſ.* 4. elegantiſſimè dixit, Sudorem multum in ſomno factum, ſignum eſſe corpus vti copioſiore cibo, aut crudis abundare ſuccis, qui vacuatione indigent.

Somni igitur & vigiliæ naturalis (de his enim nunc loquimur) formale ſignificatum

catum ſenſus potentes & minùs potentes agere deſignat, qui pro fine habent actionum humanarum complementum ; Vigilia quidem vt diſponens, Somnus vt præparans. Effectrices habet cauſas Somnus naturalis, quæcunque intercipere poſſunt commeatum caloris & ſpirituum ad ſenſûs externos, vt laborem diſſipatione, cantum, lectionem, voluptatem reuocatione, frigus externum contractione. Frequentiſſima cauſa eſt vapor ſuauis & humidus è cibis elatus, obſtruénſque ex parte meatûs neruorum, ſi debita fuerit cerebri temperies, & tranquillitas animi. Ab hoc ſomno ad vigiliam facilis eſt expergefactio, reparatis ſcilicet ſpiritibus & calore, quos Hippocrates ἐνεμέντας appellauit, *impetum* ſcilicet *facientes*, & diſſipatâ quæ obſtruebat materia : Vt contrà in non naturali ſomno, veternum appellarunt antiqui, quem vel intemperies frigida cerebri, humorúmue pituitoſorum infarctus concitauit, vel prauorum ſuccorum anathymiaſis maligna, vel exhauſtum humorum vt poſt famem & vacuationes magnas ; In hoc, inquam, non eſt facilis ad vigiliam reditus, ſed cum anxietate & grauedine ; Quod denotauit Hippocrates *aphor.* 1. *ſect.* 2. *Vbi*, inquit, *ſomnus laborem adfert, malum.* Somni porrò & vigiliæ naturalis effectûs, non illis ſimpliciter tribuendi, ſed contractioni caloris natiui per ſomnum, expanſioni illius per vigilias. Somnus enim hac ratione humectare dicitur corpora, quia caloris natiui & fluentis ad exteriora ſubſtantia, dum ſomno occupamur, interna viſcera irrigat : Vnde Hippocrati, *aphor.* 27 *ſ.* 5. Somnus ſitim ſedat. Item ſomnus, vt animales facultates minuit, non omnino intercipit, ſic vitalem & naturalem auget, concoctionéſque omnes interiores promouet, & calidi natiui ſubſtantiam multiplicat, partes exteriores refrigerat, internas per reuocationem illam calefacit. Vnde illud 6. *Epid. Sanguis in ſomno intrò magis fugit* : Vacuationes omnes ſiſtit, vt hæmorrhagias à quacunque parte, quia ſanguis ad interna deducitur : (Hinc Arabes poſt venæſectionem ſomno interdicunt, ne fiat confractio ex motu contrario) & alias vacuationes impedit, quæ vi animalis facultatis exercentur, vt in ano, veſica, quia tunc robuſtior reddita eſt concoctrix retentrixque ; Expultrix verò minùs ſollicitatur : Vno excepto ſudore, qui faciliùs & copioſiùs per ſomnum elicitur, quia nimirum in concoctione illa validiore ſuſcitantur multi vapores, & ad cutem eleuantur, qui ibi condenſati cutis adſtrictione & nocturnis operimentis in aquoſam naturam degenerant effluúntque, cùm per vigilias reſoluantur, & inſenſibiliter tranſpirent. Item Somnus humores permiſcet, & externis internos perfundit. Vnde in peſtilenti affectu, carbone videl. bubone, exanthematis ſomnos arcemus, ne fiat retractio, permixtio, & reuocatio tæterrimi illius ſucci, quem natura propellere nititur, cum reliquis minùs hac labe tentatis. Hi ſunt igitur & ſimiles ſomni effectus, non vt priuatio quædam eſt, ſed vt conſequitur reuocationem caloris & ſpiritûs ad ſuos fontes. Cuius oppoſitum Vigilia contrarios ex euocatione eiuſdem proferet, partium ſcilicet externarum calfactibnem, animalium facultatum perfectionem & alacritatem, imminutâ quodammodo naturali, exſiccationem etiam ex perenni illa reſolutione & vacuatione omni, quæ feliciter per vigilias obitur.

Atque hæc omnia non ſolùm de naturali ſomno & vigilia ſunt intelligenda, ſed etiam de moderatis vtriſque & ſuo tempore vſurpatis, cùm omnino diuerſa contingant, ſi vel immoderata fuerint, vel ſuo tempore non obeantur. Eſt enim illud pulchrum ſenis & verum, *aphor.* 3. *ſect.* 2. *Somnus & vigilia, vtraque ſi immoderata exiſtant, malum* : & 67. *ſect.* 7. *Somnus & vigilia, vtraque ſi plus iuſto fiant, morbus* : quaſi dicat, vt ſignum, & vt cauſam. Vt enim ſomnus ſi modum ſeruet, & ſequatur mediocrem cibum, concoctiones promouet, & reddit vegetius calidum innatum : Sic vbi deficit vel excedit magis, calorem debilitat, excrementa aceruat, corpus replet flatibus, faciem tumefacit, & pallore deformat. Etenim parcus ſomnus, quoniam initium tantùm dat concoctioni, non eam perficit, ideò flatûs ſuſcitat, qui principium ſunt concoctionis, permixtos & crudos relinquit ſuccos, qui integrâ coctione perfici & diſtribui debent : Immodicus verò flatus ſuſcitat, & cruditates generat, non ex ſe, ſed quia perfectâ coctione cùm calor ille internus careat alimento, in quod operetur, conuertitur in vtiles membrorum humiditates, flatúſque per colliquationem illam commouet, vel quia ex defectu vigiliæ, quæ debet eſſe morbo ſuccedanea, cùm diutiùs in interioribus partibus concocti ſucci deliteſcant, putredinem & vitium aliquod concipiunt. Idem dicas de vigilia breuiore aut diuturniore : Quamuis enim vigiliæ ſit, exſiccare, reſoluere, ſenſus alacriores reddere, externas partes calfacere ; breuior tamen quàm par eſt, hæc præſtare non poteſt,

zed by Google

diuturnior verò quia concoctionem internam impedit, ſpiritúſque & calorem nimiùm digerit, cruditatum multarum & flatuum author exiſtit: Vnde ad motum & ſenſum torpor, corporis & faciei tumor & pallor, *καρηβαρία*, vt ait Hippocr. *lib. de rat. vict. in ac.* ventriculi ructus, immoderatas vigilias conſequuntur. Cùm itaque periculum inſtet, ſupereſt vt nos ad vſum ſalubrem, commodiſſimam ſomni & vigiliæ mediocritatem ſtabiliamus, quod fiet ſi & diuturnitatem illius debitam, & conuenientem temporis occaſionem, lectíque & ſitûs in eo rationem conſtituamus. Somni itaque finis, cùm ſit alimentorum concoctio, & calidi innati reparatio, ideò neque nimiùm vacui dormire debemus, ne fiat per ſomnos caloris in partium ſubſtantiam conuerſio, earúmque diſſipatio: nec nimiùm pleni, aut ſtatim poſt iniectum cibum, ne fluctuans adhuc & malè congeſtum alimentum naturæ faceſſat negotium, ſed expectandum donec illa ventriculi veluti ebullitio conquieuerit, per duarum circiter horarum ſpatium, niſi fortaſſis in ægris valde infirmis, conualeſcentibus & ſenibus: de quibus Homerus: *Vt lauit ſumpſítque cibum, dat membra quieti; Hæc ſunt iuſta ſeni*, propter inopiam caloris, qui neceſſariò ad interna reuocandus eſt, vt coctioni ſtatim ſuppetias ferat: Vbi verò ſemel ſopori incubuerimus, tamdiu eſt illi danda opera, quamdiu inconcocta adhuc ea ſunt quæ aſſumpſimus, quod multi nouem horarum ſpatio perfici exiſtimant, quidam ſeptem ſufficere arbitrantur: alij quinque, pro varijs hominum naturis & conſtitutione; Alij verò exiſtimant quinque horas neceſſariò eſſe dormiendum cuiuis homini, ſeptem verò conuenire ad commodiorem coctionem, nouem abſoluere omnia concoctionis commoda, & iuſti ſomni ſolatium adferre. Id tamen non horarum ſpatijs, ſed hominis ſenſu metiri conuenit, quando ſcilicet nihil crudi perſentiſcit homo, nullo capitis pondere, aut corporis torpore premitur, ſed ſeipſo leuior factus, vires & alacritatem maximam eſt conſequutus. Quidam etiam illud coniectant ex ſubmiſſione & contractione ventriculi, qui tempore cruditatis, & durante concoctione diſtentior multò & elatior ſentitur. Continuis igitur & profundus ſomnus, vt iſta citiùs peragit, ſic interruptus & leuis, multáque inſomniorum vanitate turbatus, longiùs erit producendus repetendúſque, vt diuturnitate compenſet, quicquid illi ex alterius commodis aberit: quemadmodum in ægris, conualeſcentibus, ſenibus, cæteríſque eiuſmodi naturis imbecillioribus quotidiana docet experientia.

Tempus porrò idoneum ſomno, Nox eſt, Vigilijs dies, tum ex ſe, tum ex euentu ſeu hominum conſuetudine: Ac per ſe quidem, quoniam natiuus calor velut foràs vel intrò viam affectat, ſic inclinatio eſſe ſolet vigiliarum aut ſomni. At noctu calor intrò recurrit, hoſtilium tenebrarum, & aëris frigidioris appulſu: Contrà idem calor interdiu foràs excurrit cum ſpiritu, à congenere diurno calore concitatus, & excipiendæ cauſa lucis amicæ ac familiaris. Adde quòd poſt diurnos labores cùm corpus exinanitum copioſiore reficiatur alimento ſub noctis aduentum, tunc ſuppetit maior copia vaporoſæ illius materiæ cerebri meatûs obſtringentis & ſomnos conciliantis. Ex euentu verò ſeu conſuetudine naturali iure fundata, euenit vt accedente nocte minùs apta ad hominum actiones & commercia, quaſi Deorum beneficio impetratâ laborum quiete, ſomno facilius ſit incumbere, nullis excitantium vocibus, aut alijs operantium ſtrepitibus perturbato. Diurnus itaque ſomnus, vt nocturna vigilia, multis refertæ erunt incommodis. Nocturna quidem vigilia ſi nimiùm producatur, quod trium horarum ſpatio poſt noctis aduentum definiunt, naturali humorum motui ad interiora vim infert, & concoctiones omnes corporis perturbat, diurníſque officijs inutilem reddit & imparatum hominem. Somnus verò diurnus duplici de cauſa habetur noxius, tum quòd oppoſitus eſt naturali humorum motui ad exteriora, dum lux & calor adſunt, voceſque & ſtrepitus excitantium vigent, tum quòd longus eſſe non poteſt & profundus ſiue ob eaſdem cauſas, ſiue ob negotia quibus ſollicitamur interdiu: Vnde accidit breues eiuſmodi & leues ſomnos incipere, non perficere coctionem, ac proinde multis corpus opplere flatibus, ventriculi ructûs, & capitis grauitatem inferre: denique bilioſum humorem, qui tunc eſt in motu recoquere, aliiſque permiſcere humiditatibus, cum febris interdum periculo.

Quòd ſi verò de nocte excubandum ſit neceſſariò, aut ob negotia quædam vel morbos importunè vigilandum, iactura illa eſt compenſanda, quoniam *peccatur grauiùs vigilando in cruditate*, inquit Celſus, *quàm dormiendo interdiu*, repetendúſque ſomnus matutinis diei horis, quas Hippocrates tum ſanis tum ægris per noctem

vigilan

vigilantibus, ad tertiam vſque diei partem, quæ à ſexta ad horam decimam finitur, conceſſit: quia tunc neque immodicæ lucis ſplendor, neque caloris exuperantia rapit violenter ad ſe ſpiritus noſtros & ſanguinem; ſed intermedio modo ſe habet. Meridianis verò horis dormire, maximè habetur noxium ob connumeratas cauſas: quanquam id etiam concedit Hippocrates, *lib. 2. de rat. vict. in ac.* illis qui acidum ructant, ventriculi ſcilicet imbecillitate poſt prandium laborant, quibus hæc caloris reuocatio maiorem vtilitatem ad concoctionem adferre poteſt, quàm incommodi ex ſuſcitatione flatuum; Illud autem æſtatis potiſſimùm tempore fiat, in qua ob longitudinem dierum, & ſerotini temporis moleſtiam, parum dormire de nocte contingit, Cubiculo minimè illuſtri aut calido ſed temperato & occluſis feneſtris per integræ horæ ſpatium. Veſpertinis autem horis ſe ſomno dedere non decet ſanum, ſed inſtantis ægritudinis eſt ſignum, quoniam tunc cùm inſtet ſumendæ cœnæ occaſio, & diuturnioris ſomni per noctem inſtantem commoditas, tota peruertitur nutriendi & reficiendi corporis œconomia. In ſomno etiam ſpectanda eſt ſtrati, conopéorum, operimentorúmque tum totius corporis, tum capitis varietas: Vt enim per noctem frigidior euadit aëris ſtatus, atque dormienti calor ad interiora recurrit; ſic etiam externæ partes meliùs obtegendæ, potiſſimùm caput, eâ tamen mediocritate, ne dum externi aëris appulſum illis arcere intendimus, omnem euaporationem denſioribus operimentis impediamus: Vnde magna fluxionum vis obrepit. Item ſtrati durities vel mollities pro varietate corporum, conſuetudiniſque modo mutanda, cùm ipſe Hippocrates, *lib. de rat. vict. in acutis*, dicat, lectum mollem, non minùs quàm durum, præter conſuetudinem vſurpatum, laborem adferre. Situs etiam dormituri ſpectandus eſt, primùm altúſne eſſe debeat, vel ſubmiſſus; deinde an pronus, ſupinus, in dextrum vel ſiniſtrum latus. Quod ad altiorem vel demiſſiorem ſitum attinet, maximo mihi errore videntur ſuadere Medici, vt per meridianum ſomnum aut nocturnum, ægri potiùs velut ſedentes quàm decumbentes iaceant, quominùs exhalationum copia ad cerebrum conſcendat, & deſtillationes oboriantur: Si enim, vt eſt 10. *ſect. probl.* Homo cæterorum animalium maximè laborat fluxionibus à capite, ob erectæ figuræ & ſublimioris capitis rationem, ob quam calor vaporéſq; faciliùs rectà ſecundùm naturalem inclinationem efferri poſſunt, qui in cæteris animantibus terram ſpectantibus in armos, ceruicem, atque alia membra, non in caput eleuantur, ibíque faciliùs diſſipantur: quidni etiam idem contingere poterit ijs, qui altiore capite dormiunt, vt vapores rectà in illud ferantur: ſubmiſſiore verò capite interrumpantur, & in alias partes inferantur? Adde quòd erecto capite facilior eſt deſcenſus condenſato & grauiori humori, magiſque patet via ad ventriculum aut pulmones, quæ demiſſo capite quodammodo conniuet & intercipitur. Atque hoc in ſanis: Nam in aſthmaticis, aut obſtructi viſceris pondere oppreſſis, accidit vt demiſſo capite pulmones non ita dilatari poſſint. Quod ad ſitum verò pronum, ſupinum, in dextrum vel ſiniſtrum latus attinet; Pronus in ventrem, calorem ventriculi auget, coctionem iuuat, ſed oculis eſt maximè infeſtus: Supinus vt eſt oculis commodus, ſic venæ cauæ per ſpinam excurrenti, renibúſque calfactionem nimiam infert, humoréſque cerebri in neruos, ſpinalem medullam, & in pulmones facilè effundit: Denique ſummam imbecillitatem deſignat facultatis motricis, quæ corpus continere in alterutro latere non poteſt, ſed veluti emortuum in grauiſſimam partem decumbere ſinit. Item aperto ore dormire, malam in ſanis conſuetudinem denotat, in ægris imbecillitatem muſculorum maxillam inferiorem eleuantium.

Conuenit igitur hominem ſanum ſeſe lecto committentem in alterutrum latus iacére, Et primò in dextrum, propter œſophagi obliquitatem, vt meliùs deſcendat cibus; deinde in ſiniſtrum ſeſe conuertere ad meliorem coctionem, vt iecur ventriculo incumbat. Hac enim varietate & conuerſione, quemadmodum in ijs quæ ad ignem coquuntur, videre eſt, feliciùs æqualiúſque alimenta conficientur. Denique à ſomno expergefactus homo non ſtatim prorumpere debet, ſed paulatim calore & ſpiritu ad exteriora reuocatis exurgere, vt narrant de Marco Aurelio Imperatore, qui Medicorum iuſſu, hora nona lectum petebat, quarta expergiſcebatur, ſexta tantùm ſurgebat. Atque hæc de ſomno & vigilia, quantum ad ſanitatis vſus attinet.

§. VI.

De animi pathematis.

Τὰ ψυχικὰ πάθη, animi motus, paſſiones, perturbationes, vel accidentia dicta, poſtremum cauſarum euidentium caput conſtituunt: At non poſtremam obtinent vim & efficaciam in commouendis corporeis cauſis ſanitatem noſtram conſeruantibus vel labefactantibus, ſed potiſſimam maximéque repentinam, vtpote exagitatione varia ſpirituum & humorum in nobis, qui his veluti procellis commoti, modò in ſuos fontes refluunt, modò effluunt, expanduntur, cæteróſque motus inferunt maximè efficaces ad mutationem alterationémque corporis noſtri. Quos ideò ſpectare debet Medicus, non tanquam moralis quidam Philoſophus, ſed vt Phyſicus potiùs, qui ex variis iſtis affectionibus de natura & effectis eorum coniicere poſſit.

Sciendum igitur inprimis, quid contingat per iſtos animi motus in corpore: Nam ex his cognitis facile erit Medico intelligere, quid in illis ſalubre vel inſalubre eſſe poſſit, pro variis hominum & temperamentorum conſtitutionibus. Certum eſt enim, animam, ἐντελέχειαν corporis noſtri & actum primum, vt actus ſecundos, omnes ſcil. functiones corporis noſtri, animales, vitales, naturales exerceat, conuocare ad ſui auxilium, & veluti proprio inſtrumento vti, calido noſtro natiuo, influente potiſſimùm, poſito in ſanguine & ſpiritibus, qui ex corde tanquam proprio fonte promanant: Vtque ad principes illas animi functiones, imaginationem, diſcurſum, memoriam, vitalium ſpirituum copia in cerebro confecta idoneum ſuppeditat inſtrumentum; ſic ad primos illos motus & affectiones, quæ appetitus vim ſequuntur, ſub ſpecie boni vel mali apparentis & per imaginationem cogniti, variæ generantur diſpoſitiones in organis corporeis: Hoc ſufficiat nunc ſcire, quòd quemadmodum contingit in motu animali, nos ad ea quæ ſub boni ſpecie apprehendimus, ferri, à contrariis verò fugere; ſic in hoc ſpiritus cum calore intus vel foràs ferri, proüt mali vel boni ſpecies ſeſe offert. Hoc *materiale* vocant Philoſophi, illud verò *formale*, v. g. Ira formaliter deſignat actum quo appetimus vindictam, Materialiter feruorem ſanguinis in corde: fiunt enim omnes cum alteratione quadam ſenſibili ipſius caloris & ſpirituum, atque ideò paſſiones potiùs dicuntur animæ, quàm potentiæ, quod non fit in aliis functionibus: Nam in diſcurſu v. g. memoria, ratione, &c. nulla ſenſibilis totius corporis alteratio exiſtit.

Porrò cùm hic appetitus dupliciter contingat, ad bona ſcil. proſequenda fugiendáque mala primus; ſecundus verò ad arcenda impedimenta quæ bonum conſequi, vel malum fugere prohibent, ille Concupiſcibilis appellatur, poſterior verò Iraſcibilis: Et diſtinguuntur, quoniam vnius paſſiones aliquando impediunt alterius motus, vt quando amans impeditur ab ira, vel ſtudioſus à vindicta, & ſic de reliquis. Paſſiones autem eorum ita recenſentur, vt Concupiſcibilis ſint circa bonum proſequendum, Amor, Deſiderium, Lætitia; Circa malum fugiendum, Odium, Offenſio vel Auerſio, & Triſtitia. Iraſcibilis autem quæ circa ardua verſatur, bona quidem recenſentur paſſiones, Spes; circa mala, Deſperatio, Audacia, Timor, & Ira. Ex his fiunt paſſiones mixtæ, vt auaritia, libido, vindicta, &c. Quarum naturam & effectus facile erit ex ſimplicibus intellectis, & in phyſiologia explicatis cognoſcere.

Quantum verò ad Hygieinen pertinet: Amor ſiue in diuina ſiue in humana feratur, cùm fiat inclinatione in bonum aliquod conueniens, & complacentia in ipſo, ſpiritus expandit & exhilarat, cor aperit, & dilatat ſumma ſuauitate: ſi feruentior fuerit, accendit ac nimiùm reſoluit, & tandem imaginationi vim inferens, zelotypiam atque ἔρωτα, inſanum amorem excitat, contracto iam in cerebro vitio, cuius cauſa dicimus, amentes & amantes eiſdem curandos eſſe remediis. Odium contrà, quod accidit, quando imaginatio aliquid ſub ratione mali aut diſconuenientis proponit; vnde diſplicentia in appetitu gignitur, ſpiritus contrahit & conturbat, ſanguinem retrahit & cor: ac ſi inueteratum fuerit, maximè corpus conficit & attenuat. Deſiderium verò, cùm ſit proſecutio quædam & velut tendentia in bonum abſens & futurum, eadem ratione quâ amor, ſpiritus, ſanguinem

nem & cor dilatat, idque cum quadam violentia. Offenſio vel auerſio contrahit, ex mali aduentantis fuga.

Lætitia autem, gaudium, ſeu voluptas, cùm fiat ex fruitione & delectatione boni præſentis, reſerat & expandit fontes caloris natiui, cor exultare & quaſi foras exilire, membráque ſaltitare facit: Vnde procedente nimiùm hoc affectu, per magnam cordis dilatationem & quaſi reſolutionem, multi in ecſtaſin, ſyncopen, ac ſæpe mortem incidere poſſunt, ſi pauco fuerint prædicti calore natiuo, vt in ſenibus, mulierculis; aut iam debilitato poſt longas triſtitias aut timores. Vt contrà iucunditate & moderata lętitia nihil eſt aptius ad fouendam partium omnium eſſentiam, & diffundendum augendúmque in illis calorem natiuum. Huic contraria triſtitia ſeu mœror, ex mali aduentu, & præſentis perceptione cor contrahit, diaſtolen minuit, ſpiritus conculcat, ſanguinem retrahit, & veluti immotum reddit, tandémque ſi producatur hoc pathema, tantopere vim facultatis viuificæ dejicit, vt mortem inuehat aut accelerat. *Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans*: Vel mentis conſtantiam mutet, ingenerétque melancholicum affectum, teſte Hippocrate, *aphor.* 23, *ſect.* 6. *Metus & mœſtitia, ſi longo tempore perſeuerent, melancholiæ morbi ſignum eſt.* Nulli vſquam commoda ſano, furenti verò aut exultanti nimiùm, aliquando commoda.

Sequuntur paſſiones irafcibilis, θυμικὴ ſeu animoſi appetitus circa bonum aut malum arduum, quæ tantùm intenſione aut remiſſione in ſuis effectibus à ſuperioribus concupiſcibilis differunt. Spes enim circa bonum arduum, abſens, poſſibile tamen obtineri, ſpiritus & cor concitat, animum fouet & exhilarat, ſoláque hæc fiducia hominibus relicta eſſe videtur in Pandoræ vaſculo, ad leuandos huius vitæ cruciatus & ærumnas: Vt enim ſani ſpe bonorum recreantur, ſic ægri maximè confidentiâ erga Medicum, & quæ admouentur remedia, eriguntur ad ſanitatem recuperandam: quam Hippocrates 1. *Prognoſt.* ideò illis augendam omni artificio ſuader. Contrà Deſperatio cùm ſit ex mali aduentantis apprehenſione, quod euitari non poteſt, aut boni quod nullo modo obtineri poteſt, contrarios profert ſpei effectus, ex perpetua animi ſollicitudine, & continua corporis perturbatione, nulli conueniens aut commoda.

Audacia autem cùm ſit eleuatio quædam appetitus, & motus ad malum ſuperandum arduum, ſequitur ingentem caloris & ſpirituum copiam in hominibus magnanimis & robuſtioris naturæ: de quibus tantùm illud meritò dici poteſt: *Tu ne cede malis, ſed contrà audentior ito*; & *Audentes fortuna juuat.* In aliis autem cùm præter vim ipſius naturæ fiat, maximam reſolutionem & virium diſſipationem adfert. Timor verò ex mali ardui præſentis aut inſtantis perceptione exortus, tantam aliquando fugam & conturbationem adfert humoribus, vt ex ſubita hac retractione multis calor natiuus ſit obrutus atque ſuffocatus: aliis magnos intulit in viſceribus affectus; Vnde illud Poëtæ-- *gelidúſque coit formidine ſanguis*: Et vulgo ſolitum eſt, ſtatim poſt timores iſtos vehementes venam ſecare, vt ſcil. qui intrò violenter delatus eſt ſanguis, per phlebotomiam reuocetur & minuatur. Sub timore continetur Verecundia, ex timore & ira mixtus affectus, ſed parum potens ad inferendam corpori alterationem.

Supereſt Ira, quam comitantur Iracundia & excandeſcentia, velut habitus & intenſiones, violentiſſimum animi pathema: Cùm enim fiat ex apprehenſione mali præſentis, à quo ſe liberari poſſe exiſtimat, inſurgit facultas cum vindictæ cupiditate, & varios motus in nobis profert. Primò retractionem caloris ad interiora, vt colligantur vires: Vnde pallor & tremor in principio, hinc collecto circa cor ſanguine, eiuſdem feruor & æſtus, commotióque bilis in proprio folliculo & venis. Pòſt impulſio ad exteriora cum faciei inflammatione, oculorum micatione, & mentis quadam perturbatione, quam Poëta annotauit eleganter his verbis, *Ira furor breuis eſt.* Ex quibus facile eſt coniicere, quid ira præſtare poſſit in nobis, confractionem ſcil. in membris ex varia illa humorum agitatione, incendium in corde, & in humoribus, quod ſæpe in febrem ephemeram, aliquando in putridam deſinit, aliàs expanſa bile per exteriora corporis, in icterum. Denique cùm magnâ animi & corporis contentione iratus ſæpe vtatur ad conſequendam vindictam, fit magna virium deperditio, & ſpirituoſæ ſubſtantiæ reſolutio: Nuſquam tamen ſubitam mortem intulit ira, quoniam in robuſtis & prævalidis naturis ſæpiùs fit: in imbecillis, vt mulierculis & ſenibus, quos Hippocrates ὀξυθύμους ideò appellauit, iracundia ſi contingat, illud abſque magno ſpirituum motu fit, præ

impo

impotentia potiùs mentis, quàm cordis robore. Caret ira contrario, quia cùm ista feratur in malum præsens arduum, opposita passio ferretur in bonum præsens arduum, sed ad illud non opus est animosa facultate, sed sola concupiscibili, quam priùs lætitiam seu voluptatem appellauimus. Atque sub his enumeratis passionibus, & secundùm earum formale ac materiale significatum explicatis, reuocari possunt quæcunque aliæ siue simplices siue ex his mixtæ sunt. Quid verò in sanitatis conseruatione conferant, nunc videndum, relicta morali Philosophia de moderandis huiusmodi affectibus, quam Galenus eleganter duobus libris est complexus.

Certum est itaque ad passiones istas concurrere ipsam imaginationis & rationis apprehensionem, ipsam facultatem animosam, & cordis robur, propriámque hominum temperiem. Cùm igitur omnes non eadem polleant ratione, sed alij res quales sunt, æstiment; alij non quales, sed meliores aut deteriores: Præterea in aliis vehementior sit vis animosa, in aliis minùs prompta, cordisque virtus maior aut minor, fit vt non eodem modo omnes concitentur, sed alij celeriùs, alij tardiùs, vehementiùs aut leuiùs. Item cùm animi mores sequantur corporis temperiem, vt Galenus *integro* probauit *libro*, fit vt quidam ad iracundiam, & audaciam, vt bilioſi; ad timorem & mœstitiam, vt melancholici; ad lætitiam, vt sanguinei; ad torporem pituitosi sint procliuiores.

Ac proinde vt Lætitia, gaudium, vel voluptas videtur medium horum affectuum obtinere, Sic etiam omnibus temperatis intemperatisque ex se ipsa conferre videtur, libera illa spirituum & calidi influentis expansione, cordisque dilatatione naturali, quâ vitæ fontes omnibus partibus aperiuntur: At reliquæ passiones rationem intemperamenti obtinent, prout calorem vel augent vel minuunt, spiritus & humores resoluunt & dissipant, vel violenter retrahunt & cogunt in cor: Sicque pro modo corrigendorum intemperamentorum variè adhibendæ, vt scil. familiares prohibeantur, ira scil. & audacia bilioso & atrabilario; timor & mœstitia melancholico; contrarij autem affectus suadeantur: Pituitosis enim & obtorpescentibus naturis non inutile est remedium Ira, quæ frigidiorem illum habitum soluat, & calefaciat. Denique eadem habeatur à Medico mutandarum istarum qualitatum ratio, quæ in superioribus dicta est pro decenti modo & gradu in contrariis intemperamentis.

Quod ad *quantitatem* enim attinet istarum passionum moderandam sanisque aptandam, egregium est illud Galeni in nostro *contextu*, Et *lib. 6. Epid.* ac 1. *de san. tu.* Omnes animi affectus immodicos reiiciendos esse in tribus animæ partibus, animali, concupiscibili, irascibili; Moderantiam autem seruandam esse, quæ in eo posita est, vt neque ociemur per hebetudinem animi, lætitiam perpetuam, aut abolitam sollicitudinem & concupiscentiam, quia hæc plurimos & crudos succos generant; Nec verò nimiùm exerceamur plurima meditatione, impotenti concupiscentia, frequenti iracundia, tristitia, & similibus, sed ita in vtrumque extremum per oppositi vicissitudinem tendamus, vt ex vtrisque mediocritas corpori concilietur & duret, sub quibus etiam *temporis* & *ordinis* rationem complectimur.

Absoluimus igitur primum illud Hygieines caput, in quo erat propositum agere de materia seu causis salubribus necessariis, earumque vsu in genere; Inter quas aliquot etiam annotauimus, quæ inter non necessarias recensentur, quantum hoc nostrum institutum ferre potuit. Omisimus autem tractatum de Balneis naturalibus & arte paratis, quamuis ad sanitatis conseruationem maximè necessariis, quia iusti operis materiam continet. Nunc enim ad alias Hygieines nostræ partes est properandum.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT II.

De Indicationibus ſanatiuis: & de communi illa, An Similia ſimilibus conſeruentur.

MAteriam ad vſus ſalubres idoneam & neceſſariam *ſuperiori capite* abundè pro compendij huius natura deſcripſimus: & Medico inſtrumenta ſuppeditauimus, quibus poſſit propoſitos Hygieines ſcopos aſſequi. Nunc autem videndum quomodo materia iſta variæ ſanorum cuſtodiæ aptari debeat, & quaſi formaliter referri. Id autem certum eſt fieri aptiùs commodiúſque non poſſe, quàm per conuenientes indicationes, ſeu inſinuationes ex rei ipſius natura petitas, quæ nos ad id quod eſt agendum, non minùs in ſtatu ſalubri quàm inſalubri velut manu deducant per conſequutionem illam, quam Galenus vocauit Logicam. Cùm enim Sanitas, cauſæque eius omnes & effectus, ſecundùm naturam maximè ſint, & ſub boni ſpecie non ſolùm à Medico, ſed etiam à quibuſcunque hominibus percipiantur. Hinc ſtatim ſequitur ex communi illo principio ſanitatem velut bonum, amplexandam, ſequendam, & omni induſtriâ conſeruandam: quemadmodum illi oppoſitum ſtatum, Morbum ſcil. velut malum quid ex ſe humanæ ſpeciei auerſandum, remouendum, & omni curâ auferendum eſſe. Vnde duæ primæ & generales Indicationes omnibus notæ exurgunt, Cuſtodia ſcil. eius quod ſecundùm naturam eſt, Ablatio illius quod præter naturam exiſtit. At quibus, quando, quantum, & quomodo illud præſtari debeat, id demum ſub peritiſſimi tantùm Medici notionem cadit, cui nunc incumbimus, quoad Indicationes ſanatiuas ſiue ſalubres attinet: Poſteà de Curatiuis in ſecundo tractatu fusè acturi.

Propoſito igitur ſalubri ſtatu, circa quem Medicus actiones aliquas exercere debet accommodatiſſimis quibuſdam inſtrumentis, ſuccedit ſtatim cognitio diuerſitatis maximæ, & differentiarum quæ in illo reperiuntur. Vt ſcil. aliquis ſit ſtatus velut cæterorum regula, exactâ temperie omnium partium, & earundem compoſitionis perfectione conſtans, circa quem infiniti, & maximè vulgares ſtatus poſiti ſunt, alij quidem imperfectione per ſimilarem vel organicam diſpoſitionem ab eo differentes, alij lapſu quodam manifeſto longè recedentes, quatenus id ſanitatis latitudo ferre poteſt. His itaque omnibus vt in genere ſanis, & ſecundùm particulares hominum conſtitutiones ad actiones quodammodo obeundas facientibus, Cuſtodiam quidem pollicetur ὑγιεινὴ Medicus: ſed quoniam imperfecta omnia ad id quod perfectius eſt, quoad fieri poteſt, reduci debent, & lapſus illi inſignes in ſtatu ſalubri manifeſtam in contrarium propenſionem oſtendunt: Ideò Medicus ſtatus iſtos deficientes non ſolùm conſeruare, ſed etiam corrigere, & ad id quod optimum eſt, deducere conatur. Vnde duplex ſtatim exurgit intentio in Hygieine, *Cuſtodia* ſcil. *perfecti*, *Reductio deficientis*. Vt enim in ſtatu morboſo quamuis curatio & mutatio, præcipuus ſit Medici ſcopus, quia tamen quod natiuum adhuc ſupereſt, proprium ſcil. temperamentum & vires conſeruari, & inprimis cuſtodiri debent, ideò in therapeutica curationi conſeruatio miſcetur: Sic in ſtatu ſalubri, quamuis Cuſtodia & Conſeruatio, præcipua ſit Medici intentio, ſi tamen aliquid in peius ruere quamuis ſenſim videatur, illi per reductionem maturè & auxiliis ex ſalubri materia petitis medebitur. Ecce igitur quid ſit agendum in ſtatu ſalubri, Cuſtodire ſcil. & Reducere.

Quibus autem hoc præſtare debeamus, quantum, quando, & quomodo, iam inquirendum eſt. Cuſtodia quidem cùm ſit Conſeruatio ſanitatis & cauſarum ipſius in ſtatu præſenti, non alio modo fieri poteſt, quàm ſimilium vſu. Vt enim omnis mutatio à contrario & per contrarium: Sic Conſeruatio à ſimili & per ſimilia perficitur: Simile enim ſimili gaudet, ab eo augetur & cuſtoditur. Reductio autem cùm ſit præſentis ſanitatis in melius mutatio & correctio quædam, non niſi contrariorum vſu perfici poteſt, ſi modò illud verum ſit, Mutationem omnem à contrario contingere. Vnde Galenus *in lib. method.* reductionem iſtam ſanatiuam à therapeutica curatione, ſecundùm magis & minus tantùm differre voluit, vt

ſcil. qui curat, manifeſtis & inſignibus contrariis vtatur; qui reducit, lenioribus & minùs manifeſtis: Hunc quidem comparans homini ſenſim dolium, ex quo paulatim humor effunditur, replenti: Illum verò homini affatim vas penè exhauſtum implenti. *Quibus* igitur in ſtatu ſalubri *conſeruandum? Similibus. Quibus reducendum? Contrariis. Quantis* autem & ſimilibus & contrariis illud ſit præſtandum, rectè definiuit Galenus, dum vult Similia hæc & Contraria, non ſolùm talia eſſe formâ & denominatione, ſed etiam gradu. Vt ad conſeruationem calidi, ex. gr. non ſolùm calida ſecundùm appellationem & effectum vſurpanda ſint, ſed etiam calida ſecundùm eandem intenſionem & gradum. Cùm enim non ſola caliditas ſanæ ſit huic, v. g. homini, ſed certus caliditatis gradus, quæ auxilia hunc conſeruare apta ſunt, propoſitum illud punctum excedere non debent, ſiue vltimum effectum ſpectes, qui poſt cauſarum actionem introducitur, ſiue propriam earum naturam: Solus enim aër, v. g. æſtiuus ſub Canicula ob nimium feruorem, quamuis ſit formâ & denominatione ſimilis calidæ temperiei, quia tamen gradu excellit nimiùm, non conſeruat, ſed exceſſum & diſſimilitudinem infert. Sic multæ cauſarum ſalubrium ſimul iunctæ, vt cibus & potus, exercitatio, vigiliæ, & ſimiles, ſi conueniant in vna eadémque facultate ad conſeruationem ſimplicem alicuius ſani, præter hanc oportet menſurâ eâ eſſe præditas, quæ in vltimo earum effectu, illius modulo reſpondeat. Idem dicas de Contrariorum vſu ad reductionem deficientis ſani. Vt enim in curatione, contraria æqualia eſſe debent, quò mediocritatem aliquam corpori conuenientem inducant, neque exceſſus fuga fiat vitium: Sic in reductione ſani, ſeu correctione eorum quæ excedunt vel deficiunt in hoc ſtatu, ex cognita eius natura metiri conuenit vim & parem gradum contrariorum, quæ mutatione conuenienti, illud quod propoſitum eſt, efficiant, neque vltrà progrediantur. Senſim item procuranda hæc mutatio, vt nullo modo naturæ ſit moleſta, ſed abſque inſigni præſentis conſtitutionis perturbatione introducatur. Hæc eſt igitur Quantitas ſimilium in conſeruatione, contrariorum in reductione, quam obſeruare debet ὑγιεινὸς Medicus, vtpote in qua potiſſimus rectæ actionis ſcopus eſt poſitus.

Quando autem, & *quomodo* id præſtari debeat, meliùs deinceps dicetur, dum vnicuique conuenientem cauſarum vſum aptabimus: Illud tamen generaliter pronuntiauit Galenus, Conſeruationem velut primariam intentionem ſemper eſſe ſanis conuenientem, niſi iam vergant in lapſus aliquos immoderatos: Reductionem verò ſiue Correctionem præſentis ſtatus non ita conuenire poſſe, neque omnibus, neque ſemper: Non quidem omnibus, quia multi eâ ſunt ſanitate præditi, quæ ſimplicem ſui cuſtodiam ſuadet: Alij verò quamuis correctione indigeant, quia tamen parum ſunt obſequentes, proprióque arbitrio & impetu ducuntur, ideò in ſua ſunt potiùs relinquendi conſtitutione quàm reducendi. Non ſemper, nam vt eſt 5. *de ſanit. tu.* 14. & 15. & 7. *meth. cap. vlt.* Quando eiuſmodi lapſi vel ægrotant, aut ita negotiis ſunt impliciti, vt nullo modo ſanitati incumbere poſſint, & à conſuetis tutò abſtinere, tunc non ſunt reducendi. Quippe cùm in ægrotantibus auxilium à propria temperie, qualiſcunque illa ſit, maximè expectetur, ideò tunc Natura corrigentibus fatiganda non eſt, nec à morbi expugnatione, importuno illorum vſu auertenda, niſi fortè curatio correctioni conſentiat, vt quando biliоſus febre ardente detinetur. Occupati autem, qui vitam quam vocant ἡσυχαστὴν, id eſt, *inquietam* agunt, non poſſunt explere præcepta reductionis, in qua vult Hippocrates 6. *Epid. ſect.* 2. 26. *Contraria ſenſim adhiberi, & quietem interponi*, vt natura per medias iſtas quaſi ferias à correctionis labore interquieſcat. Adde quòd occupati frequentiſſimis erratis totam reductionis ſeriem interpellare & diruere ſolent. Atque hæ ſunt indicationes vniuerſales in vſu cauſarum ſalubrium, pro ſanorum corporum diuerſitate à Galeno propoſitæ, & ab omni Medicorum ſucceſſione ſummo cum applauſu & admiratione receptæ.

Quia tamen Axioma illud quo diximus, Similia ſimilibus conſeruari, non tam à Medicis in theſi, & vt eſt notio quædam communis, conſideratur, quàm in hypotheſi, & quatenus ad communem agendi rationem refertur: ideò non paucas etiam ſuſcipere ſolet difficultates, quæ ſoluendæ & determinandæ priùs ſunt, quàm huic capiti finem imponamus, quandoquidem hinc tota deinceps tractationis ſalubris firmitas pendet.

Primò igitur aliquot Hippocratis & Galeni authoritates, deinde rationes, huius axiomatis veritatem conuellere videntur. Hippocrates enim *aphor.* 2. *ſect.* 3. *Naturarum,*

rerum, inquit, *alia quidem ad æſtatem, alia verò ad hyemem, bene malèue ſe habent*; quod Galenus interpretatur, Naturas, hoc eſt, temperamenta frigida humidáque per æſtatem optimè affici, vt pituitoſorum hominum, ſenum, & mulierum: Contrà calida ſiccáque per hyemem bene, vt ſunt bilioſorum, iuuenum, & conſtantium ſe habere. Vnde ſequi videtur, contrariam cauſarum iſtarum conſtitutionem magis facere ad ſanitatis conſeruationem quàm ſimilem. Item ſcribit Galenus 1. *de alimentis*, intemperies ſanas quoad qualitates actiuas per contraria ſeruandas, quoad paſſiuas, per ſimilia, vt ſi in calidi frigidíue exceſſu ſint poſitæ, oppoſitis vtantur, ſi humidi aut ſiccei, eiſdem. Præterea ſenes quoſcunque calidis humidíſque fouendos vbique & conſeruandos docet, cùm tamen eorum conſtitutio in frigiditatem ſiccitatémque labatur. Annon eadem eſt ratio totius corporis & partium, inter quas vult Galenus *hoc libro*, frigidas, vt pulmonem, manifeſtè lædi ab inſpiratione frigida, à calida verò iuuari; Calidas verò, vt Cor, aëris perpetuo indigere refrigerio? Quibus etiam ratio facillimè ſuffragatur, Siquis enim calidus ſit, v. g. vt duo, & ſanus: per vſum calidorum eodem gradu, nonne multiplicabitur additione gradus; & ex moderato immoderatus fiet? Hi ſunt obices quibus propoſiti noſtri veritas irretiri videtur. Quibus ſatisfaciendum eſt, idque ſuppoſitis priùs iis, quæ à nobis iam ſunt tradita: In ſtatu ſcil. ſalubri duplicem eſſe indicationem, Conſeruationem ſcil. & Correctionem: Et in vſu horum auxiliorum non ſolùm qualitatem ſpectari, ſed etiam gradum, quem potiſſimùm per vltimum illum effectum, qui introducitur, metiri conuenit. Ex his enim facilis eſt harum difficultatum ſolutio. Nam quòd temperamentorum exceſſus, meliùs habent in contrariis anni tempeſtatibus, illud ad Reductionem referendum eſt, quâ eiuſmodi intemperies ſanæ corriguntur, non ad conſeruationem: Niſi generaliter ſumatur Conſeruatio in ſanis, pro omni illo ex quo meliùs habere videntur: At propriè ſumpta conſeruatio, cùm ſit cuſtodia præſentis ſtatus, non debet cum reductione confundi, quod tamen ſæpe contingit Galeno, ex communi loquendi norma. Vt patet in ſecunda obiectione, in qua Galenus omnino conſeruationis nomine abutitur: dum docet actiuas qualitates temperamentorum per contrarias qualitates eſſe reprimendas, paſſiuas verò non ita ſedulò corrigendas, ſed potiùs vſu ſimilium continendas, niſi admodum exceſſerint. Quod ad ſenes verò attinet frigidos ſiccóſque, quibus perpetuo Galenus vſum calidorum humidorúmque conſulit, id potiùs ad præcautionem inſtantis ſiccitatis, frigiditatíſque fit, ad quam mortem conſequi neceſſarium eſt, quàm reſpectu ſtatus ſalubris, in quo ſenes diu abſque horum auxilio perdurare non poſſunt. Idem dicas de partibus corporis intemperatis, in quarum conſeruatione, reductio per contraria potiſſimum locum obtinet: Vt in illis quæ temperatæ ſunt, ſimplex conſeruatio. Gradus quidem caloris alteri gradui additus illum multiplicat, ſi vterque ſubſiſtat, ſed quia calor ille noſter cum propria ſubſtantia perpetuò effluit, hinc fit vt à paribus in gradu non augeatur, ſed conſeruetur tantùm, & accedens nouus in defluentis locum ſuccedat. Eſt igitur verum in vſu ſalubri conſeruationem fieri ſemper ſimilibus: at non ſemper conſeruatione vtendum in omnibus ſanis, ſed frequentius ratione tum proprij, tum acquiſititij temperamenti, reductione & in melius mutatione; quò eiuſmodi ſtatus intra ſanitatis latitudinem contineatur.

CAPVT III.

De conſeruatione exactè ſani.

CONSERVATIONEM propriè ſumptam, quamuis ſit præcipua ſtatus ſalubris indicatio, minùs tamen communem & vſitatam eſſe diximus ipſa reductione, ob frequentiſſimos ſanorum corporum lapſus, inter quos *ἰσότης, optimus habitus*, exactè ſana conſtitutio, velut medium quid & perfectum, poſitum eſt, quod reliquorum omnium ſit regula. Hanc *ἰσότητα* depingens Hippocrates *lib. Præceptionum*, non athleticam illam periculoſam, in ſola plethora humorum, carnoſarúmque partium multitudine poſitam, vocat *φύσιν φύσει περιτετυμμένην, λίθῳ ἰσαμοιρέοντι πνεύματίτι, καὶ θερμασίῃ, καὶ χυμῶν καλλιργασίῃ,*

Naturam naturæ superadditam, quasi dicat, absolutam sanitatis perfectionem; quæ & humorum bonitate, & calore, ac spiritu laudatissimo, maximè speciei humanæ conueniat, ad actiones omnes in illâ vtiles peragendas. Quod sequutus Galenus, modò *ἐυεξίαν* istam proponit, velut imaginem quandam normæ Polycleti, *libro* scil. *de bona habitudine*, quæ simpliciter sit bona habitudo absque vllo respectu. Aliàs verò, vt *lib. de opt. constit.* more Medico magis, & ad vsus communes, ita constitutionem illam depingit, vt scil. hæc sanitas sit, optimus quidam & firmus corporis habitus iustâ temperiei æqualitate, & partium organicarum symmetriâ constans, ad omnes actiones obeundas paratissimus, causisque morbificis parum obnoxius. Hunc in plurimis hominibus reperire est, quos & vulgus simpliciter sanos nuncupat, & Medicus *ὑγιεῖς*, velut optimè constitutos in naturali illa sanitatis perfectione sibi conseruandos proponit, ex communi primùm notione, id quod bonum est, perfectum & maximè secundùm naturam, custodiam & conseruationem sui suadere: Deinde ex peculiari status illius & minimè vulgari notitiâ sic progreditur, Sanitas hæc cùm optima sit, vt ex actionum omnium perfectione potissimùm, aliisque signis innotescit, seruari debet per ea, quæ causæ istam efficientes proximè & continenter tueantur & custodiant. Cúmque illa posita sit in moderata temperie similarium, bona vnitate, atque organicarum conformatione debita; ideò vtrisque videtur incumbendum, vt sanitas ista retineatur. Sed quoniam organorum conformatio & vnitas, quæ talis fuerit in prima generatione, qualis esse debuit, posteà per accretionem similarium & nutritionem, eodem modo contingit, si conueniens ad illas alimentum accesserit: Alimentum autem tale existit, qualis est temperies partium coctioni vniuersali & particulari dicatarum. Hinc sequitur, conformationis naturam & vnitatis, non particularem causarum vsum ad sui conseruationem indicare, sed per custodiam ipsius temperiei, illam etiam conueniienter posse conseruari.

Sola itaque temperies status istius saluberrimi conseruanda venit, quæ cùm posita sit in mediocritate & symmetria maxima, citra excessum omnem, ideò custodienda est vsu similium moderatorum, siue denominatione simul & effectu, seu effectiuè tantùm talium. Hoc verò debitâ causarum salubrium applicatione continget, quam breui hac delineatione perstringemus. Primùm igitur *aëris* perspirati inspiratique vsus iserit, vt cùm spirituosa ex eo substantia refici, calórque nativus temperari & ventilari debeat; sic etiam aëris consistentia pura sit, nullo inquinamento vitiata: neque nimiùm tenuis, neque valde crassa, sed inter istas mediocris, vt scil. omnes illius qualitates blandè & quasi sensim in corpus temperatum inferat, absque vlla mutatione. Atque hæ, si fieri possit, qualitates aëris, nullo sint excessu præditæ, sed in æquabili quadam temperie frigoris & caloris, humoris & siccitatis positæ, qualem verno tempore sæpiùs experiri licet. Vnde vult Auicennas, hominem hunc temperatum, quem custodiendum suscepimus, incolere ciuitatem aliquam quarti climatis inter cætera clementissimi, quæ Orientem respiciat, in loco acclíui, neque præcelso neque admodum humili positam, à paludibus omníque illuuie remotissimam, montibus verò, grandiori flumini, & mari non admodum propinquam. Verùm Galenus multò meliùs, vt mihi videtur, ne vnico mundi loco & cardini, temperati conseruationem addiceret, hos mediocritatis terminos latiores in aëre posuit, vt scil. temperatum corpus, in eo neque horreat propter frigus, neque sudet propter æstum. His nimirum verbis denotans, passiuas quidem qualitates, vt parum ad agendum paratas, humiditatem scil. & siccitatem, nisi actiuæ illis adiungantur, vix deiicere posse statum corporis exactè sani, quem maximè externis causis resistere posuimus. Actiuas autem, frigus scil. & æstum, tunc temperatas haberi posse, quando temperatè sanos homines afficiunt. Vnde in qualibet regione mundíque plaga, cùm eiusmodi homines secundùm Medicinæ censum reperiantur, fit vt vel ex assuetudine, vel resistendi potentia, hic v. g. Indus minùs æstu tentetur, Anglus verò minùs frigore patrio, sed æqualiter & temperatè ab eis afficiantur, nisi valde excesserint. Quòd si aut ratione tempestatis anni, aut particularis locorum constitutionis, inclementior sit aëris status, tunc conuenit Medicum aut sanum regulis necessariis addictum, habitationis, vestium, sussituum varietate, eam conciliare sibi, vel aëri dispositionem, quæ illum intra propositos mediocritatis terminos contineat. Quod si assequi non possit, tunc certè soli mutatio & alterius habitationis electio, ex Auicennæ consi-

lio,

lio, commodè vſurpanda erit, tandiúque in loco morandum, quamdiu loci illius cauſas ad ſanitatis noſtræ conſeruationem conſpirare agnoſcimus.

Atque vt aër potentiſſima eſt cauſa in conſeruatione & correctione, ſic illi virtute ſunt ſecunda *Alimenta*: quorum materia media, euchyma ſcil. cupepta, & copioſi ſucci, erit temperato homini vtiliſſima, *proprio capite* à nobis deſcripta: qualitatibus verò propriis, & nariuis temperata, vt ſcil. eundem quem reperarunt ſuccum generent, neque partium temperiem excedente vllâ qualitate afficiant. Quòd ſi hoc natura in quibuſdam alimentis non præſtiterit, quæ aſſueta tamen ſint, aut iucunda homini temperato; tunc ars debita illorum præparatione, coctione, & mixtione variorum alimentorum in eodem paſtu, aut etiam peculiaribus vnicuique condimentis mediocritatem expetitam conciliabit: quod pro genere & varia cibi aut potûs natura facile erit Medico definire. In quantitate autem eorum moderandâ ſufficiet temperatæ naturæ appetitum ſequi, quæ, vt inquit Galenus, cùm actiones omnes corporis habeat perfectiſſimas, tantum appetit quantum concoquere poteſt, pro varietate regionum, anni temporum, ætatis, ſexûs, conſuetudinis, quorum etiam ratio habenda eſt. His ſi & tempus, & ordinem illum iam à nobis *proprio capite* deſignatum addiderit, omnes in hoc mediocritatis modos explebit.

Atque vt appetitui in temperata natura reſpondet Concoctio, ſic etiam ſuperfluitatum omnium & περιττωμάτων *Excretio*, tam eorum quæ propriè excrementa ſunt & dicuntur, quàm benignorum, inter quæ Veneris vſus, ſeminiſque prolifici in agrum naturæ profuſio, cum moderatione & aliis obſeruationibus à nobis poſitis, huic maximè homini conuenit: quem ſolum, intemperatis omnibus ceſſantibus, fœminas inire, & rediuiuam prolem ſuſcitare, inprimis eſſet Reipubl. vtile.

Item in vſu *Exercitationis*, nullum refugiet agitationis aut laboris genus, cui paratum eſſe conuenit, ſed lubenter ſuſcipiet, vt moderatæ exercitationis commoda conſequatur, eâ quantitate, ordine, & tempore, quæ iam à nobis aſſignata fuerunt. Vt etiam gratâ *Somni*, & *Vigiliæ* naturalis viciſſitudine, vtriuſque vtilitates conſequetur, feriáſque nocturnas diurnis occupationibus interpellabit. His omnibus ſi acceſſerit *tranquillitas animi*, profligatis omnibus immodicis animi perturbationibus, vel per hanc ſanitatis curam, vel Philoſophiæ ſtudio comparata, tunc certè omnia conuenienter fient in conſeruatione hominis iſtius ſaluberrimi, quem par eſt hac ratione & incolumem à morbis vitam degere, & in ſingulis ætatibus cœtvos ſuos valetudine antecedere.

Verùm duplex hîc adhuc ſubeſt difficultas. *Primùm* enim quæri poteſt, cùm ſæpiùs contingat cauſas iſtas ſex, vix poſſe ſimul ad conſeruationem ſani ſtatûs concurrere, ſed ſæpiùs vnam vel plures, aliarum conſenſum oppugnare, an ſcil. tunc neceſſariò noxa inferatur homini ſano, an verò ſit modus aliquis, quo liceat defectûs iſtos compenſare? *Secundò*, ſi certum eſt, vt Galenus docuit *lib. de ſanit. tu.* ſicut inter varias ſanorum naturas, ſolam temperati conſtitutionem expetere ſimilium exhibitionem, reliquas verò contrariorum; ita inter temperati hominis ætates, vnam tantùm aut duas ad ſummum, ſimilibus temperatiſque bene habere, pueritiam ſcil. & adoleſcentiam, reliquas omnes aduerſis gaudere & reſtitui: quomodo nunc citra ætatum diſtinctionem, ſtatum ſalubrem ſimilium vſu ad conſeruationem egere voluimus?

His itaque pro capitis iſtius complemento ſatisfaciendum eſt. Dicimus igitur ſæpe fieri, vt in vſu conſeruationis, vna vel plures cauſarum ſalubrium & neceſſariarum, aduerſa ſit huic ſcopo in ſtatu ſalubri propoſito; Verùm illud non impedire, quin Medicus eum aſſequatur, ſedulâ omnium cauſarum iſtarum & artificioſa applicatione: Si enim contigerit aërem, v. g. in qualitate excedere, qui neceſſariò hauriendus ſit homini temperato, vel neceſſariò obeundum eſſe illi quendam laborem, qui limites omnes mediocritatis excedat: in his, inquit Galenus, expendere oportet vim & naturam cauſarum iſtarum aduerſarum propoſitæ conſtitutioni, vt ſcil. earum exceſſus & potentia, per aliarum, vnius ſcil. aut plurium vſum temperetur & corrigatur: Sic aëris immodicus calor ſæpe corrigitur alimentorum vſu refrigerante, Sic exercitationis moleſtia ſolo ſomno ſuccedente: aliàs aëri, cibo, paſſionibus animi, reliquiſque per plures alias cauſas temperatio eſt adferenda, quod facile erit in homine temperato coniicere, ex facili tolerantia illius & alacritate, quæ efficit vt his adiutus nullam contrahat noxam, neque à proprio ſtatu deiiciatur.

Quod ad aliam Obiectionem attinet, certum est, Veram maximeque conseruationem temperatorum corporum, illis tantùm competere ætatibus, vt pueritiæ & adolescentiæ, quæ verò etiam sunt temperatæ : Sed quoniam temperatus homo, in quauis vitæ suæ parte, talis esse potest natiuo & proprio temperamento, quamuis ætatum successione acquisititium in humoribus positum mutetur : Hinc fit vt ratione primi illius temperamenti, Conseruatio semper competat reductioni iuncta, ob iniuriam excedentis caloris secundùm gradum in iuuenili ætate, deficientis verò in constante & senili. Sicque vnica sit indicatio in pueritiâ atque adolescentiâ, nempe Conseruatio, duæ in reliquis ætatibus, Conseruatio scil. nariui temperamenti, & Correctio defectuum aut excessuum, qui deinceps introducuntur : Quam nos *sequenti* proponemus *capite*. Particularem enim conseruationem persequi prægnantis sanæ, nutricis, infantis, pueri, adolescentis, non est nunc propositum, cùm liceat eam ex Galeno *lib.* 1. 2. *&* 3. *de sanit. tu.* fusè pertractatam repetere.

CAPVT IV.

De eis qui à sanitatis perfectione, secundùm temperiem lapsi sunt.

CONSERVATIONEM modò propriè apud Galenum sumi docuimus, vt *libro* nostro *artis parua*, pro sani corporis custodiâ, quæ similibus adæquatis perficitur : aliàs verò latè vsurpari pro omni actione Medicâ, quæ circa salubria corpora versatur, siue tantùm conseruare, siue etiam corrigere & ad melius reducere sit propositum.

Nos itaque cùm *superiori capite* de Conseruatione simplici circa exactam sanitatem egerimus : Nunc lapsûs eos persequemur, qui ab hac tanquam perfectione, in indiuidualibus naturis deflectere solent, quod maximè est vulgatum, & Medico cognitu necessarium, plerisque hominum de sanitate sua conquerentibus. Est autem eâdem methodo, quâ & in superioribus procedendum, ex notitia scil. ipsius rei. Cùm enim sanitatis perfectio, in bona similarium temperie, & debita organorum compositione collocata sit, certum est quodcunque corpus in horum alterutro, aut in vtrisque defecerit, statim ab inculpato illo statu plus minùs recedere. Sic intemperati multi sani, neque vno modo, sed pro variarum qualitatum, quæ symmetriam temperamenti euertere possunt, numero ; alij in intemperiem calidam, frigidam, humidam aut siccam. Alij in coniugatas ex istis, calidam humidam, calidam siccam, frigidam humidam, frigidam siccam labuntur.

Atque vt in construendo multa, in destruendo vnum vel pauca sufficiunt ; Sic sanitatis harmonia, non solùm integrâ partium similarium intemperie dissoluitur, sed etiam vnius aut plurium : Illi æqualiter intemperati vocantur à Galeno, isti inæqualiter ; In quibus rursum contingere potest, vt duabus aut tribus partibus intemperatis existentibus, vnus excessus alteri sit contrarius, vt si ventriculo frigidiori, hepar feruidum, cerebrúmque humidius coniungatur : Quorum habenda nobis nunc est ratio. Nam de vitiis conformationis & vnitatis sub sanitate positis, *frequenti capite* tractabimus : prestiùs tamen, quia istorum explicatio parum differt à curatione morbosarum intemperierum, de quibus in therapeutica seriò & fusè postea agendum erit.

Propositis igitur hominibus secundùm temperiem à sanitatis perfectione recedentibus, siue ab ortu id contigerit, siue pòst ex commissis erroribus, siue id fiat æqualiter, siue inæqualiter, certum est duas statim exoriri indicationes, primam scil. vt statum illum imperfectum, cùm à sanitate perfectissima recedat, quæ semper est vltimus finis Medici, ad perfectionem reducat, si fieri possit, & leui correctione quæ sanis etiam debetur, in melius transferat, Secundam, si id præstare non possit, propter ea quæ dicentur posteà, in eodem statu, qui & naturalis est adhuc, & ad actiones obeundas idoneus, conseruet.

Reductio igitur illa siue Correctio sanorum, cùm sit status præsentis sensim facta mutatio, *quibus* erit præstanda ? An non contrariis, quæ vim habeant alterandi

commo

commouendíque ? Iísque pro natura variæ intemperiei ſimplicis aut compoſitæ oppoſitis, vt conuenienter huius vel illius exceſſum aut defectum expugnare valeant. Eſt itaque Medico diſponenda materia ſalubris, quæ iam à nobis luculenter deſcripta eſt, vt ſcil. ex vſu vario aëris, cibi & potus, excretorum & retentorum, exercitationis, ſomni, & vigiliæ, animíque pathematum, transferre poſſit & reducere ſtatûs iſtos ſanos imperfectiores, pro variis intemperamentis. Ac cùm receſſus ab illa perfectione, ſub vno eodémque genere intemperiei, diuerſi ſint, *quantitas* contrariorum debita ſumenda erit à diuerſo illius gradu. Sit v. g. ſanitas perfecta in mediocritate caliditatis vt quatuor; ſanorum autem iſtorum in intemperiei calidæ exceſſu poſitorum, ſit alius vt quinque, alius vt ſex, procul dubio quamuis eadem illis opponi debeant contraria in ſpecie, frigida nimirum: at non eadem in gradu, ſed intenſiora huic, illi remiſſiora, quæ vniuſcuiuſque reductioni ad id quod eſt optimum, ſufficiant. Hæc vocat Galenus æqualia contraria, ex quorum vltimo effectu, ſiue vnica cauſa ſalubris, veluti cibus tantùm, ſiue plures vſurpentur, mediocritas tandem corpori expetita conciliatur.

Quando autem, & *quomodo*, adhuc eſt docendum: Temporis opportunitatem ex multis deſumunt. Inprimis enim conuenit, Reducendos iſtos otioſos eſſe, & vt loquitur Hippocrates, *ἰδιώτας*, *priuatos homines* ſanitati tantùm incumbentes, à muneribus omnibus grauioribus ceſſantes: In occupatis enim neque vacat propter negotia, neque licet propter pericula, quæ eiuſmodi homines incurrere poſſunt, reductionem tentare: Item nullo morbo affectos eſſe conuenit, quando reducuntur, ne ſcil. natura reuocetur ab expugnatione morbi, ad correctionis labores, duplicíque onere preſſa faciliùs occumbat. Præterea obſequentem oportet habere hominem, qui Medici conſiliis lubenter pareat: Alij enim ſuâ proteruiâ, quod pluribus diebus feliciter conſtructum fuerat, vnico errore ſubuertunt. Adde etiam ætatem conuenientem, vt ſcil. hæc reductio procuretur, non in conſtantibus ſenibuſue, quibus iam contracta eſt habitualis illa intemperies, ſed in pueris aut ætate florentibus, quorum vitia non ſolùm animi, ſed & corporis, vt leuiter hærentia facile eſt corrigere.

Quæ Galeni dicta intelligenda ſunt de ſumma & omnimoda reductione, quam in pauciſſimis hominibus, & cum pauca fruge tentare licet. At leuis reductio, quæ ſcil. tantum corrigit, quantum vnicuique datum eſt, omnes complectitur hominum conditiones, milites, nautas, agricolas, vrbanos, literatos, iter agentes, & ſimiles, ſiue iuuenes ſiue ſenes: illíſque ſalutaria admodum præcepta deſcribit, quibus poſſint commodiſſimè ſub omni vitæ genere, in quacunque regione, & quouis anni tempore, ſuæ ſanitatis exceſſus moderari. In hoc totum artificium poſitum eſt, vt ſi neceſſariò peccandum ſit in vna aut pluribus cauſarum ſalubrium, nouerint quomodo per aliarum ſibi conceſſarum vſum, iſtarum impetûs reprimere, contractáſque noxas corrigere valeant, vt in peculiaribus tractatibus docetur. Quomodo autem tentanda ſit perfecta illa Reductio, ſenſim & per interualla, docet Galenus; Senſim quidem quia omnes mutationes ſubitæ maximam naturæ vim, in naturali potiſſimùm & ſano ſtatu, inferunt, nec tutum eſt à conſuetudine quæ iam inualuit, ſtatim recedere: ſed ſi per interualla quædam & moras quaſi cunctando expugnetur, faciliùs cedit, & alternis cauſarum ſalubrium applicationibus obſequitur.

Atque hæc in correctione cuiuſuis intemperiei ſanæ obſeruanda ſunt, æqualiter ſcil. & ſenſibiliter per totum corpus excedentis. At quando inæqualiter intemperatus eſt homo ſanus, maior tunc ſubeſt difficultas, ex diuerſorum exceſſuum in variis partibus repugnantia. Sit v. g. aliquis, quod frequentiſſimum eſt, cui cum ventriculo frigidiore hepar feruidius exiſtat, vel ſimiles partes, certè non licet hîc vni proſpicere ſimpliciter, abſque alterius incommodo. Quid igitur in talibus præſtandum? *Primùm* animaduertenda eſt partium iſtarum natura, an principes ſint, an principum miniſtræ, an ad vitam magis vel minùs neceſſariæ. *Deinde* exceſſus ipſius intenſiórne ſit, vel remiſſior. Certum enim eſt partium principum & ad vitam maximè neceſſariarum potiſſimam rationem eſſe habendam, vt ſcil. earum exceſſus inprimis corrigantur & ad mediocritatem reducantur, propter actionis præſtantiam. Si igitur contigerit, v. g. hepar calidius eſſe, cum frigidioribus teſtibus, nullum eſt dubium, quin correctioni hepatis ſit incumbendum, paruâ habitâ ratione teſticulorum, vt ad vitam minimè, & conſeruationem indiuidui facientium. Contrà verò ſi contigerit, duas æquè nobiles & neceſſarias partes, contrariis exceſſibus

ceſſibus occupari, v. g. cor frigidius eſſe, hepar autem calidius, tunc gradus excedentis in vnaquaque qualitatis expendendus eſt: Si enim ita ſit, cor parum admodum excedere, hepar verò multum, tunc hepatis præcipua eſt habenda ratio, illíque reductio admouenda, neglecto quodammodo corde. Verùm ſi vtrumque in pari ſit receſſu, vnde par impendeat in ſanitatis perfectione noxa, tunc certè vtrique pariter eſt ſubueniendum. Quomodo? decet ſpectare ipſam partium connexionem & ſitum, ſunt enim quædam ita poſitæ, vt nihil per interiora aut exteriora admittant, quin primùm in alias illabatur, vtpote nihil ad hepatis refrigerium ingerere licet, quin per ventriculum frigidiorem & inteſtina delatum, eorum intemperiem augeat: nihil admouere extrà ad frigidiorem ventriculum temperandum, quin feruidioris hepatis incumbentem lobum magis calefaciat: In talibus igitur nuſquam ventriculum per externa calfacere tentabimus, ſi hepar ſit calidius, ſed internis vtemur, quæ per os aſſumpta in ventriculum delabantur, craſſioris ſubſtantiæ, & paucæ quantitatis, vt ſcil. propter ſubſtantiam diſtribui in hepar non poſſint, & propter quantitatem in ventriculo conſumantur: Sic hepar calidius cum frigidiore ventriculo nuſquam per aſſumpta refrigerare tentabimus, ſed per admota, externa ſcil. remedia, quæ facilè in illud penetrare poſſunt abſque ventriculi noxa. At in partibus diſſitis, neque ita connexis, licet aut eodem, aut diuerſo ſaltem tempore, repugnantes iſtos exceſſus ſimul expugnare. Verùm de his fuſiùs agemus in *tractatu noſtro, de Indicationibus curatiuis*, vnde hæc pauca deſumpta ſunt. Quod ad paradeigmata verò attinet reductionis intemperierum omnium ſub ſanitatis latitudine poſitarum, noſtrum iam eſſet illa perſequi, niſi id Galenus eleganter & accuratè admodum præſtitiſſet, *libro 6. de ſanit. tu.* verè aureo, in quo ad *caput* vſque *octauum*, proponit correctionem ſanorum æqualiter intemperatorum, ab hoc verò ad libri vſque finem de inæqualiter intemperatis agit. Sufficiat igitur nobis, ſumma rei huius capita propoſuiſſe.

Quod ad Conſeruationem verò attinet, qui ſecundus eſt ſcopus in ſanis intemperatis, quando reducere non licet, aut non conuenit: Ea vel vera eſt conſeruatio eius ſtatûs ſani qui præſens eſt, qualiſcunque ſit, quæ ſimilium vſu perficitur, tantum à mediocritate recedentium, quantum iſta ſanitas ſecundùm vnam vel duas qualitates exceſſit. Vel Conſeruatio eſt latè ſumpta, reductionem à nobis commemoratam complectens, quæ in vltimo ſuo effectu, quamuis moderatis contrariis lapſus iſtorum hominum corrigat, conſeruationem tantùm eorum ſub latitudine ſanitatis, abſque vlla ſenſibili reductione aut melioratione præſtat, & ne in morbos delabantur, cauet. Hæc Prophylactices præcepta continet, quam vbique Galenus ſub Hygieine collocat. In hoc autem libro, ob propoſitæ definitionis naturam, cogitur ſub cauſis inſalubribus & neutris reponere: Quem etiam nos hac in parte imitabimur, vt huic capiti finem imponamus.

CAPVT V. & vltimum.

De eis qui à ſanitatis perfectione, ſecundùm conformationem & partium vnionem lapſi ſunt.

ANTIQVORVM ἀκινάδυτα tanto ſtudio fugiebat Galenus, vt ſub latitudine ſanitatis non dubitârit pro vtilitate operationum Medicorum, inſignia quædam vitia collocare: quæ nondum ipſis functionibus ſenſibilem maximè noxam inferrent. Sic poſt propoſitam *hoc noſtro libro* conſeruationem reductionémque intemperamentorum, quæ in hominibus ſanis reperiuntur, poſtmodùm aggreditur ad ea vitia conformationis & vnitatis partium, quæ ſanis competere poſſunt, ſi ſtatum ſanorum ex illius ſententia, ita nunc recipias, vt pati poſſit actiones quodammodo læſas, imminutas ſcil. vel deprauatas. Quicquid ſit, cùm iſta propriè ad Curatoriam pertineant, neque tam corrigantur ſalubri materiâ, quàm therapeuticis remediis, vt ligaturis, compreſſionibus, & ſimilibus, ideò breuibus rem iſtam perficiemus.

Sanitas igitur perfecta, cùm poſita ſit in debita partium temperie, organorum conforma

conformatione, & omnium vnitate naturali: ſequitur etiam imperfectam reddi poſſe, non ſolùm per temperiei ipſius lapſum, ſed etiam per vitia quæ duabus aliis naturis accidere poſſunt: hæc enim ſi leuiſſima ſint, ex ſuppoſitione Galenicâ, conſtitutioni ſanæ contingere poſſunt. Atque vt conformatio illa perfecta & vnitas partium naturalis, ſui conſeruationem ſuadet: ſic imperfecta & deficiens, ſui reſtitutionem & correctionem, ſi ſit poſſibilis. Porrò cùm rita illa conformatio & vnitas ab ortu contracta, quod ad cauſas ſalubres attinet, non alio modo conſeruetur, quàm per cuſtodiam ipſius naturalis temperamenti, (à nullâ enim propriè expugnatur) ideò conſeruationis illius non meminit Galenus, ſed tantùm reductionis vitiatæ & deficientis, pro numero vniuſcuiuſque iſtarum ſimplicium vel compoſitarum. Cúmque conformatio diuidatur in formationem, magnitudinem, numerum, & ſitum. Formatio rurſum in figuram, cauitatem ſeu meatum, aſperitatem & læuitatem. Magnitudo ſit aucta vel imminuta, vt etiam numerus. Situs partium connexum etiam earum complectatur, ſic illis extra naturalem conſtitutionem poſitis breuiter proſpicit: vt contraria adhibeat, non formalia quidem, (nihil enim ita conformationi contrarium) ſed effectiua, quæ ſcil. operatione contrariam illi conſtitutionem producant, Quorum quantitas metienda eſt ex magnitudine & reſiſtentia corrigendi affectus, vt ſcil. poſſint aut propriâ potentiâ, aut actionis duratione illud perficere, quod Medico erit propoſitum: adiunctâ temporis opportunitate, quæ poſſibilem vel faciliorem reddat hanc actionem. Vitiata itaque figura corrigitur, vbi adhuc pueritia viget, & obſequens eſt qui reſtitui cupit, poſteà enim vix ſperatur, contrectatione longâ & frequenti manuum in oppoſitam partem, deinde deligatione conuenienti cum faſciis, clitellis, & ſimilibus, quæ flexam iam partem in debito loco retineant: ac ſi durior iam vel firmior fuerit, fomento vel oleis mollientibus demulcenda, vt faciliùs obſequatur. Cauitas autem & meatus, ſi anguſtior ſit præter naturæ modum, augebitur longâ & frequenti exercitatione propriæ operationis, & ſpiritus ipſius rententione, quâ diſtenduntur partes. Si amplior exiſtat, minuitur quiete, & deligatione quæ comprimat interiorem anfractum. Læuitas & Aſperitas medicamentis intemperamenta ex quibus proueniunt, reſpicientibus, corriguntur. Magnitudo verò imminuta totius vel partis, emendabitur exercitatione mediocri, quæ concoctionem & diſtributionem alimenti promoueat, frictione molli, leuibus concuſſionibus & flagellationibus, item dropacibus & aliis quæ ſanguinem ad partes allicere poſſunt. Aucta præter modum in toto corpore exercitationibus violentis, duris frictionibus, alimentis attenuantibus, & pauci ſucci. In parte, illius quiete, atque compreſſiuis deligationibus, quæ impediunt alimenti affluxum. Sic Numerus deficiens partium, ſi ſit in carnoſis facilè reparatur per quamuis ætarem: in ſolidis autem aliquando per pueritiam & adoleſcentiam, ſubſtituitur tamen aliquid, quod vicem deficientis ſuppleat, vt in oſſe porus ſarcoides, in membranâ mucoſum incrementum, & ſimilia, quæ vi potiùs naturæ, quàm Medicioperâ ſuſcitantur. Excedens verò numerus vel tollendus è medio, vel ſaltem transferendus in aliquem locum, vbi cum minore incommodo maneat: quemadmodum lapidem è collo veſicæ in capacitatem eius detrudimus. Denique Situs & Connexus non naturalis, ſui tranſpoſitionem ſuadent omni artificio procurandam. Idem dicas de complicatis iſtis affectibus, in quibus etiam complicatæ erunt indicationes. Atque hæc de vitiis organicis intra ſanitatis latitudinem corrigendis.

Vitiata autem vnitas ſeu diſſoluta, ſi ita exigua ſit, vt nulli actioni ſenſibilem læſionem inferat, per ſe agglutinatur denuò, naturâ quod deperditum erat per alimenti aduentum reſarciente. Si maior fuerit, tunc reuerà ipſam ſanitatis latitudinem egreditur, & therapeiæ remedia conuenientiſſima expoſcit: Quæ nos fusè ſuis locis per conuenientes indicationes ſumus tradituri. Nunc ſufficiat hæc tantùm ex Galeni mente propoſuiſſe. Sub *hoc* autem *capite* commodiſſimum eſſet, duas Hygieines partes pertractare, quarum vna κοσμητικὴ, *exornatoria*; altera verò κομμωτικὴ, *comptoria* appellatur. Illa quidem naturalem corporis pulchritudinem cuſtodit & tuetur, abſque vllo adſcititio: hæc autem fucis, linimentíſque aſcititiam pulchritudinem inducit, magnatibus viris & fœminis maximè expetitam. Verùm quoniam ſperamus, nos aliquando Hygieinen omnibus ſuis numeris abſolutam edituros, ſatis ſit interim, prima hæc lineamenta duxiſſe, vt iam aggrediamur ad tractationem therapeuticam, quæ Indicationes omnes Curatiuas luculenter & artificiosè complectetur.

IOANNIS VARANDÆI,
THERAPEVTICVS TRACTATVS
VERE AVREVS,
DE INDICATIONIBVS CVRATIVIS.

PRÆFATIO.

HIPPOCRATES *lib. de glandulis*, Medicum non solùm ἀγαθὸν καὶ πεπαιδευμένον, *bonum virum & eruditum* esse voluit, sed etiam ἀγχίνουν, *solertiâ praditum*, vt possit citissimè ξυνιέναι τῆς φρενὸς τὰ νοσήματα, *morborum causas percipere*, & medium actionis inuenire, quod ille appellat πρόδηλον τὸ ὀργάνων ἐν ἰητρικῇ ἐπιδείξιος. Sic enim fiet, addit ille, Medicus parum delinquens, cùm exactam certitudinem, τὸ ἀκριβὲς, rarò in arte Medica, vt in aliis coniecturalibus, reperire liceat. Nos itaque ad eiusmodi artificiosam certitudinem, quæ methodo comparatur, properantes, quædam remorantur, quorum præcognitio ad hoc necessaria existit. Nimirum, Quæ sint in vniuersum Medici munera & actiones circa corpus humanum. Quæ conditiones requirantur in eiusmodi actionibus exercendis. Quibus instrumentis perficiantur. Et quot sint rationes siue modi, quibus vti potest Medicus ad eiusmodi instrumentorum inuentionem.

De Actionibus Medici.

QVod ad primum attinet, Certum est, Medici munera siue actiones desumi ex fine illo intrinseco, ad quem Ars ista ordinatur, & variâ propositi subjecti constitutione. Sanitas igitur cuius causâ operatur, cùm vel præsens sit, constitutionémque eam efficiat, quam bonam & naturalem in homine appellamus, Vel sit absens, Vnde exurgit ea dispositio, quam morbosam & præter naturam dicunt. Quid intendere potest Medicus in duplici hoc corporis humani statu, quàm præsentis sanitatis, vt boni omnibus exoptatissimi conseruationem, absentis verò reuocationem? [per contrarij affectus depulsionem.] Duo sunt igitur prima summáque Medici munera, Conseruare scil. & corrigere. Sed cùm status ille salubris, vel perfectus exquisitúsque sit, Vel ab eo deflectat, pro sanitatis apud Medicos amplâ latitudine: Hinc etiam fit vt exquisitus ille status simplici & propriè sumptâ conseruatione tantùm indigeat; deficiens verò & ab hoc plùs minùs recedens, reductione ad perfectum qui summa est omnium aliorum statuum regula. Duo igitur in statu salubri exoriuntur Medici munera, Conseruare scil. & redûcere; quæ deinceps pro variâ Conseruationis Reductionísque naturâ, & proût in pueris, senibus, conualescentibus, in quibus ἀνάληψις siue refectio, aliísque exercentur, multas rursum patiuntur differentias in tractatu ὑγιείης explicandas. In statu verò insalubri seu morboso considerat Medicus causas istius statûs effectrices, ipsius statûs naturam peculiarem, & effectûs seu vitia sensibilia, quæ eiusmodi constitutionem sequuntur vt scil. causas illas, si sub natura Externæ aut Antecedentis causæ adhuc subsistant; præcaueat & amoliatur: Si coniunctæ sint continentésque cum ipso morbo curet pro variâ earum ratione. Denique si effectus ipsi, & primariæ constitutionis symptomata ita sint grauia, vt vel periculum minentur præsens, vel rationem augentis, efficientis, aut causæ sine quâ non obtineant (v.g. in vlcere sordes, in ascite serum, in vulnere dolor aut hæmorrhagia.) Tunc eiusmodi accidentia statûs insalubris mitiganda, leniendáque proponuntur. Vnde apparet tria esse Medici munera in statu morboso; *Præcauere* scil. *Curare & Mitigare*. Et Galenus hoc nostro libro alibíque passim, quinque recenset præcipuas Medici actiones, *Conser-*

uationem,

Digitized by Google

nationem, *Reductionem*, προφύλαξιν seu *Præcautionem*, *Curationem*, & *Mitigationem*; quando scil. κυρίως propriè his vtitur vocabulis, quæ tamen frequenter in communi vsu tum loquendi, tum agendi permiscentur. Etenim cùm à statu Salubri in Insalubrem & contrà, mutatio fiat, non insensibiliter, vt quidam putant, sed per sensibilem maximè dispositionem, quam Neutram vocant Medici, & ab extremorum notitiâ describunt, siue per participationem, seu per abnegationem; hinc fit vt actiones etiam, quæ hunc statum respiciunt, mixtæ sint quodammodo ex aliis, quas simplices & primarias appellauimus; vt προφύλαξις quæ huic constitutioni debetur, causas morbificas respicit agere paratas, & Reductioni Refectioníque non parum incumbit. Quemadmodum in statu morboso naturalis temperamenti & roboris partium conseruatio semper est respicienda.

Conditiones actionum Medicarum.

SVnt igitur quinque in vniuersum Medici munera, vt diximus: Ad quæ feliciter exercenda accedere tum demum poterit, quando ex accurata Philosophiæ naturalis & particularis Physiologiæ cognitione, omnem corporis humani constitutionem & fabricam perceperit, principiorum illius, elementorum, partium similarium & dissimilarium, temperamentorum, spirituum, humorum, caloris natiui, functionúmque quæ in illis exercentur tam in primo ortu, quàm post ortum, rationem optimè tenuerit. Ex quibus deinde facilè quid sit sanitas, sanitatis differentias, causas, & effectus intelliget. Quid morbus, morborum genera & differentias. Causarum morbificarum & symptomatum naturam: Quid neuter siue medius status & quotuplex. Ex istis posteà signorum fontes sibi comparabit, quibus vtetur in omni statu corporis ad præteritorum memoriam, præsentium notitiam, & futurorum prænotionem. In statu enim salubri varietates temperamentorum in toto & singulis partibus artificiosè deprehendere debet, organicarum dispositionum diuersitates & firmæ aut labentis sanitatis indicia certissima colligere. In morboso autem auream illam Galeni κρίσιμος siue διαγνωστικὴν ex libro de locis affectis exercebit, agnoscendæ partis affectæ, propositi affectus, & causarum illum efficientium. Atque diuino adiutus Hippocratis auxilio, in morbis prognosin exercebit, cruditatum nimirum coctionísque notas habebit notissimas; venturas κρίσεις, λύσεις, & humorum μεταστάσεις prædicet, morborum longitudinem aut breuitatem definiet, & dubiam salutis aut mortis spem cautè præuidebit. In statu verò neutro ex permixtis vtriusque status signis, corpora decidentiæ aut conualescentiæ, causarúmque impendentium minas facilè deprehendet. Et sic demum ad prædictas actiones obeundas accedere poterit.

Quia tamen ob subiecti ipsius, aut aliorum repugnantiam, morbificarum causarum potentiam, & similium, sæpe propositum finem, nempe sanitatem assequi non potest, suo tamen officio perfunctus tunc erit, quando ea omnia dixerit & fecerit, quæ erant necessaria ad sanandum, vt Orator ad persuadendum, conditionésque illas omni industriâ obseruauerit à Galeno 9. & 14. *method.* Celso, *cap.* 4. *l.* 3. tantopere decantatas, *Tutò scil. Citò, & Iucundè* curandum esse. *Tutò* autem ex eodem Galeno curabit, si tribus intentus fuerit. 1. quidem vt absolutionem incepti operis consequatur, quantùm fieri poterit. 2. vt si hoc sit impossibile ægrotantem saltem non lædat, adhibitis remediis certis longâ experientia confirmatis, & nullam corpori noxam grauiorem inferentibus. 3. si remediis cesserit morbus, ita est expugnandus, vt ὑποτροφὴν facere non possit, abscisâ omni causâ & effectu, qui morbum rediuiuum facere poterat. *Citò* autem curabit, qui nullam in morbo prætermiserit agendorum occasionem, quam verè Hippocrates præcipitem appellauit. Vt enim debitum remedij tempus anteuertere nunquam periculo caruit. Vnde illud, Sat citò si sat bene Σπεῦσον βραδέως. Eadem ratione auxilij debitam occasionem prætermittere, absurdum est, & in acutis valde periculosum. Demum *Iucundè* curabit, quod omnes tantopere expetunt, quisquis neque ægrotantis voto ita subscripserit, vt veram deserat medicationem. Neque ita ferus erit, vt cum virium aut vitæ dispendio remedia crudeliter admoueat. A leuioribus enim incipiendo, si res illud patiatur, quod solâ diætâ corrigi poterit, id medicamentis non sollicitabit. Si verò illis sit opus, gratiora & familiariora eliget, coquet, miscebit, condiet. Demum si valentioribus agendum sit, *ferro* etiam aut *igne*; In illis omnibus vtetur conuenienti apparatu & præparatione, necnon blandâ suasione, quæ

rei ipsius duritiem & sæuitiam emolliat, artificiosáque doloris, vigiliæ, & similium mitigatione, quicquid asperitatis erit in morbo aut remedio lenire conabitur.

Instrumenta Medica.

QVoniam verò actiones illas & actionum conditiones ex seipso propriisque facultatibus non explet Medicus, sed intermediis quibusdam instrumentis artificiosè adhibitis: Ideò Remedia siue instrumenta vocat Medicus, quæcunque naturam in curatione morborum adiuuant: Vnde nomen Materiæ Medicæ in sua genera, Animalium scil. Herbarum, & Metallorum distinctæ, ex quibus ritè cognitis liceat, velut ex artificioso quodam penu, haurire ea quibus artifex propositam actionem exequitur. Sic Galenus *lib. 5. de san. tu.* quæcunque exercentur in nobis in quatuor diuisit capita, *faciendorum*, *admouendorum*, *assumendorum*, *& educendorum*, sub quibus omnes causas efficientes sanitatis, aut morborum expugnatrices complexus est. Alij verò distinguunt in Externa Internáque remedia. Quidam in Simplicia & Composita. Alij denique vt fontes & veluti sedes istorum remediorum stabilirentur melius, sub triplici differentia complexi sunt, *Diæta*, *Pharmacia*, *& Chirurgia*, quarum capita velut numeratò habere debet Medicus, secundùm genera sua & varias facultates, quibus morbos ac morbificas causas expugnare, cæteráque sibi proposita munia obire possit. Quia non solùm ex materiâ Medicâ, sed etiam ex victus ratione, & periti artificis manu, potentissima auxilia desumuntur.

Rationes seu modi inueniendorum istorum remediorum.

VErùm ad remediorum inuentionem multiplici viâ & ratione progreditur Medicus. Vel enim in ignotis versatur morbis, quorum scil. propria species, aut causa obscurior delitescit, vt in illis potissimùm quibus inest θεῖον τι, qui ex aëris aut alterius causæ communis, vt constellationum, fascinationum, & similium vi exoriuntur. Vel in cognitis & euidentibus, quorum vt causa notissima & vulgaris, sic etiam species ad similarem, organicum, aut communem morbum facilè referri potest. In morbis itaque, ait Galenus, adhuc ignotis & quorum causæ sunt occultiores, Medicum necesse est vti Analogismo, qui nihil est aliud, quàm à similibus ad similia siue analoga transitus, quando scil. à simili morbo secundùm symptomata in similem facit transitum, eáque aptat Medicus remedia, quæ in alio simili feliciter vsurpantur. Vnde remedia quæ olim elephantiasi & fœdæ scabiei profuerant, exorienti Venereæ lui, minùs cognitæ, maiores nostri non inutiliter adhibuerunt. καρηβαρίαν illam popularem, vulgò *coqueluche*, velut catarrhum ferinum tractarunt. Idem Galenus *comm. in 1. prognost.* Quemadmodum, inquit, Analogismus dialecticus est ratio, quæ ab euidenti vt signo auspicatur, rei obscuræ faciens cognitionem, cui oppositus Epilogismus à causa potissimùm orditur. Sic Analogismus quo vtuntur Medici in morborum cognitione & curatione, est inuentio causæ iuuantis ex euidentibus per similitudinem ducta in morbis adhuc minùs notis. Analogismus ergo multa, eáque vtilia in morborum occultorum curationibus docere potest. Quia tamen similitudo fæpissimè fallere solet, vt est apud Hippocr. 6. Epid. *Bonis etiam Medicis*, inquit, *similitudines pariunt errores ac difficultates*: Ideò diligenter hîc attendendum est, vt transitus istos cautè faciamus, & inter simillimos affectus, vt si remedia illa per Analogismum inuenta non prosint, saltem ægrotantem lædere non possint.

Analogismo igitur vti possunt Medici ad inuentionem remediorum quibus ignoti morbi expugnentur: In morbis autem notis, experientiâ & ratione. Cùm enim semper ratio inuenire non possit id quod confert, quódque causarum perquisitioni minimè est peruium: tunc necesse est ad experientiam deuenire: quæ nihil est aliud quàm longa obseruatio, & fæpius repetita memoria eorum quæ eundem semper effectum ediderunt: vt cùm rhabarbarum v.g. bilem expurgare multorum iam seculorum obseruatione potiùs, quàm ratione compertum sit: ideò Rhabarbarum exhibet rationalis Medicus febribus à bile genitis, vt causa morbifica vacuetur. Est enim Experientia duplex, altera quidem *rudis & fortuita, nulli rationi addicta*, quâ ausu planè temerario vtuntur hodie Idiotæ multi, non sine magno ægrorum damno. Altera verò quæ *cum ratione procedit*, quæ licèt nihil habeat

bea quo ſe tueatur, præter longum vſum & obſeruationem, nihilominùs tamen tãtam ſibi fidem (propter effectus certitudinem, eo quòd idem ſemper eodem modo accidere compertum eſt) comparauit, vt etiam hoc nomine ipſi rationi comprobata, in vſum Medicum liberè admittatur, vt ex noſtris purgantibus patet. De qua intelligit *Galenus*, quando vult Artem Medicam duplici crure innixam incedere, *Ratione* ſcilicet & *Experientiâ*: Ac Medicum non ſolùm doctum & peritum eſſe voluit, ſed etiam in vſu artis diu & accuratè exercitatum, vt certiùs operari poſſit.

Ratio autem præcipuus eſt, & præſtantiſſimus inueniendorum remediorum modus. Eſt enim rectum de rebus iudicium ſeu diſcurſus, ex rei naturâ colligens, quid in quôque morbo agendum ſit, vel non agendum, cæteráſque omnes circumſtantias ad medendum neceſſarias præſcribens. Cùm enim contrariorum natura ſeu definitio ea ſit, vt in eodem ſubiecto ſimul ſe compati non poſſint, per cognitionem vnius, alterius amotionem neceſſariam eſſe concludit in curandis morbis: Plenitudinem inanitione demendam, & ſimilia. Ita vt ex eodem principio colligat contraria iſta debere eſſe efficacia, vt ſeſe expellere poſſint, & potentiâ ſaltem æqualia. In complicatione autem affectuum, cauſarum & ſimilium, ita progreditur ex eorum comparatione inter ſe, & cum viribus, vt quid cum quo, quid ante quod, quid poſt quod curari poſſit aut non poſſit, facillimè iudicet. Illud autem totum cùm per indicationes quaſdam ex rebus naturalibus & præter naturam petitas conſtituatur. Ideò Methodum *Θεραπευτικὴν* ex harum diligenti animaduerſione & certo ordine compoſuit, per quam agendorum ratio, certis præceptis & regulis conſtaret, non caſu vel fortunâ. Aliàs enim reſoluendo progreditur à ſummis primíſque indicationibus per intermedias ad infimas vſque, donec peculiare vnicuique morbo & cauſæ remedium inuenerit. Aliàs definiendo vel componendo, in propoſito quouis affectu neceſſarias Indicationes reperit: quod in quotidianis Conſultationibus Medicorum, cuiuis animaduertere licuit.

Eſt igitur hæc Methodus medendi, via ſeu ratio inueniendorum remediorum, quæ cognitâ priùs parte affectâ, affectûs naturâ, cauſis, & ſymptomatis, omnibúſque circumſtantiis diligenter conſideratis, per indicationes certo ordine à primis ad infimas procedens, non ſolùm genus, ſed etiam qualitatem, quantitatem, tempus, & ordinem eorum accuratè definit. Atque hac potiſſimùm methodo Medicus reliquis omnibus rei Medicæ addictis, Chirurgis, Empiricis, Seplaſiariis & ſimilibus excellit, quibus Imperatoris ritu præeſſe, & agenda præſcribere ſolet.

Hanc Galenus 9. *Meth.* duplicem facit, *Vniuerſalem* ſcilicet, & *Particularem*: Vt indicaret aliam eſſe conſtitutam in ipſis præceptis & theorematis actionem Medicam dirigentibus, quæ propriè eſt cognitio practica: Aliam in ipſo vſu Medico ſeu exercitatione, ad quam omniâ illa præcepta reuocari debent, dum ſcil. Callias aut Socrates curandus proponitur. Diſtinguit etiam ſæpe in *Ordinariam* & *Extraordinariam*, vt doceret, legitimam curandi methodum non in eo conſiſtere, vt effectuum rerúmque, vulgo magis notarum, moleſtarúmque, vt ſymptomatum mitigationi ſtudeamus, quod pleriſque ad inanis gloriæ accupium eſt iam conſuetum, ſed vt *Θεραπεία* vera ſecundùm cauſarum morbificarum ſeriem, & generationis modum in ipſis diſpoſitionibus procedat, eáque primò expugnare contendat, quæ primum ægritudini ortum dediſſe, aut cauſſæ rationem obtinere videbuntur. Non tamen huic ordini ſemper ita inhærendum eſſe, vt non liceat ſæpe relictâ, aut ſaltem ad tempus neglectâ morbi aut cauſæ morbificæ curatione, vires inſtaurare: aut ſymptomatis vehementioris mitigationi incumbere, quo tantâ veluti tempeſtate ſedatâ, poſſis deinde ad legitimam methodum recurrere.

Cùm igitur *Therapeuticam methodum*, Indicationibus potiſſimùm conſtare & perfici dixerimus: Ideò propoſitum eſt nobis, hoc tractatu *Indicationum curatiuarum* doctrinam accuratè perſequi, quem in tres partes ſecabimus; Quarum *prima* generalem Indicationum & ſcoporum Medicorum explicationem continebit. *Secunda* peculiares Indicationes in ſingulis morborum ſpeciebus perſequetur. Quia verò non ſemper affectûs ſimplices aut ſolitariæ cauſſæ occurrunt, leges Indicationum & earum ſeriem in complicatis & connexis affectibus, *tertia* huius tractatûs pars docebit. Quibus intellectis, nihil deerit ad particulares & infimas Indicationes conſtituendas, deſcribendáque & aptanda ſingulis ſingularum partium morbis remedia, quod vulgò praxes Medicas vocant; Neque ad Medicas Conſultationes obeundas, quæ nihil aliud ſunt, quàm perquiſitiones optimorum mediorum ad propoſitam rem peragendam ex variâ peritorum hominum ſolertiâ.

PRIMA PARS.

CAPVT I.

Quid sit Indicatio, Coindicatio, & Contraindicatio.

CVM sanatio nihil sit aliud, quàm actio quædam siue motus quo corpus traducitur de morbo ad sanitatem; Cuius efficiens causa externa est Medicus, interna verò Natura, (calidum innatum) Instrumenta autem quæcunque corpus alterare quauis ratione possunt: terminus motûs seu finis sanitas; Subiectum autem, quod motum sustinet ipse ægrotans. Certum est eum qui motui huic principium dat Medicum, aut motûs impedimẽta tollit, certâ id ratione & arte præstare debere, non casu aut fortunâ (quod Hippocrates voluit esse μέθοδον μετ' ἐφόδου in Medicinâ, quam alibi per λογικὴν ποίησιν. definiuit.) Ac proinde cùm tota ista methodus & rationalis actio Medica, per Indicationes potissimùm absoluatur, vt suprà diximus; Docendum inprimis, Quid sit Indicatio, Coindicatio, & Contraindicatio; quia apud Galenum varia nominum istorum vsurpatio & ὁμωνυμία, multos in absurdas admodum coniecit sententias. Indicationis igitur, Coindicationis, & Contraindicationis sæpe meminit Galenus, quas ἔνδειξιν, συνένδειξιν, & ἀντένδειξιν appellat, vt videre est in verboso illo opere de methodo medendi, & lib. de optima secta ad Thrasybulum. Correpugnantiæ verò vel correpugnantis vocabulo, nusquam vtitur, sed fuit à recentioribus inuentum ad peculiarem istorum distinctionem & significationem, quæ secundariò contraindicant, vel contraindicantibus subseruiunt. Cùm enim hæc nomina ad scopum actionis Medicæ per indicationes dirigendæ introducta fuerint: Et in omni actione cuius deliberatio siue consultatio suscipitur, quædam suadeãt, alia verò dissuadeant: certum est inter ea quæ suadent, alia primariò id facere, vt ex rei ipsius naturâ petita, alia verò secundariò, vt ex circumstantiis desumpta: Eodem modo patem esse rationem eorum quæ dissuadent.

Vocant igitur Medici id quod primò & per se ostendit siue suadet in actione Medicâ quid præstandum sit, Indicans; Quod verò secundariò siue per accidens, Coindicans. At quod primariæ Indicationi obsistit, Contraindicans. Quod verò contraindicationi subseruit, velut subalternatum quoddam, Correpugnantis nouo sed satis apposito vocabulo donârunt. At quoniam hæc omnia sunt expendenda in Opere Medico, siue sui sublationem siue conseruationem suadeant, siue cum hoc vel illo consentiant aut dissentiant; Ideo Galenus rerum potiùs quàm nominum consectator, quæcunque erant hac in re consideratione digna, Indicationis latissimâ significatione aliquando complectitur, vt sæpe à præstantiori fiunt denominationes rerum. Aliàs verò vtiliorem censens horum distinctionem, propriis & distinctis donauit nominibus, quæ omnem ex Medicâ consultatione confusionem & obscuritatem tollerent. Exemplum est latioris illius significationis, 9. *meth. cap.* 7. vbi vult ea omnia esse Indicantia, & ad curandi rationem necessaria, vt temperamentum, ætatem, aërem, & similia quæcunque ad inuentiones auxiliorum, eorundem quantitatem, & vtendi modum definiendum faciunt. At 3. *meth.* & aliis plurimis locis quæ non licet huc referre, nihil esse vult Indicans quod ipsum non curetur. Secundo itaque methodi, ὀνομαζώδη definitionem proponens, Ἰδοὺ, inquit, ὅπως ἔμφασιν τῆς ἀκολουθείας, ἔνδειξιν λέγομεν. Indicationem appellamus velut insinuationem quandam illius quod sequi debet. Libro autem *de optima secta* συζυγώδη definitionem attuliisse videtur, dum vult Indicationem esse comprehensionem iuuantis, vnà cum comprehensione nocentis, quæ simul cum re indicante aduenial sine vlla experientia aut ratiocinio. In quâ definitione & genus proposuit conueniens, dum ait esse Comprehensionem siue notionem quandam non solùm Medico, sed etiam cuiuis animanti à naturâ insitam ex rei molestæ sensu ad

eiusdem

eiuſdem depulſionem. Differentiámque adhibuit propriam,dum vult hanc notionem proficiſci à rei nocentis naturâ cognitâ, ad iuuantis ſiue auxilij perceptionem: quâ ratione & prima Indicatio continetur, quæ ſimplicem omnium quæ ſunt contra naturam, ſublationem ſuadet , & ſpecifica quæ ſingulis morborum ſpeciebus pro variâ eorundem naturâ, ſpecialia aſſignat remedia, & propria ſiue particularis, quæ huic v. g. propoſito morbo ex peculiari eius notione, hæc conuenire remedia oſtendit.

Quicquid enim inuicem digladientur Altomarus & Argenterius, exiſtimo ego Galenum, per Comprehenſionem iuuantis , vnà cum comprehenſione nocentis, nihil aliud intellexiſſe, quàm comprehenſionem affectus præter naturam, in ordine ad quem & cuius gratiâ ſuboritur cognitio iuuantis auxilij ſiue ſpecifici ſiue proprij. Hæc porrò definitio adducta diſtinguit Indicationem curatiuam à conſeruatoria, quæ non proficiſcitur ex rei nocentis naturâ : Diſtinguit etiam à Coindicatione, quæ non oritur à rei curandæ cognitione , ſed à circumſtantiis potiſſimùm : à Contraindicatione & Correpugnantiâ, quia hæc non ſuadent, ſed impediunt vſum remedij. Item ab Experientiâ, quia hæc naturam rei non ſpectat, ſed variorum affectuum in morbis curandis obſeruationem : ab Analogiſmo, quia in ſimili frequens eſt lapſus, nullus in rei ipſius notitiâ : à Ratiocinatione etiam,quia Indicatio non expectat diſcurſum, neque indiget medio ad inferendam concluſionem, ſed vbi primùm patuit natura rei moleſtæ , ſtatim etiam infertur ſeu indicatur genus ipſius auxilij ex inſito quodam principio. Percepto quippe frigore, ſtatim calorifica inquirimus , infixam acum reuellimus , ſimiliáque abſque diſcurſu præſtamus. Ex quibus Galenicæ definitionis perfectio patet. Licebit etiam clariùs , ſi voles, ita definire. Indicatio eſt notio ex rei præter naturam cognitione petita , quæ quid ſit agendum , & quibus auxiliis certò oſtendit.

Vnde conſtat quid Indicare apud Medicos , Indicans , & Indicatum. Indicare enim nihil aliud eſt , quàm eiuſmodi notionem curatiuam producere : Indicans eſt idipſum quod producit iſtam notionem ; Morbus ſcil. Morbi cauſa, & Symptoma , res præter naturam dictæ. Indicatum eſt id quod cognoſcitur ſeu conſequitur iſtam notionem, nempe remedium. Vbi notandum res iſtas præter naturam indicare auxilia, non per ſe , ſic enim ſui deſtructionem expeterent , ſed quia animanti moleſtiam inferentes, ex accidenti ſui depulſionem inſinuant , & per communem quandam notitiam contrarij vſum.

Dicet aliquis , Si auxilij inuentio ex communi quadam notitiâ & inſito principio pendeat,ſequetur idiotas & vulgares homines ab artificibus nihil differre , & tam rei Medicæ peritos eſſe, quàm ipſos Medicos. Verùm facile eſt huic Obiectioni reſpondere : Maximum eſſe diſcrimen , non quidem in primis indicationibus , vt ſublatione rei præter naturam , & contrarij vſu , quæ omnibus ſunt communes tam peritis quàm imperitis , ſed in ipſo progreſſu à ſummis & primis indicationibus , ad infimas vſque per intermedias , ac totâ methodo therapeuticâ. Oportet enim tum genera remediorum ſeu materiam Medicam habere perſpectam : tum etiam cauſas à morbis , hos à ſymptomatis diſtinguere : naturalia à præternaturalibus, non ſolùm in ſpecie,ſed etiam in gradu diſtinguere : vt ſciamus quoúſque , & quantùm procedendum ſit in vſu contrarij : quæ ſimul aut antè curari poſſint , aut non poſſint , animaduetere. Denique quo tempore , formâ , & loco exhibere conueniat : In quibus maximè ratiocinatio expetitur , & varia inter Medicos ipſos peritia eluceſcit inueniendorum optimorum mediorum ad propoſitam actionem , comparatâ inter ſe Indicationum iſtarum , Coindicationum , & Contraindicationum omnium naturâ.

Coindicatio enim eſt notio ex circunſtantiâ quadam rei petita , quæ indicationis efficaciam auget , vel toleratu faciliorem efficit. Sic vbi phlegmone venæſectionem indicauit, vires robuſtæ , temperamentum ſanguineum , ætas iuuenilis, aër vernus, victus liberalis, conſuetudo talis remedij , eidem aſſentiuntur, ac phlebotomiæ vſum tolerabiliorem reddunt. Vnde Coindicantia , & Coindicare ſiue permittere dicuntur.

Contraindicatio verò eſt notio ex re aliquâ præter naturam petita , quæ oppoſitum omnino Indicationis ſuadet ; Vt ſi febris refrigerationem, pituita verò eius cauſa calfactionem expoſcat. Cui ſubiecta Correpugnatio , eſt notio ex circunſtantiis petita ex diametro Coindicationi oppoſita. Vt enim illa auget vim Indicationis:

cationis : Sic iſta Contraindicationis, ex eiſdem rebus, ſed contrario modo affectis petita, viribus, temperamento, ætate, & ſimilibus.

Vt enim Indicantia & Contra indicantia eadem ſunt re, ratione tantùm differunt, ſic Coindicantia & Correpugnantia : Coindicatum verò, Contraindicatum & Correpugnatum, nullum propriè, quia omnia ad Indicatum, id eſt, auxilium, eiúſque vſum referuntur.

CAPVT II.

Quot ſint Indicationes, & à quibus petantur, tum Coindicationes, & Contraindicationes.

POSITA à nobis priùs Indicationis definitio, viam faciet ad ea inuenienda, quæ primarias iſtas & verè dictas Indicationes curatorias ſuppeditare poſſunt. Nam cùm ſit notio ſiue comprehenſio ex rei nocentis naturâ petita, quæ facit ſiue præſtat notionem iuuantis, nempe auxilij. Hinc ſequitur ea quæ corpori noſtro ſunt noxia, ſuíque ſublationem ſuadent, Indicationes eiuſmodi proferre, & tot eſſe, quot ſunt illa, à quibus petuntur. In quocunque porrò ſtatu aliquid eſt velut ipſa Conſtitutio, Aliud quod eſt conſtitutionis cauſa, Tertium quod eſt illorum effectus : Vt in ſtatu inſalubri quem nunc contemplamur, adſunt morbificæ cauſæ, diſpoſitiones ſeu morbi, & ipſa ſymptomata ſeu effectus : quæ naturæ moleſta & noxia ſui ſublationem neceſſariam eſſe demonſtrant. Ergo ab illis propriè Indicationes deſumentur. Nam à Viribus, temperamento, aëre, & ſimilibus, vt dicebamus, idcò non poſſunt deſumi, quia iſta potiùs conſeruationem ſui quàm ſublationem oſtendunt. Verùm cùm tria eſſe dixerimus in ſtatu morboſo, Cauſas, Morbos, & Symptomata, Videndum rurſus, An hæc etiam tria, vt in primâ illâ indicatione conſentiunt quâ ſuadetur auferenda eſſe quæcunque noxia & præter naturam ſunt; Ita in ſecundâ proſint, quâ remedij ſiue contrarij genus indicatur.

Imprimis igitur per Cauſas morbificas, intelligunt Medici efficientes corporeas, quæ præſentes actúque exiſtentes per ſe vel per accidens certas corporibus noſtris noxas, & qualitates inuehunt, quibus ſanitatis moderantia & æquabilitas violatur. Quod cùm ita ſit, variæque exiſtant iſtæ cauſæ, & ab eis profectæ qualitates, quibus perſeuerantibus perpetuò ab his genitus affectus augetur vel conſeruatur. Hinc ſequitur ab eiuſmodi cauſis non ſolùm remedium, ſed certam remedij ſpeciem indicari, quâ expugnari poſſint. Quamuis enim præſeruationem cauſis propriè deberi, paſſim aſſerat Galenus, hoc tamen intelligendum eſt de præcautione cauſarum imminentium & futurarum, non earum quæ iam actu morbos producunt, in quarum auerſione & ſublatione verſatur plerumque tota curationis vis, quando adhuc leuior eſt affectus ſiue impreſſio ab illis profecta, vel ſi cum Galeno malis loqui, præſeruatio curatoria illis debetur; cùm alia ſimpliciter præcautio dicatur in ſtatu ſano vel neutro. Nullus enim vnquam febrem à putredine profectam, niſi illâ ſublatâ curauerit : Nemo obſtructionem ſoluerit, niſi educto humore meatum vel cauitatem opplente. Eſt igitur Cauſa verum & præcipuum Indicans, & à quâ, velut rei cardine, omnis θεράπεια inchoanda eſt.

Hanc ſequitur Morbus, nempe affectus corpori impreſſus, & permanens, actiones primariò & immediatè lædens; Quem Galenus & reliqui politiores Medici, non relatè tantùm, vt eſt inæqualitas quædam ſiue ἀνωμαλία conſiderant, ſed cum illis qualitatibus, à quibus eiuſmodi vitium pendet, nec ſolùm cauſam immaterialem, ſed etiam corpoream quæ ita continet affectum, vt ſine eâ ſubſiſtere nequeat, cum morbo ipſo vtiliter complectuntur. Quod patet in morbis numeri, magnitudinis, & aliis organicis, vt facilior ſit cauſæ & morbi notio, horúmque per ſua remedia ſublatio diſtinctior. Galenus quidem *lib. de Opt. ſecta*, omnem Indicationem à cauſa petere videtur, nullam à morbo. Quem ſequutus eſt Argenterius, omnia Medicinæ præcepta ad tenuiorem Logicorum normam reuocans. Certum tamen eſt, Galenum Indicationem quæ à morbo deſumitur, non tollere penitus, ſed eam quæ à Cauſa petitur, longè præferre, ex ipſiuſmet Hippocratis ſæpiùs repetitâ ſenten

ſententiâ *lib. de loc. lib. 2. Epid. & alibi* : Ἴλεω ἴησο, inquit, χρὴ ποιεῖσθαι τῶν νοσημάτων ἐναντιώμενον τῇ προφάσει τῇ νόσου. Quod Celſus expreſſit, inquiens. Hic rectè curaturus eſt, quem prima origo cauſæ non ſefellerit. Alibi enim Galenus, vt hoc noſtro libro, conceptis docet verbis, à morbo indicationem ſumendam eſſe, & ſi non in executione, ſaltem in intentione primariam indicationem præſtare.

Etenim ſi Morbus Indicationem curatoriam & vtilem non præſtaret quomodo verum eſſet illud quod 3. *methodi* dictum eſt, id propriè Indicationem præſtare, quod curatur? Quomodo therapeuticæ actiones in præſeruationem, curationem, & mitigationem diſtinguerentur? Quâ ratione in morbis qui facti dicuntur, & cauſam non habent, à quâ pendeant, vt hecticis & ſimilibus remedij genus inuenire poſſemus? An non in pleriſque morbis contraria eſt indicatio, quæ ab affectu morboſo petitur, illi quam cauſa ſuppeditat? vt in quotidianâ febre cuius remedium refrigerans impeditur à natura cauſæ calfactionem expoſtulantis. At hoc non fieret, ſi nulla indicatio curatoria à morbo, omnis à causâ deſumeretur.

Verùm obiicit Argenterius, cùm contrariorum contraria ſint remedia, & vnum vni ſit contrarium, & ab vno indicetur, oportet aduersùs morbum, ſanitatem ipſam & non remedia opponere, quæ nec primò nec per ſe morbos tollunt, aut ſanitatem inducunt, ſed per accidens, dum cauſas illorum expugnant. Item ſi in omni morbo adeſt cauſa continens, quâ poſita ponitur, ſublatâ tollitur effectus, nulla videtur vera & vtilis Indicatio à morbo, vt non ſubſiſtente per ſe, ſed omnis à cauſa: Attamen hæ Logicorum argutiolæ non debent nos à Galeni ſententiâ dimouere. Certum eſt enim morbum in genere ſumptum, ſanitati eſſe contrarium, quæ vnica eſt ſi vt quid perfectum conſideretur, majoris tamen minoriſque ratione diſtinctum in pluribus ſubiectis. At quia morbus in varias ſpecies & differentias, pro variis exceſſibus qualitatum diſtinguitur, ideò, vt vitium vitio, ſic morbus morbo opponitur: & frigido v. g. morbo, aut intemperiei caliditas ſeu remedium calfaciens opponitur, quod ſuâ vi & actione reducat illum exceſſum ad moderantiam. Deinde cùm dicitur, vnum vni eſſe contrarium, & ab vno indicari, non de ſanitate aut conſtitutione internâ eſt intelligendum, ſed de remedio quod eſt externum quid in nos agere potens, modò cauſam v. g. febris tollere, modò febrilem calorem, proùt huic vel illi aptatur.

Ridiculum enim eſt & omnino inutile Medico, formales morborum cauſas & immateriales qualitates à morbis ipſis diſtinguere, vt calorem præter naturam à febre, ſine quo vix ipſa febris mente concipi poteſt. Quod illi faciunt qui in quouis morbo continentem cauſam adeſſe cum Argenterio mordicus aſſerunt. Certum ſit igitur in ſtatu morboſo à duobus peti Indicationes, à morbo ſcilicet, & eius cauſa.

Symptomatis autem, quod eſt tertium inter res præter naturam, nulla eſt propria Indicatio curatoria, vtpote quod ita à morbo pendeat, vt illo ſublato, velut vmbra remoto corpore, ſuperſtes eſſe non poſſit. Quamuis enim Mitigatio ſymptomati dicatur deberi, id tamen non tam quà ſymptoma eſt, quàm ideò quòd rationem cauſæ ſine quâ non, vel efficientis aliquando obtinet. Sic dolor in vulnere ſedandus, propterea quod fluxionis impetum auget, vires proſternit: hæmorrhagia ſiſtenda, quia frigidæ intemperiei & mortis cauſſa eſſe poteſt. In vlcere ſordes detergendæ, quia ſine illis ſublatis, laudata caro regigni non poteſt. In hydropicis aquas primùm educimus, quoniam illæ iecoris intemperiem perpetuò augent. Ac proinde ſyptomatici morbi, à puris & veris ſymptomatis diſtinguendi. Nam v. g. febris quæ ſequitur vlcus pulmonis aut pleuritidem quamuis ab illa potiſſimùm pendeat, habet tamen peculiaria ſua remedia, quibus expugnetur. Deniq; παρηγορία ſiue mitigatio doloris, v. g. cùm fiat vel iis quæ cauſas tollunt, vel propriè dictis anodynis, vel ſtupefacientibus: prima quidem verè curaroria ſunt, ſecunda conſeruatoria, quæ ſcil. innatum partis calorem fouent; tertia verò quæ partis ſenſum & temperiem infringunt, ipſiſque ſymptomatis non per ſe & per veras indicationes, ſed per accidens opponuntur. Ex quibus concludimus Indicationes deſumi à rebus præter naturam, ita vt cauſa quæ agit & præſens eſt, ſemper remedium, illiúſque certum genus indicet. Item Morbus qui iam ſtabilitatem & ἕξιν adeptus eſt, ita vt ſublatâ cauſa tolli non poſſit. Leuior autem & fiens qui in χύσει ſolâ poſitus eſt, qui cum causâ facilè tollitur, vſum remedij propriè non expoſcit, neque ſymptomata quæ expugnatis cauſis morbóque facilè cedunt. Grauiora verò indi-

care possunt Mitigationem, quæ Curationi est subalternata. Atque hæc de Indicantibus, nunc de Coindicantibus agendum.

Coindicantia igitur cùm ea sint, quæ propriè remedij vsum non indicant, sed Indicationis tantùm illud suadentis efficaciam augent, vel toleratu faciliorem reddunt. Videamus quæ sint in corpore nostro quæ remedij quidem vsum non indicant, sed sine illis rectus illius vsus constare non potest. Annon ipsa naturalia, quorum prima indicatio custodiam sui, non sublationem postulat? Hæc itaque cùm in quouis corporis statu conseruari debeant, illud autem fieri non possit in morboso, nisi ablatione rei illius molestæ, cui aptatur remedium, Hinc sequitur ista naturalia ad expugnationem rei præter naturam cum remedio consentire debere. Inprimis ergo cùm natura plerisque remediis velut instrumentis vtatur, quæ de potentia in actum reuocanda sunt, oportet quæ sint illius vires, (*Ex concursu triumfacultatum, & triplicis substantiæ, spiritnosæ scil. humoralis, & solidæ*) ad eiusmodi actionem perficiendam expendere, vt pro modo illarum, efficacia etiam remedij ponderetur. Præter vires expendendum etiam temperamentum ægri natiuum & aduentitium, an scilicet cum morbo consentiat vel dissentiat, quantúsque sit à naturali recessus, vltra quem in correctione progredi non licet. Ad quod faciunt ætatis, sexus, consuetudinis, idiosyncrasiæ, & vitæ generis consideratio, vt his velut notis magis sensilibus, particularem virium & temperamenti statum deprehendamus.

Et quoniam non semper totum corpus curatur, nisi impropriè & prædicatiuè vt vocant, sed pars vna vel plures cui morbus inhæret velut subiecto proprio. Ideò post considerationem; totiuspartis etiam affectæ in coindicationibus habenda ratio: facultatis scil. quâ donata est, substantiæ, temperamenti, figuræ, sitûs, connexionis, & sensus acrioris, vel stupidioris, pro quorum varietate, modum etiam vsus remedij mutare conueniet, vt nos posteâ docebimus.

A naturalibus igitur, & quæ in corpore sunt petuntur Coindicationes: Quia verò inter res externas, illæ quæ non naturales siue necessariæ dicuntur à Galeno tantùm conseruationi corporis nostri conducunt, vt illis nullo modo carere possimus, siue intra siue extra Sanitatis limites positi. Ideò etiam in morborum curatione considerandæ sunt: Vtrùm cum remedij vsu consentiant vel dissentiant. Inter quas Aër nos ambiens potissimùm recensetur, velut causa quædam communissima, qua per horæ momentum vix carere possumus, ac sine quâ propterea non licet morbos curare, vel sanitatem seruare, (*In nostris his regionibus vbi sunt repentinæ mutationes, id valde experimur.*) Atque ideò hoc sæpiùs nomine à Galeno inter vera Indicantia recensetur, vtilitatis potiùs eius in coindicando vel contraindicando, quàm præceptorum suorum memor. Ad aëris autem particularem statum meliùs describendum, considerare oportet domum, regionem, anni tempus, diei horam, ventos, lunæ quadras, & varium cæli astrorúmque statum, quibus variè remediorum vsus immutatur, proùt ista coindicant vel contraindicant.

Etenim vt iam ad Contraindicantia veniamus, ea sunt primaria vel secundaria, vt dictum est, Correpugnantium nomine significata. Primaria enim vocamus ea quæ verè & ex diametro Indicantibus opponuntur, & quæ pro contrariorum naturâ sub eodem genere positorum ex rebus præter naturam desumi debent. Quemadmodum enim Morbus vel morbi causa certum quoddam remedij genus indicare possunt: Ita alius illi aduersus, vel causa causæ aut morbo contraria oppósitam omnino remedij naturam; quod maximum negotium in complicationibus affectuum facessere solet, vt nos suo loco dicemus. Secundariò verò contraindicant, vel Correpugnant ea omnia quæ Coindicare posse diximus si indicantibus refragentur, Vires scil. temperamentum, ætas, sexus, consuetudo, idiosyncrasia, vitæ genus, partis affectæ substantia, temperies propria, facultas, figura, situs, connexus, & sensus. Quæ eatenus refragantur & contraindicant, quatenus remedium illis infestum & noxium esse potest & ideò cogunt Medicum, sui aliquando primariam habere rationem, vnique victui intentum, medicamentis parcere, à quibus ruina istis imminebat. His ad Contraindicandum se adiungit Aër, vt ad Coindicandum cum suis annexis iam à nobis propositis.

Atque hæc sunt à quibus tum primariæ tum secundariæ Contraindicationes petuntur. Sub quibus etiam referri possunt quædam quæ quamuis impropriè admodum contraindicent, non tamen sine magna ægrorum pernicie, & Medici molestia. Et ideò ab Hippocrate sunt annotata, *lib. de arte*, & 1. *aphor.* Quosdam defectûs

zed by Google

fectûs tribuit ibi [τοῖς δημιυργοῦσιν, id eſt, artificibus, Alios τοῖσι δημιυργημένοισι, ſubiectis & adſtantibus.] Sæpe enim Medici imperitia, ægri voluptas, parentum aut amicorum indulgentia, miniſtrantium peruicacia, neceſſariarum rerum defectus, ſimiliáque extra rem poſita, vero remediorum vſui reluctantur, & totam curationis ſeriem peruertunt.

CAPVT III.

De communiſſimâ Indicatione curatiuâ.

Τὸ τῆς θεραπείας ἐρεθίσμον, curationis incitamentum & quaſi calcar, inquit Galenus eſt id cuius causâ ad agendum impellimur, nempe ſublatio rei præter naturam, quâ permanente ſanitas reſtitui non poteſt. Sublatio autem iſta cùm non poſſit ſine mutatione fieri, ſiue illa à naturâ pendeat, Vnde Hippocrati φύσις τῶν νοσημάτων ἰατρική vocatur: ſiue à remediis cauſiſque externis agentibus, ſemper à contrariis fieri neceſſe eſt, cauſas vel effectum qui tollendus proponitur, expugnantibus. Vnde Galenus in Medicina tam certum eſſe vult, Contraria contrariorum eſſe remedia, quàm in Mathematicis bis duo efficere quatuor, principiíque inſtar eſſe habendum, non ſolùm hominibus, ſed brutis etiam animantibusà natura inſiti.

Hanc ſententiam toties repetiit, & inductione probauit Hippocr. *lib. de vet. Medic. lib. de flat. de natura hum. de locis, & 6. Epidem.* Plato confirmauit *in Timæo*: Ariſtoteles præcepit 2. *Ethicorum.* omnéſque Phyſici ex naturâ motûs (qui fit à contrario, & inter contraria, 5. Phyſic.) ſub quo eſt ſanatio, probârunt, vt deinceps de eius certitudine dubitare, ridiculum videri poſſit. Verùm quia in hypotheſi & particulari actione, multa ſunt quæ huius propoſitionis vniuerſalis veritatem conuellere videntur, & Contrarij nomen latè admodum apud Medicos ſumitur; Ideò hæc res maiori indiget explicatione, cùm inuenti ſint hac noſtrâ ætate Nouatores Paracelſici, qui axioma hoc Medicum euertere auſi ſunt, & aſſererę. Similia ſimilium eſſe remedia: quorum conuincenda eſt amentia, ne diruto artis curatiuæ præcipuo fundamento, cætera deinceps collabantur.

Imprimis itaque fauere illis videtur Hippocratis authoritas, contradictio ſcil. primâ fronte apparens, qui *libro de locis nuper citato, & 6. Epid. part. 2. comm.* 8. Per ſimilia, inquit, morbus fit, & per ſimilia adhibita, à morbo liberantur. Item *lib. 5. aphoriſm.* 21. vbi vult Tetanum affectionem frigidam, aquæ frigidioris affuſione curari, dolorem dolore tolli, laborem labore ſubſequente minui: vomitum vomitu, alui fluxum eius profluuio ſiſti, prohibétque refrigeratis calfacientia 5. *aph.* 19. Et *lib. de affectionibus*, vbi Oxymelitis vſu tuſſim ſuſcitari & ſedari ſcripſit. Quæ omnia videntur ſimilia non contraria. Prætereà ſi ratione & experientiâ agendum ſit, inquiunt illi, Nonne contrariorum inuicem pugnantium actio naturæ noſtræ infeſta & noxia eſt potiùs quàm vtilis, cùm Contrarium contrarij aduentu intendatur & accreſcat. Sic vbi quis obtorpeſcentem gelu manum igni exponit, magno vexatur cruciatu: ſi ambuſtum digitum in frigidam immittat, crudeliùs torquetur, quàm ſi igni admoueat, aut aquâ vitæ perfundat. Annon ψυχροποσία febricitantibus plerumque aduerſa, ſcammonium verò calidiſſimum tertianam, lapis lazuli quartanam curant? Omniáque purgantia quæ præcipua ſunt humorum peccantium medicamina, in eoſdem agunt, non contrarietate ſed ſimilitudine ſubſtantiæ, ex ipſo Galeno, quemadmodum antidota venenatis morbis occultâ proprietate reſiſtunt. Ipſáque natura quæ fundata eſt in calido natiuo, morbos non ſolùm frigidos, ſed etiam calidos, vt acutiſſimas febres ſanat, cum quibus nulla illi interuenire poteſt contrarietas. Multi etiam temperatis ſolis reſtituuntur, vſúque alimentorum familiarum. Denique cùm remedia effectiua eſſe debeant, quomodo morbis magnitudinis, figuræ, numeri, continuitatis, remedia ad agendum curandúmque ex eodem genere petita opponentur: cùm hæc; quantitates vidél. vel figuræ, principium agendi per ſe non habeant, nec in eis fundatæ qualitates ſeſe propagare poſſint.

His ergo Obiectionibus vt ſatisfaciamus, quædam ſunt ſupponenda ad facilio-

rem rei iſtius intelligentiam. 1. Contrariorum nomen latiùs patere, apud Galenum & Medicos, quàm apud Arlem in Categor. & omnem ἀντικειμένων amplitudinem continere. Medicis enim phlebotomia contraria eſt ſiue oppoſita plethoræ ſanguineæ, quia vena ſecta effunditur ſanguis, fitque priuatio illius plenitudinis, & ex plethorico non plethoricum euadit corpus, rhabarbarum cõtrarium cacochymiæ bilioſæ, quia illam expurgat. 2. Contrarietatem iſtam ſiue Oppoſitionem in remediis, non tam ſpectari ſecundùm formam vel denominationem, quàm ſecundùm effectum. Ignis enim aut ferrum, quamuis qualitate contraria aut certâ appellatione non opponantur, v. g. excreſcenti carni aut ſexto digito, quia tamen ignis comburendo carnem ſuperfluam abſumit, ferrum exſcindendo ſextum digitum extirpat, & contrariam priori diſpoſitionem inducit, ideò illis effectiuè contraria ſunt & cenſentur Medicis. 3. Contrarietatem iſtam remediorum intelligi potiùs de cauſis ſeu corporibus externis in nos agentibus, quàm de internis. 4. Hęc Contraria aliquando talia eſſe actu, vt ignis, aliquando poteſtate, vt purgans. Neque tam ſpectandum in his ſenſum vel imaginationem, quàm ipſam operationem, quamuis enim bilis flaua v. g. aut aqua vitæ humida appareant ſenſibus, non tamen ideò ſiccis morbis opponuntur, cùm potentiſſimè exſiccent. 5. Quædam eſſe contraria per ſe, alia per accidens, alia cauſam, alia verò morbum reſpicere. Quibus ita ſecundùm rei veritatem poſitis, facile erit propoſita aduerſariorum argumenta ſoluere, & contrarias authoritates interpretari.

Nam quod attinet ad ipſum Hippocratem Medicinæ parentem, tantùm abeſt, vt locis illis priùs citatis vim certiſſimi huius axiomatis infringere voluerit, quin potiùs confirmauit, & contrariorum ſignificationes eſt interpretatus. Vbi enim primùm dixiſſet, Contraria contrariorum eſſe remedia: Contraria autem hæc debere opponi tum cauſæ tum morbo, illorúmque attendendam qualitatem, tempus, & modum, docet deinde his neglectis ſæpe fieri, vt quæ ſalutaria eſſe deberent, noxia euadant. Sic Galenus theriacam in principio quartauæ, & non purgato corpore exhibitam, ex ſimplici duplicem aut continuam efficere docuit, exacerbato ſcil. inflammatóque humore melancholico: quæ tamen conuenienti tempore exhibita, reliquias morbi potenter abſumit: Sic repellentia tumori venenato aut critico admota, maiorem efficiunt morbum, quæ tamen incipienti phlegmonæ ex benignioris ſanguinis affluxu, ſunt conueniẽtiſſima. Oxymel eodem modo tuſſim excitat, tum incîdit attenuátque humorem pituitoſum. Eandem verò ſedat, quia illius cauſam ad ἀναπάυσιν præparat, & ſputationem iuuat. Et ſic per ſimilia ſiue eadem præpoſterè adhibita, morbus fit: Et per eadem artificiosè exhibita, profligatur, apud Hippocratem. Quæ ſimilitudo ſiue identitas non ad morbum, ſed ad remedia illic refertur, in quibus etiam ſimplicibus aduertendum eſt ex Galeno, mixtas & aliquando contrarias reperiri facultates, vt de rosâ, lacte, aceto, & ſimilibus docuit *lib. de ſimpl. facult.* Quòd verò [*Aphor.* 21. *ſect.* 5.] Tetanus, qui iuuenem bene carnoſum æſtate mediâ occupârit, frigidæ affuſione curetur, accidentali illud fit curâ, & per antiperiſtaſim, aucto ſcilicet & collecto calore natiuo, qui humoris huius frigidi neruos opplentis infarctum potentiùs diſcutit. Dolor etiam dolore tollitur, labor labore minuitur, dum ſcil. nouus dolor prioris materiam inſtar cucurbitulæ reuellit, aut animum aliò reuocat; & dum ſecundus labor prioris colliquationem & reliquias diſſipat. Pari modo Vomitus vomitum, diarrhœam alui fluxus ſedat; vacuatâ ſcil. causâ, quæ vtrumque committebat. Et *aphor.* 19. *ſect.* 5. eleganter refrigeratis calfacientia prohibet, vbi metus eſt hæmorrhagiæ, vt doceret nos, aliquando vrgentioris tationem habendam, neglectâ præcipui ſiue primarij affectus curatione. Quod ad rationes autem attinet.

Contrariorum quidem conflictus naturæ noſtræ modeſtus, ſi repentinus ſit, & vehemens, quia omne nimium & violentum naturæ inimicum; ſi verò moderatus, & conueniens ad fugandum aliud contrarium maximè amicus naturæ & familiaris exiſtet: Sic potu ſitim, frigore calorem demulcemus. Manus verò frigore obtorpeſcens igni expoſita cruciatur, quia ſubita fit & vehemens pugna: At in tepidam conjecta, vel linteolis calidis inuoluta reſtituitur. Et digitus ambuſtus igni admotus, vel aquâ vitæ perfuſus leuatur ratione cauſæ, quia eiuſmodi calidis conſumuntur vel euocantur foràs ſcintillæ parti penitiùs infixæ, quas frigida in profundum repellebat. ψυχροσία item febricitantibus aliquando noxia, quibus vel cauſa frigida eſt, vel calor natiuus imbecillior, vel obſtructiones adſunt, aut ante coctionis ſigna, quæ tamen ratione ipſius febris conuenientiſſimum eſt re-

medium

medium extinguendo incendio. Pariter ſcammonium, lapis lazuli, cæteráque omnia purgantia & antidota, quæ proprietate occultá humores expurgant, vel morbis venenatis reſiſtunt, ſi non denominatione & manifeſtá qualitate ſunt illis contraria: tamen in effectu, dum cauſas morbificas educunt, vel alio quouis modo morbos expugnant. Natura quoque vera morborum medicatrix omnibus morbis eſt contraria, dum cauſam eorum vel coquit, vel expellit, vel principium agendi ipſis medicamentis tribuit, modò victu tantùm conueniente, aliàs benignis adiuta medicamentis temperatis & roborantibus. Denique nihil vrget poſtrema ratio, quia non tam ipſa denominatio in ipſis remediis, quàm operatio ſpectatur, vt ſæpe diximus: Magnitudo enim, figura, ſoluta vnitas, & ſimilia demum contrariis expugnantur, quando ferro, cauſticis, ligaturâ, & ſimilibus, contraria illis diſpoſitio introducitur, eáque quæ erant naturæ inconuenientia delentur.

Ex his omnibus conficitur, Curationem, quæ eſt mutatio à priore ſtatu morboſo ad ſanum inter contraria & à contrariis operatione potiſſimùm talibus perfici. Ideò enim remedia ſunt & dicuntur, quia morbum aut morbi cauſam oppugnant: Quomodo autem id facient, ſi inimica & repugnantia non ſunt? Quod ſi contraria ſint, à quibus ſanatio perficitur, ſimilia eſſe non poſſunt, quatenus curant. Contradictoriè enim ſe habet, Aliquid eſſe alicui contrarium, & idem eidem ſecundùm idem ſimile, ſeu non contrarium eſſe: quod tamen eſſet admittendum, ex aduerſariorum ſententiâ.

CAPVT IV.

An hæc contraria oporteat eſſe æqualia?

CVm contrarietates remediorum penès operationem potiſſimùm ſpectari dixerimus, certos oportet eſſe definitóſque operationis illius, ſeu contrariorum agentium terminos, citra quos nequit conſiſtere rectum & moderatum: fit enim vitium vitij fugâ, ſi caret arte. Agens ergo Natura, totíſque viribus morbum, morbíque cauſam impetens artis adminiculis & remediis ita iuuanda, vt illorum ope priſtinam reuocare poſſit ſanitatem: quibus ſcil. neque in contrarium ſtatum priore fortaſſis deteriorem coniiciatur, vi remediorum immoderatè agentium, aut illorum imbecillitate nihil, vel parum proficiat. Quod igitur erit remedium ad immoderantiam ſtatûs morboſi tollendam accommodatum? Non moderatum. Erit enim actio moderati in immoderatum inſufficiens, ac moderatum moderato conſeruatur, immoderatum non corrigitur. Oportet igitur immoderatum quodammodo eſſe remedium in exceſſu contrario diſpoſitionis curandæ. Verùm cùm naturalem moderantiam conſeruandam dixerimus, apparet remedium ita comparatum eſſe debere, vt & in morbum ſufficienter agere poſſit, & naturalem moderantiam agendo non excedat.

Quæ erit ergo quantitas ſeu proportio agentis remedij, vt tutò, citò, & iucundè, quantum fieri poteſt, morbus expellatur? Vult Galenus eſſe æqualitatem in gradu: Contrariis enim æqualibus eſſe agendum *hoc noſtro libro, & 3. de ſimpl. fac. cap.* 11. præcipit; Atque ipſa ratio ſuadet. Nam Contraria dum in ſe mutuò agunt, ſi æqualia ſunt, trahuntur ad medium intercedentis interualli, vt ſi æqualem calidam æquali gelidæ affundas, tepidam efficies: ſi duo viribus æqualibus trahant, in medio manebunt. Sic pari agente remedio, parique reſiſtente morbo, cùm paris non ſit imperium in par, natura víſque corporis noſtri moderatrix, ſtans ex parte remedij auxiliantis, ad medium naturale transfert, quod illi fuerat Medicóque propoſitum. Hanc æqualitatem Hippocrates eleganter annotauit *libro de locis*: Τοῖσι μὲν ἀσθένεσιν, inquit, τοῖσιν ἀσθενῆ φάρμακα, τοῖσι δὲ ἰσχυροῖσιν ἰσχυρά, Quod ſic interpretatur Celſus, Non poteſt vehementi malo niſi æquè vehemens auxilium ſuccurrere. Et *lib. de arte*, deploratum illum eſſe morbum cenſet, qui eò vehementiæ proceſſit, vt omnia longè excedat, Τὰ ἐν τῇ ἰσχυῇ ἔργα. Hæc tamen res diligenti interpretatione indiget.

Cùm enim iam dictum ſit, in remediis operationem potiſſimùm, & operationis

terminum esse spectandum, hinc fit vt Æqualitas ista modò secundùm gradum, aliquando secundùm copiam siue molem, sit considerauda: Æquale enim remedium secundùm gradum dicitur, quod parem morbo à mediocritate recessum obtinet: siccum v. g. secundo gradu vel vt duo, siue in paruâ sit quantitate, siue magnâ, æquale dicitur humido morbo excedenti vsque ad secundum gradum. Æquale verò secundùm molem & copiam id est, quod præter gradum qualitatis suæ, eâ est quantitate, vt vnâ, duabus, vel pluribus vicibus exhibitum expugnare possit morbum. Nam vt vehemens Contrarium semel, sic mediocre crebrò repetitum, hanc æqualitatem obtinere potest, proùt natura humoris, vires ægri, natura partis, & similia ostenderint esse agendum. Præterea gradus ille non est semper reuerà subsistens, sed plerumque ratione actionis designatus: Sic in morbis intemperamenti, licet reperire in morbo v. g. frigido vt duo, remedium quod illi in pari recessu aduersetur: At in aucta magnitudine aut figura mutata non licet, sed oportet quædam reperire, quæ eoúsque agere possint, quò naturalis magnitudo, figura, numerus, & similia restituantur, Et hæc etiam æqualia dicuntur remedia. Denique notandum hanc æqualitatem contrarietatis, quam nunc spectamus, sumi simpliciter à natura seu intensione morbi ipsius & causæ morbificæ, non à viribus, tempore, & similibus circumstantiis, quæ sæpe repugnant huic æqualitati, & illius vsum impediunt. Possunt quidem sanari morbi contrariis minoribus frequenter repetitis: Possunt & contrariis maioribus transferri ad contrarium affectum, sed commodiùs ab æqualibus, quæ id tutò faciunt, quia non adeò repentinam mutationem, vt vehementiora inducunt. Citò etiam & iucundè, quantum pro morbi & corporis natura fieri debet, quod remissiora sæpe non præstant. Ideóque medium elegit ars Medica.

Dicet aliquis, Hippocrates 6. *Epidem* præcipit, contraria sensim adhibenda, atque interquiescendum: Et Galenus *lib 2. de compos. med. sec. locos.* Non statim à principio efficacissima adhiberi vult, sed à debilioribus auspicari, vt in febre putridâ non incipimus ab æqualibus frigidis, sed purgantibus potiùs. Annon frigoris minor vis quàm caloris, humiditatis quàm siccitatis? Non igitur hæc in pari gradu opponenda. Quòd si morbus aliquis sit frigidus, aut calidus, v. g. vt quatuor, apponentúrne remedia eodem gradu, quæ venena esse certissimum est. Denique si omnes morbi curarentur contrariis æqualibus, in omnibus esset par proportio agentis, ad id quod patitur: Quare eadem velocitas mutationis, quare eodem omnes tempore sanarentur. Cúmque reductio fiat in corporibus sanis, æqualibus contrariis apud Galenum, quomodo in ægris validiora non adhibebuntur, in quibus est maior excessus.

Verùm nos ex præmissis sic respondemus. Hippocratem iuremeritò contraria sensim adhibere, Galenum etiam à debilioribus auspicari, habitâ circumstantiarum ratione, ne scilicet vires frangantur, aut cruda materia vehementioribus frustrà exagitetur, cùm tamen ipse morbus semper æqualia ad perfectam sui oppugnationem expetat. In febre quidem putridâ non æqualibus frigidis in principio vtimur morbo oppositis, sed æqualibus causæ, nempe vacuantibus: ídque vel confertim, si materia turgeat, Vel sensim, & post coctiones præparationéque necessarias, si non turgeat. Et quamuis minor sit vis frigoris quàm caloris, humiditatis quàm siccitatis, quia tamen æqualitatem in operatione, (vltimo actionis termino) spectamus potissimùm, ideò non minùs hæc dicuntur æqualia, si excessum morbosum ad mediocritatem reducant. Neque venena etiam cæteráque per se deleteria exquisitè priùs præparata & mixta refugiemus, si species morbi & gradus id expostulent; cùm viperarum; vitrioli, opij, & similium in theriacâ, antimonij ad pestem hydrargyri ad luem Veneream fugandam, vsus sit hodie receptissimus. Quemadmodum non erit etiam par curationis tempus in omnibus morbis, quia non licet in quouis morbo eodem tempore, vti contrariis æqualibus, sed ob subiecti & circonstantiarum variam dispositionem eorum maturitas varia, velut in frugibus, est expectanda: sic reductionem sanorum nihil impedit fieri contrariis æqualibus, quam Galenus à Curatione noluit distingui, præterquàm maioris & minoris ratione. Vnde bene sequitur, morbos causáque morbificas sumptis ab eorum specie & gradu indicationibus semper æqualibus contrariis expugnandos. Quod tamen sæpe fieri vetat, multarum contraindicationum & circumstantiarum respectus.

CAPVT V.

CAPVT V.

De Scopis curatiuis seu tribus Intentionibus, & quomodo per Indicationes compleantur.

TOTA rationalis θεραπεία posita est in diagnosi partis affectæ, affectûs, & causæ morbificæ, atque remedij ipsius inuentione. Inuentio autem hæc particularis remedij ad certum morbum expugnandum idonei, plures exhibet scopos seu intentiones Medico, quas inter consultandum, semper ob animum propositas habere debet, siue solus & secum id præstet, siue cum aliis optima inquirat media ad Sanitatem restituendam. Scopus enim in eo ab Indicatione differt, quod Scopus sit intentum aliquod seu propositum Medici animo, quod exequi cupit: Indicatio verò ex reipsa exurgit, ostenditque Medico viam seu modum perficiendi propositos scopos. Ita vt Scopus per Indicationes perficiatur compleatúrque.

Scopos igitur actionis Medicæ Galenus aliquando ad duos tantùm reduxit, *vt hoc nostro libro*. Qualitatem scil. & Quantitatem remedij inueniendam. Illis autem vtendi modum velut tertium adiunxit 7. *meth. Atque libris de sanit. tu.* Opportunum tempus siue Occasionem in materiæ Medicæ vsu diligenter attendendum esse docuit: Nec non Ordinem in eisdem necessarium esse, 10. *meth. & alibi* sæpe annotauit. Ex quibus colligimus Galenum aliquando scopos tantùm qui erant primarij, & inter alios maximè necessarij attigisse: aliàs verò reliquos etiam qui commoditatem aliquam agenti Medico adferre poterant, addidisse. Nos igitur, vt ex illius doctrinâ, perfectionem istorum eliciamus: scopos omnes tam primarios quàm secundarios colligemus, quos sibi debet habere propositos Medicus in obeundis operibus suis.

Scopi igitur agendi in curandis morbis, vt in rebus aliis, oriuntur vel ex re ipsa proposita, Vel ex instrumentis ad id agendum idoneis, Vel ex tempore, in quo fit aut fieri debet, & similibus circumstantiis. Ad rem itaque ipsam spectare videtur, An sit agendum, & Quid sit agendum. Ad instrumenta, Quibus, Qualibus, & Quantis. Ad tempus & reliquas circumstantias, Quâ occasione, Quo modo, & loco, & ordine.

Ex Hippocratis itaque & Galeni scriptis exsurgit primus ille scopus, quo quæritur in proposito affectu, An sit agendum. Etenim Galenus *lib. de opt secta* voluit, Eorum quæ in curationibus morborum fiunt, quædam à solâ naturâ; quædam ab arte solâ præstari. Idcirco Medicus Naturæ imitator & diligens speculator, quæcunque natura internis illis & familiaribus instrumentis, spiritibus scil. & calore natiuo, obire potest commodè, vt humorum concoctiones, vacuationes criticas, & similia; non aggreditur, sed illi committit, ex Hippocratis præcepto, 1. *aph.* 20. qui ea quæ iudicantur & iudicata sunt, neque mouere, neque vllo modo lacessere, sed sinenda esse scripsit. Et *lib. de art.* Optimum sæpe remedium esse docuit, nullo vti remedio, quando scil. naturæ vis ad curandum est per se sufficiens. Quæ verò nullo modo à naturâ, sed omnino ab arte pendent, vt luxata reponere, sextum digitum amputare, calculum vesicæ extrahere, & similia: eorum absolutionem ab Artis præsidijs repetit, si ægri sint ferendo: vt in iis quæ vtriusque ope perficiuntur: & conuenientia captat remedia & naturæ vim expectat. Sic in febre putridâ sanguinem mittit, purgantia exhibet & alterantia, quibus adiuta natura reliquum humoris faciliùs concoquere, & criticâ periodo expellere possit. At verò quomodo hic scopus per Indicationes compleatur, adhuc dicendum. In primis causarum morbificarum, morbique natura expendenda, species scil. mos, motus & magnitudo illorum. Sunt enim quidam morbi ita totâ specie & naturâ suâ deplorati, qualis est apoplexia fortis, angina sine tumore, hectica tertij gradûs, & similes, vt vix vllus à tanto periculo eripi possit. Alij verò ita leues & benigni, vt neminem suâ naturâ perimant, qualis est Ephemera febris, cephalalgia, & similes. Sunt qui ob causæ vehementiam, vt ij qui ab atrâ bile oriuntur, vel insuetam κακοηθείαν, motúmve præposterum, qualis fuit tertiana pestilens nostris temporibus visa, Ephe-

mera

mera contagiosa, seu Anglicus sudor dictus, & similes ita infesti, vt naturam omnino opprimant. Alij verò morbi medio se habent modo, periculi quidem non ex pertes,& in quibus tamen salus speratur, ac sæpe spectatur, vt acutæ febres,pleuritides, peripneumoniæ, &c. quorum apud Hippocr. *Aphor.19.sect.2.* non sunt omnino certæ prædictiones neque salutis neque mortis. In quouis igitur horum morborum Medicus, vt sciat, An sit agendum, pensitatis diligenter, & comparatis indicationibus Coindicationibus & Contraindicationibus, ex cuius parte stent, naturæne aut morbi: Si leuiusculus morbus, aut jam à naturâ superatus occurrat, nihil molietur: sed victoriam illi perficiendam relinquet: Vt etiam si deploratus fuerit omnino morbus, aut propter propriam suam speciem, morem, & magnitudinem: aut naturæ summam infirmitatem, cui omnia alia interna externáque repugnent: Huic eriam manûs non admouebit, sed cum prognostico conuenienti relinquet, tum ne infamentur artis præsidia, quæ multis fuêre saluti: tum ne mortis illius habeatur reus, ait Celsus, quem propria sors peremerit, quia tamen ægri tandiu sperant quandiu spirãt,rogatus Medicus auxilia non denegabit.In aliis verò, in quibus est anceps victoria,tam ex parte rerum naturalium,quàm præter naturam In illis certè agendum esse suadet, tum naturæ aduersùs morbum pugnantis constitutio,quæ artis opem exposcere videtur: tum morbi ipsius, causarum & symptomatum violentia, cui sese fortiter cum naturâ opponere debet Medicus, conuocatis ad eiusmodi certamen, copiis omnibus auxiliorum, ne Natura tanto certamine succumbat. Atque hic scopus, vt & reliqui, non solùm in morbis secundùm totum & speciem consideratis, locum habet; sed etiam in singulis illorum partibus seu temporibus.

Vbi certum est Medico, ac propositum, Agendum esse, statim ex re propositâ oritur secundus scopus, Quid nimirum sit agendum, [ὃ χρὴ ποιέειν, inquit Hippocrates, *lib.* περὶ ἐυχημοσύνης, Quid sit agendum scire oportet, priúsquam ad ægrum ingrediaris: multa enim non ζυλλογισμῷ, id est longâ ratiocinatione, sed expedito indigent auxilio.] Vacuandúmue, replendum, alterandum, roborandum, exscindendum, coniungendum, aut tale quid præstandum. Nisi enim hoc accuratè notum sit, plerumque ægrotum is lædet, quem iuuare cupiebat: dum scil. eum vacuat, qui repletione indigebat; alterat, quem roborare præstabat, & alia munera præposterè exequitur. In quo scopo dirigendo vera indicantia contemplari oportet, nâturam scil. causæ & morbi, quibus vis actionum est opponenda. Vt enim ex primâ & generali indicatione constat: Illud omne quod præter naturam est, auferendum esse: Sic secundariæ indicationes ostendunt, quæ actio sit necessaria ad eiusmodi mutationem faciendam. Qui enim, v.g. sanguine feruentiore turget, febrem synochon pariente, is certè vacuatione indiget per venæ sectionem, quæ sanguinem illum commodissimè exhaurit, & æstum febrilem ventilat. Qui cacochymiâ laborat, is purgatione leuatur. Qui febre hecticâ aut conuulsione ob inanitionem tenetur, is refectione & humectatione indiget. Denique qui morbum figuræ, numeri, magnitudinis, vel vnitatis patitur, exscindentibus, vrentibus, sarcoticis, emplasticis, & similibus, pro naturâ causæ & affectûs, restituitur: quod in singulis morbis accuratè suo loco erit considerandum.

Verùm cùm hæc per se non præstet Medicus, sed instrumentis quibusdam mediis, quorum ad hoc inuentio maximè est necessaria, hinc tertius simul quartusque inferuntur, Quibus scil. & qualibus id sit præstandum. Propositis enim remediorum fontibus diæteticis, pharmaceuticis, chirurgicis, eligere conuenit, quibus opus illud propositum perfici debeat, nimirum si solo victu id præstari queat, ne temerè vtamur pharmacis; Si purgantibus benignis, ne frustra valentiora vsurpemus: Si simplicia id efficere possint purgantia vel alterantia, ne importunè composita, quorum non ita certus est effectus, offeramus. Denique ne ferro aut igne illud tentemus, quod solo melle rosaceo,aut apij succo, v.g. commodè effici potest.Ad hunc ergo implendum scopum faciunt,cognitio tumipsius speciei morbificæ, similaris, organicæ, & communis:(In morbis enim v.g. similaribus diæta plurimùm,in alijs minùs potest,) tum differentiarum causæ & affectus,paruitatis videl. vel magnitudinis,celeritatis,tarditatis,& similium. Causas enim morbificas leuioresque morbos, diætâ ritè instituta potiùs curandos, quàm pharmacis vel chirurgiâ, Galenus vbique & ratio suadet, quæ rerum naturâlium conseruationem dum ipsi morbi expugnantur, nunquam negligit. Contra verò atrociores

morbi

morbi oſtendunt, non eſſe parcendum maïoribus remediis : ne ſcil. blandiore nimis curâ ferocior morbus exaſperetur, viréſque acquirat eundo. Vnde μοχλικὰ dicebantur apud veteres ea medicamenta, quæ grauioribus morbis debellandis erant accommodata : quorum vſu Empirici & circumforanei, longiores & rebelles morbos ſæpiùs ſuperant : in eo tamen peccantes, quòd nullâ habitâ virium, temperamenti, partiſue affectæ ratione, quę hîc maximè conſiderari debent, vno omnes, quod aiunt, collyrio curantes, ancipitem & periculi plenam medicationem exercent.

Inuento igitur Remedij fonte vnius vel plurium, quibus ad opus præſtandum vti eſt neceſſe, tunc qualitas eorum ſpectanda, quæ propriè indicationem contrarietatis implere ſolet : Sub eâ enim non ſolùm primas qualitates reponunt Medici, Caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem, aut ex his compoſitas, ſed etiam ſecundas & tertias, attenuationem videl. deterſionem, inciſionem, incraſſationem, remollitionem, indurationem, ſuppurationem, menſium, vrinæ, ſudoriſque prouocationem, huius vel illius humoris per varia cathartica expurgationem, & ſimiles, morbis, eorúmque cauſis oppoſitas. Cùm enim contrariorum contraria eſſe remedia probârimus ; certum eſt Contrarietatem agentis remedij indicari à naturâ cauſæ morbificæ, & ipſius morbi cui opponitur. Ratione enim materiæ, aut ſubſtantiæ peccantis, ſiue per ſe, vt in excrementitiis & corruptis ſuccis, ſiue per accidens, ratione ſcilicet quantitatis, Vacuantia indicantur : Ratione qualitatis, Alterantia, pro diuerſitate illius, quam ad infimam vſque ſpeciem nouiſſe oportet. Ratione motûs & quietis, Reuellentia, Deriuantia, Attrahentia ſiue educentia genere diuerſa, quæ ex naturâ humoris v. g. aut intemperiei deprehenduntur. Quorum etiam vſus coindicatur à naturâ corporis, virium, temperamenti, & ſimilium. De quibus hoc generaliter pronunciauit Hippocrates *aphor.* 34. *ſect.* 2. In morbis minùs periclitari, quorum naturæ, ætati, conſuetudini, aut anni tempeſtati magis congruit morbus, quàm vbi horum nulli congruit : Quia tunc licet vti liberè remediis qualitate ſuâ morbum & eius cauſam expugnantibus, quæ aliàs pro horum proportione ſunt moderanda, vt dicemus in ſequenti ſcopo.

At verò quemadmodum contraria oportet eſſe morbo cauſæque remedia, ita etiam æqualia, vt priùs docuimus, certâ ſcil. menſurâ & quantitate exhibita, quæ ſiue gradum ſiue molem aut copiam ſpectes, morbi exceſſum, & naturæ limites in mediocritate poſitos, non excedant. Qui enim morbum, v. g. calidum vt duo: frigidis vt quatuor ſimul & ſemel, vel auctâ nimiùm copiâ æqualium refrigerantium, vnâ aut pluribus vicibus expugnabit, is non ſolùm morbum curabit, ſed contrarium & ſæpe periculoſiorem exceſſum inducet : Nihil eſt, inquit Galenus, *lib. de ſang. miſſ.* quod artem noſtram, adeò coniecturalem & dubiam reddat, quàm exhibendorum remediorum quantitas, quæ non ſolùm morbo, ſed etiam viribus plerumque ignotis, proportionata eſſe debet.

Ad quantitatem igitur remediorum artificiosè definiendam, petenda inprimis indicatio, à morbi cauſæque illum parientis magnitudine, quæ vel intenſiuè vel extenſiuè, vt loquuntur, conſideratur. Intenſio cauſæ morbificæ reſpicit eius gradum ſiue efficaciam, quâ ſeſe validè multiplicare poteſt, licèt minimæ ſit molis, vt patet in atrâbile, venenato humore, peſtilenti vapore, & ſimilibus, quæ generoſum etiam & efficaciſſimum ſuadent remedij genus, quo vis eorum effera frângi vel ſaltem intercipi poſſit. Extenſio autem ipſius cauſæ reſpicit eius copiam, quâ nimiùm auctâ vel in toto vel in parte, naturæ vires opprimit, quamuis per ſe laudabilis eſſe poſſit : Sic nimia ſanguinis copia naturæ moleſta ſynochon pariens, aut in membro aliquo collecta phlegmonen, ſuadet illius vacuationem, alterationémque copioſam & æqualem. Morbi quoque intenſio dicitur gradus ille qui naturalem excedit plus minùs, ſecundùm quem exoritur Indicatio paris remedij quo reducatur ad mediocritatem. Extenſio autem conſiderat ſubiectum ſeu partes affectas : quò enim plures à morbo occupantur, eò maior copia remedij eſſe debet, quæ adæquatur illius extenſioni. Sic eryſipelas pollicis v. g. minore ſecundùm quantitatem indiget oxycrato, quàm totius cruris vel brachij : Sic inflammatio plurium partium internarum, vel à primis & communibus viis remotarum, vt renum, veſicæ, & ſimilium, maiorem julepi vel emulſionis v. g. frigidæ copiam, quæ eò vſque ſalua peruenire poſſit, vt illarum incendium facilius ac citiùs extinguat.

Neque tantùm ſufficit in definiendâ quantitate gradûs & molis remedij, Indi-

cationes à cauſa & morbo petitas ſpectare, ſed etiam Coindicantia & Contraindicantia. Nam ſine virium cognitione inprimis, iuſta vacuationis alterationiſque quantitas circumſcribi non poteſt, quoniam neque gradus excellens remedij, neque eius conferta copia, ſi vires imbecillæ fuerint, erit vſurpandus, quicquid morbus aut cauſa indicet, ſed infrà erit ſubſiſtendum. Hinc à Medicis inuentæ ſunt minorantes illæ venæſectiones & purgationes per ἐπίκρασιν factæ: Hinc alterationes iteratæ & ſenſim repetitæ, quibus natura, paulatim adiuta refocilletur ac ſenſim vires ſuas recuperans, morbum tandem & cauſas morbificas ſaluis ægri rebus, quæ aliàs ruinam minabantur, expugnet. Eâdem ratione animaduertendum temperamentum totius & partis affectæ, vt ex illius comparatione, quantum à naturali recedatur intelligi poſſit: Item ætatis, ſexûs, conditionis, conſuetudinis, & ſimilium ſtatus. Quibus omnibus quantitas priùs indicata permittitur, vel ad mediocritatem reducitur. Item non parum confert ad eiuſmodi quantitatem limitandam, aëris nos ambientis conditio: Illo enim cum cauſa vel morbo conſentiente, maior indicatur remediorum vis & copia ad vtrumque ſuperandum: diſſentiente verò minor, ab hac ſcil. communiſſimâ & potentiſſimâ causâ adiuta: ſiue per ſe, ſiue per accidens id fiat: Nam in pleuritide v. g. Aër frigidus, per accidens, quia ſputationem impedit, & pectus anguſtat, noxius: In Apoplexia per ſe, quia cauſæ naturam & vim multiplicat. Atque hæc de primariis ſcopis, nunc ad ſecundarios veniendum.

Inter quos ille primatum obtinere videtur, quem Galenus 1 *ad Glauc. cap.* 1. Vtendi modum appellat: & ſub eo complexus eſt illa omnia, quæ extra qualitatem & quantitatem remedij poſita ſunt, vt an vna vel pluribus vicibus ſit offerendum, quo tempore, qua forma, per quem locum, & quo ordine. Vide *aphor.* 17. *ſect.* 1. Recentiores verò diſtinctos fecerunt, clarioris doctrinæ gratia.

An vna igitur vel pluribus vicibus offerendum, quale & quantum remedium (quod referri etiam poſſet ad quantitatem diſcretam) ex modo inprimis eius quod indicat ſeu nocet, eſt petendum: Nam vt genus morbi, genus remedij; ſic eius differentiæ differentias, modus modum indicat, *vt eſt lib. de opt. ſectâ.* Si ergo morbus affligat continuò & violenter, repentinam ſuadere videtur curationem: Si cauſa morbi turgeat & ὀργασμῷ teneatur. ſi bene ſit concocta, ſi tenuis & ſequax, ſubitaneam vacuationem expoſcit: At verò ſi lentè & per interualla tantùm moueatur, longitudinémque potiùs ex cruditate quàm periculum minetur, tunc repetitis purgationibus alterationibúſque materia educenda alterandáque: vt cum Hippocrate concocta tandem liceat medicari, non cruda: Quot verò vicibus id ſit præſtandum, ſiue per minorantia, ſiue per validiora res peragatur (de eo enim præcipuè in hoc ſcopo agitur, & in hoc differt à priore) oſtendent tum ipſæ reliquiæ morbificæ, tum ea quæ conſentiunt vel diſſentiunt: Virium ſcil. ſtatus, qui ſi vegetus fuerit, facilè aſſentitur repentinæ vacuationi & alterationi, vt ſcil. promptè ab eiuſmodi moleſtia liberetur natura: Sin verò infirmus & debilis, nonniſi benignas & partitas ferre poteſt mutationes. Eodem modo partium affectarum ſubſtantia, ſenſus, & ſitus. Nam tenuis earum aut rara ſubſtantia, exquiſitique ſenſus, vix perferre poteſt vim præcipitem vacuantis aut alterantis remedij, quam ſolida & denſa, obtuſioríſque ſenſus facilè ſuſtinet. Situs item válde remotus, vt per vices id præſtemus, ſuadet, quò remedij vis tandem eò vſque ſalua partium interiectarum temperie penetrare poſſit. In parte etiam nobili cautè agendum, & partitis vicibus alterandum vacuandúmque, ne grauiorem noxam; ex illius labe ob ſubitam mutationem; toti corpori inferamus. Quibus omnibus ſi voles ætatem, ſexum, conſuetudinem, aëris ſtatum, & ſimilia adiungere, indicationis huius, vel potiùs ſcopi terminos & ſtatum meliùs definies.

Verùm ſiue ſemel ſiue partitis vicibus ſiue æquali aut inæquali remedio agas, Tempus præcipuè eſt obſeruandum, iuſtæ ſcilicet & debitæ occaſionis. Quamuis enim Galenus *libro hoc noſtro* videatur hunc ſcopum velut inutilem reiicere. Fruſtrà enim, inquit, temporis habebitur ratio, in quo non niſi quale & quantum morbo conuenit, remedium exhibere poſſis. Attamen aliis in locis paſſim 8. & 9. *meth.* 1. *ad Glauc.* cum Hippocrate ex temporibus morborum deſumit notitiam temporis ſiue occaſionis quâ licet vti commodiùs remediis.

Cùm enim conſtitutionis morboſæ mutatio, progreſſu quodam temporis fiat, ideò iſtas temporum notas, velut ſenſibiles magis adhibuerunt Medici ad meliùs deſcribenda tempora remediorum in morbis vſurpandorum. Vnde propter vniuerſalem

uerſalem illam occaſionem, quæ non paruam habet latitudinem, ſecundùm vniuerſalia morborum tempora, dixit Hippocrates, Circa initia morborum, ſi quid eſt mouendum, moue; in augmento enim & ſtatu melius eſt quieſcere: Item in principiis non eſſe purgandum, niſi turgeat: Et ſimilia præcepta quibus occaſiones vniuerſales, ſiue extenſæ exhibendorum remediorum deſignantur. Particulares autem & momentaneæ non ſolùm ex particulari temporis alicuius morbi conſtitutione, illius ſcil. acceſſione, & remiſſione vel intermiſſione: Symptomatum ſuperuenientium varietate petuntur: Vnde acceſſionis die & horâ, ab omni Medica actione voluit eſſe ceſſandum Hippocr. ſed etiam ex peculiari natura ægri, viribus, aëris præſenti ſtatu, & ſimilibus circumſtantiis, quas ad particularem iſtam & præcipitem occaſionem definiendam diligenter expendere debet Medicus, potiſſimùm in acutis morbis, in quibus omiſſio remedij præſtantioris vt phlebotomiæ, vel purgationis, ægrum in mortis periculum præcipitare poteſt, hîc enim vt in bello non licet bis peccare.

Neque ſatis eſt qualitatem, quantitatem, vtendi modum, & debitam remedij Occaſionem reperiiſſe, niſi etiam ſciamus locum, in quo & per quem admoueri debent huiuſmodi auxilia, eorúmque conuenientem formam. Hæc autem primò ex indicantibus, deinde coindicantibus inueniemus. Nam locus indicantis nempe morbi vel cauſæ indicat etiam locum remedij, vt ſi totum corpus occupet, toti corpori admoueantur; ſi partem vnam tantùm, aut plures, illis tantùm: Si externæ ſint, exteriùs: ſi internæ, interiùs; ſi per vtramque viam ferri poſſint, vtrinque admoueantur. Ad quod meliùs explorandum, cognoſcenda etiam conformatio partis, ſitus, & connexio: quia hinc licebit percipere, An ſit aliquid quod impediat, vel conſentiat. Etenim orificium ventriculi inflammatum v. g. liceret exteriùs admotis refrigerare, niſi diaphragmatis vicinia impediret; fundum verò refrigeratum calefacientibus curare, nî ſuperpoſita hepatis portio illud diſſuaderet. Conformatio, Situs, & Connexus partium, docent ventriculum per vomitum & feceſſum; hepatis caua, deiectione: conuexa, vrinarum prouocatione potiſſimùm expurgari: Inteſtina clyſteribus magis iuuari, præcipue inferiora ſuperficiem corporis ſudorificis, ſcarificatu, & ſic de reliquis.

Idem dicas de formâ ſeu conſiſtentia remedij. Nam in externis illius tenuitatem requirunt partis ſubſtantia denſa, & ſitus profundus, multò magis ſi materia peccans ſit craſſa & denſa. In internis pars admodum remota, expoſcit liquida potiùs remedia, quæ eò vſque peruenire poſſint, quàm ſolida, quæ in primis viis ſubſiſtunt: Media forma à mediis ſuadetur: pulmones viſcida & glutinoſa, quæ lambendo ſeſe in trachæam arteriam inſinuare poſſint. Eſt etiam quando ſolida forma aptior eſt ad expurgandas alterandáſque remotiores partes, ſed diuerſa ratione; vtpote caput pilulis conuenientiſſimè purgatur, quia illæ ob ſoliditatem diutiùs calori noſtro obſiſtentes, & in ventriculo morantes, longiore hoc ſpatio & tranſlatis ſurſum vaporibus, eliciunt redundantes ibi humores: quod non ita commodè fieri poteſt liquidis, aut mediis remediorum formis, citò elabentibus è ventriculi cauitate. Eſt etiam quando, certis partibus certa remediorum genera & formas, vt oculo inflammato olea, quamuis refrigerantia, faucibus vlceratis aut tumentibus, liquores ex cathæreticis aut corrodentibus paratos admouere non audemus, ne ſcilicet in partes internas delabantur.

Denique in exhibendis remediis poſt ſuperiores ſcopos, adhuc agendorum Ordinem ſpectare oportet: Qui non ſolùm in complicatis & conſequentibus morbis eſt neceſſarius, ſed etiam in ſimplicibus. In vno enim eodémque affectu oportet aliquando habere rationem & cauſæ ſimpliciter dictæ, & cauſæ ſine qua non, & vrgentioris. A verâ enim cauſâ incipiendam eſſe curationem legitimam & ordinariam; niſi quid impediat, Galenus & ipſa ratio præcipit, quæ præſente cauſâ tolli non poſſe effectum oſtendit. A cauſâ etiam ſine quâ non ſæpe exordiendum eſſe, illud conficit, quod nonniſi ſublatis impedimentis curationis, natura morbum expugnare non poteſt. Sic enim in vulnere ſordes, in hydrope aquam velut cauſas ſine quibus non, primùm tollimus, vt deinceps veram cauſam & affectum ipſum tollere poſſimus. Poſt earum remotionem ad affectus ſiue morbos, ſi adhuc ſint ſuperſtites, accedimus, vt illis curatis ſymptomata ſponte ſuâ euaneſcant; Niſi vrgentioris alicuius habenda ſit ratio, ſiue præter naturam id ſit, ſiue ſecundùm naturam: ſæpe enim ratione cuiuſdam ſymptomatis atrocioris, relictâ cauſâ morbóque, mitigationi ſtudemus: Sæpe

virium reſpectu, poſthabitâ omni θεραπείᾳ, nutritioni tantùm & refectioni incumbimus. Sed hæc fuſiùs in tertiâ operis parte: Ac proinde quibus modis perficiantur ſcopi curatorij hactenus dictum ſit: Nunc ad conſeruatorios ſiue diæreticos accedamus.

CAPVT VI.

De Indicationibus & ſcopis diætæ ægrorum.

ACTIONES Medicas ſimplices potiùs eſſe conſideratione, quàm reipsâ, ſuperiùs annotabamus. Etenim in ſtatu inſalubri, quamuis indicationes curatoriæ præpolleant, quæ ad ſublationem rei præter naturam feruntur, quia tamen illud potiſſimùm fit vi & operâ naturæ: hinc etiam conſeruatoriæ illis permiſcentur, quæ cauſas ſalubres reſpiciunt. Hæ autem diætam ægrorum complectuntur, cuius tantam eſſe vim voluit Galenus, vt ſine eâ nullum aut paruum emolumentum ex vſu remediorum reportare liceat. Et Hippocrates *libro de vet. Medic.* nullam eſſe vult artis partem χρησιμωτέραν οὐδ' ἀναγκαιοτέραν. Nomine autem diætæ non tam intellexit aëris, ſomni & vigiliæ, excretorum & retentorum, exercitationis, aut animi pathematum vſum, quàm cibi potuſque circa ægros inſtituendi rationem: In quibus maxima verſatur difficultas. Nos igitur de alimentis ægrorum cauſâ ritè inſtituendis agamus, quod ad vniuerſalem doctrinam ſpectat: reliquarum enim cauſarum ſalubrium vſum licebit ex tractatu ὑγιεινῆς repetere.

Eleganter illud ab Hippocrate dictum fuit, *lib. de Vet. Medic.* Nullus, inquit, diætandi rationem & modum quæſiuiſſet, ſi eadem alimenta cuiuis ſano conuenirent, & tam ſanis quàm ægris competerent τὰν ταῦτα διαιτήματα τοῖσι τε κάμνουσιν, καὶ τοῖσιν ὑγιαίνουσιν ἅρμοζεν, Quia verò tùm ſanis varia dicta pro diuerſâ ſanorum, alimentorumque naturâ competit, tum ægris eidem cibi & potus qui ſanis erant ſalutares, moleſtiam inferunt: Ideò ars huic rei ſubueniens, varietatem iſtam certis diſtinxit regulis & annotauit: Quæ repetendæ ſunt tum ex cognitione ſtatûs illius qui proponitur, tum naturæ ægri & variarum facultatum, quę alimentis inſunt. Certum eſt igitur ſtatum morboſum, de quo nunc agimus, quamuis præter naturam ſit affectus, retinere adhuc multa ſecundùm naturam, quorum ope vis corporis noſtri adiuta, remediiſque Medicis res ſibi infenſas moleſtaſque expugnat. Hæc igitur quæ ſecundùm naturam ſuperſunt, procul dubio ſui conſeruationem indicant dupliciter, tum primariò quatenus ſcil. ſunt ſecundùm naturam, tum ſecundariò quatenus ad expugnationem rerum nocentium ſunt neceſſaria. Vt igitur in vſu remedij dicebamus, indicationem veram & propriam, peti à rebus præter naturam, quę ſui ſublationem ſuadent. Coindicationem verò ab ipſis rebus naturalibus & externis quę eiuſmodi remedij vſum permittunt vel toleratu faciliorem reddunt. Sic vice verſa in vſu alimenti & cauſę ſalubris certum eſt, indicationem propriam & curationem à rebus ſecundùm naturam, quamuis fractis & à morbo afflictis peti, quę ſui cuſtodiam ſuadent: Coindicationem verò vel Contraindicationem à ſtatu morboſo, & rebus præter naturam, quatenus ſcil. illę diſſentiunt vel conſentiunt cùm ſcopis diętę, quam Medicus inſtituit tunc ratione non ſolùm conſeruationis, ſed habito cauſarum & morbi reſpectu, vt poſteà oſtendemus.

An igitur diætetice in ægris ſit vtendum, nemo ampliùs dubitabit, quia, vt inquit Hippocrates, δι' ἃ τοῦτον πᾶς ὁ βίος καὶ ὑγιαίνοντι καὶ ἐν νόσῳ ἀναγκαιοφορώτατός καὶ κάμνοντι, Et quia ad morborum expugnationem eſt neceſſaria: At verò quibus, qualibus: quantis, quando & quomodo vtendum ſit alimentis in ſtatu morboſo iam docere oportet, & omnia ex conuenientibus indicationibus, atque Hippocratis præceptis repetere, qui *lib. de Vict. rat. in acut. & 1. aphoriſm. ſect.* hanc rem accuratè eſt perſecutus.

Sciendum itaque priùs ex eodem Hippocrate morborum (qui non ſolùm breuitate *Ephemera enim brevis, ſed non acuta.* & celeritate feruntur, ſed etiam vehementiâ) alios quidem eſſe acutos ſimpliciter, qui ad 14. diem terminantur, vt

eſt

Digitized by Google

eſt *aphor.* 23. *ſect.* 2. Alios peracutos non exactè, qui ſeptimum diem non excedunt (ὀξὺς, ὀξύτερος, ὀξύτατος.) Quoſdam exactè peracutos, quos Barbari appoſitè perperacutos vocárunt, qui quarto aut quinto die, vel antè finiuntur: de quibus Hippocrates (κατοξὺς,) *aphor.* 7. *ſect.* 1. pronunciauit, eiuſmodi peracutos morbos ſtatim extremos habere labores. Alios verò his oppoſitos eſſe acutos extenſos ſiue ex conuerſione, qui ad vigeſimum vſque diem extenduntur, in quibus voluit Hippocrates *aphor.* 24. *ſect.* 2. diem decimum ſeptimum eſſe contemplabilem: Alios denique acutos ex decidentia, qui ad quadrageſimum vſque diem perueniunt: Vltra quem omnes morbi longi & chronici dicuntur ab Hippocrate: Inter quos rurſus magna eſt varietas. Nam vt eſt *aphor.* 28. *ſect.* 3. horum quidam in 4. alij in 7. menſibus iudicantur. Aliqui intra 7. annos tantùm, vel quando ad pubertatem accedunt, aut ad ſummam caloris natiui ἐκλαμψιν, quæ eſt circa 25. annum. Poſteà enim morbi apud Hippocratem ξυγγενεῖς & συντρόφοι, congeneres & connutriti dicuntur & ſunt illi propriè qui ſoboli communicantur, habituales redditi.

Sciendum rurſus omnes hos morbos, cùm durationem habeant manifeſtam & contemplabilem, in quatuor vniuerſalia tempora à Medicis diuidi, principium ſcil. augmentum ſtatum & declinationem, quæ tripliciter dignoſcuntur, propriæ ſcil. eſſentiæ morbificæ paruitate vel magnitudine, cruditate humorum vel concoctione, ſymptomatum leuitate aut vehementia. In quibus temporibus iſtiuſmodi morbi varios habent motûs: Alij enim continenter & pari violentia per totum vniuerſale tempus affligunt: Alij manifeſtas habent remiſſiones, alij intermiſſiones & dilucida interualla breuiora vel longiora, pro diuerſo tempore periodi & repetentis paroxyſmi. Hæc omnia erant diligenter annotanda, vtpote ſine quibus legitimus ægrorum victus inſtitui non poterat.

Vt igitur ad rem ipſam aggrediamur, cùm certum ſit agendum eſſe, id eſt, diæta vtendum certa in ægris, & quid agendum, nempe conſeruandum & curandum; iam eſt videndum, Quibus alimentis ſint ſuſtentandi ægri. Quò ſcopo materia ſiue ſubſtantia alimentaria in multas claſſes diſtincta potiſſimùm deſignatur; Quas omnes debet eruditus Medicus egregiè notas habere à duobus rerum creatarum fontibus ſeu generibus deriuatas, plantis ſcilicet & animalibus, vt probè ſciat ea, quibus ægros commodiùs reficere poſſit. (Id tantùm nos nutrire poteſt, quod priùs vixit,) In materia autêm alimentaria ſpectare ſolent Medici (vt reſpectiuè ad nos, & coctionem humorúmque generationem ſe habent) εὐπεψίαν & δυσπεψίαν, facilem vel difficilem coctionem, εὐχυμίαν κακοχυμίαν, boni vel mali ſucci naturam; πολυτροφίαν & ὀλιγοτροφίαν an ſint paucæ vel multæ nutritionis. Ex quibus ita cognitis in ſingulis alimentorum ſpeciebus triplicem conſtituunt diætam, tam in ſanis quàm in ægris, fortem ſcilicet, infirmam & mediam. Fortem vocantes eam quæ vires augere potens, alimentis conſtat firmis & ſolidis, concoctu quidem difficilibus, plurimi tamen & ſolidi alimenti, ſi vincantur à calore natiuo. Qualia ſunt grauia, craſſa, viſcoſa, ſucculenta, & cætera huiuſmodi vulgaribus hominibus vſitata, qualis eſt panis ille ſyncomiſtus & αὐτόπυρος Hippocrati dictus, farinæ ſcil. impurioris & furfuraceæ, olera, radices omnes, & fructus ſolidioris ſubſtantiæ, caſtaneæ, nuces, pinei, amygdalæ, legumina, fungi, oryza, caſeus antiquus, oſtrea, piſces grandiores & cetacei potiſſimùm ſaliti, oua indurata vel frixa, carnes ſuillæ, bubulæ, ceruinæ, leporinæ, aprinæ, anatinæ, & omnium auium paluſtrium; Aquæ potus, vina rubra, nigra, & craſſa, vel adhuc dulcia, ceruiſia, zythum cum reliquis, quæ ſolidum & fortem diætæ modum ingrediuntur.

Infirma autem ſeu leuia alimenta vocant Medici, his ex diametro oppoſita ὀλιγότροφα, parum ſcil. & promptè nutrientia, quæ minimo quidem negotio concoquuntur, ſed vel paucæ ſunt admodum nutritionis, vel ſubſtantiæ valde reſolubilis: In quorum numero ſunt tenuia, rara, & præhumida, qualia ſunt fructus præcoces & horarij delicatiore carne præditi, piſces minutuli fontium vel riuulorum, iuſcula, ptizana ſimplex, aqua ſaccharata, vel cum variis rebus decocta, iulepus Alexandrinus, mulſa, oxymel, hordei & piſorum vel cicerum tenuis cremor, ſuccus carnis contuſæ, expreſſæ, vel ſtillatitiæ, panatellæ, gelatinæ, vina limpidiora, alba vel ὀλιγόφορα cum ſimilibus,

Mediam denique alimentorum materiam vocant, quæ inter has ambigit nullâ intemperie donata & mediocres ſuccos ſuggerens (Aliquando conſeruans dicitur Galeno, quę vires in eodem ſtatu retinet, cuius notæ ſunt, Panis καθαρὸς Hippocr.

purus, bene ſubactus & fermentatus; carnes pullorum, iuniorum gallinarum, caponum, perdicum, columborum recenter natorum, turturum, turdorum, merularum, & reliquarum auium montanarum, Item vitulina, veruecina, hædina, illarúmque partes ἀκροθινιῶς, aliquantulùm aſſeruatę apud Hippocratem, vt teneriores euadant, piſces ſaxatiles & pelagij delicatiores, lac, oua ſorbilia, tosa hordei decocti, vel auenę ſubſtantia, ſuccus ex amygdalis, vel pineis nucleis expreſſus & colatus, vina generoſa, fructus boni ſucci, vt pyra, poma, cydonia & ſimilia ſaccharo potiſſimùm condita, quod vt mediæ huius naturæ particeps ſub his reponi debet, quemadmodum mel antiquis temporibus vſitatum.

In triplici igitur hac materiæ alimentariæ diſtinctione, prima quæ fortis dicitur, nullo modo ægris competere poteſt, ſed robuſtis tantùm naturis, atque etiam multùm ſe exercentibus: reliquis enim quamuis ſanis, nedum ægris, noxam inferre ſolet; Infirma autem & media ægris conueniunt, quas Hippocrates tripliciter adhuc diuiſit, vt poſteà dicemus, ratione formæ ſiue præparationis, in ea quæ tomeduntur, quæ ſorbentur, & quæ potantur.

Horum autem vſum in ægris metiri oportet, ſumptâ primùm indicatione à naturalibus viribus, non ſolùm præſentibus, quæ ex pulſu & aliis functionibus cognoſcuntur, ſed etiam futuris quæ ex tenuitate ſuccorum, raritate aut denſitate cutis, & ex facili aut difficili inediæ tolerantia colliguntur: nam diſſipabile corpus inediam non fert. Deinde à Coindicantibus & Contraindicantibus, vt morbi & cauſæ naturâ ſeu ſpecie, ſtatûs morboſi diſtantiâ, vt propinquitate, aëris & ſimilium conſtitutione Quæ ſunt ferè Hippocratis verba *lib. de vict. rat. in acutis*: Quibus enim v. g. temperamentum eſt exactius, vires ob prægreſſum fortè laborem, aut inediam infirmiores, cum triplicis ſubſtantiæ magna diſſipatione, quæ citò inſtaurari expoſcit, conſuetudo delicatè viuendi, ætas iam inclinans & infirma. Ab iis plúribus vel omnibus indicatur forma victûs liquida potiùs quàm ſolida, quandoquidem *aphor. 11. ſect. 2.* facilius eſt refici potu quàm cibis, vbi per potum ex interpretatione Galeni, liquida humidáque intellexit, tam ea quæ ſorberi, quàm quæ potari poſſunt: quod ipſemet Hippocrates eſt interpretatus *lib. de alim.* Quicunque, inquit, indigent citiſſimâ refectione, ijs liquidum alimentum ad recuperandas vires optimum: vbi adhuc celeriore opus eſt, odoratum. Democritus odore panis calentis animam retinuiſſe dicitur.

Quòd ſi morbus peracutus aut perperacutus vrgeat, cuius vigor imminet ſtatim primis diebus, tunc ex iſtâ coindicatione augetur neceſſitas alimenti liquidi & leuioris primùm indicati: vt ſcilicet natura hoc alimenti genere faciliùs refocillet ur, neque reuocetur ab inſtante pugna critica ad concoctionem ſolidiorum alimentorum. His ſi adiungatur aëris ambientis inclementia, feruorque ſuſtantiam ſpirituoſam & humoralem validè reſoluens, tunc multò magis vſurpanda eiuſmodi alimentorum forma: Contrà verò ſi temperamentum adſit ſuperiori contrarium, vires firmæ, conſuetudo quantumuis πολυσιτία comedendi, ætas conſtans, morbus longus vel ſaltem acutus extenſus, vel ex decidentia, aëris conſtitutio frigidior, quæ omnia intus cogat. Tunc diuerſâ ratione indicatur forma victûs non liquidi tantùm aut ſorbilis, ſed etiam ſolidi ex eis quæ comeduntur, dummodò ſint ἔυχυμα. His duobus velut extremis poſitis licebit in medijs conſtitutionibus, mediam etiam aut mixtam victus formam inſtituere, proüt indicationes ipſæ & coindicationes ſuadebunt, animaduerſis, ſi quæ ſint, contraindicationibus & correpugnantijs, quod ſemel dixiſſe ſufficiat.

Non ſatis eſt rectam inueniſſe victûs materiam & formam in ægris, niſi conueniens qualitas illis adiungatur: præclarè enim Hippocrates vult in cibo eſſe medicinam, & in Medicinâ cibum. His verbis denotans, ad ſimilia conſeruanda & curanda contraria, maximam qualitatum rationem in alimentis tanquam gratiſſimis remedijs eſſe habendam. Hinc Galenus tot hac de re libros ſcripſit: vt de alimentis boni & mali ſucci, de attenuante victûs ratione; de alimentorum facultatibus, & ſimiles. In quibus non tantùm primas qualitates rimatur, ſed ſecundas etiam ac tertias: Sapores, odores, & cætera huiuſmodi, quibus alimenta iſta, medicamentoſa, certis qualitatibus prædita morbis eorumque cauſis opponuntur. Neque tantùm qualitates natiuas ſpectat in illis, ſed eas etiam omnes quæcunque arte, coctione, mixtura, condimentis & ſimilibus addi ſolent.

Duplex igitur erit indicatio qualitatis victûs; altera quæ laborantis naturam tueatur & conſeruet; alia quæ aduerſus morbum pugnet, quas eleganter expreſſit Hippocrates

Hippocrates *aphor.* 16. *sect.* 1. Victus, inquit, humidus febricitantibus conuenit. Vbi ostendit quantum possit alimenti qualitas in expugnandis febribus, præcauendáque siccitate & hectica quæ illis succedere solet. Addit verò, præsertim pueris & ijs qui tali victu vti consueuerunt, vt ostenderet præcipuam qualitatis victûs indicationem esse naturam ingenitam seu consuetudine partam conseruare. Vbi igitur hæc omnia consentiunt, Natura ægri, vires, ætas, consuetudo, regio, anni tempus, cæli præsens status, causa morbifica,& morbus, facile est conuenientem qualitatem describere ex fontibus alimentorum solerti Medico cognitis, depromendam. Vbi verò inuicem dissentiunt, non paruam inuehere solent Medico sollicitudinem, cui potissimùm adhærere debeat. Certum est tamen in vsu alimentorum, præcipuam esse indicationem à naturalibus; Vnde illud Hippocratis *aphor.* 38. *sect.* 2. Paulò deterior potus & cibus, (ratione scil. causæ & morbi;) sed suauior & naturæ nostræ gratior iis qui meliores sunt sed insuauiores, magis expetendus. Sic nos calida, odorata, aromatica, vt vinum, ambarum, Confectionem Alkermes, pulueres cordiales, ius carnium, stillatitia,& similia, in calidissimis affectibus,febre continua, pleuritide, phrenitide, cæterisque, vbi vires labascere incipiunt, audacter & summa vtilitate exhibemus.

Ita tamen aptanda est victûs qualitas viribus temperamentóque natiuo conseruando, vt morbus eiúsque causa, quæ vrgentioris sæpe rationem obtinent, non negligantur. Vnde ferociente calidâ intemperie refrigerantia alimenta præscribimus, ipsámque ψυχροσιτίαν antiquis tantopere celebratam; Marcore consumptis, hecticis, & phthisicis, lac velut præsentissimum subsidium diæteticum exhibetur. Humorum crassitiei incidentia alimenta, lentori detergentia, tenuitati incrassantia obstructionibus aperientia, fluxioni adstringentia,& sic de reliquis opponuntur. In quibus non solùm contrarias qualitates contrariis humorum naturis opponimus,sed etiam ea prohibemus quæ materiâ suâ ob certam cum illis analogiam, peccantem humorem fouere & procreare possunt: Inde melancholicis alimentis,biliosis,pituitosis, illis qui eiusmodi cacochymia laborant,interdicimus: tam ratione totius corporis, quàm partis alicuius insigniter affectæ, potissimùm hepatis, ventriculi, lienis, & aliarum nutritioni dicatarum.

Vbi verò morbi compositi, complicati, aut connexi fuerint, tunc maior difficultas instituendi victûs: habenda tamen vrgentioris ratio, altero non neglecto. Si quis enim v. g. febre hecticâ cum pulmonis vlcere infestetur: febri quidem esculenta poculentáque frigida & humida, vlceri verò pulmonis detergentia & exsiccantia conueniunt: In hac indicationum luctâ & antithesi quid præstandum? Si febris,inquam,magnitudine suâ aliquid sinistri minetur,huic statim occurremus, deinde vlceri pulmonis, nempe frigidam humidámque victus rationem febri conuenientem: abstergentem verò & agglutinantem pulmoni exulcerato peculiariter decernemus, quæ vel simul permiscebuntur, aut variis horis vel diebus separatim exhibebuntur. Neque tantùm hoc in compositis morbis est aduertendum, sed etiam in quocunque affectu simplici, cuius causæ & primordia possunt esse varia: Veluti in febre quartanâ, quæ dum contrahitur ab humore melancholico naturali frigido & sicco, alium expoſcit victum, quàm illa, quæ à bilis vel sanguinis vstione producitur, Vel in quo causa morbo contraria existit, vt in quotidianâ febre, vel causo à pituita genito. Ex his igitur omnibus conueniens alimentorum qualitas in ægris inuenienda.

Post substantiam & qualitatem victûs, potissima versatur difficultas circa alimentorum quantitatem, sub quâ etiam Occasionem complectemur, quia quantitas victûs in morbis, pro variis eorum temporibus mutanda.

In quantitate igitur alimentorum præscribendâ, eleganter dictum est illud à Galeno, *Comment.* 1. *in libr. de Vict. in acut.* Vnus cibandi ægros scopus est, virtutis ipsius custodia: Si igitur morbosam affectionem nullo modo offenderet alimonia, nos soli virtuti attendentes, ægros vt sanos aleremus. Sed quoniam noxam id sæpiùs affert, ob id morbosam dispositionem, non tanquam cibi indicatricem, sed tanquam prohibitricem contemplamur. Vbi ergo non prohibuerit facultas; præceperítque, tunc nutrimus, nisi obsit ea quæ à morbo petitur cognitio. Ex quibus Galeni verbis innotescit, Indicationes quantitatis & occasionis victus ægrorum primò & per se à rebus sumi naturalibus, vt viribus, temperamento, ætate, consuetudine, & similibus. Coindicationes verò à rebus præter naturam,Morbo,Causa,& Symptomatis, eorum specie, magnitudine, celeritate vel tarditate, quatuor

vniuersali

vniuerſalibus temporibus, & particularibus quibûſuis aeceſſionibus vel remiſſionibus. Hippocrates qui in cibatione ægrorum medium inter antiquos tenuit, vt probat Galenus *Comment. 1 in lib. 1 de Vict. in acut.* Ratione habita tum quantitatis tum ſubſtantiæ victûs ægrorum, in quatuor illum partitus eſt differentias, Plenum ſcil. Medium, Tenuem & Tenuiſſimum.

Plenus quidem ægrorum victus, vt dicebamus, ex alimentis conſtans euchymis, qualitate fortaſſis morbo aut eius cauſæ contrariis, nullam formam reſpuit ſolidorum, ſorbilium, & potabilium, ſed iis omnibus vtitur ad moderatam ſatietatem, & iuxta conſuetam viuendi normam. Mediocris verò ab hoc detrahit in quantitate, minúſque ſolidis alimentis vtitur. Tenuis autem victus liquida tantùm admittit, ſorbilia, & potabilia, eorúmque quantitatem mediocri minorem. Tenuiſſimus denique ſolo potu, vt mulsâ, oxymelite, ptizanâ, aquâ ſaccharatâ, vel iulepo eſt contentus, ad omnimodam propemodum inediam accedens. Inter varias igitur iſtas diætæ rationes, primùm ductis indicationibus à rebus ſecundùm naturam, certum eſt, Vires robuſtas, vt quæ coquendo alimento idoneæ ſunt, iuſtam & plenam viuendi rationem ſuadere, ſi ſimpliciter ſpectentur: Imbecillas verò non poſſe ferre copioſum cibum neque ſolidum, ſed liquidiorum ſubſtantiam expoſcere frequenter repetitorum, potiùs quàm confertim ingeſtorum, ne naturæ negotium faceſſant: Sin verò Res præter naturam victûs plenitudinem impediant & diſſuadeant, tunc certum eſt Vires robuſtas, vtpote quæ ex triplicis ſubſtantiæ noſtræ copiâ componuntur, facilè ferre poſſe non ſolùm tenuiſſimum victum, ſed etiam omnimodam inediam: Imbecillas verò non poſſe, & quamuis renuente morbo, alimentis liquidis, multos ſpiritûs humoréſque laudabiles generantibus & roborantibus eſſe inſtaurandas, qualia à nobis priùs fuerunt commemorata.

Temperamentorum verò ea quæ ſanguinea ſunt, vel bilioſa, ſicca, gracilia, & habitûs rarioris, difficillimè ferunt inediam, & quia citiſſimè eorum ſubſtantia diſſipatur, & quia magis ieiunio incandeſcunt: Contrà verò melancholica & pituitoſa, humida, obeſa, cute denſa adſtrictáque, parùm reſolubilia, fame etiam indigent, vt eſt *aphor.* 59. *ſect.* 7. De ætatibus illud eſt pronunciatum *aphor.* 13. *ſect.* 1. ὡμογέροντες. Senes facillimè ieiunium ferre, niſi ſint omnino decrepiti, poſteà qui conſtantem ætatem degunt, nullatenus adoleſcentes, omnium minimè puerulos, præſertim qui inter illos ſunt alacriores, προθυμοτέροι. Quod ad Conſuetudinem attinet, quantum ſit illi tribuendum in victus ratione, conſtat tum *ex aphor.* 17. *ſect.* 1. tum ex quotidianâ ægrorum noſtrorum experientiâ, quibus ob largiorem comedendi his temporibus conſuetudinem, tantùm abeſt vt tenuem præſcribere victum audeamus, quin importunâ muliercularum querelâ, plenum illis concedere ſæpiùs etiam in acutis cogamur. Denique quod ad aëris conſtitutionem attinet, illa etiam in ſuadendo alimenti vſu multùm poteſt *vt eſt aphor.* 15. *ſect.* 1. & 18. Cibos æſtate & autumno difficillimè ferunt, hyeme facillimè, poſteà vere. Ex quibus omnibus licet primariam victus quantitatem inſtituere.

At verò ex rebus præter naturam contingit magna varietas in cibandis ægris: Hæ enim ratione ſui cibos minimè ſuadere videntur: quoniam vt docet Hippocrates, Corpora impura quò plus nutries, eò magis lædes, & *aphor.* 67. *ſect.* 7. Cibus febricitanti labor. Dum enim adeſt noxium quid & moleſtum, tunc natura omni conatu caloris, humorum, ſpirituumque copiâ, ad id conuertitur expugnandum; quæ frequenti aut copioſâ alimentorum exhibitione non eſt à ſuo inſtituto importunè reuocanda: ſed tantum offerendum quantum ſufficit ad ſuſtentandas vires non obruendas. Vnde Hippocrates *aphor.* 7. *ſect.* 1. Victus pro morbi grauitate & leuitate plenior aut tenuior inſtituendus. *Et* 4. *ſect.* 1. In diuturnis morbis plenum aut ſaltem mediocrem vult eſſe victum, in acutis tenuem & tenuiſſimum. Oportet enim, *addit ille*, 9. *ſect.* 1. Conijcere, num æger poſſit cum victu quem præſcribis, ad ſtatum vſque perdurare, & numquid ille priùs deficiat, nec cum illo victu durare queat, aut morbus anteà deficiat & remittatur. Quibus itaque 1. *aphor.* 9. ſtatim vigo futurus eſt hos ſtatim tenuiter cibare oportet: Quibus autem poſteà futurus eſt, ijs & in ipſo vigore & paulò antè ſubtrahendum eſt: Priore verò tempore cibandum pleniùs, vt æger viribus integris eò vſque peruenire poſſit.

Ecce quomodo Hippocrates ex conſideratione celeritatis aut tarditatis morbi, pleniorem morbis longis victum, tenuiorem acutis præſcribit: Ratione verò quatuor vniuerſalium temporum, victum auget minuítque *in προγνωσικῷ*, inquit Galenus,

Galenus, ſenſim & paulatim. Namquia ſani pleno vtuntur victu, vbi primùm laborare incipiunt, non ſtatim illis omnimodam & triduanam inediam præſcribit, vt diatritarij illi olim, ſed in principio paulò pleniùs nutrit, in augmento minuit habita ratione longitudinis aut propinquitatis ſtatus, in quo propoſitum habet tenuiſſimè nutrire, tum quia eo tempore Natura criticæ vacuationi intenta, poſt factam coctionem non eſt obruenda cibis: tum etiam quia violentiſſimis ſymptomatis perturbata, non poteſt tunc incumbere copioſorum alimentorum coctioni: ſatis eſt igitur vt perdurare poſſit. Factâ demum criſi perfectâ vel imperfectâ, & ſuccedente declinatione, tunc etiam paulatim augendus erit cibus, & æger ſorbilibus aliiſque idoneis alimentis reficiendus, donec ad integram peruenerit *ἀπυρεξίαν*, & tunc ad conſuetam alimoniam reuocandus.

Atque hic eſt modus cibandi ægros Hippocraticus, ratione temporum vniuerſalium in acutis: Ratione verò particularium, id eſt, acceſſionis ſiue exacerbationis, aut paroxyſmi, remiſſionis ſiue intermiſſionis, deprehendit & conſtituit horam exhibendi alimenti. (Acceſſiones ſubintrantes magnum hîc faceſſunt negotium.)

Vt enim ſcias *per aphor.* 17. *ſect.* 1. Quibus ſemel aut bis, quibus plura aut pauciora, vel particulatim offerenda ſint, animaduertere oportet particularia hæc morborum tempora. *Aphoriſmo enim* 11. *&* 19. *ſect.* 1. In acceſſionibus & exacerbationibus cibos exhibere nocet. *& lib. de Humor.* Quicumque per circuitûs vel paroxyſmos affligunt morbi, in illis à cibo abſtinere oportet. Quod clariùs expreſſit *lib. de Vict in acut.* *οὐχ ὅταν οἱ πόδες ψυχροὶ ἴωσιν, ἀλλ' ὅταν ἡ θερμὴ καταβῇ εἰς τοὺς πόδας.* *non cum pedes frigidi ſunt, eſt cibandum; ſed cum caliditas iam innaſit pedes & exteriora.* Et in ſummâ, inquit, intenſione nunquam exhibendus cibus, ſed remiſſio eligenda. Imò etiam inſtante paroxyſmo, ventriculus cibo vacuus eſſe debet. Concludamus igitur ex his Quantitatem ciborum in ægris eſſe debere pro modo virium & naturæ particularis, vt ſcil. tantum vnâ vice exhibeatur, quantum & facilè confici poſſit à calore natiuo, & virtuti tuendæ ſufficiat. Quod ſi vnâ aut duabus in die vicibus præſtare non poſſis, partitis id potiùs iteratiſque cibationibus fiat, pro naturâ ægri & conſuetudine, pluribus vel paucioribus. Quantitas autem minor ſit in acutis quàm in longis morbis; in ſtatu, quàm in alijs temporibus, tuncque offeratur cibus, quandò potiſſimùm eſt intermiſſio febris vel remiſſio in continuis, aut ſaltem ſub ipſam declinationem paroxyſmi. Atque hæc ſunt ex meris Hippocraticis fontibus hauſta & vtiliter tradita, libro potiſſimùm quem inſcripſit *de victus ratione in acutis.*

Dubia de Victu ægrorum.

QVia tamen grauiſſima adhuc dubia in præcedentem doctrinam adduci ſolent, ad elucidationem illius conferentia: Ideò paucis agendum de illis, antequàm huic capiti finem imponamus. Quanta enim in victus ratione præſcribenda, propter varias ægrorum naturas cura ſit adhibenda, quantumque illi ſit incumbendum, luculenter docuit Galenus ſub finem *comment.* 1. *de vict. in acut.* Primò itaque dubitatur, Meliúſne ſit in victu ægrorum acutis morbis laborantium vergere verſûs paulò pleniorem vel tenuiorem. Secundò, An ſemper parciùs ſit nutriendum in ſtatu ſeu vigore morbi, quàm in principio. Denique An in intermittentibus qui per paroxyſmos repetunt, nunquam ſit exhibendus cibus incipiente vel vigente acceſſione, ſed ſemper declinatio ſit expectanda. Quod ad primum attinet, ortum videtur ex contrarijs Hippocratis authoritatibus, qui *lib. aphor. ſæpe citato* expreſſis verbis docet. Tenuem victum & exquiſitum, periculoſum eſſe, & in eo magis delinquere ægrotantes, quàm in paulò pleniore pronunciauit, *aphor.* 5. *ſect.* 1. Quandoquidem tenuior iuſto victus reſolutionem facit virium in propriâ ſuâ ſubſtantiâ: plenior autem tantùm prorogat morbum, & aggrauat, non diſſipat vires; Hinc idem Hippocrates 2 *Epidem.* Herodicum ridet, ægros fame enecantem, Galenus diatritarios explodit. Vtque illud experientiâ confirmetur, nunquam grauidas tenui ſed pleno victu nutrimus, nec febre peſtilenti aut ſyncopali correptos. *At lib.* 2. *de rat. vict. in ac.* Hippocrates contrarium voluiſſe videtur, ex ipſius Galeni interpretatione in exhibendo ſcil. cibo potiùs procedendum eſſe ad id quod minus, quàm ad id quod magis.

In componendis igitur contrarijs iſtis locis & rationibus ſciendum eſt, vt

priùs dicebamus, aliud esse in victu ægrorum instituendo, virium custodiam respicere, aliud verò morbi ipsius & causarum sublationem; Nam vires si firmæ sint, reliquáque naturalia coquendis cibis idonea; ratione sui victum cúmque pleniorem suadere videntur: Morbus contrà & reliqua præter naturam, non solùm tenuem victum, sed tenuissimum, & quandoque omnimodam exposcunt inediam, vt calor natiuus totus humorum expulsioni incumbat.

Respectu itaque virium bene dixit Hippocrates *in aphorismis*, faciliùs delinqui in tenui victu, quàm in pleniore, & bene ridet Herodicum, inediâ vires ægrorum absorbentem; Et grauidas laborantes, aliósque pestilenti febre aut syncopali correptos pleno victu nutrimus, habitâ semper ratione conseruationis, & virium quæ primarium locum obtinent. At verò morbi respectu, maius est periculum in pleno victu quàm in tenui, quod secunda innuebat authoritas. Nam quod minus est facilè emendatur, si collabantur vires, additione cibi conuenientis. Quod verò magis est in cibo, incrementum adfert morbo, naturámque ab instituta coctione vel expulsione reuocat; nec ita facilè tollitur purgatione in acutis. Vnde grauidis morbo acuto correptis, tantum imminet periculum, quia dum pleno cogimur vti victu, causam morbi morbúmque augemus, & naturam impedimus, ne vtrumque alacriter expugnare valeat. Ex his igitur inuicem comparatis, viribus scil. & Morbo, oportet quantitatem victûs eligere, quæ & illis sustentandis par sit, & morbi curationem non impediat. Quòd si in aliquo peccandum sit, præferenda erit indicatio, quæ à uirium conseruatione desumitur.

Quod ad secundum attinet dubium: Quamuis priùs dixerimus cum Hippocrate, paulò pleniore victu vtendum esse in principio & augmento, & ita temperato; vt æger quando ad vigorem peruenerit, tenuissimo vti possit, non collabentibus viribus. Et illud verissimum sit si regulam diætandi vniuersalem spectes: Recipit tamen non paucas exceptiones, neque inutiles. Nam si vires v. g. statim in principio sint valde infirmæ, non videntur pleniorem victum ex solidis scil. admittere posse: Si magna tunc temporis pituitæ & aliorum crudorum succorum aut excrementorũ saburra, vt in gulosis & cæteris hominibus stabuletur; parcendũ tunc copioso victui, & tenui potiùs atque attenuante vtendum. Si morbus etiam sit incognitus, in principio minuit diætam, aut potiùs inediam præcipit Auicennas, quò morbi motus & colluctatio cum naturâ faciliùs innotescat. (Hoc expressit Celsus *lib. 2. cap. 26.* Initia morborum famem & sitim desiderant.) Denique in pleuritide reliquísque inflammationibus à fluxu sanguinis fientibus, imperamus tenuissimum in principio victum, vt sic partes proprio genio & alimoniâ defraudatæ, sanguinem sibi vicinum retineant, & fluxionem à parte morbosâ auertant, ex *Hippocr. 1. acut. 25.* Circa statum verò morborum istorum copiosiùs alimus, tum quòd fluxionis eo tempore nullus metus, tum quia apparente tunc sputo, eget natura viribus ad ἀναπάρ(ιν, & puris per sputa excretionem perficiendam: Alimentis verò minùs grauantur ægri isti in statu, quia in thorace subsistens morbus, naturales ventriculi hepatísque functiones minùs impedire potest. His absentibus conditionibus, & ratione concoctionis expulsionísque humorum morbificorum, quæ in statu perficiuntur, certum est in statu respectu aliorum temporum, tenuissimo victu vtendum esse.

De tertio autem dubio hoc tantùm dicemus; Incipientibus & vigentibus paroxysmis, ratione motûs & conatûs naturæ, nunquam esse alendum, quia sic auertitur, & ciborum coctione retardatur: At verò ratione aliquando virium prostratarum, ratione temperamenti & habitûs sicci, ac valde resolubilis: ratione humorum malignorum & infestorum cordi aut ventriculo, cuius orificium in plurimis infirmissimum & acerrimi est sensus: sæpe cogi Medicum exemplo ipsius Galeni, vini vel aquæ potu, aut etiam aliquando iusculo vel alio sorbili cibo, ægri labantes vires reparare, vel imminentem hecticam consumptionémque corporis, exhibitis eiusmodi alimentis sub principium aut vigorem accessionis præcauere, quanquam regulari & methodicâ curandi lege illud sit prohibitum. Atque hæc de primâ operis nostri parte sufficiant, quâ generalem Indicationum doctrinam breuiter complexi sumus.

PARS

Digitized by Google

SECVNDA PARS.

De Indicationibus Curatiuis in Specie.

CAPVT I.

De Indicationibus Curatiuis in Morbo Similari seu Intemperie.

GENERALI cuiuſuis rei cognitione ad ſpecificam deſcendendum eſſe, ab hac ad infimam docet Analytica methodus, quam nos in therapeuticarum indicationum explicatione conſectamur. Cùm igitur priore operis noſtri parte, vniuerſalem illarum doctrinam ſimus abundè perſecuti, reliquum eſt vt nunc particularem cuiuſque ſpeciei morbificæ Indicationum rationem inueniamus. Quâ cognitâ facile erit ad infimam quamque & indiuiduam peruenire. Si vnica eſſet omnium morborum ſpecies, inquit Hippocrates *lib. 2. de nat. hum.* vnica etiam eſſet curandi omnium morborum ratio, ex eiſdem indicationibus petita: ὅτι δὲ πολλὰι μὲν ἰδέαι τῶν νοσημάτων, πολλὴ καὶ ἡ ἴησις αὐτέων ἐστί. Vt verò plures eorum ſpecies, ita varia curandi ratio. Porrò ex Pathologiâ conſtat, tria eſſe prima morborum genera, ſimilarium, organicorum, & communium, quorum variæ ſunt ſubiectæ ſpecies, & multiplices cauſæ: totidem igitur erunt huius noſtræ tractationis 2. capita, quorum primum inquiret Indicationes in morbo ſimilari ſeu intemperie cognitu neceſſarias. Secundum indicationes morbi organici. Tertium verò indicationes morbi communis ſiue ſolutionis continui.

Intemperies igitur ſiue ſimilaris morbus, vt ab eo exordiamur, cùm nihil ſit aliud, quàm diſpoſitio præter naturam actiones ſimplicium partium primò & per ſe lædens, quæ conuenienti primarum qualitatum mixtione & temperamento perficiuntur: Quot eſſe poterunt ab hac qualitatum ἀνωμαλία exceſſus, tot etiam erunt ſimilaris morbi differentiæ ſiue ſpecies, octo nimirum; Quatuor ſimplices, ex vnius qualitatis exuperantiâ Caloris, frigoris, humiditatis & ſiccitatis: Quatuor compoſiti ex combinatione poſſibili duarum qualitatum excedentium, caloris cum humiditate, caloris cum ſiccitate, frigoris cum humiditate, frigoris cum ſiccitate. Rurſus hæ omnes intemperies, vel ſunt in toto corpore, vel in vnâ tantùm parte aut pluribus, idque æqualiter aut inæqualiter: vel ſunt fientes à cauſa ſua externa, aut interna generante, augente, vel conſeruante adhuc pendentes: aut factæ, id eſt, ἑστῶσαι & ſtabilitatem eam conſecutæ, vt ſine cauſæ ſuæ præſentiâ deinceps ſubſiſtere poſſint, hecticas ſeu permanentes vocant Medici. Denique coniunctæ ſunt humoris alicuius vitio, vel ſine humoris concurſu ſubſiſtunt, Materiales & Immateriales dictæ.

Quæ cùm ſint ſpecies & differentiæ morborum ſimilarium præcipuæ à Galeno aſſignatæ, & ex cognitione pathologicâ reperendæ, videndum quid iſta ad θεράπευσιν methodicam, inuentionémque indicationum in eiuſmodi morbis conferre poſſint. Primò cùm res ſint præter naturam actionibus corporis infeſtæ, ſui ſublationem generaliter ſuadent, idque per contrarium appropriatum, ſeu proportionatum, vt vocant, ſiue formâ & denominatione, ſeu effectu tale exiſtat. Illius igitur qualitas ex contraria exceſſui qualitate petetur, frigidáque calido, humida ſicco, & ſic de reliquis opponetur. Quantitas gradûs & molis, æſtimabitur ex intenſione & extenſione affectûs: Quò enim intemperies pluribus ſuperabit numeris membri affecti natiuam temperiem, vel plures occupabit illius partes, eò etiam auctiori vel remiſſiori gradu, maiore aut minore remedij copiâ expugnabitur. Idque vnâ vel pluribus vicibus, hac vel illâ formâ, certo ordine, loco, & tempore,

proüt ex Indicationibus & Coindicationibus vniuerſalibus erit repetendum.

Verùm cùm legitima curandi methodus & potiſſima indicatio à cauſa petatur, vt nos docuimus, vult Galenus vt in curatione intemperiei rationem habeamus potiſſimùm fientis & factæ : (futura enim cùm nondum ſit actu, ad προφύλαξιν potiùs quàm θεράπειαν pertinet) factámque & ſine cauſa ſubſiſtentem ſolis alterantibus, quæ diſpoſitionem ipſam reſpiciant, oppugnemus : fientem verò & à cauſa pendentem ita profligemus, vt vnamquamque priùs quæ efficit cauſam reſcindamus ; deinde ad eam quæ ab eádem cauſa facta eſt, ægritudinem, ſi adhuc ſubſiſtat, accedamus. Præterea cùm hæ cauſæ vel internæ ſint vel externæ : Externæ quidem aut neceſſariæ,aut non neceſſariæ : Non neceſſariarum rationem habere ars non poteſt, niſi quatenus ex euentu factæ iam ſunt neceſſariæ, vt quando inflictum eſt vulnus telo, glande, & ſimilibus, ſiquid horum intra partem manſerit, ſui remotionem per conuenientia organa ſuadet. Neceſſariarum verò quæ ſex rebus non naturalibus dictis continentur, rationem habere poteſt, tum quia procatarcticæ illæ cauſæ ad interioris cognitionem faciunt, quòd ſint neutræ & adiaphoræ, ſalubres & ſanitatis conſeruatrices bene vtenti : Inſalubres & morbi effectiuæ, malè vtenti. Illarum enim vſum tollendo aut immutando efficiet, vt quod morbum modò intulerat, nunc eiuſdem iuuet expugnationem. Vbi enim aëris, alimentorum, ſomni vigiliæ, exercitationum, excretorum retentorum, animíque pathematum vitio, aliqua intemperies inflicta fuerit corpori : contrariâ earundem conſtitutione efficiet, vt introductus ab eiſdem exceſſus corrigatur.

Habitâ ſic exterioris ſeu procatarcticæ cauſæ ratione, ad interiorem velut præcipuum rei iſtius cardinem erit accedendum : quæ vel eſt incorporea & qualitatiua tantùm, vt loquuntur : Vel corporea & materialis in humore, vapore, aut ſpiritu interno poſita. Rurſum ſi corporea ſit & materialis, vel ſtat ſub naturâ cauſarum antecedentium & mediatarum, vel eſt propinqua & continens effectûs cauſa, quam congeſtio & ξυναθροισμὸς partis proprius coaceruauit, aut ῥευματισμὸς, fluxio alienæ materiæ in partem inuexit. Denique cauſa illa materialis, aut ſolâ ſuâ mole, pondere, & quantitate noxia eſt, quod plethoram ad vaſa & ad vires appellant, vel etiam cum quantitate vitioſa coniuncta eſt, quæ immoderantiam ſuâ cacochymiâ infert.

Ecce quomodo ex horum omnium cognitione,Indicationes curatorias ad Intemperierum θεράπειαν neceſſarias èliciemus. Primò enim dictum eſt, quid circa externas cauſas ſit præſtandum : Circa internas verò, ſiquidem immateriales ſint, patet eiſdem tolli remedijs, quibus ipſæ intemperies, nempe alterantibus proprijs. Si verò materiales in humore, vapore, aut ſpiritu poſitæ, quia motu, quantitate, & qualitate peccare poſſunt : Ideò præpoſtero motui alter eſt opponendus, qui in aduerſum trahat, aut ad propinqua deriuet ruentem materiam : Quantitati verò ſeu repletioni inanitio, vacuatióque conueniens debetur ; vt qualitati vitioſæ contraria alteratio. Quicunque igitur rectas vacuationis, reuulſionis, & deriuationis leges, alterandíque rationem tenuerit ; is omnes Intemperierum curandarum indicationes neceſſarias & ſcopos aſſequetur ex Galeni ſententiâ *hoc noſtro libro*, quæ ideó à nobis ſunt paucis explicanda.

Neque nos moueat quorundam opinio, qui præter intemperies à Galeno aſſignatas, noua morborum genera in ſimilaribus partibus commenti ſunt, materiæ ſcil. & Formæ : Siue enim admittendi ſint eiuſmodi morbi, ſiue non ſint, vt in pathologiâ probauimus : nihil methodum hanc noſtram augere vel immutare poſſunt. Etenim exceſſus ſecundarum qualitatum, quos illi materiæ aſcribunt, non alijs curantur remedijs, quàm alterantibus & vacuantibus : Molle enim præter naturam, aut durum ; laxum aut adſtrictum ; tenue aut craſſum ; rarum aut denſum : cùm ex humorum in nobis vacuitate aut repletione, variáque primarum qualitatum conſtitutione pendeant, quid aliud quàm prædicta remediorum genera indicare poterunt ? Eodem modo affectus qui ſequuntur occultam magis & cæcam temperamenti corruptionem, quos illi formæ tribuunt : Vel nullas præbent curatorias indicationes, quæ ex rei omnino abditæ, vt illi volunt, notitiâ proficiſcantur, ſed ſolâ experientiâ, aut analogiſmo curantur : Vel potiùs cùm ſint juncti magnis intemperiebus, iiſque materialibus, tum vacuationem tum alterationem conuenientem indicabunt : Manifeſtam quidem intemperiem apertis qualitatum viribus : Occultam verò & deleteriam, alexiterijs expugnando, communibus ; ſi adhuc res ſit noua : Vel proprijs, vbi primùm reperta fuerint

Nos

Nos igitur ad rem ipſam aggrediamur, primóque de vacuantibus generatim agamus, 2. de reuulſione, deriuatione, & particulari vacuatione 3. de alteratione; quæ ſub ſe complectetur corporis humorúmque purgandorum præparationem, concoctionem, & corroborationem. Quæ omnia non ſolùm nobis ſunt futura vſui in morbis ſimilaribus, ſed etiam in quibuſuis, quos humorum excedens qualitas, aut quantitas, vitioſáque fluxio aut congeſtio pepererint, vt obſtructionibus præter naturam, vlceribus, & ſimilibus, de quibus ſuo loco acturi ſumus.

CAPVT II.

De Vacuatione in genere, & Vacuantibus.

IS legitimam cuiuſque morbi curationem inſtituet, qui accuratam cauſarum in quibuſque notitiam habuerit, vtpote ex quâ indicationis præcipua vis eſt repetenda. Hæ vero in morbis ſimilaribus cum materia iunctis, ad duas potiſſimùm reducuntur, plethoram ſcil. & cacochymiam: Illam quidem ad vaſa & ad vires dicunt, quando ſcil. abſque vllo ſenſibili qualitatis vitio, tanta exuperat laudabilis ſucci copia, vt vaſorum maxima diſtentio metum ruptionis inferat, vt in habitu Athletico; vel ſaltem ea copia redundat, quam natura víſque corporis ampliùs ſine noxa ferre non poſſit. Hanc verò nempe cacochymiam, duplicem etiam faciunt, vnam quidem quam in vnius vel plurium vitioſorum humorum exceſſu conſtituunt: Aliam verò quam cacochymiam plethoricam appellant, quaſi mixtum ex vtraque exuperantia qualitatis & quantitatis vitium. Rurſum plethora maximè in venoſo arterioſóque genere ſubſiſtit, niſi aliquando in partem aliquam irrumpens, tumorem præter naturam & particularem plethoram producat: Quemadmodum cacochymia plethorica vniuerſum corpus inuadere ſolet. Aliàs verò ſimplex cacochymia, modò in prima corporis regione ſtabulatur, quam ventriculo, liene, pancreate, meſenterio, cauis hepatis, inteſtinis, totáque vena porta circumſcribunt: Modò ſecundam occupat, quæ gibba hepatis, totam venam cauam, partéſque inter alas & inguina ſitas complectitur. Aliquando in tertia potiſſimùm reſidet, quæ caput, extremitates, muſculorum genus, totámque cutim & habitum exteriorem reſpicit. Hippocrates aliquando totum corpus in duas tantùm partitur regiones, Superiorem ſcil. & inferiorem: Vnde illi bilioſus, τὰ ἄνω, pituitoſus τὰ κάτω dicitur, & ſimiliter, quibus hic vel ille humor ſurſum aut deorſum magis repit.

Vbiuis autem ſubſiſtant plethora & cacochymia, velut cauſæ morbificæ ſui ſublationem ſuadent, ídque per oppoſita, effectu ſcil. talia, quia non dantur quæ denominatione eis ſint contraria; materiam enim morbificam educendo contrariam illis diſpoſitionem introducent. Aptanda ergo cuiuis propria vacuantia, quæ velut genus generi ſint oppoſita. Vt igitur duæ ſunt primæ potiſſimæque humoralium morborum cauſæ internæ, plethora & cacochymia: Sic etiam duo illis opponuntur vacuantium remediorum genera, phlebotomia ſcil & purgatio: Ideò magna & præcipua remedia Medicis dicta, quod duabus his magnis præcipuiſque vſitatiſſimorum morborum cauſſis aduerſentur. Phlebotomia vaſorum repletionem exhauriendo, Purgatio vitioſos è corpore ſuccos educendo. Phlebotomiæ autem vices aliquando explere poſſunt Arteriotomia, ſcarificationes, cucurbitæ, hirudines, menſium in mulierculis, aut hæmorrhoidum internarum externarúmque prouocatio: Quamuis enim venoſi generis repletionem ſtatim & plena manu non exhauriant, poſſunt tamen conſecutione quadam & vacui fuga, humorem ab illis partibus transferre & ſenſim vacuare, vt omnibus patet.

Purgatio etiam non ſolùm varias vitioſorum humorum ſpecies reſpicit, vnde cathartica ὑδραγωγὰ, φλεγμαγωγὰ, μελαναγωγὰ, & χολαγωγὰ dicuntur, ſed etiam hanc vel illam corporis regionem. Nam vt purgantium alia vomitoria, alia verò deiectoria dicuntur, proüt ſupernam magis vel infernam cient vacuationem: Sic pro ratione & vi operandi, in benigna, mediocria, & violenta ſecernuntur, quorum prima ſaburram inferioris ventris, Eccoprotica dicta primáſque tantùm fæces expurgare valent. Secunda illuuiem ſecundæ regionis allicere in aluum & vacuare

possunt. Vltima verò potentissima scil. pharmaca omnem cacochymiam è distantissimis quibusque partibus euocare & excludere valent. Cathartícis verò quæ per os assumuntur, subsidiariam adferunt operam glandes, clysteres varij, mollientes, tergentes, & trahentes. Illáque medicamenta ἐπόμφαλα dicta, quæ ex cucumeris asinini succo cum melle aut similibus confecta, & vmbilico admota, puerorum aliorúmque cætera remedia recusantium, aluos sollicitare & expurgare possunt.

Vtque hęc omnia purgantia vacuationem faciunt per os aut per anum, regias scil. & communes corporis nostri vias: Sic etiam alia sunt quæ reliquas corporis partes per proprios ductus expurgant. Diuretica enim vrinam, hæmorrhoidas, aut menses prouocantia, secundam commodissimè vacuant; tertiam verò sudorificæ potiones, laconica, stuphæ, balnea, frictiones, & cætera huiusmodi, quæ per insensilem transpirationem, aut sudoris prouocationem, humores resoluere solent. Si autem humor aliquis cuti externóque habitui nimiùm adhæresçat, cucurbitulis, scarificatu, admotis hirudinibus, dropacibus, phœnigmis, vesicatoriis, causticis, setonibus, & fontanellis erit extirpandus. Quòd si pars ipsa affecta proprios habeat meatûs illi etiam erunt sollicitandi ad particularem vacuationem, vt in capitis affectibus errhina & apophlegmatismos siue masticatoria vsurpamus. In pulmonum & thoracis morbis, bechica, seu sputum prouocantia, & sic de reliquis.

Ecce genera omnium vacuantium expurgantiúmque plethoram & cacochymiam, vniuersalem & particularem: Quibus verò, qualibus, quantis, quâ formâ, quo tempore, loco, ordine, & aliis circunstantiis id perfici debeat, non est propositum nunc persequi, tum ne in immensum crescat hoc Indicationum opus, tum quòd phlebotomiæ, purgationis, cucurbitularum, & similium leges indicationésque particulares non solùm ab Hippocrate & Galeno sunt accuratè traditæ, sed etiam à recentioribus multis vt Fernelio auctæ & illustratæ, ex quibus illas repetere licebit: Et nos iam ex parte illorum doctrinam absoluimus in formulis remediorum externorum internorúmque. Quare ad reliqua tractationis nostræ capita accedamus.

CAPVT III.

De Reuulsione, Deriuatione, & particulari vacuatione.

HAc omnia quæ simpliciter vacuare diximus, ad Reuulsionem, Deriuationem, & particularem vacuationem faciunt, sed in modo differunt: Vt enim Vacuatio generaliter sumpta, quantitatem humoris in toto peccantis potissimùm respicit, Sic istæ Motum & quietem humoris præter naturam, qui vel adhuc fluit in aliquam partem reuulsione & deriuatione compescendus; Vel iam fluxit & parti impactus est, aut per συναθροισμὸν ibidem congestus, Vacuatione particulari per ipsam scil. partem educendus. Porrò non solùm fluxiones quæ in certam aliquam partem, vt hepar, pulmones, vesicam, &c. feruntur, & intra corpus remanent, reuulsione deriuationéque indigent, sed etiam illæ quæ extra corpus feruntur, si præter naturæ modum & syptomaticè fiant: fluentem enim nimiâ copiâ ex naribus, vtero vel ano sanguinem, non solùm appositâ mammis aut hypochondriis cucurbitulâ retrahimus, sed etiam sectâ in contrarium venâ, eductóque sanguine coërcemus. Et præter nouas recemésque fluxiones, quibus propriè debetur ἀνίσωσις antiquas etiam rebellésque reuellimus, vt assuescat paulatim natura mittendis aliò retrahendísque à parte affecta humoribus. Denique reuulsiones istæ, deriuationes & particulares vacuationes fiunt, tum illis quæ sensibiliter materiam aliquam è corpore educunt, vt phlebotomiâ, arteriotomiâ, scarificationibus, vomitu, dejectione, sudorum, vrinarum, mensium, hęmorrhoidum prouocatione, causticis siue fontanellis vulgò dictis, setonibus, vesicatoriis, ferro candente & secante: sed etiam eis quæ humores insensibiliter resoluunt, aut certè è toto corpore non educunt, sed in aliam tantùm partem transferunt, vt cucurbitulis, frictionibus, ligaturis dolorificis, dropacibus, phœnigmis, foribus, & similibus epipasticis: Quæ in corpore plethorico aut cacochymo non sunt tentanda, quin priùs vniuersum corpus vacuantia & præparantia præcesserint, ne humores vi remediorum attracti, nimia in aliquam partem ruant copia,

copia, au certè ne exagitati nimiùm, inflammationem concipiant.

Dicamus igitur Reuulſionem eſſe tractionem fluentis vel fluxuri humoris ad oppoſita diſtantiſſima, habitâ fluxûs originis, rectitudinis, & communitatis vaſorum ratione. Hæc definitio vt intelligatur, ſciendum eſt, Reuulſionem dici tractionem, quia ſub motu locali poſita eſt, & eſſe tractionem non veram, ſed æquiuocam, quia phlebotomia v. g. aut ligaturæ in contrarium adhibitæ non trahunt fluentem humorem propriè, ſed natura vi doloris aut agitationis excitata in partem oppoſitam, velut de nouo afflictam curſum humoris reflectit. Dicitur etiam tractio fluentis aut fluxuri humoris, quoniam quieti, & in toto vel aliquâ parte ſubſiſtentes, vacuationem potiùs quàm reuulſionem ſuadent, vt diximus, niſi ſit prophylactica, id eſt, præcautionis ergo ipſa reuulſio exerceatur, quæ anticipet fluxuri humoris impetum. Denique dicitur ad oppoſita diſtantiſſima exerceri habitâ fluxus originis, rectitudinis, & communitatis vaſorum ratione; quæ omnia explicatione indigent. Illa enim oppoſitio & diſtantia, magnam inter medicos Græcos & Arabas controuerſiam attulit. Hippocrates *lib. de humor.* vnicam tantùm oppoſitionem agnouiſſe videtur, dum ait, Reuulſionem fieri ex ſuperioribus ad inferiora, ex inferioribus ad ſuperiora. Galenus verò *comment. ad aphor. 68. ſect. 5. & lib. 5. meth cap. 3.* tres tantùm recenſuit. Libro autem proprio de Reuulſione, quatuor enumerauit, ab inferioribus ſcil. ad ſuperiora, & contrà; à dextris ad ſiniſtra, & contrà; ab internis ad externa, & contrà. Auicennas quatuor conſtituit corporis diametros inter quas vult illam primùm in reuulſione eligendam, in quâ maxima reperitur diſtantia, vt motus motui magis opponatur, v. g. in pleuritide primò venam malleoli eiuſdem lateris ſecat, ſecundùm diametrum diſtantiſſimam longitudinis: deinde venam brachij oppoſiti ſecundùm diametrum latitudinis: demum ab eodem brachio ſanguinem educit deriuationis vacuationiſque particularis gratiâ. At verò Græcorum præſtantiſſimi, iſtas diametros non agnoſcunt, ſed potiùs quadras ipſius corporis faciunt: vtque partes quædam ſunt mediæ, v. g. hepar, lien, renes, meſenterium; ſic etiam quatuor ſunt corporis quadræ, ſuperiores duæ, totidem inferiores, quarum vnam non excedunt in reuulſione, ſi fieri poſſit, propter vaſorum conſenſum & communitatem quandam, quam in iſtis potiſſimùm quadris agnoſcunt. Fluente ergo v.g. ſanguine immoderato ex dextra nare dextri brachij cephalicam aperiunt ad reuulſionem; non ſiniſtri, quia ſic periret rectitudo; Non dextri malleoli, quia ſic periret vaſorum communitas; multò minùs ſiniſtri, quia tum rectitudo, tum communitas ad reuellendum neceſſariæ omitterentur. In eadem itaque quadra ſubſiſtentes, vnam oppoſitionum prædictarum obſeruant, in eáque, quantum fieri poteſt per corporis & vaſorum conſtitutionem, diſtantiam maximam: In partibus autem medijs tam per ſuperiorem quàm per inferiorem regionem, ſeruata tamen rectitudine, reuellunt, vt hepate, liene, aut renibus inflammatis venam in cubito & poplite aperiunt.

Hæc autem omnia fiunt, quando terminus à quo, ipſius ſcilicet fluxionis certa origo ignoratur: Illâ enim cognitâ, reuulſio ei erit perpetuò opponenda potiùs quàm motui humoris, aut parti recipienti, quæ eſt terminus ad quem: v.g. Ponamus à liene per venas proprias ſanguinem in dextrum renem ferri, idque Medico eſſe cognitum, tunc ratione ipſius fluxûs originis, neglecta quadra & rectitudine, venam cubiti ſiniſtri ſecabimus, vel cucurbitulas & ſcarificationes ſiniſtri lateris inſtituemus, vt ab ipſo fluxionis ortu in oppoſitum commodiſſimè reuellant: Sed quia fluxionis vt plurimum origo incomperta eſt, ideò Medici maluerunt in ſtabiliendis reuulſionis legibus, eorum quæ plurimùm in arte contingunt, rationem habere, & habito reſpectu partis ſuſcipientis, quæ ſemper nota eſt in reuulſione, contrarietatis, diſtantiæ, rectitudinis, & communitatis vaſorum meminiſſe.

Porrò an Arabum Medicorum ſententia aliorum placitis ſit præferenda, ex interpretatione rectitudinis illius & communitatis vaſorum, quas vtrique in reuulſione obſeruandas eſſe volunt, facilè intelligetur. Hippocrates noſter rectitudinem aliquando, ἴξιν, aliquando εὐθὺ appellat, & τὸ κατ' ἴξιν opponit *in Coacis* τῷ ἀνακάλιν. *Hæmorrhagia*, inquit, *quæ hypochondrijs inflammatis ſuperuenit, bona eſt, ſi è directo fiat, mala verò ſi è diuerſo. Et 6. Epidem per rectum fiunt morborum permutationes, & criſes, & abſceſſûs.* Liene igitur inflammato narem ſiniſtram κατ' ἴξιν fluere bonum, dextram verò ἀνάκαλιν, non eſt bonum. Galenus κατ' ἰσότητα,

&

& κατ' ἐυθυωρίαν interpretatur, quamuis *comment. 1. in lib. de vict. rat. in ac.* ἀντὶ τῆι φορᾶν aliquando significare velit. Erotianus verò. In γλώσσαις. Hippocr. explicat κατὰ ζωίχειαν. Quæ omnia ostendunt Rectitudinem apud Hippocr. duo complecti 1. mathematicam oppositionem longitudinis in partibus vnius eiusdémque lateris, quæ est propria apud illum & frequentissima significatio, vt ex locis citatis aliisque multis patet 2. ipsam lationem continuitatémque, quam nos communitatem vasorum appellauimus, vt vno nomine vtramque Reuulsionis conditionem sit complexus. Nam illa communitas nihil est aliud quàm consensus earundem venarum, vel ex eodem trunco diuaricatarum, vel per orificia quædam & ἀναστομώσεις connexarum: primæ exemplum est in venis iugularibus cum cephalica: secundæ, in connexu mammariæ cum hypogastica; Vnde veteri cum mammis consensus; & thoracicarum cum intercostalibus, vnde tantam pleuritici opem sentiunt ex sanguinis missione, sectâ eiusdem lateris venâ.

Quod igitur in Reuulsione obseruanda sit hæc vasorum communitas satis ex eo patet, quia humores facilius per venas communes, inuicémque connexas fluunt refluúntque, quàm per eas quæ nihil inter se communicant cauitatibus aut orificijs. Rectitudinem etiam esse obseruandam in reuulsione hoc solo argumento confici potest, quòd cùm Medicus debeat esse naturæ bene agentis imitator: Natura autem in criticis & faustis vacuationibus, hanc rectitudinem obseruet, vt frequentissimus rerum euentus, & Hippocratis aliorúmque Medicorum testimonia declarant: Ideò etiam debet Medicus, quantum fieri potest, hanc rectitudinem in faciendis reuulsionibus, transferendísque humoribus obseruare: Siue enim propter partium contiguitatem quandam in eodem latere; siue ob naturam motûs rerum calidarum spirituosarúmque, qui potiùs fit in rectum, quàm ad latera: seu ob villos venarum rectos, quod Fernelius voluit: Vel etiam meatûs oblongos, quos natura in eodem latere ad ζυμπάθειαν & ἀυτοπάθειαν posuit, illud contingat: Certum est fluxiones potentiùs feliciúsque illâ obseruatâ reuelli: Quam cùm Arabes in suarum diametrum obseruatione sæpius omittant, neque fluxûs originem, aut communitatem vasorum aduertant, sed solùm oppositionem & distantiam mathemathicam, hinc fit vt frustrà tot venarum sectionibus ægros suos excrucient & parum iuuent: quod Græci, his conditionibus obseruatis, vnicâ phlebotomiâ feliciter consequuntur.

Concludamus igitur in reuulsione potissimam rationem fluxûs originis esse habendam: quæ si ignoretur, habito respectu termini ad quem seu partis fluxum recipientis, faciendam esse reuulsionem seruatâ vnâ oppositionum, in quâ aderit vasorum communitas & rectitudo, quod vt plurimùm fit intra vnam corporis quadram: in quâ maximam ad reuellendum distantiam eligere oportet, si constitutio corporis illud permiserit. Quòd si fluxionis impetus magnus sit iunctúsque dolori acerbo, suadet vt latiorem propinquiorémque venam eligamus, quò citiùs catarrhoë illa sistatur: Et quædam humoris portio, qui in partem illabebatur, vnâ eàdemque operâ vacuetur: quemadmodum contingit in pleuritide, in cuius curatione vult tantum exhauriri sanguinis Hippocrates, donec mutatio coloris in illo appareat, pars scil. illius qui inflammationi erat propinquus.

Quòd si natura à parte nobili ad ignobilem, cacochymiam suam eámque venenatam, aut alio modo deleteriam deponat, quemadmodum contingit in carbunculis, ecthymatis, bubonibus pestilentibus & venereis, non licet tunc phlebotomiam reuulsionis causâ instituere, ne scil. materia ista in partes nobiles & internas reuocetur, sed vacuationis tantùm, si corpus sit valdè plethoricum,

Item cùm fluxio in eadem parte subsistere possit, & secundùm varios illius sitûs, ab anterioribus ad posteriora, ab internis vel dextris, ad externa vel sinistra ferri: ideò præter vniuersalem istam est etiam quædam localis seu particularis reuulsio, quæ in eâdem parte exercetur, vt quando in ipso capite epiphoram vel coryzam ex fluxione seri in oculos aut nares, per curcubitulam, setonem, aut causticum posterioris ceruicis parti adhibitum reuocamus. In quâ eædem leges sunt obseruandæ, quæ in vniuersali dictæ sunt, si partis ratio id ferat: Eâ tamen conditione, vt si totum corpus plethorâ aut cacochymia teneatur, phlebotomia aut purgatio, vel vtræque simul præcedant localem istam & περιπλεῦ, vt loquitur Trallianus, reuulsionem. Eodem modo instituendæ erunt cucurbitulæ, frictiones, ligaturæ, reliquáque auxilia reuulsionis ergo, sed non tamen tantam cautionem quantam phlebotomia exigunt, in quâ potissima reuulsionum vis posita est.

Intellectâ

Intellectâ Reuulſionis naturâ, differentiis, conditionibus, & inſtrumentis, facile erit Deriuationis naturam explicare, quam Græci παροχέτευσιν & ἐκτετιαν appellarunt, ducta ab iis ſimilitudine qui ex fonte aquæductûs & riuulos faciunt. Quemmodum enim illi non curſum & originem fontis intercipiunt vel transferunt, ſed ex illo varios canales ad viciniora latera deducunt: Sic Medici vbi prius retractionem illam ad oppoſita, quæ Reuulſio dicitur, tentarunt, ſiquid adhuc ſuperſit fluitantis ad partem humoris, quod nondum illi ſit impactum, per vicina parti affectæ vaſa deriuant. Vnde Deriuatio nihil eſt aliud quàm fluentis humoris, & in propinquioribus parti venis ſubſiſtentis per vicina loca tractio. Eſt enim, vt ipſa Reuulſio, ſub motu locali, & in eâ non oppoſitio & diſtantia, ſed propinquitas potiùs cùm communitate vaſorum requiritur, vt ſcil. ad deriuationem ex eodem proximo trunco oriantur, vel vicinis orificiis connectantur. Potéſtque & in eadem parte fieri, vt quando irrumpentem in oculos aut dentes fluxionem, appoſito ſub auriculis veſicatorio deriuamus: Et in diuerſis, vt quando inflammato vno crure alterum ſcarificamus. Sunt autem partes illæ vicinæ, aliæ ad latus vtrumque; aliæ ſubiacent, vt inteſtinum vtero; Aliæ incumbunt, vt veſica vtero, per quas omnes fieri poteſt deriuatio, dummodo vaſorum adſit communitas. Notandum etiam Reuulſionis nomine aliquando abuti Galenum pro deriuatione, quando hæc in partibus paulò diſtantioribus exercetur, vt de cruribus dicebamus. Deinde cùm plures ſint affectûs qui reuulſionem deriuationi iunctam expetunt, vt patet de pleuritide, in his ſufficit mediam eligere diſtantiam quæ vtrique ſufficiat, totúmque remedium velut à præſtantiori facta denominatione, Reuulſorium appellamus. Quod maximè in doloribus inflammationibúſq; partium internarum eſt obſeruandum ex Hippocratis ſententia. *lib. de locis. In dolore proximum ventrem ſecare,* inquit ille: Et morbi ſequiſſimi, quâ parte proximi ſunt, educendi.

Supereſt Vacuatio μερικὴ particularis, quæ loci affecti peculiarem, vt dicebamus, plethoram exhaurit, reuulſioníque & deriuationi ſuccedit, vbi illarum operâ non potuit ex toto impediri ῥύσεως & collectio humoris in parte ſuſcipiente, ἀποκένωσιν vocat Galenus *hoc noſtro libro* dum agit de tumoribus præter naturam, & à ſimplici κενώσει diſtinguit. Fit autem dupliciter, vel per proprios partis meatûs & canales à naturâ comparatos, vt quãdo pituitoſam cerebri repletionem per nares aut palatum educimus, thoracis, aut pulmonum purulentam materiam per ſputationem & aſperæ arteriæ ductum: Veſicæ ſordes per οὐρήθρην; Vterum per illius venas & orificium; Ventriculum per os & œſophagum; Cutim per poros, & ſimiles expurgamus: Vel fit artificioſa medicatione, quæ aliquando inſenſibiliter materiam illam in vapores aut ichores attenuatam educit, vt fotibus admotis, linimentis, emplaſtris, & ſimilibus, attrahendi incidendíque facultate præditis; Vel ſenſibili partis ſolutione, vt quando bubonem ferro aut cauſtico aperimus; thoracis empyema ſectione inter quartam & quintam coſtam celebrata, educimus: Ipſam pleuritici vomicam ſuppuratam foràs verſus, incidimus, ſcarificamus, aut admotis cucurbitulis elicimus: Veſicam vrinâ diſtentam, quæ ob tumorem vel calculum canali impactum effluere nullo modo poteſt, ſub perinæo ſecamus, ægrúmque à morte manifeſta & inſtante liberamus. Partem gangræna affectam & inflatam, profundis multíſque ſcarificationibus exhaurimus. In quibus omnibus exempli cauſa poſitis, oportet Indicationes tum à morbo & cauſis morbificis, tum potiſſimùm à ſubſtantia, temperamento, ſenſu, conformatione, connexúque partis affectæ ductas ſpectare: quod in praxi ſeu curatione ſingulorum affectuum diligenter eſt explicandum.

CAPVT IV.

De Alteratione, corporis humorúmque præparatione, coctione, & corroboratione.

INTEMPERIEM nihil aliud eſſe quàm exceſſum vnius aut duarum qualitatum, temperamenti totius vel partis ſymmetriam ſuperantium, ſuprà dictum eſt à nobis; Eámque aut cum humore coniunctam, vel nudam & immaterialem exiſtere. Ex quibus oriuntur indicationes agendorum in morbis

ed by Google

ſimilaribus. Simplices enim illi qualitatum exceſſus, ſimplices requirunt per contrariam qualitatem alterationes, quæ poſſint illos ad εὐκρασίαν & mediocritatem reducere. Coniuncti verò humoris vitio, cùm non ſolùm alteratione indigeant, quæ qualitatem reprimat, ſed etiam vacuatione quæ humores illos peccantes educat: Vacuatio autem illa ſiue ſolius naturæ operâ perficiatur, quam periodicam, aut criticam dicimus, ſeu artis beneficio adiutæ, quæ Purgatio vocatur, non poſſit feliciter obiri, niſi priùs deducto humore illo in conuenientiorem naturæ ſtatum, corporiſque viis & meatibus, per quos tranſire debet, patefactis, hinc fit vt in morbis intemperamenti ab humore pendentibus non ſolùm ſimplex alteratio, ſed etiam concoctio humorum purgandorum corporiſque præparatio requiratur. Denique quia vi primarum qualitatum in nos immoderatè agentium, non parum deiicitur robur ipſarum partium ſimilarium, quod in caloris natiui & influentis copiâ præcipuè poſitum eſt: ideò relictam in illis ἀλωσίαν & imbecillitatem, corroborantium ope indigere, nemo eſt qui dubitare poſſit.

Alteratio igitur, Præparatio, Concoctio, & Corroboratio, in morbis intemperamenti neceſſariæ, & à nobis poſt traditas vacuationis leges hoc capite explicandæ. Quamuis enim Galenus variè hiſce vtatur vel abutatur nominibus, relictâ tamen λογομαχίᾳ, placuit res diſtinctas diſtinctis hiſce nominibus inſignire.

Alteratio igitur generaliter ſumpta, quamuis genus eſſe videatur ad hæc omnia: quia tamen Præparatio, Concoctio, & Corroboratio, non ſimplicem alicuius qualitatis mutationem intendunt, ſed alium habent particularem ſcopum, vt nos poſteà dicemus. Ideò Alterationem lubet ita definire: Actionem Medicam, quâ qualitatis morboſæ exceſſus, contrariâ qualitate adhibitâ temperatur. Siue enim exceſſus ille ſit in parte viuente, humore, vapore, aut ſpiritu; tunc apud Medicos propriè alteratur, quando ſolam à priore intemperamento mutationem recipit. Quod artis beneficio præcipuè contingit ſecundùm omnes exuperantias quæ tum ptimariò tum ſecundariò ἰσότητας primarum qualitatum ſequuntur. Caliditas enim, frigiditas, humiditas, & ſiccitas ſimplices vel combinatæ, quoties harmoniam temperamenti totius vel partis exceſſerint, contrariis & adæquatis ſecundùm gradum vel molem remediorum viribus ſunt corrigendæ: Et vt inter ſe aduerſantur, ſeque mutuò è ſubiectis expellunt; ſic Medicus caliditati frigiditatem, & contrà, humiditatem ſiccitati, quoties opus fuerit, opponit. Quod cùm nudis qualitatibus præſtare non poſſit, (quamuis id maximè eſſet optandum) certis quibuſdam corporibus vtatur oportet, quibus illæ inſunt actu vel potentiâ ſecũdùm formam & denominationem, vel effectum, per ſe vel per accidens. Ideò materiam Medicam debet habere cognitam & in ſua genera diſtinctam, vt alterationes iſtas ex ercere poſſit conuenienter.

Siue enim ex diætâ totóque rerum nonnaturalium dictarum ordine, ſiue ex pharmaciâ velut potentioribus remediis alterantia iſta repetantur, non ſolùm certa illorum electio eſt habenda, ſed etiam neceſſariæ præparationes & mixtiones cognoſcendæ, quæ vim illorum adiuuare, & corpori noſtro morbíſque expugnandis conuenientiorem reddere valeant. Atque vt ſummatim dicam Morbi calidi, frigidi, humidi & ſicci, ab eis excitari ſolent, quæ aſſumuntur, quæ geruntur, quæ excernuntur vel retinentur. Ergo ab eiſdem contrario modo ſe habentibus curabuntur: quod non eſt nobis propoſitum nunc ſigillatim perſequi, cùm in therapiâ eiuſmodi affectuum particulari doceri debeat.

Quantum etiam ſit alterandum, quando, & quomodo, ex indicationum & coindicationum legibus à nobis primò poſitis, pro variâ corporis affecti, morbi & cauſarum naturâ, reliquarúmque circumſtantiarum ſtatu erit repetendum. Quod non ſolùm in coërcendis manifeſtarum qualitatum exceſſibus præſtandum, ſed etiam ſi quæ magis, cæca & abdita fuerit, intemperiei cauſa, contagioſa, peſtilens, aut venenata, alexiteriis occultâ qualitate alterantibus erit infringenda, vel generaliter talibus & per analogiam quandam in hiſce omnibus affectibus vſurpatis, theriacâ, mithridatio, confectione alkermes, terrâ lemnia, Armenâ, lapidibus Bezoardicis, & ſimilibus; Aut certâ quádam vi longóque experientiæ euentu, confirmata aduersùs peculiares quoſdam affectûs, & abditas cauſas agentibus; quod in ſingulis eſt docendum. Vt autem meliùs intelligatur qui euentus ſequi ſoleant eiuſmodi alterationes & actiones primarum qualitatum, in nobis ſeſe inuicem expugnantium, relegantur diligenter Aphor. *ſect.* 5. à decimo quinto vſque ad vigeſimum ſextum, & liber Hippocr. *de liquidorum vſu*, vbi iſta eleganter eſt perſequutus. Nos autem de præparatione agamus.

Παρασκευὴ igitur ſiue Præparatio Medica, non ſimplices reſpicit corporis aut humorum

humorum qualitates, ſed eas potiſſimùm, quæ purgationem impedire, aut moleſtiorem reddere poſſint, circa quas corrigendas, & in meliorem ſtatum reducendas occupatur. Imparatum autem dupliciter eſſe poteſt corpus ad purgationem, vel ratione ſuccorum ipſorum, vel viarum. Succi enim craſſitie ſua, lentore, viſciditate, aut mobilitate nimia minùs obſequentes ſunt trahenti cathartico, naturæque expellenti. Viæ verò & meatûs corporis per quos expurgari ſolet corporis cacochymia, ſi arctiores fuerint propter ἔμφραξιν vel στίγνωσιν, repletæ nimirum & obſtructæ antiquo & rebelli humore: aut conniuentes ob ſiccitatem, aſperitatémue nimiam, impediunt tranſitum humoris, laboriosáſque & difficiles reddunt purgationes. Vtrique igitur vitio, ſi ita contigerit, aut alterutri, (poteſt enim ſæpe ſola humoris ineptitudo, aut viarum ſola occluſio negotium faceſſere) ante purgationem diligenter eſt prouidendum, ex conſilio Hippocratis aphor. 66. *ſ.* 7. *&* 9. *ſect.* 2. *Corpora cùm quis purgare volet, fluida faciat oportet*: ſiue enim per vomitûs, addit Galenus *in comment.* ſiue per alui ſubductionem purgare velis, feliciter id facies, tum reſeratis omnibus meatibus, tum humoribus inciſis, abſterſis, atque extenuatis, ſi quis fuerit in corpore craſſus & glutinoſus. *Aphor.* 13. *ſ.* 4. vult corpora per helleborum purganda præhumectari debere vberiore cibo & quiete: vult balneo relaxari. 6. *Epidem.* fomentis præparari. 1. *de morbis mulierum.* Vt humectatione illa corporis meatûs ſiccitatem omnem, aſperitatem & adſtrictionem amittant.

Hi igitur ſunt Præparationis ad purgationem modi, qui varijs medicamentorum & alimentorum generibus perfici ſolent, vt in particulari purgationis tractatu docetur, & nos capite proprio de obſtructione de illis rurſum agemus. Nunc tantùm annotaſſe ſufficiat, cuicunqüe vitioſo corporis ſucco hanc præparationem competere poſſe. Quamuis enim ſeroſi biliosíque humores tenuitate ſua ac fluiditate qaâ prædíti ſunt, ſatis idonei videantur ad purgationem ſine præparatione; quia tamen perſeuerante aliquando diutiùs febre v.g. aut permixtione alterius ſucci ſicceſcere & incraſſari poſſunt: Ideò præparantibus & iſtas qualitates corrigentibus indigere ſolent. Adde quòd tenuitas nimia purgationi non ita eſt commoda: Sicut enim palea vento agitata, huc illuc impellitur, inquit Auicennas; Sic bilioſus humor præ tenuitate hinc inde agitatus, non tam facilè trahitur à medicamento vel à naturâ expellitur, quàm vbi mediocritatem ſubſtantiæ vel conſiſtentiæ per leuiter incraſſantia fuerit adeptus; quæ ideò etiam in hoc caſu vſurpare ſolemus. Item viarum ratione ſæpe fieri poteſt, vt ante ſeroſi aut bilioſi humoris purgationem, præparatio ſit neceſſaria. Denique hîc annotandum præparationem iſtam, quæ artis & remediorum beneficio potiſſimùm perficitur, non ſolúm ad iuuandas purgationes, ſed etiam ad concoctiones humoris morbifici promouendas vſurpari: Incidentibus enim, aperientibus, detergentibus, attenuantibus, ſyrupis, apozematis, & ſimilibus ſubactus humor morbificus, faciliùs à calore noſtro natiuo vincitur, & ad pepaſmum perducitur. Vnde etiam hæc præparantia medicamenta, à Medicis concoquentia, latiùs ſumpto vocabulo dicuntur, quia ſcil. ad iuuandam coctionem & humorum morbificorum maturationem faciunt. Neque ſolùm ante coctionem, ſed etiam poſt illam feliciter vſurpantur, ſi natura, vel catharticum, mitificatam materiam & ſecretam, ob ineptitudinem viarum ſatis commodè expurgare nequeant. Atque hæc de Præparatione, nunc ad coctionem accedamus.

CAPVT V.

De Concoctione.

MEDICVM eſſe imitatorem & miniſtrum naturæ, veriſſimè dictum fuit ab Hippocrate. Cùm enim Natura vera ſit & præcipua morborum medicatrix, oportet Medicum motûs illius potiſſimùm obſeruare, vt quotieſcunque boni & laudabiles fuerit, eos ſequatur: ſin verò à conuenienti regulâ diſcedant, eos in melius mutare conetur. Is verò eſt naturæ noſtræ, quæ calore natiuo velut præcipuo inſtrumẽto vtitur in ſuis functionibus, quas natu-

rales vocant, exercendis ordo, vt attractum alimentum aut humorem vel in parte aliqua contentum tamdiu retineat, quamdiu concoctricis facultatis opera subigitur, & ad immutantis similitudinem perducitur. Qua peracta mutuis retentricis & expultricis viribus, secretio eius quod laudabile est ab illaudabili contingit, vt posteà quod inutile & naturæ molestum commodissimè excernatur. Concoctionis ergo cuiusuis author & efficiens causa, calor est natiuus, solidis potissimùm corporis nostri partibus inhærens & insitus, qui ab influente augetur & vegetatur: Cuius finis est obiectam materiam assimilare, vel suis qualitatibus immutare: Quæ tum demum formalem adepta erit concoctionis rationem, quando in conuenientiorem naturæ statum fuerit deducta, quantum fieri potest pro illius natura & conditionibus: Ob cuius varietatem varias etiam Coctionum species Medici annotarunt in nobis.

Vulgata est enim apud Hippocratem, & Galenum πέψεως & πεπασμῶ differentia: ita vt πέψις sit τῶν εἰσιόντων, ingredientium scil. alimentorum & ad nutritionem facientium, in qua plurimum est quod nutrit, paucum quod excernitur; (*Barbari dicunt, vnam esse in innatiuo, Aliam in nocitiuo.*) πεπασμὸς autem sit τῶν παρὰ φύσιν ἢ ἐκκρίνεσθαι, eorum quę naturæ sunt dissentanea, & secretione ad secessum indigent, in quo plurimum est quod excerni debet, paucum verò aut nullum quod nutrit. ὠμὰ igitur, cruda dicuntur Medicis, quæcunque substantia & qualitatibus dissimilia, alterari possunt à calore nostro natiuo, & ad perfectam ὁμοίωσιν substantiæ, & qualitatum similitudinem perduci possunt, vt cibi; vel secundùm qualitates ita alterari; vt mitificationem & quandam quasi maturationem suscipiant, vt sunt humores omnes excrementitij, & quicunque in nobis semel putredinem conceperint. Hinc non solùm succi frigidiores, vt melancholia naturalis, serum & pituita infra sanguinem positi, siue calidiores, vt bilis flaua & atra suprà illum positi dicuntur crudi, quoties naturæ modum & regimen excesserint, sed ipse etiam sanguis, lac, semen, & quicquid aliud benignum est in corporibus nostris, quando concepta putredine factum fuerit à natura alienum. In sanguine putrescente fiunt suppurationes, concurrente calore natiuo partium solidarum ad nouam alterationem; obsistente verò putredinoso, pro quorum victoria & vario dominatu, pus emergit aliquando album, læue, æquale, & minimè fœtidum: aliàs huic contrarium, si concepta iam corruptela prævaluerit. In reliquis verò humoribus sanguineæ massę permixtis, mitificatio ea contingit vincente natura, quæ quodammodo puri respondet, & per hypostasin illam albam, læuem & æqualem in vrinis repræsentatur.

Vt igitur in coctione alimentorum, separatio fieri non potest excrementorum, priúsquam perfectè sint assimilata. Ipsum enim ingerere, digerere, & egerere se inuicem consequuntur. Sic in pepasmo excrementorum purgatio laudabilis, vel euacuatio critica fieri non potest nisi concoctio præcesserit: Duabus potissimùm de causis, 1. quia dum natura laudabile retinet, simul etiam illaudabile, nisi sit secretum, retinetur. 2. quia materiæ morbificæ iam victæ, & secundùm qualitates superatæ; natura expulsionem moliens faciliùs dominatur.

Dicet aliquis, Tantum abest, vt Concoctio sit ad purgationem vtilis & necessaria, quin potiùs noxia videtur & fugienda: Cùm enim Concoctio, vt dictum est, fiat per assimilationem; materia illa morbifica immutata, & naturæ quodammodo similis facta retinebitur potiùs quàm expelletur, & minùs excretricem sollicitabit. Item cùm Concoctio omnia reddat crassiora calidioráque, non compescet putredinem, sed potiùs augebit, intendendo calorem, & crassitiem humori maiorem inferens, morabitur illius expurgationem potiùs quàm iuuabit: crassorum enim difficiliot vacuatio quàm tenuiorum. Verùm facile est his obiectionibus respondere. Nam assimilatio illa cùm non sit secundùm substantiam, sed ad qualitates tantùm, & secretio sequatur coctionem, Natura illud quod apponi & vniri non potest, velut inutile pondus & excrementitium quid separat, vt vel ipsa tandem expellat, vel trahenti medicamento exhibito adminiculetur. Neque auget putredinem Concoctio, sed reprimit, temperat enim, & ad mediocritatem reducit calorem putredinosum & intensum suo illo miti & viuifico calore, qui omni cruditati aduersatur. Denique crassities illa humorum minor est quàm ante concoctionem propter separationem partium heterogenearum, & natura iuuante expulsionem, facilè cedit vacuandus ille humor trahenti medicamento; quod in valde tenui non ita continget, si natura reluctetur, vel nondum humo-

res

res vicerit. Concludendum igitur cum Hippocrate, Concocta medicanda esse, non cruda: Sunt tamen quædam cautiones adhibendæ.

Certum est enim illud naturæ relinquendum ad concoctionem, quod potest concoqui; quod verò non potest, vacuandum, priúsquam illa pepasmum frustrà moliatur, aut aliunde periculum immineat. Id autem contingere potest, 1. vel propter substantiam humoris coctioni ineptam; putredo enim ingens & profunda, quæ non est ampliùs in fieri, sed in facto, ita corrupit illius naturam, vt mitificationis spes nulla supersit, sed quamprimùm eiusmodi putrefacta materia qualibet arte remouenda, vt est conspicuum in pestilentibus febribus in quibus natura ob immensam putredinem; coctionem ne quidem aggredi audet. 2. Vel propter quantitatem nimiam. Vt enim flamma copiosiore oleo affuso extinguitur. Sic calor natiuus nimiâ humorum mole oppressus suffocatur, neque eorum coctionem moliri potest. Vnde in principijs morborum solemus phlebotomiâ aut minorante medicamento portionem materiæ redundantis auferre, quo faciliùs reliquam vincere & concoquere possit. 3. Vel propter adiunctam humori malignam quandam & deleteriam qualitatem, venenatam videl. aut pestilentem, ob quam natura non audet aggredi illius coctionem; quemadmodum videre est in eiusmodi affectibus, per quos ægri apparentibus signis coctionis in vrinâ frequentissimè moriuntur. 4. Vel propter præposterum materiæ motum feritate quadam & ὀργασμῷ præditum, quod Hippocrates turgere vocat, vt contingit sæpiùs bilioso humori, cuius purgationem ideò in principijs morborum suadet, ne in partem quandam nobilem raptus, grauius ibi periculum priori ingeneret. 5. Denique propter illius situm, quando videl. humores isti sunt secreti & sinceri in primis vijs, vt ventriculo, intestinis, vesiculâ fellis, liene, mesenterio, totáquæ venæ portæ circumferentia: Vnde possunt facilè exhibito medicamento expelli, si meatuum adsit libertas, non expectatâ coctione, quæ illis potissimùm debetur, qui vel toti massæ sanguinariæ permixti sunt, vel in partem aliquam impacti.

Porrò diximus, Concoctionem potissimùm vi caloris natiui fieri: Alterationem verò & præparationem, medicamentorum beneficio. Quamuis enim alterantia & præparantia iuuent coctionem, non tamen coquunt propriè, sed per accidens tantùm, fractis aut mutatis qualitatibus illis humorum, quæ calori nostro negotium facessere poterant. Vt igitur ad concoctionem debet Medicus vacuantibus, alterantibus & præparantibus vti, quæ variantur pro diuersa humoris coquendi natura; sic potissimùm calorem natiuum illius authorem iuuare. Hoc autem dupliciter fieri potest, vel augendo illius substantiam, quæ in humido benigno & spirituoso posita est, Vel illum fouendo tantùm, & eius dissipationem impediendo. Vt enim coctiones alimentorum blando iuuantur calore exteriùs admoto, linteolis v. g. calentibus, manu, catello viuente, fomentis & similibus. Sic puris confectio in phlegmone manifestè iuuatur similibus temperatis, anodynis, calidis humidísque, emplasticis, pultibus, & alijs quæ calorem augent partis, illius poros obturant, & impediunt effluxum calidi illius natiui: In interiori verò putredine, vt per febres continuas, quamuis non liceat emplasticis & calidis exteriùs vti, ne videl. auferatur difflatio corporis, & ventilatio vaporum qui intus suscitari solent: Vnde metus esset maioris inflammationis: Licet tamen ex Galeni sententiâ, *lib. de const. artis*, *Et* 1. *Epidem.* quiete moderatâ, tum ingestis alimentis lenientibus, temperatis aut modicè calfacientibus, humectantibúsque, atque imprimis boni & laudabili succi, celeríque nutritionis concoctionem humoris in intimo corporis recessu contenti promouere. Quæ verè erunt Concoquentia, quatenus qualitatem, vt diximus, aut substantiam caloris natiui, concoctionum omnium in nobis authoris, fouent vel augent. Tunc verò erit iuuanda coctio humorum Medico, quamdiu Natura illi incumbere videbitur, illiúsque significationem per vrinas, sputa, aluíque deiectiones, & similia dederit, tamdiúque insistendum donec inchoatum & manifestum pepasmum ad perfectionem deduxerit. (Πεπασμὸν enim, inquit Hippocr. ἐκ τ̃ χρόνου,) quam sequi debet critica expulsio naturæ robore facta, vel artificiosa purgatio, si natura non mouerit, aut parciùs quàm par sit, excreuerit. Atque hæc de Coctione.

Tot igitur Alterationes, Præparationes, humorúmque Coctiones & expurgationes fieri nequeunt, sine magna caloris natiui, & temperamenti partium jacturâ, quæ agendo aduersùs morbum & eius causam non parum repatiuntur: Hinc ἀτονία & infirmitas suboritur in toto, vel in partibus, quæ potissimùm morbificis

bificis insultibus occupatæ fuerint. Egent igitur Corroboratione, vel post sublatas res præter naturam, vel etiam perdurante morbo, & in quouis illius tempore, si vires ruinam facere manifestam videantur. Vt igitur robur partium fundatum est in triplici substantiâ, spirituosâ, humorali, & solidâ, item calore in illis moderato: quibus non solùm tres præcipuæ in nobis facultates, sed etiam singularum partium functiones confirmantur: Hinc etiam corroborandi modus innotescit, per ea potissimùm alimenta quæ Medicis vulgò ἀναληπτικὰ, quasi restaurantia & reficientia dicuntur, inter quæ vinum primas obtinere videtur, deinde carnes euchymæ, & ex illis expressi succi, & consummata iuscula: Item per medicamenta cardiaca, stomachica, hepatica, cephalica, & similia, tam sumpta quàm admota: quæ modò sub Electuarij mollioris aut solidi, pulueris, condituræ, Instaurantis, Syrupi, inunctionis, epithematis, odoramentorum, & similium formâ exhiberi solent ad corrigendam caloris natiui infirmitatem, vires quascunque reparandas, & augendum præcipuè nectar illud viuificum, quod ex præcipuis corporis fontibus in reliquas partes affluere solet. In admotis hoc est obseruandum, vt mediocri calore adstrictionéque prædita pro variâ membrorum conditione, cogant illorum substantiam, vlteriorémque dissipationem cohibeant. Quia verò horum plurima, Deo iuuante, tradentur à nobis, in formulis remediorum internorum, externorúmque: Ideò finem huic capiti imponemus, vt iam ad morborum organicorum Indicationes accedamus.

CAPVT VI.

De Indicationibus morborum organicorum.

PRIMAM corporis nostri constitutionem ex elementorum κράσει & mixtione debitâ exurgere, docet Physiologia; Vnde similaribus partibus ex simili & æquali materiâ conflatis, ortus existit. Ex his deinceps velut subiectâ materiâ organicas & dissimilares exurgere, quæ ad vnam quandam perfectam & determinatam actionem edendam sunt comparatæ, veluti oculus ad visionem, lingua ad locutionem, & similes: quarum sunt varij gradûs perfectionis & imperfectionis gradibus distincti, proüt magis recedunt vel accedunt ad ὁμοιομέρειαν illam Hippocraticam *lib. de articul.* quæ est totius corporis ex pluribus organis constructi, humanæ speciei conueniens & apta compositio. Quemadmodum igitur in arte factis, putà domo quæ ex variis partibus, vt lapidibus, lignis, ferro, cæmento, & similibus conflatur, primùm supponere oportet idoneam materiam, deinde omnium partium ritam conformationem, magnitudinem, numerum, situm & connexum, vt domus perfecta, & ad vsus finémque propositum idonea construatur: Sic in corpore nostro, quamuis partes similares, vt quantæ suos terminos, figuram, magnitudinem, & situm obtineant, istæ tamen dispositiones ad illas quatenus similares minimè pertinent, (quoniam sine illis actiones suas naturales, attractionem, retentionem, concoctionem, & expulsionem, solius temperamenti beneficio exercere valent) sed ad constitutionem organicarum referuntur.

Vnde ex regula pathologicâ, Cùm conformatio debita, numerus, magnitudo, & situs sint dispositiones necessariæ ad actiones organicas obeundas: sequitur etiam illis violatis & præter naturam immutatis, totidem exurgere morborum organicorum species, quæ alias deinceps sub se complectuntur. Conformatio enim partium dissimilarium in singulis organis varia existit, tum secundùm externam dimensionem & conuexam partium superficiem, quæ propriè figura à Medicis appellatur, tum secundùm internam, Cauitatem nimirum & Meatum; quibus Læuitas etiam & Asperitas accidere possunt. Numerus porrò in partibus organicis, quæ ex pluribus similaribus aliquando constituuntur, vel augeri potest præter naturam, vel imminui, quemadmodum Magnitudo exuperat, vel deficit. Situs denique aut ratione positionis partium, vel earundem connexus immutabitur. Exerceamus igitur nos, & Indicationes in morbis organicis necessarias ad legitimam methodum therapeuticam inquiramus, agentes de vitiatâ figurâ, cauitate, & meatu: de asperitate

ritate & læuitate, numero, magnitudine, ſitu, & connexu præter naturam. Priuſquàm verò ad illud aggrediamur, annotãdum eſt, morborũ iſtorum organicorum naturam mixtam & ambiguam aliquando exiſtere, ita vt vnus idémq; affectus ad varias ſpecies ſæpe referri poſſit, v.g. luxatio non ſolùm ſub ſitu & connexu partiũ vitiato, ſed etiam ſub deprauata figura reponi poteſt: Calculus ad obſtructionem & morbum numeri pro vario reſpectu, & ſic de aliis. In quibus illud ad διάγνωσιν nihil impedit, dummodo rei ipſius natura, & vera cauſarum ſeries teneatur. Quæ in his potiſſimùm morbis diligenter ſunt inquirendæ, vtpote à quibus totus ita pendet affectus, vt ſublatâ cauſa continente, vnâ eadémque opera morbus ipſe tollatur. Non enim qualitates iſtæ præter naturam, quæ in vitiatâ conformatione, numero, magnitudine, & ſitu ſunt fundatæ, ſeipſas augere & multiplicare poſſunt, quatenus tales ſunt, vt contingit in qualitatibus primis, quarum vi alterationes & intemperies introducuntur ac propagantur: ſed totum ſuum eſſe, augeri, & conſeruari, cauſis acceptum referunt, vt in exemplis ſingulorum morborum facilius erit agnoſcere.

CAPVT VII.

De Figura vitiatâ.

CONFORMATIONIS vitia partium tam internarum quàm externarum conſiderant Medici, vel in externâ ſuperficie quæ propriè figura appellatur: vel in internâ, quatenus cauitate vel meatu aliquo prædítæ ſunt: Et in vtraque Conſtitutionem quandam, quæ Læuitas & Aſperitas vocatur. Nos igitur quibus eſt propoſitum has omnes morborum ſpecies perſequi, à figurâ vitiatâ exordiamur. Cuius tot ſunt differentiæ quot ſunt varia figurarum diſcrimina, quæ huic vel illi parti minimè ſunt naturales & conuenientes: Membrum enim quod oblongum v. g. rotundum, curuum, rectum, conuexum aut concauum exteriùs eſſe debet, reliquas omnes figuras, tanquam vitia quædam agnoſcit: quorum alia propriis ſunt nominibus donata, alia verò minimè. Vt igitur caput naturaliter conſtitutum debet habere figuram ſphæræ molliter vtrinque depreſſæ ſimillimam, cum debita futurarum ſuarum ac prominentiarum conſtitutione. Sic Hippocrates *lib. de aëre*, &c meminit μακροκεφάλων quorundam populorum, qui capita admodum oblonga habuerunt. *Et lib. de vulner. cap. Gal. lib. 9. de vſu part.* vitioſas capitis figuras ex futurarum potiſſimùm peruerſione recenſet, quas φοξότητας appellat. In vultu elephanticorum figuræ deprauatio apparet, quæ ex immutatâ particularum proportione & naturali conuenientiâ ferinam illam & ſatyricam faciem repræſentat, narium ſimitate, oculorum rotunditate, ſuperciliorum & frontis tuberibus, auricularum inuerſione, & ſimilibus. Hippocrates 1. Prognoſt. in morituris graphicè vultûs mutationem depinxit per nares acutas, collapſa tempora, oculos concauos, &c. Sic Galenus 6. *Epid. ſect.* 3. ad Hippocratis contextum deſcribit Naturas ad tabem propenſas ſecundùm vitia figuræ, vtpote quibus exilia crura, collum oblongum, pectus anguſtum & tabulatum, ſcapulæ alarum inſtar eleuatæ. In ſpinâ Dorſi inſignes ſunt figuræ deprauationes λόρδωσις, κύφωσις, ζκολίωσις, σῖσις, Vndæ variæ gibboſitates. Denique planci, pernæ, ſcauri, vacij, vari, claudi, & ſimiles, nomina ſunt figurarum deprauatarum in pedibus cruribúſque; Quæ exempli cauſa appoſita ſunt.

Porrò naturalis partium figura peruertitur, aut in ipſo ortu & generatione noſtrâ, aut poſt ortum: In ortu quando conformatrix aut immutatrix facultas imbecillior, materiæ nimia vel deficiens quantitas, aut certè inepta qualitas, vt ſicca vel fluxilis nimiùm impediunt ne vis illa πλαστικὴ ſingulas corporis partes conuenienter effingere poſſit. Poſt ortum contingit, aut inter pariendum, aut poſt partum. Inter pariendum enim ſæpe vitiatur naturalis figura, dum infans in vtero malè vertitur, & brachium aut pedem vnum exerit, vel latera oſtendit: dum ob craſſitiem nimiam aut locorum anguſtiam diutiùs in exitu laborat, vel ab inſciâ & imperita obſtetrice malè tractatur. Poſt partum verò à cauſis internis externíſque peruerti poteſt naturalis figura. Externis quidem, vt ineptâ nutricum faſciatione; mollioris

mollioris adhuc puelli dura contrectatione : mala Chirurgorum in fractis aut luxatis membris deligatione & repositione : Ipsius ægrotantis errore , dum reflectit membrum bene collocatum præ animi mollitie , aut vsui alicui accommodare nititur , priusquàm callus bene sit firmatus : Item casu , percussione , motu nimio seu agitatione , & similibus. Internis verò peruertitur causis naturalis figura , vt humoribus laudabilibus vel excrementitijs in aliquâ parte copiosiùs collectis , vel confertim affluentibus , vt in tumoribus præter naturam , elephanticorum facie, hydropicorum ventre , & alijs patet : Inducta etiam patalysis , conuulsio , sectus tendo,aut neruus , inducta durior cicatrix , efficiunt vt partibus istis nimiùm tensis aut laxatis accidant figuræ vitia , quæ actiones organicas lædunt , vel partes deturpant.

Quibus igitur indicationibus ad eorum curationem sit vtendum , iam videamus. Certum est Medicum eorum tantùm affectuum correctionem susci pere debere , quæ possibilis est pro naturâ morbi & partium. Cùm ergo mala illa conformatio , quæ contingit in vtero sit extra potestatem nostram , meritò à nobis omittetur. Vt etiam illa quæ inter pariendum committitur , quia tunc vrget maior necessitas liberandæ matris & educendi extra eiusmodi angustias fœtus.Post partum verò bene dictum est à Galeno , figuræ vitia quæ iam diuturniora facta sunt,ægrè corrigi posse : Atque in eiusmodi emendandis affectibus vtendum celeritate , principijsque præcipuè obsistendum.

Ad id verò præstandum , habenda ratio causarum externarum internarúmque, antecedentium & coniunctarum , quibus sublatis (vt jam à nobis est annotatum) tollitur ipse morbus , vtpote qui totus à suâ causâ in effectione & conseruatione dependet. Proinde si causa sit adhuc quædam externa, quæ adhuc agat, aut agere sit parata,sui sublationem statim indicat , ne videl. affectum augeat , aut de nouo generet. Sublatâ externâ causâ , interior contemplanda , quæ quidem si sit humoralis , tam antecedens quàm coniuncta , vt in elephanticorum tumoribus , hydropicâ inflatione , & similibus tollatur reuulsione , deriuatione , vacuationéque conuenienti pro naturâ humoris morbum committentis , quarum leges in indicationibus morborum similarium fuerunt propositæ. Sin autem absque humoris confluxu vitium hoc figuræ subsistat , vt contingit illis qui obtorta habent crura, spinam conuexam , vel costas nimiùm eleuatas , & similibus alijs , vult Galenus in pueris hanc correctionem tentari contrectatione longâ & frequenti manuum in oppositam partem, deinde decubitu & deligatione conuenienti cum fascijs, clitellis, chartulis , & similibus , quæ cogant partem versùs figuræ naturalis rectitudinem, & flexam in debito loco retineant.Quod si firmior jam & durior fuerit , vt in adultis , malacticis vnguentis , fotibus , aut oleis demulcenda , vt faciliùs obsequatur ; deinde illic continenda prædictis instrumentis. Si verò illa figuræ peruersitas ex malè genito callo , aut membri collocatione post fracturæ curationem accidat , vult idem Galenus in eis quibus tutò id fieri potest , vt temperatis beneque habitis hominibus illud expostulantibus , denuò refringi callum , vt deinceps meliùs fingatur ac generetur, quemadmodum fit in rebus externis artificialibus.

Hæc igitur in morbo figuræ agenda ex conuenientibus Indicationibus per instrumenta & remedia non quidem formâ & denominatione illis contraria , sed effectu & operatione : Quorum quantitas metienda ex magnitudine & resistentiâ corrigendi affectus , vt scil. possint vel propriâ suâ vi , & confertim, aut actionis duratione & spatio , illud quod Medico propositum est perficere. Conueniens etiam occasio, locus , & ordo , ex naturâ causæ , & partium affectarum repetantur, prout ex indicationibus,contraindicationibus,& coindicationibus erit manifestum. Quod de morbo figuræ à nobis semel dictum , in reliquis Organicis affectibus similiter intelligatur.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VIII.

De Cauitate, Meatu, & Orificio malè affecto, vbi de Obstructione.

EXTERIOR partis organicæ superficies & conformatio, figura appellatur Medicis: Interior verò si capax sit, & ad continendam materiam aliquam spirituosam vel humoralem idonea, Cauitas dicitur: vt ventriculi, vteri, vesicæ, sinuum cordis, cerebri, & similium, quas Hippocrates κοιλίας nomine designauit. Si verò non tam contineat, quàm ad ἀναστολὴν, materiæ alicuius distributionem faciat, Meatus nuncupatur, siue sensilis sit, vt œsophagi, asperæ arteriæ, bronchiorum pulmonis, intestinorum, ceruicis vteri, viarum vrinæ dicatarum, venarum & arteriarum: siue insensilis, vt neruorum, (nisi fortassis optici) & pororum cutis: Vtriusque tam cauitatis quàm meatûs extremitates, Orificia dicuntur: Et in eis omnibus multiplices affectus præter naturam accidere solent: quos Galenus ad tres præcipuas differentias reduxit. Dilatationem scil. Astrictionem, & Obstructionem: vultque oriri à duplici excessu tam multitudinis quàm magnitudinis.

Dilatatio igitur seu amplitudo nimia, vel est in ipso partis orificio, vel in tractu meatûs aut cauitatis: Sic pororum cutis nimia apertio, vasculorum in suis extremitatibus reseratio, ἀνασύρωσις peculiariter dicitur; in pupilla μυδρίασις; extremæ recti intestini parti magna sæpe relaxatio contingit; Vuluæ item interno orificio ex partu, Scrotum & intestina ex flatuum vi aut humoris copiâ sæpe dilatantur: Dilatationes autem istæ cauitatum, meatuum, & orificiorum, contingunt à causis tam externis quàm internis, rarefacientibus, diuellentibus, aperientibus aut laxantibus. Sic calor ambientis nimius, rarefaciendo dilatat poros cutis. Medicamenta aut alia assumpta, aperientia, incidentia, tergentia, expurgantia, mollientia & resoluentia nimiùm, recludunt meatus & oscula vasorum. Motus & exercitatio vehemens, clamor frequens, retentio spiritûs ipsum thoracem & vasa pulmonum dilatant, teste Galeno. Vulnerantia etiam, erodentia, contundentia, distendentia, exteriùs & violenter admotâ idem præstare possunt. Inter causas verò interiores, quæcunque nimiùm implere possunt, vt humores, flatus, calculus per vreteras transiens, vrinæ nimia in vesicâ quantitas, fœtus grandior in vtero, & similes, id potentissimè efficiunt: Item acriores aut copiosiores humores in vasorum orificijs. Adde expultricis facultatis nimium conatum ad exclusionem rei alicuius molestæ, propter quem immodicè tenduntur partes, aut retentricis imbecillitatem, quæ illud quod clausum esse debet, præ impotentiâ suâ laxat, vt patet in sphyncter ani & vesicæ, necnon sudoribus diaphoreticis. Atque hæc de dilatatione nimiâ & eius causis, quæ primus est affectus cauitatis, meatûs, & orificij.

Huic opponuntur Adstrictio & Obstructio; quamuis enim multi duo hæc vocabula confundere videantur: sunt tamen diligenter distinguenda, vtpote quibus designantur distincti affectus præter naturam à diuersis causis geniti, & variam habentes curationem. Adstrictio igitur quam Galenus modò στύψιν, modò πυκνότητα appellat, distinguitur ab Obstructione, quòd hæc semper à causa materiali & corporea, in ipso meatu, cauitate, aut orificio contentâ oritur: Adstrictio autem nullam habet talem causam in meatu aut cauitate interiore positam: sed fit aliàs Coalitu, & cohærentia quadam, quando meatus, cauitas, aut orificium, quæ in corpore nostro adesse debent naturaliter, sunt contracta prorsus, aut maiori ex parte, ab ipso ortu, vt quorundam podici & vuluæ accidere aliquando est obseruatum. Vel post ortum, vt quando vulneratæ aut exulceratæ quædam partes, quæ apertæ erant, coalescunt simul. Aliàs fit ex compressione & coarctatione rerum externarum, vt iniecto faucibus vinculo: aut internarum, vt quando infans in vtero parentis, anum ita comprimit vt fæcibus non pateat exitus: gutturis inflammatio seu phlegmone œsophagum coarctat & deglutitionem

impedit. Aliàs conceptaculorum iſtorum parietes concidunt in ſeſe & anguſtantur, humore aliquo affluente reſoluta, vel deficiente materiâ, quæ intus contineri ſolebat; aut etiam præ nimia infirmitate, vt apparet in deploratâ partium enervatione. Aliàs contrahuntur nimiùm exſiccata aut refrigerata, vel etiam vi alicuius rei infenſæ irritantur & contrahunt ſeſe ad expulſionem, vt patet in inſultu epileptico, ſternutamento, vomitu, & ſimilibus. Aliàs tenſio nimia partium, cauitates earum aut meatûs minores reddit, dum enim nimium accedit longitudini, id ipſum amplitudini decedere neceſſum eſt. Denique ſi diſtorqueantur & inuoluantur partes iſtæ variis modis, meatûs illarum conſtringuntur & impediuntur, quod notiſſimus voluuli affectus in inteſtinis declarat apertiſſimè. Tot igitur modis & cauſis adſtrictio in partium cauitate & meatu contingere poteſt.

Obſtructio verò (quam dicebamus ab adſtrictione differre, quod ſemper cauſa obſtructionis eſt materialis & corporea, in ipſo meatu, cauitate, aut orificio poſita, non extrà, vt adſtrictioni contingit:) dupliciter fieri ſolet, provt duplex eſt modus, quo cauſæ iſtæ interiùs poſitæ eſſe poſſunt: vel enim adhærent ipſis lateribus partium affectis hæc obſtruentia, quæ Galeno propriè conſtipantia dicuntur. Vel non adhærent, ſed tantùm meatûs occupant. Quæ adhærent, ſunt multiplicia, vt omnia adnata, tumoréſque præter naturam, qui in illis oboriri ſolent: ſic polypus in naſo, phlegmone in interna laryngis parte, tuberculum in bronchiis pulmonum, ſcirrhus intra vterum, caruncula illa venerea quæ ſæpiſſimè in canali vrinæ excitatur poſt gonorrhœas virulentas; pinguedo nimia adhæreſcens inteſtinis, obſtruunt illas partes, firmiter adhærendo parietibus meatuum aut cauitatum quibus præditæ ſunt: Humor verò, flatus, calculus, aut quodcunque aliud corpus non adhærens, ſed intus latitans tantùm, obſtruere etiam ſolet vias corporis noſtri: flatu enim oppleta inteſtina repellunt materiam clyſtere iniectam: ſanguinis multitudo in toto vel parte, vt venis vteri, impedit ſæpè ne per conſuetos ductus effluere poſſit: Humor melancholicus ſuâ craſſitie, pituitoſus lentore & viſciditate, vſitatiſſimæ ſunt obſtructionum cauſæ: frequens eſt in prima corporis regione, venarum hepatis, meſenterij, & lienis infarctus à craſſis & lentis ſuccis; vt etiam pulmonum & aſperæ arteriæ: in inteſtinis fæcum induratio, lumbricorum multitudo vias ſæpiſſimè obturant: frequens eſt renum, vretherum, veſicæ obſtructio à calculis, ſabulo, grumis ſanguinis, muco, pure, & ſimilibus. Impletur etiam ſæpè thoracis capacitas effuſo intus ſanguine aut ſanie per vulnera & empyemata. Cutis exteriora ſpiracula obturantur admotis oleis, vnguentis, quæ implere illa poſſunt; natatione in aquâ aluminoſâ aut gypſeâ, & ſimilibus. Denique quæcunque partes meatûs aut cauitates habentes in ſeipſis, per congeſtionem alienam materiam colligunt, vel per fluxionem ex aliis, ſuſcipiunt morantem ibi humorem, obſtructæ dicuntur, ſiue morbo organico viæ, vel meatûs detineri. Obſtructionum verò iſtarum remotiores cauſæ tam internæ quàm externæ ſunt quæcunque aptæ natæ ſunt ad eiuſmodi tumores, carunculas, adnata, flatûs, humores, calculos, arenulas, pus, & ſimilia generanda: vel ab vnâ aut pluribus partibus in eam quæ ſuſcipit, transferenda: illæ autem omnes reuocari poſſunt ad ea quæ aſſumuntur, admouentur, geruntur, & in corpore noſtro præter naturam excernuntur aut retinentur, quorum longiorem tractationem compendij iſtius ratio non poteſt ferre: Quare ad indicationes iſtorum affectuum iam accedamus.

Hæc omnia primùm cùm ſint res præter naturam, ſui ſublationem ſuadent, idque per contrarij vſum: quod ſcilicet præſentem diſpoſitionem immutare queat, & amiſſum naturalem ſtatum huic oppoſitum reſtituere. Qualitas igitur ſiue genus remedij ex eis repetetur, quæ id ſuâ vi & effectu præſtare poſſunt, quamuis ſemper talia non ſint ſecundùm qualitates manifeſtas & denominationem. Quantitas autem, Tempus, Modus, Forma remedij, & ordo, ab indicationibus & coindicationibus ſolitis repetantur.

Dilatationis igitur, vt ab eâ exordiamur, cauſæ ſiquæ adhuc externæ ſubſiſtunt, quæ affectum generent, augeant, aut conſeruent, ſedulò auferendæ: Quibus remotis interiores contemplandæ, & ſiue humor, ſiue flatus, ſiue calculus, aut quid ſimile ſuâ copiâ aut qualitate diſtendat partes & amplificet nimiùm: omni arte & ingenio tollatur, pro vniuſcuiuſque partis affectæ naturâ & varia conformatione: Quod ſi omnimoda ſublatio non ſit ſperabilis, ſaltem traſpoſitio molienda, vt docet Galenus, quando res ipſa vrget, vt in calculo vreteras, vel vrinæ meatum occupante præſtare ſolemus; dum ex arctioribus eiuſmodi locis eundem in capacitatem, vel

veſicæ

Digitize

veſicæ fundum transferimus. Non negligendæ etiam cauſæ antecedentes, quæ eiuſmodi dilatationis morboſæ immediatam cauſam fouent. Quòd ſi ob facultatis expultricis nimium conatum illud contingat, ſollicitatæ nimirum ſucci alicuius acrimonia, vel quapiam alia re moleſta: eius impetus ſedandus lenientibus & exquiſitiorem partis ſenſum obtundentibus, aliquando etiam narcoticis, vrgente neceſſitate. Sin verò ob retentricis infirmitatem & exolutionem, confirmandæ partes erunt adſtrigentibus, roborantibus, & quibuſcunque aliis quæ vires partium reparare ſolent.

Idem dicas de Adſtrictione cauitatũ, meatuum, & orificiorum, ſi enim ex coalitu contingat, ſecante aut vrente ferro, cauſticis, & ſimilibus diuidenda aut atterenda pars ea quæ meatum occludit, deinde immiſſis fiſtulis plumbeis, aut argenteis, candelâ cereâ, lichyniis, & ſimilibus in debito ſtatu continenda, donec firmam cicatricem contraxerit. Si verò adſtrictio contingat per compreſſionem rerum externarum aut internarum, illarum ſublatio indicatur ſi ſit poſſibilis, aut ſi non ſequatur ex ea re maius incommodum. *Sic v.gr. periculi plenum, atque prohibitum, fœtum ex vtero deturbare, quod veſicam & inteſtina comprimat.* Si concidant præ nimiâ humiditate parietes cauitatum aut meatuum; exſiccandi. Si ob deficientem materiam, (*quod rarum eſt*) regeneranda eiuſmodi materia, quæ ibi contineri ſolebat: & natura infimior, ſi fieri poſſit, inſtauranda, antequàm omnino collabatur. Denique exſiccatio, refrigeratio, contractio, tenſio, vel inuolutio, quibus eiuſmodi meatus aliquando adſtringuntur, (*quæ Medicis magnum ſæpè negotium faceſſunt*) expugnandæ per ſua contraria & quæ eiuſdem cauſas auferre poſſint, quæ perito artifici facilè eſt inuenire, pro vniuſcuiuſque naturâ & variâ conſtitutione.

Verùm in Obſtructionibus ſoluendis, maior eſſe ſolet opera & ſollicitudo: vtpote ex quibus frequentiſſima aliorum morborum origo exiſtit: ita vt nulla ſit maior apud Medicos quàm infarctûs, obſtructionis, & oppilationum querimonia. Quomodo igitur ſint certâ methodo auferendæ, videamus. Quæcunque materiæ obſtruentes firmiter adhærent lateribus cauitatum ac meatuum, vt tumores præter naturam, tubercula, pinguedo, caruncula, & ſimilia: illa propriam habent & peculiarem curationem ſuis locis explicandam, quæ verò non adhærent; ſed continentur tantùm intra meatûs vel cauitates, poſſunt vel quantitate peccare, vel qualitate, aut vtriſque. Quantitate ſola peccantia, vacuationem indicant. Sic ſanguis, quantitate peccans, dum nimiâ copiâ in venas vteri fertur, & ſibi-ipſi viam præpedit, ne effluere ſolitis periodis poſſit, facilè adminiſtratâ phlebotomiâ minuitur. Flatûs etiam multitudine ſuâ obſtruentes, reſoluendi, diſſipandi. Pus; ſanguinis grumi, calculus, arenulæ, &c. Vbiuis ſubſiſtant & ἔμφραξιν pariant, extrahenda, ſi omnia conſentiant; aut ſaltem à ſede in quâ morantur, ſi ſit anguſtior, in commodiorem transferenda: ſic ſuffuſionis cauſam nempe cataractam, quæ pupillam obſtruebat, acu deturbamus in inferiorem oculi locum, vel in angulos coniicimus, vbi viſionem minùs impedire poteſt. Lumbricos & duriores inteſtinorum fæces conuenientibus potionibus & clyſteribus educimus.

Craſſus verò & viſcidus humor, qui frequentiſſima eſſe ſolet obſtructionum cauſa, & de quo principaliter intelligitur oppilationum nomen, ratione craſſitiei; incidentia & attenuantia ſuadet eſſe vſurpanda; Ratione lentoris & viſciditatis, detergentia. Quæ plus vel minùs valida eſſe debent, provt illa obſtructio in primâ, ſecundâ, vel tertiâ corporis regione deliteſcit: in quorum vſu notandum, attenuantia & incidentia perpetuò detergentibus præmitti debere, vt humor aperientibus præparatus & quaſi ſubactus, faciliùs obſequatur: aut ſi malis, conficienda remedij formula, quæ ex his tribus medicamentorum generibus conſtet, provt magis vel minùs attenuandum, incidendum, aut detergendum erit: His debent inuicem ſuccedere purgantia; vt qui præparationem ſuſcepit humor, alternis quaſi & mutuis vicibus expellatur. Quod nobis in vſu apozematum noſtrorum eſt frequentiſſimum: interdum etiam mollientia obſtruentibus iſtis humoribus conueniunt; quoties nimirum illa materia fuerit propter nimiam moram aut caloris exceſſum in partibus indurata, Ad hanc igitur incidendi, attenuandi, detergendíque humore robſtructionem facientes, aptiſſima ſunt ea quæ vulgò Diuretica, Menſes mouentia, & Sudores prouocantia dicuntur, quorum tam interiùs quàm exteriùs adhibitorum, ſunt varij gradûs & peculiares reſpectûs ad hanc potiùs quàm illam partem ab obſtructione liberandam, horum deſcriptiones peculiares vnicuique habere licet, tum ex formulis remediorum à nobis tradendis

tum aliorum qui ex professo hac de re scripserunt. Nunc itaque satis sit pro huius compendij ratione, Remediorum genera & facultates annotâsse.

CAPVT IX.

De lauitate & asperitate præter naturam.

INTERIOR illa partium organicarum atque etiam exterior superficies, vel plana & æquabilis secundùm naturam esse debet, quam læuem ex læuore & læuitate vocant, quando partes æqualiter sitæ, nullam tactui inæqualitatem adferunt. Vel aspera, inæqualis, & rugosa, quando partes inæqualiter sitæ, tactui diuersitatem & inæqualem positionem repræsentant: sic ossium, cutis, & aliarum ferè omnium partium externa superficies æqualis & læuis facta est à naturâ ad indolentiam, ne aut suppositas sibi partes læderent, aut ab occursantibus offenderentur. Ductûs verò & interna conceptacula cùm ita sint à naturâ comparata, vt materia quædam debeat leuiter & æqualiter per illa ferri, aut in eis diutiùs subsistere: ideò in illis, v. gr. œsophago, cannâ pulmonum, vreteribus, venis, arteriis, & similibus, interiorem superficiem æqualem, læuem & planam fabricata est: in aliis verò, vt ventriculi fundo, intestinis, vtero, inæqualem, rugosam, & asperam. Vnde his constitutionibus præter naturam immutatis exoriuntur asperitatis & læuitatis morbi, qui vsus partium istarum perturbant, atque peruertunt.

Horum verò causæ multiplices, internæ & externæ: nam vulnerantia, erodentia, abstergentia nimiùm, adstringentia, exsiccantia, aut etiam replentia multùm, exasperare possunt partes: sic ossa vulnerata, dissecta, fracta, corrosa, naturalem læuorem amittunt, & grandioribus minoribúsve frustulis circumiectam carnem lancinant: sic asperæ arteriæ interna pars inæqualis redditur, & vocem raucam aut clangosam efficit, imbuta humore nimio, exsiccata valdè, detersa, aut vlcerata: quod eadem ratione de aliis asseri potest: quæ verò humectant asperiores partes aut lentâ quadam & mucosâ materiâ particulas illas inæquales replent, læuitatem illis inducunt: vt etiam vulnerantia & erodentia per accidens, dum curato vlcere cicatrix parti inducitur. Sic lienteria in ventriculo & intestinis exoritur, tum ex humore glutinoso internæ toti tunicæ obducto, tum ex inductis cicatricibus post læuiorem dysenteriam, sic maiora veteri vlcera sterilitatem inducunt, contractis cicatricibus, quibus plani & læuiores redditi locelli isti genituram aut fœtum continere nequeunt, istis itaque affectibus adhibenda therapeia ex conuenienti causarum efficientium διαγνώσει siue per se siue per accidens, proximè aut aliis intercedentibus agant: quæcunque igitur exteriùs posita affectûs istos producere, augere, vel conseruare videbuntur, ea protinus auferenda, vt etiam siquis humor internus suâ qualitate aut quantitate officiat, vacuatione accommodatâ tollendus erit. Genitus verò iam affectus pro varietate partium emendabitur. Ossium enim asperitates & apices tollimus secante & læuigante ferro, vel causticis cariem tollentibus, vt oleo vitrioli, aquâ forti, & similibus: vel exfoliantibus vulgò dictis quæ desquammationes perficiunt, vt suis locis docetur. Siquod vlcus asperam arteriam occupârit, curandum vt reliquarum partium exanguium; si nimio humore madeat, ea pars exsiccanda; si nimiùm sit exsiccata, denuò conueniens humiditas concilianda, bechicis & arteriacis, quæ suis locis describentur. Vbi verò læuitas præter naturam inducta est quibusdam partibus, incurabilis censenda, si ex contractis grandioribus cicatricibus acciderit: quia non licet vlcus in partibus istis internis denuo reficere. Sin verò ex muco & pituit âlentâ ac viscidâ ortum habeat, incisione & detersione, necnon illius vacuatione tolletur, sumptis à naturâ humoris & partis indicationibus.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT X.

De numero ac magnitudine auctis vel imminutis.

VNa eadémque operâ morborum numeri & magnitudinis curatio abſolui poteſt : Vterque enim poſitus eſt in quantitate auctâ vel imminutâ partium, eâque continuâ, vel diſcretâ, quorum etiam cauſæ ferè eædem. Magnitudo enim in toto augetur præ nimiâ ſanguinis & adipis copiâ, vt in Nicomacho Smyrnæo (*Gal. 1. de differ. morb. ca. 9.* quem ſanauit Aſclepides) aliiſque multis qui præ craſſitie mouere ſeipſos nequeunt, vel ad motum valde ſunt pigri : Aliàs augetur nimiùm in aliquâ parte, tum ex affluxu laudabilis ſucci, vt mulieribus quibus omentum valde pingueſcit, & vteri os comprimendo ſterilitatem inducit ; tum vitioſi, per fluxionem irrumpentis, vel per congeſtionem collecti, vt quibus atheromata, ſteatomata, melicerides, & eiuſmodi tumores inſignis magnitudinis naſcuntur. Contrà verò eadem magnitudo minuitur in toto, quando per phthiſes & maraſmos horrenda macies inducitur, & corpora inſtar ſceleti gracileſcunt, defectu alimenti proprij, quod variis de cauſis abſumitur & deficit. Quod eâdem ratione parti contingit, quando aut non ſuſcipit, aut non conficit ſibi conuenientem alimoniam ; Vel etiam quando ſecante vel vrente ferro, cauſticis, & ſimilibus portio quædam membri, ver. gr. gangrænâ affecti, tollitur, vt quotidie videre licet. Numerus pariter abundat præter naturam in multis, quibus natura in vtero ex copioſiore materiâ plura confinxit membra, quàm par ſit, vt duo capita, ſex digitos, tres teſticulos, & ſimilia, quæ monſtroſis hominibus accidere videmus; Vel etiam poſt ortum, ex vitioſo humore partes actionibus moleſtas produxit, vt pterygia, calculos, lumbricos, & reliqua huiuſmodi. Minuitur eodem modo Numerus ex deficiente in vtero materiâ ; illis potiſſimùm quæ violenter agunt in nos, hominéſque reddunt mutilos, auellendo, amputando, comburendo aut putrefaciendo partes.

His igitur omnibus mederi ex conuenientibus Indicationibus oportet, Nimia enim obeſitas totius, vel partis, quæ ex laudabili ſucco contigit, eiuſdem vacuatione, vel ad alias parter retractione, victúque attenuante & exſiccante emendatur : Ex vitioſo autem genita magnitudo, per ea quæ vacuant, reuellunt, deriuant, aut repellunt, vt faſciis & ligaturis quibus aſtricta pars verſus fluxionis originem minùs eſt apta excipiendo humori : denique illis quæ hærentem parti materiam inſenſibiliter vel ſenſibiliter exhauriunt. Deficiens verò magnitudo in toto & in parte, analeptico victu inſtauratur, balneis, frictionibus mollibus, lentis percuſſionibus : dropacibus, & ſimilibus quæ ſanguinem allicere poſſunt & concoctionem partis iuuare. Quod ſi portio ſit ſublata ferro aut aliâ quâuis vi, induſtriâ eam ſarcire nitimur. Sic enim hac ætate multi docuerunt (*Amb Pareus.*) ex dimidio truncatas nares reparare, linguam ex dimidio ſectam adhibito quodam inſtrumento ita iuuare, vt ægri ſatis liberè loqui poſſint.

Numerus pariter abundans ſi tolli poſſit abſque periculo, illius in totum ſublatio tentanda ferro aut cauſticis : Sin verò periculoſa ſit, vt ex naturâ ægri & partis licet cognoſcere, meliùs eſt talem noxam relinquere, quàm ægros in vitæ diſcrimen præcipitare. Nota eſt illius hiſtoria qui ob diſſectum adnatum quoddam fronti cornu interiit, & ſic de reliquis. Poſſumus tamen ſi partes illæ id ferant, vt calculus, tranſpoſitionem tentare, & in eo loco continere vbi minus moleſtiæ adferunt. Imminutus denique numerus partis organicæ nunquam reſtituitur, ſed eodem modo quo deficiens magnitudo, iacturam illam reponere tentamus, artificioſis quibuſdam partibus, quæ vſum & decorum verarum quodammodo repræſentant : Sic dentes eburneos aut argenteos edentulæ mulieres ſibi confingunt, ferreas manûs, ligneos pedes, & crura in deperditorum locum reponere ſolemus, Quæ ſuis locis accuratiùs dicuntur.

CAPVT XI.

De malo ſitu & connexu, vbi luxationum Indicationes traduntur.

VLTIMVM ſupereſt morborum organicorum genus, quod ſitûs & connexûs vocant. Cùm enim omnia in corpore noſtro debeant eſſe εὔμικτα, εὐάρθρα, καὶ ξυνπάθεια; ideò oportuit etiam partes ſingulas ritè connexas eſſe, & in ſuo vbi, ſeu naturali ſtatione collocatas, vt inuicem facilè communicare poſſint ad actiones tam primarias quàm ſecundarias ſeu dependentes, exercendas. Quæ diſpoſitiones, vt variis modis immutari poſſunt, ſic etiam varij inde præter naturam affectûs exoriuntur, quorum Indicationes curatiuæ pro ratione cauſarum internarum & externarum, inueniendæ vt dicemus.

Quæcunque igitur partes continentur in aliis velut loco proprio, illæ ſitum & connexum naturalem amittere poſſunt, vel vitio ſuo & diſpoſitione quam ἀδιαθετικὴν vocant, vel continentis partis, aut ligamentorum. Sic enim omentum aut inteſtina, craſſiora pinguioráque quàm oportet, reddita, ſuâ vi & pondere rupto vel dilatato peritonæo in ſcrotum deuoluuntur, & varias herniarum ſpecies conſtituunt. Continentis verò partis vitio fit, quando v.g. inteſtinis ſuam & naturalem magnitudinem ſeruantibus, peritonæum tamen imbecillius vel ob natiuam & hæreditariam διάθεσιν diſſoluitur, vel alio quocunque modo laxatur & diſrumpitur: Quemadmodum ſectâ aut erosâ corneâ oculi tunicâ, vueam procidere videmus. Ligamentorum verò defectu illud contingit, quoties laxiora vel infirmiora reddunturs, quàm vt in naturali ſitu ſibi annexas partes continere valeant: ſic enim vterus, inteſtinum rectum, & ſimiles partes procidunt præ extenſione nimiâ, aut imbecillitate vinculorum ſuorum.

Quæ verò partes non continentur, ſed connectuntur tantùm, vt oſſa quæ coarticulationes illas varias corporis noſtri conſtituunt, diarthroſeωs, ſynarthroſeωs, & ſymphyſeωs nomine donatas, quarum ſunt ſpecies variæ, ſitum & connexum naturalem amittere poſſunt, vel defectu excipientis (ſcilicet acetabuli, in quod alterius oſſis caput inſeritur) vel excepti; aut etiam firmantis & connectentis, ſeu vinculi: facilè enim delabitur ac decidit os, quando cauitas quæ illud excipit, nimiùm lata aut ſuperficiaria exiſtit, vel ablatis ſuperciliis & marginibus labefactata. Quando etiam oſſis caput, quod inſeritur in illam cauitatem, maius aut minus exiſtit, aut quocunque alio modo malè figuratum; aut ligamenta laxiora & infirmiora; exoriuntur facilè luxationes, aliquando ſimplices, & nulli alteri affectui coniunctæ; tum compoſitæ & alteri diſpoſitioni morboſæ complicatæ, vt fracturæ, inflammationi, vulneri, vlceri, dolori, duritiei, & ſimilibus; Quæ ſunt vel perfectæ, completas vulgò vocant, quando os ſuo loco omnino excidit; vel incompletæ, quando os non in totum, ſed aliquatenus à ſuâ ſede modo in longum, modo in latum dimotum eſt, & actio partis quodammodo exercetur, (παραρθρήματα & ſubluxationes dicuntur; quæ aliquando ab ortu etiam conſpiciuntur.)

Hæc verò omnia fiunt à cauſis externis internisque: ſæpè enim violentior motus, vulnerantia, diſtendentia, iſtos affectûs nullo exiſtente priùs interiore vitio pepererunt: ſæpè inteſtinum eſt detrimentum, vt imbecillitas ab ortu contracta, flatuum copia, humorum prolapſus, &c. Quæ vel adhuc faciunt augéntque affectum, vel eundem fouent, & confirmant.

Ad indicationum igitur inuentionem, eo modo progrediendum eſt quò diagnoſis & cauſarum notitia nos perducet. Situs enim & connexus partium vitiatus primò oſtendit, non ſolùm reponendam eſſe partem quæ à naturali ſtatione receſſit, ſed etiam firmiter retinendam. Remouendæ igitur omnes cauſæ externæ ſiquæ adſint quæ adhuc augeant vel conſeruent affectum, vt & internæ omnes antecedentes, poſtmodum ad ipſammet diſpoſitionem veniendum; vt ſi vitio continentis fiat, aut contenti, vel ligamentorum, vnicuique proſpiciatur: ſic prolapſum in ſcroti cauitatem omentum, aut inteſtina ob ruptum vel laxatum peritonæum, citiſſimè & quàm minimo fieri poteſt dolore reponimus; antequàm in illo

indurueric

indurueritſtercus, aut inflammatio ſit oborta: collocatóque, vt decet, homine quietem imperamus, donec exſiccantibus & adſtringentibus ſumptis aut admotis, vel Chirurgico opere, quod hac noſtrâ ætate feliciſſimè ad herniarum curationem vſurpatur, pars continens ita ſit confirmata vel coarctata, vt deinceps contentæ partes prolabi non poſſint. Quod ſi omnino aſſequi non poſſumus, emplaſtris, ſubligaculis, & eiuſmodi inſtrumentis robur parti infirmiori addimus. Eadem ratione proſpicientes tum partibus contentis, tum vinculis præter naturam conſtitutis, pro varietate illorum: Quæ exempli causâ à nobis dicta ſint.

Sic luxationes & ſubluxationes variis ſcopis curamus. Primò enim articulum ſuo loco motum, in propriam & naturalem ſedem reducimus: idque luxatum membrum in diuerſas partes, præcipuè ſecundum rectitudinem oppoſitas decenter flectendo & extendendo, donec ſpatium inter oſſa naturaliter coëuntia liberum ſit, tunc enim os quod ſuo loco excidit, ab eâ parte in quam prolapſum eſt, ad contrariam impellitur, & in acetabulum ſuum commodè reponitur. Quod leniter & quantum licebit indolenter, vt diximus, præſtandum eſt, pro natura luxationis & partis luxatæ, modò manibus ſolis, modò iniectis habenis, faſciis, gloſſocomo, & aliis machinis ab Hippocrate & aliis authoribus noſtris traditis id tentandum. Secundò repoſitum os ita ſtabilire conabimur, ne deinceps ſuâ ſede prolabatur: illito igitur parti roſaceo, appoſitiſque pannis eodem delibutis, vel ſtuppis oui candido imbutis, deinde faſciis poſcâ madentibus membrum commodiſſimè deligatur: Et ſi opus ſit, ferulis ex corio aut denſâ papyro, vel etiam ferro aut ligno circumdatur. Atque ita in ſchemate ſeu figurâ naturali maximè indolente & commodâ reponitur & continetur. Quibus præſtitis nihil ante ſeptimum, nonum aut vndecimum diem mutamus, niſi inflammatio aut dolor ſuperuenerint: illis autem elapſis hæc remouemus, & partem decocto aliquo conueniente vel ſolâ tepidâ fouemus, vt mulceatur dolor, & ſiquid propter deligationem expirare non potuit, digeratur; deinde ſtrictiùs obligamus, & emplaſtro, quod conſtet farinâ volatili, puluere rubro communiter dicto, & albumine oui in vnum corpus redactis inuoluimus. Empirici ſolo oxycroceo vtuntur, aut etiam dropace, miſto ſale, cumino & fænugræco, quod non eſt improbandum, quando non adeſt ampliùs metus fluxionis aut inflammationis.

Tertiò enim ad luxationum curationem videndum eſt, ne fluxiones in partem affectam fiant, quas conueniente diætâ, vacuantibus, reuellentibus, & deriuantibus à nobis commemoratis arcere oportet.

Quartò & vltimò omnia ſymptomata & morbi qui luxationibus implicantur, commodè ſunt pertractandi. Hinc perſeuerante dolore vel inflammatione, non licet luxatum membrum reponere, ex Hippocratis & Celſi ſententiâ: ſin autem cum vulnere aut fracturâ complicata ſit luxatio, curanda erit pro ratione Indicationum mixtarum, de quibus ſuo loco acturi ſumus. Atque hæc de morbis organicis.

CAPVT XII.

De Indicationibus in morbo communi, ſeu ſolutione continui.

Actenvs morborum partibus ſimilaribus & organicis propriorum Indicationes curatorias abundè pro inſtituti noſtri ratione perſecuti ſumus: ſupereſt igitur vt hoc capite vltimum & vtriſque commune vitium, quod ſolutionem Continui ſiue Vnitatis vocant, abſoluamus. Quamuis enim Auerrhois hoc morbi genus ſimilaribus partibus proprium fecerit, Argenterius contrà organicis; melius eſt tamen cum Galeno vtriſque commune facere: Nam vt totum corpus vnum eſt & dicitur vnitate formæ, & partium ſuarum continuitate: ſic partes tam ſimilares quàm organicæ vnum quid ſunt, non ſolùm per proprias illas ξυγκρασίας & naturalem συμφυίαν, ſed etiam per continuitatem & contiguitatem, (vtrumque enim ſub ξυνεχεία complectuntur Medici) quæ cùm faciant ad vtrarumque actiones perfectè edendas, ſequitur etiam ex axiomate Pathologico, in vtriſque illa violata aut immutata

immutata, quando ſcilicet duo vel plura fiunt ea quæ priùs vnum erant ratione ſuorum extremorum, exoriri diſpoſitionem præter naturam ſolutæ vnitatis, quæ aliquando ſimul & ſemel actiones ſimilares & organicas labefactare poteſt, vt videre licet in magnis ſectionibus membrorum, quæ non ſolùm nutritionem partis conuenientem impediunt, ſed etiam functionem quamcunque organi, vt in manu apprehenſionem, in pedibus ambulationem, & ſimiles. Aliquando ſimilares tantùm actiones deprauat, illæſis organicis, vt ſæpè vlcuſculum corneæ tunicæ, viſionem minimè impedit: Aliàs verò contrà organicos impedit, ſaluis ſimilaribus, vt in apoſpaſmate patet, quando ex toto organo aliqua ſimilaris, vt tendo, neruus, vena, aut arteria auellitur reliquis intactis, quæ ſuo tunc munere ſatis perfunguntur ſolâ diſpoſitione organicâ læsâ. Dicitur itaque morbus hic communis, non quòd ſemper vtriſque accidat, ſed quod vtriſque accidere poſſit, vel ſimul & coniunctim, vel ſeorſim.

Porrò vt alia morborum genera in ſuas rurſum ſecantur ſpecies, quarum Indicationes propoſuimus: ſic vnitatis ſolutio non vna & ſimplex eſt, ſed ſuam patitur diuiſionem, quæ accuratè tenenda eſt, vt ſecundùm eius varietatem, Indicationum etiam natura in ſingulis reperiri poſſit. Quàm verò dubius ſit hac in parte Galenus, & parum accuratè Solutionis Continui ſpecies tradiderit, vnicuique facilè eſt videre. Nos igitur qui rerum tantùm capita hîc conſectamur, dicemus huius morbi, vt & organici, tot eſſe ſpecies ſiue differentias quot ſunt cauſæ coniunctæ & immediatæ, quæ hunc affectum producere poſſunt. Hæ verò quatuor ſunt, nempe Sectio, Eroſio, Contuſio, & Diſtenſio, ad quas omnes aliæ referri facilè poſſunt: Totidem igitur erunt ſolutæ vnitatis ſpecies.

Vt igitur Sectio ab externis ſcindentibus vel pungentibus fieri poteſt: Eroſio ab humoribus internis acrioribus, & ab externis corrodentibus: Contuſio ab externis, duris, & grauibus violenter admotis: Diſtenſio ab interiore plethorâ aut flatu diuellente, & ab externis magno robore diſtrahentibus: ſic etiam variis partibus ſimilaribus & organicis accidunt, in quibus propria aliquando ſortiuntur nomina, aliàs nullo ſunt douata, ſed notatione cauſæ & partis deſcribuntur: in oſſe ſolutio continui à ſecantibus, contundentibus, aut diſtrahentibus facta, generali vocabulo Græcis κάλαγμα, nobis fractura dicitur: ab erodentibus ἕλκος ſiue caries; in reliquis partibus τραῦμα vulnus appellatur, quando ſectio, contuſio, aut diſtenſio ſoluit continuum: Vlcus verò ἕλκος quando Eroſio illud præſtitit.

Verùm quia noſtrum non eſt in hoc opere, omnium particularum morbos conſectari, ſed tantùm Indicationes eas reperire, quæ ſingulis morborum ſpeciebus competere poſſint: ideò in hoc morbi genere, idem habemus præſtandum. Quamuis autem magis eſſet artificioſum inquirere nunc ſigillatim, quomodo partium vnitas, velut primaria morborum iſtorum Indicatio reparari poſſit, quando ab eroſione, ſectione, contuſione, aut diſtenſione labefactata fuerit: quia tamen hodie ita vſus inualuit, vt tractatus Chirurgici diuidantur in explicationem tumorum præter naturam, vulnerum, vlcerum, fracturarum & luxationum: ideò etiam nos eandem conſectabimur tractandi rationem. Cumque priùs de luxationibus inter morbos organicos actum ſit, & in tertiâ operis parte de Tumoribus præter naturam, vtpotè compoſitis morbis acturi ſimus, ſupereſt vt hoc capite ſequenti de Vulneribus, Fracturis, & Vlceribus agamus.

CAPVT XIII.

De Vulneribus.



Pvd Hippocratem vulnus modò τραῦμα, aliquando τρῶμα dicitur: quidam tamen ita diſtinguunt, vt τρῶμα peculiari ſignificatu, vulnera tantùm illa deſignet, quæ cum manifeſtâ ſolutione continui contingunt ex ſectione aut punctură; τρῶμα verò generaliùs omnem ſolutionem continui complectatur, tam quæ eſt valdè manifeſta, quàm minùs manifeſta ex contuſione, attritione, tractione, aut aulſione orta. Quæ ſignificatio nobis nunc erit magis ex vſu, vtpote qui per vulnus cum Galeno omnem intelligimus

gimus ſolutionem continui in quacunque parte, molli, durâ ſeu mediocri, quæ recens facta à ſecantibus, contundentibus, vel diſrumpentibus, abſque pure aut ſanie ſubſiſtit. Diſtinguitur enim ab vlcere, quòd vlcus non à ſecantibus, contundentibus, vel diſrumpentibus fit primò & per ſe, ſed ab erodentibus: & quòd vulnus cruentum, non ſanioſum exiſtit: tum enim demum in vlcus degenerat, quando eiuſmodi ichores & purulenta materia in illo colliguntur. Vulnerum igitur cauſæ non ſolùm externæ erunt quæcunque ſecare, contundere, aut diuellere poſſunt, ſed etiam internæ quæ vaſa aut membrorum tunicas diſrumpere valent, vt plethora nimia, flatus copioſi, ſpirituum agitatio per clamorem, exercitatio violenta, & ſimiles, quæ idem præſtare conſueuerunt.

Differentiæ autem vulnerum cùm à tribus repetantur. 1. à natura particularum ſimilarium & diſſimilarium; ſimilarium, mollium qualis eſt caro muſculoſa, glandulosa; viſceroſa, pinguis: durarum vt oſſium, cartilaginum, ligamentorum: Mediocrium, vt cutis, membranarum, neruorum, tendinum, venarum, & arteriarum. Diſſimilarium verò, principum, ad vitam neceſſariarum, & miniſtrantium. 2. ab eſſentiâ ipſorum vulnerum, quatenus reſpiciunt ſubſtantiam, quantitatem, figuram, & ſitum: Vnde vulnus aliud cum deperditione ſubſtantiæ exiſtit per apocopen factum: Aliud ſine vllâ ſubſtantiæ iacturâ per ſimplicem diacopen: Aliud magnum, paruum, & mediocre æſtimatur pro maiore aut minore diuiſione. Aliud appellatur longum, latum, æquale, inæquale, obliquum, rectum, ſerratum, aduncum, rotundum, pro variis figuris & modis quibus infligi poteſt. Aliud denique ex ſitu profundum, aliud ſuperficiarium vocatur. 3. Differentiæ vulnerum petuntur à complicatione cauſarum morbificarum, vt fluxionis vel congeſtionis, veneni cum telo aut morſu illati, & ſimilium: morborum, vt tumoris, intemperiei, luxationis, & ſimilium. Symptomatum, vt doloris, hæmorrhagiæ, pruritus, & aliorum. Harum inquam, omnium differentiarum à partibus, eſſentia, & complicatione ſumptarum Indicationes non eſt noſtrum proponere, qui particularia ad ſuos proprios tractatus remittimus. Videamus igitur quibus Indicationibus ſeu ſcopis generatim perficiatur curatio ſolutionis continui à ſecantibus, contundentibus, & diuellentibus facta, quæ à nobis vulnus eſt appellata.

Sectio igitur ſiue diuiſio partium manifeſta, vel fit cæſim, vt diximus, vel punctim. Quæ cæſim fit, omnes illas plagas complectitur quibus partium continuitas valde labefactata apparet, & oræ ſiue labra ſectorum corporum, propter natiuam grauitatem valdè inter ſe diſſident in ſimplici diacope; quemadmodum per apocopen ſublatâ partis ſubſtantiâ, longè etiam ſoluitur continuitas. Quæ verò punctim infertur, vix vnquam ſubſtantiam partium deterit, ſed exiguâ vt plurimùm ſectione vnitatem illarum diſſoluit. Quia tamen ad internas vſque faciliùs penetrare poteſt, ſi non in latum, ſaltem in longum, magnas facit & periculoſas continui diuiſiones.

Quicquid ſit; omnes ſolutiones continui, primam & generalem habent Indicationem, ipſam vnionem, quæ partim naturæ operâ, partim artis beneficio perficitur. Natura quidem ſuis naturalibus facultatibus inſtructa, ſubſtantiam illam mediam gignit, quâ velut glutino partes denuò inuicem vniuntur. Eſtque aliquando homogenea, & prorſus ſimilis priori, vt in carne & pinguedine; Aliàs heterogenea, non omnino ſimilis, vt in oſſibus, cartilaginibus, & ligamentis quæ per callum quendam vel porum inuicem ferruminantur, Ars verò naturæ adminiculatur in his ſolutionibus continui quinque intentionibus completis, quas Chirurgi ſolent ſibi vulgò ex Galeni doctrinâ proponere: Suppoſito priùs conuenienti victus regimine, & habitâ cauſarum primitiuarum & antecedentium, vt plethoræ ac cacochymiæ quæ affectibus iſtis, vt aliis moleſtæ eſſe ſolent, diligenti præuiſione.

His, inquam, ſuppoſitis, 1. eſt in hac partium diuiſione Intentio, vt ſiquid extrinſecus inciderit in partem vulneratam, amoueatur: Quomodo enim natura diſſitarum partium agglutinationem perficere poterit, permanente alieno medio? Siquid igitur ſubſit extraneum, vt teli cuſpis, glans plumbea, ſpina, harundo, oſſis fruſtulum, aut quid ſimile, & vulnus non ſatis dehiſcat, amplificandum: Si verò ſatis pateat, digitis, forcipe, volſellis, & ſimilibus inſtrumentis, quæ in opere Chirurgico deſcribuntur, quod infixum eſt aut intercidit, apprehendi debet, & leuiter ac indolenter, quantum fieri poterit, euelli. Sunt & medicamenta quæ parti admota, idem præſtare creduntur ex proprietate, vt radix cannarum, marrubij, & dictamni,

damni, Ammoniacum, ſagapenum, &c. Quòd ſi hoc præſtari ſtatim non poſſit, vel id perficere non audeamus, ob largiorem hæmorrhagiam, dolorem, ſyncopen, & ſimilia ſymptomata, vel etiam quia profundiùs poſitum illud extraneum in parte ignotá latet ſine ſenſu, vt ſæpè in glandibus illis ſclopetariis contingit, differendum donec commodior occaſio ſeſe offerat & paulùm recreatæ ſint vires. Prætereà hæc Intentio non ſolùm in principio poſt inflictum vulnus locum habet, ſed etiam quouis curationis tempore, ſi pus, oleum, pilus, aut quid ſimile interciderit, quod agglutinationem impediat. Imò ratione iſtorum ſolemus ſæpè in vulneribus profundis potiſſimùm, vnionem tantiſper differre turundis, fiſtulis ſiue cannulis, donec ea omnia ſufficienter expurgata fuerint. Quod ſi per ipſum vulnus, iſtud ſufficienter fieri nequeat, alios etiam ductus molimur, partémque in loco oppoſito vel commodiore ſecamus, vt extranea tandem educi poſſint.

Remotis extraneis ſuccedit. 2. Intentio, quæ diuiſas partes ſimul committere & deligare docet. Hæc verò in illis tantùm ſolutionibus locum habet, quæ ſunt ſine ſubſtantiæ partis ſenſibili iacturâ, in quibus enim illa contingit, non poſſunt diſſitæ oræ ſimul adduci, ſed oportet regenerari ſubſtantiam illam mediam, quâ partes diſtantes coniungantur: Harúmque curatio ad vlceris caui θεράπευσιν reduci poteſt, vtpote in quibus eadem ſubſtantiæ refectio indicatur. Item in vulneribus punctim factis aut cæſim, ſi exigua ſit diuiſio, parum ex vſu eſt hæc indicatio, quandoquidem in his oræ vt plurimùm non recedunt inuicem longiore ſpatio, quàm conueniat ad glutinationem faciendam. In ingentibus tantùm diuiſionibus itaque hæc intentio occurrit, quæ tum conuenienti tractatione manús periti Chirurgi perficitur, tum faſciis, ligaturis, ſuturâ, fibulis, & aliis, quæ diſſita inuicem labra adducere & colligare poſſunt. Quorum ſæpè vnum ſufficit, aliàs duo vel plura pro conditione partis & vulneris ſunt vſurpanda.

Non ſatis eſt adduxiſſe diſſidentes vulneris oras, quando competit; ſed adductas retinere, vt ibi deinceps maneant, quod tertia docet Intentio: eiſdémque ferè auxiliis perficitur, quibus ſecunda: Nam decenti deligatione Incarnatiuâ, vt vocant, Expulſiuâ, aut Retentiuâ: Suturarum variis modis: accommodatis puluillis, & conueniente membri ſitu ac figurâ retinentur, ne denuò partes diuelli ac diſſidere poſſint. Atque hæc intentio in eiſdem vulneribus locum habet, quibus & ſecunda, nempe magnis diuiſionibus abſque ſubſtantiæ iacturâ.

His accedit. 4. Intentio, nimirum partis vulneratæ ſubſtantiam & temperamentum conſeruare. Cùm enim debeat natura rurſum glutine quodam diſſitas partes coniungere, hoc autem gluten, nihil aliud ſit, quàm ſubſtantia quædam parti diuiſæ ſimilis; Præſtare hanc generationem nutritionémque non poteſt commodè, niſi per bonam & naturalem temperiem, quæ illi inhæret. Hac igitur conſeruatá, ſperanda erit facilis & proſpera agglutinatio. Subſtantia igitur & temperamentum partis conſeruabitur, ſi commoderatio & ſymmetria primarum qualitâtum remaneat, ſuccíque laudabilis moderata quantitas affluat. Id autem vt in plethoricis cacochymíſque corporibus fit, inſtitutâ conueniente diætâ, venæ ſectione, & purgatione: Sic ratione ipſius vulneris primis ſaltem diebus refrigerantia quædam & leuiter repellentia adhibere ſolemus, quæ nimium humorum in partem confluxum impediant. Poſtcà verò glutinantibus vtimur medicamentis, quæ ſcilicet naturæ actionem, mediam illam materiam producentis iuuent. Hæc Glutinantia vult Galenus eſſe ſiccantia, differre tamen à ſarcoticis, quæ magnam carnis in vlcere aut vulnere profundo generationem iuuant; & ab epuloticis, quæ cicatricem inducunt: Eſſe enim inter hæc media quoad ſiccitatem, in aliis verò glutinatorium neque detergere aut expurgare debere, ſed contrà prorſus ſubſtantiam partis in vnum cogere, ſuperfluam humiditatem exſiccando, & leuiter repellendo. Pro varietate autem & naturâ partium, varium eſſe debet glutinatorium & magis vel minùs exſiccans. Antiqui ceratis illis barbaris à Galeno recenſitis vtebantur: Vulgus Chirurgorum puluere, quem incarnatiuum vocant: Sunt hac noſtrâ ætate qui ſolis linteolis bene ſiccis & mundis ſimplicia hæc vulnera agglutinant. Alij balſamo illo nuper ex Indiis allato, quod multi puriorem ſtyracem eſſe autumant: Quidam ſolâ aquâ frigidâ idem conſequuntur: Quorum omnium remedia quamuis diuerſa videantur, in effectu tamen ſimilia exiſtunt, quia vel temperiem partis ſeruant, vel fluxiones repellunt, vel exſiccando agglutinant. Valeant igitur illi qui in ſimplici vulnere, digeſtiuis vulgò dictis ſeu ſuppurantibus

rantibus vtuntur, quæ humiditate illâ extraneâ partis ſubſtantiam eneruant, vnionem impediunt, & ſordidiſſima vlcera inducunt.

Quinta denique intentio curandorum vulnerum, eorum complicationes reſpicit, vt ſcilicet alienæ intemperiei, tumori, contuſioni, hæmorrhagiæ, dolori, conuulſioni, paralyſi, & ſimilibus accuratè medeamur. Quorum curatio, vt ex ſingulis ſuis capitibus eſt repetenda, ſic agendorum in illis ordo ex Indicationibus mixtis eſt definiendus. Hæc igitur de vulnere per ſectionem aut punctionem facto ſufficiant. Nunc de eo quod per contuſionem fit, pauca addamus.

CAPVT XIV.

De Contuſione.

CONTVSIONEM & Diuulſionem potiſſimùm à Sectione differre dicebamus, quòd illæ non manifeſtam ſolutionem continui efficiant ſed occultam. Quamuis enim Contundentia & Diuellentia eò vſque procedant, vt non ſolùm cutem, ſed etiam ſubiectas partas diſſoluant, quod in vulneribus ſclopetorum familiare eſt: Non tamen eſt neceſſarium ad Contuſionem & Diuulſionem illud contingere, ſed tantùm contiguitatem partium quodammodo diſſolui. Porrò harum Contuſionum & Diuulſionum effectus & ſigna ſunt ecchymomata illa, ſugillata, vibices, melaſmata, quæ ex caſu aut ictu obtuſarum rerum & non ſecantium contingunt, aut ex motu violenter & confertim facto vel vtriſque. Quando igitur non modò carnoſæ muſculorum partes, ſine cutis diuortio contunduntur, ſed etiam abrumpuntur, tunc è carne ipſâ & venulis exilit ſanguis in media ſpatia, ibíque primùm liueſcit, poſteà ſucceſſu temporis pars flaua & auriginoſa redditur.

Huius autem affectûs curatio ita inſtituenda, vt primò fluentem ad locum affectum materiam vacuemus & auertamus, ſi ingens fuerit contuſio vel abruptio. Vnde volunt Arabes in hoc affectu inſigniore ſemper venam eſſe ſecandam, quamuis exangue & minimè plethoricum eſſet corpus, arcendæ fluxionis causâ. Secundò parti ipſi auxilium & robur adferendo, rebus quodammodo refrigerantibus & ſtypticis, ne tam facilè fluxionem ſuſcipiat, & vt diſruptæ venulæ leuiter conſtringantur. Vnde roſaceo partem contuſam aut diuulſam, inungere ſolemus, deinde roſarum aut myrtillorum puluere inſpergere. Quidam albumen oui cum prædicto oleo permixtum, pulueréque dicto imbutum, ac ſtuppis impoſitum, alij vnguentum album Rhaſis, præcipuè in paruis contuſionibus admouere ſolent: in magnis verò, vt eis qui ceciderunt ex alto, inuoluunt ægros pelle arietinâ recenter extractâ, velut anodyno quodam generali & diaphoretico, aliquo puluere aſtringente aſperſâ.

Quibus præſtitis, reliquum eſt, vt ſanguinem illum in ſpatiis hærentem hauriamus & diſſipemus: idque aut ſenſibiliter, vt cucurbitulis & ſcarificationibus; qualia apud Practicos multa reperiuntur, & hodie aqua illa vulgò catapultarum dicta, excellentiſſimum eſt ἀφαιματικὸν. Nonnulli antiquorum thapſiam & auripigmentum ad id vſurpant. Quandoque accidit, vt grumoſus ille ſanguis diſſolui & diſcuti nequeat, ſed putredinem concipiens in ſuppurationem vertatur, quo tempore eadem eſſe poterunt ex vſu, quæ poſteà à nobis de tumore ſanguineo dicentur.

Porrò non erit hîc inutile per tranſennam annotare, in vulneribus contuſioni iunctis, qualia ſunt ſclopetorum, probanda magis calfacientia & exſiccantia cum tenuitate partium, vt eſt illa aqua ſeu decoctum catapultarum vulgò dictum iam commemoratum, ſedato priùs dolore aut inflammatione, quàm ſuppurantia, pinguia, oleoſa, & emplaſtica, quæ priſcorum vſus receperat. Quamuis enim dixerit Hippocrates & cum eo Galenus, carnes contuſas eſſe ſuppurandas; non tamen ideò adhibenda calida humidáque iſta & poros obſtruentia quæ augendo partis putredinem, ſæpiſſimè gangrænas, & ingentem partium corruptionem inferunt, aut ſaltem ſorditiem & colliquationem ſanioſam, vt illis qui caſtra ſequuti

sunt, aut vulneratorum copiam in Nosocomiis viderunt, animaduertere licuit. Exsiccantia autem & absorbentia cum tenuitate partium, qualis est illa aqua, dum redundantem ex ictu humiditatem exhauriunt, calorémque natiuum roborant, reliquum quod suppuratur, in laudatissimum pus album, læue, æquale, & minimè fætidum conuertunt, citissimámque vulnerum istorum contusorum curationem perficiunt. Nunc ergo ad vulnera ossium accedamus siue fracturas.

CAPVT XV.

De Fracturis.

DIXIMVS superiùs non esse propositum nobis hoc opere persequi Indicationes particulares vulnerum in singulis partibus, vt arteriis, venis, membranis, & similibus, tam similaribus quàm organicis: sed in specialibus esse subsistendum. Quia tamen consuetum est hodie, ossium vulnera quæ fracturæ dicuntur peculiari tractatione complecti: Et quia cognitis extremis media facilè innotescunt: quæ verò diximus præcedente capite potissimùm de vulneribus partium mollium intelliguntur, hæc verò durarum, ex quibus vulnerum in mediocribus curatio apparebit. Ideò iubet etiam fracturarum θεράπειαν hîc breuiter proponere.

Fracturam igitur, Græcis κάταγμα dictam, nihil aliud esse quàm ossis vulnus, quo illius continuitas sensibiliter dissoluitur à re contundente, scindente, aut violenter impellente, notissimum est. Cuius ideirco tot sunt differentiæ, quot vulnerum, à parte scilicet cui inhærent, vt caluariâ, maxillis, clauiculis, femore, & similibus quæ ossa ad firmitatem & securitatem à naturâ habuerunt. Atque à complicatione causarum; affectuum, & symptomatum, vt fractura cum fluxione, vulnere, vlcere, inflammatione, gangrænâ, dolore, pruritu, & similibus. Denique fracturarum differentiæ veræ petuntur ab earum essentiâ, vtpote substantiâ, quantitate, & figurâ: Sic enim alia est cum substantiæ iacturâ, quando portio quædam ossis est sublata: Alia verò sine vllâ substantiæ deperditione, sed solâ ossis diuisione magnâ vel paruâ, cum diuersis scissionum figuris, κατὰ μῆκος, ῥαφανοειδὲς, ζυγοειδὲς, σφηνοειδὲς, ἰσχιοειδὲς, ἀλφιτοειδὲς, κατ' ἀπόθρασιν, & similibus à veteribus curiosiùs recensitis. Quas ego malim cum Celso ad tres omnino reducere: Omne, inquit, os, modò rectum, vt lignum in longitudinem finditur, modò frangitur transuersum, interdum obliquum comminuitur. Hoc tamen addendo, variis istis fracturarum figuris accidere posse, vt sint cum squammulis & frustulis fracti ossis pungentibus vel prementibus vicinas partes; aut sine illis.

Porrò communis fracturarum Indicatio, vt in reliquis solutionibus continui, est vnio. Quia verò os durum siccúmque coalescere simul, & denuò concrescere nequit, nisi in valdè pueruli: Ideò ista vnio perficienda medio quodam velut glutino, quo commissa ossa stabiliantur & in suâ sede naturali contineantur: Media autem hæc substantia ex superfluo ossis alimento crasso viscidóque nascatur oportet, quod extremis ossis fracti partibus concrescens disiuncta frusta denuò colligat: Vocant πῶρον ζαρκοειδῆ; callum & glutinum, cuius productio conueniens, præcipua est & integra fractorum ossium curatio.

Hanc igitur vt assequamur, quemadmodum in carnis sectione dictum est, adducenda & reducenda ossis fracti frusta in suam sedem; ibi continenda; & generanda certis medicamentis & alimentis substantia illa quæ partes istas vnire debet. Denique siquid aliud fracturæ coniunctum complicatúmque sit, accuratâ methodo tractandum, prout res ipsa indicabit.

Vbi igitur primùm incideris in ægrum, cui os vnum aut plura confracta fuerint, quod ex motûs ptiuatione, interiore crepitu, & laxitate, vitiatâ figurâ, dolore, & similibus deprehendes. Curabis vt quæcunque partes abruptæ vel diuulsæ fuerint, denuò locum naturalem repetant. Id autem præstabis vel solus, si fractura in paruo fuerit membro, vt digito; Vel ab aliis adiutus, si in maiore fuerit, vtriisque aut manibus tantùm, aut si illæ non sufficiant, fasciis, laqueis, & machinis, quæ possint membrum illud leuiter vtrinque distendere, & in diuersa retrahere,

trahere, ita vt ægro membróque reſupinato & retracto paulò longiùs quàm naturaliter eſſe ſoleat, ne ſeſe in adducendo confringant, Chirurgus tum demum partes iſtas in ſuam ſedem compellat: quod ex concinnitate figuræ reſtitutâ & doloris ſedatione ſtatim cognoſcitur. Atque hæc repoſitio primis potiſſimùm diebus tentanda, quia poſteà non leue fluxionis & inflammationis periculum ſubeſſet. Quòd ſi oſſa fracta ſitum ſuum non mutârint, vt aliquando contingit, tunc ceſſat iſta indicatio, & faciliùs curantur. Contrà verò ſi nulla retractione contrectationéque reponi poſſint, ob quædam fragmenta, quæ inter partes vniendas intercíderunt, tunc neceſſaria eſt apertio talis fracturæ, vt iſta extranea quæ coalitum impediunt, auferantur.

Oſſibus ergo ſic rectè coaptatis, eorum poſitura ſeruanda eſt, vt priſtinam vnionem recuperent. Id autem fiet ſi membrum immotum permanſerit: Vt igitur ægro imperanda quies, ſic ligaturis proſpiciendum, ne dormiens vel incogitans partem illam agitare poſſit: faſciis itaque plus vel minùs longis latíſque vino rubro & ſtyptico imbutis, & ita conuolutis, vt docet Hippocrates reliquique Chirurgi, pars firmiter continenda; appoſitis priùs parti panniculis lineis oui albumine & roſaceo madentibus, vel ſtuppis poſcâ irrigatis, ita tamen vt ſi nullus dolor aut inflammatio adfuerint, arctiùs, & contrà laxiùs conſtringatur. Præter faſcias iſtas & deligaturam, vt pars immobilis & firmior maneat, ſolemus plagulas & ſubligacula comparare, quibus pars in naturali hoc ſitu ſeruetur.

Membro perfracto ita compoſito, ſi neque dolor, pruritus, inflammatio, aut exulceratio ſuperueniant, ad decimum vſque, vel etiam vigeſimum diem eiuſmodi apparatus relinqui poterit. Si verò illa accidant, tertio quoque die, ex ſententiâ Hippocratis, deligatio ſoluenda, & membrum aquâ temperatâ vel decocto quodam accommodato fouendum, vt dolor mitigetur, & ſanies, ſiquæ intus collecta fuerit, diſcutiatur.

His abſolutis ſcopis incumbendum eſt, vt callus & glutinum illud quo partes coire ac concreſcere debent, gignatur. Hoc autem cùm fiat ex craſſo & viſcido illo alimento, quo nutriuntur oſſa, ſuppeditanda eiuſmodi per diætam materia debitæ quantitatis & qualitatis ad agglutinationem faciens. Vt igitur in principio fracturæ tenuiſſimè nutriendum eſt, metu fluxionis & inflammationis: Sic versùs duodecimum aut decimum quintum diem, quo ferè accreſcere incipit Callus, vt ex ſedatione ſympromatum, & viuido partis colore innoteſcet, pleniùs nutriendum; iiſque alimentis quæ craſſitie quadam & lentore prædita ſunt, vt oryzâ, amylo, ſemolâ vulgò dictâ, pulticulis, vino craſſiore, quo priùs in totum abſtinuiſſe oportet, extremitatibus animalium, vt capitibus, pedibus, & inteſtinis hœdorum, veruecum, vitulorum, limacibus, ranarum coxis, teſtudinibus & ſimilibus, ſi nihil contraindicet, vt febris, &c. Aptiſſimus autem & firmiſſimus callus, neque minor eſſe debet, quàm vt oſſa ſtabilire poſſit, nec magnitudinem ineptam habere, quæ dolorem vicinis partibus inferat ac figuram deturpet. Promouẽdus igitur, ſi iuſto minor proueniat; inhibendus, ſi immodicè creſcat. Promouetur perfuſione aquæ calidæ, cibis quantitate & qualitate à nobis dictâ prædítis, admotis parti calfacientibus & attrahentibus, vt frictionibus. Inhibetur detracto alimento, arctis ligationibus, ſuperpoſitâ laminâ plumbeâ, quæ partem conſtringat, & ſimilibus, quæ breuitatis causâ omittimus. Quod verò attinet ad eorum curationem, quæ fracturis complicari poſſunt, eam ad particulares tractatûs remittimus.

CAPVT XVI.

De Vlceribus.

VAMVIS Vulneris Vlceriſque nomina ferè idem ſignificent apud Hippocratem & antiquos authores. Apud recentiores tamen illud eſt diſcriminis, quod vulnus primariò à causâ ſecante, contundente & diuellente fiat: Vlcus verò ab erodente. Quamuis enim ſuccedere poſſit cruentis vulneribus, contuſionibus, tumoribus præter naturam, & ſimilibus, oportet tamen perpetuò putrilaginem & ſordes adiungi, vt vlcus conſtituatur, vnde in

primarium & ſecundarium diuiditur. Eſt igitur ſolutio continui ab eroſione facta in quauis corporis noſtri parte : Etſi quidam vlcus ad partes tantùm molles & carnoſas contrahant, & in aliis partibus, vt inteſtinis, cartilaginibus, venis, arteriis, neruis, & membranis eroſionem; in oſſibus Cariem appellare malint. Nos tamen relictâ λογομαχίᾳ per vlcus, eroſionem omnem intelligemus quæ continuum ſoluat, ſiue fiat ab internâ cauſâ antecedente, vt cacochymiâ totius corporis; vel coniunctâ, vt pure, ſanie, acrioribus ſuccis, & ſimilibus; ſiue ab externâ vt materiâ, vel contactu contagioſo, ſepticis, cauſticis, & ſimilibus corpori admotis : Vnde ad illam eroſionem conſequitur ſanioſa, virulenta, ſordida, aut purulenta quædam colluuies, quæ vlceri videtur propria inter ſolutiones continui.

Differentiæ verò Vlcerum non ab aliis petuntur quàm vulnerum, à ratione ſcilicet partium affectarum, propriâ eſſentiâ, & complicatione cum aliis affectibus : Ratione enim partium affectarum, Vlcera dicuntur cutanea, carnoſa, pulmonum, oculorum, vuulæ, articulorum, & ſimilium, quæ ſunt ſubiecta illorum. Reſpectu propriæ eſſentiæ, vt quantitatis, dicuntur magna, longa, profunda, caua, cauernoſa, ſinuoſa, parua, anguſta, breuia; ſuperficiaria. Reſpectu figuræ dicuntur rotunda, inæqualia, recta, obliqua, fiſtuloſa, labris inuerſis, & ſiquæ ſint aliæ figuræ, quibus eroſio ſeſe propagare poſſit. Ex complicatione verò cum aliis vlcera varias ſortiuntur differentias. Coniungi enim poſſunt cum cauſis, vnde vlcus cacochymum, venenoſum, contagioſum, venereum & ſimilia vocatur : Cum morbis, vnde vlcus phlegmonoſum, cancroſum, gangrænoſum, calloſum, carioſum, varicoſum appellatur. Denique à ſymptomatum complicatione vocatur ἰνηθὲς, κακοήθες, rebelle, malignum, pruriginoſum, doloroſum, ſerpens, erodens, pulſans, pungens, fœtens, ſordidum, ſiccum, ſanioſum, & ſimilia, quorum particularis ratio ſuis locis aſſignanda.

Ratione etiam quorundam extraneorum, vt temporis, vlcus recens & inueteratum; incipiens, creſcens, declinans, & ſaneſcens dici poteſt, vt Chironium, Telephium, Lupium, S. Lazari, & aliorum, quibus eiuſmodi vlcera accidiſſe dicuntur : quæ appellationes parum ad curandi rationem faciunt. Illorum item ſigna diagnoſtica ac prognoſtica omittimus, vt parum ad indicationes inueniendas facientia.

Indicationes igitur curandorum vlcerum, vt aliorum morborum à cauſis & affectu petendæ. Quæcunque enim cauſa externa vel interna, illud generat, auget, vel conſeruat, ſedulò auferenda. Sic plethoram & cacochymiam in toto vel parte corporis principe redundantem, conuenienti victu, Chirurgiâ, & Pharmaciâ corrigendam inprimis eſſe ſatis indicant hydropicorum, varicoſorum, obſtructorum, & aliorum quacunque κακοξίᾳ occupatorum vlcera, quæ non ſolum ægrè ſunt ſanabilia, ſed vix priùs curantur, quàm eiuſmodi affectûs primarij conquieuerint. Eâdem ratione vlcera eorum qui lue Venereâ laborant, non priùs obduci poſſunt, quàm guaïaci decocto, inunctionibus hydrargyri, & ſimilibus antidotis ſublata ſit labes illa venenata : Cuius rei ſimilitudine ducti, peſſima, rebellia & valdè excrementoſa vlcera ſolemus hodie curare exſiccatione totius corporis, per decocta illa ſudorifica, & ſiccam parcámque victûs rationem in viginti aut plures dies feliciſſimo ſucceſſu inſtitutam.

Habitâ ſic antecedentis cauſæ ratione, ad coniunctam, ipſúmque affectum erit accedendum. Vlcus igitur ſimplex, cùm nihil ſit aliud quàm ſolutio continui cum eroſione & deperditione ſubſtantiæ partis, primariâ illa indicatione, quâ ſolutio continui eſt. vnionem diuiſæ partis indicat; Hæc autem fieri non poteſt, niſi genitâ priùs quæ deperiit ſubſtantiâ : Hæc verò gigni non poteſt, niſi efficiens illius cauſa, & materialis ritè ac ſecundùm naturam diſponantur, illáque impedimenta tollantur, quæ bonam carnis procreationem morantur, nimirum excrementa tam tenuïa quàm craſſa, quæ ex vitiatâ coctione in Vlceribus producuntur. Ex his itaque indicatur ad gignendam partis ſubſtantiam quæ deperdita eſt, temperiem totius & partis affectæ, velut efficientem cauſam, diligenter eſſe conſeruandam & reſtituendam; Item bonum & laudatum ſanguinem eſſe producendum, qui moderatè ad partem affluat, vt ex eo velut bene diſpoſitâ materiâ caro bona producatur. Denique tollenda eſſe excrementa illa, quæ in parte neceſſariò ſuſcitantur ob vitiatam coctionem, & rationem cauſæ ſine quâ non, obtinent, eáque duplicia, tenuïa ſcilicet humidioráque, & craſſiora : aliquando ſeorſim exiſtentia,

ed by Google

ſtentia, vt quando valdè crudum eſt vlcus, tenue excrementum; quando maturitatem adeptum eſt, pus laudabile : aliquando permixta, vt quando puris portio ichoribus diluta conſpicitur. Ex tenuitate igitur & humiditate prioris excrementi, exſiccantia eſſe ex vſu, indicatur; ex craſſitie & viſciditate alterius, detergentia: Ita vt exſiccantibus & detergentibus, vera Vlcerum therapeia perficiatur.

Porrò hæc exſiccantia detergentiáque variant, non ſolùm pro diuerſitate corporum, temperamentorum, virium, ætatis, ſexûs, & partis affectæ variâ naturâ, ſed etiam pro conditione ipſius vlceris & quantitate excrementi. Nam dum bene ſe habet & ſecundùm rectam vlceris conſtitutionem, vtimur tum exſiccantibus primi & ſecundi ordinis, quæ partis vliginem corrigere poſſint; tum effectu talibus, vt linteolis ſicciſſimis, ſtuppis cannabinis, ſpongiis, & ſimilibus, ex ſiccâ & rarâ materiâ confectis, quæ abſorbere & veluti fugere poſſint vlceris humiditates, vt etiam oris ſuctione, & pyulcis inſtrumentis, quibus ſolebant veteres ex profundiori vlcere pus & humiditates extrahere.

Vtimur etiam detergentibus in triplici differentiâ, quorum prima vocat Galenus *ῥυπτικὰ* abſterſoria; ſecunda verò *ἐκφρακτικὰ* ſiue *ἐκκαθαρτικὰ*, quaſi purgatoria & ab infarctu liberantia, multò prioribus valentiora; tertia denique dicuntur lauantia ſeu abluentia, quæ motu ſuo, humoris copia, & leuitate quaſi rapiunt & expurgant Vlcerum ſordes. Vt igitur in vlceribus exſiccare, detergere, expurgare, abluere conuenit: ſic has omnes vires ſimul permiſcere poſſumus, quando opus fuerit. Quod exactiſſimè præſtitum eſſe puto, in decocto illo ſiue aquâ Catapultarum dicta, in quâ exſiccantia, *ῥυπτικὰ*, *ἐκφρακτικὰ*, & abluentia commodiſſimè mixta ſunt, & feliciſſimo ſucceſſu in vlceribus, dummodò abſit inflammatio, vſurpatur, itemque Muria, ſeu aqua ſalſa, & Marina. Sunt alia multa & ſimplicia & compoſita, quæ vulgò ad exſiccationem & deterſionem habentur ex aliorum libris repetenda.

Quòd ſi vlcus excrementa non habeat laudabilia, ichores ſcilicet & pus, ſed virulentiam putridámque ſaniem, tunc non ſolùm communia exſiccantia & detergentia, ſed etiam abſumentia, & inſignem illam putredinem abſorbentia indicantur. Vnde Ægyptiaco Vnguento cum decocto lupinorum, vel Muria, ſublimato, puluere Mercurij ſeu præcipitato, & aliis vtimur, quæ vires habent cathæreticas, atque etiam cauſticas.

Repurgatum igitur Vlcus, ſuiſque excrementis liberatum, paulatim acquirit naturæ vi carnem laudabilem, quæ vbi ad iuſtum acceſſerit terminum, hoc eſt, cauitatem propoſitam impleuerit, tum demum naturali tegumento operienda erit, aut certè aliquo quod naturale imitetur: Cutis enim quæ eſt commune totius corporis velamentum, cùm ſit pars media ſeminalis, quæ intentione primâ, vt vocant, regigni nequit, ideò ſecundariâ quadam ratione quid cuti analogum producitur, quod Cicatricem appellamus, ex induratâ exſiccatâque carnis recentioris ſuperficie, quæ veram cutem quodammodo æmulatur. Cicatrix illa tum vi naturæ ceſſantis, vbi finem ſuum attigerit, tum externi frigoris & medicamentorum epuloticorum operâ perficitur, quæ Galenus ſicca eſſe voluit cum adſtrictione, eorúmque varia proponit paradeigmata *libris methodi, & de compoſit. medic. ſecundùm genera* vt vnicuique videre licet.

Hæc eſt igitur vera & methodica curandi ſimplicis Vlceris ratio, ex propriis Indicationibus ſumpta, quæ in particularibus ſingulorum membrorum vlceribus variari poteſt, pro vario ſenſu, temperamento, ſubſtantiâ, compoſitione, & ſitu partium quorum tractatio ſuis locis traditur.

Compoſiti verò vlceris cum ſuâ causâ continente, morbo, aut ſymptomate, curatio plures habere poteſt differentéſque indicationes, vt ſcilicet cauſa illa quæcumque fuerit, remoueatur, oppoſito contrario quod vel effectu vel denominatione tale ſit, vt cacochymia, venenum, contagio, fluxio, congeſtio. Item complicatus vlceri morbus, Intemperies, Contuſio, Tumor, Callus, Fiſtula, Oſſis caries, Varix, priùs curandus quàm de vlceris agglutinatione & cicatrice obducendâ cogites. Quinimò Symptomata, ſi valdè vrgeant, vt dolor, puritus, caro ſupercreſcens, fœtor, & ſimilia, priùs mitiganda, quàm vera curatio inſtituatur. Vnde patet in Vlceribus ſæpè indicari alexipharmaca, repellentia, refrigerantia, calfacientia, humectantia, ſuppurantia, digerentia, exedentia, exfoliantia, anodyna, multáque alia, non ratione ſui, quà ſcilicet eſt vlcus, ſed quâ ratione cum aliis coniunctum, quorum ſublatio præcedere debet illius meram curationem, quæ iam dictis perficitur,

y Google

perficitur, exsiccantibus scilicet & detergentibus non sanguinem & carnem quæ produci debet, sed excrementa quæ in illius generatione producuntur. Denique cicatricem obducentibus & vlcus sigillantibus, quæ tum demum operantur, quando vlcus cauitatem & cacoëthiam omnem amiserit. Quibus verò, hoc est, qua materiâ & formulis hæc perficiantur, in descriptione externorum remediorum dictum est: Qui enim plura de vlceribus volet, consulat tractatus Guidonis, Tagautij, Kalmetei, Fallopij, & aliorum.

TERTIA PARS.

CAPVT I.

De Mixtis morborum Indicationibus.

ABsolvimvs Indicationes simplicium morborum secundùm suas species, quod erat nobis in hoc opere propositum, superest tantùm, vt regulas ac leges earundèm Indicationum tradamus in compositis, complicatis, connexis, & consequentibus affectibus, qui maximum Medico negotium facessere solent: Item complicatio causarum & symptomatum non est negligenda; In quibus omnibus aut pluribus simul iunctis, operæ pretium vt doceamus, quis ordo in Indicationibus sit obseruandus.

Vnus itaque vocatur morbus, aliquando is qui solus est absque causæ suæ præsentiâ, aut grauiore symptomate. Aliàs vnus censetur, quamuis comitatus suâ causâ & symptomatibus, si nulla alia dispositio præter naturam in corpore fuerit. Denique vnus etiam dicitur, quamuis multæ adsint dispositiones præter naturam, vt patet de tumoribus præter naturam, qui ex triplici constant genere morborum, si vnam eandémque partem adæquatè obsideant. Multi etiam morbi multis modis esse possunt: Nam aliquando multi morbi ita sunt disparati & dissiti, vt nullam inter se compositionem, complicationem, connexionem, aut consequentiam habeant, quales sunt v.g. vlcus in aure, suffusio in oculo, phlegmone in manu, luxatio in pedum digitis, calculus in vesica, & similes, qui vno eodémque tempore ægrum aliquem affligere possunt. Aliàs multi sunt morbi in vnâ eadémque parte, vt ex eorum quasi compositione vnicus emergat morbus, vt dictum fuit de tumoribus præter naturam, de vlceribus cum intemperie & cauitate: Aliàs complicati seu impliciti, quando varias quidem partes obsident, sed in eandem functionem, aut communem vsum conspirantes, vt pleuritis cum asthmate, ophthalmia cum suffusione, vlcus renum cum calculo vesicæ, intemperies calida hepatis cum obstructione venarum mesenterij, & similes qui vni eidémque functioni obsunt: connexi verò sunt illi quorum vnus alterum necessariò efficit, vt febrem inflammatio & putredo viscerum; Paralysim Apoplexia sanabilis, & similes. Consequentes denique sunt, quicunque fiunt ab aliis, non quidem necessariò, sed consequenter, per ἐπιγένησιν, aliquando per μετάσασιν excrementorum in varias partes translatorum, vt anginæ suppurationem excipit empyema; colicum affectum nephriticus, arthriticus, aut aliquando paralyticus, & similes. In quibus omnibus componi, complicari, connecti, & consequi potest similaris morbus similarem, eúmque eiusdem generis aut diuersi. Similaris organicum & solutionem continui, duos aut plures, & sic de reliquis. Adde complicationem causarum & grauiorum symptomatum aliquando ipsi affectui aduersarum.

Hæc igitur omnia, vt sunt res præter naturam, sui sublationem suadent, idque per contrarij vsum, cuius qualitas, quantitas, tempus, locus, forma, & reliqui scopi per vniuscuiusque simplicis affectûs, causæ aut symptomatis, partísque affectæ naturam facilè innotescet. At verò quo ordine & methodo hæc contraria vsurpari debeant, vt commodè, tutò scilicet citò & iucundè curentur, non ita

est

itized by Google

eſt manifeſtum. In affectibus quidem illis qui diſiuncti & diſparatiomnino ſunt, licet quemcunque nullo diſcrimine ſeparatim curare, vt luxationem digitorum pedis, vulnus in crure, eryſipelas in manu, ſuffuſionem in oculo, & ſimiles, nullâ ferè alterius habitâ ratione tractare.

In compoſitis verò, implicitis, connexis, & conſequentibus morbis, cauſis, & ſymptomatis, ſiquidem eiuſdem ſint naturæ, vnâ eadémque lege curantur: ſic tertianam ex bilioſo humore profectam, moleſtiſſimóſque rigores cientem cum eryſipelate cuiuſdam partis, ſimili alteratione & vacuatione ſanamus: pleuritidem, peripneumoniam, & febrem eiſdem remediis expugnamus: Catarrhus & Aſthma, Vlcus Tibiæ & magnitudo in ea imminuta non habent repugnantes aut contrarias indicationes. In his igitur omnibus, niſi quid magis vrgeat, hanc legem obſeruamus, vt id primùm curetur, eiúſque præcipua ratio habeatur, quod rationem obtinet cauſæ efficientis, conſeruantis, augentis, aut ſine quâ non. Sic Catarrhum ante Aſthma, cui originem dedit, curare debemus: Pleuritidi priùs & potiùs mederi quàm febri; Vlceris ſordes detergere & exſiccare, inflammationem, contuſionem, varicem, callum, & ſimilia tollere; antequàm de carnis generatione, aut cicatrice obducendâ cogitemus. Hydropicorum aquas priùs vacuare nitimur, quàm intemperiem hepatis corrigere. Dum tamen ei qui rationem cauſæ obtinet incumbimus, non alium omnino negligimus, ſed illi quoad fieri poteſt proſpicimus: Vt enim Catarrhum Aſthmatis authorem vacuare, reuellere, & deriuare nitimur, priſtinámque cerebro temperiem ac robur reſtituere: ſic etiam obſtruenti pulmones humori, attenuantia, incidentia, detergentia, expurgantia, reſoluentia, & ſimilia accommodamus, vt ſimul & ſemel vterque affectus, ſi fieri poſſit, expugnetur; aut certè, quid cum quo, quid poſt quod, quid ante quod fieri debeat, conſideremus. Hæc igitur ita fieri conuenit, quando curatio multiplicium iſtorum affectuum, non eſt inter ſe aduerſa; ſed potiùs vnius curatio, alteri commoda & vtilis eſſe poteſt.

Vbi verò inter ſe diſſentiunt, ita vt vnius curatio alteri ſit noxia, vt complicatio Febris putridæ aut Vlceris cum Hecticâ, intemperies frigida ventriculi cum feruentiore hepate; Aſthma cum Pleuritide, & ſimiles: tunc certè mediocritate quadam permiſcenda contraria plus minùs, provt ex vſu eſſe videbitur; aut ita exhibenda variis locis & temporibus, vt quàm minimùm contrario affectui nocere poſſint. Idque ordinariâ & legitimâ methodo pro vario ſitu & connexu partium. Sic algente ventriculo ſimul cum æſtuante hepate, quia nihil ad hepatis refrigerium ingerere licet, quin per ventriculum priùs delatum, eius intemperiem augeat, nihil admouere extrà ad frigiditatem ventriculi temperandam, quin feruidioris hepatis lobum incumbentem magis calfaciat: Ideò in talibus ventriculum quidem calfacere tentamus, non per admota, ſed per aſſumpta quæ ſint paucæ quantitatis & craſſioris ſubſtantiæ, qualia ſunt grana piperis aut coriandri integra, vt ſic propter exiguam eorum quantitatem facilè in ventriculo conſumantur, & propter modum ſubſtantiæ non facilè in iecur diſtribuantur. Hepar autem refrigeramus non aſſumptis ſed admotis, quæ facilè penetrare, & actionem ſuam in iecur exercere poſſunt abſque ventriculi noxâ. Quæ exempli causâ dicta ſint in affectibus & cauſis diſſentientibus, quorum curatio perficienda erit, vel permixtione contrariorum, vel moderatiore eorum vſu in diuerſis temporibus. Aut admouendo ea diſtinctis locis per partes ſupernas aut externas, provt ſitus & connexus membrorum indicabunt, habitâ ſemper ratione illius præcipuè, qui cauſæ & originis naturam obtinet.

Hęc igitur omnia ita obſeruabuntur, quando nihil eſt quod vehemẽtiùs inter iſta vrgeat, & ægro periculũ minetur; Cui inuerſo ſæpè & præpoſtero ordine ſuccurrere cogimur: etiam cum quadam aliorum noxâ: Porrò docet Galenus 7. *meth. cap. penult.* affectum aliquem trifariã vrgere & periculoſum eſſe, primùm ratione proprię eſſentiæ ſiue magnitudinis; ſecundò ratione partis principis, aut ad vitam facientis, cui inhæret; tertiò ratione ſymptomatum, vt doloris, delirij, vigiliarum, & ſimilium: ſic febris intenſiſſima quæ obſtructione pituitoſi humoris ſuſcitata fuerit: ingẽs pleuritis quæ exiguo Aſthmati fuerit coniuncta, ſuadet, vt ab eis velut vrgentioribus ratione eſſentiæ incipiamus, & omne curandi ſtudium eò conuertamus, reliquis quodammodo neglectis. Sic intemperies frigida cordis cum calore renum, nos cogit, ratione partis principis, vt calfaciendo cordi incumbamus, ne ex illius refrigeratione extinctio caloris natiui ſequatur. Denique placandis ſymptomatis non rarò eſt ſtu-

dendum, vtpote quæ præ vehementiâ vires iam effœtas & languentes deiicerent, aut certè aliud periculum excitarent : Vnde dolori ſedando, ſi ſit atrocior, non ſolùm cauſas tollentia, anodyna, temperata, & calori noſtro analoga adaptamus, ſed etiam narcoticis vtimur, quæ tantiſper ſenſum partis affectæ obtundant, & naturæ quaſdam inducias præſtent, donec collectis viribus in cauſas dolorificas,& aliorum ſymptomatum procreatrices alacriùs poſteà conuerti poſſit.

Concludamus igitur in complexu iſtiuſmodi, ex ordinariâ methodo ab eo eſſe incipiendum, quod efficientis cauſæ aut ſine quâ non rationem obtinet ; extraordinariâ verò,habendam eſſe rationem vrgentioris ob magnitudinem cauſarum, affectûs, & ſymptomatum, vel dignitatem partis affectæ : ita tamen vt quàm minimam noxam reliquis inferamus. Quòd ſi fieri non poſſit etiam cum manifeſto alicuius partis detrimento ſedemus affectum qui certiſſimam vitæ ruinam eſſet allaturus : Veluti ſi puncto aut ſecto ex parte muſculi tendine aut neruo, tanta ſuperueniat conuulſio, vt nullo remediorum vſu remittatur, totum tendinem aut neruum tranſuerſum præcidere cogimur, vt tam graue ſymptoma ſedetur, quamuis parti alicui motum & ſenſum adimamus : Arterioſi etiam ſanguinis effuſionem ex punctâ arteriâ, cogimur aliquando ſiſtere totâ arteriâ diſſectâ, quamuis inde aneuryſmatis periculum immineat. Et luxationem vulneri aut vlceri iunctam negligimus, ne dum luxata reponuntur, ægrum in febrem aut conuulſionem præcipitemus. Hæc igitur eſt methodus quam in permixtione Indicationum obſeruare debemus. Quoniam verò inter compoſitos affectus recenſuimus tumores præter naturam : ideò non extra inſtitutum erit, ſi exempli gratiâ,& ne tantus támque vſitatus morbus relinquatur intactus,eorum Indicationes breuiter pro operis complemento proponamus.

CAPVT II.

De Indicationibus Tumorum præter naturam.

TVMORVM præter naturam Indicationes eâdem methodo inueniendas eſſe, quâ ſuperiorum morborum, vbi priùs eorum naturam, cauſas, & differentias propoſuerimus, ſatis eſt apertum. Tumoris igitur præter naturam varia apud Græcos,Latinos,& Arabes ſcriptores nomina. Hippocrates generali œdematis nomine, omne Tumorum præter naturam genus complectitur : Aliquando etiam φύμαλα appellat. Galenus ὄγκος παρὰ φύσιν, quantitatis & dimenſionis exceſſum præcipuè deſignans. Latini tumores verterunt, tubercula, puſtulas, & papulas. Arabes & Barbari bothor, eminentias, exituras : quibus omnes in quacunque parte collectiones notârunt, ſiue in profundo poſitas, ſiue in ſuperficie ex quantitatis, aut qualitatis, vel vtriuſque vitio obortas. Nos verò hîc potiſſimùm agimus de iis tumoribus, in quibus partes à naturali habitu in quantitate receſſerunt : quandoquidem alij infectiones cutis potiùs quàm veri Tumores dici merentur.

Eſt enim Tumor diſpoſitio præter naturam, in triplici malæ conſtitutionis vitio ſub vna magnitudine auctâ, poſita, per fluxionem aut congeſtionem humorum orta, actionem primò & per ſe lædens. Dicitur autem vna, non plures, duplici ratione, tum partis vnius eiuſdémque, quam ſimul & adæquatè occupat ; tum cauſæ, quæ vna eadémque intemperiem parti, malam conformationem figuræ vel magnitudinis, & continui ſeu contigui diuortium affert. Porrò cauſa hæc in parte colligitur, aut vi fluxionis aut congeſtionis vitio, quarum rurſum variæ ſunt multiplicéſque cauſæ. Vt enim congeſtio ſenſim, Fluxio affatim fit : Sic congeſtionis cauſæ duæ potiſſimæ aſſignantur, Error facultatis alteratricis, quæ ob contractam intemperiem, vel ineptitudinem aduentantis alimenti aſſimilare illud, & in partis ſubſtantiam conuertere nequit : Aut error expultricis, quæ vel ob imbecillitatem propriam;vel excrementorum craſſitiem & lentorem ; Vel ob meatuum partis obſtructionem,reliquias propellere non poteſt.

Fluxionum autem cauſæ ad quatuor referuntur. 1. ad membrum mandans ſiue expellens,

expellens, quod excretricis robore ſibi moleſta propellit, vel præ infirmitate retinere non valens, in partes ſibi ſuppoſitas aut connexas dimittit. 2. ad partem recipientem, quæ quia vel dolet, vel calida eſt nimiùm, imbecilla, rarioris ſubſtantiæ, ignobilis, in loco decliui aut inferiori poſita, ſuſcipit ruentem materiam. 3. ad conditionem ipſius humoris fluentis, qui aut ſubſtantiâ tenuis, aut quantitate nimius, vel qualitate moleſtus, à robuſtioribus & nobilioribus partibus ad ignobiliores aut infirmiores dimittitur, vt in Bubonibus videre licet. 4. ad vias ſeu ductûs per quos fit fluxio; illorum enim rectitudo & connexio cum parte recipiente, item amplitudo, & laxitas, cauſa eſt facilis in illam humorum illapſûs. Has rurſum cauſas aliæ generare ſolent internæ externæque; quas vnicuique ex communibus præceptis facilè erit repetere.

Differentiæ verò Tumorum præter naturam, tot conſtitui poſſunt, quot in vulneribus dictæ ſunt, nempe à tribus. 1. à partibus quibus inhærent; vnde nomina Ophthalmiæ, Hepatitidis, Chiragræ & ſimilium, quæ certas partes his tumoribus affectas deſignant. 2. à ratione complicationis ſeu connexionis cum aliis cauſis, morbis, aut ſymptomatis: Vnde dicitur Tumor cum fluxione, congeſtione, plethorâ, cacochymiâ, & ſimilibus: Tumor cum vlcere, vulnere, febre, luxatione, & aliis: Tumor cum dolore, calore, rubore, mollitie, duritie, & reliquis. 3. Differentiæ Tumorum maximè propriæ & ad curationem neceſſariæ ducuntur à cauſis eſſentialibus & coniunctis, nempe humoribus tum naturalibus & vtilibus, tum non naturalibus & excrementiis: Vnde primâ diuiſione ſecantur in tumores calidos & frigidos.

Calidorum duæ primæ ſpecies, phlegmone & eryſipelas, Frigidorum œdema & ſcirrhus: Phlegmone enim tumor eſt à ſanguine, cum calore, dolore, rubore, pulſu, & renixu. Eryſipelas tumor à bile vel ſanguine tenuiore, cum dolore, calore, flauitie, aut minùs ſaturato rubore, & expanſione. Oedema Tumor à pituitâ tenui: laxus, mollis, & indolens cum albedine: Scirrhus, Tumor à melancholiâ, vel craſſo & lento phlegmate, durus, indolens, nigro vel nullo colore ſuffuſus. Hi tumores quando ſunt ſimplices & impermixti ſimplicibus his nominibus efferuntur: Vbi verò inuicem cauſæ iſtæ permiſcentur ex dominatu & inæquali congreſſu dicuntur, phlegmone eryſipelatodes, œdematodes, ſcirrhodes, & ſic de aliis. Præterea ad hos. 4. Tumores, reliqui multi referuntur, provt huius vel illius naturam magis participant, vtpote ad phlegmonarum genus, phyma, phygethlon, therminthus, ἀλφὸς, ſeu furunculus, bubo, carbunculus, gangræna, & ſphacelus. Ad Eryſipelata, herpes miliaris & exedens, phlyctænæ, & ambuſta. Ad Oedema, Tumores omnes ſeroſi & flatuoſi, emphyſemata dicti, atheromata, ſteatomata, melicerides. Ad ſcirrhum reducuntur, ganglia, verrucæ, ſcrophulæ, carcinomata, calli, & reliqui omnes Tumores duriores; in quibus aliquando pili, vngues, calculi, & ſimilia reperiuntur. Atque hæc de Tumorum naturâ & differentiis.

Ex his enim velut rei naturâ & cauſis ducendæ indicationes ad curationem Tumorum neceſſariæ, quas ita paucis percurremus. Hæc omnia cùm ſint res præter naturam, ſui ſublationem ſuadent: Cùm verò ſint immodicæ repletiones partis alicuius, eiuſdem κένωσιν ſeu ἀναπλήρωσιν vt loquitur Galenus, abeuacuationem indicant. Quoniam verò fruſtrà vacuaretur id quod eſt in parte, perſeuerante malâ congeſtione aut fluxione, quæ tantum aut plus reponerent, quàm per partem vacuaretur: Ideò habenda inprimis illarum ratio; omnéſque, ſi fieri poteſt, congeſtionis fluxioníſque cauſæ à nobis recenſitæ, tollendæ aut corrigendæ. Quibus præſtitis ad particularem illam vacuationem accedamus: Cùm enim Tumores præter naturam, deſinant quatuor modis, Reſolutione ſcilicet. Suppuratione, Induratione, aut Corruptione: Optimus iſtorum exiſtit qui per inſenſibilem fit reſolutionem, aut repulſionem; Medius qui per ſuppurationem; Mali qui per indurationem aut corruptelam. Eſt igitur Repulſio humoris fluentis in principio Tumorum maximè neceſſaria, & illius qui repelli non poteſt, reſolutio: Quæ ſi non poſſit omnino contentum humorem diſſipare, ſuppuratio tentanda, vt in abſceſſum & vomicam deſinant. Quòd ſi ex naturâ ſuâ aut malâ curatione ita conſtitutus ſit tumor, vt neque reſolui neque ſuppurari poſſit, tunc rumpenda cutis, & extrahenda rebellis materia ferro aut cauſticis, ſi natura partis, & cætera conſentiunt. Quod eâdem ratione in corruptela præſtandum: ne pars ſincera trahatur, extirpanda illa quæ inſanabilem concepit putrilaginem. Verùm præſtat

hæc ita ſummatim dicta , quatuor exemplis ſimplicium Tumorum illuſtriora reddere.

Phlegmone igitur cùm fiat à ſanguine in partem aliquam fluente , & ibi per ſyſtrophen collecto , (ſic enim diſtinguitur à phlogoſi) habeátque peculiaria ſua tempora principij , augmenti , ſtatûs , & declinationis : indicat ſui curationem pro eorum varietate : Nam vt in principio fluit humor , neque adhuc parti adhæret , ſic eo tempore occaſio commodiſſima faciendæ tum reuulſionis per venæ ſectionem , cucurbitulas , frictiones dolorificas , ligaturas , & ſimilia in oppoſitis partibus ; tum repercuſſionis , vt fluitans adhuc in parte humor ad interiora,ſi fieri poſſit, regeratur : Vel certè in medio curſu intercipiatur. Reuellendum igitur & repellendum. Quod intelligendum de externâ phlegmone , quæ corporis ſuperficiem occupat, in internâ enim neque repellere humorem , neque fluxionem intercipere licet , quia magis impingeretur humor verſùs interiora. Quinimo etiam non licet in quauis externâ phlegmone apocrouſticis vti , videlicet ſi ſit in emunctoriis , ſi fiat ex venenatâ materiâ , vel per viam criſeos , aut in corpore valde plethorico , & cum maximo dolore : tunc enim melius eſt trahere ad exteriora , vel dolorem ſedare , quàm priorem ſcopum tentare. Vbi verò licet repellere , *Απωθητικὰ* ſeu repellentia eligantur , modò frigida tantùm , in leuiori fluxione , vt oxycratum & aqua frigida ; & ſimilia , modò frigida & ſicca ; quæ Adſtringentia propriè vocantur , tam ſimplicia quàm compoſita ſuis locis deſcribenda, quæ modò ipſi parti admoueantur , modò viis fluxionis , & intermedio ductui , vulgò defenſiua vocant. Poſt eiuſmodi repellentium vſum , ſi totus humor regeri non poſſit , imò verò Tumor ipſe augeatur , tunc repellentibus reſoluentia permiſcenda , eâ proporrione , vt Repellentium ſit maior vis. Contrà in ſtatu , quæ Reſoluunt præpollere debent Repellentibus , admixtis quibuſdam mitigatoriis ; vt in declinatione ipſius tumoris meris reſoluentibus , iiſque valentioribus vtendum , quæ ſcilicet caliditatis ſiccitatiſque ſint participia. Si his ceſſerit phlegmone , & in tenues reſoluatur auras , bene erit. Sin verò ex pulſatione & dolore auctо cognoſcamus in abſceſſum degenerare , tunc ad maturantia & pus mouentia , calida ſcilicet humidáque & emplaſtica veniendum , vt hæc concoctio promoueatur. Confecto pure ſi abſceſſus non aperiatur ſponte , ſcalpello, cauterio , aut medicamento quopiam erodente , commodiori & decliuiori parte adhibito , molienda puris euacuatio. Reliquáque deinceps curatio , vt vlceris ad exſiccationem , deterſionem & ſigillationem reducenda. Si verò phlegmone induruerit , degenerauit in ſcirrhum & illius curatio ex ſcirrhi tractatu repetenda. Si in corruptionem , gangrænam , aut ſphacelum , extirpanda , plurimis & profundis ſcarificationibus incidenda , aquâ ſalſâ perfundenda , cataplaſmate ex farinâ fabarum & orobi cum oxymelite contegenda, reliquáque adhibenda,quæ in Remediorum formulis deſcribuntur.

Eryſipelas verò bilioſæ fluxionis propago , expanſum per cutem aut membranam , curatur etiam remotis cauſis antecedentibus & coniunctis : Antecedentes corriguntur rectâ victûs ratione,purgatione & alteratione , qualis in febre tertianâ inſtituitur. Coniuncta verò cùm qualitate potiùs & feruore , quàm quantitate ſit moleſta ; ideò refrigerantia indicat , ad coloris vſque mutationem : Cum his enim ſæpè quod purum eſt eryſipelas, conquieſcit: ſin verò nigricet , neque ſolis cedat refrigerantibus , tunc ab his abſtinendum , & digerentibus quibuſdam leuioribus ac mitigatoriis reliquiæ diſſipandæ. Cauendúmque ne aut ſuppuretur , vel induretur , aut in corruptelam degeneret , quia tunc graue adeſt malum , ex Hippocratis ſententia, *Aphor* 10. *ſect* 7. In illis tamen caſibus iam dictis remediis erit vtendum. Quòd ſi exulceretur eryſipelas , & herpetem faciat, mixtæ erunt indicationes eryſipelatis & vlceris.

Calidis tumoribus totidem frigidi opponuntur ex duplici humore geniti. Oedema enim diximus fieri à pituitâ tenuiori : laxum eſſe , ita vt pars affecta impreſſum veſtigium retineat , atque indolens cum albedine. Oritur tum ex fluxione , tum ex congeſtione : Nam aſcite laborantibus , ſæpè oboritur œdemaroſus tumor in cruribus , tranſuecto humore abdominis in partes ſubiectas. Tabidis verò & quibus calor natiuus penè eſt extinctus , inflantur pedes , manûs, reliquúmque corpus albo phlegmate impletur, præ imbecillitate coctricis ibi collecto. Cùm igitur œdema per duplicem viam , fluxionis & congeſtionis fiat , remotis cauſis efficientibus , augentibus , & conſeruantibus illarum , proſpiciendum

dum etiam vt antecedentes omnes, potiſſimùm humorales in rectum deducantur ſtatum. Quòd ad Topica verò, & coniunctam cauſam ſpectantia attinet, cùm hic etiam tumor ex fluxione ſuſcitari poſſit, non ineptè in principio Repellentia ex vſu eſſe poterunt, non quidem ea quæ refrigerant, ſed quæ ſiccitate, & quadam partium craſſitie adſtringunt, vt ex vino rubro auſtero, decocto nitri, aluminis, cyperi, roſarum in lixiuio, aut aquâ fabrorum coctarum, & ſimilium cum ſpongia recenti adhibitorum: & conuenienti faſciâ ſurſum verſus deligatorum, deinde reſoluentibus, digerentibus, abſorbentibus vtendum, quæ totam illam materiam validiſſimè exhauriant: vt lixiuio ſarmentorum, fici, braſſicæ cum ſale & alumine, emplaſtro de baccis lauri, de arthanitâ, & ſimilibus. Quòd ſi œdematis tenuiores partes reſoluantur; craſſiores verò remaneant & indurentur; tunc ad ſcirrhi curationem recurrendum. Fit etiam aliquando, vt accerſitâ quadam ſanguinis copiâ in abſceſſum degeneret, qui paulò calidioribus quàm phlegmone eſt promouendus, vt ſuppurari materia illa frigidior queat, citóque aperiendus ne pars calore deſtituta natiuo, corruptelam contrahat. Eâdem methodo flatulentos, & aquoſos tumores curabis. In atheromate autem, ſteatomate, & meliceride, vnum commune curationis conſilium eſt, vt totum illud quod tunica, quam cyſtin appellant, continet, diſcutiatur, aut medicamentis cathæretïcis, vnà cum ipſa tunica exedatur, vel certè artificioſâ ſectione omnino auferatur.

Supereſt ergo Scirrhus, Tumor ex melancholiâ genitus, quï legitimus eſt vel ſpurius, ſiue primarius aut ſecundarius. Legitimum enim vocant, qui ex melancholiâ naturali generatur: illegitimum verò qui fit ex humore pituitoſo, craſſo, viſcido, & indurato: Vnde ſcirrhus albus vocatur: Vel aliis ſuccedit tumoribus, phlegmonæ, eryſipelati, œdemati malè curatis. Scirrho enim proprium eſt, vt ſit tumor durus & indolens, vel ſaltem cum exiguo ſenſu. Ad illius curationem ex conuenienti victûs normâ & cauſæ antecedentis, per vacuationem alterationémque, remotione incipiendum. Cauſa verò coniuncta cùm ſit craſſa & dura, duas præbet indicationes, attenuationem ſeu reſolutionem & emollitionem. In his tamen cautè agendum eſt, quia ex reſoluentibus, periculum eſt ne inſtar lapidis indureſcat & confirmetur; ex emollientibus, ne materia corrumpatur, & ſcirrhus in cancrum degeneret. Ideò conſulit Galenus, vt alternatis vicibus ad hos tumores duros, modò Emollientibus, modò Digerentibus, attenuantibus, & incidentibus viciſſim vtamur: Vel medicamentis mixtas has facultates habentibus. Quòd ſi ex remollitione & calfactione in ſuppurationem degéneret, cautè agendum, ne cancroſum vlcus euadat, reprimendúmque illicò eis quæ in Cancri curatione docentur. Quòd ſi indureſcat magis, laudat Galenus fumigium ex aceto aut oxymelite, ſupra lapidem pyritem vel molarem incenſum coniecto, vel aliquo decocto emolliente & attenuante, cuius vaporem tubulo vel alio modo commodè excipiat, deinde oleo Sabino, adipibus, medullis, & ſimilibus emollientibus inungantur: Sic enim multos miraculi inſtar perſanatos ſcribit.

De curatione verò gangliorum, ſtrumarum, cancrorum, & aliorum particularium tumorum, non eſt nobis nunc propoſitum agere, qui hæc exempli tantùm causâ appoſuimus, vt Indicationes noſtræ curatoriæ redderentur illuſtriores: Quibus hìc finem imponimus.

Supereſt igitur vt Internorum, externorúmque Remediorum formulas proponamus; ex quibus Materiam Medicam, expellendis prædictis Indicationibus Curatiuis idoneam & neceſſariam petere liceat.

Digitized by Google

IOANNIS VARANDÆI,
FORMVLÆ REMEDIORVM.
PRÆFATIO.

SANITATEM conſeruare multò eſſet optabilius quàm lapſam & morbis obſeſſam reſtituere: Verùm quia ex diuturnitate & violentia cauſarum internarum externarúmque mutatio tandē introducitur, quantumuis cauta fuerit viuendi ratio; Ideo Ars Medica non ſolùm conſeruatrice indiguit, ſed etiam correctrice & curatrice, quæ circa morbos morborúmque cauſas verſatur, ſiue illi iam geniti ſint, ſiue manifeſtè corpori immineant; vnde illa διαγνωστικὴ, hæc προφυλακτικὴ appellatur.

Porrò cùm non vnum, ſed multiplex ſit morbi genus: Similare, Organicum & Commune, quod deinceps in multiplices differentias ſecatur pro varietate partium, quibus inſidet; cúmque ſint diuerſæ ex quibus gignuntur cauſæ: Ideo certa quadam methodo opus fuit, qua inſtructus Medicus conuenientem ordinem & rationem obſeruaret, in his omnibus, tutò, citò & iucundè profligandis, quæ non aliunde melius peti poterit, quàm ex ipſius rei propoſitæ atque intellectæ notitia, per quam velut manu & per Indicationes conuenientes, ad id, quod agendum eſt, ducitur, certúmque genus, quantitatem remediorum & vtendi modum eligit: hoc enim eſt rationaliter curare relictis analogiſmo & experientia, quas tamen non omnino reſpuit medicus, ſi aliquando minus noti morbi & remedia contingant, donec ſucceſſu, ſtudio, & cauſarum oppoſitione omnia reddantur illuſtriora.

Verùm quoniam neque ſanitatem conſeruat, neque morbum immediatè expugnat, ſed interueniente inſtrumento opus ſuum peragit; Idcirco non ſolùm διαγνωστικὴ præſentis affectus, προγνωστικὴ futuri euentus, ordine & methodo, quæ id, quod agendum eſt inſinuat, indiguit; ſed etiam notitiâ remediorum, quibus hoc perficitur; quæ triplicia ſunt, & ſumuntur ex Dieta, Chirurgia, & Pharmacia.

Prima verſatur circa ea remedia quæ ex victu ægrorum petuntur. Secunda circa ea remedia quæ manu artificis præſtari poſſunt; Tertia, Materiæ Medicæ Vulgò dictæ hoc eſt Medicamentorum naturam explorat, Simplicium & Compoſitorum, quibus tum humores, frequentiſſima ſcilicet morborum cauſa, qualitate & quantitate peccantes, præparari, concoqui, expurgaríque poſſunt: tum inducta ab eis intemperies corrigi, & imminutum partium robur reſtitui, per ea nempe, quæ alterantia, purgantia, roborantia dicuntur, diuidíque ſolent ex duplici modo adminiſtrandi, in aſſumpta & admota, ſiue interna & externa.

Nos itaque in graciam eorum, quibus iam ad Medicam Praxim eſt conuolandum, poſtquam methodum διαγνωστικὴν quæ per Indicationes perficitur expliciamus, vſitatiſſimam Materiæ Medicæ partem ſecundùm vſitatiores temporis noſtri formulas tradendam ſuſcepimus.

Deſcribemus igitur ea medicamenta, quæ per os aſſumpta ad purgandos præparandóſque humores, alterandaſ roborandáſque corporis noſtri partes conferunt, hoc nimirum ordine, vt cùm quatuor ſint qualitate peccantes in nobis Succi, Bilis, Melancholia,

lancholia, Pituita, & Ichor ſiue ſerum, qui modò in hac, modò in illa regione corporis magis ſtabulantur, hæc omnia diſtinctè perſequamur initio ſumpto à bile, prout eſt in capite, pectore, corde, ventriculo (ſub quo inteſtina complectimur) hepate, liene, renibus, vtero, iuncturis ſeu artubus. Idem etiam præſtabimus de cæteris, quæ quoniam non ſolùm per communem ductum illum, qui eſt ob ore ad anum, expurgantur, ſed etiam per habitum & poros cutis commodiùs excluduntur, ideo ſudorifica ſubnectemus, illorumque varium vſum proponemus; Deindè vomitoriorum formulas aliquot afferemus, quibus ſæpe ad excludendam ventriculi illuuiem vti eſt neceſſe, atque ex ratione curandi præmittemus præparantia humores ſub forma apozematis & iulepi, ſequentur purgantia ſub forma potionis, bolì & pillularum, deinde alterantia & roborantia partes annectentur, ſub forma opiatæ, elect. ſolidi ſeu tabellar. & pulu. Hæc autem omnia doſin & quantitatem à nobis recipient mediocrem, quæ ſcilicet competat viris & mulieribus moderatæ naturæ, in florenti ætate conſtante poſitis, & regionem huic noſtræ proportionatam incolentibus. Ex quibus facile erit vel augere in robuſtioribus ruſticis, vel aliis quouis modo durioribus, vel etiam minuere in ſenibus, pueruli, reliquiſque naturis infirmioribus, quas medicus in quacunque regione & ciuitate diligenter explorare debet, vt ex Idioſyncraſiarum, id eſt particularium conſtitutionum cognitione, poſſit feliciùs & faciliùs opera iſta exercere.

Priuſquam verò formulas iſtas proponam, duo ſunt obſeruanda: primum nos ea poſituros, quæ ad ſimplices humores illis vel in illis partibus dominantes reſpectum habeant, ad bilem in capite, pectore & ſimilibus, ex quibus facilè erit, cognitis hiſce ſimplicioribus permiſcere formulas & coniunctis confuſiſque humoribus, compoſitis & implicitis affectibus, diuerſas adaptare.

Secundò, nos præparantia, alterantia, purgantia atque roborantia ſeorſim perſequi, quamuis ſæpe hæ indicationes in quotidiana praxi permiſceantur, & ſub vna eademque remedij formula contineantur, vtpote in prophylacticis illis apozematis, quæ veris & autumni tempore præſcribi ſolent, in quibus nihil iſtorum omittere ſolemus, ſed ex his ſyrupos magiſtrales in eundem vſum conficimus pro reliquis anni temporibus: quorum ne ignarus ſit noſter practicus, hæc memoria tenenda.

Ex quouis apozemate cuiuis humori aut parti à nobis aptato fieri poſſe, vt ſolet, apozema purgans, additis catharticis lenioribus hoc noſtro tempore vſitatis; qualia ad bilem rhab. myrobalani citrinæ, oleo amygdalarum dulcium confricatæ, vt deponant aſtrictionem; Ad melancholiam folliculi & folia ſennæ, epithymus; Ad pituitam turpetum, agaricus, ſemen Carthami; Ad ſeroſos humores folia ſoldanellæ, ſemen ebuli & ſimilia, neque guſtu neque odore nimiùm ingrata, quæ ſub finem decoctionis addantur, in conuenienti quantitate, vt ʒ i. rhab. vel agaric. pro vnaquaque doſi. ʒ ß. fol. ſennæ & ſem. carthami. vt in vulgaribus præſcriptionibus obſeruare licet.

Ex ita præſcriptis decoctionibus & adiunctis, ſi vſus ita poſtulet, ſyrupis purgantibus, vt ſyrupo violato comp. ſyrup. florum perſica arboris, roſat. laxat. de Cichorio cum rhab. ad ʒ j. in doſes ſingulas fiunt apozemata minùs cocta; quæ ſi perfectiùs addito melle aut ſaccharo concoquantur, vt ſeruari poſſint, fiunt ſyrupi magiſtrales & vſuales dicti, quorum ʒ iij. vel bis, vel ſemel in menſe cum aqua aut decocto conuenienti diluuntur & aſſumpta per ὄπισθεν, corporis noſtri excrementorum ſuperfluas expurgant. Reliqua facile eſt prudenti & ſapienti coniicere, nunc ad rem ipſam accedendum eſt.

FORMVLÆ

FORMVLÆ REMEDIORVM INTERNORVM.

AD PVRGANDOS ET PRÆPARANDOS humores; alterandas, roborandásque corporis noſtri partes.

SECTIO I.

CAPVT I.

Ad Bilem in Capite.

APOZEMA. ℞. rad. gram. lapat. acut. & bugloſſ. ana ʒ j. herbar. lactuc.acet. end. cichor. roſtri porcin. ſpinac. borrag. ana M. j. fol. beton. & ſummitat. fœniculi ana M. ß. Sem. quatuor frigid. maj. & aniſi ana ʒ ij. Seminis papauer.albi.ʒ.j. trium florum cordial.& nymphæ ana p. j. hordei mundati p. ß. Fiat omnium decoctio in ſuffic. quant. aq. pluuiæ ad tertiæ partis conſumptionem, quæ redeat ad ℔ j.ß.In qua diſſolue ſyrup.de end. ſimpl.& violacei ana ʒ ij. ß. fiat Apozema non clarificatum; Si gratius eſſe velis, clarificatum, ſi validius exoptes aromatizatum ʒ j.pulu.elect. trium ſant. vel elect. Diatragac. frigid. pro tribus doſibus matutinis: licet & pomeridianis horis repetere alterans Apozema, non purgans, circa tertiam horam,ſubſequente deinde tenuiori cœna.

Iulepus. ℞ Syrup. de end. ſimplic. Capill. ven. & violac. ana ʒ j.aq,acetoſ.& lactuc. ana ʒ iiij. aq. betonic. ʒ j pulu.elect. triaſant. ϑ ij.fiat Iulep.pro tribus doſibus matutinis.

Potio. ℞ Rhab: elect. ϑ iiij. Santali rubri ϑ ß. Infunde in aqua cichorij & pauca aqua betonic. facta expreſſione diſſolue elect. de ſucco roſ. ʒ ß. ſyrup. roſat. laxat. ʒ j. decocti flor. & fructuum cordialium q.ſ. fiat Potio, quam capiat in aurora, cum debito regimine.

Bolus. ℞ Diaprun.ſolut.ʒ vj.elect.de ſucco roſ.ʒ j.rhabarb.pulu. ϑ j.ſantali citrini ℈.vi cum pauco ſacchar.fiat bolus quem capiat in plures morſus diuiſum ſub eadem hora, cum cuſtod.& regimine artis: quem, ſi æger nequeat deuorare, diſſolue cum pauco iuſculo.

Pilulæ. ℞ Maſſæ pilul. ſine quibus & aurearum ana ʒ ß. dacridij ℈ iij. cum aqua betonic. fiant pilulæ v. aut vij. deauratæ, (ad vitandam ingratitudinem) quas capiat poſt primum ſomnum cum pauco ſyrupo capill. vener. aut violato, ex cochleari, ſuperdormiendo.

Opiata. ℞ Conſeru. flor. violar. borrag. & nymphæ ana ʒ iij. caulium lactuc. ſacch.conditorum ʒ ij. pulu.elect. triaſant. ʒ j.diatragacanth.frigidi ʒ ß.cum ſyrupo violato, fiat Opiata, cuius capiat ʒ iij.duabus aut tribus horis ante prandium, ſuperbibendo parum aquæ borraginis.

Tabellæ. ℞ Pulu. elect. diamarg. frigidi & triaſantali. ana ʒ j. criſtall. præpar. ϑ ij. margarit. præpar. ʒ j.ſacchari albi aqua roſ. diſſoluti ʒ iij. fiant Tabellæ deauratæ pond. ʒ ij.capiat vnam mane,& hora tertia pomeridiana.

Pulvis. Vel; ſi mauis, totum illud cum ſaccharo conficiatur ſub forma pulueris, cuius capiat tantundem cum iuſculo pulli conuenientibus herbis alterato aut aqua bugloſſi, aut borrag. melius enim penetrant, ſi in rem præſentem pulueres fiant.

Ad

Digitized by Goog

Ad Bilem in Pectore.

Apozema. ℞ Rad. liquirit. raſ. & polypodij quercini recentioris ana ℥ j. herbarum buglosſi, borragin. cum toto, ſcabioſ. capill. vener. viol. ſummitat. malu. & altheæ ana M. j. fol. tuſſilag. recentium M. ß. ſem. quat. frigidor. mai. & bombac. ana ʒ ij. amygd. dulc. excortic. & concisar. nucleorum pini mundator. ana p. 1. paſſul. purgatar. ʒ ij. flor. cordial. ana p. 1. fiat omnium decoctio in aq. hordei perfectè cocti ad ℔ 1. ß. In qua diſſolue ſyrup. de liquirit. violati & de iuiubis ana ʒ j. ß. fiat apozema clarum & aromatiſ. ʒ j. ß. pulu. elect. diatragacanthi frigidi, pro tribus doſibus matutinis.

Iulepus. ℞ Syrup. viol & de iuiubis ana ℥ j. ß. ſyrup. de tuſſilag. ℥ ß. aq. violar. borrag. & ſcabioſæ ana ℥ iij. pulu. elect. diatragacanth. frigidi ʒ j. fiat iulep. pro tribus doſibus.

Potio minoratiua. ℞ Caſſiæ recenter extractæ & diapruni ſolutiui ana ʒ iij. ſyr. capill. vener. ℥ j. decocti pectoralis purgantis ℥ iij. fiat potio minoratiua.

Bolus. ℞ Elect. de ſucco roſ. ʒ ij. medullæ caſſiæ fiſtulæ cum decocto fol. maluæ extractæ ʒ vj. cum ſaccharo, fiat bolus.

Pilula. ℞ Maſſæ pilularum ſine quibus & aſſaieret ana ʒ. ß. ſcamm. præparat. p. iij. cum aqua ſcabioſæ. fiant pilulæ quinque aut ſeptem.

Opiata. ℞ Conſeru. flor. capill. vener. & flor. violar. ana ℥ ß. pulu. elect. diapenidion ſine ſpeciebus, & diatragac frigidi, ana ʒ j. cum ſyrupo violato, fiat Opiata, capiat vt dictum eſt.

Tabellæ. ℞ Pulu. elect. diapenid. ſine ſpeciebus & diatragac. frigidi ana ʒ j. ß. ſacchari albi aqua ſcabioſæ diſſoluti ℥ iij. fiant Tabellæ, vt artis eſt.

Puluis. ℞ Elect. diatragac. frigidi ℥ j. ſacchari candi ℥ ß. reducantur omnia in puluerem, quo vtendum vt dictum eſt.

Ad Bilem in Corde.

Apozema. ℞ Rad. altheæ, morſus diaboli cum toto, & liquiritiæ recentis ana ℥ j. herbar. borraginis, bugloſſi cum toto, pimpinellæ, intybi vtriuſque portulacæ, ſcabioſæ, cardui benedicti, ana M j. ſem acetoſæ, berberis, & granorum keirmes, ana ʒ ij. flor. cordial. nymphææ ana p. j. & quatuor poma redolentia minutim conciſa, fiat omnium decoctio ab ℔ j. ß. In qua diſſolue ſucci granatorum acidorum, Limon. & Borrag. depurati ana ℥ j. ß. ſacchari albi. q. ſ. fiat Apozema clarificatum & aromatiſ ℈ iv. pulu. electuarij de gemmis, pro tribus doſibus.

Iulepus in febribus. ℞ Succi pomor. redolentium, granat. accid. & borrag. depuratorum ana ℥ iv. aq. roſaceæ ℥ ij. ſacchari albi q. ſ. fiat ſyrupus longus, id eſt, Iulep. de quo capiat ſæpè ad placitum. Eadem etiam ratione paratur Iulepus Alexandrinus & Regius dictus, quo frequenter in febribus vti conſueuerunt nobiſcum Medici.

Decoctum pectorale. ℞ Hordei integri p. j. glyzyrrhizæ ℥ ß. fol. tuſſilaginis & Capillor. veneris ana M. j. ficuum, dactyl. mundat. paſſul. enucleatarum, ſebeſten ana pa. vj. florum violar. & bugloſſi. ana p. j. ſem. aniſi. ʒ ij. fiat decoctio.

Potio in febre. ℞ Rhabarb. electi ʒ j. ß. ſantali citrini. ℈ j. Infundantur in aquæ acetoſ. ſuff. quant expreſſione facta, diſſolue elect. de ſucco roſar. ℥ ß. ſyrup. de Limon. ℥ j. decocti præcedentis q. ſ. fiat potio.

Bolus. ℞ Elect. de pſyllio ʒ vj. rhab. electi puluerat. ℈ j. ſem. acetoſ. ℈ ß. cum pauco ſaccharo, fiat bolus.

Pilulæ. ℞ Maſſæ pilul. aggregatiuarum & de rhabarb. ana ℈ ij. cum ſucco limon. fiant pilulæ vij. duplici auro coopertæ.

Opiata. ℞ Conſeruæ flor. borra. ℥ j. myrabolan. ſaccharo conditarum n. j. pulu. elect. de gemmis, triaſand. & diamarg. frigidi, ana ʒ ß. cum ſyrup. granat. acid. fiat opiata.

Tabellæ. ℞ Electi diamarg. frigidi. ʒ j. ß. pulu. diambræ ℈ ß. ſacchari aq. acetoſ. diſſoluti q. ſ. fiant tabellæ.

Puluis. Eadem materia reducatur in puluerem, addendo ligni aloës & ſandali citrini ana ℈ j. vtatur, vt dictum eſt.

Ad Bilem in Ventriculo.

Apozema. ℞ Rad. acetoſ. Cichorij & gram. ana ℥ j. cortic. cit. ſicc. ℥ ß. fol. plantag.

Digitized by Google

acetoſ. portulacæ, end.ſaluiæ vitæ, ana M.j.ſummit.abſynth.pontic.M.ß.ſem.cydo. berberis,acetoſ.ana ʒ ij. roſ.ſiccar.flor.viol.borrag.ana p.1. fiat omnium decoctio in aq.roſacea.ad ℔.1.ß.In qua diſſolue oxyſacc.ſimpl.cydon. & de acetoſ citri ana ʒ j. ß.fiat apozema clarific.& aromat. ʒ j. pulu. elect. roſatæ nouellæ,pro tribus doſibus matutinis.

Iulepus. ℔ Syrup. granat. acid. & cydon. ana ʒ j. ſyrup. abſynth.pont.ʒ ß.aq.portulac. & roſ.ana ʒ iv. pulu. elect. de gemmis ϑ ij. ſandali rubri ϑ ß. fiat Iulep. pro duabus doſibus.

Potio. ℔ Rab. electi ϑ iv. ſantali rubri ℊ. v. Infunde in aq. roſ. ſ. q. expreſſione facta, diſſol. elect. de citro ſolut. ʒ j. ß. rhabarb. pulu. ϑ 1. aq. acetoſ. q. ſ. fiat potio.

Bolus. ℔ Cathol.& diaprun.ſolut.ana ʒ iij.rhab.pulu.ϑ ij. ſem. coriand. pulu.ϑ ß. cum ſaccharo,fiat bolus.

Pilulæ. ℔ Maſſæ pilul. de hiera & de rhab. ana ϑ ij.malaxa cum aq.roſ.fiant pilul. 7.

Opiata. ℔ Conſeruæ roſ & carnis cucurb.ana ʒ vj.pulu. elect. diarrhod.abbat.trochiſ.de ſpodio ſantali rub.ana ʒ ß.cum ſyrup.de ſucco citri fiat opiata.

Tabellæ. ℔ Pulu.elect.triaſant.& diarrh. abb. ana ʒ j. ſem. berb. & acetoſ. ſpondij ana ϑ ß ſacch.albi.aq.portul.diſſoluti ʒ iij fiant tabellæ,ſ.a.

Puluis. ℔ Vel ipſa materia tabellarum, cum ſaccharo reducatur in puluerem ad vſum.

Ad Bilem in Hepate.

Apozema. ℔ Rad. lapat. acut. aſparagi, valer. gramin.& cichor.ana ʒ j. fol.agrim. acetoſ. cichor. end. lact. roſtri porcini, capilli vener. trifolij, acetoſ. lenticul. aquat. ſummitat.vitis viniferæ. ana M.j . ſem. quatuor frigidor. mai.lactuc.& end ana ʒ ij. ſem.coriand.præparati ʒ 1.flor. cichorij p iij.fiat omnium decoctio in ſero lactis caprilli, ad ℔ j. ß.in qua diſſolue ſyrup. de end. compoſ. ʒ ij. acetoſi ſimplic. ʒ j.fiat apozema clarificat.& aromat.ʒ ß.pulu.elect.triaſant.in tres doſes.

Iulepus. ℔ Syrup.de ſucco acetoſ.& de cichor. ſimplic. ana ʒ 1.ß.aq.end.lactuc. & nympheæ ana ʒ 1. ß. aq. end lactuc. & nympheæ ana ʒ iij. pulu. elect. triaſand. drach 1. fiat Iulep.vel ſi mauis, paretur ſyrupus longus ex ſuccis acetoſæ & cichorij depuratis,addendo parum aceti roſati & ſacchari albi.q.ſ &c.

Potio. ℔ Syrup. de cichor. compoſ. cum rhab. ʒ 1. ß.elect.de ſucco roſ drach.iij. decocti gram.acetoſ.& end.q.ſ.fiat potio.

Bolus. ℔ Caſſiæ recenter extract & diapruni ſolut. ana drach.3. rhab. pulu.drach. ß.ſem.berb.ϑ ß.cum ſaccharo.fiat bolus.

Pilulæ. ℔ Maſſæ pilul. de rhabarb. & ſine quibus ana drach. ß. dacridij grana 5. cum aq.cichor.pilulæ.vij.

Opiata. ℔ Conſ.flor.cichor. & rad. bugloſſi ana ʒ ß. pulu. elect. triaſand. ʒ j. diamarg.frig.ʒ ß.cum ſyrup.de end.ſimplic.fiat opiata.

Tabellæ. ℔ Elect. diamarg. frigidi & triaſand. ana ʒ j. criſtalli præparat. & ſem. acetoſæ ana ʒ ß. marg. præpar. ϑ j. ſacchari.aq. cichor. diſſoluti. q. ſ. fiat elect.in tabellis.

Puluis. ℔ Sem. acetoſ.portul. berberis & lactuc. ana ʒ ij. tabell.elect.triaſand.& diamargar.frigid.ana ʒ j ß.ſacchari albi ʒ ß.fiat omnium puluis.

Ad Bilem in Liene..

Apozema. ℔ Cort.mediani cappar.tamariſci & fraxini,rad.aſparagi ana ʒ j bugloſſi & borrag. cum toto, v. capillarium. fumar. Lupuli, end. Lapat.acut.ana m.j flor.tamariſc cichorij,& borrag. ana p.j. fiat omnium decoctio in aq.chalybeata ad ℔.j.ß. In qua diſſol.ſyrupi bizantini ʒ iij.ſucci lupuli ʒ ij. ſacchari albi parum, fiat apozema clarificat.& aromat.ϑ iv.pulu.elect.diarrhod.abbat.pro iij.doſ.

Iulepus. ℔ Syrup.bizant.& de end.ſimpl.ana ʒ j.ß.aq. borrag. portulac. & lupuli, ana ʒ jv.pulu.elect. diamarg.frig.ϑ ij.fiat Iulep.pro tribus doſibus.

Potio. ℔ Decocti flor. & fruct.cordial.cum pauco epithimo ʒ iv. diaſenn.ſolut.& elect.de ſucco roſ.ana ʒ ij.ſyrup.violati completi.ʒ j.fiat potio.

Bolus.

Digitized by

Bolus. ℔ Diapruni ſolut. & diaſennæ ſolutiui ana ʒ ij. confect. hamech ʒ j. cum ſaccharo fiat bolus.

Pilulæ. ℔ Maſſæ pilul. Indar. & aurearum ana ℈ ij. malaxa cum aq. Lupuli, fiant pilulæ ſeptem.

Opiata. ℔ Conſeruæ capill. Ven. & conſeru. florum tamariſc. ana ʒ vj. pulu. elect. diarrhod. abb. ʒ j. ß. confect. alkermes, & cort. rad. cappar. puluerat, ana ℈ j. cum ſyrup. de pomis redolent. fiat Opiata.

Tabellæ. ℔ Confect. alkermes. ʒ j. pulu. elect. triaſant. & diarrh. abb. ana ʒß. ſem. portul. ℈ j. ſacchari albi, aq. ſcolopendrij diſſoluti, q. ſ. fiant tabellæ vt artis eſt.

Pulvis. ℔ Limatur. chalyb. aceto præparatæ ʒ j. ß. pulu. elect. diarrhod. abb. ℈ iv. cinam. electi grana iv. ſacchari albi ʒ ij. fiat omnium pulu. tenuiſſimus, de quo capiat ʒ j. ß. cum pauco vino albo aqua lupulorum diluto.

Ad Bilem in Renibus & Veſica.

Apozema. ℔ Rad. ononid. acetoſ. liquiritiæ raſæ, & gram. ana ℥ j. Intibi vtriuſque, lactuc. fragariæ, quinquefolij. plantag capilli vener. ana M. j. quatuor ſem. frigid. mai. ana ʒ ij. prunor. acid. par. quatuor, ſem. alkekengi & milij ſolis ana ʒ ß. flor. maluæ, primulæ veris & cichorij, ana p. j. fiat omnium decoctio, in aq. horde ad ℔ j. ß. In qua diſſolue ſyrupi violati & de nymphea, ana ℥ ij. fiat Apozema clarificat. & aromat. ℈ iv. pulu. elect. diatragac. frigid. pro tribus doſibus.

Iulepus. ℔ Syrup. de althea ex deſcrip. Fern. ℥ jv. aq. gram. nymph. & cichori, ana ℥ v. pulu. elect. triaſant. ℈ ij. fiat Iulepus, pro tribus doſibus.

Potio. ℔ Rhab. electi ʒ j. ß. ſpicænardi. Gran. v. Infunde in aqua gram. expreſſione facta diſſolue diapruni ſolut. & medullæ caſſ. fiſtul. ana ʒ iij. decocti herb. capillarium q. ſ. fiat potio.

Bolus. ℔ Caſſiæ recenter extractæ. ʒ vi. elect. de ſucco roſ. ʒ ij. ſacchari parum, fiat bolus.

Pillulæ. ℔ Maſſæ pillul. ſine quibus ʒ j. dacridij gr. iv. cum aq. gramin, conficiantur pilulæ v. aut vij.

Opiata. ℔ Conſeruæ flor. maluæ & rad. altheæ ana ʒ iij. ſem. alkekengi puluer iſ. ʒ j. pulu. elect. triaſant. & diatragac. frigidi ana ʒ ß. cum ſyrup. violato. fiat opiata.

Tabellæ. ℔ Trochiſ. de ſpodio, liquiritiæ raſæ ana ʒ j. pulu. elect. diatragac. frigid. ʒ ij ſacchari albi aq. gram. diſſoluti q. ſ fiant tabellæ.

Pulvis. Ex eadem materia cum ſaccharo cando paretur puluis, ſumendus cum aqua ſtillatitia herniariæ herbæ.

Ad Bilem in Vtero.

Apozema. ℔ Rad. rubiæ mai. acetoſ. & nymphææ ana ℥ j. herbarum capillarium communium, cichorij, artemiſ. borrag. matricariæ ana M. ß. ſem. melon. cucurbitæ & petroſ. ana ʒ ij. flor. carthami & trium florum cordialium, ana p. j. decoquantur in aqua ciſternæ ad lib. 1. ß. cui adde ſacchari rubri q. ſ. fiat Apozema clarificatum & aromat. ʒ j. pulu. elect diarrhod. abb. in tres doſes.

Iulepus. ℔ Syrup. de artemiſ. ℥ j. ſyrup. capil venér. ℥ ij. aq. cichorij, gramin. & fœnic. ana ℥ iv. pulu. elect. triaſant. ʒ j fiat Iulepus in tres doſes.

Potio. ℔ Fol. ſenæ mundat. ʒ ij. ſem. carthami & flor. eiuſd ana ʒ ß. ſem. aniſi & myrobal. citrin confricatarum ℈ j decoque in aq. hordei in colat. ℥ iv. diſſolu. elect. de pſyllio ℥ ß. ſyrup de cichorio compoſiti cum rhabarb ℥ j fiat potio.

Bolus. ℔ Diapr. ſolut. & elect. roſ. Meſuæ ana ʒ ij. rhab. pulu. ℈ j. ſantali citrini ℈ ß. cum ſaccharo, fiat Bolus.

Pilulæ. ℔ Maſſæ pilul. de hiera & rhab. ana ʒ ß. agar. trochiſc. ℈ j. ſcamm. gra. iij. cum aq. arthemiſ. fiant pilulæ, v. aut vij.

Opiata. ℔ Conſer. rad. acetoſ. flor. borrag. & nymphææ ana ℥ ß. pulu. elect. diarrhod. abb. ʒ ij. confect. alkermes ℈ j. cum ſyrupo byzantino, fiat opiata.

Tabellæ. ℔ Pulu. elect. de gemmis & triaſant. ana ʒ j. caphuræ gr. 3. ſacchari aq. arthemiſ. diſſol. q. ſ. fiat ſolidum elect. in tabellis.

Pulvis. Vel ſi mauis, eadem materia reducatur in puluerem, augendo doſim ſacchari, cap ℈ ij. cum decocto cicerum rubrorum.

Ad

Ad bilem in Juncturis & habitu corporis.

Apozema. ℥ Rad. been. vtriuſque, aſparagi & gram. ana ʒ j. primulæ veris, betonic. agrimon. cichorij, borrag. capilli vener. ana M. j. ſem melon. papau albi, berberis ana ʒ ij. trium florum cord. papau albi, hordei integri ana p. j. fiat omnium decoctio, in cuius ℔ j & ß. diſſolue oximel. ſimplic. ʒ ij. fiat apozema clarificatum & aromat. ʒ j. pulu. elect. de gemmis, in tres doſes.

Iulepus. ℥ Aquar. lactuc. borrag. Iuæ arthetic. ana ℥ iv. ſyrup. de end. cõpoſ. & oxymelit. ſcillitici ana ʒ j. ß. pulu. elect. triaſant. ʒ j. fiat Iulepus pro tribus doſibus matut.

Potio. ℥ Syrupi de cichor. compoſ. cum rheo ʒ j. diaſenæ ſolut. & diapruni ſolut. ana ʒ ij. ß. decoct fol. cichor pimpinel. chamæpyt. & ſenæ orientalium pauco fœniculo ʒ v. fiat potio.

Bolus. ℥ Diapr. ſolut. ʒ iij. cariocoſt. ʒ ij. cum ſacchari albi q. ſ. fiat bolus.

Pilulæ ℥ Maſſæ pilul. de hermodactyl. & aurearum an. ʒ ß. rhab. puluerisat. ℈ ß dacridij gra. iij. cum aq. iuæ arthriticæ fiant pilulæ vij. deauratæ.

Opiata. ℥ Conſ. flor. iuæ arthriticæ. flor. primulæ veris ana ʒ. iij myrobalan. emblic. condit. n. j. pul. elect. de gemmis, & diatragac. frigidi ana ʒ j. cum ſyrup. cort. citri & violar. q. ſ. fiat Opiata.

Tabellæ. ℥ Pulu. elec. triaſant. & diarrh. abbat. ana ʒ ij. trochiſ. de ſpodio & ſem. acetoſæ an. ʒ j. ſacchari albi aq. Iuæ arthriticæ diſſoluti. q. ſ. fiant Tabellæ deauratæ.

Puluis. ℥ Ex ead. materia vel Tabellis ipſis paretur puluis, addendo pulu. liquiritiæ ℈ j. detur cum prædicta aqua.

CAPVT II.

Ad Melancholiam in Capite.

℥. RA p. bugloſſi, calami aromat. & cyperi ana ʒ j. herbarum betonic. lupuli, borraginis, ſummitat. thym. ana M. j. ſem. aniſi & melon. ana ʒ ij. prunor. dulc. paria iij. flor. geniſtæ ſampſuci & anthos ana p. 1. fiat omnium decoctio in melicrato. In cuius ℔ j. ß. diſſolue ſyrup. de betonic. & de fumar. ſimplic. ana ʒ ij. ſacchari q. ſ. fiat apozema, clarific. aromat. ʒ j. pulu. elec. diamoſci dulcis, in tres aut quatuor doſes.

Iulepus. ℥ Syrup. de betonic. & de epithym. ana ʒ j. ß. aq. ſtillatitiar. lupulor. ſambuci, & ſaluiæ ana ʒ iiij. pulu. elec. diambræ ℈ ij. aut ſi mauis in vnaquaque doſi diſſolue confect. alkerm. ℈ j. fiat Iulep in tres doſes.

Potio. ℥ Syrup. de fumar. compoſ. ʒ j. diaſen. ſolut. & confect. hamech. an. ʒ ij. decocti fol. betonicæ, epithymi & ſenæ oriental. cum pauco fœniculo ʒ v. fiat potio.

Bolus. ℥ Diaſen. ſolut. ʒ ß. hieræ logadij ʒ ij. ſacchari albi q. ſ. fiat bolus.

Pilulæ. ℥ Maſſæ pilul. indar. & de lap. lazuli, an. ℈ ij. cum aq. lupulor. fiant pilul. vij. deauratæ.

Opiata. ℥ Conſeru. rad. bugloſſi. conſeru. flor. anthos & borrag. ana ʒ ij. confectionis alkerm. ʒ j. pulu. elec. diambræ & diamoſci dulcis ana ʒ ß. cum ſyrup. de betonica, fiat Opiata.

Tabellæ. ℥ Pulu. elect. diambræ, diamoſci dulc. ana ʒ j. margar. ſplendid. ſantali citrini, ana ʒ ß. ſacchar. aq. borrag. diſſol. q. ſ. fiant tabellæ.

Puluis. ℥ Flor. borrag. & anthos. an. p. ß. ſem. pœoniæ, raſur. cranij humani, ligni aloës, ſantali citrini, ana ʒ ß. ambræ griſeæ crudæ gran. v. ſacchari albi q. ſ. fiat puluis, &c.

Ad Melancholiam in Pectore.

Apozema. ℥ Rad. enul. camp. liquiritiæ raſæ, polypod. quercin. ana ʒ j. herb. pimpinellæ, ſcabioſæ, praſſi, pulmonar. petaſitidis capillor. vener. & borraginis ana M. iij. ſem. vrticæ & altheæ ana ʒ iij. amygd. dulcium excorticatarum & pineorum recentium ana p. j. paſſul. purgat. ʒ ß. flor. ſpicæ vtriuſque, borrag. & maluæ ana p. j. fiat omnium decoctio in aq. hordei perfectè cocti, in cuius colati ℔ j. ß. diſſolue hydromelit. paſſulat. & ſyrup. de tuſſilag. ana ʒ ij. fiat apozema clarificatum & aromat. ʒ j. ß. pulu. elect. di atragac. frigidi. pro iij. doſibus.

Potio.

Digitized by Google

Potio. ℔ Syrup.violar.complet. ℥ j diaſennæ ſolut.& diaphenic.ana drach.iij.decocti pectoralis ſolutiui cum pauco epithymo ʒ iv.fiat potio.

Iulepus. ℔ Syrup. de liquir. de pomis, de tuſſilag.ana ℥ j.aq. pimpin.borrag.& ſcabioſ.ana ℥ iv.pulu.elect.diarrhod.ſimplic.ʒ j.fiat Iulepus. in tres doſes.

Bolus. ℔ Medull. caſſ. fiſtul. ℥ ß. confect. hamech. ʒ iij. ſacchari q. ſ. fiat Bolus.

Pilule. ℔ Maſſ.pilul.aggreg.& lapid.lazuli ana ʒ ß. trochiſ.alhand.grana quatuor, malaxentur cum aqua pimpin.fiant quinque aut ſeptem pilul.

Opiata. ℔ Conſeru.rad.enul.camp ℥ ß.conſeruæ capill.vener.ʒ iij.pulu.elect.diaireos ſimpl.cõfect.alker.& de hiacynt.ana ℈ j.cum ſyrupo violato cõpleto,fiat Opiat.

Tabellæ. ℔ Pul.irid. florent.ligni aloës, flor.praſſij leuiter exſiccat.& pulueriſ ana ʒ j pulu.elect.lætit.Gal & diambræ ana ℈ ij.ſacchari albiſſimi aq.pimpinellæ diſſoluti q. ſ. fiant Tabellæ deauratæ.

Pulvis. ℔ Species Tabell. præſcript. ℥ j. ſacchari albiſſimi ʒ iij. reducantur in pul. quo vtatur cum hydromel in plures doſes.

Ad Melancholiam in Corde.

Apozema. ℔ Rad. buglos. calam. aromat. & cortic. citrij ana ℥. j. herb. borrag. ſcabioſ. torment. meliſſæ, cardui bened. & acetoſ. ana M. j. ſem. citri, & grano alkerm. ſchœnanth ana p. 1. fiat omnium decoct. ad ℔ j.ß. In qua diſſolue ſucci depurati borrag. & fumar.ana ℥ ij. ſacchari albi.q. ſ. fiat apozema clarificat. & aromat. trochiſc. gall.moſchar. ℈. iiij. in quatuor doſes.

Iulepus. ℔ Aq.meliſſ.ſcabioſ.borrag.ana ℔ j. ſacchari alb.℔.ß. decoqu. in formam julepi & aromat. ℈. ij. pulu. elect. diambr. in plures doſes.

Potio. ℔ Helleb,nigri ℈ j. diſſecetur in tenuia fruſta,quibus inferciatur pomum, & decoquatur ſub cinerib.deinde detracto helleb.pomum infundatur in ſucci borrag. ſuff q. Expreſſ. facta diſſolue cathol. ℥ ß. Syrup. violacei ℥ j. fiat potio.

Bolus. ℔ Cathol ℥ ß. confect. hamech ʒ. ij. pulu. elec. diamb. ℈ ß. cum ſacch. fiat bolus.

Pilulæ. ℔ Maſſ. pilul.de lapid. lazuli ſecundum deſcript. Alexandri Tralliani cap. de melancholia ʒ j cum ſucco borrag. fiant pilulæ deauratæ ſeptem.

Opiata. ℔ Conſeru.rad.bugloſſ. & cort.citri ſicci conditi ana ʒ iij confect.alkerm. ʒ j.pulu.elect. lætit. Gal.trochiſc.gall.moſcat.ana ʒ ß. fol. auri minutim conciſ. n. 1. cum ſyrup. de pomis,fiat opiata.

Tabellæ. ℔ Trochiſc gall. moſcat. ʒ ß. pulu.elect. diambr. & de gemmis ana ʒ. j. ſacchari alb. aq.meliſſ.diſſolut.q.ſ. fiant tabellæ.

Pulvis. ℔ Pul.elect. lætificant. Gal.ʒ ij. trochiſc. de ſpodio, ſerici crudi minutim conciſi ana ʒ ß. ſem. citri, ℈ j. ſacch. albi ℥ j. fiat omnium puluis.

Ad Melancholiam in Ventriculo.

Apozema. ℔ Rad. acori vulg. & cyperi ana ℥ j. cortic. citri. ℥ ß. ſummitat. herb. abſynth.pont.borrag. lupuli fumar. agrimon. cichorij acetoſ ana M. ß ſem. cucurb. & contr. vermes ana ʒ ij. flor. cordial. & roſar. ſiccar. ana p. j. fiat omnium decoctio in aquæ pluuiæ ℔ j.ß. In qua diſſolu. ſyrup. violat.cydon. & cortic. citri.ana ℥ j. fiat apozema clarificat. & aromat. ℈ ij pulu. elect. triaſant. & ℇ j. elector. aromat. roſat. in tres doſes.

Iulepus ℔ Syrup. de abſynth.pontic.& de epithym.ana ℥ j.ß. aq. bugloſſ.lupuli & agrim.ana ℥ iiij pul. diamarg. frigidi ℈ iiij. fiat Iulepus in tres doſes.

Potio ℔ Rob. cydonior. laxat. drach. vj. ſyrup. de fum. ℥ j. ß. decoctionis flor. & fruct. cord. q. ſ. fiat Potio.

Bolus. ℔ Elect. diaſenn. ſolut.℥ ß rob.cydon. laxat. ʒ ij. cum ſaccharo,fiat Bolus.

Pilulæ. ℔ Maſſ. pilul.de fumar. & Indar.ana drach.ß. cum aqua abſynth. fiant pilul. vij. deauratæ.

Opiata. ℔ Conſeru.flor.abſynth.pont. flor. borrag. rad. cichorij ana drach.ij.confect. alkermes ʒ j. pulu.elect.triaſant. & aromat. roſat.an.drach.ß. ſyrup. cydon. q.ſ. fiat Opiata

Tabellæ. ℔ Pulu elect.aromat.roſat. lætit. Gal. & triaſant. ana drach. ß.cort. citri ſicci,coralli rubri,& ſpodij,ana ℈ j.ſacchari albi aq.borrag.diſſoluti q.ſ.fiant Tabellæ.

Pulvis. ℔ Prædict.tabell.℥ j.ſacchari roſat.tabul.cum perlis ʒ iij.fiat omniũ puluis.

Ad Melancholiam in Hepate.

Apozema. ℞ Rad. aſparag. lupul.cort. median. ſambuci,& fraxi.rad.cichorij ana ℥ j.herb. ſcabioſ agrim. borrag. fumar. ſcolopend. cap.vener.chamædr.& end.ana M.i. prunor. dulc. paria iv. ſem. aniſi ʒ ij. flor.cichorij & borrag. ana. p.ij. fiat omnium decoctio in ſero lactis, vel in decocto galli antiqui ad ℔ j.ß. In qua diſſolue ſucci agrim.& borrag.depurat.an.℥ iij.ſacchar.q.ſ.f.Apoz.clarif.& aromat.ʒ i.ß.pulu. elect diarrhod abb.pro v.aut vi.doſibus.

Iulepus. ℞ Syrup.de cichor.ſimpl.& de fumar.compoſit. ana ℥ j.ß.aq.end.borrag. & lupul.an ℥ iv.pulu.elec.triaſant.℈ ij.fiat Iulep.pro tribus doſibus.

Potio. ℞ Fol agrim.& cichorij ana m.j.ſem.aniſ. ʒ j.fol.ſenæ mundat.℥ ß.flor.borrag p.i ß.decoque ad ℥ iv.In quibus diſſol.ſyrup de cichor.compoſiti cum rhab.℥ i. elect.Ind mai. ℥ ß.fiat potio.

Bolus. ℞ Cathol & diaſenn ſolut.ana ʒ ii ß.elect Ind.ʒ ij.ſacchari,q.ſ.fiat bolus.

Pilula ℞ Maſſæ pilul aggregat. ʒ i pulu. helleb. nigri pauco vino albo irrorat. gran.quinque:conficiantur cum aqua cichor.fiant pilulæ duplici auro coopertæ.

Opiata. ℞ Conſeruæ flor.gariophyll hortenſ.purpat.& conſeruæ fl cichor.ana ℥.ß. confect. Alkermes ℈ iv. pulu. electar. diarrhod. abbat. ℈ j. cum ſyr. Capill. vener.ſ. Opiata.

Tabellæ. ℞ Santali rubr.ſem.berber. & cinam electi ana ℈ ii.puluer,electar.diambræ & lætit.Gal.ana ʒ j. ſacchari albi aqua eupatorij diſſoluti q.ſ.fiant Tabellæ.

Puluis. Ex iiſdem pulueribus, quibus Tabellæ conſtant, addita ſacchari maderei ʒ.fiat puluis,quo vtatur cum decocto cichorei & agrimon.

Ad Melancholiam in Liene.

Apozema. ℞ Rad. polypod. querni recent. liquir. raſæ, cort. rad.cappar.ana ℥ j. ſummitat.thymi,epithymi,borrag fumar ſcolopend. capill.vener.lupuli & chamædr. ana M.j ſem apij & fœnic.ana ʒ ij.cappar recent. ſine ſale & aceto p.ij.flor.geniſtæ tamariſc. borrag ana p.ij.fiat omnium decoctio ad ℔.j.ß In qua diſſol.ſyrup.de fumar.compoſiti, & capill.ven.an.℥ ii.fiat Apozema clarif. & aromat. pulu. elect aromat roſat. ℈ iv.pro iv.doſibus.

Iulepus. ℞ Syrup.epithymi.fumar.capill.vener.an. ℥ i aq.borrag lupul.& flor.ſambuci an.℥ iv.pulu.elect.diarrhod.abb.℈ i ß.fiat Iulep.pro iij.doſibus.

Potio. ℞ Decocti hordei, rad. polypod. querni recentis, epithymi,ſcolopendr.& fol ſenæ mundat.℥ iv.diſſolue Catholici ʒ iij. confect hamech. ʒ ij. ß. ſyrupi violar. ℥ i fiat Potio.

Bolus. ℞ Confect. hamech. & cathol. an. ʒ iij. rhab. pulu. ℈ i. cum ſaccharo, fiat Bolus.

Pilulæ. ℞ Maſſ. pilular. indar. & aggregat.an. ʒ ß. hellebori nigri puluerif.gran. quinque cum aq.lupuli,fiant pilulæ.

Opiata. ℞ Conſeru.cort.citri ℥ j.confect.alkerm.℈ iv.pulu.elect diamoſc & diambr.an.ʒ ß cum ſyrup.de duab.radic.fiat opiata.

Tabellæ. ℞ Sacchari,aq ſcolopendr.diſſol. ℥ ij.cinam,puluer.elect triaſant & diarrhod.abb.an.ʒ ß.puluer electar.de gemmis & diamb.an ℈ j fiant tabellæ.

Puluis. ℞ Flor.ſambuci & tamariſci leuiter in vmbra deſiccat.an p.j ß.pulu.elect diarrhod. abb. ʒ j. cinnam. elect. & limat. chalybis an ℈ ij.ſacchari ad pondus omnium, fiat puluis.

Ad Melancholiam in Renibus & veſica.

Apozema. ℞ Rad.liquir.alth.ononid an. ℥ j. rad. petroſ. borrag.graminis ana ℥ ß. herbarum ſaxifragiæ, capill. vener. fumar. borrag. & pimpinell.ana M.i.ſem.carui, melon,& milij ſolis an. ʒ ij.ſem.altheæ ʒ j. flor malu.camomill. & ſpicæ communis an p.j. fiat omnium decoctio in aqua hordei ad ℔.i. ß. In qua diſſol.ſyrup de duabus radicib.& violati an.℥ ij fiat Apozema clarificat.& aromat.cinnam,electi drach. j.pro iv doſibus.

Iulepus. ℞ Syrup.de bizantiis (iecur & lienem expedit & expurgat) & de althea Fern.an. ℥ i.ß. aq.malu. gramin. & fœnic.an.℥ iv.pulu.elect.diatragac.frigidi ʒ i fiat Iulepus,pro iij.doſibus.

Potio.

Digitized by Google

Potio. ℔ Rhab. elect. ℈ iv.cinnam. gran.quinque,infunde in aquæ hordei ſ.q.expreſſione facta diſſolue diaſenn.& bened.laxat.an.ʒ iij.ſyrup.violat.ʒ̄ j.fiat potio.

Bolus. ℔ Diaſebeſten. & diaſennæ ana ʒ ij.confect.hamech. ʒ iij cum ſaccharo, fiat bolus.

Pilulæ. ℔ Maſſæ pilul.de fumar.& de hermod.an. ℈ ij.malaxèntur cum aqua fœnic.fiant pilulæ ſeptem.

Opiata. ℔ Conſeru.fol.cap.vener.& flor. malu.ana ʒ̄ j.pulu.elect.diatragac.frigidi diarrhod.abb.& triaſant.ana ʒ j.cum ſyrup.de althæa Fern.fiat Opiata.

Tabellæ. ℔ Pulu. elect. diarrhod. abb. ʒ j. pulu. liquir. ſem. maluæ ana ℈ j.cinam. elect. ℈ ß ſacchari albi aq.gram.diſſoluti q.ſ.fiant tabellæ.

Puluis. ℔ Prædict. tabell. puluer. p. & ſacchari candidi an. ʒ̄ j. fiat omnium puluis, vtatur cum aqua aut decocto herniariæ herb.

Ad Melancholiam in Vtero.

Apozema. ℔ Rad.fœnic.petroſelin.aſparag.rubiæ mai.ana ʒ̄ j. cinam.craſſior.ʒ iij. in vino albo per totam noctem infuſo herbar.arthemiſ.borrag.matricar.ſcolopendr. pariet.ſummitat.thymi & althææ ana M.j.ſem.aniſi,& carthami ana ʒ ij.flor.cordial. &ſtœchad.ana p.j.cicerum rubeor.p.ß.fiat omnium decoctio ad ℔.j.ß.In qua diſſol. ſacchari rubri q.ſ. fiat Apoz. clarificat.aromat. ℈ iv.diamoſchi dulcis,pro iv.doſibus.

Iulepus. ℔ Syrup. de quinque rad.& de fumar.ana ʒ̄ i.ß. aq. arthemiſ. & lupul. an. ʒ̄ vj cinam.electi ʒ j. fiat Iulepus,pro tribus doſibus.

Potio. ℔ Decocti communis medicin.cum pauco epithymo ʒ̄ iv.ſyrup.arthemiſ. ʒ̄ j elect.de citro ſolut. ʒ̄ ß.fiat potio.

Bolus. ℔ Cathol.ʒ̄ ß elect.de citro ſolut. ʒ iii.humecta cum pauco ſyrupo violato, fiat bolus addendo ſacchari quantum ſufficit.

Pilulæ. ℔ Maſſæ pilul. Ind. & cochiar.an. ʒ ß.diagrid.grana iij.malaxentur cum aq.arthemiſiæ.

Opiata. ℔ Conſeru. rad. enul.camp. & flor.tamariſc.ana ʒ iij.conſeru.flor.violar. ʒ ij.cinam. elect. confect. alkerm. ana ʒ ß. pulu.diambr.℈ j.cum ſyrupo bizantino, fiat Opiata.

Tabellæ. ℔ Pulu. elect. diambr.diamoſchi dulc. & diarrhod. abb. ana ℈ ij. cinam. elect.& ſchœnanth.vn.℈ j.ſacchar. aq.arthemiſ.diſſoluti q.ſ.fiant tabellæ.

Puluis. ℔ Nuc. moſcat. cinam. ſantal. citrini, cort.rad.cappar.ana ʒ ß.pulu.elect. diarrhod.abb.ʒ j.ſacchari albi quadrupl. pondus, fiat puluis, vtatur cum decocto cicer.rubrorum.

Ad Melancholiam in Habitu & in Juncturis.

Apozema. ℔ Rad. ſalſæ parillæ, ſcyllæ præparatæ, & hermodactyl.ana ʒ̄ ß. herb. Iuæ arthrit. primul. veris, betonic.cichor.borrag v.capillar.communium & ſcabioſ. ana M.j.ſem.melon.& fœnic.an.ʒ ij.paſſul.purgat.& liquir.an.drach.iij. ficuum pinguium paria quatuor,flor.ſaluiæ,& anthos,an.p.j.fiat omnium decoctio ad ℔.j.ß.In qua diſſol. ſyrup. de pomis & mellis anthoſati ana ʒ̄ j. ß. fiat apozema clarificat. & aromat.℈ iv.nuc.moſchatæ,pro iv.doſibus.

Iulepus. ℔ Syrup.de epithymo, violat. mell.anthoſ ana ʒ̄ j.aq.ſaluiæ,Iuæ arthrit. & borrag.ana ʒ̄ iv.fiat Iulep.aromat.℈ ij.pulu.elect.diamb.pro iij.doſibus.

Potio. ℔ Helleb.nigri,ſem.cumin.& cinam. electi, ana ℈ j.Infundantur per quatuor horas in hydromel. q.ſ.pro doſi : expreſſione facta, diſſolue ſyrup. roſat. ſolut. ʒ̄ ii fiat potio.

Vel.

℔ Antimon.præparati grana quinque,infundantur per totam noctem.in vini albi ʒ̄ iij.colentur mane, dentur cum debito regimine.

Bolus. ℔ Diaſenn.ſolut.& elect.diacarth.an.drach.iij.pulu.hermordactyl.℈ ß.humectentur pauco ſyrup.roſar.ſolut. cum ſaccharo,fiat bolus.

Pilulæ. ℔ Maſſæ pilul.fœtid.mai.& Indar.ana ʒ ß.pilul.de hermodactyl.℈ i.malaxentur cum aq.Iuæ arthrith.fiant pilulæ vij.deauratæ.

Opiata. ℔ Conſeru.flor.Iuæ arthriticæ,flor.ſtœchad.& borrag.ana ʒ iij.pulu.elect. diagalan.diamarg.frigidi,ana ʒ ß.cum ſyrup.de pomis,fiat opiata, cui ſi velis addere potes,confect.alkerm ʒ j.

Tabellæ.

Tabellæ. ℞ Electuar. aromat. roſat. zinzib. nuc. moſchat. ana ʒ ß. pulu. elect. diatraga c. frigidi ʒ j. pulu. ſantali rubri ϑ ß. ſacchar. aq. ſaluiæ diſſoluti q. ſ. fiant tabellæ.

Puluis. ℞ Rad. ſarſæ parillæ drach. ij. flor. borrag. exſiccat. p. ß. macis, & ſantal. rubr. ana ϑ j. el. aromat. roſat. drach. iij. ſacchari albi ℥ ß. fiat omnium puluis, quo vtatur cum decocto ſarſæ parillæ, in decentem formam præparato.

CAPVT III.

Ad Pituitam in Capite.

APOZEMA. ℞ Rad. acor. enul. camp. cyperi & ſarſæ parillæ an. ℥ j herb. betonic. ſalu. calamenth. pulegij vtriuſque, origani, meliſſæ, chamædr. an. M. j. flor. ſtœchad. anthos & ſaluiæ an. p. j. fiat omnium decoctio, guaiacino ad ℔ j. ß. in quo diſſolue ſyrup. de betonica oxymel. ſcillitic. & mellis anthoſ. an. ʒ j. ß. facch. rub. q. ſ. fiat apozema clarificat. & aromat. ϑ iv. pul. elect. diaireos compoſiti, pro iv. doſibus.

Iulepus. ℞ Syrup. de ſtœchad. oxymel. ſcillitic. j. & condituræ calam. aromat. ana ℥ j. aq. ſalu. iv. vel ſi mauis decocti guaiacin. ℔ j. pulu. elect. aromat. roſ. ϑ iv. fiat Iulepus, pro iv. doſibus.

Potio. ℞ Fol. ſenæ, betonic. & ſaluiæ ana p. j. ſem. aniſi ʒ j. decoque in aq. hord. ad ℥ iv. in quibus diſſolu. diaphœnic. & elect. de citro ſolut. ana ʒ. iij. mellis roſ. colat. ℥ j. fiat potio.

Bolus. ℞ Diaphœnic. ℥ ß. diacarth. ʒ ij. cum ſaccharo, fiat bolus.

Pilulæ ℞ Maſſæ pilul. cocciar. minor. ſi ſint in vſu ϑ ij. fiant v. pilulæ.

Opiata. ℞ Conſeru. flor. ſtœchad. ſalu. & anthos ana ʒ iij. pulu. elect. aromat. roſ. & diambræ ana ʒ j. nucis moſchat. & calam. aromat. puluerif. ana ʒ ß. cum ſyrup. corr. citri, fiat Opiata.

Tabellæ. ℞ Elect. dianth. & aromat. roſ. ana ʒ j. pulu. ireos florent. & nuc. moſchat. ana ʒ ß. ſacchari albi. aqua betonic. diſſoluti ℥ iij. aut q. ſ. fiant Tabellæ.

Puluis. ℞ Præſcript. ſpecier. ʒ iij. ſem. aniſi & coriandri ſaccharo conditi ana ʒ j. ſacchar. alb. ℥ ß. fiat puluis omnium.

Ad Pituitam in Pectore.

Apozema. ℞ Rad. liquir. ſcillæ præparatæ, id eſt, in aceto infuſæ ana ℥ j. ireos florent. ʒ vj. herb. hyſſop. & ſcabioſ. origan. pulegij calament. tuſſilag. quinque capill. ana M. j. ſem. malu. aniſ. bombac. ana ʒ ij. paſſul. purgat. & ficuum pinguium ana p. iv. flor. calendulæ & ſaluiæ an. p. j. fiat omnium decoctio in hydromelite ad ℔ j. ß. in qua diſſolu. ſacchar. rubri q. ſ. fiat apozema clarificat. & aromat. ʒ j. pulu. ireos florent. pro iv. doſibus.

Iulepus. ℞ Syrup. de hyſſop. praſſio & de tuſſilag. ana ℥ j. aq. ſcabioſ. pimpinell. & ſaluiæ ana ℥ iv. pulu. elect. diaireos compoſiti ʒ j. fiat Iulepus. pro iij. doſibus.

Potio. ℞ Decocti pectoral. cum ſene ſolut. ℥ iv. infunde agarici recenter trochiſcati. ʒ j. expreſſione facta diſſolue diaphœnici ℥ ß. ſyrupi de hyſſopo ℥ j. fiat Potio.

Bolus. ℞ Cathol ℥ ß. elect. diacarth. ʒ ij. agar. trochiſcat. ϑ ß. humectentur cum ſyrup. de tuſſilag. addendo ſacchar. q. ſ. fiat bolus.

Pilulæ. ℞ Maſſ. pilul. de agar. & fœtid. maj. ana ʒ ß. trochiſ. alhandal. ſeu colocynth. grana iij. malaxentur cum aq. hyſſopi, fiant pilulæ deauratæ vij.

Opiata. ℞ Conſeru. rad. enul. camp. tuſſilg. & capill. vener. ana ℥ ß. pulu. elect. diaireos compoſiti ʒ j. ß. diambræ ϑ j. cum ſyrupo de praſſio, fiat opiata, cui adde, ſi volueris, confect. aureæ Alexandr. vel confect. anacard. vel theriac veteris ʒ j. ß.

Tabellæ. ℞ Pulu. elect. diaireos compoſiti, & diatragac. frig. ana ʒ j. ſucci liquir. pulueriſat. & ſem. malu. ana ʒ ß. ſacchari albi aq. hyſſopi diſſoluti q. ſ. fiant tabellæ.

Puluis. ℞ Tabell. pulueriſat. diatragac. frigid. & diaireos compoſiti ana ʒ ij. pul. rad. tuſſilag. & fol hyſſop. ſiccorum ana ϑ ij. ſacchari ʒ. iij. reducantur in puluerem, vtatur cum Hydromelite aut decocto guaiacino.

Ad

Digitized by Google

Ad Pituitam in Corde.

Apozema. ℞ Rad.liquir.raſ.calam. aromat. & tormentillæ ana ℥ j. morſ. diaboli cum toto, herb.meliſſ.cardui benedicti,pimpin. ſcabioſ. chamæd. chamæpith.cort. exterior.arancior. ſiccor. ana M.j. ſem.citri & aniſ. ana ʒ j. ß. trium flor. cordial. & ſchœnanth.ana p.j.fiat omnium decoctio in aq.borrag.vel in aqua ſimplic.ad ℔ j.ß. In qua diſſolue ſyrup.de pomis redolentibus & ſyrup. condit.cortic.citr.ana ℥ ij.fiat apozema clarific.& aromat.ʒ j.pulu.elect.diamoſc.dulcis,pro iv.doſibus.

Iulepus. ℞ Syr.byzant. de pomis redolentib⁹ & cõditur.calam.arom.an.℥ j.aq.meliſſ.card.bened.& ſcabioſ.ana ℥ iv.pulu.elect.diambr.ʒ j.fiat Iulepus,pro iv. doſibus.

Potio. ℞ Rhab. elect. ʒ j. agar. trochiſc. ϑ j. cinam. grana quinque, infund.in aq. card.benedict.℥ v.expreſſ facta,diſſol.elect.de citro ſolut. ℥ ß. ſyrup. conſeruationis cort.citri ℥ j.fiat potio.

Bolus. ℞ Confect.Tripheræ perſicæ ℥ ß.elect. diacarth.ʒ ij cum ſacch.fiat bolus.

Pilulæ. ℞ Maſſæ pilul.aggreg.& de agar.ana ϑ ij.malaxentur cum aq.borrag.fiant pilul.ſeptem,duplo auro coopertæ.

Opiata. ℞ Conſeru. calam. & cort. citri ana ℥ ß. myrobalan. ſacch. conditar.n. i. pulu.elect.diambr.& diamoſc.dulcis ana ʒ ß.confect. alkerm. ʒ j. cum ſyrup.de pomis, fiat Opiata.

Tabellæ. ℞ Confect.alkerm.& conſeru. flor.borrag.ana ʒ j pulu.elect.aromat.roſ. & lætit.Gal.ana ʒ ß.ligni aloës & ſantali citrini ana ϑ j.ſacchar. aq. card. bened.diſſolut.q.ſ.fiant tabellæ,vt artis eſt.

Puluis. ℞ Sant.citrini,& albi an.ʒ j.ligni aloës ʒ ß.elect.diambr.ʒ ij.ſacch.albi ℥ ß. fol.auri minutim conciſor.n.ij.fiat omnium puluis.

Ad Pituitam in Ventriculo.

Apozema. ℞ Cort.citri.calam.aromat.& rad.acori ana ℥ j. herb.abſynth.mentæ, maioranæ, ſaluiæ, hyſſop. fœnic. chamæpith. ana M.j. ſem corian granor.kermes, ana ʒ j.flor.ſalu.anthos & lauend.ana p j.fiat omnium decoctio ad ℔ j.ß.In qua diſſolue ſyrup. de abſynth. & dementh ana ℥ ij. fiat apozema clarificat. & aromat. pulu.elect.arom.roſat.ϑ iv.pro iv.doſibus.

Iulepus. ℞ Syr.abſynth.pont.menthæ & oxymelit.ſcillit an.℥ j.aquar.ſcabioſæ,fœniculi & maioranæ ana ℥ iv.fiat Iulep. pro iij. doſibus aromatiſatum ʒ j.cinamomi.

Potio. ℞ Agar.trochiſ. & rhab. optimi ana ʒ ß.ſpicænardi gran.v.Infund.in aquæ menth.ſ-q expreſſ. facta diſſolue elect. de citr.ſolut.℥ ß.diaphœn.ʒ ij ſyrup.rot.ſolut. ℥ j.fiat potio.

Bolus. ℞ Elect.de citr.ſolut. (effectu reſpondet diacarth. pituitam euacuando ratione turbith) & diaphœn.ana ʒ iij. rhab. pulu.ϑ j. humectentur ſyrup.de abſynth. cum ſacchar. fiat bolus.

Pilulæ. ℞ Maſſ.pilul.de hiera & de agar.ana ϑ ij.cum aq.menthæ,fiant pilulæ deauratæ ſeptem.

Opiata. ℞ Cort. citri. ſacch. condit.& miuæ cidon.cum aromat.ana ℥ ß.myrobal. conditarum n.ij. piper.long.nuc.moſchat.ana ʒ ß.pulu.elect. aromat.roſ.ʒ j.cum ſyrup de abſynth.fiat Opiata.

Tabellæ. ℞ Elect.aromat.roſ.ʒ ij.cort citri ſicci, nuc.moſchat,piperis longi ana ϑ j. ſantali albi & ligni aloës ϑ ß.ſacchari alb.aq.menth.diſſoluti q.ſ.fiant tabellæ.

Puluis. ℞ Sem. aniſi & coriandri ſacch. conditi ana ʒ iij. corall.præparat.ſem.citri,ligni aloës,nuc.moſchat.ana ʒ ß.pulu elect. aromat.caryoph.ϑ iv ſacch.ad placitum,fiat puluis, quo vtatur poſt ſingulos paſtus ad iuuandam concoctionem , nihil deſuper comedendo aut bibendo.

Ad Pituitam in Hepate.

Apozema. ℞ Rad. aperitiuar. vino albo macerat. ana ℥ j.raſuræ ligni ſancti drach. vj.herb.agrim.cichor.cum toto , fumar.menth.maioran.chamædr. chamæpith orig. & capill.omnium ana M.j.ſem melon & fœnic. ana drach.ij.flor.cichorij,anthos & ſalu.an p j.fiat omniũ decoctio in ſero caprillo ad ℔.j.ß.In qua diſſolu. ſyrup.de eupath.& de abſynth.an ℥ ij. fiat apozema clarific.& arom. ϑ iv. pulu.elect.diarrhod. abb pro iv.doſibus.

Digitized by Google

Iulepus. ℞ Syrup. de eupath. & abſynth. ana ℥ j. ß. aq fœnic.agrim.cichorij,ana ℥ iv.pulu.elect.aromat.roſ.ʒ j.fiat Iulepus,pro tribus doſibus.

Potio. ℞ Elect.diacharth.ʒ vj.rhab.pulu.ʒ ß.ſyrup.de abſynth.℥ j.decoctionis fol. agrim.cichorei & Senæ ℥ iv.fiat potio.

Bolus. ℞ Cathol.℥ ß.(recipit in ſui compoſitionem ea, quæ indifferenter omnes reſpiciunt humores)elect.diacarth.ʒ ij.rhabarb.pulu.ʒ j.cum ſaccharo,fiat Bolus.

Pilulæ. ℞ Maſſ.pilular.aggregat. & de hiera cum agarico ana ʒ. ß. dacridij. ℊ. iij. cum aq. agrimon.fiant pilulæ vij.deauratæ.

Opiata. ℞ Conſeru.flor.& capill veneris,cichorij ſtœchad.an.℥ ß.pulu.elect. triaſant.arom.roſat.& diamoſc.ana ʒ j theriacæ veteris & electæ ʒ ij. cum ſyrup.de eupat. fiat Opiata.

Tabellæ. ℞ Pulu elect.diarrhod.abb.& aromat.roſ.ſantali citrini,& garyophill.ana ʒ ß.ſacch.aq.agrim diſſolut quantum ſufficit,fiant tabellæ.

Puluis. ℞ Tabel. elect. triaſant. & aromat. roſ. ana ʒ ij. ſem. fœnic.ſacch.condit. ʒ j.ß.cinam.elect.& garyophyll.ana ℈ j.ſacchar.albi q.ſ.fiat puluis.

Ad Pituitam in Liene.

Apozema. ℞ Rad.fœnic & filicis maris,cort.rad.capparum ana ℥ j.cort citri ſicci ℥ ß. herb. hyſſopi, lupuli & ſcolopendr. quinque capill. fumar. agrimon. thym.ana M.j.ſem.aniſi & fœnic.ana ʒ ij paſſul. mundat. & prun.dulc.ana p.ij.flor.geniſtæ & tamariſci ana p.ij.fiat omnium decoctio ad ℔.j. ß. In qua diſſolu.ſyrup.naſturtij,fumar.& oxymel,ſcillitic.ana ℥ j.ß. fiat apozema clarific. & aromat. ℈ iv. pulu.garyophyll.pro quatuor doſibus.

Iulepus. ℞ Syrup.de fumar.& de quinque rad.ana ℥ j. ß. aq.bugloſſ.lupul.& ſcolopendr.ana ℥ iv.pulu.elect.diarrhod.abb.ʒ j.fiat Iulepus,pro tribus doſibus.

Potio. ℞ Polypod.quercini ʒ iij.fol.ſenæ mundat.ʒ ij.agar.trochiſc.in nodulo poſiti ʒ ß.fiat omnium decoctio ad ℥ iv.in quibus diſſol.elect.diacarth.℥ ß.ſyrup.de fumar.compoſiti ℥ j.fiat potio.

Bolus. ℞ Diaphœnic.& elect.diacarth.ana ʒ iij.cum ſacchar.fiat bolus.

Pilulæ. ℞ Maſſ.pilul.cocciar.& de agaric.ana ℈ ij.cum aq.lupul.fiant pilulæ.

Opiata. ℞ Conſeru. calam. aromat. conſeru. flor. anth. & tamariſ. ana ʒ iij. pulu. elect.diarrh.abb.& aromat.garyophyll.ana ʒ j.theriac.veter. ℈ iv. cum ſyrup. capill. vener.fiat Opiata.

Tabellæ. ℞ Trochiſc.de capparib.cinam.electi. & pulu.elect.aromat.roſ.ana ℈ ij. ſacch.aq.borrag.diſſolut.quantum ſufficit,fiant tabellæ.

Puluis. ℞ Cort.rad.cappar.& tamariſc.ſem.apij, petroſ.ana ʒ ß.ſpicænardi,ſchœnant.& elect.diarrhod.abb.ana ʒ j.ſacchari q.ſ.fiat puluis.

Ad Pituitam in Renibus & Veſica.

Apozema. ℞ Rad.raphan.leuiſtic.rubiæ maj.ononid.ana ℥ j.cort.rad.lauri & cort. citri ſicci ana ℥ ß. Infundantur in vino albo per totam noctem, deinde decoq.cum fol.malu.pariet.vrticæ,aſparagi, pimpinell. quinque capill. naſturtij, apij & ſiſimbrij aquatici ana M.j.ſem.milij ſolis,carui & ameos ana ʒ ij.flor.geniſtæ,roriſm.& malu. ana p.j.liquir.raſæ & cicer.rubeor.ana p.j.in aq.hordei ad ℔.j.ß.In qua diſſol.ſacchari rubri q.ſ.fiat apozema clarific.& arom.ʒ j.ß.cinam.electi.

Iulepus. ℞ Syrup. nephrocathartici ex deſcriptione Iouberti in pharmacopœa ℥ iij.aquæ ſaxifrag.aut decoct cicer.rubror. ℔.j. cinam. elec. ℈ iv. fiat Iulepus pro iv. doſibus.

Potio. ℞ Bened.laxat.cum ſacch.præpar. ʒ vj. ſyrup.nephrocathar. ℥ j. decocti cicer.rubr. ℥ iv.fiat potio.

Bolus. ℞ Bened.laxat.ʒ v.pulu liquir.℈ j.cum ſaccharo fiat bolus.

Pilulæ. ℞ Maſſ.pilul.agreg.& de agar.ana ʒ ß.trochiſc.alhandal grana iij.cum aq. parietariæ fiant pilulæ.

Opiata. ℞ Cõſeru.flor.& capill.veneris.malu.anthos an.ʒ iij.theriac.optimæ.& mithridat. ana ʒ j.pulu.elect.diatragac.frigid.℈ iv. cũ ſyrup. nephrocathar fiat opiata.

Tabellæ. ℞ Cinam. tenuioris, ſchœnanth. calam. arom. ſem. apij,& milij ſolis ana ʒ ß.pulu.elec.diarrhod.abb.ʒ j.ß ſacch.alb.aq.ſaxifrag.diſſoluti q.ſ.fiant tabellæ.

Puluis. ℞ Prædict.tabell.℥ j.pulu.liquir.℈ iv.ſacch.candi ʒ iij. fiat omnium puluis.

Ad

Digitized by Google

Ad Pituitam in Vtero.

Apozema. ℔ Rad.cyperi & quinque aperit.an. ℥ j. herb. arthem if. & matricariæ, fœnic. origan. calamenthæ,nepet. fragariæ, pentaphyll. cap. vener. ana M. j. cicer. rub.ij.ſem.aniſi & apij ana ʒ. ij. flor. ſtœchad. Arabicæ, anthos & centaur. minor. ana p. j. fiat omnium decoctio in hydromelite, ad ℔. j. ß. in qua diſſolu. ſyrup. de arthem. ℥ iiij. ſacch. q.ſ. ad guſtum conciliand.fiat apozema clarifi. & arom. ℈ iiij. pulu. elect. diarrhod. abb. pro iiij. doſibus.

Iulepus. ℔ Syrup. de arthemiſ. ℥ ij. ſyrup. de ſtœch. ℥ j. aquarum matric. & nepet ana ℥ vj. aut loco aq. fiat decoctio, in qua diſſolue pulu. elect. diambræ ℈ j.fiat Iulep. pro iij. doſibus.

Potio. ℔ Rhab. elect. agaric. trochiſc. ana drach. ß. ſpicæ nardi. grana quinque; infundantur in aq. fœnic. ℥ v. expreſſ. facta diſſolu.bened. laxat. ℥ ß. ſyrup. roſ. ſolut. ℥ j. fiat potio.

Bolus. ℔ Cathol. & bened. laxat. ana ℥ ß. cum ſaccharo fiat bolus.

Pilulæ ℔ Maſſ. pilul.cocciar.maj. ʒ j. dacridij. grana iiij. cum aq. fœnic. fiant pilul. quinque aut ſeptem.

Opiata. ℔ Conſeru. rad. fœnic. eryngij & flor. tamariſc. ana ℥ ß. confect. aureæ Alexand. ʒ j. ß. pulu.elect. diambr. & diarrhod. abb. ana ʒ j. cum ſyrup. de arthemiſ. fiat opiata.

Tabellæ. ℔ Sem.fœnic. & apij cinnam. elect. & ſpicænardi ana ʒ ß. pulu. elect. diarrhod. abb. ʒ ij. ſacch. albi aq. fœnic. diſſol. q.ſ. fiant tabellæ.

Puluis. ℔ Cinnam elect. ʒ j. piper. longi & zinzib. ana ʒ ß. ſchœnanth. & ſem. apij ana ℈ j. ſacchari albi, quantum ſufficit, fiat puluis.

Ad Pituitam in Habitu & Iuncturis.

Apozema. ℔ Rad. cyperi,& galangæ ana ℥ ij. hermodactyl. & cortic. ligni ſanct. ana ℥ ß. herbar.ſaluiæ,betonicæ,meliſſæ, chamædr.chamæpyth. praſſij,puleg. origani,calament.& primulæ veris ana M. j. ſem. maioran. ſeſel. & vrtic. ana ʒ j. ficuum pinguium paria octo, fiat omnium decoctio ad ℔. j. ß. In qua diſſolue ſyrup. de ſtœch. & oxymel. ſcyllit.ana ℥ ij. fiat apozema clarific.& aromat. ℈, iiij. pulu.elect. diaireos compoſiti pro iiij. doſibus.

Iulepus. ℔ Syrup.ſtœch.& iuæ arthrit.ana ℥ j. ß. aq. ſaluiæ. betonic.ana ℥ vj.pulu. elect. aromat. roſar. ʒ j. fiat Iulep. pro tribus doſibus.

Potio laudata. ℔ Rad. mechoacan.ʒ ij. Infunde in ℥ iij. hydrom. expreſſ.facta diſſolue diaphœnic. & diacarth. ana drach. ij. ß. ſyrup.de ſtœch. ℥ j. fiat potio.

Bolus. ℔ Diacarth. drach. ij. bened. laxat. ℥ ß. ſacch. q.ſ. fiat. bolus.

Pilulæ. ℔ Maſſ. pilulæ de hermodact. & de agaric. ana ʒ ß. dacridij gr. iiij. cum aq. primulæ veris formentur pilulæ ſeptem.

Opiata. ℔ Conſeru. rad. ireos florent. ſtœch. anthos ana drach. iij. theriac. elect. & vet. drach.j. ß. elect. arom. roſat. garyophyll. drach. j. pulu. hermod. drach. ß. cum ſyrup. conſeru. calam. aromat. fiat opiata.

Tabellæ. ℔ Pulu.elect.aromat.roſat.garyophyll. & diamb. ana ʒ j. zinzib. & nuc. moſch.an.ʒ ß. ſacc. aq.ſalu.diſſoluti,quantum ſufficit,fiant tabellæ.

Puluis. ℔ Pulu.ireos florent. ʒ.ij. cinnam.zinzib. nuc. moſch. ana ʒ j. pulu. elect. diambr. & diamoſch.dulc.ana ʒ ß. ſacch. albi q. ſ. fiat omnium puluis, quo vtatur cum ſecundario decocto gaiacino.

CAPVT IV.

Ad ſeroſos humores, hydragoga.

SEROSITATEM ſeu aquoſos humores ichores corporis noſtri vocant Medici, quicunque ſcilicet ſub aquarum ſpecie, tum naturaliter, tum præter naturam eſſe poſſunt in nobis. Natura quidem vnuſquiſque humor ſuo donatur ſero, potiſſimum ſanguis, cuius vehiculum eſſe voluit Hippocrat. Secernuntur autem humores eiuſmodi; vel per externum corporis habitum, ſudoris inſtar, vel per vrinas, dum omnia rite & ſecun-

Digitized by Google

dùm naturam ſe habent : cùm verò vel ſupprimuntur vacuationes aſſuetæ , vel ex uitio ſanguificationis nimia crudioris ſucci copia congeritur , fit ſæpè , vt abdominis capacitas illo repleatur (quod per hydropas videre eſt) aut ipſe corporis habitus, vel quæcunque pars exterior imbuatur. Vtrique malo conueniunt vacuantia , tum qua repurgando per aluum ichores proliciunt , tum qua calfaciendo attenuandóque per ſudores reſoluunt crudiorem hunc ſuccum in corpore ſtabulantem, qui cùm ſua natura ſit tenuis & ſincerus , nulli permixtus humori ; ideo præparatione non indiget ratione ſui , niſi fortè iunctus ſit obſtructionibus partium & meatuũ corporis,qui priùs expediri debent, quàm vacuatio procuretur:hinc oportet per leniter purgantia infarctum illum viarum amouere : poſtmodum hydrocathartica præſcribere,denique partium robur reſtituere,ſub his formulis.

Apozema. ℔ Quinque rad. aperit. liquirit. raſæ,cortic.median.fraxini & cort.rad. capparum ana ʒ j. rad. ireos recentis, calam. aromat. & cinam. elect ana ʒ ß.herb. capill. abſynth. pont. cardui bened. hyſſop. praſſij. fœnic. agrim.ana M.j.ſem.apij, ameos, & aniſi ana ʒ ij. fol. ſenæ. mundat. ʒ iij.fol.ſoldanellæ ſiccor.ʒ ß.ſem.ebuli, ʒ iij. turbith. gummoſ. ʒ vj. flor. geniſtæ , perſic. centaurij , & tamariſc. ana p.ij. fiat decoctio omnium in aqua chalybeata ad ℔ j. cui adde ſub finem decocti, vini albi & tenuis ℔. ß. ſacch. rubri q. ſ. fiat apozema clarific. & aromat. ʒ j. pulu.diarrhod.abb.pro iv.aut v.doſibus.

Puluis deobſtruens. ℔ Rad. ſalſæ parillæ & cinam. elect. ana ʒ ij. ſem. apij, aniſi & fœnic. ana ʒ j. limaturæ chalybis ʒ j. ß. ſpicænard. ℈ j. cantharid. præparatar. ℈ ß. ſacch.albi pondus duplum , fiat omnium puluis,cuius ʒ ij. capiat mane cum pauco vino albo,& fortiter deambulet. Vel :

Radic. Ireos ſuccus inſtillari poteſt in ouum perforatum , cuius albumen eductum ſit,miſceatur cum vitello & leuiter calefiat,capiat eadem ratione.

Radix illa decoqui poteſt in iuſculo carnis, (e.g.columbæ iunioris) quod deinde coletur & propinetur. Vel ℞. ſucc.rad.Ireos noſtr. ʒ ij.vin.alb. ʒ j.ß.pulu.diamarg. frig. ʒ j.f.potio. Vel :

℔ Fol.chameleæ ʒ j.ß.decoquantur in ʒ iv.hydromelitis, capiat colat.mane.

Vel : Paretur inſtar conſeru.cum ſacch.cap.eandem quantit.

Potio. ℔ Cort.med.rad.ebuli & ſambuci ana ʒ ij.contundantur leuiter & coquantur in aqua cardui bened. in colat. ʒ iij. adde vini albi ʒ j. pulu. elect. arom.roſ.& rhab.elect.ana ℈.ß.fiat potio.

℔ Sem.ebuli pulueriſati ʒ j.capiat cum pauco vino albo bis in menſe.

Alia pro ruſticis. Ruſtici dant grana colocynthidos v.aut vij.

℔ Fol. ſoldanellæ ſiccor. ʒ iij. turbith. gummoſi, & rhab.elect.ana ʒ j fol.ſenæ & zinzib.ana ℈ iv. dacridij ℈ ß. ſacch. albi ʒ ij. fiat omnium puluis, de quo capiat ʒ ij. aut iij.mane cum decocto cicerum rubrorum aut guaiaci.

Aliud hydrag. Præcipua vis expurgandi humoris aquoſi eſt in elaterio poſita , id eſt,ſucco cucum.agreſt.qui bilem & pituitam vacuat,qui efficaciſſimè illum expurgat à ℈ ß. ad ℈ j. qui exhiberi poteſt cum conſerua roſar. aut flor. borrag. ad ʒ ij. ß.

Roborantia. Eadem eſſe poſſunt roborantia,quæ in humoris pituitoſi prouentu ſecundùm varias corporis partes iam fuerunt à nobis deſcripta : potes tamen hæc addere.

℔ Conſeru. fol.abſynth. pont.cap. vener.an. ʒ ß. conſeru. rad. eryngij ʒ iij.nuc. moſch.ſacch.conditæ n. 1.pulu.elec.arom. roſ.diarrhod.abb.ana ʒ j.confect.alkerm. ℈ iv.ſacch.q.ſ. fiat conditura duplici auro tecta, qua vtatur frequenter cum iuſculis conſummatis,aut cum vino diluto.

Aliud. Tabellæ elect.diarrhod.abb. & dialaccæ in hanc rem ſunt accommodatæ, quæ ſi deſint pharmacopœis , poterunt recenter diſpenſari , vt eis vtantur à ʒ j.ad ʒ ij.mane.

Aliud. ℔ Flor. maioran. roriſm. menth. ſiccor. ana p.j. ligni aloës & ſandali mochat.ana ʒ ß.decoquantur ad ʒ ij. quibus adde ſyrup de abſynth.pont. ʒ j.capiat,vt dictum eſt.

℔ Conſeru.eryngij, aut nucum communium cum zinzib.garyophyll. nuc. moſchat.q.ſ.melle condit.℔ j.capiat tempeſtiuè.

Atque hæc de purgantibus & roborantibus in humoris ſeroſi prouentu:nunc de Sudorificis agendum.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT V.

De Sudorificis.

SVDORIFICORVM naturam eorúmque varia genera perſequi minimè propoſitum eſt, ſed ea quæ ſunt magis in vſu, adferre. Certum eſt igitur tam externis quàm internis medicamentis, calfacientibus, attenuantibus, reſoluentibus, ſudores elici, & externas corporis noſtri partes expurgari; poſtmodum internas etiam conſequutione quadam, vt, ſi quid vitioſi ichoris in eis contineatur, hydragogorum vſu diſſipetur atque exſiccetur. Vnde recentiores Medici ſudorifica etiam præſcribunt in corrigendis morbis, quorum cauſa in viſcere aliquo condita eſt & latet, neque alterationibus neque purgationibus moueri potuit, ſed aliquo medicamento indiget, quod ſubtilitate & tenuitate partium, maximum huiuſmodi mali fomitem ſenſim reſoluere & extirpare poſſit. Sic ad vlcera interna, fluxiones capitis diuturnas, vertigines, epilepſias, aſthmata, ventriculi cruditates, & cæteros huiuſmodi affectus, aliquando præſcribimus diætas vulgò dictas quæ xx. aut xxx. diebus abſoluuntur, cum victu conuenienti, pro varia ægri & partium affectarum natura, quorum lubet nunc formulas aliquot ſubnectere non ex quibuſlibet ſudorificis, ſed internis, vt iis, quæ hoc noſtro ſeculo ad Luis Venereæ curationem, deinde ad alios affectus recepta fuere.

Hæc ſunt lignum ſanctum, ſeu guaiacinum dictum, lignum Saſſafras, radix ſarſæ parillæ, & radix Chynæ, quæ ex Indis apportari ſolent. Sic primarium decoctum præſcribitur. ℞. raſur. lign. ſanct. optim. ℥ ij. cortic. eiuſd. ℥ ß. macer. in ℔ iv. aq. font. per diem, tepidè, coq. in vaſ. duplic. ad med. part. conſumpt. cap. de colar. ℔ ß. calidè mane ſub autumni aut veris tempus, priùs purgato corpore.

Et quoties aluus aſtricta fuerit, clyſter iniiciatur communis, vel etiam ſingulis octo diebus reiterentur pilulæ, aut potio purgans præſcripta, vt, ſi quid materiæ craſſioris, dum tenuiores partes reſoluuntur, remanſerit, paulatim deturbetur.

℔ Reſidentiam prædicti decocti (ſcilicet vel ligni ſancti, vel alterius ex prædictis, paulò pòſt vberiùs ſecundùm præparat. declarand.) & infunde per ſpacium quatuor horarum in ℔ vj. aquæ, decoquantur ad ℔ j. ß. conſumptionem, & colentur per manicam Hippocratis, addend. ſacchar. alb. & cinamomi q. ſ. hoc ad ægri placitum paretur bochetum & pro potu ordinario toto diætæ tempore bibatur. Interea veſcatur æger pane biſcocto, aniſato, paſſul. prun. cum ſacch. coctis, amygdal. auellanis toſtis, nucleis pini, tragematis, carnib. aſſis, vitando omnia reliqua humida. Atque hic eſt ſimplex vtendi modus guaiaco, quem variare licet augendo, minuendóque quantitatem guaiaci, vel plus minúſve decoquendo pro occaſione data, vel etiam vbi magis aut minùs calefacere oportet, vt in craſſioribus & magis pituitoſis hominibus quibus bis in die decoctum illud exhibere & ſudores prouocare poſſumus, ſcilicet hora quarta matutina, & tertia promeridiana longè à paſtu; quam determinationem committimus induſtriæ medici prudentis. Quin & in pueris lue venerea laborantibus, aut alio modo affectis, ſudoréque indigentibus poſſumus imperare huiuſmodi decoctum vt ſcilicet ℥ j. guaiaci infundatur in ℔ ij. ß. aq. gramin. deinde decoquatur ad mediæ partis conſumptionem in balneo Mariæ, colat. add. ſacchar. ℔ ß. decoq. in iulepum, cuius cap. ℥ iij. mane calidè. Vel etiam prioris decocti portio deſtilletur in balneo Mariæ in vaſe vitreo; aqua hæc ſtillatitia exhibetur ad ℥ ij. cum pauco ſaccharo. Vel, ſi mauis, fiat decoctio raſuræ guaiaci cum pullo, capiat ius colatum: quæ omnia aptari poterunt infirmioribus & delicatis naturis.

Præter ſimplex illud decoctum, ſolent compoſita multa in quotidianos vſus reuocari, aliquando enim ne hepar nimiùm efferueſcat, refrigerantia ſub finem decoctionis addere ſolemus, ſæpè (habita partis affectæ ratione) ea quæ appropriata ſunt, & magis efficax reddere poſſunt illud decoctum. Sunt qui vinum infundant ad penetrationem & ſaporem conciliandum. Alij vt vna eadémque opera purgationem excrementorum moliantur, & ſudores promoueant, addunt ſub

finem decocti cathartica benigniora. Alij denique vt varias intentiones aſſequantur, vel vt guaiaci feruorem frangant, permiſcent portionem aliorum ſudorificorum,quorum omnium hæ haberi poſſunt formulæ.

Ratio prima decocti compoſiti.

℔ Raſur.ligni ſancti ʒ ij.cort.eiuſd. ʒ j. infundantur in ℔ vj. aquæ fontis, vt artis eſt, deinde decoquantur ad mediæ partis conſumptionem, addendo ſub finem decocti, capill.vener.cichor. borrag. card. bened. ana M.j.paſſul.purgatar.& liquir. ana ʒ iij. ſem. melon. ʒ ij. coquantur omnia,poſt vnam ebullitionem col.capiat à ℔.ß.ad ʒ viij.mane calidè, ſudando ad placitum, impedietur hoc modo,ne hepar nimium incaleſcat.

Secunda ratio. ℔ Eandem quantitatem ligni cort. & aquæ, infundantur & decoquantur eodem modo, addendo ſub finem decocti fol. betonic. ſalu. maioran.ana M.ß.ſem.pæon.viſci quercini, ſem. aniſi ana ʒ ij. fl. anth. ſtœch. ana p.j. colentur, & cap.eodem modo, reddes decoctum cephalicum & epilepſiæ accommodatum, quod eadem ratione præſtare poteris in quacunque parte & quocunque affectu propoſito : In his ſecundarium quoddam decoctum parari poteſt ex reſidentia, vt ſuprà dictum eſt, vel ſi mauis, ne ingratus nimium ſit ſapor,ob herbarum & aliorum permixtionem, cap. raſuræ nouæ ligni ſancti ℥ ij. infundantur in ℔.viij. aquæ fontis per xij. horas, decoq. ad ij. vel iij. ℔. conſumptionem,coletur per manicam Hippocratis cum cinam.& ſacch.fiat bocchet pro potu ordinario.

Tertia ratio. ℔ Raſur.guaiac.ʒ iij.cort.eiuſd. ʒ ij.infundantur per xxiv. horas tepide in ℔.ſex aq.fontis, deinde coquantur ad ij. aut iij. librar.conſumptionem,donec ſcilicet totum redeat ad ℔.iij. aut iv. quibus adde colatis & refrigeratis vinum ad ℔.j.capiat huius decocti ʒ vj.mane calide,erit multis gratum vſu vini gaudentibus, vtile naturis infirmioribus, magiſque penetrabile, & internas partes roborans.

Eadem ratione parabitur ſecundum decoctum ex reſidentia infuſa, decocta, colata, addendo ſub finem vini albi ℔. iij. plus minus ; hoc decoctum laudatur in morbis frigidis magis, quam Lue Venerea, cui vinum eſt infeſtiſſimum.

Quarta ratio. ℔ Prædict.quantitatis guaiaci cort.& aq.fiat eadem infuſio & decoctio,ſub cuius finem adde fol.ſenn.mundat.ʒ j.ß.ſem.carth.contuſ.ʒ j.turbith.gummoſi, & hermodact. ana ʒ iij. ſem. aniſi & paſſul. purgat. ana ʒ ij. decoquantur parum, poſtea colentur, cuius colat. capiat ℔. ß. mane, promouendo ſudores, atque etiam expurgabis, quod ſolent empirici ſæpius vſurpare : Nobis verò iis eſt cautè vtendum, & robuſtis naturis & valdè cacochymis, imbecillæ enim vix duas tam contrarias vacuationes ferre poſſunt ; ſecundarium in his decoctum parari debet, non ex reſidentia prioris decocti, ſed potius ex noua raſura, vt ante dictum eſt à nobis.

Quinta ratio. ℔ Raſuræ ligni ſancti ʒ ij. rad. ſarſæ parill. ʒ j.ß.ligni ſaſſaphras ʒ ß. infundantur omnia,vt eſt artis,in ℔.vj. aq. fontis: deinde decoque ad mediæ partis conſumptionem, colat. ſeruetur in vaſe vitreato, capiat ℔. ß. vel ʒ viij. mane calide, item fiat ſecundarium decoctum ex reſidentia infuſa, decocta, colata,vt dictum eſt, cum ſimplici decocto guaiacino : non addimus radicem chynæ, quia illa nimium contabeſcit, & exoluitur, cum aliis decoctis : ea felicius ſola vſurpatur. Atque hic eſt modus vſurpandi facultates varias variorum ſudorificorum pro arbitrio prudentis & circumſpecti in ſua arte Medici.

Decoctum ligni ſaſſafras. Præter guaiacum ex orbe nouo defertur lignum *ſaſſafras*, dictum, cuius ſapor non ingratus, neque odor, fœniculum redolens, cuius vis maxima prædicatur ad podagras, iſchiadas veteres, fluxiones, obſtructiones confirmatas, vnde præſcribi etiam ſolet in febribus notis & antiquis, fœdiſque virginum coloribus maximo ſucceſſu poſt purgationem,decoctio ſic paretur.

℔ Ligni ſaſſafras recentis cum ſuo cortice fruſtulatim diſſecti, vel ſi mauis deraſi ʒ j. ß. Infundantur in ℔. iij. aquæ fontis per duodecim horas, deinde decoque ad ℔.ij.conſumptionem,coletur,capiat huius colati ℔.ß. mane, calidè. Melius eſt ſic parare in duas doſes, quam in plures,tum quia ſeruatum gratiam odoris amittit, tum quia eius facultas facilè euaneſcit.

℔ Reſidentiam prædicti decocti,infunde per tres horas in ℔.ſex aq.font. decoque ad ℔.ij.conſumptionem,coletur per manicam Hippocratis, cum ſaccharo fiat

bocherum

bochetum pro potu ordinario. Licet vti victu liberaliore, quam in decocto guaiacino, quo nomine valdè commendatur in macilentis corporibus, debilissimisque naturis.

Decoctum sarsæ parillæ. Duobus lignis & totidem radicibus vtimur ad sudores concitandos, rad. sarsæ parillæ & rad. chynæ. In vsu sarsæ parillæ, hoc in primis obseruandum est, pleroſque eius loco supponere radicem smilacis asperæ, quæ ad prouocandos sudores est vtilis, sed non cum tanto fructu. Salsæ parillæ vsus est in omnibus morbis prædictis, præcipuè ad scrophulas commendatur, & quando minus calfacere cupimus: decoctum sic paratur.

℞ Rad. salsæ parill. per taleolas dissectæ cum suis capillamentis ℥ iij. Infundatur in ℔.iij. aq. font. per horas octodecim tepide, deinde decoquantur ad mediæ partis consumptionem, colatura seruetur in vase vitreo, de quo capiat ab ℥ viij. ad x. cooperiatur plus solito, & excitentur sudores.

℞. Residentiam prædicti decocti, infunde in ℔. sex aq. fontis per tres horas, deinde coquantur ad ℔.ij. consumptionem, colentur, cum sacch. & cinnam. fiat Bochetum pro potu ordinario, quo multi vti solent ad scrophulas sanandas per sex aut septem menses, absque primario decocto. Aliquando etiam, vt diximus, paratur decoctum ex salsa parilla & guaiaco compositum pro variis intentionibus: (Hoc boni est in salsa parilla, quod non astringat aluum, sed potius laxet.)

Supereſt radix chynæ, quæ tantis vbique laudibus celebratur, tum quod nullo sapore sit prædita, vnde vocatur ἄποιος, tum quod sudores absque vlla calefactione promoueat, vt in phthisi, atrophia, & quouis vlcere interno, & cum febre vsurpari possit, quodque impinguare eos credatur, qui illa vtuntur, & victu analeptico tunc vti liceat.

Decoctum sic potest parari.

℞ Rad. chynæ rufæ & ponderosæ, non exesæ, per taleolas tenuissimas dissectæ ℥ iij. infunde per xij. horas tepide in aq. font. ℔.iv. deinde decoque lento igne, & sine fumo, vel si mauis in balneo Mariæ, aut in iusculo pulli ad ℔.ij. consumptionem: colatura seruetur in vase vitreo anguſti oris supra furfures & cineres tepidos, capiat ℥ viij. calide mane sudando ad placitum.

℞ Prædictas taleolas, exsiccentur parum in vmbra: deinde infundantur in ℔.viij. aquæ per quatuor horas, deinde decoquantur ad ℔.j. consumptionem, colat. transmittatur per manicam Hippocratis, cum sacchar. & cinam. vtatur pro potu ordinario.

Vsus chynæ parum valere ad luis Venereæ curationem creditur. Atque hæc de sudorificis hoc nostro tempore vsitatis dicta sufficiant.

CAPVT VI.

De Vomitoriis.

VIA est via, quæ ab ore ad anum vsque pertingit, quaque per superiora ingerere, per inferiora egerere naturaliter solemus, sic tamen vt ob humorem in superiore ventriculi parte immorantem, vel robustiorem inferioris partis retentricem facultatem, vel etiam quando res ita vrget, vomitum concitare soleamus, intermittentes & diuturnas febres sanemus, infarctumque primorum viscerum expediamus minimo negotio, vt est apud Hippoc. Vomunt bilioſi facilè; graciles, amplóque pectore prædiți & æstatis tempore; contra difficile, melancholici carnoſi valdè, quibus est elatum collum, gracile & oblongum, hyemis tempore. Vel etiam à vomitu arcere solemus, vbicumque est affectus capitis, cerebri, aut oculorum primarius, linguæ resolutio, asthma, vlcus pulmonum, tabes, & magnus præcordiorum affectus & æstus. Ad vomitum igitur paratos, quibus pituitoſi, bilioſi & melancholici humoris prouentus in ventriculo est, his iuuare poteris remediorum formulis, benignis, mediocribus, violentis, provt res postulat. Hausta sæpè aqua

Digitized by Google

aqua tepida, cum pauco oleo aut butyro, confricato in orbem ventriculo vomitum ciere ſolet, vt & ſolum decoctum hordei & ficuum pinguium.

℔ Rad. raphani ʒ ß. flor. aneth. p. j. decoquantur, cape de colat. ℔ j. tepide, excitetur vomitus, vt dictum eſt.

℔ Rad. raphani ʒ j. agar. ϑ j. ſem. aneth. ʒ j. ß. decoque in ʒ viiij. aq. hordei, cui adde mellis ſcillit. ʒ ij. attenuando vel incidendo, ſi crassa pituita; vel ſyrup. acet. ſimplic. ʒ j. ſi bilis ferociat, detur tepide vna hora ante acceſſionem in febribus diurnis vel intermittentibus, duabus horis ante cœnam.

℔ Rad. aſar. ʒ j. flor. geniſtæ ſiccorum p. ß. ſem. raphani & atriplicis ana ʒ ß. fiat puluis & diluatur cum aqua hordei, capiat ſimiliter.

Quatuor ſunt valentiora & vſitatiora ad copioſiores vomitus excitandos, ſcilicet balanus myrepſica, nux methel. hellebor. albus, & antimonium, quæ non niſi magna cum cautione & præuia corporis & humorum præparatione exhiberi debent, vt doctè annotauit Hippocrates: corpora enim ſunt præhumectanda victu & balneis, antequam detur helleborus, atque ventriculus, cui maxima noxa infertur, prius illinendus pingui quodam & alibili ſucco, vt iure carnium elixatarum, cremore hordei, butyro cum melle ſumpto & ſimilibus, vt medicamenti acrimonia obtundatur, minúſque ſtomachi parietibus adhæreſcat. Tales igitur ſunt illius præparationes.

℔ Medullæ interioris nucis methel. ϑ j. ſem. fœnic. & cinam. elect. ana ʒ ß. ſaccharo rubri ʒ j. ß. fiat omnium pulu. diſſolu. in ℔ j. hydrom. vel capiat cum hordeato tepide.

℔ Hellebori albi ϑ j. ſecetur per fibras, & maceretur tepide in ʒ iv. vini dulcis vel iuris pinguioris aut cremoris hordei per noctem integram, addendo ſem. aniſi & cinam. ana ʒ j. coletur, capiat mane.

℔ Helleb. albi ʒ ß. incidatur per fruſtula, quibus configantur rad. raphani, aut poma, decoquantur parum cum hydromelite, colentur, capiat, vt ſuprà.

Antimonium præparatum ſeu vitrum antimonij hiacynthinum, potentiſſimè vomitum excitat. Dantur in ſubſtantia grana quinque vel ſex cum ʒ ij. conſeru. roſar. in forma boli; vel prædicti antimonij grana octo vel nouem infundantur per noctem integram in ʒ iij. vini albi, colentur, addendo, pulu. elect. diambr. ʒ ß. capiat mane cum fida cuſtodia.

FORMVLA

Digitized by Google

FORMVLARVM REMEDIORVM SECTIO SECVNDA,

CONTINENS EXTERNA.

PRÆFATIO.

Operis diuiſio, & Authoris mens.

GALENVS omnem Remediorum materiam quatuor generibus complexus eſt, Aſſumendorum, Admouendorũ, Gerendorum & Educendorum, quibus non tãtum Pharmaceutica, ſed etiam Dietetica & Chirurgica inſtrumenta cõtinentur, vt in libris de ſanitate tuenda videre licet. Nos vero Remediorum Pharmaceuticorum deſcriptiones ita explicandas ſuſcepimus, vt ex modo & diuerſa quidem adminiſtrandi ratione, antea, Medicamentorum formulas quæ intus per os aſſumi ſolent, propoſuerimus: Nunc autem ea, quæ externæ corporis regioni adhibentur, aggreſſuri ſimus.

Quoniam vero præter ea, quæ per os aſſumuntur, ac foris admouentur, ſunt quædam, quæ in certas corporis noſtri cauitates induntur, vt anum, veſicam, vterum, thoracem, palatum, nares, oculos & aures, non paruæ ad Medicinam faciendam vtilitatis, ideo non abs re fore duximus, ſi huiuſmodi etiam formulas præmiſerimus, quæ philiatris eſſe poſſunt veluti παραδείγματα ad pleniorem eorum doctrinam, quæ in particulari ſingulorum morborum tractatione proponentur: deinde ad illa Remedia quæ verè Externa appellari poſſunt, accedamus.

Porro externa iſta remedia, quamuis corpori noſtro foris admoueantur, non tamen exiſtimandum eſt, ea externis tantùm morbis prodeſſe poſſe, verum etiam internis affectibus maxime conducere: vnde in hoc tractatu & ſingulis eius partibus hunc ſeruabimus ordinem, vt primum ea explicentur, quæ ad interiorum affectuum curationem ſolent vſurpari; poſtea vero ea, quæ externos morbos magis reſpiciunt. Neque inutiles aut curioſas nimium remediorum formulas vndique conquiremus, ſed his erimus contenti, quæ ad vſum ſufficientes longo vſu confirmatæ & rationis criterio vtiliſſimæ ad morborum profligationem inuentæ ſunt.

Duæ igitur tractationis noſtræ partes erunt, in quarum priori agemus de iis, quæ in certos corporis noſtri ſinus immitti ſolent, ſiue ad vniuerſalem, ſiue ad particularem tantum quorundam morborum curationem faciant, vt glandibus, clyſteribus, iniectionibus variis, peſſariis, eclegmatis, gargariſmis, maſticatoriis, errhinis, ſternutatoriis & collyriis; in poſteriore verò de iis quæ extrinſecus adhibentur; vt decoctis ad fotus, inſeſſiones & balnea: epithematis, ſuffitibus, ſacculis & cucuphis: oleis, linimentis, vnguentis, pulueribus, pultibus, cataplaſm. ceratis & emplaſtris: in quorum omnium explicatione, à ſimplicioribus ad magis compoſita progredientes ſi quæ ſint purgantia, alterantia, roborantia varij generis, & ad varias partes, breuiter annotabimus, & methodicè quantùm fieri poterit, Galeni doctrinam, quæ libris περὶ γνησίων καὶ νοθῶν habetur, permiſcebimus.

Digitized by Google

PRIMA OPERIS PARS.

DE IIS, QVÆ IN CERTAS CORPORIS NOSTRI CAVITATES immittuntur.

CAPVT I.

De Suppoſitoriis & Clyſteribus.

OMMVNEM corporis noſtri ſentinam per aluum expurgari, cuiuis notiſſimum eſt: vt enim per os ingerimus, ſic per anum naturaliter egerimus: Vnde ad deponendam primæ regionis ſarcinam, morantémque aluum ſollicitandam vſitatiſſimæ feruntur duæ Remediorum formulæ; liquida ſcilicet vna, altera ſolida, quæ vulgo Suppoſitoria & Clyſteres appellantur, quorum iam deſcriptionem inimus.

GLANDES itaque ſeu balani, Barbaris Suppoſitoria & Candeletæ dicuntur, quia in formam breuioris candelæ cereæ hodie concinnantur; quidam tamen inſtar noduli conficiunt, magis ſecundum mentem veterum, vt ego arbitror, & propriam nominis appellationem. Sunt igitur Glandes medicamenta quædam ſolida, inſtar candelæ aut noduli confecta, quæ in anum ad varios vſus mittuntur.

Fiunt autem vel ex rebus ſimplicibus, vel ex mixtis. Ex caule enim vel radice betæ, mercur. caulium, raphani, althææ, cucum. agreſt. & ſimilium oleo intinctorum & modico ſale, ſi ita videatur, aſperſorum componi facillime poſſunt: vt etiam mulierculæ noſtrates ex inuerſa ficu, fruſtulo laridi, cinam. aut amygd. ſaccharat. ex pauco ſapone, cui aliquando addunt ſtercoris muris aliquot grana, ſolent puerulorum ventrem prouocare. Aliæ vero coctum vel induratum oui vitellum cum ſale contritum raro linteolo inuoluunt inſtar noduli, filo alligant, vt commode extrahi poſſit, deinde intinctum oleo ſupponunt. Qua ratione Hip. in epidemiis ex panno felle imbuto in formam noduli componit: vnde patet inutilem noſtrorum ſuppoſitoriorum longitudinem eſſe, cum tota excretricis facultatis vis ſita ſit in muſculo ſphinctere, qui recti inteſtini oras ambit.

Hodie glandium tres parantur ordines, leniorum ſcilicet, mediocrium & acriorum. Lenes componunt ex melle cocto, addendo parum ſalis communis. At vero vbi vehementius & valentius prouocandum, addunt ſalis gemmæ, pulu. hieræ picræ, aut agarici puluerisati ʒ. ß. pro ℥.j. mellis. Vbi vero acerrimè eſt agendum, vel etiam certus quidam humor in prima regione latens educendus, loco prædictorum, puluerem hieræ Logadij, colocynthidem, ſcamm. aut ellebori puluerem permiſcent. Alij verò ex ʒ.ij. pilul. cocciar. aut aliarum ad inſtitutum magis facientium, glandes confingere ſolent in rem præſentem.

Sunt igitur huiuſmodi glandes inſtituendæ, cùm clyſtere non licet vti, aut propter peruicaciam ægri, vel quia morbus non patitur, vt in enterocele; aut quando ſtercora indurata non ſinunt penetrare iniectiones: ſæpè etiam ad eliciendos clyſteres, vt in apoplecticis & lethargicis, quibus obtuſior eſt ſenſus: ſæpè ad iuuandam vel accelerandam cathartici actionem, tunc ſuppoſitorio aluum prouocamus. Atque vt communes iſtos vſus ſuppoſitoria præſtant, ſic etiam peculiares & topicos habent, vt ſedandi doloris ani, curandorum vlcerum, enecandarum aſcaridum, prouocandarum aut ſedandarum hæmorrhoidum, & ſimilium, quos hic non perſequemur, ſed in peculiarem ſingulorum morborum therapeiam relegabimus.

Clyſter verò eſt medicamentum liquidum, quod ſiphone, alióve idoneo inſtrumento

Digitized by Google

ſtrumento in aluum infunditur. Id fit quattuor potiſſimum de cauſis : *Primò*, ad ſoluendam aluum : *Secundò*, ad eandem adſtringendam : *Tertiò*, ad curandos peculiares inteſtinorum affectus, vel leniendas partium aliarum, præſertim vicinarum, vt iſchij, vteri, veſicæ, renum & meſenterij ægritudines : *Quartò*, ad nutritionem ſiue refectionem ægrorum, qui reſpuunt aut nequeunt alimenta per os aſſumere. Soluunt autem aluum clyſteres, molliendo, detergendo, vellicando, aut purgando : quæ facultates ſolæ aliquando illis inſunt; ſæpè verò miſcentur pro variis ſcopis & intentionibus Medici. Mollientes verò clyſteres, vt ex humectantibus conſtant, ſic etiam in magna excrementorum induratione vſurpantur. Tale igitur ſit exemplum.

Clyſter. molliens. ℞ Rad. althææ & lilior. ana ℥ ij. parietar. mercurial. *(quæ habent vim quandam vellicandi, ſed obtunditur ab aliis)* maluæ cum toto, atriplicis, brancæ vrſinæ, violar. genarij, ana M. j. ſem. althææ, lini & aniſi (*ad temperandos flatus qui ex rebus hiſce humidis ſuſcitari ſolent*) ana ʒ ij. prunor. dulc. par. iv. flor. violar. borrag. & maluæ, ana P. j. Fiat omnium decoctio, & in colat. ℔ j. ß. diſſolue butyri recentis & olei communis aut violacei, ana ℥ j. ß. caſſiæ recenter extractæ, & diapruni ſimplic. ana ʒ vj. Fiat clyſter emolliens ſimpliciter.

Item ad emolliendum, aqua ſola tepida cum multo oleo communi aut amygd. dulc. vel butyro, aut axungia porci non ſalita vſurpari poſſunt. Iuſcula etiam pinguia, vt capitis, pedum & inteſtinorum veruecis, vel ex carnibus humidis facta, vt pullorum, agnorum, hœdorum, & ſimilium, quibus herbas conuenientes addere licet, maxime ad hanc rem faciunt. Quando vero excrementa duritie non peccant, ſed potius lentore quodam, craſſitie & viſciditate : tunc detergentibus opus eſt, & incidentibus dulcibus, ſeu amaris, nitroſis & aliis, quæ facultatem habent eiuſmodi ſordes abſtergendi, quorum varij poſſunt eſſe gradus pro minori, maiorique eorum efficacia, & variæ formulæ pro diuerſitate & complicatione affectuum. Nos vero qui non particulares hîc ſingulorum morborum curationes perſequimur; ſed vniuerſales tantùm remediorum formulas : vſitatiora detergentium clyſterum paradigmata ſuperiori mollienti ſubnectamus.

Clyſter tergens. ℞. Hordei integri, furfuris macri ana, P. j. roſ. rubr. (*quamuis autem parum adſtringant, leui tamen deterſione pradita ſunt, vt patet in melle & ſyr. roſato*) ſiccarum P. ß. ſem. aniſi ʒ j. ß. Fiat decoctio, in cuius ℔ j. diſſol. mellis roſat. colat. vel ſacch. rubri ℥ ij. Fiat clyſter. Quod ſi ex deterſione dolorem timeamus, vt in dyſenterico affectu potiſſimum, non erit inutile vitellos ouorum n. ij. addere. Sunt qui ſeui hircini ℥ ß. diſſoluant.

Alius. ℞ Ficuum pinguium par. iv. paſſul. purgat. paria ſex, ſem. melon. & fœnic. an ʒ ij furf. macri P. j. Fiat decoctio in hydromelite ad ℔ j. ß. iniiciatur. Hippoc. è ſola mulſa parabat, aut ptiſana.

Atque hi clyſteres leuiter detergunt abſque vllo acrimoniæ ſenſu. Vbi vero valentius eſt detergendum, iniiciatur ſeri lactis ℔ j. cum mellis roſati ℥ ij.

Magis tergens. ℞ Fol. abſinth. agrim. caulium rubeorum, betæ, vincæ peruincæ, apij, an. M. j. lupinor. vel lentium, an. P. j. flor. centaur. minoris, leuiſt. & roſar. an ʒ ß. Fiat omnium decoctio, in cuius ℔ j. diſſolue mellis roſ. colat. ℥ iij. fiat clyſter.

Aliquando tanta eſt excrementorum ſordities, vt præter hæc detergentia, etiam lixiuio, vnguento Ægyptiaco, ſandaraca, & eiuſmodi valdè exſiccantibus, abſorbentibus & cauſticis Practici vtantur, vt ſuo loco videre eſt, hæc vero ad deterſionem mediocrem ſufficere poterunt. Verum aliquando contingit, vt non tam duritie vel lentore fæcum adſtringatur aluus, quã ob facultatis expultricis vim ſopitã & ſui muneris velut oblitam : tunc non tam molliendo & detergendo, quam vellicando proficiunt; vellicant enim & quendam doloris ſenſum inferunt parti, acria potiſſimum & ſalſa, quæ ad hoc accommodata erunt. Hinc veteres ex aqua marina, exemplo Ibidis, ex muria, decocto oſtreorum & ſimilium clyſteres ad excitandam aluum parabant. Nos vero, ſi ita lubeat, prædictis clyſterum decoctis, ſalis gemmæ, ammoniaci, aut communis, vel etiam nitri ʒ j. vel ij. addere ſolemus, aliquando ſucci betæ aut braſſicæ ℥ iij. vel vrinam pueri in ipſis diſſoluimus : ſunt qui aliquando partem fermenti acrioris in aqua communi tepida diluunt, & clyſterem conficiunt : quæ omnia pungunt & ſtimulant facultatem excretricem : imo purgantia omnia, quæ acrimoniam aliquam obtinent, hoc præſtare poterunt, de quibus nunc ſupereſt vt agamus.

Prima Intentio. Clysteres igitur, non solùm molliendo, detergendo, vellicando, vtiles esse possunt ad excrementorum vacuationem : sed etiam ad propriam & particularem peccantium humorum purgationem. Cum enim prima illa regio sit veluti totius corporis sentina, in qua excrementorum receptacula posita sunt : hinc fit vt infusionibus in aluum vim sæpe catharticam adiungere soleamus, qua possunt inutiles succos tum obuios, tum per consecutionem quandam illectos expurgare. Fiunt itaque clysteres purgatorij, vel ex decoctis simplicibus catharticis, vel dissolutis compositionibus purgantibus, vt in præcedentibus formulis aut aliis, pro varia vnius aut plurium humorum peccantium natura.

Clyster ad bilem. ℞. fol. malu. borrag. violar. lactucæ, cucurbitæ, cucumer. endiuiæ, ana M. j. sem. frigid. major. ʒ j. sem. anisi *(ad corrigendos flatus)* ʒ ij. flor. cichor. borrag. & nymph. an. P. j. rosar. pallid. recent. si tunc vigeant, P. ij. tamarindor. par. iiij. fiat decoctio ad ℔ j. ß. in qua dissolue Catholici vel diapruni solut. aut simplicis ʒ j. ß. ol. violac. & sacchari rubri, ana ʒ ij. Sic parabis clysterem ad alterandum humorem bilioſum, eundemque expurgandum conuenientissimum.

Clyster ad pituitam. ℞. Fol. rutæ, pulegij, origani, calament. salu. hyssopi, summitat. lauri, ana M. j. sem. fœnugræci, carui, cumini, seseleos, ana ʒ ij. flor. stœchad. anthos, salu. chamom. meliloti, ana P. j. pulpæ colocynth. aut si mauis agarici in panno ligati ʒ j. ß. vel sem. ebuli aut carthami ʒ iij. fiat decoctio in aqua communi, aut media parte vrinæ pueri ad ℔ j. ß. in qua dissolue hieræ picræ compositæ, benedictæ laxat. diaphœnici, vnius aut plurium ad ʒ j. ß. mellis anthosat. aut scill. ol. nucum, aut rutæ, an. ʒ ij. fiat clyster, ad pituitæ alterationem & euacuationem accommodatus.

Clyster ad melancholiam. ℞. rad. polypod. querc. maluæ, & althææ, ana ʒ ij. fol. parietar. mercur. scolopendr. fumar. betæ & fœnic. ana M. j. fol. sen. ʒ vj. sem. anisi ʒ ij. epithymi, flor. borrag. & tamaricis, ana P. j. fiat decoctio, in cuius ℔ j. ß. dissolue olei lilior. & sacchar. rubri, vel mellis violac. ana ʒ ij. hieræ Rufi, indi maior. confect. Hamech, vel Catholici, vnius vel plurium ad ʒ j. ß. habebis clysterem ad succi melancholici alterationem & purgationem : & ad horum clysterum instar, alios penè infinitos describet Practicus noster, pro multitudine partium affectarum, complicatione causarum, & affectuum. His verò nunc contentus esse poterit. Atque hoc modo clysteres aluum soluunt.

Secvnda Intentio. At vero non solum ad prouocandam aluum parantur clysteres, sed etiam ad eandem sistendam : fit enim sæpe nimium cita & lubrica, ob quantitatem vel qualitatem excrementorum, doloris sensum, inductas cicatrices & alias causas, quas persequi nobis non est propositum. Vbi igitur est sublata aut imminuta causa tum antecedens, tum coniuncta fluxus immoderatioris, tunc solemus clysteribus aluum continere, vt reprimant & adstringant scilicet.

℞. Lactis caprilli in quo ferrum candens extinctum pluries fuerit ℔ j. ß. Dissolue sacchari rosati tabulati ʒ ij. vitellos ouor. ij. fiat clyster, qui sæpe reiteretur. Vel

℞. Rad. tapsi barb. symphyti & bistortæ, ana ʒ ij. cort. mali gran. & balaust. ana ʒ ß. fol. plantag. verbasc. polygoni, myrt. caudæ equinæ, bursæ pastoris, & herniariæ, ana M. j. sem. sumach, portul. gran. chermes & acinor. vuæ, ana ʒ ij. ros. rubr. sicc. P. j. fiat omnium decoctio in aqua ferrata, vel vino rubro austero. In colat. ℔ j. (oportet enim quantitatem esse minorem quàm laxantis) dissolue succi plantag. ʒ ij fiat clyster. Vel

℞. Mala cydonia ante maturitatem collecta, vel nuces cupressi n. ij. hordei torrefacti P. j. fol. lentisci, cupressi, & summitat. rubi, ana M. j. gallarum viridium & cupularum glandiū, ana ʒ ß. Decoque in æquis partibus aquæ cisternæ & vini rubri. In colat. ℔ j. dissolue acaciæ vel hypocist. ʒ iij. fiat clyster sine oleis. Sunt qui dissoluant amylum, bolum armenam, terram sigillatam, sangu. draconis ad ʒ j. in fluxu potissimum sanguinis, gummi arabic. aut tragacant. vel mastichen, quæ vnusquisque prudenter pro rei natura moderabitur.

Tertia Intentio. Atque hæ sunt duæ primæ & vniuersales iniiciendorum clysterum causæ, quæ alui constitutionem, velut est communis corporis via, respiciunt. Quia vero intestina ipsa peculiaribus & atrocibus affectibus corripiuntur, similaribus, organicis & communibus, quorum curatio clysterum variis generibus sæpe perfici solet ; idcirco apud Practicos infinitas eorum formulas reperire licet, ad lienteriam, colicum affectum, ileon, dysenteriam, tenesmum, lumbricos & similes morbos, quas omnes recensere esset hîc operosum, & præter instituti nostri rationem.

Digitized by Google

rationem, cum etiam ex iam dictis ferè possint repeti. Ideo per transennam tantum hic vnum atque alterum exemplum indicabimus, nempe primo, e. g. in lumbricorum curatione clysteres parari, vel ad eos eliciendos, vel enecandos. Enecantur acribus, salsis, amaris, oleo, vino, acidisque succis. Eliciuntur autem dulcib. vt lacte, decocto hordei, ficuum & passularum cum sacch. & cæteris. Vnde cauent Practici in clysteribus, quibus vermes sunt educendi, ne oleum, vinum aut sal addatur. Quod ad dolorem intestinorum attinet, sedatur ille vel iis quæ causam auferunt, vel quæ temperato calore natiuum fouent, vel denique eis quæ stupefaciunt. Sic ad colicum affectum ex flatu aut pituita concitatum, calfacientem, discutientem & roborantem clysterem iniicimus, qualis ad pituitam fuit præscriptus; vel ex vino generoso, & oleis calefacientibus. Si ob succi acrimoniam & caliditatem, eis quæ obtundunt & refrigerant, vt dictum fuit ad bilioſi humoris correctionem. Lac vero, cremorem hordei aut amygdalarum cum saccharo albo, seuo hircino, amylo, vitellis ouor. & aliis iniicimus, ad fouendum calorem innatum, vel ad oblinendos intestinorum parietes. Denique vbi doloris atrocitas vrget, narcotica dissoluimus in prædictis decoctis & similibus, vt philonij Romani ʒ ij. aut opij ϑ j. cum granis aliquot croci. Vel etiam possumus decoquere capita papaueris, eiusdem semen, corticem mandragoræ, folia & flores solani, hyoscyami, nymphææ, &c. (*addendo semper aliquid, quod temperiem partis tueatur, vt vinum, crocum, vitellos ouorum, &c*) sicque partis sensum obtundemus, tutasque naturæ inducias præstabimus. Id vero non solum in dolore intestinorum, sed quarumcunque partium cum diligenti iudicio præstare possumus: ad quarum etiam leniendas, maxime si intestinis vicinæ sunt, ægritudines, vt lien, mesenterium, ventriculus, renes, vesica, vterus, accommodatissimi sunt clysteres, quia illis propemodum incumbunt, & fomenti instar earum morbos demulcere possunt. Ad calculorum igitur dolores, vrinæ difficultates, & vteri morbos, nihil est accommodatius decoctis istis, quæ ex suis locis erunt repetenda.

Quarta Intentio. Vltima denique, sed non minima iniiciendorum clysterum causa supereſt, nempe nutritio siue refectio. Cum enim sæpe contingat, ægros non posse deglutire vel sorbere alimenta, *veluti per anginas, conuulsionem oris, ranulas, linguæ paralyses, & similes affectus*, vel etiam nolle omnino, aut minus quam par sit, ea quæ offeruntur assumere; *vt in phreniticis, &c.* aut retinere non posse: solemus vacuatis prius communibus excrementis purgante aliquo clystere, liquida & concoctu facilia per inferiorem ductum iniicere: quæ alimoniam illis præstare possint, cum enim venarum mesaraicarum dissemination ad extremum vsque intestinum pertingat, potest facillime iecur iuscula, consummata, stillatitios liquores, instaurantia, cremorem hordei, amygdalatum, lac cum multo saccharo recenter mulctum, vitellos ouorum, vinum tenuissimum, aquam carnium, & similia, quæ fere chyli naturam repræsentant. ad se rapere, in sanguinem permutare, vel saltem benigno quodam ex illis suscitato vapore partes tantisper reficere, donec nutritio perfecta obiri possit. Atque hæc est nutrientium clysterum materia, quorum etiam quantitas minor esse debet quàm purgantium; vt facilius retineantur, pro varia corporum natura, conformatione, ætate & similibus, plus minus. Nunc de quibusdam aliis iniectionibus agendum.

CAPVT II.

De Iniectionibus variis.

Non solum in aluum iniectiones aut decocta Infunduntur, sed & in vterum, vesicam, aures, & alios sinus, tam naturales quam alio modo factos, vt vlcera, sinus & fistulas, thoracis, abdominis, reliquarumque partium, vt vis medicamentorum conuenientium affectas partes propius contingat. Hæc igitur medicamenta, certa quantitate pro ratione cauitatis iniiciuntur, peculiari instrumento, quod metrenchyten, otenchiten, pyulcum & syringam vulgo appellant. Sic ad humectandum, exsiccandum, refrigerandum, calefaciendum, molliendum,

detergendum, flatus diſcutiendos, dolorem ſedandum, cicatrices obducendas, & ſimilia præſtanda comparari poſſunt, additis ſemper iis, quæ certas proprietate quadam partes magis reſpicere videntur. Exempli cauſa, ad vterum calefaciendum, diſſipandos flatus, menſeſque prouocandos.

℞. Rad. apij, fœnic. & ireos Florent. ana ʒ j. rad. rub. mai. & cyclam. ana ʒ ß. herb. matricar. artemiſ. nepet. ſabin. mercurial. puleg. origani, calamen. chamæd. ana M.j. ſem. fœnic. dauci & nigellæ, ana ʒ ij flor. ſtœchad. cent. minoris, & ſpicæ nardi, ana P. ß. cinam. ʒ ij. Fiat decoctio in æquis partibus aquæ & vini albi, iniiciatur calidè in vterum prælongo ſiphone, vt dictum eſt. Ad deterſionem verò vſurpentur decocta pro clyſteribus dicta, vt etiam ad molliendum, dolorem ſedandum & ſimilia. Quæ eadem ratione in Veſicæ affectibus per ſyringiam immitti poſſunt; ſic ad gonorrhœæ illius virulentæ curationem; Primum iniecto lacte aut emulſionibus ſem. frigid. mai. papauer. alb. & ſimilium, mitigare ſolemus dolorem; dehinde ex mulſa, ſero lactis aut decocto hordei cum melle roſaceo deterſionē moliri, poſtmodum exſiccationem & conſolidationem, ſi vlcera excitata fuerint; iniecto vino rubro auſtero, in quo roſæ, hypericum aut parum aluminis bullierint, vel decocto catapultarum dicto, aut etiam trochiſcis albis in decocto adſtringente diſſolutis. Ad vrinæ difficultatem iniicimus ol. amygdal. ſcorpion. & ſimilia, quæ in particulari therapeia commodiùs tradentur.

In aures etiam, ob varios affectus, quædam medicamenta liquida immitti ſolent tepida, vt ad doloris ſedationem, lac muliebre mulctum recenter, parum vini generoſi cum momento opij & croci, decoctum papaueris aut mandragoræ, & alia ſimilia.

Ad ſibilos & flatus iniicimus ſuccum ſcillæ, porri, raphani, cepæ: aquam cinamomi vel imperialem, oleum aniſi chymicè extractum, oleum amygdalarum amararum, oleum rutaceum, &c.

Ad detergendas ſordes aurium, hydromel, oxymel & hordei decoctum.

Ad vermes aurium enecandos, decoctum ariſtoloch. abſinth. lupinorum, muriam, & ſimilia, quæ guttatim inſtillentur ex linteolo aut cotone expreſſo, vel exiguo canaliculo infunduntur, & vbi parum intus morata fuerint, conuertatur auris, in quam iniectio facta eſt, deorſum, vt denuo elabatur liquor.

Eodem modo in ſinus, fiſtulas, & cauitates præter naturam, quæ vulnera & vlcera profundiora ſæpè conſequuntur, eaſdem iniectiones parare ſolemus, inter quas aqua illa ſiue decoctio vulgò catapultarum dicta primas obtinere videtur ad omnia vlcera, ſinus & fiſtulas perſanandas, ſedato prius dolore & inflammatione. Cuius talis eſt primi inuentoris D. de Couuelles deſcriptio.

℞ Rad. ariſtoloch. rotund. baccarum lauri, ana ʒ j. cancror. fluuialium plena luna captorum, & in olla noua combuſtorum ʒ ij. fol. prunellæ ſiccorum P. j. Fiat omnium puluis, qui includatur linteolo, & cum M.j. vincæ peruincæ, decoquatur in ℔.iij. vini albi optimi in vaſe vitreato, ad conſumptionem duarum partium. Hoc decocto foueantur vlcera vetuſta, ter aut quater in die, infundatur in ſinus & fiſtulas cum ſyringa: deinde ſupertegantur folio braſſicæ rubræ & linteolis eodem decocto madentibus, quibus certa & cita curatio perficitur. Atque hæc eſt ſimplex & prima illius decocti catapultarum formula. Alij hodie ex herbis omnibus vulnerariis ſic componunt.

℞ Fol. vincæ peruincæ, nicotianæ, vlmariæ, ſaniculæ, prunellæ, pimpinellæ, piloſellę, oſimūdæ regalis, caulium rub. herb. Rober. caryophyllat. cynogloſſ. & valerianę, an. M.j. rad. gentianæ & ariſtoloch. rot. ana ʒ j. baccarum lauri ʒ ß. pulu. cancror. fluuial. in nodulo poſiti ʒ ij. Decoque in æquis partibus aquæ font. & vini albi, ſi ſit detergendum; aut vini rubri, ſi ſit magis roborandum; ad mediæ partis conſumptionem, vtatur vt ſuperiore ad fotum & iniectionem.

Sunt qui propinant ad ʒ iv. mane cum ſaccharo. Si eodem decocto vtendum ſit in vlceribus, quæ thoracis capacitatem penetrant, addatur hordeum integrum, tuſſilag. ſcabioſ. & ſimilia cum melle roſaceo, vt etiam in eodem decocto (ſi vlcus valde ſordidum ſit, & pene gangrænoſum appareat) diſſoluere poſſumus pulu. Mercurij, vnguentum Ægyptiacum & alia valde abſorbētia & cathæretica, quæ ſuis locis traduntur. Ab oleo vero & rebus pinguibus abſtinendum in huiuſmodi iniectionibus vlcer. ne augeantur ſordes & putredo. Atque hæc de iniectionibus pro paradigmate ſufficiant.

CAPVT

CAPVT III.

De Peſſariis & Naſcalibus.

MVLIERVM naturas viris imbecilliores morbiſque magis obnoxias eſſe, tum Hippocrat. authoritas, tum ipſa experientia docet. Siue enim ob caloris infirmitatem, ſiue geſtationis & partus moleſtias, aut excrementorum congeriem quæ in illis fieri ſolet, facillimè incurrunt in cauſas morbificas, niſi vterus bene ſe habeat, felicitérque menſtruam illam proluuiem expurget. Quemadmodum igitur ſupra dicebamus, ad eiuſmodi morbos & impedimenta vteri, iniectiones aptiſſimas parari: ſic etiam aliæ ſunt duæ remediorum formulæ ſolidiores, quæ interno illius ductui ſeu pudendis mulierum inſeruntur ad eoſdem effectus. Peſſos, peſſaria, & naſcalia vocant: inter quæ differentia eſt quantitatis & figuræ; quoniam peſſi craſſioris & oblongioris digiti, turbinis inſtar, formantur: naſcalia verò inſtar noduli ſiue globuli cuiuſdam, vt faciliùs à virginibus & moroſioribus fœminis admittantur.

Fiunt itaque peſſi & naſcalia ad varias intentiones, vt ad prouocanda menſtrua, eadem retinenda, abſtergendum, vacuandum, emolliendum, dolorem ſedandum, & ſimilia: ex variis rebus; tribus tamen potiſſimùm modis. Nam aliquando ex ſolo vnguento, cerato, aut opiatâ conueniente fiunt, panno ſericeo aut lineo rariſſimo inuolutis. Aliàs inſtar ſuppoſitoriorum ex melle decocto, & duritiem conuenientem adepto, cui permiſcentur certi pulueres ad actionem propoſitam neceſſarij. Tertiò denique fiunt peſſaria ex eiſdem pulueribus lana concerpta, bombace, aut ſtupis depexis, vel linteolo exceptis; deinde panno ſericeo inuolutis. V.g. tale ſit exemplum peſſariorum variorum ad retinenda menſtrua.

℞ Vnguenti Comitiſſæ q. ſ. Excipiatur ſtupis canabinis mollioribus, formetur inſtar craſſioris & longioris digiti, deinde inuoluatur panno ſericeo, & filo alligetur, vt facilius extrahi poſſit. Indatur penitiſſimè. Aut ſi mauis, lana vel ſtupæ in eandem formam concinnatæ ſuperteganturpanno ſericeo, tum intingantur in eodem vnguento. Eadem ratione theriaca recens, philonium Romanum, aut opiatæ ſimiles vſui eſſe poterunt, vt etiam ex emplaſtro diapompholygos, aut alio molliore reddito, conformato, & oleo myrtino illito parabitur peſſarium.

℞ Boli armeni, ſanguin. dracon. granor. kermes, gallar. viridium, maſtiches, ana ʒ ij. lapidis hæmat. & corall. rubri, ſeminis ſumach, ana ʒ j. Fiat puluis, qui melle excipiatur in iuſtam duritiem cocto. Fiat peſſarium, quod intinctum oleo lentiſcino ſupponatur potiſſimùm noctu dum ibit cubitum, deinde per appenſum filum extrahatur, & nouum intromittatur.

℞ Eoſdem vel ſimiles adſtringentes pulueres, qui ſucco plantaginis, burſæ paſtor. aut polygoni diluantur. Deinde lanâ, aut linteolis in formam digiti excipiantur, & panno ſericeo contegantur, vt dictum eſt. Quin etiam herbæ ipſæ adſtringentes, plantago, herniaria, ſymphytum, polygonum, & aliæ contritæ, ſuccóque proprio madentes componi in eandem figuram poſſunt. Vel ſi vis naſcale potiùs quàm peſſarium parare; pulueres illi bombace carpto excepti linteolo includantur, globuli inſtar, qui appenſus oblongiore filo immittatur in ſinum pudoris.

Atque hæ ſunt conficiendorum peſſariorum formulæ, quas paradigmatum cauſâ, in retinendis menſtruis propoſuimus. Licebit nunc in aliis intentionibus perficiendis ex cognitâ materiâ medicâ ſecundum rem præſentem deſcribere. Sic ad ſuffocationem vteri parabis naſcale, moſcho, ambaro, zibeto, ſtyrace, benjoino, gallia moſchata, & ſimilibus odoratis bombace exceptis, & linteolo inuolutis; vt intromittantur, ſuauique ſuo vapore vterum ad inferiora reuocent. Sic ad prouocanda menſtrua.

℞ Semin. nigellæ, & rutæ, ana ʒ j. ß. folior. ſabinæ & artemiſiæ ſiccorum, ana ʒ ß. myrrhæ & caſtorei, ana ℈ j. Excipiantur omnia hæc trita melle cocto, & fiant inſtar ſuppoſitorij. Vel imbuta ſucco mercurialis aut apij, inuoluantur linteolis in iuſtam

ſtam figuram conformatis. Quod etiam prodeſſe poterit ad iuuandum partum, & demortuum fœtum eliciendum, addendo parum colocynthidos aut boracis. Sunt etiam qui cantharidum puluerem adiiciant. Ad remolliendum vero duriorem vterum, linamenta, vt decet, & panno ſericeo contecta in medullas cerui, gallinæ, anſeris, butyrum, vnguentum reſumptiuum, dialthæas & ſimilia diſſoluta intinguntur ac ſupponuntur. Sic ad purgandum & vteri ſordes educendas conficiunt ex hiera, benedicta laxat. & diaphœnicone Peſſaria. Quorum omnium particularis deſcriptio alibi fuſius erit tradenda: hic enim vniuerſalem conficiendi rationem propoſuiſſe ſufficit.

CAPVT IV.

De Eclegmatis ſiue Lohoch.

PROPOSVIMVS ea, quæ in inferiores ſinus ſiue cauitates, immitti ſolent, anum, veſicam, vterum, & vteri ductum: nunc verò ad ſuperiores aſcendendum, thoracem ſcilicet, fauces, nares, & oculos, quoniam de aurium iniectionibus obiter iam dictum fuit. Interior igitur illa cauitas, quæ vitalia membra, cor, pulmones, pleuram, mediaſtinum & alia continet, variis multiſque morbis, vt aliæ omnes, eſt obnoxia: qui ideo difficiliùs curantur, quoniam vnicus ſuperior ductus comparatus eſt illis à naturâ per quem expurgari poſſint, & in quem medicamenta difficilè admodùm immitti poſſunt: tum ob tuſſim, quæ facilè à rebus aſperis & craſſioribus ibi excitatur: tum ob internum operculum, quod non facilè illis ingreſſum concedit. Hinc excogitata peculiaris remedij formula ad illius cauitatis affectus, quæ ſcilicet linctu ſenſim ſeſe in illam inſinuare poſſit: Græci *Eclegmata* appellarunt, Barbari *Lohoch*; vtrique à lingendo. Quæ quidem conſiſtentiam mediam habere debent inter ſyrupum & opiatam, & ſemper aliquid viſcidi continere; vt neque tam facilè elabantur, neque difficilè in fauces ingerantur. Habentur Eclegmata quædam in officinis parata, vt Lohoch de caulibus Gordonij, ad incidendam detergendamque craſſam & viſcidam pituitam; Lohoch de papauere, ad incraſſandos tenuiores ſuccos; Lohoch de pineis, ad leniendas fauces & arteriam; Lohoch ſanum & expertum, mixtas iſtorum vires continens: quæ tamen ego ita non probo, ac ſi in rem præſentem ſtatim parentur: quia in officinis ſeruata facilè putredinem concipere, & rancida fieri poſſunt. Opus eſt igitur Medicum hæc præſcribere pro variis cauſis & affectibus, qui partibus hiſce vitalibus accidere poſſunt: Modò quidem ex decoctis rebus conuenientibus, addendo ſacchari, mellis, butyri, & ſimilium ſ. q. modò ex propriis pulueribus ſyrupo accommodato exceptis. Alij etiam parum terebinthinæ addunt. Eſt ſimpliciſſimum & vtiliſſimum lohoch illud, quod ex æquis partibus mellis optimi & butyri recentis cum pauco ſaccharo comparatur, ad leniendas puerorum tuſſes, & detergendam leniter faucium ac pectoris pituitam. Non parum etiam commendant Itali ſuam Saponeam in fluxionibus calidis, ad molliendum, leniendum, & leuiter tergendum. Paratur autem ſic.

℞. Saccharum albiſſimum, quod in aqua florum violar. diſſoluatur, & ad ſyrupi conſiſtentiam coquatur, addendo amyli optimi q. ſ. ad incraſſandum, & inſtillando olei amygdalini ſine igne extracti parum. Reponatur in vaſe vitreo: vſus tempore ex cochleari ſumatur, & in ore teneatur, donec liqueſcens paulatim defluat ac deſcendat. Debet autem dum hæc ſumit æger, potiùs recto eſſe capite, vel prono ad caput, quam inuerſo, vt ſcilicet epiglottis quæ laryngi incumbit, magis dehiſcat, & ingreſſum his medicamentis in thoracem concedat. Addamus igitur aliquot Eclegmatum formulas, tum ex decocto, tum ex pulueribus ſyrupo exceptis paratas. Ad quarum inſtar facile erit infinitas pro rei naturâ deſcribere.

℞. Capita papaueris albi num. 10. Macerentur per aliquot horas in aquâ fontanâ. Deinde adde rad. althææ & liquir. raſæ, ana ℥ j. ℔. florum violar. P. j. Decoquantur ad putrilaginem. Adde ſacchari albi q. ſ. ad iuſtam Lohoch conſiſtentiam. Habebis

Digitized by Google

bebis optimum ad ſiſtendam tuſſim, concoquendam acrem fluxionem, & ſomnum conciliandum.

℞. Rad. enulæ campanæ & tuſſilag. ana ℥ ij. fol. hyſſop. praſſij, pimpinell. ſcabioſ. capill. veneris, ana M. j. pulpæ paſſular. pinguium, ficuum pinguium, dactylor. recent. ana ℥ ß. ſemin. lini & maluæ, ana ʒ ij. cinamomi & croci, ana ℈ ß. Decoquantur. Adde ſacchari penidiati ℔ ß. mellis, vel ſapæ, aut vini dulcis q. ſ. ad iuſtam Eclegmatis formam. In hoc decocto, vt aliis, , nihil impedit puluerisata quædam medicamenta diſſoluere, vt nucleorum pini & amygdalar. mundat. ana ʒ v. ſucci liquir. tragacan. gumm. arabici, ſacchar. puluer. ireos, ana ʒ ij. & ſimilia, quæ eodem modo miſceri poſſunt. Habebis Lohoch ad expectorandam & concoquendam craſſiorem pituitam vtiliſſimum. Aliquando loco decoctionis ſuccum aliquarum rerum ſumimus, vt ad incidendum & tergendum potenter in vetere & confirmato aſthmate.

℞. Succi caulium rubeor. depurati ℔ j. ſucci ſcillæ diebus canicularibus excepti ℥ iij. croci ʒ ij. mellis optimi ℔ j. ß. Miſce, & coque conuenienter vt fiat Lohoch. Quod eodem modo in aliis cauſis ex variis rebus componi poterit. Sed vſitatiſſimum eſt Medicis Eclegmata parare ex quibuſdam puluerati, certo ſyrupo aut liquore exceptis, vt ad ſiſtendum catarrhum & fluxionem tenuiorem in pectus prolabentem.

℞ Puluer. electuar. diatragac. frigidi ʒ iij. penidior. & ſacchar. candi, ana ʒ ij. amyli, gummi tragac. & arabic. ana ʒ j. Cum ſyrup. viol. vel de papauer. fiat Lohoch. Ad expectorationem verò leuiorem, vt in pleuritide.

℞ Puluer. electuar. diaireos ſimpl. ʒ ij ſacchar. candi ℥ ß. pulpæ paſſular. ʒ iij. puluer. rad. enulæ campan. aut tuſſilag. ſicc. ʒ ß. Cum ſyrupo de liquir. fiat Lohoch Ad deterſionem & exſiccationem vlceris ſic paretur.

℞ Folior. capillor. vener. ſiccor. ſemin. fœnicul. & aniſi, ana ʒ j. ß. ſucci liquir. ʒ iij. pulmonis vulpis præparat. cineris crancror. fluuiatil. vel priapi tauri, ana ʒ j. Cum ſyrup. de roſis ſiccis; terebinthina aquâ ſcabioſæ lota addi poteſt; fiat Lohoch, vel cum ſyrupo ex ſucco pimpinellæ, piloſellæ, prunellæ facto. Ad hæmoptoem, fluentem ſcilicet ex pectore ſanguinem eodem modo inſtitui poſſunt.

℞ Albumen oui fortiter cum aquâ roſaceâ agitatum, in quo diſſolue amyli & terræ ſigillat. ana ʒ j. ß. ſacchar. roſat. tabulat. ʒ iij. aceti gutt. aliquot. Sumat ſenſim lambendo. Ad idem.

℞ Coralli rubri, gummi tragac. ſanguin. dracon. ana ʒ j. ſemin. plantag. & portul. terræ ſigillat. boli armeni, roſar. rubrar. ana ʒ ß. Cum ſyrup. myrtino fiat Lohoch. Vel

℞ Succi plantag. burſæ paſtor. & ſanguinar. ana ℥ ij. Depurentur & decoquantur cum ſacchar. roſat. tabul. ſ. q. addendo parum amyli & lapidis hæmat. puluerisat. Fiat Lohoch.

Atque hæ ſunt Eclegmatum vſitatiores deſcriptiones, ex quarum cognitione facile erit alias tum ſimplicium, tum mixtarum facultatum componere. Sub Eclegmatis etiam reliquæ pectoralium remediorum formulæ reduci poſſunt: velut morſelli, pandalea, paſtæ regales, & ſimiles; quæ ſolùm in eo differre videntur, quod in ſolidiorem formam quàm Lohoch decoquantur; ex amygdalis enim, nucleis pineis, ſeminibus frigidis, aut aliis contuſis ſaccharo ſufficiente addito, quin etiam conſeruis adiunctis & rebus gratioribus componitur paſta, quæ ſi per fruſta maiora in placentas decoquatur in furno, regalis appellatur: ſin verò in minora fruſta & veluti bolos, morſelli dicentur. Vbi autem pulueres quidam grati cum ſyrupo quodam conueniente, conſeruis & ſaccharo in pyxide includuntur, & leuiter incraſſantur, hæc forma pandaleon Arabibus vocitatur. Nobis autem hæc exempli cauſâ dixiſſe ſufficiat.

Digitized by Google

CAPVT V.

De Maſticatoriis & Gargariſmatis.

NON ſolùm ad particulares oris & faucium morbos inſtituuntur maſticatoria & gargariſmata;ſed etiam ad cerebrum per cõuenientes ductus expurgandum, quorum variæ ſunt formulæ. Maſticatoria enim ſolidæ conſiſtentiæ parantur : gargariſmata , liquidæ.Vſurpantur autem hæc medicamenta potiſſimùm mane ieiuno ventriculo, vbi trahendum eſt à cerebro ; & præcedente prius totius corporis purgatione. Vbi verò tantùm particularibus oris affectibus eſt prouidendum, quauis horâ vſurpari poſſunt & debent. Porrò maſticatoria vel ex ſimplicibus tantùm rebus , vel mixtis fiunt , quæ longâ attritione dentium in ore contunduntur. Sic ex radice zinziberis vel pyrethri , aceto priùs maceratâ , vt tenuitatem maiorem conſequatur ; vel radice angelicæ maſticatoria præſcribere ſolemus. Sunt qui ad eundem vſum paſſulas & folia ſaluiæ mandunt. Alij ſolam maſtichem, quæ recens ſit,nec ita facilè ac vetus confringatur , in ore verſant & dentibus atterunt ad idem. Componuntur verò maſticatoria ex pluribus rebus , vt pulueribus linteolo raro incluſis:aut cera alba & duriore exceptis.Vt

℞ Nucis moſchat. rad. pyrethr. & ireos , ana ʒ ij. ſtaphidis agriæ , ſemin. ſinapi, ana ℈ j. folior. ſenæ ʒ ß. Fiat omnium puluis , addendo parum maſtiches , qui includatur nodulo ; vel ſ.q.ceræ albæ excipiatur,& in formam globuli aut maioris pilulæ reducatur.Maſticetur manè prono capite,frequenter ſpuendo.

℞ Semin.pœoniæ,viſci querc.piper.nigri , & zinzib.ana ʒ j.ß.maſtiches contritæ ʒ ij. Includantur nodulo , vel reducantur cum cera alba in formam paſtillorum ſicciorum. Vtatur vt ſuprà , ad epilepticum maximè affectum. Hac igitur ratione maſticatoria conficienda erunt.

Gargariſmata verò,liquidæ conſiſtentiæ remedia, in varios affectus cerebri,palati,oris,faucium, vuulæ, dentium, parari ſolent ex conuenienti decocto, vel ſolo,vel in quo poſtea aliquid diſſoluimus , quod non omnino ingrati ſit ſaporis , aut qualitatis malignæ , propter partis exquiſitum ſenſum , & patentem viam quæ in partes interiores fertur. Vt igitur maſticatoria ad expurgandos cerebri humores inſtituebamus,ſic etiam ad idem quædam gargariſmata præſcribi poterunt. Vt

℞ Fol. hyſſop. ſaluiæ,maioran.menthæ,origan.ana M.ß.thymi & fol.ſenæ mundat. ana P.j. corticis rad. ebuli & cappar.ana ʒ ij. ſemin.nigellæ ʒ j.Decoquantur in aqua fontis ad tertias.In colaturæ ℔ j.diſſolue oxymel.ſcillit.ʒ̄ ij.ſyrup.de ſtœchade ʒ̄ ß. Fiat gargariſma, quo vtatur mane tantùm ieiuno ventriculo. Frequentiſſima verò ſunt gargariſmata ad oris, palati, vuulæ , faucium inflammationes & vlcera,vt etiam ad dentium dolorem,quæ omni horâ vſurpantur.

℞ Rad.cyper.& pentaphylli,ana ʒ̄ j.folior.hederæ & plantag.ana M.ß.balauſtiorum & gallarum viridium, ana ʒ ij. Fiat omnium decoctio in aqua ciſternæ ad ℔ j. In qua diſſolue aceti acerrimi ʒ̄ ij.Fiat gargariſma , ad incipientem ex fluxione acri dolorem dentium vtiliſſimum.

℞ Rad. pyrethri & zinziber.ana ʒ̄ ß.garyophyll. piperis longi, ana ʒ ij.fol.ſaluiæ & hyſſopi,ana P.j.Fiat decoctio ad ℔ j.cui adde parum vini rubri. Erit vtile ad diſſipandum humorem,qui impactus eſt dentibus ac dolorem creat.Eadem ratione ad temperandam & repellendam incipientem in quacunque oris parte inflammationem,vt incipientem anginam,gargariſma fiet.

℞ Fol. portul. acetoſ. plantag. ſummitat. rubi, ana M.j. flor. nymphææ,roſarum rubrar.ana P.j.ſemin.ſumach & corticis mali granati,ana ʒ j. Decoquantur in aqua ad tertias.In colaturæ ℔ j.diſſolue diamoron,vel dianucum,vel ſyrup.myrtini ʒ̄ j.ß. aceti roſacei parum.Fiat gargariſma.Quod ſi res ita vrgeat,vt decocti parandi occaſio non ſit,fiat ſtatim ex aquis ſtillatitiis. Vt

℞ Aquæ peculi roſar. caprifol. & plantag. ana ʒ̄ iv. ſucci cotoneorum vel granator.ʒ̄ ij.aceti parum. Fiat gargariſma. Eodem modo ad diſcutiendum , detergendum , & exſiccandum facile erit parare ex cognitâ materiâ medica, quam nos hic fuſiùs

Digitized by Google

fusiùs non persequimur ; cum etiam ex descriptione fotuum & decoctorum postea proponendorum illud repetere liceat. In oris fœtore & malo halitu, qui ex sordibus circa os aut dentes contentis efferri solet , gargarismata non parum conferre poterunt detergentia & odorata,quale est sequens.

℞ Rad.cyperi & calami aromat.ana ʒ j.hordei integri,cicerum rubrorum & rosarum rubrar.ana P.ij.corticis citri sicci ʒ ij.santali citrini,ligni aloës pro ditioribus, cinamom. ana ʒ j.Decoquantur in aqua fontis ad ℔ j.In qua dissolue ambræ grisææ gran. v. citrangulor. ℈ ß. Fiat gargarisma. Atque hæc de masticatoriis & gargarismatis sufficiant.

CAPVT VI.

De Sternutatoriis & Errhinis.

VONDAM masticatoria & gargarismata dicebamus non solùm ad peculiares oris morbos , sed etiam ad expurgandum cerebrum instituí : eadem ratione sternutatoria ad excludendum partum & secundinas ; & errhina : quorum illa sub formâ solidâ, vt vnguenti aut pulueris : hæc vero liquida parantur , & naribus attrahuntur. Dicuntur autem sternutatoria ex effectu, quòd mordicatione suâ percellant cerebrum ad concussionem illam & vibrationem quæ sternutamentum dicitur. Fit igitur ex pulueribus rerum acrium , & pungentium , vt piperis , pyrethri , seminis sinapi , euphorbij , staphidos agriæ, elaterij, ellebori, castorei, struthij & similium ; qui pennulâ aut canaliculo in nares insufflantur,vel charta inuoluti aut florum vmbellis impositi naribus,contracto spiritu,hauriuntur , & in interiora cerebri attrahuntur. Si mauis,iidem pulueres oleo irino excipiantur vel alio, cum pauca cera fiat linimentum,quo penitissimæ narium partes inungantur. Aut etiam fingatur ellychnium ex lineo aut sericeo panno , cuius extremitas his pulueribus & oleo imbuta indatur in cauitatem narium. Atque hoc modo medicamenta ptarmica seu sternutatoria parabis ad concutiendum & irritandum cerebrum , multisque aliis vsibus apta , vt iam dictum est.

Errhina verò & gargarismata parantur ex variis succis,decoctis, & liquoribus,sed minore delectu , quia non tantum est periculum ne in partes nobiles irrumpant: cum enim decliuis sit narium ductus,facilè elabitur,& sponte sua quod fuit immissum.Parantur autem ad omnem humorem ex cerebro eliciendum, potissimùm verò pituitosum,& ad curandos internos narium affectus, inflammationes, vlcera , & similia,quorum exempla quædam sunt subnectenda.

℞ Succor. maioran. betæ, & anagallid. purpureæ, depurat. ana ʒ ij. succi cucumer.agrest.ʒ ß.vini albi ʒ j.ß.vel ʒ iij.si velis minuere vim succorum. Fiat errhinũ, quod hauriat tepidum mane post purgationem totius corporis , repleto prius ore aqua vel vino diluto. Erit apertissimum errhinum ad detergendam & attrahendam pituitam. Quod si velis esse mitissimum,ex solo succo maioranæ cum vino albo,& pauco melle rosato paretur.

℞ Rad.ireos hortensis ʒ j. folior.puleg. betonicæ, anemones,origani,maioranæ, hederæ, caulium rubeorum,mercurialis,sambuci,sabinæ,nigellæ,ana M.ß.fol.soldanel. ʒ j. ß. agarici trochiscat. ℈ ij. flor.saluiæ & anthos, ana P. j.Coquantur omnia in decocto guaiacino ad ℔ j. Adde si volueris mellis anthos. vel syrup. de stœchade ʒ j.ß.Fiat errhinum ad vsus vt suprà. Quod si magis aptum volueris ad melancholicum humorem eliciendum,loco prædictorum purgantium,imponantur sena,polypod.epithymus,nec non veratri nigri parum,vt in maniaco furore.

℞ Fol.acetos.endiuiæ,& lactucæ,an.M.j.semin.melon. ʒ ij.Decoquantur in aquâ fontis ad ℔ j. in qua dissolue succi rosarum, vel syrupi rosati solut. ʒ j.dacrydij ℈ ß. Fiat vt suprà.Si mitius velis, omittatur dacrydium,quo vtimur ad bilioſum humorem ex capite , & oculis ictericorum eliciendum. Quod si post vsum eiusmodi acrium & purgantium errhinorum dolor sentiatur & morsus , hauriant lac tepidum,decoctum hordei,vel aquam rosaceam & similia,quæ hærentes portiones medicamenti auferunt,& acrimoniam mulcent.

Digitized by Google

In affectibus verò narium particularibus errhina ad omnis generis affectus componi possunt pro rei propositæ natura;sic ad temperandum calorem.

℞ Succorum vel aquarum plantaginis, solani, rosarum & acetosæ,ana ʒ iv. vini granat. ʒ ij. Fiat errhinum.

℞ Decocti hordei ℔ j. mellis rosat. colati ʒ j. Fiat errhinum ad detersionem, quod eodem modo ex fero caprillo cum pauco syrup. de rosis siccis parari poterit. Aut etiam, si validius sit detergendum,ex eis quæ capite de decoctis & fotibus à nobis dicentur.Si velis fœtorem qui ex naribus effertur, corrigere;

℞ Aquæ rosaceæ ℔ß.succi maioranæ depurat.ʒ iij.vini albi ʒ j.moschi vel ambræ grisæ, aut trochiscorum de Gallia moschata, aut santali citrini pro pauperibus ℈ j. Hauriat frequenter naribus post vsum detergentium.

Sunt qui omphacium in vase æneo paratum, necnon aquam fortem in errhinis dissoluunt,ad corrigenda putria & maligna narium vlcera;sed malim ego his acribus partes cum penicillo affectas tantùm contingere, quam dissoluere, ne sanas attingant & arrodant.

CAPVT VI.

De Collyriis.

CVLORVM tanta est vtilitas & necessitas, vt in eis tota vitæ dulcedo posita esse videatur. Ideo de illorum conseruatione & curatione maximè sollicitum esse Medicum oportet, eisque vti remediis,quæ ad varios eorum affectus accommodatissima sint,& huic parti acerrimo sensu præditæ nullam noxam inferre possint. Huiusmodi medicamenta Græci collyria appellarunt, Arabes sief: quæ non vnius eiusdémque rationis sunt, sed multiplicis. Aliàs enim solida existunt, & in trochiscorum aut oblóngiorum orbiculorum formam componuntur, & in officinis potissimum veterum asseruabantur. In nostris vero præter trochiscos albos Rhasis nullum aliud collyrium siccum paratum haberi solet.Aliàs in rem præsentem fiunt, in formam pulueris, qui in oculos immittitur. Aliàs in formam liquidioris vnguenti,quod canthis oculorum illinitur. Aliàs denique fiunt fluida collyria, quæ totius nomen hodie retinuerunt,& variis affectibus qui oculis accidere solent, aptantur. Omissis igitur solidis collyriis,vtpote obsoletis, præter trochiscos albos Rhasis,quorum descriptionem ex pharmacopœis repetere licet: Aliorum paradeigmata quædam subnectamus. Pulueres igitur qui in oculos inspirantur, potissimùm ad detersionem & consumptionem, aut cicatricem inducendam, instituantur hoc modo.

℞ Sacchari candi ʒ ß. Pulueriserur exactè, quod solum & per se sufficit ad leuem detersionem. Si velis validiùs id præstare, aut superfluam etiam carnem absumere

℞ Eiusdem sacchari candi ʒ iij.testarum ouorum in aceto maceratar.ossis sepiæ, lapid. spongiæ, ana ʒ j. stercoris lacerti, aluminis & myrrhæ, ana ℈ j. Fiat puluis tenuissimus, qui insuffletur in oculum.

℞ Thuris, sarcocollæ, mastic. ana ʒ j. ß. sanguinis dracon. terræ sigillat. ana ʒ. ß. sacchari rosat. tabulat. ʒ iij. Fiat puluis, ad cicatricem obducendam idoneus.

Verùm quoniam oculus acriori sensu præditus vix sicca hæc remedia absque fluxionis metu perferre potest: ideo excipiantur pomatâ, vnguento rosaceo bene loto, mucilagine fœnugræc. vnguento de tuthia, melle rosato, vel syrupo de rosis siccis, aut succo aliquo conueniente, & angulis oculorum illinantur, quò sensim ad interiora penetrent. Sunt etiam qui vnguenta varia præscribunt absque oleo, quod omnibus oculorum affectibus noxium esse, sicut omnia pinguia, compertum est. Sed quia collyria liquida magis vsitata sunt nostris temporibus, magisque ad oculorum affectus accommodata: ideo oportet illorum formulas potissimùm proponere,ad inflammationes,vlcera,lachrymas & similia.

℞ Albuminis oui fortiter agitati ʒ ij.aquæ peculi rosar. & plantag.ana ʒ iij.succi pomorum

Digitized by Google

pomorum ʒ ß. Miſce, fiat collyrium, quod frequenter inſtilletur inoculos ſub principium inflammationis. Cui ſi coniunctus fuerit dolor, diſſolue trochiſc. albor. Rhaſis ſine opio, vel cum opio, vbi eſt atrocior, ʒ viij. Colentur, vtatur vt ſuprà. Iniiciatur etiam lac muliebre ad demulcendum dolorem, ſanguis columbarum recenter extractus, aut etiam decoctum capitum papaueris albi, folior. hyoſcy. cum pauco croco ad correctionem.

℞ Semin. fœnugræci diligenter à puluere loti ʒ ij. paleæ auenæ, folior. euphraſiæ & fœnicul. ana P. j. Fiat decoctio ad ℥ vj. In quibus diſſolue ſarcocollæ in lacte nutritæ ʒ j. ß. tuthiæ præparat. antim. loti, ana ʒ ß. myrrhæ & croci, ana ℈ ß. addendo parum vini albi. Fiat collyrium, ad reſoluendam & digerendam materiam ophthalmiæ idoneum.

℞ Syrup. roſat. ſolut. ℥ j. ſacchari candi ʒ j. cornu cerui & capræ, ana ℈ j. aquæ chelidonij, & fœnicul. ana ℥ ij. Miſce, fiat collyrium ad detergenda vlcera, abſumendas albugines & ſimilia.

℞ Tuthiæ præparat. & antimon. loti, ana ʒ j. ß. lapid. hæmat. omph. præpar. ana ʒ j vitrioli Romani ℈ j. aquæ euphraſiæ & vini albi, ana ℥ iij. Bulliant parum, & colentur pro collyrio, ad ſupprimendas oculorum lachrymas & fluxiones vti iſſimo. Ex variis etiam mucilaginibus, auium felle & ſimilibus parari poſſunt multa ad varios vſus collyria, vt ad diſſipandam cataractam.

℞ Hepatis hirci ſani & recentis ℔ j. ſucci rutæ ℥ ß. aquæ chelidon. fœnicul. verbenæ, & euphraſiæ, ana ℥ iv. piperis longi, nucis moſchatæ, garyophyllor. calam. aromat. ana ʒ iij. croci ℈ j. flor. roriſmar. leuiter contuſor. M. ß. ſarcocollæ & aloës hepaticæ, ana ʒ iij. fellis leporis & perdic. ana ℥ j. Contundantur omnia. Poſt adde ſacchar. albi ℥ ij. mellis roſat. ℥ j. ß. Reponantur omnia in alembicum vitreum, & diſtillentur in balneo mariæ ſecundum artem. Hæc aqua frequenter inſtilletur.

Reliqua collyriorum genera in morborum oculorum particulari tractatione deſcribuntur. Nobis autem hæc exempli cauſa appoſuiſſe ſufficiet, vt primæ huius noſtri operis parti finem imponamus.

PARS ALTERA
FORMVLARVM REMEDIORVM Externorum.

CAPVT PRIMVM.

De decoctis ad fotus, lotiones, inſeſſus & balnea.

PRIORE operis huius parte eorum medicamentorum formulas tradidimus, quæ in certas & naturales corporis noſtri cauitates iniiciuntur. Nunc verò ad ea aggredimur, quæ verè externa appellari poſſunt, quod exterioribus corporis partibus admouentur; Non quidem ad harum tantum affectus corrigendos, ſed etiam partium interiorum morbos curandos per admota. Incipiamus igitur à fotibus, lotionibus, inſeſſionibus & balneis: quæ placuit ideo ſimul coniungere, quòd hæc omnia ex certarum rerum decoctione potiſſimùm parentur, dicantúrque fotus, & lotiones, quando particulari cuidam regioni aut parti dicantur: inſeſſiones autem & ſemicupia, quando media corporis pars in decocto quodam continetur: balnea verò, quando totum corpus his decoctis immergitur: quorum formulæ ex propoſito ordine deſcribendæ.

Decoctionum itaque iſtarum materia ad fotus, lotiones, inſeſſiones, & balnea ex triplici medicamentorum fonte: mineralium ſcilicet, animalium, & plantarum expromitur ad omnes intentiones Medico propoſitas, vt calfaciendum, refrigerandum, humectandum, exſiccandum, adſtringendum, laxandum, incidendum, attenuandum, detergendum, molliendum, dolorem ſedandum, & plurima alia pro

Digitized by Google

varietate partium & affectuum perficienda. Porrò fotus diuidit Hipp. *lib. de victus ratione*, in humidos & ſiccos : hos ξηροπυρίαν : illos vero ὑγροπυρίαν appellat. Quorum humidi propriè ad hoc noſtrum caput faciunt : Sicci vero ſeu aridi fotus ad ſacculos, capite tertio explicandos, referendi. Proponamus igitur aliquot fomentorum formulas, vſitatiorum, & ad communem praxim facientium.

Fotus. ℔ Rad. ireos Florent. & galangæ craſſioris, ana ℥ iij. corticis ligni ſancti & cort. citri ſicci, ana ℥ ß. herbar. pulegij, origani, calament. ſaluiæ, hyſſopi, thymi, rutæ, betonicæ, menthæ, abſinthij pont. ſummit. lauri, ana M. j. ſemin. fœnugræc. anethi, & aniſi, ana ℥ j. flor. chamæm. melil. ſtœchad. anthos, ſpicænardi, ſchœnant. ana P. j. Fiat omnium decoctio in æquis partibus aquæ & vini rubri generoſi, cui adde, ſi ita videatur, olei laurini & rutacei, ana ℥ iij. qua foueatur cum linteolis, ſpongia aut philtris locus affectus, poſt purgationem : ante enim non eſt tutum corpus foueæ, ne plus attrahatur fomentis, quam per ea digeri poſſit.

Vel ſi mauis, prædicta omnia incluſa duobus ſacculis immergantur in vinum calidum, deinde exprimantur, & viciſſim illis calentibus foueatur pars, & remoueantur antequam refrigerentur. Aut eadem decoctio includatur veſica ſuilla, vel vaſculo æneo, ex Hipp. ſententia, & apponatur parti. Quod vſitatiſſimum eſt in morbis thoracis, vt pleuritico affectu, ne actuali humiditate nimium permadeſcant ſpirationi dicata membra. Habebis ita fotum ad calfaciendum, diſcutiendum, attenuandum, & dolores frigidos ſedandos vtiliſſimum, vt pleuritidem notham, colicum affectum, ventriculi flatus, vteri refrigerationem & ſimiles. Item ad œdematum, aliorumque tumorum frigidorum curationem, quem ante oleorum, vnguentorum, cataplaſmatum, emplaſtrorum, & ſimilium applicationem præmittere ſolemus, vt pori aperiantur, faciliúſque ſolidiora illa medicamenta vim ſuam exerere poſſint.

℔ Rad. acetoſ. & cichorei, ana ℥ iij. fol. viol. ſemperuiui, vmbilici vener. plantag. acetoſæ (& ſi opus fuerit in magna inflammatione) ſolani, hyoſcyami, lenticulæ aquæ, ana M. j. ſemin. papauer. albi, lactucæ, & coriand. ana ʒ iij. poma mandragor. numer. ij. flor. papauer. rubri, nymphææ violar. cichorei, borrag. & roſar. ana P. j. iantali albi & rubri, ana ʒ ij. Fiat omnium decoctio in aqua, ad omnes inflammationes, tam phlogoſes, quàm phlegmones, vſurpanda, pro maioris, minoriſque ratione, idque tepide, ſi ad affectus interiorum partium vſurpetur, vt inflammationem hepatis, lienis, veſicæ, renum, & aliarum. Frigidè autem ad externos affectus. Huius decoctionis loco ad refrigerandum vtimur ſolo oxycrato, vel ſuccis herbarum & fructuum refrigerantium. Pars cum linteolis fouetur, eaque remouentur, priuſquam incaleſcant.

Ad humectandum verò, molliendum, laxandum, dolorem ſedandum, ſola aqua tepida aut hydrelæon ſæpè ſufficit. Vel poterit parari ſequens fotus.

℔ Rad. althææ & lilior. ana ℥ iij. fol. maluæ, biſmal. pariet. brancæ vrſinæ, violar. mercurial. ſenecionis, leucoij, ana M. j. ſemin. lini & maluæ, ana ℥ j. flor. chamomil. melil. borrag. hypericon. & ſambuci, ana P. j. ficuum par. iv. Fiat omnium decoctio, cui adde, ſi velis, olei lilior. violat. aut amygd. dulcium ℥ iv. Foueatur pars exſiccata, indurata, aut dolore ob repletionem, vel cutis denſitatem vexata. Ad quod etiam vtiliſſimum erit fotus ex lacte tepido, vel ſacculis eiuſmodi materia refertis, & eodem lacte madentibus, quorum vtilitatem ſæpè experti ſumus in conuulſionibus à ſiccitate nimia ortis.

Quod ſi opus ſit *exſiccatione validâ*, nihil eſt potentius lixiuiis illis, quæ ex cineribus braſſicæ, ficus, fabarum, aut ilicis parantur, quibus parum ſulphuris aut aluminis addere ſolemus, vt ad crura œdematoſa, ſcrotum & ventrem aqua refertum. Ad idem efficax erit fotus primo loco deſcriptus, quandoquidem omnia calfacientia digerendo & attenuando potentiſſime exſiccant, cui adde ſi velis folia ſoldanellæ, ſemen ebuli, corticem radicum lauri & ſimilia, quæ ad hydropicorum aquas educendas vſurpantur.

Ad adſtringendum autem roborandúmque eodem modo facile eſt fotus deſcribere certiſque partibus aptare in rem præſentem.

℔ Rad. biſtort. & cyperi, ana ℥ j. ß. corticis mali granat. & gallar. virid. ana ℥ ß. fol. plantag. thapſi barbat. centinod. burſæ paſtor. ſummitat. rubi, ſumach. & capreolor. vitis, ana M. ij. ſemin. plantag. portul. & granor. kermes, ana ʒ ij. roſar. ſiccar. florum menthæ, & balauſtior. ana P. ij. Fiat omnium decoctio in aqua ferrata & vino rubro, addendo macim & nucem moſchatam, ſi fotus paretur ad affectiones interni

alicuius

alicuius viſceris. Fiat cum ſpongiâ nouâ, quæ non parum adſtrictionis obtinet. Atque ad horum inſtar infinita fotuum genera parare licebit.

LOTIONES verò à fotu non aliâ ratione diſtant, quàm quod partes affectas decocto illo abluimus, quæ pari modo embrochæ dicuntur; quando ex alto guttatim, & per impluuium affunditur certa decoctio, ſuccus, oleum & ſimilia. Lauantur autem vt plurimùm caput, manus & crura pro variis affectibus. Sic ad calfactionem, refrigerationem, humectationem, exſiccationem, & alios affectus vſurpari poterunt prædicti fotus, quibus partes iſtæ abluentur, deinde calidis linteolis & bene mundis exſiccabuntur, ſi affectus fuerit frigidus; ſin vero calidus fuerit, vt phrenitis; aut ad refrigerandum & humectandum inſtitutus, nihil prohibet quin partes illæ madore perfundi diutius ſinantur. Sunt igitur plures capitis lotiones ad varios affectus, vt in morbis omnibus frigidis, nihil eſt præſtantius embrochâ & lotione ex aquis noſtris thermalibus Bellilucanis, ad quarum inſtar licebit talem lotionem capitis præſcribere.

℞ Rad. ireos Florent. ℔ ß. fol. beton. maioran. meliſſ. ſaluiæ, hyſſopi, ſauendulæ, ſummitatum lauri, ana M. iv. ſemin. coriandri ʒ ß. fol. ſenæ ʒ vj. agar. ʒ ij. ſulphuris viui ʒ iij. Decoquantur in lixiuio ſarmentorum & vino albo. Hoc decocto abluatur diu caput mane circa horam nonam ieiuno ventriculo, veris aut æſtatis tempore: deinde bene & diligenter linteolis mundis exſiccetur. Eodem modo parantur ad ſordes abluendas, capitis vlcera, pediculos, & ſimilia; ex detergentibus, amaris, & ſalſis. Ad alopeciam fieri etiam poteſt fotus ſequens.

℞ Rad. loti, arundinis, & aſphodel. ana ℔ ß. fol. abrotani, abſinthij, marrubij, capill. vener. ceterach, ana M. ij. ſummit. braſſicæ & myrti nigræ, ana M. j. ſemin. althææ & bombac. ana ʒ ß. flor. ſaluiæ, anthos, & tamariſci, ana P. j. Fiat omnium decoctio in æquis partibus aquæ & vini. In quibus diſſolue alcyonij vel nitri ʒ j. ſi volueris; lauetur & foueatur caput, antequam vnguentis conuenientibus illinatur. Ad tingendos & ornandos capillos infinitæ lotiones præſcribi ſolent, quas nunc conſultò omittimus.

Ad manus & pedes roborandos fiunt lotiones ex calfacientibus & adſtringentibus, ex muſto calente tempore vindemiarum, aquis thermalibus, aut iam dictis decoctis. Ad ſomnum conciliandum per ingentes febrium ardores, crura, manus. & pudenda licebit humectare decocto refrigerante iam dicto, emulſione ſeminum frigidorum, & papaueris: quo imbutæ hæ partes vaporem ad ſuperiora emittunt gratiſſimum & ad vigiliam ſedandam aptiſſimum.

Explicatis igitur fotuum & lotionum formulis, facile iam eſſet *ἡμικαπνίων, ſemicupiorum & balneorum* deſcriptiones cuique comparare, cùm ratione tantum partium differant. Ne quid tamen huic noſtræ tractationi deeſſe videatur, aliquas etiam formulas ſubnectamus, donec abſolutam huius rei doctrinam perficiamus in tractatu particulari, quem de balneis artificialibus & naturalibus noſtratibus, potiſſimùm in plaga Occitanica poſitis, meditamur.

*F*iunt itaque inſeſſiones ſeu ſemicupia, quando infirmior æger vim integri balnei perferre non poteſt, vel quando pars quædam ſuperioris ventris aut thoracis male eſt affecta. vnde timemus ne integro balneo in eam fiat colliquatio: aut denique membrum cui morbus inſidet in inferiore parte poſitum ſatis commodi ex ſemicupio habere poteſt, vt in nephritico, colico, iſchiadico, omnique veſicæ, inteſtinorum, ani, vteri, & ſimilium affectu. Sic ad dolorem ex calculo.

℞ Rad. althææ (ſunt qui addant fragmenta raparum, raphani, paſtinacæ; fol. cicer. verbaſci, beton. prunell. aquilegiæ, rutæ murariæ) fol. pariet. ſaxifrag. maluar. ſiſymbrij, ononidis, origani, calament. petroſel. ana M. iij. ſemin. lini, maluæ, & milij ſolis, ana ʒ j. flor. chamæmel. melil. maluar. ana M. j. furfur. macri P. j. Fiat decoctio pro ſemicupio, in quo diu maneat, potiſſimùm quando premitur dolore. Adde, ſi vis, olei communis vel lilior. ℔ ij. ad laxandum magis. Imo ſunt qui ex ſolo oleo efficaciſſimum ſemicupium ad illud comparant. Sic ad dolorem colicum ex pituita & flatu, iſchiadicum, podagram, paralyſim, tremorem frigidum & ſimiles parabitur inſeſſus ex decocto illo calfaciente inter fomenta deſcripto, cui ad vmbilicum vſque immergatur æger. Item ad immoderatè fluentem aluum, hæmorrhoidas, menſes, teneſmum, ad procidentem anum inſtituatur decoctum adſtringens iam dictum. Quòd ſi prouocanda ſint menſtrua,

℞ Rad. cyperi, rubiæ maior. valerian. apij, petroſel. fœnicul. & ireos noſtratis, ana ʒ ij. fol. nepetæ, artemiſiæ, matricar. marrub. calaminț. mercurial. abrotan. lauri,

lauri, filicis, pſyllij & ſabinæ, ana M.ij. ſemin. apij, dauci, fœnicul. & petroſel. ana ℥ ß. flor. ſambuci, tamariſci, geniſtæ, centaurij minor. ana P.ij. Fiat omnium decoctio in aquâ fontanâ, addendo ſub finem vini albi ℔ iij. Ingrediatur mane ieiuno ventriculo, & horâ tertiâ pomeridianâ, tempore quo ſolebant redire purgationes illæ muliebres. Si dolor hæmorrhoidum, veſicæ, uteri, aut ani ægrum vrgeat, paretur inſeſſus ex laxantibus & mollientibus. Vt

℞ Rad. althææ, & lilior. ana ℔ ß. maluarum cum toto, pariet. & flor. chamomill. ana M.iij. caput, pedes, & inteſtina pinguioris veruecis. Decoquantur ſimul. In hoc decocto inſideat æger ad doloris ſedationem. Atque hæ ſunt vſitatiorum inſeſſionum formulæ: ſupereſt vt de balneis agamus.

Balneum verò à ſuperioribus differt, quòd vniuerſaliter toti admouetur corpori; ideoque maiore curâ & regimine indiget, quàm ſuperiora remedia, quæ certis tantum partibus applicantur. Calfacientium tamen, refrigerantium, exſiccantium, & humectantium balneorum materia ex eiſdem repeti poteſt, quæ in fomentis dicta fuerunt, maiore tantum copiâ, vt totum corpus in decocto illo immergi poſſit. Ad hecticorum & conſumptorum curationem varia parantur balneorum genera, humectantia tantum, ſi ſimplex ſit ſiccitas: humectantia & leuiter calfacientia, ſi affectus maraſmum ſenilem repræſentet: refrigerantia & humectantia in verâ hectica, cuius eſſentia in calore & ſiccitate præter naturam poſita eſt. Ad humectandum igitur ſimpliciter, ſola aqua tepida ſufficere poteſt, in qua moretur hecticus, donec per ſeipſam frigidior euadat, ſic enim contrahentur pori & firmabitur corporis habitus. Si humiditas vera & ſubſtantifica reponenda ſit, vt quando eſt impinguandum & renutriendum, balneum ex lacte, oleo violato, iuſculo carnium pinguium, butyro diſſoluto, ſolis aut cum aquâ permixtis erit conuenientiſſimum, in quo ſæpè natare debet æger, abſque vllâ tamen laſſitudine, virium reſolutione aut ſudore. Quod ſi magis ſit refrigerandum ob acrimoniam caloris, paretur decoctum ex fotu refrigerante dicto. Vel, ſi mauis, in eadem aquâ tepidâ diſſolue ſucci cucurbitæ & melon. atque etiam ſolani, ſi ita videatur, ad ℔ iv. Fiat balneum, quod ingrediatur tepidum & ſine ſudore longè à paſtu. Ante cuius ingreſſum capiat lactis caprini recenter mulcti cum ſaccharo ℔ ß. vel iuſculum conſummatum, oua tremula, & ſimilia quæ conſumptos reficere poſſunt.

Balneum autem commune ad laſſitudines leuandas, æſtus ſolis temperandos, maciem arcendam, bilioſi temperamenti hominibus ſic præſcribitur.

℞ Rad. acetoſ. lapathi acuti, lilior. & althææ, ana ℔ ij. cichor. borrag. cum toto, ſcabioſæ, fol. cucurbitæ, melon. & ſalicis, ana M.iv. cannarum viridium M.ij. ſemin. frigid. maior. ℔ ß. flor. nymphææ, borrag. cichor. & roſar. recentium, ana M.j. Fiat omnium decoctio in aqua dulci pro balneo, quod ingrediatur tepidè & ſine ſudore per biduum bis in die longè à paſtu. Narrant regem Maroch toto æſtatis tempore ſemel in die ingredi ſolium aquâ roſaceâ, & citrangulorum (*eau naphe* vocant) plenum, in qua tepente diſſoluunt ambarum aut confectiones odoratas, quibus maximè Mauritani gaudere ſolent. Eadem ratione comparari poterit balneum pro viris & mulierculis, qui toti corpori venuſtatem & gratum odorem conciliare cupiunt, ex decocto roſarum, violar. cortic. citri, florum ſaluiæ, & anthos, diſſoluendo parum galliæ aut aliptæ moſchatæ pro vniuſcuiuſque facultatibus & conditione.

Sunt qui ad paralyſim non parum laudant balneum, in quo vulpecula vna aut plures decoctæ fuerunt cum foliis ſaluiæ, lauendulæ, herbæ paralyſeos, thymi, origani, pulegij, calamenti, ſummitat. lauri, hyſſop. rutæ, menthæ, maioranæ, floribus ſtœchados, anthos, ſpicænardi, & ſimilium, addendo vini rubri generoſi ℔ vj. In quo ſudet æger, & ſublato madore reponatur in lecto, inungatúrque oleo de caſtoreo, vulpino, balſamo Guidonis, & ſimilibus. Sed nihil eſt ad eiuſmodi curandos affectus præſtantius thermis noſtris Bellilucanis, quas ſi volueris quodammodo æmulari, diſſolue in prædicto ſulphuris viui ℥ iij. nitri & ſalis, ana ℥ j.

Verùm hodierno tempore, quo continua illa balneorum priſcis vſitata conſuetudo obſoleuit, non eſt ita tutum quoſuis homines affectibus frigidis obſeſſos balneis immergere: ideo ſolemus potiùs vaporaria quædam ſiue laconica (ſtuphas, hypocauſta, & æſtuaria vulgò vocant) comparare, in quibus ægri ſub conopæo poſiti ex vapore eiuſmodi decocti ſuper candentes ſilices coniecti multum & diu ſudare poſſunt. Deinde conuenientibus vnguentis inungi commodiſſimè. Quæ

omnia

omnia Practicus noſter ex conuenientibus indicationibus ritè moderabitur.

Supereſt igitur vt pauca de balneis ſubnectamus, quæ faciunt ad affectus cutaneos, ſcabiem, pſoram, lepram, elephantiaſim & ſimiles. In primis igitur ſi durior & aſperior ſit cutis, mollienda & laxanda balneo communi, à nobis prius deſcripto. Poſtea verò

℥ Rad. enulæ camp. ari, bryoniæ, acori vulgar. & cucumer. agreſt. ana ℔ j. lapat. acuti cum toto, fumar. ſcabioſæ, ſtaphidis agriæ, agrimon. jaſmini, borrag. ſaponar. chelidon. maluar. violar. calamenti & hederæ, ana M. ij. lupinor. fabarum, lentium, cicerum rubror. hordei integri, furfuris macri, ana ℔ ß. flor. chamomill. melilot. tamariſci & roſar. ana M. j. Fiat omnium decoctio pro balneo, in quo ſudare poterit leuiter. Quod ſi antiquior & rebellior ſit ſcabies, vt leproſorum; addunt rad. ſerpentariæ, haſtulæ regiæ, ana ℔ ß. hellebori albi aut nigri M. ij. Sunt qui ſalis, aluminis, vitrioli, aliquot vncias diſſoluunt. In ipſo balneo confricandum totum corpus ſacculis, farina fabarum, hordei aut orobi refertis, vel amygdalis dulcibus & amaris contritis, vt ſic tota illa fœditas abſtergatur, qui ſtrigilis antiquorum loco eſſe poterunt. In exitu balnei ſudet leuiter, & inungatur appoſitis vnguentis. Qui littora maris accolunt, natatione illa in mari circa feſtum diui Ioannis ſæpiſſimè liberantur à ſcabie. Alij ex lixiuio balnea comparant. Quæ omnia prudenter ſunt vſurpanda, mundato corio & extirpata ſcabie, præcedentibus balneis & frictionibus. Laudant multi, ne fiat recidiua, vt paretur balneum leuiter adſtringens, quo cutis roboretur, & excrementa exteriùs fluere ſolita, intrò repellantur. Sed hæc de balneis pro inſtituto noſtro ſufficiant.

CAPVT II.

De Epithematibus liquidis & ſolidis.

EPITHEMATA, ſi nominis vim reſpicias, remedia omnia dicentur, quæ cuicunque parti applicantur. Voluit tamen vſus, vt hodie peculiariter epithemata vocentur liquida quædam medicamenta, aut inſtar opiatæ confecta, quæ partibus corporis noſtri nobilioribus admouentur, ex panno ſcarlatino aut ſericeo. Liquida autem epithemata eo à fotu differunt, quod non ex decocto, ſed potius ex aquis quibuſdam ſtillatitiis, aut ſuccis cum pulueribus, trochiſcis & confectionibus aromaticis diſſolutis comparantur, ad omnem intemperiem internorum viſcerum temperandam, potiſſimùm cordis, iecoris, & renum. Vt ad cordis refrigerationem, palpitationem ex flatu, reſolutionem ſpirituum, & frequentem ſyncopem;

℥ Aquæ meliſſæ, ſcabioſæ, & cardui bened. ana ℥ iv. aquæ citrangulorum & vini albi, ana ℥ j. confection. alkermes & de hyacintho, ana ʒ ß. trochiſc. de ſpodio, puluer. electuar. diambræ & diamoſc. ana ℈ j. croci & granorum kermes, ana gran. v. Miſce, fiat epithema liquidum, quo foueatur regio cordis tepidè bis aut ter in die cum pannis ſcarlatinis, hoc liquore intinctis, & expreſſis, viciſſim admotis. In febrium autem ardore & ſiccitate quando iam ad ſtatum aut declinationem peruenerunt ægri, humectantia & refrigerantia epithemata præſcribere ſolemus; non autem in principio aut augmento, ne repellantur vapores putridi ad interiora, qui maiore tunc ſunt copiâ. In hecticis potiſſimùm hoc remedij genus vſurpandum, in quibus iam immaterialis eſt morbus. Vt

℥ Aquar. endiuiæ, roſar. borrag. & lactuc. ana ℥ iv. aquæ nymphææ & aceti albi, ana ℥ j. puluer. electuar. triaſant. & diamargar. frigid. ana ʒ j. florum violæ & cichor. minutim conciſorum, ana P. ß. trochiſc. de caphura ℈ ß. croci gran. iij. Fiat epithema liquidum, quo foueatur regio cordis tepidè bis aut ter in die cum pannis ſericeis raris. Remoueantur ſæpè ne incaleſcant nimium. Qui voluerit, parabit ex ſucco pomorum, malorum granatorum, arantiorum, borrag acetoſæ, addendo parum aceti & lactis in hecticis, & tantillum ex pulueribus cordialibus prædictis. Eadem epithemata carpis manuum & pedibus apponi poſſunt, imo etiam genitalibus, vt per continuam arteriarum in omnibus corporis partibus diaſtolen, cor & interiora viſcera refrigerium ſibi comparare poſſint. Oxycratũ etiam aut hydrelæum ex

ſucco ſolani, plantag. aut lactucæ cum oleo violato, roſaceo vel nenupharino, capiti,teſtibus, & pedibus phreniticorum admoueri ſolet actu frigidum, aut ſaltem tepidum inſtar epithematis.

Eadem ratione ad hepatis & renum intemperiem,potiſſimùm calidam,componuntur liquida epithemata : quamuis non æque ſit tutum hepati ac cordi admouere refrigerantia epithemata propter venæ cauæ exortum,qui eſt in gibbis iecinoris, & quia iecur admodum eſt propinquum cuti,vnde nimiæ refrigerationis periculum imminere videtur ; licebit tamen cum cautione vſurpare,& adhibitis roborantibus,in ſequentem modum.

℞ Aquarum acetoſæ, cichor. & lactucæ, ana ℔ ß. aquæ portul. & aceti roſat. ana ʒ j. puluer. electuar. triaſant. ʒ ij. ß. granor. kermes & trochiſcor. de caphur. ana ϑ j. ſpicæ nardi gran. v. Fiat epithema liquidum,quo foueatur hepar cum linteolis implicatis aut pannis ſericeis. Idem proderit ad renum feruorem,licebitque magis partem illam refrigerare, vt ex emulſione ſeminum frigidor. maior. ſemin. papauer. albi, lactucæ, acetoſæ, & portul. cum aquâ roſar. extracta & ſimilibus.

Vtque liquida hæc epithemata antiquis & recentioribus vſitata fuere, ſic noſtri ſolida inuenerunt, quæ ad inſtar opiatæ conficiuntur, vt diutius hæreant parti poſt liquidorum vſum ; vel quando non licet liquidis vti ob certas cauſas, vt fluxionem in pectus, refrigerationem partium ſpirabilium & ſimiles. Horum tales eſſe poterunt formulæ,vt calfacientis & roborantis.

℞ Conſeruæ florum ſaluiæ,anthos,& roſar.antiq.ana ʒ j.conſer.flor.bugloſſ.ʒ iij. confect. alkermes & de hyacinth. ana ʒ j. theriacæ optimæ ϑ j. puluer. electuar. diambr.diamoſch.& de gemmis,ana ϑ j.moſchi,ligni aloës,ſantali citrini, ana ℊ iv. Conficiantur cum pauca aqua imperiali aut meliſſæ inſtar opiatæ, quæ extendatur ſupra pannum ſcarlatinum,& applicetur regioni cordis tepidè. Sinatur donec fuerit exſiccatum.Ad refrigerandum verò & humectandum,vt in hecticis;

℞ Conſeruæ flor. viol. borrag. & cichor. ana ʒ j. conſeruæ roſarum recent. ʒ ß. puluer. elect. triaſantali, diamargariti frigid. & diatrag. frigid. ana ʒ ß. trochiſcor.de caphura & de ſpodio,an.ϑ ß.Cum aqua roſar.vel acetoſæ fiat inſtar opiatæ. Applicetur cordi ſupra pannum ſericeum rubrum aut linteolum rarum,& ſæpius mutetur.Pro iſtorum igitur ratione pleraque alia componi poterunt in rem præſentem,quæ nos breuitatis cauſâ omittimus.

CAPVT III.

De Sacculis, Cucufis, & Frontalibus.

EQVVNTVR ſacculi, cucufæ, & frontalia,non admodum diſſimile ſuperioribus remedium, quoniam eadem fere materia referti ſacculi, aut interſutæ ſindones, ſi capiti applicentur, cucufæ : ſi fronti, frontalia : reliquis verò partibus, ſcuta, aut ſacculi vocantur, ad omnes iam ſæpius dictas intentiones perficiendas. Sub ſacculis continetur fomentum illud ſiccum,quod Hipp. *lib. de vict. ration. in acutis* ξηροπυρίαν appellat,ad pleuritidem notham, colicum dolorem, & alios ex frigida cauſa ſuſcitatos vtiliſſimum,cuius hodie talis eſt vſitatior formula.

℞ Auenæ & milij,ana ℔ j.ſalis & furfur.macri,ana P.j. florum chamæmel melil. ſtœchad. & anthos, ana P.ij. baccar. lauri,ſemin. aniſi & fœnugræc. ana ʒ ß.Torrefiant omnia in ſartagine, irrorata pauco vino rubro aut aquâ vitæ, & includantur duobus ſacculis,quibus calentibus viciſſim foueatur pars dolens. Reliqui ſacculi pro corrigendis intemperiebus fiunt ex pulueribus incluſis & interbaſtatis,vt dictum eſt.Vt ad cordis calfactionem & corroborationem;

℞ Fol. ſiccor. meliſſæ, ocymi, ſcabioſæ, & pimpinel. ana ʒ j. ß. granor. kermes, ligni aloës, ſantali citrini, garyophyllor. ana ʒ ß. puluer. elect. diamargarit.frigidi, de gemmis,diamoſchi, & diambræ, ana ϑ j.raſuræ eboris ϑ ß. Fiat omnium puluis, qui excipiatur cotone moſchato, & interbaſtetur inter duas ſindones ſericeas, ferat ex collo appenſum ſupra regionem cordis. Irroretur, ſi velis, frequenter vino generoſo,

Digitized by Google

generoſo , aqua napha, aut imperiali. Sic ad ventriculum refrigeratum;

℔ Roſarum rubr.fol.abſinthij pont.menthæ, & maioran.ſiccor.ana ʒ j.ß.corticis citri ſicci , coralli rubri , piperis longi , garyophyll. cinam.craſſior. ana ʒ j. puluer. electuar. aromat. roſat. galangæ , ſemin. aniſi , ana ʒ ß. Fiat omnium puluis,qui excipiatur cotone , & ſuatur inter duo linteola rara in formam ſcuti , quod ferat ſuper regionem ventriculi , conuerſo apice verſus cartilaginem xiphoïdem. Eadem ratione dum frigidiori cerebro,catarrhis & ſimilibus affectibus proſpicere volumus,paramus cucufas pro toto capite,ſemicucufas autem pro dimidiâ illius parte, vt in hemicrania & cephalæa rebelli.

℔ Flor. ſtœchados arab. & citrinæ , anthos , & roſar. rubrar. ana P.ß.fol. beton. ſiccor.ʒ ij.ſemin.nigellæ rom.coriand.thuris, maſtic. nucis moſchat.calami aromat. & cyperi, ana ʒ j. benjoini , vernicis , macis & garyoph.ana ℈ j.Fiat omnium puluis,qui excipiatur raſura ſcarlatæ vel floccis ſericeis pro ditioribus, aut cotone pro aliis ; & inſtar pileoli componatur , qui galero aſſuatur , vel geſtetur ſupra caput. Vbi pinguedine delibutus apparebit, renouetur. Sic igitur fiunt facculi & cucufæ ad affectus potius frigidos quam calidos , quia in æſtu partium metus eſt ne nimium tegumento illo incaleſcant. Frontalia tamen in vtrumque vſum parantur. Vt

℔ Roſar.rubrar.ſiccar.in aceto macerat.M.j. Inuoluantur ſplenio oblongiore,& applicentur fronti in cephalalgia ſanguinea & bilioſa , in paraphrenitide , in febrium æſtu. Aliud

℔ Roſar.rubrar. flor. nymphææ, violar. & cichor.ana P.j. ſemin.lactucæ,portul. papauer.albi,& coriandri,ana ʒ j.ſantali rubri & albi, granor. kermes, ana ʒ ß. Fiat omnium puluis , qui includatur linteolo oblongo,& conuenienter ſuatur : deinde irroratum vapore aceti roſacei , ſupra patellam calentem coniecti , applicetur fronti ; & poſt duas aut tres horas auferatur , ne incaleſcat nimium. Quod ſi imbecillius ſit cerebrum, aut metus catarrhi , poteris addere parum nucis moſchat. ſemin.rutæ,aut amygdalas amaras, vel nucleos perſicorum & ſimilia.Neque tantum ſicca hæc frontalia vulgò parant , ſed etiam humida,dum prædictis pulueribus vnguentum populeum,aut roſaceum permiſcent.Ad frigidos verò affectus theriacam, mithridatium , auream alexandrinam & alias confectiones cum pulueribus in deſcriptione cucufarum dictis permiſcere poſſumus.

CAPVT IV.

De Suffitibus & Odoramentis.

SVFFITVVM & Odoramentorum ea eſt differentia , quòd Odoramenta citra ignis acceſſionem,ſuo odore cerebrum afficere poſſunt: ſuffitus verò , ſuffumigatio, fumigium , θυμίαμα Græcis dictum, incenditur,aut ignitis carbonibus imponitur , vt exhalare & copioſiùs effumare poſſit. Componuntur autem ſuffitus & odoramenta ex variis rebus, tam ad cultum & voluptatem , quam ad valetudinem conſeruandam,& profligandos morbos. Hodie in officinis Monſpelienſibus vulgò parata habentur puluis cyprius,& violaceus,aqua angeli, caſſoletæ, auiculæ cypriæ, globuli concatenati,ad delicias potiùs quàm morborum curationem. Nos verò hoc etiam medicamenti genus ad ſalubritatem conuertamus ; quandoquidem ipſe Hipp. *aphor.* 28. *ſect.*5. ad plurima eſſe vtile voluit. Odoramenta itaque in vſu medico componuntur ſub formâ liquoris, pulueris,aut durioris conſiſtentiæ in varias formas concinnatæ,vt ad roborandum cerebrum,arcendos odores tetros,& auram peſtilentem depellendam.

℔ Aquæ roſar.& naſæ,ana ℥ j.ß. aquæ angeli guttas aliquot, ſantali rubri & citrini , moſchi , ana gran. v. aceti parum , vel vini optimi. Miſce. Hoc liquore madens ſpongia vel linteolum ſæpè apponatur naribus , peſtis tempore. In formâ pulueris fiat ſic.

℔ Pulueris cyprij & violacei Monſpel. ana ℥ ß. cortic. citri ſicci , roſar.

ſiccar. ligni aloës, & benjoini, ana ʒ j. Trita includantur exiguo puluinari ſericeo, quod feratur continuò, vel cum veſtibus reponatur. Sub formà verò ſolidâ ſic.

℞ Ladani & ſtyracis calam. ana ℥ ß. caryophyll. nucis moſchat. benjoini, trochiſc. galliæ & aliptæ moſchat. ana ʒ ij. ſantali citrini, ligni aloës & folior. ſicc. maioran. ana ʒ j. gummi arabici vel tragacanthi aqua angeli, citrangulor. roſacea aut meliſſæ diſſoluti q. ſ. ad incorporandum. Fiant poma duo odorifera ſemper geſtanda, vel orbiculi concatenati, qui collo & manibus appendantur. Addunt noſtrates carbonem ſalicis ad molem & nigredinem augendam.

Neque ſolùm ex bene olentibus fiunt odoramenta; ſed etiam ex fœtidis, potiſſimùm ad vteri affectus & ſuffocationes, qui occultâ quadam antipatheia tetros odores refugere, gratos verò ſequi manifeſte agnoſcitur. Vnde non ſolum ambarum, ciuetam, moſchum, prædictos pulueres, & ſimiles genitalibus muliercularum ſupponimus; ſed etiam ex aſſâ fœtidâ, galbano, caſtoreo, ſulphure, bitumine, gagate, & aliis olfactis ſuffocatas iuuare ſolemus. Sunt etiam qui credunt pomum odoratum purgans hoc modo confici poſſe.

℞ Aloës & myrrhæ, ana ʒ ij. pulpæ colocynthid. & ſcammonij, ana ʒ j. pulueris ellebori & corticis eſulæ, ana ʒ ß. Excipiantur gummi tragac. aquâ coriandri dilutâ, & concinnentur duo poma, quæ diu manibus tractentur, & naribus apponantur. Atque hæc de odoramentis vſitatioribus.

Svffitvs verò multò plures habent in Medicinâ vſus, nam ad quaſcunque fere partes & morbos aptari poſſunt, & in formam liquidam, pulueris, vel trochiſcorum concinnari. Nam quæcunque decocta iam à nobis tradita in ollâ fictili poſita, & carbonibus ardentibus impoſita, vaporem emittent, qui per infundibulum partem affectam attingent, vel iniecta lapidi molari, ſilicibus ignitis, ferro candenti, & aliis fumum eructabunt ad propoſitos ſcopos idoneum: Sic ad ſcirrhos molliendos laudat Gal. fumigium ex decocto molliente & aceto ſcillitico ſuper lapidem pyritem vel molarem coniecto. Sic ad dolores frigidos, paralyſim, tremorem, & ſimiles decoctum ex herbis, radicibus, ſeminibus, floribus, lignis & aliis paramus, & ægrum in lecto collocatum, impoſito infundibulo ollæ & tubulo ſuffimus, donec ſudor excitetur. Item menſtrua eodem modo mulieribus ex decocto aperiente prouocamus; quæ omnia ex prædictis fotibus repetenda. Fumigia verò ſicca ſub formâ pulueris & trochiſcorum ad varias partes ita comparantur: vt ad affectus capitis frigidos, compeſcendos catarrhos, & tuſſim.

℞ Nigell. romanæ, & gummi hederæ torrefacti, coriandri præparati, granorum kermes, & juniperi, ſantali albi, ana ʒ ij. roſarum rubrarum ſiccar. ʒ iij. vernicis, thuris & maſtic. ana ʒ j. nucis moſchatæ, calami aromatici & cyperi, ana ℈ ij. ſpicænardi & ſchœnant. ana ℈ j. Adde benjoini & ſtyracis calam. ana ℈ iv. ſi affectus ſit frigidior: ſin verò calidior, ſemen papauer. lactuc. & flores nymphææ. Fiat omnium puluis craſſior, quo ſuper carbones accenſo ſuffiantur operimenta capitis, & parum illius in ingreſſu lecti hauriat occluſis conopœis. Si mauis, puluis ille excipiatur gummi tragacant. liquato aquâ roſaceâ. Fiant trochiſci lupinares in eundem vſum. Ad affectus etiam thoracis parari poſſunt, vt raucedinem, aſthma, vlcera pulmonum, & ſimilia. Exempli gratiâ.

℞ Rad. tuſſilag. ſiccæ & ireos Florent. ana ℥ ß. fol. ſiccor ſcabioſæ, tuſſilag. marrubij, hyſſopi, ana P. ß. ſtyracis calam. ʒ ij. flor. ſtœchados & pulmonariæ, ana P. ß. myrrhæ & thuris, ana ʒ j. Fiat omnium puluis craſſior, vel trochiſci cum gummi arabico aquâ ſcabioſæ fuſo. Excipiat mane & ſero fumum hiante ore in lecto

Ad vlcera pulmonis ſolent Empirici noſtri ſandaracæ parum ſiue auripigmenti puluriſat. excipere oui vitello cocto & oleo irino. Deinde ſuper pannos exiguos extenſa exſiccare. Ponunt fruſtulum ſuper prunas, & iubent ægrum haurire vaporem, vt interior illa pulmonum ſordes exſiccetur. Id autem ex Meſuei antidotario depromptum ſic meliùs parari poterit.

℞ Roſar. rubrar. folior. tuſſilag. ſiccor. ana ʒ ij. thuris, maſtic. & myrrhæ, ana ʒ j. puluer. ireos Florent. hypociſt. & ſemin. papaueris, ana ʒ ß. auripigmenti rubri ℈ j. Fiat puluis, & reducatur in trochiſcos, vt dictum eſt, quorum ſuffitus ad omnia vlcera profundiora erit vtiliſſimus. Vt autem ex auripigmento parantur iſta fumigia, ſic etiam ex cinnabrio fiant ad curationem luis venereæ Empiricis vſitata, quæ ad ſudores excitandos ſunt efficaciſſima, & curationem tophorum, vlcerum, carici, exoſtoſeos, & ſimilium ſymptomatum, bene prius præparato ægro; quorum talis eſto formula.

℞ Styracis

Digitized by Google

℞. Styracis calam. benjoini, myrrhæ & corticis pini, ana ʒ ß. cinnabrij ʒ iij. Fiat puluis, qui excipiatur gummi arabico vino liquato. Fiant paſtilli. Horum vnus apponatur ſuper prunas ardentes, excipiat illius fumum æger in conopæo, ita vt partem affectam magis contingat. Habeat autem caput extrà poſitum, ne tetro illo vapore ſuffocetur, aut in lipothymiam incidat. Excitabit copioſos ſudores, necnon ſupradicta præſtabit. Ad vterum etiam fiunt fumigia ex myrrha, cinamomo, bdellio, cum foliis pulegij & matricariæ, ad excitanda menſtrua. Ad ſuffocationem vteri ſulphur, plumæ perdicum, panni obſoleti, lapis gagates, bitumen, aſſa fœtida, galbanum & ſimilia comburuntur & naribus admouentur. Quæ omnia fuſiùs in peculiari morborum Therapia explicari debent.

CAPVT V.

De Oleis.

OLEA vocamus ea medicamenta, quæ ſiue ſimplicia, ſiue compoſita, pingui, vnguinoſa & aërea materia conſtant; ex plantis, mineralibus, animalibus, & eorum partibus per expreſſionem, maceration em aut diſtillationem elicita. Quorum fructus ad medicinam multiplex, ſiue ſola vſurpentur, ſeu compoſitionem linimentorum, vnguentorum, cataplaſmatum & emplaſtrorum ingrediantur. Operæ pretium igitur eſt Medicum ea veluti innumerato habere, vt poſſit in quamcumque rem, oleis conuenienter vti. Diuiduntur autem in naturalia & artificialia. Naturalia ſunt ea, quæ ſponte ſua ex quibuſdam rebus defluunt, vt opobalſam. oleum petroleum, myrrhæ ſtacte, ſeu ſtyrax liquida, elæomeli Dioſcoridis, balſamum illud Indicum, quod hodie circumfertur & liquida ambra appellatur. Artificialia verò ſunt ea, quæ manu & induſtria comparantur variis modis, vt dictum eſt. Simplicia cenſentur, quando ex vnico eliciuntur: Compoſita, quando ex pluribus, quorum infinitus propemodum eſſe poteſt numerus, prout ad varias intentiones à Medicis præſcribi & comparari ſolent. Nos tamen paucis eiſque familiaribus & neceſſariis erimus contenti, quorum particularem deſcriptionem ex pharmacopœorum libris repetere licebit.

Ad calefaciendum igitur vſitatiſſima ſunt oleum de abſinthio, de mentha, maſtichinum, nucis moſchatæ, moſchatellinum, & nardinum, quæ præterea leuiter adſtringunt & partes internas roborant. Oleum lini, è floribus narciſſi, è ſtyrace, auellanarum, de behen ſeu balaninum, amygdalarum dulcium, liliorum, oliuarum maturarum, nucis Indicæ, è cera quod *Iacob* vulgo appellant, de jaſmino, ſeſaminum, quæ præterea emolliunt, laxant & dolores ſedant. Oleum anethinum, chamæmelinum, amygdal. amararum, nucleorum perſicorum, nucum, oliuarum rancidarum, rutaceum, ſambucinum, cheirinum, hypericinum, laurinum, vulpinum, de caſtoreo, de piperibus, de lateribus, de capparibus, de ſpica, irinum, de croco, de ſulphure, coſtinum, de euphorbio, de ſampſucho, lumbricorum, de ſcorpionibus, catellorum. Quæ præterea attenuant, rarefaciunt & digerunt, oleum de myrrha, de frumento, de tartaro, ſambucinum, balaninum, ricininum, raphaninum, ouorum, quæ præterea potentiſſimè detergunt, & omnes cutis infectiones delent.

Ad refrigerandum verò vſitata ſunt oleum cydonior. myrtin. myrtill. lentiſcinum, œnanthinum, omphacinum, ſiue ex oleis immaturis, & roſaceum, quæ præterea adſtringunt & repellunt; oleum populneum, nenuphar. de papauere, de mandragora, hyoſcyami, è torpedine, è ſemine lactucæ, quæ præterea congelant, ſomnum inducunt, & dolores ex calida cauſa ſuſcitatos ſopiunt.

Ad exſiccandum ea omnia olea vſui eſſe poſſunt, quæcunque calfacere, attenuare, rarefacere, digerere, & detergere diximus; peculiariter tamen laudant oleum riciniuum ſeu de kerua, ex granis ebuli, & floribus ſambuci comparatum.

Ad humectandum denique ea olea etiam faciunt, quæ emollire & laxare diximus, præterea violaceum, ſeſaminum, cucurbitarum, ſeminum melon. & cucumeris, quæ per ſimplicem expreſſionem eliciuntur. Vt etiam ad inſignem humectationem laudarem ego oleum ex ſeminibus maluæ, aut althææ expreſſum,

vel ex earumdem foliis & floribus in oleo dulci maceratis, & infusis comparatum; quemadmodum alia innumera ad vsus medicos excogitari possunt. Atque vt oleorum istorum vis & vtilitas est ad commemoratos affectus exhibendos, sic etiam vnumquodque istorum magis huic quam illi parti, vt ventriculo potius quam neruis, iecori potius quam lieni, aut aliis est dicarum, cuius rei cognitio repetenda erit ex descriptione linimentorum & vnguentorum, quæ postea singularum partium affectibus aptabuntur.

Porrò siquis plurimorum oleorum, essentiarum, & distillationum ex plantis animalibus, & mineralibus eliciendorum vsum & descriptionem habere voluerit, is Chymistarum nostri temporis libros & officinas adeat, vbi artificiosam admodum rationem illa comparandi per ascensum, descensum, & sublimationem in variis vasis, fornacibus, fimo, sole, cineribus, & aliis reperiet, quæ non paruam hodie laudem & vires in desperatissimis ac contumacissimis affectibus debellandis reportarunt. Habemus nunc vulgò oleum chymicum anisi, fœniculi, guaiaci, cinamomi, caryophyllorum, macis, succini, caphuræ, terebinth. vitrioli, perlarum, coralli, crystalli, salis, sulphuris, antimonij, argenti, cupri, plumbi, ferri, castorei, scorpionum, & similia: quæ non tantùm exteriùs admouentur, sed etiam interiùs assumuntur ad quamplurimos morbos. Non sunt etiam silenda balsama quædam, ad effectus externos parari solita, & sub oleorum classem, recensenda quale est balsamum Guidonis ad paralysim, ita descriptum.

℥ Fol. siccor. saluiæ, maioran. menthæ, herbæ paralyseos, ana P. j. myrrhæ electæ, aloës hepaticæ, spicænardi, sanguinis dracon. thuris, mumiæ, opopanacis, bdellij, carpobalsami, croci, mastiches, gummi arab. styracis liquidæ, benjoini, ana ʒ ij. ß. terebint. ad pondus omnium. Pulueriscntur omnia, & cum terebint. misceantur, reponantur in alembico magistrali, & fornace distillentur, vt artis est. Exit primò aqua: secundò oleum: tertiò verò substantia quædam crassior, quam mel appellant. Eorum vsus ad omnes affectus frigidos mirabilis.

Arnaldus Villanouanus ita componit.

℥ Galbani ℔ ß. gummi hederæ ʒ iij. Terantur & misceantur simul. Ponantur in vase distillationis. Oleum & aqua quæ emanauerint, colligantur, deinde misceantur cum ʒ j. olei laurini & terebinthinæ ℔ j. Iterum distillentur, separentur aqua & oleum, & vsui seruentur vt superiora.

Ad vulnera etiam recentia & antiqua conglutinanda, præcipuè partium neruosarum, ossium, venarum parantur balsama quamplurima ab Euonymo, Quercetano, Fallopio & aliis. Placet ergo vnum ex Fallopio proponere, quod erit instar omnium.

℥ Terebinth. pellucidæ ℔ ij. olei lini & lumbricor. ana ℔ ß. resinæ pini ʒ vj. thuris, myrrhæ, aloës, mastic. sarcocollæ, ana ʒ ij. macis, croci, caryophyll. ligni aloës, ana ʒ ij. Misceantur omnia, & ponantur in retortam bene lutatam: sinantur parum macerari: deinde distillentur in cineribus, primùm lento igne ad eliciendam aquam, pòst valentiore, & habebis oleum ad prædictas intentiones efficacissimum. Hæc igitur habuimus pro instituto nostro de oleis dicenda.

CAPVT VI.

De Pulueribus quibusdam.

QVEMADMODVM olea sola & per se ad multos affectus vsurpantur, aliàs verò linimentis, vnguentis, cataplasmatis, emplastris & similibus permiscentur: Sic etiam quidam pulueres soli & per se ad certorum morborum curationem exteriùs admouentur; quidam & interiùs assumuntur: alij verò prædictis linimentis, vnguentis & aliis adduntur pro variis Medici intentionibus.

Pulueres itaque, qui capiti ad varias intentiones aspergi solent, repetere licet ex descriptione frontalium supra propositorum, quorum eadem est materia ac pulueruni: vt etiam qui ventriculo, hepati, lieni, renibus, vtero & similibus admoueri possunt, præmissâ olei cuiusdam inunctione, ex descriptione linimentorum & vnguentorum, vbi illa omnia fusè tractabuntur. Sunt verò quidam, qui

in

in peculiari frequentique vſu Chirurgis eſſe ſolent, vt ad contuſiones parant puluerem ex adſtringentibus, quo pars affecta, oleo roſaceo priùs oblita, ſinapiſatur.

℔ Puluer. myrtillor. q. ſ. Sinapiſetur pars poſt litum. Vel puluer. myrtill. ℥ j. roſar. rubrar. ſiccar. gallarum virid. balauſtior. ana ʒ ij. rad. biſtortæ ʒ j. Fiat omnium puluis vt ſuprà. Puluis ad adſtrictionem vuulæ laxatæ.

℔ Myrobalanor. combuſtor. ʒ ij. ſeminis ſumach, aluminis vſti, ana ʒ ß. piperis longi gran. v. quo contingatur vuula laxata ſæpè cum ſpatula.

Ad incarnandum & ſanguinem ſiſtendum ſolent eiuſmodi circumferre puluerem, ex deſcriptione Ioannis de Vigo.

℔ Aloës, myrrhæ, ana ʒ ij. ſarcocollæ ʒ j. ß. thuris, pollinis farinæ, ana ʒ ij. ſanguinis dracon. terræ lemniæ, ana ʒ ij. ß. tuthiæ, lithargyri, tragacant. ana ʒ ß. Fiat omnium puluis tenuiſſimus. Addunt ad ſiſtendum ſanguinem multi pilos leporis molliſſimos & minutim inciſos. Sunt qui puluere vitrioli ad hæmorrhagias cohibendas nihil præſtantius dicant, quod inſigni adſtringendi vi præditum eſſe nemo dubitat. Solent etiam ad putrium, vſtorum, & corruptorum oſſium deſquamationem multos pulueres conficere. Vt

℔ Corticis rad. panacis, corticis pini, rad. cannar. & ariſtoloch. ana ʒ iij. myrrhæ, agarici vilioris, tartari combuſti, & cineris oſſium, ana ʒ j. Fiat omnium puluis, aſpergendus oſſi corrupto, aut infundendus cum decocto catapultarum. Item vt caro fungoſa & ſuperflua vlceribus accreſcens exedatur, conſuetum eſt aſpergere puluerem aluminis vſti, puluerem mercurij correctum, ſublimatum ipſum in maligno & rebelli vlcere. Alij ita componunt.

℔ Chartæ combuſtæ, plumbi vſti, æris & ſquamæ ferri, ana ʒ iij. ſulphur. viui & arſenici, ana ʒ j. Fiat puluis. Denique cicatricem etiam vlceribus inducunt aſperſo adſtringente puluere, ad quod Empirici maximè crocum ſuum Martis in vlceribus dyſepuloticis valdè commendant: quidam verò ad id puluerem ſic conficiunt.

℔ Corticis mali granati & corticis thuris, ana ʒ iij. æris vſti & loti, ſquamæ eiuſdem lotæ, gallarum viridium, lithargyri, ana ʒ j. Fiat omnium puluis, parti aſpergendus vt inducatur cicatrix; ſic enim denſabitur exterior ſuperficies. Complures eiuſmodi puluerum formulæ excogitari poſſunt. Quia verò præcipuè ad aliorum medicamentorum compoſitionem reuocantur, ideo paucis his erimus contenti, vt ad linimenta & vnguenta accedamus.

CAPVT VII.

De Linimentis & Unguentis.

LINIMENTI, vnguentique differentiam in eo tantum poſitam eſſe exiſtimo, quod illius quam huius multo liquidior ſit conſiſtentia. Nam quod multi voluerunt, linimentum ab vnguento differre, quia linimentum ſine cerâ, vnguentum verò cum cera paretur: aut qua linimentum ſine ignis ope fiat; vnguentum verò vi ignis, non eſt perpetuæ veritatis. Etenim multa vnguenta vtiliſſima, vt vnguent. de plumbo, de ceruſſa, de lithargyro, ægyptiacum & alia abſque vllâ cerâ comparantur: vt etiam ſine igne quæcunque nutriuntur & verſantur diutius in mortario, cum multorum linimentorum compoſitio ignis liquatione egeat; quemadmodum ſequentium exemplorum appoſitione multò illuſtrius euadet. Sunt itaque duæ iſtæ externorum remediorum formulæ craſſioris quam oleum conſiſtentiæ, vt diutius parti adhærere poſſint; liquidioris verò quam cataplaſmata, cerata, & emplaſtra, quæ poſtea deſcribentur. Porro quod ad linimenta attinet, nulla hodie habentur in officinis comparata, tum quia ſub illa forma vix conſeruari poſſunt; tum quia facile eſt ſtatim de nouo ea componere, aut ex ipſis vnguentis vſualibus, conuenienti aliquo oleo diſſolutis, concinnare in rem præſentem.

Eſt autem præcipua linimentorum vnguentorúmque materia ex certis oleis, pulueribus,

Digitized by Google

pulueribus, & cerâ, paucâ quidem ad linimenti confectionem : multa verò ad vnguentum : ita vt vulgò existiment ad ℥ j. olei, necessariam esse ʒ j. pulueris cum ceræ ʒ ij. quò vnguenti conueniens forma introducatur. Est tamen aliquando, vt diximus, quando nulla neque cera, neque oleum ingreditur vnguenti compositionem. Alias verò adduntur adipes, medullæ, seuum, butyrum, styrax liquida, mucilagines, decocta, infusiones, & alia ex plantis, mineralibus & animalibus variè desumpta, ad multiplices Medicorum intentiones perficiendas necessaria, quæ ceræ aut olei quantitatem augere aut minuere solent.

Quoniam verò in officinis multa parata habentur vnguenta : ideo recensenda sunt imprimis, eorumque facultates tum primariæ, tum quæ ad vsus Chirurgicos hodie vulgò reuocantur, annotandæ ; vt possit ex illis velut penu quadam, Medicus instrumenta ad actiones suas statim depromere. Postea verò alia non ita vsualia describemus, prout certis potissimùm partibus & affectibus sunt accommodata.

Calidorum itaque vnguentorum officinalium hæc est series. Vnguentum basilicum maius & minus, resumptiuum, dialthæas cum mediocri calore & humectatione, vnguentum martiatum, aragonium, Agrippæ, & aureum, quæ vulgò quatuor vnguenta calida appellantur : quamuis alij loco aurei ponant dialthæam : vnguentum nicotianum, mundificatiuum de resinâ & de apio, apostolorum, ægyptiacum, enulatum & citrinum, quæ valdè excalfaciunt ac potenter exsiccant. Frigidorum verò vnguentorum officinalium hæc est classis. Vnguentum rosaceum, vnguent. violaceum, quod eadem ratione ac rosaceum ex floribus violæ comparatur ; & populeum, quæ humectationem etiam quandam habent. Vnguentum verò desiccatiuum rubrum, de tuthia, album Rhasis, de bolo, nutritum cum succis & lithargyro, pompholygos & comitissæ maius & minus refrigerant cum exsiccatione. Hæc eadem vnguenta ad vsus Chirurgicos ita reuocantur, vt ad humorum influentium repulsionem & adstrictionem, vnguentum rosaceum & de bolo, vnguentum violatum, nutritum, de tuthia, album Rhasis, desiccatiuum rubrum, diapompholygos, populeum & comitissæ : Ad doloris verò sedationem, si in tumoribus aut aliis affectibus vrgeat ex causâ frigidâ, basilicum, dialthæas, resumptiuum. Si ex calidâ, quæcunque refrigerare à nobis sunt dicta, plus minus pro ratione partis & causæ. Vbi verò resoluendus, digerendusque est tumor, vel humor alicubi contentus, vnguenta illa calidiora à nobis recensita vsurpantur, sub eisdem conditionibus. Rupta autem vomica aut quoduis aliud vlcus sordidum abstergitur, & noua caro generatur vnguento nicotiano, aureo, mundificatiuis de apio, & de resina, apostolorum, & citrino, quod peculiariter faciei sordibus & fœditati detergendis est dicatum. Si vero sordidius & fœtidius fuerit vlcus, ita vt ferè in gangrænam degenerare videatur, tum vnguentum Ægyptiacum ad hoc maximè conueniet. Denique detersо & probe purgato vlcere, si inducenda sit cicatrix, quamuis hoc potius cerato aliquo aut emplastro præstari soleat, quam vnguentis ; si tamen etiam his vti vlsum fuerit, aptari poterit vng. desiccatiuum rubrum, de bolo, album Rhasis, & alia quæ cum frigiditate exsiccant. Ecce quis sit frequentior vnguentorum officinalium vsus, quorum omnium particularem descriptionem ex pharmacopœis repetere licebit, & ex eis nullo negotio linimenta, si ita videatur, ad faciliorem penetrationem aut alias causas comparare, dissoluto conuenienti quodam oleo. Vt etiam facile est ex eorumdem varia permixtione varias implere intentiones, pro ratione indicationum, ex causis, morbis, & partibus desumptarum, quod solertiæ & præsentis Medici iudicio relinquendum est.

Quo autem hoc faciliùs intelligi possit, placet nunc linimenta, vnguentaque ad varias partes, causas & morbos describere, quæ sint paradigmatum instar ad reliqua omnia componenda. Sic ad totius capitis, cerebrique internos externosque affectus varia comparari solent linimenta vnguentaque, vt in dolore capitis quem cephalalgiam vocant, ex humoribus aut vaporibus calidis, tale describi potest.

℞ Succi plantag. & solani, ana ℥ ij. aquæ rosaceæ & vini albi, ana ℥ ß. olei nenuphar. & rosacei, ana ℥ iv. Decoquantur ad liquoris consumptionem. Post adde semin. lactucæ, portulácæ, & coriandri, ana ʒ ij. semin. berberis, santali rubri, granor. kermes, ana ʒ j. cetæ albæ (quæ ad refrigerandum potior est flauâ) q. s. Fiat vnguentum, quo illinatur tepide anterior pars capitis, detonsis prius capillis, addendo aceti parum vnctionis tempore. Atque etiam si volueris vnguent. populeon. ℥ j. In dolore

dolore verò frigido & diuturno, vt cephalæa, clauo, hemicrania, & ſimilibus ita comparetur.

℔ Nucis moſchatæ, garyophyll. cinamomi, & piperis, ana ʒ ij. pyrethri, caſtorei, pulueris ireos Florent. ana ʒ j. moſchi gran. v. olei laurini & rutacei, ana ℥ iv. ceræ flauæ ſiue citrinæ q. ſ. Fiat vnguentum quo inungatur pars dolens, addendo parum aquæ vitæ aut imperialis vnctionis tempore.

Ad affectus verò capitis externos, vt fauos, tineam & manantia vlcera, ex fortiter exſiccantibus & digerentibus cum repellentibus quibuſdam, ſic poteſt deſcribi.

℔ Olei è lucernâ ſordidiore ʒ iij. olei juniperi ℥ ij. nuces integras vſtas & pulueris. num. iiij. myrrhæ, viridis æris, fuliginis furni, ſulphuris viui, vtriuſque hellebori & gallarum, ana ʒ j. auripigmenti & vitrioli, (ſi efficaciſſimum parare velis) ana ʒ ß. argenti viui ſaliuâ ieiuni hominis extincti ℥ ß. Incorporentur omnia cum melle ſcillitico & aceto in formam linimenti aut vnguenti, quo vratur poſt conuenientem purgationem. Ad pilorum verò eductionem in alopecia, ophiaſi, morante barba, & ſimilibus ita fieri poteſt.

℔ Axungiæ vrſi, talpæ, aut cuniculi, ℥ j. ß. axungiæ viperæ ℥ ß. fol. capill. vener. exſiccat. rad. cannæ vſtæ & puluer. veſparum & apum vſtarum, ana ʒ iij. cineris abrotani, ſemin. ſinapi & fol. marrub. ana ʒ j. picis liquidæ & ladani puriſſ. ana ℈ ß. olei lentiſc. ℥ iv. ceræ nigræ q. ſ. Fiat vnguentum, quo inungatur pars poſt conuenientem fotum ex decocto ſiclæ, mercur. caulium rubeor. abrotani, capill. vener. & ſimilium.

Ad oculorum verò, aurium, narium, & oris morbos, ſiquæ vnguenta conuenire poſſint, iam in priore operis iſtius parte fuerunt propoſita. Ad colli vero, pectoris, & thoracis vitia multa inſtitui ſolent, v. g. ad anginam poſt reuulſiones præmiſſas & ſedatam inflammationis vim, vt digeratur ac diſſipetur.

℔ Puluer. nidi hirundinis, ſtercoris canis ieiunio macerati, & ſtercoris columbarum, ana ʒ j. ß. pulueris ireos Flor. chamæmel. ana ʒ ij. olei lilior. ℥ iv. pinguedinis gallinæ ℥ ß. ceræ flauæ q. ſ. Fiat vnguentum vel linimentum, quo inungatur ſæpè tumor. Ad dilatationem vero thoracis, ſputi maturationem, humoris pituitoſi concoctionem, doloris pleuritici & aliorum ſedationem, fiat ſic.

℔ Vnguenti dialthæas & reſumpt. ana ℥ j. butyri recentis aut aquâ ſcabioſæ loti ʒ vj pulueris ireos Flor. ℥ ß. croci ʒ j. olei chamæmel. vel amygdal. dulcium q. ſ. Fiat linimentum quo inungatur pars dolens, addendo, ſi velis, aquæ vitæ parum vnctionis tempore. In exſiccatione & marcore cordis ac thoracis, vt per hecticas febres ac phthiſim, inungi poterit ſequenti.

℔ Olei viol. & amygd. dulcium, ana ℥ iv. flor. viol. & borrag. ſiccor. ac puluer. ana ʒ j. farinæ hordei & ſemin. maluæ, ana ʒ ij. ceræ parum. Fiat vnguentum, in quod infundatur tantum lactis muliebris, quantum combibere poterit.

Ad ventriculi autem affectus plurima comparantur vnguenta, vt ad calfaciendum, iuuandam coctionem, flatus diſſipationem, dolorem colicum & ſimilia.

℔ Succi menthæ & maioranæ, ana ℥ ij. olei de abſinth. nardini, & muſcatellini, ana ℥ iij. vini rubri generoſi ℥ ß. Decoquantur ad liquoris conſumptionem. Poſt adde nucis moſchatæ, garyophyllor. ſpicæ nardi, ſchœnanthos, cinamomi, ana ʒ j. ß. piperis longi, galangæ & cyperi, an. ʒ j. ceræ flauæ q. ſ. Fiat vnguentum. Ad adſtrictionem verò & corroborationem, vt in lienteria, vomitu & aliis.

℔ Olei myrtini & cydonior. ana ℥ ij. olei nucis moſchatæ chymice extracti ʒ ij. roſarum rubrar. coralli rubri, terræ ſigill. boli armeni, acaciæ, hypociſtid. granor. kermes, ana ʒ j cinam. craſſior. ʒ ß. vnguenti comitiſſæ, ſi velis, ℥ ß. ceræ rubræ, quæ valdè adſtrictionem iuuat, q. ſ. Fiat vnguentum, quod etiam in fluxu quouis nimio ventris vſurpari poterit.

Sic ad hepatis refrigerationem aut calfactionem, adſtrictionem & corroborationem fere componi poſſunt, dummodo ſemper ſimus memores in partium principum morbis numquam ita eſſe refrigerandum, vt caloris natiui robur nimiùm deiiciatur, & ſemper aliqua adſtringentia, aut quæ parti familiaritate quadam ſubſtantiæ conueniunt eſſe permiſcenda: ſic ad refrigerandum hepar.

℔ Cerati ſantalini & vnguenti roſacei aqua cichor. lotor. ana ℥ j. ſantal. albi & rubri, ſemin. acetoſ. & lactucæ, ana ʒ j. ceruſſæ ʒ ß. ſpicæ nardi & caphuræ, ana ℈ ß. trochiſcor. de ſpodio gran. v. olei viol. aut nenupharis ℥ iv. ceræ parum. Fiat linimentum

Digitized by Google

mentum quo inungatur regio hepatis cum pauco aceto roſaceo tepide. Ad calfaciendum verò & roborandum iecur iam deſcripta pro ventriculo vnguenta conueniunt.

Splen etiam hoc modo refrigeratur, calefit & corroboratur: quod ſi obſtructione aut ſcirrho, vt illi familiariſſimum eſt, tentetur, propter ſanguinis fæculentioris quem allicit naturam; parentur vnguenta, quæ emolliant, alia verò quæ incidant & attenuent, vel quæ vtrumque ſimul & ſemel præſtare poſſint, inter quæ maximè laudant Arabes vnguentum de arthanita vtrumque. Si velis, ita componatur.

℞ Rad. lilior. & althææ, ana ℥ ij. Decoquantur in olei de capparibus & amygdal. dulcium ſ. q. deinde adde bdellij, opopanacis, ammoniaci in aceto diſſoluti, ana ℥ j. mucilag. ſeminis fœnug. cum vino albo extractæ ℥ j. ſtyracis, myrrhæ, corticis rad. cappar. & tamariſci, ſchœnant. ſemin. apij & portul. ana ʒ j. ſcoriæ ferri ℈ j. terebinth. & propoleos q. ſ. Fiat vnguentum, quo inungatur ſæpius lien tumore vel obſtructione laborans, niſi adſit inflammatio. Ad feruentes & prælidos renes inſtituatur tale vnguentum.

℞ Succi ſolani & hyoſcyami, ana ℥ j. ſucci cucurbitæ & aceti roſati, ana ℥ ß. olei nenuphar. & violat. ana ℥ iv. Decoquantur ad ſuccorum conſumptionem. Poſt adde ſemin. papauer. albi & acetoſæ, ana ʒ ij. trochiſcor. de caphura ʒ j. ceræ albæ q. ſ. Fiat vnguentum quo illinantur frigidè cum aceto, ſuperimponendo poſtea, ſi velis, laminam plumbeam tenuiſſimam, quæ vbi primum incaluerit, remoueatur. Vbi verò renes calculo, muco, aut ſabulo obſeſſi dolore vexantur, & vrinæ meatus occluditur; ex relaxantibus & anodynis fiant inunctiones, vt vnguento reſumptiuo cum pinguedine cuniculi & oleo lilior. Quod ſi in veſicâ tale adſit impedimentum, optimum erit pubis regionem & perinæum ſequenti vnguento delinire.

℞ Succi fœnicul. marini vel apij, raphani, aut creſſonis ℥ ij. olei de ſcorpion. ℥ vj. Bulliant ad ſucci conſumptionem; poſt adde ſemin. petroſel. aſari, ſpicæ celticæ & ſchœnanthos, ana ʒ j. pulueris ſcorpion. ſi haberi poſſit, ʒ ß. axungiæ cuniculi ℥ j. ceræ parum, fiat linimentum ad id præſtantiſſimum.

Teſticulorum morbi eodem modo eiſdem vnguentis perſanantur, qui ſi ſint aquâ referti, digeretur & diſſipabitur, addita illis quæ aquas ducere diximus ex proprietate.

Vterus etiam ex vnguentorum vſu non paruos recipere ſolet fructus, ſiue ſit calfaciendus ſeu refrigerandus, ſiue corroborandus, laxandus & ſimilia. Vt ad iuuandum partum, educendam ſecundinam, dilatandum illius orificium & ſimilia.

℞ Butyri recentis, axungiæ gallinæ, & porci recentium, ana ℥ j. olei lilior. & amygdal. dulc. ana ℥ iij. rad. ariſtol. & ireos Florent. ana ʒ ij. cinamomi tenuioris, aſari, ſtyracis & myrrhæ, ana ʒ j. agarici & colocynth. (ſi validius ſit agendum, aliàs vero omittantur) ana ℈ j. ceræ flauæ q. ſ. Fiat vnguentum, quo illinantur regio pubis, perinæum, lumbi & inguina, præcedente prius conueniente fotu vel ſemicupio. Quod ſi retinendus ſit fœtus aut ſanguis immoderatius fluens; fiat in ſequentem modum.

℞ Succi ſanguinariæ aut porri, ana ℥ j. olei myrtini, lentiſcini, & maſtic. ana ℥ iij. Decoquantur, vt artis eſt, poſt adde boli armeni, acaciæ, hypociſtid. gallar. virid. nucum cupreſſi, balauſtior. alumin. ana ʒ iij. ceræ rubræ vel albæ q. ſ. Fiat vnguentum, quod cbibat aceti & aquæ peculi roſar. quantum fieri poterit dum incaleſcet. Illius loco vſurpatur vnguentum comitiſſæ, vel emplaſtrum pro matrice, diſſolutum oleo maſtichino, & illinitur.

Ad neruorum verò articulorumque affectus frigidos, vt paralyſim, apoplexiam, tremorem, ſtuporem, laſſitudinem & ſimiles comparantur eodem modo linimenta & vnguenta.

℞ Olei de ſpica, de lateribus, vulpini, lumbricorum, de caſtoreo, irini, laurini, rutacei, & ſimilium, vnius vel plurium, ℥ vj. caſtorei, myrrhæ, ſtyracis calamit. benjoini, ana ʒ iij. euphorbij, piperis longi, ſchœnant. ana ʒ j. terebinth. ℥ ij. ceræ flauæ aut propoleos q. ſ. Fiat vnguentum, quo inungantur partes affectæ ad ignem, & diu confricentur, addendo aquam vitæ, aut imperialem pro ditioribus. Ad mulcendum dolorem podagricum initio parant vnguentum ex medullâ caſſiæ recenter extractâ, pauco butyro, croco, & vitello oui vnius.

Ad affectus etiam cutis & externarum partium, vnguentorum multiplex compoſitio

positio fieri solet, vt ad scabiem, lepram, varios tumores, & ambusta; quorum aliquot formulæ sunt describendæ. Primùm igitur ad scabiem vnguentum enulatum cum mercurio & sine eo seruari solet in officinis, quod dissolutum succo limonum vel scabiosæ aut lapathi acuti, addendo pomatæ ℥ ß. sulphuris viui ʒ ij. aptissimum critad incipientem & minus rebellem scabiem. Si velis alia habere;

℞ Sulphuris viui ℥ ß. salis albi ʒ iij. terebinth. aquâ scabiosæ & rosar. lotæ ℥ ij. butyri recentis & pomatæ, ana ℥ j. vitellos ouorum numer. ij. axungiæ porci ℥ iij. ceræ parum. Incorporentur & fiat vnguentum. Si velis validissimum pro leprâ.

℞ Succi fumar. lapath. acut. & chelidon. maior. ana ℥ ij. olei rosacei ℔ j. ß. Bulliant ad succi consumptionem, post adde litharg. ℥ j. ß. cerussæ lotæ ℥ j. tuthiæ ℥ ß. salis communis, sulphuris viui, ana ʒ iij. hellebori vtriusque & sublimati, ana ʒ ß. hydrargyr. succo limon. extincti ℥ ij. olei de tartaro & de vitellis ouorum, ana ℥ j. terebinth. ℥ iv. Misceantur in mortario & diu agitentur. Fiat instar nutriti, quo inungatur post vsum balnei suprà à nobis commemorati.

Ad curationem tumorum non est quod varia huc vnguentorum genera referamus, cum iam à nobis in vnguentis officinalibus sint proposita, & quia nimium excresceret hæc nostra tractatio: Sufficit nunc proponere vnguentum illud, quod ad cancrosorum omnium tumorum represſionem & mitigationem valde commendatur.

℞ Succi solani, scabiosæ, & plantag. ana ℥ iv. omphacij & aquæ rosar. ana ℥ ß. ceruſſæ, tuthiæ, & antimonij lotorum ac præparat. ana ʒ ij. cineris cancror. fluuiatil. ʒ j. Agitentur diu in mortario plumbeo, pistillo plumbeo, donec crassitiem acquirant & in vnguenti consistentiam reducantur.

Ad ambustorum autem curationem vnguentum de calce solent multi in officinis habere paratum, vel sic fiat.

℞ Calcis lotæ cum aquâ plantag. & rosar. ℥ ij. olei rosar. ℔ ß. mucilag. semin. psyllij & cydon. cum aquâ solani extractæ ℥ j. ceræ parum. Fiat linimentum, quo vtendum post sublatas pustulas & inflammationem, ad quod nihil præstantius inueni, quàm corticem sambuci contusum, cepe sub cineribus coctum, vel ipsam aquam ardentem sæpius affusam, quæ contentas in parte scintillas fœliciſſimè elicit. Superest vt pro capitis istius complemento aliquot vnguentorum formulas proponamus, quibus luem veneream curare, aluum expurgare, & vermes in ventre morantes excludere solemus.

Ad luis itaque venereæ curationem Empirici nostri fœliciſſimo admodum successu transtulerunt inunctiones ex hydrargyro, quas superior ætas ad lepræ, elephantiasis & malignæ scabiei curationem vsurpauerat: His enim non solùm deletur exterior fœditas, cutisque maculæ; sed etiam omnis interna impuritas per excitatum sudorem & oris fluxum vacuatur. Talis est vsitatior vnguenti Neapolitani formula.

℞ Pinguedinis gallinæ & butyri recent. ana ℥ j. olei chamæmel. lilio. & laurini, ana ℥ iij. thuris, mastic. myrrhæ, ana ℥ ß. styracis liquidæ ʒ vj. terebinth. lotæ in aquâ vitæ ℥ iv. pingued. porci ℔ j. argenti viui ℥ v. in cuius maiore, & minore dosi, multis modis pro corporum & morbi constitutione varianda, posita est vnguenti efficacia; ceræ q. s. Fiat vnguentum, quo illinantur extremitates corporis, partium internodia, & emunctoria, in hypocausto & loco calido, diu confricando, continuãdo per sex, septem aut plures dies, donec sputatio appareat, bis aut semel in die, purgato prius corpore, & instituto, si fieri possit, decocto guaiaci sudorifico per viginti dies. Quando magis exsiccare volunt, addunt lithargyrum, sulphur, sublimatum & similia. Vbi verò molliendum & laxandum, vt ad exostoses curandas, addunt bdellium, opopanacem & similia.

Solemus etiam ad purgationem ventris in morosioribus pueris, qui neque potiones, neque clysteres admittunt, ventrem circa vmbilicum inungere vnguento de arthanita dicto, cuius non parua est ad aluum ciendam efficacia: vel si mauis, ex felle porcino cum pauco puluere colocynthidos inungatur: aut etiam vnguentum tale componatur.

℞ Rad. bryoniæ, & cucumer. agrest. ana ℥ j. Decoquantur in oleo communi. Colentur & exprimantur. Post adde pulpæ colocynthid. & agarici trochiscat. ana ʒ ij. semin. ebuli & scammonij, ana ʒ j. hellebori nigri & antimonij, ana ℈ j ceræ q. s. Fiat vnguentum pro inunctione vmbilici sæpius iteranda, donec aluus proritetur.

tur. Quod si vermes fugandi enecandique sint, talia esse poterunt in vsu.

℞. Rasuræ cornu cerui, coralli rubri, corallinæ, ana ʒ ij. semin. citri & portul. ana ʒ j. ß. rhabarb. puluer. ʒ ß. olei de absinthio, & myrtini, ana ℥ ij. ceræ parum. Fiat linimentum, quo inungatur venter, si febris & fluxus ventris sint iuncta vermibus. Vbi verò hæc non adsunt;

℞ Farinæ lupinor. ℥ ß. aloës, myrrhæ & semin. contra, ana ʒ ij. olei amygdal. amarar. ℥ iij. petrolei ℥ ß. Incorporentur cum pauco aceto & succo limon. vel cum terebint. & cerâ fiat vnguentum. Mulierculæ nostræ solam aloem dissolutam aceto vel succo limonum apponunt. Ego sæpissimè confect. hieræ picræ cum paucâ theriaca, & oleo de scorpion. dissolui præcipio, superiorique ventris parti ad vermes versus inferiora profugandos inungi non paruo successu. Ad morpiones ex Fallopio tale paratur linimentum.

℞ Pomum vnum aut plura sub cineribus cocta ad putrilaginem. Separetur pulpa, misceatur cum ʒ j. hydrargyri, succo limon. aut saliuâ hominis, extincti, olei lumbricor. parum. Fiat linimentum, quo inungantur partes obsessæ. Atque hæc de linimentis & vnguentis pro instituto nostro sufficiant.

CAPVT VIII.

De cataplasmatis, pultibus, sinapismis & vesicatoriis.

CATAPLASMATVM ac pulticularum natura siue consistentia succedit, ordine quodam medio inter vnguenta ac emplastra. Quæ non solent in officinis parata seruari, vt illa; sed quotidie in rem præsentem comparantur, & plerumque fotus subsequi solent, quoniam ex residentia eiusdem coctionis pistata & cribrata, additisque aliis rebus necessariis vt plurimũ comparantur. Est autem illud inter cataplasma & pultem discriminis, quod cataplasma ex pluribus rebus, vt diximus, fieri solet; pultes autem ex farinis, liquore quodam conueniente exceptis & coctis, quæ ideo cataplasmatis præmittendæ, quia simpliciores sunt illis, & sæpè eorum compositionem ingrediuntur.

Pultes igitur exteriùs admouentur tum ad interiorum partium, tum exteriorum affectuum curationem, quorum diuersitas ex variis facultatibus quæ in farinis insunt, dependet: sic ad fluxum ventris componi potest pulticula ex farina oryzæ & lentium, in succo plantaginis aut symphyti, addendo parum olei myrtini & aceti rosacei, decocta. Ad vermes verò enecandos & deturbandos, ex farinâ lupinorum cocta aut subacta cum succo limonum, tanaceti vel matricariæ, addendo parum olei de absinthio. Quod eodem modo fiat in aliis affectibus. In externis verò comparantur pultes, vt ad maturationem tumoris in abscessum degenerantis, laudauit Galenus maximè tetrapharmacum sub forma pultis, quod ex farinâ triticeâ in aquâ communi & decocta, conficitur. Cui, si volueris, addes parum axungiæ porci, butyri, vitellos ouorum, & parum salis, quando rumpenda est vomica. Si mulcendus sit dolor, loco aquæ communis fiat leuis decoctio in lacte caprillo aut vaccino. Si velis digerere, & resoluere, farina hordei, lentium & fœnugræci in decocto resoluente supra descripto bulliat, addendo axungiæ gallinæ & anatis, ana ℥ j. olei chamæm. ʒ ij. Fiat pulticula. Denique si fuerit propositum incidere & attenuare potentius, eædem farinæ cum oxymelite decoquantur. Si verò cupias ad detersionem comparare pultem, farina fabarum cum hydromelite conficiatur in prædictum modum sine oleis aut pinguedine, quæ detersioni officere solent suo lentore & crassitie. Atque hæc de pultibus.

Vt verò cataplasmatum descriptiones faciliùs intelligantur, reuocanda est in memoriam fotuum synopsis à nobis priore huius secundæ partis capite proposita, ex quorum residentia pistata & cribrata, additis farinis, pane, oleis, axungiis, medullis, pulueribus & similibus aliis varia cataplasmatum genera concinnari solent. Nos aliquot formulas exempli gratiâ in medium adferemus. Primò igitur ad doloris sedationem plurima comparantur cataplasmata, tum ex verè anodynis, tum ex refrigerantibus & stupefacientibus. Vt

℞ Rad.

℞ Rad. althææ & liliorum, ana ℥ ij. maluar. viol. brancæ vrſinæ, pariet. ana M. j. flor. chamæmel. melil. & furfuris, ana P. j. Fiat decoctio in lacte caprillo, aut iuſculo pingui. Contundantur omnia & colentur per cribrum. Poſt miſceantur cum prædicto lacte aut iure, addendo farinæ ſeminis lini & hordei, ana ℥ ij. axungiæ porci & butyri, ana ℥ j. olei chamæmel. ℥ iv. vitellos ouor. numer. ij. croci parum. Fiat cataplaſma ſæpius renouandum. Facilius autem comparatur ſic.

℞ Medullæ panis albiſſimi ℔ j. Maceretur in ℔ ij. lactis caprilli, & teratur. Poſtea adde vitellos ouor. numer. iij. croci ʒ j. Leuiter coquantur. Fiat cataplaſma vt ſupra. Ad dolores oculorum etiam ſic inſtituuntur.

℞ Pomor. putrium aut decoctor. ℥ iij. Diſſoluantur cum lacte muliebri, addendo parum croci. Fiat cataplaſma abſque vllo oleo, quod eſt inimiciſſimum oculis. Si dolor ita fuerit atrox, vt cogat nos vti narcoticis, potes admiſcere ſuperioribus cataplaſmatis opij puluerat. ʒ j. plus minus. Aut, ſi mauis, ex herbis ita fiat.

℞ Fol. ſolani, hyoſcyami & plantag. ana M. j. flor. papauer. vtriuſque, ana P. ij. ſemin. lini & maluæ, ana ʒ iij. Decoquantur, contundantur, & cribrentur. Deinde adde micæ panis albi in lacte infuſi ℔ ß. olei nenuphar. & viol. ana ℥ ij. Fiat cataplaſma ad prædictos vſus. Sic præſcribentur cataplaſmata emollientia, adſtringentia, ſuppurãtia, diſcutientia, & abſtergentia, ad omne genus tumorum tam internarum quam externarum partium, quorum formulæ ex materia medica & paradigmatis iam præmiſſis ſatis percipi poſſunt; inter quæ lubet adhuc referre celebre illud cataplaſma *de Arnogloſſo*, quod Practici omnes noſtri falsò & magno errore inter emplaſtra annumerare ſolent, cuius talis eſt deſcriptio.

℞ Folior. arnogloſſi ſeu plantag. maior. panis ſyncomiſti, id eſt à furfure non purgati, & lentium, ana æquales partes. Decoquantur in aquâ. Poſtea piſtentur & colentur, addendo, ſi velis, parum olei roſacei, ne tam pertinaciter parti adhæreat. Fiat cataplaſma ad carbunculos vbique probatiſſimũ: cuius loco laudat Auicen. illud quod ex duobus granatis integris, dulci & acido, decoctis & contuſis comparatur. Eſt etiam aliud cataplaſma vulgatiſſimum ad fluxus ventris ſiſtendos, quod *de cruſta panis* nuncupatur, & Bartholomæo Montagnanæ adſcribitur.

℞ Cruſtæ panis ℥ ij Comburatur ſupra carbones ardentes, extinguatur ac macereturaceto: deinde adde maſtiches, menthæ, ſpodij, coralli rubri, ſantali albi & rubri, ana ʒ j. farinæ hordei ℥ ß. olei maſtic. & cydon. ana ℥ j. Fiat cataplaſma ad vſus ſuprà dictos idoneum. Reliqua ex variis therapeuticorum libris repetantur.

Quia verò phœnigmorum, ſinapiſmorum & veſicatoriorum formulæ ſub cataplaſmatis conſiſtentia fere præſcribi ſolent, & magni ſunt in Medicina vſus, ad calfaciendas partes, euocandos & diſſipandos humores, auferendas maculas & ſimilia, ideo aliquot etiam illorum deſcriptiones proponamus. Sinapiſmus itaque veterum, vt apud Aëtium videre eſt, ex caricis ſeu ficubus ſiccis & ſemine ſinapi cõponebatur. Caricæ in aquâ tepidâ dĩu macerabantur; ſemen ſinapi eodem modo conterebatur, affundendo parum decocti prædictarum caricarum: deinde quando valentiſſimum phœnignum conficere volebant, duas partes ſinapi contuſi cum vna caricarum permiſcebant: ſi mediocre, pares vtriuſque portiones: ſi infirmum, duas portiones ficuum cum vna ſinapi conficiebant, & parti propoſitæ admouebant. Hodie ex quibuſuis calfacientibus in quarto gradu paratur. Vt

℞ Stercoris caprilli & columbini, ana ℥ ß. ſulphur. viui, piperis & ſemin. viticis, ana ʒ ij. euphorbij ʒ ß. Excipiantur axungia porci, & ſimul miſceantur. Vſitatiſſimum eſt veſicatorium ſequens.

℞ Fermenti acrioris ℔ ß. ſemin. ſinap. piper. longi, & pyrethri, ana ℥ ß cantharid. præparat. & puluer. ʒ iij Conficiantur cum oxymelite aut aquâ vitæ inſtar cataplaſmatis, quod applicetur parti, & tamdiu ſinatur donec veſiculæ ſint excitatæ: tunc remoueatur, & diſſectis puſtulis applicentur folia caulium aut hederæ Et ſinantur diu fluere. Vſitatum eſt etiam hodie emplaſtrum veſicatorium, quod ad dentium dolorem ſub pinna aurium inferiorum applicari ſolet. Denique variis modis hæc medicamenta concinnari poſſunt. Nobis autem ſatis ſit hæc propoſuiſſe in ſtudioſorum commoda.

CAPVT IX. & vltimum.

De ceratis & emplastris.

CERATA & emplastra solidissimæ sunt externorum remediorum formulæ; distinguuntur tamen, quòd emplastrum multò sit solidius cerato; quemadmodum de linimentis & vnguentis dicebamus; ita vt ceratum nihil sit aliud quàm emplastrum mollius, vel ita primò comparatum, vel in rem præsentem ex emplastro vno vel pluribus ad institutum facientibus, conueniente oleo malaxatis & emollitis confectum. Seruantur autem ceratorum & emplastrorum in officinis varia genera, tum vt statim sint parata: non enim quouis tempore aut loco, nec non sine diuturnâ morâ comparari possunt: tum vt temporis tractu fermententur, & quæcunque in eis continentur, melius permisceri possint. Est enim horum varia materia ex animalibus, plantis, mineralibus, infusionibus, decoctis, mucilaginibus & aliis, quæ in sequentibus facilè videbuntur; si prius recensuerimus cerata illa & emplastra vulgatiora, quæ in officinis habentur, eorumque vsus & facultates annotauerimus.

Quod igitur ad cerata officinalia attinet, tria vulgò haberi solent, ceratum scilicet album Galeni, & ceratum santalinum, refrigerantia: ceratum verò stomachicum, calfaciens & roborans. Emplastrorum autem numerosior est cohors in pharmacopolio, quorum hæc sunt vsitatiora: emplastrum de cerussa, de minio Ioannis de Vigo, & diaphœnicum, ad refrigerandum. Emplastrum verò de baccis lauri, de meliloto, emplastrum pro stomacho, & de sulphure, ad calfaciendum. Sic etiam ad adstringendum, repellendum & roborandum habentur emplastrum de pelle arietina, de mastiche, contra rupturam, & pro matrice: Ad emolliendum verò, suppurandum & resoluendum, emplastrum diachylon commune, diachylon magnum, diachylon ireatum, diachylon cum gummis, de mucilaginibus, filij Zachariæ, triapharmacum, ceroneum & oxycroceum. Ad abstergendum autem & glutinandum emplastrum de ianuâ siue de betonicâ, quod potissimùm vulneribus capitis est accommodatum; emplastrum gratia Dei dictum, & diuinum. Ad cicatricem verò inducendam omnia adstringentia dicta, & præcipuè emplastrum diachalciteos seu diapalma. Denique ad tumores ex lue venereâ contractos habetur efficacissimum emplastrum de Vigo siue de Ranis, quod multi, loco prædictæ inunctionis, præcipuis corporis partibus, potissimum dolentibus, admouent, post excitatum & deterfum sudorem. Hæc sunt igitur emplastra officinalia ad varios vsus, ex quibus oleo quodam malaxatis, vt iam diximus, fiunt molliora cerata, quæ partem minus opprimunt & grauant. Solent etiam recentiores ex eisdem emplastris liquatis, vel aliis eodem modo comparatis certam remedij formulam componere, quam sparadrapum seu telam Gualteri vulgò vocant. Immergitur enim in prædicta emplastra liquata pannus lineus aut laneus detritus, donec magnam illius copiam ebiberit, læuigatur conuenienter & parti aptatur melius quam emplastrum, diutius etiam conseruatur.

Supereſt igitur vt emplastrorum aliquot descriptiones subnectamus, quibus eorum conficiendi modus innotescat: vt ad molliendas, soluendasque veteres obstructiones & scirrhos.

℞ Rad. maluæ & cucumer. agrest. ana ℥ iij. fol. chamæpit. scolopend. & capill. veneris, ana M. ß. Decoquantur in æquis partibus olei antiquioris & vini albi. In parte huius decocti coquātur lithargyri ℥ iv. deinde dissolue picis, colophoniæ, pingued. porci, ana ℥ ij. galbani, ammoniaci, opopanacis aceto scillitico dissolutorum, ana ℥ ß. myrrhæ & iridis, ana ℥ ß. terebint. & ceræ q. s. Fiat emplastrum secundum artem. Reducatur in magdalea, & seruetur vsui. Sic ad compescendum vomitum, fluxum ventris, aut alium quemuis immodicum.

℞ Miuæ cydon. & mucilaginis gummi tragac. cum aceto & aquâ plantag. extractæ, ana ℥ ij. corticis mali granati, gallarum, balaustiorum, aluminis, ana ℥ ß. acaciæ, sanguinis dracon. myrtillor. corticis myrobal. chebul. boli armeni, ana ʒ ij. nucis moschatæ & cinamomi crassioris, ana ʒ ß. ceræ q. s. Fiat emplastrum. Duo

commendan

commendantur à Galeno & Argenterio vnguenta, quæ barbara dicuntur, ad omnia recentia vulnera, morsus & cætera inflammata. Mihi placet talis descriptio.

℞ Lithargyri & cerussæ, ana ℥ ij. thuris, aloës, myrrhæ, ana ℥ j. viridis æris & aluminis, ana ℥ ß. opopanacis & galbani, ana ʒ vj. picis naualis, ceræ, resinæ pini & bituminis, ana ℔ ß. olei hypericon ℥ iv. opij ʒ ij. terebint. & ceræ q. s. Fiat emplastrum secundum artem. Eodem modo proponit Galenus emplastrum ex dictamno ad quemlibet ictum vel morsum virulentum, extrahenda tela, neruorum præcisiones, & corrigenda maligna vlcera. Vt etiam alia multa emplastrorum genera vbique habentur, & componi possunt, necessarium non est hic accuratius percurrere. Si quis autem cupiat cõficiendi emplastra modum exacte tenere, consulat pharmacopœorum libros & potissimùm officinas, in quibus facilius multò percipiet, qnomodo tam varia rerum genera, tam appositè in hanc formam & veluti nouum corpus concinnentur, quam ex vllis præceptis aut librorum lectione. Nobis autem iam est receptui canendum, & finis huic tractationi remediorum externorum imponendus, vt ad particularium morborum curationem, his præmissis vniuersalibus, indicationum scilicet tractatione, remediis internis & externis methodicè progrediamur.

IOANNIS

Digitized by Google

IOANNIS VARANDÆI,

TRACTATVS THERAPEVTICVS,

DE AFFECTIBVS VENTRICVLI & inteſtinorum.

TRÆFATIO ET OPERIS DIVISIO.

EXORDIMVR tractationem noſtram medicam therapeuticam ab affectibus partium Ventris inferioris, Naturæ ordinem ſequentes & neceſſitatis: Natura enim generationi animantium & conſeruationi intenta, coctiones præcipuas & primarias in abdominis officina inſtituit, quæ deinceps materiam idoneam totius corporis nutritioni ſuppeditent: vnde excrementa etiam varia neceſſariò aſſurgunt, & in hiſce partibus ſtabulantur; aut ab his ad alias amandantur, quæ ſunt frequentiſſima morborum, cauſarumque morbificarum exordia. In hoc denique inferiore ventre, aut per hunc omnes fere humorum naturæ limites egreſſorum alterationes, præparationes, concoctiones, & expurgationes celebrantur, vnde neceſſitatis ratio manifeſtè apparet. Cùm igitur auſpicanda ſit noſtra tractatio ab affectibus partium ventris inferioris: Illæ verò, contentæ ſcilicet & interiores (nam de continentibus ſeu externis non eſt propoſitum nunc agere) in tres veluti claſſes ſint diſtinctæ, nos etiam totidem tractationibus peculiares illarum affectus & curationes explicabimus. In primâ enim agemus de morbis partium ad primam coctionem facientium, ventriculi ſcilicet & inteſtinorum. In ſecundâ earum quæ ad ſecundam coctionem pertinent, hepatis nimirum, lienis, renum, & veſicæ. In tertiâ denique de morbis qui accidunt membris generationis virorum: quoniam affectus mulierum peculiari tractatu olim perſequuti ſumus. Sub his autem intelligere oportet morbos œſophagi, venæ portæ, & cauæ, veſiculæ fellæ, pancreatis, & totius meſenterij, ureterum & ſimilium ibidem contentarum particularum, quarum affectus vix habent ſenſibiles notas, quibus diſtinguantur à reliquis, nec diſſimilem à commemoratis therapeiam.

Κοιλίαν itaque ſeu γαστέρα apud Hippocr. & Galen. multa ſignificare certum eſt, vt apud Latinos, ventrem. Aliquando enim tam late patet κοιλίας ſignificatio apud Hippocr. quaſi ἀπὸ τῦ κοίλυ, vt apud nos cauitatis, quæcunque illa ſit & vbicunque reperiatur, vt in ipſis muſculorum interſtitiis. Aliàs contrahitur ad duas inſignes corporis noſtri capacitates, thoracem, ſcilicet & abdomẽ, additâ diſtinctione τῆς ἄνω κοιλίης & τῆς κάτω κοιλίης. Aliàs ſolum ventrem inferiorem, totam ſcilicet aluum deſignat, & metonymicῶς pro illius recremento vſurpatur, quarto epidem. *ὕρησις & κοιλίη μετρίως ἀχρόων, vrina & aluus modice erant decoloratæ. Denique per ventrem ſeu ventriculum vulgò primariam illam corporis noſtri cauitatem & chyloſeos officinam intelligimus, cuius etiam functiones apud Hippocr.* lib. de humoribus, *eleganti cum terrâ comparatione declarantur.*

Huius itaque κοιλίας ſiue ventriculi (cuius ſubſtantia, temperies, figura, ſitus, compoſitio, & connexus omnibus ex anatome notiſſima ſunt) duæ ſunt præcipuæ partes, ſuperior quam ſtomachum vocant, & inferior quæ fundum appellatur. Quamuis enim ſtomachus

Digitized by Google

ſtomachus apud Græcos & Latinos multa ſignificet, vt apud Plinium libro vndecimo, cap. trigeſimo ſeptimo; *& Ciceronem* libro octauo de naturâ deorum. *œſephagi principium ad fauces poſitum circa pharyngem; apud Celſum* lib. 4. cap. 1. *ventriculi inferiorem partem, vbi eſt pylorus, quando ſtomachum inteſtinorum principium facit: apud Hipp. denotat cuiuſuis partis cauitatem habentis, vt vteri vel veſicæ orificium: tamen κατὰ τὸ συνθὲς, ex recepto more, vt ait Gal. 4.* de cauſis pulſuum, *dicitur ſuperior illa pars ventriculi œſophago definenti proximè, in qua fibræ multæ circulares, & neruorum ſextæ coniugationis contextus oſculum illud coarctantes cernuntur.*

Quæ ideò fuere præmiſſa, vt deinceps ventriculi affectus explicandos commodiùs perquirere poſſimus ex conſueta nobis methodo, quæ procedit per ſymptomatum, vnicuique parti accidentium, artificioſam collectionem. Certum enim eſt ventriculum chyloſeos officinã & primarium alimenti quaſi promptuarium, illud priùs appetere, non ſolùm naturali impetu & ὀρέξει, vt vocant; ſed etiam animali, per modum ſenſus tactus, ad totius corporis commodum illi à naturâ indito: deinde alimentum ita appetitum & attractum retinere vt concoquat; concoctum verò propellere in inteſtina reſerato inferiori orificio, vt ſit obiectum conueniens & futura ſecundæ concoctionis materia. Has igitur actiones, vbi ventriculus à naturali conſtitutione receſſerit, peruerti, labefactarique neceſſe eſt: ita vt non fiant, vel imminutè tantùm aut deprauatè.

Appetentia itaque animalis, quæ duplex eſt, ad cibum ſcilicet & potum, atque in ventriculi ſtomacho ſedem ſuam collocauit, proſternitur omninò, aut imminuitur per ἀνορεξίας & ἀποσιτίας: deprauatur per picas & malacias, caninas appetentias, βουλίμους & ſitim immodicam. Concoctrix autem aboletur, imminuitur, deprauatur per apepſias, dyſpepſias, βραδυπεψίας, ructus nidoroſos, flatuſque ibidem genitos. Retentrix denique & expultrix male ſe habent per ſingultus, nauſeas, vomitus, choleras, & lienterias. Atque etiam, cùm ventriculi corpus, neruoſâ potiſſimùm membranoſaque ſubſtantiâ ſit præditum, fit vt ſæpiſſimè acerrimis torqueatur doloribus, quorum eos qui ſtomachum magis afficiunt, cardiogmos & cardialgias vocarunt veteres: qui verò cauitatem ipſam, πυλωρὸν dicuntur.

Atque hæc ſunt omnia ſymptomata quibus exerceri poteſt ventriculus, quorum nos explicandorum curandorumque prouinciam ita ſuſcipiemus, vt à communiſſimo omnium moleſtiſſimóque ſymptomate, dolore ſcilicet, exordium ſumentes, deinceps ad appetentiæ vitia, poſt ad coctionem violatam, demùm ad retentricis, expultriciſque læſiones accedamus. Sub quorum ſymptomatum explicationem ita omnium morborum, à quibus illa fiunt, cauſarumque naturam & differentias reuocabimus, vt nihil defuturum ſperemus, quod ad perfectam omnium affectuum huic parti contingentium, therapeiam pertinebit.

Digitized by Google

TRACTATVS THERAPEVTICVS DE AFFECTIBVS VENTRICVLI.

CAPVT PRIMVM.

De Cardiogmo, Cardialgia seu Cardiaca passione, & ventriculi περιωδυνία.

REVVS author antiquissimus *lib.* 1. *cap.* 11. τὸ στόμα τῆς καρδίας ventriculi os vult προκαρδίον, quasi dicas, antecordium, & καρδίαν appellari, doloresque ibi orientes καρδιαλγίας ἢ καρδιαγμούς, quod Galenus innumeris propemodum locis, sed potissimùm 2. *de decretis Hipp. & Platon.* collectis etiam ex Homero, Nicandro, & Thucydide exemplis confirmauit. Idem voluit Aurelianus, Aëtius, & Aretæus, qui morbum hunc viris eruditis familiarem esse annotauit, ob immensas lucubrationes & vigilias, exquisitioremque sensum quo solent esse præditi. Quod ad Hippocratem spectat, eadem ratione hunc affectum variis donauit nominibus, vt in prorrhet. καρδίης πόνον: in Coacis καρδίης ἄλγεμα: in prognosticis καρδιαγμὸν: in epid. καρδιάσσαν dixit de muliere quadam, quæ ex dolore oris ventriculi in febre cruciabatur, & passim καρδιαλγικὰς vocat eos qui huic affectui sunt obnoxij. Mirus tamen est apud illum contextus *lib.* 4. *de morbis.* *Vbi*, inquit, *copiosior est bilis dolet hepar.* ὅπερ οἱ παῖδες καρδίην καλέουσιν, & paulò pòst: *in folliculo fellis locus est maximè familiaris bili, secundum naturam, & ob id in illo γίνεται νοῦσος ἡ καρδιαγμὸν οἱ ἄνθρωποι καλέουσιν.* Ex quibus verbis diceres Hippocratem nominis istius rationem aliò transferre, & affectum hunc hepati aut vesiculæ felleæ potius quam ventriculo adscribere. Verum, si mentem Hippocratis paulò attentiùs explorare lubeat, videbis illum eo loci, potius designare partem quæ morbi causam continet, quàm propriam istius affectus sedem; vt ex sequentibus verbis luculenter apparet: *Collecta igitur*, addit, *veteri bile in hoc folliculo, transit ob multitudinem in ventriculum, & dolores illi ac tormina infert.* Vnde colligere licet, tria hæc nomina maioris tantum, minorisque ratione distincta esse; ita vt quiuis dolor sensum afficiens orificij istius, generaliter καρδιαλγία dicatur; qui si paulò atrocior sit cum punctura, morsu, & anxietate καρδιαγμὸς: si verò coniuncta sit syncope aut lipothymia καρδιακὸν πάθος; Practicis nostris cardiaca passio appelletur.

Quod ad essentiam autem illius attinet, dicimus esse symptoma, deprauati in orificio ventriculi sensus tactus, ab eis quæ intemperiem subitam aut solutionem continui inferre valent, cum imbecillitate, morsu, iactatione, & aliquando syncope vel lipothymia. Dicitur esse symptoma, quia morbum immediatè sequitur, estque species actionis læsæ, quia dolor fit ab obiectis improportionatis violantibus & deprauantibus ipsum sensorium, introducta intemperie, & vnitate partium dissolura, in quibus præcipuum est vitæ nostræ fundamentum.

Varia autem sunt obiecta dolorifica, à quibus sensus iste deprauatus in stomacho producitur. Vigiliæ quidem, ieiunium, mœror, ira, & similes causæ externæ, aliquando in valde dispositis cardialgiam excitare possunt; vt etiam aëris frigidioris inspiratus, qualem experiuntur illi, qui per Alpinas niues iter faciunt: potus aquæ gelidæ, adstringendo nimium os ventriculi: vel æstus ingens, confertim dissoluendo & exsiccando. Verum nos inquirimus hic non leues illas & fugaces dispositiones, quæ nihil habent facti, remotisque causis suis procatarcticis citò euanescunt: sed eas quæ iam firmiores sunt; & propter causarum vehementiam aut diuturniorem actionem, habitum quendam ad morbi generationem necessarium contraxerunt. Dicamus igitur externa omnia, quæ propriâ suâ vi ventriculi membranas dissecare, exasperare, aut exulcerare possunt, vel humorum corruptelam ibi facere, vel aliunde excremen

excrementa deducere, esse aptissima ad affectum hunc generandum. Qualia sunt superius commemorata, si diutius vires suas in partem istam exerceant, aut internas causas commoueant, vt aër venenatus & pestilens: gladiorum ictus & vulnera eò penetrantia, deuorata spina, aut osticulum, puluis ex vitro aut adamante confectus: assumpta septica aut caustica, vt arsenicum, sublimatum, cantharides, euphorbium, & cætera venena: medicamentaque deleteria, aut male electa vel præparata,vt colocynthis malè trita: Item cibi putres & corrupti,vt ex fungis, tuberibus, vitiato tritico,& similibus,quæ aduersantur nobis qualitatibus suis manifestis vel occultis.

Interna eodem modo id præstant, quæcunque rodendo vellicandoque membrum istud exquisiti sensus percellunt, vt lumbrici superiora quandoque inuadentes & stomachum lancinantes: vnde Hippocr. *in Coacis* à cardialgia cum ventris torminibus, prorumpunt sursum feræ. i.lumbrici per os reiiciuntur: item distendendo, diuellendoque, vt flatuum copia, in spatio illo, aut intra ipsas ventriculi tunicas collecta: mordicando autem & exulcerando,vt tetri, virulenti,ac venenati vapores aut succi, quorum generationem in nobis ab vstione aut putrilagine admittit Gal. *lib.5. de locis affectis*. Sic atra bilis, pituita putris aut salsa, corrupti ichores sanguinis ex retentis menstruis aut hæmorrhoidibus, bilis æruginosa, pus amurcosum & fœtidum ex disruptâ hepatis aut thoracis vomicâ in ventriculi cauitatem effusum. Denique quiuis humor calidior & acrior ibi collectus aut aliunde effusus, vt salsus vel acidus catarrhus, bilis ex feruidiore hepate aut vesicula defluens & regurgitans, hunc affectum cardialgicum inducere possunt. Qui humores aliquando sunt vagi & dispersi, aliquando fixi & in tumorem præter naturam systrophicè collecti, vt in phlegmonosis aut erysipelatosis constitutionibus, quæ ventriculi substantiam occupantes, magnos inferunt cruciatus inflammando & diuellendo.

Itaque quatuor potissimum agnoscimus causas quasi continentes istius καρδιαλγίας, nempe lumbricos, flatus, exulcerationes & humorum vitia, siue sint vagi, seu collecti in tumores præter naturam,inflammationis participes. Quorum omnium rursus suæ sunt causæ variæ & multiplices,ex censu rerum naturalium, non naturalium & præter naturam repetendæ.

Signa ergo deinceps diagnostica sedis affectæ,affectus & causarum breuiter enumeremus. Partem autem in hoc affectu præcipuè affectam esse dicebamus ventriculi orificium, quod indicabunt situs doloris sub mucronatâ cartilagine & versus duodecimam dorsi vertebram positus. Quamuis enim velint Anatomici superius ventriculi orificium magis in sinistram partem propendere, & spinæ quam thoraci propinquiorem esse: attamen propter neruos illos supradictos & ipsius œsophagi continuitatẽ,& diaphragmatis supra xiphoidem positi viciniam, fitvt doloris isti us perceptio potius ibi contingat,quam in sinistro latere.Adde quod materia efficiens cardialgiam, vt plurimùm à fundo quod huic cartilagini suppositum est, commouetur, priusquam in orificium irrumpat. Doloris etiam proprietas idem ostendit, qui pungens & vellicans existit, qualis contingere solet corporibus neruosis & membranosis. Excreta idem declarabunt & excernendi modus, si verbi gratia post sensum punctionis aut rosionis excitetur vomitio putris cuiusdam aut virulentæ materiæ: vel lumbricus aliquis sursum ad os vsque erumpat: si flatus aut ructus quidam excludatur, qui dolorem istum mitiget: aut certè ista per aluum excernantur, priùs inuadente cardiogmo. Propria verò sunt quædam accidentia, quibus affectam esse hanc partem deprehenditur, vt angor seu anxietas cum sensibili morsu, atque etiam aliquando tremore & palpitatione ventriculi, iactatio frequens,etiam in lecto & extra lectum,dum non possunt aliquam sustinere corporis figuram sine molestiâ: quâ diutius perseuerante exoritur sudor quidam vi doloris expressus, tandemque syncope vel lipothymia, rapto in consensum corde: cuius summa est cum ventriculo sympathia, non ob viciniam, generis vel operis societatem, vt quidam dixerunt; sed materiæ spirituosæ quamdam priuationem, quæ per istos dolores maximè dissipatur cum ipso calore influente. In aliis per istas cardialgias (id in meipso expertus sum) cerebrum ob vasorum communionem & rectitudinem vaporum qui inde eleuantur, magis compatitur;vnde καρηβαρίας, cephalalgicos aut hemicranicos simul dolores patiuntur; vel etiam aliquando vertigines, & epilepsias, vt sæpè obseruauimus.

Verum quemadmodum huic parti reliquæ compatiuntur, sic etiam illius *idio-*

Digitized by Google

πάθεσις à ſympatheia ſecernere oportet : nam ſæpè fieri poteſt, vt inflammatum iecur, muſculi epigaſtrij, aut colon inteſtinum, lien ſaburrâ humoris maligni refertus, & ſimiles meſenterij partes rapiant orificium ventriculi in conſenſum ; quod erit diligenter explorandum, ne fruſtrà laboremus circa ventriculi curationem, quando tota ab alio affectu primario pendet. Id autem innoteſcit ex ſignis aliarum partium patientium ; quæ v. g. cardiogmon hunc præceſſerunt, & cum quibus augetur vel minuitur, prout primarij iſti affectus intenduntur aut remittuntur.

Atque ex his pars affecta deprehenditur : quis verò ſit in illâ affectus, & quæ cauſæ illum excitarunt, oportet explorare. Nos enim prius quatuor proximas & præcipuas agnoſcebamus, lumbricos ſcilicet, flatus, vlcerationes & humores inflammantes aut tumorem facientes. Quod ad lumbricorum ſigna & cauſas attinet, illa ex proprio ſuo loco & tractatione repetenda : Addidit tamen τεκμήριον huius affectus Hippocrates citato prius Coacarum prænotionum libro στρόφος .i. ventris tormina & cruciatus,quos ſtatim conſequitur καρδιωγμὸς ; illiſque ceſſantibus ſedatur, aut lumbricis prorumpentibus ſurſum vel deorſum.

Eadem ratione ſigna diſtendentis vel diuellentis flatus erunt repetenda ex deſtinato huic rei capite, vel colicæ tractatu : magna tamen erit coniectura cardialgiam à flatu concitari, quando ægri non tam humoris alicuius expulſione, quam mictu frequenti leuantur,quem rugitus inſignes & borborygmi præceſſerunt.

Exulceratio autem agnoſcitur inducta à rebus externis, vt cauſticis, ſepticis & ſimilibus deleteriis aſſumptis, per propriam ægri aut adſtantium relationem : item ex ſubitâ & vehementi actione illorum quæ inſignem eroſionem breui & nullâ aliâ diſpoſitione morboſâ præcedente inducere valent : tum etiam ex propriis cuiuſque rei venenatæ ſignis,quæ apud Dioſcoridem & alios habentur. Quod ſi ab internâ causâ, vt acribus & erodentibus ſuccis pendeat iſta ἕλκωσις, tardius multò producitur : ſub cuius generationem ſentitur perpetuus & quaſi formicans morſus, qui ſenſim augetur, & vires acquirit eundo : excernit ſæpè per vomitum, huius materiæ portiunculam cum maximo leuamine : tandem progreſſu temporis aucta διαβρώσει excludunt etiam pelliculas aut cruſtulas ex ſubſtantiâ ipſius ventriculi deraſas, necnon aliquando ſanguinis nigricantis guttas aliquot, ob tenuitatem paucitatemque venarum, quæ internæ ventriculi tunicæ ex venâ portæ implantantur. Quoties autem aliquid acre, acidum aut ſalſum ſumunt,exaſperatur dolor & maior ſentitur illa eroſio.

Signa denique quæ phlogoſim & mordicationem ſine tumore præter naturam aut vlcere, atteſtantur, à ſolis humoribus in ventriculum confluentibus, aut ibidem congeſtis, deſumuntur à cauſis generantibus illos, vel effectis conſequentibus. Temperamentum verbi gratia bilioſum aut σηπεδονώδης, hepatis & viſcerum κακοπραγία, ætas puerilis ob voracitatem, iuuenilis ob feruorem, illorum generationi maximè fauent. Quod ſi æger in regione calidâ humidâque, aëre feruente aut auſtrino,vel regnante peſtilenti & contagioſâ labe manſerit. Item alimentis calidioribus, corruptis, aut putredini obnoxiis fuerit vſus, idque copioſius & intempeſtiuè : vel etiam ieiunio, laboribus immenſis, vigiliis & lucubrationibus, curis,mœrore & irâ ſe ſe excruciarit : conſueta quædam & naturalis vacuatio, vt vomitus bilioſi, menſtruorum aut hæmorrhoidum ſuppreſſa ſit : ſolita κάθαρσις per medicamenta purgantia iam dudum neglecta fuerit. Hæc omnia ſuperioribus maximam fidem facient. Quemadmodum ſi res quædam præter naturam notiſſimæ anteceſſerint, aut affectum iſtum quaſi comitentur, vt ſalſioris catarrhi ad inferiora prolapſus, vomicæ grandioris in thorace aut iecinore ruptio, ex quâ effuſum ſit pus in ventrem, nec ſatis commodè expurgatum,febrium malè curatarum diuturnitas, hepatis, meſenterij, vteri, aut aliarum inflammationes, vel obſtructiones, quæ retentos humores corruperint. Hæc omnia oſtendunt generationem cauſarum iſtarum humoralium, quæ in ventriculum effuſæ aut ibi productæ vellicationem & moleſtiam eiuſmodi inferunt. Quibuſdam magis ante cibum, quia ieiunij tempore maligni humores agitantur & in ventriculum attrahuntur, aut magis incenduntur. Quibuſdam verò ſtatim poſt aſſumpta alimenta, quia humores qui ſtabulantur quieti in ventriculi fundo, permixtione illorum commouentur & ſurſum attolluntur. Quibuſdam etiam per quatuor aut quinque horas poſt paſtum, circa finem ſcilicet coctionis vitioſæ quæ alimenta corrumpit, potius quam perficit. Quibuſdam denique dolor iſte magis exacerbatur,

batur, quod est valdè mirum, postquam somno indulserint, vel quia somnus retinet omnem vacuationem, & sic eo pacto natura commouetur ad res molestas excernendas, vel quia humor quidam catarrhosus ex cerebro tunc in ventriculum delabitur.

Vbi verò feruentior biliosusque sanguis in propria spatia & poros partis istius membranosæ effusus fuerit, ibique in phlegmonosum aut erysipelatosum tumorem collectus, tunc ingens in ventriculo qua thoraci & diaphragmati obtenditur, æstuatio sentitur: febris assidua furit, quam veteres leipyriam propriè appellarunt, quod extremis algentibus & quasi relictis, interiora vrantur: inquietudo & iactatio ingens, vitæ desperatio, crebra syncope & sudor frigidus, miliaris & glutinosus,quem diaphoreticum vocant: palpitatio ingens cordis: odor corporis malus, ob tetros vapores qui inde eleuantur; pulsus densi & obscuri,ob suffocationem caloris innati. Distingues igitur veram phlegmonem ventriculi à simplici inflammatione & aliis affectibus, duplici potissimum nomine: Primò quia in phlegmone & tumore præter naturam, adest ventriculi quædam eleuatio, meteorismus & tensio ad tactum perceptibilis, cum admotam manum vix sustinere queant. Secundò quod in eiusmodi tumore omnis fere vomitio & alui excretio suppressa est, quæ sparsis & diffluentibus per ventriculi loca humoribus familiaris existit. Quod si aliquando febri continuæ aut intermittenti iam inchoatæ cardiogmos superueniat, absque vlla prædictæ partis eleuatione aut tensione dolorificâ, tunc censenda est illa καρδιαλγία pendere potius à simplici influxu vaporum aut humorum acrium, velut symptoma febris illius; quam febrem ipsam esse symptomaticam,vt contingit in vera phlegmone.Atque hæc de diagnosi.

Iam igitur à cognitione peculiari partis affectæ, causarum, & affectus,πρόγνωσις est instituenda. Partis enim istius ad vitam necessitas, & summus cum membris principalibus consensus,corde scilicet,hepate, & cerebro:exquisitissimus illius sensus,substantia membranosa, & cætera naturalia vi dispositionis morbificæ immutata,nihil nisi siniſtrum portendere possunt. Affectus igitur species & causarum magnitudo certius ostendent quid in illo sit sperandum.

Nam cardialgia à lumbricis & flatu videtur solutu facilior, quia causam minus rebellem, minusque parti affixam habet; quamuis plerique infirmiore aut delicatiore stomacho ex lumbricorum morsu repente extincti sunt. In pueris certè grauissima obseruamus exoriri symptomata, quoties istæ partes impetuntur à vermibus. Sic vbi intemperies illa flatus generans est rebellis,confirmata & quasi hectica, in lethalem hydropem tympanitem dictum desinere solet, *ex Aphor.* 11. *sect.*4. tum per μετάστασιν, deriuata scilicet illa materia in abdominis cauum: per ἐπιγένησιν, propagata illa intemperie & intestinis communicata. Cardialgia verò ab humoribus calidioribus putribus, & mordacibus tantum, nondum verò exulcerantibus est quidem valdè molesta & sæpius recurrens, non tamen æque periculosa atque genito vlcere: Tunc enim desperata est quasi sanatio, tum ob continuam afflictionem qua miserè diuexantur isti ægrotantes, tum quod in parte spermatica & membranosa vix reparabilis sit substantiæ deperditio,vt docet Gal. longius tamen in his producitur vita, quàm iis qui cardialgiâ torquentur ab ingenti phlegmone ventriculi, quoniam viscerum omnium interiorum systrophicæ inflammationes, ob malignam putrilaginem & febris vehementiam sæpius enecare solent.

Meliùs tamen id coniicies ex comparatione virium ægri cum morbo; si enim magna iam naturalis œconomiæ deprauatio extiterit, facultatum vitalium & animalium prostratio, mortem pro foribus adesse certum est, quando potissimum in vrinis,fæcibus,aut vomitione insignia cruditatis vel malignitatis humorum indicia apparent. Scitum est denique illud Hippocratis in Coacis: *Cardialgia seniori crebro reuertens, mortem repentinam portendit*, quod de cardialgiâ humorali est intelligendum, nam *Aphor.*65. *sectionis quartæ. In febribus circa ventriculum ingens æstus & cardiogmos malum*, nempe præsens & certum mortis periculum minatur.

Curatio cardialgiæ ex humorum vitio. Nunc autem vt ad therapeiam propositi affectus veniamus, quoniam cardialgia à lumbricis & flatu, non aliam recipit medendi rationem, quam quæ propriis suis tractatibus deinceps tradetur: Ideo his prætermissis, agemus primò de cardialgias curatione quæ pendet ab humorum excessu & vitio: secundò de curatione illius quæ fit à phlegmonosa constitutione

ſtomachi : tertiò de eâ quæ pendet ab exulceratione eiuſdem partis, quia poteſt ſequi tum acrimoniam & mordicationem dictorum humorum, tum etiam phlegmonoſi affectus in abſceſſum degenerantis μετάστασιν. Vt igitur à cardialgiâ incipiamus quæ proficiſcitur ab humorum vitio, quoniam illa fieri poteſt à cauſis externis materiam ſuppeditantibus, vel generationem illorum promouentibus; ideo à diætâ incipiendum eſſe videtur, quæ omnes iſtas cauſas moderetur, & ad rectam medendi rationem reuocet.

Imprimis igitur aër in hac affectus ſpecie eligendus, vel arte comparandus, qui ſit puriſſimus naturâ, aut nullis ſaltem inquinamentis infectus, ſubſtantiæ mediocris, aut paulò craſſioris, ne nimiâ tenuitate vires diſſipet: qualitate frigidiuſculus & leniter perflatus, vt humorum acrimoniam obtundat, putredinoſoſque vapores reprimat. Hunc conſequemur in loco domus demiſſiori & ſubluſtri, patente quodam ſpiraculo ad Boream vel Zephyrum, vel irrorato pauimento, ſi æſtus quodammodo vigeat, aceto, aquâ roſaceâ & nymphæa, aut conſtrato foliis vitis, ſalicis, myrti, cannarum viridium & ſimilium, quæ vbi exaruerint, remouenda ſunt & frequenter renouanda. Idem præſtari poteſt odoramentis circa ægrum collocatis ex aquâ roſaceâ, arantiorum, & myrti, cum tantillo vini albi, & ſantalorum puluere, quia odorata maxime reficiunt ventriculum, vt patet ex fœtidis, quæ ſtatim vomendi appetitum inducunt. Proſunt præterea fructus odorati, vt poma, cydonia mala, pruna, perſica, & reliqua pro variis anni tempeſtatibus in cubiculo circumpoſita.

Excretiones ritè procurentur, alui, veſicæ, cerebri; abſtineat tamen à venere, propter nimiam quæ ex eâ contingere ſolet reſolutionem. Eodem modo labores omnes, motus & exercitationes violentas fugiat, ne magis agitentur humores, & exaſperentur. Quieti ergo magis indulgeat; ſomnus etiam ſit moderatus in lecto molliore & bene mundis linteolis, contecto leuiſſimis ſtragulis: Ac ſi poſt prandium aliquando obrepat, vt fit dum nox fuit inſomnis, concedendus erit, roborandi infirmioris ventriculi causâ & compeſcendæ vomitionis, quæ hic ſolet eſſe moleſtiſſima. Vitet curas, mœrorem, & iracundiam, quæ ſolę & per ſe affectum hunc ſæpius concitarunt. Gaudeat verò dulciſſimis amicorum colloquiis & præſentiâ, relegatâ aliorum turbâ & adſtantium multitudine.

In præſcribendis etiam alimentis conuenientibus minore curâ erit laborandum, vtpote quæ remedij optimi & familiariſſimi vicem obtinent; quamuis enim viribus conſeruandis primariò ſint dicatæ, ſit tamen in præternaturali ſtatu, vt contrariis alimentorum qualitatibus morbo reſiſtere liceat, & in cibo medicinam reperire. Cum igitur hic conſeruandum ſit & curandum, certum eſt in hac ventriculi cacochymiâ & impuritate, cibos euchymos eſſe eligendos, εὐπέπτους ſeu facilis coctionis, ne debilitatus ventriculus multùm in illis ſubigendis laboret; formæ etiam quam tenuem vocat Hippocrates, ex liquidis & ſorbilibus maximè conſtantem. In qualitatibus verò primis quæ refrigerent, & compeſcant humorum acrimoniam; quæ adſtringant, vt robur ventriculo concilietur; aut aliquando leuiter detergeant, ſi ſint abluendæ ſordes illi adhærentes. Ad hoc igitur conuenientiſſima erunt iuſcula pullorum, herbis refrigerantibus, vt acetoſâ, lactucâ, endiuiâ, portulacâ, & vuis acerbis alterata, ſubfrigida potius actu, quam calida: aut ſi æger debilior videatur, præſcribentur iuſcula conſummata, gelatinæ, panatellæ cum pauco ſaccharo & aquâ roſaceâ: oua ſorbilia, cremor hordei aut amygdalarum lac, cum pauco ſaccharo paratum: iura colatitia, vel ſucci ex delicatiſſimis carnibus expreſſi, addendo ſingulis ſucci limonum, arantiorum, granatorum acidorum, omphacij vel aceti parum pro vario ægrotantis arbitrio, cui erit hac in parte indulgendum. Apud Hippocr. 2. *epidem. ſection.* 2. mulieri quæ cardialgia tenebatur, polenta mali punici ſucco inſperſa & ſemel in die accepta, pro cibo ſatis fuit, & non reuomuit. Quod ſi lubeat aliquando carnes perdicum, gallinarum iuniorum & tenerarum auicularum ſuccis his aſperſas concedere, non parum conferet eis qui paulo pleniore victu delectantur, & qui diuturniore affectu iam ſunt debilitati. Auicennas concedit etiam illis lac acetoſum, & piſciculos in aceto elixos ad temperandum feruorem. Quod ſi humor qui exuperat, ad acidum vergere videatur, & melancholiæ particeps eſſe, oua aſſata, piſces frixos, & ſimilia in patella parata conſulit. In ipſo cardialgias paroxyſmo valde confert panis vino bene diluto intinctus, modicè ſumptus. Ideo laudant etiam pro potu recentiores, vt cruſta panis albi leuiter torrefacta in vinum dilutum immergatur: deinde fortiter exprimatum,

Digitized by Google

exprimatur, bibat colaturam. Possunt etiam vti julepo Alexandrino, aut succo granatorum & limonum cum dupla portione aquæ rosaceæ & sacchari s.q. in formam julepi parato. Cinamomi verò decoctum aut coriandrorum non tam liberè in hoc affectu & causa concedendum puto propter caliditatem, nisi fortè flatus coniuncti fuerint. Quod ad quantitatem eorumdem alimentorum spectat, curandum vt vires sufficere possint, tam præsentes quam futuræ: ideoque habenda ratio varij temperamenti, ætatis, consuetudinis, regionis, aëris & similium, ne reuocetur natura ab expulsione coctioneque humoris morbifici, aut imbecillior opprimatur. Partitis igitur vicibus offerenda hic alimenta, eoque potissimum tempore, quo minus vrgentur ægrotantes, nisi in ipsa paroxysmi sæuitia lubeat vires assumpto iusculo, vel alio quodam liquore instaurare, humorisque acrimoniam diluere. Præterea hic obseruandum, propter crebram vomitionem qua cardialgici tentantur, si prius assumptum alimentum excludant, denuò sedatâ vomitione esse offerendum, vt illud melius retinere valeant. Inter cardialgicos igitur obseruandum, vt qui magis in ieiunio vexantur; numquam omnino vacui cibo relinquantur, sed frequenter aliquid ingerant: qui verò post sumptum cibum magis dolent, non tam sæpè assumant, neque magnâ quantitate, sed quæ ad vires solùm sustentandas sufficiet. Atque hæc de diætâ.

Nunc verò ad Chirurgiæ & Pharmaciæ auxilia accedentes dicamus, causarum omnium, & morborum sese hic consequentium γένεσιν diligenter spectandam, partiumque quæ illi originem quamdam aut fomenta dederunt, rationem habendam, vt eodem scilicet ordine expugnentur, quo affectus istius generatio progressa est: quod Practici causarum antecedentium & remotarum sublationem vocant, & ad προφυλάξιν referunt. Intemperiem verò hanc stomachi, cum statuerimus humoralem à vagis & de errantibus succis calidis, putrentibus, malignis, & acrioribus, si quidem illorum pars sit adhuc in motu, reuulsionem, deriuationem, necnon interceptionem suadebit: pars verò in ipso stomacho delitescens, sui vacuationem & alterationem. Genus autem vacuationis à repletionis genere indicabitur, quæ cum sit in hoc affectu mera cacochymia, extra vasa posita, purgationem exposcit, non venæ sectionem, nisi fortè causâ præcautionis in corpore plethorico: dum timemus ne vi doloris sanguis in partem affectam ἀθρόως deferatur, aut etiam si febris videatur coniuncta, ad feruorem illius compescendum.

Porrò cùm purgatio per deiectionem & vomitionem perfici possit, benignis vel violentis catharticis: partis istius, nempe ventriculi conformatio docet, tum vomitione, tum deiectione causam mali educi posse per medicamenta assumpta, tam deiectoria quam vomitoria, per glandes, clysteres & similia. Illius verò situs propinquior, sensus exquisitissimus, vires imbecillæ, quæ fere hunc affectum comitantur, benignis potius aut mediocribus agendum esse suadet, nisi fortasse vehementiora aliquando videantur esse ex vsu, firmis adhuc viribus, & in corporibus solidioribus, ad eliciendam potentius antecedentem causam, in secundâ aut tertiâ corporis regione delitescentem. Concoctio denique & alteratio humorum istorum internis externisque remediis, causæ & morbo oppositis, erit procuranda, vt sequentibus formulis patebit.

℞ Hordei integri & furfur. macri, ana P.j. fol. absinth. betæ & agrimon. ana M.j. semin. melon. & anisi, ana ʒ ij. rosar. rubr. flor. borrag. & cichor. ana P.j. Fiat decoctio. In colaturæ ℔ j. ß. dissolue cathol. & hieræ picræ, ana ℥ ß. mellis rosat. ℥ ij. vitellos ouorum numer. ij. Fiat clyster, quo subducatur aluus, quoties adstricta fuerit. Perseuerante autem nausea, & vomendi conatu, proritandus erit vomitus leuioribus, vt

℞ Aquæ fontis tepidæ ℥ viij. vel x. In quibus dissolue syrup. acetosi simpl. ℥ j. ad incidendum leuiter, & bilis ferociam retundendam: simul & deambulet postea si possit: vel saltem ventriculi regio in orbem confricetur. Quod si paulò robustior sit æger, humorque rebellis appareat, semen anethi & raphani in ptisana decoquatur, in cuius ℔ j. dissolue ad detergendum hydromelitis ℥ ij. Capiat vt prius: retineat per dimidiam horam, si possit. Deinde iniecto in fauces digito, vel pennâ oleo inunctâ proritetur vomitus, non tantùm semel, sed pluries, atque etiam interiectis diebus, si quidem illo videatur leuari æger.

Quoniam verò humor iste in ventriculo contentus, vt diximus, non solum vomitu, sed etiam deiectione excluditur: ideo eligenda etiam erunt cathartica quædam benigna, & roborantia, quæ illud commodè præstare valeant. Ad hanc rem

laudant

laudant myrobalanorum decoctum , rhabarbari infusum & puluerem , aloën optimam, in pilulas cum pauco agarico & mastiche concinnatam , & tamarindorum decoctum , quæ omnia bilioſos humores egregiè compeſcunt & expurgant. Quod ſi tetri ichores , pituita putris & ſalſa huius mali cauſa videantur , radicis mechoacan veri puluis ad ʒ j. ſumptus cum pauco iuſculo , blandum erit & præſentaneum valde remedium. Item ſyrupus roſatus ſolutiuus , eiuſdem infuſio recens , agaricus cum rhabarbari puluere & ſyrupo de abſinthio in pilulas concinnatus,quarum ʒ j.deuorare poterit horis matutinis,vel ante cœnam : catholiconis ſemuncia aut diaphœnic. in formam boli cum ſaccharo concinnata , & ſimiles. Sin verò atræ bilis aut melancholiæ putrentis dominatus adſit, decoctum foliorum ſennæ ad ℥ ß.cum iuſculo prunorum dulcium, & pauco aniſi ſemine exhibeatur. Aut confectio diaſennæ dicta ad ʒ vj. vel etiam confect. Indi maioris ad ℥ ß. erit vtiliſſima. Vbi complicatæ ſunt cauſæ,componi ex his poterunt variæ purgantium formulæ , quod Medici præſentis iudicio & prudentiæ committitur , vt ipſa quantitas , & repetitio remedij pro variis circumſtantiis ; nihil enim commodius in hoc affectu , quam blandis his & roborantibus catharticis frequenter & veluti per ἰατρικὸν χρόνον,humorem iſtum,cuius eſt perennis generatio,expurgare.Quod ad alterationem verò humoris, nempe caliditatem , putredinem aut malignitatem per aſſumpta remedia corrigendam , ſpectat , ſequentes formulæ vſurpari poterunt.

℞ Succi pomorum redolentium , de limonibus & de granatis acidis , ana ℔ j. ſucci borraginis & endiuiæ recenter dupurat.ana ℔ ß.Decoquantur cum ſaccharo albiſſimo in formam julepi,cuius capiat ℥ iv. mane & ſero : ſi primam reuomuerit, vt ſæpè fit, habeatur alia parata quam ſumat ſtatim,vel

℞ Syrup. granatorum acidorum ℥ ij. ſyrup. cydon. & myrtini , ana ℥ ß. aquæ roſar. & cardui bened. ana ℥ x. puluueris electuar. diamarg. frigidi ʒ ß. terræ ſigill; raſuræ cornu cerui vel vnicornis , ſi reperiatur , ana ϑ ß. Fiat julep. pro tribus doſibus matutinis , quæ reiterentur quoties opus fuerit. Circa veſperam vel poſt vomitum ſumat lapidis bezoardici , ſi legitimus haberi poſſit, ϑ j.cum aquâ cardui benedicti.

℞ Rad.acetoſ.graminis, & bugloſſi,ana ℥ j.cortic.citri ſicci ʒ ij. fol.plantag portulac. endiuiæ , agrimon. acetoſ. & cardui bened. ana M.j. ſummit. abſinth. pont. (quod Gal.etiam in biliosâ materiâ laudat)P.ß.ſemin.acetoſ.portul.& berberis,granor.k ermes,ana ʒ j.flor.viol.& roſar.rubrar.ſiccar.ana P.j.Fiat decoctio ad ℔ j.ß. In qua diſſolue ſyrup. oxyſacch. ſimpl. & de limon ana ℥ ij. Fiat apozema clarificatum & aromatizatum .ʒ j. puluueris electuarij triaſantali pro quatuor doſibus matutinis. Quibus finitis , vt etiam ſuperioribus doſibus , repetatur vſus dictorum purgantium. Quin etiam ad alterationem & corroborationem parentur ſequentia.

℞ Confect.alkermes & de hyacintho, ana ϑ j. terræ ſigillat. coralli rubri & puluueris electuarij diamargar. frigid. ana ϑ ß. Incorporentur ſimul, affundendo parum aquæ arantiorum vel ſucci limon. Fiant pilulæ quinque aut ſex. Capiat duas omni horâ , vel

℞ Conſeruæ flor.borrag. cichor. & nymph. ana ℥ ß. confect. de hyacinth.& alkermes, ana ʒ j.terræ ſigillat.boli armeni,margar.præparat.coralli rubri, raſuræ vnicornis , & cornu cerui, vel eboris, ana ʒ ß. puluueris elect. de gemmis & diamargar. frigid.ana ϑ j. Cum ſyrupo cydon. fiat opiata : vel cum ſacchari ſ. q. fiat inſtaurans, duplici auro coopertum , de quo capiat frequenter cum iuſculo aut pauco vino diluto , potiſſimum quando vires labaſcere videbuntur. Huius inſtaurantis portio ponatur in Alembico vitreo cum ℔ ij.iuſculi optimi & ℔ ß.ſucci granator. Diſtillentur in balneo mariæ. Capiat huius liquoris ſtillatitij cochlearia aliquot omnibus horis. His igitur aſſumptis interioribus remediis contra propoſitum affectum pugnabitur.

Externa etiam non erunt omittenda , quæcunque ad transferendam , abſumendam,alterandamque materiam, & parti robur conciliandum aliquid auxilij adferre poterunt.

Sic appoſita frequenter ſtomacho cucurbitula cum multa flamma , vomitum compeſcet,& materiam infixam ad exteriora euocabit. Ligaturæ artuum dolorificæ , frictiones crurum & femorum , inferiora verſus reuellent impetum maligni vaporis ſuperiora petentis. Balnei etiam refrigerantis & relaxantis vſus

non

Digitized by Google

non erit etiam improbandus ad materiam istam transferendam, illiusque acrimoniam contemperandam, nisi fortè metus sit syncopes aut lipothymias,qua infestati ægrotantes vix illud sustinere valent. Huius itaque loco institui poterit semicupium, ad stomachi vsque regionem contingens, in quo residebit æger per interualla, conuenientibus refocillatus remediis: cuius talis esse potest descriptio.

℞ Rad. althææ, lilior. & acetos. ana ℔ ij. herbar. borrag. cichor. viol. maluar. & brancæ vrsinæ, ana fascicul.ij. summit. absinth. pontici M.j. semin. anisi & coriand.leuiter contus.ana ʒ j. ß. flor. chamæmel. melil. stœchados,& rosar.rubr.ana M. ß. Fiat decoctio in aquâ fontis pro balneo vel semicupio,ingrediatur tepide admodum, sine vllo sudore, qui solet valde noxius esse hisce ægrotantibus. Vbi debiliores erunt, aut tempestas incommoda ad balnei vsum, fotus paretur sequens.

℞ Fol. myrti,plantag.summit. rubi, fol. acetos. & absinthij pont.ana M j.semin. portulac. granor. kermes & coriandri, ana ʒ ij. santali vtriusque ʒ j. schœnant.flor. cichor. rosar. sicc. & anthos, ana P. j. Fiat decoctio,addendo sub finem vini albi parum, si magis sit penetrandum;vel rubri austeri,si magis roborandum:quâ foueatur ventriculi regio cum panno scarlatino, aut philtris bene expressis bis aut ter in die. Villanouanus in somnis monitus facit fotum ex furfure macro in sacculis posito,& vino calente madefacto, quod experiri licebit: post fotum admoueatur vnguentum sequens.

℞ Succi plantag. & acetos. recent. ana ʒ j. vini albi ʒ ß.olei rosacei omphacini; myrtini & cydon. ana ʒ iij. Bulliant ad succorum consumptionem, deinde adde terræ sigillatæ,boli armen.coralli rubri,semin.acetos.& portul.ana ʒ ß.cinam.& nucis moschat.ana ϑ ß.ceræ albæ q.s. Fiat vnguentum. Vtatur vt dictum est,addendo vini rubri parum, aut aquæ rosac. si feruor exuperet,vnctionis tempore. Cataplasmata autem & emplastra non ita hîc probantur, ne densitate sua & pondere partem hanc doloribus afflictam nimis premant & calfaciant. Sub finem tamen istius affectus declinantis imponi potest ad roborandum ex massa emplastri de mastíche,cum oleo cydon. malaxatum, additâ acaciæ, rosarum,hypocist.malicorij & similium ʒ j. vel ij. Quin etiam vt absorbeantur omnino morbi istius reliquiæ,solent quidam Dropaces & Phœnigmos experiri, quod non erit tentandum, nisi cum optimis cautionibus.

Alexander Benedictus smaragdum & corallum collo appensa, ita vt pertingant cartilaginis xiphoidis extremitatem; scribit ex proprietate huic affectui conferre.

Interea non erit etiam negligendum cor,quando hic multùm compati videbitur,& admotis epithematis liquidis, solidisque & facculis cordialibus, suo loco tradendis,roborandum.Cerebro etiam, si rapiatur in consensum, reliquisque partibus pro singularum naturâ,erit prospiciendum.Quibus omnibus præcautionis curationisque munera explere poterimus.

Sed quoniam symptomata in hoc affectu non paruam solent afferre molestiam, ideo etiam eorum mitigationi studendum. Præcipua autem sunt, vomitio, sudor exoluens,& dolor crucians. Vomitionem quidem dictis iam remediis compescere licebit, & eis quæ proprio tradentur capite. Sudor verò si sit frequentior & vires exhaurire videatur,coërcendus inunctione laterum,dorsi,& extremitatum ex oleo myrtino, lentiscino, cydoniorum, vel eo quod ex salicis foliis paratur: succi etiam refrigerantes,dissolutâ in eis paucâ camphorâ,admoueri poterunt:quin etiam commodum erit lintea quibus æger inuoluitur, suffire santalorum, granorum kermes, thuris,mastiches,rosarum rubrarum,& similium puluere.Denique si maior sit sudoris impetus,præscribantur ea quæ corporis spiracula,& cutis meatus valenter occludunt,vt gypsi,terræ cimoliæ,boli armenæ,& gallar.viridium puluis aspersus particulis sudore diffluentibus:epithemata etiam admota cordi & hepati ex aceto & aquâ rosaceâ valde proderunt.

Verum tanta est sæpius doloris in hoc affectu sæuitia,vt fere totam ad se Medici curam conuertere soleat. Itaque si præmissis illis remediis, quæ causam tollunt vacuando & humoris qualitatem alterando, sedari non potuerit: tunc ad reliqua anodynorum genera accedendum, inter quæ temperata, & calori nostro analoga non videntur hîc conferre,vt lac cæteraque eiusmodi calida humidaque,quæ facilè incalescunt & putredinem in ista ventriculi cacochymia concipiunt; nisi fortè ista

cardialgia contracta sit ab assumpto veneno, in quo casu non solum lac, sed reliqua etiam alexiteria erunt vsurpanda.

Reliquum est igitur, vt quando opus fuerit, doloris istius atrocitatem narcoticis compescamus: ad hoc faciēt iniecti interdum clysteres ex iusculo pulli, vel decocto molliente, in quo duæ vel tres philonij Romani drachmæ fuerint dissolutæ: item assumpta per os ʒ j. syrup. de papauere per se sola ex cochleari, vel dissoluta in decocto foliorum lactucæ, addendo ℈ j. puluer. electuar. diamargar. frigidi Confectio requies dicta ad ʒ j. exhiberi potest, cum simili conseruæ rosarum pondere, in formam boli concinnata. Item theriaca recens, potissimum quando est suspicio veneni: sequens etiam emulsio bis aut ter in die repetita multum proderit.

℞ Amygd. dulcium mundat. ℥ j. semin. melon. & cucurb. recent. mundat. ℥ ß. semin. lactucæ & papauer. albi, ana ʒ ij. Contundantur in mortario marmoreo cum pistillo ligneo, affundendo decocti hordei & folior. lactucæ ℔ j. ß. sacchar. albi q. s. Fiat emulsio instar lactis albicans. Vbi dolor est acerbior parari possunt sequentia.

℞ Syrup. cydon. & de absinth. pont. ana ℥ j. vini albi parum, in quibus decoquantur leuiter opij gran. v. Capiat huius syrupi cochlear vnum per intervalla. Vel totidem opij grana feruefacta in pauco vino rubro generoso. Incorporentur cum ℥ j. conseruæ rosarum. Capiat ʒ j. quando opus fuerit per se, vel dissolutam conuenienti liquore, & sic doloris sedationi sapienter studendum erit. Nunc igitur accedamus ad curationem cardialgias ex phlegmonosâ stomachi constitutione.

Curatio cardialgiæ ex ventriculi phlegmone. Phlegmonem stomachi suas habere causas primitiuas, antecedentes, coniunctas notissimum est, & iam à nobis dictum. Vbi igitur ex tali occasione sanguinis feruidioris copia ex venis portæ in spatia & poros tunicarum ventriculi effusa fuerit, exoritur phlegmonosa constitutio, suis stipata symptomatis, potissimùm febre assiduâ, quam lipyriam vocant, dolore & syncope frequenti: vnde patet quod si aliquis sit morbus acutus, periculosus & grauis, hic inter alios censendus, ob propriam speciem, naturam partis affectæ, & symptomatum copiam. Cumque omnis phlegmone, siue sit exquisita, siue spuria, erysipelatosa, scirrhosa, aut œdematosa, quatuor modis terminari soleat, resolutione scilicet, suppuratione, induratione, aut gangræna: vnicus tantum istorum potest esse salutaris in curatione phlegmones stomachi, nempe διαφόρησις, nam plerumque ægri suppuratione moriuntur ob febris vehementiam, vel ruptâ vomicâ dum pus in hepar aut vicinas partes subito inuadit: vel denique succedente graui vlcere, cuius sanandi parua est spes in parte spermaticâ, internâ potissimum. Quòd si induretur per σκλήρωσιν iste humor, contabescit necessariò totum corpus paulatim ex defectu primariæ istius coctionis. Cito autem vita tollitur, si corruptela aut sphacelos tam nobilem & exquisiti sensus partem inuaserit. Accuratè igitur se debet hic gerere Medicus, nec minimum in curando errorem committere.

Imprimis autem victum statuat tenuissimum, vt solet in omni morbo acuto & internæ partis inflammatione, huius potissimum laborantis & munus suum exercere non valentis ob atrocem & acutum morbum. Contentus ergo sit æger ptisanæ liquore, julepo Alexandrino, aquâ fontis solâ, vel leuiter coctâ cum radice acetosæ, aut saltem ad sustentandas vires, pulli iusculo alterato foliis refrigerantibus; idque ad septimum vsque diem, qui solet vt plurimum istas inflammationes internas iudicare, vel quò cuasuræ sint ostendere. Quæcumque etiam hic offeruntur, neque valdè calida actu esse debent, neque frigida, sed potius tepida, vt resolutionem tumoris iuuent, neque materiam magis impingant. Abstineat omnino ab vsu vini, metu caloris fluxionisque nouæ; & carnium, ne ex eis nimia sanguinis copia generetur. Aër etiam frigidior, quamuis recreationis causâ exoptaretur, non est admittendus, ne constipet meatus, & diffflationem impediat: neque somnus longior, ne intrò nimium compellat humores: quietus tamen quantum fieri poterit, in strato maneat, ne concitentur nouæ fluxiones in partem. Denique corpus animumque ita componat, vt omnia (quod ad causas illas externas spectat) ad sanitatis restaurationem optime consentiant.

Vt autem ad ipsa remedia huic affectui oppugnando idonea veniamus, habitâ primùm causæ antecedentis ratione, secundum illius quantitatem & motum in corpore potissimum plethorico & calidiore, deplenda est sanguinis copia, reuellen-

da

Digitized by Google

da ac deriuanda. Quod non poſſumus conſequi melius quam per phlebotomiam. Eſt hiſtor. 9. epidem. de muliere quadam, quæ in vehementiſſimo dolore ſtomachi nullis aliis adiuta remediis, ducto tandem ſanguine ex vtraque manu, ſanata eſt. Nam quod hic multi refugiunt venæ ſectionem propter virium infirmitatem & frequentem ſyncopem; Reſpondendum eſt, duplicem eſſe virium deiectionem: vnam quidem ab exhauſto ſeu inanitione: aliam verò à plenitudine & oppreſſione: in illa vacuationem non conuenire, ſed potius refectionem: in hac verò eſſe vtiliſſimam, vt ſcilicet natura confertim leuetur portione humoris, & reliquum poſſit facilius ſuperare. Deinde cum in hoc affectu tota ſpes ſaluis poſita ſit in reſolutione, vt diximus, quomodo poterit illa perfici, ſi ſanguis magnâ copiâ vi caloris & doloris tracta eò influat? Secanda eſt itaque vena axillaris brachij dextri imprimis ad ℥ vj. vel vij. niſi oboriatur lipothymia, qua ſuperueniente occludatur venæ oſculum, oleo tamen delibutum, vt poſt aliquot horas recreatis viribus poſſit denuò ſanguis extrahi. Conſtantibus enim viribus ad reprimendam fluxionem & inflammationem repetenda erit venæ ſectio ex brachio ſiniſtro, circa quartum, quintum, vel ſextum diem, ſi omnia conſentiant. Quidam poſt ſeptimum diem malunt hæmorrhoides aperire, quæ à venâ portâ oriuntur, derivationis causâ, quod non eſt improbandum, ſi iſtæ venæ in ano fuerint conſpicuæ, & æger huic vacuationi aſſuetus. Non omittendæ etiam cucurbitulæ variis corporis partibus admouendæ, vt ſcapulis, dorſo, natibus, & femoribus, etiam cum ſcarificatu, ſi opus eſſe videatur, ad minuendum redundantem ſanguinem, quem ventriculus inflammatus inſtar cucurbitulæ ad ſe trahit. Ligaturæ etiam dolorificæ, frictiones inferiorum partium aliquid ad reuulſionem humorum conferent: imo cum hic ſoleant frigere extremæ partes, refocillandæ erunt linteolis calentibus, inunctione olei nardini aut irini tepentis, vt quantum fieri poterit, materia foras euocetur.

Quod ad purgationem verò attinet, dubitatur an hîc conuenire poſſit. Multi negant, tum quia cathartica omnia cum ſint caliditatis participia, ſuo contactu inflammationem iſtam augere poterunt; tum quod trahendo humores, illos verſus partem affectam allicerent, & vomitum valde in hoc morbo periculoſum excitarent. Adde quod nihil de causâ humoris coniunctâ detrahere valent. Quæ nos vt facilè concedimus de veris purgantibus diagrediatis, vomitoriis & ſimilibus; ſic de lenientibus & benignis frigiditate quadam præditis negamus. Imo Auicennas tamarindorum decoctum, & dilutum caſſiæ in aquâ endiuiæ commendat, in hoc affectu ſingulis diebus vſque ad ſeptimum exhibitum: quia molliendo non trahendo expurgat; mitigat acrimoniam & lenit dolorem. Poſt elapſum diem ſeptimum, vbi iam apparet quædam concoctio, & morbi declinatio, poteſt præſcribi infuſum rhei ad ʒ j. ß. cum ℈ j. ſantali rubri in aquâ endiuiæ factum, cui addi poterunt ſyrup. roſat. ſolut ℥. ij. vt ſordes parti hærentes paulò valentius educantur. Interea glandibus & clyſteribus accommodatis ſollicitanda erit aluus quotidie, quæ hîc pigra eſſe conſueuit. V. g.

℞ Fol. endiuiæ, cichor. borrag. acetoſ. lactuc. & maluar. ana M. j, ſemin melon. & cucurbitæ, ana ʒ ij. ſemin. aniſi ʒ j. prunorum acidor. paria iv. flor. viol. roſar. rubr. & nymphææ, ana P. j. Fiat decoctio ad ℔ j. ß. In qua diſſolue caſſiæ recens extractæ ʒ x. olei violar. & de nenuph. ana ℥ j. ß. ſacchar. albi ℥ ß. Fiat clyſter, qui iniiciatur toto principij tempore, ad refrigerandum, molliendum & leuiter repellendum. Deinde

℞ Rad. althææ & lilior. ana ℥ ij. fol. endiuiæ, borrag. & maluar. ana M. j. ſummit. abſinth. & puleg. ana M. ß. ſemin. lini & fœnugr. ana ʒ ij. flor. chamomill. melil. & roſar. ana P. j. Fiat decoctio. In colaturæ ℔ j. diſſolue cathol. & caſſiæ, ana ʒ vj. olei lilior. & mellis viol. ana ℥ j. ß. vitellos ouor. numero ij. Fiat clyſter, qui paucis immutatis ſecundum rem præſentem poterit prodeſſe in augmento, ſtatu & declinatione, ad laxandam aluum & reſoluendam tumoris materiam.

Imò cum in hoc affectu non liceat niſi parcè nutrire per ſuperiora, vt dicebamus, ob inflammationem ventriculi, crebrò infundendi ſunt clyſteres nutrientes dicti, ex iuſculo pulli, cremore hordei, lacte amygdalarum dulcium cum ſaccharo & vitellis ouorum: qui etiam aliquid conferent ad doloris ſedationem.

Porrò alterantia & roborantia per os ſumpta eadem eſſe poterunt, quæ in ſuperiore affectu dicta fuere. Peculiariter autem Practici exiſtimant in hoc affectu

conferre succum portulacæ cum saccharo in syrupi formam paratum,& syrupum de nymphæa, quia præter alterationem funguntur vice medicamenti apocroustici interioris, quod in principio competere poterit;vbi autem paulo processerit morbus, alia erunt miscenda quæ resolutionem iuuent, vt

℥ Syrup. de pomis & de succo portul. aut de nymph. ana ʒ j.syrup.de absinth. pont. & conseruationis cort. citri , ana ʒ ß. aquar. lactuc. acetos. & fœnicul. ana ʒ iij. puluer. elect. diamarg. frig. ʒ j. Fiant julepi pro iij. dosibus matutinis circa morbi incrementum , quæ omnia variantur multis modis pro Medici præsentis iudicio & prudentiâ. Idem dicas de opiatis , instaurantibus , & reliquis assumendis.

Quod ad topica verò attinet, quamuis Practici vera repellentia in principio huius affectus præscribere soleant , nullo tamen modo admittenda videntur : quia sic impingeretur magis humor versus interiora, & resolutio hic tantopere expetenda impediretur. Non inconsultum tamen erit in principio refrigerantibus potestate, non actu talibus , neque adstringentibus vti,ad humoris phlogosim quodammodo compescendam. Quâ paululum remissâ resoluentibus erit locus,numquam omisso roborante aliquo,quod partis affectæ & iecoris substrati vires conseruet , vt eleganter annotauit Galenus.Fiat itaque talis in principio fotus.

℥ Rad.acetos.ʒ ij.fol.endiuiæ,cichor.& maluar. (hyoscyamus,solanum,&c.non sunt hîc vsurpanda , nisi in summâ doloris desperatione) ana M.j. seminis lactucæ & papauer. albi, ana ʒ ij. santali albi & rubri, ana ʒ ß. flor.violar.& nymph.ana P.j. Fiat decoctio. Vel illius loco sume aquarum stillatitiarum endiuiæ , lactucæ,& violar.ana ℔ ß.In quâ dissolue aceti ʒ j. puluer.electuar.triasant. ʒ j. Calesiant leuiter, & cum linteolis mundis & detritis foueatur tepide regio stomachi sub xiphoïde cartilagine,& circa duodecimam dorsi vertebram,bis aut ter in die. Postea inungatur oleo violaceo,& rosaceo simul mixtis:aut sequenti vnguento.

℥ Succi endiuiæ ʒ ij. olei viol.& rosac.omphac.ana ʒ iij. Bulliant ad succi consumptionem. Deinde adde puluer. santal. albi & rubri, semin.lactucæ,& papauer. albi,ana ʒ j.cinam.ϑ ß Cum paucâ cerâ fiat linimentum , quo vtatur vt dixi.Postea huic fotui & linimento addenda erunt resoluentia , donec sedato ardore , sohs diaphoreticis vtaris. Vt

℥ Rad. ireos Flor. ʒ ij. fol. menthæ, maioran.puleg.& absinth.pont.ana M.j.semin.fœnugr.& anisi,ana ʒ ij.granor. kermes ʒ j. flor. stœchad. anthos, & chamomil. ana P.j. Fiat decoctio , addendo parum vini albi sub finem , quâ vtatur pro foru tepide cum philtris bene expressis.Deinde inungatur pars oleo nardino, absinth. nucis mosch.& similibus.Ex quibus addendo parum ceræ,& puluere ireos poterit confici vnguentum.Emplastri enim & cataplasmatis forma ob pondus & crassitiem hîc est incommoda,vt supra fuit annotatum.

Atque his modis vera & optanda phlegmones stomachi curatio per διαφόρησιν procuranda. Quod si circa septimum diem febris , dolor , & reliqua symptomata intendantur cum quadam partis pulsatione : signum est suppurationem fieri,ad quam sequitur vlceris generatio, si tamdiu vita superstes esse possit. Nos igitur ad illius curationem tranieamus.

Curatio cardialgiæ ab exulceratione stomachi. Supereſt exulceratio stomachi , quæ assiduam & infestissimam inferre solet cardialgiam. Hæc verò ἕλκωσις, vt dicebamus , succedit aliquando vulneri aut phlegmonæ in abscessum degeneranti : aliàs fit ab acribus & calidioribus humoribus substantiam ventriculi erodentibus:aliàs ab externis assumptis, causticis, septicis,venenatis medicamentis alimentisque. Quidquid sit,vlcera ista sunt solutiones cõtinui in ventriculo aut illius stomacho cum sanie & sordibus. Vnde coniicere licet,ob naturam partis spermaticæ difficile substãtiam deperditam regenerari posse, & ob humiditates in illa redundantes vix commodam exsiccationem procurari ; denique ab illius officio , quamuis cicatrix vlceri inducatur , non tamen inde certam salutem subsequi , quia si grandiores sint eiusmodi cicatrices,ob læuorem elabitur deinceps alimentum inconfectum & leienteria lethalis ex oritur. Est tamen in recenti vlcere & adhuc leui , neque complicato omnis tentanda via qua illius curationem procuremus , vel saltem ægrotantis vitam tantisper producamus.

Quod ad victus rationem spectat, certum est euchymum hîc alimentum requiri , & facilis coctionis iam commemoratum , paruâ quantitate sumptum. Cum enim solutio continui morbus sit communis partibus similaribus & organicis, ratione

tione vtriusque valde impedit ventriculi concoctionem, quæ est actio mixta, & ab vtrisque dependens. Quod ad qualitatem, alimenta refrigerantia esse debent, ob coniunctos vlceri humores calidos & virulentiam: exsiccare verò leuiter, vt absorbeantur excrementa vlceribus propria: necnon interdum detergentibus & quasi abluentibus vtendum, vt istæ sordes depellantur à ventriculo ad inferiorem aliquem. Conuenient itaque iuscula, foliis herbarum refrigerantium alterata, hordei cremor, lac amygdalarum cum saccharo rosaceo, cuius magna est vis in omnibus vlceribus internis ob leuem refrigerationem, detersionem, & exsiccationem: emulsiones ex seminibus frigidis paratæ, & similia: quin etiam lac caprillum aut asininum recenter mulctum, addito saccharo rosaceo, aut pauco melle, in plures dies sumptũ, purgato prius leuiter corpore, multum proderit: quia sero suo detergit, butyro mulcet & lenit dolorem; caseo autem exsiccat & vlcera occludit: quod circa finem ignito chalybe aliquoties exuratur, vt sic portione seri absumptâ, minùs tergere, magis consolidare possit. Sub hoc ordine continentur farinæ hordei & auenæ leuiter tostæ, cum prædicto lacte, saccharo & vitellis ouorum in modum pultis paratæ. Pyra etiam & cydonia mala cum sapâ aut hydromelite parata, aut sub cineribus cocta & saccharo inspersa, in fine pastus assumi poterunt ad roborandum & exsiccandum.

Si sit inflammatio vlceri iuncta, abstinendum vino, & vtendum aquâ hordei pro potu ordinario, circa principium morbi, ad detersionem: deinde chalybeatâ ad consolidationem, aut in quâ terræ sigillatæ, vel boli armeni frustula aliquot maduerint. Si non adsit magna phlogosis cum vlcere, vti in principio poterit vino albo tenui & bene diluto, pòst rubro austero pari aquâ chalybeatâ mixto. Atque hæc de victus ratione, quæ magni est momenti in curatione istius affectus.

Quod ad remedia autem chirurgica & pharmaceutica attinet, repetenda est imprimis, & in memoriam reuocanda exulcerationis istius generatio: siue enim à calidioribus, putrentibus, aut virulentis succis dependeat, siue ab abscessu; illorum curatio iam diligenter fuit proposita, vt omnibus causis antecedentibus prospiciatur: siue à veneno, corruptóve alimento; illa diligenter vomitu erunt excludenda, & propriis alexiteriis oppugnanda. In instituenda verò peculiari istius vlceris curatione, detersio sordium, vtpote sine qua regenerari noua substantia nequeat; atque exsiccatio proponitur. Cum autem interna sit hæc pars, musculisque abdominis & superiori hepatis lobo substrata, internis potius remediorum formulis, quam admotis perficienda. Assumptis igitur agendum, non quidem omnibus, quæ vsui esse solent in vlcerum externorum curatione, vt vitriolo, sublimato, puluere mercurij, alumine & similibus; sed quæ innocua sunt, & quasi domestica huic parti præstantissimæ. Ad detergendum ergo aptissima erunt liquida: ad exsiccandum, cicatricemque obducendam solida potissimùm, quorum tales esse possunt formulæ.

℞ Hordei integri P.j. fol. scabios. agrimon. pimpinel. & capill. vener. ana M.ß. semin melon. ʒ iij rosar. rubr. siccar. P.j. Fiat decoctio ad ℔ j. ß. In qua dissolue saccharq.s. vel syrup. de rosis siccis ℥ iij. aut mellis rosat. colati ℥ j. ß. Fiat julep. pro quatuor aut quinque dosibus frequenter iterandis. Habemus hodie vsitatissimum illud decoctum, quod vulgo cancrorum vocant: alij aquam catapultarum, non solum ad externa, sed etiam interna vlcera efficacissimam, cuius ℥ iv. exhiberi possunt mane & sero per nouem dies continuos, addendo in singulas doses mellis rosati aut sacch. rosat. tabulat. in puluerem redacti ʒ iij. Ad interna etiam ista vlcera non parum confert decoctum rad. chynæ, vel salsæ parillæ, vbi febris abfuerit, per viginti aut plures dies sumptum, leuiter sudores prouocando. Sic enim eluuntur sordes & vlceris parietes paulatim exsiccantur. Quod si metus sit tabis, decoquatur prædicta radix in iusculo pulli gallinacei aut columbini cum herbis prædictis & hordeo mundato. In diuturniore morbo potum, aquæ thermalis aluminosæ, vitriolatæ, aut ferratæ, qualis est Pugensis, Spadensis, aut apud nos Meinensis, actu frigidę per mensem integrum sumptæ, circa æstiuos menses, non parum profuisse in multis iam diu obseruatum est.

Ad detergendum præterea & expurgandum multum conferent medicamenta cathartica leuiora frequenter repetita, vt syrup. rosat. solut. ℥ iij. in prædicto iusculo aut decocto fol. prunellæ dissolutæ: infusum rhabarb. in aqua plantaginis: decoctum tamarindorum; vel etiam catholici ℥ ß. in formam boli cum saccharo, semel aut

bis in hebdomade ſumpta. Licet immeritò purgantia repudientur à multis, qui timent ne magis exaſperent & attrahant verſus partem affectam. Clyſterum præterea emollientium & leuiter purgantium hic debet eſſe frequens vſus, vt trahantur excrementa ad inteſtina. Neque etiam omittenda erit aliquando venæ ſectio,ſi corpus ſanguine redundet,febriſque aut inflammatio vlceri coniunctæ videantur. Poſt reuulſionem ergo & deterſionem, ad exſiccandum & occludendum vlcus,ſequentia vel ſimilia præſcribantur.

℞ Terræ ſigillat.boli arm.corall. rubr. lapid. hæmat. aquâ roſarum diligenter lotor.ana ʒ j.ß.ſanguinis dracon.gummi arabic.& tragacant. ana ʒ ß. ſemin. papauer. albi aſſi, hypociſt. ſarcocol. & thuris maſculi, ana ϑ j. Fiat omnium puluis cum ℥ j. ſacchar. roſat. tabul. cuius capiat ʒ ß. cum aquâ plantag.aut ſymphyti ſemel in die. Vel capiat cum lacte chalybeato aut vino auſtero,vt voluerit. Ex eodem puluere cum conſeruis ſymphyti & roſat.ſyrup. myrtino exceptis,concinnari poteſt opiata, quâ vtatur ad ʒ ij.cum prædictis liquoribus. Aut etiam ex eodem puluere formentur trochiſci cum mucilagine ſemin. pſyllij aquâ plantaginis extracta, ponderis ʒ j. Capiat vnum ſingulis diebus cum lacte chalybeato, vel decocto ſymphyti aut melicrato. Modò hoc, modò illo vtatur remedio, vt minori afficiatur moleſtiâ.

Vbi occalluiſſe vlcus videbitur, quod ceſſatio doloris potiſſimùm oſtendet, ſuperſedeat ab omnibus remediis, & vitet alimenta, quæ exaſperare, aut confricare poſſunt leuiorem cicatricem,qualia ſunt acria,amara,ſalſa,acida & ſimilia,incidente aut detergente vi prædita. Atque hæc de curatione variarum cardialgias cauſarum, quæ eodem modo perfici poterit in periodynia, dolore ſcilicet totius ventriculi,fundi & aliarum eius partium,vt ſatis patet.

CAPVT II.

De ἀνορεξίᾳ & ἀποσιτίᾳ, id eſt deiecta appetentia & cibi faſtidio.

Doloris ſtomachi curatione ad ipſius appetentiæ ſymptomata eidem orificio ventriculi propria aggrediamur. Appetentia autem, vt cæteræ actiones, vel non fit omnino, vel imminutè tantum, aut deprauatè. Abolitionis igitur & imminutionis vitia primùm pertractemus: poſtea ad illius deprauationem veniemus. Illa autem apud Græcos authores generali vocabulo τῆς *ἀνορεξίας* continentur; Latini inappetentias dicunt; ita vt *ἀσιτίαν*, *ἀποσιτίαν* & *ἄσσιν* complectatur. Galenus *comment.* 28. *in* 1. *epid.* vult *ἀσιτίαν* eſſe ſimplicem ciborum inappetentiam: *ἀποσιτίαν* verò *καὶ ἀποστροφὴν*, auerſionem cum faſtidio & horrore. Videtur tamen Hippocrates ſæpè *ἀποσίτους καὶ ἀσίτους* pro eiſdem ſumere, *πρόφασιν μὴ λαμβάνοντας aphor.*8. *ſect.* 2. illiſque *ἰνσίτους* & *ἰνσιτίοντας* opponere 32. *ſect.*2. *ἄσσαι* verò apud Hippocr. ſunt maiora faſtidia & abominationes, quas frequenter iungit *καρδιογμοῖς* & nauſeæ *in Coacis*: Aphoriſm. tamen 61. *ſect.*5. prægnantium faſtidia *ἄσσας* appellat, & *lib.*2. *de morbis mulierum* vocat *ἰσχόμενα ἀσσώδεα* menſtrua faſtidioſa, quæcumque tale ſymptoma inuehere ſolent.Quidquid ſit,inappetentia deiecta vel ſublata appetentia,cibique faſtidium pro vno eodemque ſymptomate à nobis explicabuntur, cum maioris minoriſque ratione,inter ſe tantum differre videantur.

Ανορεξία igitur eſt ſymptoma actionis propriæ ſtomachi læſæ, abolitæ ſcilicet aut imminutæ appetentiæ, ex malâ totius corporis, partis alicuius, aut ipſius ventriculi conſtitutione. Quæ definitio eſt nobis explicanda, vt res ipſa melius innoteſcat.

Sciendum itaque naturam viuentibus omnibus appetitum quendam indidiſſe quo feruntur ad ſui conſeruationem, ac proinde materiam quamdam reficiendo corpori idoneam expetendam, ſine qua illorum viuacitas diu perdurare non poterat, ob perennem triplicis ſubſtantiæ, qua conſtant, diſſipationem & effluuium. Huncque in animantibus perfectis inſeruiſſe potiſſimum ſuperiori orificio ventriculi, parti ſenſus exquiſitiſſimi, vt ſcilicet perceptione in illo facta inanitionis ſiue defectus cuiuſdam cum quadam moleſtiâ, commoueretur ſuperior ſenſus ſeu animalis facultas,ad illud nempe alimentum quærendum, quod facit ad eius reſtaurationem,

Digit

tionem,ita vt in excitandâ istâ appetentiâ animali quinque concurrere oporteat, apud Galenum 4. *de symptt. causis*. Primò,corporis inanitionem,secundò exinanitarum partium à vicinis tractionem, donec ad iecur, deinde ad venas mesaraïcas intestinis implantatas perueniatur, tertiò venarum istarum mesaraicarum velut radicum ab intestinis & ventriculo suctionem : quæ tria sufficiunt ad naturalem famem constituendam partibus omnibus insitam. Quartò suctionis istius in orificio ventriculi, velut extremo termino, sensum. Quintò denique huius à communi sensorio, nempe cerebro perceptionem, per conuenientem spirituum influxum & communicationem : vnde exoritur appetentia seu fames animalis. Cui vt stimulum adhuc adderet natura, curauit deportandam ex liene portionem succi melancholici, qui suâ aciditate & adstrictione partem hanc contrahendo & vellicando memorem officij sui redderet.

Quot igitur causæ sunt naturales ad excitandam appetentiam necessariæ, totidem etiam erunt quæ illam imminuere aut abolere poterunt. Vtque ad construendum multa requiruntur, ad destruendum verò pauca sufficiunt: sic vna ex illis vel duæ sufficient ad actionis istius læsionem Quando igitur tanta est crudorum in corpore succorum copia, ob intermissas exercitationes, vacuationes solitas & similes causas, vt vix quicquam eorum resolui possit : vel tanta adest pinguedinis moles, quæ partibus ipsis ad alimoniam sufficiat, aut certè magna exteriorum cutis pororum constipatio : vel etiam ingens caloris natiui languor & imbecillitas, vt vix quicquam substantiæ partium dissipare valeat, aut illius conuersio ad pepasmum humoris alicuius morbifici, neglectâ interim verâ corporis nutritione, vt in febribus contingit : certè harum vnâ vel aliquot concurrentibus pauca fit in externis partibus inanitio, vnde nulla etiam aut exigua ab internis tractio, cuius defectu perit appetentia. Hinc mira narrantur de mulierecularum quarumdam & pituitosorum hominum abstinentiâ, quæ non solùm per aliquot menses, sed ad triennium vsque perduraſſe fertur. Serpentes, vrsi, glires, hystrices, & extera animantia pinguiora in cauernis per totam hyemem constipatis poris, & somno sepulta latitant absque vllo cibo. Apud Hippocratem senes duplici de causâ ad ferendum ieiunium apti habentur *Aphor.* 13. *sect.* 1. ob crudi scilicet succi copiam, & caloris infirmitatem : vt etiam qui carnes habent humidas, *Aphor.* 69. *sect.* 7. quod genus causæ expressisse videtur *Aphor.* 4. *sect.* 2. dum τῷ λιμῷ πλησμονὴν, id est, fami & appetentiæ repletionem opponit.

Secunda verò causa erat, quando partes quidem exinaniuntur & deplentur, ob exolutum tamen illarum robur & potentias naturales, non trahunt à vicinis & interioribus ; sed velut effœtæ & muneris sui oblitæ languent. Hoc sæpè contingit per magnas intemperies, vt febres hecticas, syntecticas & pestilentes partium vires admodum eneruantes : Item per vacuationes nimias, vt fluxus hepaticos, hæmorrhoidales, vterinos, hæmorrhagias diuturniores è naribus, sudores diaphoreticos, exercitationes immoderatas, præcipuè veneream, inedias longiores : quæ non solum secundarias illas membrorum humiditates depopulantur, sed ad humidum vsque primigenium deueniunt, quo exoluto omnis potentia naturalis, & præcipuè vis illa ἑλκτικὴ prosternitur.

Tertia verò causa accidit, quando partes quidem externæ inaniuntur & inanitæ trahunt à vicinis, donec ad iecur gratioſi humoris fontem deueniatur, & ipsas venas mesaraïcas, velut radices intestinis implantatas ad exugendum chylum, primarium scilicet illud alimentum in ventriculo elaboratum. Quæ aliquando propter obstructiones aut ἀτονίαν insignem nihil possunt illius materiæ prolectare, neque ventriculi orificio, velut extremo suctionis termino, diuulsionis sensum inferre. Hoc sæpè videre est per diuturnos iecoris morbos, magnas mesenterij & partium vicinarum ἀιαφράξεις : Tunc enim nulla concitatur ὄρεξις, nulla animalis appetentia defectu suctionis ; sed confectus chylus per intestina posterioremque anum effluit, nullo exinanitarum partium aut trahentium fructu, vnde accidit totum corpus sensim contabescere.

Quarta denique causa, quæ etiam quintam complectitur, erat, quando suctionis sensus non fit, aut imminutè fit in orificio ventriculi : quantumuis inanitis partibus trahentibusque per venas mesaraïcas bene dispositas. Vt enim fiat hic sensus in stomacho, & percipiat diuulsionem factam, requiritur tum bona illius temperies, tum ea quæ extrinsecus ad hanc sensationem concurrere solent : nempe facultas animalis libera, tam ratione primi sensorij, quam influxus & succi melancholici ex liene

liene in ventriculum debita effusio, vt dicebamus. Hinc apud Hippocratem σπληνικοὶ, quibus scilicet lien obduruit aut inflammatus est, ἄσιτοι καὶ ἀνόρεκτοι permanent, appetentia illis omnino prosternitur, tum ob sympatheiam viciniæ, tum priuationem materiæ illius vellicantis & irritantis stomachum. Quibus verò animalis facultas concidit aut deprauata est, quibus mens ægrotat, vt loquitur Hippocrates; per apoplexias, lethargos, phrenitides, & similes affectus, illi factam in stomacho suctionem non percipiunt, ob læsionem primi sensorij. Vnde apud Hippocratem, in causâ sitiferâ non sitire, in causâ dolorificâ non dolere, in malis habetur. Illud etiam præstare potest particularis neruorum sextæ coniugationis, quibus viscera ista interna irrigantur, affectus, vt paralysis, obstructio, aut stupefactio ex vsu refrigerantium & narcoticorum contracta. Atque istæ omnes sunt remotiores appetentiæ abolitæ vel imminutæ, causæ.

At verò proprij affectus stomachi, illique ἰδιοπαθικῶς inhærentes, principaliter appetentiam tollunt aut imminuunt: quæ cum fiat per modum sensus tactus, certum est etiam à vitiata illius temperie potissimùm proficisci: nam solutiones continui, & organi læsiones, vulnera, vlcera, lumbrici & similia illud tantum per accidens aut remotè præstare valent. Porrò intemperies tùm materiales, tum immateriales hoc efficere valent, præcipuè quando valde excedunt: duæ potissimùm, calida scilicet & frigida. Calor enim ingens absque humore, resoluendo dissipandoque violenter humidam substantiam, famem tollit, quæ est appetitus calidi & sicci; sitim verò auget, quæ fertur in frigidum humidumque, vt patet æstatis tempore, in eis qui valida subeunt exercitia, calidioribus vtuntur balneis, vt Balerucanis; aut alia ratione internum calorem supra modum augent. Frigus etiam absque humore intensum nimis, appetentiam abolet: idque tam actuale, quando, verbi gratia, viscera ab externo aëre, sumptâ vel admotâ aquâ gelidissimâ, niue, glacie, argento viuo, & similibus ita refrigerantur, vt in κάρωσιν incidant; quàm priuatiuum vt vocant, ab exhausto calore nostro insito, quod Galenus κάρωσιν appellat, vt per longas hæmorrhagias, alui fluxus, febres ardentes, & similia, quibus exhauritur ventriculi & aliarum partium robur.

Calida verò intemperies cum humore illud multo potentius præstare valet: nam putres, virulenti, & inflammantes succi quoquomodo in ventriculo subsistant, maximas inappetentias inferre solent: siue propter illius vitiatam coctionem calidiores & nidorosi humores ibi congerantur: siue ex aliis partibus male affectis illabantur. Quod eadem ratione contingit in frigidâ intemperie humorali: quamuis enim moderatum frigus ad excitandam ὄρεξιν videatur accommodatum, tamen vbi latitudinem mediocritatis excesserit, contrarium præstare consueuit. Nam pituitosi succi viscidi ac lenti copia in ventriculo collecti per apepsias, vel aliunde illapsi ex toto corpore, vt in illis qui propter assuetas vomitiones allicere solent aliarum partium impuritates in ventriculum: aut ex cerebro, vt phthisicis similibusque hominibus catarrhosis contingit. Nec non etiam melancholici succi maior quantitas eò irrumpentis ex liene aut vtero, suppressis scilicet mensibus aut hæmorrhoidibus consuetis, repletionem faciendo quam vocant imaginariam, & calorem quasi suffocando appetentiam imminuit & tollit, vt satis quotidiana docet experientia. Atque hæ sunt internæ causæ, quæ appetentiam prosternunt aut abolent, quæ externarum, vt aëris, alimentorum vitiatorum & similium vim sæpius consequuntur: sine quarum præcedenti cognitione, propositi affectus διάγνωσιν, πρόγνωσιν, & θεραπείαν stabilire vix erat possibile. Nunc itaque ad signa diagnostica accedamus.

Actio igitur ista læsa primò indicat ventriculi orificium esse affectum, vbi istius suctionis sensus præter naturam amissus est, vel imminutus. Vtrum vero id fiat per ἰδιοπάθειαν, vel συμπάθειαν, distinguendum erit ex signis morborum & causarum diuersarum iam à nobis propositarum. Etenim si ista inappetentia contingat ex defectu inanitionis totius corporis, ob crudorum succorum, sanguinis aut pinguedinis redundantiam: ob poros cutis adstrictos, caloris natiui infirmitatem aut reuocationem: illud cognoscetur ex naturali ægrotantis ipsius temperamento, ætate, sexu, colore, densitate cutis, obesitate & venarum repletione: ex viuendi ratione opimâ, intermissis exercitationibus & vacuationibus, somno longiore & similibus, quæ implere corpora apta sunt, parum verò resoluere. Secundæ verò causæ signa, quando partes exinanitæ non trahunt, propter earum exolutionem: habebuntur ex cognitione causarum, quæ calorem natiuum exhaurire & vim facultatis opprimere

Digitized by Google

mere possunt, siue sint vacuationes immensæ, siue malignæ febres, & aliæ constitutiones, quæ vel præcesserunt, vel adhuc sunt præsentes. Quod si iecur & venæ meseraïcæ, vt in tertiâ causâ dicebamus, deficiant in illa suctione quam debent exercere, ab intestinis chylosam materiam prolectando, respicienda erunt signa obstructionum & debilitatis istarum partium, quæ propriis suis tradentur capitibus: necnon ipsius lienis conditio consideranda, vtrum tunc male sit dispositus ad sufficiendam portionem illam benigniorem succi melancholici, quam natura sollicitandæ huic apperentiæ dicauit. Denique si sensus tactus sit læsus in ipsis neruis, vel cerebrum ipsum male affectum, quod in quartâ & quintâ causâ annotabamus, id ipsum innotescet ex communibus illarum partium signis, quæ ex propriis etiam tractationibus sunt repetenda.

Quòd si illa omnia deficiant, neque insignis vllus lapsus appareat in omnibus illis causis, quas appetentiam ipsam præcedere & comitari debere diximus: tunc conuertendus erit animus ad idiopathicos ipsius stomachi morbos, & eorum causæ per solitos signorum fontes inuestigandæ. Relictis igitur aliis affectibus, qui ἀνορεξίαν non tam propriè excitare valent, calidam illius intemperiem sine humore designabunt, causarum externarum quæ prægressæ sunt aut adhuc præsentes, agnitio, æstus in præcordio circa cartilaginem illam xiphoidem sensibilis, sitis immodica, & linguæ fauciumque quædam ariditas insolens. Quod si humori iunctus sit calor, aliquando cum febre est, aliàs sine febre: aliquando à parte aliâ profluens, aliàs ibi collectus. Alterius itaque morbi & affectæ partis cognitio, cum qua intenditur & mitescit ista inappetentia, vt inflammationes hepatis aut aliorum viscerum, cystidos felleæ obstructio, & similium; notum faciet istos humores indo in ventriculum irrumpere: quod si illa absint, accusanda veniet propria ventriculi intemperies, aut vitiatorum alimentorum vsus, ex quibus pessimi isti & feruentes succi colliguntur. Huic vt plurimùm cardiogmos, nausea & vomitus, vel etiam diarrhœa coniunguntur, ex cuius excreti qualitatibus innotescet peculiaris dominantis humoris natura.

In frigidâ autem intemperie simplici, quæ à causâ actu frigidâ ortum duxit, vt in illâ quæ niuem comedebat; illius vsus idem demonstrabit, & frigoris actualis sensus in illâ parte. Si verò pendeat ab exolutione & mortificatione caloris natiui, illud etiam facile erit discere ex rebus illis quæ præcesserunt, & humiditatem partium propriam, caloriscque natiui pabulum corrumpunt: vnde non solius appetentiæ, sed omnium aliarum functionum naturalium labes subsequitur. Quod si frigiditas humori sit iuncta, pondus & grauitas præterea in hoc viscere sentietur, ructuum crassorum aut acidorum copia infestabit, concoctioniscque imbecillitas apparebit, siue id fiat per sympatheiam, siue per idiopatheiam, vt iam dictum est.

Ad intemperies etiam istas ventriculi deregendas, non parum proderit obseruatio iuuantium & lædentium: credibile enim est vnamquamque à suo contrario oppugnari & mitescere, nisi hoc fiat per accidens. Denique causæ omnes naturales, non naturales, & præter naturam erunt hic solitâ methodo peruestigandæ.

Vt autem prognosim in hoc affectu stabiliamus: sciendum est primùm, bonam vel malam appetentiam non solùm in propriis stomachi affectibus, sed in aliis fere omnibus morbis, velut actionem publicam, aliquid fausti vel infausti portendere posse. Celeberrimum enim est illud Hippocratis, *Aphor.* 33. *sect.* 2. & in prognost. ***Bene se habere ad ea quæ offeruntur in omni morbo, bonum***: vt causa, quia conuenienter assumptis alimentis, commodè reficiuntur ægri: & vt signum, quia bonam constitutionem partis huius, tantopere ad vitam conseruandam necessariæ, ostendit. Contra verò in longis morbis 6. *sect.* 7. & diuturnâ dysenteriâ 3. *sect.* 6. ἀνορεξίαν summopere exhorrescit, tanquam vltimam ægrotantis calamitatem, si illi iungatur alui fluxus; vnde 1. *epid. part.* 2. vocat μίγιστον καὶ κάκιστον σημεῖον, aliàs κακοηθέστατον, si ab exolutione caloris natiui pendeat: aliàs non tam mortiferum est signum. Verbi gratia si à caliditate solâ, vel frigoris excessu oriatur, aut ab humorum repletione cacochymicâ, quæ solâ purgatione indiget. Hinc 7. *epidem.* Cleomenis filio cibi fastidium citra febrem totos duos menses perdurauit ex pituitæ crudæ & viscidæ copiâ, sed quæ tandem vomitu fuit excluſa. In febre etiam, potissimum incipiente aut vigente, non vsque adeo mala est ἀνορεξία, quia tunc natura putrescentium

Digitized by Google

humorum pepasmo intenta minus appetit alimentum, quod illam ab instituto suo reuocaret, vt eleganter docuit Hippocrates *Aphor.* 32. *sect.* 2. denuò vero, post sedatam febrem & humores morbificos excluſos & quasi suâ sponte excitatur. In pueris quidem inappetentia magis est grauis, quam in aliâ ætate, propter humidam valde & dissipabilem substantiam qua præditi sunt. In conualescentibus autem recidiuam minitatur ex reliquiis morbosis, vnde idem Hippocrates 8. *sect.* 2. vult eos vacuatione indigere. Necnon *sect.* 4. *Aphor.* 17. quando sine febre infestat cardiogmos, apositia, scotodinos & oris amaritudo, pharmaciâ opus esse docuit. Atque hæc de *προγνώσει*.

Therapeiam autem istius affectus tradituri, non omnium dispositionum curationem meditamur, quæ appetentiam imminuere aut abolere possunt: vti repletionis totius corporis ob sublatam inanitionem, debilitatis partium aut caloris in toto, obstructionis aut inflammationis lienis, hepatis, mesaraïcarum vel multiplicium morborum, qui cerebrum aut neruos occupare solent: quoniam illa ex propriis suis locis sunt repetenda: sed tantum idiopathicorum stomachi affectuum, qui ad appetentiæ læsionem præcipuè faciunt. Quamuis igitur vlcera, phlegmonæ, lumbrici, & similia idem præstent, quia tamen eorum curatio à nobis iam est tradita, vel in sequentibus tradenda, ideo de illis nunc agendum non est. Supereſt tantum intemperies stomachi calida frigidaque, materialis vel sine materiâ, quæ videntur hoc loco proponendæ. Rursum quia intemperies sine humore alteratione tantum indiget, quam licebit repetere ex intemperiei humoralis curatione: idcirco de duorum tantum morborum ventriculi therapeiâ agemus, intemperiei scilicet calidæ & frigidæ, cum humorum vitio coniunctæ, ex quibus vt plurimum idiopathica *ἀνορεξίαι* dependet.

Curatio ἀνορεξίας ab intemperie calidâ stomachi. Intemperies calida stomachi vel cum febre est, eamque sequitur, vt prius dicebamus; vel sine eâ subsistit. Quæ cum febre est, illâ sublatâ etiam tollitur, vt nullam peculiarem curam exposcat. Quæ sine febre existit, quamuis aliquando eam subsequatur, vt in conualescentibus, nobis est nunc tractanda. Imprimis itaque constat diætam, ex rerum sex non naturalium moderatione constitutam, hic esse stabiliendam: quæ non solùm ad conseruationem corporis viriumque sufficiat, sed etiam oppugnandis causis morbificis tam externis quam internis, huicque constitutioni peculiariter resistat, vt sæpè inculcatum fuit à nobis in doctrina vniuersali indicationum. Ideo aër purus & frigidiusculus hic erit eligendus, quod si non liceat commodè in loco vbi æger moratur, mutatio soli ad montes & versus septentrionem erit conualescentibus, aut alio modo calfactis & æstuantibus circa ventriculum, ex consilio Hippocratis proponenda, quo solo multos vidimus pristinæ sanitati restitutos. Aliàs omni arte procuretur, vt domus, cubile, stragula, & similia bene munda, odorata & aëre perflata existant: ne tamen somno indulgeant lõngiori quo incalescerent magis viscera: vitent etiam vigilias immoderatas, labores & exercitationem omnem, studia, curas, & omnia animi pathemata vehementiora, ne exsiccetur magis corpus, & bilis commoueatur: ex dicto enim Hippocratico, *Vbi fames, ibi non est laborandum.* Solitæ vacuationes tam naturales, quam arte paratæ, si fuerint suppressæ aut languidiores, denuò procurentur.

In alimentorum autem vsu omnia non solum potestate, sed etiam actu frigidiuscula exhibeantur. Varia ciborum genera parcè & eleganter parata, etiam grato quodam, si fieri possit, odore perfusa offerantur, vt omni arte irritetur languidior appetitus. Imo aliquid assumere inuiti aliquando cogantur: quia multi sæpè non appetentes mensam accedunt, quibus, vbi comedere inceperint, reuiuiscit sopita appetentia. An quia obiectum mouet potentiam? vel quia roborata illo cibo facultas, reliquum deinceps melius appetit? aut denique quoniam alimenti illius quantitate stomachi intemperies quodammodo repressa fuit? Sic enim æstate lactucas, portulacam, endiuiam & similia olera refrigerantia aceto intincta assumentes primâ statim mensâ, appetentiam ab intemperie aëris calidiore deiectam exsuscitamus. Debet etiam istis inappetentibus, ex consilio Hippocratis *Aph.* 38. *sect.* 2. concedi aliquando cibus paulo etiam deterior, si sit expetitus, & illis gratior, quo veluti illecebrâ commoueatur ventriculus ad reliquos alacriùs appetendos. Quicunque porrò *ἀνορεξίαι* ex quacunque causâ laborant, fugere debent omnia pinguia, oleosa, butyrosa, & admodum dulcia, quia oblinendo ventriculi

oſculum

oſculum ſummam ſtatim ſatietatem inferunt. Cauendum etiam, ne in ingreſſu menſæ iuſculum aliquod conſummatum,aut vinum meracum generoſum aſſumant: quia hæc,ex *Aphor.* 21. *ſect.* 2. celeriter nutriendo & quaſi ſatiando appetentiam ceſſare faciunt.

Quod ad ciborum quantitatem, ſit potius exigua quam multa, & ex interuallis ſumpta, ne vnâ vice facultas ſtomachi opprimatur. Condiantur omnia edulia, quæ euchyma, & eupepta eſſe conuenit, aceto roſaceo, omphacio recenti, ſucco oxalidis, granatorum, arantiorum, limonum & ſimilium acidorum. Miua cydoniorum dicta, ſine aromatibus parata, vel ipſa cydonia mala, poma acidula & pyra ſub cineribus cocta illis erunt poſtremo menſæ ferculo offerenda, ad ventriculi orificium roborandum:frigidam potent aquam puriſſimam,ex fonte optimo ſcaturientem,vel colatam:aut vinum album ὀλιγόφορον,modicè adſtringens & bene dilutum.

Stabilitâ itaque hoc modo conuenienti diætâ, aliorum etiam remediorum vſus eſt implorandus: quo cauſæ iſtæ humorales tam antecedentes, quam coniunctæ vacuentur, præparentur, alterentur. Quæ cum poſitæ ſint in purâ cacochymiâ primæ regionis,non tam phlebotomiam quam κάθαρσιν exigunt, benignam aut mediocrem, humoris bilioſi aut alio modo calidioris, per varias remediorum formulas, quas frequenter repetere conueniet, vt imbutus in parte humor ſenſim eliciatur. Ad hoc igitur facient myrobalanorum citrinarum cum pauco ſantalo rubro decoctum in ſero lactis, decoctum tamarindorum in aquâ roſarum: rhei infuſum in aquâ endiuiæ: vel eius puluis ad ʒ j.cum pari pondere conſeruæ roſarum mixtus in formam boli. Item ſyrupus roſatus ſolutiuus, de cichoreo compoſitus cum rhabarbaro,vel de floribus perſicorum ex deſcriptione Fernelij,in conuenienti liquore diſſoluti. Quibus ſolida medicamenta magis placent, exhibeatur ʒ j. aloës optimæ, ſucco borraginis lotæ,cum ϑ ß.ſantali rubri.Fiant pilulæ ſex deauratæ. Capiat duabus horis ante prandium per aliquot dies.

Ad alterandum verò faciet julepus Alexandrinus, ſyrupus acetoſus ſimplex, de limonibus, de agreſtâ, de granatis acidis, de ribes, de ſucco perſicorum immaturorum, ex deſcriptione Fontanoni; de endiuia: cum aquis cichorei, acetoſæ, lactucæ, borraginis, roſarum in julepos concinnati & frigidiuſculè ſumpti. Poteſt etiam iſta alteratio iucundius perfici iuſculis pullorum, paratis cum herbis refrigerantibus. Quin etiam temperabitur humor ac roborabitur pars ſumptis tabellis quibuſdam, conſeruis aut opiatis, prout magis erit gratum. Proderunt enim tabellæ diamarg. frigidi, triaſantali, conſeruæ florum violæ, roſarum, cichorei, borraginis, caulium lactucæ, aut corticis cucurbitæ, carnis limonum & ſimilium, aquâ frigidâ immerſorum, vt ſaccharum abluatur. Vel, ſi lubeat,ita concinnetur opiata.

℔ Caulium lactucæ & corticis cucurbitæ ſaccharo conditæ, ana ℥ j. conſeruæ roſarum, florum cichorei, & borragin. ana ℥ ß. ſantali rubri, coralli rubri & cryſtalli puluerisator. ana ʒ ß. trochiſc. de ſpodio & ſeminis acetoſæ, ana ϑ j. Cum ſyrupo limonum fiat opiata, cuius capiat ad quantitatem caſtaneæ mane & ſero, duabus horis ante paſtum, ſuperbibendo, ſi voluerit, parum vini albi diluti, aut julepi Alexandrini. Noſtra hac tempeſtate ſolemus vt plurimum redundantes iſtos humores, præcipuè autumni aut veris tempore, alterare ſimul & expurgare apozemate aliquo, in quatuor aut quinque doſes matutinas inſtituto, cuius hæc eſſe poterit formula ad humorem bilioſum ἀνορεξίας iſtius cauſam.

℔ Rad. cichorei, gramin. & acetoſ. ana ℥ j. bugloſſ. borrag. cum toto, endiuiæ, cichorei, lactucæ, portul. agrimon. & cardui bened. ana M. j. capill. vener. & ſummit. abſint. pont. ana M. ß. ſemin. acetoſ. berberis, & melon. ana ʒ ij. prunor. acidor. & tamarind. ping. ana ℥ ß. myrobal. citrin. aquâ roſar lotor.ʒ vj. flor. viol. roſar. & borrag. ana M. ß. Fiat decoctio in ſero lactis, ſi reperiatur,vel aquâ fontis ad ℔ j.ß.In quâ diſſolue ſyrup.roſat.ſolut. & de floribus perſicorum,ſi habeatur,vel de cichor.compoſito cum rhabar.ana ℥ ij.ß. Fiat apozema clarif.& aromat.ʒ j.ß.pulu.elect. triaſant. pro quinque doſibus. In quarum primâ & vltimâ diſſolue,ſi opus fuerit maiori purgatione,elect.de ſucco roſarum ʒ iij.plus minus pro vario ægrotantis robore.

Interea dum hæc fiunt,non erunt omittenda externa remedia.Trallianus malum cydonium in oxycrato decoquit,contundit, oleo cydoniorum emollit & ventriculo

Digitized by Google

applicat ſubfrigidum, frequenter renouando. Si vis, paretur ſequens vnguentum.

℞ Olei roſacei, myrtin. & cydon. aquâ acetoſ. lotorum, ana ʒ ij. ſantalor. omnium, coralli rubr.coriand.præpar.& roſar.rubr.ana ʒ j.granor.ſumach & ſpodij, an. ʒ ß.ceræ albæ q.ſ.Fiat linimentum, quo ſubtepido,& in volâ tantùm manus agitando, caleſcente inungatur ſtomachus, addendo guttas aliquot aquæ roſarum vnctionis tempore. Proderit etiam parti frequenter admouere magma roſarum aceto maceratum, aut leuiter irroratum, quod renouandum erit, priuſquam incaleſcat.

In hoc etiam caſu non parum laudarem vſum balnei vel ſemicupij refrigerantis & humectantis, quo maximè recreantur conualeſcentes poſt leuem purgationem, & in priorem conſtitutionem atque appetentiam ſæpius reſtituuntur. Quod omnia prudens Medicus, pro naturâ ægri & variis circunſtantiis, moderabitur.

Curatio ἀνορεξίας ab intemperie frigidâ ſtomachi. Vbi verò ἀνορεξία ſoboles eſt crudioris frigidioriſque ſucci, pituitoſi aut melancholici, ſimplicis vel mixti; tunc contrariis penè inſiſtendum remediis, videndumque imprimis, an humoris illius in ventriculo redundantis ſynatriſmos pendeat ex communicatione cerebri, lienis, vteri, & ſimilium intemperie laborantium, quæ primùm erit corrigenda: ne fruſtrà circa partem affectam laboremus, perſiſtente primario affectu. Poſtea conuertendus erit animus, ad oppugnandam ſtomachi δυσπεψίαν, vacuando, alterandoque. Inſtituenda ergo victus ratio calfaciens & exſiccans modicè, ſecundum gradum propoſitæ intemperici. Ad hoc facient aër purior, & ſecundum qualitates actiuas temperatus, quoniam calidior numquam appetentiam iſtam animalem, quæ fames dicitur, iuuare poteſt, quia diſſoluit robur calidi innati in quo fundata eſt iſta functio. Si aliqua exercitatio aut vacuatio ſit intermiſſa, vnde iſta repletio contigiſſe videatur, denuò reuocetur: aut ſaltem frictiones crurum & extremitatum verſus inferiora inſtituantur mane poſt depoſita communia alui & veſicæ excrementa. Omnis metus & mœſtitia, omne ſtudium immodicum, vigiliæque diuturniores vitentur, quia corruptâ coctione etiam appetentiam imminuunt. Debent iſti plus labori quam otio, plus vigiliæ quam ſomno eſſe addicti, vt fiat conueniens inanitio & ſuctus externarum partium.

In alimentorum vſu vitanda repletio nimia, cibíque craſſiores & inſipidi, vt panis azymus & inſulſus, carnes ſuillæ, bouinæ, anſerum & ſimilium, niſi modico ſale aſperſæ, quia ſic vellicando ventriculi orificium, & pituitam illi hærentem diſſoluendo, appetitum irritare poſſunt. Idem dicas de piſcibus, potiſſimum viſcoſis, & cetaceis, leguminibus, caſtaneis, nucibus, oleribus crudis, caſeo recenti & pingui, quæ ſubito & nimium implendo faciunt famem ceſſare, vt etiam vina craſſa, rubra, dulcia, aut alio modo vitiata. Vtantur itaque pane puro, recenti & bene ſubacto, carnibus perdicum, gallinarum & auium montanarum bene paratarum, piſcibus ſaxatilibus, frixis & pipere conditis, reliquiſque aromatibus cinamomo, garyophyllis, nuce moſchatâ & ſimilibus, ad roborandum, calfaciendum & vellicandum ventriculum comparatis. Crocum tamen peculiariter appetitui officere annotauit Auicennas: quia fortaſſis nimis odoratus & ſpirituoſus ſubitò reſtaurat vires & ſatietatem quamdam repræſentat, ad quam ceſſat appetentia. Ius autem columbarum cum vuis paſſis paratum, hîc valde commendat Trallianus: vt & vinum tenue, rubrum, & generoſum modicè ſumptum. Alimenti autem medicamentoſi vicem obtinebunt oliuæ, quas Græci κολυμβάδας vocant, ſale conditæ & aceto perfuſæ, cappares, fœniculus marinus, eodem modo parata, cum aliis cibis ſumpta, quæ incidunt mucoſam materiam, & ſtomachi ſopitas vires irritant. Sunt etiam qui valde iuuantur ſinapi noſtro more parato, quia calfacit ſimul & incidit ac coctionem iuuat.

Præcipuè autem munditia ſeruetur & varietas in cibis, quæ vt iam fuit annotatum, multum poſſunt ad prouocandam appetentiam. In fine paſtus ſumere poterunt miuam cydoniorum cum aromatibus, nuces iuglandes garyophyllis confixas & ſaccharo conditas, corticem citri aut arantij pariter conditum, & ſimilia, quæ in quotidiano rerum vſu erunt animaduertenda.

Vt verò humor iſte qui in ventriculo reſidet, inde educatur, ſi quidem æger ad vomitum comparatus videatur, proritari poterit ſumptâ tepide & ieiuno ventriculo ʒ j. oxymel. ſcillit. diſſolut. in ℔ j. decocti hordei & ſeminis raphani. Quod ſi deiectio

deiectio magis competere videatur, quia auertit materiam deorsum, quæ vomitu sursum versus impellitur ad partem affectam: purgentur sæpius exhibita tabellâ elect. de citro solut. ad ʒ vj. quæ dissoluatur cum decocto menthæ & absinthij pont. vel pilulis de hierâ aut aggregatiuis ad ʒ j. sumptis. Vel parentur sequentes.

℞ Aloës electæ succo absint. nutritæ ʒ j. agarici trochisc. ʒ ij. rhabarb. puluer. ʒ j. nucis mosch. & spicæ nardi, ana ʒ ß salis gemmei & tartari albi, mastich. & cinam. ana ℈ j. Cum syrup. de menthâ fiat massa pilularum, de cuius ʒ j. fiant pilulæ quinque deauratæ, quas capiat mane, vel capiat duas tantùm horâ vnâ ante cœnam alternis diebus; sic enim sensim vacuabitur iste humor, intemperies corrigetur, & pars ipsa roborabitur. Si quis delectetur liquidioris remedij formulâ, præscribi poterit sequens apozema.

℞ Rad. acori vulgaris, cyperi, & calami arom. ana ℥ j. cort. citri sicci & rad. salsæ parillæ minutim incisæ, ana ʒ vj. herbarum absint. pont. menthæ, maioran. chamædr. summit. fumar. & hyssop. ana M. j. semin. citri & anisi, ana ʒ ij. sennæ mundat. ℥ ij. semin. carthami contus. ℥ j. agaric. trochisc. at. in ligat. positi ʒ iij. epithymi, florum saluiæ, anthos, & lauend. ana P. j. Fiat decoctio ad ℔ j. ß. In qua dissolue syrup. de absint. pont. & cond. calami aromat. ana ℥ ij. Fiat apozema clarificatum & aromatizatum cinamomo & puluere aromatici rosati pro quatuor aut quinque dosibus matutinis. In primâ & vltimâ dissolui poterit ad vberiorem purgationem, tabella electuar. de citro solut. ℥ ß. rhabarb. pulu. ℈ j. Detur cum custodiâ.

Ad alterandum verò & roborandum nihil est antiquius vino aut syrup. absinthino conuenienter parato, quod familiaritate quadam ventriculo est amicum, concoquit & modicè deterget. Si multum sit frigida ista materia, paretur etiam syrupus de mentha & vinum Hippocraticum dictum, cum cinamomo & pauco zinzibere albo. Aliquando oxymelitis optimi semuncia cum decocto menthæ dissoluta valde profuit in dissipandâ pituitâ istâ viscidâ & lentâ. Laudarem ego etiam decoctum guaiacinum, aut ligni sassafras, in plures dies cum leui sudore, quia roborat valde & discutit humiditates istas superfluas: aut sine sudore in debilioribus. Sunt etiam qui aquarum nostrarum Balerucanarum, nitro & sulphure constantium, largiore potu per tres aut quatuor dies repetito, appetentiam recuperarunt, quia eluunt valde & expurgãt sordes istas ventriculi & intestinorum. Tabellæ aromatici rosati Gabrielis huic affectui videntur dicatæ, necnon mithridatium, aurea Alexandrina, & theriaca optima iam antiquior. Si vis, parentur pilulæ sequentes, & opiata ad alterandum & roborandum.

℞ Nucis mosch. garyophyll. cinam. elect. ana ʒ j. puluer. elect. aromat. rosati ʒ ß. piperis longi, ligni aloës & cubebarum, ana ℈ j. rosar. rubrar. & ambræ griseæ, ana ℊ. v. Incorporentur cum syrupo de absinth. fiat massa pilul. de cuius drachma fiant sex deauratæ. Capiat vnam vel duas horâ vnâ ante singulos pastus.

℞ Miuæ cydon. cum aromat. ℥ j. ß. cortic. citri & arantior. sacchar. condit. & bene contus. ana ℥ ß. myrobal. saccharo conditam & nucem iuglandem pariter conditam, ana numer. j. puluer. aromat. rosat. & confection. alkermes, ana ʒ ß. theriacæ veteris ʒ iij. Cum syrup. condit. calami aromat. fiat opiata, de qua capiat ad quantitatem castaneæ singulis diebus mane, quando non vtetur aliis remediis, superbibendo modicum vini generosi.

Sunt etiam qui in hoc casu aquam imperialem dictam valde extollunt, ad cochlear vnum sumptam ieiuno ventriculo. Hodie multæ aliæ aquæ similes & aromaticæ parantur, non infælici successu in his ventriculi affectibus.

Interim non erunt omittendi clysteres sæpius repetiti ad sollicitandam aluum pigriorem, & deturbandam versus intestina materiam istam pituitosam: qualem inter alios probant Practici ex vrinâ pueri impubis & vino albo paratum, in quibus dissoluunt fermenti ℥ ß. vel hieræ picræ ℥ j. cum pauco melle rosato.

Dum hæc peraguntur, exterius admoueri poterunt orificio ventriculi, oleum nardinum, absinthinum, muscatellinum, de nuce moschatâ, de garyophyllis, ceratum stomachicum Galeni & similia. Vel paretur sequens.

℞ Olei nardini & de absint. ana ℥ iij. succi menthæ & vini optimi, ana ℥ ß. Decoquantur ad succi consumptionem. Post adde cinamomi crassi, nucis mosch. garyophyll. seminis coriandri & aloës, ana ʒ j. ß. puluer. elect. aromat. rosati ℈ j. Cum paucâ cerâ fiat linimentum, quo inungatur ventriculus ante singulos pastus. Forus eodem modo fieri poterunt cum sacculis plenis absinthio, mentha, maior.

cortice citri, calamo aromat.& cinam. craſſiore,quibus rubro vino calente aſperſis foueatur prædicta regio. Creditur etiam pellis vulturis aut ſtruthiocameli ſupra ventriculi regionem geſtata, non ſolum coctionem iuuare; verum etiam deperditam appetentiam reſtituere. Sed quoniam de his rurſus acturi ſumus capite de apepſiâ & dyſpepſiâ, ideo huic finem imponamus.

CAPVT III.

De fame caninâ & boulimo.

APPETENTIA orificio ventriculi inſita, quando præter naturam conſtituta eſt, vt cæteræ actiones, aut non fit omnino, vel fit imminutè,aut deprauatè. Deprauatur autem dupliciter, in quanto & in quali, videlicet quia magis appetit quàm opus ſit ad alimoniam, & cum dolore; aut quia quando non oportet & alendo corpori minime congrua appetit. Abolitam ergo prius & imminutam appetentiam explicuimus; nunc de eadem præter modum auctâ, ſequenti capite de deprauatâ ſecundum obiectum acturi.

Cæterùm multis nominibus auctas iſtas appetentias antiqui donauerunt: omnem enim manifeſtum penuriæ alimenti ſenſum ὄρεξιν, Latini appetentiam dixerunt. Quæ ſi ſit intenſior & moleſta, ex defectu alimentorum, vt in annonæ penuriâ, aut per indicta ieiunia, λιμὸς fames appellatur. Atque hæ duæ diſpoſitiones intra ſanitatis limites contingunt: natura enim doloris ac ſuctionis iſtius ſenſum vni parti indidit, vt reliquum corpus ali conſeruarique poſſet. Eſt tamen aliquando,vbi Hippocr. λιμὸν pro conſtitutione præter naturam ſumpſit, vt *Aphor.* 21. *ſect.* 2.ex ipſiuſmet Galeni interpretatione.

Frequentiora tamen nomina ſunt κυνορεξία, λυκώδης ſeu κυνώδης ὄρεξις, canina fames, lupina appetentia, phagedæna catachreſticus *lib. definitionum medicarum & comment.in 6.epid.* Βούλιμος, Βουλιμία, multa ſeu magna fames, Barbari vaccinam famem ſunt interpretati, βουπεῖνα apud Gellium, κυνωγία apud Pollucem ab efficiente causâ; λιμοκτονία *lib.*3.*de diætâ*, quaſi dicas enecantem famem. Quæ nomina tam perplexè & confuſè ab authoribus noſtris vſurpantur, vt quamuis βούλιμον à κυνορεξίᾳ diſtinguere voluiſſe videantur, in rei tamen naturâ explicandâ, cauſiſque illorum aſſignandis tanta eſt confuſio, vt vix quid ſenſerint ſtatuere poſſis. Nos itaque vitato tantarum dubitationum euripo, illud breuiter ſtabilimus de duobus iſtis affectibus, quod ad rei veritatem & medendi vſum magis facere videtur.

Repetendum itaque ex ſuperioribus, ad appetentiam ſecundum naturæ leges excitandam,præcedere debere partium externarum inanitionem, earumdem à vicinis vſque ad meſaraïcas tractionem, huiuſque tractionis ſiue diuulſionis ſenſum in orificio ventriculi, qui debet eſſe adæquatus ſiue proportionatus ipſi tractioni. Duplex itaque vitium exceſſus poterit in actione iſta contingere, vtpote mixta: vnum reſpectu naturalis illius appetitus, quando partes inanitæ trahunt violenter à vicinis, donec ad ventriculi orificium perueniatur: quod tantâ ſuctionis vehementiâ perculſum, in principio quidem multùm appetit, ſed poſtmodum exhauſtis perit viribus, concidit & eneruatur, nullâ amplius appetentia animali laceſſitum, ſed crebra potius καρδιαλγία, ſyncope & animi deliquio oppreſſum.Hoc igitur vitium peculiariter βούλιμον & βουλιμίαν appellabimus, quod eleganter quidam ex recentioribus famem ſine appetitu vocauit. Barbari,quod bolo vnico ſaturentur ægri, βούλιμον eſſe dictum falsò quidem putarunt linguæ græcæ ignari: rei tamen naturam ſubindicarunt, quia in iſto affectu ægrotantes, quamuis ingenti fame torqueantur, ſtatim tamen exiguo aſſumpto cibo collabitur illa appetentia, permanente anxietudine & moleſtiâ. Vnde illum ita deſcribere licet. βούλιμος eſt ſymptoma appetentiæ ventriculi vitiatæ & præter modum auctæ ob ingentem partium inanitionem,& earumdem nimiam tractionem,ad quam ſequitur cardiogmos frequens & animi deliquium. Cum enim non ſit proportionata iſta inanitio ſiue tractio cum naturali diuulſione quæ efficit bonam appetentiam, exhauriuntur

ſpiritus,

ſpiritus, vireſque ventriculi ita deiiciuntur, vt in hoc affectu pauca ſtatim alimenta ſatient, nullaque nauſeâ aut vomitu infeſtentur, vt in ſequenti affectu; ſed potius rapto in conſenſum corde, lipothymia corripiantur.

Aliud verò vitium quod in hac actione contingit, eſt ex parte animalis appetitus ſupra modum aucti, qui inanitionis partium aut ſuctionis magnitudini etiam reſpondet, ſed multò plus appetit & ingerit quam concoqui aut in corpus diſtribui poſſit: vnde ab eodem Authore hoc vitium vocatur appetitus ſine fame, id eſt naturali indigentiâ. A causâ enim morbificâ irritatus ſtomachus indeſinenter impellitur ad alimenta aſſumenda, more canum aut luporum voraciſſimorum animantium, vt tanta moleſtia & cruciatus ſedetur. Hinc fit vt cibi nimiâ quantitate & nimis frequenter aſſumpti, maneant *incocti* & alienâ quadam qualitate præditi, ſtatimque aut breui interiectâ morâ per vomitum, aliquando per feceſſum excludantur. Vnde famem iſtam caninam ita poſſumus deſcribere.

Κυνορεξία eſt inſatiabilis ciborum appetentia, cum frequenti vomitu aut deiectione materiæ crudæ & inconcoctæ, ob cauſam morbificam continuum diuulſionis ſenſum ſtomacho inferentem. Hunc affectum depinxiſſe videtur Hippocrates *lib. de morbis*, ſub illâ morbi ſpecie, quam ἀναστρω abſumptoriam appellat: ὃκ ἀνίχεται, inquit οὐδὲ ἄσιτος, οὐδὲ βεβρωκὼς, non poteſt ſe continere neque ieiunus, neque paſtus: ieiunus enim torquetur & diuulſiones patitur: plenus autem non poteſt quieſcere, ſed denuò vomit bilem, pituitam, & ſaliuam multam.

Ecce veram, vt quidem mihi videtur, horum duorum affectuum diſtinctionem; quamuis parum à placitis authorum noſtrorum aliquando diſſentientem. In quorum etiam cauſis aſſignandis, veritatis momenta & rei naturam potius ſpectabimus, quam authoritatum aut variorum Galeni locorum diſcrepantiam. Cum enim dixerimus βουλιμίαν pendere à ſummâ inanitione partium, quæ violenter trahentes & exugentes ventriculi orificium, vires animales omnino proſternunt: Hinc exiſtimamus ea omnia quæ multum & validè exhaurire valent partes, aut retentrici magnam imbecillitatem inferre, poſſe etiam cauſas eſſe τῆς βουλιμίας. Hanc enim potius quam caninam appetentiam (quamuis aliter ſentiat Galenus 6. *de loc. affect. cap.* 3.) ſimilem eſſe putamus diabeti ſeu hydropi ad matulam dicto, qui ab inſigni renum calore aut imbecillitate ſolet excitari: quippe in βουλίμῳ, qui rariſſimus eſt affectus, vt diabeticus; oportet eodem modo adeſſe maximum effluuium ſubſtantiæ potiſſimum ſpirituoſæ & humoralis diſſipationem, ad quam ſequitur illa tractio & exolutio. Ad reſoluendum verò & debilitandum, non facit frigus: quamuis enim longâ morâ aut intenſione partibus ψύξιν inferre poſſit, non tamen vnquam efficiet, vt ſubſtantia corporis noſtri digeratur violenter, aut partes prævalidè trahant, vt excitetur iſta βουλιμία: quamuis illud innuere videatur Galenus *commento in Aphoriſ.* 21. *ſect.* 2. *& lib.* 1. *de ſympt. cauſis, cap.* 7. Niſi fortè dicas id fieri per accidens, vt narrant de illis qui per niues iter facientes, corripiuntur aliquando iſta fame ſyncopali; hoc enim fit concentrato nimiùm ad interiora calore, vnde ventriculi & vicinarum partium ſubita colliquatio inducitur. Ruſtici noſtri iſtam famem, quæ iter facientibus per montes nobis vicinos accidit, referunt ad herbam quamdam calcatam, quæ *lunaria*, & *sferra-cauallo* dicitur, cuius vi & proprietate orificium ventriculi ita percelli credunt, viatoribuſque conſulunt, vt ſemper aliquid panis aut alterius cibi ſecum ferant, vt poſſint mederi huic moleſtiæ, qua frequenter matutinis horis aut ieiuni corripiuntur.

Nos itaque dicamus, calorem intenſum, & in partibus iſtis violenter coërcitum, inter præcipuas βουλιμίας cauſas recenſendum, ad quem ſequatur reſolutio, laxitas, & partium imbecillitas, vt in febribus quas vocant colliquatiuas, & in aliis quæ ſudores illos diaphoreticos dictos, inuehunt. Idem poteſt contingere in corporibus humidioribus & delicatis, æſtiuo ardori aut cuiuis intenſiori calori præter morem expoſitis, factâ partium ſubitâ διαφορήσει. Præter calorem etiam omnia quæ primæ & ſecundæ coctionis materiam violenter abſumunt, aut ex corpore manifeſtè euacuant, βούλιμον etiam excitare poſſunt. Inter quæ lumbricos & potiſſimùm latos, recenſet Galenus *lib de theriacâ ad Piſonem*, & multi alij annotarunt, qui præcipuam chyli partem depaſcendo, fames iſtas morboſas inuexerunt. Sic per leienterias, dyſenterias hepaticas, hæmorrhoidum fluxus immoderatos & ſimiles vacuationes, ex retentricis imbecillitate ortas, fit aliquando vt partes ſuo genio defraudatæ, violenter à ventriculo trahentes, robur illius exhauriant, & famem iſtam vaccinam inducant. Retentricis autem imbecillitas & vacuationes

tiones iſtæ immodicæ varias habent cauſas, ex ſuis locis repetendas.

Caninæ autem appetentiæ duas potiſſimùm cauſas ſtatuimus, intemperiem ſcilicet frigidam ſtomachi ſine humore, quam inuexerunt rerum externarum vſus, vt aër frigidior, alimenta acidiora, vigiliæ intempeſtiuæ, manſio in aquâ frigidiore, vnde Hippocrati 6. *epidem.* Aqua vorax, vigilia vorax, & ſimilia, quæ diuulſionis ſenſum facere poſſunt in orificio ventriculi, non tamen eò vſque proceſſerunt, vt colliquationem in partibus, vel mortificationem inducant. At verò cauſa materialis hunc potiſſimum affectum, ſi ſit diuturnior & pertinax, generare ſolet, nempe acidus humor, ſiue pituitoſus, ſiue melancholicus, tunicis ſtomachi infarctus, non tam quantitate, quæ repletionem & ſatietatem faceret; quam qualitate moleſtus, conſtringens & perpetuum ſuctionis ſenſum inferens. Hic autem in ventriculo per cruditates, alimentorum vitia, illiuſque intemperies frigidiores gignitur: vel ex aliis partibus deriuatur, vt capite, liene, & ſimilibus excrementa ſua eò relegantibus. Sunt qui exiſtimant, hunc humorem non tantum qualitate manifeſtâ, ſed etiam occultâ quadam proprietate hunc affectum inducere: quod non eſt improbabile.

Signa autem cauſarum & affectuum *βυλιμίας* ex ſuperioribus repetenda. Nam calidior intemperies ab externis per ſe vel per accidens contracta, ex illorum præſentiâ aut progreſsâ actione eſt manifeſta: quæ verò ſequitur febriles ardores & colliquationes, ex ipſius febris naturâ dignoſcitur, corporis macie, virium collapſu, vrinis ac deiectionibus pinguedine quadam refertis. Quando verò fit à lumbricis chyloſam materiam abſumentibus, ſigna adſunt vermium, ventris morſus, ſtomachi quædam palpitatio, horrores & ſimilia ſuo capite deſcribenda. Inter quæ Ariſtoteles 5. *de hiſtoriâ animalium*, *cap.* 19. lati illius & longiſſimi lumbrici ſignum eſſe vult deiectiones cucurbitularum aut melonum ſemini ſimillimas. Si verò ſequantur vtilis cuiuſdam materiæ vacuationes, vt chyli aut ſanguinis ex retentricis imbecillitate, id agnoſcendum ex rebus naturalibus, non naturalibus & præter naturam à quibus oriuntur.

Quod ad ſigna verò caninæ appetentiæ attinet, ſi à cauſis procatarcticis pendeat, facile cognoſcentur ex præſenti illarum ſtatu: vel ægri aut adſtantium relatu. Si autem interiorem habeat cauſam humoralem, in ventriculo collectam, aut aliunde deriuatam, illa dignoſcetur ſapore oris alieno, ructibus acidis, deprauatáque coctione, ob quam perpetuus fere vomitus adeſt, aut deiectio crudæ, aquoſæ, & incoctæ materiæ, quæ naturam ſuam detegit & repræſentat: conſumitur etiam paulatim totum corpus & contabeſcit communi fraudatum alimoniâ.

Ex quibus etiam *προγνωσιν* horum affectuum ſtabilire licet: nimirum *βούλιμον* & caninam appetentiam, quæ à cauſis pendent externis, parum periculi inferre, ſi illæ citò tollantur aut immutentur, priuſquam firmam in corpore diſpoſitionem induxerint. Quin etiam *βούλιμον* à lumbricis excitatum, illis fugatis aut enecatis quieſcere. Qui verò ſequitur ingentes conſumptiones aut colliquationes corporis, vel vacuationes ingentes ex retentricis imbecillitate, vt plurimùm cum ægri interitu terminari: Præcipuè ſi ingeſto alimento & adhuc pleno ventriculo deficiant & linquantur animo, quoniam ea à quibus maximè leuari debebant, inutilia exiſtunt, propter ſummam partium & ventriculi *ἀτονίαν*.

Eodem modo canina appetentia diu cum vomitu aut crebrâ deiectione perſeuerans, periculoſa eſſe ſolet, non tam ratione ſui, quam aliorum morborum, qui ad eam conſequuntur, cachexiæ, hydropis, leienteriæ, marcoris, & ſimilium, corruptâ nimirum triplici corporis concoctione. Supereſt igitur tantorum affectuum therapeiæ diligenter incumbamus.

Curatio βυλιμίας. *Βυλιμίαν* à lumbricis excitatam curare nihil eſt aliud, quam lumbricos ipſos enecare aut expellere, vt iam dictum eſt. Qualem nuper vidimus ſex cubitorum longitudine per fruſta excretum, cum integrâ ægrotantis leuatione. Ea verò quæ conſequitur magnas vacuationes vtilis materiæ ex retentricis imbecillitate, leienterias videlicet, hepaticos fluxus & hæmorrhagias: illud expetit vt in principio his cauſis diligenter proſpiciatur, quoniam inualeſcente affectu mortem in propinquo adeſſe certum eſt. Idem dicas de ſynthecticis & diaphoreticis febribus, omnique calore violenter abſorbente triplicem corporis noſtri ſubſtantiam, quando iam eſt valde progreſſus.

Si

Si quid tamen in hoc tam graui & difficili affectu tentandum sit, cum summa hîc adsit inanitio, partium consumptio & ventriculi imbecillitas: certum est indicari repletionem, restaurationem & corroborationem, victu potissimum analeptico, & medicamentis alterantibus & vires confirmantibus. Proinde genus omne alimentorum boni succi & facilis coctionis erit eligendum, sub formâ liquidâ & sorbili, vt citò & commodè reparetur substantia deperdita. Talia sunt iuscula consummata, panatellæ cum vitellis ouorum, oua tremula, gelatinæ, instaurantia, pressi ex delicatis & semicoctis carnibus succi, lac amygdalarum dulcium cum multo saccharo. Quod si caloris in stomacho excedentis aut reliquo corpore adsit vehementia, prædictis inspergentur succi acetosæ, vuarum acerbarum, limonum, arantiorum, granatorum & similium. Panem etiam vino diluto odorifero infusum sæpè exhibebis, quo mirè recreatur ventriculus, & vires instaurantur. Quin etiam Trallianus meracum concedi vult aliquando, de symptomate potius, nempe syncope, quàm de morbo aut eius causâ sollicitus.

Item in myrobalanis aut nucibus saccharo conditis, cortice citri saccharato & aromaticis aliis exhibendis videndum erit, ne dum stomacho roborando studemus, nimium intemperiem calidam augeamus. Si vis, frustum myrobalani contundatur in mortario marmoreo bene mundo cum pistillo ligneo, diluatur aquâ rosaceâ & succo granatorum. Capiat ex cochleari. Pyra etiam, poma, mala cydonia sub cineribus cocta & saccharo aspersa, vel cum aquâ & pauco vino cocta, addendo sacchari q. s. prodesse poterunt, præcipuè vltimâ mensâ. Denique vbi iam multùm inualuerit macies, hîc omnia proderunt quæ ad hecticos & consumptos parari solent. Neque erunt etiam negligendæ res aliæ externæ, vtpote vitanda omnis aëris inclementia, quæ in hoc affectu promouendo multum potest: exercitationes etiam aut labores, ne per motum augeatur ista ventriculi diuulsio & resolutio: animi passiones arcendæ: somno potius quam vigiliis indulgendum, & omnis vacuatio, nisi moderata & excrementorum communium, quantum fieri poterit, impedienda.

Quod ad reliqua remedia attinet: neque phlebotomia nec vacuantia sunt hic ex vsu, cum ex inanitione partium & diuulsione stomachi iste affectus contingat. Solis itaque alterantibus & roborantibus pugnandum, caliditatem, si præsens fuerit, corrigentibus: qualia capite de cardialgiâ à ventriculi inflammatione proposita sunt. Paretur ergo talis syrupus.

℞ Succi pomorum redolent. & granator. acidor. ana ℔ j. succi granorum kermes, vel syrupi ʒ ij. aquæ rosaceæ ℔ j. sacchari albi q. s. Decoquantur in consistentiam julepi; aromatizetur pauco santalo citrino. Capiat bis aut ter in die ad ʒ iij. Vel

℞ Fol. cardui benedicti, borrag. morsus diaboli, acetosæ, & lactucæ, ana M. j. semin. coriandri & berberis, ana ʒ ij. flor. nymphææ, violar. borrag. cichor. & rosar. ana P. j. Fiat decoctio in aquâ fontis ad ℔ ij. addendo sub finem vini albi tenuissimi quart. j. Colatura mittatur per manicam Hippocratis cum sacchato & pauco santalo citrino in formam bocheti, quo vtatur omni horâ, sumendo ante tabellam vnam, si voluerit, ex sequenti descriptione.

℞ Conseruæ rosarum, florum cichor. & borrag. ana ʒ j. confect. alkermes ʒ ij. pulueris electuar. de gemmis & diambr. santali vtriusque, ana ℈ j. Cum sacchar. aquâ rosarum dissoluto fiant tabellæ deauratæ ponderis ʒ ij. Vtatur vt dictum est.

Interea non omittentur externa, quæ roborant absque calfactione, & adstringunt. Inungatur itaque regio stomachi oleo myrtino aut lentiscino: deinde sinapisetur puluere granorum kermes & santalorum. Probantur etiam hoc in casu clysteres analeptici ex iusculis consummatis, cremore hordei, aut lacte amygdalarum dulcium cum saccharo & vitellis ouorum, sæpe iniecti, vt recreatis hoc modo intestinis ac venis mesaraicis, non ita violenter trahant ab ipso ventriculo.

Quoniam verò animalis appetentiæ robur pendet etiam ex bonâ cerebri constitutione, quæ hic in sympatheiam trahitur: ideo instaurandi animales spiritus iis quæ suauem halitum spirant, vt odore vini generosi, carnium assatarum, aquâ rosaceâ aspersarum, fumo panis calentis: vel dissolue in ʒ ij. aquæ rosar. vel citranguli, santali citrini & moschi grana aliquot; calefiant leuiter, & apponantur naribus ex spongiolâ aut linteolis: Aqua angeli ad id valdè conducit olfacta, vel

Digitized by Google

inſperſa temporibus, volis manuum, & plantis pedum; vt etiam confectio alkermes, puluis diambræ, & ſimilia. Si æger in lipothymiam aut perfectam ſyncopem labatur, excitandus omni arte, aſperſione aquæ ſuper faciem, ligaturis & frictionibus extremitatum, vellicatione, pilorum vulſionibus & ſimilibus, quibus iſtos exanimatos reuocare ſolemus, niſi omnino iam morti ſint propinqui. Atque hæc de *βυλιμία* ſeu fame ſyncopali.

Curatio caninæ appetentiæ. Κυνορεξίας cauſæ conſtitutæ ſunt, intemperies frigida ſine materia, quæ vehementiores appetentias excitare ſolet, ſuctionis ordinariæ ſenſum longè ſuperantes: & frigiditas cum humore acido coniuncta, quæ præter appetentiæ exceſſum, concoctricem ac retentricem ventriculi facultatem labefactat: vnde apud Galenum *lib. 2. artis parvæ* ventriculus frigidior etiam in latitudine ſanitatis plus appetit, quam coquere valeat.

Curatio igitur ſimplicis intemperiei facilè intelligetur ex curatione humoralis: in quâ proponitur vacuatio, alteratio & corroboratio per diætam potiſſimùm & pharmaciam. Inſtituatur itaque victus ratio humoris generationi & illius qualitatibus oppoſita. Propterea vitet aëris frigidioris occurſum: ſomno & vigiliæ per interualla indulgeat, moderatè exerceatur, vel fricetur mane, ad humorem iſtum & cruditates diſſipandas: Animum auocet à patinis & cogitatione ciborum, quantum poterit. Fugiat omnem ingluuiem & ſaturitatem nimiam, quia cibis diſtentus ventriculus imbecillior minùs coquit, & ad expellendum magis incitatur. Eligantur cibi modicè calfacientes & exſiccantes, vt panis bene fermentatus & aniſatus, carnes euchymæ & facilis coctionis, aſſæ potius quam elixæ, vinum rubrum & generoſum ſatis meracum, quod ſolum ὄρεξιν iſtam ſedare valet, ex *Aphoriſ. 21. ſection. 2.* Sumat poſtremâ mensâ ſemen aniſi aut coriandri ſaccharo incruſtatum. Vitanda omnia olera, acida, auſtera, ſalſa, & acria, quia appetitum acuunt, niſi aliquando ad deterſionem humoris ſtomacho adhærentis vſurpentur, paucâ quantitate, & ſub morbi declinationem. Aromatum etiam vſus hic commendatur, nucis moſchatæ, cinam. piperis & caryophyllor. imprimis, cum condimentis dulcibus & ſaccharatis, ſi ægrotanti arrideant. Omnia edulia actu calida exhibeantur, nihil frigidum.

Atque hæc diæta ſic inſtituitur ratione morbi & cauſæ. Quod ſi ſymptoma magis quam illa vrgere videatur, ſolent Practici ad ſedandam hanc appetitus rabiem præſcribere craſſa, pinguia, oleoſa, viſcoſa, vt carnem ſuillam aut aprinam pinguiorem, artocreata, cerebella, medullas, inteſtina & extremitates animalium, anguillas cum porris & pauco croco paratas, murænas, bulbos, tubera, cochleas, pultes, oryzam cum lacte aut iure pingui coctam, nucleos pini, amygdalas cum melle coctas, panem butyro aut oleo dulci illitum, & ſimilia, quæ citò implere ac ſaturare poſſunt, cum quibus exhibent vinum nigrum aut flauum, aliquando etiam muſcatellinum, vel Hippocraticum: ſic enim humoris vellicantis ferocitas, & illius frigiditas corrigitur. Miræ ſunt curationes Villanouani in quibuſdam fame caninâ fere deſperatâ laborantibus: Infuſum, inquit, panem calentem in amurcâ olei comedendm ægro præbui: deinde vinum dulce craſſiuſque bibendum. Mulier vero quædam liquatum bouis adipem ad ℔ j. cum pari olei calentis quantitate miſcuit & duabus vicibus aſſumpſit: in tantum vterque cibi faſtidium inciderunt, vt nihil per quinque dies comederint, & à priore affectu liberati ſint. Hæc licebit in extremo periculo & deploratis ægris experiri. Placet etiam illud quod à Rondeletio adfertur, quodque Hiſpani iter facientes vſurpant, conſtringendum eſſe ventrem arctiſſimè latâ quadam faſciâ: ſic enim contractus ventriculus ſuctionem minus ſentiet, facilius pauco implebitur cibo, nec tam liberè ad vomendum commouebitur.

Quod ad remedia vero attinet; vacuatio cacochymiæ iſtius facienda tum coniunctæ, tum antecedentis, quando ſcilicet ex aliquâ parte in ventriculum delabitur. Ad hanc rem magis apta erit forma cathartici ſolida, quia nec tam facilè vomitu excluditur, nec tantum implet. Idcirco præſcribantur in formam boli aut pilularum. Vt

℞ Confect. hieræ & diaphœnic. ana ʒ ij. diacarthami ʒ j. Miſce, cum ſaccharo fiat bolus, cui addi poteſt rhabarb. pulu. ϑ j. ad compeſcendum vomitum. Repetat illius vſum ſemel in ſeptimanâ.

℞ Maſſæ pilular. aggregat. ʒ ß. agarici recenter trochiſcati ʒ j. ß. rhabarb. pulueriſat. vino irrorati ʒ j. zinzib. & nucis moſch. maſtic. & diagred. ana ϑ ß. Excipiantur ſyrup.

Digitized by Google

syrup. rosat. solutiuo. Fiat massa pilular. de cuius ʒ j. formentur pilul. sex molliores, vt facilius in ventriculo dissoluantur. Capiat summo mane quando liberalius purgare volueris: vel sumat duas horâ vnâ ante cœnam, vt sensim & blande humor iste educatur. Qui etiam præparari poterit & alterari sumpto vino aut syrupo absinthino, oxymelite scillitico, syrupo de mentha, cum paucâ aquâ imperiali dissoluto & similibus, prout res expetere videbitur.

Eadem ratione roborandus ventriculus sumptis & admotis. Capiat ergo sæpius theriacæ antiquioris, mithridatij, vel aureæ Alexandrinæ ʒ j. cum ʒ ij. conseruæ anthos aut florum saluiæ. Tabellæ diamoschi, diambræ & pliris archonticon erunt hic vtilissimæ quauis horâ sumptæ, vel eorumdem electuariorum puluis ad ʒ ß cum vino Hippocratico aut iusculo pingui exhibitus. Admoueatur exterius ventriculo cucurbitula post sumptum cibum, & ibi per horam integram relinquatur. Fiant fotus calfacientes & roborantes; applicetur emplastrum ex aromaticis confectum, nuce moschata, pipere, garyophyllis, zinzibere, cinamomo, mastiche, & croco, cerâ & terebinthinâ exceptis. Aut sacculus ex eisdem infarctus cum foliis absinth. & menthæ, vino rubro calente madefactus sæpius admoueatur. Sunt qui exterius illinunt seuum suillum aut adipem anseris, donec crustam ibi crassiorem fecerint; sic enim putant deiici posse huius appetentiæ ferociam. Alij ad narcotica vsque deueniunt, vt exactior partis istius sensus minuatur; quod in grauissimo affectu non est omnino repudiandum. Atque hæc de κυνορεξία.

CAPVT IV.

De picâ seu malacia.

DEPRAVATVR appetentia in quanto aut in quali. Immoderatæ appetentiæ à nobis superius explicatæ quantitatis excessum respiciunt. Vbi verò non qualia oportet, corpori nostro congrua & ἰατρόσφορα appetuntur, sed absurda, inutilia atque etiam noxia: tunc exoritur aliud deprauatæ appetentiæ vitium, quod veteres picam seu πίτταν & malaciam vocarunt. Quidam ab hederæ similitudine, quæ Græcis κίσσος appellatur, dictam putant, quoniam vt illa quibusuis plantis aut parietibus implicatur: sic etiam hoc morbo laborantes, in varios & discrepantes cibos feruntur. Alij à picâ aue, ob varietatem coloris quo donata est, vel quia terræ glebas esitat & vario ciborum genere delectatur. Malaciam verò seu mollitiem & defectionem cum Plinio, quia mulieres hoc affectu detentæ, præ animi impotentiâ & mollitie deficiunt à recto & naturali alimentorum appetitu. Quidquid sit, ita à nobis describetur pica: Symptoma deprauatæ appetentiæ ventriculi, ob prauos & certo modo corruptos humores, illius temperiem labefactantes.

Partem enim hîc affectam nemo dubitat esse orificium ventriculi, veram appetentiæ animalis sedem; quamuis causa illius morbifica in toto ventriculo, vt per magnas cacochymias, contineri possit: vnde vomitus & alui fluxus illi sæpe complicantur. Intemperies ergo huius actionis læsæ proxima est causa, non simplex, sed cum prauis humoribus coniuncta, qui in ventriculo ob læsam eius concoctionem generantur, vel aliunde deriuantur. Etenim naturæ melancholicæ ac pituitosæ, item plethoricæ aut putredinibus obnoxiæ, ciborum vitiatorum vsus, suppressa aliqua vacuatio naturalis vel iam consueta, animi mœrores, hepatis intemperies, lienis obstructiones aut imbecillitates, vteri affectus, capitis fluxiones, & similia, vitiosis istis excrementis ortum sæpius dederunt. Quæ non sunt vniusmodi & consimilis naturæ, sed valde diuersæ, crudorum scilicet & incoctorum aut valde vstorum, & supra sanguinis aliorumque humorum naturalium gradum positorum. Vnde qui malaciâ laborant alij acerbis, acidis & austeris delectantur, magnamque virentium adhuc fructuum & immaturorum, carnium crudarum, omphacij, aceti, succi limonum, arantiorum, aquæ frigidæ, niuis, glaciei, & similiũ copiam vorant. Alij verò exusta, terrea & admodum sicca expetunt, seseque ingurgitant sale, aromatibus, carbonibus, pane torrefacto, cineribus, puluere tritici, gypso

ex parietibus deraſo, nec non aliquando calce viuâ & aliis valde abſurdis rebus.

Huius rei meminit Hippocrates *lib.2. prorrhet. Quibus colores*, inquit, *dum iuuenes ſunt, prani exiſtunt ad multum tempus & continenter, non tamen iidem modo: hi ſine viri ſunt, ſeu mulieres, caput dolent, lapides & terram comedunt*; & *in Coacis, rerum illarum appetitus, ſanguinis φθορὴν ſignificat*, quaſi dicas certum quoddam corruptelæ vitium in humoribus qualitate potius quam quantitate noxiis: vnde hic affectus virginibus, ſi menſtrua diutius ſuppreſſa fuerint, grauidiſque mulieribus ad quartum vſque menſem familiaris eſſe ſolet, donec grandior fœtus incipiat magnam humorum copiam abſumere, & ipſa mater crebris vacuationibus iſtam illuuiem excluſerit. Pueri eodem modo huic morbo redduntur obnoxij ob voracitatem, potiſſimum qui lumbricis abundant.

Iam exoritur hîc quæſtio ad diagnoſim & therapeiam iſtius affectus pertinens. Cum enim dixerimus malaciâ laborantes non ad eoſdem, ſed diuerſos admodum cibos ferri: ſciendum an ſimiles humori in ventriculo eorum dominanti, an verò contrarios appetant? vt & cauſam morbi accuratius agnoſcamus, & illi conueniens remedium apponere poſſimus. Galenus *lib.2.artis paruæ*, vniuerſaliter pronunciauit: intemperies ventriculi naturales, & quæ ſunt adhuc intra ſanitatis latitudinem, ſimilia appetere: malas verò, quæ morbi ratione illum occuparunt, contraria; ita vt Galeni ſententia ſequi videatur, in hoc noſtro affectu, qui longè ſanitatis limites exceſſit, contraria humori dominanti, non ſimilia expeti. Fernelius *lib. patholog.6.* ita ſtatuit de hac re. Quoties, inquit, oris ventriculi tunicæ vitioſo quodam humore aut excremento oblitæ ſunt, huius longâ conſuetudine ſimilia etiam vitioſa expetuntur: quamquam cum ingens & iam omnino morboſum vitium ineſt, contrariorum appetitus vrget. Vbi Galeni ſententiam partim probare, partim improbare videtur.

Multi varia hinc inde de hac re ſentiunt: inter quos ſi iudicium noſtrum ferre liceat, exiſtimamus in hoc affectu, ſimilem potius humori in ſtomacho delitescenti cibum appeti, quam contrarium, experientiâ & rationibus nixi quibuſdam. Si quis enim quotidianum rei euentum conſulat, reperiet plerumque virgines eas, mulieres, viroſque malaciâ detentos ad ea ferri quæ ſymbolum habent & cognationem cum præſenti corporis cacochymiâ: eos quidem in quibus vſti vel corrupti humores adſunt, expetere carbones, terram, ſal & ſimilia: Quibus verò melancholia naturalis aut pituita acidior dominatur, acetum, fructus immaturos & ſimilia. Quamuis non negemus adeſſe certum corruptelæ in hiſce humoribus gradum, propter quem hoc potius quam illud expetunt. Experientiæ videtur ratio auxiliari. Cum enim hæc cibi appetentia non fiat ſine concurſu phantaſiæ, quæ recipit obiecta pro modo conſtitutionis præſentis, ſic enim hilares naturâ res, quantumuis triſtes, lætitiâ quadam temperatas ſuſcipiunt: contra verò triſtes, res quamuis iucundas luctu quodam perfundunt: veriſimile eſt dominantem in hoc affectu humorem, phantaſiam deprauare & commouere ad illud expetendum, quod propoſitæ ſpeciei ſit ſimile, non diſſimile.

Etenim cum hæc appetentia ſit deprauata, tam ratione primarij ſenſorij, quam ſedis affectæ, non poteſt contrarium appetere quaſi correctorium: ſic enim bene eſſet inſtituta & ad curationem affectus iſtius diſpoſita: cum tamen certum ſit tunc augeri iſtum affectum cum talia ingerunt, tuncque deſinere, quando ab illis abſtinere poſſunt vel ſponte, vel minis & mortis periculo coactæ. Neque verum eſt quod vult Galenus, morboſas conſtitutiones ſemper contraria humori dominanti appetere: ſic enim morboſi homines, conualeſcentes & ſimiles cacochymiâ laborantes cibos euchymos & laudabiles expeterent: cuius tamen contrarium oſtendit experientia: ſæpe enim cogimur prauos cibos ægrotis & conualeſcentibus iſtis valde expetitos, ex Hipp. *Aphor.* 32. *ſect.* 2. concedere.

Quod ſi quis obiiciat, per febres verbi gratia & alias intemperies calidas, non calidum, ſed frigidum expeti alimentum: per frigidas vero calidum, & ſic de aliis, quæ oſtendunt in morboſis conſtitutionibus contraria expeti. Reſpondemus idem contingere per conſtitutiones ſanas; nam ſanus quando alget, calore recreatur: ſi incaluit, refrigerationem & humectationem quærit: atque ideo duplicem ſimilitudinem & contrarietatem conſtituendam cenſemus: vnam quidem quæ ad ſimplices qualitates eaſque primas potiſſimum referatur: aliam verò quæ ad ſubſtantiam ſiue mixtionis modum. Eam itaque quæ qualitates ſpectat, vbi primum factus eſt quidam exceſſus tam intra quam extra latitudinem ſanitatis, contrarium

Digitized by Google

contrarium expetere propter eam quam naturæ infert moleſtiam, vt corrigatur: quæ verò reſpicit ſubſtantiæ modũ, appetere ſimilia, vt reparetur & reſtituatur per ea quæ habent cum eâ cognationem & ſymbolum. Quia tamen illa quæ per ſtatum naturalem expetuntur, faceſſunt in alimoniam corporis vtilem, ideo ſimilia maximè dicuntur: quæ autem per morboſum ſtatum, quia corpori alendo minus ſunt idonea aut fortè incommoda, ideo contraria quodammodo poſſunt appellari. Nunc ad ſigna huius affectus diagnoſtica & prognoſtica veniamus.

Sedem itaque affectam hic agnoſcere non eſt operoſum, cum ex ſolâ actionis læſione ſtatim ſit manifeſtum, ventriculi orificium præcipuè conflictari, ſiue per ἰδιοπάθειαν illud ſit, ſiue per συμπάθειαν, quam nos diſtinguendi rationem ſæpius docuimus. Eadem ratione cauſæ & affectus natura cognoſcetur ex proprio appetentiæ vitio: ſi enim appetant carbones, cineres, ſal & ſimilia, intelligemus intemperiem adeſſe ab exuſtis ſalſiſque humoribus: contrà ſi acida, acerba, vel auſtera expetant, à crudis frigidioribuſque, vt pituitoſis aut melancholicis ſuccis dependere. Quod ſi portio quædam vomitu excludatur, ſi ructibus acidis aut nidoroſis infeſtentur, ſaporem in ore amarum, ſalſum aut acidum percipiant, odorem tetrum aut aliâ qualitate infectum, facilius adhuc diſtinguemus à quo humore intemperies illa proficiſcatur. Præterea ſi grauida ſit mulier aut virgo, cui diu ſuppreſſa ſint menſtrua, aut vir cui conſuetæ hæmorrhoides amplius non fluant, pro vario temperamento, viuendi genere, aëris conſtitutione, & aliarum circumſtantiarum, colliges naturam ipſius intemperiei & cauſæ morbificæ, quæ illam generat, auget & conſeruat, vnde etiam prædicendi ratio ſtabilienda: affectum ſcilicet hunc per ſe rarò lethalem eſſe, ſed expurgato humore illo morbifico plurimum deſinere, aut reuocatis naturalibus vacuationibus quæ erant aſſuetæ, mutatoque viuendi genere. Si negligatur verò, peſſimos morbos inferre poſſe, & tandem mortem: tunc ex vitiatâ coctione primariâ, tum ob naturam prauiſſimorum ciborum quibus ſeſe ingurgitant, vnde κακοχύμια, icteri, hydropes, febres, viſcerum obſtructiones contumaciſſimæ, & maraſmi exoriuntur: & quo abſurdiora magis & à temperamento humano aliena expetuntur, eo deteriorem eſſe picam, & mala iſta citius ſuccedere. Grauidis plurimum deſinit circa quartum menſem, ob cauſas ſuperius dictas: quod ſi vlteriùs progrediatur, non ſolum embryoni, ſed etiam matri malum portendit, quia ſignificat altius impreſſam eſſe iſtam intemperiem, quam vt deinceps deleri poſſit: vnde ex negatis vel conceſſis eiuſmodi abſurdis rebus ſæpe aborſus periculum incurrunt, earumque notas ipſi fœtui imprimunt, necnon ſubito fuiſſe extinctas aliquando obſeruatum eſt. Videamus igitur quomodo hunc affectum conuenientibus remediis oppugnare poſſimus.

Imprimis alimentorum ratio diligenter inſtituenda, vtpotę quæ potiſſimam in hoc affectu expugnando vim obtinet. Ideo increpandi malaciâ laborantes & deterrendi à prauis illis cibis, quantumuis expetitis, propoſito periculo, necnon minis & verberibus, ſi adhuc ſint iuniores. In grauidis tamen metu aborſus cogimur aliquid concedere, ſed rarò & parcè illud præſtandum quando maiori vrgentur appetentia. Vtantur ergo in tantâ cacochymiâ, cibis euchymis & eupeptis, quantum fieri poterit; calfacientibus, ſi frigidior intemperies dominari videatur; aut modice refrigerantibus, ſi calida eſſe cenſeatur: detergentibus etiam & incidentibus leuiter, vt iſtæ ſordes à ventriculo deturbentur, videlicet cremore hordei, auenato, decocto cicerum rubeorum, cum pauco petroſelino, capparibus & oliuis muriâ conditis, paſſulis & ſimilibus. Aliquando etiam adſtringentibus & roborantibus ventriculum, vt cydoniato, pyris cum ſaccharo coctis & paratis, malis punicis & fructibus ſiccis. In omni malaciâ laudabant veteres, vt ſingulis diebus mane ſeptem amygdalæ amaræ comederentur. Aëtius putat carnem erinacei marini recentis ex proprietate conferre: & amylum cum optimo iure decoctum, maximè prodeſſe illis qui terram appetunt. Vinum potent odoriferum mediocriter lympharum, aut decoctum cinamomi vel coriandrorum, vitent omnem immodicam ſatietatem, omniaque pinguia, & valde dulcia, quia ſunt per ſe faſtidioſa.

Exercitationi moderatæ ac ſomno indulgeant: naturales vacuationes aut conſuetæ ſollicitentur, niſi in grauidis metu aborſus; & animum rei alicui ſeriæ aut iocoſæ intendant, vt facilius ab eiuſmodi appetitu reuocentur.

Quod ad remedia attinet, ſi alterius partis morbus primariò huic affectui originem dediſſe, vel eum adhuc fouere videatur, in primis illi accuratè proſpiciendum. Deinde huius humoris prædominantis alteratio & vacuatio, partiſque affectæ corroboratio internis externiſque remediorum formulis perficiatur. Blandis enim vomitoriis benignioribuſque catharticis iſta materia in prægnantibus potiſſimum excludenda: in aliis verò paulò validioribus agi poterit.

Capiant igitur frequenter pilulas ex quinque generibus myrobalanorum parari ſolitas, ad ʒ j. Parentur opiatæ aut ſyrupi magiſtrales purgantes. Si vis, hæc ſit opiatæ laxantis formula in humore mixto.

℞ Cathol. fideliter diſpenſati ℥ ij. fol. ſennæ oriental. pulueriſ. & rhabarb. elect. ana ʒ iij. diaſennæ ſolut. & elect. de citro laxat. ana ℥ ß. pulueris rad. mechoacan, ſi legitima haberi poſſit, ʒ ij. pulueris elect. aromat. roſat. & cinam. pulueriſ. ana ℈ j. Cum ſyrup. de abſinth. fiat opiata, de quâ dentur ʒ iij. vel ℥ ß. in formam boli cum ſacchato, vel diſſolutam pauco decocto cicerum rubrorum & cinamomi, vel rad. aperit. in virginibus quibus menſes ſuppreſſi ſunt: vel cum aquâ cardui benedicti in grauidis, repetatur ſemel aut bis in menſe.

Diebus interiectis capiat modò tabellam vnam electuar. aromat. roſat. ponderis ʒ ij. modò ſyrup. de abſint. pont. ℥ j. ex cochleari mane. Autumno aut vere vtiliſſimum erit ſequens apozema catharticum præſcribere in quatuor aut quinque doſes.

℞ Rad. aperitiuar. & liquir. raſæ, polyp. querni recent. & cortic. rad. cappar. ana ℥ j. corticis citri ſicci & paſſular. purgatar. ana ʒ iij. ſummit. thymi, epithymi, fumar. borrag. lupulor. capilli vener. ſcolopend. & chamæpit. ana M. j. ſemin. apij & fœnicul. ana ʒ j. ß ſennæ orient. mundat. ℥ ij. tartari albi ℥ ß. agarici trochiſc. in ligat. poſiti ʒ ij. florum ſambuci, geniſtæ & tamariſc. ana P. j. Fiat omnium decoctio ad ℔ j. ß. in quâ diſſolue ſacchari q. ſ. Fiat apozema clarificatum & aromatizatum ʒ j. pulu. elect. diarrhodon. abbatis. Empirici exhibent infuſionem g̃ v. vel vj. antimonij cum aromatibus parati, ad expurganda tetra iſta excrementa: quod tamen hic ſuſpectum eſt, propter viſcerum obſtructiones, quibus malaciâ laborantes plurimum detineri ſolent.

Arabes autem laudant in hoc affectu, vbi inueterauit, ſcoriam ferri: nos limaturâ chalybis vtimur; quæ tamen in grauidis non ſunt tuta. Vt

℞ Scoriæ ferri diligenter pulueriſatæ, aut limaturæ chalybis præparatæ ʒ j. cinamomi electi, ſemin. naſturtij, apij & puluer. elect. diarrhod. abbat. ana ℈ j. ſacchari albi ʒ iij. Fiat omnium puluis. Capiat ʒ j. mane cum pauco vino albo tenui aut abſinthino. Deinde fortiter deambulet. Sic aliqui comparant. Scoriæ ferri pulueriſatæ & ſæpe in aceto extinctæ ℥ ß. myrobalan. omnium ʒ iij. cupularum glandium ʒ ij. paſſul. non purgatar. ℥ j. Decoquantur omnia in ℔ vj. aquæ & vini albi. Colatura mittatur per manicam Hippocrat. cum ſacchar. & cinamom. Capiat ℥ iiij. ſingulis diebus mane. Valeſcus probat pulueren cardamomi vtriuſque & cubebarum, addendo duplum ſacchari, ſi mane ſumatur ad ʒ j. cum pauco iuſculo bis in ſeptimanâ.

Grauidis admodum malaciâ infeſtatis exhiberi poterit ſequens puluis ſine periculo.

℞ Pulu. electuar. aromat. roſat. & diarrhod. abbat. ana ʒ j. puluer. electuar. diambr. ʒ ß. limaturæ chalybis præpar. ℈ ij. tartari albi vel cremoris eiuſdem (qui ex proprietate prodeſſe dicitur) ℈ j. florum ſambuci ſiccor. ℈ ß. Fiat omnium puluis, de quo ſumant ʒ ß. mane, ſuperbibendo parum vini de abſint. alternis diebus. Purgentur autem ſemel in menſe cum ℥ ß. catholic. in formam boli cum ſaccharo, vel diſſoluti paucâ aquâ cardui benedicti. Reliqua induſtriæ præſentis Medici relinquenda: vt etiam inunctiones, fotus, & emplaſtra roborantia ventriculo admouenda, quæ ex ſuperioribus repetere licebit, potiſſimum capite de cardialgiâ & imminuto appetitu.

CAPVT

CAPVT V.

De siti morbosa.

EX triplici humanum corpus substantiâ constare, spirituosâ scilicet, humorali & solida sufficienter in Physiologiâ est demonstratum: spirituosam præterea instaurari continuâ aëris perspiratione & benigno sanguinis halitu certissimum est : humoralem verò & solidam assumptis alimentis refici : potu humoralem magis, cibo autem solidam : quamuis ex vtrisque vtraque instaurationem suscipere possit. Ideo natura duplicem inseruit stomacho vim appetendi, ex vario & incomprehensibili suctionis modo : vnam quidem quæ ad sicca siue solida fertur : aliam verò quæ ad humida siue liquida : illam famem, hanc verò sitim, Græci δίψαν appellarunt. Atque vt fames propriè solida siue sicca expetit, secundariò verò calida : sic propriè sitis humida, secundariò autem frigida expoſcit. Et propterea dici solet fames appetentia calidi siccique : sitis, frigidi humidique, quamuis sæpè sicca & frigida famem : humida & calida sitim sedare possint.

Porro sitis nomen tam notum & vulgare est, vt nemo sit siue sanus, siue æger qui illud ignoret, quandoquidem natura conseruationis nostræ sollicita hunc molestiæ sensum nobis indidit, vt illud quod deficit, expeteremus, & ad illud consequendum moueremur.

In illius autem generatione ordinariâ totidem oportet symptomata concurrere, quot in fame à nobis dicta fuere, inanitionem scilicet in partibus, earum tractionem à proximis vsque ad mesaraïcas, harum à ventriculo suctionem, suctionis in stomacho sensum, ex primi sensorij perceptione. Potest itaque sitis aboleri, imminui & deprauari ex naturalibus causis immutatis. Vnde Hippocrates *in Coacis & 1. prorrhetico; situs præter rationem soluta in morbis acutis, & in causâ sitifera non sitire, malum*; fit enim aut quia laborat mens per interceptionem primi sensorij : aut quia concidit omnino prostrata nutrix facultas : hinc *lib. 3. & 6. epidem.* multi phrenitici ἄδιψοι & βεκχυτίαι recensentur, qui omnes interierunt : Aliàs imminuitur dulci aut insipido succo oſculum ventriculi irrigante : ita vt nullum aut rarò admodum potum expetant, quod plerumque in morbis videre est, irritata leui quadam tussiculâ, quæ etiam in causa sitiendi eam infringit. Deprauari denique potest sitis & ad absurda conuerti, non minus quam fames : ita vt multi sæpe aquam marinam, vel paludis, liquoresque malis infectos coloribus, saporibus, aut odoribus expetierint, sed rarius quam in fame seu appetitu solidorum : quia non est tanta varietas potus ordinarij, quanta est ciborum. Verum quia abolita, imminuta aut deprauata sitis, earumque curatio facilè referri potest ad ea quæ de fame abolitâ, imminutâ ac deprauatâ à nobis dicta fuere : ideo de auctâ præter naturam siue morbosâ & immoderatâ nunc tantum agemus, infestissimo scilicet & vsitatissimo symptomate.

Dicamus itaque sitim hanc esse appetentiam stomachi deprauatam, quâ immensam humidi frigidique aliquando quantitatem expetit, ab humoris inopiâ aut caloris copiâ, vel vtrisque simul iunctis excitatam. Quamuis enim actio hæc appetendi feratur, idque validè, ad obiectum quale oportet : quia tamen illud fit vi causæ morbificæ extra sanitatis latitudinem positæ, & quia non solum in quali, sed etiam in quanto rectè institutam esse oportet actionem, vt naturaliter fiat; ideo deprauata à nobis meritò appellabitur. Duas autem proximas & coniunctas illius symptomatis causas statuimus, humoris scilicet inopiam, quæ excitat proximè illum penuriæ seu suctionis sensum ; & caloris copiam, quæ vel propter resolutionem quam inducit, vel propter molestiam quam infert ventriculo, frigidorum appetentiam excitat : idque aliquando seiunctim, aliàs coniunctim accidere potest; pro varietate causarum proximarum à quibus hoc symptoma proficiscitur. Quarum rursus aliæ sunt antecedentes & internæ : aliæ verò externæ ; externa enim omnia assumpta vel admota, quæ vel exsiccare potenter, vel calfacere, aut vtrumque præstare possunt, siue per se, siue per accidens id efficiant ; ea omnia sitim immensam

immenſam excitant : vt ſal & ſalſa omnia , aqua marina (nota eſt hiſtoria miſeri illius Bonauenturæ : necnon etiam nautarum apud Galenum) piper , aromata, acria omnia , cepæ , allia , ſinapi & ſimilia medicamenta : venena quoque multa & venenata animantia , vt aſpides , viperæ , & ſerpens ille dipſas propriè dictus ab effectu , quòd ſolo morſu inextinguibilem inferat ſitim : Pinguia etiam & dulcia ſitim inuehunt , quia facillimè in ventriculo exuruntur potiſſimùm calidiore ; vnde Hippocrati *lib. de victꝰ ration. in acutis* διψώδεις μελίκρατον , & vinum dulce διψώδεις τοῖσι πικροχολώδεσι , in quibus ipſamet aqua bileſcere ſolet. Item crapula ingens, corruptis non concoctis cibis , & in nidorem conuerſis : nimia abſtinentia , exſiccatis nimirum partibus , æſtuantis aëris inſpiratus , propinquitas ad ignem , diuturnior in balneo aut laconico mora : vigilia immoderata , exercitatio vehemens , iracundia , os apertum gerere , & vehementius loqui aut vociferari. Hæc enim omnia extrinſeca aut humidum abſorbendo , aut calfaciendo nimium , vel vtrumque præſtando , ſitim prouocare conſueuerunt , maiorem minoremue pro diuturniore aut breuiore eorum vſu , maiore vel minore efficaciâ. Internæ etiam cauſæ quæ hoc præſtare poſſunt , variæ ſunt & multiplices ; humiditatem enim partium per ſe abſorbent & ſiccitatem immaterialem ſtomacho inferunt vacuationes omnes immoderatæ , inter quas Galenus diabeticam potiſſimum recenſet *lib. 6. de locis affectis* ; vnde διψακὸς eſt dicta : item hæmorrhagiæ , alui fluxus & purgationes vehementiores , vt eſt *Aphor.* 19. *ſect.* 4. Per accidens autem quæcunque admodum & diu calfaciunt reſoluuntque ſubſtantiam partium. Caliditas autem nimia in ſtomachum inducitur cum humore & ſine humore , ſympathicè & idiopathicè , ex affectu totius , vt per febres inflammato corde & vniuerſo corpore, per calidas intemperies oris , faucium , pulmonis , iecoris , lienis , meſenterij , renum , veſicæ , vteri & aliarum partium , quæ affectum ſuum ventriculo per epigeneſim communicant , & ſitim illam mendoſam efficiunt , quæ non tam potu rerum frigidarum , quam vel inſpiratu auræ frigidioris , vel aliis remediis ſedatur. Aliquando non ſolum qualitas ex eiuſmodi partium & corporis ſympatheiâ ventriculo communicatur , ſed etiam humor calidior , bilioſus , putris aut ſalſus , vt ex cerebro intemperato & humoribus oppreſſo , iecore inflammato & aliis , qui exurens ſtomachum & feruefaciens perpetuam proritat ſitim. Quemadmodum in hydrope & aliis intemperiebus frigidis humidiſque apparet , quæ magnam aquarum copiam colligentes , dum illæ ſtagnantes in capacitate abdominis non diffluntur , putredinem & ſalſedinem concipiunt , quâ per accidens ſitim concitant : hinc fit vt *quo plus ſunt potæ , plus ſitiantur aquæ.* Aliàs verò vitium illud eſt idiopathicum in ſolo ventriculo , vt per intemperies illius ſiccas aut calidas ſimplices vel coniugatas , ſine materiâ aut cum humore ſalſo , putri , biliòſo in ſpatiis illius contento , & ibi vitio aſſumptorum alimentorum aut malâ partis intemperie genito , quam aliæ multæ cauſæ ſuſcitare potuerunt. Atque hæc de cauſis.

Signa verò affectus & cauſarum facilè intelliges ex eis quæ præceſſerunt aut præſentia ſunt , calfacientia ſcilicet & exſiccantia , ſiue primariò id efficiant , ſeu ſecundariò. Externæ enim cauſæ ex relatione ægri , adſtantium , & rerum non naturalium conſtitutione deprehenduntur. Internæ verò antecedentes , quæ valde exſiccant & abſorbent ſubſtantiam partium humidam , vt vacuationes immodicæ per hæmorrhagias , alui fluxus , diabetes , purgationes catharticas , & ſimiles , ſemetipſas ſatis produnt , quarum etiam rurſus cauſæ omnes perquirendæ. Quæ verò calfaciunt tantum , aut diuturnâ etiam morâ exſiccant , vt febres omnes, intemperies calidæ , faucium , pulmonis , iecoris , & aliarum partium , ex propriis ſuis ſignis ſuo loco tradendis , ſunt deprehendendæ , ſiue id efficiant immaterialiter , vel tranſmiſsâ in ventriculum aliqua materia , ex cuius præſentiâ ſitis excitatur. Quemadmodum in hydrope collectio aquarum putreſcentium ſuâ ſe mole & diuturnâ in abdomine morâ , cum febriculæ cuiuſdam exortu oſtentant. At verò ſtomachi intemperies calidior idiopathica cum humore , & humoris ſpecies deprehenditur ex oris ſapore ſalſo , amaro aut ſimili , odore fœtido , vel graui , linguæ & faucium ariditate , ſcabritie , & nigredine , æſtuoſo halitu , colore faciei aliquando immutato , ſenſu caloris , ponderis , & morſus ſub nothis coſtis ; vomitu ſæpè bilioſo , ſalſo , aut putrentis materiæ , quo valde leuatur æger , & mitеſcit ſitis , & ſimilibus accidentibus , quibus etiam intemperies calida ſtomachi ſine humore , ſed remiſſiùs , agnoſcitur. Intemperies autem ſicca quæ eſt ab exhauſto

exhausto & consumptione humidæ substantiæ partis; si sequatur diuturniorem caloris actionem, ex signis eisdem recitatis cognoscetur: si ventriculi vacuationes particulares & immoderatas excretiones comitetur, aut subsequatur, illæmet ipsæ indicia affectus & causæ affectus erunt Medico. Denique intemperiei calidę & siccæ simul, materialis vel immaterialis, ex combinatione & prædictorum signorum comparatione notio habebitur.

Quod ad prognosim attinet, certum est sitis tædia molestiora esse multo & pernicioſiora quam famis, quoniam facilius dissipatur humida quam solida substantia; vnde multa castra, reges & vrbes se dediderunt sitis vi coacta. Prætere a sitis quæ exhaustum partium ingens ex immoderatâ vacuatione sequitur, non parum periculi adferre & significare solet, ob depauperationem humidi primigenij, & tardam humidi actionem, magnamque sicci resistentiam. Pessimam necnon esse sitim illam, quæ sequitur per accidens intemperies frigidas humidasque, vt hydropas ex corruptione aquosæ materiæ, quia assumpta refrigerantia aut humectantia ad eam sedandam, tanti mali causam augent & multiplicant. Aliæ verò sitiferæ dispositiones, quæ aut ex procatarcticâ causâ oriuntur, aut ex caliditate totius vel partium, facilius cedunt curationi, quamuis ægro sint molestissimæ. Videamus igitur quomodo illis auxilium & medelam adferre possimus.

Dicamus itaque sitiferas istas dispositiones alias esse leues & superficiales, etiam in bene sanis, à causis procatarcticis genitas, quarum curatio illarum sublatione perficitur, aut mediocri potu. Alias vero esse grauiores & morbosas ex ingenti siccitate ventriculi, vel eius caliditate, solis vel simul iunctis: quæ rursus pendeat sæpe ab aliis morbis, vt vacuationibus diabeticis, alui fluxu, hæmorrhagiâ, febre, intemperie calidâ cordis, pulmonis, iecoris, vel putrilagine humorum, vt in hydrope. Horum autem omnium artificiosæ curationes suo loco tradendæ erunt, in quibus sitis huius sympathicæ medela consistit. Superest ergo, vt agamus in præsentia de curandâ ingenti siccitate ab exhausto humore stomachi, & de eius immoderatâ caliditate cum humore, ordinariis maximè sitis præter naturam causis. Ex his enim facilè intelligetur curatio caliditatis sine humore, & calidæ siccæque intemperiei, prout compositorum cognitio ex simplicium explicatione haberi solet.

Cvratio sitis à siccitate Stomachi. Sitis igitur quæ ficciorem stomachi *ἀνεπιφοίτου* sequi solet, ab exhausto humore fit plerumque, ob immoderatas illas vacuationes sæpius à nobis commemoratas, quibus non solum excrementa inutilia educuntur, sed etiam succi alendo corpori dicati. Quarum euacuationum imprimis suppressio & curatio, vt iam dictum fuit, est procuranda: postea ad ipsam partis intemperiem veñiendum, & penuriam humidæ substantiæ reparandam: id autem fiet remediis humectantibus & modicè calfacientibus, victu potissimum, quem veteres analepticum seu refectorium appellarunt, ex liquidis & potulentis, nec non solidis quibusdam boni succi, facilis & celeris coctionis distributionisque, vt radicalis partium ac stomachi humor citò & iucundè restauretur. Ad hoc faciunt potus vini flaui & generosi, modicè diluti cum aquâ fontis aut borraginis. Panis albissimus & recentissimus, vel placentulæ cum butyro optimo & vitellis ouorum, paucáque rosaceâ maceratæ, gelatinæ, iuscula consummata, succi carnium delicatissimarum expressi & colatitij, contusa caponum & perdicum cum iusculo decocta, panatellæ cum vitellis ouorum & saccharo, oua sorbilia tremula addito saccharo, cremor hordei; lac amygdal. dulc. cum multo saccharo & rosaceâ; hepata recentia gallinarum & caponum super prunas cocta, & aquâ borraginis cum pauco aceto, & saccharo aspersa: saxatiles pisces & delicati cum butyro & nuce moschatâ præparati: vuæ corinthiacæ, passæ aquâ hordei maceratæ, pineolatum, testudinatum, conserua eryngij, florum violæ, borraginis, & radicum buglossi. Denique ea omnia alimenta, quæ ad marasmum, & hecticam senilem præscribi solent: Inter quæ summè vitanda sunt, ex consilio Galeni *lib.7. method. cap.6.* omnia austera, quia magis exsiccant & corrugant substantiam & poros ventriculi iam nimium constrictos. Præter alimenta reliquæ etiam res non naturales ritè disponendæ: vigilias fugiat, somno autem plus sit addictus, quo interiora solent humectari & benignam nectaris viuifici affusionem recipere. Vnde Hippocrates *Aphor.27. sect.5.* somnum consulit noctu sitientibus, & 6. *epid. sect.4.* Quamuis enim ibi sitim *ἐπιπόλαιον*, superficiariam tantùm illo sedari scribat, longiore tamen vsu somnus non vacuo cibis ventre multum proficit humectando

quia magis incalescunt per somnum interiora viscera. Hæc itaque mediocritas hîc est adferenda, vt neque ob diuturniores vigilias nimium resoluatur corpus, nec ob immoderatum somnum plus iusto incalescant internæ partes : quia tamen per somnum concoctiones melius fiunt, ideo ratione causæ longior etiam aliquando concedi poterit, ad id potissimum inclinante naturâ. In cibo autem & potu maximè videndum est vt expetitæ qualitates adsint. Refrigerantia itaque & humectantia, dummodo non sint putredini obnoxia, non solum potentiâ, sed etiam actu sunt præscribenda : quâ de causâ veteres siticulosorum obsonia in altissimis puteis continebant, aquâ frigidissimâ, niue aut glacie obruebant, vt talia essent actu, & æstum interiorem validè infringere possent, qua in re magna est habenda ratio sexus, ætatis, temperamenti, consuetudinis & similium, ne scilicet æger ab vno excessu in alium fortassis periculosiorem præcipitetur. Idem etiam obseruandum in ψυχροποσίᾳ, id est aquæ frigidissimæ potu, ad πλυσμὸν, satietatem & mutationem vsque coloris. Quamuis enim aquæ frigidæ potio ad calorem siccitatemque temperandam videatur aptissima, plus erit tamen in illa periculi quam commodi, nisi debitæ circumstantiæ obseruentur : si calor namque ventriculi sit immaterialis, tutius exhiberi potest ψυχροποσία, dummodo æger sit aquæ potui assuetus, & robustis visceribus præditus ; quando verò caliditas ab humore, putredine, aut cacochymiâ pendet, potissimum in febribus, oportet vt viæ corporis sint paratæ & minimè obstructæ : euidentes coctionis notæ in humore morbifico, circa statum videlicet apparuerint, & caloris natiui robur eluceſcat. Aliàs multò melius erit minus potare, & aliquid aceti ad penetrationem aquæ immiscere, iucundumque oxycratum parare, vel etiam ad robur, vini albissimi & tenuissimi portiunculam addere, aut syrupi acetosi simplicis, de limonibus, de agrestâ, de granatis acidis quartam partem adiungere, vt gratior sit tutiorque potus. Vel etiam si à saccharo abhorreat, decoquatur radix acetosæ cum aquâ, vel succus limonum, arantiorum, aut granatorum permisceatur pro vario ægrotantium gustu, cui aliquando Medicum inseruire oportet. Iuscula etiam pullorum cum foliis acetosæ, portulacæ, lactucæ, endiuiæ, & borraginis frequenter sumpta erunt ad hoc commodissima, fructus etiam acidi aut frigidi, cum pauco tamen saccharo cocti, vt minus putredini sint obnoxij, concedantur, vt cerasa acida, pruna vulgo pertigonia, aut prunodactyla dicta, vuæ acerbæ, frustula arantiorum aut limonum sacchari puluere aspersa, mala persica immaturiora, & similia, quæ præsens Medicus pro variâ anni constitutione eliget.

Quod ad remedia verò attinet, si humor salsus, biliosus, aut putris in ventriculo sentiatur, blandâ erit purgatione & clysteribus mollientibus & refrigerantibus educendus, sæpius à nobis descriptis ; necnon vomitus, si ad eum æger sit paratus, concedendus promouenduſque ex aquâ tepidâ & ℥ j. syrupi acetosi. Alteratio autem seu refrigeratio humectatióque perficienda julepis frequenter sumptis actu frigidis, quales à nobis fuere superius traditi : inter quos maxime laudant Practici eos qui fiunt ex syrup. de limonibus, de granatis acidis, de succo portulacæ, & de cucurbitâ, ex descriptione Auicennæ ; vt scilicet cucurbita recens seu anguria obuoluatur mazæ, & coquatur in furno : deinde succus extrahatur, cuius ℔ v. decoquantur cum ℔ iij. sacchari albissimi in formam syrupi. Idem præstari potest ex succis lactucæ, acetosæ, portul. granat. acidor. arantior. & similium. Nec solum intus sumptis causa sitifera erit expugnanda, sed etiam admotis epithematibus, fotibus, linimentis, & similibus, non solum stomacho, sed cordi quoque, iecori, renibus & aliis partibus, in quibus ardor magis percipietur. Admodum ad hoc conferunt admoti feruidis partibus panni, aquâ rosaceâ & pauco aceto madefacti, frequenter mutati antequam incalescant.

Verum quoniam non semper licet præsente causâ sitiferâ illam assumpto potu, aut admotis refrigerantibus extinguere, vt patet in febribus intermittentibus, in quarum primâ inuasione & incremento solemus prohibere potum, donec ad statum vel declinationem peruenerint : & in continuis, in quibus adsunt magnæ obstructiones aut cruditates : ideo multis modis fallenda tunc sunt importunissima sitis tædia. Sic Medici iubent ægros tacere, os colluere sæpius frigidâ : acidula pruna arefacta, & cerasa, frustula cucurbitæ, lactucæ, pomorum aut arantiorum : folia acetosæ, & portulacæ, linteola madentia mucilagine seminis psyllij aut cydoniorum aqua violar. extractâ ore continere, vt eius & faucium siccitas temperetur. Describit Villanouanus pilulas sub linguâ tenendas ad fallendam sitim.

℞ Pulueris liquir. recent. ʒ ij. semin. lactuc. acetos. & papauer. albi comminutor. ana ʒ j. semin. melon. & gummi tragac. ana ʒ ß. Excipiantur omnia succo limonum vel granat. aut syrup. viol. & fiant pilulæ crassiores. Verset vnam perpetuò sub linguâ. Est etiam conditura ad hoc non parum efficax, quæ sic paratur.

℞ Aceti quantum volueris, in quo calefacto dissoluatur succi granatorum, aquæ rosaceæ, & vini albi tenuissimi modicum, adde sacchari albissimi puluer. q. s. ad totius indurationem & incorporationem.

Reponantur in pyxide, assumantur per frustula, & teneantur in ore, vel dissoluantur cum aquâ potabili, quando bibendum erit. Atque hæc ad sitim sedandam vel leniendam sufficiant, quando enim caliditas siccitati erit iuncta, non aliis, sed eisdem fere vtendum erit.

CAPVT VI.

De apepsia, dyspepsia, bradypepsia, cruditate scilicet, ructu flatúque ventriculi.

ABsolvimvs symptomata quæ ventriculi orificio accidere solent, prout est præcipua appetentiæ sedes: nunc verò ad reliqua ventriculi munera vitiata, læsasque actiones est accedendum: inter quas concoctio maximè spectanda, non solùm partis istius, sed etiam totius corporis ratione, cui illa est necessaria. πέψις itaque, coctio ab Hippocr. dicta, & à πεπαίνω distincta, quia ad nutritionem tendit, triplex est in nobis, nempe chylosis, hæmatosis, & homiosis: illa in ventriculo, secunda in iecore, tertia in singulis partibus perficitur. Coctio autem ventriculi, de quâ nobis est nunc sermo, nihil est aliud quam alteratio siue immutatio assumptorum in conuenientem agenti siue similem qualitatem vi caloris natiui, & propriæ ventriculi temperiei, vt sint futura sanguinis materia. Prætmansa enim & quodammodo confecta duriora alimenta: alterata autem liquidiora in ore totóque illo œsophagi tractu, in ventriculi fundum carnosiore tunicâ & rugosâ præditum ingeruntur, ibíque retinentur, donec concocta per inferius osculum ad intestina demittantur, & venis mesaraicis, velut manibus quibusdam, ad hepar trahantur. Ad hanc autem concoctionem duplex concurrit causa efficiens; vna quidem vniuersalis, nempe calor natiuus, non solum ventriculi, sed etiam circumstantium partium, vt iecoris, lienis, mesenterij, omenti, substratæ venæ cauæ & aortæ: alia verò particularis, nempe propria & indiuidua temperies ventriculi, quæ assimilat sibi assumpta & in chyli formam transmutat. Vt igitur concoctio hæc recte & naturaliter fiat, oportet adesse sufficientẽ caloris natiui nõ extranei copiam, iustã ventriculi temperiem, obiecti ipsius, alimentorum scilicet cũ agente proportionem, necnon rerum omnium extrinsecus accidentium bonam dispositionem. Præterea cum appetentia, ventriculi attractio, retentio, & expulsio ratione coctionis velut finis sint ordinatæ, oportet in bonâ & naturali constitutione tantum appetere & attrahere ventriculum, quantum concoquere possit, tamdiu retinere, donec perfectè coctum & assimilatum sit, & tunc expellere conuenienter reliquias chylosæ materiæ, cuius puriorem portionem roris instar sibi ascisscere solet ventriculus. Ex quibus sequitur, harum omnium vnâ, vel pluribus immutatis, & præter naturam constitutis, coctionem ventriculi vitiari posse. Cumque omnis actio corporis læsa, vel sit abolita, vel imminuta, aut deprauata: Græci distinctis nominibus ἀνεψίαν, abolitam coctionem, ad sensum scilicet, nam in verâ abolitione oportet mortem prius intercedere: βραδυπεψίαν autem imminutam secundum tempus: deprauatam denique δυσπεψίαν vocarunt: Latini vocabulo communi Cruditates, Marcellus Empiricus Indigeriem, vulgus Indigestionem appellarunt, quarum omnium imminutæ potissimum & deprauatæ velut notas & fructus constituerunt ventriculi inflationes, ructus acidos aut nidorosos, fluctuationes & similes affectus, quos Græci ἐμφυσωμένας κοιλίας in Coacis, ἐμπνευματώσιας in definit. med. πνευματώδιας *Aph.* 32. *sect.* 5. ὀξυπεψίαν seu ἰσχνὴν ὀξεῖαν, ἰσχνὴν πυκνώδη, & κλυδῶνας dixerunt,

in

in eo tantũ discrepantes, quod in ructu flatus sursum emittitur *κατὰ ἀναπομπὴν πνεύματος*, vt loquitur Suidas: in inflatione, ex Gal. *com. in Aph. 72. sect. 5.* non emittitur flatus, sed retinetur distento ventriculo, sæpè cum dolore, potissimum si inter tunicarum suarum spatia contineatur: per fluctuationes verò non distenditur ventriculus, sed potius in illo oberrat flatus ac commouetur. Porro notandum, in deprauatâ coctione non committi errorem in quanto, sed in quali tantum. Quamuis enim appetentia deprauetur, non solum quando id appetit, quod non est appetẽdum, sed etiã quando magis appetit, quam par sit, vt ipsa retentio & expulsio nimium auctæ vitiosæ esse possunt: nunquam tamen coctio potest esse aucta præter naturam; quo enim plus coquit, dummodo bene coquat, eo melior & perfectior existit: in aliis verò appetentia scilicet, retentione, & expulsione ventriculi; quia non propter se solum fiunt, sed ratione ipsius coctionis cui famulantur, ideo fit vt in quanto errare possint, quando scilicet plus appetitur aut ingeritur, quam concoqui possit, nimium retinetur post coctionem, aut ante illam, vel nimium expellitur. Quibus ita præmissis.

Dicamus ex Gal. sententiâ, *com. in Aphor. 1. & 33. sect. 6. Aph. 72 sect. 5. lib. 3. de sympt. causis, cap. 1.* & plerisque aliis in locis quæ breuitatis causâ omittemus, cruditatem istã esse concoctionem ventriculi imminutam tantum, vel abolitam ad sensum, aut aliquando deprauatam, cum fluctuatione, ructu multiplici, aut inflationibus ex vitio proprij organi, obiecti aut rerum externarum. Cuius definitionis partes fere in præcedentibus fuerunt explicatæ. Vt autem distinctius intelligantur horum symptomatum causæ, quas ad tres reduximus, vitium scilicet organi, obiecti, rerum aliarum exterius accidentium: sciendum alimenta quæ hic nomine obiecti significantur, pluribus modis vitiare posse coctionem istam. Nam aliquando eorum substantia seu materię modus talis est, vt ne à robustissimo quidem ventriculo superari possit perfectè, qualia sunt triticum coctum, vel crudum, legumina, ex quorum immenso viu in annonæ caritate narratur apud Hipp. magnum fuisse in Æno insulâ morborũ prouentũ; carnes duriores, antiquiores aut sale induratæ, panis furfuraceus, tubera, bulbi & similia suâ naturâ dyspepta. Hinc Hipp. *lib. de victus ratione in acutis*, carnes caprinas bubulis, *ἰσυγματωδέστερας* esse scribit. Aliàs verò eorum qualitas manifesta resistit bonitati coctionis, vnde nimium frigida aut humida, flatuosa aut etiam calidiora corrumpunt digestionem, multorumque flatuum acidorum aut nidorosorum generationi dant originem. Sub qualitate etiam præparationis modus intelligendus, condimentorum, salsamentorum, assandi vel elixandi, quem sæpè huic actioni manifestum est obesse, & quotidianâ experientiâ confirmatum. Præterea quantitas in assumptis alimentis exuperans vim ipsius agentis & immutantis, cui proportionata esse debet, cruditatis sæpè est parens, vt patet per crapulas & conuiuantium ingluuiem: vt etiam deficiens, quando videlicet alimenta parcius assumpta, quamuis euchyma, in ventriculo calidiore exuruntur, & in alienas qualitates conuertuntur. Præposterus denique ordo & tempus in assumendis cibis & potu coctionem vitiare solet, vt si quis post solidiorum alimentorum vel adstringentium sumptionem, vt pyrorum, cydoniorum, & similium, ingerat postea liquida & corruptioni obnoxia: vel si horam cibandi assuetam omittens, intempestâ nocte vel alio tempore minus vsitato, cibis se reficiat: Ex omnibus his solis, vel simul iunctis in alimentorum ratione coctio vitiosa reddetur ex parte obiecti, vt dictum est.

Res verò externæ, quæ concurrunt ad actionem istam, vim etiam obtinent maximam in eâ iuuandâ vel impediendâ. Sic aër frigidior mortificationem inferens partibus: vel calidior exhauriens calidi natiui substantiam, coctiones peruertit: exercitationes nimium violentæ & statim post cibum factæ, aut omnino omissæ: alui & aliorum ductuum suppressio, aut nimius fluxus, vigilia immoderata, somnus diurnus, iracundia, mœror, profunda meditatio, casus, percussiones, & similes causæ extrinsecus aduenientes, opus hoc ventriculi, etiam in bene disposito organo & conuenienti obiecto, vitiare solent, vt satis consideranti patet. Quæ à nobis ideo dicta fuere, vt possimus læsionem functionis in suâ propriâ essentiâ, à læsione externâ distinguere, & quia hæ sæpius repetitæ causæ læsionem tandem in ipso organo efficere possunt.

Organum autem istud siue ventriculus vitia aliquando habere solet ex primo ortu & conformatione, vnde quidam *πνευματώδεις κατὰ φύσιν*, *flatuosi naturâ* apud Hippocratem, *& secundo epidem. Qui naturâ sunt sanguinei & aliquantulum bilioſi* (non valde, quia tunc bilis exuperans corrigit frigiditatem ventriculi)

acidis ructibus infestantur, ob frigiditatem scilicet ventriculi, quæ sæpius solet esse iuncta hepatis caliditati, vnde multi etiam κακοχύμους naturâ apud Galenum. Aliæ verò dispositiones organi ascititiæ sunt & præter naturam, earumque causæ, quas nos in præsentiâ consectamur. Illæ rursus sympathicæ aut idiopathicæ: sympathicæ aut per solam condolentiam, vt quando ægrotante quauis parte ventriculus minùs strenuè ob syntimoriam munus suum obit, vt in nephritide frequenter obseruatur: aut mutatâ causâ communi coctionis, calore scilicet natiuo, qui à corde influere solet, & qui à vicinis augetur: refrigerato enim corde ex quacunque causâ, deprauatâ partium substantiâ per hæmorrhagias, alui fluxus & similes, languente hepate, excisâ portione omenti, vel delapsa in scrotum, minus aut nihil concoquere potest ventriculus, vel saltem deprauatè coquit. Aut denique fit sympatheia per communicatam materiam, vt tetro vapore ex vtero, aurâ venenatâ & pestilenti ex qualibet parte, pituita aut putrido succo ex capite, thorace, & reliquis partibus, quibus coctio peruertitur. Idiopatheia autem fit quando ventriculus in suamet propriâ essentiâ & dispositione patitur, præcipuè in particulari illo insitoque calore, & indiuidua temperie quâ obiectum alimentum assimilare debet. Quamuis enim solutiones continui & morbi conformationis coctionem impediant, non tamen primò & per se, sed vel interuentu primarum qualitatum, vel reliquas functiones ventriculi peruertendo; attractionem, retentionem, aut expulsionem, quibus præter naturam constitutis, coctionem etiam secundariò vitiari dicebamus. Sequitur itaque intemperiem causam esse propriam & immediatam vitiatæ coctionis. Intemperierum autem multa cum soleant recensèri genera; simplices quatuor, totidem compositæ. Quod ad simplices attinet: passiuæ duæ, humida scilicet & sicca sine humore, & solæ vix coctionem vitiant, vt docet Galenus, nisi diuturna admodum mora & excessu, atque interueniente pessimo & fere incurabili aliquo morbo, vt tabe, hydrope, & similibus. Actiuæ verò, calida & frigida, cum quatuor compositis, in quibus istarum est combinatio, ordinariæ sunt causæ coctionis læsæ. Cum enim illa à calore moderato recte & secundum naturam perficiatur, adiunctâ ventriculi propriâ temperie, si calor ille imminutus & fere abolitus fuerit (quod Medici frigidam intemperiem vocant) non fiet, aut imminutè fiet coctio: si extraneus & præter naturam calor accesserit, deprauabitur, & in malam qualitatem cibi conuertentur. Frigida igitur calidaque intemperies dispositiones sunt proximæ læsæ coctionis, solæ vel cum passiuis iunctæ, sine humore aut cum illo: vnde Hippocrati pituitæ copia & ζύμωσις μέλανος χυμοῦ, *fermentatio nigri humoris*, quæ in melancholiâ hypochondriacâ fit, frequentissimè imminuunt coctionem, & flatus, inflationes, fluctuationes, ructusque acidos per se ingenerant; per accidens enim calor etiam intensissimus potest ructus istos acidos & cruditates efficere, dum exhaurit calidum natiuum: sic enim æstate lac & vinum facilùs acescere videmus quam hyemis tempore, quia dissipando tenuiores & calidiores eorum partes, plus potest quàm actuale frigus alterando: bilis certè prouentus quamuis in ventriculo alimenta exurat, copiosos tamen & nidorulentos ructus excitat, quod egregiè expressit Hippocrates *lib. 2. de morbis*, sub specie morbi quem ructuosum appellauit; humor enim dupliciter coctionem vitiat, tum intemperiem faciendo in parte, tum in cibis, ex alteratione & permixtione cum illis. Rursus intemperierum istarum materialium & immaterialium suæ sunt causæ, ex rebus naturalibus, non naturalibus, & præter naturam repetendæ, illis qui pathologiam medicam nouerunt satis perspectæ. Nunc ad signa veniamus.

Signa partis istius affectæ, affectuum & causarum sunt diligenter inquirenda, antequam de therapeiâ cogitemus, & ex communibus fontibus deriuanda. De parte affectâ nemo dubitat, ventriculum, primariæ istius coctionis officinam, hîc esse læsum, in suo potissimum fundo, quod crassiore & carnosiore ideo tunicâ naturaliter fuit donatum ad cibos conficiendos. An vero intemperie simplici vel humorali teneatur, agnoscemus ponderis sensu quo plurimum infestari solent, quibus humor in cauitate ventriculi continetur, vomitu ac deiectione; qui enim intemperie laborant simplici & sine humore, illi quidem sæpe cibos crudos & inconfectos euomunt aut excernunt, sed impermixtos: vbi verò adest materialis causa vomitui aut deiectioni permixta, cernitur cum eis quæ egeruntur. Denique qui simplicem intemperiem habent, illi peius habere solent plerumque post assumpta alimenta, dum natura in illis conficiendis laborat: qui autem ex humoris synathrismo

thrismo laborant, peius ante pastum, paulo melius post illum se habent, quoniam humor morbificus diluitur & mitificatur benignitate sumpti alimenti: verùm intemperies frigida aut calida sine humore parum in corpore nostro subsistere possunt, cum per eas generentur in partibus aut attrahantur aliunde excrementa. Calida itaque intemperies cum humore bilioso, putri, aut corrupto, agnoscetur ex fœtore oris & reiectorum, siti, sapore linguæ deprauato, vomitu aut deiectione illius materiæ, ructu nidoroso, qualis ex frixis rebus expirare solet, ponderis & agitationis sensu. Quæ omnia contingent in morbo iam inueterato, etiam assumptis alimentis frigidis aut temperatissimis, reliquisque rebus externis bene moderatis. Frigida pariter intemperies cum humore crudo, pituitoso, aut melancholico, dignoscetur maiore ponderis & quodammodo frigoris sensu, sitis carentiâ, sapore dulci linguæ aut insipido, faciei pallore & palpebrarum tumore, frequenti sputo, appetentiâ validiore quàm pro coctionis modo, vomitu aut deiectione eiusmodi humorum, fluctuatione, inflatione, & tumore ventriculi etiam dolorifico, si inter tunicas flatus coërceatur, ructuque frequenti, quo leuari solent etiam ante pastus, post auditos borborygmos & circa vmbilicum murmura, quia colicum affectum torminaque ventris sæpe excitare solent. Denique si ex rerum naturalium notitiâ, & non naturalium vsu appareat humorem aliquem frigidum calidúmve esse genitum, si admoris vel assumptis calidis aut frigidis lædantur aut iuuentur manifestè, certiores erunt affectus & causarum morbificarum notæ. Quod si sympathicus tantum ex aliquâ parte dolente aut materiam ventriculo communicante, vt cerebro, hepate, liene, vtero & similibus contingat hic affectus, ex propriis illarum affectarum signis agnoscetur, cum quibus simul genita est ista cruditas, & illis cessantibus mitigatur. Si ex errore causarum externarum vel obiecti, vitium coctionis istius pendeat, ex earum præsenti constitutione, ægri aut adstantium relatu facile erit discere.

Quod ad prognosim verò attinet, certum est, abolitam ventriculi coctionem horrendum esse malum, vtpote frustratâ partium aliarum nutritione, quæ inde primariam alimoniam repetere debent. Ex cruditate igitur atrophia, tabes, ascites, leucophlegmatia, leienteria & similes morbi lethales oriuntur. Imminuta etiam suo non caret periculo, ob flatuum & ructuum copiam, qui excitari solent; vnde dolores, inflationes, iliacæ & colicæ passiones grauissimæ originem habent, tum per μετάστασιν, translatâ eò flatuum copiâ; tum per ἐπίτασιν, auctâ intemperie, & ipsis intestinis communicatâ, quæ hydropem siccum, ex Hippocratis sententiâ in Aphorismis, sæpè procreare assueuit. Deprauata etiam coctio ventriculi mater est multarum ægritudinum. Siue enim acidus, seu nidorosus humor generetur, vndique angustiæ & morborum occasio, præcipuè aluo adstrictâ existente: hinc enim febres, vitiligines, lepræ, elephantes, obstructiones viscerum & similia morborum monstra. Prout autem maior aut diuturnior fuerit mali huius causa, eo insanabilior & periculosior. Conualescentibus quidem adesse solet infirmitas coctionis ex depauperatione calidi innati, sed ea paulatim restituitur debitâ renutritione; sin minus recidiuam prænunciat, distento potissimum abdomine, *Aphor.* 1. *sect.* 6. quia denotat nouam colligi materiam, quæ affectum cito renouabit. In leienteriâ diuturnâ laudat Hippocrates ἐξυρυγμίαν, acidum ructum, quia ex abolitâ coctione, imminutæ signum apparens ventriculum roborari indicat, aut minus male se habere. Atque hæc de signis diagnosticis & prognosticis, nunc ad curationem veniamus.

Θεραπεία huius affectus perficietur sublatione causarum externarum, antecedentium & coniunctarum quæ illum efficiunt, augent & conseruant. Moderatio externarum rerum fiet rectâ victus ratione institutâ: in antecedentibus verò videndum, an ex compassione tantum alicuius partis per condolentiam, aut materiam negatam vel communicatam pendeat, quibus omnibus erit rite imprimis prospiciendum, ex lege indicationum curatiuarum. Inter coniunctas autem si lædatur coctio ventriculi secundariò, ob solutionem continui, vulnera, vlcera, tumores præter naturam & similes, recurrendum ad illorum omnium curationes, iam ex parte dictas. Vt etiam si attractio, retentio, aut expulsio primò lædantur, secundò autem coctio, curandum, vt imprimis illæ corrigantur. Denique eis omnibus accuratè prospiciendum, quæ huic affectui quomodocumque generationem præstare potuerunt. Quoniam verò inter proprias dispositiones quibus

læditur ventriculi coctio, duas potissimum agnouimus, caliditatem & frigiditatem, cum humore & sine humore: ideo earum quæ sine humore fiunt omittemus curationem, quia facile intelligitur ex therapeia humoralium, vbi non solum vacuatio, sed alteratio & roboratio proponitur. Præterea quoniàm calida intemperies deprauat potius, vt dictum est, coctionem, quam imminuit & abolet, estque author ructuum illorum exustorum seu nidorosorum: cuius curatio facilè conueniet cum eis quæ à nobis tam sæpe dicta sunt in cardialgiâ, anorexiâ, malaciâ, siti immoderatâ & similibus. Idcirco contenti erimus hoc capite tradere curationem particularem abolitæ & imminutæ concoctionis ventriculi ab illius imbecillitate & intemperie frigidâ cum humore, ructu, flatuque, quoniam sæpius in medicam consultationem venire solet.

Dicta igitur primarium hic locum obtinere videtur, vtpote quæ sola vitiare aut restituere potest hanc actionem ex debitâ moderatione sex rerum non naturalium, potissimum verò alimentorum, quorum substantia, qualitas, quantitas, tempus, & ordo recte animaduertenda præscribendaque, ne quis inde error contingere possit. Omnis igitur alimenti crassioris & crudioris substantia, malique succi est fugienda; propterea abstinere debet à pane furfuraceo, duriore, & malè fermentato, vino nigro, crasso, dulci, aut acido: carnibus suillis, bubulis, caprinis, quas vocat Hippocrates *ἰπνματωδέστερας*; ouillis, caprillis, & similibus, potissimum sale aut fumo induratis: piscibus omnibus, præcipuè ceraceis & viscosâ substantiâ præditis: castaneis, rapis, tuberibus, bulbis, leguminibus: fructibus horæis, crudis oleribus & aliis. Vbi notandum, inter alimenta quædam esse quæ materialiter flatuosa sunt, vt ea quæ iam commemorauimus, quia materiam flatibus generandis idoneam suppeditant, maximè hîc fugienda: Alia verò effectiuè esse talia, quia iuuant calorem natiuum, vel materiam attenuant & incidunt, redduntque aptiorem, vt in flatus conuertatur, qualia sinapi, raphanus, allia, porrum, mentha, quæ ructatrix apud Martialem dicitur; & coriandrum, quod ideo vult esse ptisanæ incoquendum Hippocrates, vt minus sit flatuosa, *lib. de victus ratione in acutis.* Vt etiam & nos illis vti poterimus ad idem commodum, & vt roboretur ventriculi calor: qualitate enim suâ calfacere & attenuare debent alimenta, vt dissipetur illa materia & partis temperies vegetior reddatur: sub qua reponi potest præparatio quæ arte fit, elixando, assando, exprimendo, condiendo & comminuendo: ita vt alimentis bene coctis & præparatis vtantur, assis potius quam elixis, & aromaticis rebus, zinzibere, garyophyllis, cinamomo, nuce moschatâ & pipere conditis. Nec solum debet recta præparatio externa adesse in alimentis, sed etiam illa, quæ in ore fit, diutius & exactè alimenta masticando, priusquam deglutiantur. Quantitas etiam ea esse debet, quæ facilè à calore natiuo superari possit, in plures potius vices partita, quam vnicâ vice ingesta: eo tempore quo maximè assuetus erat, & postquam elapsum priorem cibum ex leuitate & appetitu senserit: recto etiam & conuenienti ordine, vt numquam solida aut adstringentia præmittantur liquidis, concoctu facilibus, aut corruptioni obnoxiis; poculaque quæ exigua esse hic debent ex meraciori vino puro & generoso, aut decocto coriandri sequantur ciborum ingestionem, illisque velut alternatim succedant. Reliqua autem materia ab alimentorum eupeptων, euchymων & calfacientium, pro gradu & intensione affectus facilè à quibusuis philiatris colligetur.

Reliqua verò eadem prudentiâ & cautione instituantur, vt scilicet aër ad caliditatem moderatam, potius quam frigiditatem vergat: somnus sit solito longior, placidus & æqualis, non solum per totam noctem, sed etim interdiu matutinus, necnon meridianus, ex consilio Hippocratis *lib. de salubri diatâ*, æstatis tempore, potissimùm quando noctes breuiores & molestæ esse solent. Exercitatio etiam corporis non est negligenda, quâ sæpe materia crudior dissipatur, & calor suscitatur natiuus. Vacuationes omnes naturales & assuetæ moderatè fiant, aut arte promoueantur, exceptâ venere, quam peius angue vitare debent omnes *καυσιμαχοι*. Denique animi languor, studium immensum, mœror & iracundia fugiantur, genioque & placidissimæ cuidam curæ omnino indulgeant. His ita constitutis, si permaneat adhuc affectus, ad remedia erit veniendum, quæ vacuando, alterando, aut roborando huic affectui prodesse possunt, tam sumpta quam admota.

Vacuatio ergo humoris crudi pituitosi aut melancholici, in ventriculo stabulantis,

lantis, ibidem geniti aut aliunde affluentis, perficietur blandâ & ſæpius iteratâ purgatione. Niſi fortaſſis ratione cauſæ antecedentis, aut partis alicuius mittentis, validior ſit inſtituenda. Paretur itaque ſub formâ pilularum, opiatæ aut ſyrupi magiſtralis ſequentis, prout ex vſu eſſe videbitur, & ægro magis acceptum. Vt

℞ Aloës optimæ, maſſæ pilularum aggregat. elephang. & de aromatibus, ana ʒ ß. turbith gummoſi ʒ ij. agarici trochiſc. ʒ iij. rhabarb. elect. & folior. ſennæ puluer. ana ʒ j. ſpicæ nardi, ſemin. coriand. & nucis moſch. ana ℈ j. piperis longi & galangæ puluerif. ana ℈ ß. Excipiantur ſyrupo conſeruat. corticis citri. Fiat maſſa pilularum, ex cuius ʒ j. fiant pilulæ v. aut vj. Capiat ſemel ſingulis ſeptimanis. Vel

℞ Electuar. de citro ſolut. ʒ iij. cathol. ʒ j. ß. rhabar. electi puluer. ʒ ij. folior. ſennæ mundat. ʒ ß. piperis longi, galangæ, corticis citri ſic. ſemin. aniſi puluer. ana ʒ ß. pulu. elect. aromat. roſati ʒ j. Cum ſyrup. de mentha, vel de hyſſopo fiat opiata. Cuius ʒ ß. vel ʒ vj. capiat in formam boli mane cum ſaccharo, vel diſſolutas vino abſint. aut decocto aniſi & coriandri. Vel

℞ Rad. acori vulgar. ireos Florent galangæ, & calami aromat. ana ℥ j. rad. cyperi, corticis citri ſic. & raſuræ ligni ſancti, ana ʒ ß. herbar. ſaluiæ, hyſſopi, menthæ, maioranæ, lauendulæ, roriſmarini, abſint. pont. chamæpityos, fœnicul. ana M. j. fol. ſennæ mund. ʒ iv. ſemin. aniſi, anethi & cumini, ana ʒ ij. coriand. præpar. ʒ j. carthami contuſi ʒ j. epithymi, flor. ſtœchad. anthos, & ſaluiæ, ana P. j. Fiat decoctio in hydromelite ad ℔ ij. in quibus diſſolue ſacchari q. ſ. Fiat ſyrupus perfectè coctus magiſtralis: Cuius capiat ʒ iij. ſemel in ſeptimanâ cum infuſione ʒ j. rhabar. & ℈ ß. cinamom. Ex tribus his formulis purgantium liquidâ, ſolidâ & mediâ, licebit paucis mutatis multas alias confingere. Habetur in officinis elect. illud in tabellas, de citro ſolutiuum dictum, huic rei peculiariter dicatum. Puluerem verò rhabar. ad ʒ j. ſumptum, aut radicis mechoacan cum decocto aniſi aut cinamomi præſcribere poſſumus in infirmioribus & deiecta valde ventriculi temperie.

Ad alterandum verò, diſſipandos flatus, & roborandam partem, aſſumptis & admotis agendum. Inter aſſumpta, quædam alimenti, quædam medicamenti magis rationem obtinent. Sic vinum Hippocraticum dictum, bochetum ex decocto aniſi & coriandri cum ſaccharo & cinamomo paratum ordinariè ſumptum. Puluis vulgo ducis dictus omnibus alimentis aſperſus, qui ex duabus ſacchari albiſſimi partibus & vnâ cinam. electi conſtat: ſal ad condiendos cibos confectus ex puluere cumini, coriandri, aniſi, piperis longi, galangæ, & nucis moſchatæ, mixto cum pari portione ſalis communis: piperis grana aliquot integra aut conquaſſata mane ſumpta: nuces communes garyophyllis confixæ & ſaccharo conditæ, cortex citri & arantij conditus, zinziber conditum, ſemen aniſi, fœniculi, coriandri, fruſtula cinamomi, arantij & garyophyll. ſaccharo incruſtata, quod vulgò dragetam vocant. Puluis digeſtiuus ante & poſt ſingulos paſtus ſumptus, nihil poſtea bibendo, vel comedendo, multùm coctionem iuuare, intemperiem corrigere, flatus diſſipare & partem corroborare poterit, cuius tale ſit paradeigma.

℞ Semin. aniſi, coriandri & fœnicul. ſacchar. condit. ana ʒ ß. cinamom. electi, piperis vtriuſque, nucis moſc. zinzib. & garyophyll. ana ʒ ß. puluer. electuar. aromatici roſat. & diamoſch. ana ʒ j. corticis citri ſicci, ſantali citrini, & ligni aloës optimi, ana ℈ j. ſacchari albiſſimi ad pondus omnium. Fiat puluis, cuius capiat cochlear vnum ante & poſt paſtus. Vel fiant muſcardini ſequentes.

℞ Cortic. citri ſic. cinamom. electi, zinzib. & garyophyll. ana ʒ ß. puluer. elect. aromat. roſat. & diambr. ana ℈ j. moſchi ℊ. v. ſacchari albi ʒ ß. gummi tragac. aquâ menthæ diſſoluti q. ſ. Fiant trochiſci vel globuli deaurati, quorum teneat aliquem ſemper in ore.

Ad idem habentur & laudantur vinum & ſyrupus de abſinthio, conditura calami aromat. conſerua fol. abſinth. ſyrupus de mentha, ſyrupus conſeruat. corticis citri & calami aromat. Tabellæ elect. aromat. roſat. diambræ, & diamoſchi, Galeni diatrionpipereon & diacumin. Theriaca antiqua, aurea Alexandrina, mel anacardinum. Valde mihi placet in hoc affectu electuar. de citro non ſolutiuum, ab Arabibus Philonium deſcriptum: ventriculi gallinarum interior tunica, cum vino albo & aquâ menthæ lota, torretur in furno, puluis miſcetur cum pari portione ſacchari,

Digitized by Google

admiſcetur opiatis, conditis, & ſimilibus,magnâ omnium commendatione, ad iuuandam coctionem. Laudarem ego non parum decoctum ligni ſancti aut ligni ſaſſafras, addendo P. j. corticis citri ſicci, ſemin. aniſi, coriandri, & folior. menthæ,in plures dies ſumptum calidè, abſque ſudoris prouocatione, niſi ſeroſi humoris copia in toto aut aliquâ parte mittente appareat. Noſtrâ ætate Chymici ad cœlum vſque efferunt ſuam eſſentiam aniſi, cinamom. & garyophyll. ad roborandum ventriculum, cuius guttæ aliquot in aquâ menthæ, iuſculo aut vino diſſoluuntur, & mane ſumuntur. Aqua cœleſtis, & imperialis nobis vſitatiſſimæ, ex cochleari mane aliquoties ſumptæ, hic non parum valere poterunt. Quæ omnia varianda erunt à ſolerti Medico pro variis circumſtantiis, multaque alia eiuſdem generis ſub variis formulis præſcribenda, prout ex vſu eſſe videbit.

Exterius etiam toti ventriculo ad vmbilicum vſque admouenda, quæ calorem natiuum augere, flatus diſſipare, & robur parti conciliare poſſunt. Ad hoc delicatæ mulieres & ſeniores induxerunt vſum geſtandorum catellorum,bonis odoribus ſuffumigatorum, ſupra regionem ventriculi: quidam malunt puellulum aut virginem delicatiſſimam imponere. Pauperes conficiunt paruam culcitram ex molliſſimis plumis anſerum, & noctu atque interdiu ſupra ſtomachum geſtant. Alij raſuram ſcarlatæ inter duas ſindones ſericeas in formam ſcuti conſuunt, addendo puluerem aniſi, coriandri, corticis citri ſic. garyophyllor. nucis moſch. folior. menthæ ſiccorum & ſimilium: vel cotone moſchato excipiunt. Ad idem parantur pelles vulturis, ſtruthiocameli & leporis, ventriculo apponendæ ad conciliandam ἰσοτονίαν.

Inunctiones conueniunt ex oleo laurino,nardino,abſinth. nucis moſchat. cerato ſtomachico, calidiſſimæ,ex præcepto Galeni 8. *method. cap.* 5. quia tepida diſſoluerent robur ventriculi. Emplaſtrum de baccis lauri, & de meliloto aliquando vſurpari poſſunt. Fotus autem humidi non ita conueniunt ob actualem humiditatem. Verum ſi magna flatuum copia & dolor vrgeat, apponantur cucurbitulæ maiores cum multâ flammâ ſupra vmbilicum, quæ incantamenti inſtar ſæpè hunc affectum, aſſerente Galeno, leuarunt. Fiant etiam fomenta ſicca in hunc modum.

℞ Milij & auenæ, ana ℔ ß. ſalis communis P.j. ſemin. aniſi,baccarum lauri,cumini, fœnicul. & granor. kermes ad robur partis, ne deiiciatur nimium à reſoluentibus, ana ʒ iij. flor. ſtœchados, anthos, chamæmel. & roſar. ſicc. ana P. ß. Torrefiant omnia leuiter in ſartagine, affundendo parum vini rubri. Includantur ſacculo, quo calente foueatur locus dolens aut in tumorem elatus. Poteſt etiam fieri ſic.

℞ Corticis citri ſic. rad.ireos Flor.& galang.ana ʒ ij.fol.ſiccor. menthæ, hyſſopi, ſaluiæ, maioran. roriſmar. ana M. j. ſemin. aniſi, cumini, fœnicul. baccar. lauri, ana ʒ ß. florum chamæmel.anthos, ſchœnant.& ſpicæ nardi, ana P. j. Conquaſſentur & includantur duobus ſacculis lineis mollioribus, quibus in vino rubro generoſo & calente immerſis foueatur regio ventriculi viciſſim. Picationes & ſinapiſmi tandem ſupra ipſam regionem ventriculi inſtituuntur, ſi quidem iam ſummè refrigeratus videatur. Ad iſtum denique affectum mitigandum, quando potiſſimum in colicam aut iliacam paſſionem degenerat, non parum valent clyſteres illis in locis deſcribendi.Atque hæc de eruditate ſufficiant.

CAPVT VII.

De ſingultuoſo affectu.

VENTRICVLI, vt reliquarum partium, quatuor ſunt naturales actiones, attractio ſcilicet, concoctio, retentio, & expulſio. Nos autem prioribus capitibus attractionis ſeu appetentiæ, & concoctionis vitia ſumus perſecuti: nunc ad retentionem expulſionemque læſam eſt accedendum: ad quas referuntur ſingultus & vomitus, duo notiſſima & moleſtiſſima ſymptomata.Primum itaque de ſingultu,qui λὺγξ, ſiue λυγμὸς à Græcis dicitur,diſſeramus, hinc ducto exordio.

Duos

Duos esse in nobis motus, vt etiam sensus, eleganter annotauit Galen. *lib. 9. de vsu partium.* Vt enim motus ille arbitrarius, qui voluntatis aut appetitus imperio subiacet, musculorum opera omnino perficitur: sic natura partibus quæ erant eiusmodi motus expertes, motum alium per suas naturales fibras indidit, per quas, non dum volumus, mouentur, sed ad rei molestantis sensum exurgunt, commouentur & concutiuntur. Sic cerebrum, naturali illo sensu præditum, vbi aliquid molestius illi incumbit, seipsum cogit, dilatat & commouet per epilepsias & sternutamenta. Sic cor atris & fumosis melancholici humoris vaporibus, aut aliâ re lacessitum πάλλεται, palpitat & agitatur, non per diastolem &, & systolem, sed tremebundam concussionem, non secus ac illis, quibus ob ingentem timorem aut lætitiam agitatur φρὴν ἐπὶ φρένι πάλλεται. Eadem ratione ventriculus exquisitissimo animali, non solum naturali sensu præditus, quamuis musculos non sit à naturâ sortitus ad sese commouendum, ex insito tamen illo partibus similaribus per proprias fibras motu, si quicquam secus aliquando contigerit, seipsum ciet, contrahit, dilatat & vehementer commouet ad illius expulsionem: vt videre est per ructus, nauseas, vomitus, choleras, & singultus: qui proportione quadam tussi, conuulsifico motui, horrori, rigori, oscitationi & pandiculationi respondet: quoniam in illis omnibus natura ad expellendam rem noxiam irritatur.

Singultus itaque cum sit motus quidam, qui tamdiu est quamdiu fit, non potest esse morbus, nec morbi causa, nisi valde remota. Erit ergo symptoma, non sub qualitate mutatâ, non sub excretis (in singultu enim nihil excernitur sensibiliter;) ergo sub actione læsâ; non sublatâ, quia fit; non imminutâ, quia violenter fit. Ergo erit deprauata, si sit extra latitudinem sanitatis, propter naturam causæ morbificæ, à quâ inducitur dispositio præter naturam, & prouocatur facultas expultrix ventriculi: retentrix autem relaxatur seu debilitatur. Sic itaque symptoma istud definiamus.

Singultus est deprauatus ventriculi motus, per quem seipsum cum sonitu concutit, ob stimulatam expultricem à causâ præter naturam. Dicitur enim motus, quia singultiens ventriculus manifestè per suas fibras commouetur, & quasi conuellitur, vt iam dictum est: Vnde Hippocrati & Galeno *Aph. 39 sect. 6.* conuulsio quædam dicitur; non quod in musculoso genere contingat vt vera conuulsio; sed quia in genere & in causis deprauati motus cum spasmo musculorum conueniat. Est autem deprauatus hic motus & peruersus, quoniam ventriculus naturaliter constitutus ad retinendum, complectendúmque, tum excernendum id quod in capacitate suâ continetur, seipsum per fibras suas obliquas transuersásque colligit & coarctat à circumferentiâ ad centrum: hîc verò contrà à centro ad circumferentiam reuoluitur, elidítque spiritum interius contentum, vnde sonitus: quin etiam in singultu maior est & violentior motus quàm in vomitu, ex sententiâ Galeni 3. *de symp. causis*, propterea quod causa singultus non in spatio & inanitate ventriculi versatur, vt in vomitu; sed altius in tunicas illius est immersa, ex quibus non potest nisi longa conatu & fatigatione excludi. Vnde Auicennas ratione eruptionis materiæ vomitum maiorem motum appellauit: Galenus contrà singultum maiorem motum respectu conatus naturæ. Porro si motum hunc spectes, certum est totum ventriculum commoueri & affici: sin vero sensum rei molestæ, magis videtur esse propriùs hic affectus eiusdem orificio ob copiosos illos & insignes sextæ coniugationis neruos ibi implantatos; quamuis tamen & illius fundo, parietibus, inferiori orificio, quandoque etiam œsophago ipsi contingere possit, pro vario situ ipsius materiæ peccantis.

Causas autem singultus proximas, seu morbosas dispositiones à quibus pendet, duas tantùm Hippocrates *citato Aphorismo*, vt conuulsionis, assignat, inanitionem scilicet & repletionem ventriculi, ad quas aliæ omnes referri possunt. Commodius tamen erit tertiam adiungere, quam doctissimi Arabes *non proportionatam ad materiam*, dixerunt, quæ frequentissimè motus istos conuulsiuos irritare solet: quando scilicet ex tenui quodam vapore, qualitate magis quam quantitate noxio, punctione, vlcere, frigore, calore (quæ Galenus ipse agnouit causas singultus *comment. in Aphorism. 39. sectionis sextæ, & libro octauo de compositione medicament. secund. locos, capite tertio*, & similibus perculsus ventriculus, vt & neruosum genus sese concutit & commouet. Exemplum est in rebus externis clarissimum: quæcumque enim illarum poros

obtinent humiditate quadam insitâ refertos, vt coria, fidium chordæ, & similia; illa quando humidum exhauritur contractis poris, vel adueniente externâ humiditate distentis, retrahuntur secundum longitudinem, & quod vni accedit dimensioni, alteri deperire solet. Idem accidere posse partibus corporis nostri propter exhaurientes & replentes causas nihil obstat, potissimum neruosis & membranosis. At præter illas duas dispositiones, quæ insensibilibus etiam rebus accidunt; quoniam partes corporis nostri sensu donatæ sunt, illam à nobis commemoratam obtinuerunt: ideo ad fugam cuiusuis rei molestæ contrahi illas necesse est: vt motu illo eam excludant, & in quam minimo fieri poterit temporis puncto. Hæ tres causæ in singultu etiam sanorum sunt manifestissimæ. Nam per inedias aut transactam cibandi horam, in voracibus potissimum hominibus, exsuctus ventriculus & lancinatus commouetur ac veluti oblatrans in strepitu illo singultuoso, quem excitat illisus violenter spiritus, ex vacuitate ventriculi in œsophagi angustias compulsus. Hic singultus facillimè assumpto cibo sedatur. Alias vero fit in hominibus sanis à causa non proportionata ad materiam, videlicet ob acrimoniam alicuius rei vellicantis & afficientis ventriculum exquisitioris sensus: sic multi ab assumpto tantillo sinapi, rutâ aut pipere, quod de se ipso narrat Galenus, statim singultiunt, potissimum si aliquid vini tepidi quod magis penetrare faciat, postea assumpserint. Aliàs denique in ipsis sanis ob veram contingit repletionem, eamque triplicem, flatuosam, scilicet, crapulosam, & humoralem. Sic quidam vbi multum locuti sunt, aut iracundiâ perciti, potissimum si frigidiorem naturâ habeant ventriculum, ex commotione flatulenti spiritus, singultu corripiuntur. Eis verò quibus viuere nihil est aliud, quam bibere & frequenter saturari; aut qui præter morem vino vel cibis se ingurgitarunt: vel quibus corrupti sunt in ventriculo cibi ab hesternâ crapulâ, plenè singultiunt. Quemadmodum ij, quibus glutinosi cuiusdam humoris portiuncula, pituitosi aut melancholici, firmiter interno aut externo tunicarum spatio adhæsit. Quod cum intelligeret Erysimachus ille Medicus in Platonis conuiuio seu de amore, singultientem Aristophanem iussit primò spiritum cohibere, vt si qui essent in illius ventriculo flatus dissiparentur (cohibita enim respiratio longas ofcitationes & singultus curat, Hippocrati *in Coacis*) peruadente scilicet calore vitalium partium ad naturales, & compresso diaphragmate. Quod cum non succesisset, aquam bibendam tradidit, ad corrigendam ventriculi intemperiem calidiorem, si quidem loquendo aut alio modo fuisset contracta: aut etiam ad eluendum acriorem succum, si quis subesset. Tandem his duobus frustrà tentatis, sternutationem proritauit, excussitque humorem ventriculo firmiter hærentem, ex Hippocratis consilio *Aphorismo decimotertio sectionis sextæ.* Vulgus in compescendo hoc sanorum singultu, modò insperatæ rei & tristis narrationem faciunt, aliàs cogitandum aliquid obscurum proponunt, timorem incutiunt, aquam in vultum ex insperato aspergunt, vt ex hac agitatione spirituum dissoluatur causa quæcumque in vitio fuerit. Quidam comprimunt vtrinque digitum illum, qui medicus dicitur, vt ex sensu doloris conuertatur aliò vis naturæ. Alij erectum corpus statuunt, quia sic minus opprimitur à circumstantibus partibus ventriculus. Atque hæc de singultu sanorum & vsitatioribus illius remediis.

In ægris autem similes dispositiones, sed valentiores multo, singultus excitare solent. Imo non solum per idiopatheiam, sed etiam per sympatheiam fiunt isti singultus: siquidem per tumores, inflammationesque viscerum in epigastrio contentorum, singultire solet ventriculus, potissimum hepatis, vt est in *Aphor.* 17. *sect.* 7. in cuius feruentis syntimoriam trahi solet, partium vicinià & connexione neruorum, quos Hippocrates *lib.* 2. *epid. & Aphor.* 58. *sect.* 5. breuissimos appellauit: partim compressione, aut communicatâ humoris feruidioris & furentis portione. Sequitur etiam aliquando altiora, quemadmodum bilioſus vomitus, & obmutescentia, ob neruos illos commemoratos, cerebri vulnera, diaphragmatis & intestinorum affectus: vnde hernioſis sæpè singultus contingit, delapso in scrotum omento aut intestino, in ileo, ex *Aphor.* 10. *sect.* 7. seu miserando voluulo, permutatione motus peristaltici intestinorum, qui fit ad inferiora, reuoluuntur per ἀνάλυσιν superius horrendi cum fæcibus flatus, & singultuosam passionem inferunt. Idiopathicus verò singultus fit, quando iam causa ipsum ventriculum occupauit, & sedem ibi certam iam fixit, vt ab inanitione, in exhausto & consumptione partium, per immodicas vacuationes, siue arte seu naturâ factas, vt per larga sanguinis

Digitized by Google

nis profluuia, alui deiectiones & alia, quæ ὑπερχέσεις & ὑπερκαθάρσεις appellantur. Item in anxiosis, laboriosis, lipyricis & synectícis febribus, quæ summam humidi primigenij copiam exhauriunt, potissimùm in partibus membranosis & exanguibus, qualis est ventriculus, qui noxam hanc imprimis præsentit, tum ob exactiorem sensum quo præditus est, tum ob solitam tractionem, qua reliquas partes communi alimoniâ destitutas, illum diuellere credibile est. A repletione autem fit ἰδιοπαθικῶς singultus, flatuosâ, vt per intemperies frigidiores ventriculi; in caloris natiui extinctione vel oppressione: aut humorali, ex bilis feritate percellentis ventriculum; qui singultus vomitum subsequi solet, vt est in *Aphor. 3. sect. 7.* putridi aut venenati succi, vel viscosi alicuius humoris contumaciter adhærentis & anxiosam molestiam inferentis, quorum rursus multiplices sunt causæ. Denique à causa non proportionatâ ad materiam, vt per intemperies sine materiâ calidas vel frigidas valde excedentes, punctiones, vlcera, veneni aut cathartici malignitatem, auram venenatam & pestilentem ab vtero, vesicâ, cruribus, bubone, re externâ & similibus ad interiora delatam. Quorum omnium rursus generationis modus ex rerum naturalium, non naturalium, & præter naturam constitutione est repetendus.

Quod ad diagnosim autem huius affectus attinet, cum nulla sit pars in toto ventre inferiore, quæ huiusmodi sonitum versus superiora edere possit, ex ipso symptomate, velut signo sensibili, detegitur ipsa pars affecta; nec immeritò vulgo dicitur, neque singultum, neque amorem celari posse. An vero sit sympathicus singultus, illud ex aliarum partium affectarum quibus compatitur, notis est deprehendendum. Propria etiam ventriculi inanitio ex vacuationibus quæ præcesserunt, aut præsentes sunt, rebusque dissipantibus & resoluentibus humidam partium substantiam, agnoscetur. Item ex diuturnâ morâ qua talis dispositio singultuosa introducitur. Et quoniam singultus hic ab inanitione κενὸς à Thucydide dictus, dum pestilentis febris ἐπιγινόμενα enumerat, magis est sonorus & quasi clangosus, in re scilicet vacuâ factus. Plenus verò magis est interceptus, & sine magno sonitu, ob pauciorem spiritum qui eliditur: signaque adsunt flatuosæ aut humoralis materiæ in ventriculo contentæ, iam sæpius à nobis recensitæ; cum frequenti conatu vomendi, quo egeruntur biliosa, putria, pituitosa, aut melancholica magno cum ægri commodo. Si sit causa non proportionata ad materiam, intemperies videlicet, vlcus, vulnus, aut aura venenata, à quibusdam partibus, vel rebus externis in stomachum agentibus, signa istorum ex propriis suis fontibus repetenda: quod sæpe fuit à nobis annotatum. Ex quibus prognosim facile est stabilire, horrendum scilicet esse omnem singultum, qui ob sympthiam in inflammatione viscerum contingit, ex *Aphor. 17. sect. 7. In hepatis inflammatione singultus, malum: In prorrhet. Vocis interceptiones cum singultu pessimæ.* Periculosissimum esse in ileo & mortis proximæ signum patet ex *Aphor. 10. sect. 7.* Item in summa inanitione & exhausto per febres: Vnde illud *in Coacis. In laboriosâ & continente febre singultus, malum;* & *Aphor. 3. sect. 7. A vomitu singultus & oculorum rubor, malum: Aphor. 25. & 42. sect. 7. & 3. ac 4. sect. 5 Singultus in hæmorrhagiâ, aut nimiâ purgatione lethalis.* Quid plura? Singultus in nulla causa morbificâ quicquam boni potest indicare, sed summam naturæ deiectionem aut oppressionem. Quibusdam tamen periodicus contingit singultus, qui plerumque dissipatâ causâ irritante aboletur, vt videre fuit in honestissimâ quadam Monspelienſi fœminâ, quæ per sex menses hos singultus passa est, incipientes quotidie ab horâ meridianâ vsque ad mediam noctem. Potest quoque aliquando esse singultus criticus, dum præcedit excretiones illas salutares, quæ per vomitum aut alui fluxum fieri solent. Sed tunc reliqua omnia in bonum consentiunt, viresque imprimis subsistunt, quæ diligenter sunt animaduertenda.

Therapeiam igitur huius affectus instituere oportet, singulis suis causis oppositam. Si sympathicus est, primariis morbis prospici debet, ex lege indicationum therapeuticarum. Si ab inanitione exhaustoque fiat & diu perseueret, plerumque mortis propinquæ est prænuntius, & cum prognostico relinquendus. Instituatur tamen victus analepticus seu refectorius, iam sæpius à nobis descriptus; & vacuatio aliæque inanitionis causæ, quantum fieri poterit, sistantur. Est controuersia inter Haly & Serapionem de curatione singultus ab inanitione: ille enim frigida actu potestate talia, vt julepos, aquam frigidam, rosaceam cum mucilagine seminis psyllij & similia: hic autem aquam calidam, oleum amygdalarum dulcium,

iuſcula, conſummata, & omnia humectantia cum caliditate modicâ exhibet. Quæ ita conciliari poteſt, vt ſi ſimplex ſit inanitio abſque vllâ caliditate præter naturam, eligantur calida humidaque actu & poteſtate talia ad celerem refectionem. Si verò adſit adhuc feruor, qui humiditatem depopuletur, refrigerantia vtiliſſima ſunt, vt cauſa efficiens & augens affectum expugnetur, ſine cuius ſublatione, vix ſperabilis eſt inanitionis curatio. Eadem ratione ſingultus non proportionatus ad materiam, ſi ab intemperie aliquâ, vulnere, vlcere, venenato cathartico, aut aurâ aliquâ malignâ ab externis aut internis partibus erumpente pendeat, propriâ ſingulorum iſtorum affectuum curatione tolletur,quam vel tradidimus iam, vel poſtea ſuis locis ſumus explicaturi. In primis tamen hic quæ reuellunt,abluunt & cardiacâ vi ſunt prædita,conuenient.

Singultus denique à cauſâ materiali peculiarem ſuam therapeiam habebit, pro variâ naturâ flatus & humoris qui illum committent. Victus itaque ratio ad flatus diſſipandos conueniens & vnicuique humori morbifico, bilioſo, pituitoſo, aut melancholico, putri, craſſo, aut viſcoſo contraria,quæ ex præcedentibus capitibus colligetur. Item purgatio per deiectionem & vomitum, alteratio & corroboratio idonea ibidem præſcripta vſurpetur, ad expugnandum hunc affectum, quam ſuperfluum eſſet repetere. Si quid tamen peculiare in hac materiâ referendum ſit, laudantur in flatuoſâ aut humorali materiâ frigidâ, pilulæ de hiera, & benedicta laxatiua, frequenter pro rei & corporis naturâ repetita. Acetum ſcilliticum ſæpius ſumptum. Teneant perpetuò garyophyllos in ore. Caſtorei ʒ j. diſſoluatur in ℥ iij. ſucci menthæ : capiat tertiam partem per os, aliis verò inungatur extrà ventriculus calidè. Seminis anethi ʒ iij. bulliant in vini generoſi rubri ℥ viij. Capiat per os ℥ j. mane & ſero, reſiduo verò foueatur ventriculus cum ſpongiâ nouâ, & ſemen ipſum incluſum linteolo frequenter naribus obiiciatur. Cucurbitulæ cum multâ flammâ, ligaturæ extremitatum & frictiones dolorificæ prodeſſe poterunt. Ad hoc multum laudant Arabes aquam mellis ad ℥ iij. cum ʒ j. ſeminis vrticæ potam, quia terget & diſcutit. Altiliæ vel galangæ puluerem ad ʒ j. in vino albo odorifero diſſolutum propinant. Item decoctum ſchœnanthi & corticum fiſticorum ſeu piſtaciorum. Pro ſecreto habent dare per tres horas ante cibum radicem vnam zinziberis viridis conditam, bibendo poſtea vini maluatici cyathum vnum. Meſues pilulas has conficit ad ſingultum, ex frigidâ causâ oriundum,quæ alterandi & purgandi vim habent.

℞ Caſtor.& myrrhæ,ana ʒ ij.ſalis gemmæ ʒ j.ß.diacryd.& maſtic.ana ʒ j.agaric. trochiſc.ʒ iij.aloës ad pondus omnium.Excipiantur ſucco menthæ.Fiat maſſa,è cuius drachmâ formentur pilulæ ſex. Capiat tres mane bis in ſeptimana. Puluis etiam ſequens mirabilis habetur.

℞ Semin.anethi ℥ ß.zedoar.ligni aloës,maſtic. corall. rubri, nucis moſch.garyophyl.ana ʒ j.ſalis communis ℥ ij.Fiat omnium puluis; capiat cum cibo ordinariè loco ſalis, quo etiam condiri poterunt alimenta. Præterea applicetur hoc cataplaſma ſupra regionem ventriculi,frequenter mutando.

℞ Ariſtolochiæ longæ, galang.aniſi,baccarum lauri,gentianæ,folior.rutæ ſiccor. ana ʒ iij.caſtorei,myrrhæ & maſtic.ana ʒ ij. garyophyll. roſar.& hypociſt.ana ʒ j.Incorporetur cum melle & aquâ ſampſuchi.Imo etiam tandem phœnigmi & veſicatoria admouentur. Vrgente admodum ſingultu interdum exhibent philonij romani ʒ ij. cum ſaccharo inſtar boli, aut cum tantumdem conſeruæ roſarum. Ego in eiuſmodi ſingultu decoctum guaiacinum non improbarim : nihil tamen præſtantius exiſtimo, quàm vt aquæ noſtræ Bellilucanæ potu, balneo, & fotu in plures dies adhibeantur, quibus remediis fœmina illa Monſpelienſis conualuit. Valet etiam multum eorumdem balneorum cœnum, regioni ventriculi inſtar cataplaſmatis calidè admotum, addendo, ſi velis, aliquid caſtorei & myrrhæ. Chymici laudant ſuam eſſentiam aniſi, aquam cinamomi, & ſpiritum vitrioli, ſi eius guttæ aliquot diſſoluantur cum vino antiquo.

In causâ autem calida humorali, inſtituta prius conuenienti victus ratione, venæ ſectione ſi opus ſit,cucurbitulis,ligaturis, & frictionibus extremorum,laudantur plurimùm pilulæ ſequentes.

℞ Rhabarb. electi, aquâ endiuiæ irrorat. & puluer. ℥ ß. pulpæ tamarind. ʒ iij. ſeminis endiuiæ, portul. & ſpodij, ana ʒ j. ligni aloës & ſantali citrini, ana ʒ ß. Conficiantur cum ſyrupo de limonibus. Fiat maſſa : capiat ʒ j. tertio quoque die mane. Interiectis diebus capiat ſantali albi & coralli rubri pulu.

ana

ana 3 ß. cum aquâ rosaceâ & pauco aceto. Applicetur etiam cataplasma sequens.

℞ Trium santalorum & spodij, ana partem vnam, farinæ hordei partes duas. Conficiantur cum succo semperuiui, & admoueantur actu frigida, vel saltem tepida. Licet etiam hîc vti audacius quàm in causâ frigidâ, valde vrgente affectu, narcoticis, vt sensus partis exquisitior obtundatur, & humoris feritas corrigatur: inter quæ requies Nicolai dicta maximè idonea videtur. Aiunt herbam, quæ alyssum vocatur, & describitur à Dioscoride & Plutarcho 3. *sympos.* 1. singultus potu, odoratu, aspectu, atque etiam si manu teneatur, mirabiliter sedare. Atque hæc de particulari singultus curatione dicta sint.

CAPVT VIII.

De nausea & vomitu.

ET ENTRICIS facultatis ventriculi, & expultricis læsæ symptomata non solum in singultu; sed etiam in nauseâ, vomitu, & cholerica passione eluceſcunt: proinde cum de singultu egerimus, postulat ordo, vt de vomitu & nauseâ, à nobis iam instituatur sermo.

Nautía igitur, ναυτίησις, ὑπόλυσις, ἢ ἀνατροπὴ, ἔμετος, ἔμεσις, ἔμεσμα, ἐμέλη ἢ ἐμετίη nomina sunt apud Hippocratem & Galenum, quibus vomitiones perfectæ vel imperfectæ significantur. Perfectas voco, in quibus aliquid sensibile & palpabile excluditur per concussionem propriam ventriculi, vt in vero vomitu. Imperfectas autem, quæ simplici saliuatione, ructibus quibusdam, singultu, aut insensibiliter terminantur, vt in supinitate (Hippocr. *in Coacis* vocat ἕλξιν ἐμετώδη, quasi dicas conatum vomitorium, alibi ἄλυσμον ναυτιώδη) subuersione potissimùm post sumptos cibos, & nauseâ videre est, quæ est ex Auicenna motus expultoris, quem non sequitur motus expulsi. Illis itaque vt minoribus affectibus, quorum causæ & curatio eædem sunt cum vomitu, relictis, ad huius naturam, causas, & curationem explicandam conuertimur.

Vomitio itaque seu vomitus est motus ventriculi concussiuus, quo aliquid sensibile & palpabile confertim per os excluditur, quantitate vel qualitate illi molestum. Hoc quidem symptoma inter excreta reponi potest; sed quia actio læsa semper intercedit, quæ à certo quodam morbo vitiatur, ideo melius est ad illam referre. Dicitur itaque actio deprauata seu motus ventriculi concussiuus, qui in multis aliis partibus, motu animali destitutis, cernitur, vt iam dictum est: quæ sibi noxia aut molesta per contractionem & dilatationem naturalem operantibus fibris excernunt. Sed quia ratione motus concussiui communicat vomitus cum singultu; ideo additur in definitione, quo aliquid sensibile & palpabile confertim excluditur: vt hac ratione non solum ab ipso, sed etiam à nausea, supinitate, subuersione & ructu distinguatur, in quibus pauca, insensilis, aut lenta est excretio. Adde quod in singultu ea quæ propriis ventriculi tunicis impacta sunt, nititur laboriosè extrudere natura: per vomitus autem ea potius quæ in capacitate velut stagnantia continentur, maiori facilitate expellit; idque per os tantum; qua ratione secernitur à cholera morbo, in qua simul & semel supra infráque vitiati humores excluduntur. Denique adferuntur causæ efficientes seu mouentes, quando subnectitur, id quod quantitate vel qualitate aut vtrisque molestum est, excerni: siue id ab interno principio, seu ab externo motore pendeat, vt deinde clarius explicabimus.

Porro præter causas illas mouentes, quas vulgo materiales appellant, petuntur etiam differentiæ vomitus ab efficienti, cuius ratione naturalis dicitur vel artificialis, hoc est solo naturæ impetu (*Aphor.* 2. *sect.* 1. dicitur ἔμετος αὐτομάτους γινομένους) vel artis beneficio adiutæ institutus. Rursus naturalis triplex est, criticus, periodicus & symptomaticus. Criticus is dicitur, qui bonis ægri rebus, apparentibus coctionis notis, die laudabili, & conuenienter significatus, per morbos potissimùm acutos, aliàs chronicos, fieri solet. Periodicus autem est, qui extra morbosam constitutionem, exercetur à naturâ assuetâ, præcautionis causa, &

certis

certis temporum ſpatiis repetere ſolet: vnde apud Hippocratem *lib. de ſalub. dieta, & de victus ration. in acut.* & alios, legimus ad ſanitatis conſeruationem antiquos illos homines bis in menſe continuis aut interiectis diebus ſponte vomuiſſe. Et multi ſunt hoc noſtro tempore, qui abſque vlla aliâ noxâ ſolent ſingulis ſeptimanis, & certo quodam die magnam bilis aut pituitæ vim excernere, hos ἐμετικὰς, vomiturientes vocat Hippocrates *in prorrhet.* Symptomaticus denique is eſt, qui non tam opus naturæ ſponte, determinatè, laudabiliter & faciliter qualia oportet excernentis, dici poteſt, quam deprauata actio illius coactæ & irritatæ à causâ morbificâ perturbante, propter quam diminutè aut ſuperfluè, difficulter & cum ſummâ ægri moleſtiâ exercetur, tum ob reſolutam retentricem præ nimiâ humoris copiâ: tum violenter commotam expultricem à pondere aut vellicatione materiæ peccantis. Vnde *in prorrhet.* appellantur ἐμίσματα ἀσώδεα. Atque de ſymptomatico hoc vomitu propoſita eſt nobis potiſſimùm tractatio, vtpote cuius causâ inſtituenda ſit therapeia: cum periodicus & criticus regentis naturæ ſagacitati ſæpius relinquantur. Aliæ ſunt differentiæ vomitus ab excreto & excernendi modo. Ab excreto quidem, nam aliquando vtilis, aliàs inutilis materia excernitur, alibilis vel excrementitia. Rurſus alibilis vtiliſque eſt materia, quando ſanguis, aut cibus nondum confectus vel chylus excluditur: excrementitia ſeu inutilis, eſt animata, vt lumbrici: inanimata, vt bilis, pituita, melancholia, ſolæ vel permixtæ; nec non pus, ſanies, aut ichor ex rupto interiore aliquo abſceſſu. Ab excernendi modo, alius dicitur facilis, alius laborioſus, & ita de cæteris: quorum omnium variæ ſunt multipliceſque cauſæ, externæ, internæque paucis percurrendæ. Ictus itaque, caſus, compreſſio circa epigaſtrium & ſimilia violenta ſæpe vomitus concitarunt, irritato ventriculo, aut ſurſum compulsâ materiâ quæ in illo continebatur, potiſſimum cibaria: vel effuſo in illius ſpatio ſanguine per ruptam, ſectam, aut apertam venam. Aër etiam auſtrinus vel contagioſus, aura venenata, fœtidus odor, exercitatio violenta ſtatim à paſtu, agitatio corporis in gyrum, ſuccuſſatio equi ferocioris, nauigatio, vt eſt *Aphor.* 14. *ſect.* 4. in mari, flante potiſſimum auſtro; alui diuturna ſuppreſſio, veſicæ aut vteri. Conſpectus vel imaginatio rei horrendæ, abominabilis, fœdæ aut exoſæ, ferocior iracundia & ſimiles cauſæ externæ, naturam conturbando aut irritando idem præſtare poſſunt, inter quas aſſumptorum vis eſt potentiſſima: ſiue enim alimentorum, medicamentorum aut venenorum ſubſtantia toto ſuo genere ſit infeſta, vel peculiariter alicui (vt ſolet) exoſa, aut putredini obnoxia, facilè cientur vomitus: vt eſt ille 7. *epidem.* ex comeſtis fungis, & Antonini Imperatoris, qui ex liberaliore caſei putris eſu obiiſſe dicitur, excitato vomitu implacabili. Idem efficit qualitas alimentorum, pinguis, oleoſa, dulcis, & in quibuſdam amara. Vt etiam præpoſterus ordo, quando humectantia & relaxantia adſtringentibus poſtponuntur. Quinimo ſola quantitas excedens aſſumptorum, quamtumuis bonâ ſubſtantiâ & conuenienti qualitate præditorum, vomitus excitare poteſt, vt patet per crapulas: tunc enim natura vel nimiâ mole oppreſſa inutile illud pondus, cuius concoctioni par eſſe non poteſt, excludit: vel malâ qualitate aut corruptione, in illis ob prauam coctionem inductâ, laceſſentem materiam extrudere nititur. Atque hæc de cauſis externis, quæ internas ſuſcitare atque etiam ſæpius generare ſolent.

Internæ igitur antecedentes eæ dicentur, quæ ab vniuerſo corpore vel aliqua parte in ventriculum confluunt, aut confluxuræ ſunt: Coniunctæ autem in ventriculo generantur, vel ibi iam continentur & proximè affectum hunc inducunt. Per febres itaque, plethoras, & cachexias deriuatur ſæpe humor ex toto corpore in ventriculum, qui vomitione excluditur; ex hepate inflammato, liene obſtructo, ſuppreſſis hæmorrhoidibus, aut menſtruis, cerebri catarrhoſa conſtitutione & ſimilibus, confluit eò bilioſus, melancholicus, ſeroſus, & pituitoſus ſuccus, tenuis aut craſſus, putris aut alio modo vitioſus: nec non ſola conformatio vitiata frequentes ciere vomitiones ſolet in eis, quibus meatus cholidochi non in duodenum inteſtinum ſunt implantati, ſed in ipſum ventriculum: vnde πυρόχολοι ἄνω, σχίτλιοι, vomiturientes & miſeri dicuntur à Galeno *lib. de vſu partium.* Obſtructio etiam magna inteſtinorum & viarum vrinæ dicatarum, vt in colico affectu, iliaco, lumbricis, & nephritide ſæpe contingit: mutato enim motu periſtaltico illorum, ſurſum remeare materiam cogit. Ipſi etiam vermes ad ſuperiora perreptantes, vel alimentis potiſſimum dulcibus allecti, vel à partibus

Digitized by Google

bus fugati, vomitu nonnunquam reiiciuntur conglobati: si pus in ventriculum deferatur, aut sanguis ex malè affectis alicubi venis in illum illabatur, vomitus sanioſus aut sanguinolentus excitabitur. Quæ omnes causæ sunt ventriculo aduenæ: fiunt autem indigenæ quando in illius spatio aut tunicis continentur: vel quando in illo generantur: vult enim Galenus 2. *prognoſt.* bilem porraceam sæpè in ventriculo fieri, ex eorum quæ assumuntur vitio, vt olerum, brassicæ, betæ, ceparum & similium. Pituitæ autem excrementiæ & βλεννώδους (vt loquitur Trallianus) proprium ὀργανικὸν videtur esse ventriculus, quam cruditate laborans colligere plurimam solet. Quod si in propriâ substantiâ ventriculi factus sit abscessus, vena aperta, rupta vel exesa; continget etiam eiusdem humoris per os excretio, si sit magis ἀναῤῥοικὸς quam καταῤῥοικὸς. Atque hæc de causis sufficiant.

Signa verò partis affectæ, affectus & causarum morbificarum ex consuetis fontibus elicienda: ipsa enim actio læsa satis indicat ventriculum esse affectum; cum ex illius conformatione pateat, nullam esse aliam in ventre inferiore partem, quæ in suis spatiis tantam humoris copiam simul continere & per duplicem ductum exonerare possit. Affectus autem ipse & causa affectus propinqua satis ab ipso excreto agnoscitur, quodcunque illud sit, siue cibus, sanguis, vermes, pus, ichores, pituita, vel melancholia. Quod si istæ à causis externis pendeant, facile erit illud ex statu præsenti istarum agnoscere, vel ægrotantis adstantiumve relatu. Antecedentes vero internæ deprehenduntur, si ex toto corpore fuerint, ex statu febrili, plethorico, aut cachectico: si ex parte aliquâ pendeant, vt intemperato & catarrhisante aut vulnerato cerebro, hepate feruentiori, obsessis calculo renibus, inteſtinis patientibus & aliis, ex particularibus singularum illarum male affectarum partium notis: & quod per interualla quædam recurrit, augeturque aut minuitur, prout affectus ille primarius intenditur aut remittitur. Denique in parte protopathicâ affectâ adest frigoris aut caloris quidam sensus; necnon grauitas aut durities aliqua ab ægro vel Medico circa regionem ventriculi percipitur: præcesseruntque ea quæ partem istam excrementa colligere ob καυσοχυλίαν significabunt.

Præsagire autem in vomitu licebit fusè *ex Hippocratis prænotionibus, Coacis, Aphorismis & lib. 2. prognoſticum.* Vomitus Hippocrati multò securior ac vtilior est, qui pituitæ bilem habet permixtam, & id quod vomitur, nec valde est crassum, nec multum. Bilem atram, vitellinam aut porraceam sursum aut deorsum excerni, malum; quo enim ἀκρητέστερα, impermixta & meraciora erunt ea quæ vomuntur, eo peiora, vt & quæ deiiciuntur. Vnde vomitus æruginosus, niger, aut liuidus mortalis habetur *in prognoſt.* febre perseuerante. Citissimam autem mortem denuntiat liuidus & fœtens ob ῥύπωσιν caloris innati. Exigui etiam vomitus & crebrò reuertentes, mali iam pene effœtis viribus. Quod si vomitui frigidus sudor, conuulsio aut singultus superueniant, rem esse deploratam voluit, natura extremos suos conatus exercente. Laudabilis verò est vomitus, quando talia excernuntur qualia oportet, & ægri leuiter ferunt, vt est *Aph. 2. sect. 1.* Denique in critico vomitu ea sunt obseruanda, quæ fusè Galenus tradidit *libris de crisibus & alibi passim.* Certè malum est periodico vomitui assuescere, ne ventriculus totius corporis veluti lacuna fiat, quem natura coctioni dicauit, & quia peruertitur naturalis illius motus, quo solet superflua ad inteſtinorum sentinam per pylorum demittere: denique oculi, caput, & cerebrum cum reliquis sensoriis maximè debilitantur per frequentes vomitus, translatâ sursum materiâ. Atque hæc de prognosi; nunc ad dispositionem therapeiæ accedamus.

Cum in omni vomitu materialis quædam esse debeat excretio vtilis vel inutilis materiæ: certum est pro illius diuersitate variandam esse curationem. Si igitur pus, sanies ex ruptâ vomicâ, aut lumbrici euomantur, recurrendum erit ad particulares istorum tractationes, vt huic affectui prouideatur. At verò alimentorum vomitio vel pendet ab externâ causâ, vt aëris contagio, præposterâ corporis agitatione, suspicione veneni assumpti, fœdæ alicuius rei imaginatione, ipsorum assumptorum mala substantia, vt venenorum, medicamentorum, alimentorum putrium aut exosorum, vitiosâ qualitate, quantitate nimiâ, præpostero ordine & similibus, quorum sola mutatio sanitatem ægrotanti adferet: vel pendet ab internâ causa humorali, quæ illis permixta naturam ad excretionem sollicitare solet: & sic ista vomitio reducetur ad curationem sequentium. Porrò cum materia illa humoralis interna, vel sit excrementitia, bilioſa videlicet, seroſa, pituitoſa,

melancholica, caliditati vel frigiditati, tenuitati vel craſſitiei & lentori iuncta: aut ſanguinea in capacitatem ventriculi effuſa, quæ particularem & diuerſam curationem requirit. Ideo tribus capitibus vomitionis therapeiam complectemur: in quorum primo agemus de vomitu ex materiâ calidâ, tenui, biliosâ, & ſerosâ. In ſecundo, de vomitu ex materiâ frigidâ pituitoſa, & melancholicâ, craſsâ & lentâ. Tertio denique vomitus ſanguinei curationem proponemus.

CVRATIO VOMITVS EX MATERIA CALIDA, TENVI, BILIOSA, & SEROSA. Imprimis igitur, ſiue ex toto corpore influat hic humor in ventriculum, vt per febres & cacochymias vniuerſales: ſeu ex parte aliquâ malè affectâ, vt hepate, veſiculâ felleâ (ſi ſit à malâ implantatione meatus cholidochi, eſt incurabilis) vtero, renibus, & aliis: proſpiciendum erit diligenter primariis illis affectibus efficientibus, vel conſeruantibus vomitum: deinde ipſi ventriculo erit cauendum, ne recipiat huiuſmodi influxum, aut in ſeipſo non generet. Erit itaque primùm ſtabilienda victus ratio, quæ & cauſas & ipſum affectum ac ſymptomata quodammodo reſpiciat. Ideò in tali vomitu à calidioribus & quaſi furentibus ſuccis, quem ſolent comitari ſitis, æſtus præcordiorum, oris amaritudo, & nauſea, necnon aliquando febris: diæta inſtituatur refrigerans & modicè incraſſans, vt feruor, furorque humoris obtundatur. Proinde aëris conſtitutio talis eligi, aut arte parari debet, in cubiculo mundo & boreæ expoſito, conſtrato ſolio ex foliis vitis, cannarum, ſalicis, roſarum & ſimilium, irrigato aquâ communi, & multo aceto. Conquieſcat in lectulo molli & odoratis linteolis inſtructo. Sollicitentur excretiones alui & veſicæ ſingulis diebus, niſi ſponte fluant: Procuretur placidiſſimus ſomnus, quo omnes vacuationes, ſolo ſudore excepto, retinentur. Arceatur omnis iracundia, ſuſpicio ſumpti toxici, aut rei alicuius fœdæ vel exoſæ imaginatio, quâ conturbari valde ſolent ſpiritus & humores. Denique vtatur cibis facilis coctionis & boni ſucci, admixtis refrigerantibus, incraſſantibus, & adſtringentibus, paucâ quantitate & conuenienti ordine ſumptus. Vitet omnia pinguia, oleoſa, dulcia, relaxantia, putredini obnoxia, & ſimilia ſæpius jam à nobis deſcripta. Erunt ergo ex vſu ſucci optimarum carnium, vel ipſæ carnes cum ſucco vuæ acerbæ, arantiorum, limonum, oxalidis, aceto, & roſaceâ: gelatinæ, panatellæ: juſcula pullorum alterata foliis tenerioribus acetoſæ, portulacæ, rubi, & endiuiæ: vitelli ouorum indurati, & cum aceto roſaceo ſumpti: pyra, cydonia mala, ceraſa acidula, meſpila, ſorba, corneola, mali granati acini, & quæ ex his condituræ aut gelatinæ fieri ſolent, poſtremâ potiſſimùm mensâ claudunt & roborant os ventriculi. Potus eſſe poterit aqua decoctionis radicum acetoſæ, aut in qua terræ ſigillatæ fruſtula maduerint, addendo aliquid vini granatorum, ſi ægro ita videatur, aut etiam aqua chalybeata, vel decoctionis mali cydonij, ſub finem, vbi jam erit magis retinendus vomitus. Si vires collabi videantur, concedatur vinum ὀλιγόφορον, & adſtringens bene dilutum. Denique omnia alimenta condiantur gratioribus quibuſdam odoramentis, vt ſantalo albo rubróque, ligno aloës, aquâ roſaceâ, pauco cinamomo, & aliis, quorum non paruus eſt fructus in compeſcendo vomitu.

Quod ad remedia verò Pharmaceutica & Chirurgica attinet, vomitus quicunque ſit, nunquã in principio ſiſtendus aut cohibendus, ſed ex Hippocratis conſilio etiam prouocandus in principio paroxyſmorum febrilium, *& vomitus* (vt ille ait) *vomitu curandus*: ſublatâ nimirum causâ quæ naturam intus laceſſit & vellicat. Eligenda autem in hoc caſu ea, quæ vomitionem blandè excitare ſolent, abſque vllâ inciſione aut calfactione. Poterit itaque ex ſolâ aquâ tepidâ, aut decocto hordei, addendo parum olei violacei, aut potius ſyrupi acetoſi ſimpl. vomitus excitari, quando poſt vomitum nauſeâ adhuc aut ſupinitate premetur æger. Quod ſi ex re videatur naturæ hunc motum refrænare, optimum erit acriore aliquâ glande, vel ſæpius iterato clyſtere materiam ad inferiorem aluum reuocare. Horum autem formulæ ſæpius à nobis fuerunt propoſitæ. Præterea ſi humor ille non ſatis commodè videatur vomitu excludi, paranda erunt quædam cathartica, ſub formâ potius ſolidâ quam liquida, quibus blandè humor verſus inteſtina compellatur. V. g.

℞. Aloës optimæ ſucco roſarum lotæ ʒ. iij. rhabar. elect. puluer. ʒ. j. ß. maſtic. & ſantal. rubr. ana ℈. ß. Cum ſyrupo roſato laxat. fiant pilulæ. Capiat ʒ. j. vel ʒ. ß. alternis diebus, donec ſit ſedatus vomitus. Aut

℞ Rharbar. puluer. ʒ. j. cortic. myrobal. citrin. puluerat. ʒ. ß. ſpodij & raſuræ

cornu

cornu cerui, ana ℈. ß. Fiat puluis ; capiat alternis diebus cum paucâ aquâ roſaceâ aut juſculo. Vel

℔ Confection. hieræ picræ & catholic. ana ʒ. iij. rhabarb. puluer. ℈. j. Cum pauco ſaccharo fiat bolus in plures morſellos. Capiat mane, & reiteretur ſæpius.

Vbi ſufficienter expurgatus fuerit ſuccus ille morbificus, tunc proponitur relicta intemperies corrigenda, & robur parti conciliandum : Ad id interna externáque prodeſſe poſſunt, ſub variis formulis ſyruporum, conſeruarum, electuariorum, & ſimilium : vt ſyrupus cydoniorum, granatorum, de ribes, de agreſta ; conſerua roſarum antiqua, cydoniorum & ſymphyti, ſimplicia multa, quæ ex ſequentibus paradigmatis patebunt. Laudant valde Arabes ſequentem julepum.

℔. Succi malorum granatorum acidorum & acidodulcium, ana ℥. iij. ſucci menthæ depurati (quam ex proprietate ad quemuis vomitum valere aſſerunt) ℥. ij. aquæ oxalidis ℔. j. ſacchari albi q. ſ. ad julepum conficiendum : In cuius clarificatione bulliant ſequentia in nodulo poſita, puluer. ſantal. albi, roſar. & ſpodij, ana ʒ. ij. Capiat ℥. iij. mane & ſero. Poterit etiam fieri puluis ſequens.

℔. Terræ ſigillatæ, boli armeni, coralli rubr. margarit. præparat. ſemin. portul. & acetoſæ, ana ʒ. j. ſpodij & raſuræ cornu cerui, foliorum menthæ ſiccor. ana ℈. j. ſacchari roſat. tabulat. ℥. ß. Fiat omnium puluis, qui aſpergatur juſculis & panatellis : vel etiam ſumatur ex cochleari, ſuperbibendo parum aquæ ferratæ. Ex eodem puluere fieri poterunt tabellæ cum ſaccharo aquâ roſarum diſſoluto ; vel etiam opiata cum conſeruis rad. ſymphyti & roſarum exceptis ſyrupo cydoniorum. Maſtiches etiam aliquot grana integra & puriora non parum roboris conciliabunt, ſi mane deuorentur. Laudat Auicenna ex Dioſcoride decoctum fabarum aut lentium, abiectâ priore aqua, & addito aceto. Item caphuram olfactam, illitam & ſumptam cum aquâ roſaceâ & puluere diamoſchi.

Exterius fiant fotus ex ſpongiâ nouâ in aquam ferratam & acetum roſaceum immersâ ſubfrigidè ; vel ex decocto rad. biſtortæ. fol. plantaginis, acetoſ. portul. menthæ & ſummit. rubi ac ſalicis. Deinde inungatur regio ventriculi oleo cydoniorum, maſtichino, myrtino, lentiſcino, vel fiat ſequens vnguentum.

℔. Acaciæ, hypociſtidos, ſemin. ſumach, & myrti, ana ʒ. ij. roſar. rubrat. maſtic. granor. kermes, foliorum menthæ ſiccorum, & coralli rubr. boli armeni, ana ʒ. j. olei myrtini & lentiſc. ana ℥. iij. ceræ q. ſ. Fiat vnguentum, quo ſubfrigidè inungatur regio ventriculi, addendo parum aceti. Cataplaſma ſequens non parum eſt efficax.

℔. Cydonium malum per fruſta diſſectum, & in aqua roſac. ac aceto decoctum. Piſtetur diligenter & coletur, addendo pulueris prædicti ℥. j. olei myrtini q. ſ. Fiat cataplaſma, quod applicetur ventriculo. Aut etiam

℔. Panem roſaceum in aceto maceratum, & prædicto puluere ſinapiſatum, qui admoueatur eidem regioni. Forma quoque emplaſtri non parum hic conuenit ; quia continet & quaſi colligit robur ventriculi. Fiat itaque ex maſsâ emplaſtri de maſtiche, contra rupturam, & pro matrice ; oleo lentiſcino malaxentur, & extendantur ſuper alutam in formam ſcuti.

Quando violentiſſimus eſt vomitus cum febre ſymptomatica, quæ ſcilicet ad illum ſequuta eſt, cogimur ſæpe venam baſilicam cubiti dextri ad præcautionem aperire, ne ſcilicet inflammetur ventriculus, hepar aut aliæ partes. Ad ſedandum etiam vomitum cucurbitulas cum multâ flammâ dorſo & vmbilico admouemus : vinculis dolorificis, & frictione extremorum vtimur. Manus in peluim aquâ tepidâ, non frigidâ (quia repellit intrò) plenam immergimus, vt humores extrorſum trahantur : fauces & collum inuoluimus linteolis oxycrato imbutis. Denique in deplorato vomitu ſtupefacientibus & narcoticis vtimur, vt ferox vomendi impetus coërceatur, & quies aliqua naturæ concedatur. Atque hæc de remediis vomitus in causâ calidâ.

CVRATIO VOMITVS IN MATERIA FRIGIDA ET CRASSA, PITVITOSA, ATQVE MELANCHOLICA. Contrariam in hoc vomitu inſtituendâ eſſe præcedenti therapeiam, vtpote à contrariis cauſis genitam, ſatis indicationum therapeuticarum leges oſtendunt. Itaq; in victus ratione, ſi mera ſit pituita, craſſa & viſcida, cal-

faciendum, attenuandum & detergendum erit; sin melancholia dominetur, paulo minus calfaciendum, incidendum tamen & roborandum. Quod si permixti sint hi humores inter se, aut cum aliis, omnia erunt moderanda pro vario eorum statu. Vtatur itaque vomituriens æger victu euchymo & facilis coctionis, quoniam in omni vomitu laborat concoctrix facultas, & à suo munere auertitur. Hinc carnes delicatiorum & sicciorum animalium, vt auicularum montanarum, columbarum iuniorum, perdicum, merularum, turdorum & gallinarum teneriorum conuenient, assæ potius quam elixæ, & cinamomo, garyophyllis, & frustulis myrti confixæ: postea aquâ rosaceâ, & aceto optimo, in quo cinamomum, aut aliquid nucis moschatæ maduerit, aspersæ. Panis biscoctus & anisatus: gelatina cum aromat. consummato iusculo caponis & saccharo rosato tabulato confecta: panatellæ ex pane tosto paratæ: cydoniatum, nuces iuglandes conditæ, myrobalani conditi, cortex citri & arantij, ad roborandum ventriculum conferunt: ad detergendum verò & incidendum oliuæ muriâ salitæ, cappares, fœniculum marinum, condimentum illud quod vulgò aqua salis dicitur, nihilque est aliud, quam leuis muria ex succo perdicis aut alterius carnis tostæ, cum succo arantij, aquâ & sale parata. Denique pro potu vtatur vino rubro generoso, vel adstringente sub finem, aut aqua, in qua coriandri, cinamomi & mastich. aliquot grana leuiter bullierint, si non delectetur vino. Denique in quantitate, qualitate, & ordine ciborum reliquisque rebus non naturalibus, obseruet ea quæ iam à nobis proposita fuere.

Postmodum in remediis validioribus spectandum erit vnde eiusmodi humor originem ducat, an videlicet ex cerebro, liene, vtero, suppressis menstruis, aut hæmorrhoidibus. Denique ex quacunque parte deriuari videbitur, illi imprimis velut fomiti erit prospiciendum, fluxionem compescendo & primarium morbum curando. Quæ vero in ventriculo continebitur materia, præparanda & vacuanda, intemperies corrigenda, si quæ impressa fuerit, & robur parti conciliandum. Humor itaque ille crassus & lentus præparabitur oxymelite simplici & scillitico, sæpius ex cochleari sumpto, melle rosaceo, syrupis de hyssopo, de tussilagine, de mentha à Mesue descripto, de absinthio & similibus, quæ dissolui poterunt, si ita videtur, conuenienti aliquo liquore vt fiant julepi. Præparatus humor aut sine præparatione ad exclusionem idoneus; non autem sufficienter expurgatus, quando magis ἀναῤῥοπὰς videbitur, quam κατάῤῥοπας, superiorem potius quam inferiorem viam affectare, quod frequentes nauseæ & supinitates satis ostendent: artificioso vomitu, benigniore aut valentiore pro conditione humoris & corporis, quidquid erit reliquiarum, euacuandum sequenti remedio.

℞ Hordei integri P.j. rad.raphan. ʒ ß.semin.anethi, atriplicis & vrticæ communis, ana ʒ j.flor.geniſtæ P.j. Fiat decoctio, in cuius ʒ viij. dissolue oxymel.scillit. aut syrup.de quabus vel quinque radicibus ʒ j.ß. Capiat tepidè mane ieiuno ventriculo, aut quando vomitus vrgebit magis. Retineatur parum, deinde immissis in fauces digitis, aut pennâ oleo intinctâ proritetur ad vomitum. Si velis adhuc valentius agere, adde radicem asari, vel ϑ j.ellebori albi. Sed quia corpora nostra non sunt hodie magnis vomitionibus assueta; ideo melius est benignioribus vti, frequentius repetitis. Interim ne augeatur nimium hic motus, aut natura illi assuescat, glādibus acrioribus & clysteribus catharticis sollicitanda aluus ad reuulsionem humoris ad inferiora. Vt

℞ Rad.ireos nostratis & liliorum, ana ʒ ij. fol.puleg.origan.agrimon.absint.betæ, mercurial. ana M.j.semin.anisi & ebuli, ana ʒ ij. fol. sennæ & agar. vilioris, ana ʒ j.ß. Decoquantur. In colaturæ ℔ j. (minor quantitas facit vt diutius retineatur) dissolue hieræ picræ & bened. laxat. ana ʒ vj. mellis rosat. colat. ʒ ij. salis gemmæ ϑ j. Fiat clyster, qui iniiciatur frequenter.

Imo etiam purgantia & deiectoria medicamenta sæpius istos vomitus, causâ scilicet sublatâ, compescere solent. Sumatur itaque ʒ j. pilularum aurearum, sine quibus, de agarico, vel aggregat. cum succo menthæ malaxata: vel, si vis magis cohibere vomitum & minus purgare, misce ϑ j. rhabarb. puluer. cum ʒ ß. eiusmodi pilularum & prædicto succo menthæ aut syrup.absint. Puluis etiam radicis mechoacan ad ʒ j.ß. vel bolus ex ʒ vj. diaphœnici vel indi maior. confectus erit vtilissimus, quibus sensim expurgabitur humor iste nimium infixus & hærens ventriculi parietibus. Interea exhibeantur alterantia & roborantia ventriculum. Commendatur

theriaca

theriaca antiqua ad ʒ j. ſumpta, tabellæ aromat. roſat. & diambr. confectio de hyacintho & ſimilia. Vel

℞ Confect. de hyacint. ʒ j. conſeruæ roſar. antiq. ʒ iij. puluer. electuar. diambr. & aromat. roſat. ana ʒ ß. diamarg. frigidi, granor. kermes, terræ ſigillatæ, lapidis hæmatitis, trochiſc. de ſpodio puluer. ana ℈ j. ſacchari roſat. tabul. ad pondus omnium. Fiat conditum auro coopertum, de quo capiat frequenter ex cochleari, ſuperbibendo parum vini aut iuſculi. Sunt qui exiſtimant guttas aliquot eſſentiæ vitrioli in aqua abſinthij, vel ſucco menthæ diſſolutas validiſſimè vomitum ſiſtere & ventriculum roborare. Alij probant aliquot aquæ imperialis dictæ cochlearia, mane aut poſt vomitum exhibita, quâ corrigitur intemperies partis, robur conciliatur, & reliquiæ humoris abſumuntur. In deplorato vomitu præſcribunt Arabes decocta potentiſſimè adſtringentia per os aſſumenda. Vt

℞ Cortic. malorum granat. balauſt. & hypociſt. ana ℥ j. ſemin. ſumach & myrti, ana ʒ ij. fol. menthæ & abſinth. ſiccor. ana P. j. cinamom. garyophyll. maſtic. ana ʒ j. nucum cupreſſi numer. j. Fiat decoctio in æquis partibus aquæ ferratæ & vini rubri; in quâ diſſolue moſchi grana aliquot, quia odorata, vt prius dicebamus, maximè faciunt ad vomitus compeſcendos. Huius portionem exhibent per os frequenter ad ℥ ij. ex aliâ verò fiunt fotus ſupra ventriculum cum ſpongiâ nouâ: deinde aſpergunt puluere granorum kermes, thuris, maſtic. & garyophyllorum.

Laudant etiam illi applicationem mediæ partis panis torrefacti in ſucco menthæ & vino rubro immerſi: qui vbi refrigerari incipiet, amoueatur, & illius loco applicetur emplaſtrum de maſtiche aut aliud ſimile adſtringens. Item glandes cum radice filicis conquaſſatæ, in aceto acerrimo coctæ, vſque ad conſumptionem aceti, ventriculo appoſitæ mirè ſiſtunt vomitum, addendo etiam puluerem cinamomi aut nucis moſchatæ. Phœnigmis denique & dropacibus contra nimis pertinacem vomitum erit agendum, vt attrahatur materia ad exteriores partes, & natura vi doloris & caloris compulſa eò reuocetur. Quidam volunt abſint. ſicci folia ventriculo appoſita, & intra calceos geſtata proprietate quadam vomitum compeſcere. Fermentum acre piſtetur cum ſucco menthæ & aceto: applicetur ventriculo, ſtatim ſedat vomitus iſtos materiæ excrementitiæ, de quibus iſta ſufficiant, vt iam de vomitu ſanguinis agamus.

Cvratio vomitvs Sanguinei. Vomitum ſanguinis vocat Hippocrates *in Coacis τὸν ἐρυθρὸν ἔμετον*, quaſi dicas rubeum & purpureum: quo non ſolum complectitur excretiones humoris iſtius ex ventriculo: ſed etiam ex pectore ac pulmonibus; vt videre eſt *in Coacis, lib. 1 de morbis, Aphor. 13. ſect. 5. αἷμα ἀφρῶδες ἐμέειν*, 37. *ac* 80. *ſect. 7. in lib. de fracturis ναυτώσας φλεβῶν*, quidam de iſto vomitu interpretantur; Galenus autem de ecchymoſi ac contuſione, vbi colliſæ venæ effundunt ſanguinem in ſpatia partis vacua. Quidquid ſit, propriè ſumptus ſanguinis vomitus, eſt illius ex ventriculo per os excluſio, ſiue in illo ſit collectus, ſeu aliunde illapſus, vt cerebro, liene, hepate, obſtructo vtero, aut hæmorrhoidibus ſuppreſſis, qui velut res aliæ præter naturam, ſua quantitate exuperans, vel qualitate malâ, vt putredine, ex *Aphor. 20. ſect. 6.* quam facile concipit extra proprios ſuos carceres, venam ſcilicet & arteriam, effuſus, vbi naturæ cœperit eſſe moleſtus, ſurſum deorſumve excernitur. Porro ſanguis vbicunque effluat præter naturam, ſequitur affectum aliquem venæ aut arteriæ in quibus naturaliter continetur, ſolutionis ſcilicet continui *ῥῆξιν, ἀναῤῥωσιν*, & *διάβρωσιν*, quando nimirum ruptio in mediâ venâ vel arteriâ; oſculi illarum apertio aut eroſio contingit. Ruptionis vero & apertionis eædem ſunt cauſæ, vt docet Galenus *lib. 5. method.* vaſorum ſcilicet imbecillitas. (ad quam refertur natiua illa diſpoſitio, qua verbi gratia phthiſici generant filios phthiſi obnoxios) ſanguinis multitudo, aut vitiata qualitas, nempe tenuitas aut acrimonia. Adde externa omnia & interna vulnerantia, contundentia, diuellentia; Quod videre eſt in mulierculis, quæ non purgantur per vterum, & athletis reliquiſque hominibus plethoricis, *Aphor. 2. ſect. 1.* vt quibus inſigne membrum aliquod corporis fuit detruncatum, qui ruptionibus & apertionibus venarum valde ſunt obnoxij, quando potiſſimum commouentur irâ, vociferatione, ſaltu, caſu, ictu, crapulâ, vomitu violento pituitæ aut alterius humoris, oneris grauioris geſtatione, & ſimilibus. Idem præſtat frigus vehemens, ex *Aphor. 24. ſect. 5.* conſtringendo enim violenter ex vnâ parte & alia diſtentionem facit inſignem, quod ideo ab Hippocrate dicitur *φλεβῶν ῥηγμὸν* &

ἀιμορῤῥαγικὸν : necnon intenſior æſtus ebullitionem ſanguinis excitando , vnde etiam iuuenes ad trigeſimum quintum vſque annum ſanguinis ſpuitioni valde habentur opportuni , quia ſanguis tunc maxime feruet , *ex Aphor.* 19. *ſect.* 3. Appenſa hirudo ad hoc genus refertur, βδέλλιον vocat Hippocrates,quod alij hirudinem ; alij venam varicoſam vertunt. Διάβρωσις verò aliquando ſequitur phlegmones , phlyctænas , abſceſſus , putreſcentia vulnera & ſimilia. Alias immediatæ eius cauſæ ſunt acria , vlcerantia , mordicantia , exurentia , putrefacientia intus vel extra. Intus à catàrrho ferino & ſalſo , humore æruginoſo , putrente aut venenato vaſorum tunicas arrodente. Extra à rebus cauſticis, ſepticis, & exulcerantibus ſumptis vel admotis. Sunt qui his διαπάδησιν addunt , quaſi dicas tranſcolationem,ob raritatem vaſorum,vel tenuitatem ſanguinis.Sed hæc facilè ad ἀναῤῥωσιν, minorum ſcilicet oſculorum reſerationem refertur.

Quæcunque igitur iſtarum cauſarum in fauces, œſophagum, aut alias partes inciderit , à quibus poſſit effundi ſanguis in ſpatia ventriculi , concitabitur ſanguinolenta vomitio. An verò in ventriculo ſit affectus idiopathicus , an in aliis partibus , intelliges : quoniam ſi ex capite illabatur , titillatio in palato ſentitur , frequenſque ſcreatus & tuſſiendi cupiditas ob portiunculam in fauces deerrantem, cuius etiam pars per nares emungitur , muco permixta ; præceſſitque capitis dolor aut grauitas , & leuatio ſequuta eſt. Si ex faucibus & œſophago , paucus admodum excernitur , & in illis ſentitur dolor , dum aliquid deglutiunt. Si ex liene aut iecore,copioſior effunditur , craſſus , globoſus & niger , potiſſimum ex liene , ſpumans verò quodammodo , ex iecore : Adde quod iecur aut lien , quæ prius grauata erant , leuiora redduntur. Si vero ex vtero aut hæmorrhoidibus refluat , illarum ſuppreſſio illud indicabit. Denique ſi ex ipſomet ventriculo effundatur , ſentietur internus dolor abſque intermiſſione , nauſea fere vrgebit perpetua , & deiectiones aliquando cruentæ apparebunt. Vtrum verò à ruptâ , apertâ , vel eroſâ venâ id fiat , cognoſcetur ex cauſis à nobis prius commemoratis. Qui à ruptâ & apertâ venâ effunditur ſanguis , maiori eſt copia & impermixtus : qui ab eroſâ,minori quantitate,& cum pituita aut alio humore confuſus, maloque odore præditus, niſi tandem auctâ admodum διαβρώσει fruſtula partis deradantur ; vnde copioſa hæmorrhagia ſubſequitur. Adde quod διάβρωσις ſenſim & cum morſu:reliquæ confertim & ſine eo fieri ſoleant.

Quod ad prognoſim attinet , pronunciauit Hippocrates, ſanguinem qualemcunque ſuprà emiſſum malis ægri rebus apparere , *Aph.* 25. *ſect.* 4. & *Aphor.* 37. *ſect.* 7. Vomitus tamen ſanguinis ſine febre minus lethalis quam cum febre , quia abeſt inflammatio. Cohibui ſæpe ego vomitum ſanguinis periodicum in quodam ruſtico, qui à multo tempore ad hunc vſque diem illi viuit obnoxius. Si erumpat ex cerebro dimittente ſanguinem in ſpatia ventriculi , vt etiam ſi ex vtero proueniat , ſalutaris eſſe ſolet : nam *ex Aphoriſmo* 32. *ſect.* 5. *mulieri ſanguinem vomenti menſtruis erumpentibus fit ſolutio.* Item ex faucibus , œſophago & ventriculo facilius curatur, quam ex hepate & liene potiſſimum inflammatis. Eſt tamen affectus ſummâ ſtatim cura pertractandus. Vel enim nimiâ ſanguinis profuſione periculum imminet mortis;vel vbi intus cohibetur,præfocationis & ſyncopes.

Tota autem therapeia huius affectus in duas partes diſtinguenda pro ratione cauſarum : vna quidem quæ diabroſeos ſiue vlcerationis venarum curationem tradat : alia verò quæ vulneris , ruptionis ſcilicet & anaſtomoſeos curandæ rationem præcipiat. Quod ad eroſionem verò attinet , illa abundè iam à nobis propoſita eſt *capite de cardialgiâ ab vlcere ventriculi.* Quod ſi progrediente vlcere partis ſubſtantia ita abſumatur , vt inde cum partis ramentis copioſus ſanguis effundatur , deplorata eſt ægri ſalus, quam tamen iuuare quodammodo licebit ratione ſymptomatis , vt ſcilicet compeſcatur eis quæ à nobis hic proponentur de curâ ruptionis & apertionis. Atque vt ſummatim complectar ; rupta vena glutinantibus, aperta adſtringentibus , eroſa ſarcoticis potiſſimum curatur ; Quibus refrigerantia addenda ſunt , quoties iſtis affectibus inflammatio fuerit iuncta. Vt autem iſta accuratius tradantur , imprimis ſtatuenda vitæ ratio conueniens , vtpote refrigerans , vt ſanguis fluens repellatur , & vulneris labra contrahantur , necnon incraſſans & adſtringens,quod expreſſit Hippocrates *Aphor.* 37. *ſect.* 7. Eligatur ergo, autarte paretur aër frigidiuſculus , extra ventorum tamen flatus , ſolis & lunæ radios , quia humores commouent : omnis color ruber à conſpectu ægrotantis amoueatur propter

eandem

dem cauſam : ſomno vtatur modico nocturno, non diurno, ne trahatur nimis ad interiora ſanguis. Lenibus clyſteribus ſolliciteur aluus, ſi non ſponte fluxerit : vitet omnem motum corporis, & nimiam locutionem, vt etiam animi affectus immodicos, iram præſertim & venerem. Quod ad alimenta attinet ; ſi æger plethoricus ſit, & conſtent vires, inedia adhibeatur, vt minus ſanguinis generetur, & ſic, partes inanitæ minorem eius copiam ad fluxionis locum ſuppeditent. Vitent omnia acria, ſalſa, piperata, frixa, calfacientia & aperientia, &c. Item πολύσαρκα, & quæ alibilis ſunt admodum ſucci, & multum ſanguinem generant, vt carnes delicatæ, oua ſorbilia, conſummata & ſimilia, niſi quum iam proſtratæ ſunt vires, quæ refectionem requirant. Aliàs offerantur refrigerantia & emplaſtica, vt cremor ptiſanæ, amylum cum lacte coctum, addendo ſemper aliquid ſucci mali punici : mala cydonia, pyra, poma auſtera, cocta ſub cineribus & refrigerata : micæ panis aquâ maceratæ : panatellæ, gelatinæ, oryza, iuſcula pullorum cum oxalide, portulacâ, plantagine & granis mali punici, vel vuæ acerbæ. Oua indurata & aceto intincta : Piſces glutinoſi cum omphacio, ſine oleo aut aromatibus parati : Pedes, inteſtina & capita veruecis, hœdi & vituli ad putrilaginem decocta, aceto aut omphacio macerata. In principio menſæ aliquid adſtringens ſumant perpetuò, vt miuam cydoniorum, gelatinam ex ceraſis acidioribus, ſorbis, cornis, aut meſpilis confectam. Parum potent : conuenit autem vinum rubrum auſterum, aquâ pluuiâ aut ferratâ dilutum : vel ſi adſit febris, abſtineant omnino à vino, & vtantur ſucco granatorum acidorum cum prædictâ aquâ.

His ita conſtitutis, ſi quidem vomitus iſte pendeat ex fluxione capitis, vteri, iecoris, lienis & ſimilium, ſingulis erit pro variâ eorum naturâ & affectibus proſpiciendum. Si autem ventriculi affectum ſequatur vomitus ille ſanguinis, imprimis iniecto molli aliquo clyſtere, antequam magna ſanguinis copia per vomitum effuſa fuerit, aperiatur vena baſilica cubiti dextri, exiguo foramine ad reuulſionem, è qua mittatur ſanguis pro virium præſentium & futurarum ratione, non confertim, ſed ſenſim, & interpoſitis quibuſdam horis. Eadem phlebotomia repetatur ex brachio ſiniſtro poſt aliquot dies, ſi ſit ſuſpicio fluxionis à ſiniſtro latere. Fiant frictiones & ligaturæ dolorificæ in extremitatibus. Item cucurbitulæ ſine ſcarificatu, vtrique hypochondrio, cruribus, lumbis, & natibus affigantur, vt deorſum aut extrorſum compellatur ſanguis. Non oberit etiam aliquando hæmorrhoidas aperire, potiſſimum ſi ex earum ſuppreſſione pendeat ſanguinis vomitus ; vt & ſaphenam ſecare, ſi ex ſuppreſſis menſtruis. Sanguis qui vomitur aut deiicitur conſiderandus : ſi enim in thrombos fuerit concretus, & iam quadam putrilagine affectus, aut in pernicioſam ſuppurationem conuerſus, ita vt cardiogmos & ſyncopas inferat vel inferre poſſit ; incidendus erit leuiter & diſſoluendus ſumpto ſyrup. acetoſ. de radicibus, oxymelite, oxycrato, aquâ nucum, decocto menthæ, ſerpilli, paucâ mumiâ & cinamomo, in aquâ graminis aut fœniculi diſſolut. & ſimilibus. Sunt qui ad hoc exhibent coaguli leporis aut hœdi in aquæ fœniculi ʒ iij. diſſoluti ℈ ß. His ergo præſtitis, vbi ſignum diſſoluti & ſufficienter excluſi ſanguinis fuerit, glutinandum erit & adſtringendum ſumptis & admotis. Ad hoc faciunt albumen oui diu agitatum cum aquâ roſaceâ, & aſperſum puluere amyli, ex cochleari ſumptum. Puluis coralli, terræ ſigillat. boli armeni, & lapidis hæmat. conuenienter præparati diſſoluatur in aquâ plantaginis, & frequenter aſſumatur, quibus addit Auicenna in magno vomitu parum opij aut ſeminis hyoſcyami. Nihil autem præſtantius habet Galenus ad compeſcendum ſanguinis fluxum ex quacunque parte, quam ſuccum plantaginis recenter extractum, & actu frigidum ad ʒ iiij. mane & ſero propinare. Empirici laudant ſuum crocum Martis ſeu ſcoriam ferri præparatam, cum vino auſtero ſumptam : vel etiam aliquot guttas olei vitrioli cum aquâ vel decocto ſymphyti. Parari poſſunt decoctiones ex centinodiâ, equiſeto, & ſummitatibus rubi, non parum ad hoc efficaces, addendo tertiam partem ſucci cydoniorum, corneolorum, aut granatorum acidorum. Quod ſi ſuſpicio ſit iunctæ cuiuſdam cacochymiæ, non oberit aliquando infuſum myrobalanorum vel rhabarbari vſtulati puluerem ad ʒ j. exhibere. Exterius admoueantur, vbi accuratè notus erit locus affectus, ceratum ſantalinum cum aceto, boli armeni puluis, ſucco plantaginis aùt virgæ paſtoris exceptus. Vel paretur ſequens vnguentum.

℞ Succi plantag.& pentaphyll. ana ʒ ij. aceti ʒ ß. olei omph. ʒ vj. Bulliant ad liquoris conſumptionem : deinde adde ſanguinis dracon. maſtic. corticis granat.ana ʒ ij. caphur.ʒ ß.cetæ rubræ parum. Fiat linimentum,quo inungatur locus ſubfrigidè, addendo aceti parum ad penetrationem vnctionis tempore. Huic affectui ex proprietate conferre dicuntur coralli,iaſpis,cryſtallum,lapis hæmatites & mentha geſtata vel appenſa ſupra partem affectam.

CAPVT IX.

De cholera morbo.

SVPEREST adhuc retentricis atque expultricis ventriculi functionis læſio, præcedentibus multò maior, quam choleram morbum vulgò appellant, vt hac ratione ab humore diſtinguatur χολὴ ſiue χολίεσα Græcis dicto. Eſt enim nomen hoc impoſitum à causâ putatâ, vt docet Galenus 2. *methodi*, nempe bilioſo ſucco, qui huius affectus parens & author exiſtimatur. Hippocrates 5. *epidem.* τὰ χολεμικὰ πάθια, & τὰ χολιεικὰ ſæpius appellat : *in Coacis* τρόπον χολερώδεα, vomitus ferinos cum aluo ſolutâ. Vulgus etiam Fauentinus χολεμιείαν, quaſi vomitum cholericum vocat. Quamuis Alexander affectum hunc non ἀπὸ τῆς χολίεσης, humore ſcilicet bilioſo velit eſſe dictum, quia non ſemper in illo bilis euomitur, ſed etiam ſæpè ſeroſus aut pituitoſus ſuccus. Verùm ἀπὸ τῶν χολάδων, inteſtinis ſcilicet, ex quibus vt è ventriculo humor ille noxius eructatur. Attamen prior etymologia videtur magis probanda, tum quia cholera eſt hîc cauſa putata, vt docet Galenus. Et quamuis non ſemper bilioſus humor reiiciatur, tamen acris, corruptus, & mordax exiſtit, qui ad bilioſam naturam proximè accedit : tum quod linguæ græcæ puritas & ἰυφωνία vix patietur χολίεσα ἀπὸ τῶν χολάδων corrumpi. Id confirmat *lib.4. cap.*11. Celſus diſertiſſimus Medicus; & Cælius Aurelianus, qui à fellis fluore nomen habere cholefam ſcripſerunt, ex ſententiâ Galeni *comm. in Aphor.*50. *ſect.*3 *lib.qui introductio dicitur.*

Quicquid ſit, cholera hæc nihil eſt aliud quam violentiſſima excretio bilioſorum, corruptorum, acriumque humorum & aſſumptorum per vomitum & ſeceſſum ſimul : laceſſita enim immodicè excretrix facultas ab eiuſmodi malignitate, omni conatu & robore confertim per vtrumque ductum ſuperiorem & inferiorem tam moleſtam ſarcinam deponere conatur.Quamuis igitur per ſuperiorem inferioremq; meatum fiat materiæ iſtius vacuatio, tribuimus tamen hunc affectum potius ventriculo quam inteſtinis, quoniam vehementior eſt hîc vomitus quam deiectio, & cauſa morbifica magis in ventriculo quam inteſtinis continetur. Pendet autem hæc cauſa vel à quantitate humoris bilioſi, vt per febres, & partium inflammationes collecti; aut putreſcentium exuſtorumve quorumuis ſuccorum, vel etiam mala ſubſtantia aut qualitate alimentorum, medicamentorum & venenorum, nimiáve quantitate, ob quas facillimè corruptelam concipiunt.Eſt Hippocratis contextus 7. *epidem.* quo iſta elegantiſſimè continentur : *Cholerica bilis ſurſum ac deorſum* (inquit) *eruptiones fiunt ex nimio carnis eſu, maximè ſuillæ crudioris, & excicere,& ebrietate vini odorati veteris aut dulcioris, & inſolatione : ex ſepiis, locuſtis, & gammaris : atque ex olerum eſu, maximè porri & ceparum : necnon à lactucis cocto, braſſicâ, rumicibus crudioribus, à placentis etiam dulciariis & mellitis, fructibus horeis, cucumere, pepone, & ſimilibus. Fiunt autem magis æſtate, quia facilius tunc corrumpuntur,aut incocta manent.* Vnde *lib.*5. *epidem.* Bianti pugili voraciori contigit, vt in hanc affectionem incideret ex immoderato iſtorum ciborum eſu. Quod confitmat *lib.de affectionibus, & lib. de victus ratione in acut.* vocat carnes caprinas & porcinas χολώδεις,quod interpretatur Galenus χολίεσας ποιητικὰς, hunc affectum generantes : propter earum acrimoniam & facilem corruptionem.Eſt tamen apud Hippocratem *lib.*4 *de ratione victus in acutis*, duplex cholera : vna quam vocat humidam,altera vero ſiccam. Quemadmodum autem (inquit Galenus *in commentario*) cholera humida ex acribus fit humoribus liberaliter fluentibus : ſic arida à flatuoſo ſpiritu, acri, lancinante tunicas totius ventriculi, & impetum vomendi deiiciendique inferente, abſque

vllà

vllâ tamen ſenſibili excretione. Hunc flatum acriorem gigni vultmodo ex malâ temperie viſcerum, modò ex malignâ alimenti qualitate, vt ſylphij, quod vult peculiariter huic choleræ ſiccæ generandæ eſſe aptiſſimum. Verum quoniam cholera hæc ſicca facilè intelligetur ex humidæ deſcriptione, aut ex tractatu de flatuoſo ventriculi affectu propoſito: ideo de humidâ hic tantum agemus.

Diagnoſis ergo partis affectæ ſatis eſt peruia ab ipsâ excretione & excretionis modo, vt ſuprà dicebamus. An verò per protopatheiam vel ſympatheiam humores illos contineat, ex aliarum partium vel totius corporis affectibus eorumque ſignis eſt repe tendum: quæ ſi defecerint, oſtendunt primarium eſſe hunc affectum, & ex ipſius ventriculi vitio dependere, aut corruptorum in eo alimentorum. Adeſt ventriculi & inteſtinorum perpetuus morſus cum aſſiduâ deiectione & vomitione, quæ *συνολκὰς* affert horrendas & lethales, accedente animi deliquio, ſudore frigido, extremorum contractione ac perfrigeratione, pulſu celeri, ac minutulo. *Eurychides*, inquit Hippocr. 5. *epid. in cholerica affectione bilem multam valde coloratam vomuit & eiecit ad tres dies, valdeque rubram: impotens erat & anxius: nihil continere poterat ex potibus aut cibis: vrina tamen valde erat ſuppreſſa: tandem fax per vomitum prodiit & deorſum quoque erupit.* Quicunque itaque humor hunc affectum peperit, agnoſcetur ab ipsâ excretione: ſi verò ex aſſumpto medicamento maligno, veneno, aut alimentis vitiatâ ſubſtantiâ, qualitate, quantitate, vel præpoſtero ordine aſſumptis pendeat, agnoſcetur ex ægrotantis & adſtantium relatu. Quamuis enim in hoc affectu, vt plurimum ægri ſe toxicum bibiſſe putent, illud tamen diſtinguere debet ſolers Medicus ex accuratâ collectione rerum naturalium, non naturalium, & præter naturam, vt ſæpe dictum fuit.

Quod ad prognoſim attinet. Cholera inter perperacutos morbos recenſetur, vtpote quæ doloris atrocitate, & excretionis vehementiâ ſubitam inferre ſoleat mortem, ac intra viginti quatuor horarum ſpatium hominem è medio tollere, niſi huic citò prouideatur. Si tamen ex aſſumptorum vitio pendeat cholera, non ita terreri debet Medicus, quoniam ſæpè illis exclusis ceſſat affectus ferocia, & ſenſim reſtituuntur ægri. *In Coacis* ferinum eſt aluo valde ſolutâ vomere. Peſſimum autem & omnino lethale in omni cholera eſt, quando ad fæcum excretionem per os ventum eſt. Eſt tamen aliquando cholera ſalutaris Hippocrati, & critica, quando ſuperuenit lipyriis febribus, quæ non alio modo ex illius ſententiâ *in Coacis* ſolui poſſunt, quam ingenti bilis excretione ſurſum ac deorſum facta. Choleras itaque ſalutares ex eodem Hippocrate 7. *epid.* iudicat maxime quinta, ſeptima & nona dies: melius tamen eſt cauere vſque ad decimam quartam. Periculoſiores ſunt choleræ, quæ autumno contingunt, quam æſtate; quæ ſenibus quam iuuenibus fiunt: quia veriſimile eſt illas ex atrabile, aut corruptelâ humorum, pendere. Vehementer etiam ſitire in hoc affectu numquam fuit laudabile. Spes autem primò ſalutis affulget, quando vomitus incipit ſedari, & faciei color ac ſtatus, qui demortuo erat ſimillimus, reſtituitur.

Tam atroci igitur & celeri affectui citò & accommodatiſſimè eſt proſpiciendum. Quamuis autem illius cura fere ſit tradita, dum de vomitu ex cauſa calidâ ageremus, ne quid tamen hic deeſſe videatur, quædam magis peculiaria huc adferemus. Primum quod ad victus rationem attinet: aëris habenda cura, vt neque nimio ſuo calore vires diſſoluat & materiam commoueat, nec nimio frigore compellat intrò humores. Tenebræ etiam ſunt hic vtiliores quam lucis copia, tum ne exagitentur humores & diſſipentur ſpiritus: tum ad conciliandum ſomnum, qui maximum in his excretionibus commodum præſtare ſolet: quies animi corporiſque maximè neceſſaria: adſtantium externorumque omnium maxima ſit circa ægrum ſollicitudo. Dieta etiam, ſi quidem alimentorum quantitatem ſpectes, tenuis eſſe debet, ne natura in tantâ perturbatione magis opprimatur; ſed in ſubſtantiâ ipsâ valde alibilis & refectoria, vt in pauca mole multum nutrire poſſit: quod Barbari vocant alimentum paucum multum: aliud verò multum paucum. Omnia igitur genera generoſiſſimorum eduliorum, iuſculorum, conſummatorum, ſtillatitiorum, colatiorum, expreſſorum, panatellarum, gelatinarum, & ſimilia vſurpanda. Nec non ſedato quodammodo impetu carnes delicatiſſimæ, aſſæ potius quam elixæ, erunt concedendæ, vt melius nutriant, nec tam facilè reuomantur. Qualitate verò refrigerare & exſiccare debent, atque in principio leuiter adſtringere, ſub declinationem validius, ne tam atrox materia magno ægri damno ſtatim retineatur. Ideo prædictis omnibus cibis ſuccus granatorum acidorum, limonum, arantiorum, vuarum acerba-

rum,atque ipſum etiam acetum roſaceum permiſceatur. Panis aſſus ſucco granatorum intinctus ſæpè aſſumatur:miuæ cydoniorum fruſtulum vnum ante & poſt paſtus.Bibant aquam chalybeatam,cum ſucco granatorum : aut virium causâ addatur parum vini rubri adſtringentis.Denique reliqua vſurpentur , quæ in vomitu cholerico propoſita fuerunt.

In reliquis etiam remediis præſcribendis eadem fere ratio habenda : diligenter enim videndum , an eiuſmodi excretio ex ſolâ alimentorum culpâ pendeat : vel etiam ex plethorâ vel cacochymiâ partium aut totius corporis. In primo enim caſu permittendus eſt hic motus naturæ , atque etiam promouendus , ſi vires conſtent , vt citius defungatur huiuſmodi labore : in ſecundo verò cautè admodum agendum;tametſi enim quoad rem videatur excretio iſta naturæ conſentanea:quoad modum tamen,vt diſtinguunt Barbari, ſemper exiſtit præter naturam & violenta.Ideo & morbi & ſymptomatis mitigandi magna eſt hic habenda ratio. Incipiente igitur morbo permittatur opus naturæ, dum quæ corrupta ſunt & deprauata excernit, & ægri melius ſe habent & leuiter ferunt. Quinetiam leuibus vomitoriis & abſtergentibus enematis iam commemoratis iuuetur.Ad vomendum autem nolim aquâ tepidâ ſolâ, aut cum oleo mixtâ vti, quia nimiùm relaxant ; neque hydromelite,quidquid ſentiant Practici, quia ventris tormina infert ; ſed decocto hordei ad ℔ j.cum ʒ j.ſyrup.acetoſi ſimplicis. Verum quia melius eſt excrementa iſta per inferiorem aluum deturbari,quam vomitu excludi:conſulerem ego, vt in hoc affectu parum aut ſemel tantum vomitorio vteremur:deinceps catharticis quibuſdam materia deorſum expurgaretur.Quod commodè fiet aſſumptis ʒ iij.confect.hieræ,aut infuſo myrobalanorum cum ʒ j. rhabarb. puluer. & pauco ſyrupo roſato laxatiuo: vel ſi iſta reuomat,nihil præſtantius eſſe exiſtimo , quam ſi rhabarbari puluis in pilulas reducatur cum aquâ aut ſyrup. abſint. & illarum duas vel tres capiat ſingulis diebus.Folia etiam ſennæ puluer.ad ʒ j.cum pauco iuſculo ſumpta valde commendantur à recentioribus in hoc affectu,quamuis ego non tam liberè illis vti auderem atque rhabarbaro,quia flatus & tormina excitant, niſi aliquid ſeminis aniſi puluerisati permiſceatur. Iuuetur itaque purgatione & clyſteribus ſenſim & blandè ferini huius humoris excretio ; nam venæ ſectioni nullus in hoc affectu relictus videtur locus:tum ob virium infirmitatem,quam hîc maximè vereri oportet : tum quod ex merâ cacochymiâ hic affectus ſuſcitari ſolet.

Quod ad alterationem vero, adſtrictionem & corroborationem attinet, ſumptis & admotis perficiendam, fruſtra referremus ea quæ copioſe à nobis in vomitus curatione fuerunt tradita,vnde repetere illa licebit.Hippocrates 5.*epid.* Athenienſem cholera laborantem purgauit helleboro,& fecit vti ſemicupio.Quod ad helleboriſmum ſpectat , non auderem in his noſtris corporibus & in hoc affectu tam violentum catharticum explorare. Semicupium autem,necnon balneum relaxans & ad cutem trahens non improbarem , firmis adhuc viribus , & ſedato primo vomendi egerendique impetu , qui plerumque viginti quatuor horis perficitur. Habent hic pro ſecreto Arabes decoctum boracis ægro propinatum poſt primum diem morbi, ad detergendas & quaſi abſumendas ſordes illas , quæ nimis adhærent & vellicant inteſtinorum ac ventriculi tunicas.Poſtea exhibent ℥ j.ß.ſyrup.de papauere,in quo diſſoluunt amyli torrefacti ʒ j.aut diacodij vel requiei Nicolai ʒ ij.necnon clyſteres ex decocto capitũ papaueris parant,quod puluere amyli inſpiſsãt.Frictiones,ligaturas dolorificas,immerſiones artuum in frigidam;frigus enim illud externum , internis communicatum, robur & adſtrictionem adfert:inuolutiones colli linteolis oxycrato madentibus,cucurbitulas cum multâ flammâ in variis corporis partibus & diſtantiſſimis,poſtea ſupra ipſum vmbilicum admotas,odoramenta ſomnifera,epithemata cordialia,& ſimilia non omittunt,quæ ad omnium ſymptomatum ſyndromen & curationem faciunt.

Atque hæc de affectibus ventriculi ſufficiant, ex propoſitâ nobis methodo:nunc ad paſſiones inteſtinorum,cohærentium ſcilicet ventriculo partium & maxime affinium, accedamus ; inter quas de leienteria agetur. Quamuis enim ad ventriculi noxas referri poſſet , aptius tamen inter ſymptomata immoderatè fluentis alui ſuo ordine recenſebitur.

IOANNIS

IOANNIS VARANDÆI,
DE MORBIS INTESTINORVM.
PRÆFATIO.

PARTES prima concoctioni dicatas duas potissimum esse dicebamus, ventriculum scilicet & intestina, quarum affectus imprimis explicandos & percurandos suscepetamus. Absolutâ itaque passionum ventriculi tractatione, iuxta propositam methodum & diuisionem, ad affectus qui intestinis accidere solent, accedamus. Porrò ἐντερικὰ, ἐνδύτων, interaneorum seu intestinorum physiologicam descriptionem, substantiam scilicet, compositionem, figuram, temperiem, numerum, magnitudinem, situm & connexum cum aliis partibus, actionemque, nemo est inter Philiatros qui ignoret, nosque sequentibus capitibus, vt sese offeret occasio, satis fusè declarabimus. Nunc tantum ea sunt dicenda, quæ facient ad inuentionem illorum affectuum, quorum curationem deinceps meditamur. Certum est itaque, intestina corpora esse caua, ventriculo ipsi ad extremum vsque anum continua, ad continendas chyli reliquias à naturâ destinata, vt melior eius portio vi mesaraïcarum venarum ad hepar transuehatur: excrementosa verò partes suo tempore & modo conuenienti deturbentur. Præterea obtinuerunt hæc intestina, extremum præcipuè quod rectum appellant, venas quasdam internas à ramo portæ mesenterico: externas à ramo hypogastrico cauæ descendentis, hæmorrhoidales dictas, per quas sæpè sanguinis cacochymia & nimia quantitas expurgatur. Denique intestina sensu tactus, ob disseminatos sextæ coniugationis neruos, prædita, varius de causis quibus sunt obnoxia, dolores perpeti solent. Hinc tota hæc nostra de intestinorum affectibus tractatio in nouem capita distinguetur: in quorum primo agemus de dolore qui intestinis accidere solet, potissimum colico. In secundo, de lumbricis, qui ad sistendam, prouocandamque immodicè aluum, necnon dolorem excitandum sæpissimè concurrere solent. In tertio, de suppressâ aluo. In quarto, de ileo, qui suppressæ alui est species. In quinto, aggrediemur ad alui fluxus & diarrhœas. In sexto, prosequemur de leienteriâ. In septimo, de dysenteriâ. In octauo, de tenesmo & ani procidentiâ. Denique nono tractabimus de hæmorrhoidali fluxu, rhagadibus & condylomatis sedis, velut maximè propinquis & succedaneis affectibus. Atque in istorum explicatione nihil defuturum speramus, quod ad perfectam omnium morborum, qui intestinis sæpius accidere solent, therapeiam attinet, vt in ipso operis progressu vnicuique notum euadet.

Digitized by Google

CAPVT PRIMVM.

De inteſtinorum dolore, ac præcipuè colico.

DOLORES qui inteſtinis accidere ſolent, variis nominibus à veteribus donati fuerunt. Apud Hippocratem τὸ ἔντερον ſimpliciter dictum *6. epidem. & lib. de humoribus*, deſignat diſpoſitiones dolorificas inteſtinorum, præcipuè craſſioris, quod per antonomaſiam ibi ἔντερον appellaſſe veriſimile eſt. Frequentius τῶν τροφῶν meminit, quibus tormina & dolores mobiles & quaſi circumuolutos parium epigaſtrio contentarum denotauit: vt videre eſt *Aphoriſ. 11. ſect 4. 20. eiuſdem, 41. ſect. 5. & libro de victu acut.* Item non rara apud illum mentio ilei, dyſenteriæ & teneſmi: quibus nominibus moleſti interaneorum cruciatus ſignificantur: nuſquam tamen quod ſciam colicum affectum proprio nomine expreſſit: imo ne quidem apud alios paulò Galeno antiquiores reperitur. Vnde coniecturam quidam faciunt, affectum hunc ignotum fuiſſe veteribus, & circa Tiberij Cæſaris tempora tantum inualuiſſe, quem ſcribit Plinius *lib. 26. cap. 1.* omnium primum id genus morbi fuiſſe expertum. Verum falluntur illi quidem, vt ego exiſtimo, credentes rem ipſam Hippocrati & veteribus fuiſſe ignotam, quia eam non eodem nomine, quo nos, expreſſerunt. Nam apud Hippocratem illud τὸ ἔντερον, & οἱ τροφοὶ nihil aliud deſignare poſſunt, quam propoſitum affectum, vt nos poſtea clarius oſtendemus: Apud reliquos autem veteres omnia inteſtinorum & ventris tormina vno ilei vocabulo ſignificata fuere, aut certè colicum vocarunt iliacum. Cuius rei teſtis fidiſſimus erit nobis Cornel. Celſus *lib. 4. cap. 13. Diocles Caryſtius*, inquit, *tenuioris inteſtini morbum χόρδαψον, plenioris ἰλεὸν nominauit: à pleriſque nunc video priorem illum ἰλεὸν: hunc κολικὸν nominari.* Hæc Celſus. Ex quibus patet neotericorum eſſe non rem, ſed denominationem, ad quam fortaſſis reſpexit Plinius. Poſt accuratam enim anatomes cognitionem, inteſtina in tenuia & craſſa, ἄντρα & κῶλα, diſtincta fuerunt, & ex communi vſu peculiare illud inteſtinum, quod inſigni capacitate & anfractibus donatum, à cœco incipiens & rene dextro ad iecoris cauum, ventriculi fundum, lienem, & ſiniſtri renis latera delatum, in poſteriora reflectitur, totumque abdomen vndiquaque cingit, κῶλον κατ' ἐξοχὴν appellarunt: illique inſidentes dolores atrociſſimos, ex ſede affecta colicos vocarunt.

Latini quidam tormina dixerunt: Cicero enim ipſe torminoſos vocat, qui colicæ paſſioni ſunt obnoxij; quamuis Celſus per tormina dyſenteriam intelligat: colicum autem morbũ inteſtini plenioris vocet. Scribonius coli dolorẽ, Marcellus Empiricus colum ſimpliciter nominat. Quinto Sereno aliquando alui dolor dicitur, vt, *ſi dolor inſanus totâ deſanit in aluo, &c.* Aliàs colus, vt, *cum colus (inſanum morbi genus) intima carpit, &c.* Quibus nos relictis ad rem ipſam accedamus, & colici doloris definitionem, cauſaſque adferamus, ex quibus conueniens diagnoſis & therapeia ſtabiliri poſſit.

Colicus igitur dolor eſt triſtis ſenſatio ſenſus tactus in inteſtinis, pleniore potiſſimum, facta ab obiecto non proportionato, confertim intemperiem aut ſolutionem continui, vel vtrumque illis inferente. Vnde patet, colicum dolorem à nobis inter ſymptomata recenſeri actionis deprauatæ, quando ſcilicet ſenſus tactus, quo inteſtina propter neruos illos ſextæ coniugationis iam ſæpè commemoratos, ſunt donata, præter naturam afficitur, vitiatâ conſtitutione commoderatâ, per quam blandè & indolenter externas ſpecies tactiles ſuſcipiebat, & primo ſenſorio communicabat. Dicitur autem fieri in inteſtinis, pleniore potiſſimum, propterea quod vſus ita nunc inualuit, vt omnes fere inteſtinorum cruciatus colici appellentur, potiſſimum vbi ſine febre accidunt, niſi manifeſtâ quadam diſtinctione ab illo ſecernantur. Cur autem hoc inteſtinum præcipuè tam diris doloribus torqueatur, vt multi reperti ſint, qui propter doloris magnitudinem ſeipſos interemerunt, referente Galeno *lib. 2. de medic. κατὰ τόπους*: cauſæ multæ aſſignari poſſunt:

Primùm

Digitized

Primùm quod hoc inteſtinum omnium capaciſſimum, cum præcipuum ſit fæcum atque excrementitij humoris receptaculum, tam qui in primâ, ſecundáque eoctione generatur, quam aliunde in communem hanc corporis ſentinam deriuatur, fit vt frequentius acerbiúſque ab eiſdem afficiatur. Secundò certum eſt gyros & circumuolutiones huius inteſtini, necnon cameras & veluti anfractus quibus à naturâ donatum eſt, vt effluentem ab aliis inteſtinis chylum contineret & remoraretur diutius, donec perfectè illius benignior portio à meſaraicis exugeretur; cauſam etiam eſſe longioris moræ prauiſſimis humoribus, vnde actio illorum multo potentior & validior in hoc inteſtinum. Imo etiam ex hac diuturniore morâ crediderunt veteres cum Galeno, *lib. 6. de locis affect. cap.* 2. generari aliquando calculos in colo, vt ex recentioribus Fernel. *in pathol.* narrat ibidem ſæpe ita indurari pituitam, vt totum hoc inteſtinum farciminis inſtar perfectè oppleat. Tertiò denique, cauſa tam diri cruciatus in colo inteſtino, ob flatus potiſſimum, refertur à Galeno, *loco proxime citato*, ad craſſitiem tunicarum huius inteſtini, per quas, vt aliorum, tenuium ſcilicet, difflari facilè non poteſt, neque ob induratas ibi ſæpius fæces per anum excerni, vt in inteſtino quod rectum vocant. Siue igitur propriè colon afficiatur per hoſce dolores, ſiue etiam aliquando aliud inteſtinum, inquirendæ ſunt diligenter cauſæ & origo mali tanti, quæ ad therapeiam noſtram commodè reuocari poſſint.

Diximus itaque cruciatus hos fieri ab obiecto non proportionato, confertim intemperiem aut ſolutionem continui inferente. Ex quibus facile eſt naturam doloris & modum quo fit, intelligere: nam cum omne ſenſorium, ex Philoſopho, debeat eſſe ἄπαθον, & in mediocritate ſuorum obiectorum poſitum, vt ritè & ſecundum naturam illa percipiat, ſi aliquando contingat hæc obiecta ita improportionata eſſe, vt per exceſſum ſuum immutent conſtitutionem illam ſenſorij moderatam, contingit, præcipuè in ſenſu tactus cuius obiecta ſunt corporeæ magis & actiuæ qualitates, ex improportione illa naturam dolere. Potiſſimum ſi ἀθρόως, confertim & ſubitò fiat illa mutatio ad exceſſum, quia magis ferit ſenſum, & latius ſeſe tunc propagat illa qualitas dolorifica. Improportio autem illa fit in ſenſu tactus ex duplici peruerſione continuitatis in partibus ſenſibilibus, nimirum τῆς συμφυΐας, quæ eſt continuitas phyſica, ſeu temperamenti; & τῆς συνεχείας, quæ eſt continuitas mathematica ſeu ſitus & connexus partium. Quando enim accidit à qualitatibus actiuis potiſſimum, caliditate, & frigiditate, ita immutari ſenſorium tactus, vt ſubitò exceſſus in illius ἐνέργειαν fiat, tunc certè neceſſe eſt ſenſationem illam eſſe triſtem & dolorificam, vtpote quæ ad perniciem animantis tendat: & ritè à partibus ſenſu tactus præditis percipi, cum eiuſmodi qualitates ſint proprium tactus obiectum. Verum quoniam partes non ſolum per ſuam κρᾶσιν & temperamentum ſubſiſtunt, ſed multò magis per vnionem illam quæ mixtis alteratiſque accidere ſolet: ideo ſi quid ſit, quod hanc vnionem diſſoluat, facto motu violento aut ſitu mutato in partibus vnitis, hinc etiam oboritur triſtis ſenſatio & dolorifica. Non quod his ſemper iuncta ſit qualitas prima (vt quidam putarunt) ſaltem excedens (ſenſus enim & experientia refragantur:) ſed quod ſitus & motus improportionatus, vtpote ſenſilia communia, facilè à ſenſu tactus percipiuntur. Iunctis autem illis duabus cauſis, nimirum alteratione ſecundum primas qualitates; & vnionis diſſolutione, tunc atrociſſimi contingunt dolores, vt plerumque accidere ſolet.

His igitur ita poſitis, quæ ad eſſentiam & cauſas doloris pertinent; agamus nunc de cauſis quæ particularem hunc dolorem in colo inteſtino ingenerare poſſunt: vnde etiam affectus differentias repetemus. Certum autem eſt ea eſſe, quæ intemperiem aut ſolutionem continui, vel vtraſque inferre huic parti valent. Qualia ſunt exceſſus caliditatis aut frigiditatis, præcipuè cum affluxu materiæ; ſiue illa in ipſam ſubſtantiam inteſtini ſit impacta, vt per phlegmones, eryſipelata, & ſimilia; ſiue in ipſâ tantum capacitate poſita, vt in ſynathriſmo humoris bilioſi, putris, maligni, & acrioris: vel pituitoſi, frigidi, craſſi, & lenti, qualis eſt pituita illa quam Praxagoras vitream appellauit. Item omnia vulnerantia, erodentia, diuellentia aut diſtendentia, ex diuortio continui aut contigui violenter facto, illud præſtare poſſunt: vnde vlcera ob eroſionem, flatus, fæces, lumbrici, quiuis humor quantitate nimius, diſtentionem aut diuulſionem faciens, cauſa doloris abſque dubio exiſtunt in inteſtinis. Quoniam verò vulnera ſolutiones ſunt continui à re externâ factæ, quæ ſi inteſtinis contingant, proprium ſunt nomen, aliud-

que à colico nacta : vlcera autem inteſtinorum peculiarem ſunt tractationem ſortita in dyſenterico affectu. Item fæces induratæ, lumbrici & ſimilia, vel ſunt antecedentes ſæpius colici doloris cauſæ, vel certè propriis ſuis capitibus à nobis explicabuntur. Ideo quatuor tantum potiſſimas colici affectus cauſas ſeu differentias aſſignabimus : nempe phlegmonem ſyſtrophicam à puro vel impuro ſanguine in coli ſpatia interiora effuſo : ſolam phlogoſim & mordicationem à calidioribus aut vitiatis ſuccis : pituitæ frigidæ, craſſæ, & lentæ, qualis eſt vitrea, in illo congeſtionem : & flatus copiam cauitatem inteſtini diſtendentem, aut proprias illius tunicas diuellentem. Quæ rurſus cauſæ ſeu differentiæ colici affectus aliquando ſimplices & ſolitariæ : aliquando permixtæ & complicatæ ſunt, vt quando concurrit ſimul flatuum copia cum pituitoſo aut bilioſo ſucco, vel vtroque : vnde atrociſſimi exoriuntur cruciatus, & mixta curatio. Nobis tamen ſimplices colicæ paſſionis cauſas & affectus dolorificos tractare ſufficiet : ex quorum notitiâ compoſitos cognoſcere & curare licebit : quod in therapeia particulari ſemper eſt obſeruandum, ne in immenſum creſcat illa tractatio.

Phlegmone igitur in colo inteſtino aliquando contingere ſolet, fluente ad illud per meſaraicas ſanguine, & in eius intima ſpatia effuſo, qui tumorem præter naturam ſuſcitat : ſiue ſanguis ille ſit purus, ſeu bili, pituitæ, aut melancholiæ permixtus ; vnde vera phlegmone, eryſipelatodes, œdematodes aut ſcirrhodes oboritur. Fit autem hæc fluxio tum à partibus vicinis, deponentibus per apertas vias humores ſibi ſuperuacaneos in inteſtina, tum à praua illorum conſtitutione, vt calidiori, tenuiori, laxiori, infirmiori, & ſimilibus : aut humoris ipſius, qui vel ſuâ quantitate diſtendit & aperit venarum oſcula, vel qualitate malignâ, erodente aut tenuiori præterlabitur conceptacula ſua, & inuadit proprios partium poros, ibíque extenſionem præter naturam cum inflammatione excitat. Eadem ratione in ſecundâ ſpecie ſeu differentiâ mordax, putris, bilioſus, aut alio modo calidus ſuccus in inteſtini huius capacitatem deriuatur, vel ex toto corpore, vt poſt morbos acutos, febres diuturnas, criticos aut periodicos motus ; vel ex parte aliqua, vt hepate inflammato vel obſtructo, ventriculo calidiore, aut prauis eduliis referto, cerebro pituitâ ſalsâ redundante, vtero obſtructo, & ſimilibus, vbi longiore morâ retentus & aliquando putreſcens deradit mucum parieti illius interno oblitum, phlogoſim & mordicationem vehementem inferens, quam ſæpè dyſenteria ſequitur. Pituita autem frigida & lenta, quam vitream vocant, tertiam conſtituit colicæ paſſionis cauſam & differentiam, quæ tum frigiditate ſuâ actuali, quam in ſeipſo expertum fuiſſe narrat Galenus 2. *de locis affectis* : tum pondere & grauitate, terebelli inſtar, inteſtinum vehementi dolore premit, ac veluti perforare videtur. Hæc enim pituita (mirum dictu) ipſomet referente Galeno, neque interno viſcerum calore, nec adhibitorum remediorum vi, neque excretionis violentiâ incaleſcit, ſed manifeſtè & ad ſenſum frigida permanet. Quod etſi difficile creditu videatur, niſi quis aliquando id cum Galeno expertus fuerit, non caret tamen ſuis rationibus cur ita contingat. Eſt enim vitreus ille humor acidioris pituitæ ſpecies, quæ cruditate collectâ ob aſſumptorum alimentorum vel viſcerum frigidam valde conſtitutionem, lentorem præterea talem adipiſcitur, vt eſt 2. *de differ. febr.* vt deinceps elaborationem ſuſcipere non poſſit, propter ſummam hanc cruditatem & ſubſtantiæ ineptam ad alendum conditionem. Itaque à natura contemnitur, neque calidi applicatione amplius agitatur, ſed exhalante, ſi, quam prius continebat, tenuiori portione calidioreque, gelatur in dies, craſſeſcitque magis : & ſic in ipſis inteſtinis calentibus cum inſigni frigiditate ſentitur. Quidquid ſit, ſiue hæc pituita, actu frigida in inteſtinis maneat, vt vult Galenus ; ſiue frigiditas illa non ſit actualis & abſoluta, ſed factâ ad partium internarum calorem comparatione, talis ſentiatur, qualis vrina in balneo calido micta : certum eſt & experientiâ confirmatum, frequentem eſſe colicæ paſſionis cauſam, vtpote quâ excretâ in totum ceſſet dolor.

Supereſt ergo quarta colici affectus cauſa ſiue differentia, nempe flatus ; tamque ordinaria, vt hodie per colicos dolores nihil aliud fere audiamus, quam flatuoſam inteſtinorum conſtitutionem, quæ diuellendo proprias inteſtini tunicas, ſi quidem in illis contineatur, vel diſtendendo internam cauitatem, acerbos illos & planè intolerabiles dolores efficit. Spiritus enim hic ſeu flatus mobilis perpetuò exiſtens, impetu agit ac violenter impellit : cum humores quieti & velut ignaui, plerumque in locis quæ occupauerunt ſubſideant. Hinc author libri de flatibus, omnem morborum

borum cauſam ad hos reuocans, & in magno hoc mundo quæ violentiſſime fiunt, ea ſpiritum habent effectorem: Turbines, fulmina, terræ motus, & quæ ad imitationem quandam ars reperit, tormentariorum globorum eiaculationes, munimentorum per cuniculos euerſiones, ſuppoſito & accenſo puluere pyrio. In inteſtinis autem flatus generantur vel in eorum tunicis, ex ſanguine videlicet pituitoſiore crudioréque quo nutriuntur, quem cum ob propriam imbecillitatem vel materiæ ineptitudinem concoquere non poſſint perfectè, aut in tenuiſſimas auras reſoluere, inde ſuſcitatur ſpiritus craſſus & nebuloſus, qui dum per anguſtos meatus, poróſque inſenſiles exitum fruſtra quærit, membranas ſeu tunicas diſcerpendo cruciat: & ſi diu perſeueret, tandem in hydropa ſiccum degenerat, vt eſt *Aphor. 11. ſect. 4.* Vel in ipſorum capacitate colligitur hic flatus, ob eaſdem & plurimas alias cauſas: nam ex conglobatis lumbricis, induratâ fæce, lentâ pituitâ obſtruente, & ſimilibus ſæpe ita cohibentur ſpiritus in inteſtinis contenti ne erumpant, vt coaceruati cauitatem inteſtinorum, potiſſimum coli, diſtendant, in eámque molem attollant, quam à ſe viſam teſtatur Fernelius, & Cabrolius Monſpelij Chirurgus aſſerit ſe vidiſſe quemdam colico dolori obnoxium, cui poſt mortem colon brachij amplitudinem adæquabat. Aliquando iſta flatuum collectio, & diſtentio contingit per influxum humoris pariter cum flatibus ex venis. Euenire autem hoc ſolet naturis calidioribus, in quibus copioſa bilis pronaſcitur. Si enim in venis ſimul propter malam diætæ rationem, magnum pituitæ prouentum collegerint: natura attenuans digerenſque, ac proinde flatus ſuſcitans, vtroſque in inteſtina effundit; flatus ergo diſtendendo, bilis mordendo, pituita autem materiam flatuum nouæ generationi ſuppeditando, morbum perdifficilem creant, qui ſæpè diuturnas febres ſubſequi ſolet. Harum rurſus colici affectus differentiarum aliæ ſunt multiplices cauſæ, ex rerum naturalium, non naturalium, & præter naturam conſtitutione repetendæ: nos verò ad iſtarum diagnoſim per propria ſigna progrediamur.

Signorum autem diagnoſticorum hic duplex erit ordo: vnus quidem eorum quæ conſtitutiua appellabimus, ex quibus ſcilicet propriè colicus affectus & eius cauſæ dignoſcentur: alius verò eorum quæ diſtinctiua vocant, quibus hic affectus à multis aliis affinibus, aut ſimilia ſymptomata habentibus ſecernendus erit. Vbi igitur colicus affectus à ſyſtrophicâ phlegmone, aut acrioribus ſuccis inteſtina occupantibus exoritur, dolor in certâ parte magis eſt fixus, ſublimior autem quam qui hepar, lienem aut ſimiles partes occupauit, vnde pulſatio verſus ſupremam abdominis partem aut alterutrum hypochondrium, non circa vmbilicum, vt in ileo, percipitur: adeſt vel præceſſit febris, ardor, ſitis, ac interior roſionis ſenſus, quem aliquando ſubſequitur diarrhœa aut dyſenteria. Vrina redditur bilioſa & acris, aliquando ſupprimitur: alui deiectio non leuat, ſed auget cruciatum, vt etiam vomitio: læduntur plurimum calidis aſſumptis vel admotis, iuuanturque frigidis. Quæ omnia in phlegmone ſunt grauiora & permanentiora, quam in ſolâ phlogoſi ab humoribus fluentibus & vagis. Quæri autem hîc poteſt, cur phlegmone in colo exorta non eodem modo vomitiones illas implacabiles & fæculentas ſtatim excitet ac in ileo: cum vtrumque inteſtinum ſit dicatum deportandis continendiſque humoribus, qui in primâ coctione gignuntur, aut aliunde in primam regionem deriuantur? Verùm id impedire videtur tum longinquitas coli à ventriculo, & valuula illa ſub extremum coli poſita: tum illius amplitudo ſeu capacitas, quæ cum multo ſit maior, quam in aliis inteſtinis, vix fieri poteſt, vt phlegmone totum illius circulum occupet, ſed tantùm partem, vnde minor eiuſdem inteſtini obſtructio. Si tamen aliquando accidat in colo tantum eſſe tumorem illum, vt integrum eius meatum obturet, aut ſaltem magnam in eo στένωσιν efficiat, nihil obſtabit, quin etiam ad eiuſmodi affectum vomitiones fæculentæ, & reliqua ilei ſymptomata ſubſequantur.

Vbi verò colicus affectus à causâ frigidâ pendet, humorali vel flatuosâ, nulla eroſio, aut ardor ſentitur (niſi fortaſſis poſtea ex vehementiâ doloris febriculam excitent humores commoti) dolor acutus, ſed tenſiuus vrget, qui à dextro incipiens latere ſub fundum ventriculi in ſiniſtrum vſque vagatur, cum rugitu potiſſimum vbi flatuum eſt copia: à pituitâ verò illâ vitreâ dolor eſt quaſi perforans ac pertundens inteſtinum: actualis frigiditas ſentitur: adeſt inappetentia, dyſpepſia, ructus aliquando ac ſingultus, vomitus quaſi indefinens, tum compatiente ventriculo propter viciniam, officij ac generis ſocietatem, tum compreſſo ex incumbente

bente colo : Aluus ita adſtricta, vt ne ſpiritum quidem tranſmittat. ſi quid verò excernat, vel eſt σκύβαλον & valde induratum, mucis vndiquaque oblitum : vel ſtercus bouino ſimile, leue ſcilicet & flatus plenum. Quod ſi tandem fluat liberaliter, magnáque flatuum aut pituitæ illius copia erumpat, vel in totum ſanantur, aut ſaltem maximè leuantur. Adde cauſas omnes externas internáſque, ex quibus flatus aut pituita ſuſcitari poſſunt, vt alimentorum crudorum & dyſpeptων, aquarum niualium, vini recentis & ſimilium vſus : quæ Medicus diligenter percunctari debet, vt proprjam affectus cauſam deprehendat.

Supereſt, vt nunc diſtinctiua ſigna proponamus, quibus hic affectus à reliquis eſt internoſcendus, potiſſimum à nephritico, iliaco & vterino : hi ſiquidem magnam habent cum colico ſimilitudinem. Quod ad nephriticum ſpectat, hoc eſt dolorem ex calculo, muco, aut arenis in renem vel vreteras impactis, difficile exiſtimauit Galenus *lib. 6. de locis affect. cap. 2.* diſcrimine certo illum à colicâ paſſione ſtatim ſecernere, quæ fit à flatu aut frigido humore. In hoc tamen Medicos ſolatur, quod in genere remediorum eligendo, nulla ſit fere diſcrepantia inter ea quæ vtrique paſſioni curandæ adhibentur, vnde nullum ægro periculum imminet ex eorũ vſu, ſiue hoc, ſiue illo affectu teneatur. Eſt tamen ratio qua illos diſtinguere poſſis : nam nephriticus dolor profundior multo eſt verſus ſpinam quam colicus: fixus magis & vni loco adhærens. Præterea colicus dolor cum ſit vagus, ſæpe conſcendere ſolet, vt diximus, ad ventriculum vſque ſupra regionem renum, quo ſigno certiſſimè ab eo diſtinguitur. Quin etiam dolor colicus in orbem magis; nephriticus in rectum ad teſtem vſque extenditur cum femoris è directo poſiti ſtupore. Qui nephritico tenentur, vix ſpinam inflectere poſſunt vt terram attingant; colici vero nullo negotio id præſtant : maiorémque ex alui deiectione vtilitatem, quàm illi percipiunt. Adde quod ex vrinarum aſpectu multa ſigna nephriticorum colliguntur, quæ colicis abſunt, vt illius ſubita ſuppreſſio, vel ſumma in principio tenuitas, aut cruor permixtus, muci vel arenularum ſubſidentiæ & ſimilia, quæ in colicis non apparent. Iliacus autem dolor à colico diſtinguitur, quod magis in vmbilici circuitu hæreat : colicus verò ſi ſit à flatu, oberret zonæ inſtar circa abdomen : vel ſi ab inflammatione, circumferentiam ventris potius quam centrum occupat. Præterea iliacum perpetua febris comitatur, & ſtatim vomitiones illæ fæculentæ ſuccedunt cum lethalibus ſignis. Denique vterinus dolor diſtinguitur à colico, quia ſæpius poſt partum contingit, aut quo tempore fluxuri ſunt menſes, verſus pubem & coxendicem, vbi alligantur matricis ligamenta, porrigitur: atque ſæpiſſimè iungitur illa præfocatio quam vterinam appellant. Sic igitur licebit colicum affectum, illiúſque cauſas dignoſcere, & à vicinis maximè affectibus ſecernere. Nunc de prognoſi.

Grauiſſimum eſſe inter alios colicum affectum qui à phlegmone fit, tum propter atrociſſimum dolorem & feruorem, dum ſuppuratio perficitur in parte exangui : tum metu ilei, in quem eſt facilis tranſitus nemo, dubitat. Grauis item quicumque nunquam intermittit, qui implacabilem habet vomitionem iunctam, parum iuuatur excretis humore vel flatu, aut iniectis admotiſque anodynis. Quod ſi jam extremorum algor, ſyncope aut lipothymia vrgeat, rem eſſe deploratam certum eſt, vt docetur *Aphoriſmo 26. ſect. 7.* Aliàs in ſalutem integram ſæpius ſolet deſinere colicus affectus, niſi per μετάστασιν, tranſlationem ſcilicet humoris in alias partes, morbos à veteribus annotatos generet, vt abſceſſum in muſculis abdominis, hydropem ſiccum, paralyſim, dyſpnœam, epilepſiam, diarrhœam, dyſenteriam, hæmorrhoidum fluxum, arthritidem, & ſimiles : quod Paulus, Auicennas, necnon ipſe Galenus & Hippocrates ſcripſerunt. Etenim humor hic qui colicam parit, ſi tenuis, bilioſus, & mordax fuerit naturâ, facile quæcunque membra corporis noſtri vicina & diſtantia ſubire poteſt, vtpote qui orgaſmum & irritationem habeat, propter quam à partibus robuſtioribus in infirmiores, quà data porta, amandatur: Sin verò ſit pituitoſus & craſſus, non ſtatim aliò transfertur, ſed poſt diuturnos labores, perpetuas fere vigilias, longam inediam, multorum calidorum pharmacorum vſum tandem calefactus & attenuatus, modò ſurſum rapitur, nunc in ſpinam retorquetur, aliàs extremos articulos peruadit, per dilatatos illos inſenſiles poros, quibus totum noſtrum corpus eſt σύμπνοιαν καὶ σύῤῥοιαν : vnde ille, *lib. de humoribus & 6. epidem.* (quales nos plures vidimus) *cui inteſtinum dolebat, articuleri morbo correptus fuit, & quietior erat : poſtquam autem articularis ſedabatur, magis ex colico dolebat.*

Si

Si humor hic fiat καταῤῥοώδης, omnino alui fluxum concitat, modò cum eroſione, modò etiam cum graui vlcere: aliàs extrema venarum in ano poſitarum aperit, & ingentem ſanguinis fluorem concitat. Quod ſi ex flatu in tunic is coli, aut alterius inteſtini incluſo dolor oboriatur, tam contumax & diuturnus, vt neque medicamento purgante, neque aliâ ratione ſolui poſſit, tunc hydrops tympanites exoritur, vte *Aphoriſmo vndecimo iam citato ſectionis* 4. videre eſt; quoniam confirmatâ intemperie & erumpente in abdominis cauitatem flatu, venter in molem illam hydropicis familiarem attollitur. Atque hæc de prognoſi, nunc ad therapeiam accedamus.

CVRATIO COLICI AFFECTVS A PHLEGMONE. Primum quod occurrit in hoc affectu, dolor eſt, ſui ablationem indicans: cuius cauſa vulgus Medici auxilium præcipuè implorat. At verò Medicus cum ſciat dolorem ſymptoma eſſe in operatione triſti ſenſus tactus, nouit etiam à causâ ſuâ ſemper pendere, quæ vel eſt ſubita intemperies & violenta: vel ſolutio continui non facta, ſed fiens, vel vtraque ſimul iuncta. Hæ rurſus cum ſint in fieri & motu, à causâ ſuâ effectrice pendere neceſſe eſt, quam ſtatuimus quadruplicem potiſſimum, nempe phlegmonem, mordacem aut bilioſum ſuccum, pituitam frigidam ac lentam, & flatum. Ab iſtorum itaque ſublatione curatio inchoanda, cum nihil mutare nos methodum cogit: vtpote vehementia doloris nullas concedens inducias, vireſque affatim proſternens, atque aliæ circumſtantiæ plures: quarum tanta eſt vis aliquando, vt ſopire dolorem ſtupefacientibus conueniat, antequam ad cauſæ exturbationem ventum ſit. Sed hi reſpectus ſunt curantis, non docentis Medici. Quare nos veram & methodicam therapeiam proſequamur: quæ à cauſarum ſublatione proficiſcitur: inchoantes à curatione calidarum cauſarum. In quibus non fruſtra, vt ſpero, immorabimur, quia hæc ad ilei curationem & ſequentium affectuum viam parabunt. Quantopere etiam in hac diſtinctione & curatione facienda laborare debeat Medicus, eleganter animaduertit Aëtius *proprio capite*, adductis ægrorum multorum exemplis, qui vt colici à causâ frigidâ tractati & in ſummam perniciem deducti, mutatis remediis ſeruati ſunt.

Quod ad phlegmonem igitur coli inteſtini attinet, aliorúmque, vt ilei, cui ſæpius accidere ſolet: morbus eſt acutiſſimus, vt iam fuit annotatum, & cum ſummo vitæ diſcrimine coniunctus, ob propriam ſpeciem: (omnis enim internarum partium inflammatio, iuxta Hippocratis *libr. de vict. acut.* ſententiam, periculoſiſſima) naturam partis affectæ, exanguis ſcilicet & neruoſæ; atque magnitudinem ſymptomatum, quæ comitari aut ſubſequi ſolent. Cúmque omnis phlegmone, ſiue ſit exquiſita, ſiue ſpuria; eryſipelatoſa, œdematoſa, aut ſcirrhoſa, quatuor modis neceſſariò terminetur, reſolutione ſcilicet, ſuppuratione, induratione, & gangræna: vnicus tantum iſtorum in inteſtinis poteſt eſſe ſalutaris, nempe reſolutio: nam plerumque in ſuppuratione moriuntur ægri, ob febris vehementiam, vel rupto abſceſſu ſuffocantur, dum pus in hepar aut vicinas partes inuadit: vel denique ſuccedente graui vlcere, cuius ſanandi ſpes in parte ſpermaticâ; exangui, & internâ pauca exiſtit. Quod ſi induretur phlegmone, metus eſt ἀτροφίας partis, aut obſtructionis, quæ fæces deinde præterlabi non ſinat. Si in gangrænam aut ſphacelum degeneret, actum eſt de ægri rebus, extincto calore natiuo in partibus interioribus, propagatóque morbo ad cor, hepar & reliquas partes. Accuratè igitur & ſtrenuè debet ſe hic gerere Medicus.

Imprimis igitur victus ſtatuatur hic tenuiſſimus, vt ſolet in omni inflammatione partium internarum, vt per inediam fraudatæ partes propriâ ſuâ alimoniâ minus humoris in partem affectam demittant. Contentus ergo ſit æger, per aliquot dies, ſolâ aquâ hordei, ptiſanæ cremore, julepo aliquo accommodato, vel ſaltem, vt infirmiores vires recreentur, juſculo pulli alterato foliis endiuiæ, borraginis, lactucæ, acetoſæ, & ſimilibus. Quod ad qualitatem aſſumptorum attinet, ſint illa quidem poteſtate frigida, ſed non actu, ne ſcilicet materiam magis impingant, & reſolutionem impediant. Eadem de causâ aër frigidus non eſt admittendus, ſed potius tepidus. Quies imperanda corporis, & animi, ne exagitati humores denuò in locum affectum fluant: Arceatur tamen ſomnus longior, quia motum facit humorum ad interiora.

His ita conſtitutis debet Medicus potiſſimum rationem habere materiæ fluentis, vel fluxuræ, vt ſcilicet ſanguinis portionem, ex quâ eiuſ-

modi phlegmone conſtituitur, citò reuellat ac deriuet, idque per venæ ſectionem, bis aut ter repetitam, ſub eâ quantitate quam ægri vires ferre poterunt. Cum enim in hoc affectu tota ſalutis fere ſpes, vt diximus, poſita ſit in reſolutione, quomodo fieri illa poterit, ſi ingens ſanguinis copia vi caloris & doloris in partem affectam trahatur? Eligetur autem primùm ea cubiti vena, quæ magis erit è directo partis dolentis: vena etiam malleoli ſuppoſiti poſtea tundetur ad deriuationem: aut hæmorrhoides, potiſſimum internæ, quæ à venâ portâ, vnde etiam inteſtina ſanguinem habent, oriuntur, prouocabuntur, vt portio coniunctæ cauſæ educatur. Quin etiam cucurbitulæ remotioribus corporis partibus ſunt admouendæ, vt ſcapulis, dorſo, natibus, & femoribus, etiam cum ſcarificatu, vt ſemper ſanguis minuatur, & exteriora verſus ducatur. Non omittendæ ligaturæ dolorificæ, & frictiones duræ partium extremarum, necnon earum calfactiones, quæ omnia foras humores euocant.

Quod ad purgationem verò attinet, nullus hic veris & potentibus catharticis relictus locus, ne magis humores intrò alliciant, & inflammationem augeant; ſed tantum lenientibus & humectãtibus, mediocri frigiditate præditis, decocto tamarindorum, prunorum acidulorum, caſſiæ fiſtularis, diapruno ſimpl. & ſimilibus, quæ emolliendo, non attrahendo expurgant, blandeque educunt exudantes ex phlegmone ichores, doloremque mitigant. Clyſteribus autem variis maximè hic erit agendum, qui omnes curationis ſcopos implere poſſint, vtpote in principio refrigerando magis & repellendo. Sic

℞ Fol. endiuiæ, cichor. borrag. acetoſ. portul. & lactuc. ana M. j. ſemin. melon. ʒ ij. ſemin. aniſi ʒ j. prunor. acidor. vel tamarind. par. iij. roſar. rubrar. flor. viol. borrag. & nymphææ, ana P. j. Fiat decoctio: in cuius ℔ j. diſſolue caſſiæ recenter extractæ, aut diaprũni ſimpl. ℥ ß. olei viol. de nymph. aut de papauere, prout dolor erit atrocior, ℥ iij. Fiat clyſter. Teneat diu. Quin etiam vbi doloris tanta eſt ſæuitia, vt perniciem ægro præſentaneam minari videatur, diſſoluantur in clyſtere præcedente theriacæ recentis ʒ iij. requiei Nicol. ʒ ij. aut etiam ϙpij ϑ ß. quæ variauda erunt pro diuerſis circumſtantiis. Circa augmentum vero, vigorem & declinationem miſcendo refrigerantia reſoluentibus, plus minus, ſecundum ægri morbique ſtatum parentur clyſteres, qualis eſt ſequens.

℞ Rad. althææ & lilior. ana ℥ ij. fol. endiuiæ, borrag. & maluarum, ana M. j. abſint. & puleg. ana M. ß. ſemin. lini, melon. & fœnugr. ana ʒ iij. flor. chamæmel. melilot. & roſar. ana P. j. Fiat decoctio: in cuius ℔ j. diſſolue cathol. ℥ j. mellis roſat. colat. & ſaccharum rubri, ana ʒ vj. olei lilior. ℥ ij. Fiat clyſter. Aut interdum parentur ex decocto pulli, hordeato, emulſione amygd. dulcium, addendo ſaccharum & vitellos ouorum, prout ex vſu erit, tam ratione nutritionis, quàm alterationis causâ.

Eadem ratione varianda quæ per os aſſumentur, ſyrupi, julepi, opiatæ, inſtaurantia & ſimilia: in quibus cardiaca numquam erunt omittenda ad corroborationem ſuperiorum partium: quin etiam narcotica, vt confectio requies dicta, illis interdum addi poterunt, quo tanti morbi feritas obtundatur, & ægro fiant quædam induciæ. Aſſumpta tamen hic propter longinquitatem coli à ventriculo non tantum prodeſſe poſſunt, quantum per anum infuſa. Epithemata etiam cordis & hepatis non negligenda, ob vaporum continuam ad illas partes eleuationem, ex ſuis locis repetenda.

Quod ad topica verò ſpectat, exterius ſcilicet parti adhibita: nullo modo hic vera repellentia vſurpari debent, quemadmodum nec in aliis interiorum partium inflammationibus: quoniam reſolutionem tantopere hic expetitam nimis remorantur, & humores ab externis partibus ad internas compellunt. Sufficiet igitur in principio quibuſdam refrigerantibus non adſtringentibus, poteſtate, non actu talibus vti, ad temperandam aliquantulum partis phlogoſim. Deinde reſoluentibus dandus erit locus. Numquam etiam in hoc affectu emplaſtris aut cataplaſmatibus vtendum, ne ſcilicet aut ſuo pondere grauent partem dolentem, aut ſua craſſitie tranſpirationem impediant. Vtantur itaque fotibus, oleis, aut vnguentis. Vt

℞ Rad. lilior. & acetoſ. ana ℥ ij. fol. maluæ, borrag. & endiuiæ, ana M. j. ſemin. lactuc. papauer. albi & aniſi, ana ʒ iij. ſantali vtriuſque ʒ ij. florum viol. borrag. & maluæ, ana P. j. Fiat decoctio, qua foueatur locus dolens tepidè cum linteolis madidis; addendo, ſi ingens ſit feruor, fol. ſolani aut hyoſcyami P. j. Deinde illinatur eadem regio ſequenti vnguento.

℞ Cerati

℞ Cerati ſantalini diligenter aquâ endiuiæ loti ʒ iv. ſpicæ nardi & caphuræ, ana ϑ j. ſemin. papauer. albi puluer. & lactuc. ana ʒ j. olei violar. parum. Fiat vnguentum. Sedato aliquantiſper feruore, addatur præcedenti fotui parum rad. ireos, folia puleg. menthæ, pariet. flores chamæmel. melil. & ſimilia. Poſtea inungatur oleo chamæmel. & violar. mixtis, aut vnguento reſumptiuo, addendo parum olei amygdal. dulcium & violati.

Inſtitutâ hac therapeiâ, ſi æger non videatur leuari, ſed dolor & calor, potiſſimum circa ſeptimum diem, intendantur, phlegmonem ſuppurari certum erit, tuncque expectanda puris confectio, vt ſi quidem rupto abſceſſu purulenta materia conuenienter per aluum expurgetur: Medicus ad curationem, deterſionem ſcilicet exſiccationemque vlceris animum conuertat, quam ex capite de dyſenteriâ repetet. Atque hæc de colico affectu ab inflammatione, adeóque de ilei conſtitutione phlegmonosâ, affinibus ſcilicet aut pene eiſdem affectibus.

CVRATIO COLICÆ PASSIONIS A MORDACIBVS ET BILIOSIS SVCCIS. Sequitur iam ſecunda colicæ paſſionis differentia, à mordacibus ſcilicet & bilioſis ſuccis in coli capacitate oberrantibus, vellicantibus, & intemperiem calidam inducentibus, cuius curationem etiam inſtituere oportet, ducto à victus ratione exordio. Aër ergo ſubfrigidus admittatur, aut arte, vt flabellis, odoramentis, irrigatione, & ſimilibus procuretur: excretiones naturales, potiſſimum alui & veſicæ, ritè promoueantur: fugiat motum, labores, & quamcunque exercitationem: ſomnus ſit moderatus, & paulo longior vigiliâ, in ſtrato leuiſſimis ſtragulis contecto: vitet curas, mœrorem & iram, à quibus maximè irritatur. Quod ad alimenta attinet, maxima in illis rectè inſtituendis cura erit adhibenda, quoniam remedij optimi & familiariſſimi vicem obtinebunt. Sint ergo ſecundum ſubſtantiam ἰώχυμα καὶ ἰώτιτα: formæ potius ſorbilis aut potulentæ, quam ſolidæ, ne in illis conficiendis nimium laboret natura, & vt citius ad locum doloris peruadant. In qualitatibus verò primis refrigerent & humectent ſecundum gradum propoſiti affectus: in ſecundis leuiter detergant & abluant adhærentes inteſtino ſordes: vel etiam aliquando incraſſent, ad obtundendam humoris acrimoniam & feritatem compeſcendam: talia erunt iuſcula pullorum, foliis acetoſæ, portulacæ, lactucæ, endiuiæ, & vuis acerbis, pro variâ temporis conſtitutione, alterata: gelatinæ, panatellæ cum pauco ſaccharo & roſaceâ confectæ. Si vires deiectæ fuerint, parentur contuſa, & colatitia, ſuccique ex delicatiſſimis carnibus expreſſi, oua tremula, cremor hordei, lac amygdalarum dulcium cum pauco ſaccharo, addendo ſingulis ſucci limonum, omphacij, arantiorum, granatorum acidorum, oxalidis & ſimilium quantum conueniet. Imo etiam in illis quibus dolor facit inducias, & pleniore victu vti cupiunt, concedantur carnes delicatiſſimorum & teneriorum animantium, his ſuccis irrigatæ: quæ omnia ſint potius actu ſubfrigida vel tepida, quam calida. Eiſdem ſuccis aut ſyrupis vti poterit in potu, cum aquâ conueniente dilutis, vel etiam vino quodam ὀλιγοφόρῳ bene temperato, ſi vires id expoſcere videantur. Nutriantur autem potiſſimum, quando minor erit ſymptomatum ſæuitia & veluti interuallum, eaque offerantur quæ naturam aliò reuocatam minus opprimunt ſua qualitate, & viribus tam præſentibus quam futuris ſuſtentandis ſufficiant, pro variis circumſtantiis.

Circa remedia autem, ſpectanda eſt imprimis conſtitutio cauſarum antecedentium; ſi quidem hic affectus pendeat ab influxu totius corporis, capitis, iecoris, & ſimilium, diligenter illis proſpiciatur. Præterea cum genus vacuationis ex genere repletionis indicetur, quam hic puram cacochymiam eſſe diximus in inteſtinis poſitam; non videtur hic venæ ſectio eſſe ex vſu, ſed potius purgatio: niſi fortaſſis illa ex venis ipſis deriuetur, aut ex parte aliquâ inflammatâ: vel certè præcautionis causâ, ne in tam ſæuo dolore humores in corpore plethorico inflammentur, aut putreſcant. Præcipuè verò humor ille qui in inteſtinis continetur, vacuationem, alterationem, ſuique temperationem ſuadet, quas ſequentibus aut ſimilibus formulis perficiemus: vt clyſtere molliente, refrigerante, ac leuiter detergente.

℞ Hordei integr. furfur. macri, florum nymph. violar. & borrag. ana M. j. ſeminis melon. & aniſi, ana ʒ ij. folior. maluæ, borragin. lactucæ, ana M. j. Fiat decoctio ad ℔ j. ß. in quâ diſſolue diapr. ſimplic. (aut ſi eductione magis opus ſit) compoſiti ʒ j. olei violar. & ſacchar. rubr. ana ʒ ij. Fiat clyſter; cui in magno feruore & æſtu addere poteris aliquid ſucci granatorum, limonum, & ſimilium.

Iniiciatur frequenter. Quod si flatus aliquos permixtos esse sit suspicio, quædam etiam leuiter resoluentia adiungi poterunt. Ad purgationem verò per os laudat admodum Galenus *lib.1 de locis affect.cap.4. & 12.method.7.* medicamentum ex aloë, quod picram appellant. Sic ergo paretur.

℞ Confect. hieræ & cathol.ana ʒ iij. Cum saccharo fiat bolus,quem capiat mane tribus horis ante pastum. Vel

℞ Diapr.solut.ʒ ß.rhabarb.electi puluer.& puluer.hieræ, ana ℈ j.Cum saccharo fiat bolus.Sumat eadem ratione. Reiteretur tertio quoque die,si opus fuerit. Quod si forma hæc solida minus arrideat ægro, paretur potio purgans.Vt

℞ Rhabarb.elect.ʒ j.santal.rubr. ℈ ß.Infundantur in aquâ endiuiæ : expressione factâ dissolue syrup.rosat.solut.ʒ j.ß.cathol.vel tripheræ persicæ ʒ ß.Fiat potio.Abstinendum enim hic videtur à diagrediatis, ne magis inflamment ac vellicent partes:aut certè,si aliquando ad validiorem purgationem his opus fuerit, intermisceatur aliquid Philonij Romani, aut requici Nicolai ad minuendum partis iam afflictæ sensum.

Interim non erunt omittenda ea quæ alterare, & temperare possunt vim humoris mordicantis, vt julepi, syrupi, decocta & similia assumpta liberaliter, vt ad locum doloris peruenire possint, refrigerantia, humectantia, leuiter detergentia, aut incrassantia : inter quæ syrup. de nymphæa, de papauere, ex succis cichor. portul. granator. & similes, conuenientibus aquis dissoluti erunt conuenientissimi : necnon per os assumetur,aut per anum iniicietur Philonij Romani, confect. requici, theriacæ recentis, & aliorum stupefacientium aliquid, quibus feruor, tenuitasque humoris corrigetur, & partis exquisitior sensus interdum obtundetur, magno ægri commodo.

Exterius etiam fotus,linimenta,vnguenta, olea & similia adhiberi poterunt,quæ pares indicationes impleant. Ad hoc non parum valebit balneum aut semicupium aquæ dulcis tepidum & moderatum, si vires ægri constent, & iam corpus decenter fuerit expurgatum. Qui plura volet,repetat ex capite de cardialgia ab intemperie calida ventriculi,& vomitu in causâ calidâ. Nunc ad colicum affectum frequentiorem accedamus,qui ex causâ frigidâ pendet.

CVRATIO COLICI AFFECTVS À CAVSA FRIGIDA. Duplicẽ constituimus causam colici affectus frigidam,nimirum pituitam crassam lentamq; & flatum. Sed quoniam vix solitariæ illæ vnquam subsistunt, sed permixtæ; ita vt aliquãdo pituita exuperet,aliquãdo flatus:ideo non videtur distinguenda illorũ curatio, sed pro minore flatuum aut pituitæ copiâ, ex præsentis Medici iudicio,variãda. Nos ergo ita progrediamur. Cum affectus hic ex cruditatis vitio emergat,siue efficientẽ causam, natiuum scilicet calorem partium primæ coctioni dicatarum; siue materialem spectet, nempe humorem in illis genitum aut aliunde deriuatum : certè perpetua esse debet Medici cura, siue προφύλαξα, siue therapeiam in hoc morbo exercentis, vt & calor natiuus partium roboretur, & materia quæ aliunde influit in intestina, reuellatur, deriuetur, membrisque illis mittentibus, vt capiti, toti corpori & similibus peculiariter prospiciatur; quæ verò est congesta in intestinis, præparetur ad expulsionem, conuenienter excludatur, & collecti flatus,siue in tunicis ipsis intestinorum, siue in capacitate, remediis diaphoreticis dissipentur ac resoluantur. Ac demum dolor, si fuerit superstes adhuc, aut acerbior, χαλαστικοῖς, paregoricis, vel narcoticis sumptis & admotis demulceatur. Verùm subesse hic difficultas videtur. Cum enim flatus naturâ sit aëreâ, genereturque incalescentibus humoribus, (quî enim exhalent nisi incalescant ?) caliditatis maximè particeps videtur, & à causâ calidâ pendere, attenuante & resoluente materiam humoralem, quemadmodum in magno mundo quotidie fieri videmus. Ac proinde ex contrariorum regulâ, & aduersus communem Medicorum sententiam,refrigerantibus erit aduersus eum vtendum, non calfacientibus:quæ tum eorum generationem prohibeant,tum genitos repellant.Huic ergo nos obiectioni breuiter satisfaciamus,dicentes duplicẽ esse naturam eorum quæ euaporant in nobis,tam ex parte efficiẽtis, nempe caloris, quam materiæ : fumus enim, vapor, aura seu exhalatio tenuis, quæ summa corporis petere solet, sequitur vim caloris potenter resoluentis & eleuantis materiam tenuem aut quamcunque ex humoribus ad patiendum idoneis : flatum verò crassiorem esse veluti nebulam & halitum, qui exurgit in nobis ex humoribus crudis & lentè incalescentibus. Siue igitur calor sit imbecillior, siue validus, educuntur inde halitus crassi, qui in particulis densioribus contenti, neque resoluti, tum

ob

ob propriam naturam mobilem, tum ob calorem perpetuò agitantem & attenuantem, ſed impotenter, diuturnos cruciatus excitant. Ex qua diſtinctione patet, vaporum quidem illorum tenuiorum & exhalationum generationem impediri refrigerantibus, eorúmque in partes appulſum repellentibus cohiberi: vnde Gal. *lib.2.κατὰ τόπ. cap.1.* in doloribus capitis à fumoſitatibus ſurſum elatis, vt quando ex vini potu caput repletur, refrigerantia & repellentia adhibet. Item Priapiſmo 14. *meth.cap.7.&* 8. & ſimilibus. At verò quando flatus illi ſeu halitus craſſi partem aliquam in quâ ſunt incluſi infeſtant; tunc calorificis, attenuantibus, & reſoluentibus agendum, non ſolum vt diſſipentur, ſed etiam ne gignantur. Nam cum diminutus calor eos genuerit: aut ſaltem ob materiæ frigiditatem & craſſitiem, quamuis vegetus, non potuerit in tranſpirationem inſenſilem digerere, ſed tantum liquare, & in halitus craſſos conuertere: opus eſt medicamentis calorificis & diſcutientibus, quæ veluti ſubſidio ſint ad attenuandum & rarefaciendam partem in quâ continentur. Eâ tamen cautione, vt in principio, ſi quidem multa materiæ humoralis copia ex qua ſuſcitantur, ſubeſſe videatur, parcius eis vtamur, ne ſcilicet plures excitentur flatus, quam diſſipari poſſint; ſed potius expurgationi ipſius humoris flatulenti incumbamus.

His igitur ita poſitis, ad vitæ rationem inſtituendam accedamus, calfacientem, attenuantem, & ſiccantem, hoc eſt affectui ipſi & cauſis oppoſitam. Aëris itaque talis conſtitutio eligenda, aut arte paranda, cauendúmque imprimis, ne capite aut pedibus colicæ obnoxij frigeant, cum ex his ſolis affectus ille oriri & ingraueſcere ſæpius ſoleat. Labori potius quam otio ſeſe committant in ipſo doloris interuallo. Vigilia & ſomnus ſint moderata. Animi etiam paſſiones, vt iracundia, in hoc affectu à quibuſdam laudantur, certe lætitia plurimũ prodeſſe poteſt, & omnis animi voluptas. Debent tamen imprimis curare colicæ obnoxij, vt ſolitæ excretiones, alui potiſſimum & veſicæ, ritè procedant: vtpote quibus naturaliter vel arte procedentibus vix vnquam affectu iſto corripi ſolent. Denique alimentorum ratio, tam in præſeruatione quam curatione, plurimum proderit: ſi veſcantur cibis euchymis & eupeptis, caliditate præditis, conuenientique quantitate, tempore & ordine ſumptis. Panis itaque biſcoctus & aniſatus, modico ſale conditus, fruſtula panis aſſa, vino generoſo intincta, & puluere ducis dicto inſperſa: carnes aſſæ perdicum, gallinarum, turdorum, turturum, merularum, alaudarum, columbarum, & ſimilium, inter quas galeritam ex proprietate commendant: vel elixæ cum hyſſopo, petroſelino, apio, fœniculo, ſaluia, mentha, maior. ſatureia, ſerpillo & ſimilibus conuenient. Vitentur reliqua olera, tam cruda quam cocta, piſces, carnes excrementitiæ & praui ſucci, legumina, fructus præcoces, & acida omnia, nec non adſtringentia & flatuoſa, vt caſtaneæ, meſpila, cydonia, & reliqua, niſi aromatibus præclare condita. Item bulbi omnes, inter quos excipit Galenus cepas coctas, & allia, quæ aſſuetis prodeſſe poterunt. In perpetuo etiam vſu condimentorum habeant aromatica, piper, nucem moſchatam, crocum, zinziber, garyophyllos, cinamomum, & ſimilia, quibus etiam vitioſa alimenta, ſi aliquando valde expetita, aſſumuntur, corrigi debent. Potus ſit parcior ex vino meraciore & generoſo, aliquando hippocratico, aut decocto coriandri, aniſi, vel cinamomi in eis qui vino non ſunt aſſueti. Imo etiam ſecundarij guajaci decoctum ſaccharo dulcoratum multis ſæpe fuit & iucundiſſimum, & vtiliſſimum. Vitent, veneni inſtar, potum frigidum, aquam niualem, vina noua & acerba, aut alio quocumque modo vitiata, ex quibus ſolis ſæpe exoritur colica paſſio. Quæ omnia præſens Medicus pro variis circumſtantiis moderari debet.

Quod ad remedia verò attinet: quæ cauſas tollere, intemperiem corrigere, & dolorem mitigare poſſint, eligenda ſunt: ea etiam rectâ methodo inſtituenda, habitáque vrgentioris, vt iam diximus, ratione. Proinde cum aluus hîc plurimùm ſuppreſſa eſſe ſoleat, vel à fæcibus induratis, aut muci copiâ obturantis & opplentis: ideo incipiendum à communi & emolliente clyſtere, quo illæ educantur: fiatque reliquis iniectionibus paratior via. Sit ergo talis formula.

℞ Decocti communis clyſteris leniter mollientis & tergentis ℔ j. In quo diſſolue caſſiæ recenter extractæ, aut cathol. ʒ j. olei lilior. vel butyri ʒ iij. mell. mercur. ʒ j. ß ſalis gemmei ad irritandam expultricem ʒ j. Fiat clyſter, qui iniiciatur illico. Hoc reiecto, ſi quidem maior pituitæ copia ſubeſſe videatur quam flatuum; tunc paretur alius attenuans, detergens, & ſatis valide purgans lentam illam materiam inteſtinorum parietibus adhæreſcentem. Vt

℔ Folior. puleg. origan. calament. hyſſop. ana M. j. ſemin. aniſi, fænugræc. & apij, ana ʒ iij. florum ſtœchados, anthos, chamæmel. & melilot. ana P. j. hordei integr. & furfur. macri, ana P. ß. Fiat decoctio: in cuius ℔ j. ß. diſſolue diaphœnic. aut bened. laxat. ℥ j. ß. mellis anthoſ. & olei rutacei, ana ℥ ij. Fiat clyſter, qui iniiciatur poſt prædictum, & reiteretur quoties opus eſſe videbitur. Quod ſi illis non ſatis fæliciter educi videatur materia pituitoſa, exhibeantur per os cathartica quædam non violenta, ne magis attrahant in partem affectam, & dolorem augeant; ſed mediocria, vt diaphœnici ʒ vj. cum decocto abſint. & folior. ſennæ: vel paretur apozema purgans in quatuor aut quinque doſes. Sunt qui laudant in principio Colicæ terebint. lotam cum aquâ menthæ ad ʒ v. mane ſumptam. His ergo aut ſimilibus ſemel aut ſæpius repetitis ſubducatur humor ille, qui fermentum præſtat huic affectui, & flatibus generandis.

Interea illi diſſipentur, attenuentur, & particulæ pori aperiantur robúrque omni induſtriâ inducatur, ſumptis per os, iniectis per anum, & admotis. Vnicè igitur hic proderunt olea ex ſeminibus & aliis flatum diſcutere potentibus per diſtillationem extracta, vt guttæ aliquot eſſentiæ aniſi, aut garyophyllorum, in vino aut juſculo diſſolutæ: aqua imperialis, cinamomi & theriacalis ex cochleari. Ipſa theriaca, mithridatium, aurea Alexandrina, opiata Salomonis, confectio anacardina, pulueres diamoſchi aut diambræ: ex quibus omnibus, ſi vis, comparetur opiata cum conſeruis anthos, betonicæ, maioranæ, aut ſtœchados, & ſyrupo conſeruationis corticis citri conditi. Sunt qui nihil præſtantius exiſtiment per os ſumptum, quam ſyrupum de abſint. ad ℥ j. ſingulis diebus hauſtum ante paſtus. Vulgus aquam vitæ, vinum aut juſculum propinant, in quo diſſoluunt puluerem garyophyllorum, croci, nucis moſchatæ, cubebarum, cinamomi, zinziberis, & ſimilium. Aëtius caſtorei parum diſſoluit in melicrato aut decocto menthæ, & ægro medicamentum, quamuis ingratiſſimum, offert. Ego mallem in formam pilularum concinnare, ne tam ingratus ſapor & odor ægrum terreant. Vt

℔ Caſtorei optimi ϑ j. myrrhæ & croci, ana grana v. garyophyll. & cinamomi, ana grana iij. Incorporentur cum ſyrupo de abſint. Fiant pilulæ vj. deauratæ. Capiat duas longè ante paſtum, quibus certum eſt non parum commodi percepturum ægrum. Eadem ratione exhibeatur decoctum guaiaci cum foliis menthæ & chamæpit. mane. Ac ſi corpus totum ſeroſis humoribus ſcatere videatur, excitetur leuiuſculus ſudor, qui tamen vires minime proſternat. Aquarum autem thermalium ſulphure conſtantium potus ad præcautionem potius, quam præſentem curationem, confert. Interea fiant etiam clyſteres ex decocto pulegij, origani, calament. chamæpit. ſaluiæ, hyſſop. ſeminum rutæ, anethi; florum ſtœchados, anthos & ſimilium. In cuius ℔ j. diſſolue olei laurini ℥ vj. Vel in ℔ j. vini rubri generoſi bulliat aniſi ℥ j. Coletur, addendo olei laurini ℥ ij. de terebint. (quod hic maximè prodeſſe experientiâ compertum eſt) ℥ ß. Fiat clyſter, qui diu retineatur. In eiſdem diſſolue parum caſtorei, aſſæ fœtidæ, necnon, in peruicaciſſimo affectu, euphorbij ϑ ß. Sunt qui decoquunt allia & per ſedem infundunt. Alij ex ſolo nucum oleo parant enemata vtiliſſima. Denique plures clyſterum formulæ circumferuntur, quibus colicæ iſtæ affectiones ſedantur. Ego certè in violento affectu malim diſſoluere narcotica in eiuſmodi clyſteribus, quam per os exhibere: potiſſimum vero opij ϑ j. cum ϑ ß. caſtorei, & aliquot granis croci: vbi non parum commodi & citæ epicraſeos iuuamentum ſæpius expertus ſum. Alij Philonium aut theriacam recentem ad ʒ iij. adhibent, quod non improbo.

Exterius vero ea omnia applicentur, quæ diſcutere, attenuare & partium poros aperire poſſunt. Cucurbitulæ maiores cum multâ flammâ ventri admotæ poſt purgationem incantamenti inſtar flatus abſorbere creduntur, & dolorem ſedare. Si robur conſtet, balneum aut ſemicupium, ex vino & decocto herbarum prædictarum paratum, valde proderit, ſi parum in eo morentur, & abſque vllâ virium noxâ. Aliàs vero fiat fotus cum philtris aut ſpongia ex eodem decocto, aut fomentum ſiccum ex ſemin. lauri, aniſi, fænicul. & ſimilibus torrefactis leuiter in ſartagine, & vino rubro conſperſis. Sunt qui parietariam frigunt cum oleo rutaceo, & inſtar placentularum admouent vmbilico aut regioni magis dolenti, vel vaſculum calentibus cineribus & vino aſperſis plenum. Quidam omentum bouis aut veruecis recenter extractum admouent ventri, vel calfaciunt cum oleo anethino. Eadem ratione illinantur olea, vnguenta, & emplaſtra applicentur, vt de

baccis

baccis lauri, de meliloto, & ſimilia, quæ vulgo ſatis notâ exiſtunt. Sunt qui in diuturnioribus coli doloribus phœnigmos & veſicatoria non infelici ſucceſſu, medio ventri adhibent. Neque etiam negligenda ſunt ea, quæ tum antiqui, tum recentiores ſcripſerunt ad colicos affectus ex proprietate valere: inter quæ ſtercus lupinum principatum obtinere videtur apud Gal. *lib. de ſimpl. facult.* potum cum pauco vino albo, tam interualli quam doloris tempore, & geſtatum amuleti inſtar, appenſum abdomini ex pelle ceruinâ, aut filo ex ouis cuiuſdam à lupo laniatæ lanâ confecto: eodem modo dicitur conferre lupi inteſtinum ſiccatum: necnon cingulum ex lupi pelle. Laudant quoque mentham viridem in juſculis decoctam & appenſam. Apud Plinium Secundum *lib.* 2. *cap* 30. puluis cochlearum combuſtarum cum vino potus: Apud Trallianum ſtercus caprillum eodem modo ſumptum commendatur. Quidam vaſa vmbilicalia infantis recenter nati auro vel argento includunt. paulo prius ſale condita, & geſtant alligata circa locum doloris. Sunt qui commendant anguillæ ſanguinem, corallum, cornu ceruinum, erinacei pellem, interiorem nucis corticem qui nucleis interponitur, nucleos perſicorum, ſtercus gallinarum, columbarum, coagulum leporis, oſſa meſpilorum, lumbricos terreſtres & iecur caprillum. Ego certè Villanouani ſecretum expertus ſum non infelici ſucceſſu, puluerem nempe cicadarum combuſtarum in ollâ nouâ ad ℈ ß. cum aquâ menthæ exhibitum. Hodie circumferri ſolet lapis colicus, qui educitur ex capite piſcis illius quem Sciænam aut Vmbram vocant, vulgò *Daing* ou *la maigre*: húncque exiſtimat vulgus magis prodeſſe, ſi dono accipiatur, quam ſi emptione aut alio modo comparetur. Reliqua propemodum infinita, & nobis inexperta relinquimus, vt huic tandem capiti finem imponamus.

CAPVT II.

De lumbricis.

NATVRA omnium rerum conditrix, vt hominem totius orbis compendium & verè μικρόκοσμον redderet; præter communem corporis animique compagem, varias omnigenarum quaſi rerum imagines in ſteatomatis, & atheromatis ac ſimilibus præter naturam tumoribus, velut fodinis quibuſdam, repoſuit: in renibus & pleriſque aliis partibus lapides: in articulis tophos: & quod magis eſt admirabile, animantia quædam in corpore noſtro, deque ipſius ſubſtantiâ ſuſcitauit, vt pediculorum multiplex genus, lumbricorumque varias ſpecies, quorum tractatio eſt nobis impræſentiarum propoſita.

Vermes igitur ſeu lumbrici ita dicti ſunt à ſimilitudine quam cum externis illis habent, qui in terræ potiſſimum viſceribus naſcuntur, agente vniuerſali causâ, & ſpiritum illum viuificum in diſpoſitam materiam diuerſiſque modis conformatam infundente, vnde varia illa animantium genera, quæ ex putredine per æquiuocam generationem fieri ſolent, excitantur. Græci ἕλμινθας, ἑλμιγγας καὶ ἑλμίνθια vocarunt. Item θηρία & theridia, quaſi dicas feras & nocentes beſtiolas cum Aureliano: aut tineas cum Sereno: apud Plinium interaneorum animalia. Quamuis autem eiuſmodi animalcula non ſolum in hominum corporibus, ſed & aliorum animantium generentur, nobis tamen de eis quæ in hominibus reperiuntur, quatenus potiſſimum variorum ſunt ſymptomatum & morborum cauſæ, propoſitum eſt agere, & eorum curationem ſiue ſublationem artificioſam tradere, ſumpto ab ipſâ definitione exordio.

Sunt igitur lumbrici variæ animalculorum ſpecies, in noſtris potiſſimum inteſtinis, ex pituitoſi & excrementitij ſucci putredine geniti, qui varias actiones lædere ſolent. Ex qua definitione cognoſcitur proprium genus, eſſentia, differentiæ, locus & omnes lumbricorum cauſæ effectúſque: vnde ſigna tam diagnoſtica, quam prognoſtica exurgunt. Quod nobis paulo fuſius eſt declarandum.

Primum itaque quod ad eſſentiam ſpectat, certum eſt lumbricos inter ſenſitiua animantia reponi debere, cum & ſenſu tactus, guſtúſque, necnon progreſſione donati

donati ſint : nam & res ſibi gratas ſuſcipiunt, ingratas refugiunt, ſuperiores inferioreſque corporis noſtri partes perreptant, lancinant, & pungunt, non quidem morſu aut dentibus, vt vulgus exiſtimat, quibus carere certiſſimum eſt; ſed vel acutiore illo roſtro, vel aculeo partes internas valde ſenſibiles impetendo, quas etiam nonnumquam perforaſſe, experientiâ eſt compertum; vel humores excrementitios, quibus commixti ſunt, agitando. Dicuntur autem lumbrici variæ animalculorum ſpecies, vt præcipuæ eorum differentiæ ſignificentur. Nam apud Hippocratem frequens fit mentio ἑλμίνθων στρογγύλων, κυρίων & ἀσκαρίδων, quaſi diuerſarum ſpecierum, rotundorum ſcilicet, latorum, & aſcaridum ſiue minutorum, quem deinceps fere omnes Medici ſunt ſequuti : Rotundos enim ſiue teretes à figurâ vocant eos, qui omnium notiſſimi & frequentiſſimi ſunt, & in ſuperioribus potiſſimum inteſtinorum partibus generantur, vomituque ac deiectione ſæpius reiiciuntur. Aſcaridas vero ſeu minutulos vocant (tipulas vertit Hermolaus) ἀπὸ τῦ ἀσκαρίζειν, vermiculos illos in extremitate ani & craſſioris inteſtini gigni ſolitos, eis qui in putri caſeo, & iumentis frequentiſſimè exoriri ſolent, ſimillimos, quod perpetuò moueantur, & partem illam vellicent. Denique latos, faſcias, inſtitas, potamias, πλατέας ἢ ταινίας appellant, rarum magis lumbricorum genus, quod longitudine & craſſitie valde alios ſuperat, vtpote quod totam aliquando inteſtinorum ſuperficiem occupans ad tricenos vſque pedes extendi viſum eſt. Ita vt Paulus & Aëtius ex eo putarint hunc vermem fieri ex totâ interiore tunicâ inteſtinorum putrefactâ, & in animalis illius formam conuersâ : cum tamen credibilius ſit, fieri ex muco illo qui toti inteſtinorum ſuperficiei oblinitur: quandoquidem illa tunica ſicci admodum & frigidi temperamenti non ſatis idonea videtur ad putrefactionem & materiam futuri animantis : adde quod illâ putrefactâ & abrasâ neceſſe eſſet hominem immenſos cruciatus, atque etiam mortem incurrere, cum tamen vermis ille latus ſæpè conglobatus abſque vllo ægri incommodo, fuerit excretus. Vnde Hippocrates 4. *de morbis* ὀνεῖον περὶ ἐντέρων ξύσμα λευκὸν, veluti albam inteſtinorum abraſionem appellat, indicans mucum eſſe illum, non inteſtinorum tunicam. Sunt qui his tribus addant quartum genus, cucurbitinorum ſcilicet, quos ex ſuperioribus craſſis potiſſimum inteſtinis deturbari exiſtimant, ſeminibus cucurbitæ perſimiles. Verum hi lumbrici non tam quartum genus diuerſum conſtituunt ab aliis, quam latorum vermium ſunt notæ, vt refert Ariſtoteles *libro* 5. *de hiſt. animal. cap.* 19. ex Hippocrate 4. *de morbis*, qui eiuſmodi cucurbitinos vermes eſſe veluti fœtus & abraſiones ipſius lumbrici latioris ſcripſit, ſæpiuſque anulſos excerni vitâ prædictos, vt ſolet in eiuſmodi inſectorum partibus. Idem tradidit Paulus & Aëtius. Verum alij malunt totum illum latum vermem nihil aliud eſſe, quam affixas inteſtinis viſcoſitates, vt loquitur Auicennas; in quarum ſpatiis cucurbitini generantur : ita vt latus ille vermis nihil aliud ſit reuera, quam eiuſmodi animalculorum ſeries ſeſe conſequentium, & pituitâ illâ ſeu muco couolutorum. Atque hæ ſunt quoad ſpeciem vſitatiores in inteſtinis genitorum vermium differentiæ : cum aliæ multæ accidentales exoriri poſſint, vt à coloribus quidam albi magis, alij cineritij, flaui, aut rubri. A quantitate alij magni aut parui in ſua ſpecie dicuntur : vnde apud Hippocr. referente Galeno *lib.* περὶ γλωσσῶν, quidam aſcarides dicuntur μακρὰι, quaſi dicas longos aut magnos, factâ ſcilicet cum eiuſdem ſpeciei, non alterius lumbricis comparatione. A loco denique ſumuntur iſtorum vermium differentiæ iam à nobis commemoratæ, dum rotundos in ſuperioribus magis inteſtinis generari diximus, latos in inferioribus & craſſis; aſcaridas autem in extremitate potiſſimum ani ſeu recti inteſtini.

Addidimus ergo non fruſtra, *in inteſtinis geniti*; quoniam vermes non ſolùm in hoc loco, ſed pleriſque aliis hominum partibus exoriri poſſunt, vtpote aliquando in auribus, dentibus, cerebro, naribus, pulmonibus, vtero, veſica, renibus, necnon quibuſuis ſordidis vlceribus & fiſtulis neglectis, quos σκώληκας potius quam ἕλμινθας Græci vocant, Dioſcor. *lib.* 3. *cap. de calam.* Plinius *lib.* 11. *cap.* 37. (capræ ex muconarium frequenter vermes patiũtur in oſſe ethmoide, oues etiam & cerui, vt eſt apud Ariſtotelem 2. *de hiſt. cap.* 15.) Eſt etiam notabilis dracunculorum illorum hiſtoria, à Paulo *lib.* 4. *cap.* 59. deſcripta, qui in muſculoſis partibus Indorum, vt brachiis, lateribus, cruribus & ſuris ſubſiſtunt. Quia verò reliquorum curationem ex profeſſo non habemus hic propoſitam, ideo inteſtinorum lumbricos potiſſimum expreſſimus. Supereſt tamen, ad particulæ iſtius declarationem, adhuc videndum, an qui in ventre inferiore continentur lumbrici, in inteſtinis tantum gignantur, an etiam in ventri-

culo.

culo. Ridiculum enim eſt, quod Sauanarola & alij quidam cucurbitinos exiſtimant in ventriculo gigni, quia ventriculus cucurbitæ figuram repræſentat: non enim illi vermes toti cucurbitæ ſunt ſimiles, ſed ſeminibus tantum. Petrus Aponenſis Conciliator dictus, necnon Theodor. Priſcian. antiquus Medicus, videntur exiſtimaſſe non ſolum in inteſtinis, ſed etiã in ventriculo generari, propterea quod in hoc, non minus quam illis continetur materialis cauſa, nempe mucus lentáq; pituita, adeſt calor ad coquendam & diſponendam illam materiam, idémq; finis: quare & effectus aderit, vt ſæpe videre eſt vermes in ventriculo contentos magna ibi ſymptomata inuehere, indeq; ſurſum per os aut nares erumpere. Adde quod deteriora multo gignantur in ventriculo, vt bilis porracea, teſte Galeno, abſceſſus, phlegmones & ſimilia. Verum ipſe Ariſt. 4. *meteor. c.* 3. expreſſis verbis huic repugnat ſententiæ, dicens. Animal illud non fit in ipsâ coctione, veluti quidam aiunt: ſed in ſecretione putrefactâ in ventre inferiori, quamuis deinde ſurſum aſcendat. Ariſtot. ſequutus eſt Gal. *comm. in Aphor. 26. ſect. 3. & lib. 1. de loc. aff. c.* 5. & pleriq; Medicorum: propterea quod, vt aiunt, in ventriculo hominis, adhuc ſanitate fruentis, tali materiæ deeſt mora, nec videtur tanta ibi contingere poſſe, & tam diuturna putredo, vt inde lũbrici generentur: cum enim ventriculus exquiſitiſſimi ſit ſenſus, & ſurſum deorſúmq; facile ſeſe exoneret; non eſt credibile, quin natura per aliquem ductum infeſtã hanc materiam prius excludat, quam eiuſmodi animalcula excitari poſſint. Dicamus igitur, lumbricorũ materiam quidem in ventriculo aliquando produci, ſed ibi non perfici illorum generationem exiſtimamus, niſi admodum raro: cum ventriculus coctioni, ipſa inteſtina retinendis excrementis pituitoſis vnde ſuſcitantur lumbrici, propriè dicata ſint.

Iam igitur ad eorum cauſas accedamus, tam propinquas quam remotas. Quod ad formalem attinet, ea iam à nobis eſt expreſſa, dum diximus lumbricos eſſe animãtia ſenſu guſtus tactúſque, necnon motu prædita, ad inſectorum genus referenda, quæ illis ſunt cum lumbricorum generibus communia, qui in reliquorũ animantium corporibus aut terræ viſceribus producuntur, ſub inſectorũ naturâ poſiti. Propter quid in hominũ corporibus gignantur, non eſt facile aſſerere. Sunt qui exiſtimẽt ad vniuerſi cõplementum ſeu ornamentũ produci: alij ad abſumenda ea excrementa quæ in corporibus noſtris ſuccreſcũt. Quæ etſi fortaſſis reſpectu vniuerſi admitti poſſint, cum lumbrici omnino præter naturã & indiuidui conſeruationẽ ſint in corporibus noſtris; credibilius eſt nõ propter certum finẽ, aut animantis vtilitatẽ, ſed ex neceſſitate materiæ, vt & reliquas morborũ cauſas, præter naturæ particularis inſtitutum ſuſcitari, vtpote ex pituitâ illâ craſsâ & lentâ, quæ affixa inteſtinis, & ibi collecta, ex vitio alimentorũ vel debilitate coctricis facultatis aut expultricis, quæ materiã eiuſmodi expellere per vias conuenientes & apertas non potuit, inductâ in eam putredine, dat principium eiuſmodi animalibus corpori noſtro infeſtiſſimis, & vtilem ſæpius quam inutilem materiam abſumentibus, cæteraq; ſymptomata inuehẽtibus, de quibus poſtea agemus, vbi eorũm cauſam materialem ex quâ, & efficientem inquiſiuerimus: quia iam de cauſâ materiali in quâ, nempe loco generationis, egimus.

Quod ad materialẽ ergo cauſã ſpectat, ſupra oſtenſũ eſt non fieri ex ſolidâ ſubſtãtiâ inteſtinorũ. At Ariſt. *loc. cit. & lib. 5. de gen. anim.* lũbricos ab excremẽtis in corpore noſtro fieri generaliter pronunciauit: Hipp. ſeu author libri 4. de morbis, ex ſtercore velut materia generari ſcripſit: Gal. 3. *Aphor.* 26. ex humoribus crudis: Paulus autẽ & Alexand. ex corruptis cibis. Oribaſius vero *comm. in Aphor.* 30 *ſect.* 3. voluit ex omnib. naſci humoribus excremẽtitiis: Aſcarides enim ex nigro ſeu melãcholico; ex bilioſo teretes; latos ex pituitoſo fieri oſtẽdit. Propterea quod aſcarides in recto inteſtino oriũtur, vbi venæ hęmorrhoidales terminãtur, ac proinde ſuccus ibi redũdat melancholicus, qui propter ſiccitatẽ in longũ protendi non poteſt, ſed minutulis eiuſmodi vermibus producẽdis ſufficit: Teretes verò, qui fiunt in inteſtinis ſuperioribus, in quę per meatũ cholidochũ affluens bilis, ibíq; putreſcens eiuſmodi lũbricos ſuſcitat: Lati denique in craſſis exoriũtur, vbi magna pituitę & muci copia ſtabulatur. Alij autem exiſtimãt, lũbricos omnes ex quouis humore corrupto, tã alimẽtario, quã excrementitio produci, sãguine, pituitâ, bile & melãcholiâ, ex coloris varietate quæ in illis apparet, ducti, cũ alij ad rubedinẽ, alij ad flauitiẽ vergãt magis, alij liueſcãt, aut omnino albeſcãt. Verũ ſi quis rem iſtã accuratius ſpectet, videbit neq; à quibuſlibet excremẽtis, neq; ex ſtercore ſimpliciter lũbricos excitari poſſe. Cum enim horũ animantium generatio non quãuis corruptelã ſubſequatur, ſed certã & determinatã: ideo neq; ex ſtercore ipſo fient, cum ex partibus ſiccioribus & omni vitali humiditate exhauſtis cõſtet. Niſi fortaſſe velis ſententiam Hippocr. explicare de ſtercore pituitę permixto, quod nos nõ negabimus. Neq; ex ſanguinis putrefactione, quoniã ſanguis putrefactus, ſi concoquatur, in pus, materiam ſcilicet mediam, abire ſolet: ſin vero omnino

corrumpatur, in bilioſum ſuccum tenuiore parte, in melancholicum craſſiore ſui portione faceſſit. Non igitur in propriis ſanguinis conceptaculis eo putrente fiunt eiuſmodi animalcula: quis enim vnquam in venis lumbricos reperit? non extra vaſa effuſo; quia tunc inflammationem parit, aut in grumos conuertitur, qui malignam putredinem & ab animalis cuiuſuis generatione alienam concipiunt. Non fieri etiam ex melancholico aut bilioſo ſucco ſolis & ſinceris id demonſtrat: quod ille frigidus & ſiccus contrarius eſt principiis vitæ omnium animantium, quæ in calore & humiditate poſita ſunt: ſic autem exuſtus & amarus nimium, eiuſmodi animalcula interficiet potius quam generabit. Supereſt igitur, vt ex muco fiant vel pituitâ, quam intellexiſſe videtur Galenus per humores crudos: Paulúſque & Alexander per corruptos cibos velut remotam materiam. Cum enim pituita duplex ſit, perfecta ſcilicet & alibilis, quæ in iecore cum aliis humoribus confecta maſſæ ſanguinariæ permiſcetur: alia vero imperfecta & excrementitia, quæ vulgo humor crudus vocatur, fitque in quacumque coctione, potiſſimum verò primâ, ob vitium alimentorum, vel defectum caloris natiui. Prima illa pituita non eſt vera materia horum animantium, quæ nunquam in venis reperta ſunt; ſed ſecunda potius quæ in inteſtinis magnâ copiâ contineri ſolet. Rurſus quamuis hæc pituita ſit communis lumbricorum materia, quidam tamen putant teretes naſci ex pituita minus calidâ, ſatiſque humidâ: latos & cucurbitinos ex mucilaginosâ & lentâ admodum: aſcarides verò ex eadem, ſed acetosâ, vel, vt alij volunt, acriori & ſiccâ, quæ minus extendatur in longum. Nos tamen non negamus huic excremẽtitiæ pituitæ aliquando immixtã eſſe portiunculam quandam reliquorum humorum, vnde varietas coloris procedere poteſt: aut certè illa contingit ex diuerſitate chyli, ex quo deinceps aluntur lũbrici.

Quid verò ſit quod materiam hanc verſat & agitat, vt ex eâ eiuſmodi animantia procreentur, non paruis caret dubitationibus. Quidã exiſtimant efficientẽ cauſam eſſe vniuerſalẽ illum totius mundi calorẽ, qui putredinis omnis & æquiuocæ generationis eſt author: quandoquidẽ veriſimile eſt lumbricos eadem proportione rationéq; gigni cum aliis animãtibus, quæ non ex ſemine, ſed ex putreſcente materiâ ortum habent extra animantium corpora. Alij verò putant à calore noſtro natiuo, qui numquã deſes & otioſus in nobis exiſtit, materiã hanc agitari, diſponiq; vt animantis formã adipiſcatur, poſtquam eam omnino vincere aut expellere non potuit; inituntúrq; authoritate Ariſtotelis, qui 3. *de hiſt. anim. cap.* 11. ait, *nihil putreſcens, ſed concoctum gignitur.* Sed magis veriſimile videtur vtramq; hic cauſam concurrere. Cum enim dixerimus animantia hæc ex putrente materia ſuſcitari: in putredine autẽ hac modicâ ſit alteratio ſeu imminutio caloris natiui ab alieno, qualis eſt ambiennis, cõtingit vt inductâ leuiore in crudũ hunc ſuccum putredine vi extranei caloris, internus ille calor partium, non humoris ipſius putrentis (idem enim in ſeipſum quomodo ageret?) verſet, coquat, ſeparet partes vtiles ab inutilibus, & ſic præparet ad ſuſcipiendã vitam ab vniuerſali illâ & omniũ formarũ procreatrice causâ. Diximus autẽ leuẽ ſeu modicã putredinem, quoniam in putredine illâ perfectâ quæ eſt corruptio, φθορὰ totius mixti, impoſſibile eſt animantia produci, vt patet in gangrænâ affectis & aliis grauiter putrentibus partibus. Adde quod leuiorem oporteat eſſe hanc putredinem, tum quod nulla vt plurimũ febris eam in corporibus noſtris ſubſequatur, tum quia oportet ſegregationẽ fieri partium vtiliũ ab inutilibus, vt ex vtilibus illis fiat tãdem illud quod vitâ præditum eſt. Perfecta vero putredo ad perpetuã mixti diſſolutionẽ & quaſi incinerationem tendit: ita vt lumbrici non tam ex ipſis putrẽtibus humoris partibus ſuſcitentur, quã ex illis vtilioribus & ſuperſtitibus, quæ per accidẽs vi putredinis ſeparãtur & quaſi animã ſpiritúſq; ſuſcipiunt. Vnde magis probatur mihi Ariſtotelis ſententia, quã eius qui librum 4. de morbis conſcripſit, *lib.* 3. *& 5. de hiſt. anim. ſcilicet vermes nuſquam parere, ſed perpetuò ab æquinoctiali generatione pendere.* Nunquã enim in diſſectorũ vermium ventre inuenti ſunt alij, aut ſexus diſtinctio apparuit, ſed ex illis abruptis potiſſimum lato exoriuntur portiunculæ, non fœtus, ſeminibus cucurbitæ ſimiles, vt ſuprà fuit annotatum. Atque hæc de proximis lumbricorum cauſis, nunc remotas, antecedentes ſcilicet & externas perquiramus.

Quæcunque igitur externa vel interna materiam illam crudam & lentam multiplicare, fouere, & ad putredinẽ diſponere parata erunt; eadem inter cauſas lumbricorum remotas ſiue concauſas erunt referenda, tam ex parte rerũ naturalium, non naturalium, quam præter naturam. Hinc temperamenta humida, puituioſa aut quomodocunque putredini aut cruditatibus obnoxia. Item muliebris ſexus, ob copioſam humiditatem, quâ ſcatere ſolent mulieres, & propter otioſam vitam. Ætas puerilis à dentitionis tempore vſque ad pubertatem, ob humoris copiam, voraciorémque naturam, & caloris in humido vim, qui in infantibus recens ab vte-

ro

ro ortis adhuc nondum eluceſcit. Senilis etiam ætas ob vitiatas coctiones ſæpius lumbricos incurrere ſolet. At verò potentiſſima cauſa ad materiam lumbricorum ſuſcitandam repetenda ex alimentorum ſeu victus ratione deprauatâ, in quocunque temperamento vel ætate: quicunque enim gulæ obnoxij plurimis ſeſe cibis ingurgitant, mixtionibúſque varij generis ciborum palatum irritant, illi magnam lumbricorum copiam colligere ſolent. Vnde pulmentorum, lactis frequentior vſus cum aliis cibis permixti, carnium in puerulis qui eas adhuc conficere non poſſunt, caſei, leguminum, caſtanearum, piſcium, fructuum horæorum, olerúmque huic rei valde eſt idoneus. Accedente potiſſimum deſidia, longiore ſomno, animi torpore, balneorum aut veneris intempeſtiuo vſu, alui ſuppreſſione, vt dicebamus, vel nimio fluxu. Inter alimenta igitur conſtat, humidiora, inſipida, dyſpepta, viſcida, putredini obnoxia, crudáque, maximè huius affectus cauſam multiplicare. An verò etiam dulcia ſub hunc numerum ſint recenſenda, dubitatur. Cum enim dulcia temperata ſint, naturæque noſtræ valde amica, atque generando ſanguini laudatiſque humoribus aut ſaltem bilioſo amaróque per vlteriorem coctionem aptiſſima, potius quam pituitæ aut crudiori ſucco: non videntur conducere generationi lumbricorum; quamuis eos iam genitos commouere ſuauitate ſua & ad ventriculum allicere ſoleant. Fit tamen ſæpius, vt ex dulcibus, tum quæ ſua ſponte & naturâ, tum coquorum artificio talia ſunt, crudus ſuccus & materia lumbricorum excitetur: Primò, quoniam nimiâ copiâ propter gratum illum ſaporem ingeruntur: Secundò, quia ob eandem cauſam attrahuntur à partibus citius quam par ſit, hincque dicuntur hepar obſtruere, pulmones verò infarctu liberare: quoniam hepar minutioribus venis à portâ præditum, dum rapaciter hæc dulcia attrahit, illas opplent: pulmones vero latioribus donati & ſenſim illa ſuſcipientes, adhærentem hoc modo illis ſuccum extergunt. Præter alimenta aëris etiam vis non parua ad lumbricos excitandos, vtpote per quem cauſæ illius vniuerſalis ἐπιγενοῦς communicatur. Tempeſtas enim auſtrina, humidiórque, imbrium copia, anni occaſus, vt loquitur Hippoc. 6. *epid.* & 2. *ſect.* 1. *initio*; ſiue autumnus, tum ob fructuum copiam, tum ob inæqualitatem illam quâ variis modis calorem noſtrum natiuum infringit, vnde illud, τὸ θηριώδεις φθινόπωρον. Secundo verna conſtitutio, ob humores præcedenti tempore collectos, fuſóſque adueniente calore, ac putredinem concipientes. Eadem ratione regio ſeu mundi plaga his reſpondens, de quarum diuerſitate mira narrant Theophraſtus *lib.* 9. *de hiſtor. plantar. cap.* 22. Plinius *lib.* 27. *cap.* 13. Ariſtoteles *lib. de hiſtor. animal.* 8. *cap.* 28. Conſtitutio etiam peſtilens non parum ad productionem lumbricorum poteſt, excitatâ nimirum in nobis humorum corruptelâ & eneruato calore natiuo. Sunt etiam qui velint lunâ deficiente magis generari exaſperaríque lumbricos, & circa veſperam ſeu ſolis occaſum: quando ſcilicet calor noſter eſt infirmior, & pituitæ motus exuperat.

Adde his omnibus res præter naturam ſeu morboſos affectus, qui humorem, illum augere poſſunt, aut efficientem cauſam ſuſcitare: vt ventriculi δυσπεψίας & ἀπεψίας, βουλιμίας, leienterias, diarrhœas, obſtructiones, febres quotidianas, & alias quæ ideo verminoſæ dicuntur, quod non tam ad eos ſequantur, quam illis generationis principia & fomites præſtent, quibus ita conſtitutis: iam ad ſigna tum diagnoſtica, tum prognoſtica veniamus.

Lumbricos itaque rem eſſe præter naturam in nobis, cum à cauſis male conſtitutis progignantur, noxámque corporibus noſtris multiplicem inferant, ſuperius fuit à nobis demõſtratum. An verò inter cauſas morbificas, morbos ipſos, aut ſymptomata referendi ſint, dubium fortaſſis alicui eſſe poterit, cum horum omnium naturam participare videãtur. Quatenus enim ſubſtantiæ quædam ſunt animatæ, non autem veris partibus affixæ, ad cauſas morbificas pertinere videbuntur: quatenus autem partium corporis noſtri numerum præter naturam augent, ad morbos: denique ad ſymptomata, excreta potiſſimum, quoniam ſæpe excluſi ſoli, aut cum fæcibus permixti, indicia ſunt eorum quæ intus latent. Verum ego exiſtimo lumbricos potiſſimum inter cauſas morbificas recenſendos, hoc præſertim nomine, quod non ſemper, nec immediatè actiones lædunt, ſed tunc ſolum quando aliam excitarunt conſtitutionem. Quandiu enim, verbi gratia, in coli aut aliorum inteſtinorum capacitatibus quieti continentur, nullam ſenſibiliter operationem impediunt, quod tamen illis accideret, ſi verè morbi eſſent; ſed quando vel obſtructionem, morſum, tenſionem aut ſimilia inferunt. Morbi tamen in numero, ex doctrinâ

Galeni, dici poſſunt, qui cauſas morbificas continentes morborum nominibus expreſſit. Symptoma autem tunc erunt, non quando morbum proximè parient, ſed quando ſubſequentur, aut vi naturæ vel artis compulſi extrudentur. Quidquid ſit, agnoſcendi vermes intus latitantes & abigendi. Signa itaque illorum proponenda ante curationem.

Signorum verò fontes, cum repetantur ex eis, quæ connexionem habere poſſunt cum re ſignificatâ, vt cauſis, effectibus propriis & eis quæ ab eadem causâ fiunt. Ideò lumbricorum multiplicia erunt ſigna, tam communia quam particularia. Quæcumque igitur à nobis dicta ſunt de cauſis, tam propinquis quam remotis, naturalibus, non naturalibus, & præter naturam lumbricos generantibus, fouentibus, conſeruantibus, ea omnia ſi præceſſerint aut præſentia ſint, vt ex illarum ſtatu & ægri aut adſtantium confeſſione cognoſcere erit facile, adeſſe in corpore lumbricos, non infirmis ſuadebunt indiciis. Ab effectibus autem propriis ſeu ſymptomatis maior erit adhuc & certior coniectura: ſicut actionibus læſis, qualitatibus mutatis, & excretis. Nam cum eiuſmodi animalcula, non vni ſemper parti affixa, ſed vario motu prædita, nunc illam partem impetant, humoréſque excrementitios exagitent: fit vt varias actiones lædant, tum primariò, tum ſecundariò: vnde ſigna tam vniuoca quam æquiuoca exurgunt, ex quorum tamen ſyndrome licebit latitantes intus lumbricos deprehendere. Sic quod ad actiones vitales ſpectat, ob tetros vapores, quos emittere ſolent lumbrici, vel corrupti, vel ob fœtidorum excrementorum agitationem, cor violenter feriunt: ita vt ſyncopes, lipothymias, palpitationes, & pulſuum vagam & mutabilem inæqualitatem ſæpius inferant, reſpirationémque nonnunquam ita lædant, vt pleuritidos ideam repræſentent, ac peritis quibuſdam Medicis imponant. Adde febrem vulgo verminoſam dictam; quam non raro excitant commotâ putredine, & incenſo calore. Quod ad animales vero actiones ſpectat, eiuſmodi animalcula eas omnes fere peruertere ſolent: ob iam commemoratos enim vapores, morſúſque & lancinationes fiunt in pleriſque deliria, epilepſiæ, lethargi, conuulſorij motus, frequentiſſimè verò oculorum obtenebrationes & rubores, ſtridores dentium, maſticationes inter dormiendum & quaſi deglutitiones, itavt pueruli papillam fugere videantur; clamores repentini, narium pruritus & perfricationes, δυσφορίαι & ἐκτάσεις inordinati. Porro quod ad naturales actiones ſpectat: in iis certè eluceſcit imprimis lumbricorum iſtorum pernicies, nam omnigenos hîc affectus producere ſolent, cardialgias, anorexias, & tanta cibi faſtidia, vt ſæpe cogantur matres vi alimenta puerulis ingerere; βουλιμίας aliquando & inexhauſtam famem ſitimque, quæ potiſſimum contingit à lato illo lumbrico, vt docet Hippocrates: vnde macies & totius corporis ἀτροφία, dum eiuſmodi animantia confectum chylum abſumunt vel corrumpunt; apepſias, ſingultus, vomitus, colicum & iliacum dolorem, diarrhœas, tineſmos & ſimilia. Quod ſi ab excretis mutatis velis lumbricorum ſigna perſcrutari, adeſt vt plurimùm alui fluxus, humoris crudi albidioris aut cineritij. (Vulgus vbi videt hunc fluxum, putat vermes colliquatos exire:) vrinas reddunt albas, ſpumoſas & perturbatas: ſudores patiuntur fœtidos, frigidóſque, ſaliuam ex ore fundunt: maléque olentem ſpiritum exhalant, potiſſimum vero (vt vulgus vocat) acidum. Sæpius etiam foras prorumpentes vermes per os, nares, aut anum, nunc conglobati, aliàs connexi, aut ſingulares: cum fæcibus aut pituitâ permixti vel ſinceri variiſque coloribus præditi: modò integri, aliàs rupti per partes, viui aut mortui, pleni aut inanes, reliquorum qui intus latitant ſunt notæ. Quas adhuc confirmabunt qualitates illæ mutatæ, quæ verminoſos ſequi ſolent, vt color pallidus, & quaſi tumens faciei, oculorum rubor, labiorum humiditas, extremorum frigus, non tamen permanens, ſed mutabile, ventris tumor, & quaſi palpitatio cum σφοῖς ſiue punctionibus.

Vt hæc omnia ſigna omnes lumbricorum ſpecies aliquando denotare ſolent: ita etiam ex quibuſdam illæ inter ſe diſtinguuntur: vtpote faciei rubor pallorque ſibi ſuccedentes, tuſſicula inanis, & inappetentia, teretes magis ſequi ſolet quam alios: βουλιμία autem & macies latos, quia valde abſumunt chyloſam materiam. Aſcarides vero peculiariter ingentem podicis morſum ac ſæpe tineſmum concitant: vnde etiam maximus fœtor ab eorum egeſtione ſemper percipitur. Certiſſimè autem diſtinguuntur, quando inter excreta apparent; Lati enim lumbrici certum indicium ſtatuerunt Hippocrat. 4. *de morb.* Ariſtot. 5. *de hiſt. animal. cap.* 19. Galen. 1. *de loc. aff.* quando ſegmenta illa ſeminibus cucurbitæ ſimilia egeruntur: Rotundi

ſæpius

ſæpius ſponte exeunt, vt & aſcarides, qui per femora, & nates aliquando deerrare ſolent. Ex his igitur omnibus facile erit tum lumbricorum ſpecies inter ſe, tum ab aliis morbis diſcernere. Nunc ad prognoſim veniamus.

Duplex eſt autem lumbricorum prognoſis: vna quidem quatenus illi in morbis tam longis quam acutis portendere aliquid poſſunt: alia verò quæ ipſos lumbricos ſpectat, prout morbum per ſe conſtituunt. Ad illam itaque pertinet Aphor. apud Hippocratem *in Coacis, & lib. 2. prognoſt.* ἐπιτήδιον, inquit, ἢ ἕλμινθας σεσηγύλας ἐξιέναι μετὰ τῦ διαχωρήματος πρὸς τὴν κρίσιν ἰόσης τῆς νόσου, quem interpretati ſunt tam veteres quam neoterici. Apud Aurelianum variæ referuntur ſententiæ antiquorum circa excretionem lumbricorum in morborum principio, augmento, ſtatu, aut declinatione, viuorum aut mortuorum. Item Paulus & Aëtius hac de re varia ſenſerunt. Nos autem, vt rem illam breuiter tranſigamus, dicimus peſſimum eſſe in morborum principiis & augmento, ſiue viuos, ſiue mortuos excludi lumbricos: illud enim ſummam cruditatis vim deſignat, quæ multis vermibus procreandis & alendis ſuffecit: hoc autem putredinem ſiue malignitatem materiæ quæ illos interfecit: Morbo autem ad criſim properante, vel in declinatione poſito, nihil obeſt, imo potius confert exire cum reliquis excrementitiis humoribus lumbricos, tum viuos, tum mortuos, ex defectu materię crudæ quâ alebantur, & quia ſignificatur naturam res ſibi noxias ſalubriter expellere, illiſque dominari. Quod ad propriam autem lumbricorum prognoſim pertinet, repetenda erit ex eorum ſpecie, more, motu, & magnitudine, vt in aliis morbis ſolet.

Etenim vt ab eorum ſpecie ſeu differentiis incipiamus, quamuis omnes corpori noſtro infeſtiſſimi eſſe ſoleant: inter eos tamen teretes periculoſiſſimi ſunt & moleſtiſſimi, ob locum quem occupant, & motum quo cientur vario. Lati autem, diuturni & difficillimi curatu: ita vt ſæpè homini conſeneſcant, vt vult Hippocrates *4. de morbis*, & inducta macie ſenſim interimant. Aſcarides minus periculoſi, & curatu faciliores, pruritu tantum & fœtore moleſti, ob quem Arabs Alzarauius iudicauit eos qui aſcaridibus ſunt obnoxij, microbios & breuioris eſſe vitæ. Quod ſi mali moris, & motus violenti ſint lumbrici, vtpote cum ſæuâ putredine & peſtiferâ, malignique vaporibus: ſi per os, nares, vmbilicum, inguina, & ſimiles partes, potius quam per anum, ſcilicet perforatis inteſtinis exeant, vt aliquando viſum fuit; certè lethaliſſimos eſſe oportet. Ex magnitudine etiam propriâ, cauſarum, ſymptomatum; & nobilitate partis quam occupant, intenditur aut remittitur periculum quod inferre poſſunt: Sic magni beneque ſaginati peiores paruis & macilentis: multi cohærentes aut conglobati, paucis: flaui, liuidi aut ſanguinei, pilis horridi, criſtati, & variis figuris præditi, deteriores albis & læuibus: quia magis à naturali conſtitutione recedunt, & ferocioris humoris naturam participant. Quod ſi tunc temporis magna cruditatum, putredinis, aut caloris extranei copia in corpore percipiatur: quam præceſſerint aut ſequantur febris continua, veternoſa, conuulſorij motus, alui fluxus male olens, & grauiora ſymptomata iam à nobis commemorata, occupentque ventriculi orificiũ aut œſophagum potius quam inferiorem aluum; omnia periculo eſſe pleniſſima certum eſt (Gabucinus vult, quod ſi aqua frigida mane ſupra ventriculum proiiciatur, ibi ſtatim agitari vermes contentos, & ſic cognoſci.) Vt contrà, febris cæterorumque ſymptomatum abſentia ſecuritatem ſignificabit frequentiſſimam in hoc affectu, niſi per conſtitutiones peſtilentes, quas lumbricorum magna copia præſagire & ſubſequi frequenter conſueuit. Nunc igitur ad therapeiam tam vulgaris affectus accedamus.

Indicationes igitur therapeuticæ, vt in reliquis affectibus, exurgent ex naturâ ipſius morbi, cauſarum & ſymptomatum, quæ curationem, præſeruationem & mitigationem ſuadebunt. Etenim lumbrici, cum toto ſint genere præter naturam in nobis, non coctionem, alterationem aut ſimilia ex parte ſui indicabunt, ſed ſimplicem vacuationem, vt ſcilicet citò & tutò expellantur. Quoniam verò hoc ſæpè fieri non poteſt in viuis hiſce animantibus, neque vi naturæ, neque purgantium beneficio, quia tunc exaſperantur magis, pungunt & adhærent inteſtinis: ideo prius interficiendi, ſtupefaciendi aut fugandi verſus inferiorem aluum, vt ſic poſtea ſolius excretricis vel aſſumptorum catharticorum vi expellantur foras. Ad quæ præſtanda, quædam habentur remedia ad omnes lumbricorum ſpecies idonea: quædam huic vel illi magis accommodata, vt nos annotabimus. Ex parte verò cauſarum ſimplex præſeruatio proponitur, ſi lumbricorum tantum generationem prohibere conſilium ſit: ſin verò iam genitos eſſe pleroſque agnouerimus,

præseruatio curationi iuncta. Cum verò duplicem eorum proximam causam dixerimus esse, genitalem scilicet calorem, & materiam crudam siue pituitosam, prophylaxis in temperatione eiusmodi caloris, si extraneus valde existat, & potissimum materiæ illius sublatione, erit constituta, omnibusque aliis affectibus, quos huic originem dedisse suspicio erit, vt obstructionibus, imbecillitati ventriculi, sicciori aluo, & similibus diligenter prospiciendum.

Denique ex parte symptomatum, siue mera sint symptomata, seu symptomatici morbi, mitigatio aliquando indicatur, quando vehementiam & rationem causæ obtinuerint, vt dolor acerbus, delirium, conuulsiui motus, & similes: sed præcipuè duo hic sunt quæ curationem immutare possunt, & Medici animum ad se reuocare, nimirum febris aut alui fluxus lumbricis iunctus, quorum nos etiam medendi rationem non negligemus. Hæc autem omnia cum vulgatis illis tribus instrumentis perficiantur, diætâ nimirum, pharmaciâ, & chirurgiâ: ideo à victus ratione incipiendum, quæ potissimam præseruationis istius partem perficere solet: pòst, reliqua suo ordine proponemus.

Inter externas ergo causas alimenta potissimum vim obtinere solent ad cruditates istas & corruptelas suscitandas, quia non solum qualitatiuè, vt loquuntur, sed etiam materialiter ad humorum corporis nostri generationem concurrunt. Imprimis itaque omnia prohibenda, quæ dyspepta, & putredini obnoxia esse solent, iam inter causas à nobis commemorata, vt panis azymus, & malè fermentatus, caseus, legumina, pisces, bulbi, castaneæ, olera, lac aliis cibis permixtum, carnes in tenellis, dulciaria omnia, pinguia, insipida, viscosa, humida, & putredinosa, fructus fugaces, & similia, quorum vsus multiplicandæ eiusmodi materiæ, & putredini est valde idoneus, potissimum si copiosè, & voraciter, omni horâ & nullo ordine ingerantur. Instituatur autem diæta ex cibis boni succi, & facilis coctionis, vergens ad siccum & quodammodo calìdum, si febris absit. Aurelianus recensens regiones & populos, qui huic morbo magis aut minus sunt obnoxij; vult eos lumbricis carere qui δεμνοφαγίαν vtuntur; quasi dicat non tam ad aëris constitutionem referendum esse hunc morbum, quam ad alimentorum rationem. Vnde qui cibis acribus, salsis & similibus excellenti qualitate præditis vescuntur, (quos ille per δεμνοφαγίαν intellexit) vix hoc affectu tentari scripsit. Acetosis itaque frequenter vtendum, necnon salsis, aliquando acribus aut amaris, si non sinceris, saltem permixtis, ad aliorum ciborum condituram, vt aceto, omphacio, succo oxalidis, malorum granatorum, arantiorum, limonum & similium. Sunt qui sal conficiunt in prouectioribus verminosis, quo omnes cibos condiunt, ex tribus vel quatuor vnciis salis communis, cui permiscent seminis contra, corallinæ & rasuræ cornu cerui aliquot drachmas. Cappares, fœniculum marinum, oliuæ aceto aut muriâ conditæ vtiles erunt ad detergendum, incidendumque crudiorem illam ventriculi materiam. Item sinapi, piper, zinziber, mentha, apium, raphanus. Quod si dulcia aliquando concedantur, id tantum fiat ad placandos sæuientium lumbricorum morsus, vel sub illis dulcibus (in tenerioribus potissimum pueris, qui reliquos omnes fere sapores intensiores refugiunt) abscondantur ea quæ allectos vermes interficere possunt: hinc mulierculæ nostræ mel exhibent cum prædicto semine, caricas, pruna cocta, pomorum pulpam illo infarciunt, suisque infantibus vacuo ventriculo non sine fructu exhibent. Mirum autem de oleo & vino, & nullâ adhuc certâ ratione satis compertum, quomodo lumbricis adeo sint infesta, vt ex his tantum duobus, aut cum succo limonum, vel alio mixtis, & assumptis facillimè interficiantur: quod in externis etiam insectis omnibus & lumbricis experiri licet, quibus si vinum aut oleum affundatur, breui moriuntur. His igitur vti licebit in victus ratione. Obseruatum est etiam hydropotas magis obnoxios esse lumbricis quam vinipotores: fortassis quia vinum, dummodo non sit nouum, aut dulce, cruditates corrigit, & qui eo vtuntur minus sunt hydropotis voraces. Si vinum omnino refugiant, detur aqua, in quâ graminis radix bullierit, aut fragmenta cornu ceruini. Quando alui fluxus lumbricis fuerit coniunctus, acerbi & adstringentes, vt pyra & cotonea cocta, ex Paulo, cibi ad eam sistendam & roborandam concedi poterunt, primâ potissimum mensâ. Denique omnia ritè secundum iustam quantitatem, tempus & ordinem instituenda, vt nihil in hac parte erroris committatur: ne scilicet dum nimium nutrimus, augeatur materia lumbricorum: aut quãdo minus quam par est, sæuiant illi nimium, & interiores cruciatus inferant. Quod ad res alias non naturales spectat, non enim

sunt

by Google

ſunt negligendæ: nam experientiâ compertum eſt balneum, venerem, motum violentũ & ſimilia ſtatim à cibo lumbricos maximè generare. Deſidia etiam corporis aut animi nimia, à quâ cruditates multiplicantur, pathemata animi violenta dum coctiones peruertunt, illorum generationem iuuare poſſunt: vt etiam aluus nimium adſtricta, dum cohibet crudam intus materiam: aut valdè fluens, quia pepſim deprauat. Quinetiam aëris conſtitutio calidior aut humidior ad hoc confert, calorem putredinoſum intendendo, aut humorum qualitatem augendo. Ad hæc itaque omnia reſpiciet Medicus ſecundum cauſarum iſtarum & ægri conditionem. Nunc ad reliqua remedia accedamus.

Certum eſt autem in lumbricorum curâ: modo ipſos lumbricos magis vrgere, vt quando magnâ iam copiâ geniti infeſta illa ſymptomata generant: modo ipſam cauſam ſiue crudam materiam, quæ ad illos gignendos diſpoſita eſt. Quidquid ſit, hac communiter methodo procedere ſolemus. Vocati quacunque horâ ad eos qui vermibus tenentur: ſtatim vt vermes deturbentur à ſuperiore aluo quaſi ſtupefacti, aliquid per os exhibere ſolemus ad hoc idoneum, & regioni ventriculi aut vmbilici, prout ſitus ipſorum lumbricorum id ſuadebit, admouere ea quæ illos terrere & fugare poſſunt. Denique interpoſitâ horâ vnâ aut duabus per aluum infundere clyſterem, qui illos ſuâ dulcedine ineſcare, & ad inferiora allicere queat. Hoc aliquando ita ſuccedit, vt eadem die magnus lumbricorum numerus excernatur ſaluis ægri rebus: aliàs ſi intus ſtupefacti morentur aut fæuiant magis, denuò per os ἀλμυθόφυγα exhibemus, aut cathartico conuenienti expellimus, quo ſimul & cauſa, nempe crudus ille ſuccus vermeſque expurgantur. Communes formulæ tales ſunt.

℞ Syrup. de limon. & de abſint. ana ℥ ß. raſuræ cornu cerui & corallinæ, feminis contra, ana ℈ ß. aquæ portulacæ, graminis aut cardui benedicti ℥ ij. ß. Fiat potiuncula; ſi ſit natu minor, capiat ex cochleari: quod ſi ſponte nolit, cogendus immiſſo in os ligno, compreſſis naribus, vel inſtrumento illo quod Paulus ζωμήρυσιν appellat, aut cornu decenter concinnato, quo frequenter noſtri vtuntur. Si febris adſit, remoueantur ea quæ calidiora videbuntur: cum enim omnia acria, ſalſa, amara, acida, oleoſa, lumbricos fugare & interficere poſſint, præſente calore illo præter naturam, eligenda quæ minus eum augere poſſint, & tamen vermibus infeſta ſint. Adde quod violenta nimis & aſpera non tam ſunt idonea quam reliqua: propterea quod ventriculo ſunt valde infeſta, & vermes nimis irritare ſolent. Idcirco vt fallantur, & ſub ſpecie grati venenum ſumant, ſolemus illos ineſcare dulcibus, inſipidis, & ſimilibus permixtis. Mulieres noſtrates oleum pari portione miſcent cum ſucco limonum, & exhibent ad cochlearia duo vel tria: aliæ acetum, oxymel ſimplex aut ſcilliticum: quædam vinum optimum aut abſinthites propinant. Communis eſt vſus feminis illius ſantonici ſeu contra dicti, quod variè paratum, vt ſaccharo inſtar tragematis incruſtatum, melle, prunis, paſſulis, ficubus, aut ſimilibus coopertum exhibetur. Alij puluerem ſcordij & feminis vrticæ, ac braſſicæ mirè laudant: alij aloëm aut puluerem hieræ, ſyrupum de floribus perſici: Chymici ſuum oleum vitrioli ſumptum & admotum: Rhaſes arenulam quandam rubram *Rennabel* dictam, quæ ex Mechâ adfertur, ſolam aut aliis mixtam. Denique, licet ex Dioſcoride, Celſo, Plinio, Oribaſio, Paulo, Aëtio, & Neotericis infinita colligere, quæ hoc præſtare poſſunt. Nos verò vſitatioribus quibuſdam remediis & formulis erimus contenti. Si velis igitur, paretur ſequens puluis, tam ad præcautionem, quam curationem.

℞ Raſuræ cornu cerui & feminis contra, ana ʒ iij. corallinæ ʒ j. ſcordij ſeminis citri & portulacæ (potiſſimum ſi alui fluxus ſit iunctus) ana ℈ j. Fiat puluis, capiat ad ʒ ß. cum iuſculo, melle aut ſimilibus. Quod ſi ſimul reddere velis purgatorium, adde puluerис hieræ ʒ j. vel rhabarb. puluerиſati ʒ ij. Capiat in plures dies continuos vel interiectos, vt ex re videbitur. Quando adeſt febris vehementior, melius eſt decoctum aliquod exhibere per aliquot dies: deinde conuenienti cathartico vti. Imprimis autem ſequens laudatur.

℞ Rad. graminis & acetoſ. ana ℥ j. fol. endiuiæ, cichor. portul. (addunt etiam craſſulam, & vernicularem Arabes, tanquam ex proprietate vermibus infeſtas) ana M. ß. feminis coriandri & acetoſæ, ana ʒ j. ß. ſebeſten ſeu myxariorum optimorum ℥ ß. Fiat omnium decoctio ad ℔ j. in quâ diſſolue ſucci limonum aut arantiorum vel granatorum q. ſ. aut ſyruporum ex eis confectorum, vt de acetoſitate citri. Fiat julepus pro quatuor aut quinque doſibus, mane & ſero ſumendis: quibus

quibus tum febris, tum lumbrici ipſi compeſcentur, & materia expurgationi idonea reddetur.

Vtque his per os ſumptis erunt expugnandi : interim etiam foris admouenda quæ eos ſtupefacere, enecare, aut verſus inferiorem aluum fugare queant. Habetur ad id emplaſtrum in officinis paratum, quod vocant *contra vermes*. Vulgo aloëm aceto acerrimo diſſoluunt, & ventriculo, atque vmbilico admouent. Mulierculæ petroleo, oleo iuniperi (vulgo *oly de cade*) aut gagates prædictam regionem & nares, necnon iugulum, tempora & carpos infantium inungunt, ne furtim conſcendant lumbrici. Item panem torrefactum & aceto acerrimo maceratum vmbilico admouent.

Confectio hieræ, aut pilulæ de hierâ ſucco limonum diſſolutæ, efficaciſſimè id præſtant. Ego admotam theriacam cum oleo de ſcorpionibus non parum profuiſſe obſeruaui. Si adſit febris, prædicta temperentur, vt decet. Verbi gratia, fiat cataplaſma ſequens.

℞ Succi portul. aut aizoi vel craſſulæ aceto extracti ℥ iij. farinæ lupinorum ℥ j. pulu. ſcordij, & ſemin. contra, ana ʒ j. agarici ʒ ß. Miſceantur inſtar cataplaſmatis, addendo parum terebinth. vt melius hæreat. Applicetur. Aut

℞ Prædictos ſuccos. Decoquantur ad conſumptionem in ℥ vj. olei de abſint. vel de ſcorpion. Poſt adde ſeminis acetoſæ & contra, ana ʒ j. coralli rubri, raſuræ cornu cerui & corallinæ (potiſſimum ſi alui fluxus iunctus ſit) ana ʒ ß. ceræ parum. Fiat vnguentum, quo illinantur prædictæ partes, addendo aceti parum vnctionis tempore.

Ruſtici fellibus tauri aut porci inungunt abdomen, quibus addunt parum aceti aut ſucci aizoi, quando calor præter naturam adeſt. Vtuntur etiam foliis perſici contritis, abrotani, tanaceti, rutæ, aut abſint. cum pauco aceto admotis.

Quidam inungunt oleo amygdalar. amararum, aut melle, poſtea aſpergunt puluere aloës vel ſeminis contra. Vidi quemdam, qui aquam vitæ propinare & exterius admouere cum fructu ſolebat. Quinimo ipſe Fallopius vmbilici cauum mercurio implet, & aliquot grana per os exhibet in deplorato hoc affectu, quod in Italiâ vſitatum eſſe ſcribit. Verum hæc omnia ſummo erunt Medici præſentis iudicio temperanda, ne ægri, teneri ſcilicet, vt plurimum, infantes in grauius aliquod malum præcipitentur.

Fugatis itaque ſic aut ſtupefactis lumbricis per aſſumpta & admota, poſt horam vnam aut alteram, conuenit vt ad inferiorem aluum alliciantur, & clyſtere aliquo educantur. Eiuſmodi igitur clyſteres omnibus oleoſis, amaris, ſalſis, aut acribus, nec non vino carere debent, quoniam illa omnia ſunt ἐλμινθόφυγα, vt diximus: fiant vero ex iuſculo optimo, lacte, ſapâ, melle diſſoluto in aqua hordei & ſimilibus, in quibus licet ſaccharum, vitellos ouorum, & ſimilia diſſoluere. Communiter igitur parantur ex lacte (quod chalybeatum infunditur, ſi iunctus ſit ingens alui fluxus) in quo diſſoluunt mel & vitellos ouorum: aut ſi deſit lac, fiat ſequens.

℞ Hordei integri, liquir. raſæ, & paſſul purgat. ana P. j. prunorum dulcium, & caricarum pinguium, ana par. iiij. flor. viol & borrag. ana P. ß. ſemin. melon. & aniſi, ana ʒ ij. Fiat decoctio, in cuius ℥ vj. viij. vel ℔ j. pro conditione ægrotantis, diſſoluantur mell. roſat. colat. & ſacch. rubr. ana ℥ ß. vitelli ouorum ij. fiat clyſter. Iniiciatur horâ vnâ poſt aſſumpta, & admota remedia prædicta. Teneat diu vt alliciantur vermes, & foras magnâ copia extrudantur. Quod ſi ob ſopitam excretricem, vel enectos vermes, ſuóque iam proprio motu deſtitutos non erumpant, ne ſcilicet intus morantes computreſcant, licebit prædictæ decoctioni aut ſimili caſſiæ fiſtul. cathol. aut etiam diaphœnic. ſ. q. diluere, vel ſalis gemmei ℈ j. vt perficiatur illa indicatio.

Attamen fit ſæpè, vt vel reluctantibus lumbricis, vel ob quantitatem materiæ illius pituitoſæ ex qua generantur, quam excludere ſimul cum illis cupimus, vt neceſſum ſit ad cathartica ipſa per os aſſumpta venire : ad quam maximè facit ex Rondeletij ſententia, electuarium diacarthami dictum ; infuſum agarici in oxymelite ; rhabarbari ſubſtantia ſeu puluis ; & infuſio in aquâ graminis aut portulacæ, ſi ſit alui fluxus ; hiera picra ; ſyrup. de cichoreo cum rhabarb. in robuſtioribus mel illud catharticum, quod ex mixtione ſucci cucumeris agreſtis confici ſolet. Antiqui puluerem etiam colocynthidos cum ſapa, melle aut iuſculo exhibebant. Ego mallem in rebelli materiâ trochiſcorum alhandal grana aliquot pulpâ paſſularum, prunorum, pomorum coctorum, aut melle inuoluere, &

purgationi

coctorum, aut melle inuoluere, & purgationi huic humoris pituitoſi accommodare. Frequentiſſimè in pueris ſic præſcribimus.

℞ Elect. diacartham. ʒ iij. rhabarb. elect. pulu. ℈ j. raſuræ cornu cerui ℈ ß. ſyrup. de cichor. cum rhabarb. ʒ ß. aquæ graminis q. ſ. ad diſſoluendum. Fiat potio, quam capiat mane. ¡Sunt qui infundunt optimo ſucceſſu pro puerulis agarici trochiſcat: ʒ j. in melle roſato colato aut oxymelite: deinde diſſoluunt rhabarb. puluer. & corallinæ, ana ʒ ß. in aquâ cardui benedicti. Fiat potio. Vel ſi adſit ingens alui fluxus; prædicta diluunt decocto myrobalanorum citrinorum in aquâ portulacæ facto. Obſeruaui ego etiam decoctum ſennæ cum ſemine aniſi illis non parum eſſe accommodatum. Hæc autem ſæpius repetantur pro conditione materiæ, & lumbricorum, ſemel aut bis in menſe, interpoſitis ſemper iis quæ lumbricos fugare aut materiam præparare, & concoquere poſſunt, vt prophylaxis hic admodum neceſſaria perficiatur.

Quin etiam ad eandem præcautionem ratione genitalis illius caloris, potiſſimum in adultis, ſanguineis & plethoricis corporibus, necnon in aliis quando iuncta eſt febris, probat Aurelianus phlebotomiam, vt ſcilicet imminuto calore illo extraneo ac putredinoſo per ſanguinis miſſionem, minor fiat iſtorum animantium in corpore generatio. Laudant etiam aliqui ad præcautionem lumbricorum, decoctum guaiacinum in plures doſes ſumptum; ſed nolim ego infantium corpuſcula, & animos impatientiſſimos, tam moleſto & diuturno remedio frangere, cum liceat fæliciter prædictis iam remediis illud præſtare. Raſuram tamen ligni ſancti ad ℈ j. ſumptam cum iuſculo, aut aquâ graminis non improbarem, quia inſigni amarore eſt prædita, & viſcera roborat. Atque hæc eſt communis, & vniuerſalis medendi ratio in omnibus lumbricorum ſpeciebus, potiſſimùm verò rotundis ſeu teretibus, qui frequentiſſimi & moleſtiſſimi eſſe ſolent.

Quod ad latos verò ſeu cucurbitinos ſpectat, vult Galenus *lib. decimo quarto method. ſub finem*; Paulus & Aëtius, vehementiora eſſe debere remedia quæ illis exhibentur, quam in teretibus: propter magnitudinem eiuſmodi lumbrici, quantitatem, qualitatemque materiæ ex quâ ſuſcitatur. Ad hoc laudat Trallianus Coſtum & Cardamomum: Celſus corticem mori, radicem filicis, centaurij folia in decocto & puluere: Item alliorum eſitationem, muriæ potionem, vermium terrenorum puluerem, ſuccum aizoi illius quæ auricula muris appellatur: theriacam antiquam & ſimilia. Galenus 8. *de ſimpl. med facult.* laudat ſalicem.

Ad purgandum exhibent colocynthida, ſcammonium, coccum enidium, helleborum, hieram Logadij & diacolocynthidos, antimonij puluerem præcipitatum, cæteraque valentiſſima, in quibus exhibendis prudentiſſimum oportet eſſe Medicum, & omnium circumſtantiarum diligentem habere rationem. Ego malim in hoc caſu pilularum illarum cocciarum minorum dictarum ℈ j. aut ʒ ß. cum aquâ graminis aut abſint. malaxatarum propinare: vel iam dicto electuario diacarthami frequenter repetito vti: non neglectis externis remediis iam propoſitis.

Galenus etiam *loco iam citato*, ad aſcaridas valentiora adhuc præſidia vſurpanda cenſet, quod confirmauit Auicennas pluribus rationibus. Ego tamen, pace tantorum authorum, exiſtimo minora hæc animantia & in extremo ano poſita facilè interfici educique poſſe iam propoſitis remediis: necnon accommodatis infuſionibus, fotibus, glandibus, & linimentis. Ac propterea minime conturbandum eſſe totum corpus valentioribus illis catharticis aut ἑλμινθοφύγοις: quæ grauiora ſæpè ipſiſmet lumbricis mala inuehere ſolent. Ideo fiat decoctio ex detergentibus, acribus, aut amaris, quæ frequenter per clyſterem infuſa illos enecabit & educet. Clyſteris autem caput ſeu fiſtula ſit vndique multis foraminibus in extremitate peruia, vnde illa decoctio hinc inde effuſa adhærentes ano aſcarides attingere poſſit. Fiat igitur decoctum abſint. centaurij, tanaceti, abrotani & ſimilium. Lupinorum infuſum laudat Aëtius: muria ac cedria etiam commendatur: his adde, ſi velis, aliquid mellis roſacei aut mercurialis, quo medicamenti aſperitas parum deliniatur. Ex eodem fiat fotus in perinæo cum magnâ ſpongiâ.

Aliquando immittatur glans ex melle & puluere hieræ diacolocynthidos cõfecta, vel fruſtulum radicis betæ aut cucumeris agreſtis melle illitum, vel caro ſuilla ſalitâ in longum ſecta, teneatur diu compreſſis natibus. Illinatur etiam podex felle

taurino, melle cui ſal gemmæ, & hieræ puluis ſit permixtus, oleo amygdalarum amararum & ſimilibus. Quidam faciunt ſuppoſitoria ex pice & viſco, vt educantur aſcarides agglutinati. Item poterimus vti ſuffumigio ex aceto, in quo melanthij ſemen bullierit. Quorum vi enecatis eductiſque aſcaridibus, vt etiam catharticis per os aſſumptis iam à nobis commemoratis, repetitis quantum & quando fuerit opus, vel ſucco iridis noſtratis ab Auicenna in hoc affectu commendato, & conuenienti ſaccharo dulcorato, roboranda erit pars & diſponenda, ne deinceps eiuſmodi vermiculos generet: id autem præſtari poteſt, ex Aëtio, per infuſa & admota adſtringentia: qui clyſteres & fotus parat ex decocto polygoni, plantaginis, corticis granatorum, hypociſt. baccar. myrti & ſimilium, addendo parum olei roſati omphacini. Verum in iſtorum vſu cauendum erit, ne nimium ſuppreſſa aluus nouam denuò coaceruet materiam, ex quâ huiuſmodi lumbrici copioſius ſuſcitentur, & idcirco per vices adhibenda ea quæ expurgare & detergere illam colluuiem poſſint. Atque hæc de vſitatioribus & vtilioribus ad omnes lumbricorum ſpecies remediorum formulis ſufficiant: ſelectis enim medicamentis, potius quam longâ eorum farragine, ſanandi ſunt morbi. Non eſt tamen prætereundum, quoſdam aſſerere micam ſalis in ore detentam, & liquefactam morſus & vellicationes lumbricorum ſtatim compeſcere. Denique myxaria ſeu ſebeſten dicta lumbricis affectos maximè iuuant: vel, vt inquit Serapio, quod lumbrici hærent dulcedini, & eam dum fit purgatio, perſequuntur foras: vel præ lentore ab eis auelli cum non poſſint, coguntur exire; viſcoſa enim vſque adeo ſunt myxa, vt ex ipſis in Syriâ probatiſſimum illud viſcum paretur, quod Damaſcenum vocant.

CAPVT III.

De ſuppreſſâ aluo.

ABSOLVIMVS communiſſimos duos affectus inteſtinorum, nempe dolorem qui illis accidere ſolet, & lumbricos: nunc res ipſa poſtulat, vt læſionem actionum officialium, quæ ab inteſtinis gratiâ totius corporis exercentur, ex propoſitâ methodo perſequamur. Illæ autem cum poſitæ ſint in debitâ excrementorum retentione, atque excretione, fit ſæpè, vt propter earum in hoc genere functionum affectus is exoriatur, quem Græci διαχώρησιν βεβαλπῶσαν. Hippocrates κοιλίης ὑπερέον in prorrheticis: κοιλίης ἀπόλησιν in Coacis & ἔσον: χαστέρα συλλῆσι 5. epidem. κοιλίην ξηρὴν appellat. Nos aluum ſiccam, duram, adſtrictam, ſuppreſſam, tardam, pigram, fæces morantes, & pluribus aliis nominibus deſignamus. Quidquid ſit, hic affectus eſt ſymptoma excrementorum alui diutius præter naturam retentorum, ob errorem externum, vel aliquod corporis vitium.

Retulimus autem hunc affectum ad ſecundum genus ſymptomatis, nempe excretorum mutatorum, quia magis eſt ſenſibile, & cuiuis obuium, quam ipſius facultatis excretricis læſio, quæ aut non laceſſita, aut non ſentiens, aut alio quocunque modo impedita hoc ſymptoma parit, dum fæces inteſtinorum non eo quo deberet modo, nec debito tempore aut menſurâ propulſat, ſed vel tardius quam par ſit; vel non debitâ quantitate ſecundum aſſumptorum proportionem: ſanus enim homo & bene ſe habens bis aut ſemel in die quod minus eſt, ex ſententiâ Hippocratis, aluum exonerare debet, potiſſimum mane, perfectâ ſcilicet omni alimentorum heſternorum coctione, vt ſic vacuatis commodè inteſtinis leuius reddatur totum corpus, & reliquis alimentis quæ ingeruntur quotidie, locus & via illa aſſueta pateat. Ad hoc perficiendum natura prudens & ſagax varia adminicula illi ſubminiſtrauit, vtpote ſenſum illum tactus per neruos ſextæ coniugationis, quo prædita inteſtina res ſibi moleſtas vel quantitate, vel qualitate perſentiendo extrudere nituntur motu illo orbicularium fibrarum, quem periſtalticum vocant, ad ſphincterem vſque, qui eodem modo vellicatus aperitur ad fæcum aut cuiuſuis humoris excluſionem. Inter cuius vellicationis cauſas potiſſimùm recenſetur bilioſus ille ſuccus in cyſtide felleâ contentus, qui enematis inſtar ad deponendas fæces facultatem expultricem ibidem irritat. Fit igitur, vt hac œconomiâ præter naturæ inſtitutum labefactatâ;

intus

intus ſubſiſtant primæ illius coctionis peritomata ſeu excrementa, quæ deinceps variorum morborum atque ſymptomatum occaſiones manifeſtæ exiſtant.

Nos itaque huius functionis expultricis inteſtinorum læſæ, abolitæ ſcilicet aut imminutæ, cauſas reduximus ad duo potiſſimum capita, nempe errorem externum, & corporis vitium aliquod: quorum rurſus multæ ſunt differentiæ. Nam per errorem externum omnes illas procatarcticas cauſas, προφάσεις, & manifeſtos rerum non naturalium lapſus intelligimus, qui huic rei occaſionem frequentiſſimam præbere poſſunt: potiſſimum alimenta: à quibus vt exordiamur, certum eſt eorum ſubſtantiam, qualitatem, quantitatem, tempus & ordinem multis modis aluum ſiſtere ac cohibere poſſe. Subſtantia enim euchyma & eupepta, cum tota fere in alibilem ſuccum conuertatur, fit ſæpè vt pauciſſimæ partes excrementitiæ ſuperſint ad egerendum, & proinde pauca excrementa ac longo admodum interuallo deiiciantur. Eorum vero qualitas, vt & medicamentorum tam aſſumptorum quam admotorum, ſicca, auſtera, adſtringens, craſſa aut lenta, ſola vel cum aliis mixta, aut ante alios cibos, præpoſtero ordine aſſumpta potentiſſimè aluum adſtringere valet. Quin etiam quantitas immoderata ciborum, quam pauco tempore natura neque vincere, neque diſtribuere poteſt: vel deficiens & minor quam par ſit ad alendum corpus, vt per fames & ieiunia; reddit aluum morantem, propterea quod chylus ille paucus, quamuis excrementitius, fere totus exhauritur ab hepate & meſaraicis exinanitis. Adde defectum potus & liquorum ob penuriam, aut in illis qui naturâ ſuâ ſunt βραχυπόται, propter quem chylus ſpiſſior, & craſſior reditus difficulter fluit. Quod ſi hora aut tempus cibandi mutetur, frequentiſſime aluum interuertere ſolet: vt etiam ſi quis bis aut ter in die cibum aſſumere aſſuetus, deinde cœnâ aut prandio careat, quamuis copioſius multo alimenta in illo paſtu ingerat, tamen ventrem habebit pigriorem, ex ſententiâ ipſius Hippocratis *lib. de diætâ*: quoniam coctionis & excretionis tempora plurimum ſibi reſpondere ſolent. Neque ſolum ex parte alimentorum hoc contingere poteſt, ſed etiam ex aliarum rerum non naturalium vſu: nam regiones & quæcunque aëris conſtitutiones feruentiores, ſiccioreſque, dum inſenſibiliter aut per ſudores exhauriunt liquidiorem excrementorum partem, reliquam reddunt ſiccam, & retorridam. Hinc Hiſpani & Itali vix duodecimo quoque die cacant: ſic etiam apud Hippocratem *Aphor. 17. ſect. 3.* Aquilonia tempeſtas frigida & ſicca τὰς κοιλίας ξηραίνει, propterea quod omnia cogit, & verſus interiora repellit. Quod eadem ratione intelligendum de externo frigore *in epidem.* dum ait, refrigerationem excrementa indurare, & adſtringere ea quæ circa ventrem ſunt. Hinc illud vulgo, *ſuper lapidem non eſſe ſedendum.* Eodem modo exercitationes violentæ, vigiliæ immoderatæ, venus immodica, ſomnus longior in ſtrato calidiore, & facto in lumbos decubitu ſiſtunt aluum ob exſiccationem quam inducunt. Ipſaque animi pathemata, vt curæ, meditationes profundæ, ira vehemens, auerſis aliò ſpiritibus, illud præſtare poſſunt. Timor vero in iis aluum laxat, qui conſtitutione humidiore præditi, præ impotentiâ ſphincterem contrahere nequeunt: in aliis ſiſtit, quibus propter ſiccitatem retentrix robuſtior omnia intus cohibet. Adde his excretiones immodicas, quæ per alios ductus fieri ſolent, per vomitum, vrinas, vt eſt *Aph. 83. ſect. 4.* & ſudores potiſſimùm: quibus immoderatè fluentibus impoſſibile eſt aluum non exſiccari & tardiorem parcioremque reddi. Atque hæc ex parte rerum non naturalium, quod nos errorem externum appellauimus, quamuis etiam hæ ſæpius interiores cauſas excitare ſoleant.

Corporis autem vitium propter quod aluus cohibetur, vel eſt naturale, vel aduentitium. Naturale illud intelligo, quod fuit ab ortu contractum, ſequiturque primam noſtri compoſitionem: verbi gratia puerulis multis contingit vt laborent φιμώσει, occluſione ſcilicet podicis, propter quam egerere nequeunt, niſi prius perforatâ membranâ quæ obtendebatur. Alij naturaliter habent implantatum meatum illum cholidochum in fundum ventriculi, non in ipſum duodenum, vnde potius ad vomẽdum quam deiiciendum redduntur parati. Ex parte vero conſtitutionis ſimilarium partium, quicunque ſicciore aut calidiore temperamento naſcuntur, vt bilioſi & melancholici, quibus hepar eſt iuſto feruidius aut ſiccius, vel alia quæcũque epigaſtrio contẽta pars, iis omnibus naturaliter aluus ægrè & tardè fluit. His adde conſuetudinem in iis quì propter negotia & ſimilia diu aluũ cohibere ſueuerũt: item ætates, quas naturaliter decurrere ſolemus, illarum enim mutationes huic etiã rei, nullâ diætæ ratione immutatâ, mutationem afferunt, *ex Aph. 20. ſect. 2.* ἐπὶσσων νέων ἐοῦσιν αἱ κοιλίαι ὑγραὶ εἰσὶν, τοῖσι δὲ πρεσβυτέροισιν ξηραίνονται, & contrà. Cuius euentus

rationem reddit Galenus *in commentario.* Ex his igitur ſecundum primam noſtri corporis conſtitutionem aluus adſtrictior redditur.

At verò vitium corporis aduentitium, propter quod aluus ſupprimitur, aut omnino ſiſtitur, multiplex etiam ſtatuitur, vt eſt apud Galenum 1. *de tuend. ſanit. cap.* 13. vbi de cauſis ſuppreſſæ alui fusè diſſerit. Vel enim tarda hæc deiectio ſequitur morbos ſympathicos inteſtinorum, vel idiopathicos. Sympathicos quidem ex negatâ facultate, vt quando illorum ſenſus deſtruitur ad interceptionem facultatis animalis, per apoplexias, conuulſiones, paralyſes, comata & ſimiles cerebri affectus; vel ex negatâ materiâ, quando ob defectum humoris bilioſi, qui in inteſtina per meatum cholidochum affluere ſolebat, intercepti propter obſtructiones, vt in ictero, iecoris ſcirrho, veſiculæ infarctu & aliis morbis: vel aliò tranſmiſſi, languet vis expultrix inteſtinorum, ſuo familiari ſtimulo deſtituta. Per idiopathicos autem morbos laborat hæc facultas, propter affectus communes, ſimilares & organicos: communes quidem, vt ſolutiones continui; nam factâ ingenti inteſtinorum ſectione, aut concitato inſigni ob vulnus eorũ aut diſtentionem dolore, impoſſibile eſt functiones has naturaliter procedere: ſiquidem aliquando vel fæces foras per vulnus exeunt, ſic Dominus Philippus *de Montagnac* excernebat per duodecim annos fæces & flatus per vulnus quod acceperat in dextrâ vmbilici parte. Mortuus eſt anno 1595. in balneis Bellilucanis: aut in cauum abdominis effunduntur, aut certè propter vim doloris violenter ſupprimuntur. Similares autem affectus qui hoc præſtare poſſunt, ſunt ipſæ intemperies, vel in ſolis inteſtinis exiſtentes, vel in toto corpore, aut aliquâ parte quæ epigaſtrio continetur. Sic febrilis & exurens corporis totius conſtitutio, hepatis inflammatio, renum ingens feruor inteſtinis communicatus, aut etiam primariò inhærens, exugendo humidiorem deiectionum partem, reliquam reddit exuſtam & fæcibus caprarum ſimillimam: Hinc *σκύβαλα* illa & *σπυρατώδη διαχωρήματα* apud Hippocratem, quæ difficulter exire ſolent. Siccitas etiam totius corporis, vt in hecticâ, maraſmo, diuturnâ fame, aut morbo confectis, qui iam conualeſcunt, aluum cohibere ſolet, dum exuguntur aſſumpta, & violenter ad reſtaurandas vires attrahuntur: ſiccitaſque propria aut aduentitia inteſtinorum id præſtabit, ſola aut caliditati iuncta adhuc efficacius. Quod ad frigidam intemperiem internam attinet, videtur quidem illa, potiſſimum ſiccitati iuncta, per ſe, etſi non ſit immodica, aluum cohibere, quoniam ſtupefacit, & hebetat partis ſenſum, cogitque & retentricem roborat; ſed per accidens, vt docet Galenus 6. *epid. text.* 27. quoniam frigiditas hæc interna ventriculi aut inteſtinorum cruditates multiplicat, ſæpius aluum reddit ſolutam quam tardam. Demum affectus organici, qui prædictæ functioni noxam inferunt, ad obſtructionem referri ſolent, quæ vel eſt obſtructio, *ἔμφραξις* propriè ſumpta, quando videlicet interior via, ſeu meatus inteſtinorum oppletur à quacunque re, vt tuberculo, duris ſtercoribus, pituitâ craſsâ & lentâ, calculis, vermibus conuolutis & ſimilibus: vel illa obſtructio etiam *στένωσιν.* i. adſtrictionem complectitur, quando nulla materia in canalibus inteſtinorum poſita præter naturam, coarctantur tamen, vt à compreſſione potiſſimum vteri in grauidis, tuberculo veſicæ, & aliarum partium vicinarum, propriâ ipſorum inteſtinorum circumuolutione & implicatione, quam in ileo explicabimus, aut in ſcrotum prolapſu: ibi enim coarctata præ loci angustiâ aluus diu lenta manet, aut etiam omnino ſupprimitur. Harum rurſus omnium diſpoſitionum & cauſarum, quæ deiectionem tardam aut nullam efficiunt, ſuæ ſunt cauſæ multiplices, ex rerum naturalium, non naturalium, & præter naturam ſerie repetendæ, vt ſæpius fuit annotatum.

Signa etiam partis affectæ, affectus & cauſarum, ex ſolitis fontibus depromenda. Nam ipſum ſymptoma ſeu actio læſa ſatis indicat ex inteſtinorum proprio munere violato, aliquid eſſe præter naturam in illis quod vel primariò, vel ſecundariò cauſa eſt functionis iſtius imminutæ, aut abolitæ. Quod ſi nulla præceſſit, vel adhuc ſequuta eſt admodum ſenſibilis noxa, aut partis alicuius querela: maxima erit coniectura, hanc læſionem ſeu functionis interceptionem ab errore quodam externo prouenire: quem reperire licebit, factâ ſigillatim rerum non naturalium enumeratione, vt iam à nobis propoſita fuit: certiuſque id adhuc multò conſtabit, ſi immutata illa cauſa reſtituatur functio priſtinæ ſuæ conſtitutioni. *ὅμωσις* & implantatio canalis illius cholidochi in ventriculum ſatis per ſe dignoſcetur. At verò ſi aſſueta ſit hæc alui ſuppreſſio etiam in latitudine ſanitatis, aut contingat abſque vllâ diætæ mutatione, vel errore: tunc referendum

erit

erit ad ipſius natiui temperamenti conſtitutionẽ in toto aut aliquâ parte, conſuetudinem, ætatis mutationẽ, & ſimilia. Quæ multo accuratius diſtinguentur ex conſuetis ſignis, quibus temperamenta naturalia totius & partium apud Galenum & alios aſſignantur. Maior autem erit labor & opera ponenda in illis affectibus & cauſis deprehendendis, quæ toto genere ſunt præter naturam. Quod ad ſympathiam tamen attinet negatæ facultatis animalis, certæ erunt notæ ex affectibus illis cerebri & neruorum prægreſſis aut præſentibus, quos ſubitò ſequuta eſt hæc noxa, & cum illis augetur ſimul ac minuitur. Eadem ratione ſympathia negatæ materiæ bilioſæ ob interceptionem meatus cholidochi ad inteſtina pertingentis, vel ſcirrhoſæ hepatis conſtitutionis, patet tum ex duritie, pondere, & dolore obtuſo dextri hypochondrij, tum ex flauo viridíque colore, quo ſolet bilis ſanguini permixta, & ad partes delata exteriorem corporis ſuperficiem, præcipuè oculos, & faciem inficere. His adde quod excrementa iſtorum hominum, tinctura illius naturalis expertia, apparent alba vel cineritia: vrinæ autem admodum rufæ & bilioſo excremento ſaturatæ. Idiopathici autem inteſtinorum affectus communes, ſiue ſolutiones continui, manifeſtæ ſunt oculis, ſi ob inflicta vulnera contingant: ſin vero à diuellentibus, contundentibus aut erodentibus internis fiant, earum cauſæ erunt ſigna iſtius affectus. Quod attinet ad diſpoſitiones ſimilares totius vel partium, hoc eſt intemperies, calidam, ſiccam, aut frigidam, ſimplices vel coniugatas, non erit difficile illas agnoſcere ex ſenſu eiuſmodi qualitatum, quem æger percipit, vel etiam Medicus tactu deprehendit ſenſibiliter, ex gracilitate totius corporis, excretorum immutatione, pulſu & ſimilibus, vt peculiariter ſuis locis traditur. Denique morbi organici, obſtructio ſcilicet aut adſtrictio inteſtinorum dignoſcenda ex effectibus & cauſis illarum, vtpote generantibus phlegmonem, calculos, vermes, pituitam, & ſimilia, indurantibus fæces, & reliquis, quorum cognitio certior exurget ab excretorum contemplatione, in quibus dilucida harum diſpoſitionum ſigna apparebunt. Adſtrictio autem inteſtinorum ex prolapſu in ſcrotum, nota eſt ad ſenſum: ex eorum verò ſolâ conuolutione, abſque loci mutatione, in ileo explicabitur proxime cum ſuis ſignis; compreſſio verò à vicinis partibus, vt vtero pleno, inflammatis aut alio modo induratis vel grauioribus factis vicinis partibus, ex vniuſcuiuſque ſitu, connexione, actionum læſione, excrementis ac propriis omnibus accidentibus inquirenda, priuſquam conueniens therapeia ſtabiliri poſſit.

Præſagire autem in hoc affectu licebit ex affectus cauſarúmque magnitudine. Nam alui ſuppreſſio ex diætæ errore, aut rerum naturalium conſtitutione, plus moleſtiæ, quam periculi adferre ſolet. Implet enim caput vaporibus & fumis, *σπλάγχνα* ſeu viſcera reddit minus bene ſpirantia, compreſſis inteſtinis & diaphragmate: ſenſim tamen collectis excrementis multorum morborum cauſas excitare ſolet. Hipp. *Aphor.* 53. *ſect.* 2. *quibus*, inquit, *aluus eſt humida, inuentam agunt facilius, quam quibus eſt ſicca: ſed ſenectutem difficilius, quia tunc illis fere exſiccatur.* Celſus tamen & Oribaſius meliorem eſſe volunt fuſam aluum in iuuene, vt bilioſa & acria excrementa iugiter expurgentur: ſiccam verò in ſene, vt ſcilicet alimentorum attractio & concoctio melius tunc perficiatur: quod eadem ratione dici poteſt de conualeſcentibus, in quibus tarda excretio bonam refectionem ſignificat. In hecticis etiam tarda aluus laudatur, quòd tunc minor fiat ſubſtantiæ triplicis diſſipatio. At vero in affectibus aliis tam ſimilaribus, organicis, quam communibus, nihil boni præſagire poteſt, oſtendit enim magnam naturæ noxam aut impedimentum, quæ muneris illius tantopere ad vitã conſeruandam & ad humores noxios vacuandos neceſſarij obliuiſcitur, vel eo perfungi non poteſt. Τὰ *σύβαλα*, & pilulis ſimillimæ fæces 2. *prorrhet.* ſequuntur magnam interni incendij vim, potiſſimum hepatis inflammationes. Reliqua in ileo proponentur: nunc ad curationem veniamus.

Commune eſt in omnibus hiſce affectibus (inquit Aëtius *tetrab.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 26.) qui aluum tardiorem efficiunt, aut omnino ſupprimunt, vt cauſæ noxam inferenti contrariam curationem opponamus: proprium vero, vt ſecundum ſingulas cauſas, vnicuique contraria remedia exhibeamus. Ac proinde cum dixerimus vitium hoc ſequi vel errorem externum, cauſarum ſcilicet illarum euidentium, vel ipſius corporis conſtitutionem natiuam aut aduentitiam: ideo ſciendum quibus nunc cauſis opponenda ſit noſtra therapeia. Quod ad cauſas igitur externas & euidentes attinet, quarum peruerſus vſus aluum cohibere poteſt, earum-

dem recto vſu intellecto ex deſcriptione diætæ quam mox ſubiungemus, facile erit per ſolam illarum immutationem huic ſymptomati, quando ab eis ſimpliciter pendebit, prouidere. Corporis vero vitia quæ hoc præſtare poſſunt difficilius eſt corrigere. Quod ad φίμωσιν ergo ſeu natiuam podicis occluſionem attinet, quæ puerulis aliquando contingit, ſola perforatio, quam docet Ægineta *lib.* 6. illis medetur. Implantationem autem natiuam meatus cholidochi in fundum ventriculi, immedicabilem eſſe, vt & alias organorum diſpoſitiones internas, ſatis docuit Galenus *in arte parua*, ideóque hos homines σχιτλίους miſeros appellauit. Temperamentum vero natiuum totius aut partium, conſuetudinem confirmatam longiore vſu, ætatum ſeriem immutare, aut in tótum impedire non poteſt Medicus: poteſt tamen defectus illos intra ſanitatis latitudinem poſitos familiaribus remediis, ex diætâ aut benigniore pharmaciâ repetitis, emendare, quam nos poſtea ſubiungemus. Denique affectibus præter naturam mederi conueniet pro variâ illorum naturâ: nam alui ſuppreſſio, quæ per ſympatheiam negatæ facultatis animalis contingit per apoplexias, lethargos, paralyſes, & ſimiles cerebri diſpoſitiones: aut per ſympatheiam negatæ materiæ bilioſæ, ob obſtructas venas, aut induratum hepar: non alio modo curatur, quam iſtorum affectuum & cauſarum ſublatione, ex ſuis locis repetenda. Cum tamen in duplici hoc affectu ſympatheiæ ſopitam eſſe excretricem inteſtinorum manifeſtum ſit, ad mitigationem ſymptomatis, acriora eſſe iniicienda enemata, glandes & ſimilia quibus illa irritari queat, ſatis eſt perſpicuum. In affectibus autem inteſtinorum idiopathicis, ſimilaribus, organicis, & communibus, quidam ſunt, vt ſolutiones continui, vulnera, vlcera, tumores præter naturam, calculi, vermes, conuolutiones inteſtinorum aut prolapſus, compreſſiones & ſimiles, quorum curationem hic proponere eſſet præter inſtitutum, & conuenientem methodum, quâ docemur ſingula eſſe propriis ſuis locis tradenda; ex quibus ea repetere oportet. Supereſt igitur, vt, cum hæc alui execretio partim ſit naturalis, partim voluntaria ſeu animalis, vt docuimus ex Galeni ſententiâ *lib.* 3. *de facult. natural.* conſideremus illos affectus, qui peculiariter in inteſtinis has impedire poſſunt, nec facile ad alios morbos reducuntur. Voluntaria autem, animalis ſeu ſenſifica impeditur ab eis omnibus, quæ obſtupefacere, & ſenſum tactus in inteſtinis, vel extremâ ani parte, vbi poſiti ſunt muſculi, languidiorem reddere poſſunt. Naturalis autem functio impeditur vel à ſiccitate nimiâ, caliditatéque indurantibus fæces: vel à mucosâ viſcidâque pituitâ fæcibus & inteſtinis adhærente, ſolitúmque excrementorum ſeceſſum remorante. Vnde exurgunt indicationes therapeuticæ, tres potiſſimum, à nobis hoc capite perſequendæ: nimirum ſopitæ excretricis excitandæ per ea quæ acrimoniâ vellicare & pungere poſſunt ſumpta vel admota: Secundò quæ caliditatem, aut ſiccitatem partium atque excrementorum refrigerando, humectando, molliendóque corrigant: Tertiò denique craſſos, lentos, & viſcidos humores detergentia, incidentia ac expurgantia proponemus, quibus prædicti ſcopi perficientur, vel ſeparatis ſi ſimplices ſint affectus; vel coniunctis & mixtis, prout illi complicati aut connexi fuerint, quod præſentis Medici iudicio ſemper eſt relinquendum. Ducamus igitur à victus ratione exordium.

Conſideranda imprimis ea omnia, quæ à nobis dicta fuerunt: Alimentorum ſcilicet ſubſtantia, quantitas, qualitas, tempus & ordo, vt rectâ lege pro variis diſpoſitionibus inſtituantur; vtpote in eis quibus vſus ciborum ſubſtantiæ nimium alibilis, & euchymæ aluum ſiſtere ſolet, propter defectum craſſiorum fæcum, concedantur quædam terreſtrium magis partium & excrementoſarum. Si ab exceſſu aut defectu quantitatis ciborum id fiat, tam continuæ quàm diſcretæ, vel ex ſoliti tẽporis, aut debiti ordinis immutatione: Si ex βραχυτροφία, aut ὀλιγοτροφία, vt in eis qui parum aut ex longo temporis interuallo bibunt: reſtituantur omnia in conuenientem ſtatum ex præſcripto Medici: conſulatur iuſta alimentorum quantitas, tam in vno quam pluribus paſtibus, idque horis conſuetis, & eo ordine, vt liquida ſolidis, concoctu facilia difficilibus præmittantur: necnon æquabilis potatio ſolidorum ingeſtionem, quaſi alternantibus poculis, excipiat, diluátque. Quod ad qualitatem alimentorum attinet, vitentur nimium ſicca actu & poteſtate talia, niſi accuratè temperata, aliiſque permixta: item viſcida & lenta, ne chylus ex eis genitus nimium inteſtinis adhæreſcat. In eligendo autem genere alimentorum, ſiquidem ob ſopitam potiſſimum excretricem contingere videatur alui ſuppreſſio, præſcribantur acria, pungentia, & vellicantia ad eam excitandam: vnde Galenus,

comment.

comment. in Aphoriſm. 20. *ſect.* 2. ſcribit victum Alexandrinorum aptiſſimum eſſe ad aluum ſoluendam : qui conſtabat ſalitis multis, cepis, porris, alliis, rebus frixis, piperatis, & zytho : ſub quem reponi poterunt ea omnia quæ ſimili qualitate ſunt prædita, vt panis bene fermentatus, & ſalitus, acetum, oliuæ muriâ conditæ, cappares, fœniculum marinum, aſparagorum lupulorúmque ſurculi, folia vrticæ, & ſambuci teneriora oleo & ſale parata, caſeus vetus : conchæ, Gallicè *huitres*, etiam marinæ, mœnæ, mytuli, oſtrea, tenillæ, & ſimilia ferculis primis aſſumpta, non paruam vim habebunt ad pungendam vellicandámque torpentem inteſtinorum excretricem facultatem. Quod ſi hic affectus pendeat ex caliditate nimiâ, aut ſiccitate fæces indurante : tunc ea eligenda alimenta, quæ refrigerare, mollire, largáque humiditate inteſtinorum ſpatia implere poſſunt : ſub quo cenſu reponuntur fructus omnes horæi primâ mensâ ſumpti, ceraſa, pruna, vuæ, cucumeres, pepones, melones, poma, mora, potiſſimum ante ſolis ortum lecta, quando rore adhuc copioſo ſunt aſperſa. Item iuſcula omnia pinguia, ſola, vel multâ borragine, cichorio, endiuiâ, atriplice, beta, ſpinachia, tenerioribus maluæ foliis & mercurialis alterata : cremor hordei : oleum recens, butyrum per ſe aut iuſculo aliquo diſſolutum : pruna damaſcena ſicca, vuæ paſſæ vulgares, & corinthiacæ, in aquâ communi, vel hordei cum multo ſaccharo cocta, & paruo ante prandium interuallo ſumpta, ſerum lactis caprini, in quo per totam noctem folia borraginis maduerint, mane ſumptum valet ad temperandum feruorem partium, humectandum ac leuiter detergendum. Vbi vero ex adhærente inteſtinis muco aluus redditur pigrior, tunc alimenta vi dẽtergente prædita magis erunt imperanda : ideo multi ex ſolo panis ſecundarij & ſyncomiſti eſu, quando libuerit, feliciter aluum commouent ad excernendum : Alij vtuntur primo iure cicerum, braſſicæ, bliti, aut lentium, ſimiliúmque rerum nitroſis partibus in ſuperficie donatarum, cum oleo & ſale. Alij amara quædam & ſalſa permiſcent iam dicta, quæ non ſolum vi pungendi, ſed etiam detergendi prædita eſſe certum eſt. Multi laudant eſum caricarum & ficuum recentium ad leuiter detergendum : & reliqua ex vſu quotidiano repetenda. Denique alimenta adſtringendi vi prædita creduntur in quouis adſtrictæ alui caſu auxilium ferre, ſi poſtremâ mensâ aſſumantur, quoniam roboratis, & quaſi contractis ſuperioribus partibus inferiores dehiſcere coguntur. Claudant itaque eiuſmodi ægri ſuos paſtus fruſtulo cydonij mali, pyri acerbioris, meſpili, vuæ acerbæ conditæ, aut miuarum ſiue rob ex eiuſmodi auſteris, vel acerbis fructibus cum ſaccharo paratarum. Hæc enim ſæpe ſola ſufficient ad affectum hunc corrigendum. Quod ſi aëris feruor aut frigus nimium, exercitationes, vigiliæ, ſomnus, excretionéſve quædam immoderatæ, vel animi perturbationes aluum cohibere videantur : omnia erunt pro conditione rerum illarum, ipſiúſque ægri temperanda, ex ſolertis Medici iudicio atque induſtriâ.

Eodem modo de reliquis maioribus remediis ſtatuendum, quæ ſingulis cauſis ritè & artificioſè erunt opponenda. Quod ad chirurgiam quidem attinet, nullus illi videtur in hoc affectu locus, niſi fortaſſe venæ ſectioni in magno feruore totius aut partium, hepatis potiſſimum, ſiue ex natiuo, ſeu aduentitio temperamento ortus ſit, quam licebit verno potiſſimum tempore vſurpare, quando ſanguinis copia turget, ex venâ cubiti, narium aut hæmorrhoidibus, prout maior naturæ inclinatio videbitur, conſentiéntque aliæ circumſtantiæ in hoc affectu obſeruandæ. Tota autem pharmaceuticorum remediorum ſeries eadem ratione qua & alimenta diuidi poteſt : in ea ſcilicet quæ ſopitam excretricem facultatem irritare, ſicciorem aluum mollire, adhærentes inteſtinis humores detergere poſſunt. Ad primam claſſem pertinebunt, quæcumque acri, ſalsâ, aut amarâ qualitate prædita ſunt, & quæ cathartica ſeu purgantia propriè ſumpta Practicis dicuntur : hæc omnia præter peculiarem illam vim qua exuberantes ſuccos attrahunt, ſuo etiam ſapore, odore, acrimoniâ & calore apta ſunt ſtimulandæ excretrici facultati tam inteſtinorum, quam aliarum partium : ideóque ſumpta & admotahic vſurpari poſſunt benigna, mediocria, ac violenta, pro diuerſâ affectus & ægri conſtitutione : aſſumpta ſub variis formis exhiberi poſſunt : ſolida nimirum, vt pulueris, tabellarum, pilularum : liquida, vt aquarum, ſuccorum, ſyruporum, decoctorum : media, vt ea quam vulgò opiatam mollem appellant. Sub admotis complectimur ea omnia, quæ vel in ipſam aluum immittuntur, vt clyſteres, glandes, ac ſuppoſitoria ; vel exterius applicantur, vt illitiones ac ſuffumigia ſedis, vnguenta,

guenta, emplaſtra, aut cataplaſmata purgantia, vmbilico & reliquo ventri impoſita, vt etiam ea quæ manibus contrectantur, & naribus admouentur, quales ſunt globuli purgatorij. Idem dicas de emollientibus ac detergentibus, quorum omnium paradeigmata tam accuratè fuerunt à nobis tradita in tractatu de internis & externis remediorum formulis, vt ſuperuacaneum eſſet ea nunc omnia recenſere. Adferemus tamen ea bruiter, quæ veluti numeratò debet habere Medicus, quibúſque morantem aluum communiter ſollicitare poterit. Ad hoc igitur facit molliendo, & leniter tergendo manna electa, & bene granata, cuius ʒ vj. vſque ad decem exhibentur diſſolutæ cum pauco iuſculo, horâ vnâ ante prandium: quod in ſimilibus benignioribus pharmacis obſeruamus, ne videlicet ſuperentur à calore noſtro natiuo, & in alimoniam faceſſant. Oleum amygdalarum dulcium recens & ſine igne extractum ad ℥ ij. totam aluum molliendo citare poteſt. Medulla etiam caſſiæ illius Ægyptiacæ ſeu fiſtularis recenter è cannâ extrahitur, & pari quantitate aſſumitur, cui addi poteſt parum ſacchari, vt in bolos plures formetur. Apud Ægyptios eiuſmodi cannæ minores & teneriores integræ ſaccharo condiuntur: deinde vna aut duæ eodem modo ante paſtus deuorantur, ad molliendas Italorum Principum & Cardinalium aluos maximè expetitæ, vt refert Fallopius: Ex eodem Fallopio mel roſatum ſolutiuum apud Italos paratur, quod huiè rei etiam poteſt eſſe accommodatiſſimum, ſi eius cochlearia duo vel tria ſimiliter aſſumantur. Apud Venetos tartari puluis eſt vſitatiſſimus, cuius purioris & ſincerioris ℥ ß. plus minus cum paſſulis corinthiacis aquâ communi & ſaccharo coquitur, ſumitúrque inter prima fercula, vellicat enim & ad feceſſum incitat. Ad deterſionem pituitoſi & viſcidi humoris inteſtinorum tunicas opplentis & fæces remorantis, nihil aptius eſt terebinthinâ, cuius ʒ iij. aqua endiuiæ diligenter lotæ in bolos formantur, nebulis inuoluuntur, & cum ſyrupo capilli veneris deuorantur. Apud Hippocrat. *lib. de dietâ*, feminis carthami medulla cum caricis pinguibus comeſta ſeniorum ventres commodè prouocare ſolet. Vulgus verno tempore quo vigent roſæ, earum manipulum ſummo mane legunt, in aqua communi decoquunt, addendo momentum ſacchari, illud decoctum hauriunt, tantâ aliquando alui perturbatione, & torminum cruciatu, vt ſcammonium eos ſumpſiſſe diceres, annotante Fernelio: quod ad roris naturam qui cum roſis colligitur, eſt referendum. Alij earum ſuccum exprimunt, & eius ℥ ij. cum iuſculo aut decocto cichorij diſſolutas ſumunt: ſed melius eſt vti ſyrupo roſato ſolutiuo, vtpote melius parato & cocto. Sennam hodie ita familiariter omnes vſurpant, vt nemo fere eius parandi modum ignoret: nos ſæpius ita coquendam delicatioribus ægris imperamus.

℞ Folior. ſennæ mundat. ℥ ß. polyp. quer. ʒ iij. ſemin. carthami contuſi ʒ ij. ſemin. aniſi ʒ j. Decoquantur ſummo mane. In hoc iure decocto incoquantur pruna damaſcena numero viij. quæ deuoret & ius ipſum cum ſaccharo. Vel prædictis addendo aliquot pruna aut paſſulas, oppleatur venter pulli gallinacei aut columbini, decoquatur ad putrilaginem, addendo modicum ſalis: ſumat ius colatum mane. Puluis etiam ſennæ ad ʒ ij. vel ʒ iij. aſſumitur à quibuſdam, cum pauco vino albo, vel eodem puluere impleantur pruna aliquot damaſcena cocta, & ſumatur. Quod ad rhabarbarum attinet, nollem ego illo, quamuis benigniſſimo medicamento, vti in tardiore aluo propter iunctam vim adſtrictionis: in eis tamen quibus iecur feruidum fæces exurit, aptiſſimus erit ſyrupus de cichorio compoſitus cum rhabarbaro, ad ℥ ij. vel iij. ſumptus mane per ſe vel diſſolutus cum ſero lactis caprini aut aquâ endiuiæ. Mechoacan vicem rhababari explet. Aloë etiam & agaricus, qui medicamentum familiæ apud Dioſcoridem dicitur, eis conueniunt quibus eſt languidior facultas excretrix, & mucoſi humoris copia in inteſtinis: quæ in pilulas aptiſſimè ſic concinnantur.

℞ Aloës optimæ ℥ ß agarici trochiſcat. & elect. ʒ iij. myrrhæ, ſpicæ nardi & cinamom. ana ℈ ß. croci grana iv. Excipiantur ſyrupo roſato ſolut. Fiat maſſa pilular. E cuius ʒ j. fiant pilulæ ſex deauratæ. Capiat ij. vel iij. horâ vnâ ante cœnam, quoties libuerit aluum prouocare. Villanouanus aloëm electam pari pondere terit cum foliis roſarum rubrarum recentium, ex eis componit maſſam, & pilulas fingit ad hoc vtiliſſimas. Agarici etiam ʒ ij. in melle roſaceo infuſæ, & expreſſæ valde pituitoſis erunt accommodatæ. Denique ex prædictis omnibus laxantibus, addendo peculiariter ea quæ vnicuique ægro & affectui ſunt magis peculiaria, conficere ſolent Medici ſyrupos magiſtrales veris aut autumni tempore,

quorum

quorum vſus eſt per reliquas anni partes ad commouendam aluum & exhaurienda quæuis excrementorum genera : ſemel aut bis in menſe ad ʒ ij. vel iij. per ſe, aut diſſoluti cum iuſculo pulli, decocto cicerum rubeorum, ſero lactis, aut conuenienti aliquo liquore, ſumantur pro rei ipſius varietate.

Chymici tam in latitudine ſanitatis, quàm in morbis ad cælum vſque extollunt ſua extracta, vtpote nullo malo odore aut ſapore prædita, ſatis tamen efficacia, ad humoris cuiuſuis excluſionem, quæ ſic præſcribunt primò ad humoris bilioſi euacuationem.

℞ Tincturæ, eſſentiæ vel extracti (hæc enim apud Spagyricos ſynonyma ſunt) rhabarbari ϑ j. & grana x ij. olei de ſpicâ aut xyloaloë per Chymiam extracti, ana guttas iij. Ad pituitam vero ſequens prædicant.

℞ Tincturæ turpethi ʒ ß. olei aniſi guttas vj. olei garyophyll. guttas ij. Miſce, capiat ieiuno ſtomacho. Vel

℞ Tincturæ eſulæ vulgaris grana xvj. olei aniſi & cinamom. ana guttas ij. Ad humorem vero melancholicum expurgandum, atque ideo ad mouendam aluum ita præſcribunt.

℞ Tincturæ ſennæ orientalis ʒ ß. tincturæ hellebori nigri grana v. olei aniſi & fœniculi, ana guttas ij. olei petroſelini & cinamomi, ana guttam j. Miſce.

Quidam miris laudibus efferunt tabellam antimoniatam in magno infarctu humorum, quam ſic deſcribunt.

℞ Antimonij pellucidi & hyacinthini ʒ ij. gummi tragacanthi ʒ j. ſacchari albi aquâ roſarum diſſoluti ʒ iij. olei aniſi chymicè extracti ſuper tabellas calentes aſperſi guttas xv. Fiant tabellæ ponderis ʒ ß. vel ʒ j. pro robuſtioribus.

Quemadmodum igitur in eis qui bene ſe habent ad ea quæ offeruntur per os aſſumenda medicamenta, Medici & Chymici talia præſcribunt : ſic in puerulis, moroſioribus & ſimilibus qui ea facile non admittunt ; aliis modis & artificiis ventrem commouere ſolent. Eſt clyſter apud Aulicos vſitatiſſimus ad ciendam aluum : Fermenti communis fruſtulum in aquâ tepente diſſoluunt, addendo olei violacei aut communis ʒ iij. plus minus; paratur clyſter ſatis potens ad primas fæces deturbandas ; educendámque inteſtinorum pituitam. Aëtius alumen commune terit, & cum melle miſcet, quo podicem puerulorum inungit, & ad excernendum ſtimulat ; aliquando addit ſuccum cyclaminis ; ex hac mixturâ tum ſedem, tum vmbilicum irrigat. Fernelius epomphalion emplaſtrum purgans eleganter in ſuâ pharmacopœa deſcripſit, quo vti poteris. Fel bubulum aut ſuillum vmbilico illitum idem præſtat, necnon puluis colocynthidos adipe gallinaceo, & pauco oleo amygdalarum dulcium exceptus. Suffumigiis etiam vt adſtringi, ſic etiam laxari poteſt aluus, ideóque ſolutiua dicta ſi decoquantur in aquâ communi & matulæ imponantur cum aliquot ſilicibus candentibus, fumus ille ano exceptus prouocare eam poterit ad excernendum. Mulierculæ fœliciter vtuntur ad hoc præſtandum ſolo decocto foliorum maluæ & fœniculi, cui inſidere faciunt diutius ægrum. Omitto ea quæ ex variis hinc inde repeti poſſunt, vt huic capiti finem imponam, ileíque hiſtoriam aggrediar.

Digitized by Google

CAPVT IV.

De ileo ſeu voluulo.

INTER ſuppreſſæ alui genera nullum eſt magis famoſum & horrendum, quam iliacus ſeu voluuloſus affectus, cuius nunc hiſtoriam & curationem meditamur. Varia autem illius nomina, tam apud veteres quam recentiores, reperiuntur. Hippocrates nomine εἰλεῦ ſæpe vtitur; ſed non ſemper affectum hunc præcipitem & periculoſum ſignifieaſſe videtur, vt εἰλεοὶ τὰ χρόνια πάθη *lib. de gland.* deſignant omnes inteſtinorum conſtitutiones laborioſas, quæ potiſſimum diu perſeuerant. *In Coacis* tamen & *Aphoriſm.* 44. *ſect.* 6. *necnon* 10. *ſect.* 7. propriè admodum ſumpſit, vt etiam. *libro de morbis & libr. de affectionibus*, vbi νόσημα ὀξὺ καὶ ἐπικίνδυνον vocat: *lib. de flatibus* εἰλήματα: χόρδαψον verò *in Coacis* appellauit aliquoties, & Galenus frequenter nominis iſtius meminit. Aurelianus à Siculis Medicis φραγμὸν vocari ſcripſit, quaſi ſepimentum dicas: ſiquidem, vt ait ille, obſtruſis naturalibus ventris officiis fieri videtur. Plerique volunt εἰλεὸν à parte affectâ, nempe ileo ſeu tenui inteſtino appellationem ſumpſiſſe, propterea quod frequenter in illo contingere ſolet: vnde Celſus tenuioris inteſtini morbum vocat. Aretæus tamen aliam etymologiam inquirit, *quando enim* (ait ille) *flatus quidam frigidus & lentus gignitur, qui nec infra facile permadit, neque per ſuperiora recurrit, diu autem manet* εἱλισσόμενον. i. *conuolutus in ſuperioribus inteſtinorum anfractibus, excitat ileos affectus, qui inde* ἐπίκλησιν *ſuam deſumpſit.* Sed dupliciter erraſſe videtur hic Aretæus, tum quod flatum potiſſimam facit ilei cauſam, quæ ad colicum affectum potius eſt referenda: tum quod ſuperioribus inteſtinis anfractus & gyros tribuat: cum tamen notum ſit illos tantum in craſſioribus reperiri. Recipienda itaque potius ſententia Galeni *initio libri* 2. *method.* & Actuarij *libro* 1. περὶ διαγν. παθ. *cap.* 45. qui voluerunt ileon à ſymptomate vocari, διὰ τὸ τὰς ἐντέρων εἱλίκας εἱλεῖσθαι, quia in hoc affectu inteſtinorum inuolucra conuoluuntur, & conſtringuntur: quâ notione etiam Latinis voluulus, & conuoluulus dicitur. Inualuit tamen apud vulgus alia huius nominis ratio, vt exiſtiment εἰλεὸν quaſi ἐλεεὸν miſerabilem dictum, ἀπὸ τοῦ ἐλεέω, quod eſt miſereor, & paſſim *miſerere mei* à Barbaris vocatur, vt à vulgaribus Græcis hodie ἐλέησόν, quoniam nullus eſt alius affectus qui maiorem miſerationis occaſionem afferat: aut in quo ægri magis ad implorandam diuini numinis miſericordiam conuerti debeant: Acutum enim tormentum per antonomaſiam ab Aureliano vocatur, in quo ægrotantes exiſtimant conuolui atque torqueri ſuorum inteſtinorum verticula, & vehementia doloris preſſi ſupra eas partes quæ patiuntur arcuati conuolutíque plicantur. Quod ad χορδαψὸν attinet, quidam volunt ἀπὸ τοῦ χορδύνου, quod eſt implico & inuoluo, dictum: alij vero aptius ἀπὸ τῆς χορδῆς ὥσπερ, ducta ſcilicet ratione tum ab ipsâ parte affectâ, inteſtinis ſcilicet quæ χορδαὶ & χορδάμαλλα antiquis dicebantur; & ſymptomate qualitatis tactilis mutatæ, duritiei & renitentiæ præter naturam, quæ ſolet ſentiri in parte inteſtini affectâ, velut extenſi alicuius & valide circumplicati funis. Quid vero ſentiat Aretæus *capite ſexto libri ſecundi*, & Archigenes apud Aëtium *capite* 27. *libri primi*, dum volunt χόρδαψον tanquam χορδῆς ἔφησιν. i. inteſtinorum emollitionem dictum, dúmque in inteſtinis ſimul πίεσιν καὶ μάλθαξιν compreſſionem & mollitiem iungunt, non eſt facile diuinare, ſed potius manifeſtæ abſurditatis definitionem, ſecundum communem Medicorum acceptionem, notionéſque vſitatas proponamus.

Ileos igitur ſeu voluulus eſt dolorifica ac peracuta inteſtinorum, potiſſimum ilei, paſſio, ad quam ſuppreſsâ omnimodè aluo propter factam in illis magnam obſtructionem aut adſtrictionem, conuolutiones, tenſiones, & horrendi variorum humorum ac tandem fæcum vomitus ſuccedunt. Hac definitione expreſſimus ea omnia quæ ad eſſentiam, cauſas, differentias, & ſigna huius morbi cognoſcenda pertinent:

pertinent: cum enim dixerimus paſſionem eſſe peracutam & dolorificam, hinc colligere licet affectus ſpeciem, quæ ad acutos morbos primi aut ſecundi generis eſt referenda; quoniam ob doloris atrocitatem, functioniſque ad vitam neceſſariæ priuationem fieri non poteſt, quin conflictus hic cito peragatur, ſuccedátque mors intra primum quaternarium, vel ſeptenarium, niſi interea quædam affectus ſolutio mitigatione contigerit: cuius etiam actionis in hoc affectu ſit læſio ſignificatur doloris nomine, vt iam à nobis in colicâ paſſione fuit explicatum, cui veluti parentes & authores adiunguntur abolitio excretionis naturalis inteſtinorum, quâ ſolent deorſum facto ſcilicet inferiora verſus motu periſtaltico contentas in ipſis fæces humoréſque deponere: ad cuius interceptionem reuolutis quaſi & immutatis curſibus excretio illa violenta & deprauata apparet per ſuperiores ductus. Quod ad partem autem affectam attinet, diximus eſſe inteſtina, potiſſimum verò tenue illud quod ileon vocant: vtpote magis patens inflammationi ob vaſorum copiam, & indurationi fæcum ac collectioni humorum, quia eſt vicinum craſſis. Videtur quidem aliquando Galenus ſolis tenuibus hanc paſſionem adſcribere. Alias tamen, vt *comment. in 3. Epid. & 6. de locis affect.* in quibuſuis fieri ſcribit veriſimili admodum ratione: nam cum excrementa illa fœtida & fæculenta, quæ ſæpius in hoc affectu excluduntur, non ſolum in tenuibus, ſed potius craſſis contineantur: fieríque poſſit non ſolum in illis, ſed etiam in his ea diſpoſitio, quæ humorum iſtorum per inferiora excretionem omnino impediat: hinc ſequitur vtriſque paſſionem adſcribendam. Adde quod, vt in cauſis poſtea dicemus, cum hæc affectio non rarò ſuccedat prolabentibus in ſcrotum inteſtinis, certiſſimum eſt, quidquid neget Laurentius, craſſiora potius eò deuolui quam tenuia. Hinc Arabes Colicam & Iliacam quaſi ſoroſes, & iliacam quaſi ilei colicam vocarunt propter affinitatem tam affectus quam affectarum partium. Quærunt multi, an hic affectus contingere poſsit inflammato aut alio quouis modo obſtructo pyloro, ſeu inferiore ventriculi orificio, quando quidem per eiuſmodi conſtitutionem omnis ad inferiora commeatus intercipitur. Quod tamen non videtur veriſimile. Primò, quia tanta excrementorum vomitioniſque copia ex ſolo ventriculo promanare non poſſet, cum vna aut altera excretione totus facillime vacuetur, quando nihil aliud ex inferioribus partibus affluit. Secundò, in pylori inflammatione, magnæ illæ inteſtinorum conuolutiones, tenſioneſque non ſentirentur, neque tanta ſequeretur alui ſuppreſsio, quantam hic contingere omnes ſciunt, immutato motu illo periſtaltico inteſtinorum. Denique cum inferius illud ventriculi orificium ſit velut origo inteſtinorum, primíque illius quod δωδεκαδακτυλὸν appellant, credibile eſt factam in eo inflammationem citò ad hoc inteſtinum propagari, ac proinde hunc affectum perpetuò inteſtinis, potiſsimum ileo & colo, tribuendum, vtpotè quibus natura excrementorum ſeu reliquiarum primæ ſecundæque coctionis continendarum præcipuum munus demandauit.

Quæ vero cauſæ ſint proximæ & immediatæ ſeu diſpoſitiones morbificæ, ex quibus crudele hoc ſymptoma proficiſcitur, expreſsimus in propoſitâ definitione, dum diximus magnam obſtructionem aut adſtrictionem inteſtinorum id efficere. Per obſtructionem enim ſeu ἔμφραξιν intelligimus omnem materiam ſeu corpus, quod in cauitatibus illorum poſitum, viam omnino, & meatum intercludere poteſt: corpus illud rurſum vel adhæret inteſtinis, vt tumores omnes præter naturam calidi frigidive, qui ex fluxione in eorum ſubſtantiam factâ aut congeſtione geniti, media ſpatia occupant: aut non adhæret, vt omnis materia, quæ in interiore eorum parte collecta firmiter occludit viam & commeatum illum communem. Hæc autem multiplex eſſe poteſt, prout multa in inteſtinis contineri ſolent: nam & fæces ipſæ lapidis inſtar induratæ, calculus aliquando in illis genitus, vt narrat Hollerius, vermes conglobati, ſanguis copioſè in inteſtina effuſus & in grumos coactus, melancholicus ſuccus, mucus ſeu pituita craſſa & viſcida anguſtans aut potius opplens omnino internam alicuius inteſtini cauitatem. Non eſt tamen veriſimile fieri etiam hanc obſtructionem à bile multâ in inteſtinis gracilibus aceruatâ, vt voluit Rondeletius, cum ſatis notum ſit bilem tenuitate & vellicatione quâ prædita eſt, necnon detergendi vi obſtructiones potius ſoluere quam parere, ideóque in inteſtina effuſam clyſteris naturalis vicem obtinere. Tot igitur rebus obſtructio iſta contingere poteſt. Per adſtrictionem verò ſeu στύψιν inteſtinorum intelligi-

mus omnem anguſtiam, quæ in illis accidit abſque vllâ materiâ ſeu alieno corpore in earum cauitatibus contento, quámque aliquando coalitus efficit, vt in φιμώσει, poſt vulnus aut vlcus, quando inteſtini parietes coaleſcunt; ſed hæc raro contingunt; ſæpius vero eandem anguſtiam parit compreſſio in illis facta, vel in ſua ſede permanentibus, vel prolapſis & à ſitu ſuo naturali recedentibus. Primæ illius compreſſionis ſpecies à quouis incumbente corpore, & grauiter obturante contingere poteſt, vt inflammatione vel alio tumore ingenti epiploi, muſculorum abdominis, vteri, item veſicæ, in qua etiam calculus aut magna collecti muci copia tantùm comprimere ac coarctare inteſtina poteſt, vt ileon generet, ex ſententia Hippocrat. *Aphoriſm.* 44. *ſect.* 6. quamuis Galenus *in commento* illud pene impoſſibile exiſtimet. Secunda autem compreſſio ſeu coarctatio inteſtinorum quæ hunc affectum creat, fit, vt diximus, illis à ſuo naturali ſitu recedentibus: nam ſiue proprio pondere, aut contentorum vi, vel continentis, nempe peritonæi imbecillitate, ruptura, aut relaxatione contingat inteſtina prouolui in ſcrotum cum fæcibus, vel circa vmbilicum contorqueri, quod vel in vnico inteſtino accidere poteſt, quando reuoluitur, aut concidit in ſeſe; vel in pluribus, quando complicantur ſimul: certe tunc periculoſiſſima contingit & frequentiſſima ileï ſpecies, quamuis ab antiquioribus fere omiſſa videatur. Sunt qui exiſtiment adſtrictionem iſtam ſeu σίγνωσιν in inteſtinis fieri poſſe non ſolum à corporibus vel obſtruentibus vel coarctantibus illorum cauitates, ſed etiam à ſola irritatione, quando videlicet aſſumpto veneno putrente aut maligno cibo, vt de fungi cuiuſdam ſpecie narrant; aut deleteria quauis qualitate, ita feriuntur ac percelluntur inteſtina, vt coactis ſuis fibris infernè contrahantur, nihilque deorſum ferri permittant: ad ſuperiora verò reuoluuntur: quod etſi rariſſimè contingat, non tamen omnino abſurdum eſſe videtur; atque huius meminit Galen. *lib.* 3. περὶ ὄξεων. Poſuimus igitur ileon aut propter obſtructionem, aut adſtrictionem cauitatis inteſtinorum euenire: rurſum diximus obſtructionem illam fieri vel à tumoribus propriis inteſtinorum, vel à materia multiplici in eorum meatibus contenta: adſtrictionem autem fieri aut à vicinis corporibus quocumque modo, & valide comprimentibus inteſtina in ſuo ſitu: vel quando decidunt à ſua ſede, reuoluuntur & complicantur: aut denique aliquando per ſolam irritationem: quarum rurſus omnium ſpecierum varias & multiplices cauſas inquirere debet præſens Medicus ex rebus naturalibus, non naturalibus & præter naturam quadam ſerie repetitas, quas nos vel in præcedentibus fere tractatibus expreſſimus, vel facile eſt vnicuique inuenire pro varia præſentium rerum conſtitutione, quæ ortum vel incrementum illis præſtiterunt. Nos itaque ad ſigna diagnoſtica affectæ partis, cauſarum, & ipſius affectus progrediamur.

Cum itaque prius affecta eſſe hic inteſtina conſtitutum ſit, vel per ἰδιοπάθειαν, quando cauſa ipſa morbifica materialis in proprio eorum corpore poſita eſt: vel per συμπάθειαν, quando videlicet à vicinarum partium pondere comprimuntur & anguſtantur: ideo imprimis iſta diſtinguere oportet notis morborum qui vicinis partibus contingunt: nam ſi ileos illis ſucceſſerit, cum eis ſimul ingraueſcat & miteſcat, magna erit ſuſpicio ſympatheiæ. Vbi vero nulla eiuſmodi ſigna ſeſe obtulerint, conuertendus animus ad dignotionem prædicti affectus, & cauſarum ſeu differentiarum illius. In quocumque autem ileo ratum certúmque eſt alui omnimodam ſuppreſſionem (Hippocrat. περὶ παθῶν. διαχωρέειν δεῖ) eſſe veluti primarium & παθογνωμονικὸν ſignum: quamuis enim in colicâ paſſione, & tardiore aluo, remorentur ſæpiùs fæces, nuſquam tamen, vt docet Galenus 6. *de locis affect. & comment. in Aphoriſm.* 10. *ſect.* 7. tanta alui adſtrictio, támque obſtinata perſeuerat, vt in ileo: ad quam velut conſectarius eſt vomitus ille implacabilis & moleſtus, primò variorum humorum & eorum quæ aſſumuntur: poſtmodum, vbi ad extrema & miſerias ventum eſt, adeſtque Hippocratis πλεῖς ἀνωδύης, exitialium fæcum. Non quod veræ fæces & figuratæ, quales in recto inteſtino potiſſimum continentur, in hoc affectu excludantur: ſed humores corrupti vitiatíque longâ cruditate & agitatione, qui odore, ſaporéque ægris & adſtantibus moleſtiſſimo, fæcum ipſarum prauas qualitates ſuperant. Habet etiam vomitus ileoſus hoc peculiare, quod conuolutionibus & tenſionibus inteſtinorum eſt comitatus, quas Hippocrat. σπωλικὰς lethales & dolorificas appellauit. His cito annectuntur horrenda ſigna partium omnium corporis præſentem ruinam præſentientium, vt facies illa cadaneroſa, totius corporis fœtor, quem Galenus obſeruauit in quodam ileoſo

lib. 6. prorrhet. ſect. 3. extremorum frigus & mador, ſingultus vehemens ab exhauſto ventriculo, aut teterrimis illis vaporibus perculſo, ructus inanes & olidi, cardialgiæ, anhelitus difficultas ob diaphragmatis diſtractionem violentam, cordis tremor & ſyncope, conuulſio & deſipientia, raptis iam ſurſum humoribus, & cerebro communicatis, vrinæ ſuppreſſio ceſſantibus abdominis muſculis, qui ad excretionem multum conferunt, & condolente veſicâ. Signa vero cauſarum ſeu differentiarum ilei diligenter attendenda, vtpote ex quarum varietate tota curatio eſt repetenda. Si enim à tumore phlegmonoſo fiat, quod frequentiſſimum voluit Galenus, ſentiuntur illa quæ eiuſmodi tumores conſequuntur, ſcilicet calor ingens partis, ad quem febris aſſidua exoritur, rubor oculorum & faciei, necnon aliquando ſuperiorum abdominis partium dolor violentus & fixus, quem inflammatorium appellauit; pulſatio interna, renixus ſeu durities magna velut extentæ chordæ: citò ſupprimitur vrina, reliquaque ſigna lethalia apparent. Quod ſi à tumore (quod tamen nunquam vel rariſſimè fit) frigido fiat, ſentitur quidem durities quædam & renitentia pro tumoris naturâ, ſed abeſt febris, ſaltem in principio; dolor eſt grauis vel obtuſus, ſenſim augetur affectus, omniaque ſymptomata ſunt remiſſiora. Quod eodem modo dicas de pituitâ craſsâ & lentâ, grumis ſanguinis, ſucco melancholico, aut fæcibus induratis obſtruentibus inteſtina: Præterea in his præceſſerunt cauſæ internæ externæque generantes, aut deducentes eiuſmodi ſuccos ad inteſtina: quod ex rerum præſentium ac præcedentium conſtitutione erit repetendum. Facillimè autem iſta contingunt illis, qui vel ob conſuetudinem vel negotia diutius aluum cohibere ſolent: muneris enim ſui facilè obliuiſcitur, & ſenſim prauis illis humoribus oppletur cum magnâ τῶν σκυβάλων, induratarum ſcilicet fæcum copia, quæ ſæpius inuicem complicantur. Quando vero inteſtina prouoluuntur in ſcrotum cum indurata fæce, facile eſt hernioſum iſtum ileum deprehendere; ex tumore & duritie quæ ibi reperitur, vt etiam ſi laxitas aut crepatura in vmbilico aut quauis aliâ peritonæi parte dederit viam inteſtinis ad recedendum è propriâ ſuâ ſede. Quod ad coalitum inteſtinorum attinet, neceſſè eſt præceſſiſſe vulnus aut vlcus, quæ ſuis ſignis ſatis ſe produnt. Si vero inteſtina male colligata in ſeſe concidant aut complicentur, id abſentiâ prædictorum ſignorum erit deprehendendum, nec non torſione ac veluti inuolutione chordæ reduplicatæ, quam æger & Medicus facile tactu percipiunt: præterea ad eiuſmodi diſpoſitionem inducendam ſæpius rerum violentarum impetus, vt caſus, ictus, ſaltus, ſuccuſſationes, & ſimilia præceſſerunt. Denique ſi à ſolâ irritatione pendeat ileos, aſſumpto ſcilicet veneno, aut quauis aliâ re deleteriâ, incipit à cardialgiâ, tremore cordis, ſyncope, & vomitu, vtpote corde aut ventriculo prius affectis quàm ipſa inteſtina ſint læſa. Neque ſentitur illa tenſio cum tumore. Notandum etiam in quauis voluuli ſpecie vrinam admodum eſſe tinctam & rubro colore ſaturatam, tum propter vigilias, dolores, ſitim & abſtinentiam: tum quod bilis quæ in inteſtina deriuari ſolebat, per eiuſmodi motus refluit, & amandatur ad vaſa vrinaria: vnde Auicennas monet eleganter, in hoc affectu non eſſe leuiter pronuntiandum de naturâ cauſæ frigidæ aut calidæ ex vrinarum aſpectu. Præterea quid velit Hippocrates *lib. de internis affectibus* per voluulum χιγώδη, ἰκτεράδη, αἱματίτη, non eſt facile intelligere, niſi fortaſſis ſymptomata quædam audiat quæ huic vel illi ſpeciei magis contingere ſolent, vt rigorem quando humor eſt frigidior, ictterum quando pendet ab inflammatione, fluxum ſanguinis quando ex violento vomitu hæmorrhagia è naribus, aut ore ſubſequitur, quod ſatis eſt frequens & ab illo annotatum.

Ex his igitur prognoſim in hoc affectu ſtabiliamus, quam Hippocrates *lib.* περὶ παθῶν abſolutè & ex totâ ſpecie ἰξὺν καὶ ἀπυρδνὸν vocauit, cui Galen. aſſentiens *lib. 6. de locis affect.* vix vnquam aliquem euadere ſcripſit. Inter ilei autem differentias magis periculoſa ea quæ complicatas habet cauſas, vt inflammationem cum craſſis humoribus vel fæcibus induratis, vix enim ſperabilis eſt tanti mali ſolutio, quando duæ cauſæ ſeſe impediunt & remediis aduerſantur. Tres ſunt apud Hippocratem Aphoriſmi, ileoſi affectus prognoſim ſpectantes: nempe 10. *ſect.* 7. *Ab ileo vomitus, ſingultus, conuulſio, aut deſipientia, malum*: quoniam hæc monſtrant ſynteimoriam partium ſuperiorum, cerebri potiſſimum & ventriculi vehementer affectorum & compatientium. Alius eſt 44. *ſect.* 6. *Quibus ad ſtranguriam ileos ſuccedit*, non propter compreſſionem, ſed fluente in vtrumque alueum pituitâ, *intra ſeptem dies pereunt, niſi febre ſuperueniente copioſa vrina fluxerit*: quem Aphoriſmum quamuis Galenus ſu-

ſpectum habeat, repetit Hippocrates *in Coacis*: melius tamen adhuc dixiſſe videtur ſub finem Coaci tractatus: *quando ileoſis vrinæ interceptio ſuperuenit, citò moriuntur*, quia duplicis meatus anguſtia vrget. Tertius denique habetur *ſect.* 3. *Aph.* 22. vbi vult ileon autumno potiſſimum contingere, propterea quod humores, qui per æſtus in exterioribus partibus deerrabant, ſuccedente autumni frigore, & inæqualitate ad interiora compelluntur. Præterea *in Coacis*: *ſi hypochondry meteoriſmo & aluo grauedolenti, abſceſſus ad aurem aſſurgat, mortem infert*: Et rurſum, *ileoſis vomere, & obſurdeſcere malum eſt*: ſiue enim illa ſurditas fiat ab exolutione cerebri, ſiue obſtructione meatus auditorij ob inſtantes aut præſentes parotidas, ægri tunc ἴχωρον ἰλιθέμους, mortifere ſe habent, extinctâ iam animali facultate, aut oppreſsâ ab affluente materiâ, cuius pepaſmus in tam celeri morbo, aut vacuatio non eſt ſperabilis, ſuppreſsâ omnimodè aluo. Inter ætates, vt vult Aëtius, pueri magis incurrunt voluulos propter ingluuiem; quàm ſenes: facilius autem liberantur, quia partes humidiores, & minus tenſas naturaliter obtinent. In ileo tunc ſalutis quædam ſpes affulget, quando aluus vel ſponte, vel artis beneficio aliquid excludit, potiſſimum vbi quædam induratæ ſtercoris partes excernuntur, & vomendi impetus minuitur.

Non eſt etiam omittenda controuerſia, quæ videtur eſſe inter Aurelianum & Auicennam. Aurelianus enim *lib.* 3. *acutor.* agens de ileo, *memorant*, inquit, *ventum per podicem redditum ſine odore tetro perniciоſum eſſe: at ſi fuerit odoris tetri, ſalutem promittere. In illis enim ob nimiam ſtricturam tanquam liquatus ſpiritus purior excluditur: in his autem ob quamdam laxamenti facultatem infectus exhalationibus ſtercorum excluditur.* Auicennas contra proprio capite valde fœtentem crepitum damnat. Quæ ita conciliari poſſunt, ſi dicamus, verum eſſe quod dicit Aurelianus de crepitu. Si enim nullo odore ſit præditus, maiorem obſtructionem ſignificat, ac proinde melius eſſe vt modicè fœteat: Sin verò valde putrilaginoſum præ ſe ferat odorem, periculoſum eſſe cum Auicenna, quia corruptelam ingentem ſubeſſe ſignificat, quæ emendari non poteſt. Vel dicendum, mali odoris crepitum minorem quidem obſtructionem ſignificare, ſed deteriorem eſſe cauſam quæ illam parit. Atque hæc de prognoſi, nunc ad curationem veniamus.

In cuius explicatione non eſt quod peculiariter ea omnia recenſeamus, quæ vel in præcedentibus affectibus huic affinibus potiſſimum colico, propoſita fuerunt: vel ex communibus præceptis colligi poſſunt: ſed ea ſolum quæ ad tanti morbi expugnationem præcipuam vim habere in veterum monumentis tradita, vel à poſteris fæliciter inuenta, & quotidiano vſu à nobis ipſis comperta fuerunt. Cum igitur tam præcipitis & periculoſi affectus eſſentiam poſuerimus ἐν τῇ ἄνω ἰλιάσει, in illâ inteſtinorum reuolutione, & omnimodâ alui ſuppreſſione: ſequitur veram illius ſublationem poſitam eſſe in eis quæ aluum ſoluere & interceptionem meatus illius expedire queunt. Verum quoniam illa interceptio fit à variis cauſis obſtruentibus aut adſtringentibus, ideo habenda ratio varietatis cauſarum, non ſolum conjunctarum & proximarum, ſed etiam antecedentium, ſi morbus aliquas dederit inducias: ſecus enim tota erit conuertenda cura ad propinquæ cauſæ, ex qua tam ſæuum ſymptoma ſuſcitatur, ablationem. Quod ad victus ergo rationem attinet: cum parum in illo virium poſitum ſit ad iſtius affectus expugnationem, ideo breuiter de eo tranſigamus, dicentes alimentorum ſubſtantiam debere eſſe hic euchymam, formam ſorbilem, quantitatem modicam, quæ non magis impellat naturam ad vomendum, qualitatem oppoſitam qualitatibus cauſæ, vt etiam hac ex parte iuuetur æger, quantum fieri poterit. Reliquæ etiam res non naturales ritè diſpoſitæ ſint ad expugnandum cauſas morbificas, quod ſæpius à nobis fuit propoſitum, & facile eſt vnicuique ex contrariorum regulâ inuenire. Nunc itaque ad ipſa remedia aggrediamur.

Vbi igitur à tumore phlegmonoſo exoritur ileos, quod frequentiſſimum eſſe voluit Galenus, ea erit inſtituenda curatio quam nos fusè ſumus perſecuti in tractatione colici affectus ab inflammatione: Cui hoc tantum addemus, quod in omni inflammatione partium internarum à recentioribus obſeruatum eſt, aquam florum papaueris rubri ad ℥ iij. vel iiij. ſumptam bis in die ſub morbi principium, magnum adferre commodum, tam ad ſedandam phlogoſim & intemperiem partis, quam fluxionis impetum compeſcendum, & excitandi ſudoris cauſâ, quo ſæpè miteſcere ſolet morbus. Quod ſi à tumore frigido fiat ileos, ſcirrhoſo ſcilicet aut œdematoſo, qui omnino internum oppleat inteſtini meatum,

magna

magna erit curandi difficultas : quoniam iſtæ frigidorum ſuccorum collectiones non niſi diuturnitate temporis attenuari, reſolui aut molleſcere poſſunt, prius verò mors obrepit priuatione actionis illius ad vitam neceſſariæ, vt vehementi naturæ perturbatione, quàm hæc perfici poſſint : tentanda tamen therapeia vehementer purgantibus, tam per os ſumptis, quam per anum infuſis, vt oberrantes ſaltem circa tumoris molem humores cito vacuentur, & maior obſtructio impediatur. Admoueantur confeſtim parti dolenti, quæ materiam educant foras & reſoluant per inſenſilem tranſpirationem, vt omnia diaphoretica, & epiſpaſtica, fotus, vnguenta, emplaſtra, & ſimilia : necnon ſenſibiliter vacuantia, vt cucurbitulæ cum ſcarificatu, aut veſicatoria, quibus ſi imminuatur affectus, & fæces per inferiora elabantur, poſtea ad methodum ordinariam eorumdem tumorum, omnibus ſatis notam, erit accedendum.

Quod ſpectat verò ad reliqua obſtruentia, vt lumbricos, fæces induratas, pituitam craſſam & viſcidam, ſuccum melancholicum & ſimiles, non erit diſpar curandi ratio illi quæ iam propoſita fuit capite de lumbricis & de aluo ſuppreſsâ: hoc tantum notato, quod in extremis morbis extrema remedia exquiſitè adhibita vſurpari debent : ideóque non eſſe hic cunctandum, ſed validis quam primùm mollientibus, detergentibus, incidentibus, vacuantibus, pro variâ cauſæ naturâ eſſe agendum, vt confeſtim, ſi fieri poſſit, imminuatur illa obſtructio, & aditus quidam humoribus concedatur. Balneum relaxans & emolliens in his caſibus commendatur, atque vt ægro tunc acriores in anum glandes aut ſuppoſitoria indanturi per os verò exhibeantur iuſcula pinguia, olei amygdalarum dulcium ʒ iij. quando ſtercorum duricies id præſtat, vel oxymel compoſitum : decoctum radicum aperitiuarum & raphani, ſi à craſſis humoribus pendeat : eadem per clyſteres affundantur, in quibus non erit inutile vnguenti dialthææ aut reſumptiui ʒ. j diſſoluere. Poſt exitum balnei exhibeantur cathartica conuenientia ſub formâ pilularum, aut boli, vel pulueris, ne tam facile reiiciantur : ad quod accommodatiſſimæ videntur mihi pilulæ cocciæ minores dictæ, quæ pondere ʒ ß. egregie aluum concitare poſſunt : horâ vnâ poſt ſumptas pilulas exhibeatur clyſter catharticus, qui paratam materiam ad inferiora citò deducat. Si nolit pilulas, capiat turbith pulueriſ. ʒ j. ß. cum ϑ j. diagridij, in vino albo diſſolutorum ; aut prædicti pulueres excipiantur pauco melle roſaceo, & fiat bolus, quem capiat omni hora. Iniecto deinde clyſtere aut acriori glande ſiue ſuppoſitorio, quod filo appendere & coxæ alligare conueniet, ne intrò rapiatur, vt ſolet in hoc affectu, ſi quid hac ratione proceſſerit, tunc experienda recentiorum cura, qui iubent globulum plumbeum vel aureum eſſe deuorandum, vt ſuo pondere reliquias obſtructionis protrudat. Velim ego, ſi vires ferunt, tunc ægrum in balneo ex decocto althææ parato collocari, vt maior partibus laxitas comparetur. Narcoticorum vſus ſummopere in hoc affectu conducit, vt quædam induciæ parentur naturæ : necnon ſæpe prodeſt illa purgantibus miſcere. Sunt qui nihil præſtantius eſſe exiſtiment, quam ſi argentum viuum à ϑ j. ad ʒ j. vſque deuoretur pro conditione ægri : nihil enim validius aſſerunt ad agitandam & quaſi perforandam materiam illam obſtruentem. Impunè autem deuorari hydrargyrum, nec inter venena eſſe reponendum, niſi quantitate nimiâ aſſumatur, docuit Fallopius *proprio capite*. Apud Aurelianum legitur Catapotium plumbi, à Serapione deſcriptum, cuius vis non parua eſſe videtur in hoc affectu : ramentum enim plumbi cum elaterio, diagridio & ſale, excipitur terebinthinâ, & in pilulas concinnatur : *Vt enim plumbum* (inquit ille) *impellit pondere, & excludit obtrudentia, ſic reliqua aperiendo, trahendóque non parum valent.* Plinius autem Secundus *lib. 2. cap. 33.* ſcribit ſanguinem diſcerpti veſpertilionis calentem ventri illitum ileoſis plurimùm conferre : item ſpolium ſerpentis decoctum in vaſe ſtanneo cum oleo roſaceo, & ventri admotum. Sed hæc ad empiriam propius accedunt, quæ tamen experiri licebit.

Supereſt adſtrictio ſeu anguſtia inteſtini, quæ ileon parit abſque interitu materiæ. Ad cuius curationem ſtrenuum etiam oportet eſſe & diligentem Medicum, atque principiis obſtare, ne ingraueſcente morbo præterlabatur occaſio adhibendorum remediorum. Quare ſi ex adhæſu fiat vlceratorum inteſtini parietum inuicem coaleſcentium, diſrumpenda imprimis illa connexio eis quæ pondere ſuo diuellere poſſunt adhærentes partes, vt deuorato aureo vel plumbeo globulo : deinde ſumptis & admotis deterſio & exſiccatio vlceris, promouenda, quemadmodum dicetur capite de dyſenteriâ, donec cicatrix inducta fuerit : totieſque

que iteranda diſruptio eiuſmodi coalitus, quoties renouari videbitur. Sed hæc raro admodum contingunt. In prolapſu autem inteſtini ad ſcrotum aut vmbilicum, tentanda eſt ſubita illius repoſitio, antequam inflammatio oboriatur, aut inteſtinum diutius preſſum infletur: vbi hoc enim ſemel acciderit, deplorata eſt ſalus ægri. Si enim in ſcroto maneat, perſeuerante ileo moriuntur: ſin vero reponatur, intra ſex aut ſeptem horas pereunt, ſuccedente partis ſphacelo & putrilagine. Quomodo autem reponendum inteſtinum, molliendo, laxando, fotibus, oleis, balneis, blandâ Chirurgi contrectatione, & vario corporis ſitu, ſatis eſt notum, & dicetur in tractatu de herniis. Eodem modo conuoluta aut complicata inteſtina reſtituantur, variâ contrectatione, & motu corporis, nec non ſuſpenſione per pedes, vt diuerſis his commotionibus malus ille ſitus, aut connexus inteſtinorum expediatur. Interdum quoque balneo, aut fotu molliente & relaxante reſtituuntur, ſumptoque globulo illo plumbeo vel aureo.

Quibus fruſtra tentatis audent aliqui (quod de Praxagora Medico refert Aurelianus) ventrem aperire, & per medium vulnus plicaturam inteſtini, aut aliam quamque diſpoſitionem tollere: neque magis periculi in hoc autumant, quam in partu cæſareo celebrando, cuius nunc vulgata & probata eſt omnibus operatio: quæ tamen non erunt tentanda, niſi expetente ægro aut parentibus, & dubij euentus certè præmonitis. Hippocrates *lib. περὶ παθῶν, & de internis affectionibus*, conuolutiones iſtas expugnat mirâ quadam ratione: appoſitis enim podici follibus tantum flatus immitti vult, donec vi ſua inteſtina attollant, & diſtendant; ſperat enim ſic dilatatis inteſtinis minorem fore obſtructionem, ac clyſteribus accommodatis viam parari, quâ educere materiam intus latitantem valeant. Atque hæc erant quæ de tanti affectus curatione habebamus proponenda. Quod ad ileon enim attinet, qui ab irritatione ſit aſſumpti veneni, putrentis cibi, aut alterius malignæ qualitatis; illius ſublatio cardiacis potiſſimum, quæ peculiariter theriaca ſeu antidota appellantur, erit perficienda: nec non vomitus, qui in hoc ſolo caſu competit, ſtatim iuuandus eſt, vt noxij illi humores, ſucci aut quæcunque aſſumpta confeſtim excludantur, nec diuturniorem intus moram faciant. Abſolutis ergo ſuppreſſæ alui ſymptomatis: iam ad immodicos illius fluxus accedamus, ducto à diarrhœâ exordio.

CAPVT V.

De diarrhœâ.

INTESTINORVM, vt & reliquarum corporis noſtri partium quaſdam eſſe actiones vſuſque nemo dubitat, præcipuè naturales & inſitas, attrahendi ſcilicet, retinendi, concoquendique proprium alimentum, atque illius ſuperflua expellendi. An vero totidem illorum facultates communibus corporis officiis inſeruiant, multi non immeritò ambigunt, authoritatibus quibuſdam Galeni & rationibus adducti, quas noſtrum non eſt hic recenſere. Exiſtimamus enim quatuor illas facultates attrahendi, retinendi, concoquendi, & expellendi non minus inteſtinis quam ventriculo eſſe conceſſas ad priuatos & publicos vſus. Cum enim eadem ſit inteſtinorum & ventriculi ſubſtantia & compoſitio, in eis triplex villorum genus reperiatur, denique idem ſit finis, nempe ad totius corporis primam alimoniam concoquendam deportandamque & reliquias expellendas: certe cogimur fateri, totidem eſſe in inteſtinis functiones officiales ſeu publicas; nuſquam enim ritè ne dicam violenter, procederet chyloſa materia à ventriculo, quamuis expulſa, niſi ab inteſtinis attraheretur: quomodo etiam ſuccederet diuulſio illa quæ eſt neceſſaria ad famem excitandam, niſi attractio inteſtinis concedatur? Eademque citius dicto efflueret, niſi ab eiſdem retineretur: quemadmodum patet in leienteriis, quæ dyſentericæ affectioni & cicatricibus obductis ſuccedunt, in quibus chylus ſine vllâ ventriculi labe aut expultricis irritatione effluere ſolet. Eſt tamen ea differentia inter haſce iſtarum partium communes functiones, vt ſplendidior ſit in ventriculo attrahendi retinendique vis: in inteſtinis verò expellendi: concoquendi autem ſeu chylificandi

candi facultas,ſi prima rudimenta ſpectes,in ventriculo maior:ſin verò perficiendi & abſoluendi ac ſecernendi munera conſideres,in inteſtinis præſtantiora eſſe reperies.Quæ omnia ritè pro naturæ inſtituto diſpoſita fuere,vt cuilibet partium iſtarum vſus contemplanti diligenter,notum eſſe poteſt.Nos ergo his poſitis ad conſtitutum penſum accedamus,immodicè ſcilicet fluentis alui affectus,qui tres illius facultates reſpicere videntur,concoctricem ſcilicet,retentricem,& expultricem non tam priuatas quam publicas. Vulgo autem quinque recenſentur ſymptomata, nempe diarrhœa,lienteria,ſub quâ Cœliacam complectemur,dyſenteria,& teneſmos,certis notis inter ſe diſtincta, vt in ſequentibus patebit.

Diarrhœa itaque Hippocrati & Galeno eſt alui profluuium ingens, ſeu iugis & copioſa excretio per anum liquidorum variorumque humorum,abſque inſigni dolore,cruditate,phlegmone,exulceratione,aut ſanguinis permixtione. Dicitur enim diarrhœa propriè ῥοώδης καὶ ἀμετρός à diuturnâ & copioſâ fluxione alui, quam Hippocrates *in Coacis* ſæpius per τὰς ὑγρὰς χοιλίας, χοιλίης ῥύσιες *Aph.*16.*ſect.*3. aut τὰ ὑγρὰ καὶ πολλὰ διαχωρήματα exprimit. Ridiculè quidam diarriam, quaſi diariam volunt eſſe dictam, quia ſæpius in die venit. Latini ventris fluxum,vt Celſus,vel defluxionem, vt Aurelianus,citam deiectionem & foria vocant, Galli *la foire*, ductâ à ſymptomate, nempe excreto nimio,appellatione. Hoc autem ſymptoma quod in genere excretorum immodico poſitum eſt, conſequitur neceſſariò aliquam functionis inteſtinorum noxam,expultricis potiſſimùm,quæ in hoc affectu præcipuè oblædi ſolet; quemadmodum concoctrix aut retentrix in lienteriâ aut cœliaca. Siue enim tempeſtiuè & ad animalis commodum hic alui fluxus excitetur, vt in criticâ aut periodicâ diarrhœâ; ſiue intempeſtiuè,& magno naturæ detrimento,vt in ſymptomatico & laborioſo alui fluxu, ſemper τὰ περιττώματα ea quæ excernuntur ſubſtantiâ, qualitate,quantitate,aut vtriſque moleſta,naturam ad expellendum præter conſuetudinem irritant, & excretrici facultati negotium faceſſunt. Hoc tamen diſcriminis eſt inter laudabiles illas ventris perturbationes & morboſas, quod in illis minor moleſtia ſentitur, vires excluſione iſtorum humorum recreantur potius quam deiiciuntur,*Confert* (inquit Hippocrates) *Aph.*2.*ſect.*1. *& leniter ferunt*: concoctionis notæ apparuerunt, & ea quæ exeunt quantitate potius excedentia, quam ſubſtantiæ aut qualitatis malignæ vitio moleſta ſunt. Adde quod vel ſubito & confertim erumpunt, vt in critico conatu; vel ſtatis temporibus & circuitu periodico erumpunt ac commodè ceſſant. In his verò δυσφορία & anxietas cum ἀτονίᾳ & vitium deiectione ſuccedit: multa cum ſtridore aut flatu exeunt ἄπεπτα, aquoſa, graueolentia,aliquando ποικίλα & variegata, aliquando impermixta & ſincera pro varietate humorum peccantium,& partium à quibus illi deriuantur.

Diximus enim in diarrhœa liquidos varioſque humores profundi: quoniam hic alui fluxus non tam eſt ſtercorum craſſarumque fæcum, (quarum non eſt tanta in inteſtinis copia,vt hunc affectum producere poſſint)quam tenuiorum,diffluentiumque ſuccorum,qui vel à toto corpore, vel à parte aliquâ, vt cerebro, hepate, liene, ventriculo, meſenterio,vnâ vel pluribus in ventris ſentinam amandantur. Vnde etiã exurgunt diarrhœas differentiæ,vt ratione partium mittentium habitudinalis,cerebralis,hepaticæ & ſimilium.Ratione autem profluentis humoris appellatur ſynteſtica,colliquatiua,ſeu adipoſa,purulenta,ichoroſa, pituitoſa,bilioſa aut melancholica: ſic ſi ſolus fuerit,impermixtam illam & ſinceram:ſi multiplex,& permixtus,mixtam & variegatam diarrhœam ab Hippocrate annotatam excitabit.

Addidimus,hunc alui fluxum contingere abſque inſigni dolore, cruditate,phlegmone, exulceratione, aut ſanguinis permixtione, vt ab aliis alui profluuiis accuratiùs diſtingueremus. Neque enim dolor hic ingens ægros excruciat, vt in teneſmo aut dyſenteriâ:neque alimentariæ materiæ crudioris prolapſus apparet,vt in lienteriâ & cœliacâ:neque tentantur inteſtina phlegmone,abraſione,aut vlcere,vt in verâ dyſenteriâ:neque ſanguis purus aut commixtus in diarrhœâ excernitur,quemadmodum in dyſenteriâ hepaticâ vel hæmorrhoidali fluxu:vnde hic verſus apud antiquos iactabatur,*cruda lien.ſimplexque diar. cum ſanguine dyſent.* Verum quidem eſt in diarrhœâ tractu temporis & vitio exeuntis materiæ, ſæpius inflammationem cum exulceratione ac ſanguinis profuſione ſubſequi,vt eſt apud Hippocratem *Aphor.*23. *ſect.*7.ſed illud in principio non aduenit.

Quæ verò ſint cauſæ iſtius affectus & differentiarũ,externæ internæque,nunc eſt inquirendum: vt ex his poſtea ſignorum tam diagnoſticorum quam prognoſticorum rectam rationem ineamus, conuenientemque therapeiam inſtituamus.

Quæcunque igitur προφάσεις ſeu procatarcticæ cauſæ humorum multitudinem quantitate ſolâ, vel ſubſtantiâ aut qualitate peccantium producere poſſunt in toto vel parte aliquâ corporis: quæcunque hoſce humores à reliquis partibus in ventris capacitatem protrudunt: coctionem partium, nutritioni potiſſimum dicatarum, violant: retentricem debilitant, aut expultricem ipſam infeſtant, & ad excernendum violenter ſollicitant: illæ omnes diarrhœas parere poſſunt. Sic aëris intemperies ſeu conſtitutio pluuioſa ingentes alui fluxus excitare ſolet, vt eſt in *Aphoriſmo decimo ſexto ſectionis tertiæ*, auctis nimirum humiditatibus & diſſoluto retentricis robore: eiuſdem frigidior tempeſtas & aquilonia, dum reſolutionem occluſis externi habitus poris impedit, exprimitque pituitam in cerebro contentam, per accidens diarrhœas illas, præcipuè cerebrales dictas, concitat, quibus adde aëris corruptelam & peſtilentem ſtatum, per quem lethaliſſima alui profluuia commouentur. Alimenta verò, tum ratione ſuæ ſubſtantiæ quando eſt δύσπεπτα aut κακόχυμα, concoctricis vim ſuperando, & prauos ſuccos multiplicando: vel quando nimis velociter nutriunt & diſtribuuntur, vt habetur *Aphoriſmo decimo ſeptimo ſectionis ſecundæ*, ventris profluuia pariunt: tum ratione qualitatis frigidioris, humidioriſque cruditates pariendo & laxando: vel acrioris putredinoſæ & deleteriæ, pungendo nimium, vellicando, & tergendo: ſub quorum cenſu referenda potiſſimum venena caliditate & erodendi vi prædita, necnon medicamenta omnia maligna, ſeu non ritè præparata, quæ horrendas illas hypercatharſes commouere poſſunt. Item quantitas ciborum potuſque nimia, necnon peruerſus eorum ordo ac tempus, dum nimiam faciunt in corpore ſaburram: vel cauſæ ſunt corruptionis eorumdem malæque diſtributionis, hunc affectum facile producunt & augent. His adde otium & corporis torporem diuturnum, quo humiditates accumulantur: exercitationes violentas, quæ ſtatim à paſtu celebrantur, vt choreas, duras equitationes, curſus & ſimiles, quæ coctionem ventriculi interturbant, alimenta inconfecta inde præcipitant, & obſtructiones meſenterij concitant. Excretiones etiam ſolitæ per ſudores, veſicam, vomitum, aut alias vias, ſi ſupprimantur, diarrhœæ authores eſſe poterunt. Venus vero immoderata, vt & ſanguinis largæ profuſiones aluos humectant, vt eſt *Aphoriſmo vigeſimo ſeptimo, ſectionis quartæ*, quoniam vim concoctricis facultatis admodum deiiciunt, corpuſque cruditatibus implent. Sic etiam ſomnus, quamuis per ſe humorum motus & effluuia ſiſtat, ſi diuturnior tamen fuerit & intempeſtiuus, collectâ intus magnâ humoris copiâ, anſam huic affectui præbebit. Denique omnia animi pathemata, quæ vel coctiones labefactabunt, vt timor, curæ, & meditationes nimiæ; vel humorum acrimoniam augebunt, vt ira & amor, ſæpè non leuem occaſionem etiam ſuppeditabunt.

Quod ad internas vero cauſas attinet, illæ vel ſunt naturales & ex primordiis noſtris petitæ: vel contra naturam. Naturales ſunt, vt temperamentum totius frigidius humidiuſque; vel partis, vt cerebri pituitoſioris aut ventriculi imbecillioris, quâ de causâ balbos diuturnis alui profluuiis corripi ſcripſit Hippocrates *Aphor.* 32. *ſect.* 6. quo modo etiam ætates immutare poſſunt variè alui conſtitutionem, vt iam ſuperiori capite docuimus: ipſæque mulieres viris vt plurimùm liquidiorem habent aluum. Res verò contra naturam in hoc affectu producendo potiſſimum valere nemini eſt dubium: nam & intemperies totius corporis hoc præſtare poſſunt. V.g. frigidior inductis cruditatibus: humidior relaxando, multiplicandoque materias iſtas morbificas: calidior etiam per febres hecticas, & colliquatiuas, quæ totam corporis pinguedinem fundentes, adipoſas illas fæces & vrinam proliciunt: per febres putredinoſas, & humorales, ex magnæ cacochymiæ vitio intus genito: aut certè per coctiones materiæ morbificæ factas quas diarrhœa critica conſequitur. Intemperies etiam variæ partium idem præſtare poſſunt. Nam cerebrum catarrhis oppreſſum, quando pituitam inſipidam aut acidiorem ad inferiora demittit magnâ copiâ; aut ſalſam exuſtamve & ichoroſam, diarrhœas illas pituitoſas, ichoroſas, ſpumantes, & ſalſuginoſas (Hippocrati διάῤῥοιαι ἁλμυρώδεις) excitat. Item hepar feruidum ex magno bilioſi humoris acrioriſque feri prouentu: lien obſtructus aut inflammatus; meſaraicæ venæ oppletæ alui fluxus bilioſos, atrabilarios, ichoroſos & variegatos concitare ſolent. Quibus adde vomicas & collectiones puris in thorace aut alibi factas, quæ ſæpè per hunc ductum expurgantur, & purulentam diarrhœam faciunt. Necnon ventriculi & inteſtinorum intemperies, quibus ſi maiores fiant humorum συναθροισμοὶ, concitatur expultrix facultas ad excernendum,

laborioſa

modò bonis ægri rebus, ſi talis alui fluxus commodè ſiſtatur; aliàs infauſtè, quando laborioſa eſt & ſymptomatica eiuſmodi vacuatio. Atque hæc de cauſis.

Signorum verò ratio, quibus pars affecta, affectus ſpecies & cauſæ deprehenduntur, ex ſolitis fontibus repetenda. Etenim vbi inteſtina, præcipua ſcilicet huius morbi ſedes, ex ſympatheiâ receptæ ab aliis partibus materiæ laborant, augetur hic affectus & generatur cum illarum partium affectibus, illiſque miteſcentibus ſedatur. Totius itaque corporis habitum, ſub quo etiam venas complectimur, ſuam illuuiem in inteſtina deponere declarant, illius repletio præcedens cum pondere, laſſitudine tenſiua, deiectiones variæ, & pro naturâ humoris in toto dominantis, otium multum, largior victus, & aliquando excretionum conſuetarum retentio vel imminutio, quam nullius partis male affectæ querela comitatur. Si verò ex toto fiat colliquatio pinguioris & adipoſæ materiæ: tunc febris hectica, aut ardens præceſſit vel adeſt, cum extenuatione vniuerſi corporis, vel ſaltem marcor & ſumma imbecillitas in partibus externis & muſculoſo genere. Quando autem inteſtina partis alicuius excrementa ſuſcipiunt, pariter eius notæ erunt manifeſtæ ex earumdem partium male affectarum internotione: cerebri enim catarrhos, qui in partes inferioris ventris irrumpunt, facile eſt deprehendere ex eis accidentibus quæ circa caput apparent, vt grauitate, ſomnolentiâ, ſputi multitudine aut ſenſibili deſtillatione, quæ fauces & gulam irrigat, aliquando dulci aut inſipidâ, aliquando ſalſuginosâ, prout cerebrum fuerit affectum, aut humorum permixtio contigerit. Addunt Practici, in diarrhœâ cerebrali aluum magis noctu & circa horas peruigilij fluere, quam interdiu, quia tunc pituita dominatur & morum ſuum habere ſolet. Hippocrates autem *Aphor.* 30. *ſect.* 7. *Quibus*, inquit, *in alui profluuiis excrementa ſpumantia funduntur, iis ex capite profluit pituita*; ſpumam enim eiuſmodi ex motu & longiori defluxu generari credibile eſt, ob permixtionem largioris flatus. In puerulis dentientibus plurimum diarrhœa cerebralis exoritur, attracto ſcilicet ob dolorem excremento, & acriori reddito.

Quod ſi iecur vel cyſtis fellea coaceruatam diutius bilem, vt fit per obſtructiones diuturnas; vel copioſius genitam, vt fit per illius inflammationes, profundat: facile erit obſtructiones illas agnoſcere ex dolore, pondere, & renitentiâ circa dextrum hypochondrium ſenſibili: tuncque bilis diutius retenta notas exuſtionis profert, virore aut atriori colore prædita: quemadmodum per inflammationes citrina magis & quaſi ignea apparebit, cum ſiti, febre aſſiduâ, aut ſaltem ingenti feruore, qui in plantis pedum manuumque volis præcipuè eluceſcit. Quod ad fluxum autem illum attinet chyloſum, qui fit obſtructo aut ſcirrhis obſeſſo iecinore, nec primam illam alimoniam diſtribuente, melius erit ad leienteriam poſtea referre. Sic lien & meſenterium obſtructum, ſcirrhis affectum, aut inflammationibus tentatum: vel quia non trahit ſuccum melancholicum, vel quia eumdem exurit, melancholicos & atrabilarios fluxus concitat, quos eadem ratione dolor, calor, pondus, aut renitentia in ſiniſtro hypochondrio declarant, & reliqua quæ in propriis tractatibus fuſius explicantur. Quemadmodum puris perfuſio ex aliis partibus in ventrem ex præcedentibus illarum inflammationibus & ſuppurationibus cognoſcetur. Sin verò nec habitus corporis plethoricus, nec totius colliquatio, neque cerebri deſtillationes, aut hepatis, lienis, vel aliarum partium malè affectarum notæ appareant: tunc non erit accuſanda ſympatheia, ſed potius idiopatheia ventriculi ac inteſtinorum, quæ vel ob fruſtratam coctionem ab intemperie frigidiori, vel debilitatam retentricem ab humidiori, aut irritatam nimium expultricem ab acrimoniâ humorum ibi genitorum ob multiplices cauſas, largam & aliis fluxibus longè diuturniorem diarrhœam, mucoſis, ichoroſis, corruptis, & male olentibus ſuccis ſcatentem, producunt.

Ex quibus etiam, tum cauſarum natura, tum affectus ſpecies innoteſcunt: cauſarum enim externarum & accidentium cognitio facile habebitur, tam ex relatione ægri & adſtantium, quam cauſarum præſenti aut prægreſſo ſtatu. Internarum verò tam antecedentium quam coniunctarum, ex humoris ſiue excreti variâ ſubſtantiâ, quantitate & qualitate, plus minus à naturali recedente, & propriis conſtitutionibus à quibus profluit ille humor: & quæ comitari ſolent illas conſtitutiones, ſiue ſint morbi, ſiue ſymptomata. Verbi gratia bilioſi ſucci perfuſio, ſi non fluat ex toto, magnam iecoris

affecti coniecturam adfert; quod ſi illius dolor, tenſio aut inflammatio adſint, maior adhuc erit certitudo. Ita dicas de pituitoſo, mucoſo, ichoroſo, aut purulento fluxu. De nigro autem diſtinguendum, an ſit melancholicus, atrabilarius, aut ſanguis concretus, quæ omnia Hippocrates ſæpè per τὰ μελαινὰ complectitur. Atrabilarius quidem pici liquatæ ſimillimus, ſatis ſuâ ſe prodit acrimoniâ & feritate, & quia citò exulcerat, abraditque inteſtina, terram fermentat, & ebullitionem facit. Melancholicus verò & ſanguineus eo diſtinguentur, quod ſanguineum ſæpè vomitio cruenta aut hæmorrhagia præceſſerunt, & iniecta in deiectiones linteola rubro colore inficiuntur, quæ omnia deſunt ſucco melancholico naturali, magiſque in hoc affecti lienis notæ apparent. Ex his affectus etiam ſpecies declaratur, quia talis eſſe ſolet, qualis eſt cauſarum illum efficientium aut fouentium conditio, partiſque afflictæ natura. Nunc itaque breuiter prognoſim noſtram ſtabiliamus.

Diſtinguendum imprimis, an διάῤῥοια ſymptomatica ſit, vel critica, ſub qua etiam illa reponitur, quæ longis morbis accidit, vt leucophlegmatiæ, &c. Vel periodica: ſine febre aut cum febre: & vtrum febris initio, vel in progreſſu apparuerit: hinc enim varia prædicendi ratio deſumitur. Quodcunque enim alui profluuium periodicum ſolet certis dimenſiſque ſpatiis humorum ſarcinam deplere; in bonis eſt habendum: talia enim excernuntur, qualia excerni debent. Sic criticum, quod ſequitur materiæ morbificæ concoctionem, ſalutariter admodum, tam morbos acutos, quam chronicos ſoluere ſolet: vnde illud Hippocratis *Aphor. 29. ſect. 7. Leucophlegmatiâ detento, fortis diarrhœa ſuperueniens, ſoluit morbum: Lib. 1. de morbis*, lienoſos etiam liberat. *In Coacis* incipientem hydropem exoluit, ſi cruditatis ſit expers. Et *Aphor. 17. ſect. 6.* ophthalmicis diu vexatis ſolatium adfert, vacuatâ ſcilicet materiâ quæ in oculos irrumpebat; vnde etiam ſurditatem in febribus curare ſolet, *Aphor. 28. & 60. ſect. 4.* Quid plura? Certior & magis fida morborum iudicatio fit per alui fluxum, ſi quidem ad humoris morbifici μετάϛασιν & excluſionem fiat. Quod ſi per ἐπιγένεσιν accidat, multiplicationem ſcilicet humoris morbifici aut intemperiei: & in eis morbis qui cauſas ſuas nõ poſſunt commodè in aluum deponere, magnam naturæ infirmitatem, & exolutum robur partium nutritioni dicatarum indicat: vnde phthiſicis *Aphor. 12. ſect. 6. & 14. ſect. 5. tum quoque 16. ſect. 6.* pleuriticis, peripneumonicis, hydropicis confirmatis, aut ſcirrho aliquo interno laborantibus, vt vult Galenus *cap. 5. lib. 2. de Glaucon.* mortem portendit. Sic cum febre ardente aluus profuſa perſeuerans, mortiferum *in Coacis*; quia oſtendit partium cacopragiam, & magnum cacochymiæ vitium, quod corrigi tam commodâ vacuatione nequit: Hinc Auicenna omnem morbum habet ſuſpectum, qui ab aluo fuſâ incipit, nec miteſcit. Diſtinguendum autem, an febris præceſſerit alui fluxum: quia tunc materiæ malignitas indicatur: ſin vero ſubſequuta ſit, fit aliquando, vt ex ſolo deſidendi labore exoriatur ephemera, & facile ſoluatur. Eadem ratione reformidat Hippocrates omnem deiectionem ſinceram & humoris ſuo ſero deſtituti, *Aphor. 23. ſect. 7.* quia magnum incendium ſignificat & inſtantem dyſenteriam. Formidoloſæ etiam omnes deiectiones adipoſæ, oleoſæ, aut glutinoſæ, quia corporis σύντηξιν fieri oſtendunt: item atrabiliariæ, *Aphor. 21. ſect. 4.* variegatæ & quæ in peiora commutãtur, *Aph. 14. ſect. 2.* quia magnam humoris labem deſignant. Purulentæ aliquando fuerunt ſalutares, ſi ritè expurgetur materia in ſuperioribus partibus collecta, vt annotat Galenus de empyicis *lib. de locis affectis*. Mucoſæ, ſeroſæ, pituitoſæ, bilioſæ, vt plurimùm commodè terminantur, ſi conueniens therapeia adhibita fuerit. Aliàs in inflationem pedum, hydropa, cachexiam & ſimiles affectus deſinunt, vt eſt 2. *prorrhet.* vbi Hippocrates certum ſalutis indicium eſſe vult, quando manu ventri admotâ, nullus in eo motus, vel palpitatio percipitur, flatuſque deiectionem ſubſequitur: quia inde naturæ quies & coctionis cuiuſdam rudimenta ſignificantur. Præterea *Aphor. 15. ſect. 6.* vomitus ſpontaneus diarrhœæ longæ ſuperueniens, ſignum eſt ſalutiferum, quia indicat naturam ἀπόϛασιν, contrariam ſcilicet viam, affectare, necnon reliquias quæ ſupereſſe poſſunt, ſurſum excludere. Mala admodum ciborum inappetentia diu perſeuerans cum diarrhœâ: malum etiam eſt *in Coacis* & pene mortiferum, quando perfrigeratio diarrhœæ cum ſudore, aut animi deliquio accidit. Atque hæc de prognoſi, nunc ad curationem aggrediamur.

Θεραπεία ergo conueniens ex ritè inteſtitutâ διαγνώσει partis affectæ, affectus, cauſarũque, erit inſtituenda, prout methodus indicationum curatiuarum docet. Quod ad criticam ergo & periodicam diarrhœam ſpectat, nullo artis medicæ auxilio indigere

digere videntur: *quæ enim indicantur aut indicata ſunt, non oportet mouere, ſed ſinere naturæ diſpenſantis arbitrio*: ſi verò reliquiæ quædam ſubeſſe videantur, tunc illæ erunt leuiter excindendæ metu recidiuæ: inde vulgus hoc habet protritum, *nihil in diarrhœâ ante triduum eſſe tentandum.* Celſus, *uno*, inquit, *die fluere aluum ſæpe pro valetudine eſt: atque etiam pluribus diebus, modo intra ſeptimum conquieſcat*, neque denuò turbetur, ac neque febri, neque vehementer ſiti afflictet: ex ſuppreſſis enim citius diarrhœis magna pericula imminent, inflammationes viſcerum ac peſſimarum febrium fomites. Indicationes itaque therapeuticæ tales ſint. Cum diarrhœa morboſa ſeu ſymptomatica ſit humorum fluxus immoderatus, ratione ſymptomatis, nempe excreti, videtur ſuadere ea quæ conſtringunt, & impediunt tale effluuium: quia tamen humor ille in partibus internis latitans magnas corpori noxas inferret; ideo permittenda eiuſmodi fluxio per aliquot dies, recto tantum inſtituto victus genere, & cauſis morbificis oppoſito: Ac ſi non ſatis commodè expurgari videatur, tunc remediis catharticis materiam illam confertim vacuantibus adiuuandus naturæ motus: Eleganter enim Hippocrates *Aphoriſm.* 69. *ſect.* 7. docet in eiuſmodi affectu ξυμφέρειν ὑποκαθῆραι τὴν κοιλίην, & tenuiter nutrire. Si obſtructiones ſubſint, conuenienter ſoluendæ: materiæ etiam fluxus reuellendus, tam eis quæ manifeſtè id præſtant, ſudoribus, vomitibus, vrinarum prouocatione; quàm inſenſibiliter, vt balneis, ligaturis, frictionibus, cucurbitulis circa extrema corporis adhibitis: item ipſa materiæ tenuitas & acrimonia incraſſanda, & obtundenda alterantibus, tam alimentis quam medicamentis ſumptis & admotis: atque partes ipſæ roborandæ. Quod vt illuſtrius euadat, appoſitione ſingulorum exemplorum, pro ratione variâ partis affectæ, & humoris profluentis eſt declarandum.

DIARRHOEÆ EX TOTO CORPORE CVRATIO. Initium itaque ducamus à fluxu, qui fit à toto ſeu habitu corporis, venoſóque genere ſuam cacochymiam in ventris inferioris ſentinam amandante. Hic ſi cum febre iunctus ſit, & plethora appareat: imprimis victum requirit tenuem, refrigerantem, & modicè exſiccantem, cum leui adſtrictione, ne omnino diſſoluatur robur calidi natiui per immodicam vacuationem. Vitetur itaque omnis ſatietas & repletio. Imperentur panatellæ, oryza, lac cum paucâ aquâ decoctum, iuſculum gallinæ antiquæ, vt eſt apud Galen. *lib.* 6. *de ſimpl. medicam.* in quo folia verbaſci vel plantaginis aut portulacæ incoquantur: carnes aſſæ auium montanarum, ſucco granatorum aut omphacio cum paucâ roſaceâ aſperſæ: fructus adſtringentes, vt ſorba, meſpila, pyra & cydonia mala, necnon eorum condita ante paſtum ſumpta. Aqua leuiter decoquatur, aut in maiore fluxu chalybe ignito attingatur. In virium deiectione aut febricula tantillum vini rubri auſteri concedatur. Vitent aëris intemperies: præcipuè motus intempeſtiuos, vigilias immodicas & animi perturbationes ac curas. Laudat Hippocrates 2. *epidem.* inter cibos adſtringentes & aluum cohibentes milium in oleo coctum, necnon lentes, abiecta priori aquâ: ſed hæc ruſticis tantum aut durioris naturæ hominibus conueniunt. Poſtea ſi venæ appareant diſtentæ, corpúſque ἰσχναίνων, ac bonis viribus præditum, non inutile erit, phlebotomiam ſtatim in principio adhibere, vt portio illius materiæ vacuetur, fluxionis impetus quodammodo refrænetur, & caloris febrilis acrimonia obtundatur. Quamuis enim Galenus 4. *de morbis acut.* venæ ſectionem aluo fluente inhibere videatur: & 1. *ad Glaucon.* idem confirmarit: tamen id eſt intelligendum de diarrhœâ quæ iam diutius fluxerit, & vires proſtrauerit: aut in quâ febris aut plethorici habitus notæ non apparent. Vbi verò vires præſentes & futuræ conſenſerint, ætas permiſerit, & reliquæ circumſtantiæ non repugnarint, vrgente plethorâ totius corporis audacter venam ſecabis, & portionem vitiatæ illius materiæ, quam natura nititur expellere, aut recte continere non poteſt, commodiſſimè vacuabis, febrem temperabis, & dyſenteriæ metum auferes. Quod ſi febris abſit, exigua ſit repletio, quam natura ſufficienter excludere videatur, aut virium iactura appareat, ſuperſedendum à venæ ſectione, reliquiſque remediis incumbendum. Vbi ergo natura lente mouetur, periculúmque eſt ne diutino nimis fluxu frangatur, aut non poſſit inceptum negotium ſine variis accidentibus perficere: tunc eam excitare par eſt conuenienti medicamento, pro variâ humoris ideâ, vt antequam frequenti deiectione fatiſcat, materiam confertim euacuare valeat, & præſentia vel imminentia ſymptomata arcere. Meritò tamen dubitatur, vtrum vomitoria, vel deiectoria magis hic ſint ex vſu. Cum enim vomitoria fluxum materiæ reuellant, & aliò transferant, videntur potius conferre, quam ea quæ deorſum purgant, &

humorem per loca iam afflicta & debilitata transuehunt: id innuere videtur Galenus *comment. in Aphorism.* 15. *sect.* 6. quæ enim, inquit ille, recte fiunt à natura, ea Medicum imitari oportet: At diuturnæ diarrhœæ spontaneus vomitus superueniens, affectum curat, ergo & ab arte, Medicisque præscripto inductus. Quod Hippocrates confirmauit *lib. de affectionibus*, & veratri potionem in hoc affectu laudauit. Nos itaque accuratâ distinctione hanc difficultatem indigere arbitramur. Si enim naturæ magnus sit impetus ad intestina, & nullæ oppressi ventriculi notæ appareant: non esse frustra vim naturæ inferendam censemus, nec illius motum interturbandum, sed per conferentia loca naturæ affectata humorem expurgari sinere. Adde quod non vacat periculo tam malignos succos, à quibus sæpe diarrhœa concitatur, sursum allicere & in ventriculum euocare. Quando vero iam maior humoris portio vacuata fuerit, & fluxionis violentia quodammodo refrænata, tunc non erit inutile vomitiones concitare in assuetis, & antè paratis ad vomendum humorum noxiorum reliquiis. Cathartica autem hic eligantur mitiora & aliquantulum adstringentia, vitaris humectantibus & emollientibus, si nimius humoris impetus timeatur: quæ varietatem cacochymiæ respiciant, permixtósque humores, quales fluere verisimile est toto corpore suam saburram exonerante. Vt

℞ Rhabarb. electi ʒ j. agar. trochiscat. ϑ j. cinamom. elect. gran. v. Infundantur in aqua endiuiæ (si febrilis ardor adfuerit aut timeatur.) Expressione forti factâ dissolue syrup. rosat. solut. recentis ℥ j. ß. tripheræ persicæ (quæ in hoc valde commendatur) ℥ j. aut illius loco, si desit, catholici tantumdem. Fiat potio, quam capiat mane, & reiteretur sæpius, prout opus esse videbitur: vel quando nulla est suspicio febris.

℞ Diaphœnici ℥ ß. rharbarb. puluer. ʒ ß. semin. anisi puluer. ϑ ß. Cum saccharo fiat bolus, quem deuoret mane. Vel si mauis, in delicatioribus præscribe ʒ j. pulueris rad. mechoacan, aut rhabarb. cum pauco iusculo sumendi, reiteretur frequenter: hoc enim solo remedio sæpe repetito frequenter diarrhœæ tolluntur. Chymici essentiam rhabarb. hic vsurpant. Arabes in hoc affectu myrobalanos summopere laudant, quos & pulueratos & infusos ægris exhibent. Non inutilis videtur illa formula, quando ℥ j. myrobalan. citrinor. puluer. infunditur in ℥ vj. seri caprilli tepentis per totam noctem: deinde fricantur, & colatura mane exhibetur.

Clysteres interea non omittantur leniter detergentes & roborantes, circa initia, etiam adstringentes & incrassantes, vbi satis copiosæ humores vacuati videbuntur, & intestina confirmanda erunt. Fiat itaque talis initio.

℞ Hordei integri & furfur. bene macri, ana P. j. rosarum rubrar. siccar. P. ß. semin. milij & anisi, ana ʒ ij. Fiat decoctio ad ℔ j. in qua dissolue mellis rosati colati ℥ ij. vitellos ouorum numer. ij. Fiat clyster, qui reiteretur semel singulis diebus. Alij accipiunt caput veruecis recens mactati integrum, cum prædictis ingredientibus decoquunt, addunt saccharum & vitellos ouorum, & plures ex hoc decocto clysteres accommodatissimos conficiunt: quando autem consilium erit magis adstringere, & cohibere fluxionem; sic parato.

℞ Folior. plantag. equiseti, bursæ pastor. tapsi barbat. consolidæ maior. centinodiæ, sumach, ana M. j. summitatum rubi M. ß. corticis granator. semin. myrti & nucum cupressi, ana ℥ j. rosar. rubrar. siccar. balaustior. & summitatum menthæ, ana P. j. Fiat omnium decoctio in aquâ ferratâ ad ℔ j. in qua dissolue succi plantag. ℥ iij. saccharı albi ℥ j. vitellos ouorum numer. ij. Fiat clyster; quem retineant diu. Illius loco lac chalybeatum iniiciatur.

Interea, vbi scilicet adstrictioni omnino incumbendum videbitur, sumant syrupos, iulepos, tabellas, trochiscos, condita, aut pulueres, quibus idem præstari possit: necnon admoueantur fotus, linimenta, & emplastra huic rei accommodata. Inter syrupos myrtinum, cydoniorum, granatorum, de ribes, de agresta, & de absint. pontico commendantur: quibus non immeritò adscribere liceat syrupum de papauere, qui incrassando humores, acrimoniam obtundendo, & sensum ac vellicationem partium minuendo magnam in hoc negotio operam præstare solet: vnde Hippocrati *lib.* 2. *de diætâ*, papauer vtrumque sistit aluum. Ex his cum aquis aut decocto conuenienti parentur iulepi, bis aut ter in die sumendi: Vt

℞ Syrup. myrtini, cydon. & de granatis acidis, ana ℥ j. aquæ plantag. & rosaceæ, ana ʒ v. vel decocti verbasci & plantag. ℔ j. terræ sigillat. puluer. ʒ j. Fiat iulep.

iulep. pro tribus aut quatuor doſibus ſæpe renouandus. Aut aqua plantag. & roſar. cum ſucco granator. acidor. & cydonior. depur. coquatur cum ſaccharo albiſſimo in formam iulepi Alexandrini: capiat frequenter. Trochiſci de carabe, de ſpodio, de corallis in officinis parantur ad adſtringendum: ſed gratior erit puluis ſequens.

℞ Terræ ſigillatæ, boli armeni, coralli rubri, raſuræ eboris, & cornu cerui, ana ʒ j. margarit. præparat. ℈ j. granor. kermes, & ſemin. plantag. ana ʒ ß. roſarum rubrarum ſiccarum ℈ ij. Fiat omnium puluis, cui adde, ſi vis eſſe iucundiorem, ſacchar. roſat. tabulat. ℥ ß. Vtatur vt dictum eſt: aut

℞ Conſer. roſar. antiq. & rad ſymphyti, ana ℥ j. ß. miuæ cydonior. ʒ iij. confection. alkermes & de hyacint. ana ʒ j. myrobalan. ſacchar. condit. numer. ja puluer. prædicti ʒ ij. Cum ſaccharo roſat. tabulat. fiat conditum, auro duplici coopertum: vel cum ſyrupo myrtino reducatur in formam opiatæ, de quâ capiant frequenter, vt dictum eſt: vel ſi delicatiores ſint ægri, ſumant bis in die quartam partem myrobalani conditi: aut confect. alkermes ℈ j. cum pauco terræ ſigillatæ puluere. Nec eſt quod in diarrhœâ illius vſum vereamur, quemadmodum veteres fecerunt, propter lapidem lazuli illi admixtum: nam diligenti illa præparatione tota vis purgatoria eluitur, ſola relinquitur adſtrictoria & roborans. Adde quod ex recentiorum præſcripto exiguâ mole ingreditur hanc compoſitionem, vbi ſuccus pomorum & granorum kermes cum margaritis non paruam in alui fluxibus opem pollicentur. Atque hoc obiter, vt receptum errorem confutaremus.

Quod ſi fluxus hic peſtilentiæ aut malignæ qualitatis videtur particeps, conferet præterea theriacam recentem ad ʒ j. per ſe ſumere, vel cum aquâ roſarum, aut plantag. diſſolutam. Vehementem etiam fluxum ſiſtere ſolet coagulum hœdi aut leporis ad ℈ ß. exhibitum cum vino aut aquâ adſtringente. Quidam laudant ex proprietate ſanguinem ſuillum exſiccatum, ſi ad ʒ j. cum iuſculo aliquoties aſſumatur. Alij iecur bouis vel arietis aſſatum celebrant. Prudens Medicus ea eliget quæ magis ex vſu videbuntur.

Exterius adhibeantur fotus ex decocto iam præſcripto pro clyſtere: vel panis roſaceus vino rubro auſtero, & tepido intinctus: necnon puluere granorum kermes, ſemin. myrti, maſtic. & garyophyll. ſinapiſatus toti ventri admoueatur. Poſtea illinatur oleis lentiſcin. cydon. myrtin. aut muſcatellino: vnguento comitiſſæ dicto, vel diaphœnicone, quod valentiſſimum Practici noſtri eſſe atteſtantur.

Emplaſtrum de maſtiche, & de cruſtâ panis ad id ſunt vſitatiſſima: Alij carnem aut miuam cydoniorum fortiter in mortario contundunt: deinde admixtis pulueribus dictis, & pauco oleo myrtino, ſuper alutam extendunt & admouent. Fient, ſi velis, cataplaſmata ex magmate præcedentis decocti contuſo & cribrato, addendo puluercs prædictos, & farinam milij aut oryzæ cum pauco oleo cydoniorum. Non eſt etiam omittendum, cucurbitulas cum multâ flammâ ventri frequenter admotas, maximum ægris diarrhœâ laborantibus commodum adferre.

Quod ſi fluxus iſte tam pertinax ſit & diuturnus, vt iſtis parum cedat, vel perpetuò recurrat: tunc toti corpori exſiccando, reuellendæque materiæ per alias vias erit incumbendum. Id autem præſtabunt diuretica aut hidrotica, potiſſimum ſi abſit febris: vnde balneis, laconicis, decocto chynæ, aut ſalſæ parillæ per aliquot dies vti conueniet. Diuretica vero commodiſſimè parabuntur ex apozemate radicum aperitiuarum, cum ſeminibus aſparagi, fœniculi, & melonum, vel aquis thermalibus, vt Bellilucanis, atque aliis, quæ ſuis locis, potiſſimum tractatu de obſtructione hepatis, proponentur.

Vbi verò hic alui fluxus ex toto corpore promanans colliquatiuus eſt & ſynecticus, ſequitúrque vel ingentem ardorem partium, vel ſiccitatem maraſmodem: tunc indicationes præcipuæ exoriuntur extinguendi caloris præter naturam, temperandæ ſiccitatis, ac reficiendæ deperditæ ſubſtantiæ. Vnde multi adhuc ſatis vegeti ex his fluxibus conualuerunt frigidæ potione, aqua hordei chalybeatâ, aut ſtillatitiis liquoribus actu frigidis, cum ſyrupo acetoſæ, agreſtæ, cydoniorum & ſimilium Necnon iuſculis pullorum, in quibus lactucæ, oxalidis, portulacæ, & endiuiæ folia incoxerint: hordeatis, amygdalatis & ſimilibus lenientibus ac analepticis quibus hectici reficiuntur. Non omittenda hic erunt balnea aquæ dulcis, necnon epithemata & inunctiones dorſi, refrigerandi ac humectandi facultate præditæ, regionis lumborum, & ſimilium partium. Quibus refracta ardoris violentiâ licebit tunc adſtringentibus audacius agere, necnon lactis chalybeati vſum ſuadere.

ſuadere. Atque hoc ſit primum paradeigma curationis diarrhœæ ex toto corpore promanantis : nunc reliqua breuius perſequamur.

CVRATIO DIARRHOEAS EX CAPITE. In curatione autem cerebralis ſeu catarrhoſæ diarrhœæ, reuocandum eſt in memoriam illud quod de fluxionibus in genere dicitur : nimirum partis mittentis, ſuſcipientis & viarum per quas fluit materia, habendam rationem. Itaque cum pars mittens cerebrum ſit intemperie humidâ affectum, exſiccationem indicabit, tam per ea quæ materiam in eo contentam vacuabunt, vt catapotia, tabellas, pulueres, & ſimilia cathartica : quam eis quæ diſcutere inſenſibiliter, exſiccare, & roborare poſſunt cerebrum qualitatibus ſuis. In vſu purgantium attendenda erit natura & quantitas materiæ : nam ſi copioſiſſima ſit, inſipida & craſſa pituita, indicabit vim purgantis pharmaci validam, quæ potenter humorem illum hærentem cerebro & inferiora irrigantem deturbet: Tales ſunt pilulæ cocciæ maiores & minores, de agarico, aggregatiuæ, & ſimiles iuſtâ doſi ſumptæ. Sin verò pituita hæc ſit ſalſa, acris & quodammodo putrida, qualitate magis quam quantitate noxia : tunc mitioribus erit agendum, ne exaſperentur partes, & nimius fiat illius materiæ in ventrem decubitus. Ac proinde pilulæ purgantes ſimul & roborantes frequenter iterentur, quales eſſe poterunt ex agarici ʒ iij. rhabarb. ʒ. j. maſtic. ϑ j. ſpicæ ϑ ß. cum ſyrupo de ſtœchade vel de menthâ confectæ, bis aut ter in ſeptimanâ exhibendæ, donec ſufficiens expurgatio facta fuerit ſuperioris inferioríſque cacochymiæ : vel vſurpetur infuſum agarici, cuius non eſſe metuendum vſum in diarrhœâ probat Alcomarus; & turpethi cum pauco ſyrupo roſat. ſolut. aliquando diaphœniconis ʒ iij. in formam boli conformentur : aut in eis qui propenſiores ſunt ad tabem, exhibeatur ʒ j. puluer. rad. mechoacan, vel bolus ex caſſiæ fiſtular. ℥ ß. cum ʒ ß. agarici trochiſcati & ſaccharo.

Vtque purgantibus iſtis exhaurietur paulatim communis illa ſentina : ſic particularibus remediis deplenda reuellendáque cerebri redundantia, maſticatoriis, errhinis, veſicatoriis, fontanellis in occipitio aut brachiis & aliis quæ capite de catarrho fuſius docentur. Poſtmodum pulueribus capitalibus, emplaſtris ſupra futuras, lotionibus capitis tam artificialibus, vt quæ ex calefacientibus, & exſiccantibus componuntur; quam naturalibus, vt aquâ thermarum ſulphurearum exſiccatio & corroboratio cerebri perficietur.

Ratione verò viarum quæ deducunt humorem hunc à cerebro in ventriculum & inteſtina : poſſunt ea vſurpari quæ eas roborant & minus patentes reddunt, vt adſtringentia gargariſmata, tabellæ, & ſimilia in ore contenta. Quemadmodum etiam ea quæ reuellant, & fluentem materiam in alias vias deducant, vtpote diuretica & ſudorifica : quibus commodiſſime hic affectus curatur. Denique partium ſuſcipientium, nempe ventriculi & inteſtinorum causâ inſtituemus ea, quæ ſordes illas eluere per purgationem, enematis & aſſumptis perficiendam, poſſint, robur concilient, & impetum eiuſmodi fluxus ſiſtant : qualia iam à nobis ſunt commemorata externa & interna. Imprimis ventriculi calor iuuandus, ne tantâ humorum mole, aut intemperie frigidiore obruatur, vt poſtea peculiariùs dicetur.

CVRATIO DIARRHOEAS EX IECORE, SPLENE, ET MESARAICIS. Diximus iecore, ſplene, meſaraicis, reliquiſque ventris inferni partibus obſtructis aut intemperie affectis exoriri poſſe diarrhœas, quæ aliquando omnigenos humores, aliàs bilioſos, ichoroſos, melancholicos, & atrabilarios, profundant. Eadem ergo habenda erit ratio partium primariò affectarum, vt humor, ſi nimium cunctetur, accommodatis purgantibus, rhabarbaro videlicet, myrobalanis, ſennâ, epithymo, ſero lactis caprilli, ſyrup. de cichor. roſar. pallidar. catholicone, diaſennâ & aliis conuenienter eliciatur. Intemperies, quæcumque fuerit, corrigatur ſumptis & admotis : obſtructiones ſoluantur aperientibus, incidentibus, & attenuantibus, proprio capite proponendis. In fluxu hepatico, ſi magnus feruor ſubſit, & dyſenteriæ metus, audacter tundatur vena iecoraria brachij dextri in principio, & ad maiorem ἀπόσπασιν effundantur primâ vice tres vel quatuor vnciæ : & ſecundâ poſt quatuor vel quinque horas, totidem. Magna habeatur ratio materiæ furentis, vt refrigerantibus & incraſſantibus ſæpius ſumptis obtundatur, alimentis ſcilicet & medicamentis : necnon clyſteribus anodynis & lenientibus iam dictis temperetur. In admouendis hoc obſeruandum, quod ſi obſtructiones hepar aut ſplenem obſideant, illis minimè adſtringentia vnguenta vel ſimilia admoueantur, ſed inferiori tantum ventri ſub vmbilico ad roboranda inteſtina.

Cito

ized by Google

Cito ſolent eiuſmodi diarrhœæ diutius perſeuerantes in dyſenteriam degenerare, ac proinde ad illius therapeiam poſtmodum explicandam, erit recurrendum. Necnon fluxus ille purulentus qui conſequitur diſruptas vomicas viſcerum interiorum, pulmonum, pleuræ, hepatis, ſplenis, pancreatis, meſenterij, & ſimilium, non aliam ſui exigit curationem, quam vt naturæ conuenienter agenti totum regimen committatur, aut ſi minus commodè id præſtet, ac parcius expurger, aſſumpto hydromelite dilutiſſimo, ſero caprillo, decocto hordei, vel catapultarum vulgò dicto adiuuetur, & inteſtina frequenter clyſteribus ex ſero caprillo, decocto hordei integri & furfuris macri cum melle roſaceo paratis abluantur: vitatis omnino cathartici s aut adſtringentibus ſumptis vel admotis.

CVRATIO DIARRHOEAS EX VENTRICVLO, ET INTESTINIS. Recenſitæ à nobis hactenus diarrhœæ curationes, ſympatheias rationem habuerunt, tam ob communicatam materiam ab aliis partibus, quam proprios earum affectus ſanandos. Nunc ſupereſt illa diarrhœa, quæ peculiariter ventriculi inteſtinorúmque malas διαθέσεις ſubſequitur. In cuius therapeia aduertendum imprimis, quod aliquando ex ſolo aſſumptorum vitio, quantitate ſcilicet nimiâ aut noxiâ qualitate excitantur corruptiones ciborum, ad quas ſequitur diarrhœa. Ideóque in hac ſpecie ſæpe conuenit ſola victus ratio conueniens & laudabilis. Proinde vitentur omnia δύσπεπτα & κακόχυμα, aut putredinoſa, necnon quæ humiditate nimiâ ſunt perfuſa, vt liquidiora iuſcula, fructus horæi, olera, butyrum, oleum & omnia pinguia, dulciáque, quia valde diſſoluunt robur ventriculi & facilè corrumpuntur. Adſtringentia cibis & modicè calefacientia admiſceantur, vt fructus auſteri, nux moſchata & ſimilia pro variâ humoris conditione. Ingluuies omnis & crapula fugiatur: reliquæque res non naturales, ita diſponantur, vt omnis fouens aut generans cauſa arceatur. Quod ſi præter externum errorem quædam intemperies ſola aut cum materiæ infarctu videatur iuncta, tunc accommodata purgatione confertim excludantur vitiati humores, ne diuturniore morâ corrumpant magis ac magis ſtatum natiui temperamenti. Deinde ſumptis & admotis intẽperies corrigatur. V.g. ſi putrentes & vitioſi ſucci ex malâ ventriculi & inteſtinorum conſtitutione diarrhœam excitent, vt fit per illius ardores, & feruidam intemperiem: tunc cathartica præſcribantur, qualia iam diximus in confluxu à toto corpore, præcipuè infuſum rhabarbari, decoctum myrobalanorum citrinor. in aquâ endiuiæ cum ſyrup. roſat. laxat. de cichor. compoſito, catholicone, triphera, & ſimilibus aliquâ adſtrictione donatis. Præſcribantur iulepi vel apozemata ex refrigerantibus & ſtypticis: Vt

℞ Rad. acetoſæ ℥ ij. folior. plantag. portul. & acetoſ. ana M. j. ſemin. ſumach & granor kermes, ana ʒ ij. coriandri præparat. ʒ j. roſar. rubrar: ſiccar. P. j. Fiat decoctio in aquâ chalybeatâ ad ℔ j. ß. In quâ diſſolue ſucci granator. acidor. & cydonior. vel plantag. depurat. ana ℥ ij. ſacchari albi q. ſ. Fiat apozema clarificat. & aromatiſ. ʒ j. ß. puluer. electuar. diamarg. frigid. pro quatuor aut quinque doſibus matutinis. Vel decocti loco diſſoluantur prædicti ſyrupi cum aquâ plantaginis & roſarum. Aliis horis capiant puluerem ex terrâ ſigillatâ, corallis, ſantalo rubro, & margaritis confectum, qui in tabellas reduci poterit, ſi magis fuerint gratæ, cum ſaccharo aquâ plantaginis diſſoluto. Exterius admoueantur olea, vnguenta, vel emplaſtra eadem facultate prædita: inter quæ cataplaſma ex carne cydoniorum cum dictis pulueribus, & oleo myrtino confectum maximè conueniet. Clyſteres eodem modo primum detergentes, mox adſtringentes, & refrigerantes præſcribantur; repetitâ ſæpius, ſi affectus perſeueret, purgatione, quam ſolemus in diuturnis morbis ſyrupo quodam magiſtrali, aut opiata laxante perficere.

Quod ſi ob frigiditatem & ἀπεψίαν partium primæ coctioni dicatarum diarrhœa hæc, pituitoſá ſcilicet & mucis multis ac ſeroſitatibus referta, primariò contingat: tunc recurrendum ad caput proprium, vbi ventriculi imminutas concoctiones curare docuimus, per vacuantia, alterantia, & roborantia. Cúmque hæc diarrhœa non niſi ſecundum minorem cruditatis gradum à lienteriâ differat: ideo illic reliqua fuſius proponemus. Illud tamen in hac ſpecie annotabimus, quod Auicennas peculiariter ſcripſit 16. 3. ebrietatem aliquando huic diarrhœæ maxime conferre, ex vini rubri & generoſi multâ frequentíque potatione contractam. Primò, quia confertim calfacit ventriculum & inteſtina refrigerata. Secundò, quoniam ſi quæ ſint obſtructiones, ſoluit; cibúmque penetrare facit ac vrinam prouocat. Tertiò, quod ſæpius ſomnum profundum ac

ſudores concitat : vnde ſuppreſſio alui , materiæ fluentis reuulſio. Tutius tamen eſt moderatè vino generoſo meraciore atque etiam aliquando aromatico vti , vt concoctrix facultas vires colligat , & cruditates arceantur. Nunc ad lienteriæ hiſtoriam aggrediamur.

CAPVT VI.

De leienteria.

AFFECTVS quem leienteriam vocant , quamuis ex nominis ipſius notione læuorem ſeu læuitatem inteſtinorum in æquabili ac plane vnitâ eorum ſuperficie poſitam deſignare videatur: habet tamen alias cauſas à nobis poſtea recenſendas. Vnde putandum eſt nomen hoc inditum eſſe huic affectui à veteribus ex potiſſimâ causâ ad quam ſubſequitur, vel potius leienteriam eos ſignificaſſe quæ diſſolutionem & quaſi exolutionem interaneorum comitatur, vt ſic à Galeni accuſatione *comment. in Aphoriſm.* 1. *ſect.* 6. propoſitâ vindicentur. Hippocrates ſæpius appellat χειλίας λειοτριώδεις. Vnde ſub lienteriâ ipſam χειλιακὴν paſſionem complecti licet, quæ ſi dicta fuit ab affecta parte, nimirum ventre fracto debilitatóque : ita vt nec recte coquere , nec retinere queat. Plinius aluinam ; Aurelianus ventriculoſam paſſionem appellauit.

Itaque vt ad rei ipſius eſſentiam accedamus : Galenus *comment. in Aphoriſm. citatum* vult lienteriam eſſe στέρησιν τῆς πρώτης πέψεως , priuationem concoctionis primæ : quemadmodum hydrops ἀποτυχίαν τοῦ τῆς αἱματώσεως ἔργου, fruſtrationem ſanguificationis : ita vt illa ſit primæ coctionis deperditæ : hic vero ſecundæ ſymptoma. Vt enim in hydrope pro vero ſanguine hepar ſerum & ichores producit : ſic in lienteria iugis adeſt & præpropera egeſtio τῶν σιτίων , ciborum mutationis pene omnis expertium : pro cuius varietate ſecundum magis & minus differt cœliacâ à lienteria : quoniam in hac talia redduntur alimenta , qualia aſſumpta fuere , abſque vllo coctionis rudimento , ita vt facilè agnoſcantur: in illa ſuſcipiunt quidem coctionem , ſed rudem & imperfectam , quæ chyli quodammodo naturam tepræſentat. In lienteria itaque non coquuntur cibi , quia non retinentur : in cœliacâ retinentur quidem diutius , ſed tamen non concoquuntur perfectè , neque diſtribuuntur. Ita vt in his duabus affectionibus quas deinceps confundemus , ob rei maximam affinitatem ; duæ potiſſimum functiones ventriculi & inteſtinorum oblædantur , concoctrix ſcilicet , aliquando per ſe , aliquando ex euentu ; & retentrix perpetuò ob contractam ἀτονίαν ex variis cauſis. Sic igitur hunc affectum definiamus. Lienteria eſt affectus præter naturam ventriculi & inteſtinorum , per quem retentrice potiſſimum debilitatâ , alimenta inconfecta citò excluduntur. Dicimus enim eſſe affectum toto genere præter naturam , vt indicemus omnem lienteriam eſſe morboſam , & perpetuo ſymptomaticam : nullâ autem ratione criticam aut periodicam , vt contingit ſæpe in diarrhœâ , & aliquando in dyſenteriâ , quando natura motu proprio , & fauſtis rebus excludit latitantem & moleſtam cacochymiam : Hic autem ſemper vi morbi fatigatur & opprimitur. Eſt autem hic affectus ſub genere ſymptomatum excretorum immodicè , vt eſt 3. *de cauſis ſymptomatum* , tum multitudine, tum qualitate peccantium, quoniam frequens eſt & copioſa deiectio, necnon cruda & male alterata. Pertinétque iſta diſpoſitio,tum ad ventriculum,tum ad inteſtina, vt eſt 6.*de loc.affect.* quia vtriuſque partis eſt tum concoquere , tum debito tempore retinere primæ concoctionis alimoniam. Addidimus , ob debilitatam potiſſimum retentricem,quia,vt dicebamus,alimenta non ideo reiiciuntur,quia non concoquuntur, ſed potius cruda & inconfecta redduntur , quia non retinentur: quamquam in principio , dum magis eſt cœliaca quam lienteria , fit quidem aliqua retentio , ſed non ſufficiens ad concoquendum. Imo id lienteriæ inter alui fluxus proprium eſt,vt alimentorum ſubſtantia & qualitas in excretis appareat , vel ſaltem rudis & indigeſta chyli ſpecies.

Quæ vero ſint proximæ cauſæ ſiue diſpoſitiones morbificæ , ex quibus miſerum hoc ſymptoma proficiſcitur , nunc oportet inquirere , vt ex eis etiam affectus iſtius differentiæ innoteſcant.Patet itaque ventriculũ cum inteſtinis rite diſpoſitum cibos aſſumptos

aſſumptos amplecti & continere, tum proprio ſuo temperamento & caloris natiui influxu, tum contractione ſuorum villorum obliquè poſitorum, & certâ quadam aſperitate ſeu inæqualitate ſuperficiei interioris. Totidem igitur erunt diſpoſitiones præter naturam, quæ functionem iſtam infringere, & abolere poſſunt. Nimirum refrigeratio maxima, propriíque temperamenti influentis corruptio, per quam functiones naturales labefactantur: ſiue ſit immaterialis, vt per ψύξιν & mortificationem partium; ſiue materialis, quando ingens copia frigidi humoris in illis continetur. Secunda diſpoſitio præter natura m erit humiditas nimia impreſſa partibus iſtis, propter quam contractio villorum, quæ in modicâ & conuenienti ſiccitate poſita eſt, exerceri nequit, ſed laxitas & diſſolutio ſubſequitur, vt in cordis, cithararum fidibus, & aliis externis quotidie experiri licet: quæ tonum & firmitatem ſuam naturalem amittunt, quoties nimio humore fuerint imbuta. Tertia diſpoſitio præter naturam quæ lienteriam parit, reſpectum habet ad ſuperficiem ventriculi & inteſtinorum: quando enim illa ita oblinitur & adæquatur, ob pituitam & mucum interſtitia & rugas illorum implentem: vel per cicatrices ingentes rugæ illæ obliterantur. Iſtæ autem cicatrices poſſunt tribus modis lienteriam efficere: primò, propter conſumptos villos, quibus inteſtina ſeſe contrahunt & retinent: ſecundò, quia ſuâ craſſitie impediunt ne chylus ad hepar penetrare poſſit: tertiò ob læuitatem & planitiem. Quarta denique cauſa lienteriæ ſunt vlcera, quæ ἀφθὰς vocare ſolent, totum illum tractum occupantia, quibus interior ſuperficies abraditur: atque tunc partes iſtæ amittunt eam diſpoſitionem organicam, quæ maximè ad retentionem alimentorum faciebat: vel potius ab iſtis vlceribus excretrix ita ſollicitatur, vt per accidens ſiue ſecundariò lædatur retentrix, quoniam præ dolore continere fluxum non poteſt. Quod ſi cauſæ iſtæ & diſpoſitiones complicentur ſimul & coniungantur, vt frigiditas cum humore: mortificatio caloris natiui cum vlceribus, aut cicatricum copia: tunc peſſimæ & pene deploratæ lienteriæ exurgunt.

Rurſus harum cauſarum plurimæ ſunt internæ externæque, quas diligenter annotare oportet. Etenim refrigeratio illa immodica ſeu ψύξις abſque materiâ non ſolum frigidas conſtitutiones, ſed etiam calidiſſimas ſubſequi ſolet: vnde Aëtius vult cœliacos & lientericos modò ingentem æſtum percipere in ventre, modò velut cryſtallum & glaciem. Quæcunque igitur ἀλρόως & confertim refrigerare poſſunt, vt aëris frigidiſſimi inſpiratio, niuis, glaciei, vel gelidæ aquæ potatio, alimenta valde refrigerantia, ſed potiſſimum medicamenta narcotica copioſius, & ſine ſuo correctorio ſumpta: excretiones immodicæ, potiſſimum ſeminis & ſanguinis, vacuato caloris natiui fonte: ingentes curæ, & violenti labores diſſipando: natatio diuturnior in frigidiori aquâ, diuturnior contrectatio hydrargyri, vt recentiores annotarunt; vel piſcis illius quem Torpedinem vocant; hæ omnes cauſæ procatarcticæ refrigerando nimium ventriculum & inteſtina, affectum hunc producere ſolent. Sic etiam internæ: nam vt lienteria perſeuerans hydropem parit: ita hydrops ſeu aquoſus in abdomine tumor per ἰσχνότητα qualitatis illius eneruat robur partium circumpoſitarum. Idem præſtat abſciſſum epiploon aut eius maior pars: lien ſcirrhoſus, abſceſſus frigidus in abdomine contentus, quia hæc omnia infringunt & labefactant vim caloris natiui. Atque vt iſta refrigerando illud præſtant, ſic alia calfaciendo nimium & abſorbendo humidum primigenium, quemadmodum febres ardentes & colliquatiuæ, peſtilentes aut maligna qualitate donatæ: item hecticæ omnes & quæ phthiſim ſeu vlcus pulmonis ſubſequuntur: vnde tantum periculi conſtituit Hippoc. *Aphor.* 12. *ſect.* 5. in his affectibus quando alui fluxus ſuperuenerit.

Vt igitur frigiditas ſine materia inducitur ab his cauſis: ſic etiam materialis, vbi vel iſtæ partes humorem talem generant, vel aliunde ſuſcipiunt, qualis eſt acida pituita ex cerebro decumbens, aut melancholicus ſuccus, maiore quam par ſit copiâ, eò amandatus ex liene per vas μελαναδόχον: vel etiam aqua ex abdominis cauitate per hydropas in inteſtina & ventriculum permeans. Iſtæ autem partes vel vitio aſſumptorum, vt dicebamus, δυσκράσιων & nimis frigidorum quæ in eiuſmodi materiam faceſſunt, vel proprio vitio & intemperie, aut vtriſque concurrentibus. Et quemadmodum frigiditas excellens humiditati iuncta illud parit: ſic etiam humiditas ſola, quam eædem cauſæ producere poſſunt, atque etiam illæ quæ ſine frigore admodum humectant, qualis eſt vſus copioſior, & diuturnior olei, butyri, piſcium, & pinguedinis cuiuſuis. Quin etiam lactis vſus in

quibuſdam fluxus lientericos concitare ſueuit, quia laxat, & diſſoluit nimium ventriculi ſubſtantiam, multiſque & nimiis humiditatibus implet. In aliis vero ob corruptelam qua exurit & vlcuſcula interius excitat.

Denique aphtharum generatio, quæ lienteriam producere ſolent, fit ſæpius ex procumbente catarrho ſalſo vel putrilaginoſo in iſtas partes, qualem frequenter incurrere ſolent pueri, dum dentes emittunt: ob dolorem & vigilias deductis è cerebro humoribus in ventrem, corruptis & feruefactis. Idem præſtat humorum ibi ſtabulantium corruptela: aut aſſumptorum acrimonia, vel deleteria qualitas ſuperficiem linguæ, œſophagi, ac ventriculi exurens & vlcerans. Cicatrices verò ad vlcera ſubſequuntur: quando enim poſt dyſenterias grauiores, aut ventriculi exulcerationes, factâ deterſione conuenienti, & exſiccatione, clauditur omnino vlcus, & ſolidatur, pars illa concreſcit in ſuperficiem planam, & læuigatam, necnon aliquando cauam, ſi fuerit maior ſubſtantiæ deperditio: vnde ſubſequitur facilis ille materiæ alibilis effluxus. Quod eodem modo præſtat mucoſæ pituitæ copia ſuperficiem inteſtinorum oblinentis, quam potiſſimum longæ crapulæ, & ciborum glutinoſorum diuturnior vſus producere poſſunt. Atque hæc de præcipuis lienterias cauſis, tam proximis quam remotis: nunc ad ſigna diagnoſtica accedamus.

Quæ ſit itaque pars in hoc affectu laborans, ex dictis ſat patet: nam cum vitiata ſit actio primæ concoctioni dicata, ſequitur partes illi dicatas vel primariò, vel ſecundariò eſſe affectas: & ſemper impreſſam eſſe eam labem quæ eſt proxima vitiatæ functionis cauſa. Quod ſi non ſit perpetua, ſi ad alium affectum ſubſequatur, cum eo augeatur & minuatur, vt ad lienis ſcirrhum, hydropem, epiploi abſciſſionem & ſimilia, maximum erit ſympatheias ſignum: ſin vero hæc abſint, *idiopathias*. Vtrum vero ventriculus magis vel inteſtina afficiantur, ex ſitu partis, & propriis accidentibus agnoſcemus; nam ventriculus ſuperiorem locum ſub cartilagine xiphoide occupans, diſtinguetur facile ab inteſtinis reliquum abdominis ſpatium implentibus: ſi dolor quidam aut pondus illum infeſtent. Vomitus etiam & ructus frequentiores demonſtrabunt ventriculi noxam: vt rugitus, borborygmi & flatus inferiores inteſtinorum. Præterea ſi ea magis ſint affecta quàm ventriculus, deiectio erit chyloſa, quoniam concoctionem in ventriculo ſuſcipiet: nec erit tam ſubita poſt ſumptum cibum, ſed aliquanto poſt. Verum præcipuè conuertenda eſt cura ad dignotionem cauſarum ſeu differentiarum lienteriæ, quoniam ex eis tota dependet curationis ratio.

Frigida ergo intemperies ſine materia ſatis deprehenditur ex ipſo ægri ſenſu, & ex rerum prægreſſarum notitiâ: nam vſus refrigerantium cauſarum exteriorum, congenerem affectum inductum eſſe ſignificant, quem ἀπεψίαν, ructus acidi, appetitus deiectio, pallor aut liuor totius corporis, cachexia, macies, & vitium proſtratio plurimum comitantur. Vtque frigiditas diu ſine humore ſubſiſtere nequit, quia eſt cruditatum mater; ſic præſente materiâ ſentitur pondus in ventriculo: aliquando vomendi conatus, aut nauſea: & cum alimentis crudis & inconfectis excernitur etiam humor ille, qui in ventriculo aut inteſtinis ſtabulatur. Quod ſi deleteria quædam qualitas aëris aut ciborum epidemicas lienterias produxerit; vulgaris illa graſſatio oſtendit cauſam communem eas produxiſſe. In πεπάνσει autem & mortificatione caloris natiui ob illius & humidi primigenij diſſipationem, vacuationes quædam inſignes præceſſerunt, labores aut vigiliæ immoderatæ: vel febris ardens & colliquatiua: phthiſis aut vomica quædam interior, cuius putrilagine tam inſitum quam influens temperamentum corrumpitur. Cicatrices vero ventriculi & inteſtinorum agnoſcuntur ex ſignis vlcerum & dyſenteriæ quæ præceſſerunt, & ex deiectione quodammodo concoctâ, propterea quod temperamentum integrum permaneat. Adde quod abſunt ſigna prædictarum affectionum, ſaltem in principio: nam ſuccedente tempore eadem refrigeratio & cruditatum congeries fieri ſolet, ob priuationem debitæ alimoniæ. Quod ad aphthoſas autem conſtitutiones attinet, ex ipſo intuitu patent, quoniam lingua eiſdem occupatur. Item prolapſu acrioris catarrhi, quo fauces irriganur, & ſputatio inducitur: & quia in ſeceſſu quædam moleſtia ſeu leuiuſculus dolor ſentitur, quo reliquæ ſpecies carere ſolent.

In leienteriâ autem ſi iam ſit habitualis, & confirmata, nihil boni præſagire poſſumus, quoniam neceſſum eſt hominem interire, vel ex defectu alimoniæ, vel interuenientibus aliis morbis, vt hydrope, cachexiâ, marcore, & ſimilibus.

Melius

Melius eſt tamen excerni chyloſam materiam, quam alimenta inconfecta, quia ſignificatur concoctrix facultas adhuc vigere, cuius beneficio facilius ſuſtineri poterit morbi impetus. Omnium leuiſſima lienteria eſt ea quæ aphthoſas diſpoſitiones conſequitur, quia nec concoctrix, nec retentrix per ſe ſunt in eâ vitiatæ, ſed tantùm ab irritatione humoris præpeditæ à ſuis muneribus. Si diutius tamen perſeueret, in dyſenteriam degenerat, ex ſuperficiariâ ſcilicet exulceratione, in verum vlcus. Periculoſiſſima lienteria, quæ mortificationem partium ab exhauſto & reſolutione conſequitur, & quæ cicatrices & dyſenteriam ſubſequitur, quia ob prægreſſum affectum vires proſtratas fuiſſe certum eſt, quæ diu ſubſiſtere non poterunt fraudatæ ſuo genito & ἀναλήψει per affectionem lienterica. Præterea quid ſpei ſit in refricandis & exaſperandis iſtis cicatricibus facile eſt cuiuis coniicere. Epidemicæ etiam lienteriæ, vt plurimum mortales, quia pendent à causâ communi, cuius imperium omnem remediorum vim ſuperare ſolet. Magna appetitus proſtratio in quauis lienteria oſtendit extinctionem facultatum naturalium, vt in phthiſicis, hecticis, hydropicis, & ſimilibus, atque mortem pro foribus eſſe. Vult Hippocrates 2. *prorrhet.* hunc affectum ſenioribus magis eſſe periculoſum quam aliis ætatibus, ob paucitatem, credo, caloris inſiti, & concoctricis infirmitatem. Vult *ibidem* tum eſſe ſalutis ſpem in hoc affectu, quando ægri colorem recuperant, & vrinam incipiunt profundere pro ratione potus aſſumpti, quia ex eo ſignificatur, iam aliquid alimenti ad membra permeare. *In Coacis* lienterias cum ſpirandi difficultate, & lateris punctură in tabem degenerare ſcripſit, quando ſcilicet ex prolapſu ferini catarrhi non ſolum ventriculum, ſed etiam thoracem irrigantis inceperit. Autumno autem hoc potiſſimum contingere ſcripſit *Aphor.* 22. *ſect.* 3. ob eneruatas à prægreſſo æſtu vires ſuccedente iam frigore. Item *Aphor.* 43. *ſect.* 6. lienoſis vult eſſe mortales lienterias, quoniam ex refrigeratione inſigni fiunt, quam melancholicus ſuccus peperit. Notatu autem dignus eſt *Aphoriſmus* 1. *ſect.* 6. *In diuturnis*, inquit, *lienterici ructus acidus ſuperueniens, qui prius non erat, bonum eſt ſignum*, nam vt in principio lienteriæ ructus acidi eruditatis, refrigerationis, aut humoris contenti ſunt indices: ſic in ſucceſſu illius oſtendunt naturam aliquantulum refici, & melius retinere ac concoquere alimoniam, quam dum multi ructus fiebant: vt docet eleganter Galenus *in commentario*. Atque hæc de prognoſi, nunc ad θεραπείαν noſtro more accedamus.

Curatio itaque iſtius affectus ex conuenienti indicationum lege inſtituenda, quæ cauſarum varietatem, & naturam reſpiciat, illiſque propria & accommodata remedia opponat. Ex parte igitur fluxus lienterici, cum ſit omnino ſymptomaticus, vt dicebamus, nec quicquam excernat, quod naturæ infeſtum ſit, ſed conuenientem corporis alimoniam, ideo ſemper ſui ſuppreſſionem indicat. Id autem cum fieri nequeat, niſi affectus ille tollatur, qui proxime concoctricem aut retentricem labefactat, ideo illius habenda imprimis ratio. Quamuis autem ex capite de ἀπεψίᾳ, & ſuperiore, vbi agebamus de diarrhœâ ex proprio ventriculi & inteſtinorum affectu, multa repeti poſſint ad hunc facientia: melius eſt tamen ea nunc proponere breuiter, quæ ad rem pertinere videntur, ducto à victus ratione exordio.

In cuius regimine præſcribendo, reſpiciendum præcipuè ad cauſas omnes externas, quaſcunque huic noſtro affectui ortum dediſſe, vel incrementum ac fomitem præſtare coniectura erit. Ac proinde qualitates aëris conſiderandæ, vt ſi quidem maligna eius diſpoſitio epidemicas lienterias producat, corrigatur odoratis fumigiis in ægri cubiculo excitatis, ventorum ſalubrium receptione, nec non loci mutatione, vt in peſte fuſius docetur. Sin vero aëris manifeſta qualitas id efficiat, vt calidior reſoluendo nimium, frigidior aut humidior: illæ reducantur ad mediocritatem, Medici artificio ſatis cognito. Idem dicas de aliis procatarcticis, vt exercitationibus, excretis & retentis, ſomno ac vigilia, & animi pathematis. Hic enim ſumma quies, & rerum omnium tranquillitas requiritur: nullus corporis motus, aut ſaltem exiguus ante ſumptum cibum, ſi vires ferant. Conuenient tamen frictiones extremitatum & dorſi mane in lecto, tum ad excitandum calorem natiuum, tum attrahendam alimoniam ad partes. Quæcunque excretiones ſeminis aut ſanguinis cito ſiſtantur, ne oblangueſcat omnino natura, ſuo nectare viuifico deſtituta. Somnus etiam in omni fluxu alui conducit, quia humores temperat, & calorem viſcerum reficit: vigiliæ autem immodicæ exoluunt: animus eodem modo ſit bene compoſitus, nullo iræ æſtu percitus,

aut mœrore & metu languidus, ſed iucundâ adſtantium familiaritate refocillatus. Denique alimentorum ſubſtantia, qualitas, & quantitas ad rectam conformentur regulam, quam æger ne latum quidem vnguem excedat: quoniam in his non poteſt impunè peccare. Vitentur itaque omnia difficilis concoctionis & mali ſucci, ſæpius à nobis recenſita: item pinguia omnia & oleoſa, frigidaque & humida, niſi decenter caſtigata, aut aliis permixta: victus enim ad calidum & ſiccum vergere debet, ſub eâ formâ quam vocant mediam, vt neque liquidus ſit propter celerem effluxum: nec ſolidus omnino propter difficiliorem concoctionem. Hic itaque accommodatiſſimæ erunt panatellæ ex pane torrefacto, vel biſcocto & aniſato paratæ, cum ſaccharo & vitellis ouorum: colatitia iura, contuſa, & gelatinæ, quæ omnia ſub paucâ mole plurimum nutrire poſſunt: aliquando ſuccus carnium expreſſus, addendo ſuccum granatorum, & arantiorum, ſi quæ ſit ſuſpicio caloris & putrilaginis, in quem mica panis leuiter toſti iniici poterit. Gelatina cydoniorum, myrobalani, aut nuces ſaccharo conditæ atque contuſæ, ſi magna ſit imbecillitas ventriculi, horâ vnâ ante paſtum aſſumi poterunt. Pyra ſub prunis cocta, vel ſaccharo immerſa, ſemina aniſi, fœniculi, & coriandri inſtar tragematis parata, extremæ menſæ fercula claudant. Vbi iam vires reſumere videntur, vti poſſunt carnibus aſſatis, præcipuè auicularum montanarum, iuniorum columbarum & turturum, quæ ad ventriculi robur facere dicuntur. Vinum ſit rubrum & generoſum pro potu, modicâ aquâ fontanâ leuiter coctâ, aut fruſtulis alabaſtri ignitis paratâ lymphatum; necnon aliquando Hippocraticum in magna refrigeratione: quamquam in hoc affectu parum bibere conuenit, ne diluantur magis humores. Eadem ratione pauci cibi aſſumendi: venter enim patiens, vt loquitur Aurelianus, pluribus cibis indignatur, tanquam oculi patientes viſus officio. Partitis itaque vicibus & mediocri alimento reficiantur.

Quod ad remedia lienteriæ attinet, illa in genere ſunt purgantia, alterantia, & roborantia. Venæ enim ſectio in hoc affectu nullo modo eſt ex vſu, ne natura imbecillior duplici genio defraudata ſtatim collabatur. Quamuis enim lienteria, vt diximus, aliquando intemperies calidas ſequatur, certum eſt tamen iſtum affectum, vt & hydropem, conſequi μάεγμον, & reſolutionem calidi innati ab extraneo, iam factam, & vlterius progreſſam, quam poſſit ſanguinis vacuationes perferre. Ab eâ itaque ſuperſedendum in omni fluxu lienterico. Quin etiam purgantia leuiora eſſe debent, & quæ vacuando etiam corroborent, vt rhabarbarum in ſubſtantiâ, radix mechoacan, cortices myrobalanorum, ſyrupus roſatus ſolutiuus, triphera perſica, catholicon, pilulæ de hierâ & ſimilia cathartica benigniora, pro vario humoris dominatu præſcribenda: vt etiam clyſteres accommodati ad roborandum & leuiter detergendum: poſtea validius adſtringendum. Quod ſi pituita copioſior in ventriculo redundans fluctuet, laudant Practici noſtri vomitum ex decocto raphani in oxymelite infuſi, quod tamen hyeme non eſſe præſtandum docuit Hippocrates *Aphor.* 12. *ſect.* 4. aut infuſum agarici cum pauco rhabarbari puluere propinant in eis qui non ſunt ad vomendum comparati: rotieſque reiterant blandum medicamentum, donec cacochymia ſufficienter vacuata videatur.

Interea non omittantur ea quæ alterare poſſunt, & impreſſam intemperiem corrigere, calidam frigidámve: julepi, ſyrupi, opiatæ, pulueres & ſimilia. In calidâ vſurpantur ea quæ calorem quidem extraneum reprimere poſſunt, familiarem & innatum roborando, quæ ſunt refrigerantia adſtrictione prædita. Hinc ſyrupi myrtinus, de granatis acidis, de ribes, de agreſta: aquæ, roſacea, acetoſæ, portulacæ, plantaginis, hic ſummopere conuenient, vt etiam in conſtitutione aphthoſâ ad julepos concinnandos: addendo parum confectionis alkermes ſingulis doſibus, in quâ ego plurimùm corroborationis, & modicum refrigerationis poſitum eſſe exiſtimo, quando ſine moſcho & ambrâ paratur: vel pulueris roſatæ nouellæ aut diamargariti frigidi q. ſ. Conſeruæ ex eiſdem cum pulueribus in diarrhœâ dictis ſuppeditabunt materiam ad opiatas & tabellas concinnandas, ſi ſolida conſiſtentia magis arrideat. In hoc caſu valde commendant Practici lac vaccinum, vtpote minus ſeroſum, aut ouillum cum quartâ aquæ parte decoctum, & ſæpius chalybeatum, cui addunt pulueren electuarij diamargariti frigidi aut corallorum, terram ſigillatam, raſuram eboris, & pulueren ex interiore pelliculâ ventriculi & inteſtinorum gallinæ confectum. Bibatur per aliquot

dies

Digitized by Google

dies mane ad ʒ iiij. vel vj. pro naturâ & conſuetudine ægri. Alij ſcriptis tradiderunt fruſta alabaſtri maximè hunc affectum ſanare, ſi candentia extinguantur in lacte, iuſculis, aquâ potabili: necnon oleis aut vnguentis quibus vtetur æger. Commendant etiam raſuram priapi cerui aut tauri cum aquâ roſaceâ & pauco vino & ſucco granatorum ad ʒ ß. ſæpius ſumptam. Chymici verò ad iſtos fluxus imprimis laudant extractum ſiue eſſentiam corallorum & margaritarum, cuius guttas aliquot pariter in ſimilem liquorem aut iuſculum infundunt. Externis quoque adſtringentia, modicè refrigerantia & roborantia adhibeantur, vt ſuperiore capite dictum fuit.

In frigidâ autem & humidâ intemperie eodem modo contrariis progrediendum, quæ calfacere, & abſorbere poſſint humores ſuperfluos. Ideoque præter purgantia dicta, hîc etiam diureticâ, & ſudorifica non paruam præſtabunt opem, ità tamen vt vires non deiiciant. Ad vrinam itaque prouocandam capiant laſerpitij aut benzoini quantitatem quæ piperis granum æquet: vel puluerem ex ſeminibus apij & fœniculi cum pauco cinamomo confectum. Ad ſudores ligno guaiacino, aut ſaſſafras, cuius decoctum valde roborat ventriculum & aluum ſiſtit. Necnon ſi humor ille ſit rebellior, aut perennem habeat generationem, præter dropaces & ſinapiſmos, quibus euocare ſolemus eiuſmodi ſuccos intus ſtabulantes ad exteriora: audent multi, ex conſilio Aëtij, veſicatoria aut cauteria ventri inurere, vel ſetonibus pellem abdominis transfigere, vt his velut ſtillicidiis tandem exhauriatur copia illa humorum. Quæ ſi exhorreſcat æger, adhiberi poterit fricatio illa ex Aureliano, quæ non ſolum ſupra totum abdomen fit, ſed etiam poſterioribus vertebris ex arenâ ſole vel prunis ignitâ, donec ingens rubor in partibus illis contrahatur. Quidam nitro aut aſsâ puluerif. fricant. Cucurbitulæ cum multâ flammâ eiſdem regionibus admotæ non parum commodi adferre poſſunt. Alterantia verò, & roborantia, tam externa quam interna, ex ſuperiori capite, vbi de diarrhœâ egimus, ex proprio vitio ventriculi ac inteſtinorum contracta, repetantur: quibus addere licet aquam cœleſtem & imperialem, ex cochleari frequenter ſumptam, ambram griſeam & moſchum ipſis alimentis permixtum, vel in ſequentes muſcardinos ita redactum.

℞ Puluer. corallorum, terræ ſigillat. optimæ & puluerif. roſar. purpur. ana ʒ j. ß. corticis citri & raſuræ priapi tauri, ana ℈ j. ambræ griſeæ & moſchi, ana ℊ. v. ſacchari albiſſimi ʒ ij. Excipiantur gummi tragacant. vel arabico aquâ naphâ aut roſaceâ liquato. Fiant trochiſci lupinares, vel rhomboides: capiat ſæpius. In defectu etiam prædictarum aquarum talis parari poteſt.

℞ Aquæ vitæ optimæ ℔ ß. cortic. arant. exſiccator ʒ ij. flor. roriſmar. P. j. cinamom. electi ʒ ß. croci ℈ ß. benjoini opt. ʒ ß. moſchi grana iiij. Miſceantur ſimul & frequenter agitentur. Vtatur in ſuperiorem modum. Auicennas coriandri ſemen ſumptum & admotum valde commendat ad lientericos. Sunt qui vnguento ſequenti plurimum tribuant: capiunt fruſtula aliquot alabaſtri, quæ ter aut quater ignita coniiciunt in oleum maſtichinum aut lentiſcinum, donec plurimum combiberint: poſtea eadem terunt, & in puluerem redigunt, miſcentque cum puluere nucis moſchat. garyophyll. & coralli rubri. Addunt ceræ rubræ q. ſ. ad vnguentum conficiendum. Fiunt etiam fomenta, cataplaſmata, & ſimilia, vt iam dictum eſt.

Quod ad lienteriam verò ſpectat, quæ aphthoſam conſtitutionem ſequitur, illius curatio ex proprio capite aphtharum repetenda. Illa autem ex interceptione & vacuatione catarrhoſi humoris, ſi adhuc perſeueret, conuenienti adſtringentium & refrigerantium vſu, præmiſſis aliquando leuiter detergentibus, ſi huiuſmodi vlcuſcula ſuperficiaria ſcateant ſordibus, perficitur, nec non dyſenteria præcauetur, quæ illis male tractatis aliquando ſuccedere ſolet.

Factarum vero in ventriculo ac inteſtinis cicatricum, ſiue planæ ſint, ſiue, quod multo peius eſt, cauæ, difficilis omnino therapeia: tota enim ſpes tollendi affectus cum poſita ſit in refricatione & exaſperatione eiuſmodi cicatricum, vix hoc præſtari poteſt ſine renouatione doloris & inflammationis, per ea quæ acri, detergente & rodenti facultate ſunt prædita, tam per os aſſumpta, ſi cicatrix ſit in ventriculo; quam per anum iniecta, ſi inteſtinis inhæreat. Quidam putant ex ſinapi, alliis aut cepis deuoratis illud præſtari poſſe. Sed nemo neſcit, iſta ſub alimenti formam ſumpta, mitificari ab humiditatibus interius contentis, & acrimoniam ſuam amittere. Si quid igitur aggrediendum ſit, ego malim eſſe

mitigatorium

mitigatorium ſymptomatis, quam curatorium, quia aut non datur tale in hac conſtitutione præſidium, aut tutum non eſt. Ideóque conſulerem vt parum & ſæpe alimentis coctilibus vterentur, necnon gratiſſimis & probè conditis, vt auidius ea complecteretur natura: quibus ſumptis laborans duas, aut tres horas quieſcat etiam in lecto, ne eiuſmodi aſſumpta elabi poſſint promptè ad inteſtina. Quinimo affigantur cucurbitulæ, quæ ſuſpendant iſtam alimoniam aliquandiu, & ea omnia exterius admoueantur, quæ celerem poſſunt coctionem efficere, vnguenta & emplaſtra: ſic enim fiet vt coquant quodammodo aſſumpta alimenta, & partem aliquam ſaltem retineant vitámque diutius prorogent. Nunc ad dyſenteriam accedamus.

CAPVT VII.

De dyſenteria.

NOBIS grauiſſimi & vſitatiſſimi affectus tractationem aggreſſuris, quem dyſenteriam vocant, imprimis accurata diſtinctio præmittenda eſt earum omnium diſpoſitionum, quæ generali illius ſignificato continentur, ab ea quæ propriè & *κυρίως* ita vocatur. Eleganter enim Galenus *κοινὸν ἐπὶ σύμπτωμα ἡ διὰ τῆς ἕδρας ἔκκρισις αἱματώδης*, *commune eſt*, inquit, *ſymptoma excretio per ſedem cruenta plaribus morbis*, qui vel hepatis affectus, vel totius corporis repletionem, vel particularem inteſtinorum noxam conſequuntur. Illos indolentia, hanc vero ſummus dolor & cruciatus comitantur. Vnde etiam idem Galenus 3. *de ſympt. cauſis*, quatuor dyſenterias generaliter ſumptæ differentias ſtatuit. Primam quidem in qua ſanguis copioſior, & laudabilis collectus, vt in mutilis aut in eis qui exercitationem dimiſerunt, aut aliqua vacuatio ſolita per nares, hæmorrhoidas, aut vterum eſt ſuppreſſa, per circuitus copioſè effunditur, & commodis ægri rebus conquieſcit, & hanc *ἐξερυθρὴν in prorrhet.* vocat Hippocrat. Galenus *αἱματηράν*: Secundam quando ex iecore imbecilliore ſanguis quidam dilutus, & loturæ carnium ſimillimus deiicitur, abſque vllo naturæ commodo: & hæc dyſenteria propriè hepatis vocitatur, quod peculiariter iecinoris male affecti vitia comitetur: Tertiam vbi ſanguis atrior, limoſus & piſci liquatæ ſimillimus excernitur, quem vel non ſatis commode attrahit lien, aut conficit, vel præ copiâ illius, aut malâ quadam qualitate irritatus foras in inteſtinorum vacuitates propellit, quo poteſt, vel quando per vias ſolitas non poteſt: bono aliquoties ſucceſſu, alias non paruâ naturæ fatigatione. Quartam denique & proprie dictam dyſenteriam, vt ipſemet aſſerit Galen. 2. *de loc. affect. cap.* 5. quæ conſequitur exulcerationem inteſtinorum, cum profuſione non ſolum ſanguinis ſinceri vel concreti, aut ſtercoribus mucoréve permixti, ſed etiam puris, ramentorum & cruſtularum quas Græci *ἐφελκίδας* vocant.

Nos itaque, vt rem paucis complectamur, dicimus ſymptoma illud quod eſt in genere excreti immodicè ſanguinis per inteſtina, (nullâ exiſtente fluxus hæmorrhoidalium venarum ſuſpicione, de quo poſtea accuratè ſumus tractaturi) conſequi duarum præcipuè partium affectiones, nimirum hepatis & inteſtinorum. Hepatis quidem, quando illud, vt dicebamus, quantitate ſanguinis quantumuis laudabilis copioſiore preſſum, illius portionem *λάνεως καὶ ἰσχυρὰς* liberaliter, & fortitet, vt ait Hippocrat. profundit, factâ *ἀναστομώσει* & recluſione illarum venarum quæ proxime ad inteſtina pertingunt: quæ non tam morbi, quam naturæ ipſius robore & hepatis *ἰσχυρίᾳ* fieri videtur. Idem dicas de excretione illâ limoſi & fæculenti ſanguinis, quem viſcera nutritioni dicata expellunt, ad ſui & naturæ commodum: quamuis enim illa in vitio eſſe poſſint, quatenus ſpectat ad materiæ iſtius generationem, quoad tamen expulſionem rectum naturæ inſtitutum imitantur: & proinde ſalutariter vt plurimum contingunt. Vbi vero hepar morbis oppreſſum *αἱμάτωσιν* male procurat, ac præcipuè in defectu concoctricis facultatis peccat, pro vero ſanguine aquoſam quandam materiam exiguo rubore perfuſam producens, fit vt præ tenuitate illius humoris venæ eum continere non

non poſſint, ſed per diapædeſim & tranſcolationem erumpat. In quo affectu perpetuò ἀτονία iecinoris ſignificatur cum magnâ totius corporis clade. Quamuis enim egerendi ratio facilis ſit, ſine morſu ac tormine, magnam & citam virium proſtrationem inducit, hydropiſque metum, in veteri potiſſimum hepatitide, quam roborantia pharmaca tam intra, quam extrinſecus adhibita ſedare non potuerunt. Sed de his peculiari agemus capite, quando iecoris affectus perſequemur. Supereſt inteſtinalis dyſenteria, quæ proprium eſt πάθος inteſtinorum male affectorum, in quâ non per ἀναῤῥοιὰν aut διαπάδησιν excernitur ſanguis, ſed per διαίρεσιν aut διάβρωσιν potius erosâ illorum ſubſtantiâ à tetris & malignis ſuccis, cum magno dolore ob intemperiem & ſolutionem continui, & perpetuam mordicationem quam illi pariunt. Quod nominis ipſius ratio deſignare videtur, propter particulam illam δυς, quæ in compoſitione moleſtiam & dolorem importat: ideoque Cornelius Celſus ventris tormina appellauit, & Aurelianus à difficultate officij paſſionem hanc nomen accepiſſe exiſtimat.

Dicamus itaque, dyſenteriam eſſe dolorificam alui deiectionem ob exulcerata inteſtina, cruore & ramentis variis comitatam. Qua definitione complexi ſumus genus & differentias, quibus hic affectus ab aliis diſtingui poteſt. Etenim per deiectionem annotauimus ea ſymptomata tertij generis excretorum immodicè præter naturam, quod conſequitur errorem expultricis facultatis depravatæ, nimiumque irritatæ ad propellendam rem ſibi noxiam & ſenſum dolorificum inferentem inteſtinis. Quo nomine à colicâ paſſione diſtinguitur, in qua ſæpius ſuppreſſa eſt aluus; aut ſi ſoluatur, magno ſit ægri commodo, cum in dyſenteriâ, eò ingraueſcat magis, quo maior eſt deſidendi cupiditas. A cholerâ morbo, quod ſolam deiectionem, non vomitum habeat. A diarrhœâ, quod non ita confertim & copioſè fluat, ſed paulatim, cum mordicatione inſigni, ſanguine & ramentis. Ab hæmorrhoidibus & hepaticâ dyſenteriâ, doloris ratione, vt dicebamus. Quamuis enim dolor hæmorrhoidas aliquando comitetur, non tamen pungens, & mordicans vt in dyſenteria; ſed profundus, & grauans verſus inferiorem ani partem. Quo etiam modo teneſmus ab eâ diſcernendus, quod vltimam tantum ſphincteris vel recti inteſtini ſedem occupet cum irritâ deiiciendi cupiditate: dyſenteria vero modò tenuia inteſtina, aliàs craſſiora inuadat, prout rheumatiſmus vel influxio malignæ cacochymiæ in hunc vel illum locum incidit, eumque paratiorem ad ſuſcipiendam illam διαίρεσιν ſeu potius διάβρωσιν repetit. Non eſt enim credibile ſimul omnia inteſtina hoc affectu occupari, tum quod natura repente, & magno ſtudio non ſine iacturâ virium inſurgit ad excluſionem maligni illius humoris erodentis & exulcerantis: tum etiam quia hic affectus non poſſet per plures dies perſeuerare, ſi tanta lues, tamque efferus dolor totam illam inteſtinorum ſubſtantiam occuparet. Non eſt tamen negandum, quod Practici multi obſeruarunt, leues exulcerationes aliquando ſimul in craſſis & tenuibus inteſtinis ſubſiſtere poſſe, & in malignis dyſenteriis, quæ in internecionem deſinunt, aliquando vlcus phagedænicũ reddi, & tantum ſerpendo progredi, vt non ſolum omnia inteſtina, ſed etiam ventriculum & œſophagum ad osvſque peruadat.

Ex eis etiam genus morbi, à quo proxime iſtud ſymptoma in inteſtinis exoritur, ſatis patet, nempe ſolutio cõtinui ab eroſione pendens, quam ἕλκωσιν appellamus, ſub quâ non ſolum verum vlcus, ſed etiam leuiorem exulcerationem complectimur in inteſtinis factam vel fientem, quæ ſufficiens ſit ad dolorem inferendum, & profundendam illuuiem illam ſanioſam cum ſtercore, muco & ramentis. Pro quorum varietate varij etiam dyſenterias gradus aſſignantur: nam ex Galeni ſententiâ, cum ea quæ egeruntur, vel ſint partis alicuius ſubſtantia, vel aliquid parti adhæreſcens, vel res contenta in illius ſpatio naturaliter aut præter naturam, in hoc affectu omnia iſta reperiuntur. Siquidem in principio dum parua adhuc & quaſi ſuperficiaria excoriatio exiſtit, elicitur ſtercus, cum muco aut alio humore (quæ ſunt contenta naturaliter in ſpatio inteſtinorum) ſanguineis perfuſum guttis, aut dilutum ſanie cruentâ (quæ præter naturam in inteſtinorum cauo continetur) necnon pinguia quædam corpora, & veluti ſepoſa excernuntur ob abraſam ſuperficiem inteſtinorũ, cui talis pinguedo adhæreſcere ſolet. Vbi iam ingraueſcere cœpit affectus, & ad ſecundũ ſuæ intenſionis gradum peruenire, deteritur propria illa membrana interior inteſtinorum, ſquamas & veluti cortices cum ſanguine profundens, non abſimiles illis, quas ex vlceribus bronchiorum & aſperæ arteriæ excludi annotauit Galenus

lib.de loc.affect. Tandem perfecta fit, & vltimi gradus dyſenteria, quando vlcus profundum ad ipſam vſque ſubſtantiam inteſtini peruenit, & carnes ſeu caruncułas quaſdam ab Hippocrate commemoratas profundit. Hoc vlcus ſæpè in ῥεῦμα ſeu φαγεδαινικὸν degenerat, vt dicebamus: ſæpè in gangrænam, & ſphacelon, potiſſimùm ſi magna ab initio phlegmone illi complicata fuerit, quæ vlcus reddat inſanabile: vel copia humoris atrabilarij, quæ cancroſum illud & virulentum efficit. Quod enim phlegmone non ſemper iuncta ſit cum vlcere inteſtinorum, quamuis illud voluiſſe videatur author definitionum medicarum, conſtat ex ipſo Hippocrate *Aphoriſmo tertio ſectionis ſextæ*, qui dyſenterias ſine febre aliquando ſubſiſtere ſcripſit, ex putredine ſcilicet humorum, vel inflammatione partium genitâ: nam diarias ex ſolo deſidendi labore ſæpius occurrere in eiuſmodi affectu, credibile eſt admodum. Sunt & dyſenterias differentiæ, ab humoris diuerſitate, ab euentu, & graſſandi modo petitæ, quas inter recenſendum tanti mali cauſas annotabimus.

Cauſarum ergo ſeriem, quæ vlcus hoc inteſtinorum, proximum ſcilicet dyſenterias parentem, ſuſcitant, enumerare eâ methodo conuenit, quâ & reliquarum exulcerationum cauſæ indagantur. Cum enim vlceris natura in eroſione ſit poſita, quam διάβρωσιν aut ἀπόβρωσιν vocant; illa autem eroſio ſit partis cuiuſuis diuiſio cum deperditione ſubſtantiæ: hinc fit vt quæcunque ſuâ acrimoniâ, putredine, aut aliâ malignâ qualitate partium noſtri corporis ſubſtantiam abſumere poſſunt, vel materiam huic affectui accommodatam producere, fouere aut augere, ea inter cauſas vlcerum recenſeri debeant, ſiue externæ ſint, ſiue internæ, primariæ, antecedentes aut coniunctæ. Dicamus igitur res naturales, non naturales, & præter naturam huic noſtro affectui πρόφασιν & occaſionem ſuppeditare manifeſtiſſimam. Cum enim vlcus hoc dyſentericum non tam ſit ſuccedaneum vulneri, contuſioni, aut abſceſſui, quam primarium ex affluxu, vel congeſtione humoris alicuius in inteſtinis, qui illorum ſubſtantiam abradere, & erodere valeat. patet quod eiuſmodi humor, vel acer, vel adurens, vel putridus, vel amarus, vel ſalſus, vel denique malignus, aut venenatâ qualitate præditus eſſe debeat. Non primò ſanguis ſub ſuâ natura ſubſiſtens, non pituita dulcis, inſipida, vel acida, non humor melancholicus naturalis id efficient, niſi permixtione, putredine, aut aduſtione feritatem conquirant. Vnde Galenus triplicem potiſſimum agnoſcit cauſam exulcerationis iſtius dyſentericæ, nempe bilem flauam, bilem atram, ac pituitam ſalſam ſiue putrem, ad quas reliquæ omnes referuntur, niſi quod aliquando pus quod ex empyemate aut aliunde expurgatur, vel ichores id præſtant, ſed raro. Idemque Galenus ſtatuit, ea omnia quæ vel materiam ſufficiunt generandis hiſce ſuccis idoneam, vel qualitate ſuâ immutant, vel rheuma ipſum concitant in inferiorem aluum, vel humores putrefaciunt, aut inteſtina debilitant.: affectui iſti producendo operam ſuam conferre. Vtpote quicunque temperamentum habent præcalidum generandæ bili idoneum, aut adurendis humoribus, illi dyſenteriæ ſunt obnoxij, quales ſunt rufi & lentiginoſi, quia corpus minus habent perſpirabile cum multa bilis copiâ. Quemadmodum ſenes ob ætatis ſymbolum dyſenterias ab atrâ bile vel ſalsâ pituitâ facilius incurrunt, iuuenes vero bilioſas.

Quod vero ad res non naturales ſpectat, certiſſimum eſt in hoc affectu dictum illud Hippocratis *lib.* 3. *de diætâ*, maximam obtinere veritatem, nempe morbos omnes partim à ſpiritu quem ducendo viuimus: Aër enim, ſiue primarias eius qualitates ſpectes, ſiue ſecundarias, fœcundiſſimus eſt dyſenteriarum author. Hinc eas autumno potiſſimum graſſari videmus ob caloris frigoriſque inæqualem conſtitutionem, quæ totum corpus debilitat, & fluxionibus obnoxium reddit. Hinc æſtas feruidior aut hyems humidior, cui ſiccum & aquilonium ver ſucceſſerit, ad exprimendam materiam, feraces ſunt dyſenteriis producendis *Aphor.* 11. *ſect.* 3. & in quibuſcunque regionibus humidior temperies viget, cum caloris & frigoris inæquali & quaſi repentinâ mutatione, qualis eſt Tholoſana, illis endemiæ eſſe ſolent familiareſque dyſenteriæ. Quod ſi certa quædam putredo & ſubſtantiæ corruptio in aërem incidat, vel ex aſtrorum maligno aſpectu, vel praua inferiorum conſtitutione, tunc peſtilentes, epidemiæ, & populares dyſenteriæ cooriuntur, cum multâ ſtrage, & hominum internecione, quales Athenis in peſtiferâ illa tempeſtate à Thucydide deſcripta, & apud nos ſæpius obſeruantur. His ſi mala

victus

Digitized by Google

victus ratio accedat ob annonam cariorem, corruptionem frugum, vel malam viuendi conſuetudinem, tunc non ſolum ad ſporadicas dyſenterias, ſed etiam epidemicas, & endemias excitandas magnum momentum adfertur. Quæcunque enim alimenta calidiora, acriora, amara, ſalſuginoſa, vel putredini obnoxia liberalius ſumuntur, ea maxime valent ad producendas iſtas materias erodentes, & proritandam in vim excretricis facultatis. Narrat Galenus de ſeipſo, vbicunque ſumpſiſſet piperis pluſquam par eſſet, vel certè ſtatim poſt ſumptum piper bibiſſet, ſe ſingultu corripi ſolitum: At noui ego duos, qui ob eſitatum copioſius piper in crudeliſſimam dyſenteriam inciderunt cum magno morſu & tormine, donec lacte hauſto, & accommodatis clyſteribus illius vis obtuſa fuit. Taceo hic arſenici, ſublimati, euphorbij, cantharidum, & ſimilium venenorum aut medicamentorum malignorum, vel male præparatorum vires, quibus multos in lethales dyſenterias præcipitatos eſſe omnibus eſt compertum Medicis, qui in artis operibus verſantur. Memorat Aëtius ex Antillo, quoſdam qui per iocum aut alio modo, æs, aurum, ferrum, aut quid aliud durum aut aſperum deuorarint, ſæpè exulcerationes iſtas cum cruenta deiectione incurrere. Narrant etiam nautas, qui aquæ dulcioris potu priuati, marinam aut putridam bibere coguntur, fere omnes dyſenteriâ corripi. Quibus adde cruditates, vinolentiam, importunas exercitationes à paſtu, diuturniores vigilias, iracundiam vehementiorem, vnde pleroſque exercitus dyſenteriâ perire certum eſt, & ſimiles cauſarum externarum exceſſus, quibus idem præſtari poteſt: potiſſimum dum internas illas cauſas, & diſpoſitiones præter naturam ſuſcitant, quibus ſuccedaneæ eſſe ſolent dyſenteriæ: ſiue id criticè aliquando fiat, vt videtur voluiſſe Hippocrates 1. *epidem. ſect.* 3. in Bione illo ſene, & in lienoſis, *Aphor.* 48. *ſect.* 6. ſiue ſymptomaticè, quod eſt frequentius, vt in conſtitutione illa Thaſiorum per febres tritæophyas & tabificas 1. *epid. ſect.* 2. vt in lienoſis diu perdurans *Aphor.* 43. *ſect.* 3. vt diarrhœæ aut deiectioni ſinceræ ſuccedanea, *Aphor.* 23. *ſect.* 7. vel quæ ſequitur inflammationes hepatis aut aliarum partium ex largo bilioſæ materiæ putridæ aut purulentæ prouentu in inteſtina prolabente, eaque exulcerante, ſine vlla prioris morbi mitificatione. Eodem modo caput pituitâ putri & ſalsâ refertum, qualis in vertiginoſis, lippientibus, & aliis colligitur, dum ſuam deponit cacochymiam in partes ſubiectas, non ſolum occaſionem præbet generandæ phthiſeos, vlcerato pulmone; ſed etiam dyſenteriam parit difficillimam & curatu contumaciſſimam, vt vult Galenus *comment. in Aphor.* 11. *ſect.* 3. quia pituita hæc præter morſum & irritationem habet etiam lentorem & craſſitiem, propter quæ diutius hærendo inuolucris inteſtinorum, moleſtiorem multo dyſenteriam efficit quam flaua bilis. Sed inter vehementiſſimas dyſenteriæ cauſas principem locum obtinet atra bilis, eaque potiſſimum quam genuit peruſta bilis flaua, quia multò maiore feritate donata eſt, quam quæ ex aliis ſuſcitatur ſuccis. Huius prouentum efficiunt maximum calores & putredines ingentes, necnon obſtructiones quæ alienos ſuccos congerunt, & corporis ἰύρσιαν impediunt: vnde lienoſis diuturna dyſenteria ſuperueniens, difficilis ob contractum iam in humore vitium, quod naturæ negotium faceſſit. Atque hic eſt præcipuus cauſarum dyſenteriæ catalogus, quarum rurſus varia eſt ſeries & propagatio ex naturæ fontibus repetenda. Nos vero ad diagnoſim ipſam progrediamur.

Signa itaque iſtius affectus demonſtratiua, partem affectam, affectus naturam & magnitudinem, cauſaſque indicare debent accuratiſſimè, ne deinceps in prognoſi aut therapeiâ ſtabiliendâ erret Medicus. Quod ad partem affectam attinet, certiſſimum eſt inteſtina hic laborare, ſiue primariò materiam illam erodentem in ſe contineant, ſiue aliunde excipiant, vt iecore, liene, cerebro, vel aliis partibus ſeſe exonerantibus in inferiorem aluum. Quod & ipſa actio læſa, nempe deprauata excretio, & indefinens cupiditas defidendi, declarat, & doloris ſitus ac proprietas, qui modò partes vmbilico ſuperiores, modò inferiores occupat: aliàs circa ipſum verſatur vmbilicum, non quidem ſublimis & externus, ſed interior, & in concaua abdominis parte ſenſibilis cum rugitu, & morſu, punctioneque partibus membranoſis, quales ſunt inteſtina, peculiaris. Adde excrementa ipſa, quæ non ſolum earum ſunt rerum quæ in inteſtinis continẽtur, vt ſtercora, mucus, cruor, aliique humores permixti; ſed etiam ipſis adhæreſcunt, vel eorum ſunt partes, vt pinguia illa ramenta, cortices, & caruncula, ex quibus indubitatum exurgit affecti alicuius inteſtini teſtimonium. Vtrum verò tenue, vel

craſſum,& quod ex eis ſit vlcere affectum, non parum intereſt ſcire;tam ad prædictionem, quam curandi rationem. Id autem ex doloris ſitu & modo, necnon ab excretis, & excernendi varietate coniicere oportet. Vulgaris eſt omnium fere Medicorum opinio, dolores qui ſupra vmbilicum affligunt, ad tenuia inteſtina pertinere, quæ ſuperiora vocabant veteres: qui infra vmbilicum, ad craſſa, quæ etiam inferiora appellabant. Sed ipſa αὐτοψία & anatomes peritia id manifeſtæ falſitatis conuincit: etenim inteſtina illa tria, quæ λεπτὰ ſeu tenuiora, ſiue prima dicimus,quia ſtatim ipſum ventriculum ſequuntur, non tam in ſuperna abdominis vel ὑπογαστρίῳ parte poſita ſunt, quam circa vmbilicum, velut in eius ambitu: quæ verò craſſa & inferiora vocamus, quia prædicta ſubſequuntur: non quòd inferiori abdominis parti addicta ſint,nam colon ipſum inter craſſa præcipuum,reuolutionibus ſuis vtrumque hypochondrium, ventriculi latera & fundum occupat. Itaque ſuperior poteſt eſſe dolor, atque inferior vmbilico, qui craſſa inteſtina occupat, ſi ſitum partium ſpectemus: ſin verò per ſuperiorem intelligamus priorem & quaſi diuturniorem ante ſeceſſum moleſtiam, illa propriè pertinet ad tenuia inteſtina, quia in exulceratione dum fit tranſitus materiæ alicuius ſuper eam, longè antè ſentitur quam exeat, propter maiorem diſtantiam ab ano: contrà verò contingit in craſſis, potiſſimum ſi extremitatem coli vel recti initia exulceratio occupet: quia tam citò fere excernunt, quam dolorem eum perſentiſcunt. Adde quod in tenuium exulceratione ſanguis qui profunditur cum ſtercore, valde eſt illi commixtus, propter longiorem tractum & agitationem, necnon aliquando niger, & ſemiputridus, quia intus grumeſcit aut σηπεδόνα ſeu putrefactionem concipit ob moram: ex craſſis verò aliquando ſincerus excernitur, vel ſaltem minimum mixtus, viuidus, & florido colore donatus. Idem dicas de commixtione puris quod in eiuſmodi vlceribus gignitur: necnon vbi ad ramenta illa, & carunculas ventum eſt, quæ ab inteſtinis decidunt, tunc ex illarum craſſitie vel tenuitate facile datur cognoſcere, quæ inteſtina ſint exulcerata, craſſa nimirum ſi ἰφθαλμώδεις illæ ſint ſpiſſiores & carnoſiores: tenuia vero, ſi minutiores & magis membranoſæ.

Ex his etiam affectus natura & magnitudo innoteſcit, vt dictum eſt; nam ſi leuior ſit tantum exulceratio,mitis etiam erit dolor, ex interuallis repetens:ſanguinis guttulæ aliquot apparebunt cum ſtercore,aut humoribus: nullum puris veſtigium, aut ſaltem exiguum. Denique prima tantum adipis inteſtinorum,vel pellicularum quarundam, quæ ad eorum epidermidem referuntur, ramenta excrementis innatantia apparebunt. Quod ſi augeatur morbus, & penitiorem ſubſtantiam inuadat vlcus, maior copia ſanguinis mixto copioſiori pure emittitur, membranoſa corpora apparent, ex ipſis tunicis inteſtinorum abraſa cum acerbo dolore & cruciatu. Demùm vbi vlcus firmatum, formatumque fuerit, apparere ſolent grandiora illa fruſta, quæ carnes Hippocrati dicuntur, quoniam ex interiore partium iſtarum ſubſtantiâ decidunt, cum magnâ omnium ſymptomatum exacerbatione: vnde etiam vlcus ferinum, φαγεδαινῶδες, virulentum, atque etiam cancroſum, aut gangrænoſum aliquando euadit: quod ex intenſiore putredine, tetris ſordibus, necnon etiam amiſſo aliquoties doloris ſenſu ob πέψιν caloris natiui intelligitur. Vt vero diſtinguere quis poſſit facilius inter excreta iſta dyſenterica, notandum quod pinguedinis fruſtula igni admota, ſtatim liquantur, & nidorem adipis repræſentant: carnes verò ſeu portiunculæ interioris ſubſtantiæ nigreſcunt & ſiccantur: membranæ & cortices corrugantur, & tenuitatem habent propriam, quâ adeps & carnes deſtituuntur.

Quod autem ad cauſarum efficientium notitiam ſpectat, à quibus dyſenteriæ exoriuntur: ſi quidem illæ ſint externæ & procatarcticæ, vt aëris intemperati vel corrupti, aſſumptorum, importunæ exercitationis, vigiliarum, aut aliarum rerum non naturalium vitia:facile erit illas deprehendere,tum ex præſenti cauſarum ſtatu, tum graſſandi modo. Aër ſiquidem malâ qualitate præditus, aut ſubſtantiæ corruptelâ infectus, non vnam tantum aut alteram dyſenteriam (ſi ita contigerit) excitare ſolet, ſed epidemicam, popularem, & publicam, ſi magna ſit, & per aliquam orbis plagam diffuſa labes: vel ſaltem endemiam certæ cuidam regioni, vrbi aut pago familiarem, propter aſſuetam illam, & ſæpius recurrentem aëris φθορὰν aut intemperiem, quæ proprium talem morbum reddit, & frequentius graſſantem in illo loco. Atque hæ dyſenteriæ peculiarem

culiarem habent notam, quod valde ſint contagioſæ & plurimùm mortiferæ. Idem dicas de frugum, ciborum, aut aquarum vitiis, quæ ſi vulgares ſint & communes toti alicui terrarum tractui, vel certæ regioni aut vrbi, ſufficere poſſunt ad epidemiam aut endemiam dyſenteriam producendam: quemadmodum ex Hippocratis libris epidemion, & vltimo de naturâ humanâ facile eſt intelligere: duæ enim ſunt cauſæ epidemiorum & endemiorum morborum, aër nempe & aſſumpta. Sporadicæ verò dyſenteriæ, quæ modò hunc, modò illum occupant, hoc vel illo tempore diſperſim, & nullâ ſerie, cauſas habent ſuas peculiares, ſingulíſque ægris proprias, vtpote in hoc crapulam, in alio cruditatem, importunam exercitationem, iracundiam & ſimiles, quas ex ægri aut adſtantium relatu diligenter inquiret Medicus, vt facilius penetrare poſſit ad interioris cauſæ naturam indagandam. Siue enim dyſenteria alteri ſucceſſerit morbo criticè aliquando, vt vult Hippocrates; ſæpius ſymptomaticè, vt diarrhœæ, inflammationi hepatis aut aliarum partium, catarrho ferino, & ſimilibus; ſiue primario contingat cauſa ipſa in inteſtinis genita vel collecta, ſiue alterius morbi interuentu: maximè facit tam ad prognoſim quam ad therapeiam, vt peculiariter vniuſcuiuſque natura cognoſcatur. Agnoſcitur autem illa, tum ab excretorum ipſorum ſubſtantiâ & qualitatibus, tum cauſis illis prægreſſis aut præſentibus, quæ eiuſmodi humores generare ſolent. Etenim ſi tenuis flauúſque ſuccus, multis ichoribus dilutus, excernatur, præceſſeritque aut præſens ſit aëris tempeſtas feruidior, ciborum acrium aut potus calidioris vſus: exercitatio immodica, aut irarum cauſæ plurimæ in homine picrocholo, vel cui hepar eſt feruidius ex naturâ, vel ob prægreſſam febrem, partis alicuius inflammationem, & ſimilia: certum eſt eiuſmodi dyſenteriam à bile flauâ ortum ſuum & originem traxiſſe. Idem dicas de pituitâ ſalsâ, ſi humor craſſus & lentus albo colore præditus, poſt capitis dolorem, vertiginem aut catarrhum, in tempeſtate auſtrinâ vel aquiloniâ, prægreſſis multis crapulis aut cruditatibus in homine pingui & craſſo, ſomnolento aut otioſo copioſius & diuturniori tempore excernatur. Atra vero bilis, cuius particulares notas in diarrhœâ tradebamus, tantæ eſt feritatis & malitiæ, vt non ſolum ſuo ſe colore exuſto, & ſplendente detegat, ſed etiam cauſis prægreſſis, vt obſtructionibus lienis, quæ diu perſeuerarint, & putredinem conceperint, magna bilis æruginoſæ copia, aut alterius ſucci, qui in quacumque corporis parte in teterrimam hanc materiam per exuſtiones aut putrilaginem degenerant: necnon virulento, & maligno vlceris ſtatu, quod ad carcinomatis naturam citò accedit. Quod ſi ſanguis putridus, materia purulenta ex aliquo abſceſſu diſrupto effluens, tetri ichores ſoli, vel plures iſtarum cauſarum commixtæ dyſenteriam pepererint, ex comparatione commixtionéque ſignorum, habenda erit illarum certior notitia, vt omnia ritè in tam difficili & laborioſo affectu inſtituantur. Cuius nunc prognoſim eadem methodo inſtituere propoſitum eſt.

De ſalute ergo aut periculo, eiuſque diuturnitate ac breuitate præſagire in dyſenteriâ conuenit ex comparatione, magnitudine affectus, & virium ipſius ægri: magnitudo autem affectus καχοήθεια & impetus, ex naturâ partis affectæ, cauſarum efficientium potentiâ, ipſius morboſæ διαθέσεως intenſione, & ſymptomatum feritate erit æſtimanda. Vt contrà illius paruitas ex iſtorum omnium remiſſione, & contraria conſtitutione. Proinde dyſenteria illa, quæ præſtantiorem inteſtinorum partem occupat, vtpote gracilia: multo lethalior, & periculoſior eſt cenſenda: tum quod illa magis ad vitam neceſſaria ſuam noxam citius toti corpori communicant: tum propter difficultatem curandi, admouendíque remedia: neque enim clyſteribus infuſionibúſque iuuari poteſt in tam diſtanti parte, nec etiam multum aſſumptis per os: quoniam in iſto viæ tractu illorum facultas valde infringitur, & hebetatur. Crudelior adhuc illa, quæ non ſolum gracilibus inhæret, ſed etiam ad craſſa vſque, vel ventriculum propagatur. Quo enim plures inteſtini partes erunt afflictæ, maiot ad vitæ functiones exercendas vrget incommoditas: vnde illud Hippocratis *lib. de humoribus. Cum infra vmbilicum*, inquit, *fuerit id quod torquet, tardum & molle eſt tormen*; *& vice verſa*: *Et 1. epid. magis ex dyſenteria laborat, quiſquis etiam ſanè à teneſmo vexatur.* Sic dyſenteriæ crudeliores & periculoſiores quæcumque epidemicæ ſunt vel endemiæ, quaſque tetra aëris lues, vel ſumma intemperies peperit, aut frugum aquarúmve corruptela: item quas partis alicuius, vt cerebri, hepatis, lienis, &c. in corpore δυσκρασίαν generat & fouet: vel ſumma cacochymiæ vis & quantitas in corpore produxit.

Sincera enim deiectio humoris efferati & suo sero destituti per diarrhœas, accersit dysenteriam difficillimam & valde excruciantem, ob materiæ acrimoniam & exulcerationis magnitudinem. Nihil tamen crudelius est ipsâ bile atrâ, cuius exitum tantopere exhorruit Hippocrates, in morbis potissimum incipientibus, vt omnes eiusmodi citò mortales pronunciarit *Aphor.* 22. *sect.* 4. fit enim carcinoma internum, idque non occultum: sed exulceratum in parte admodum sensibili, cuius non potest esse nisi funestus exitus & mortifera calamitas: vnde *Aphor.* 24. *sect.* 4. δυσεντερίη ἢν ἀπὸ χολῆς μελαίνης ἄρξηται, θανάσιμον Si incipit, ait, quoniam, vt interpretatur Aëtius, aliquando, & sub morborum finem profundi potest niger humor bonis ægri rebus, naturâ res sibi noxias foras expellente per crisim: vt confirmari potest ex historia Craton. & Myti 1. *Epid. Aphorism.* 5. *sect.* 7. Maniæ dysenteria superueniens, bonum: & 48. *sect.* 6. Spleniticis si difficultas intestinorum acciderit, laudabile: dummodo, vt ipsemet Hippocrat. docet *Aphorism.* 43. *eiusdem sectionis*, non sit μακρὴ, diuturna & perseuerans, quæ rebellem materiæ conditionem sequatur, & naturæ impotentiam ostendat, vnde lienteriæ & hydropes suboriri solent. Post sinceras deiectiones & atram bilem, infestissima est ea dysenteria, quam pituita salsa aut putrida suscitauit, quoniam, vt docet Galenus *comment. in Aphorism.* 11. *sect.* 3. præter acrimoniam & morsum, habet etiam crassitiem ac lentorem, per quem pertinacius intestinis adhærescendo, illa torquet & exulcerat, quum bilis flaua præ tenuitate, & impetu magis diffluat, faciliúsque excernatur: itaque quamdiu eiusmodi humores per intestina effusi ea leuiusculè exulcerant, detritâ tantum pinguedine aut superiore cuticulâ intestinorum, cum paucâ sanguinis quantitate, quæ ex solis venulis capillaribus profundatur, tandiu malum admodum sanabile existit, præcipuè si nulla aut exigua sit febris, si nulla φλόγωσις aut saltem φλεγμονὴ vlceri iuncta fuerit. Contra vero desperata est salus, quando vlcus illud adauctum ipsam intestinorum substantiam inuadit & depopulatur, eáque ramenta profundit, quæ Hippocrates *Aphorism.* 26. *sect.* 4. carnes vocauit: nulla enim tunc vel σαρκώσεως vel ἐπουλώσεως. vt docet Galenus, regenerandæ scilicet intestinorum substantiæ, vel obducendæ cicatricis spes apparet in tam sordido, & profundo vlcere. Huic adiunguntur grauissima symptomata, dolor immensus, febris intensa cum partis exulceratæ inflammatione, iugis & copiosa sanguinis profusio, erosis iam & penetratis maioribus venis, ad hæc syncope, sudor diaphoreticus, extremorum frigus, delirium, quibus vicina mors hominem excipit: vel si malum inueterauerit, exoriuntur lienteriæ, colliquationes totius, hydrops & cibi fastidia, quæ Hippocrates 6. *epid.* & *Aphorism.* 3. *sect.* 6. funestissima esse iudicauit. Docet Galenus intempestiuè sedatam dysenteriam facessere in hepatis inflammationem, apoplexiam, & conuulsionem. Hippocrates *lib. de victus ratione in acutis*, scripsit abscessum aliquem aut tumorem facere, nisi ad febres, aut sudores, aut vrinas crassas, aut ad varicem, crura vel coxam dolor decubuerit. Vult idem Hippocrates *in Coacis*, vomitiones biliosas quæ dysenteriam non desinentem comitantur, pessimas esse, quia magnitudinem siue multitudinem causæ significant sine vllo naturæ adiumento. Cum igitur hic morbus ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ laboriosus sit & lethalis, vt pronunciauit Hippocrates *lib. de affectionibus*: si quidem robusto adhuc corpore curetur, spes aliqua est fugæ: sin vero colliquato iam & ventre omnino exulcerato, nulla vitæ spes supereſt. Moriuntur autem ex eo potius mulieres, pueruli, & senes, quam reliqui, cæteris paribus, ob virium imbecillitatem. Quæ verò dysenteriæ in salutem desinunt, illæ, inquit, Hippocrat. 2. *prorrhet.* finiuntur septima die aut decimâ quartâ, aut vigesimâ, aut saltem quadragesimâ, vel intra hoc tempus: vltra enim vix euadunt dysenterici, sed in morbos illos iam commemoratos ab exolutione caloris natiui incidunt & moriuntur. Annotat Soranus, quod in fluxu dysenterico, si quidem post aurem sinistram papula in modum orobi vel lenticulæ appareat, cum siti validâ, vigesimo die aut citius mortem pronunciari. Atque hæc de prognosi sufficienter, nunc ad therapeiam veniamus.

Dicamus igitur, cum dysenteria vlcus sit intestinorum, aut saltem exulceratio sordida à vario humorum acrium & erodentium affluxu pendens, quem sæpius febris, dolor ingens, & sanguinis non parua excretio comitatur: exhibet nobis indicationes therapeuticas multiplices: vtpote ratione humorum affluentium siue cacochymiæ tollendas esse omnes causas, quæ eos producunt, fouent aut fluere faciunt, tam internas quam externas. Ac proinde imprimis optimam esse instituendam

Digitized by Google

tuendam victus rationem, vt omnis error externus tollatur, necnon res illæ non naturales ad temperandum affectum & vires ægri ſuſtentandas ritè inſtituantur. Quod ſi humorum iſtorum fluxus ab hepate, liene, cerebro, vel aliis partibus præter naturam conſtitutis pendere videatur, diligenter proſpiciendum erit cuiuis cacochymiæ fontivt exhauriatur commodè, & in meliorem ſtatum, quoad fieri poterit, transferatur. Humor autem fluens & aluum concitans, ſiue pituitoſus, ſiue bilioſus, ſeu melancholicus fuerit, vacuandus iterum atque iterum medicamentis purgantibus, adſtrictoria tamen facultate præditis, ne diutius intus morando & ſegnius fluendo, naturam magis ac magis irritet, atque vlcus exaſperet. Mitificandus item ille humor alterantibus, concoquentibus, & contrariam qualitatem emendantibus ſumptis & admotis, necnon dolor, qui hîc aſſiduus comes eſſe ſolet, omni arte demulcendus: vt etiam alui fluxus diuturnior & concitatior adſtringentibus tandem compeſcendus. Quoniam vero in hoc inteſtinorum vlcere, vt dicebamus, ſæpius ingens ſanguinis copia profunditur, quæ φλόγωσιν, necnon φλεγμονὴν in eis aliquando parit cum febre non contemnenda: patet venæ ſectionem hic eſſe vſurpandam, in corporibus potiſſimum ſanguineis, & aliis ætate florentibus, vt fiat reuulſio fluentis ſanguinis ad inteſtina, & euentilatio illius qui in venis maioribus putreſcit vel incenditur. Denique quod ad ipſum vlcus ſeu exulcerationem ſpectat, certum eſt detergentibus leniter propter doloris præſentiam in principio eſſe agendum: poſtea exſiccantibus & conſolidantibus vt occludatur: affectis quidem ſuperioribus inteſtinorum partibus, per aſſumptá: inferioribus vero, per iniectos clyſteres magis illud eſſe procurandum. Vbi vero vlcus putrilaginoſum, ſordidum, & inueteratum extiterit, non ſolum leniter detergentibus & exſiccantibus erit pugnandum, ſed etiam ἐυπλικοῖς, abſterſoriis, & aliquando cathæreticis vel cauſticis, vt nos poſtea dicemus. Atque hæ ſunt dyſenterias indicationes.

Verùm obiiciet fortaſſe aliquis aduerſus indicationes haſce à nobis propoſitas de purgatione & phlebotomiâ, non eſſe admittendas ob varia pericula quæ inde exoriri poſſunt. Etenim quod ad purgationem ſpectat: cum aluus in hoc affectu immodicè feratur, excretrix ipſa nimis quam par ſit, ſollicitetur, humores adſint putrilaginoſi, acres, ſalſi, vel nitroſi: non videtur conueniens naturam de nouo ſumptis catharticis fatigare, quæ ventrem adhuc ad excernendum ſollicitent, adducant materiam in locum dolentem & exulceratum, necnon per exagitationem illius febrem cum dolore intendant. Idem dicas de phlebotomiâ: non conuenire in dyſenteriâ, ob vires tam præſentes quam futuras: certum enim eſt crebrâ deiectione, & pene inextinguibili deſidendi cupiditate, citò frangi debilitaríque robur ægrotantis, ideóque ſtudioſè conſeruandum eſſe, vt poſſit ſufficere non ſolum ad ſuſtinendam præſentem moleſtiam, ſed etiam in ſucceſſu ad ſuperandum tantum morbum. Adde quod dyſenteria, vt iam fuit declaratum, eſt ſoboles peſſimæ cacochymiæ humorum qualitate peccantium, non ſanguinis: vnde non videtur conueniens per venæ apertionem allicere ad ſuperiora peſſimos illos ſuccos in ventre inferiore contentos, vel profundere eum humorem qui minimè eſt in vitio, reliquiſque temperandis maximè conuenit. Nec etiam valet hic reuulſio ad coercendum impetum ſanguinis qui per dyſenterias effunditur, quandoquidem in omni proſperâ & felici reuulſione, vt ſiat humorum παλιδρομὴ & refluxus, neceſſe eſt adeſſe vaſorum communionem ſiue connexionem. At nemo neſcit ex anatome & ἀυτοψίᾳ diſtributionis venarum, inteſtina ſuſcipere ſuas venas ex ſolo portæ ramo meſenterico, cui nulla eſt συνάφεια cum venâ cauâ aſcendente, ex quâ cubiti venæ deriuantur. His obiectionibus non contemnendis ſic erit ſatisfaciendum: dicendo quod ad purgationem ſpectat, eam nos in hoc affectu præſcribere, quæ ſufficiens ſit ad expurgandam conuenienter cacochymiam quæ intus latet, nec ſatis commodè à naturâ excluditur. Cum enim triplex commodum afferre ſoleat ars noſtra naturæ ad morborum curationem: nimirum iuuando eam ad celerius faciendum illud quod non poterat niſi longo tempore præſtare: ſtando ex partibus illius quando æquali decertat robore cum cauſa morbifica: & perficiendo illud, quod nec inchoare nec explere poterat: hîc certè ex purgatione talia elucent commoda: dum ſcilicet quod natura non poterat niſi ægrè & diuturno tempore perficere, illud aſſumpto cathartico breui aliquot horarum ſpatio peragimus: motúmque illius inceptum tutò, per adſtringentia ſcilicet & benigna purgantia, quibus etiam virtus roboratur, abſoluimus. Non igitur

alui

alui fluxum purgatione augemus, ſed compeſcimus : non fatigamus naturam, ſed iuuamus, dum concurrimus velut auxiliarij ad id præſtandum quod illa intendit: neque hoc genere catharticorum materiam exagitamus, ſed potius adſtringendo cohibemus, dolorem autem, febrem, & exulcerationem minuimus ; dum cauſas illas tollimus, quarum præſentia excitabantur. Quod ad phlebotomiam attinet, ſciendum eſt illam in hoc affectu proponi, reuulſionis potiſſimum causâ & febris aut putredinis, ſi adfuerit. Quâ de causâ non ſunt timendæ vires aut præſentes aut futuræ, ſi illa exerceatur parcâ manu, ſenſim & partitis vicibus, in principio morbi, aut firmis adhuc viribus, phlethorâ exiſtente, ætate florentibus, & reliquis circumſtantiis, quibus conſentientibus non veretur Trallianus iuſtam phlebotomiam & veteribus vſitatam ad libras vſque duas ſanguinis hic vſurpare, ex quâ maximum ſeſe ægris auxilium attuliſſe gloriatur ſedatâ febre & inflammatione. Hoc tamen animaduertendum eſt, phlebotomiam non eſſe vſurpandam, quando dyſenteria eſt epidemia, vel endemia, quia in hoc caſu nulla eius indicatio ſeſe offert ; ſed tantum cum ab aliis cauſis dependet. Quamuis igitur dyſenteria præcipuè pendeat à vitio cacochymiæ in inteſtinis contentæ : quia tamen ob febrem, dolorem, & exulcerationem coniungitur etiam plurimùm vlceri inflammatio, & febris putrida : ideo non omnino extra culpam videtur eſſe ſanguis, ſed ad cauſas morbificas, ſi non principales, ſaltem ſecundarias concurrere. Ideóque tam præcautionis, quam reuulſionis cauſa optimum eſſe, reliquis à nobis allatis conſentientibus, venam cubiti dextri, vel ſiniſtri baſilicam ſecare, prout fluxus origo varia eſſe videbitur : quandoquidem illa connexio, quæ eſt in hepate inter venam cauam & portam ſufficiens eſt ad transferendos hinc inde humores, vt patet quotidie de chylo qui à venis meſaraicis in cauitatem hepatis tranſlatus, deinde ſanguiñis formam nactus venam cauam, & iecoris conuexa ſubit, vt per totum corpus tranſmittatur. Quod ſi venæ ſectio ob ætatem, vires aut ſimilia non vſurpetur, ſaltem hirudinibus admotis aut cucurbitulis cum ſcarificatu conuenientem aliquam reuulſionem procurare oportet. His ergo ſic conſtitutis ad diætam dyſentericorum conſtituendam accedamus.

In eâ itaque ſtabiliendâ omnium rerum non naturalium & externarum diligens ratio eſt habenda, vt ſcilicet quæcumque affectui huic quamlibet anſam præbere poſſunt, in melius transferantur, & ea vſurpentur quæ oppugnandis cauſis morbificis ſunt idonea. Ideo aëris ſtatus is eſt procurandus, qui maximè ad temperiem vergat, vel paulo ſit frigidior, ſine humiditate ſuperfluâ, ad moderationem acrimoniæ humorum & caloris febrilis, domus, ſtratum, & linteola valde munda ac copioſa eſſe debent, ne crebris illis deiectionibus fœtore, ac ſordibus obruantur dyſentericis : & cum vlceris cuiuſuis curatio à quiete velut principio ducatur, ad vitandam ſcilicet fluxionem, & reficiendam ſubſtantiæ deperditionem, ideo omnis vitanda exercitatio, & motus, ſiue corporis ſiue animi : ita vt progrediente morbo, ne quidem ſurgere permittatur ad deſidendum, ſed in ipſo lecto, ſuppoſitis linteolis, aut pelui humiliore ad id rectè comparatâ, alui excrementa deponat. Vitetur ira, mœror, & omnis cura, ac ſollicitudo, quæ ſæpiſſimè dyſentericos in recidiuam præcipitant. Eodem modo excretiones quæcumque corporis aſſuetæ ritè procurentur, ne ſcilicet illis ſuppreſſis maior affluat humorum copia in ventrem, & ibi vlcus exaſperet, quod nos poſtea præſtare docebimus : fugiant tamen omnem ſanguinis & ſeminis vacuationem, metu agitationis & deperditionis virium. Porro dyſenteriæ, vt & omni fluxioni compeſcendæ, ſomnus conducit : vigiliæ autem valde obſunt : iſque ideo omni arte, & induſtriâ procurandus ; quia tamdiu à labore, & fatigatione conquieſcunt dyſenterici, quamdiu dormiunt, & dulci ſopore detinentur.

Quod ad alimenta ſpectat, quæ dyſentericis conueniunt, patet illa, quod ad ſubſtantiam ſuam attinet, contraria eſſe debere ſubſtantiæ humoris peccantis, vt ſi pituitoſus, melancholicus, vel bilioſus ſuccus redundans cauſa ſit propoſiti affectus, cibi aſſumantur, qui nullum habeant cum illo ſymbolum, ſed potius cum contrario humore : vel ſaltem euchyma ſint & eupepta, vt ſuccos ad mediocritatem reducant, neque negotium faceſſant naturæ in concoquendo, quæ ſatis deiecta eſt continuis excretionibus & doloribus. In qualitatibus actiuis temperata ſint aut potius refrigerantia, præſente febre & inflammatione. In paſſiuis ſiccantia modicè : in ſecundis adſtringentia, incraſſantia, glutinantia, lenientia, ratione

tum

Digitized by Google

tum vlceris, tum doloris. Quoad quantitatem in principio morbi abſtinentiam valde laudat Trallianus: poſtea verò partitis potius & repetitis vicibus parum, quam vnâ multum erit exhibendum: eâ tamen menſurâ, quæ non ſolum ſuſtentandis, ſed etiam recreandis viribus ſit idonea: potiſſimum ſub morbi declinationem quando corpus quodammodo refici incipit. Is etiam ordo obſeruandus, vt ſemper cibus potum præcedat, & ſi quæ adſtringentia, ſolidantia, aut roborantia offerantur, primo ſtatim ferculo aſſumantur. Pro variâ igitur cacochymiæ ſpecie vtentur hi vel illi cibi pituitæ, atræ bili, & flauæ generandæ idonei: vtantur conſummatis, contuſis, gelatinis, ſimilagine, panatellis ex pane biſcoćto, oryzâ, hordeo leuiter torrefacto, necnon milij aut panici farinâ pro ruſticis & aſſuetis; quæ omnia decoquantur cum iuſculo veruecis, & gallinæ maioris ſimplici, vel etiam in quo folia plantaginis, portulacæ, acetoſæ, & endiuiæ incoxerint. Quidam addunt fruſta malorum, cydoniorum, ſorba, meſpila, pyra agreſtia & ſimiles fructus iuſculis dictis. Sed ego talia frequenter ingratiſſima eſſe expertus ſum, & magnum ventriculo negotium faceſſere: atque ideo malim fieri in aquâ pluuiali ſimplici aut ferrata: & antequam exhibeantur, ægrum præaſſumere fruſtulum cydoniati veteris, vel myrobalani conditi, aquâ roſaceâ prius loti: aut pyrum vel cydonium malum ſub prunis coćtum, & ſaccharo roſaceo aſperſum. Piſce, legumina, & olera, quod ad ſubſtantiam ſuam ſpectat, hic omnino fugienda eſſe cenſeo: quamuis enim Aëtius præter dicta braſſicam bis coćtam dyſentericis concedat, Auicennas autem lentium, abiećto cremore, reſidentiam: nemo tamen non videt, hæc omnia, vel quod facile corrumpantur, vel quia in prauos ſuccos degenerant, eſſe fugienda. Quorum induratorum lutea exhiberi poſſunt, dummodo aceto roſaceo intingantur: quia aluum ſupprimunt & commodè nutriunt. Iuſculum ex pinguedine veruecis & cepe albo confećtum valde vſurpant Ruſtici, quo & dolores dyſentericorum placant, & vlcus leniunt ac conglutinant. Carnes verò non prius concedantur, donec videatur maior cacochymiæ pars vacuata, delicatæ ſcilicet & minime excrementitiæ: vt veruecis, turdorum, perdicum, columbarum, phaſianorum, turturum, merularum, caponum, gallinarum, & ſimilium: quas penetrare licebit fruſtulis myrti, aut lentiſci, vel farcire ſemin. plantag. ſorbis ſiccis, cornis, pyris adſtringentibus, & ſimilibus, ſiue aſſentur, ſiue elixentur. Aut ſi hæc ſuauitati illarum obeſſe agnoſcamus, paretur ſalſamentum ex omphacio, roſaceâ, ſucco oxalidis, arantiorum, granatorum acidorum, vel aceto paululum coćto, aut ſaccharo addito, ne ſuâ acrimoniâ vellicet partes exulceratas. Fructus adſtringentes coćtos, aut ſaccharo conditos guſtare poterunt, vt iam de pyris & cydoniis dictum eſt. Item ceraſa acidula, vuas acerbas conditas: conſeruam ribes, berberis, & ſimilia. Sunt qui poma etiam concedunt ita præparata, extractis granulis & corde, eam cauitatem implent cerâ optimâ & recenti. Deinde chartulâ inuoluunt, ſub cineribus calidis decoquunt, & ægro comedenda exhibent felici ſucceſſu: quia pomi ſubſtantia ad leniendum & refrigerandum, cerâ verò facultate emplaſticâ, ad cohibendam fluxionem valdè eſt accommodata, vt ex ipſo Dioſcoride conſtat. Pro potu quandiu febris & inflammatio adfuerint, contenti ſint aquâ pluuiali, vel fontanâ, in quâ chalybs ignitus fuerit extinctus, quoties opus eſſe videbitur: cui, ſi lubet, admiſceant iulepum Alexandrinum, ſiue roſaceum, ſyrupum de granatis, cydoniorum & ſimiles: mitigatâ febre quodammodo, ad reparandas vires offeratur vinum auſterum & oligophoron, eadem aquâ commode dilutum. Sunt qui ptiſanam parant ex radice oxalidis, & polygonati in eiuſmodi aquis decoćta, quæ colore vinum æmulatur, nec ægris eſt iniucunda. Quidam in dyſentericis valde ſiticuloſis laudant ψυχροποσίαν: quoniam frigidæ potio vlcera adſtringit, humores cohibet, & febrem temperat: non eſt tamen in eis diu perſeuerandum, ne calor natiuus nimium frangatur. Atque hæc de diætâ.

Supereſt tamen quod ad victus rationem ſpectat in dyſentericis, non parua aut inutilis quæſtio de lactis vſu: cuius variæ ſunt apud Authores noſtros, & diſcrepantes ſententiæ. Videtur enim Hippocrates *Aphoriſmo illo* 64. *ſect.* 5. prohibere lac dyſentericis, dum eis interdicit, qui valde febricitant, qui ſunt ſiticuloſi, quibus bilioſæ adſunt deiectiones, vel multam ſanguinis excretionem per aluum patiuntur. Cum enim lac alimentum ſit temperatum, tenuis admodum & liquidæ ſubſtantiæ, facilè alterationes, immutationéſque ſuſcipiet pro naturâ

corporis aut ventriculi cui occurrerit : vnde in frigidioribus aceſcit, in calidioribus nidorem concipit, & in quibuſcumque intemperatis, ac cacochymis facillimè putreſcit, aut in prauum humorem degenerat. Non videtur dyſentericis lac ob dictas cauſas concedendum. His tamen aduerſantur pleráque eiuſdem Hippocratis loca *lib. 7. epid.* vbi variorum dyſentericorum hiſtorias proponens, potiſſimam eorum curationem in lactis vſu poſitam fuiſſe aſſerit: ſic enim Eratolai filius, Cteſicrates, & Adrianus dyſenteriâ affecti, cum ſerum & lac bibiſſent, ſilice candefacto immiſſo, dolores & ſubcruentæ egeſtiones moderatiores fiebant. Galenus etiam 10. *de ſimpl. med. facult. cap. de lacte*: *ac* 3. *de aliment. facult. cap.* 15. vult optimum eſſe remedium dyſenteriæ & omnium acrium alui fluxionum: quoniam ſero ſuo depurgat, butyro & totâ ſubſtantiâ dolores mulcet, caſeo verò exſiccat & vlcera conglutinat, præſertim, vt ille addit, vbi aliam 'quampiam deſiccantem facultatem habuerit adiunctam, quam à lapidibus ignitis, vel cylindris ferreis candentibus in eius decoctum iniectis recipit. Imo Galenus exiſtimat *eodem in loco* præſtantiſſimum eſſe dyſenteriæ remedium, lac ita præparatum, cui ʒ j. pulueris ſtercoris canis ſola oſſa comedentis adiecta fuerit, per aliquot dies mane, & iuſtâ menſurâ pro vario ægrorum modulo propinatum.

Dicamus igitur lactis vſum dyſentericis valde eſſe accommodum, ſub certis cautionibus. Primò, vbi febris paululum remiſerit, & ſiticuloſa affectio ventriculi. Secundò, vacuatâ ſufficienter cacochymiâ tam ſponte naturæ, quam artis beneficio. Tertiò, antequam tanta fuerit caloris natiui depauperatioob largam ſanguinis profuſionem, vt lac concoquere non poſſint. Quartò, habitâ ratione ætatis, conſuetudinis, regionis, ſtatus, aëris & ſimilium, quibus conſentientibus, vel diſcrepantibus, licet plus vel minus hoc alimenti medicamentoſi genus vſurpare. Inter varias autem lactis differentias, caprinum hîc præſtare videtur, quoniam magis ad ſubſtantiæ mediocritatem accedit, quam aſininum, cui ob magnam ſeri copiam valida eſt detergendi vis; vel vaccinum aut ouillum, in quibus ob caſei & butyri copiam facultas emplaſtica & conglutinatoria præpollet. Licet tamen ab iſtis ſua commoda & dotes aliquando reportare, pro variis circumſtantiis quas ſolers Medicus annotabit: eáſque præparationes adhibebit, quæ magis huic vel illi conuenient. Sic vbi maiore deterſione opus fuerit, lac tepidum recenter mulſum, addendo modicum mellis, aut ſacchari roſacei puluerem, exhibebit: vbi magis ſiſtenda aluus, iniiciet in lac ſilices aut orbiculos chalybis ignitos, quibus maior ſeroſæ materiæ portio conſumatur: addet tamen aliquid mellis vel ſacchari, ne in caſeum concreſcat: aut ſi calor febrilis adhuc exuperet, lacti decoquendo adiiciet quartam aquæ fluuiatilis vel fontanæ partem, vt minus putredini vel inflammationi ſit obnoxium. Denique in non aſſuetis parabit pultes ex farinâ hordei in furno leuiter toſtâ, amylo, oryzâ & ſimilagine cum lacte decocta: quibus addet ſaccharum & vitellos ouorum: ſicque anodynum valde, & analepticum alimentum efficiet, minúſque ægris à lactis potatione abhorrentibus, quales ſunt huiuſce regionis homines, ingratum. Atque hæc de lactis vſu. Nunc medicamentorum dyſenteriam expugnantium rationem ineamus: quæ nos facilioris doctrinæ gratiâ diuidemus in aſſumpta, quæ per os ſcilicet exhibentur: iniecta, nempe clyſteres: & admota, quæ externis applicantur: quibus omnes indicationes therapeuticas explere conabimur.

Assvmpta. Ea quæ per os aſſumuntur, vel erunt purgantia, alterantia, vel roborantia in varias claſſes dirigenda. Quod ad purgantia attinet, quæ benigniora & adſtringendi quadam vi prædita eſſe debere diximus: reſpiciant variam cacochymiam & humoris ſpeciem neceſſe eſt: ſic redundante bili flauâ, cholagoga præſcribenda: inter quæ rhabarbarum puluerisatum, infuſum & expreſſum primas obtinet. Habet enim omnes hîc expetitas facultates expurgandi benignè bilem flauam, roborandi hepar & inteſtina, necnon cohibendi fluxum alui. Sunt qui magna contentione decertant, vtrum puluis illius, ſeu tota ſubſtantia exhibita validius purget infuſo: Item vtrum vſtulandum ſit rhabarbarum quod dyſentericis exhibetur. Nos verò breuiter de hac re ita ſtatuimus, puluerem rhabarbari validius paulo purgare infuſo, quia iuuatur à qualitate manifeſtâ adſtrictionis ſeu compreſſionis, quæ terrenæ ſubſtantiæ inhæret: & propterea valde vtilem eſſe in hoc affectu, non tamen ideo

ſemper

ſemper præferendum infuſo, quando ſcilicet adſunt obſtructiones primarum viarum, quæ expediri debent imprimis amouerique, priuſquam de ſiſtenda aluo cogitemus: tunc enim infuſum rhabarbari in aquâ conuenienti, vt endiuiæ, fœniculi, graminis & ſimilium commodè admodum exhiberi poteſt, leuiter aut fortiter expreſſum, prout magis vel minus ventrem cohibere erit in animo. Quod ad vſtulationem verò rharbarbari attinet, credunt multi è neotericis, rhabarbarum vſtione fieri acrius propter conceptum ἐμπύρευμα, & adſtrictionem perdere: ac proinde incommodum eſſe omnino dyſentericis, ſi vſtuletur. Nos verò exiſtimamus puluerem rhabarbari vſtulari poſſe in dyſenteriâ, modo id leuiter fiat, quando ſolam adſtrictionem quærimus: certum enim eſt vim illam purgatoriam exteriori potius ſuperficiei inhærere, quam materiæ craſſæ ac terreſtri, cui facultas adſtringendi annexa eſt: ac proinde leui vſtulatione imminui facultatem cathartícam, nec ex eâ vllam rhabarb. acrimoniam inuri, niſi leuiſſimam & nullo modo noxiam dyſenterico, vt patet. Præſcribitur itaque ſic per initia, iniecto prius detergente clyſtere, ſi opus fuerit, vt poſtea dicemus.

℞ Rhabarb. elect. ʒ j. ſpicæ nard. & ſantal. rub. ana ℈ ß. Infunde in aquæ endiuiæ vel plantag. ℥ iij. Expreſſione mediocri factâ diſſolue ſyrup. de roſis ſiccis, vel de cichor. ſimpl. ſi hepatis adſit feruor, ℥ j. rhabarb. pulueriſ. ʒ ß. Fiat potio, ſæpius iteranda, vt ſenſim & per ἐπίκρασιν humor exuperans euacuetur. Vel

℞ Cortic. myrobal. citrinor. ℥ ß cinam. elect. ad roborandum, & ſantali citrini, ana ʒ ß. Infundantur in ſero lactis caprilli tepidè diu, & fortiter confricando, vel in aquâ ſtillatitiâ roſarum per totam noctem. In colaturæ ℥ iiij. diſſolue mannæ granatæ (quia lenit & deterget leuiter in principio) ʒ iij. rhabarb. puluer. ℈ ij. Fiat potio. Vtatur vt ſupra. Iam procedente morbo, vbi magis erit adſtringendum cum purgatione;

℞ Rharbar. electi puluer. ʒ j. ß. raſur. cornu cerui ℈ j. Capiat cum iuſculo, aut aquâ ferratâ, vel decocto polygoni aut thapſi barbati. Vel

℞ Conſer. roſarum antiquæ ʒ iij. rhabarb. puluer. ʒ j. puluer. myrobal. citrin. leuiter vſtulat. ℈ j. Concinnentur in formam boli, addendo ſi volueris ſacchari roſati tabulati q. ſ. Capiat in pluribus morſellis. Poteſt etiam conformari in formam pilularum, ſi videtur gratior.

℞ Rhabarb. puluer. irrorat. pauco vino rubro ʒ ij. agarici optimi (qui dyſentericis prodeſt ex Dioſcoride, tum ob leuiuſculam adſtringendi vim, quâ præditus eſt: tum ad depurgandam pituitam quæ inteſtinis communiter hæret) ℈ iv. maſtiches & gummi arabici, ana ℈ j. raſur. cornu cerui & ſemin. plantag. ana ℈ ß. Excipiantur ſyrupo roſato ſolut. Fiat maſſa pilularum, è cuius ʒ j. fiant pilulæ v. Capiat horis duabus vel tribus ante prandium. Reiterentur tertio quoque die.

Quod ſi humor melancholicus vel atrabilarius huius morbi præcipua cauſa cenſeatur, præter dicta purgantia etiam decoctum ſennæ, epithymi, myrobalanorum indorum & ſimilium præſcribatur cum ſyrupo roſato ſolut. catholicone, diaſenna & reliquis, vel conformetur ſequens bolus.

℞ Cathol. ℥ ß. rhabarb. pulueriſ. ʒ ß. folior. ſennæ puluer. & ſemin. aniſi, ana ℈ j. Cum ſaccharo roſat. perlato fiat bolus, quem capiat mane: vel decoquantur pruna damaſcena viij. in aquâ fabrorum ſummo mane, deinde adde folior. ſennæ mundat. ʒ iij. ſemin. aniſi ℈ j. ſemin. carthami contuſi ʒ ij. epithymi P. j. Colentur & exprimantur, adiuncto ſaccharo rurſus parum coquantur. Capiat eodem modo, & repetat vſum huius purgationis frequenter, cui etiam rhabarb. puluis commodè admiſceri poterit.

In materiæ verò pituitoſæ redundatiâ, ſiue illa ex cerebro deriuetur, ſeu in primis viis congeſta fuerit: propter illius contumaciam & lentorem non ſolum leuiora purgantia ex agarico, myrobalan. kebulorum decocto, ſeminis ebuli, aut rad. mechoacan puluere, & ſimilibus conuenire certum eſt; ſed etiam valentiora, vt bolis ex diaphœnicone, & hierâ confectis, admiſcendo paululum rhabarb. pulueriſati, quibus multos, aliis fruſtra tentatis, conualuiſſe vidimus. Poſtea pilulæ iam præſcriptæ ex æquis partibus rhabarbari & agarici erunt ex vſu: necnon vbi pituitæ iſtius copia in ventriculo redundare videbitur cum nauſeâ & ſubuerſione, mirum quanto fructu vomitus ex decocto ſeminis &

radicis raphani cum pauco oxymelite conferat, quoniam euacuat confertim humorem, & à parte affecta reuellit.

Purgantibus istis intermiscenda semper alterantia, quæ respectum habeant ad omnes materiæ, & partium qualitates morbificas: vnde in materiâ tenui & furiosâ cum febre & inflammatione, præscribatur talis iulepus.

℞ Syrup. cydon. myrtini & de granatis acidis, ana ℥ ij. aquar. plantag. rosar. & acetos. ana ℥ vj. puluer. electuar. diamarg. frigid. & rasuræ cornu cerui, ana ʒ ß. Fiat iulep. pro sex dosibus. Capiat mane & horâ tertiâ pomeridiana. Vel si obstructionis suspicio adsit, quæ leuiter sit aperienda, instituatur sequens apozema.

℞ Rad. graminis, lapathi acuti, & acetos. ana ℥ j. folior. endiuiæ, centinodiæ, capill. veneris, acetos. & agrimon. ana M. j. folior. verbasci M. ß. semin. frigidor. maior. semin. lactucæ, & plantag. ana ʒ ij. florum nymphææ & rosarum sicc. ana P. j. Fiat decoctio in aquâ ferratâ vel sero caprino vstulato ad ℔ j. ß. In quibus dissolue sacchari rosat. tabulat. q. s. Fiat apozema clarificat. & aromatisat. ʒ j. ß. santali rubri & ℈ j. cinam. pro iv. aut v. dosibus.

Si malignæ cuiusdam & epidemicæ aut venenatæ qualitatis labes adiuncta sit: vtantur dysenterici theriacâ recenti, quæ ex propriis suis viribus vt veneno resistit, sic aluum cohibet, & dolores, ob vigentem adhuc narcotici vim, compescit. In aliis philonium romanum, requies Nicolai cum conseruâ rosarum aut admixtâ paucâ confectione alkermes, consulitur ad sedandos dolores, & somnum conciliandum. Vel vtantur syrupo de papauere ad ℥ j. ex cochleari circa horam somni, aut aquâ papaueris rhœas, quæ mirabilem habere effectum creditur ad omnes inflammationes & vlcerationes internas. Postridie tamen, ne horum incrassantium & refrigerantium vi pus vel materia maligna in intestinis cohibeatur, iniicienda detergentia, & expurgantia enemata, aut etiam decoctum hordei aut serum caprillum per os sumendum.

In perseuerante adhuc dysenteriâ post aliquam febris & doloris remissionem, non erit inutile vrinas promouere ex decocto aperientium, vel sudores prouocare, vt in diarrhœâ dictum fuit, quo materia absumatur, aliò deriuetur, & vlcus occludatur. Solent etiam Itali in dysenteriâ inueteratâ consulere vsum aquarum thermalium, *Tettucij* dictarum, abstergentium & leuiter adstringentium. Harum loco non improbarem decoctum illud, siue aquam catapultarum vulgo dictam, additis adstringentibus, per aliquot dies potum & iniectum, vtpote cui magna sit vis abstergendi, & solidandi partes vlceratas, tam externas quam internas.

Interea nusquam omittantur adstringentia & roborantia, siue manifestis qualitibus, seu occultis prædita, ad dysenteriæ curationem sub formâ opiatæ, instaurantis, pulueris, pilularum, aut tabellarum præscripta, prout acceptior erit ægro. Vt

℞ Conser. rad. symphyt. & rosarum antiquæ, ana ℥ ij. corticis citri saccharo condit. ʒ iij. myrobal. per frustula incisam numer. j. confect. alkermes, & de hyacinth. ana ʒ. ß. terræ sigillat. boli armeni, coralli rubri, margar. præparat. ana ℈ j. rasuræ cornu cerui, spodij & trochiscor. de carabe, ana ℈ ß. Cum syrup. cydon. vel myrt. fiat opiata, de qua capiat ad quantitatem castaneæ bis aut ter in die: superbibat parum aquæ ferratæ aut iulepi Alexandrini diluti. Si nolit formam opiatæ, loco syrupi cum saccharo rosaceo fiat instaurans auro coopertum, quo vtatur cum iusculis aut vino austero valde diluto. Sunt qui præbent aliquot grana puriora mastiches aut gummi arabici deuoranda, vel eadem in aquâ potabili decoquunt.

℞ Boli armeni, terræ sigillat. coralli rubri, acaciæ, hypocistid. rosarum rubrarum, granorum kermes, ana ʒ j. margarit. præparat. rasuræ cornu cerui vsti & aquâ rosarum loti, pulueris cancrorum fluuiatilium, ana ʒ ß. stercoris canis ossa comedentis & semin. plantag. ana ℈ j. Fiat omnium puluis, addendo duplum sacchari rosat. tabul. quo vtetur cum iusculis & aquâ potabili. Aspergitur item panatellis ac gelatinis. Idem puluis reduci poterit in pilulas, si excipiatur syrupo myrtino vel cydonior. aut in tabellas si illius ʒ ij. excipiantur ℥ j. sacchari aquâ peculi rosarum dissoluti.

Rhasius valde commendat puluerem seminis psyllij torrefacti & gummi arabici, quem exhibet mane & sero, cum miua aut succo cydoniorum. Validissima est facultas sistendi aluum coagulo leporis vel hinnuli, ad ʒ ß. sumpti cum sapâ aut

aquâ

aquâ plantaginis. Ex proprietate ad dyſenteriam valere dicitur puluis è turture, ex oſſibus femoris bubuli, aut ex pedibus perdicum combuſtis, cum vino adſtringente potus. Creditur etiam herba, quam vulgò œnanthem ſeu philipendulam vocant, magnam habere vim ad dyſenteriæ curationem, ſi eius radix, aut folia pulueriſ. ad ʒ j. ſumantur cum vino, aut excipiantur vitello oui, qui poſtea deuoretur per duos aut tres dies. Atque hæc de aſſumptis ſufficiant.

INIECTA SEV CLYSTERES. Non minorem fortaſſis laudem merentur clyſteres in curatione dyſenteriæ, quam ipſa aſſumpta, potiſſimum ſi inferiores inteſtinorum partes afficiantur, vt annotauit Galenus. Ac proinde non minori ſolertiâ præſcribendi, vt propoſitæ indicationes expleantur, abſtergendi, leniendi, cohibendi aluum & cicatrice occludendi vlcus. Ideo ad detergendum leuiter in principio dyſenteriæ, retinenda eſt communis illa formula iam ſæpius propoſita.

℥ Hordei integri, furfur. macri & roſar. rub. ana P. j. ſemin. aniſi & melonum, ana ʒ ij. Fiat decoctio ad ℔ j. In quâ diſſolue mellis roſat. colat, & ſacchar. rubri, ana ʒ vj. vitellos ouorum numer. ij. Fiat clyſter, qui iniiciatur frequenter. Vel ſi mauis; hæc omnia decoquantur cum capite veruecis, & ex iure conficiantur plures clyſteres cum ſaccharo, & vitellis ouorum. Huius vicem ſupplebit hydromel dilutum aut ſerum lactis caprilli, in quo diſſolutum ſit parum mellis roſacei per clyſteres immiſſum. Si potentius ſit abſtergendum, adde folia betæ, agrimon. & mercurial. Quinimo in pituitâ mucoſa, & ſordidiore vlcere vtebantur veteres aquâ ſalſâ ſeu muriâ dilutiore ad abſtergendam potentius illam illuuiem: ego ſæpe expertus ſum aquam noſtram ſeu decoctum catapultarum dictum, cum pari ſero dilutum valde potens eſſe ad curanda hæc vlcera, quæ inferioribus inteſtinis impreſſa ſunt. Imo non ſolis abſtergentibus contenti erant veteres, ſed etiam clyſteribus cauſtica addebant, vt paſtillos Muſæ & Andronis ad corrigenda vlcera maligna & rebellia, quæ iam in gangrænam & mortificationem vergere videbantur: quod tamen magna cautione præſtandum eſſe exiſtimo, ne inflammentur partes illæ & vlcus exacerbetur: nos tutius illud efficiemus, diſſoluentes in præſcripto clyſtere aliquot drachmas vnguenti Ægyptiaci dicti, vel pulueris mercurij rectè præparati: addentes tunc ſucci plantaginis aut aquæ roſarum parum, ad vitanda prædicta incommoda in rebelli & putrilaginoſo vlcere.

Vbi dolor acerbius ægrum exagitabit, tunc lenire & mitigare conueniet accommodatis clyſteribus, qui vel cauſam reſpiciant, vt inflammationem & humorum acrimoniam: vel analoga ſint calori noſtro natiuo: vel denique ſenſum partis dolentis obtundant. Ratione inflammationis præſcribantur enemata refrigerantia ex decocto plantaginis, portul. & earumdem herbarum ſuccis vel oleo roſaceo, omphacino, aut cydoniorum. Ratione acrimoniæ humorum, & impediendæ exulcerationis, proderunt tum inſpiſſantia, vt amylum, oryza, hordeatum, ſimilago in iuſculo decocta, mucilagines ſeminis pſyllij, cydoniorum aut maluæ: tum pinguia & adipoſa, vt ſeuum hircinum, quod adhærendo partibus vlceratis impedit, ne humor fluens ibi ſubſiſtere poſſit deinceps, & ne fluendo magis ac magis exaſperet partem. Clyſteris ad hæc comparati talis ſit formula.

℥ Folior. plantag. verbaſc. & acetoſ. ana M. j. ſemin. papauer. albi & melon. ana ʒ ij. florum nymphææ & roſarum, ana P. j. Fiat decoctio ad ℔ j. in quâ diſſolue amyli & mucilag. ſemin. pſyllij, ana ℥ ß. ſeui hircini ʒ vj. ſucci plantag. recens extracti, potiſſimum in magno fluxu ſanguinis, ℥ j. Fiat clyſter: retineatur diu. Huius loco iniiciantur ea quæ ob familiaritatem temperiei calorem natiuum recreare poſſint, nec tamen reliquis intentionibus ſint inutilia: vt iuſculum conſummatum, ptiſana ſeu cremor hordei, lac amylo inſpiſſatum & coctum, vel vſtulatum, addendo ſaccharum & vitellos ouorum. Quibus ſi nihil proficitur, in ſummâ doloris atrocitate adiungantur narcotica parcè & cum cautelâ, vt opij ℈ j. diacodij vel requiei Nicolai ʒ ij. ſyrup. de papauer. ℥ j. & ſimilia, vt æger factis quaſi induciis paululum reſpirare poſſit & ſomno indulgere.

His omnibus peractis, vt & decenti purgatione, tunc de cohibenda aluo, & fluxu ſanguinis erit cogitandum per adſtringentia & roborantia enemata. Vt

℥ Rad. biſtort. ſymphyti, & acaciæ, ana ℥ j. foliorum thapſi barbati, polygoni, equiſeti, ſummitatum rubi & plantag. ana M. j. nucum cupreſſi, ſeminis ſumach & balauſt. ana ʒ iij. ſemin. aniſi (propter flatus) ʒ j. roſar. rubrar. & flor. mali punici, ana P. j. Fiat omnium decoctio in aqua ferratâ, in cuius ℔ j. diſſolue

amyli, boli armèn. maſtich. & ſarcocol. ana ʒ iij. Iniiciatur vt dixi : quibus ſi aluus ſupprimatur, febris autem & dolor intendantur, vt aliquando contingit, redeundum denuò ad detergentia, & hac viciſſitudine curatio perficienda, donec videlicet natura abſtergentibus adiuta, in vlceribus iſtis deperditam ſubſtantiam regenerarit, & adſtringentibus cicatricem induxerit. Atque hæc de clyſteribus.

ADMOTA. Quæ verò exterius admouentur, vel ſunt formâ ſolidiore, vel tenuiore, vt vaporis ſeu fumigationis. Solidior forma complectitur fotus varios ex decoctis adſtringentibus propoſitis: olea maſtic. myrtinum, lentiſcinum, cydoniorum & ſimilia : vnguenta comitiſſæ maius & minus : emplaſtra de maſtiche, de cruſtâ panis, contra rupturam & ſimilia : cataplaſmata ex cydoniato, & reſidentiâ dictarum decoctionum. quæ omnia à nobis accuratè fuerunt propoſita cap. de diarrhœâ, & poſtea in teneſmo dicentur adhuc. Fumigationes autem fiunt ex fumo ſarcocollæ, gucibus pineis, maſtiches & ſimilibus ſtipticis ſupra prunas iectis, quorum fumum ano excipere debet æger dum aluum in matulâ exonerat. Cauendum tamen ab his adſtringentibus admotis, donec materia ſufficienter euacuata fuerit : duplex enim inde impendet periculum, ne videlicet iſta forinſecus comprimentia, humorem magis ac magis verſus inteſtina impingant, & vlcus ac dolorem augeant : vel ne materiam ad partes nobiles reiiciant, vt hepar, pulmones, cerebrum, neruos & ſimiles, vnde peiores dyſenteriâ morbi exoriri poſſunt. Sunt qui exiſtimant erucam ſylueſtrem contuſam, vmbilico admotam, tum manu detentam mirabili modo fluxus dyſentericos ſiſtere. Alij in magno fluxu ſanguinis appendunt ventri cryſtallum, coralli ramos & iaſpidis, quæ non ſunt omnino contemnenda. Inter admota etiam reponi debent ea quæ applicantur cordi, hepati, cerebro, & aliis partibus per conſenſum laborantibus roborandis, vt vnguenta, epithemata, & ſimilia : quæ pro vario illorum ſtatu ſunt præſcribenda. Nos verò huic tractatui tandem debitum finem imponamus, & ad teneſmi hiſtoriam aggrediamur.

CAPVT VIII.

De Teneſmo.

ABSOLVTA dyſenteriæ hiſtoriâ & curatione, facillimum erit Teneſmi, congeneris valde & conſimilis affectus, tractationem breuiter percurrere. Dicitur itaque *τεινεσμὸς* Græcis, ſeu *τενασμὸς*, Latinis ſeruato nomine Teneſmus ſeu tenaſmus, & teneſmon Barbaris : à tenſione ſeu diſtractione quæ ſentitur in hoc affectu circa extremitatem ani, vt docet Galenus *initio lib. 6. de loc. affect. & Aphor. 27. ſect. 7. ὀνομάσθαι δ', inquit, τὸ πάθος ἀπὸ τῆς τάσεως τῆς γινομένης κατ' ἔδρην, ὑφ' ἣν καὶ πρυμνώτινοι σφοδρῶς ἀνατείνεσθαι, ἐξαναστάσεις ζωοχόας.* Et poſt illum Actuarius: *τεινεσμὸς τὸ πάθος λέγεται τῷ τὸ μέσον ὀπίσθιον ἐντείνεσθαι τὸ κατὰ πρὸς ἔκκρισιν διάζεσθαι.* Vnde aliqui *τεινεσμὸν τὴν διάτασιν* interpretãtur: fit enim, vt dum excretrix magno nixu ad excernendum fertur, pars ipſa cum ſuis fibris veluti diuellatur & diſtendatur. Aretæo *lib. 2. cap. 5.* dicuntur *τεινεσμώδεις πεῤῥυμίαι*, promptæ iſtæ & moleſtæ egerendi voluntates, quas Scribonius nimias deſurgendi libidines appellat.

Eſt igitur Teneſmus crebra & fere inanis egerendi cupiditas ob excretricem inferioris ani nimium irritatam ab obiecto dolorifico, intemperiem vel continui ſolutionem inferente. Dicitur ergo crebra egerendi cupiditas, quia ægri hac paſſione detenti aſſidua & nulla quaſi intermiſſione torquentur : fere tamen eſt inanis, quia non copiam humoris, vt in diarthœâ, dyſenteriâ, aut lienteriâ excernunt, ſed pauca quædam mucoſa, acria, pinguia, ramentoſa, & guttulas ſanguinis, aliquando cum ſcybalis & induratis in modum lapidis fæcibus, quas Hippocrates ideo *lib. 1. epidem* vocat *τεινεσμώδεα διαχωρήματα*. Et Galenus, id teneſmo proprium eſſe vult, vt pauciſſima egerantur. Pendet autem hæc actio læſa ab excretrice deprauatâ ſeu nimium irritatâ : quoniam fæcum egeſtio cùm ſit mixta, hoc eſt partim naturalis, partim animalis functio, ob iunctum illi ſenſum tactus & motum illum voluntarium

rium muſculi ſphincteris, qui extremitatem recti inteſtini & podicis circulum occupat: fit vt perculſo ſenſu tactus à cauſa dolorificâ exurgat facultas expultrix ad ſecernendum id quod moleſtum eſt : quod cum præſtare nequeat, perſeuerante eodem obiecto, perſeuerat etiam perpetua illa cupiditas : ita vt in hoc affectu non ſolum recti inteſtini ſubſtantia præter naturam ſe habeat, ſed etiam ipſe muſculus extremum podicem claudens & nerui ad illum pertingentes. Quemadmodum enim in dyſuriâ ſeu ſtranguriâ laborat veſicæ ſphincter præter illius collum, ſic in Teneſmo ani ſphincter, cum longanone. Inducitur autem illa diſpoſitio præter naturam ab obiecto dolorifico ſenſum tactus afficiente, quando ſcilicet vel intemperies confertim & ἀθρόως, vel ſolutio vnitatis inducitur, à variis ſcilicet cauſis proximis & immediatis, quarum accurata enumeratio conſtituet præcipuas Tenaſmi differentias.

Notandum autem imprimis Tenaſmum ab Auicenna duplicem ſtatui ; vnum quidem nothum ſeu ſpurium : alium verum ſeu legitimum : nos ſympathicum & idiopathicum dicere poſſumus. Spurium quidem ſiue ſympathicum, qui ex ſolâ fit condolentiâ partium vicinarum afflictarum, vt contingit in maiore, & aſperiore veſicæ calculo, propter quem vt meiendi, ſic etiam deſidendi perpetua vrget cupiditas. Accidit etiam grauidis pleriſque ob magnum vteri pondus, quo circumſtantes etiam partes premuntur & excutere nituntur. Quemadmodum alius Teneſmus ſympathicus annotatus eſt à recentioribus ex inflammatione ſeu maiore phlegmone aut indurato tumore glandularum quas paraſtatas & proſtatas vocant, poſt gonorrhœas illas fœtidas & virulentas luis venereæ. Atqui hi Teneſmi ſpurij ſeu ſympathici ſimpliciter dicuntur, quia nullam ſui curationem indicant, ſed ſolum primarij illius affectus à quo pendent immediatè. Legitimus verò ſeu idiopathicus ſuam habet in parte diſpoſitionem præter naturam, quæ cauſa eſt continens ac proxima iſtius affectus. Cauſa autem illa pendet ab obiecto dolorifico, vt dicebamus, intemperiem aut ſolutionem continui inferente. Intemperiem quidem ſine materiâ calidam vel frigidam, vel cum materiâ & humoris varij potiſſimum bilioſi aut pituitoſi affluxu. Solutionem verò continui occultam vel manifeſtam : occultam quidem, nempe compreſſionem, diſtentionem, diuulſionem, vt à ſtercore valde indurato, hæmorrhoidum inflatione, tumore præter naturam, pituitâ concretâ, aut calculis, quos multi, vt ſcribit Galenus *6. de locis affectis*, poſt longam Teneſmi vexationem excreuiſſe viſi ſunt : vermibus etiam & tenuioribus illis lumbricis quos Aſcarides vocant, punctura & vellicationem extremo ano inferentibus : quod ego in duobus puerulis experientiâ comperi, qui ſingulis menſibus verſus plenilunium magna deſidendi cupiditate, & ani punctura preſſi per aliquot dies, tandem liberabantur lumbricorum iſtorum excretione, donec circa eandem periodum reuiuiſceret affectus. Manifeſtam vero ſolutionem vnitatis, vt per vlcera & vulnera huic parti impreſſa.

Rurſus iſtarum cauſarum ſuæ ſunt cauſæ externæ & internæ, tam antecedentes, quam propinquæ: vtpote intemperiei calidæ ſine materiâ aër externus æſtuans, immiſſio clyſteris feruentioris, ex quo vidi fere combuſtum podicem ab imperito Pharmacopœo, aut glandis acerrimæ, ex quorum vſu ſæpè ſphincterem non ſolum calor immodicus, ſed etiam excoriatio & rubor occupat. Frigidæ verò ſine materiâ contactus rei frigidioris & algidæ, vt ſi quis diutius ſupra ſilices, aut marmor ſederit : vnde natum Prouerbium *ſuper lapidem non ſedebis* : ſi nix, gelu aut aqua frigidior diutius partes illas contigerit, & ſimilia quæ confertim & potenter qualitatem iſtam partibus omnibus internis, præcipuè neruoſis, valde inimicam imprimere poſſunt. Bilioſum verò ſuccum aut pituitã ſalſam, quorum acrimoniâ ſæpiſſimè affectus hic excitatur, ea omnia generant, & in partem iſtam adducunt, quæcunque à nobis fusè in diarrhœas & dyſenterias curatione recenſita fuere: vnde etiam frequenter Teneſmus dyſenteriam præcedit, vel ſubſequitur, dum ſcilicet in principio commotâ materiâ primum extremam hanc partem vellicat : vel in fine illius reliquiæ eidem aliquantiſper adhærent. Huic Teneſmo ex materiæ acrioris copiâ valde obnoxij ſunt (quod in me ipſo ſum expertus) qui ob negotia & occupationes varias aluum etiam irritantem cohibent. Ex diuturnâ humorum iſtorum vellicatione & adhæſu, vt etiam alimentorum, inter quæ fungi, acriorum medicamentorum, vt colocynthis, aut venenorum ex quibus dorichnium à Nicandro *in alexipharmacis* recenſetur, fit excoriatio recti inteſtini, cui vlcus ſuccedit, tam rebelle & contumax aliquando, vt in fiſtulam degeneret. Vulneri

etiam

etiam ſuccedere poteſt , quod res externæ contundentes , ſecantes , vel pungentes intulerunt. Stercoris autem indurati ex tractatu de ſuppreſsâ aluo , hæmorrhoidum inflatarum , tumorum præter naturam,ſiue phlegmones, ſiue ſcirrhi naturam ſapiant , pituitæ concretæ , calculorum & vermium cauſæ generatrices , ex propriis ſuis tractatibus repetendæ , in quibus illæ conuenienter explicantur.

Diagnoſis etiam partis affectæ,affectus & cauſarum ex ſolitis fontibus inſtituenda. Nã actio læſa,tactus ſcilicet immutati & excretricis in imâ ſede podicis irritatæ, ad quam ſequitur inuerſio ipſius recti inteſtini cum magno dolore & illius aliquando procidentiâ , necnon ſphincteris relaxatione ob diuturniorem conatum & laborem : item paucitas illa excrementorum quæ egeruntur,ſatis oſtendunt quænam pars corporis laboret. Quod ſi ex ſolâ ſympathiâ veſicæ , vteri aut paraſtatarum afficiatur , conſtabit ex præſentiâ illarum conſtitutionum , & quod ſimul cum illis augeatur , minuaturque : ſin vero pendeat ex communicatione humoris ab aliquâ parte deriuati , vt cerebro catarrhis affecto , iecore obſtructo , & ſimilibus : notæ aderunt etiam partium illarum patientium. Affectus autem proprij natura innoteſcet ex cauſarum contemplatione , & effectuum : nam vſus externarum rerum refrigerantium aut calfacientium , qualitates aſſumptorum vel iniectorum : ſuppreſſæ aliquæ vacuationes ordinariæ ſignificant naturam diſpoſitionis quam excitarunt. Quæ excernuntur , etiam pro varietate ſubſtantiæ & qualitatum oſtendunt quis humor ſit in vitio , vtpote feruens & flaueſcens excretum , bilem : album verò, mucoſum & tenax , pituitam : puris & ſanguinis guttæ, factum eſſe vlcus , quas ramenta quædam partis , ſordida excrementa , imo etiam carunculæ ſubſequi & præcedere ſolent, ſi augeatur & in fiſtulam degeneret. Tumores præter naturam ibi genitos denotant caloris ſenſus cum pulſu & renixu , ſi ſit phlegmonoſus : duities vero ſola & diſtentio , ſi ſcirrhoſus. Eodem modo hæmorrhoidum internarum inflationes deprehenduntur , quando illæ fluere ſolitæ diutius ſupprimuntur , & in tumorem eleuantur , quem æger ſenſu ſatis percipit circa initium oſſis ſacri , inſtar noduli pendentis. Stercus induratum , & aſcarides agnoſcuntur ab excretis , quoniam ſolent exire vermiculi iſti , & ſtercus etiam inſtar caprarum figuratum aliquo muco inuolutum.Adde quod diuturna alui ſuppreſſio iſtos affectus præcedere ſolet. Notandum autem in diagnoſi iſtorum ani affectuum , nihil eſſe præſtantius , ſi dolor permittat , quam immiſſo ani ſpeculo ipſam cauſam dolorificam oculis ſpectare.

De prognoſi ſic ſtatuit Hippocrates *lib.de affect.* Fit Teneſmus,inquit, ex eiſdem à quibus & dyſenteria , verum debilior , & breuis , & minime lethalis. Hoc tamen intelligere oportet , ſi recte & in principio curetur : neglectus enim , vt dicebamus , ſæpè ſolet dyſenteriam accerſere , aut etiam in fiſtulam inſanabilem degenerare : imo etiam ob dolores continuos , vigilias , & ploratus in pueris potiſſimùm , lethales febres & corporis conſumptionem inducere. Annotant recentiores affectum iſtum aliquando contagioſum eſſe , præcipuè , ſi autumno contingat , nec omnino labis malignæ aut periculi expertem.Hippocrates etiam *in Coacis* ſcripſit dolores ſedis diuturnis morbis periculoſis , vt hydropi , aſthmati , & ſimilibus ſuperuenientes , mortem accelerare , quia ægri eiuſmodi à prægreſſo morbo fatigati non ſunt pares ferendæ diutius huic nouæ moleſtiæ & labori. Præcipuè autem in grauidis periculoſus eſt Teneſmus , quia vt eſt apud Hippocr. *Aphor.* 27. *ſectionis* 7.abortum concitat,irritato ad excretionem vtero per condolentiam, vnde mortis periculum imminere poteſt. Sunt quibus propter vehementiorem Teneſmum , ileoſa paſſio & cholerica, reuolutis ſurſum inteſtinis , & humoribus nimium exagitatis , contingit. Ac proinde illius curatio non eſt negligenda,ad quam nunc accedamus.

In Teneſmo itaque curando,conſtitutâ victus ratione commodâ,quæ interdicat ab omnibus acribus , ſalſis , acetoſis , amaris aut putredini obnoxiis : præſcribat autem Medicus cibos ſubſtantiâ euchymos , & eupeptos : leuiter adſtringentes : qualitate etiam præditos , quæ opponatur qualitatibus variis cauſæ morbificæ , & ſatis magnâ copiâ ſumptos : nam vt dicit Hippocrates *citato loco* , ſolet hic morbus plures cibos expetere , quoniam ab illorum benignitate cum inſunt , minuitur humorum mordacitas , & obſtantia protruduntur. Deinceps pro diuerſâ conſtitutionum præter naturam eſſentiâ , ex quibus proficiſcitur , inſtituenda therapeia.

CVRATIO

Cvratio Tenesmi a frigore. Sic quando à ſolâ frigoris impreſſi vehementiâ ſuſcitatur, admotis & iniectis calfacientibus, ac flatus qui hic facile exoriuntur, diſcutientibus remediis curabitur: Primùm ergo poteris lateres calefactos & vino rubro generoſo aſperſos ac linteolis coopertos admouere huic parti: vel tres ſacculi furfure macro impleantur, bulliant in vino, poſtea expreſſi, vnus regioni pubis: alter circa os ſacrum: tertius ano & perinæo admoueatur, quàm poterit fieri calidiſſimè. Deinde renouentur quoties opus eſſe videbitur: aut ſi magna flatuum copia ſubeſſe videatur, fiat ξυροπυρία, vt loquitur Hippocrates, ſiue fotus ſiccus in ſequentem modum.

℞ Milij, ſalis, & auenæ, ana M. j. ſemin. aniſi, fœnugr. & baccarum lauri, ana ʒ j. florum chamæmel. melilot. ſtœchados, & anthos, ana M. ß. Torrefiant omnia leuiter in ſartagine, affundendo guttas aliquot vini: deinde includantur ſacculis, qui admoueantur, vt ſuperiores. Illis remotis inungantur prædictæ regiones vnguentis arragonio, martiato, reſumptiuo, & ſimilibus. Vel paretur ſequens.

℞ Axungiæ anatis & gallinæ non ſalſæ, ana ℥ j. axung. vrſi, ſi reperiatur ℥ ß. pulueris ireos Florét. ʒ iij. ſemin. aniſi & fœnugræc. pulu. ana ʒ j. olei laurini ℥ ij. Miſce, fiat linimentum, quo inungantur prædictæ partes: deinde ſupertegantur lanâ ſuccidâ aut cotone perfumigato cum thure, ſtyrace, aut benjoino: quorum vaporem etiam ano, quantum fieri poterit, excipiat.

Quod ſi malum ad interiora iam penetraſſe videatur, optimum erit tam ſumptâ vetere theriacâ per os, aureâ alexandrinâ, aut zinzibere condito: tum iniecto clyſtere internum illud frigus compeſcere: qui ſic fiat

℞ Fol. calamenti, puleg. origan. ſaluiæ, hyſſopi, & lauri, ana M. j. ſemin. lini, fœnugræci, & fœnicul. ana ʒ iij. florum chamæmel. meliloti & furfuris, ana P. j. Fiat decoctio ad ℔ j. ß. in quâ diſſolue olei rutacei & liliorum, vel amygdal. dulcium ad mitigationem doloris, ana ℥ ij. Fiat clyſter: teneat diu. Vel ſi vis, paretur ex æquis partibus vini rubri generoſi, & olei rutacei, aut ex ſolo vino Hippocratico. Poteris etiam in magnâ refrigeratione parare ſemicupium eiuſdem decoctionis: & ex reſidentiâ illorum piſtatâ, & cribratâ confiecre cataplaſmata cum farinâ fœnugræci & oleo rutaceo, dictis partibus admouenda vt hæc intemperies corrigatur.

Cvratio Tenesmi a pitvita salsa. Quod ſi pituitæ illius putris aut ſalſæ adhæſu propoſitum ſymptoma contingat: & corpus eiuſmodi humore refertum videatur: non erit omittenda illius purgatio per accommodata remedia: quamuis enim in principio magis irritare videantur, affectum & moleſtiam adferre parti: quia tamen vacuatâ causâ miteſcere ſolet affectus, ideo maius poſtea commodum ſubſequitur. Ad id accommodatus erit bolus ex diaphœnici ℥ ß. & ϑ j. rhabarb. pulueriſ. paratus: vel ʒ j. pilular. fœtidar. aut de agarico. Auicennas commendat hic purgationem ex pilulis de bdellio, aut ex terebinth. ʒ iij. cum aquâ plantag lotæ, quæ ſuâ viſciditate & lentore aptiſſima eſt educendis eiuſmodi mucoſis ſuccis. Clyſteres quoque detergendi facultate præditos eſſe conuenit, ad eluendas iſtas ſordes inteſtino adhæreſcentes, vt ex hydromelite confectos: ex aquâ oliuarum, ſeu dulci muriâ: vel decocto betæ rubræ, caulium, agrimoniæ, & furfuris macri: in quo diſſoluatur mel roſaceum, & pauca hiera picra ſi valentius ſit agendum. Poſtmodum addantur dicto clyſteri adſtringentia & flatus diſcutientia, vt ſemen cumini, fœnugræci, nuces cupreſſi, aut pini contuſæ, verbaſcum, & equiſetum: cum oleo anethino, chamæmel. & pauco melle anthoſato. Vbi ſufficienter deterſa videbitur materia, omnino adſtrictioni incumbendum per eoſdem clyſteres, fomenta, balnea, & ſuffumigationes: ex pice, ex reſinâ terebintina, ſarcocolla, thure, maſtiche ſupra carbones ardentes, aut craticulam ignitam coniectis: vel cortices illi, in quibus continentur nuclei pini, igniantur & reponantur in matulâ quando æger deiicere voluerit. Quod ſi ſummus dolor, & irritatio vrgeant, non erit extra inſtitutum ſuppoſitorio aliquo, aut glande eum mitigare. Vt

℞ Thuris maſc. pulueriſ. & maſtich. ana ʒ ß. opij grana iiij. croci ϑ ß. Excipiantur oui cocti luteo, inuoluantur linteolo rariore. Fiat nodulus oleo roſaceo imbutus, in anum immittendus: vel cum melle formetur ſuppoſitorium ex eiſ-

Digitized by Google

dem quæ potuerunt roborare anum, humiditate n exſiccare & dolorem minuere.

CVRATIO TENESMI AB INFLAMMATIONE ET TVMORE. Quando vero φλέγωσις ſimplex aut vera phlegmone hanc partem occupant, tunc omnino abſtinendum à purgatione, vt recte docet Galenus 3. *method.* augeretur enim ſic intemperies,& nihil ex humore parti infixo detraheretur. Venæ autem ſectio celebranda ſtatim in principio ex venâ cubiti dextri ad maiorem reuulſionem, poſtmodum perſeuerante malo etiam ex venâ poplitis vel tali ad vacuationem & deriuationem. Iniicienda etiam & admouenda refrigerantia & leuiter repellentia initio,vt clyſteres paucâ quantitate ex decocto plantaginis,acetoſæ,ſolani,& ſemin. frigidorum: vel ex lacte caprillo, addendo parum olei roſacei & ſucci plantaginis. Inungatur ſedes, perinæum, & oſſis ſacri regio oleo myrtino, lentiſcino, roſaceo omphacino, & ſimilibus. Sedatâ vi fluxionis & inflammationis, ſtudendum reſolutioni ex decocto maluarum, althææ, pariet. ſemin. lini, fœnugr. flor. chamæmel. meliloti, & ſimilium. Cataplaſma etiam ex meliloto, caulibus, & fœnugræco aptiſſimum eſt ad διαφόρησιν. Quod ſi tumor reſolui nequeat, ſed ad ſuppurationem vergat, acceleranda puris concoctio, & anodynis incumbendum maxime: quia, vt docet Hippocrates, dum pus fit, dolores & febres intenduntur: facto pure ruptaque vomicâ curetur vlcus, vt poſtea dicetur. Si in gangræna degeneret, actum eſt de ægri rebus. Poſſunt tamen ea præſcribi, quæ in hoc caſu à Practicis præcipiuntur, vt ſcarificationes profundiores, lotio ex aquâ ſalsâ, aceto ſcillitico, in quo diſſolutum ſit paucum ægyptiacum & ſimilia. Sin vero tumor ille aut male tractatus, aut certe ob naturam humoris craſſioris induretur, & in ſcirrhoſam naturam degeneret, omni viâ & ſtudio tentandum erit, vt tumor ille molliatur fotibus, & clyſteribus ex decocto maluæ & althææ, inunctionibus ex pinguedine gallinæ, anatis, porci, oleo amygdalarum dulcium, liliorum, & ſimilibus: necnon vnguentis de althæa, reſumptiuo,per turundam in locum vſque affectum demiſſis. Ac tandem ſi tumor ille ſit nimium ægro molestus & periculoſus, cautâ Chirurgi manu reſcindatur, & inſtar vulneris deinceps curetur.

CVRATIO TENESMI A BILIOSO HVMORE. Contingit ſæpè, vt diximus, bilioſum humorem profluentem per inteſtina, extremitatem ani vellicare & Teneſmum eum excitare,qui plerumque imminentis dyſenteriæ præcurſor exiſtit.Proinde non negligendus,ſed celeri & commodâ therapeiâ ſedandus, vtpote præmiſsâ purgatione ex catholicone,aut caſſia, ex quibus bolum conficies,addendo pulueris rhabarb.ʒ j.vel ʒ ß.prout ex vſu eſſe videbitur.Aut parabis infuſum myrobalanorũ citrinorum in ſero lactis caprilli,in quo diſſolues rhabarb.puluer. vel tripheræ perſicæ,catholicon.aut ſyrup.roſat.ſolut.q.ſ.non omiſſis clyſteribus leuiter detergentibus & refrigerantibus.Item confugies cito ad anodyna, quæ temperent dolorem & feruorem partis,vtpote ſacculos foliis althææ,maluar.& ſolani refertos,& lacte tepente imbutos,qui ano,pubi,& lumbis admoueri poterunt & frequenter renouari.Vel paretur fotus ex decocto folior. verbaſci, calend. & capitibus papaueris albi, vel eiuſdem ſeminibus.Reſidentia tuſa & cribrata miſceatur cum farinâ hordei,pauco oleo roſaceo & butyro.Fiat cataplaſma eiſdem locis admouendum.Suppoſitorium ex ſeuo hircino, aut ex cerâ nouâ dicitur impedire exulcerationem partis. Fumigationes tandem adhibeantur ex ſarcocollâ & maſtiche: vel fiat fumigium ex ſcoriâ ferri ignitâ & aceto aſpersâ, quæ hic valde competit: necnon ſuppoſitoria cum opio, aut nodulus plenus confection. philon. romani, athanaſiæ, aut requiei Nicolai: Sunt qui diſſoluant pilularum de cynogloſſo ʒ j. in ℥ iiij. hydromelitis, & per exiguam fiſtulam in ſedem infundunt. Poſt vſum iſtorum narcoticorum, reſtituenda parti temperies, & robur ex fotu aut ſuffitu quodam iam dicto, quod eleganter monet Galen. in curatione ophthalmiæ,ne videlicet pars ſenſu orbata proprij deinceps muneris obliuiſcatur,ſicque vitium fiat peius priore.

CVRATIO TENESMI AB VLCERE, VERMIBVS, HÆMORRHOIDIBVS, ET FÆCIBVS INDVRATIS. Quæ ſuperſunt Teneſmi cauſæ particularem habent tractationem ſuis quæque capitibus, vt à vermibus, ac hæmorrhoidibus, vnde ſunt repetendæ: à fæcibus induratis capite de ſuppreſsâ aluo:& ab vlcere, prægreſſo de dyſenteriâ tractatu. Cui tamen addere hoc licet,vlcus recti inteſtini, ſi videri & quaſi manu contingi poſſit, facilius eſſe curatu, quia iniectionibus ex hordei decocto cum melle roſaceo deterſum, exſiccari poteri-

Digitized by Google

rit aquâ catapultarum dictâ, aut ſimili liquore infuſo, vel etiam admotis vnguentis de tutiâ, de plumbo, diapompholygos & aliis: necnon ἐμμάτοις, vt loquitur Hippocrates, linteolorum fruſtulis aut cotone ad exſiccandum. Auicenna ſequens vnguentum valde laudat, tam in profundiore, quam propinquiore vlcere, in quo vult eſſe doloris mitigationem, & vlcerum incarnationem.

℞ Thuris, & corticis eius, myrrhæ & maſtich. ana ʒ ij. cerussæ lotæ ʒ iij. plumbi vſti & tutiæ, ana ʒ j. ß. opij & croci, ana ℈ j. mucilag. gummi tragacant. aquâ plantag. extractæ ʒ ß. olei roſacei & ceræ nouæ q. ſ. Fiat vnguentum, quo inungantur prædictæ partes, & intromittatur aliqua portio diſſoluta cum hydromelite per ſyringam frequenter, & in paruâ quantitate, vt melius retineatur. Si prædictum vlcus calloſum fiat & ſinuoſum, metus erit fiſtulæ, cuius curatio admodum difficilis, accuratè tamen tractata à Guidone Cauliaco *tractatu 4. capite 7.* Supereſt moleſtiſſimum ſymptoma, quod frequentiſſimè Teneſmo ſuccedere ſolet, potiſſimum in puerulis ob copioſam humiditatem, nempe ani procidentia. In cuius curatione ſatis difficili & laboriosâ quando malum eſt inueteratum, procuranda eſt exſiccatio, & adſtrictio illius partis per fomenta, emplaſtra, vnguenta, ſuffumigationes, & ſimilia dicta. Inteſtinum extra poſitum lauetur vino rubro adſtringente, aut decocto ſimili: deinde inunctum oleo roſaceo, & ſinapiſatum conuenienti puluere acaciæ, hypociſt. roſarum & ſimilium reponatur in ſuam ſedem. Laudat Galenus puluerem ex veteribus coriis combuſtis paratum. Procuretur deinde vt in ſuâ ſede maneat, adhibitâ faſciâ & puluiſculis, quæ ſi volueris, perforetur in medio, vt poſſit per foramen deiicere manente faſciâ, aut dum cupiet deiicere, ſedeat ſuper craticulam cancelli inſtar confectam, per quam excludet quidem fæces, ſed inteſtinum in propriâ ſede continebitur. Frequenter expertus ſum in puerulis hoc morbo affectis, quod ſi ſtantes & erecti deiiciant, non exit anus: quia minor fit compreſſio, & circumſtantes partes retinent. Iubent aliqui in affectu diuturniore duo cauteria inurere extremitati ſpinæ, vt exhauriant humiditates illas internas & partem roborent: alij prominentem ani portionem exſcindere auſi ſunt. Sed hoc non niſi ſummâ cautione tentandum, & fruſtra vſurpatis aliis remediis. Nos vero ad vltimum tractationis iſtius caput de hæmorrhoidibus aggrediamur.

CAPVT IX.

De Hæmorrhoidibus.

SAGAX & prouida natura hominis conſeruationi ita conſuluit, vt quatenus fieri poſſet pro materiæ conditione, & quam diutiſſimè in hac vitâ permaneret. Cum enim ex humorũ iuſta συμμετρία, bonus habitus, & valetudo in nobis exoriatur: ideo ſingulis ſua emiſſaria conſtituit, per quæ vel quantitate redundantes, vel qualitate infeſti conuenienter excludi poſſent. Nec ſolùm ad excrementitios corporis noſtri ſuccos ſecernendos excernendoſque id præſtitit: ſed etiam ad ſanguinem, ſi quandoque multitudine ſua grauaret, vel alieno vitio maculatus illi moleſtiam inferret. Hinc nomen Hæmorrhoidum exoriri patet, locorum ſcilicet illorum ſeu venarum ex quibus ſanguis effluere ſolet, ſiue illud naturaliter fiat certis ſtatiſque temporibus, ſiue præter naturam, & vi morbi. Ariſtot. 1. *de generat. animal. cap.* 19. quaſcunque venas ſanguifluas ita vocat. In mulieribus venæ vteri floridum fundentes ſanguinem menſtruo quoque decurſu, oſtẽdunt naturale ſolum reſtibili fertilitate prędituм, virilis tantum ſeminis & aratri indigere, vt ſibi ſimilem fructum ac ſobolem pariat. Hinc hæmorrhoides vteri apud Hippocr. *lib. de morb. mulier.* dicuntur, & ipſa mulier menſtruata hoc nomine donatur. Apud eũdem *in Coacis* vena pulmonis ſanguinem inſigniter profundens, ita vocatur. Apud alios, vt Philonem, *in tractatu de affect. narium*, hæmorrhoides etiam narium appellantur venæ intra naſum poſitæ, quæ huic ſanguinis fluxui ſunt aſſuetæ. Vnde etiam ab effectu, ſerpentis quoddam genus hæmorrhois appellatur, quoniam cuiuis corporis noſtri parti admotum ſuo morſu profuſam ſanguinis copiã

Digitized by Google

elicere ſolet. Sed κυρίως & maximè propriè dicuntur nunc hæmorrhoides, venæ illæ in ano poſitæ, tam internæ quam externæ, huic muneri potiſſimùm à naturâ dicatæ. Cum enim ſanguinis officina in iecore poſita, duplici excrementorum genere, tenuiorum ſcilicet & bilioſorum; craſſiorumque, vt melancholicorum abundet: tenuia autem illa per κύστιν felleam in vrinas & inteſtina deponantur: oportuit craſſa & melancholica, ſi aliquando ita ſuperfluerent, vt à liene nec ſufficienter attrahi, nec confici poſſent, necnon crudioris & primarij ſanguinis copiam, qui in venâ portâ continetur, ſi quandoque redundaret, habere aliquam viam, per quam excluderetur, in quâ eſſet manifeſta vaſorum communitas: & hæc eſt vena illa hæmorrhoidalis interna, à ramo ſplenico venæ portæ deriuata in recti inteſtini partem occultam, cacochymiæ & fæculenti ſanguinis, vel dilutioris expurgatrix. Quoniam verò non ſolum neceſſe eſt crudum vel fæculentum ſanguinem vacuari ex primâ illâ corporis regione: ſed etiam ex ſecundâ nimis copioſum, vel etiam vitiatum in ſuâ maſsâ profundi: ideo oportuit venam aliquam ex cauâ ad extremum anum pertingere, per quam idem præſtari poſſet: & hæc eſt hæmorrhoidalis externa, à ramo cauæ deſcendentis iliaco orta, in ani partem manifeſtam ſeu extimam deſinens, per quam ſanguis ſæpè purus & laudabilis, ſi talis in maſsâ ſanguinariâ contineatur: alias etiam corruptus, ſi in eâ vitium contraxerit, profunditur.

At quamuis hæc omnia ritè à naturâ inſtituta videantur ad animantis commodum, non carent tamen ſua culpa & nævo, vt cætera omnia, vbi in alterutrum extremitatis latus, vt loquitur Galenus *comment. in Aphor.* 25. *ſect.* 4. delapſa fuerint. Cum enim periculoſam habeant vtramque immoderantiam: ſiue ſupra modum ex eis ſanguis excernatur, vel ex toto in aſſuetis ſupprimatur: exoritur affectus præter naturam moleſtiſſimus. Atque inde naſcitur hæc noſtra tractatio therapeutica, quæ ſcilicet doceat vtrumque exceſſum conuenienter curare: præmiſſa prius, vt Dogmaticos decet, accuratâ rei cognitione & cauſarum perquiſitione. Illud autem fiet, ſi affectus iſtius definitionem imprimis attulerimus.

Dicamus igitur hæmorrhoidas deſignare Medicis affectum præter naturam venarum in ano poſitarum, quando multa ſanguinis copiâ inflatæ occluduntur non ſine dolore: vel apertæ nimiam ſanguinis copiam profundunt. Eſt enim hic affectus ſub tertio genere ſymptomatum, excreti videlicet & retenti præter naturam, quod conſequitur diſpoſitiones morbificas venarum ſedis; vtpote inflationem & diſtenſionem nimiam cum intemperie & dolore: fit enim, vt ex affluxu nimio ſanguinis craſſioris & melancholici, in extimas has venarum partes confluentis, inflentur & extendantur inſtar varicum illarum, quas in cruribus ob eiuſdem humoris appulſum fieri quotidie videmus. Hic ſanguis, ſi propter nimiam craſſitiem, vel venarum ipſarum duritiem non effluat, cæcas conſtituit hæmorrhoidas tam internas quam externas, quæ pro variâ figurâ quam conſtituit in capite venæ, & baſi earum anguſtâ vel latâ à recentioribus Practicis vocatæ ſunt verrucales, morales, quarum meminit Hippocrates *libro de hæmorrhoidibus*; veſicales, & vuales, exiſtimantibus illas etiam differre humoris affluxu: verrucales videlicet à melancholico ſucco, aut atrabilario: morales à ſanguine: veſicales à flatu pituitæ mixto: vuales verò ex mixtis ſeu mediocribus humoribus fieri. Ac proinde mites eſſe cum minori inflammatione & dolore eas quas benigni humores ſuſcitant: alias verò malignas, inflammationi maximè obnoxias, virulentas, & cancroſas aliquando: ad quas peſſima vlcera, fiſtulæ, & condylomata ſubſequuntur.

Vbi vero ſanguis impetu, & quaſi agmine facto diſrumpit clauſtra venarum ſedis per diæreſim aut anaſtomoſin: vel certe propter acrimoniam ſuam & mordacitatem erodit extrema earumdem venarum, excitatâ διαβρώσει ſeu vlcere in illis: contrarium prædicto ſymptoma exoritur nimiæ profuſionis ſanguinis, ſiue fuerit illa prius ſolita ægro, & periodica: ſiue inſolita & ſine periodo. Ex quibus patet, quæ ſit pars propriè affecta, nempe venæ ani per idiopatheiam, rectum vero inteſtinum, illius ſphincter, veſica, coxæ & ſimiles partes circumiacentes per ſympatheiam: imo iecur ipſum & totum corpus illis perſeuerantibus ob dolorem, intemperiem, & nimiam ſanguinis profuſionem, vt poſtea dicemus. Quæ ſit etiam natura affectus ſeu diſpoſitionis morbificæ, ad quam prædictum ſymptoma proximè ſubſequitur, patet, nempe aucta magnitudo cum diſtenſione & intemperie, quando fluxus cohibetur: aliàs ſoluta vnitas

propter

propter ruptionem, apertionem orificiorum, aut eroſionem, quando fit immoderatus. Supereſt vt cauſas iſtorum etiam affectuum inquiramus.

Poſuimus imprimis humores, ex primâ, per venas portæ; & ſecundâ regione, per venas cauæ in hæc loca confluere: ſiue ſanguis ſit purus & merus, vt in verâ plethorâ: ſiue corruptus & excrementitius, vt in cacochymiâ plethoricâ. Quæcumque igitur eiuſmodi ſanguinem & humores vitiatos generare poſſunt, vel fouere: quæcumque in partes illas inferiores deducere, ibique diſtenſionem variam, vel earum apertionem efficere, ea omnia inter cauſas hæmorrhoidum ſunt recenſenda. Ac proinde temperamentorum diuerſitas hîc plurimùm poteſt. Sanguinei enim ac melancholici commodiſſimè ac frequentiſſimè eas patiuntur: pituitoſi & bilioſi rarius, niſi fortè magna ſit humorum redundantia, inter quos bilis non inepta eſt ad vellicandam excretricem, & reſeranda aut vlceranda oſcula venarum præ tenuitate & acrimoniâ ſuâ. Mulieres viris rariùs illis detinentur, quia alium habent canalem, per quem natura ſolet onus ſuum menſtruâ periodo deponere: fit tamen aliquando, vt illo præpedito propter obſtructiones, aut propter grauiditatem, refluat ſanguis in venas ani propinquiſſimas, & ibi hæmorrhoides excitet: imo in mulieribus valde ſanguineis non raro vidimus vtramque expurgationem copioſiſſimam. Viri à trigeſimo quinto ætatis anno vſque ad ſexageſimum magis ſunt obnoxij illis, quia tunc melancholicus ſanguis & fæculentus dominatur: pueri vero nunquam patiuntur, tum quia benigno admodum ſanguine abundant: tum quia natura augendo corpori magnam illius copiam inſumit. Adoleſcentes & iuuenes rariſſime propter eandem cauſam, & quia eorum ſanguis propter bilioſum ſuccum, quo abundat, tenuis eſt, ac proinde ἀναφόρων potius quam καταφόρων ſuperiora petit, vt nares & pulmonem: vnde frequentiſſimæ in illis hæmorrhagiæ è naribus, & ſanguinis ſputationes: Decrepiti verò, ſi prius non fuerint paſſi, vix in illas incidunt ob ſanguinis paucitatem, & pituitæ inſipidioris copiam. Ad hunc affectum concurrit etiam ius hæreditarium, quod facillimè poſteris communicatur, ſi parentes hoc affectu laborarint: hinc certis familiis domeſticus exiſtit; certis nationibus, vt Iudæis, gentilitius: quod aliqui referunt ad diuinam vltionem (*ſanguis eius ſit ſuper nos & ſuper filios noſtros:*) alij ad prauum eorum victum, iram mœſtitiæ iunctam, qua torquentur ob tributa & ſeruitutem illis impoſitam, & otium in quo verſantur: nullo enim modo corpora exercent, ſed vſuris ſuis & interpolandis mercibus intenti perpetuò deliteſcunt. Certum enim eſt cauſas externas & internas quæ ſanguinem multiplicare aut inficere ob depraua-tam triplicem concoctionem, illúmve adurere, & ad inferiora compellere poſſunt, ea manifeſtam προφασιν dare concitandis hæmorrhoidibus. Sic aër torridus humores exurendo, gelidus comprimendo ad interiores & inferiores partes: alimenta omnia δυσπεπτα & κακόχυμα, aut calidiora, quæ nos poſtea recenſebimus in diætâ præſcribenda: medicamenta actiora & pungentia, præcipuè verò aloë: torpor & corporis ſegnities excrementa congerendo: equitatio dura & violenta, propter attritum iſtarum partium: ſuppreſſæ aliæ vacuationes ſolitæ aut neceſſariæ, vt in mutilis quibus inſigne aliquod corporis membrum fuerit deciſum, & aliis qui largas prius hæmorrhagias per nares patiebantur: necnon durior & moleſta deiectio irritando & diſtendendo illa loca, vt in eis contingit, qui ſcybala quædam, & lapidum inſtar recrementa excernunt, aut quibus calculus grandior veſicæ impedit liberum per inteſtina exitum: vigiliæ immenſæ, ſtudia, curæ, mœrores, necnon iracundia, concoctiones turbando, ſanguinem exurendo, & agitando poſſunt in conſuetis potiſſimum hæmorrhoidas incitare. His ſi acceſſerint intemperies totius & partium, vt quartanæ atrabilariæ, vel aliæ febres circa Autumnum, propter quam cauſam egomet hæmorrhoidas ſum expertus: iecoris feruor cum ventriculi frigiditate: inteſtinorum repletio, & ſimiles affectus præter naturam, facile hoc vitium exoritur, ſuppeditatis cauſis, quæ id excitant aut iuuant. Nunc itaque ad illius διάγνωσιν accedamus.

Signorum itaque partis affectæ, & cauſarum, eò facilior hic erit ratio, quo magis partes iſtæ ad externa corporis tendunt: viſu enim & tactu, fidiſſimis animæ noſtræ nuntiis, exteriores illas hæmorrhoidas, quæ ſphincteris circulum cingunt, ſtatim deprehendimus. Imo etiam interiores, quæ verſus finem recti inteſtini deſinunt, eodem modo percipiuntur, ſi æger paulo violentius anum comprimat, aut ſi admotâ cucurbitulâ podici poſt balneum vel fotum, anus inuertatur: vel denique inſtrumento illo aperiatur, & dilatetur, quod ſpeculum vocant. Præterea ſenti-

tur dolor profundus & grauans in inferiore illâ podicis parte circa dorſum & coxas, potiſſimum quando aluum exonerant, & excrementa duriora pertranſeunt. Vix admittunt fiſtulam clyſteris aut ſuppoſitoria ob anguſtiam loci & cruciatum. Erumpit autem ſanguis modo ſincerus, modo ſtercori permixtus, ſed leuiter, imo in apertione & eroſione earum effluit ſæpe velut ex ſectâ cubiti venâ confertim & magnâ copiâ: Et quod proprium eſt hæmorrhoidibus, hæc materia ſine vllâ periſtole aut contractione inteſtinorum, quæ in deiectione omni percipitur, exire ſolet. Excreti verò ſanguinis qualitas, dilutioris, vel craſſioris, rubicundioris, flaueſcentis, aut nigricantis, aut albeſcentis magis oſtendet quis humor potiſſimùm peccet, vtrum mera ſit plethora, vel cacochymiæ iuncta. Quod etiam cauſæ naturales, non naturales, & præter naturam à nobis recenſitæ firmius indicabunt, ſi ad hunc vel illum humorem generandum magis concurrant. A cacochymiâ autem & acri humore eroſio in illis contingit: à plethorâ ruptio aut anaſtomoſis, quæ aliquando eſt periodica, vt in aſſuetis; vel critica, vt per morbos atrabilarios, & in quibus magna ebullientis ſanguinis copia adeſt, inferiora petens: aliquando ſympromatica, quando vi morbi & naturæ infirmitate potius quam illius robore contingit. Qui diuturnas iſtas & malignas patiuntur hæmorrhoides, cachexiâ plurimùm laborant, & calorem faciei fœdatum repræſentant, quem χλῶρον Hippocrates vocauit:) nos citrinum ad viride, vel nigrum declinantem dicere ſolemus (Gallicè *tanè.*) Et ſi quidem præter ſolitum & diuturniore tempore illis ſupprimantur, totius corporis pondus, & moleſtiam ſentiunt, ſomnia terrifica, necnon deliria, & quaſi furores mentis perpetiuntur. Atque hæc de diagnoſi huius affectus.

Cuius etiam prognoſim paucis ſtabilire conuenit ex Hippocratis ſententiâ: qui illius commoda & incommoda ſufficienter eſt perſecutus *in Aphoriſmis & aliis pleriſque locis: vt lib. de humorib. & 6. epid. Quicumque*, inquit, *hæmorrhoides habent neque pleuritide, neque perineumoniâ, neque phagedæna*, id eſt cancro, *neque furunculis, neque tuberculis terebinthi figuram habentibus corripiuntur:* fortaſſis autem neque lepris, neque vitiliginibus. Certum enim eſt materiam illam fæculentam & melancholicam, necnon ſanguineam, plethoram conuenienter & periodicè per hunc ductum excluſam, auferre occaſionem generandorum iſtorum morborum. Neque ſolum præcautionis, ſed etiam curationis naturam ſæpe explere fluxum iſtum, vt *lib. de iudicationibus*: Atrabilariis, vt *Aphoriſm. 21. ſect. 6.* phrenitide occupatis, ſi hæmorrhoides oboriantur, ſolutio fit: & *Aphoriſm. 11. ſect. 6. melancholicis & nephriticis hæmorrhoides ſuperuenientes, bonum*: ſcitum eſt enim quanta ſit vaſorum iſtorum communicatio cum totâ venâ cauâ, & venis emulgentibus quæ in renes implantantur. Imo ipſis apoplecticis indicauit eſſe ſalutares idem Hippocrates *in Coacis*, quando ingens illa ſanguinis & humorum repletio quæ anguſtabat cerebri ventriculos, quaſi poſtliminio ad inferiores partes refluit, & per illas erumpit. Fluxuras autem hæmorrhoidas nunc primùm, aut ſolitâ periodo detegit dolor & pondus circa lumbos, vt eſt *in Coacis*, *dolorifica in lumbis mala, ſanguiflua*: necnon illarum inflatio, & veluti titillatio perdurans. Quod ſi illæ vel inconſideratè ſiſtantur, vel parcius fluant, vel in totum ſupprimantur: eadem prorſus aduocare ſolent, & inferre ſymptomata, quæ ab iis arcentur, dum conuenienter fluunt. Vt eſt *eodem lib. 6. epid.* necnon *Aphor. 12. ſect. 6.* monet in curatione diuturniorum hæmorrhoidum, ne omnes occludantur, metu hydropis aut tabis ex recurſu materiæ illius ad ſuperiora. Idem *in Coacis*, ex hæmorrhoide parum apertâ. i. parcius fluente, obortæ vertigines, paraplecticum quiddam ominantur. Atque in eiuſmodi venis diſtentis & dolentibus cito exoritur inflammatio, ad quam ſuppurationes, vlcera, & fiſtulæ frequenter ſubſequuntur. Vt igitur exceſſus ille, & ſuppreſſio periculoſa, ſic etiam nimius fluxus ſuâ noxâ non vacat, quæ alias hæmorrhagias largiores & frequentiores comitari ſueuit ex depopulatione caloris inſiti & influentis: vnde totius corporis infirmitas, tremores, deformitas faciei, inflationes cutis, & hydrops exoriuntur. Certum eſt illos, quibus hæmorrhoides intempeſtiuè & immoderatius fluunt, numquam ad iuſtum ſenectutis limen peruenire, vitámque multis miſeriis obnoxiam tranſigere. Nos itaque illarum therapeiæ ſedulò nunc incumbamus.

Eam autem hac methodo perſequemur: vt primò agamus de earum præſeruatione ſiue regimine. Secundò de illis aperiendis & prouocandis, quando præter naturam ſuppreſſæ ſunt. Tertiò de cohibendo nimio illarum fluxu. Quartò de perfectâ

perfectâ earum curatione ſeu exciſione. Quinto & vltimò de mitigando dolore, & reliquis ſymptomatis, quæ illis ſuperuenire conſueuerunt. Quod ad primum itaque ſpectat, prophylaxis ſeu præſeruatio hæmorrhoidum in eo poſita eſt, vt qui illis ſunt obnoxij ex iure hæreditario, vel naturali, aut aduentitiâ temperie: caueant imprimis omnes cauſas quæ primam ſecundámque coctionem vitiare poſſunt, & craſſos fæculentóſque humores generare, vnde partes obſtruuntur, potiſſimùm verò lien; nec trahunt eiuſmodi ad ſe materiam, ſed potius repellunt, & ad inferiora relegant. Caueant itaque ab omnibus alimentis cacochymis & dyſpeptis: à viſcidis quidem, craſſis & acetoſis, ob analogiam quam habent cum humore melancholico: ab amaris verò, ſalſis, piperatis, ſinapiſatis, frixis & ſimilibus calidioribus, ne exurantur reliqui humores ab iſtis, & veluti incinerentur. Arnoldus & Rabi Moyſes, qui accuratè de hoc morbo ſcripſerunt, ſuadent illis, qui ab hæmorrhoidum moleſtiâ liberari cupiunt, vt fugiant vſum panis atrioris, furfuracei & azymi: vinum craſſum & fumoſum, muſtum, cereuiſiam, zythum, acetum & ſimiles potus. Item legumina omnia (niſi fortaſſis iuſculum cicerum cum pauco petroſelino paratum) triticum coctum, oryzam, dactylos, caſtaneas, tubera, carnes bubulas, ceruinas, leporinas, caprinas potiſſimùm, ſale aut fumo induratas, farcimina omnia: capita, inteſtina, extremitates animalium ob earum lentorem & viſciditatem: piſces grandiores, aut ſquamis carentes; vt anguillas, murænas, & omnes ſale conditos: aues paluſtres: caſeum antiquum: cepas, allia, caules, rapos, naſturtium, erucam, & ſimilia olera acriora, præter porrum, quod ex familiaritate quadam ſubſtantiæ hæmorrhoidas iuuare compertum eſt. Ac præter iſta, quæ ſymbola ſunt humori melancholico & fæculento, abſtinere debent ab eis quæ admodùm refrigerant & coctionem impediunt, melonibus, cucurbitis, cucumere, & aliis, nimiâ potiſſimùm copiâ ſumptis, ne videlicet ex ſeroſi humoris redundantia, quam gignere ſolent prædicti cibi, venæ illæ nimium impleantur & diſtendantur. Vitent igitur prædicta, necnon crapulam omnem: vtantur autem cibis euchymis, & temperatis moderatè ſumptis, quos natura facilè concoquere, & diſtribuere poſſit: pane videlicet albo & recenti: vino oligophoro aut bene lymphato: carnibus delicatis & recentibus, iuſculis earumdem, panatellis, hordeatis, amygdalatis, & ſimilibus: piſcibus etiam ſaxatilibus aut fluuiatilibus præſtantioribus, ouis ſorbilibus & tremulis: fructibus boni ſucci, vt etiam borragine, endiuiâ, lactucâ, plantagine & ſimilibus. Fugiant intemperies aëris immodicas: exercitationes nimias, potiſſimum duriorem equitationem: vigilias diuturniores: iracundiam, metum & mœrorem omnéſque curas grauiores, quibus ſolis eiuſmodi humor coaceruari ſolet. Imprimis verò ſtudeant, ne aluus ſit diutius ſuppreſſa, aut durioribus excrementis referta, ex quorum aſperiore confricatione facillimè malum hoc renouatur. Ideóque debent habere aliquid in vſu, quod blande & molliter deiectiones quotidianas procuret, vt pruna, vel poma cocta initio prandij ſumpta, iuſculum ex borragine, atriplice, aut teneroribus maluæ cauliculis, cum butyro vel oleo dulci, aut carne pingui paratum. Si hæc non ſufficiant, manna granata, pulpa caſſiæ fiſtularis, medulla ſeminis carthami cum paſſulis, ſennæ folia vel folliculi cum iure pingui aut prunis cocti; necnon rhabarbarum ipſum puluerisatum, vel radix mechoacan ad ʒ ij. cum iuſculo ſumpta illud præſtare poterunt, vitando ſemper aloem & ſimilia, quæ acumine quodam & mordacitate ſunt prædita: ex quibus tanta fit aliquando hæmorrhoidum exaſperatio, vt præ dolore in animi deliquia, & furorem incidant. Quicunque etiam hæmorrhoidibus valde ſunt obnoxij, coitum fugere debent, aut moderatè eum exercere, quia exagitat humores, & ad inferiora illa loca deducit: in mulieribus verò facit etiam attritum in parte dolente ob viciniam colli vteri cum recto inteſtino.

Quod ſupereſt de præſeruatione, ſi quidem ob nimiam ſanguinis copiam hæmorrhoides contingant, non inutile erit bis aut ter in anno aperire venam baſilicam cubiti dextri, reuulſionis vacuationiſque cauſa, ad ʒ vj. vel ℥ viij. minutus enim hac ratione ſanguis & ad contraria reuocatus fluxum hæmorrhoidalem parcius ſaltem concitabit. Imo aliqui ad maiorem reuulſionem volunt venas iugulares illius lateris aperiri, ex quo magis fluere videntur hæmorrhoides: hoc enim ſe habere pro certo experimento profitentur ad præcautionem hæmorrhoidum.

Præter venæ ſectionem, quam aliqui refugiunt, & nos etiam omittendam cenſemus, quando malor eſt cacochymiæ quam plethoræ exceſſus, aut virium firmitas

non

non adeſt, laudatur valde à veteribus & neotericis Practicis vſus pilularum de bdellio ad ʒ j. vel ʒ ij. ſumptarum ſemel in ſeptimanâ : quia leuiter aluum mouent, ad veſicam humores deriuant & partem afflictam roborant. His adde electarium aliquod exſiccans & abſumens ichores iſtos & ſuperfluas ventris inferioris humiditates, quale deſcribitur ab Auienna.

℞ Myrobalan. indor. belliricor. & emblic. lotorum cum aquâ bugloſſi, donec amaritudinem dimiſerint ʒ v. rad. thapſi barbati ʒ ij. zinzib. cinamom. nucis moſc. galang. olib. ana ʒ j. ſemin. ameos, ſpicæ, & ſchœnanthos, ana ʒ ß. ſcoriæ ferri præparatæ & coctæ cum aceto ℥ j. penidiar. ℥ iij. ſacchari albi aqua linguæcanis diſſol. q. ſ. Fiant tabellæ, vel ſyrup. de pomis redolent. q. ſ. Fiat opiata, de quâ capiat ad quantitatem caſtaneæ ſemel aut bis in ſeptimanâ mane. Docet etiam citatus Rabi Moyſes, quod clyſter ex ſucci porri ℥ vj. ſucci apij ℥ j. addendo parum butyri & guttas aliquot lactis caputiæ ; confectus & frequenter per integrum menſem vſurpatus, præſeruat omnino, necnon aliquando curat fluxum hæmorrhoidalem. Atque hæc de prophylaxi ſufficiant.

Cvratio svppressarvm hæmorrhoidvm. Quoties verò hæmorrhoidalium venarum ſuppreſſio negotium ægro faceſſit : videndum eſt an ſit aſſueta illa excretio, & periodica ægro, an nunc de nouo natura viam illam affectet : an illius retentio inferat quædam ex ſymptomatis à nobis recenſitis, & vtrum illarum ſit ingens inflatio, tumórque conſpicuus, & quo anni tempore affligat. Certum enim eſt in aſſuetis eiuſmodi excretioni, vbi vrgent quædam grauiora ſymptomata, venæ illæ tumidiores apparent, circa ver aut autumnum confidentius aperiendas eſſe hæmorrhoidas, internas quidem ſi melancholiæ redundantis ſigna adſint, maniæ, hypochondriaci affectus, tumorum ſplenis aut meſenterij : externas vero potius, in plethorâ totius, affectibus renum, vteri, dorſi, coxendicum, capitis, denique in omnibus qui ex venâ cauâ principium ſuum & originem ducunt. Quod ſi venæ illæ hæmorrhoidales minimè appareant, animus tamen ſit Medico ob dominatum melancholici ſucci, vel prædicta ſymptomata eas excitare, poterit circa veris aut autumni tempus præſcribere vſum pilularum Rufi per aliquot dies ad ℈ j. ſumptarum horâ vnâ ante cœnam, quibus mirum in modum irritantur venæ illæ ſedis, & intumeſcunt : Deinde balneum aut ſemicupium præſcribere ex emollientibus & modicè calfacientibus, in quo deſidens æger ſupponet ſibi glandes, vel acriora ſuppoſitoria ad vellicandas partes illas. Poſt exitum balnei, ſi quidem venæ inflatæ fuerint exteriores, facile erit illas aperire, vt poſtea dicemus : vel ſi ſint internæ, appoſitâ podici cucurbitulâ, inuertatur anus, ita vt interior illa regio appareat, & locus aperiendæ hæmorrhoidi accommodatior innoteſcat. Sunt etiam qui ad deducendum ſanguinem verſus hæmorrhoidas, & inteſtini ſedem, incidunt venam in pede aut malleolo, eámque proliciunt ſanguinis copiam, quæ ſufficiat ad id præſtandum. Atque hæc inſtitui poterunt in illis, in quibus lubet excitare fluxum hæmorrhoidum delitescentium. In quibus verò conſpicuæ ſunt & tumentes, videndum an prædictæ circumſtantiæ adſint, & ſi quidem minus commodi videatur exurgere ex illarum prouocatione in non aſſuetis potiſſimum : paretur imprimis fotus, inſeſſus, vel euaporatio ex decocto cynogloſſi, maluarum, althææ, violarum, meliloti, parietariæ, porri communis, & fœnugræci : quo ſuauiter & inſenſibiliter detumeſcent eiuſmodi hæmorrhoides per διαφόρησιν & reſolutionem materiæ in illis contentæ : Poſtea fiat cataplaſma à Rhaſi commendatum ex cepe albo cocto ſub cineribus, & cum lacte contrito : vel ex prædicto decocto trito & colato, addendo farinæ ſeminis lini & hordei aliquot vncias, vitellos ouorum & olei roſacei q. ſ. Applicetur & renouetur ſæpius. His enim ſi euaneſcant prædictæ hæmorrhoides & dolor ſedetur, bene eſt. Sin verò magis ac magis intumeſcant, & dolor intendatur, vel certè ex earum fluore maius commodum exoriri poſſe videatur : Tunc illarum apertioni erit incumbendum, ſedato pauliſper dolore prædictis remediis laxantibus & lenientibus : quam tribus potiſſimùm inſtrumentis perficiemus, admotis ſcilicet medicamentis, ſcalpello, & hirudinibus. Confricatis itaque illis ex panno quodam, aut linteolo aſperiore, vel borraginis grandioris aut ficus folio, inter manus contrito, donec lactea illa ſubſtantia erumpat ; ſi quidem ſanguis non fluat, admoueatur ſuccus cyclaminis, aut cepæ rubræ, folia perdicij aut mercurialis trita cum pauco felle bubulo commixta : vel ſuccus centaurij minoris, braſſicæ marinæ, chamælææ, thymelææ, cum aloë, modico aceto, & prædicto felle, adhibitis etiam ante & poſt,

poſt prædictis fomentis ad leniendam iſtorum actimoniam,& malaxandum puluerem. Sunt qui ſolo puluere hellebori nigri,vel ſtaphidis agriæ, vel colocynthidis excepto,cum oleo amygdalarum amararum, vel ſucco cepæ illas aperiunt. Sed vt verum fateamur, maior eſt moleſtia & difficultas ex iſtis acribus & erodentibus ad aperiendas hæmorrhoides, quam ex ſcalpello, vel admotis ſanguiſugis, quia illorum vis non tam facile dirigitur ad locum propoſitum, quam iſtorum; & cruciatum infert diuturniorem, necnon vlceris maligni periculum. Hirudines igitur electæ & bene mundæ decentérque ieiunio in aquâ puriſſimâ præparatæ, vna vel plures, prout ex vſu eſſe videbitur, applicentur tumentibus venis, nec prius amoueantur, quin bene ſaturatæ per ſeipſas decidant; vel certè illarum caudis exciſis ſinatur ea ſanguinis quantitas effluere; quæ ægro competere videbitur. Vbi cœperint eſſe moleſtæ; aſperſo cinere, aut ſale facillimè decident, & illis ablatis, ſi quidem ſanguinem adhuc fluere cupias; foueatur locus linteolis calidis aut aquâ tepidâ, quamdiu volueris. Quod ſi hirudinum copia non adſit, vel illæ minus aptæ ſint ad affigendum, licebit phlebotomo eaſdem aperire; vt cubiti vel alterius partis venas, & eductâ ſanguinis quantitate ſufficienti vulnus opplere emplaſtro ex puluere rubro adſtringente, cum mollioribus leporis pilis, & oui albumine confecto. Si vero ſanguis non ſatis copioſè fluat, foueatur eodem modo, quo de hirudinibus dictum eſt, vt conuenienter elici poſſit.

CVRATIO HÆMORRHOIDVM NIMIVM FLVENTIVM. Vt igitur ſæpe negotium Medico incumbit de prouocandis hæmorrhoidibus, quando ſuppreſſæ ſunt: Sic etiam immoderatè fluentes & corpori noxam inferentes non rarò cohibere oportet: vtpote cum nec qualem, nec quantum, nec quando conuenit ſanguinem profundunt; in hoc itaque caſu prudenter ſeſe debet gerere Medicus, vt neque ſtatim, neque ſubito, neque ex toto illum compeſcat, ſed moderatè potius & ex interuallis, ne aut natura ſuccumbat, aut fluxui aſſueſcat nimium: aut ea ſymptomata accidant, quæ à nobis fuere ſuperius commemorata. Quapropter ad ſiſtendam hanc hæmorrhagiam, imperentur cibi incraſſantes, & adſtringentes, nullâ acrimoniâ aut mordacitate præditi, potiſſimùm, ſi mala quædam ſanguini qualitas ineſſe videatur. Itaque ex vſu erunt vinum rubrum, & auſterum aquâ ferratâ dilutum, panatellæ, hordeata, amygdalata, gelatinæ, capita & extremitates animalium, plantago, portulaca, & ſimilia iam à nobis ſæpius propoſita. Sumat etiam per os ſyrupos adſtringentes, & incraſſantes, tabellas, opiatas, trochiſcos de carabe, de terrâ ſigillatâ, & ſimiles, quibus ineſt proprietas ſiſtendi ſanguinem: inter quæ commendant Practici puluerem Galbani bene exſiccatum ad ℈ j. cum aquâ vel ſucco plantaginis, bis aut ter ſumptum, vel tantumdem coaguli leporis aut hœdi, in aquâ ferratâ aut vino adſtringente diſſoluti. Roborentur partes ex quibus fluxio originem habere videbitur, vt hepar aut lien, admotis cerato ſantalino, vnguento roſacco, bolo armenâ cum aceto diſſoluta & ſimilibus. Vbi tamen prius conueniens reuulſio inſtituta fuerit, aut per venæ ſectionem ex venâ cubiti, ſi adhuc vires conſtant, quæ citò & tutò illud præſtare ſolet; aut admotis cucurbitulis vtrique hypochondrio inter ſcapulas, ſub mammis vel dorſo, factis frictionibus durioribus aut ligaturis dolorificis ſuperiorum partium, & brachiorum. Quod ſi cacochymia quædam, tenuis potiſſimùm & bilioſa, ſanguinem comitari videatur, nihil erit illis ſalubrius, quam rhabarb. puluerem ad ʒ j. bis aut ter in ſeptimanâ ſumere, donec illa ſufficienter emendata fuerit, quod iuuabunt etiam iuſcula pulli conuenientibus herbis alterata, vel iulepi ad idem præparati. His peractis, ſi quidem fluxus adhuc perſeueret, topica admoueantur ἰσχαιμα & venarum apertiones occludentia ſub variis formis, vtpote frigida fomenta æſtate, tepida autem hyeme, ex facculis refertis roſarum, plantaginis, rubi; betonicæ, & ſimilium foliis ſeminibúſque & pauco alumine, aquâ roſaceâ, aut vino auſtero immerſis: euaporationes etiam fieri poterunt ex puluere quodam adſtringente, vel ſequentibus trochiſcis.

℞ Ladani electi ʒ iij. thuris optimi ʒ ij. vernicis & puluer. hæmatit. ana ʒ j. bdellij ʒ j. ß. Excipiantur mucilagine tragac. aquâ plantag. extractâ. Fiant trochiſci ad vſum.

Applicentur deinde ſuper orificia venarum patentia litus,pulueres, vel emplaſtra conuenientia,vel,ſi venæ ſint interiores,fiant inſtar turundarũ aut ſuppoſitoriorum, quæ locum affectum contingere poſſunt. Inter quæ maximè valent puluis gallarum,

balauſtiorum,ſanguinis dracon. cum pauco vitriolo albo, ſucco plantaginis,vel oleo roſaceo exceptus & parti admotus ex puluillo conueniente. Item pili leporini combuſti aut minutim inciſi cum telis aranearum, & albumine oui incorporentur, partîque admoueantur. Auicennas in rebelli fluxu contingit hæmorrhoidas ex oleo cydoniorum aut maſtichino feruente cum pauco cotone. Alij alumen puluerisatum admouent cum icthyocollâ aquâ adſtringente diſſolutâ; ſimiliáque multa excogitare licebit, quæ ad ſiſtendam hanc hæmorrhagiam facient, vbi ex eâ periculum impendere videbitur.

HÆMORRHOIDVM PERFECTA CVRATIO SEV EXCISIO. Quod ſi æger non ſolum à ſymptomate illo ſiue fluxu immoderato in præſens liberari cupiat; ſed in totum hæmorrhoidibus mederi per earum exciſionem & omnimodam curationem: videndum an id præſtari debeat, & quomodo perfici valeat. Quatenus enim ad primum ſpectat,videtur Hippocrates prohibuiſſe *Aphoriſmo* 12. *ſect.* 6. *Diuturnas*, inquit, *hæmorrhoidas ſananti, niſi vna fuerit ſeruata, periculum eſt aquam intercutem vel tabem aduenire*, & *lib.* 4. *acut.* expreſſius, *Compreſſione factâ medicamento erodente vtere, & ne prius dent deciderint, & ſemper vnam relinque: cum hoc tamen conuenit corpus à prauorum ſuccorum generatione præſeruare, boni ſuccialimentis exhibitis, & moderato exercitio, ac omnibus aliis debitè adminiſtratis, ne quid mali humoris generetur, aut ſuperſit: namque occluſis omnino hæmorrhoidibus, facilè ea quæ diximus concitantur mala.* Hæc Hippocrates, quibus omnino prohibere videtur, ne quis perfectam hæmorrhoidum curationem aggrediatur, per earum exciſionem, aut integram occluſionem. Imo vt vlterius progrediatur oratio noſtra, nullo modo videtur hæc curatio tentanda, ob pericula præſentiſſima, quæ inde emergere ſolent. Cum enim hæmorrhoides illæ inueteratæ citò ad maligni vlceris naturam,propter conditionem partis & humoris decurrentis prauitatem, vel fiſtularum conſtitutionem accedant, nihil boni aut ſalutaris emergere poterit ex illa operatione in membro tamdiu fracto & debilitato, támque malignis fluxionibus obnoxio: vnde miſer ille Eudemus 5. *epid.* exanguis & male habitus ob fortes & diuturnas hæmorrhoides periit, cum manus illis eſſent admotæ: Cancer enim ſucceſſit,febris corripuit,& non dimiſit antequam occiderit.

His tamen contradicit Aëtius, & non ſolùm tentandam hic eſſe curationem ex parte contendit, vnâ aut alterâ hæmorrhoidum relicta,ſed ex toto,quandoquidem, inquit ille, licet conuenienti victu, inediâ, purgatione, & repetitis phlebotomiis quidquid mali ſuccí ſubeſt, illud vacuare, & corrigere ſufficienter, nullo metu ſymptomatum ab Hippocrate propoſitorum, quæ tantum tunc contingent,quando prædicta negligentur. Quod ipſemet innuiſſe videtur *lib. de hæmorrhoidibus*, vbi perfectam earum vſtionem concedit, cum adductis conditionibus,neque tantopere metuit iſtam operationem, cum eodem libro addat: *Rectum inteſtinum & ſecans, & reſecans, & conſuens,& vrens,& putrefaciens, etiamſi grauiſſima hæc eſſe videantur, nihil læſerit.* Nos itaque controuerſiam hanc componemus, factâ diſtinctione ægrorum & affectuum: In ægris enim ſatis bene habitis, & obtemperantibus conſilio Medici, exiſtimamus poſſe omnes hæmorrhoidas occludi: quamuis enim natura huic fluxui aſſueta grauiter in principio hoc ferat, paulatim tamen hac moleſtiâ liberata, vires recolliget, & materiam per alia loca artis beneficio adiuta vacuabit, potiſſimùm verò, ſi excitentur duo cauteria in cruribus, per quæ facillimum erit naturæ ſeroſos illos humores & acres ſuccos eliminare. Vel ſi mauis, ſeruetur vna aperta per aliquod tempus, vt ſenſim aſſueſcat natura illius omnimodæ occluſioni, quam poſtea perficies, ſi nihil obſtare videatur. In aliis verò, intemperatis videlicet, minúſque obtemperantibus ægris, melius erit aliquam ſinere apertam, quæ ſufficiat excludendæ cacochymiæ. Eadem ratione ſi affectus iam rebellis & contumax exiſtat, corpus admodum imbelle, anus inflammationi & putredini valde obnoxius, caue ab eiuſmodi operatione metu cancri, gangrænæ aut alterius ſymptomatis grauioris. Quod ſi contraria ſit conſtitutio, & æger manus operam efflagitet, non videtur illi deneganda.

Illa autem perficitur, ex ſententiâ Hippocratis *lib. de hæmorrhoidibus citato*, multis modis, qui omnes in eo conuéniunt, vt capita iſtarum venarum veluti fiſtuloſa & hiantia exſcindantur, illiſque exciſis ſuper excitatum vulnus inducatur cicatrix, quæ occludat illorum orificia. Ablatio verò iſta fit ligaturâ, ferro ſecante,vel vrente, & admotis medicamentis. Purgato itaque prius conuenienter corpore, necnon ſectâ venâ, ſi opus fuerit, ligentur capita venarum cum filo ſericeo mediocriter & ſine vehementi dolore, ſenſim tamen conſtringantur, donec per ſe cadant. Quod

ſi

Digitized by Google

ſi ligatura minus commoda videatur,exſcindantur acutiſſimo ſcalpello, aut vrantur ferro per cannulam intromiſſo,vt docet Hippocrates,vel ignitis forcipibus auferantur: Deinde applicentur ea quæ inflammationem & dolorem ſedare ſolent. Idem dicas de admotis cauſticis potentialibus,inter quæ magis probantur ea quæ adſtringendi vi ſunt prædita, vt puluis vitrioli, ſalis gemmæ, & ſimilia incorporata cum melle & axungiâ porci: quibus addere potes parum viridis æris. His peractis & delapsâ eſcharâ procuretur cicatrix, & admoueatur emplaſtrum adſtringens,& agglutinans, ſi vulnus ſit externum;vel inſtar ſuppoſitorij,ſi interius ſit poſitum. Quidam dum hæc peraguntur, ſolent exhibere puluerem tormentillæ, rad. cappar. pineæ combuſtæ, aut raſuram cornu cerui ad exſiccandum & curandum omnino hæmorrhoidas. Dicitur etiam annulus ex oſſibus Hippopotami confectus, & in digito geſtatus conferre non ſolùm ad doloris ab eis concitati ſedationem, ſed etiam ad curationem perficiendam. Quæ omnia experiri licebit.

SYMPTOMATVM, QVÆ HÆMORRHOIDIBVS SVPERVENIVNT, MITIGATIO. Supereſt vt ſymptomatis quæ hæmorrhoidas comitari ſolent, prouideamus, præcipuè verò dolori. Is autem cum ſoboles ſit intemperiei aut ſolutæ vnitatis,tolletur per ea, quæ cauſas eius oppugnant, vel anodyna ſunt propriè & calori noſtro analoga: vel narcotica & ſenſum partis minuentia ſumpta vel admota, quæ cum ſæpiusà nobis ſint propoſita, paucis præſtantioribus hic erimus contenti. In magnà ergo inflammatione & mordacitate nihil vtilius eſſe exiſtimo, quam illud medicamentum,quod Rabi Moyſes ſuccum plumbi vocat: Fit autem ex butyro recenti & bene loto,cum aquâ ſolani agitato ad ſolem in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo,donec nigreſcat. Hoc illinatur pars, vel contegatur cum linteolo. Alij faciunt linimentum ex thure, myrrhâ & croco cum vitellis ouorum, mucilagine ſeminis pſyllij, & oleo roſaceo, addendo opij q. ſ. tenuiter puluerati. Mulierculæ noſtræ parant vnguentum ex pyro vel pomo bene cocto, cui addunt olei roſacei, & ceræ nouæ parum. Ego efficacius reddidi, adiungendo vnguenti populeonis tertiam partem. Item folia ſolani aut hyoſcyami calefacta parti impoſita non parum valent ad dolorem compeſcendum. Maximum etiam ſolatium illis adferre ſolet decoctum maluæ & althææ, ſi in eo inſideant, dum aluum exonerant, & poſtea podex foueatur oleo roſaceo tepente, cui bombax fuerit intinctus, vel lana ſuccida. Multi laudant oleum nucis indicæ cum ſeuo caprillo aut adipe anatis diſſolutum, potiſſimum vbi ſiccitas fæcum coniuncta eſt. Alij cataplaſma de bdellio cæteris præferunt: quod paratur ex capitibus porri ſub cineribus coctis cum ℥ j. bdellij in vino diſſoluti, farina ſeminis lini, butyro & oleo amygdalarum dulcium. Prout igitur hæmorrhoidum dolor à ſiccitate magis pendebit, vt in verrucalibus, emollientia & laxantia: à calore refrigerantia: ab humorum copiâ exſiccantia ſine mordacitate adhibeantur, qualia à Practicis vulgò traduntur.

Eadem prodeſſe poterunt rhagadibus, ſeu fiſſuris, & condylomatis ani, quæ aliàs ficus ſiue mariſcas appellant, tum ad dolorem compeſcendum, ſi vrgeat, tum ad illa curanda, ſi res ita expoſtulet. Atteruntur enim admotis corrodentibus iam à nobis dictis, & cicatrice obducuntur eis quæ exſiccare, & adſtringere valent ſine acrimonia. Si deterſio requiratur, lauentur ſero lactis vel hydromelite frequenter: Deinde adſtringantur decocto foliorum oliuæ, polypodij, & aluminis, in aquâ fabrorum facto: poſtmodum applicetur vnguentum de ceruſsâ, de plumbo, de tutiâ, & emplaſtrum diapompholygos, malaxatum cum oleo myrtino. Imo etiam lamina plumbi tenuior aquâ aluminosâ intincta ſupra locum illum geſtata de nocte potiſſimum, mirum eſt, quantum ſanandis rebellioribus cutis intrituris profit. Vbi autem fiſtulæ in hæmorrhoidibus aut ano genitæ iam ſunt calloſiores, vel profundius ad inteſtinum ipſum penetrant, melius eſt eas non attingere, quod ad curationem perfectam ſpectat, ſed paregoricis tantum remediis & palliantibus pugnare, ne inualeſcant magis & augeantur: reliquæ verò exſcinduntur, atteruntur, & carne implentur, quemadmodum fuſius in opere Chirurgico explicatur, qua de re conſule Guidon. tractatus quarti caput ſeptimum. Atque hæc de hæmorrhoidibus ſufficiant, reliquiſque affectibus ventriculi & inteſtinorum, quorum hiſtoriam & curationem proponendam habuimus. Vos verò (A. O.) hæc qualiacumque ſint ſummo labore noſtro concinnata æqui bonique conſulite.

Digitized by Google

IOANNIS VARANDÆI,
TRACTATVS THERAPEVTICVS,
DE MORBIS HEPATIS ET LIENIS.

PRÆFATIO.

Quâ Operis inſtitutum declaratur.

PERACTA eorum affectuum tractatione, qui partibus primæ concoctioni dicatis accidere ſolent: iam ex propoſitâ methodo ad ſecundæ coctionis vitia, quam αἱματοποιητικὴν vocant, aggredimur. Cùm autem ſanguificationi peragendæ conſtitutum ſit hepar, velut Princeps quidam regio perfungens munere, cui circumpoſitæ ventris inferioris partes, & tanquam ſuccenturiatæ, Lien, Meſaraïca vena, Cyſtis fellea, meatus cholidochi & melanadochi, Renes, Vreteres, ac Veſica ad deportandam materiam, eiúſque illuuiem depurandam expurgandámque ſubſeruiunt. Ideò nos Opus hoc in duas partes præcipuas ſecabimus, quarum primâ affectus iecoris, & lienis velut primarum ac nobiliorum partium, huic functioni dicatarum proponemus; ſub quibus venarum portæ, cyſtidos fellea, & meatuum dictorum malas diſpoſitiones complectemur, quoniam iſtarum affectus vix peculiarem ſui ſignificationem præbent Medico, & quod ad therapeiam ſpectat, nihil etiam aut parum ab aliis diſcrepans ſuadere ſiue indicare ſolent: In ſecundâ verò parte perſequemur errores viarum vreticarum, Renum ſcil. Vreterum, & Veſicæ, quibus ſeroſiora & diluti ſſima huiuſce coctionis excrementa continentur, & expurgantur: Quod in ſequentis magni Ordinarij penſum, cum bonâ Dei omnipotentis veniâ, remittimus. Iam igitur quod inſtat agamus, & analyſin prioris huiuſce tractatus perſequamur.

Duplex autem exiſtit ratio, vt aliàs docuimus, inueniendorum particularium iſtorum affectuum: Vna quidem, quam à priori vocare poſſis, ex diſtributione morbi in ſua genera, & horum ad infimas uſque ſpecies, quæ ſingulis partibus huic vel illi, pro variâ earum conditione & naturâ magis accidere poſſunt: Alia verò à poſteriori, ex eis quæ ſenſui obiiciuntur, & effectus ſunt cauſarum interiorum & magis occultarum, originem ducens: quando ſcilicet ex ſymptomatum morbos ſubſequentium accuratâ diſtinctione & annotatione in ſingulis partibus, ad eorum cauſas perueſtigandas curandaſque progredimur.

Placet vtrumque in propoſitâ nobis affectuum iecoris & lienis hiſtoriâ vſurpare. Cùm igitur duo hæc viſcera in vtroque hyponchondrio velut è regione poſita, propriam habeant ſuam ex variis particulis compoſitionem, & cum aliis connexum ac conſenſum: necnon peculiarem ſubſtantiam, temperiem, figuram, magnitudinem ac continuitatem, ex Anatomicâ deſcriptione notiſſimas, quorum concurſu & naturali conſtitutione, ſua munera & functiones ritè ac ſalubriter obeunt. Patet etiam vbi hæc violata fuerint, & à naturali ſtatu in morboſum tranſlata, funeſtiſſima ſymptomata actionis læſæ, qualitatum mutatarum, & excretorum conſequi, ob morbos ſimilares, organicos,

Digitized by

organicos,& communes,qui in illis exoriuntur. Sic in hepate vitio temperamenti præprij,ſeu totius ſubſtantiæ,vt loquitur Galenus,emergunt duo ſæuiſſimi, & variâ multorum aliorum ſyndrome comitati affectus, nempe Elephantiaſis & Lues Venerea,cui etiam Hepatitidem,meo quidem iudicio, accenſere poſſis: Vitio temperamenti communis in iecore & liene, fiunt intemperies calida, frigida, humida, ſicca; ſimplices aut combinatæ; humorales aut ſine materiâ. Conformationis autem ſeu organi ratione in vtroque etiam frequentiſſimæ obſtructiones ac tumores præter naturam,qui ſæpè in abſceſſum degenerant. Quemadmodum ab vlceribus & vulneribus,extrinſecâ vi vel intrinſecâ genitis,continuitas eorum ſoluitur,& morbi communes dicti exoriuntur. Ab his omnibus actiones duarum iſtarum partium variè & multifariam laduntur: quæ cùm intus conditæ ſint & lateant, duobus tamen ſe alijs ſymptomatis manifeſtiſſimè produnt,nempe qualitatibus mutatis, vt totius corporis cachexiâ, ac colore fædo, quem Ictterum flauum & nigrum vocant: item excretis ſeu materiâ excernendâ, quæ ſi extra corpus profluat, dyſenterias illas hepaticas cruentas, ſanioſas, & putridas profert: ſin intus maneat, hydropas accerſere ſolet, leucophlegmatiam, aſcitem, & tympanitem.

Hæc eſt igitur enumeratio & cenſus morborum ac ſymptomatum,quæ iecori & lieni frequentiſſimè accidunt,conſentientibus aliquando,vt dicebamus,propinquiſſimis & famulantibus membris: ex quorum perluſtratione,licet nunc vtiliter tractatum hunc noſtrum in decem capita ſiue tractatus diſtinguere; In quorum primo agemus de Elephantiaſi,ſecundo de lue Venereâ,tertio de Hepatitide ſeu iecoris ἀλοίᾳ & imbecillitate, quam fluxus illi commemorati conſequuntur; quarto de illius inflammatione, abſceſſu, & vlcere, quinto de eiuſdem obſtructione ac ſcirrho, ſexto de cachexiâ, atrophiâ, & fædis virginum coloribus, ſeptimo de Ictero flauo & nigro, octauo de Hydrope & eius ſpeciebus, nono de lienis inflammatione & abſceſſu, decimo de eiuſdem obſtructione ac ſcirrho. His enim pertractatis,nihil deeſſe poterit, quod ad perfectam harum partium & illis accidentium affectuum therapeiam attinet, vt in ipſo operis progreſſu omnibus notiſſimum euadet.

Quanta verò ex his affectibus conuenienti methodo ac nobis iam conſuetâ pertractatu vtilitas emergere poſſit,ſatis oſtendit diuinus ille Senex,qui vbique Medicum de contrectandis hypochondriis in quocunque morbo tam diligenter admonet. Hic enim eſt focus & veluti minera omnium ferè morborum tam acutorum quàm diuturnorum: Vnde apud Hippocr. hypochondria μαλάκωσις, ὑπηρμένα, σκληρὰ, σκληρὰ, ἀπώδυνα, χρυσώτεις, καλεχημασμένα, ἀυχμώδεα, διαβορβορίζοντα, ἐπεστραμμένα, elata, inflata cum dolore, obliqua ſeu inæqualia, dura, diu affecta, & ex longis interuallis intumeſcentia, valde reſiccata & ſqualida, æſtuantia, obmurmurantia, intrò reuulſa & contracta, mali ſemper ſunt ominis, & non niſi calamitoſa ægris eſſe poſſunt. Vide prognoſt. & Coac. *Contrà verò ὠμαλὰ, æqualia, μαλθακὰ, λαπαρὰ & ὑπολαπαρὰ, mollia & bene tractabilia, ἀνώδυνα, indolentia, & bene conſtituta, ſecuritatem maximam in quibuſuis morbis pollicentur. Nos verò ad primum tractationis noſtræ caput accedamus.*

DE MORBIS HEPATIS ET LIENIS.

CAPVT PRIMVM.

De Elephantiaſi.

PRIVSQVAM aggrediamur ad tractationem grauiſſimorum duorum, & hac noſtrâ ætate ac regione vſitatiſſimorum affectuum, Elephantiaſeos videlicet, & luis Venereæ : operæpretium eſſe videtur aliquot morborum prædicationes ſiue appellationes explicare,quæ frequenter nobis inter diſputandum occurrent, ne in eis declarandis aut intelligendis deinceps laboremus.

Sciendum itaque morbos,præter ſpecificas illas differentias , quibus genera ſua in ſubiectas & infimas vſque ſpecies diuiduntur , habere etiam alias ex variis rebus petitas , quarum cognitio tum ad morborum naturam percipiendam , tum ad prognoſim & curationem faciunt : Hæ verò differentiæ ſeu denominationes referri poſſunt ad certa quædam capita,vtpote eſſentiam ipſam morborum, cauſas, effectus,tempus,& locum generationis, durationis, & terminationis illorum : pro vario reſpectu quem habent ad vnum vel plura iſtorum.

Itaque ab eſſentiâ ipsâ , ſeu eis quæ propriè illi accidunt , cùm ea ſit vnica vel plures , mixta vel ſincera , Intenſa vel remiſſa , dicitur morbus ſimplex & compoſitus, legitimus & nothus , magnus & paruus. Quod ad ſimplicem ergo ſpectat , is eſt propriè , in quo ſimplex & vnica eſt diſpoſitio , ex ſimplici cauſâ & vnicam vim habente excitata : qualis eſt intemperies exceſſu vnius qualitatis facta , vel morbus numeri , & ſimiles , quando ſolitarij exiſtunt : Compoſitus ergo erit , qui cum vno vel pluribus morbis coniungitur , ſiue ſint eiuſdem generis ſeu diuerſi , ſiue ſint confuſi , impliciti , aut connexi , vt fuſiùs in Pathologia declaratur. Legitimus autem , ſincerus & ἀκρᾶτος is appellatur , qui in ſuo genere vel ſpecie naturam ſuam maximè retinet , cauſamque habet , à quâ talis producitur , ingenuam maximè & puram , vtpote quando tertiana ſit à purâ bile flauâ ; quartana à melancholico ſucco , & ſic de reliquis. Cui opponitur nothus ſeu ſpurius , quaſi dicas impuram habens originem , & à variâ cauſarum permixtione productum , vt quando tertiana,cuius vera natura eſt vt ab humore bilioſo fiat , exoritur quidem ab humore illo , ſed pituitæ vel alteri commixto : vnde ipſius indoles deprauatur , & alienos veluti typos acquirit. Denique quod ad magnum & paruum attinet , quamuis eum Galenus triplici modo conſideret , reſpectu ſcilicet partis affectæ , eſſentiæ propriæ ſeu cauſarum , & ſymptomatum concomitantium , pro quorum præſtantiâ aut vilitate , intenſione aut remiſſione , morbos magnos paruoſque appellat. Nos tamen hîc morbum magnum dicimus , non tantùm , qui ſupra vires noſtras longè fuerit , ſed potiùs propriâ eſſentiâ magnum. Vt enim hominem vel equum magnum in genere ſuo dicimus ; ſic morbum,quicunque plurimùm à mediocritate naturali recedit : paruum contrà , qui parum admodum ab eâ diſtat , & eſſentiæ ſuæ exiguum ſuſcepit incrementum.

A cauſis verò efficientibus morbos, quoniam illæ vel nudæ ſunt & ſimplices qualitates abſque vllo humore , vel humori coniunctæ , duæ potiſſimùm exurgunt appellationes , quando eos dicimus eſſe materiales , vel immateriales : Materiales quidem ab humore vario , bilioſo videlicet, pituitoſo,ſanguineo,melancholico, ſimplici vel mixto, ſincero vel ichoribus ſuis diluto, putrido vel ſine putredine: Aut etiam à vapore, qui ex certâ quadam iſtorum humorum minerâ excitatur, vel ex totâ maſsâ ſanguinariâ , & in vnam vel plures partes defertur , habetque vel ſimplicem & manifeſtam qualitatem iunctam,vt calidam, frigidam, & ſimiles ; aut occultam magis & deleteriam , vt in epilepſiâ , ſuffocatione vterinâ , & ſimilibus, quæ conſtituit morbos illos malignos & κακοήθεις , de quibus particularius agemus infrà. Immateriales verò dicuntur morbi , qui neque humorem , neque vaporem

agnoſcunt

agnoſcant pro causâ efficiente ; ſed ſolam qualitatem, quæ actiones labefactare poſſit, ſiue ſit inter primas, vel ſecundas, & alias.

A causâ autem materiali, ſiue ſubiecto in quo morbus reſidet, plures ducuntur illius denominationes : ratione enim ipſius corporis & indiuiduorum dicitur, proportionalis & improportionalis : proportionalis quidem reſpicit naturam ipſius corporis, aut partis cui inhæret. Si enim cum illâ conſentiat, proportionalis dicitur, vt cùm bilioſus tertianâ febre, cerebrum intemperie frigidâ laborat : contrà improportionalis ſi diſcrepet, vt quando bilioſus quotidianâ febre, cerebrum calidâ intemperie tenetur : Vniuerſalis & particularis : Externus & internus : Senilis, puerilis, muliebris, Telephius, Chironius, à præſtantioribus quibuſdam vel notioribus viris, qui illis laborarunt : Vniuerſalis autem & particularis præcipua ſignificatio eſt, (*aliquando enim vniuerſalis denotat epidemios & endemios: particularis ſporadicos ſeu vni contingentes*,) vt ille totius ſit corporis affectus, vel quia qualitas toti communicatur, vt in febre vel ſymptomata ; vt in apoplexiâ, ob læſos interiores corporis fontes, à quibus aliqua facultas & materia in totum corpus deriuatur : Hic verò vnam tantùm partem vel duas occupat, vt phlegmone digiti, & calculus renum, & ſimiles, abſque diffuſione ſeu expanſione qualitatis ſuæ in reliquum corpus. Quòd ſi corporis extimas & viſui noſtro obuias partes occuper, externus dicitur morbus, de quo viſus cum aliis ſenſibus ſimul locum & affectus ſpeciem agnoſcit: Si autem conditus in interioribus lateat, ita vt diſcurſu potiùs quàm ſenſu illius ſedes & natura deprehendatur, internus vocatur. Prout verò huic vel illi ætati, ſexui, & ſimilibus magis accidit, reliquas ſortitur appellationes, ab Hippocr. 3. *Aphor. & lib. de aëre, aquis, &c.* diligenter annotatas.

A vario autem graſſandi modo in ſubiecta, dicitur morbus epidemius, πάνδημος & popularis ; endemius, ſeu vernaculus & gentilitius ; & ſporadicus ſeu diſperſus. Quando enim morbi alicuius ſpecies à causâ quadam communi & valde generali genita, videlicet aëre aut diætâ vniformiter in omnes omnium hominum, & quaſlibet ætates, ſexus, & conditiones graſſatur, & magnam ægrorum multitudinem concitat, per inſignem aliquam orbis plagam, velut ſagitta, percurrens : tunc epidemij morbi exoriuntur, quorum qui perniciosiſſimi ſunt ; multoſque occidunt, peſtilentes vocantur, de quibus adhuc infrà agemus. Endemij verò quamuis ſint communes & eiuſdem ſpeciei, non tamen ita vniuerſales ac epidemij, ſed potiùs eandem regionem vel locum perpetuò obſident (*notu illud* perpetuò, *quia epidemij ſunt tranſeuntes, & per aliquod tantùm tempus ſauientes*,) ob aërem ἐπιχώριον, patrium, aquas, fruges, mores ; & ſimilia illi vernacula & aſſueta, aut etiam prauum quendam aſpectum ſuperiorum conſtellationum, quibus locus ille ad eum morbum idoneus efficitur. Sporadici contrà ſeu diſperſi hoc habent proprium, vt neque eandem habeant ſpeciem, neque communem cauſam : Vnde fit vt hic pleuritide ſanguineâ, ille hæmorrhoidibus atrabilariis, hic vomitu bilioſo, ille infarctu pituitæ laboret ſimul & eodem tempore pro varietate cauſarum particularium, quæ in indiuiduis diuerſimodè excitantur.

A varietate inhærendi ſubiecto, petuntur etiam differentiæ. Cùm enim morbus per mutationem natiuæ conſtitutionis acquiratur, fit vt aliquando ſit in ipſo mutari tantùm, vt loquuntur Philoſophi, vnde fiens dicitur γίγνεσθαι, ſeu in diſpoſitione poſitus, qui leuiſſima etiam quæque pathemata & præuias alterationes amplectitur : Vbi verò eſt in mutato eſſe, factus, habitualis ſiue hecticus appellatur : Alij verò partim fientes, partim facti dicuntur, quicunque cùm habeant ſuam διαφορὰν & eſſentiam, augentur tamen adhuc fouenturque à causâ ſuâ præſente, vt omnes febres. Quod ſi illa diſpoſitio, neque æqualiter omnibus corporis partibus eſt inſita, ſed huic magis (*vt in putridâ, in quâ humores magis ſunt incenſi, quàm partes ſolidæ*) illi minùs, neque parti alicui in eodem gradu, vel quando à contrariis diſpoſitionibus exercetur corpus ſimul, vt in lipyriâ ; aut ſucceſſiuè, vt in paroxyſmis tertianæ ; vel partes variæ aduerſis occupantur qualitatibus, vtpote hepar calidâ, ventriculus frigidâ ; aut idem affectus modò minuitur, modò augetur. hæ omnes differentiæ faciunt appellationem inæqualis morbi apud Galenum, cui opponitur æqualis. Atque hæ referri etiam poſſunt ad motum morbi, de quo poſtea agemus.

A fine verò ſeu exitu morborum, qui etiam ad effectum reduci poterat, dicitur morbus ſalutaris, dubius ſeu periculoſus, & lethalis ſeu pernicioſus, cui incurabilis ἀνίατος coniungitur. Cùm enim victoria morbi aut naturæ, ex va-

riis illorum viribus & contentione pendeat, concurrente Medici auxilio: contingit morbos aliquos ita faciles esse ex suâ naturâ, vt vel sponte, vel leuissimo auxilio, bonis ægri & fauſtis rebus soluantur, nunquam saltem ad internecionem desinant, nisi aliquid aliùd acciderit, vt ephemera, tertiana, phlegmone externarum partium, & similes. Alij contrà tantâ atrocitate vim corporis nostri moderatricem aggrediuntur, vt plane de eâ triumphent, & mortem plurimùm ægris inferant; quales sunt apoplexia, ileos, cholera morbus, & similes: Aut si lethum non inducant, ita tamen sunt pertinaces & obstinati, vt nunquam aut naturæ aut Medico opem ferenti cedant, sed incurabiles existant, vt raucedines in senibus, calculosa dispositio renum, podagra, elephantiasis, & similes. Inter hos medij sunt dubij seu periculosi, qui neque spem salutis omnino auferunt, neque adferunt, sed ancipitem exitum præstare solent, vt sunt omnes febres continuæ & acuti morbi, de quibus verè dixit Hippocrates *Aphor. 19. sect. 2.* non omnino certas esse illorum prædictiones, neque salutis, neque mortis.

Vt autem ab essentiâ & causis morborum variæ ducuntur appellationes; sic etiam ab effectis, quæ nos ad duo potissimùm reducemus, morem scilicet morbi, & motum. Quod ad morem spectat, duæ præcipuæ differentiæ ab eo exoriuntur, quo scilicet morbus dicitur ἠνθὸς seu benignus & mitis; vel κακοήθης, malignus & ferus. Quemadmodum ergo benignus is appellatur, qui minùs quàm pro naturâ suâ & specie sæuit, vt quando febris continua, vel pleuritis, vel angina, & similes, minimis comitatæ sunt symptomatis: sic malignus is erit existimandus, qui vel præter naturam suam & speciem sæuit, vt quando febris tertiana lethalis euadit, vlcus fit δυσηκουλωτὸν, & similes; vel ex propriâ essentia ac causarum suarum conditione ferus & immanis existit: cui subiiciuntur tres vulgatissimæ morborum differentiæ, pestilens scilicet, contagiosus, & venenatus, propter malitiam & prauitatem quam solent habere coniunctam. Venenatus quidem is est, qui ob sumpti, admoti, aut intus geniti veneni ex teterrimis humoribus aduersam habet omnino vitæ qualitatem & deleteriam, quam sequitur plurimùm perditio & interitus. Pestilens autem præter deleteriam illam qualitatem & internecinam, habet etiam proprium illud quod communiter vagatur, vt suprà dicebamus, & vicinos per contagium inficit. Ideoque contagiosi morbi sub quo plures continentur, natura breuiter explicanda, tum quòd difficilis & ambigua, tum quòd huic nostræ tractationi peculiarius competit.

Morbos itaque esse, qui non solùm individua affligunt, quibus inhærent, sed etiam qui alios inficiant, certo certius est, & experientiâ eorum compertum, quicunque non solùm pestilentes status, elephantiasin, luem veneream, & similes, contemplati sunt; sed etiam scabiem, ophthalmiam, catarrhos, phthisin, asthmata, strumas, & similes morbos; quorum alij contagium suum communicant contactu solo, vt rabies canina; alij præter contactum etiam fomite, quem in vestibus, linteolis, & similibus rebus foraminulentis & raris relinquunt; alij præter contactum & fomitem, etiam ad distans eiaculantur illam labem, quæ in aliis corporibus simile vitium producit, vt pestilentes febres. Quomodo verò hoc contingat, vt morborum alij vicinos inficiant, alij verò non, difficile est statuere. Si enim contagio, vt multi arbitrantur, sequatur vim & violentiam morbi, sequeretur morbos, qui sunt vehementiores, eò magis esse debere contagiosos, cùm tamen contrarium appareat in apoplexiâ, tetano, anginâ, & reliquis; contrà placidos mitioresque morbos esse contagiosos, vt scabiem, lichenas, & similes; sæpè in ipsâ peste remissa est febris, pulsus constans, vrina bona, vt scribit Auicennas. Sin verò, quod alij putant, contagio esset effectus magnæ inflammationis, sequeretur ardentiores morbos magis esse contagiosos, cùm tamen sæpè ardentes febres, causus simplex, & synochus, nullum habeant contagij periculum. Dicamus itaque, quatuor potissimùm conditiones requiri, vt morbus aliquis contagiosus existat. Primò, putredinem. Secundò, lentorem humoris. Tertiò, vt illa putredo sit in totâ mixtione seu substantiâ, quam vocamus qualitatem malignam. Quartò, vt locus in quo resident seminaria, sit exhalationi accommodus. Requiri autem ad contagium putredinem, ita confirmatur: (*Quemadmodum videmus ex putredine in terra scarabæos, serpentes, &c. in hominibus vermes & pediculos generari: sic ex vulgari istâ putredine in aere, vel corporibus morbosis generatur in succis istis aut substantiâ partium, mixtum illud quod μίασμα seu inquinamentum dicitur, qualitate venenatâ præditum, & habens affinitatem ad certam partem, vt in phthisi ad pulmones, in ophthalmiâ ad oculos, &c.*) fomes ille seu

corpusculum

corpuſculum & μίαζμα per quod infectio defertur, non exurgit ab humore quieto, ſed agitato,quemadmodum patet in rebus externis,quò enim magis mouentur ſordes,eò magis exhalant & fœtent.Agitatur ergo vel à calore innato,vel extraneo:Ab innato reduceretur potiùs ad temperiem aut concoctionem, quàm ad malignam illam qualitatem: ab extraneo verò, cùm is ſit duplex, comburens & putrefaciens; comburens diſſipat & conſumit fomitem magis quàm eleuat aut tranſmittit: fiet ergo potiùs à putrido, qui magis diſſoluit quàm conſumit, facitque expirationem maximã. Verùm dicet aliquis,contagium ſæpè citra febrem apparet;ac proinde citra putredinẽ;cùm putredo eam incendat,vt videre eſt in catarrho,aſthmate,ophthalmiâ,ſcabie,& ſimilibus contagioſis ſine febre:Reſpondemus,non eſſe neceſſariũ, vt omnis putredo febrẽ accendat,niſi ſit valida,& quæ recta per vaporem cor poſſit impetere:in iis ergo cùm putredo vel ſit adhuc in parte tantùm humoris,vel exhalet ad exteriora (*Vnde puſtulæ,ſanies,virulenta vlcera,& ſimilia erumpunt*)non ad ipſum cor,ſit vt febris nulla,aut leuior ſaltẽ ſubſequatur.Ita contingit in rabie caninâ aliquãdo ſeminariũ morbi per menſem,imò quod Gal.ſcripſit,per annum latitare,donec putredinis initia conceperit. Eſt itaque omnis contagio cum putredine:& quemadmodũ omni contagio iungitur aliqua putredo,ita omni putredini aliqua contagio:hinc putridæ febres vbi vnum aut alterũ in domo aliquâ inuaſerint,reliquis ferè communicantur,nec tutum eſt cum eis verſari:potiſſimùm ſi huic putredini ſequnda cõditio acceſſerit,lẽtor videlicet humoris putrefacti,qui reniti poſſit calori diſſipanti, & aëris qualitatibus,necnon exquiſitè miſceri, ac adhæreſcere corpori vel parti inficiendæ: defectu enim huius conditionis plerumque febres ardentiſſimæ non ſunt contagioſæ,quia humorem habent acrem & minimè lentum,facilè diſſipabilem vel combuſtibilem.Putredo autem iſta ſeu corruptio ad contagium neceſſaria,non tam poſita eſt in manifeſtâ quadam temperamẽti immutatione,quàm totius mixtionis & propriæ ſubſtantiæ corruptela,ad quam ſequitur infectio illa,quæ habet analogiam cum his vel illis partibus potiùs quàm aliis: Vnde ſcabioſi contagio non oculos, ſed cutem; ophthalmici non cutem, ſed oculos inficit. Denique non ſolùm prædicta ad contagium ſunt neceſſaria, ſed etiam locus ſiue pars, in quâ corruptio contagioſa exiſtit, debet eſſe exhalationi ad exteriora accommodata: Quomodo enim in vicina corpora transferetur, niſi illa corpuſcula quæ debent in fomitẽ tranſmitti, vel ad diſtans concitari,habeant exitum per externos canales,vt per ſordes illas cutaneas,exhalationem totius corporis,aut expirationem oris,narium,pulmonis,& ſimilium partium? Atque hæc de contagioſi morbi naturâ & cauſis ſufficiant.

Dicebamus ab effectis morborũ, duo præcipuè pendere,morẽ ſcilicet,de quo iam egimus;& motum.Quod ad motũ itaque attinet morbo proprium, multæ ex eo appellationes deriuãtur,& Medicis vſitatiſſimæ.Dicitur enim hac de causâ morbus aliquando vehemens,velox,acutus,grauis:aliàs languidus,tardus,obtuſus,leuis.Dicitur etiã continuus & intermittẽs,ordinatus& inordinatus,improportionalis,inęqualis,& ſimilia à motus varietate petita.Acutus itaque, qui vehementiã ſimul cũ velocitate & grauitate ſeu periculo cõtinet,differt à magno,quia nõ omnes magni morbi breues ſunt,aut ſua celeriter percurrunt tẽpora;ſed plerique tardi & longi,quorũ ſcilicet γένεσις ex paulatinâ & diuturnâ pendet temperamenti innati & partium principum immutatione, vt epilepſia,arthritis,lues venerea,elephantiaſis, & ſimiles,quos fouet perennis & pertinax cauſarum efficientium conſtantia:vnde non niſi annorum numero,& ipſius aliquando vitæ priuatione ac ſubiecti interitu delentur.Differt etiam à breui,quia non omnes breues celeritatem habent aut vehementiam coniunctam, ſed plerique eorum & citò terminantur, & citra periculum, vt ephemera febris, cephalalgia,& ſimiles.Acutus ergo morbus eſt,ſiquis coniungat naturam magni & breuis cum velocitate,ob quam motus celeritatem, cui continuitas. *Vide Argent.*42.

Diximus,omni morbo acuto & ſemper proprium eſſe,vt ſit continuus in ſuo motu & oppugnatione naturæ:non tamen ſoli,quia poſſunt morbi tum longi, tum mites,habere continuitatem & ſimilem affligendi modum,donec deſinant;vt patet de ephemerâ ſimplici & extensâ,necnon aliis multis.Hæc autem continuitas ſiue perpetuitas agendi, vel ſemper ſibi ſimilis eſt & æqualis, donec deſinat;vel accreſcit in dies,vel decreſcit:Vnde continui in homotonos, acmaſticos, & paracmaſticos diuiduntur.Quibus opponũtur intermittentes & remittentes:illi dilucida habent interualla inter ſuos paroxyſmos,vt nullum appareat ferè morbi veſtigium,quemadmodũ in arthritide, febribus multis in ἀνωμαλίαις deſinentibus, colico affectu, & aliis:hi habent ſolam imminutionem diſpoſitionis ſuæ, quæ deinde ingraueſcit: idque vt

intermittentibus certâ & ordinatâ periodo, vel incertâ & inordinatâ : vnde morbi constantes & inconstantes ; stabiles vel erratici appellantur. Quibus annectendi sunt morbi redeuntes seu recidiuam facientes, siue sint similes cum superiore radice, siue dissimiles : ita enim ἐπιστροφὰς καὶ ἐπανερχόμενα νοσήματα dicuntur Galeno, quæ dum penitus extincta putabantur, aut saltem minima eorum symptomata apparebant, ad declinationem perfectam desinentia, quasi postliminiò reuertuntur, & ægrum inuadunt, propter relictam in visceribus materiam aut intemperiem, vel prauum illius victum. Atque hæc de effectis.

Cùm verò causæ non producant suos effectus, nisi sub quadam ratione temporis & loci in quo fiunt : ideò multæ etiam ducuntur hinc morborum differentiæ seu appellationes. Dicitur enim morbus ratione temporis seu ordinis generationis, durationis, & solutionis, primarius & secundarius, ad quos referuntur idiopathicus, protopathicus, sympathicus, & δευτεροπathicus. Dicitur hæreditarius, congenitus, innatus, & connutritus, vel aduentitius ; recens vel inueteratus ; sensim factus vel confertim ; sensim desinens vel confertim ; breuis vel longus ; æstiuus, hyemalis, &c.

Quod ad primarium enim & secundarium spectat, illi sic dicuntur ratione causarum & morborum, qui huic vel illi parti priùs vel posteriùs insident : cruditas enim ventriculi, vapores excitat, qui dolorem in cerebro per συμπάθειαν mouent, cùm illa propriè & ἰδιοπαθικῶς ventriculo inhæreat : tamdiuque verè sympathicus dicetur morbus, quamdiu à primario ita fouetur, vt illo sublato, alter etiam statim cesset. Vbi verò ex diuturnitate actionis per μετάστασιν materiæ, vel qualitatis ἐπιγένεσιν morbus sympathicus ita partem occupauit, vt iam per se subsistere possit, primario etiamnum remoto, tunc δευτεροπathικὸς siue secundarius propriè appellatur, cui πρωτοπathικὸς opponitur. Atque hæc morborum sympathia, ob maximum totius corporis consensum & confluxum, præcipuè verò inter partes vicinas, aut generis vel operis societate iunctas, per materiæ alicuius aut qualitatis communicationem, vel materiæ aut facultatis priuationem, quod exemplorum appositione multò euadit illustrius in Pathologiâ. Sed hæc in præsentiâ nobis sufficiant, vt ad morbos hæreditarios, congenitos, innatos, connutritos, & aduentitios veniamus : Quæ omnes differentiæ respectu nostri ortus & principiorum generationis ductæ fuerunt. Quicunque enim morbi sequuntur labem à semine parentum, qui eodem vel non longè absimili affectu laborarunt, profectam, propriè hæreditarij dicuntur, quia per successionem quandam & ius hæreditarium cum bonis prædecessorum in progeniem deriuantur. Hoc latiùs patent congenitus seu innatus, σύγγενὴς, & connutritus, συντρόφος. Quæcunque enim dispositiones præter naturam vel in ipso vtero, ob varias causas, vel statim dum exoritur ab vtero infans, eum occupant, illæ innatæ seu congenitæ censentur. Quæ verò non quidem statim ab vtero, sed intra pueritiam emergunt, hominemque per alias ætates comitantur, connutritæ dici debent, ex sententiâ Hippocratis. (*Vide Duret. in Coac.* 434.) His opponitur aduentitius, qui quomodocunque per alias ætates & varias causas accedit receditque, extra omnem suspicionem vitij seminalis aut generationis.

Vt autem paulò latiùs de naturâ & causis hæreditarij morbi differamus : sciendum est, triplicem esse parentum ad liberos similitudinem, ex Galeno *libro de semine*. Prima, quæ est speciei, quando videlicet homo hominem, equus equum generat, quæ pendet ex specificâ facultatis formatricis & semini inditâ varietate. Secunda similitudo posita est in sexu, cuius diuersitas pendere potest ex vtriusque seminis, menstrui, & vteri calidioris, aut frigidioris, humidioris aut siccioris temperamento : vnde Hippocrates ab vtroque parente modò masculum, modò fœmineum semen profundi existimauit : & Galenus post menstruas purgationes, mares, ante illas, id est, circa earum periodon & reditum, fœminas. Tertia similitudo est in accidentibus variis, siue mores animi spectes, siue corporis constitutiones, in figurâ, compositione, temperamento, & similibus, siue bonis siue malis. Cùm enim semen, iuxta probatissimam Medicorum sententiam, ex præcipuis & quasi singulis animantis partibus profluat, è sanis quidem sanum, è morbidis morbidum, vt loquitur Hippocrates *libro de genitura*, si non materialiter, saltem virtualiter, vt loquuntur, & cum spiritu deferente secum ideam & exemplar illarum partium, fit

vt

vt illa vis πλαστικὴ, hoc ſpiritu tanquam præcipuo artifice vtens, archetypi ſpeciem ſubiecto ſuo imprimat, & pro materiæ ipſius conditione partes ipſius embryonis conformet. Duo itaque requiruntur in hac accidentali ſimilitudine, vt transferri poſſit in prolem, nempe vt vel corpori ipſi inhæreat, vel facultati ipſius animæ, quæ generatrici ſit proxima: Præterea vt accidentia illa imprimenda futuræ proli, ſint facta & quaſi in habitu in ipſis parentibus, nec pugnent adhuc cum natiuo membrorum temperamento. Hinc fit vt affectus ſuperioris animæ & principis, nimirum ſcientiæ, artes, & ſimilia, non tranſeant in liberos per traducem, quia nihil habent commune cum generante facultate, ſed ab eâ plurimùm abſunt: mores tamen, virtutes & vitia, quando potiùs ſequuntur ipſam organi diſpoſitionem, quàm acquiſitionem & diſciplinam, tranſeunt in liberos: iracundi enim vel iracundæ, proles iracunda, timidi timida vt plurimùm euadit. Hinc etiam fit vt affectus illi, diſpoſitiones ſeu accidentia, quæ nondum in habitum tranſiuerunt, ſed habent repugnantiam in membris, vt febres putridæ, dolores, inflammationes partium, & ſimiles, vix tranſeant in liberos, quod ad actum ipſum ſpectat, quamuis diſpoſitionem quandam poſſint habere ad illos faciliùs recipiendos. Facta verò & in habitum conuerſa plurimùm transferuntur in liberos, quoniam illa, vt diximus, immutant conditionem ſeminalis materiæ, niſi permiſtione alterius genituræ aut menſtrui temperentur. Elephanticus itaque confirmatus, nephriticus, podagricus, & ſimiles, prolem elephanticam, nephriticam, podagricam producunt in ipſo actu, vel certè aptitudine ad hunc morbum, quæ tunc exoritur, quando minimarum cauſarum concurſus aderit ad illum ſuſcitandum, vel ætatis exortus in quo faciliùs producitur, aut in quâ parentes laborare cœperunt. Eadem de cauſâ conformatio ſeu figura corporis, illius pulchritudo vel deformitas in prolem transfertur, quoniam ſunt qualitates fixæ & ſtabiles, ex quarum veluti ideâ & congenitâ ſpecie vis conformatrix liberorum ſpeciem concinnat, niſi ab imaginationis perturbationibus, alterius ſeminis reſiſtentiâ, aut materiæ ineptitudine impediatur. (Ob quarum varietatem minor eſt in humanâ ſpecie ad parentes ſimilitudo, quàm in brutis aut plantis.) Atque hæc pauca de morbo hæreditario, reliqua nunc percurramus.

Morbus ergo recens is dicitur, qui de nouo factus, & paruam in corpore aliquo temporis moram traxit: cui opponitur inueteratus, paulo minùs patens quàm connutritus, qui ætates debet percurrere, vt talem appellationem mereatur. Breuis autem is dicetur, qui vel ex ſuâ naturâ, vel artis beneficio expugnatus parum durat, ſiue habeat iunctam vehementiam, ſiue illâ careat. Cui opponitur longus & chronicus, ex cuius conſtitutione propriâ, durationis termini productiores & diuturni eſſe ſolent. Et quidem Hippocrati eiuſmodi morbi chronici, non tam dierum quàm menſium aut annorum numero computantur & ſoluuntur. Sic epilepſia puerilis per calidioris ætatis ἴκλαμψιν, circa vigeſimum quintum annum euaneſcere debet: ſic morbi qui hyeme fiunt, in contrariâ conſtitutione, nempe æſtate ſoluuntur plerumque, vel proximâ, vel quæ reſpondeat computationi menſium per quaternarios aut ſeptenarios, (vt dierum & ſeptimanarum ſolet in breuibus.) Longi itaque morbi, cùm cauſam ſuam habeant pertinacem magis & craſſam, naturam autem parum inſurgentem aduerſus eam, plerumque ſenſim fiunt, & ſenſim ſoluuntur per λύσιν, id eſt, paulatinam ſolutionem, aut decubitum humoris in extimas partes, aut illius reſolutionem per particulas factam: contrà breues, quia cauſam ſuam habent facilè ſolubilem in ſpiritu, aut vapore quodam tenui poſitam, citò fiunt & terminantur, vel ſuâ ſponte reſolutâ causâ, vel impetu naturæ concoquentis primùm, deinde magno conatu & confertim expellentis per criſim, quæ eſt ſubita & perfecta mutatio ad ſalutem. Hæc autem omnia cùm per certas anni tempeſtates fiant, inde morbi æſtiui, hyemales, &c. dicuntur; vel qui eo tempore gignuntur, vel qui temperiem & naturam habent illis reſpondentem: Hinc Hippocrati quartanæ æſtiuæ dicuntur, quæ eo tempore gignuntur: & autumnales morbi, quicunque ſuâ inconſtantiâ & inæqualitate autumni ſtatum imitantur.

ELEPHANTIASIS APPELLATIONES. Elephantiaſis ex eorum eſt

Digitized by Google

genere morborum, quos Galenus 2. *method.* docuit à rerum externarum ſimilitudine nomen ſuum & appellationem deſumere : quemadmodum enim cancer, polypus, ſtaphyloma, & alij dicti fuerunt ob figuram & accidentia pleraque, quibus eiuſmodi res primo intuitu repræſentant : Sic elephantiaſis, ait Aretæus author antiquiſſimus, animalis eius quem elephantem vocant, colorem tenebricoſum, rugarum aſperitatem, fœdam lanuginem, horribilem aſpectum & craſſitiem quodammodo æmulatur. Eodem modo leontiaſis appellata fuit, ob quandam & ſimilem frontis rugarum, epiſcynij, & ſuperciliorum conſtitutionem cum leonibus. Vt & ſatyriaſis, propter faciei deprauationem, depictis ſatyris reſpondentem, necnon promptam ac inexplebilem coëundi libidinem quâ elephantici tenentur, priuſquam extremè laborent, ob flatuum acrioriſque ſeri copiam quæ in eis redundare ſolet, & perpetuam ferè tentiginem inducere. Alij malunt hæc vocabula impoſita fuiſſe, non quidem à ſimilitudine cum illis rebus externis, ſed à magnitudine & vehementiâ affectus, quam veteres grandiorum ferarum nominibus exprimere voluerunt, quod Græcis vſitatiſſimum eſſe conſtat, qui dictionis alicuius ſignificatum augere ſolebant addito βῦ, vt βύπαις, βυλιμία, aut ἵππο, vt ἱππο-ζύγιον, bouis videlicet & equi additione : Sic Herculeus aliquando dictus eſt hic morbus, quia ἀθανατὸν κακὸν ἐστὶ, καὶ μαχητὸν, inſuperabilis eſt grandioris monſtri inſtar, quod non niſi à ſummo quodam Hercule perdomari poteſt.

Quicquid ſit, parum de causâ impoſiti nominis eſt laborandum, dummodò conſtet quæ res eo ſignificetur. (*Vulgus enim nomina : potentes iura : ſapientes diſciplinas conſtituunt.*) Significat autem elephantiaſis morbum eum quem Arabes, Latini, & vulgus ferè omnium gentium, lepram & leproſam conſtitutionem dixerunt ; à leprâ Græcorum valde diuerſam, quæ cutis tantùm eſt infectio ſordida, parum à pſorâ diſcrepans, quæ tum præcedere, tum ſubſequi poteſt elephantiaſin, ex ſententiâ Galeni. Notandum etiam propoſitum nobis affectum differre ab eo qui elephantia, ſeu elephas crurum vocatur, in quo pedes tantùm & tibiæ, ob varicum vel carnis rudioris copiam in deformem magnitudinem ingroſſantur. Denique propoſita elephantiaſis eſt morbus Sancti Lazari vocatus, ſub cuius tutelâ ægri illi poſiti putantur, quos in xenodochiis longè ab vrbium ambitu remotis degere, & ligneis crepitaculis ſtipem mendicare videmus. Nunc igitur ad rem cognoſcendam accedamus.

Qvid sit Elephantiasis. Plerique Medicinæ ſcriptores dum eſſentiam elephantiaſeos perquirunt, definitiones varias propoſuerunt, quibus illius naturam, proprium ſcilicet affectum, affectus ſpeciem & cauſas non ſatis expreſſiſſe videntur. Alij enim definiunt per ſymptoma remotiſſimum, dum dicunt eſſe, errorem maximum virtutis aſſimilatiuæ, ob quem forma corrumpitur in toto. Alij per ſimilitudinem cum alio morbo, dum appellant cancrum totius corporis. Quidam exteriora potiùs & morborum conſequentium ſyndromen ſpectantes, deſcripſerunt per faciem horrendam, cutis tuberoſitatem, extremorum inſenſibilitatem, & ſimiles affectus concomitantes ſiue ſuccedaneos. Peritiores verò dixerunt eſſe morbum ſimilarem, corrumpentem figuram, formam, & compoſitionem membrorum, ac finaliter continui ſolutiones excitantem, ob materiam melancholicam ſparſam ad totum corpus. Nondum tamen attigerunt veram rei eſſentiam, quia remotum genus aſſignarunt, nec quæ eſſet intemperies dixerunt, nec cui parti potiſſimùm inſideat ; & vnde tanta humoris melancholici copia in totum corpus redundet. Imò non eſſe neceſſarium figuram, compoſitionem, & vnitatem externarum partium corrumpi ad omnem elephantiaſin conſtituendam, niſi confirmatâ tantùm & omnino deploratam. Nos itaque videamus, vtrum meliorem ſtabilire poſſimus, hoc in primis poſito tanquam fundamento : videlicet fieri non poſſe, vt functio aliqua partis principis per totum corpus lædatur, quin pars illa ſiue principium non ſit affectum. Non poteſt, verbi gratia, pulſus omnino tolli, quin cor ipſum vitalis facultatis ſedes patiatur : neque totius corporis partes ſenſu ac motu priuari, cerebro manente illæſo ; quemadmodum non poteſt Solis lumen omnibus mundi regionibus eripi, Sole nihil perpeſſo : quoniam partes quæ erunt ſupra vel extra nebulam, aut Lunæ interpoſitionem, ab eo illuſtrabuntur. Eodem modo quod ad functiones naturales ſpectat, quarum ſedes & primaria officina in hepate reſidet, non poterunt illæ generatim & per vniuerſas corporis partes labefactari, niſi eo malè

Digitized by Google

malè affecto & ſanguificationem perperam celebrante. Vt igitur ob frigidam eius intemperiem,ſerum vel pituitam generantem, hydropes exoriuntur : ſic vbi ſuccus melancholicus & exuſtus omnes corporis regiones occupat, & vbique nutritionem labefactat, neceſſariò oportet iecur malè affectum eſſe, vt in propoſitâ Elephantiaſi. Secundum ſit noſtræ definitionis fundamentum, præter vulgares qualitates & intemperies partium, concedendas etiam occultiores quaſdam labes & ſubſtantiæ corruptelas, contagij & malignitatis participes, in quibus ſympathiæ (*Fracaſtorius hoc fundamentum fusè probauit.*) & antipathiæ partium & humorum ſpectantur, à certo quodam & minùs manifeſto putredinis vel mixtionis gradu profectæ : Vnde Galenus venenatos aliquando in nobis humores, & omnem contagionis rationem ex occultiore hac corruptelâ, quæ in multis morbis viſitur, pendere exiſtimauit. His igitur ita poſitis prædictam definitionem conſtituamus.

Elephantiaſis eſt intemperies iecoris ſicca calidáque, cum certo putredinis ac venenoſitatis gradu iuncta, per quam humor atrabilarius hac labe infectus copioſior gignitur, paulatimque omnes corporis partes ocupans, earum nutritionem, figuram, ac vnitatem corrumpit.

Dicimus Elephantiaſin eſſe intemperiem,quoniam primarius affectus, ex quo reliqui comitantes vel ſuperuenientes proficiſcuntur, eſt illa δυσκρασία & vitium temperamenti, per quod ſucreſcit humoris teterrimi ſoboles, harum omnium diſpoſitionum proxima & continens cauſa. Quamuis igitur in Elephantiaſi ſolutiones continui, conformationis vitia, & tumorum præter naturam varia genera ſpectentur : illa tamen non ſunt propriè Elephantiaſis, quia ſine illis ſubſiſtere aliquantiſper poteſt, ſed ipſa intemperies & labes mixtionis, per quam ſecundæ concoctionis opus, nempe hæmatoſis corrumpitur. Vnde patet quàm imminuti ſunt illi, qui Elephantiaſin per eiuſmodi ſuccedaneos affectus definierunt, vtpote qui non niſi lapſu temporis, & iam defixis altiùs in primario viſcere radicibus exoriuntur. Habet enim teterrima hæc lues hoc peculiare,vt primùm partem hanc nobilem, veluti nutritionis arcem occupet, deinde externas adoriatur, propellente ſcilicet naturâ vitioſam materiam quantum & quò poteſt : eáque iam demum fatiſcente regurgitans humor ad interiora, extremam tandem ægris manum cum internecione præſentiſſimâ infert. Non igitur ſimpliciter vniuerſi corporis cancer dici poteſt hic morbus : quandoquidem, vt dicebamus, vera Elephantiaſis eſſentia, quæ fundata eſt in viſceris intemperie, ſubſiſtere poteſt abſque eiuſmodi tumoribus & exulcerationibus externi habitus corporis, cuius reſpectu Auicennas confirmatam Elephantiaſin, cancrum totius vocauit. Adde quòd ſi Elephantiaſis verè cancer eſſet totius,oporteret eam eſſe æqualem intemperiem, quod ſuperſtite vitâ, vt in corde, cerebro, &c. nullo modo contingere poteſt. Prætereà fientem eſſe ac inæqualem intemperiem id demonſtrat, quòd paulatim & quaſi gradibus factis augetur, modóque has partes magis, modò alias occupat : Vnde à Practicis noſtris in actum & diſpoſitionem diſtingui ſolet, actus rurſum in incipientem & perfectum. Poteſt tamen dici quodammodo vniuerſalis cancer, quia ex eâdem materiâ cancer particularis conſtituitur, & non ſolum internas, ſed etiam externas partes, potiſſimùm verò carnem & muſculos, quamuis inæqualiter inuadit.

Pertinere autem hanc intemperiem primariò ad ipſum iecur & venas, id ſuadet, quod iam à nobis pro fundamento fuit allatum, nimirum nutritionem vitiari non poſſe in toto, niſi illius principium ſit affectum : Illo enim illæſo permanente bonus & laudatus ſanguis generaretur, ex quo partium ſubſtantiâ refocillatâ, ſucci illius malignitas tandem obtunderetur : aut certè non omnes, ſed certæ tantùm partes ab eo occuparentur. Verùm dicet aliquis, non eſt neceſſarium, vt totum corpus humore hoc atrabilario abundet, iecur aliquo affectu teneri : Nam quemadmodum ceſſante actione cyſtidos felleæ, ita repletur totum corpus & ſanguis bile flauâ, vt inde icterus exoriatur : quid etiam impediet ſublatâ lienis actione per obſtructiones illius aut intemperies, totum habitum melancholico ſucco ſcatere, abſque villâ hepatis labe ? Prætereà cùm certum ſit elephanticam diſpoſitionem non ſolùm hæreditario iure, ſed etiam per contagionem ſiue contactum acquiri : quî fieri poteſt, vt corpuſcula illa ex infectis corporibus defluentia potiùs hepar in profundo corporis latens contingant, quàm cutem, & cæteras partes? Denique Galenus ipſe pleriſque locis (*Vide lib. 2. ad Glauc. cap. 10.*) non tam ponere videtur huius affectus ſedem in iecore, quàm in partibus externis & ipsâ cute.

Is enim *lib. de subsigur. Empir. & 11. de simpl. medicam. facult.* recenſet hiſtorias aliquot Elephanticorum, qui ab epoto vino, in quo viperæ ſuffocatæ fuerant, vel ab eſitatis viperis, aut denique vſu theriacæ perſanati fuerunt, aut ſaltem leproſi ex elephanticis facti, decidente ab eorum corporibus cute, inſtar exuuiarum quas ſerpentes quotannis deponere conſueuerunt. His ergo obiectionibus ita videtur ſatisfaciendum. Ad primam quidem, concedentes poſſe augeri propoſitum ſuecum in toto corpore, quoties à liene non attrahitur aut ſecernitur, ac proinde multis morbis melancholicis illius obſtructiones aut intemperies occaſionem ſuppeditare, vt nigro ictero, febri quartanæ, melancholicæ paſſioni, carcinomati, maniæ, & ſimilibus, imò etiam initium dare Elephantiaſi, quotieſcumque humor iſte coaceruatus in primâ corporis regione, & ad hepar refluens illius temperiem peruertit & immutat, ſed tamen non poteſt ſine concurſu huius intemperiei iecoris, Elephantiaſin producere, quoniam partes conſtante hepatis temperamento ſemper fruerentur laudato ſanguine, quo nutritio conſtaret, & ſubſtantia membrorum conſeruaretur. Quemadmodum igitur in hydrope iecur neceſſariò affectum dicimus, tametſi principium mali non ſemper in ſeipſo habeat, ſed ex aliarum partium morbis vitium contraxerit: ſic in Elephantiaſi, modò primarias patitur temperamenti corruptiones, modò ad lienis aut aliarum partium vitioſas conſtitutiones ſubſequitur. Non valet ergo exemplum de ictero & Elephantiaſi. Poteſt enim fieri icterus flauus ab obſtructione cyſtidos fellæ, quemadmodum & niger ab infarctu lienis, ſine vitio hepatis aliquando. Non poteſt tamen vnquam ita vitiari nutritio partium in toto, ob redundantiam maligni ſuccí, quin fons ipſe hæmatoſeos ſit corruptus, vel *πρωτοπαθητικῶς*, vel ſaltem *δευτεροπαθητικῶς*. Ad ſecundam verò obiectionem dicimus, corpuſcula quidem illa & contagionis ſeminaria cuicunque parti obuiæ affigi poſſe, ſed non quamcumque ita immutare, vt ſimilem affectum generent, niſi habeat analogiam cum ipſo affectu: hinc aſſumptæ cantharides vel admotæ, quamuis primò contactu veſicam non feriant, per antipathiam tamen peculiarem præcipua illarum vis ad eam defertur. Ophthalmicorum oculi per contagioſum effluuium, non quamlibet faciei partem inflammant, ſed oculis tantùm lippitudinem inferunt. Vt quælibet venena quamuis omnibus corporis partibus primarias ſuas qualitates imprimere ſoleant, vi tamen particulari & antipathiâ cor ipſum præcipuè impetunt. Quid igitur obſtat per contactum elephanticorum fomitum infici ſanguinis particulam & naturales ſpiritus in ipsâ cute, aut aliis partibus externis, qui deinde ad hepar contagionis labem deferant, & affectus primordia illi inurant? Non enim ad contagionem ſemper contactus immediatus requiritur, ſed ſufficit eſſe aliquod medium per quod in certam partem deferri poſſit, quemadmodum torpedinis virus per cannam in piſcatoris manum dèriuatur. Quod ſpectat autem ad tertiam obiectionem ex Galeni authoritatibus deſumptam, reſpondemus illas nihil aduersùs nos pugnare. Etenim quicumque non habent adhuc confirmatum Elephantem, illi ſerpentum ac viperarum vſu conuenienter adhibito perſanari poſſunt, ita vt intemperie hepatis ſanatâ, & quaſi ſucciſis morbi radicibus deinceps frutices, qui exterius apparent, etiam exareſcant. Non igitur concludunt prædictæ authoritates affectum hunc tantùm eſſe in cute, ſed defluuium illud epidermidos indicauit interiorem ſanationem, quæ vſu remedij contigerat; nam veram cutem decidiſſe nemo rei Anatomicæ peritus vnquam dixerit, vt neque etiam in ſolâ epidermide vllus vnquam Elephantiaſin collocabit. Quidam reſpondent, commemoratos à Galeno ægros, leproſos fuiſſe potiùs quàm verè elephanticos. Sed nihil obſtat tales fuiſſe, dummodò interior illa hepatis intemperies leuior adhuc fuerit & minùs confirmata, vt quæ opportuno alexipharmaco tolli, aut ſaltem ita imminui ad ſenſum potuit, vt eiuſmodi homines tunc curati viderentur.

Sit itaque certum ratúmque, intemperiem aliquam iecori impreſſam eſſe, per quam elephantica conſtitutio exoritur. Quænam verò ſit illa, non pauci ambigunt. Nos ſiccam calidámque poſuimus, ſiccitatem caliditati præponentes, propterea quod illam hîc præpollere exiſtimamus, remiſſiorem autem eſſe caliditatem. Quod ad ſiccitatem enim attinet, omnes eam hîc facilè admittunt, propterea quod ſiccus & terreſtris humor in Elephanticis redundans, non poteſt, niſi à tali causâ promanare. De actiuâ verò qualitate vtrùm ſit frigida vel calida, non eſt ita apertum; frigidam enim eſſe ſtatuit Aretæus cum pleriſque aliis, quandoquidem, inquit ille, à mortis causâ ducit originem, quæ eſt ingeniti caloris frigiditas

ditas non exigua vel potiùs congelatio. Prætereà frigidam esse constitutionem, id confirmare videtur, quod vbique à Galeno Elephantiasis inter melancholicas passiones recensetur, & omnes humorem melancholicum, frigidum videlicet & siccum in eâ abundare concedunt. Adde quòd paruitas pulsus, vt docet Auicennas, & stupiditas sensuum, ac veluti νάρκωσις, qua afficiuntur Elephantici, videtur frigiditatis soboles esse potiùs quàm caloris. Nos tamen calidam potiùs intemperiem in hoc affectu adesse censemus, quamuis non valde intensam, sed putredinis cuiusdam & malignæ labis participem, (quod recentiores, *Fernel. Fallopius*, *Argentarius*, affectum totius substantiæ nouiter dixerunt) propterea quod causæ generantes & fouentes Elephantiasin, necnon effectus qui subsequuntur, calori potiùs quàm frigiditati attestantur, vt posteà videbimus, necnon ipsa curandi ratio, quæ humectantibus & refrigerantibus procedit potiùs quàm calfacientibus, ostendit talem hîc intemperiem dominari. Imò etiam Elephantiasin sine calore hepatis non generari, illud indicio nobis est, quod in senectute diminuto eius calore & pituitâ auctâ, vix vnquam contingit, nisi antè radices defigere cœperit. Ad Aretæi itaque & aliorum auctoritatem dicimus, in Elephantiasi caloris natiui extinctionem contingere à malignitate & venenositate humoris potiùs quàm frigore. Et eodem modo per Elephantas cõtingere νίκρωσιν caloris insiti, quemadmodũ in ardentissimis febribus hydropes exoriuntur ex depopulatione humidi primigenij, ad quam sequitur illius extinctio vel saltem imminutio, quod Paracelsus vocat corruptionem balsami naturalis; vnde pulsus imminuitur debilitatâ facultate vitali potiùs quàm refrigerato corde. Galenus etiam rectè inter melancholicas passiones statuit Elephantem, & omnes hîc adesse succi melancholici copiam fatentur, latè sumpto melancholiæ nomine, quo omnium affectionum, quæ à nigris humoribus fiunt, siue illi sint naturales, siue atrabilarij. Non enim in Elephante melancholia naturalis, frigida scilicet & sicca simpliciter, dominatur, sed potiùs exusta, ad atræ bilis naturam accedens, & ex quocumque humore per malignam illam & deprauatam hepatis constitutionem genita. Crassitiem tamen partium retinens, ob quam & vitiatam in partibus extremis nutritionem, exoritur ἀναισθησία illa & stupor in Elephanticis potiùs quàm ab humoris frigiditate.

Hoc idem confirmat non insulsa Arabum opinio, quatuor huius morbi species ponentium, ex varietate humorum, qui illum efficere possunt, quatenus comburuntur & in atrabilarij humoris naturam conuerti possunt. Volunt enim Elephanticam à melancholiâ, leoninam à bile flauâ; Tyriam à phlegmate, Alopecialem à sanguine exusto potissimùm fieri. Et Galenus rubros elephantes eos esse censuit, in quibus copiosior sanguis & exustus hunc affectum generat. Nos autem albos Elephantas sæpius conspeximus, in quibus phlegma salsum & exustum redundabat. De bile autem flauâ nemo dubitat, quin illa vel putredine vel exustione illius naturam & similitudinem induere possit. Vnde Matthæus de Gradi censuit contra Haliabbatem, Elephantiasin ex flauâ bile exustâ faciliùs curari, quàm ex melancholiâ torrefactâ & quasi incineratâ. Alij malunt perpetuò ab atrâ bile fieri, quam hepar pro bono & laudabili sanguine deinceps in Elephantico generat, sed nunc biliosiore, aliàs pituitosiore, nunquam sanguini aut melancholico succo magis admista quàm dictis humoribus. Quæ omnia eodem recidunt. Quotiescunque igitur humor eiusmodi fuerit aceruatus ob varias causas natiuas vel aduentitias, de quibus posteà agemus; nec à liene attractus aut foràs vacuatus, sed sanguini permixtus longiore tempore in vasis ac hepate hæserit, sensim aduritur, crassior & siccior redditur, & pro qualitate ac naturâ suâ iecur & venas alterat ac mutat. Quod dum fit, generari seu fieri, siue in dispositione adhuc esse dicitur. Vbi verò hepatis temperamentum fixum & mutatum est, necessariò deinde talis sanguis generatur, qualem iecur malè temperatum generare aptum est, túncque morbus primum habitum seu actum sibi comparauit, donec succus ille qui in profundis visceribus (velut in domo Plutonis, inquit Aretæus) delitescebat, iam internorum victor superficiem corporis inundat, & ibi actus sui perfectionem adipiscatur, variis ac crudelissimis symptomatis & morbis quos illic suscitare solet.

Vt enim deprauata hepatis coctio, primarium est symptoma ex illâ intemperie profectum, sic aliorum multorum per totum corpus est causa: præcipuè verò nutritionis labefactatæ; quam nostri Practici errorem assimilatricis in toto vocant. (*In hydropisi vnionis; in hecticâ dissemination: in Elephantiasi assimilationis vitium esse dicunt.*)

dicunt.) Hic autem non tam ex vitio temperamenti ipſarum partium exoritur, quàm ipſius obiecti ſiue alimenti ſiccioris, craſſioris, & malignâ labe infecti, quod cum neque in ſubſtantiam membrorum inſtar probi ſanguinis conuerti, neque per inſenſilem tranſpirationem vacuari poſſit, ſub cute retentus paulatim exſiccatur ampliùs, eam exaſperans & veluti nodos ac tubera granuloſa producens, vnde figuræ deprauatio ſubſequitur. Quod ſi tandem incaleſcat, exulcerationes fœtidiſſimas, necnon partium integras corruptiones inducit, per quas in vltimum Elephantici morbi ſtatum decidere ſolent. Nocet autem præcipuè faciei & extremitatibus membrorum, quoniam natura à partibus internis & nobilibus ad externas & minùs nobiles ac remotiſſimas, ſemper deponere conatur infeſtam materiam. Ac proinde manus & pedes præcipuè his affectibus torquentur, quia non habent quò reiiciant aliò eiuſmodi humorem, valdéque ſunt remota à fonte caloris, vnde ſtupiditas in illis contingit. Facies autem citiùs & euidentiùs patitur membris aliis, tum quod ſuccus in hepate genitus, magis in illâ efflореſcit, tum etiam quod cutis meatus anguſtiores habeat, ob aëris cui expoſita eſt circumſtantis & repellentis vim. Quo fit vt craſſi iſti humores per eam minùs facilè diſſipari aut expurgari poſſint. His ergo ſic explicatis de præcipuâ morbi eſſentiâ, parte tam primariò quàm ſecundariò affectâ, & ſymptomatum concurſu, nunc ad cauſarum enarrationem accedamus.

Cavsæ Elephantiaseos. Quæcunque igitur cauſæ effectrices eſſe poſſunt huius affectus, tam externæ quàm internæ, illæ vel ad ipſius hominis ortum & primordia concurrunt; vel eo iam genito, & extra vterum conſtituto operantur. Quæ illius generationem reſpiciunt, illa pendent ex vtriuſque parentis ſeminio hac labe infecto, vel propter ipſorum talem diſpoſitionem actu exiſtentem, vel altiùs deliteſcentem, & ab auis vel atauis leproſis contractam. Mirum enim dictu, ſed verum experientiâ comperitur, infectionem hanc in intermediis aliquando ob benignitatem alterutrius ſeminis, vel aliarum cauſarum reſiſtentiam latere, & in progeniem ipſam deriuari, reuiuiſcente mali causâ, vel aliunde excitatâ. Præter ipſius ſeminis malam conſtitutionem, exiſtimant Arabes eos vt plurimùm ab ortu Elephanticos euadere, qui fluentibus adhuc menſibus vel fluere paratis concepti fuerint, propterea quod ingens malignorum humorum copia in vtero tunc continetur, quæ in materiam & augmentum fœtus faceſſit. Quæ res fortaſſe Moſem impulit, vt Iudæis contactum vxorum interdiceret, priuſquàm à menſibus abſolutæ ac repurgatæ fuiſſent. Poſt ortum autem generatur Elephantiaſis, vel ex contagione, aut ſine illâ: Contagionem inferunt contactus & conuictus leproſorum frequens, communicatis per halitum aut compotationem in eodem ſcypho mali ſeminariis, vel per coitum (*Vide hiſtoriam Gordonij* 48.) cum Elephantico aut Elephanticâ, aut muliere, cum quâ nouiſſimè infectus coiuerit, ſemine adhuc in vtero exiſtente, quia tunc reſeratis admodum ſpermaticis vaſis, facile eſt labem iſtam ad iecur cum ſpiritu deferri. Veſtes item & lintea Elephanticorum diu geſtata, in paratis præcipuè ad hunc morbum, illius generationem induxerunt, ſed potentiſſimè contagium hoc deferre poteſt lactis vſus hac malignâ labe infecti, ſi quidem nutrix Elephantica puero quamuis bene ſano mammam præbuerit: Vnde cauriſſimi eſſe debent parentes in eligendis puerulorum alumnis, ne videlicet molliora hæc corpora ab impuris nutricibus contaminentur. Sic igitur generatur Elephantiaſis per traducem ſeminalis materiæ, vel fomitis contagioſi. Sine contagione autem exoritur aliquando ex causâ ſuperiore, & metaphyſicâ, quando videlicet iuſtâ Dei vindictâ fœdiſſimus hic morbus certis quibuſdam hominibus immittitur, abſque vllo inferioris cauſæ ſaltem apparente concurſu: Qualem fuiſſe lepram putandum eſt, quæ Iudæos torquebat, *Leuitici* 13. & *Num.* 5. vtpote cuius ſanatio ad Sacerdotes potiùs & ſacrificulos, quàm ad aliam opem referebatur. Vel fit à cauſa inferiore & manifeſtâ, cuius poteſtas excitat vel gignit continentes huius morbi cauſas, nempe intemperiem viſceris & humoris atrabilarij malignâ qualitate infecti copiam. Illa autem ad tria capita, more noſtro referri poſſunt, rerum nimirum naturalium, non naturalium, & præter naturam.

Quicumque igitur temperamento ſunt putredinoſo, valde ſanguineo aut atrabilario, quibus hepar ſiccius cum calore & ventriculi cruditate, aut lien infirmior, minùs aptus defæcando ſanguini: qui tetrum ex ore, naribus, & axillis halitum effundunt, illi certè valdè ſunt parati ad Elephantiaſin, ac proinde ſibi diligenter cauere

Digitized by Google

cauere debent, exacta victus & medicamentorum ratione; potiſſimùm vbi vigeſimum ætatis annum attigerint, vſque ad ſexageſimum, quia tunc ſanguinis corruptela, ebullitiones, & impuritates atrabilariæ contingunt ob iecur intemperatius, quod in pueris adhuc benigno humorum nectare diluitur, in ſenibus verò & inclinantibus iam deferbuit. Hoc etiam morbo niſi ex ſemine pendeat, minùs tentantur mulieres quàm viri, tum propter earum humiditatem propriam, tum ob purgationem illam menſtruam, quâ ſanguinis maſſa defæcatur commodiſſimè. Verùm concurſus cauſarum illarum externarum & rerum non naturalium, hîc plurimùm poteſt, tum ad ſuſcitandam Elephantis diſpoſitionem, tum perfectionem illius accelerandam: ſic aër putrilaginoſus & inquinatus, vt ſtagnis & paludibus vicinior, vel ſiccus nimium & feruens maximè valet ad viſcerum temperiem corrumpendam, & exurendos humores. Vult Aëtius extremè calidas regiones & frigidas plures Elephanticos habere: illas quidem ſanguinem deaſſando, has autem cogendo ad interiora, & perſpirationem impediendo. Cui tamen contrarius eſſe videtur Galenus, dum ait, Elephanticos nullos apud Scythas, Germanos, Myſios, & ſimiles nationes verſus polum habitantes reperiri. Quod ita conciliari poteſt, ſi dicamus per ſe quidem frigidam aëris conſtitutionem Elephanticos minimè gignere, poſſe tamen ex accidenti, tum ob rationem ab Aëtio prolatam, tum ob ingluuiem & generoſorum vinorum ingurgitationem, quâ tenentur illi qui gelidas mundi partes habitant: vnde frequentes in Belgio & Germaniâ Elephantici hodie videntur: & ipſemet Galenus *lib.* 11. *de ſimpl. med. facult.* Myſij cuiuſdam Elephantici hiſtoriam in medium adfert. Vt aër igitur, ſic importunæ vigiliæ, & exercitationes, ſomnus immoderatior, & otium humores exſiccando aut congerendo, animi pathemata vehementiora conturbando ſanguinis maſſam, magnum huic morbo momentum adferre poſſunt. Vacuationes autem ſolitæ per vterum, per hæmorrhoidas, aut diarrhœas periodicas, ſi ſupprimantur, confertim in corporibus impuris materiam ſæpe & integram generandi illius occaſionem ſuppeditarunt. Sola feminis vacuatio ad Elephantiam paratis videtur noxia, quia benigna hæc ſubſtantia intus retenta coërcere poteſt ſiccitatem & acrimoniam partium & humorum, ac humidi primigenij quantitatem augere, vnde eunuchos nullos elephanticos eſſe factos, & in quibus elephantiaſeos quædam notæ apparent, ſi caſtrati fuerint, non vltrà procedere aſſerunt. Denique aſſumpta, cibi, potus, medicamenta, & venena, tam propriis ſuis ſuſtantiis, dum cacochymiæ illius ſunt participia, quàm qualitatibus manifeſtis & deleteriis, immutando ſtatum temperamenti partium, & nutritionem corrumpendo, hunc affectum induxerunt. Narrat Galenus de Alexandrinis, eos valdè fuiſſe obnoxios Elephantiæ, tum ob aëris feruorem & impuritatem, tum ob malam viuendi rationem quâ vtebantur, vinis ſcilicet generoſis & craſſioribus, piſcibus, lacte, caſeo, carnibus aſininis, & ſimilibus, multo ſale aut pipere conditis, in vnâ eadémque mensâ ſumptis, quæ nos poſteà accuratiùs recenſebimus, dum Elephant. diætam præſcribemus. Virulenta etiam dicuntur eſſe multa, quæ cibo aut potui permixta lepram hanc accerſere exiſtimantur. Quibus relictis, concludamus non ſolùm res naturales & non naturales à nobis recenſitas hoc præſtare poſſe, ſed etiam conſtitutiones præter naturam, vt ſunt intemperies totius & partium malè curatæ, & per quas magnus fit vitioſorum humorum ζωαθροισμὸς, obſtructiones viſcerum, potiſſimùm lienis & vteri, putrilagines, & ſimilia. Sic febres quartanæ, diuturniores, lues Venerea malè tractata & rebellis, pulmonis corruptela, catarrhus putridus, ſuppurationes internæ, originem huic morbo ſæpe dederunt, concurrentibus potiſſimùm cauſis externis, & malâ victus ratione iam dictâ, vel ſaltem natiuâ hepatis caliditate, aut ad elephantiaſin inclinatione. De cuius cauſis hæc ſufficiant, nunc ad διάγνωσιν & πρόγνωσιν progrediamur.

Signa Elephanticorvm, ac eorvm Ivdicia. Coniungemus Elephantiaſeos diagnoſin & prognoſin, quia ex cognito affectu incipiente vel confirmato, intelligitur etiam quid ſperandum ſit de curatione aut ſalute huius morbi: ac proinde ſequetur Elephanticorum iudicium, quia in deplorato & contagioſo hoc affectu, ſolet expoſci ſuprema Medici ſententia quaſi decretum, vt eiuſmodi ægri ſanorum conſortio arceantur.

Quod ad diagnoſin itaque ſpectat, inquirenda hîc, vt ſolet, pars primariò & ſecundariò laborans, cauſæ affectus humorales, & natura affectus, ſiue illius magnitudo aut paruitas, ἀκίνησις vel ἕξις, quam Practici noſtri diſpoſitionem &

actum incipientem aut perfectum appellant. Quamuis igitur hepar in elephantiasi perpetuò laborare dictum sit, quia tamen noxa ab aliâ quadam parte exoriri potuit, ideò videndum diligenter quæ sit illa, quoniam hoc ad therapeiam multum confert: Nusquam enim curabitur secundarius affectus, nisi is à quo pendet in primis fuerit sublatus. Lienis itaque, vteri, & similium partium vitia quæcunque huic morbo primam originem dederunt, ex propriis suis signis sunt agnoscenda, quæ si Elephantiasin præcesserint, aut simul cum eâ aucta fuerint, denotant primariam labem ex hac veluti regione in hepar & reliquum corpus profectam derivatámque fuisse: sin minùs hepar primario teneri vitio erit censendum, omnisque in illud cura ac consideratio Medici conuertenda erit. Quæ verò causæ sive in ortu, sive post ortum, huic affectui fomitem & ansam præstiterint, recensendum ex accuratâ rerum naturalium, non naturalium, & præter naturam iam à nobis propositarum enumeratione: ex quarum naturâ & effectis colligere etiam erit, quis potissimùm humor in elephantico dominetur, sive ex cuius succi permixtione atrabilarius diluatur, qui proxima est Elephantiaseos causa. Vt igitur ex temperamento natiuo totius & partium, præcipuè verò ventriculi, iecoris, cordis, ætate, sexu, consuetudine, vitæ genere agnoscitur humoris proprij dominatus: sic ex actionibus variis, excretorum varietate, qualitatibus mutatis, prægressis morbis & symptomatis, illud idem datur intelligere: potissimùm verò ab efflorescente foris colore, qui conditorum intus humorum naturam referre solet. Præterea à motu sive feritate ipsius morbi. Qui enim ex multo sanguine aut pituitâ Elephas constat; ille tardiora habet sua incrementa, mitiora symptomata, magisque therapeiæ & conuenientibus remediis cedit: Qui verò ab atra bile proficiscitur, quam exusta melancholia naturalis vel flaua peperit, omnia habet atrociora, vehementiora, & minùs curationi idonea. Inter hos autem duos humores, vt exusta melancholia ob crassitiem suam & tenacitatem: sic torrida bilis ob penetrationem & orgasmum magis pertimescenda.

Quicquid sit, cùm affectus iste à Practicis in dispositionem & actum diuidatur, quæ rursus partes habent suas ac tempora, pro magnitudine vel paruitate illius: ideò vnicuique suæ sunt assignandæ notæ, ex quibus futurum iudicium & prognosis stabiliatur. Deplorati enim habentur, quicunque morbo hoc iam perfectionem adepto detinentur: tum propter vitium & corruptelam partis nobilis, ex cuius errore tota inficitur humorum massa, & nutricatio peruertitur; tum quòd morbus iste sui tunc solùm significationem in externis præbet, quando in visceribus (velut domo Plutonis, inquit Aretæus) firmissimas radices egerit: ac proinde à Magistratu post latam Medicorum sententiam, in loca remota, illisque dicata ablegantur, quia incurabiles habentur ope humana, & contagiosi reliquis existunt, quos suo commercio contaminare possent. Quâ in re, magnâ sanè prudentiâ, consilio, attentione vtendum est Medico rerum harum exploratori, ne imprudentiâ & incautâ iudicandi ratione, aut eos exilio tradamus, qui intacti hac pestiferâ lue sunt: aut eos qui infelici euentu in hanc inciderunt, liberos agere & cum populo versari sinamus. Alterum enim inhumanitatis, aliud impietatis est.

Dispositionem itaque sive propensionem ad Elephantiasin ostendent rerum naturalium, non naturalium, & præter naturam constitutio sive concursus ad generandam atram bilem venenatâ hac labe contaminatam, in eis potissimùm, quorum familiæ tale quid olim, vel in præsentiâ contigisse constabit, & qui sui negligentes incauto victus genere vtuntur. Quòd si iam emergant symptomata quædam ex synathrismo praui illius humoris in corpore geniti, malus videlicet color in facie seu gutta rosacea, scabies immunda & rebellis, cum impetiginibus, odor grauis & hircinus, tibiarum inflationes carnosæ vel varicosæ, totius corporis pondus cum lassitudine spontaneâ, & vlcerosâ, vehementior ad coitum impetus, sitis molestior, & aluus admodum resiccata: tunc dispositionem actui propinquissimam genitam esse certum est, vel actum incipientem, vt vocant.

Vbi vero teterrima hæc lues per totum corpus effusa fuerit, & externum habitum inuaserit, præcipuè verò in facie signa illa popularia, velut partæ iam victoriæ vexillum fixerit: dicitur actus lepræ sive elephantiaseos completus, qui non prius miseros hosce homines deserit, quàm crudelissimæ internecioni, per spirituum & temperamenti nobilioris integram euersionem, fœdissima vlcera, ac extremitatum casus, vel aliquando subitam suffocationem tradiderit. Vt igitur istorum omnium certior ratio constet, trademus specimen iudicij illius & indagationis

gationis quam ſolent celebriores Medici in bene inſtitutis Rebuſpublicis habere, dum Elephantici publicè examinantur, vel etiam priuatim, quando cupiunt ab eiſdem certiores fieri de præſenti corporis conſtitutione.

Cùm itaque omnia ſigna, vel ad cauſas referantur, vel ad effectus rei ſignificandæ, ex quorum præſentiâ adeſſe, aut eorundem priuatione abeſſe intelligitur: Ideò hoc ordine procedere debemus, vt primùm cauſas omnes quæ Elephantiaſin parere poſſunt, diligenter expendamus & ſciſcitemur: poſteà effecta, hoc eſt, ea omnia quæ eiuſmodi affectum comitari aut ſubſequi conſueuerunt, attentâ animi conſideratione contemplemur, vt ex his tandem iuſtam ſententiam & minimè fallax iudicium ferre poſſimus.

Imprimis igitur Medicus, habitâ ſecum temperamenti totius & partium in propoſito ægro ratione, inquirat diligenter ab adſtantibus & notis, ſi qui adſint, vel etiam ab ipſo fidem poſtulet, vt de parentum incolumitate aut inquinatâ naturâ verum fateatur: Nihil enim quicquam ad mali huius inferendam noxam tantum valet, nihil æquè hominem ad eam excipiendam præparat, quàm ſeminis vel menſtrui ſanguinis corruptela: ſunt enim illa primordia generationis noſtræ, quibus & temperiem & partium conformationem acceptam referre debemus. Poſtmodum de eis inquirendum erit, quæ contagium inferre poſſe diximus: Num videlicet lacte impuro & inquinato nutricis elephanticæ, veſtibus leproſorum aut eorum conuictu & longâ conſuetudine vſi ſint, vel immundo ſe concubitu cum illis miſcuerint. Ex his enim facile eſt labi in Elephanticam διάθεσιν. His propoſitis, regionem quam habitarunt, aut ex quâ ſunt oriundi, conſiderare oportet, & vtrùm ibi familiaris ac vulgatus ſit hic morbus, reſciendum. Necuon quibus alimentis vſi fuerint, percunctandum: quibus artibus & exercitationibus corporis incubuerint, vtrùm vitam ærumnoſam vigiliis, curis, & angoribus obnoxiam duxerint, habuerintque ſolennem aliquam & aſſuetam excretionem, potiſſimùm verò menſtrui ſanguinis aut hæmorrhoidum, quæ poſteà ſubitò & inſolenter ſuppreſſa fuerit. Denique an morbis quibuſdam priùs laborarint, lue venereâ, ictero, obſtructionibus viſcerum, febribus diuturnis, potiſſimùm quartanis, & ſimilibus, quibus humorum temperies & natura corrumpi ſolet. Ex his enim conceſſis vel abnegatis euadet certior ratio ſtabiliendi futuri iudicij: quod tamen ex ipſâ effectuum ſiue ſignorum apparentium conſtitutione potiſſimùm repeti debet, quæ quod quid eſt, ſiue morbi naturam, velut proles parentem, certiùs detegunt.

Huius autem morbi, vt & aliorum ſua ſunt ſigna παθογνωμονικὰ & ζωτρόπα ſeu ὀργανόμενα, propria ſcilicet, & communia: Practici vocant vniuoca & æquiuoca, peculiariter in hoc affectu: Vniuoca autem quæ omni Elephantiaſi, perfectæ ſcilicet, ſoli & ſemper ſunt propria, in facie conſtituunt, ſiue hoc contingat ex occultâ quadam ἀντιπαθείᾳ, ſeu potiùs quòd partes faciei, vt dicebamus, faciliùs excipiant motum cuiuſuis humoris, vt patet per animi pathemata, & externæ aëri expoſitæ denſiores euadunt, ac proinde minùs exhalationi idoneæ, citiùs aliis & certiùs hanc noxam perſentiſcunt, & notam omnibus faciunt. Quod ſingulari etiam naturæ prouidentiâ factum eſſe putandum eſt, quæ inquinatos eiuſmodi ac contagioſos affectus voluit eſſe ex vultu notiores, quò erant reliquis hominibus & ſocietati pernicioſiores. Attamen ſi quod ſentimus, liberè ſit pronuntiandum, cenſeo ego ſigna illa quæ ex qualitate ſanguinis, granulis ſub linguâ (*Qui porcorum ſalubritatem exploraturi ſunt, ex ſolis ſub linguâ granulis illud denuntiant.*) & toto corpore ſcatentibus, inſenſibilitate extremorum aut interſcapulij, inuiolato cerebro & motu, non minùs eſſe propria & pathognomonica huius affectus, quàm quæ in vultu viſuntur, quandoquidem illius eſſentiam proximè conſequuntur, aut in nullis aliis morbis, niſi fortaſſe admodum rarò reperiuntur. Ne quid tamen innouare videamur, ea ſolito ordine proponemus.

Exploraturus ergo Elephanticum Medicus, primùm coniiciat oculos in propoſiti hominis faciem & totum caput, vbi ſex vulgata ſigna perluſtrabit, vtrùm videlicet adſit Oculorum (*Aretæus, Oculi, inquit, ſunt caliginoſi & æquei coloris.*) & aurium rotunditas, vel aurium potiùs oblongatio, vt grandiores ſolito exiſtant. Secundò profluuium pilorum ex ſuperciliis, cum eorumdem tuberoſitate. Tertiò, expanſio narium externa, ſtrictio verò interna, & cartilaginis mediæ conſumptio.

Digitized by Google

Quartò labiorum craſſities, cum fœtore & graueolentiâ oris. Quintò vox rauca & quaſi catulina perdurans cum oppreſſione & ſpirandi difficultate, ſine vllâ tamen catarrhi ſuſpicione. Sextò aſpectus ille fixus, toruus & horribilis, quo maximè populo metum incutere ſolent. Hæc enim fiunt à vitiatâ nutritione ob humorem craſſum & retorridum, qui aſſimilari aut diſcuti nequit; Et ſine his aut quibuſdam illorum apparentibus, nullus perfectè leproſus, aut ſequeſtrandus iudicari debet, quoniam quotquot ſunt qui de hac re ſcripſerunt autores, illi omnes in eo conſentiunt, certiſſima Elephantiaſeos ſigna ex vultu eſſe repetenda.

His ita perluſtratis, conuertenda oculorum acies ad totum corporis habitum, quem nudato corpore reus hic noſter exhibebit: ibíque ſeriatim æquiuoca ſigna perquirenda, color primùm cutis, & eius ſuperficies ſpectanda: Etenim in Elephanticis color tenebricoſus & nocti ſimilis, quem morpheatum vocat Guido, apparere conſueuit; qualis in vitiligine, quam ἀλφὸν μέλαιναν appellant Græci, ob prauum & nigricantem ſuccum quo cutis aſperſa eſt. In ſuperficie verò illius criſpitudo quædam & inæqualitas implumi anſeri non abſimilis, vel etiam deſquamatio quædam, & veluti furfuracea ramenta, quæ ex eâ decidunt, ob ſiccitatem & acrimoniam humoris. Quòd ſi præter iſta in ſummo corpore appareant fœdæ ſcabies, & exulcerationes, vel pruriginoſi herpetes, magnam profectò aut impendentis mali, aut iam inſtantis coniecturam præbent, quoniam vitiatos ſuccos redundare, & altricem facultatem à ſuo ſcopo aberrare demonſtrant. Sub cute verò paulò altiùs latitare ſolent tubera, & veluti verrucoſi tumores, qui etiam ſub lingua, palpebris & auribus reperiuntur, ex malè aſſimilato alimento, quod in granduloſas iſtas renitentias facelſit, nec per membri poros & ſubſtantiam extendi poteſt. Volunt etiam ſuper Elephanticorum cutem aquam reſpergi, quoniam ob craſſiorem cutem, & excrementorum acrium fuligine obductam, velut vnctuoſi apparent, & pinguedine quadam delibuti. In eadem cute, potiſſimùm verò capitis, conſiderandi capilli, verùm deciderint, & in eorum locum tenuiores quidam, velut lanugo renaſcantur: Nam per eiuſmodi affectum corrumpitur pilorum materia, vnde ob alimenti commodi penuriam decidere eos omnino neceſſe eſt, & ob partis imbecillitatem, ac pororum attenuationem flaccidiores renaſci. Verùm hîc etiam extremitates non negligendæ, artus ſcilicet; nam plurimùm in Elephanticis fiunt contractiones digitorum in pedibus manibúſque. Item conſumptio ingens & ſtupenda muſculorum pollicis, quos thenar & hypothenar vocant, quoniam atrophia in eis maximè partibus apparet, quæ quotidiano labori & officiis ſubminiſtrant. In eiſdem partibus, vt etiam circa dorſum, contingit tantus ſtupor & abolitio ſenſus tactus, vt ſi acu aut ſtylo partes illæ compungantur, nullo modo perſentiant. Cui ego ſigno magnam eſſe adhibendam fidem puto, quia denotat ita immutatam eſſe temperiem partium exteruarum, ob malignitatem alimenti, vt ampliùs non poſſit eſſe aptum medium ad percipiendam vel deferendam dolorificam ſpeciem ſenſui communi. Cúmque cerebrum parum hîc patiatur, & motus ſit integer per totum corpus, vt iam diximus, videtur mihi hæc nota inter præcipuas, vel etiam proprias referenda. Reliqua verò ſigna parui ſunt momenti, vtpote quæ vel per ſe non pateant, ſed ex relatione ægri ſunt intelligenda, vel certè aliis morbis valde ſunt communia: vno tamen excepto, quod ex ſanguine eorum per venæ ſectionem miſſo petitur: Nam ſanguis thromboſus, niger, aut liuens, in cuius fundo velut cineres aut arenulæ perſentiuntur, admodum manifeſtè oſtendit naturam ſucci illius atrabilarij & venenati redundantis. Vrina verò tenuis, alba, & cineritia, fallax omninò & incertum cenſeri debet ſignum: talis enim plerumque in lienoſis, quartanariis, viſcerúmque obſtructionibus apparet; nec ſemper talis in Elephanticis reperitur, niſi eis in quibus morbus à ſcirrho vel obſtructione inceperit. Minùs adhuc fidendum ardoribus, & ſenſui punctura acuum ſimili, quem perſentire dicuntur, quoniam bilioſis hominibus & quibuſcunque vlceroſâ laſſitudine tentatis obrepere poteſt. Sic quòd inſomniis grauibus & formidoloſis terreantur, quòd moribus ſint callidis & doloſis, id quidem ſucci melancholici redundantiam, ſed non Elephantem deſignat. Sicuti pulſuum debilitas, caloris natiui extinctionem aut ſuffocationem oſtendit, quæ eodem modo in omnibus infirmis reperitur: nec eam in Elephanticis adeſſe puto, niſi iam conſumptis & morti propinquis. Quòd etiam dicuntur rarò febricitare aut leuiter ob incinerationem humorum, parum etiam habet momenti ad propoſitum affectum ſignificandum. Sed tota vis poſita eſt in primariis illis ſignis à nobis recenſitis, ex quorum comparatione,

paratione, multitudine aut paucitate, intenſione aut remiſſione iudicium eſt ſtabiliendum : Vt ſi quidem vnum aut duo ſigna vniuoca eaque intenſa cum pluribus æquiuocis concurrant . vel vnum aut alterum æquiuocum cum pluribus vniuocis, magnam faciant fidem ad pronuntiandum de Elephantiaſi. Quâ in re neque feſtinanter nec inconſideratè progrediendum, ſed maturè & cum iuſtâ deliberatione propter pericula & calumnias, quæ inde exurgere ſolent. Vel etiam ſi adhuc dubitas de vero propoſiti affectus ſtatu, differatur ſententia in proximum ver aut autumnum, vt nouo deinceps examini commiſſa res certiùs explorari valeat.

Tria autem iudiciorum genera ſolent ferre Medici in hoc caſu. Primum vocant abſolutionis, quando ob ſtultam & ineptam ſuſpicionem, aut malitioſam inuidiam, quidam pro elephanticis accuſantur, qui nulla eiuſmodi labe affecti ſunt, taleſque literis teſtimonialibus declarantur. Secundum, ſuſpenſionis ſiue comminationis, quando videlicet plurima ſigna elephanticæ diſpoſitionis, aut certè incipientis actus ſeſe offerunt, propter quæ grauiter monemus eos, vt prophylaxi vtantur diligentiſſimâ, ſibique quodammodo temperent à vulgari & publicâ hominum frequentiâ, donec accuratiùs fuerint examinati. Tertium dicitur ſequeſtrationis ſiue ſeparationis, vbi elephantici confirmati blandis priùs verbis conſolati, iubentur omnino ſecedere ab hominum commercio, & in publicis noſocomiis ſeſe continere, tum ne alios inficiant, tum etiam vt ſibi per loci illius ſolitudinem & aëris ſalubritatem conſulant, vt poſtea dicemus. Nunc igitur ad therapeiam accedamus.

Præservatio Elephanticorvm. Magna eſt inter Dogmaticos & Paracelſiſtas Medicos controuerſia de curatione elephantiaſeos : his quidem perfectam iſtius affectus ſublationem & therapeiam audacter pollicentibus, magiſtri exemplo & authoritate, qui ſe duodecim elephanticos ſanitati reſtituiſſe gloriatur & aſſerit aurum potabile eſſe certam antidoton elephantiaſeos, quâ reparatur balſamum naturale per illam deſtructum ; Addit & liquores margaritarum, oleum ſeu extractum antimonij, ad perfectam curationem facientia. Eodem modo videtur Galenus iſtis aſſentiri, dum hiſtorias illas proponit elephanticorum, qui vini viperini vſu perfectè liberati ſunt, exutâ cute velut ſpolio quodam ſerpentis : necnon Fernelius magnæ vir authoritatis, *lib. 2. de abditis rerum cauſis*, ſcripſit non deeſſe elephantiaſi ſuum & proprium alexipharmacum, quamuis nondum repertum. Quòd ſi hoc ſit, ſequitur eiuſmodi alexipharmaco ex proprietate & vi occultâ agente, teterrimum hunc morbum propulſari poſſe. Dogmatici verò rationibus & certâ demonſtratione ducti contendunt perfectam elephantiaſin, & quæ ἕξιν adepta fuerit, nullo modo ad integram curationem perduci poſſe : etenim principum partium, potiſſimùm nutritioni dicatarum intemperies altiùs impreſſas, immedicabiles eſſe, ob eam potiſſimùm cauſam exiſtimant, quòd cùm perpetua ſit in corpore noſtro alimoniæ neceſſitas, quæ nonniſi illarum ſubſidio perfici poteſt, fit vt talis neceſſariò exurgat materia alibilis, qualis eſt contracta in parte nobili labes : ac proinde ex perpetuâ hac & perenni cauſæ morbificæ generatione, non ſolùm illa pars primariò laborans, ſed & reliquæ ferè omnes contaminantur. Imò medicamenta tam alterantia quàm purgantia, priuſquam viribus ſuis integris in morbum agere poſſint, maximè inficiuntur : Sic hydropem confirmatum, epilepſiam inueteratam, hecticas cordis intemperies, veterem arthritida, &c. quotidie immedicabiles eſſe experimur. Quid igitur ſperandum de elephantiaſi, in quâ præter vulgatam qualitatem, venenata labes coniuncta eſt, quâ totius corporis œconomia miſerrimè euertitur & indies collabaſcit, priuſquam æger de morbo ferè conqueratur ? Adde quòd materia illa quæ gignitur, & per omnes partes expanditur, per ſe inſuperabilis curatu exiſtit, vt patet in ſcirrho, in cancro, & ſimilibus tumoribus, vnius vel alterius partis. Quantò ergo magis, vbi ſemel in totum diffuſa fuerit, & facultatum naturalium κράσιν & robur in ſingulis membris immutauerit?

Rectè Aretæus, morbis, inquit, quo diſſoluantur, æqualia vel maiora eſſe remedia opus eſt. Sed quænam excogitari medela poterit, quæ perfectum elephantem & tam ingens malum expugnet, cuius effera lues non ſolùm in penetralibus totum hominem occupat, ſed & exterius totum amplectitur : (Ἀλιατὸν τῶν ἐστὶ κακὸν, ἄγριον, καὶ μαχητὸν, δυσιατὸν, ἀνιαρὸν ?) Nullus certè, niſi fortaſſe quis magnificus chymiſta poſſit, vel hepar hominis elephantici tollere, & melius aliquod in

illius locum reſtituere : vel ablatum omnem ſanguinem cum iecore in alembico quodam purificare, dum alius interea inſtillabitur, quo vita conſeruetur. Nuſquam enim balſamum illud aureum, poterit in deperditi naturalis locum ſuccedere, & illius iacturam reſarcire, donec impuritas tota quæ vndiquaque ſcatet, ſublata fuerit. Neque dubitamus aliquos Elephanticos aliquando viperarum vſu, aut alterius remedij ſanatos fuiſſe, ſed qui nondum confirmati eſſent, aut certè quorum exteriora magis erant in vitio, ob robur facultatis expultricis foras materiam illam propellentis, quàm interiora, & ſic Paracelſum impoſuiſſe, dum homines ſimplici leprâ, vel pſorâ, aut certè leuiori elephante correptos, pro confirmatis elephanticis habuit, & de eorum curatione velut perfectæ elephantiaſeos, gloriatus eſt. Nec etiam negamus, elephantiaſin omnino ſuis alexipharmacis deſtitutam, ſed quibus non ſemper reſtituitur ſalus, quemadmodum nec ſumpta bezoardica ſemper à veneno liberant, ſi quidem vel tardiùs fuerint ſumpta, vel quando vis deleteria potentius cordi impreſſa eſt.

Dicamus itaque inclinationem ſiue propenſionem ad morbum hunc euitandam eſſe, adhibitâ præcautione diligenti, cauſarumque omnium remotione, aut melius permutatione quæcunque illius generationi operam præſtare poſſunt: & hæc eſt vera prophylaxis. Incipientem verò morbum ſeu fientem & ad incrementum properantem, compeſcendum, tum cauſarum ſuarum, & geniti humoris maligni ſublatione, tum intemperiei ipſius & venenatæ qualitatis correctione. Et hæc eſt prophylaxis curatoria, quæ fientibus morbis debetur, huic propoſito morbo etiam conſentanea. Confirmatum verò elephanticum velut deploratum à Medico non eſſe attingendum, ſed potiùs in ſolitudines & loca auia relegandum: Vel certè, ſi manus auxiliares efflagitet, quemadmodum in magnatibus & aliis præſtantioribus viris ſolet, vitandæ ignominiæ & ſeparationis causâ: intendatur correctioni ſymptomatum, & mitificationi affectus, quam nos ἰσχναγωγὴν, Barbari palliationem appellant. Erunt igitur duæ iſtius noſtræ medicationis partes: Prima elephantis duplicem præſeruationem perſequetur: Altera autem mitigationem ſeu correctionem accidentium, quibus frequentiùs torqueri ſolent.

Cùm itaque morbus hic eſſentiam ſuam habeat poſitam in ſicciore calidioreque hepatis intemperie, cum venenati & melancholici humoris per totum corpus redundantis procreatione; vnde tot ſymptomata & cutis fœditates proficiſcuntur: Sequitur ſuccum hunc velut primariam cauſam, iecoris intemperiem augentem vel fouentem, & cæteras affectiones producentem, tollendum eſſe, illiuſque generationem impediendam. Hoc autem fiet, ſi quidem in primis omnes cauſæ, quæ ex victus ratione ſeu rebus non naturalibus dictis pendet, in contrarium illi ſtatum diſpoſitæ fuerint: Antecedentes verò quæcunque in corpore fuerint, vt lienis obſtructio, putredines partium nutritioni dicatarum, & ſimiles emendatæ: necnon iecoris ἀκρᾶσία conuenienter temperata, & ad mediocritatem deducta fuerit, vt talis ampliùs humor non producatur: genitus autem altere tur conuenienter, & vacuetur tam ex primâ & ſecundâ corporis regione, vbi potiſſimùm ſtabulatur, quàm ex tertiâ & habitu corporis, vbi vitia illa externa committit; per accommodatas κενώσεις & ἀποκενώσεις, vt purgationes, phlebotomias, ſcarificatus, balnea, vnguenta, & ſimilia à nobis deinceps ſecundùm haſce indicationes proponenda, ducto à victus ratione exordio.

Diæta Elephanticorvm. Victus ergo Elephanticorum, eorumque qui ad hunc morbum propenſi ſunt: quod ad ſubſtantiam ſuam attinet, facilis ſit coctionis & boni ſucci, nullo modo generationi humoris atrabilarij accommodatus, nullâ putrilagine aut ſorditie infectus: Rectè enim Aretæus, eſcam eorum vult eſſe mundam & ſimplicem, vt boni humoris eſſe poſſit procreatrix. Quoad qualitates, humectet in primis, vt ſanguinem diluriorem & temperatiorem reddat; refrigeret autem plus vel minùs, prout iam maior caliditatis gradus inductus fuerit, & natura humoris magis ad hunc aut illum accedet. Si ſint obſtructiones & primarum viarum infarctus, attenuet modicè & aperiat ſine inſigni calore. Quoad quantitatem, mediocris ſit, certâ lege, tempore & ordine ſumptus, vt neque propter defectum exurantur humores, nec propter redundantiam corrumpantur. Vtantur itaque pane puro & ſimilagineo recenti, cui tertia pars hordei vel ſecalis ad humectationem maiorem addita ſit. Carnibus recentibus veruecinis, vitulinis, hœdinis, pullorum iuniorum, columbarum & gallinaceorum, piſcibus

etiam

etiam laudatiſſimis fluuiorum, fontium, & pelagi, quos ſaxatiles vocant, ſupra craticulam coctis, deinde omphacio, aquâ roſaceâ, pauco aceto, & butyro præparatis: ouis recentibus & ſorbilibus; oleribus refrigerantibus & humectantibus in iuſculo coctis, vt cichorio, borragine, acetoſâ, endiuiâ, lupulis, aſparagis, lactucâ, maluâ, ſpinachiis, addendo parum petroſelini, ſi obſtructiones adſint. Iuſcula ex illis humectantia, hordeata, amygdalata, auenata & ſimilia. Conferunt etiam fructus humectantes & aluum ſoluentes primâ mensâ ſumpti, vt melones, pepones, cucurbitæ, ceraſa acidula, vuæ maturæ, pruna Damaſcena, & alia ὠρῖα dicta, potiſſimùm verò poma tam cruda quàm cocta, odorifera, & bene matura. Quamuis enim multi eiuſmodi oporinos fructus reiiciant in Elephanticis ob facilem putredinem, magis tamen probo ſententiam Aretæi, illos concedentis ad diluendum ſanguinem & excrementa alui deturbanda, quæ frequenter in illis retineri ſolent. Idem dicas de lacte & reliquis lacticiniis, quorum vſus maximè vtilis eſſe hîc poteſt ad humectandum, dummodò in ventriculo non corrumpantur. Ac proinde ſola aſſumi debent, ne permixtione aliorum ciborum diutiùs retenta putredinem concipiant. Oleo, butyro, & aceto mediocriter vtantur: illa enim ob inflammationem facilem quam concipiunt, hoc propter exſiccationem vitandum.

Vitent etiam omniâ piperata, artocreata, ſalſa, frixa, aut furno indurata, quia analogiam habent cum humore atrabilario, vt legumina omnia præter ius cicerum; allia, cepe, porrum, naſturtium, & reliqua olera acriora. Item panem atrum, azymum, & malè coctum, caſeum antiquum & acriorem: carnes grandiorum animalium, ſuillas potiſſimùm, quoniam ſues hoc morbo frequentiſſimè tentantur; bouinas, leporinas, ceruinas, aprinas, caprinas, & veterum veruecum, vt auium omnium paluſtrium: Piſces cetaceos & glutinoſæ ſubſtantiæ, potiſſimùm ſale aut furno induratos, moluccam videlicet, mœnas, ſardinas, thunnum, & ſimiles vulgatos in alimoniam miſeræ plebis. Vtantur potu eiſdem qualitatibus prædito, aquâ videlicet fontanâ ſi fieri poſſit, aut ſaltem puriſſimâ, in quâ infundere potes borraginem, lupulos, capillum Veneris, radicem acetoſæ, & ſimilia, quibus magis apta ad expugnationem huius affectus reddatur. Vel ſi magna ſeri caprilli quantitas haberi poſſit, ex eo ſitim largiter reſtinguant. Aut in aſſuetis concedatur parum vini oligophori, albi, aut tenuioris, vitando dulcia vina, craſſa & auſtera, ceruiſiam, & ſimiles potus impuros. In valde conſumptis elephanticis laudant Practici eſum ranarum & teſtudinum nemoralium, aliudque omne regimen, quod in hecticis obſeruare conſueuimus.

Quod ad aërem & loci καλάστασιν ſpectat, in hoc, quemadmodum & in aliis morbis longis, ſoli mutatio commendatur, quia ex contrariâ aëris, aquarum, reliquorumque alimentorum conſtitutione, infringetur faciliùs ferocitas illius. Imò etiam Aretæus conſulit illis mare & nauigationem, tum vt maxima excrementorum copia per vomitum qui nauigantibus eſt familiaris, excludatur: tum vt cœlum ipſum & contrarius aëris ſtatus eos afficiat. Saltem eligant loca habitationis amœna & perſpirabilia, procul ab omni illuuie & ſordibus: quas diligenter vitabunt, mutatis ſæpè veſtibus & reliquo amictu, ne virulentas illas cutis expirationes colligant. Imò vtile erit, ſi riuuli cuiuſdam præterfluentis ſint accolæ, tam ad ſupellectilem omnem diligenter mundandam, quàm corpus ipſum frequenter proluendum: ibi igitur cum omni iucunditate, procul à curis & mœroribus, omnique irâ ac perturbatione animi habitent. Dulciſſimo potiantur per noctem ſomno: leuiterque ſe exerceant de mane expergefacti, per deambulacra virentiſſima, abſque vllâ fatigatione: vbi priùs & ſollicitè omnia corporis περιττώματα per aluum, veſicam, nares, & alia emiſſaria, vel naturalia, vel artis beneficio comparata, excreuerint. Procul ſint ab omni mulierum quas vehementer appetere ſolent, congreſſu, reique venereæ omnino valedicant, ne exhauriatur benignior illa humiditas, quâ reliquum corpus temperatur, & ne humores exagitati, foras prorumpant & extuberent: Tantum enim in hoc præſidij eſſe poſitum vulgò cenſetur, quemadmodum iam dictum fuit, vt quicunque elephantici patiuntur caſtrationem, in illis non vltra progredi affectum dicant, & eunuchos nuſquam elephanticos euadere, ſi priùs non eſſent labe illâ infecti. His ita ritè conſtitutis, quod ad diætam ſpectat, deinceps de reliquis indicationibus & potentioribus remediis cogitandum.

REMEDIA

Remedia Chirvrgica Elephanticorvm. Ingens hoc & crudele monſtrum omni auxiliorum genere velut machinis diligenter expugnandum: Ac proinde videndum quibus remediis Chirurgicis indigeat ad vacuandum humorem noxium, & corrigendam intemperiem: Inter quæ in primis recenſita fuit à nobis caſtratio, ad eneruandam ſcilicet coitus appetentiam & corpus humectandum, retentâ intus ſeminali materiâ. Quoniam verò ægrè eiuſmodi operatio ab iſtis ægris admittitur, nec paruum imminet ex eâ vitæ periculum, potiſſimùm iam ætate prouectis: idcirco de phlebotomiâ, vtpote magno remedio, grauioribuſque morbis appoſito, & de aliis, nunc eſt conſequenter agendum. Nulli itaque dubium puto, venæ ſectionem ad vacuandam maligni illius & corrupti ſanguinis, in venis & ſecundâ corporis regione ſtabulantis copiam, conuenientiſſimam eſſe. Ac proinde gloriatur Galenus *Aphor.* 47. *ſect.* 6. ſe incipientem elephantem retardaſſe ac intercepiſſe, iteratâ purgatione & phlebotomiâ, ſingulis annis circa veris & autumni tempus, quia ſic tollebatur maior humoris vitioſi portio, quę tepidiori aëris ſtatu, in faciem & externum corporis habitum fuiſſet tranſlata. Vtrùm tamen ſemper conueniat, & ex quibus locis, non ita eſt apertum. Quidam enim putant in confirmato elephante, aut iam ingraueſcente, nullo modo tentandam eſſe venæ ſectionem, tum ob defectum virium præſentium vel futurarum, tum quia maior humoris maligni copia in cutem & exteriorem habitum iam eſt tranſmiſſa: vndè reuocari nequit ad interiora, aut non debet, ne ſubitam cordi & aliis nobilioribus partibus noxam inferat. Alij verò contendunt, nullum eſſe præſentius remedium ad intercipiendam morbi iſtius feritatem, quia miſſo ſanguine minuitur cauſa morbifica, putredinis vis infringitur, & reuulsâ materiâ arcetur illa cutis fœditas, quam ægri tantopere exhorreſcunt. Adde quod ſuffocationis metus tollitur, quo etiam valde torquentur. Nos itaque iſtud ita diſtinguamus, dicentes, venæ ſectionem elephanticis conuenire plus minùs: in rubro quidem & incipiente elephante magna ſanguinis plethora, conſtantibus viribus, iuuenili ætate, nihil eſſe præſentius, quàm multum ſanguinem mittere, ſub veris præcipuè tempus, ex vtriuſque cubiti venâ, necnon malleoli, ſi res ita ferat: eſt enim ſanguis, vt loquitur Aretæus, ab intemperato hepate confectus, vitij huius alimentum: quo copioſè detracto, interea, inquit, procurandum, vt conuenienti alimoniâ & cibis, melior & dilutior generetur de nouo. Vbi verò iſtæ indicationes non adſunt, ſed morbus hic ad retorridam bilem, vel aliam cacochymiam magis accedit, venas habet minùs extenſas, vires infirmiores, progreſſo iam vlteriùs morbo, & faciem deturpante, parciùs certè agendum, & à venis cubiti vel omnino abſtinendum, vel vnica tantùm aperienda, ad explorandum ſanguinis vitium potiùs quàm integrè vacuandum. Ac proinde laudant meritò in fœdatis iam elephanticis, Practici, apertionem venarum extremarum, vt vtriuſque ſaluatellæ, quæ inter annularem & minimum digitum excurrit, frontis, naſi, iugularium, in metu potiſſimùm ſuffocationis; hæmorrhoidalium, vteri, malleoli, & ſimilium, quibus vires minùs læduntur, & vitioſior ſanguis extrahitur: natura enim impuriorem illius partem ſemper, modò id facere poſſit, ad extremos artus & cutem, tanquam ignobiles partes deponit.

Venæ ſectioni ſuccedanea eſſe poſſunt, hirudines pluribus corporis partibus admotæ, cucurbitulæ plures, ſcarificatus profundiores cutis inter ſcapulas, in cruribus aut natibus, necnon ſupra partes ipſas fœdatas, vt exhauriatur materia illa ab ipſo corporis ambitu & circumferentiâ.

Præter hæc omnia, eſt etiam aliud remedium Chirurgicum valde in Elephanticis commendatum, quod ſetones vocant & cauteria; quibus velut emiſſariis & fonticulis perenniter expurgari ſolent tetri ichores, & virulentia quæ in illis continetur. Albucaſis itaque enumerat LXX. locos, in quibus ea vult affigi, quoniam, inquit, quò plura adhibentur, eò maius inde commodum perſentiunt: Alij viij. vel x. enumerant, videlicet in vtroque brachio, vtroque crure, circa inguina, ſub axillis, in ſummitate capitis, & in collo, inter primam & ſecundam vertebram, vel paulò inferiùs ſetonem transfigunt. Ego tamen delectum hîc etiam habendum eſſe cenſeo. Et ſi quidem intentio præcipua ſit reuocandi materiam à ſuperioribus partibus ad inferiores, temperandi hepar, & prouocandi menſtrua vel hæmorrhoidas; contenti erimus cauteriis duobus, vtrique cruri inuſtis, quatuor digitis ſub genu; ex illis enim fluentibus propoſita exurgent commoda. Quod ſi malum iam grauius exiſtat, & faciei turpitudo appareat aut timeatur; commodum erit admouere

vtrique

Digitized by Google

vtrique brachio & posteriori parti ceruicis, quò materia ad proximas partes deriuetur, vel ab ipso cerebro exhauriatur. Quod propter vim assimilatricem in eò labefactatam, valde excrementis, eisque putridis & malignis scatere solet: Demum in superiori etiam parte capitis admoueri poterit; in concursu futuræ coronalis & sagittalis, quò rheumatum impetus sistatur, & à facie auertatur. Atque his contenti simus, quoniam non satis tuta esse videntur sub axillis & inguinibus, ob ingentia vasa, quæ per illa loca excurrunt. Quòd si etiam ex aliis locis ichores eiusmodi exhaurire sit animus, præstabit hoc facilè Medicus admotis vesicatoriis & sæpiùs iteratis, quæ illud tutò præstabunt, quia non inuadunt penitiores musculorum partes, vbi vasa implantantur, sed solùm cutem exulcerant. Atque hæc de Chirurgicis remediis.

Remedia Pharmaceutica interna Elephanticorvm. Præcipua vis morbi istius posita est in congerie maligni humoris, & cacochymiæ atrabilariæ per totum corpus exundantis, ex quâ intemperies hepatis fouetur & reliquæ partes vitiantur: adsunt & aliquando obstructiones lienis & viscerum. Ergo purgatio hîc maximè ex vsu frequens & iterata. Alteratio per contrarias qualitates; apertio & reseratio meatuum tam cutis quàm vrinarum, reliquorumque corporis ductuum; corroboratio denique tam per medicamenta qualitatibus manifestis agentia, quàm alexipharmaca & ea quæ proprietate quadam occultâ huic morbo competere experientia comperit.

Quod ad purgationem itaque attinet, vtrùm valida vel benignior exhibenda sit, inter Medicos controuertitur. Quidam enim dicunt tam contumacem & penitiùs infixum humorem, non posse nisi mochlico quodam remedio & valentissimo deturbari, præcipuè cùm magnis morbis magna debeantur remedia: vnde Aretæus helleborum in primis laudat, velut vnicum remedium vetustorum omnium morborum & firmis radicibus hærentium. Siquidem, inquit ille, igni facultate persimile est, & quod ignis exurens facit, eo plus veratrum interius discurrens operatur: videlicet facilem spirationem ex difficili, ex pallido colore floridum; & ex macie corpulentiam: Sic Paracelsistæ antimonij varias præparationes, velut præcipuas ad expurgandos elephanticos, extollunt. Alij contra timent in morbo contumaci, & materia malignâ tantam agitationem, quæ totum corpus calfaciet & conturbabit, parum autem de humore illo partibus iam infixo auellet. Ac proinde benignioribus quibusdam cathartics suadent sensim & minutatim esse attrahendum expurgandumque ne vires frangantur. Nos verò existimamus mediam viam hîc esse sequendam, nimirum tum robustioribus pharmacis interdum esse agendum, sub veris potissimùm & autumni tempus, præparato priùs corpore & humore, ex summi Hippocratis consilio, *Aphorismi decimo tertio*, *sectionis quarto*, qui præhumectanda corpora vberiore cibo & quiete docuit, antequam helleborus exhibeatur. Sic enim fiet, vt nec nocere possit, & magnam morbificæ causæ partem excludat ἀθρόως: vnde sperabilis est naturæ restauratio, quam rem benigniora & infirma cathartica præstare non possunt: Tum blandis etiam & benignioribus insistendum, quotidie ferè sumptis, vt loquitur Mesues, ad excrementa illa quæ indies succrescere solent, quasi postliminiò expurganda. His enim duobus sic institutis, impossibile est in corpore magnos humorum synathrismos fieri, quod hîc in primis est exoptandum.

Post iniectum itaque conuenientem clysterem sub veris initium, antequam succedente maiore calore humores ad superficiem corporis rapiantur, sectâque venâ ex præceptis iam à nobis traditis; instituatur conueniens cartharsis, humectato priùs & renutrito bonis cibis corpore, qui respectum habeant ad atrabilarios succos. Fiat itaque, si volueris, in hunc modum, potissimùm in infirmis, qui validiores, & vnâ vice factas purgationes exhorrescunt.

℞ Rad. cnulæ campanæ, acetos. liquir. rasæ, & polypod. querc. ana ʒ j. corticis rad. cappar. & tamarisc. radicum graminis (potissimùm si adsint obstructiones) an. ʒ vj. cichor. borrag. cum toto, fumar. maluar. mercur. lupulor. hepaticæ, capilli vener. an. M. j. melissæ & cardui bened. án. M. ß. foliòr. sennæ mund. ʒ iv. myrobal. citrinor. & indor. succo fumariæ confricat. an. ʒ ß. corticis hellebori nigri, (si reperiatur, vel illius loco cꝭulæ præparatæ) ʒ j. agarici & hermodactyl. (vbi dominatus pituitæ contumacioris adest,) ana ʒ ß. santali rubr. & cinamom. electi, ana ʒ ij. spicæ nardi ʒ j. Fiat decoctio ad ℔ ij. in aquâ hordei, vel sero lactis caprilli.

In colaturâ diſſolue ſyrupi de fumar. compoſ. & de cichoro cum rhabarb. ana ℥ iij. Fiat apozema non clarificatum pro robuſtioribus, quod capiat in vj. doſibus matutinis. Quarum vltimæ addi poterit confect Hamech vel elect. Indi maioris dimidia vncia, vel diaſenæ ſolut. ʒ vj. vel poſt abſolutum prædictum apozema, capiat, vno die quietis interiecto, pilulas ſequentes.

℞ Pilul. de lapide lazuli vt decet præparat. & ſine quibus, ana ʒ ß. pulueris hellebori nigri, & diambræ, an. ℈. v. Cum aquâ cardui bened. fiant pilulæ vij. quas capiat ſummo mane, ſumendo duabus horis poſt, ℥ vj. ſeri caprilli, vel iuſculum pulli, cum herbis refrigerantibus. Alij configunt pomum vel raphanum fruſtulis hellebori aut eſulæ, deinde decoquunt ſub cineribus, poſt in aquâ cordiali infundunt, addendo parum ſyrupi capilli vener. aut de cichor. ſimpl. & ſic propinant. Vel oxymelitis ℥ ij. exhibent, in quibus per noctem ʒ j. hellebori infuſa fuerit, cum pauco puluere diambræ vel diamoſchi.

Chymici verò vtuntur extractis ſuis hellebori, antimonij, eſulæ, & ſimilibus. Quæ omnia variare licebit pro diuerſis conſtitutionibus hominum & locorum.

Sed quoniam diximus elephanticos, non vnicâ tantùm aut violentâ purgatione indigere, ſed quotidianâ ferè & familiari; quâ perennis malignorum illorum excrementorum prouentus expurgari poſſit: ideò paretur ſyrupus magiſtralis ex prædicto apozemate, quo purgentur ſingulis ſeptimanis; vel opiata ex diaſenâ; catholicone, & diaprunis ſolut. cum ſyrup. de cichoreo aut de fumariâ, paretur in eoſdem vſus. Meſues valde laudat puluerem epithymi ad ʒ ij. cum ſero caprillo, ſingulis diebus in aurorâ ſumptum: Alij imperant ſeri vſum per totum ver & autumnum, in quo diſſoluunt ſuccum fumariæ & borraginis; vel præſcribunt eodem tempore decoctum pulæ vel hœdinæ carnis cum herbis dictis, radice graminis & lapathi acuti, cui incoquunt ſingulis ferè diebus ſenæ mundatæ ℥ ß. epithymi P. j. ſeminum aniſi & melonum, an. ʒ ij. Si velis parare valde familiare catharticum ad illos purgandos, para vinum purgatorium in ſequentem modum. Quamuis enim vinum quodammodo illis aduerſari videatur, quia tamen permixtione aliorum corrigitur, & cognatione ſuæ ſubſtantiæ meliùs inſinuatur in partes corporis noſtri: ideò poteſt concedi in illos vſus, vt vinum viperinum.

℞ Folior. & follicul. ſenæ, an. ℔ ij. polypod. querc. ℥ vj. myrobal. omnium, an. ℥ j. agarici & rhabarbari, an. ʒ vj. macis & maſtich. an. ℥ ß gummi arabici, & ſantali citrini, an. ʒ ij. ſummit. fumariæ & epithymi, an. ℥ ij. corticis hellebori nigri, vel eſulæ ℥ j. zinziber. ʒ ß. Hæc omnia ſimul tere & miſce. Infundantur in ſ. q. vini albi tenuioris & oligophori per viginti quatuor horas: Poſt adde foliorum borraginis, bugloſ. capilli veneris florum violarum, & mali arantij, ſi reperiantur, an. M. ß. paſſul. purgat. ℔ j. coriandri præparat. ℥ ß. Bulliant parum. Poſtea colentur & ſeruentur in vaſe vitreo bene obturato. Aut ſi ſit tempus vindemiarum, bulliant in muſto calente, donec deferbuerit. Et ſic colarum recondatur. Quotidie aſſumatur plenus cyathus, horis iv. ante prandium. Exeat domo ſi voluerit. Quòd ſi vini vſum pertimeſcas in conſtitutione calidiore;

℞ Succi fumariæ, borraginis & pomorum redolent. depur. ana ℔ j. In his infunde folior. ſenæ ℔ ß. epithymi ℥ j. tartari albi ℥ ß. cinamom. ʒ j. Coquantur, vt artis eſt, addendo ſacchari q. ſ. Fiat ſyrupus, de quo ſingulis diebus vel alternis, capiat cochlearia duo vel tria, duabus horis ante prandium.

Quoties verò non incumbent purgationi, diebus interualli ſumant digerentia, alterantia, corroborantia, & ſimilia, quibus prædictæ intentiones perficiantur. Syrupus de fumariâ, vel de hepaticâ conuenienter paratus, & cum decocto lupulorum vel aſparagi diſſolutus mirè prodeſſe poteſt. Opiata etiam ſequens, vel tabellæ diarrhod. abb. triaſantali, & ſimiles valde erunt ſalutares.

℞ Conſeru. radic. bugloſſ. florum cichor. & nymph. an. ℥ iij. corticis citri ſacch. conditi, & cauliũ lactuc parſter condit. an. ℥ j. confect. alker. ʒ ij. theriac. electæ & mithrid. an. ʒ j. pulu. elect. diarrhod. abb. & lætitiæ Gal. an. ʒ ß. ſalis theriacalis, vel pulu. ſerpentis cõbuſti in ollâ nouâ ʒ j. ß. Cum ſyr. de pomis redolẽt. fiat opiata, quâ vtatur vt dictum eſt. Multi enim faciunt verum elephantiaſeos alexipharmacum, ſalem theriacalem, vel vinum viperinum intùs, & extrà oleum viperarum. Ac vt tãdem aliquid dicamus de vſu viperarum vel ſerpentiũ, in quibus ferè omnes Practici reponũt potiſſimã vim expugnãdi iſtius affectus, quãuis Aretæus aliquando fabulam vocet:

ſciendum

ſtitutum, ac ne tantam corpori noxam inferre poſſet, diligenti præparatione excultum.

Eligantur itaque viperæ vel ſerpentes eo tempore, quo illis vti viſum fuerit, potiſſimùm verò circa veris finem, (*videlicet quando ſua exuunt ſpolia.*) in ſuo genere præſtantiſſimæ: captis ligentur caput & cauda, & flagellentur aliquantiſper, (vt virus ſuum hoc modo eiaculari valeant,) abſcindantur extremitates dictæ, relicto tantùm trunco, qui diu ſinatur volutari, vt ſanguis totus exeat, deinde excorietur & abluatur in principio aquâ ſalsâ tepente; & poſtea cum vino odorifero & aquâ roſaceâ. Poſtea coquatur in ollâ nouâ in ſ. q. aquæ, cum fœniculo, anetho, & croco, vt ſolent anguillæ; ad exoſſationem vſque. Hauriat patiens hoc iuſculum, veſcaturque iſtis carnibus per aliquod tempus, nihil aliud comedendo; ſaltem in prandio. Si ſit delicatior; prædicta caro ſerpentis vel viperæ cocta, contundatur in mortario cum pulpâ etiam gallinæ coctâ, addendo ſacchari albi & prædicti iuris q. ſ. cinamomi puluerisati parum. Fiat comeſtio illa alba, quam vulgò noſtri *condis* appellant: Vel prædictæ carnes ſimul contuſæ cum ſaccharo reducantur in formam marcipanis aut tabellarum, vel paſtillorum. Vel etiam prædictis carnibus coctis nutriantur gallinæ aliquot, donec ex earum vſu plumæ illis iam decidant: tunc gallinæ comedantur loco viperarum. Sed in robuſtioribus, maiori ſucceſſu vel prædicta caro, vel vinum viperinum, in quo ſcilicet ſuffocata fuerit vipera, tempore potiſſimùm vindemiarum, vel puluis ſerpentis combuſti ad ʒ. ß. pro vnaquaque doſi cum melle optimo exhibentur, donec corpus primùm inflari incipiat, & ſquamis ſcatere, cum mentis perturbatione & ſomnolentia: tunc enim ſuperſedendum ab illorum vſu. Et ſi quidem rectè curatio ſucceſſerit, ſubſidit poſtea corpus & tota cutis velut ſerpentis ſpolium deponitur. Interea non negligenda corporis & partium principum corroboratio ſumptis & admotis, vt ſunt cerebella gallinarum, ſemen braſſicæ vulgaris cum vino potum, & ſimilia quæ à Dioſcoride recenſentur. Hæc igitur eſt ratio exhibendi viperas ac ſerpentes per os: poſtea enim dicemus quomodo exterius admoueantur.

Non omittendum etiam particulares vacuationes, aut quæ fiunt per alias corporis vias præter aluum, ſæpè elephanticis eſſe ex vſu, vt per vrinas ſumptis aperientibus & diureticis ſine inſigni calore, vt iam à nobis proditum fuit, potiſſimùm vbi obſtructiones morbo originem dederunt. Sudorifica etiam eſſent hîc ex vſu, ad expurgandam illam illuuiem, quæ ſub cute continetur, niſi calore ſuo nimis corpus incenderent, & parum in digerendo contumaci hoc humore poſſent, qui faciliùs externis balneis relaxantibus & humectantibus cedet: ac proinde à ſudorificis ſuperſedendum iudico. Caputpurgia verò peculiariter inter eas vacuationes quibus elephantici iuuantur, à veteribus recenſentur, ne videlicet cerebrum excrementorum mole obruatur; vel illam in proximas faciei partes deponat. Sunt autem ea vel ex communibus, vt ſucco betæ, maioranæ, mercurialis, & ſimilium cum pauco vino albo vel melle roſaceo comparata: aut valentioribus, vt decocto chelidoniæ, naſturtij, ſtaphidis agriæ, pyrethri, nucis moſchatæ, piperis longi, & aliorum: cui addunt etiam parum ſucci cucumeris agreſtis. Idem dicas de maſticatoriis, niſi os ſit exulceratum. Hæc igitur ſapiens Medicus pro variâ circumſtantiarum ratione moderabitur.

Remedia Pharmaceutica externa eorvm. Nunc ad externa ſiue admouenda accedamus, quibus partium robur & temperies in elephanticis reſtituitur, vel cutis ſordes & maculæ delentur. Quod ad primum genus ſpectat, certiſſimum eſt, epithemata tam ſolida quàm liquida, ſacculos, vnguenta, linimenta, emplaſtra, cordi, hepati, & ſimilibus partibus impoſita magnum commodum adferre: vnde quidam ſolent in elephanticis inungere iecoris & renum regionem ſingulis diebus vnguento roſaceo & ſantalino ſimul mixtis, addendo aceti roſacei parum ad penetrationem, vel ex ſuccis endiuiæ & cichorij faciunt epithemata, cum pauco puluere diamargariti frigidi, quo demulcent æſtum cordis & hepatis, potiſſimùm ſub canicularibus diebus. Verùm maior vis eſt in balneo aquæ dulcis tepentis, in quo ſi ita videatur, herbæ & radices refrigerantes incoxerint, vt eo vtatur ſemel aut bis ſingulis menſibus per totam æſtatem. Vel natet in flumine placato & aquæ purioris frequenter, quemadmodum ſuprà diximus: Vbi ſi

hirudines reperiantur, non malè ſibi conſulet ſi in eadem aquâ illas admoueat variis partibus, & ſufficientem ſanguinis quantitatem per eas extrahat. Hæc igitur ad temperandum & roborandum vſui eſſe poterunt, exteriùs admota. Vt verò habitus corporis & tota cutis ſordibus liberetur ac fœdâ ſcabie, quidam ſuadent, vt ſudores prouocentur in laconico ſeu ſtuphâ humidâ, ex conuenienti decocto confectâ, deinde ibidem inungantur ſequentibus linimentis. Verùm in hoc affectu perpetuò ſuſpecta eſſe debet nimia calfactio, ac proinde nuſquam ſuaſerim ego Elephanticos ſtuphis committi, vt ibi vi caloris eliciantur ſudores. Sed mallem variis vti balneis, in quibus etiam ſi ſponte ſudent, benè erit: ſin minùs, laxatio cutis & totius habitus, deterſio & exſiccatio externarum partium procurabitur.

In primis igitur parato balneo per duos dies ex decocto lapathi acuti, maluarum, ſcabioſæ, violarum, & brancæ vrſinæ; in cuius exitu inungentur butyro ſolo, vel oleo amygdalarum dulcium, aut pomatâ, addendo ſi voles, modicum ſulphuris, vel confricando totum corpus cum ſacculis plenis farinâ fabarum & hordei, aut amygdalis amaris & dulcibus leuiter contuſis. Poſteà fiat ſequens.

℞ Rad. enulæ campan. bryoniæ, & cucumer. agreſtis, ana ℔ ij. rad. ſerpentariæ, haſtulæ regiæ, ana ℔ ß. fumar. cum toto, ſcabioſ. ſaponar. chelidon. maluar. calam. & hederæ, ana M. iv. lupinor. fabar. lentium, hordei integ. & furfur. macri, ana M. ß. florum chamæm. melil. roſar. & violar. ana P. ij. Fiat omnium decoctio, cui adde ſi vis parum ſalis & vitrioli albi. Alij addunt aquam ſeu ius ſerpentum coctorum, vel eo confricant corpus Elephantici, antequàm balneum ingrediatur. In exitu reponatur in lecto, & ibi leuiter ſudet. Deterſo ſudore inungatur vnguento enulato duplicato Mercurio, & diſſoluto cum pauco limonum ſucco: Vel paretur ſequens.

℞ Succi fumar. lapath. acuti & chelidon. maioris, ana ℥ ß. olei roſ. ℔ j. ß. Bulliant ad ſuccorum conſumptionem. Poſt adde lithargyri & ceruſæ lotæ, ana ʒ j. tuthiæ ℥ ß. ſalis comm. & ſulphur. viui, ana ʒ iij. helleb. puluer. & ſublimati, ana ʒ ß. hydrarg. ſucco limonum extincti ℥ j. ß. olei de tartaro, & de vitellis ouorum, ana ℥ ij. terebinth. ℥ iv. Miſceantur in mortario ſimul, & diu agitentur. Fiat inſtar nutriti, quo inungantur partes fœdatæ, diu fricando in exitu dicti balnei, aut poſt deterſum ſudorem. Intereà dum his balneis & linimentis vtitur, ne facies humores exagitatos & calfactos ſuſcipiat, aſpergatur ſæpiùs & irroretur aquâ roſaceâ, plantaginis, vel eâ quam vulgo Aluminoſam vocant, aut ſanguine leporis calente, vel etiam liquore ſequenti, aptiſſimo ad repellendos vapores & dealbandam cutem.

℞ Litharg. argenti ℥ j. ceruſæ candidiſſ. ℥ ß. caphur. ʒ j. ſalis ℈ ß. aquarum ſolan. lactuc. nenuph. & roſar. ana ℥ iij. aceti albi ℥ j. Agitentur ſimul, deinde reſideant per aliquot horas, & tranſmittantur per philtrum. Aqua ſeruetur in vaſe vitreo in propoſitos vſus. Atque hæc de externis. Reliqua enim clarius ſequenti capite proponentur. An balnea naturalia conferant, vide Piſonem.

PALLIATIO SEV CORRECTIO ACCIDENTIVM IN ELEPHANTICIS.

Tantam eſſe affectus iſtius vim & feritatem ſupra dicebamus, vt quoties altius radices, & iam confirmatam intemperiem contraxerit, nulla tunc ſit veræ curationis ſpes, ſed tantùm mitigationis (ne videlicet hominem breui temporis ſpatio tollat è medio) ac correctionis accidentium, quibus magis infeſtus eſſe ſolet. Nos itaque propoſitâ ſuperius prophylaxi & cauſarum ſublatione, quæ omnibus communes eſſe poſſunt, nunc peculiarius de mitigatione quam vulgò palliationem vocant, agamus.

Imprimis itaque videamus, quomodo impedire poſſimus, ne Elephantici confirmati tam citò ad interitum ruant: quod contingere potiſſimùm ſolet, vel ob ſiccitatem & combuſtionem nimiam viſcerum, vel ob putrilaginem & exulcerationem partium externarum, quâ eroſæ & quaſi auullæ decidere conſueuerunt, atque hoc modo mortem inferre.

Propterea ſiccitatis progreſſus eſt impediendus, & artus à malignâ putredine, quatenus fieri poterit, conſeruandi. Quod ad primum ſpectat, non aliâ videntur ratione Elephantici tractandi, quàm hectici confirmati, additis tantùm eis quæ ex proprietate aduerſus hunc morbum valere creduntur.

Lactis itaque potio vere & autumno in eiuſmodi hominibus commendatur ad renutriendum corpus, & reficiendas partes. Sed quia eiuſmodi ſubſtantia facilè corrumpitur in eis, ob æſtum ventriculi & aliarum partium: Ideò duas cautiones faciunt

faciunt in eius vſu Practici: nempe vt Elephantici iſti, dum lacte vtuntur, eo ſolo contenti ſint, ſaltem in prandio vſque ad cœnam, ne permixtione aliorum ciborum facilè labem contrahat: tum vt quarta aquæ pars illi addatur, vel ſolo, ex vberibus videlicet recenter mulcto, vel decocto cum farinâ hordei & modico ſaccharo: ſic enim minùs inflammari poterit. Deinceps reliquus victus hecticis ſimillimus inſtituatur, balnea refrigerantia & humectantia, in quibus diſſolui poterit quarta lactis pars, vel totum ex lacte comparari. Alij narrant, non ſolùm Ægyptiorum Reges, ſed & alios eâ lue captos, in balnearum ſoliis fuſo ſanguine humano mergi ſolitos, vt benigni ſanguinis tepore arcerent ſiccitatem corporis, & veluti renutrirent partes; quod vt non multùm vero ſimile, ſic ferini remedij ſpeciem repræſentauit. In exitu balnei nihil præſtantius ad hoc putant, quàm totum corpus inungere oleo viperino ex oleo amygdal. dulc. confecto. Item frequenter exhibere raſuram eboris ad ʒ j. cum iuſculo vel liquore conuenienti, ſmaragdum contritam, & ſimilia ex proprietate valentia.

Quod verò ad partium extremarum, vt pedum manuumque putrilaginem ſpectat, & exulcerationem ob quam decidere frequenter ſolent, impedietur frequenti lotione rerum detergentium & adſtringentium, aquæ aluminoſæ iteratâ irrigatione: Petum etiam ſeu Nicotianam ad idem laudant, ſi partes illæ ſucco eius vel decocto abluantur: Item ſi lamina plumbea tenuiſſima ſaltem de noctu ſuper eas geſtetur, aut conueniens aliquod ſpanadrapum paretur, quo illæ contegantur: Vt

℞ Seui arietis & ceræ nouæ, ana ℔ ß. Liquefiant ſimul, deinde adde thuris, maſtiches, picis, farinæ volatilis, boli Armen. & roſ. rub. puluerat. ana ʒ ij. Miſce, & infunde linteolum magnitudinis ſufficientis, læuigetur vt decet, & fiant fruſta dictis partibus admouenda.

Reliqua autem accidentia, vt caſus capillorum capitis & ſuperciliorum, rubor, puſtulæ & tuberoſitates faciei, caro in oculis excreſcens, ſtrictura narium, difficultas ſpirandi, fœditas cutis, & ſimilia, corriguntur pro diuerſâ eorum naturâ & conſtitutione. Sic defluuium capillorum, ablatâ priùs aut mitigatâ diligenter cauſâ quæ illud excitauit, (quatenus fieri poterit) arceatur frequenti eorumdem raſurâ, deinde lotione ex decocto abrotani, capilli Veneris, roriſmarini, nigellæ, abſinthij, marrubij, verbenæ, parietariæ, corticis raphani, & baccarum iuniperi. Poſteà illinantur dictæ partes melle, in quo puluis veſparum combuſtarum, ſtercoris muris vel lacertæ commixtus fuerit: deinde ne geniti pili denuò labantur, eædem partes ladano diſſoluto cum pauco oleo myrtino vel lentiſcino roborentur.

Ad ruborem verò & deformitatem faciei, quam vulgo guttam roſaceam vocant, in primis repellantur humores lacte virginali iam ſcripto, vel aquâ aluminoſa: deinde modicè reſoluentibus infixi diſſipentur, vt ſanguine leporino, columbino calente frequenter admoto, aut aquâ ſequenti.

℞ Rad. lilij, jarri, ſerpentariæ & ſigilli Salomonis, ana ℔ ß. Contundantur & reponantur in alembicum vitreum, ibidémque macerentur aliquandiu in aquâ è floribus fabarum & roſarum, quas vltramarinas vocant, extracta, ana ℔ j. garyophyl. nucis moſch. & caphur. puluerat. ana ʒ j. ß. Diſtillentur vt artis eſt, & hac aquâ lauetur ſæpiùs facies & caput. Quòd ſi tuberoſitates iam ſint eminentiores in vultu & reliquis partibus, fruſtrâ laborabis in repellendâ & reſoluendâ tam contumaci materiâ: ideò ſi duriores fuerint eiuſmodi excreſcentiæ, foueantur priùs decocto maluar. althææ, lapathi acut. & fumar. Deinde inungantur axungiâ humanâ, ſuillâ, vel gallinæ. Vbi ſic molliores euaſerint, attollantur vncino, ſingulatim, & abſcindantur ſcalpello radicitus: Sanguis ſatis copiosè ſinatur fluere, deinde comprimatur, & cicatrix excitetur lithargyro bene pulueriſato, & cum ſanguine leporis commixto, qui ſinatur ibi per triduum, deinde abluatur aquâ furfuris vel hordei. Eodem modo adhibeatur poſteâ vnguentum citrinum, donec res peracta fuerit.

Ad dealbandas verò cicatrices inductas quidam eas abluunt liquore, qui ex ouo cineribus impoſito reſudat, vel ex farinâ cicerum, fabarum, & hordei cum lacte commixtâ, addendo amygdalas aliquot mundatas & contuſas, ſeminis raphani & gummi tragacant. puluer. ana ʒ iij. conficiunt paſtam, & eâ faciem inſtar cataplaſmatis operiunt de nocte, interdiu lauant aquâ furfuris, vel de floribus fabarum. Si qui ſint ita timidi vt ferrum ſcindens exhorreant, poterit aquâ ſomi, vel

Digitized by Google

ex cantharidibus distillatis paratâ, vel etiam cauterio, aut vesicatorio communi illud præstari. Sunt qui oleum vitrioli, & sulphuris ad idem commendant. Sed nihil est præstantius ipsâ sectione, quia & citò fit, & sine metu exulcerationis, & in partibus quas manu attingere licet.

Carnem autem in oculis superfluam absument pulueres, ex osse sepiæ, cornu cerui combusto, & saccharo cando parati, & frequenter aspersi vel insufflati. Quidam solo butyrò illinunt aut melle rosaceo; sed quando est siccior vel paulò latior eiusmodi excrescentia, bonum erit illam fouere decocto maluar. & fœnicul. deinde eam absorbere collyrio aliquo detergente & exiccante, vt est sequens.

℞ Aquarum eufrag. chelidon. maior. & fœnicul. ana ℥ iv. vini albi ℥ j. antimon. myrrh. & tuthiæ, ana ʒ j. ß. croci & viridis æris, ana ℈ j. vitrioli albi ℈ ß. Bulliant simul, deinde colentur. Colatura seruetur in vase cupreo ad vsum.

Narium autem strictura seu oppilatio corrigetur quodammodo expurgando easdem frequenter vino albo tepido per eas attracto, vel etiam oxymelite scilliticò, deinde immissâ grandiori turundâ ex bombace vel sericeo panno confectâ, & vnguento citrino illitâ, aut puluere lithargyri & aristolochiæ rotundæ aspersa, fiat cannulâ seu turunda plumbea foraminata, quæ in nares oleo amygdal. dulc. vel vnguent. citrino illita demittatur. Vbi hæc non prosunt, fiant scarificationes internæ, vel sanguis eliciatur herbâ quam millefolium vocant, vel setis porcinis intromissis.

Eodem modem iuuanda respiratio & raucitas vocis in Elephanticis decocto pectorali frequenter sumpto: item lacte tepente & recens mulcto, quo partes istæ commodè dilatantur, syrupo de liquiritiâ & capilli Veneris. Confert etiam aqua hordei, in quâ dissolutum sit saccharum candum, & aliquot croci grana. In magno metu suffocationis, tundunt Practici venas iugulares in collo, vt materia minuatur, & fiat expiratio fuliginum illarum commodior.

Quod ad fœditatem verò cutis, & scabiem ac pruriginem spectat, vel iam dicta à nobis sufficient, vel etiam remedia omnia, quæ ad lepram simplicem, morpheas, & impetiginem institui solent, huc reuocanda. Inter quæ inunctiones illæ ex hydrargyro, quas nunc ad luis Venereæ expugnationem vsurpare solemus, primùm inuentæ fuerunt. Reliqua ex suis locis repetantur. Nos verò huic Capiti finem imponamus.

CAPVT II.

De Lue Venerea.

VENEREÆ LVIS ORTVS ET APPELLATIONES VARIÆ. Nouas atque inauditas morborum species velut monstra in dies exoriri posse, siue ex vario superiorum corporum aspectu, seu diuersâ inferiorum causarum constitutione, notum faciunt *Exanthemata* illa puerorum, ante Arabum tempus incognita: *Impetigo seu mentagra* Plinij sæculo exorta: *Elephantiasis*, post deuictam à Romanis Ægyptum, in Europam primùm translata: *Sudor ille pestilens*, quem vulgo Britannicum dicimus: *Coquelucha* seu καρηβαρία contagiosa, quam nostro hoc æuo bis sæuissimè grassatam vidimus, & similes alij, siue ex alienis regionibus vbi vigebant importati, seu ibidem geniti.

Inter hos autem Lues Venerea, de quâ nunc acturi sumus, miserabile scortatorum flagellum, sub Caroli. VIII. Francorum Regis imperio Neapolin obsidentis, anno 1494. exorta, primatum obtinere videtur: tum fœdo grassandi modo, qui ferè per coitum contingit; tum sæuitate symptomatum, quibus stipata incedit. Esse autem affectum hunc nouum & antiquis incognitum, ex eo patet quod ex nouo illo orbe & Indiis Occidentalibus nuper repertis, in quibus est endemius & scabiei nostræ vulgari, vel puerulorum variolis simillimus, fuerit in Europam ab Hispanis cum reliquis mercibus adductus, & Gallis in illâ obsidione Neapolitanâ primùm communicatus: tum etiam quòd ad nullum ex morbis à veteribus commemoratis

memoratis commodè referri valeat: non ad Elephantiasin (cui tamen maximè affinis videtur) propterea quod symptomata habet tum præcedentia, tum comitantia, quæ nusquam in Elephantiasi apparent, vt gonorrhœam illam virulentam, bubones, pudendi cariem, dolores nocturnos, & similia: Prætereà ex inuadendi & curandi ratione maximè distinguuntur: nam lues hæc citò & per coitum frequentissimè propagatur, Elephantiasis verò tardè concipitur, & multæ sunt mulieres, quæ cum maritis Elephanticis diu habitarunt, illo morbo immunes: (*Hoc refert Fallop.* 773.) Imò hecticâ lue Venereâ infectus rarò similem prolem generat; Elephanticus verò semper vel vt plurimùm. Et cùm Elephantiasis nonnisi ægrè curetur, imò nusquam vbi confirmata fuerit, lues hæc nostris potissimùm temporibus facillimè expugnatur adhibitis remediis: Quæ cùm omnino sint diuersa in vtriusque curatione (nemo enim guajaco, ligno sassafras, & similibus sudorificis ritè aduersus Elephantiasin vtetur) sequitur etiam diuersas esse causas & affectus omnino discrepantes: Adde quod sæpiùs vidimus, Elephanticos etiam deploratos, & in publicis illis nosocomiis degentes, lue Venereâ corripi ex concubitu cum scortis infectis, quod non fieret, si quidem vnus & idem esset morbus, vt satis patet.

Ridicula est etiam opinio eorum, qui putant luem hanc Veneream reduci posse ad *Sahafatum* illud Auicennæ, quod nihil est aliud quàm Tinea capitis: Vel *Albotim*, quod inter fœdas scabies & impetigines refertur: Vel ad variolas, mentagram, aut dolores arthriticos, cùm sit manifestissimum alia esse symptomata in lue Venereâ, quæ in his nusquam apparent, & aliquam esse causam propriam, quæ quamuis affectus aliis morbis communes producat, habet tamen suam peculiarem naturam quam illis imprimit, nec alio remedio quàm suo & determinato tollitur, vbi semel pedem fixerit.

Cùm igitur nouus hic morbus vel causa morbifica, passim per omnes mundi partes hodie vagetur, quæri solet, vnde ortum suum habuerit: vtrùm scilicet ex aliquâ certâ regione, vt iam nos asseruimus, fuerit in alias translatus, vel à concursu quarumdam causarum externarum vel internarum profectus: Externarum, vt cœlestium constellationum, aëris, aquarum, & similium: Internarum, vt putredinis aut venenatæ qualitatis in corporibus quibusdam impuris genitæ, quæ posteà aliis per concubitum fuerit communicata. Astrologi gloriantur se huius morbi aduentum ex malignis syderum aspectibus, qui vndecim annis ante illius aduentum apparuerunt, prædixisse. Alij malunt luem hanc ex corruptelâ summâ aëris, quæ tunc contigit post insignia diluuia, vel aquarum infectarum vitia, aut corporum insepultorum fœtidis exhalationibus contigisse. Quidam denique putant ex prauo victu aut aëris mutatione, quâ Galli vsi sunt in illo exercitu, humores ita fuisse corruptos, vt luis istius deleteriam qualitatem per mutuum congressum & concubitum suscitarint. Sed ego istas omnes causas non tam vt præcipuas & veras efficientes agnosco, quàm comitantes & concausas. Etenim cùm priùs tales multæ fuerint constellationes, talia diluuia, aëris corruptelæ, aquarum inquinamenta, & humorum putredines per numerosas militum cateruas, nec subsequutus sit hic affectus: credibile est magis ista omnia concurrisse ad disponenda corpora huic lui suscipiendæ, quàm illam generasse: verùm translatam esse, vt diximus, ex Indiâ ab Hispanis in illum Gallorum exercitum, siue dolo, seu casu id factum fuerit.

Apud Indos autem communem esse & perpetuum hunc affectum, ex perpetuâ causæ præsentiâ & communi illius vsu, aëre videlicet aut victus genere, quo promiscuè vtuntur, vnde endemius illis seu indigena dici potest: nobis aduena & popularis, quia miserè per plebem grassatur ob actionem illam communem concumbendi, cuius vi contagij fomes disseminatur affatim. Exolescit verò nunc & quasi minuitur illius ferocitas, quia longiùs distat à primo illo seminario, seu infectionis principio: & quia causæ disponentes vel concurrentes minùs sunt idoneæ ad illum fouendum: mox tamen rediturus, si quidem illæ inualuerint denuò, aut seminarij vis renouata fuerit.

Ex vario autem hoc progrediendi modo, variæ huic morbo appellationes sunt attributæ. Nam ex varietate gentium, quæ illo primùm laborasse existimantur, aut loci vbi contractus est, dicitur Indicus, Hispanicus, Neapolitanus, & Gallicus. Ratione verò partis quæ plurimùm inficitur, Pudendagra. Ratione turpis & fœdi congressus, Syphilis, Meuius, & Lues Venerea dictus est. Ob similitudinem

Digitized by Google

litudinem autem, à Gallis vulgò magna seu crassa *Vairola* appellatur, quam Hispani *Pasurfam* etiam dicunt. Atque hæc de nominibus quibus ad placitum res nouæ & admirabiles insigniri solent.

LVIS VENEREÆ DEFINITIO. Luis Venereæ definitionem exquisitam, quæ scilicet illius essentiam, causas, & effectus complectatur, non est facile assignare, per medias Autorum de hac re decertantium controuersias. Est tamen in tam arduo opere aliquid audendum, & futuræ tractationis fundamentum hoc præcipuum stabilire. Sit igitur nobis Lues Venerea intemperies occulta, & contagio tantùm contracta, hepati potissimùm inhærens, illiúsque sanguinem ac spiritus natiuos ἀλλοιοπάθειά quadam inficiens, vnde tubercula, solutiones continui, propriæ corruptelæ, & certa symptomata per totum corpus exoriuntur. Hæc definitio nobis arridet, quia propriam huius morbi naturam detegit, partem primariò laborantem denotat, & causam ac symptomata peculiaria exprimit, ita vt conuerti possit cum suo definito, nec alteri morbo competat. Maluimus autem Luem Veneream tanquam morbum definire, quàm vt causam vel symptoma, quia Medicus debet potissimùm eas constitutiones contemplari, quæ in partibus corporis nostri genitæ à variis causis, ibi suam διάθεσιν posuerunt, & ea symptomata velut effectus proferunt, quibus maximè innotescunt. Adde quòd causæ illæ, vt vitiatum seminarium, cùm sæpe in corporibus contineantur absque vllâ qualitatis suæ impressione, non tam videntur complere affectus alicuius naturam, quàm ipsa dispositio præter naturam contracta, siue à causâ continente foueatur, seu iam causa desierit ista permanente. Symptomata autem mera, vel morbi symptomatici, quamuis nos ducant ad primarij affectus cognitionem, non debent tamen illius vicem tenere, sed ad genitricem causam seu dispositionem perpetuò referri.

Diximus itaque Luem Veneream esse intemperiem, propterea quòd cùm morbus iste potissimùm actiones similares labefactet, & hepatis sanguificationem vitiet, quæ in ipsius temperamenti seu caloris natiui εὐκρασίᾳ posita est, non tam ad morbos organicos, aut solutionem continui referri debet, quæ functiones istas naturales non lædunt per se vel primariò, sed ex accidenti tantùm. Præterea cùm morbus iste sit contagiosus, & nunquam nisi per contagium communicetur: contagij autem ratio sit posita in quadam putredine seu corruptelâ humorum vel partium, ex quibus virulenta illa seminaria velut μιάσματα effluunt: sequitur etiam temperamenti rationem in morbis hisce potiùs violari; quàm aut ipsam vnitatem vel dispositionem instrumentariam. Adde quòd soluta vnitas aut instrumentarij morbi, cùm pertineant ad quantitatem vel figuram, non habent principium agendi, ideoque non possunt seipsas multiplicare, aut similes affectus per contagium gignere. Quæ igitur apparent in Lue Venereâ exulcerationes, teredones, tubercula, & similes affectus, non tam sunt de essentiâ morbi primarij, quàm ad illius esse consequuntur: quemadmodum vulgata vlcera & tumores fieri solent ex vitiis plethoræ & cacochymiæ humoralis, quas intemperies partium nutritioni dicatarum pepererunt, vt eleganter docet Galenus *libr. de facult. natur.* Vnde etiam conficimus, non esse aggregatum multorum morborum & affectuum, vt quidam voluerunt; si quidem ista lues aliquando per se & sine illis subsistere potest, necnon simplicissimis expugnatur remediis, quæ morbum simplicem esse & vnum demonstrant.

Verùm hæc intemperies quæ luis essentiam constituit, non tam est vulgaris, & ex primarum qualitatum ἀνωμαλίᾳ simplici vel coniugatâ pendens (quamuis etiam illa coniungi frequenter possit pro vario temperamentorum & habituum modo, in quos lues hæc incidit) quàm occulta & ex certâ mixtionis labe suscitata, quam peculiaris istius seminarij, & inexplicabilis prauitas induxit, quod Galenus ad totam substantiam partium similarium Medico more refert. Quasi dicat, corruptionem quâ totius temperamenti (quod est forma & veluti præcipua substantia horum membrorum) harmonia violatur. Vt enim voluit ille, alimenta non tam quòd calida aut frigida, alere: medicamenta cathartica & partes similares familiaritate totius substantiæ, hoc est, certo quodam temperamento cum determinatâ hac materiâ, proprium sibi humorem allicere: Sic etiam esse venena & causas morbificas, morbósque, qui totâ substantiâ & dissidio occulto oppugnent naturam nostram, aut certas corporis nostri partes. Inter quos reponendam esse luem Veneream, ex eo conficimus.

Primò,

Digitized by

Primò, quod morbus iſte cum ſit perpetuò contagioſus & contagium habeat aliquid ſupra vulgatas qualitates (aliàs enim omnes intemperies eſſent contagioſæ) ſequitur etiam luem Veneream ex eodem cenſu & numero eſſe habendam. Secundò, quòd in lue Venereâ, modò intemperies calida & ſicca, modò frigida humida, modò alia dominari videatur, quod non fieret, ſi eſſet vulgaris & manifeſta quædam intemperies, perpetuò enim talis adeſſet, & non alia. Tertiò, quòd morbus iſte læſionem infert parti nobili & determinatæ, nempe hepati, per antipathiam quam habet cum ſpiritibus naturalibus, vt poſteà probabimus. Quartò, quòd non tam remediis qualitate manifeſtâ agentibus, vel methodicâ ratione inuentis expugnatur, quàm antidotis quibuſdam & certis alexipharmacis per experientiam compertis, vt poſteà videbimus.

Porrò hæc intemperies occulta perpetuò per contagium contrahitur, nuſquam autem vel à ſolis cauſis externis, vel internis. Nunquam enim viſus eſt aliquis, ex quo lues Venerea huic orbis parti innotuit, illâ corripi per aduerſam aëris aut alimentorum conſtitutionem, vel per cacochymiæ aut plethoræ vitia, niſi contactus ille impurus acceſſerit. Scabies, ophthalmia, elephantiaſis, & ſimiles alij morbi contagioſi, aliquando ex fomite communicato pendent, vt quando phthiſicus vel elephanticus alium inficit; aliàs tamen & phthiſici & elephantici euadunt, abſque vlla contagionis ſuſpicione, vt quotidianâ experientiâ confirmatur: At lues hæc Venerea nuſquam niſi ex ſimili contage proficiſcitur. Cúmque morbi iſti contagioſi multiplicentur per communicatam aliis corporibus ſubſtantiam aliquam humoralem vel vaporoſam, quæ eſt aut in ipſo corpore infecto, aut in aliquo fomite, vel in aëre ambiente: hic morbus communicatur potiſſimùm ex contactu corporum infectorum, rarò ex fomite, vt linteolis, veſtibus, & ſimilibus, nunquam per aëris inſpirationem. Vnde conficitur, craſſam magis & lentam eſſe materiam cui inhæret, & quæ veluti calore & ſuſcitatione egeat ad inferendam iſtam labem, vt in coitu, oſculo, & ſimili contactu amatorio: & ſic pro ratione contactus illius: ſi quidem per coitum fiat, primùm pudenda inficiuntur; per oſculum, labia & os; per oblactationem, vbera; per accubitum ſolum, cutis partes externæ quæ primùm continguntur, vt etiam accidit in compotatione in eodem poculo, geſtatione veſtium, vel aliarum rerum hac lue infectarum. Nuſquam autem ad diſtans, per medium ſcilicet aërem tranſmittitur, quoniam illa luis inquinamenta craſſiora & lentiora, non poſſunt peruadere aërem ambientem, & illi permiſceri: aliàs enim in modum peſtis & ſimilium morborum verè epidemicorum propagaretur.

Quamuis autem dixerimus pudenda, os, vbera, cutem, anum in præpoſterâ Venere, primùm contactu iſto impuro per communicatam materiam infici, non tamen inde putamus partes haſce verum eſſe ſubiectum luis Venereæ, ſed ipſum hepar actionum naturalium ſedem. Cùm enim certum ſit per iſtum morbum naturales functiones, quæ poſitæ ſunt in nutritione membrorum, potiſſimùm labefactari, & non ſolùm in aliquâ corporis parte, ſed in vniuerſum; vbi ſemel radices ſuas egerit, imò quaſi momento temporis totum ſanguinem aliquando vitiari, fœdum colorem induci, & ſimilia; quis non fateatur fontem ſanguinis & ſpirituum naturalium hac labe eſſe correptum potiùs quàm vnam vel duas ex partibus hiſce externis, quæ primò affectæ apparent? Fatemur quidem ſtatim in principio, vbi partium iſtarum externarum aliqua fuerit carie vel vlcere tentata, ibidem latere primum mali ſeminarium, quod per venas ipſas ſerpens, rectâ ad hepar per ἀνάστομον delatum veram tandem morbi ſedem occupat citiùs vel tardiùs pro majori eius vel minori reſiſtentiâ. Quod bubones illi venerei, & gonorrhœa virulenta ſatis oſtendunt, aliquando in principio morbi, aliàs in progreſſu apparentes. Cùm igitur aliæ partes, tam externæ quàm internæ, per hunc affectum modò lædantur, modò immunes ſint hoc malo, & illarum diſpoſitionibus perſanatis, vt carie pudendi, bubone, defluuio pilorum, & ſimilibus, adhuc perſeueret morbus: ſequitur aliquam eſſe partem, quæ ſit perpetuum ſubiectum ac præcipuum huius morbi. Illa verò erit, cuius functiones aut ab eâ dependentes perpetuò violantur, nempe naturales, quarum origo eſt hepar, ſaltem reſpectu materiæ ſeu obiecti, nempe ſanguinis, circa quem partes omnes ſpermaticæ ſuas operationes exercent, & pro cuius variâ conſtitutione, nutritio etiam immutatur, & certa excrementa in partibus colliguntur.

Adde quod in lue hac non ſolùm maſſa ſanguinaria inficitur, ſed etiam ſpiritus

illi naturales infestâ quadam proprietate ita dissipantur, vt illâ correpti subitò in torporem vniuersi corporis, coloris defœdationem, & mentulæ seu appetitus coeundi eneruationem incidant. Quod non fieret, nisi ipsa origo spirituum influentium esset labefactata, quibus insiti recreantur, & ad sua quasi munia suscitantur. Verùm dicet aliquis, cùm luis istius seminaria ita sint virulenta & impura, vt partes externas quas contingunt, exulcerare soleant, quî fit quod in hepate lue venereâ affectorum, nunquam vlcus aut saltem ἕλκωσις sit reperta? Prætereà cùm tot eruditi viri de istius affectus θεραπεία scripserint, eúmque feliciter profligarint, cur nusquam de appropriatis & quæ peculiarem respectum habeant cum hepate, vel de topicis hepati admouendis memminerunt? Quod tamen faciendum videbatur, si quidem ibi posita sit præcipua morbi istius essentia. Cur etiam nulla illius signa ex vrinis repetuntur, quæ certissimè partium istarum nutricationi dicatarum constitutiones designare solent? Non carent certè obiectiones istæ difficultate, quam nos ita dissoluere conabimur. Primò, quod attinet ad exulcerationem, dicimus eam neque esse de essentiâ istius affectus, neque necessariò illum consequi, sed ex accidenti tantùm, quando videlicet ex confricatione & attritu partium, virulenta illa cacochymia erodit partes sibi in primo occursu obuias, reliquas verò non item, quibus tantùm suæ venenositatis labem imprimit. Ac proinde cùm hepar longè sit dissitum ab immediato illo contactu, non esse mirum si quandoque nullo vlcere afficiatur, sed tantùm intemperie propriâ, quâ actionum iam dictarum læsiones emergunt: necnon cùm hepar sit benignioris succi fons & scaturigo, quo plurimùm semper abundare solet, fit vt seminaria illa contagiosa per venas delata, & quasi sanguine diluta minorem habeant vim ad exulcerandum hepar, quàm externæ partes, in quibus sincera & impermixta continentur. Ioubertus tamen asserit, visa in apertis cadaueribus fœda vlcera & pustulas in visceribus. Quod ad secundum attinet, cùm morbus hic in occultâ quadam labe & certis seminariis consistat, quibus totum corpus inficitur, & in quorum exclusione tota curationis vis posita est: parum solliciti fuerunt Practici de præscribendis appropriatis vel topicis quæ hepati admouerentur, & quibus parum proficias, nisi antidota vsurpentur. Hæc autem, vt decoctum ligni guajaci, & similia, cùm integris ferè viribus ad hepar deferantur, parum solliciti fuerunt de admouendis extrinsecus remediis: quæ tamen non sunt omnino aspernanda, vbi potissimùm illius vires iam labascere & imminui videntur. Vrinas verò hîc non spectamus, nec ex eis luis istius signa repetimus, quoniam occultæ istæ corruptelæ & totius substantiæ morbi non faciunt manifestas sui significationes in vrinis, vt patet de peste & venenis. Quamuis etiam non dubitemus in lue Venereâ correptis, potissimùm si intemperies quædam manifesta coniuncta fuerit, vt sæpe contingit, quin vrinæ varias mutationes suscipiant, quas etiam Medicus contemplari potest. Et sic nihil vrgent argumenta aduersus sententiam nostram adducta.

Vltimum ergo definitionis nostræ membrum continebat effectus siue symptomata, quæ luem istam consequuntur, & ex quibus innotescere solet, putà tubercula siue tumores præter naturam, solutiones continui siue vlcera, proprias corruptelas, & actionum læsarum syndromen, quæ peculiariter in hoc morbo apparent. Ex quorum omnium diuersitate, tam diuersa etiam huius affectus natura efficitur, & differentiæ seu gradus constituuntur. Quorum omnium, vt consequentium morborum ac symptomatum, rationes assignabimus capite de signis, vbi priùs de causis ipsis actum fuerit.

Causæ Luis Venereæ. Quamuis videamur sufficienter in præcedentibus, ortum luis Venereæ, & generationis modum ac causas expressisse: non erit tamen inutile, si de eis adhuc secundùm solitam Medicorum viam, quæ certo ordini inhæreat, breuiter agamus. Cùm igitur dixerimus præcipuam potissimámque causam, per quam lues ista contrahitur, esse externam, nempe contagium seu propagationem similis per communicatam quandam substantiam, in quâ vis seminarij lateat, siue hoc sit in ipso ortu à seminibus parentum infectis, vel post ortum ex contactu contagij mediato vel immediato; Mediato, vt quando fit per fomitem, vestimenta scilicet, pocula, & similia, in quibus mali istius seminaria delitescunt: Immediato autem, vt per oblactationem, quando pueruli nutricum impurarum mammas sugunt, vel contrà quando nutrices pueruli impuris vbera sua sugenda præbent; per oscula frequentiora, per accubitum

in

in eodem lectulo, aut denique per coitum, qui modus eſt magis vſitatus & vulgaris. Cauſa iſta externa ſiue luis ſeminarium, redditur interna & antecedens, vbi primùm partes illas in ſuperficie corporis poſitas, os, mammas, cutem vel pudenda contigerit, eáque parata ad ſuſcipiendam hanc labem repererit; inde per venas velut tubulos delata aut ſecundùm materiam, aut per multiplicationem deleteriæ qualitatis (quod facillimè fit in eiuſmodi affectionibus propter ſummam actiuitatem, vt docet eleganter Galenus de ſcorpionis ictu *libri de loc. affect.*) naturales primùm ſpiritus impetit, & certâ ἀλλοιώσει labefactat, túncque adhuc fiens dici poteſt, donec ipſam hepatis ſubſtantiam inuaſerit, ibíque ſuæ eſſentiæ characterem impreſſerit, & tunc coniuncta ſeu continens cauſa euadit, per quam, interceſſu ſcilicet ipſius morbi iam facti & διαμένω habentis, deprauantur functiones naturales, tam in ipsâ origine, quàm per reliquum corpus, in hac videlicet, vel illâ parte, prout magis vel minùs parata fuerit ad patiendum; vnde tam variæ apparent huius morbi facies & veluti ideæ pro varietate partium, temperamentorum, & humorum dominantium. Hinc maſſæ ſanguinariæ putredines ſeu corruptelæ, intemperies calida humida, ſæpe calida ſicca, in progreſſu verò frigida humida, quando iam attrito & fracto caloris natiui robore, excrementa pituitoſa, ſalſa & acria, vtpote virulentiæ illius participia colliguntur. Nec tamen ideò putandum, vt quidam voluerunt, huius morbi cauſam continentem in illâ intemperie eſſe poſitam, aut luis ſeminaria & cauſam continentem analogiam habere cum phlegmate craſſo magis quàm cum aliis humoribus: Etenim cùm intemperies illa non ſit perpetua, ſed modò ad hanc, modò ad illam magis vergat pro diuerſitate temperamentorum, hinc propria illa & peculiaris labes agnoſcenda, quam *Vairolicam* appellamus, ex quâ prædicta ſuſcitatur. Phlegma autem illud craſſum & acrimoniâ præditum non apparet in principio morbi, ſed in diuturno progreſſu, quandó iam partium concoctiones vitiantur, & diuturnam labem contraxerunt. Quod tamen fieret, ſi quidem illa analogia eſſet vera, & pituitoſos homines magis quàm alios inuaderet, ſenes potiùs quàm iuuenes, mulieres quàm viros: quod tamen falſum eſſe experientiâ certiſſimâ comprobatur, [ac proinde antecedens, ſeu quod illi inferre volebant.] Verùm obiiciunt huius ſententiæ aſſertores, vnde igitur dolores illi nocturni in lue Venereâ? vnde tumores frigidi & gummatoſi, niſi pituita dominetur in illis? Adde quòd ipſa curatio per calfacientia, attenuantia, incidentia & ſudorifica, non poteſt alium humorem quàm pituitoſum reſpicere: Et ſi quidem in progreſſu temporis tantùm hoc fiat, vt nos dicimus, ob eneruatum calorem inſitum, cur idem non apparet in hecticis aut Elephanticis, quibus ſimilis aut maior diſſipatio contingit?

His ergo obiectionibus ita ſatisfaciemus, dicentes nocturnos illos dolores non ſequi ſimplicem pituitæ dominatum, ſed alias cauſas, vt nos poſteà dicemus in ſignorum explicatione: Et illos tumores ſubſequi potiùs luem iamdiu progreſſam, quàm comitari, vt quotidie videmus, quando ſcilicet ſenſim & paulatim intemperies frigida & humida in partibus eſt introducta: Remedia autem illa adducta non tam propter qualitates manifeſtas expetuntur, quàm occultas & alexipharmacas, quamuis illæ non parum iuuent, ad propellenda luis ſeminaria in partibus deliteſcentia, attenuantibus illis & ſudorificis facultatibus. In Elephantiaſeos autem & hecticæ progreſſu idem non apparere, propterea quod Elephantiaſis procedit ſemper incinerando ac comburendo humores, quia illius eſſentia poſita eſt in ſiccâ calidáque conſtitutione hepatis: hectica verò non tam agit circa humores, quàm circa ſolidam & radicalem partium ſubſtantiam, illam abſorbendo & exhauriendo, vnde non fit ſimilis humorum prouentus, quemadmodum in lue Venereâ. Atque vt oſtendamus certiùs pituitæ iſtius collectionem contingere ex accidenti, & in progreſſu luis, non autem ex naturâ morbi: contemplemur illius ortum ex calidiſſimâ & æſtuoſiſſimâ regione, nempe Indicâ; illiúſque effectus, nempe ſymptomata ſtatim apparentia, vt bubonas, gonorrhœam, exulcerationes, depilationes, & ſimilia, quæ nemo ad pituitam ipſam, vel humores frigidos referre poteſt: Ac proinde concludimus, Luis iſtius continentem cauſam ſeu ſeminarium & vaporem ἀλλοιώσει ſuâ ſpiritus natiuos propriè oppugnare, analogiam verò habere cum hepatis corpore, quod peculiariter & determinatè inuadit, variéque humores afficit, donec ex vitiatâ certo modo concoctione hu-

mores craſſi & quodammodo pituitoſi ſuſcitantur, ſummâ tamen virulentiâ & malignitate præditi.

Itaque cùm in omni actione peragendâ, non ſolùm efficientis potentia requiratur, ſed etiam patientis diſpoſitio ad alterationem ſeu mutationem ſuſcipiendam: Ideò videndum etiam nobis, quid cauſæ naturales, non naturales, & præter naturam valeant, ad augendam contagij iſtius vim, & ſubiectum ſeu corpora huic labi ſuſcipiendæ diſponenda. Quod ad res ergo non naturales ſpectat, à quibus quia externæ ſunt & procatarcticæ; videtur incipiendum: Aëris conſtitutiones non parum valent ad vtrumque præſtandum, ſiue ille à cauſis ſuperioribus ſeu inferioribus immutetur. Vt enim peſtilentia & reliqui morbi Epidemiales ex aëris corruptelâ originem ſuam ducunt, quam tamen poſteà fomes ſiue contagium diu conſeruat abſque illius vitio: ſic noſter hic affectus cùm pendeat primùm à conſtitutione illâ aëris Indici, hîc verò à ſolo contagio: quoties tamen contigerit, vt aëris noſtri conſtitutio proximè ad Indicam accedat, toties magis ſæuire & corporibus hominum contagionis ſuæ vim imprimere poterit: qualis fuit illa quæ ſub Carolo VIII. contigit. Quod ad manifeſtas verò aëris qualitates, vt calida & tenuis plurimùm poteſt ad ſuſcitanda luis iſtius ſeminaria: ſic frigida & craſſa magis valet ad retinenda ſeu imprimenda: Vnde videmus apud Lutetiam Pariſiorum, Rothomagum, & ſimiles vrbes ferociorem eſſe hunc affectum, quàm in his regionibus, vel in Hiſpaniâ. Adde viuendi rationem magis opiparam & ingluuiei addictam, etiam ſordidam ex alimentis viſcidis, aut putrediui obnoxiis, quæ materiam progenerent huic lui ſuſcipiendæ valde idoneam. Sic excrementorum ſuppreſſiones indebitæ, motus intempeſtiui, aut paulò ante coitum facti, quia rarefaciunt totum corpus, & vaſa dilatant, (*Qui poſtquàm pilâ diu luſerunt, vel alio ſe modo exercuerunt, ſtatim commiſcentur ſcortis, facilius contrahunt luem Veneream.*) amplexus diuturniores, & ſomnus longior, cum eiuſmodi ſcortis, necnon ingens voluptas & animi ardor inter coëundum, faciunt vt corporibus faciliùs imprimantur eiuſmodi defluuia virulentæ luis: ſic temperamentorum diuerſitas magis apta ad illam recipiendam & inferendam. Pituitoſi enim & melancholici, non tam facilè quidem corripiuntur, propterea quòd non ſunt tam prompti ad coëundum, quàm ſanguinei vel bilioſi, habéntque corpus magis denſum, & humores craſſos, ac ſpiritus, quos non eſt tam facile penetrare: vbi tamen ſemel correpti fuerint, pertinaciùs illis inhæret, & peſſima ſeminaria excutiunt. Mulieres etiam non tam facilè quàm viri inficiuntur ob eandem cauſam; nec ſenes aut conſtantis ætatis homines, quàm ephebi & adoleſcentes nuper ſub Veneris vexillo militantes, quia incauti alacriùs pugnant, & maiori voluptate mulierculas perfundunt ac perfunduntur. Idem dicas de hepatis, ac naturalium ſpirituum conſtitutione, vaſorum & pudendorum, quæ prout robuſtiora vel infirmiora, ſtrictiora vel patentiora fuerint, ſic etiam faciliùs vel difficiliùs recipiunt luis iſtius impreſſionem. Annotarunt Practici, eos qui tardiùs ſemen emittunt, quíque membrum virile habent oblongius, aut qui glandem præputio habent valde obtectam, faciliùs contrahere hoc vitium, quia magis morantur in contactu, profundiùs penetrant ad interiores illas vteri ſordes, & eas ſub cute longiùs retinent, aut interiùs ob balani mollitiem admittunt. Ad id etiam faciunt res contra naturam, vt plethora vel cacochymia ingens, infirmitas virium ex præcedente morbo, lues Venerea nouiſſimè curata, elephantica diſpoſitio, & ſimiles; quæ omnia diſponunt corpora, & veluti præparant ad iſtam virulentiam, & teterrima ſeminaria facillimè ſuſcipienda: necnon ad generandam peſſimam contagionem, quæ alios deinceps inficiat. Atque hæc de cauſis, tam principalibus, quàm concurrentibus & diſponentibus ad luem Veneream ſufficiant, quarum cognitio maximè ad προφύλαξιν & illius præcautionem facit, vt nos poſteà videbimus. Nunc inſtat vt de ſignis agamus.

DIAGNOSIS LVIS VENEREÆ, EIVSQVE GRADVVM ET DIFFERENTIARVM. In quocunque affectu priuſquam de curatione cogitemus, agnoſcendam eſſe partem affectam, cauſas affectus, & illius naturam ſiue eſſentiam, eleganter docet Galenus. Quod in vulgaribus morbis, & à manifeſtâ qualitate pendentibus multò eſt facilius, quàm in eis qui occulto quodam diſſidio & proprietate inexplicabili corporis noſtri conſtitutionem immutant, qualis eſt lues hæc Venerea. Videndum tamen, vt ex solitâ methodo, ſignorum fontes reperamus, & diagnoſin noſtram ſtabiliamus.

Quod

Quod ad partem itaque affectam ſpectat : ſiquidem reſpicias eam quæ primò læditur, vt plurimùm externa eſt & oculis obuia, quam exulceratio leuis aut puſtula in ipſo ſtatim fœdo contactu occupat, vel paulò pòſt ; ſicque agnoſcimus quâ primùm parte peccatum fuerit, & per quam inſinuatus fuerit hic affectus, verbi gratia per vbera, oblactando ; per os ſugendo ; per cutem accumbendo ; per pudenda coëundo ; & ſic de reliquis. At verò pars primariò laborans, ſeu ἴδιον ὑποκείμενον, proprium ſubiectum, cùm ſit in profundo corporis latens, ab actione læsâ ; & reliquis indiciis internoſcenda. Itaque cùm naturales functiones perpetuò hîc lædantur, maſſa ſanguinaria & ſpiritus natiui inficiantur, color cutis defœdetur, nutritio per vniuerſum corpus vitietur, teterrima excrementa profluant ſæpiſſimè per vaſa ſeminalia, aut in inguina deponantur : hæc certè omnia ſatis oſtendunt, iecur primarium alitionis noſtræ inſtrumentum præcipuam eſſe partem quæ in hoc morbo afficitur. Per conſenſum autem & virulentæ materiæ communicationem reliquas partes, prout robuſtiores vel infirmiores fuerint : vnde quibuſdam cor, aliis pulmones, ventriculus, frequentiſſimè verò caput, ob copioſam excrementorum illuuiem, quibus ſcatere ſolet, magis vel minùs inficiuntur : quibuſdam tota mali vis in oſſa ipſa & partes ſpermaticas conuertitur, quemadmodum febres multæ, prætermiſſis ſpiritibus & humoribus, ſolidas corporis particulas inuadunt.

Cauſæ verò iſtius affectus repetendæ ex cenſu rerum naturalium, non naturalium, & præter naturam, ſiue ſint diſponentes, ſiue augentes affectum : Temperamentum enim, vt diximus, ſanguineum aut bilioſum, vel putredini obnoxium, habitus raritas, ætas florens & incauta, genitalium conformatio, aëris & alimentorum corruptelæ, concumbenbi ardor & laſciuia, oſtendunt maximam diſpoſitionem & aptitudinem : quæ ſi inciderit in ſcortum impuriſſimum, facillimè omnium ſuſcipiet labem virulentiæ illius, quamquam in aliis naturis & conſtitutionibus etiam contingere poſſit, ex vehementiâ aut diuturnitate cauſæ efficientis præcipuæ, nempe contagij ex virulentis illis ſeminariis contracti, ſiue ſit in ipſo vtero ex ſemine aut ſanguine menſtruo hac labe infectis, quod vtriuſque vel alterutrius parentis diſpoſitiones vairolicæ & grauiores, (aliæ enim vix ſobolem inficiunt) notum facient, ſiue extra vterum ex fœdis contactibus iam à nobis commemoratis, qui prout varios humores aut plethoram in corpore hoc vel illo nanciſcuntur, variarumque ægritudinum ideas ; ſic etiam has vel illas intemperies, ſolutiones continui, tumores, & diuerſa ſymptomata producere conſueuerunt : perpetuò verò imprimunt διάθεσιν illam propriam & virulentam, quæ eſt vera huius morbi eſſentia, & quæ prout maior vel minor eſt, vehementior aut tardior, noua vel inueterata, ſuis etiam ſe prodit ſignis ac effectibus, quorum beneficio in plures quaſi gradus vel etiam differentias diſtinguitur. Quamuis autem hæc ſigna ſiue conſequentia luem Veneream, non ſemper ſimilem typum, aut certum ordinem obſeruent : quia tamen plurimùm ita ſe inſequuntur, vt quædam exorientem luem & in fieri poſitam, alia confirmatam & factam, alia denique inueteratam & hecticam comitentur : ideò in notis illius recenſendis, hunc ſequemur progreſſus ordinem, quo morbi iſtius gradus & veluti incrementa quædam faciliùs diſtinguantur.

Nouum itaque & exorientem affectum venereum velut aſſeclæ, ſatellites aut anteambulones quidam, comitantur in primis leuia vlcuſcula ſeu puſtulæ partis illius quæ primum contactum paſſa eſt, ob acrimoniam ſcilicet virulentæ illius materiæ, quæ à corpore contagioſo communicata exteriori illi particulæ adhæſit. Quòd ſi per coitum contractus ſit hic affectus ; præter illam cariem pudendi, quæ excitari ſolet, fit bubo in inguine dextro, vel etiam in vtroque, quia irritatum hepar à virulentis illis ſeminariis, excutit in proximam partem & conſuetum emunctorium materiam illam cum ſanguine : vnde aliquando eiuſmodi tumores ſuppurantur. Aliàs ſymptomaticus eſt tantùm hic bubo, & oppreſſionem viſcerum aut dolores partium ſubſequens, & in progreſſu potiùs morbi quàm initio apparet. Quemadmodum & gonorrhœa illa virulenta, quæ accidit ob eneruatas vires partium ſpermaticarum à teterrimo illo vapore, vnde ſemen fœtidum & ichoroſum ſine vllâ voluptate emittunt : aliàs ſequitur inflammationem vel exulcerationem glandularum illarum, quas paraſtatas vocant, propter quam irritatâ excretrice fit perpetuus materiæ virulentæ fluxus, cuius hepar magnam ſuggerit portionem. His ſtatim coniungitur aut præcedit laſſi-

Digitized by Google

tudo quædam ſpontanea, etiam poſt ſomnum, quam infecti ſentiunt præter ſolitum, cum tegnitie totius corporis, & animi mœrore inſueto, ob labefactatos ſcilicet ſpiritus naturales, & communicatos iam eiuſmodi vapores cordi, cerebro, & toti corpori. Vnde etiam dolor quidam vagus & paruus infeſtat, propter expirationes iſtas, modò caput, aliàs humeros, aliquando ſuras vel plantas pedum impetentes & citò diſſipatas. Iamque auctis malignis hiſce vaporibus, & infecto paululum ſanguine, fœdus color in facie apparet, triſtitia vultus, languor oculi, cuius palpebræ & concaua velut circulo quodam liuent. Quibus accedunt febricula quædam, calor inſolitus circa volas & pedum plantas, ob calefactum iam & agitatum à prauis illis ſeminariis ſanguinem: vnde etiam quibuſdam exoriuntur velut exanthemata quædam morſibus pulicum ſimillima per totum corpus, & aliquando leuę pilorum defluuium, corruptis illorum radicibus à vaporum acrimoniâ, ſed qui facilè renaſcuntur. Atque hæc ſunt iſtius affectus præcipua indicia, quæ quamuis non ſint ἀχωρίστα & inſeparabilia, ſed in aliis etiam morbis reperiantur, poſſunt tamen ex cognitâ huius contagij causâ, illius in corpore iam exorientem labem deſignare.

Vbi verò iam altiùs malum inſederit, & imperij ſui limites latiùs & firmiùs propagarit, grauiora etiam exurgunt ſymptomata & morboſi affectus. Etenim grauiùs affecto hepate & reliquis partibus coctioni per totum corpus dicatis, ob ſanguinis corruptelam, & labefactatam alteratricem facultatem, poſt ſpatium ſcilicet trium vel quatuor menſium, emergunt puſtulæ craſſæ & duræ, præcipuè circa caput, frontem, barbam, & ponè aures; aliquando varis vulgò dictis (vnde nomen Vairolæ) aliàs puerulorum ecthymatis ſimillimæ, aliquando verrucis propinquiores, variiſque coloribus donatæ, qui ex vario humorum dominatu proficiſcuntur, vnde aliquando ſuppurantur, ſed ſæpiùs malignum, ſordidum, & cruſtuloſum vlcus excitantes, aliàs omnino indurantur & ſcirrheſcunt. Inde in pene aut balano tumores duri, aut cruſtulæ callis ſimillimæ, poſt ſanatam illam cariem, aut ſine eâ exortæ, quæ aliquando degenerant in gangrænam aut ſphaceliſmum, & propriè deſignant rebellem huius affectus naturam. Iam itaque inualeſcente morbo, cerebrum ſumma excrementorum corporis noſtri officina vitium contrahit, & ſubiectis partibus fluxionum peſſimarum multitudinem concitat: Hinc vuulæ primùm relaxatio, inflammationes faucium, raucedines, tumores in pariſthmiis, abſque vllâ aut paruâ aliarum cauſarum ſuſpicione, quæ catarrhos excitare ſolent: Quibus coniungitur peſſima alopecia & caſus capillorum, vulgò Pelada dictus, qui nec per ſe curatur, vt iam dictus; nec aliis remediis quàm veris alexipharmacis cedit. His adde dolores illos clamoſos artuum ſæuiſſimos, qui media muſculorum ſpatia occupant, & noctu ſummopere exacerbantur, quia pendent à vaporibus ex tertiâ alimenti coctione excitatis, qui non ſolùm pungunt & vellicant partes, ſed etiam diſtendunt ac quaſi dilacerant membranoſam earum ſubſtantiam; potiùs noctu quàm interdiu, quia noctis frigore magis ad interiora coguntur, & quia tunc calor natiuus coctioni intentus humores magis exagitat. Occupant autem media artuum ſpatia, quia ibi maior carnis & cæterarum partium moles, ex quibus illi ſuſcitantur vapores.

Demum inueterato affectu & hectico ſeu habituali reddito, partes ſolidæ & vera corporis ſubſtantia occupatur: Vnde palati & dentium corruptiones, aliquando tantæ vt totum os baſilare decidat, & per naſi foramina velut antrum in fauces vſque appareat, voce omnino amiſsâ vel corruptâ. Reliqua etiam oſſa labefactantur, & cariem perpetiuntur, nullo vlcere exiſtente in partibus carnoſis, præcipuè verò os narium, frontis, & bregmatis. Vnde quibuſdam apertâ cute inuenta eſt in illis caries, quæ capituli magnitudinem adæquaret; tales etiam in oſſibus brachij & metacarpio apparuerunt, ex vitiato ſcilicet alimento, & infixâ penitiùs eiuſmodi virulentiâ, propter quam aliquando diſtortiones, & figuræ in membris deprauationes ſubſequuntur. Vtque in oſſibus, ſic in cute apparent peſſimæ iſtæ conſtitutiones, calli nimirum & ῥάγαδες ſeu fiſſuræ cum fœdis impetiginibus, præcipuè in volis manuum & plantis pedum, ipſique vngues ſquamatim decidunt. Sub cute verò & circa perioſtion, naſcuntur tumores duri & gummatoſi ad atheromatum naturam accedentes, aliquando oſſi ipſi adnaſcuntur, vnde ἐξοστώσεις vocantur, in capite autem talpariam dictam excitant, & fiunt ex congeſtione peſſimorum ac mucoſorum humorum ex depra-

uatione

uatione ſeu reliquiis alimenti in ſingulis partibus genitorum, qui acrimoniæ & virulentiæ illius participes, non ſolùm diſtendunt & cruciant partes; ſed etiam corrumpunt & erodunt. Peſſimum eſt in inueteratâ lue, quando iam pulmones occupantur, & aſthma ex illorum maligno affectu excitatur: paulatim enim communicato cordi affectu, contabeſcit totum corpus, & hecticam vairolæ incurrunt, quæ eſt omnino deplorata. His omnibus addunt quidam tinnitum aurium pertinacem & diuturnum, & vrinam crudam, ſubalbidam vel ſubuiridem cum paucâ aut nullâ hypoſtaſi. Sed ego iſtis duobus paruam fidem adhibendam exiſtimo. Quod ad tinnitum enim ſpectat, cùm multis morbis capitis ſit communis, & ſequatur incluſos in auribus flatus, videtur tam principia luis, quàm illius incrementa & perfectionem ſequi poſſe. Vrinam autem parum poſſe ad deleterias iſtas & occultas morborum diſpoſitiones, nemo eſt Medicorum, qui non fateatur facilè: & ſi quidem tales in progreſſu luis Venereæ appareant, hoc non eſt perpetuum, nec propriè pendet à luis eſſentiâ, ſed coniunctâ illi manifeſtâ intemperie viſcerum. Atque hæc de diagnoſi huius affectus, & ratione præciputorum ſignorum, quæ in illo apparere ſolent: nunc ad prognoſin accedamus.

Prognosis lvis Venereæ. Signa quæ ad prognoſin ſpectant, alia eſſe decretoria, quædam coctionis & cruditatis, alia ſalutis & mortis eleganter docuit Galenus, *comment. in Aphor. 12. ſect. prima.* Quomodo verò ad propoſitum affectum referri poſſint, oportet vt videamus. Cùm enim hic morbus poſitus ſit in deleteriâ quadam qualitate, quæ hepar, natiuos ſpiritus & ſanguinem inficit, illiſque pertinaciter adhæret: cumque vt plurimum ſuâ ſponte & naturæ beneficio non curetur, ſed vſu alexipharmacorum, remediorumque illi peculiarium: hinc ſequitur nec coctiones aut cruditates ſpectandas, nec vacuationes criticas, quæ certis diebus poſt pepaſmum contingunt, eſſe expectandas, quia teterrima iſta ſeminaria eludunt omnem caloris natiui actionem, niſi certis, vt dicebamus, antidotis & ſudorificis adiuti. Itaque tota prognoſis poſita hîc videtur, vt ſalutem aut mortem, longitudinem aut breuitatem, ſeu curandi difficultatem vel facilitatem præuideamus & prædicamus. Quod ad ſalutem & mortem ſpectat, rarò lues Venerea hominem tradit internecioni, ſed in longiores pœnas ac cruciatus ſeruat: quoniam ſenſim & multo otio occupat partes, datque ægro ac Medico ſpatium, quo poſſit illi mederi per ſua appropriata remedia, quæ natura ſagax in tanti mali ſubſidium largâ manu produxit: niſi fortè in valde ſenibus contingat, qui propter innati calidi infirmitatem & excrementorum copiam facilè ſuccumbunt malignis hiſce affectionibus; Vel in eis qui hydropi, atrophiæ, cachexiæ, aſthmati, paralyſi, elephantiaſi, & ſimilibus, ſunt obnoxij aut propinquiſſimi; Quia tales facillimè luis aduentu in eiuſmodi affectus præcipitantur; vel certè non poſſunt ferre conuenientem medicationem. Quoties etiam peſſima hæc conſtitutio primùm impetit palatum & fauces, vt vel columella abſumatur, vel dentes mobiles ac tremuli reddantur, aut os baſilare decidat: tunc etiam lethum inferre ſolet, tam propter comedendi bibendique impedimentum maximum quod infert, quàm aëris externi ad interiora penetrantis ſine vllâ refractione copiam, quâ facillimè cordis ſpiritus & calor diſſipantur. De longitudine autem vel breuitate, ſeu curandi difficultate vel facilitate pronuntiabimus in hoc affectu ex cauſæ efficientis ſeu contagij naturâ, ex affectus ſpecie ſeu differentiâ, loco ſeu ſubiecto quod occupat, effectis ſeu ſymptomatis conſequentibus, & iuuantibus. Reſpectu enim contagij ſeu generantis & tranſmittentis cauſæ, quò magis infectum & contaminatum fuit corpus viri vel mulieris, ex quo eiuſmodi ſeminaria contracta ſunt, eò validiorem eſſe impreſſionem, contumaciorem, & curatu difficiliorem exiſtimandum eſt, potiſſimùm ſi diu ſimul verſati fuerint, ſi ſordidè vixerint & accubuerint, ſi aëris mala conſtitutio, vt calidior vel putredinoſa concurrerit, ſi excrementorum copia, & cæteræ corporis aut partium conſtitutiones à nobis commemoratæ adfuerint. Horum enim maior vel minor concurſus auget vel minuit contagij vim, & corporis ad patiendum diſpoſitionem.

Affectus ergo iſtius ſpecies, quamuis vna ſit ratione ſuæ eſſentiæ, minoris tamen ac maioris ratione diſtincta in ſuos gradus, vt dicebamus, oſtendit eius potentiam aut infirmitatem. Quæ enim lues hectica veluti euaſit, & primo ferè occurſu, neglectis quaſi ſpiritibus & humoribus, partes ſolidas impetiit, illa maximè

eſt

eſt reformidanda & vix curationi cedit,aut ſaltem frequentes recidiuas committit, quia relinquit in eiuſmodi membris malam qualitatem, quæ facili negotio rediuiuum facit affectum.

Idem dicas de locis particularibus ſeu ſubiectis quæ occupat. Nam illa lues quæ nullâ ſui ferè ſignificatione exteriùs facta, velut furens recta hepar impetit, & inde dilatatis ſui imperij limitibus cor, cerebrum, & ſimiles partes adoritur, oſtendit quantæ ſit actiuitatis,& quàm difficilè ceſſura ſit conuenientibus remediis. Contra vbi inguina tantùm vel paraſtatas occupat, aut certè leuiſſimam hepati noxam infert, tunc vel per ſeipſam ſoluitur, vel leuiſſimâ ſaltem medicatione.

Quod adhuc certiùs innoteſcit ex effectis ac conſequentibus morbis vel ſymptomatis. Nam ſiue exulcerationes ſpectes, ſiue tubercula,aut corruptelas partium, quò maiores,profundiores,calloſiores,aut iunctâ tandem putredine acriores fuerint, eò maiorem contumaciam & morbi pertinaciam indicant: Quam ſi non vicerint conuenientiſſima remedia & exquiſitè adhibita, aut difficulter, ita vt ad ignem vel ferrum accedendum ſit,oſtendunt peſſimam eſſe conſtitutionem,& quæ magna poteſt inducere pericula, potiſſimùm ſi natura fuerit infirmior, vt iam dicebamus, per ſe,vt per ætatem; vel ex accidenti, vt propter morbos prægreſſos, cachexiam, & ſimiles, à quibus vires effœtæ redduntur. In genere poſſumus pronunciare luem Veneream in pituitoſis & melancholicis naturis contumaciorem eſſe & diuturniorem:vt in ſanguineis ac bilioſis,in quibus facilè concipitur, vehementiorem,ſed ſolutu faciliorem,propter humorum tenuitatem,& totius corporis ὑγρότητα ac raritatem maximam. Atque hæc de prognoſi.

Præservatio a lve Venerea. Cùm multò ſit præſtantius, ex Galeni ſententiâ, morbos ne fiant impedire, quàm iam genitos curare, mirum eſt eos qui de lue Venereâ hactenus ſcripſerunt, nihil de prophylaxi ſeu præcautione illius tetigiſſe, ſed omnes ſoli therapeiæ incumbere. Quamuis enim tota morbi iſtius generatio ex contagionis vi pendeat, ac proinde illius præſeruatio poſita in eo videatur, vt diligenter impurus rerum infectarum contactus vitetur: quia tamen hoc ſemper fieri non poteſt, etiam à modeſtiſſimis & prudentiſſimis hominibus, præcipuè regiones illas, vbi morbus hic valde graſſatur, incolentibus: & quia contagij ipſius vis ab aliis cauſis augetur vel minuitur, ipſaque corpora magis vel minùs parata redduntur ad luem iſtam ſuſcipiendam: ideò omnium illarum diligens ratio habenda, vt conueniens ac methodica luis Venereæ præcautio inſtituatur,quam nos hîc meditamur.

Imprimis itaque cauſæ omnes diſponentes ſubiectum ad recipiendam hanc luem, vel augentes contagij vim, ita conſtituantur, quatenus fieri poterit, vt & minorem agendi vim illa ſeminaria obtineant, & corpus ipſum ἀνωμαλὲς, hoc eſt, minùs ad patiendum idoneum reperiant. Aëris igitur ea habeatur ratio, vt ſub malignâ illius conſtitutione nullus aut rarus admodum ſit coitus.Item ſub ardente cœlo aut inæqualiſſimâ Autumni tempeſtate pauciſſimus & ex interuallis potiùs, quàm continuatis pluribuſque vicibus vnâ nocte celebratus: ſic enim vires corporis minùs deiiciuntur, & ex breuiore morâ minùs poteſt ſerpere illud contagium. Quòd ſi quis ad corrigendam malignam aëris qualitatem, vbi contigerit;vel fugandos tetros vapores quos eiuſmodi ſcorta expirant, velit ſibi parari pomum aliquod odoriferum, quod perpetuò gerat, vel etiam trochiſcos quibus vtatur pro ſuffitu induſiorum, & ipſius cubiculi in quo Veneris ſacra peraguntur, non erit omnino extra rem, talem vel ſimilem mixturam parare.

℞ Raſuræ ligni ſancti optimi ʒ iij. caryophyl. nucis moſch. ſantali citrini, an. ʒ j. benjoini, & trochiſc. galliæ moſchatæ, an. ʒ j. moſchi optimi, & ambræ griſeæ, an. ϑ ß. ladani & ſtoracis calam. an. ʒß. gummi arabici aquâ citrangulorum vel roſac. diſſoluti q. ſ. Fiat pomum vel trochiſci in vſum dictum. Aut

℞ Puluer. violacei Monſpel. & pulueris Cyprij, an. ʒß. raſuræ ligni ſancti ʒ ij. ſantali citrini, corticis citri ſic. & roſar.rubr. an. ʒ j. ß. Trita reponantur in ſacculo quodam ſericeo, qui geſtari poterit continuò, vel cum veſtimentis ipſis ſeruari.

Eodem modo recta alimentorum ratio ſeruetur, quæ non ſit ex cacochymis aut putredini obnoxiis alimentis, vel ingluuici addicta, ſed parca potiùs & ſobria. Cardanus *lib.de ſanit.tu.* 224.exiſtimat carnem perdicum tantâ vi ad hunc morbum eſſe præditam, vt qui eâ frequenter vtuntur, vix illo corripi poſſint. Multi vt effugiant

Digitized by Google

effugiant periculum iſtius luis, per medios ſcortationis & laſciuiæ quotidianæ ſcopulos, bibunt ſecundarium illud guaiaci vel ſarſæ parillæ decoctum, loco aquæ communis: Vel ante ſingulos paſtus ſumunt parum vini guaiacini, quod ſcil. paratur ex ramentis iſtius ligni, in vino albo bulliente vindemiarum tempore maceratis; Vel ſunt contenti poculo quodam aut doliolo ſeu lagena ex præſtantiori huius ligni parte confecto, ex quo hauriant quotidianum ſuum potum. Quòd ſi adhuc tutiùs velint ſe ab hac infectione præſeruare, vtantur manè & ſerò, potiſſimùm vbi fuerit congrediendum, ſequenti opiata.

℞ Corticis citri ſaccharo conditi ʒ. ij. conſeru. florum cichor. & caulium lactucæ, an. ʒ. iij. theriacæ, confect. alkermes, & elect. triaſant. an. ʒ. ß. raſuræ ligni ſancti, & ſarſæ parillæ puluer. an. ʒ. j. ß. Cum ſyr. de pomis redolent. vel conſer. corticis citri, fiat opiata, de quâ capiat ad quantitatem caſtaneæ, ſuperbibendo parum ſecundarij decocti, vel aquæ cardui benedicti.

In reliquis autem motus intempeſtiuos fugere, & exercitationes violentas, eo ſcil. tempore quo ineunda eſt pugna: Non accubare cum ſcortis in lectulo, nec indulgere longioribus amplexibus vel baſiis, ſed feſtinanter, & quaſi canis aquam rapit ex Nilo, opus peragere: corpus excrementis vacuum ſeruare, & excretiones omnes ſolitas corporis diligenter procurare: nec denuò aut certè ſerò vadum illud tentare, ex quo ſemel emerſeris, & nuper ab inquinamentis illis liberatus fueris.

Atque vt deinceps ipſius cauſæ efficientis præcipuæ ſeu contagij diligens habeatur ratio, obſeruanda imprimis iſtiuſmodi ſcorta quæ promiſcua vtuntur Venere in populoſiſſimis vrbibus: rarò enim fieri poteſt, quin teterrimis hiſce ſeminariis ſcateant; aliæ verò mulierculæ magis cultæ etiam explorandæ & inſpiciendæ, ne ſcil. venenum ſub pulchris illis veſtibus & forma venuſtiore lateat. Quod ſi propter pudorem, aut paucam experientiam eiuſmodi cautela adhiberi non poſſit, aut certè non lubeat, propter animi impotentiam & ſummum congrediendi ardorem; tunc etiam licet præcauere, aut certè infringere potentiam eiuſmodi inquinamenti. Cùm enim inſinuari plurimùm ſoleat per ipſum pudendum, & præcipuè glandem ac canalem illius: ideò poſſumus parare quædam hiſce partibus admouenda, ad dictos vſus conuenientiſſima: fiat itaque ſequens decoctio.

℞ Folior. ſcordij, ſonchi, betonicæ, ſcabioſ. hypericonis, tormentil. rutæ & dictamni, an. P. ij. rad. gentianæ, ariſtolochiæ vtriuſque, ſantalorum omnium, ligni aloës, & rhabarb. an. ʒ. j. ß. roſar. rubr. P. j. raſuræ ligni ſancti ʒ. iij. Infundantur omnia in ſ. q. aquæ ſonchi, ſcabioſæ, & vini albi optimi vel muſcatellini per ſpatium XXIV. horarum: deinde decoquantur in vaſe bene obturato ad mediæ partis conſumptionem. Colentur & exprimantur omnia; & in eo maceretur per totam noctem linteolum puriſſimum, frequenter agitando, deinde ſiccetur in vmbra: & hoc fiat tribus vicibus macerando & exſiccando. Hoc linteolum ſcindatur in fruſtula, quæ ſint eius magnitudinis, quæ conueniat inuoluendæ glandi ſub præputio, ferantur continuò in eodem loco: eſt enim alexipharmacum tutiſſimum ad propulſanda luis Venereæ inquinamenta. Vbi celebrandus erit Hymenæus, auferri poterit, & eo peracto, debet vterque procurare vt vrinam excernat, eáque vel vino albo diluto diligenter perluat partes iſtas generationi dicatas, & ſub præputio poſitas, deinde nouum linteoli fruſtulum eis admoueat, & in pudendi canaliculum turundæ inſtar immittat coronem eadem decoctione præparatum. Etenim ſi ſordidus fuerit ille coitus, apparebit eiuſmodi bombax & linteolum ſanioſum, vel prauo colore infectum, attractis nimirum ſordibus & inquinamentis, quæ adhuc in primis illis viis continebantur.

Quòd ſi adhuc maior metus ſit ſuſceptæ infectionis, ob valde corruptam mulierem vel virum, poſſunt robuſti homines diſſipare eiuſmodi inquinamenta validis exercitationibus, quibus ſudor copioſus eliciatur. Quemadmodum enim febris ephemera & putrida per ſudores ſæpe terminantur, abſque vllo remediorum auxilio: ſic lues iſta in principio ſuæ generationis, dum adhuc circa ſanguinem & ſpiritus natiuos occupatur, nulla in particulas ipſas facta impreſſione. In quibus verò non licet aut non lubet violentos iſtos motus exercere, aut qui jam ſentiunt vehementiorem pruritum in pudendo, lauetur & foueatur decocto aluminis & viridis æris in aqua endiuiæ vel ſcabioſæ facto: Empirici autem habent pro certiſſimo experimento vſum fumigij ſequentis.

℞. Roſar. rubr. folior. abſinth. ſcordij, dictamni, & ſantali rubri, an. ʒ. j benjoini, caphuræ, thuris, aloës, & myrrhæ, an. ʒ. ß. cinnabaris, & præcipitati bene

præparati, ana ℈ j. Fiat omnium puluis, de quo iniiciatur parum ſupra carbones ardentes, quibus impoſitum ſit infundibulum. Capiant fumum toto pudendo linteolis bene contecto, per duos aut tres dies continuos. Sic enim auertetur omnis lues, & ſeminaria intus latitantia abſumentur. Atque hæc de præſeruatione.

Cvratio lvis Venereæ. Prima, atque vt ita loquar, vnica indicatio eſt in lue Venereâ profligandâ, quæ reſpicit ipſam cauſam ſeu ſeminaria illa contagioſa, quibus totum corpus inficitur: ea enim excludi, frangi aut diſſipari debent, vt affectus iſte tollatur. Sed quoniam eiuſmodi defluuia virulentiæ pro vario morbi progreſſu & ſubiecti naturâ, modò ſpiritibus, aut humoribus diuerſis, modò ſolidis partibus inhærent: ideò pro varietate illorum, exurgunt aliæ indicationes, vacuantium, præparantium & corroborantium, quæ peritus Medicus debet præcipuis remediis & antidotis velut ſubſidiaria annectere. Suppoſitâ imprimis rectâ victus ratione, quæ contraria ſit humori peccanti, & quæ vim aliquam alexipharmacam ad præcipuum affectum adiunctam habeat, quæque partes affectas commodè nutrire & roborare valeat. Præter ea igitur quæ præcedenti capite fuerunt à nobis annotata, dicimus, lue Venereâ correptos debere vti aëre temperato, aut etiam calidiore, potiſſimùm in cubiculo, quamdiu medicationi incumbunt & ſudoribus exercentur, ad rarefaciendum habitum corporis, & perſpirationem iuuandam. Victu mediocri in principio, deinde magis attenuante, vt abſumantur excrementa, poſtmodum renutritorio, vt affectu curato reficiatur corpus; habitâ ſemper ratione ætatis, conſuetudinis, & ſimilium circumſtantiarum. Subſtantiâ ſint euchymi cibi, & minimè putredini obnoxij, ac proinde fugiant vſum fructuum humidorum, olerum crudorum, lacticiniorum, & aliorum quæ facilè putreſcunt: fugiant etiam dyſpepta, vt legumina, carnes bouinas, aprinas, leporinas, ſuillas, auium paluſtrium, & ſimiles, potiſſimùm ſale aut fumo induratas. Vtantur verò delicatis & leuioribus, inter quas carnem perdicum tantopere laudat Cardanus, vt exiſtimet hac ſola per integrum annum vſurpata, curari poſſe hunc affectum. Sint autem aſſæ potiùs quàm elixæ, vbi exſiccationi per ſudorifica ſtudemus: tuncque etiam vtantur amygdalis toſtis, auellanis, nucleis pini, paſſulis, cortice citri ſaccharo condito, & aliis tragematis roborantibus calorem natiuum, & abſorbentibus humores excrementitios. Extra illud tempus, præcipuè ſi feruor hepatis & febricula adſint, concedi poſſunt olera cocta, vt borrago, cichorium, ſpinachia, aſparagi, radix fœniculi & petroſelini, poma, pyra, pruna cocta, & multo ſaccharo aſperſa. Necnon piſces ſaxatiles conuenienter præparati, & oua tremula, vt etiam hordeatum, amygdalatum, auenatum, & ſimilia liquida & boni ſucci alimenta. Fugiant autem velut peſtem omnes hac lue infecti cepas, allia, & radices raphani, cum omnibus in ſartagine frixis, quia valde exagitant & augent iſtius luis ſeminaria. Dubitant aliqui de aromatis, vtrùm ſint illis concedenda. Sed ego cenſeo garyophyllos, nucem moſchatam, & cinamomum, concedi poſſe ad roboranda viſcera, dummodò nulla ſit in ore, veſicâ, aut ano exulceratio, quam eiuſmodi calfacientia & attenuantia augere ſolent. Item ſunt multi qui exiſtimant panem biſcoctum perpetuò iſtis ægris eſſe exhibendum, quia abſumit & exſiccat crudiores corporis ſuccos. Sed natura panis illius, qui, vt docet Galenus, difficilis eſt coctionis & parum nutrit, oſtendit non eſſe ſemper in vſu, vtpote ventriculis infirmioribus, vel conſumptis, qui copioſiore indigent nutritione; ſed illis tantùm quibus exſiccatio ſola & veluti conſumptio conuenit, dummodò nullis obſtructionibus teneantur. Idem dicas de vino, quod illis oligophorum & tenue conceditur, niſi vbi ſubeſt inflammatio, vel vlcera interiora, aut magna catarrhi moleſtia, aut quando decocto ſudorifico guaiaci vtuntur: quibus in caſibus melius eſt omnino abſtinere.

Quoad exercitationem corporis ſpectat, impigri eſſe debent eiuſmodi ægri ad labores, niſi doloribus artuum fatigentur, quia motu diſſipant aliquam contagij partem, & faciunt corpus magis perſpirabile: imprimis verò frictiones totius corporis valdè ſunt illis vtiles ad reſoluendum habitum, & trahendam hanc labem versùs corporis ſuperficiem. Ac proinde ſomnus longior non eſt illis tam commodus quàm vigilia, quia impingit humores ad interiora viſcera: Nec coitus illis confert, niſi moderatus in robuſtis & iuuenibus, qui per ſeminis emiſſionem,

vt

vt per ſolitas alias excretiones, quæ diligenter ſunt promouendæ, ſolent quaſdam reliquias mali iſtius propellere, & vehementer illo exhilarantur. Si quid enim ſit quod morbi huius curationem promoueat, eſt animi conſtantia & alacritas ſummo perfuſa gaudio: tum quia ſignum eſt viuidi caloris natiui: tum quia natura non perterrita, meliùs ſuo fungitur munere ad expellendas cauſas morbificas. Atque hæc de regimine.

Cætera verò remedia cùm ſint vacuantia, alterantia, & roborantia: videndum quibus, qualibus, quantis, & quando ſeu quomodo illis vti debeant hoc morbo affecti. Quod ad vacuationem itaque attinet, cùm illa ſit vniuerſalis vel particularis, & vtraque multiplex: Quæritur primùm, vtrùm duo illa magna remedia plethoræ & cacochymiæ, nempe venæ ſectio & purgatio, huic affectui conueniant. De phlebotomiâ itaque non eſt dubium, quin illa ſæpius competat; cùm ſuprà poſitum ſit à nobis, virulentiam hanc per venas in hepar inuadere, maſſam ſanguinis exagitare, & frequenter plethoricis ac ſanguineis hominibus contingere, ita vt reuulſionis ab hepate, & vacuationis causâ ex toto, quando adeſt plenitudo corporis, quâ vacuatâ etiam pars huius contagij extrahitur, vſurpari debeat. Attamen non eſt ita facile iudicare, ex quâ venâ, & quando mitti debeat ſanguis. Cùm enim frequentiſſimè natura in hoc morbo deponat maximam huius virulentiæ partem in inguina & partes ſpermatis generationi dicatas, vt patet per bubonas & gonorrhœam illam virulentam: non videtur interturbandus naturæ motus, aut reuocanda mali ſeminaria per venæ ſectionem à partibus illis ignobilibus ad nobiles. Quoties ergo apparent in principio luis fientis, eiuſmodi tumores vel effluuium per pudenda, ceſſandum eſt parcendumque à ſectione venæ quæ in cubito fit, quia ex fiente ſeu exoriente redderetur facta per illam retractionem ſeminariorum ad interiora: & ab omni aliâ, ſi quidem exiſtimet Medicus naturam ſufficienter expellere aut expuliſſe hanc labem. Aliàs verò, vt in corporibus plethoricis, ſanguineis, inflammationi & vlcerationi obnoxiis, ne grauiores exoriantur dolores in partibus illis recipientibus, poterit tundere venam malleoli, aut poplitis, è directo lateris, in quo tumor apparuerit: Sic enim portionem materiæ auferet, ſeminaria ad infimas partes deducet, & ſuppurationem promouebit, quam naturâ multitudine humoris oppreſſa peragere non poterat. Imò etiam fluxione iam ceſſante & bubone facto, ita vt deinceps intrò recurrere non poſſit, multi ſuadent venam brachij aperiri ad tollendam plenitudinem ſi adſit, quod tamen non eſt adeò tutum. Quoties verò nulla eſt ſignificatio in principio luis, naturæ ad exteriora & ſolita emiſſaria propellentis, ſed omnia intus latent, aut certè modicam faciunt ad externa eruptionem: tunc poterit confidenter Medicus, conſentientibus ætate, temperamento, viribus, aëris conſtitutione, & ſimilibus circumſtantiis, venam alterutrius cubiti, cephalicam, baſilicam, aut medianam tundere, prout mali fomes in his vel illis partibus magis hærere videbitur. In progreſſu verò luis, quando affixa iam ſunt ſolidioribus partibus hæc ſeminaria, & totum corpus occupatum, melius eſt abſtinere, metu deiectionis virium & refrigerationis nimiæ, quam ſatis per ſe ſolet hic morbus inducere, vbi ſemel radices ſuas fixerit.

Quod ad cucurbitulas, hæmorrhoidum prouocationem, & cauteria ſeu fonticulos ſpectat, quæ remedia etiam ſunt Chirurgica reuellentia & vacuantia: vſurpari poterunt pro variâ ægri conſtitutione, quamuis cucurbitulæ parum valere videantur in generali huius affectus curatione, quia mali fomes altiùs in maſsâ ſanguinariâ inſedit, quàm vt per ſuperficiem corporis extrahi poſſit. Valent tamen in progreſſu ad ſubleuandos affectus multos ſymptomaticos, qui deinceps apparere conſueuerunt. Hæmorrhoides etiam in aſſuetis, tam internæ quàm externæ, ſi concitentur, non parum proderunt ad reuellendam à præcipuis viſceribus, & expurgandam portionem illius humoris qui iam infectus eſt. Sed conſiderandus imprimis naturæ motus quò repit, ne ægros inutiliter fatigemus. Idem ego exiſtimo de cauteriis & fonticulis in cruribus aut brachiis excitandis: Cùm enim ichores tantùm & feroſa quædam ſubſtantia per illos vacuetur, nunquam educent aut auertent mali cauſam, quæ in iecore aut maſsâ ſanguinariâ latet; nec craſſos humores, qui tandem in

progreſſu huius affectus generantur : Adde quod non eſt ita tutum vlcera in corporibus cacochymis excitare , ne fiant ἀνίατα vel etiam κακοήθη : poterunt tamen fieri , vt & ſetones vel veſicatoria ad intercipiendam fluxionem cerebri,quæ grauiùs in ſubiectas partes decumbere conſueuit,vel ad exhauriendam materiam,quæ in certâ aliquâ parte continetur,ſi ita res efflagitet.

Verùm antequam venæ ſectio , vel prædicta vacuantia celebrentur , ne impuritas viſcerum quæ hîc citò & certò adeſſe ſolet , in venas maiores rapiatur , certum eſt expurgandas eſſe primas vias,tum communibus excrementis, quæ in inteſtinis ipſis latent , tum eâ illuuie quæ circa ipſum hepar & lienem ſubſiſtit. Ac proinde clyſteres mollientes , tergentes , & attrahentes , hîc eſſe ex vſu , pro variâ ægri naturâ & humorum. Vt etiam minorantia medicamenta in formam boli , ſyrupi , pilularum , tabellarum , apozematis , vel medicinæ vulgò dictæ , præmittenda eſſe , & frequenter repetenda cum ſuis præparantibus & alterantibus , quæ genus humoris dominantis reſpiciant & intemperiem calidiorem , frigidiorem , humidiorem , vel ſicciorem , prout coniuncta fuerit , corrigant , vialque lubricas & patentes faciant. Quæ omnia hîc nunc deſcribere , non eſt nobis propoſitum , cùm facile ſit formulas purgantium, præparantium & alterantium quoſuis humores , ex toto & ſingulis partibus hinc inde repetere,noſque eas ſatis accuratè perſequuti ſimus peculiari tractatu ante aliquot annos publicè propoſito.

Vtrùm verò peculiaria ſint cathartica , quæ luem iſtam reſpiciant , illique approprientur , difficilius eſt ſtatuere. Quod ad luis enim ſeminaria ſpectat , certum eſt nulla eſſe purgantia quæ illis educendis ſint idonea , niſi per accidens , vacuato ſcilicet humore , cui illa inhærent : reliquum enim per alexipharmaca , potiſſimùm verò ſudorifica , perficitur. Reſpectu ergo humoris , cui illa inhærent , multi varia ſtatuunt cathartica quæ huic affectui conueniant. Rondeletius enim noſter , qui phlegmatis craſſi & ſalſi , crudarumque humiditatum hîc habendam eſſe rationem præcipuam voluit , ea etiam cenſet vſurpanda purgantia , quæ phlegmagoga ſint & exſiccandi vim obtineant; pilulas enim ex agarico & aloë confectas & frequenter repetitas , ſufficientes eſſe putat ad expugnandum aliquando hunc affectum. Alij laudant puluerem hermodactylorum , puluerem radicis mechoacan , vel puluerem Gordonij dictum , qui ex turpetho , cinamomo , & ſaccharo ad ſcrophulas comparatur. Alij, quia vident contumaciorem eſſe affectum & penitioribus corporis partibus infixum , extollunt vſum hellebori , vel pilularum illarum , quas nunc coccias minores vocamus , quæ ex æquis partibus aloës , diagredij , & colocynthidos conficiuntur cum ſyrupo de ſtœchade , caſque per interualla exhibent ad pondus dimidiæ drachmæ, vel ℈ ij. Empirici audaciores , antimonij vitrum infuſum & in ſubſtantiâ propinant , magnâ corporis perturbatione , & violentâ quorumuis humorum ſurſum deorſumque factâ expurgatione , quâ ſperant ſe totam contagij vim eradicaturos : Sed quàm infelici euentu , illi norunt, qui in artis operibus ſunt exercitati , quique multos hoc genere remedij occubuiſſe obſeruarunt. Eſt etiam alia ratio expurgandi in hoc affectu empirica & audax , quæ per analogiſmum ab externis remediis ad internorum vſum tranſlata eſt : fit autem vi ipſius hydrargyri , quo de plura inferiùs dicturi ſumus, per os exhibiti, & in celebratiſſimas illas Barberoſſæ pilulas concinnati , quæ variis modis parantur. Vt

℞ Agarici trochiſc. ʒ ij. rhabarb. electi pulueriſ. ʒ j. aloës optimæ ʒ vj. hydrargyri ſucco roſarum extincti ʒ iij. cinamom. myrrhæ & maſtich. an. ʒ ß. puluꝛis diamoſc. & diamb. ana ℈ ß. Cum terebint. fiat maſſa pilularum , de cuius drachmâ fiant pilulæ nouem deauratæ. Capiat in primâ doſi ℈ j. deinde vſque ad ℈ ij. purgato priùs corpore per minoratiuum aliquod conueniens, & continuando donec aluus ſufficienter per illas fluat , vel fœtor & ſaliuatio in ore appareat. Quidam his pilulis addunt limaturæ vel foliorum auri ℈ iiij. ad correctionem hydrargyri. Alij diagredium aut trochiſcos alhandal , ne tamdiu morentur in corpore.Alij verò ſic parant.

℞ Ladani puri & hypociſt. ana ʒ ij. aloës ʒ ß. moſchi ℊ. v. argenti viui extincti vt ſuprà ʒ j. ß. Incorporentur cum ſyrupo de abſint. fiant pilulæ tres ex ℈ j. quæ exhibeatur , vt dictum eſt ; capiendo circa veſperam confect. alkermes, veltheriacæ ʒ ß. aut parum electarij corroborantis infrà deſcribendi.

Quidam

Digitized by Google

Quidam loco hydrargyri, ponunt puluerem præcipitatum. Vt

℔ Præcipitati bene præparati, à gr. v. ad vij. myrrhæ, maſtich. & thuris, an. ℈. ß. Conficiantur cum ſyrupo conſeruat. cort. citri. Fiant pilulæ tres. Capiat ſummo mane. Sed quantum hæc cauſtica ſint periculoſa, nemo eſt qui facilè non videat: Imò ex vſu harum pilularum, certum eſt graviores aliquando morbos excitari, & corporis œconomiam omnino perturbari: ac proinde ſi qui ſint qui impatientes ſint moræ, aut propter vrgentiora negotia nequeant domi ſe continere ad vſurpanda conſueta remedia, melius erit ſequentem purgationem inſtituere, quam feliciter hos morbos aliquando profligaſſe obſeruauimus.

℔ Myrobal. omnium puluerif. ℥. j. Infundantur tepidè, ſæpe confricando, in ℔ iiij. aquæ fumariæ vel ſeri caprilli. Poſteà adde epithymi, polypod. quercini, folior. ſenæ, an. ℥ vj. corticis helleb. nigri, ſi haberi poſſit, & corpus ſit validum ℥ ß. endiuiæ M. j. limaturæ ligni ſancti ℥ iij. Bulliant ad mediæ partis conſumptionem, addendo ſub finem ebullitionis, garyophyl. cinam. & ſeminis citri, an. ℈ j. florum cordialium P. j. vini albi ℔ ß. Colentur & ſeruentur in vaſe vitreato. Capiat ℥ iv. vel vj. mane alternis diebus, & ſi quidem ſudor erumpat in lecto, bene erit, (neque timendum eſt ex leuiori quodam ſudore & alui deiectione naturam turbari vel corpus debilitari, quandoquidem in criſibus morborum idem ſæpe felici ſucceſſu contingere animaduertimus, craſſáque per ſeceſſum, tenuia per ſudores ſimul expurgari.) Aliàs ſurgat, & conſueta negotia exerceat, ſpatio trium ſeptimanarum. Diebus verò interiectis, vtatur electuario corroborante iam notato.

℔ Conſeru. florum fumar. cichor. & borrag. an. ʒ j. ß. corticis citri ſaccharo conditi ℥. ß. confect. alker. & de hyacint. an. ʒ j. theriacæ electæ ʒ. ij. ſemin. citri puluerif. & folior. auri, an. ʒ. ß. puluer. ſarſæ parillæ ℈ iv. Cum ſyr. de limonib. fiat opiata, de quâ capiat ad quantitatem caſtaneæ, ſuprabibendo parum decocti guaiacini ſecundarij, quod Bocherum vocant; vel aquæ ſcabioſæ, in quâ aurum ignitum aliquoties extinctum fuerit. Multi adiungunt huic decocto purganti, vſum aquæ theriacalis circa veſperam ſumendæ ad ℥ ij. vel iij. quâ perfectè ſanatos fuiſſe multos, etiam dŏloribus vexatos, aſſerunt. Cuius talis eſt deſcriptio.

℔ Theriacæ veteris & fideliter diſpenſatæ ℔ j. puluer. elect. diamoſc. & diamb. an. ʒ. ij. acetoſæ folior. contuſ. M. iij. florum cichor. borrag. & folior. cardui bened. an. M. j. Temperentur omnia in vino albo, & decocto guaiaci primario per xij. horas. Diſtillentur in alembico vitreo, vt artis eſt. Aqua rectificetur ad ſolem, & ſeruetur in vaſe bene obturato. De quâ capiat doſim dictam per ſe, vel ſi vehementior videatur, temperatam cum aquâ cardui benedicti, aut ſecundario guajaci decocto. Hac enim aquâ, ſi diligentiùs contegatur corpus, ſolet etiam ſudor aliquando excitari.

Inſtat igitur, vt de reliquis vacuantibus & alterantibus dicamus, necnon de præcipuis Venerei morbi alexipharmacis, quoniam ferè ſub hidroticis ſiue ſudorificis continentur. Quod ad diuretica enim ſpectat, parum momenti habere in hoc affectu exiſtimo, niſi quatenus ad præparandos humores vel vias corporis patefaciendas faciunt: aliàs contumax hoc malum vix per vrinas expurgatur, quia totius vis morbi foràs prorumpere ſolet, ſiue ex conſtitutione propriâ, ſeu impetu naturæ, quam Medicus imitari & adiuuare debet.

Sudorem itaque excitant, quæcumque humores corporis attenuando & calfaciendo, eos in halitum ſeu vaporem conuertunt, & per poros cutis apertos profundunt. Quæ vel ſimpliciter talia ſunt, vel adiunctam habent qualitatem alexiteriam & occultam, quâ morbi iſtius ſeminaria profligant, ſiue exteriùs, ſiue interiùs exhibeantur. Exteriùs admota, vt frictiones, exercitationes, fomenta, inunctiones, emplaſtra, balneum artificiale ſiue domeſticum, ſtuphæ ſeu laconicum, thermæ ſeu balnea naturalia, & certi ſuffitus. Interiùs aſſumpta, vt ſunt decocta multa ex radice angelicæ, pentaphylli, bardanæ, foliis berulæ, chamædryos, ſmilace aſperâ, ligno iuniperi, milio ſolis, & ſimilibus quibus ſudores excitari ſolent. Quod ad balneum itaque artificiale attinet, & naturale, quamuis ſudores excitent, quia tamen humida ſunt actu, non poſſunt diſſoluere pertinaciſſima iſtius luis ſeminaria, ſed fundunt & exagitant tantùm, niſi fortaſſe comparata ſint ex decocto guajacino, vt annotat Fernelius: vnde magis illi nocere quàm prodeſſe poſſe, compertum habemus ex balneis noſtris Belilucanis quamuis generoſiſſimis, ex quorum vſu luę Venereâ affecti grauiùs ſeſe habere conſueuerunt,

Stuphæ verò ſiue laconica magis valent in hoc affectu, quia exſiccant & abſumunt potentiùs iſtam materiam: Vnde priores illi qui huic affectui medebantur, ſolebant poſt aliquot purgationes in furnum, hypocauſta, vel papiliones coniicere miſeros ægros, & ibi extorrere, facto ſuffitu ex thure, myrrhâ, aloë, dictamno, ſcordio, raſurâ guajaci, nuce moſchatâ, carabe, & ſimilibus ſuper carbones ardentes coniectis. (ſi quidem paulò ditiores eſſent.) Alij faciebant ſuffitus ex cinnabrio, auripigmento, & aliis; Vt

℞ Cinnabaris artificialis, qui ex hydrargyro & ſulphure conficitur ʒ ij. myrrhæ, thuris & maſtiches, an. ʒ j. aloës, vernicis, & benjoini, an. ʒ ß. Fiat omnium pulvis craſſior: cuius modicum ſupra carbones ignitos coniiciatur, ægro ſub tentorio ſtante & fumum excipiente. Vel

℞ Cinnabar. ʒ j. auripigmenti & ſandarac. an. ʒ. ß. præcipitati ʒ ij. thuris, maſtich. myrrhæ, benjoini, ſtoracis, & ladani, an. ʒ ß. Miſce. Vtatur vt ſuprà, manè poſt ſumptum leuiorem cibum, per viij. aut ix. dies, donec vlceratio palati, & oris fluxus vel alui appareat. Poſt ſudationem reponatur in lecto, & deterſo madore cibis euchymis reficiatur: ſic enim caſus capillorum maximè impediri creditur, quia iſta cauſtica abſumunt præcipua luis ſeminaria in ſuperficie cutis hærentia. Sed aſperior hæc therapeia multos in grauiſſima pericula coniecit; ac proinde illam reddiderunt vulgo odioſam & terribilem, totáque vis curationis conuerſa eſt ad decocta ſudorifica & inunctiones, de quibus operæpretium eſt vt agamus.

Multi itaque exiſtimarunt, quocumque decocto ſudores promouente in plures dies vſurpato, luem Veneream expugnari poſſe. Sed experientia oſtendit infidam eſſe eiuſmodi curationem, atque opus eſſe, præter manifeſtam illam qualitatem, aliquâ peculiari & occultâ quæ per ἀντιπάθειαν oppugnat iſtum affectum. Ac proinde coëgit neceſſitas, vt ad illa recurreremus loca, ex quibus mali huius fomes & prima cauſa profecta erat. Solet enim natura ſagax & benigna, vt plurimum venenis & morbis, alicui regioni familiaribus proprias antidotos & alexipharmaca adiungere. Allata igitur ſunt ad nos duo ligna & totidem radices ex Indiis, quæ ad hoc peculiarem habent energiam, lignum ſcilicet guajacinum & lignum ſaſſafras, radix ſarſæparillæ, & radix chinæ: ſingula ſuis dotibus inſignita, & huic magis quàm illi accommodata, vt ſcilicet haberemus remedia in promptu, quibus ſine vllâ noxâ teterrimus hic affectus in quouis homine & morbi varietate propulſaretur. Eſt autem princeps & veluti regium medicamentum in hoc affectu guajacum ſeu lignum ſanctum, ita vt meritò verum iſtius luis alexipharmacum ſeu bezoarticum appellari debeat, quia ad certam, citam, & tutam luis Venereæ curationem omnibus aliis præpollet, non ſolùm quoad manifeſtas illas qualitates ſpectat, incidendi, attenuandi, diſſoluendi, & ſudores prouocandi; eſt enim calidum & ſiccum circa initium tertij gradus; ſed etiam occultam & peculiarem vim profligandi peſſima iſta ſeminaria & contagij fomitem, quæ in illo eminenter præ aliis omnibus reperitur. Huius itaque deſcriptionem & notas ſufficienter ab aliis traditas omittemus, vt ad ipſius vſum & comparandi decocti rationem veniamus.

℞ Raſuræ ligni ſancti nigrioris & reſinoſi, (tale enim calidius, amarius, & pinguius, magis facit ad incidendum, abſtergendum, & emolliendum ſeu diſſoluendum humorem, cui iſta ſeminaria inhærent) ʒ iij. corticis eiuſdem (qui paulò plus quàm lignum exſiccat) ʒ j. Infund. in ℔ iv. aquæ fontis tepidè per xxiv. horas: Deinde decoquatur ad mediæ partis conſumptionem. Colatura feruetur in vaſe vitreato bene mundato: de quâ capiat ʒ vj. vel viij. calidè manè: Deinde bene coopertus veſtibus ſudet copiosè in lecto, admotis etiam ſi opus fuerit, plantis pedum & dorſo tegulis vel ſilicibus calefactis & eodem decocto irroratis, vt ſudor faciliùs eliciatur. Deterſo ſudore, & interiectis duabus horis prandium ſumat, & ſi quidem circa pomeridianum tempus ſumpturus ſit idem decoctum (ſed paulò minoris quantitatis) parciùs ſe impleat cibo, cœna verò ſit liberaliot: ex eis tamen alimentis conſtans, quæ exſiccandi & abſumendi vim habent, vt tota illa materia peccans promptiùs & faciliùs digeratur, vſu videlicet panis biſcocti & aniſati, carnium aſſarum, fructuum ſiccorum, tragematum, & ſimilium, concedendo tamen pruna Damaſcena cocta cum ſaccharo, in primum prandij ferculum, vt aluus liberior reddatur, quæ hîc plurimùm adſtricta eſſe ſolet, ob euacuationem ſeroſæ & liquidæ ſubſtantiæ per cutem, & parciorem victum, quem

hîc

hîc inſtituere ſolemus magis quàm in aliis decoctis, propter quandam nutriendi vim ipſi guajaco adiunctam. Quod ad potum attinet, abſtineant omnino à vino velut veneno. Vtantur autem decocto ſecundario, quod vulgò Bochetum vocant, & ſic parari ſolet.

℥ Reſidentiam prædicti decocti, quæ infundatur in ℔. xij. aquæ fontis; deinde decoquatur ad ℔ iij. conſumptionem. Colatura mittatur per manicam Hippocratis cum ſaccharo & cinnam. Et ſic parabitur potus gratiſſimus & vtiliſſimus ægris his noſtris, quamdiu ſudoribus ſe exercebunt: ídque per ſpatium ad minus xx. aut xxx. ad ſummum Lx. dierum. Nam quò diutiùs hoc decoctum prorogabunt, continuis diebus vel per interualla, eò certiores erunt de luis Venereæ curatione, quam ſymptomatum etiam ipſorum ſedatio, vt gonorrhœæ, vlcerum, & ſimilium indicabit.

Eligatur autem, ſi fieri poſſit, tempus vernum vel autumni; aut in aliis tempeſtatibus, ſi neceſſitas vtendi hoc decocto vrgeat, temperetur aër, vt neque caloris, nec frigoris nimia ſit intenſio. (*Quamuis æſtate faciliùs ſudemus, quàm aliis anni temporibus: tamen eo tempore non eſt exhibendum decoctum, quia facilè inflammaretur totum corpus; & calor natiuus qui tunc infirmißimus eſt, omnino reſolueretur.*) Contineant ſe in cubiculo, ne corpus peruium externis impreſſionibus afficiatur. Poterunt tamen aliquando reſerari fores, vt expirationi & expurgationi aëris ſit locus. Item vt craſſiora excrementa, quæ hærere ſolent in communibus viis commodiùs expurgentur, debet præter ſolitos clyſteres, in medio ſaltem & fine diætæ exhiberi purgans medicamentum, vt pilulæ cocciæ, vel tabella aliqua, aut electarium purgans cum decocto guajacino. Nec terreantur ægri, ſi quidem circa diætæ initia dolores exacerbentur, & peius ſe habere videantur, quia hoc decoctum, dum in principio attenuat, incidit & reſoluit hanc materiam, ſuſcitat etiam vaporum copiam, quibus partes vellicantur & diſtenduntur, donec progreſſu temporis omnino diſſipati fuerint, & mali cauſa profligata.

Atque hæc eſt ſimplex exhibendi & præparandi huius decocti ratio in hominibus mediæ & vigentis ætatis, quam augere vel minuere poterimus pro modo circumſtantiarum. In puerulis, qui vel infecti naſcuntur, vel ſtatim poſt ortum ab immundis nutricibus inficiuntur, præter quàm quòd nutrici decoctum dictum exhiberi debet; pro pueris etiam ipſis, vbi annum vnum vel alterum attigerint, parari poteſt iulep, ex aliquot vnciis ramentorum guajaci, in totidem ℔. aquæ graminis aut endiuiæ infuſorum: quæ expreſſa fortiter & colata, deinde cum ſaccharo coquitur in iulepi conſiſtentiam; & pueris illis ad ʒ ij. vel iij. manè propinatur in lecto, vt ſudores ſponte, ſi fieri poſſit, cieantur, vel ſaltem mador quidam, qui in tenerioribus hiſce corporibus ſufficiet. Vel decoctum guaiacinum dictum diſtillatur in balneo Mariæ, & aqua illa dulcorata ſaccharo in eundem vſum comparatur. Vbi verò feruor totius aut hepatis, vel alterius partis infeſtior eſt, ſolent multi addere ſub finem prædicti decocti, folia aliquot endiuiæ, borrag. cichorij, ſonchi, ſeminis melonum & ſimilium. Sed iſta quoniam facilè putreſcunt, vel impediunt quodammodo ſudores, non ita mihi probantur. Mallem itaque eiuſmodi ægris ſeparatim exhibere iulep aliquod refrigerans circa veſperam, vel inungere hepar aut renes cerato ſantalino vel roſaceo, quibus prædicta incommoda vitarentur. In conſumptione autem corporis quidam volunt decoqui ʒ ß. ramentorum iſtius ligni, cum pullo aut carne hœdinâ, addendo paſſulas, foliáque herbarum dicta; & hoc iuſculum vice prædicti decocti vſurpari. Sed ego malim in eiuſmodi marcore omnino abſtinere à ligno guajacino, cuius vis parum feliciter huic iuſculo propter leuiorem præparationem communicari poteſt; præſcribi verò alia ex radice chynæ aut ſarſæparillæ, quæ non ita calfaciunt & extenuant, vt guajacum.

Quod ad reliquas decocti iſtius formulas ſpectat, quibus multa ſolent à variis addi, vt vel iuuetur vis ipſius guaiaci, vel approprietur huic vel illi parti, aut dulcius & iucundius reddatur, non valde mihi probantur; quia in vſu alexipharmacorum, nihil eſt præſtantius, quàm illis puris & impermixtis vti, quò certiùs & citiùs agant in deleteriam illam qualitatem vel cauſam, quæ expugnanda eſt. Idem dicas de vino, quod multi ſolent circa finem ebullitionis huic decocto ad tertias vel quartas infundere, quo liquor ventriculo magis gratus euadat. Sed nemo neſcit vinum facillimè acceſcere quacumque ebullitione, & omnem vim amittere, aliis liquoribus diutiùs permixtum: Adde quod, vt ſuprà annotauimus, obſeruatum eſt vinum ἀνυπνοποιὸν quadam nocere eis qui decocto iſto ſudorifico vtuntur: ac proinde

non

non eſt illi immiſcendum ad curationem : quamuis ad præcautionem vini guaiacini vſum probauerimus.

Præter guaiacum diximus aliud lignum ex Indiis aduehi, quod ſaſſafras vocatur, minùs calidum & ſiccum guajaco, ſed circa initium tantùm ſecundi gradus, vt leuior eius amaritudo, & odor ſuauis aniſum aut cinnamomi corticem ſapiens oſtendit. Eſtque medicamentum ventriculo valde gratum, illius temperiem natiuam iuuans, & cruditates corrigens : Vnde obſeruatum habemus, huius ligni vſum valde eſſe commodum omnibus iis qui ex lue Venereâ diutiùs ſæuiente, in ἀπυψίαν, καχεξίαν, aquam intercutem, & alias paſſiones hydropicas inciderunt : necnon eos tumores frigidiores patiuntur, qui in diuturno morbi progreſſu exoriri ſolent. Adde quod pleniùs licet viuere, & vino vti mediocriter, dum decoctum iſtud exhibetur, quia non eſt pingue vt guajacinum, ſed tenuium partium & minimè nutriens, nec eam habet cum vino ἀντιπάθειαν. Poteſt tamen in eis qui vinum non valde appetunt, ſecundarium etiam decoctum pro potu ordinario parari. Sit ergo hæc formula.

℞ Ligni ſaſſafras, vel radicis eiuſdem (quæ præſtantior habetur) cum cortice ipſo ʒ iij. iv. vel v. Incidantur ſimul minutiſſimè, & infundantur in ℔ iv. aquæ fontis aut ciſternæ tepidè per xij. horas : deinde decoquantur ad medietatem, vel duarum partium conſumptionem, præcipuè ſi æger pituitoſi ſit habitus. Poſteà coletur. Capiat huius colaturæ calidæ ʒ iv. in principio circa auroram : deinde augeatur doſis vſque ad ʒ viij. continuando per xx. dies continuos, & ſudando ad placitum. Peſſimum enim eſt ſignum, & iecoris iam tabeſcentis, quando ſudores ab hoc decocto non ſuſcitantur liberaliter.

℞ Reſidentiam prædicti decocti, quæ ſiccetur parum in vmbrâ ſi volueris, & macereturper aliquot horas in ℔. x. aquæ fontanæ. Bulliat ad ℔ ij. conſumptionem, ſub cuius finem adde ſi velis, ſeminis coriand. præpar. ʒ. iij. cinnam. electi ʒ j. Colentur per manicam Hippocratis. Vtatur pro potu ſimplici, vel etiam temperetur cum vino, ſi adſit virium & præcipuè ventriculi infirmitas. [Quidam imperiti homines hoc lignum velut calidiſſimum deteſtantur; ſed eius odor ac ſapor, necnon vſus quotidianus contrarium oſtendunt. Eſt tamen cauendum, ne carie ſit tentatum, quam facilè contrahere poteſt, tunc enim non paruam corpori noxam inferret, & ventriculum perturbaret.]

Sarſa etiam parilla (quam multi ſmilacem aſperam eſſe exiſtimarunt) peculiares habet ſuas dotes, præter vim ſudores prouocandi, illi cum ſuperioribus communem. Quamuis enim non ſit tantæ efficaciæ ad eradicanda mali iſtius fomenta, vt guajacum; habet tamen proprietatem quandam ad dolores artuum ſedandos, & citò peruadendum totum corpus abſque vllâ inſigni calfactione : vt meritò à quibuſdam, guajaci vehiculum, ob tenuitatem partium, quâ prædita eſt ſine vllâ adſtrictione, vel correctorium dicta ſit, ob temperiem quâ inſignis eſt. Vt ſi quid iure merito permiſcendum ſit decocto guajaci, quoties exterior habitus eſt malignâ hac labe potiſſimùm occupatus, vel hepatis feruidior conſtitutio adeſt; hoc certè mereatur ſarſa parilla, ſecundùm eam proportionem quæ Medico conuenientior videtur.

Exiſtimatur tamen hæc radix, quia omni ſapore, odore, & adſtringendi vi deſtituta eſt, ventriculo noxia, ac proinde in illius imbecillitate non eſſe præſcribendam, niſi aliis permiſceatur. Eſt autem huius decocti, vt & aliorum talis formula.

℞ Radicis ſarſæ parillæ conuenienter exſiccatæ, (quoniam in viridi & nimiùm recenti, adeſt humiditas ſuperflua, quæ diſſoluit ventriculi robur) & per talcolas inciſæ ʒ iij. iv. vel v. prout maior vis decocto erit concilianda : raſuræ ligni ſancti vel ſaſſafras ad corroborationem ventriculi, ʒ ß. Infundantur & macerentur per integram noctem, in ℔ vj. aquæ fontis tepidæ : deinde coquantur ad mediæ partis conſumptionem, Capiat ad ʒ vj. calidè manè, & ad ʒ iv. horâ tertiâ pomeridianâ, ſi opus fuerit : tunc enim minor quantitas eſſe debet, quia minus eſt interuallum prandij ad cœnam, quàm cœnæ ad prandium. Paretur etiam ſecundum decoctum, vt in ſuperioribus diximus. Imò leuius hoc decoctum ex ſarſâ cum ſaccharo ac cinnamomo paratum, ſi per 6. aut 7. menſes continuos vſurpetur, tantum valere ad ſymptomata luis Venereæ creditur, vt illa omnino expugnet. Hoc autem commodi habet ſarſa, vt & vino & liberaliore victu vti liceat, nec aluum adſtringat, ſed liberaliter etiam aliquando ſoluat : ideóque omnibus

ferè

ferè anni tempeſtatibus illâ vti licet impunè,propter eam quâp rædita eſt, tẽperiem:

Hac verò nobilior adhuc & præſtantior habetur radix Chynæ ſeu Apios vulgò dicta, non quidem ſi vires expugnandi iſtius affectus vel præcipuorum ſymptomatum ſpectes,ſed quoniam creditur atrophiæ ex morbo iſto comparatæ, fluxionibus acribus & aſthmati conuenire: Eſt enim expers odoris & ſaporis, vnde apios dicta; tenuium partium, ſed minùsquàm farſa,& æquali quadam temperie donata:Cui magnum nomen & autoritatem dedit commendatio doctiſſimi Veſalij, poſt curatum Imperatorem Carolum V. qui diuturniore affectu in marcorẽ ferè fuerat redactus: Eſt tamen certum eam non habere parem vim alexipharmacam ad morbum Venereum,vt ſarſam,vel guajacum. Poteſt tamen vſurpari in delicatis,conſumptis,& qui aliorum vſu iam fuerunt fatigati: quia enim impinguat & reficit corpus, poſſunt illius decoctum toties repetere abſque vllâ noxâ, quoties iſta ſymptomata recurrent. Sit autem hæc formula.

℞ Radicis chynæ rufæ & ponderoſæ,nullam cariem expertæ (hæ enim ſunt illius laudes)℥ iij.Incidantur per taleolas tenuiores,& infundantur in ℔ v.aquæ fontis per xij.horas tepidè: deinde coquantur in vaſe ſtricti oris & obturati,lento igne & ſine fumo,ad mediæ partis conſumptionem. Colatura ſeruetur in loco tepido, aut ſupra cineres,vel furfures calidos,quia facillimè aceſcit ſi frigore tentetur.Capiat ℥ viij.vel x.calidè,quas ventriculus iucundiſſimè amplexatur ob ſaporis iucunditatem. Sudet ad placitum per xv.aut xx.dies. Deinde facto interuallo repetat,ſi opus fuerit:Et ex reſidentiâ vel nouâ radice paretur ſecundarium decoctum,cui addi poteſt vinum,ſi ita videatur.Multi capiunt huius radicis ℥ ß.(vbi eſt impinguandum & reficiendum magis)quam infundunt in ℔ ij.vel iij.aquæ fontis per 6. horas. Deinde in hac aquâ decoquunt eandem materiam cum pullo columbino vel gallinaceo ſummo mane, addunt paſſulas Corinthiacas & parum coriandri. Iuſculum colatum & expreſſum propinant eiuſmodi ægris per menſem vnum aut alterum non infelici ſucceſſu ad abſumendos quoſuis humores excrementitios. Quæ omnia prudens Medicus pro vario circumſtantiarum omnium reſpectu moderabitur,vt etiam miſcellam horum medicamentorum,quando ex decocto quodam compoſito, modò correctionem illorum,modò concurſum variarum ex eis facultatum expetit:quod non tam præceptis quàm vſu definiri poteſt. Nos itaque propoſitis decoctis,quorum vi hic affectus tum per ſudores, tum vi quadam bezoarticâ expugnari ſolet: nunc ad hydrargyri vſum [quem multi vt veram illius antidotum celebrarunt] accedamus.

De Hydrargyri vsv. Tanta fuit olim huius morbi ferocitas & inclementia, vt ſuperiores illi Medici ac Chirurgi coacti ſint generoſiſſima quæque medicamenta experiri ad illius vim retundendam: nec ſolùm ea vſurpare,quæ tutò & iucundè eum profligare poſſent,qualia iam à nobis fuêre commemorata, ſed etiam quæ citò illius impetum reprimerent,& ſymptomata ſiue affectus ſymptomaticos ipſo morbo moleſtiores compeſcerent. Ad quod præſtandum Empirici,vtpote audaciores & ſagaciſſimi remediorum exploratores,ex quibus ſumma lucri commoditas exurgere poteſt:inuenerunt ad hoc efficiendum remedij genus celebratiſſimum ex hydrargyro, per analogiam quandam & rerum ſimilitudinem tranſlato à curatione fœdæ ſcabiei & elephanticorum vlcerum,ad quam commendatus fuerat,& iamdiu apud Arabum familiam vſurpatus, in luis Venereæ expugnationem, tam felici ſucceſſu & lucri copiâ,vt deinceps à multis hydrargyrus pro alexiterio & verâ illius antidoto ſit habitus;reclamante tamen eruditiſſimo Fernelio,& huius medicamenti venenatam qualitatem,& funeſtum in complurimis vſum accuſante.Nos igitur,vt breuiter de hac re ſtatuamus, dicimus reuera hoc medicamentum malignum eſſe & deleterium, ſi per ſe ſpectetur,quemadmodum & alia plurima,quæ quotidie in vſum Medicum veniunt,proindéq; non eſſe reiiciendum in hoc affectu, cùm & in ſcabie & leprâ iam olim feliciter fuerit vſurpatum. Sed eo vtendum in rebelli conſtitutione, aut malignorum vlcerum & dolorum feritate,quæ aliis remediis priùs à nobis commemoratis cedere non potuit; ſumma tamen cautione, vt neque puerulis, neque ſenioribus, nec grauidis mulieribus, aut paralyſi, neruorum imbecillitati vel anginæ obnoxiis exhibeatur, neque febricitantibus, aut valde macilentis. In aliis verò vſurpari poteſt, conuenienter expurgato priùs corpore, necnon decocto guajaci per aliquot dies præparato, vt ſic faciliùs penetret, nec tantam corpori noxam inferre poſſit: ídque exteriùs per inunctiones aut emplaſtra, nuſquam autem per ſuffumigia ſuperiùs deſcripta, aut per os, quia hoc modo maiora infert incommoda quàm vtilitatem, imò ſæpiùs ægris exitium, quàm morbi exitum. Neque

enim cenſemus hydrargyron eſſe veram luis Venereæ antidoron, quam ſuperiùs guajacum ſtatuebamus: ſed propter mobilitatem & partium vaporoſarum copiam quibus abundat, in corpus inſinuatum & calore noſtro actuatum fugare & quaſi perſequi luis iſtius ſeminaria, donec ea vel per os ingenti ſputatione concitatâ, vel per alui fluxum, aliquando per ſudores foras amandarit. Et quamuis venenum ſit malignâ qualitate præditum, non tamen idcircò reprobandum omnino cenſemus, quia ſæpe venenum alterius veneni eſt alexipharmacum, quemadmodum docuit Dioſcorides multis exemplis,& in peſtilenti ſtatu ſolemus ex nocentiſſimis venenis repletos ſacculos ſupra cordis regionem appendere, vt extrahantur ipſius peſtilentiæ ſeminaria. Neque credendum eſt eiuſmodi deleteria medicamenta tam eſſe corporibus ægris noxia quàm ſanis, in quibus nihil reperiunt aduersùs quod agant, & vim potentiæ ſuæ exerceant, quemadmodum apud Hippocr. helleborum dare ſanas carnes habentibus, pernicioſum eſt, quem tamen vbique commendat ad grauiſſimos affectus percurandos. Adde quod corpus ita præparatum vt diximus,& ipſe hydrargyrus alexipharmacis permixtus & repreſſus amittit maximam malignitatis ſuæ vim. Non eſt igitur quòd Fernelius tantopere in recenſendis hiſtoriis & calamitatibus ab hydrargyro profectis occupetur, cùm ſciamus omnium rerum etiam vtiliſſimarum abuſus perniciofiſſimos & frequentiſſimos eſſe, quorum causâ nunquam verum vſum & rectam rationem ſapiens repudiabit.

Vbi igitur occaſio ſeſe offeret vtendi hoc medicamento in lue Venereâ,& habitâ ratione circumſtantiarum iam dictarum, poſtquàm corpus conuenienter fuerit expurgatũ catharticis aut venæ ſectione, ſi res ita poſtulet; necnon guajacino decocto per aliquot dies munitum, etiam concitatis ſudoribus, ad iſtas inunctiones Mercuriatas accedemus, quæ ex chalaſticis, arœoticis, & epiſpaſticis componemus, adiunctis etiam, ſi ita videatur, alexipharmacis, vt ſcilicet hydrargyri frigiditas temperetur, genus neruoſum roboretur, materia diſſoluatur,& ſeminaria expugnentur. Illarum autem cùm variæ ſint deſcriptiones, nos vnam aut alteram proponemus.

℞ Argenti viui ſaliuâ hominis iciuni diligenter extincti ʒ iv. axungiæ ſuillæ (quæ facit ad conſiſtentiam & penetrationem) ℔ ß. Miſceantur diligenter, deinde adde olei laurini, de caſtoreo,& de ſcorpionibus, an. ʒ ij. ſtyracis calamitæ, caſtorei, (ad robur neruis conciliandum) baccarum iuniperi & lauri puluerif. an. ʒ iij. croci ℈ j. Miſceantur fortiter in mortario: deinde adde ceræ nouæ q. ſ. ad conſiſtentiam, ne hydrargyros tam facilè elabatur. Fiat vnguentum. Vel

℞ Axungiæ gallinæ, ſuillæ,& vrſinæ, ſi haberi poſſit, an. ʒ iv. olei laurini & lilior. an. ʒ ij. argenti viui extincti ʒ v. plus minùs pro ægri naturâ & morbi conditione, de quo vide Fracaſtor. 541. Pinguedines iſtæ non liquefiant ad ignem, ſed mundatæ à pellibus, diligenter terantur in mortario, ſenſim addendo hydrargyron extinctum, quod per horarum duarum ſpatium continuò debet miſceri, poſteà inſtillari olea,& puluis iſte inſpergi, thuris, maſtic. myrrh. nucis moſc. garyoph. ammon. ſtyrac. pulu. ſaluiæ, & ſtœchad. an. ʒ iij. ceruſſæ & litharg. ad conſiſtentiam,& impediendam corroſionem, quam in membra infert, an. ʒ ij. theriacæ & mithrid. electi, an. ʒ ß. terebinth. aquâ vitæ bis aut ter lotæ, ʒ j. ß. fiat linimentum: quo calefacto & ægro nudato ad luculentũ ignem, circa horam 6. matutinam, diligenter confricetur per ſeſquihoram, incipiendo à plantis pedum, deinde circa medios artus & emunctoria, necnon totam ſpinalem medullam, ab inferis ad ſuperiora manuum ducendo, vt pori cutis meliùs referentur. Poſteà contegantur dictæ partes ſtupis cannabinis calentibus, aut linteolis,& æger in lectum reponatur, vt per aliquot horas dormiat, ſi fieri poſſit, aut ſudet contectus compluribus veſtibus, ſine vllâ tamen moleſtiâ. Deterſo madore ſumat prandium parcius ex alimentis euchymis; cœna verò ſit liberalior, quia longiùs abeſt à frictionis moleſtiâ. Quod enim priores ſolebant poſt prandium & cœnam inungere, licet corpus eſſet validius, non probatur, quia iterata bis vno die frictio nimiùm frãgit corporis vires, & cibus in ventriculo nuper iniectus nauſeam facit & non coquitur. Poſſunt tamen qui ſunt infirmiores, ouum ſorbile vel panem vino lymphato intinctum, aut iuſculum aſſumere, priuſquàm inungantur. Debet autem eiuſmodi inunctio per tres dies continuos fieri,& duobus interiectis denuò per triduum repeti. Et ſic ad ix. vſque vices, quibus vt plurimum apparere ſolent ſymptomata, dentium ſcilicet & palati exulceratio, linguæ tumor, ingens ſputatio aut alui fluxus, febris, lipothymia: Quibus ſuperuenientibus ceſſandum erit ab inunctione,& eis ſcitè occurrendum, ne grauior noxa corpus occupet.

Circa veſperam igitur ſumant quotidie parum Opiatæ iam commemoratæ, vel

aquæ

aquæ theriacalis, vel ʒ j. ß. mithridatij cum tribus auri foliis comminutis: Odor etiam quidam gratus in cubiculo excitetur ad reficiendos ſpiritus. Geſtent inunctionis tempore annulum vel numum aureum in ore, cui vis eſt & proprietas attrahendi hydrargyron. Inungantur circa horam ſomni tota ſpina & artus oleo balſami, quod capite de Paralyſi à Guidone deſcribitur: Vel oleo lumbricorum de cerâ, aut alio quouis neruos roborante. Si quæ ſit pars dolens, foueatur vino optimo, & decocto guajacino ſimul mixtis. Vbi palati inflammatio apparuerit, interdicantur vino & cibis ſolidis, colluant os frequenter aquâ plantag. & melle roſaceo, vel ſero caprillo, & aquâ hordei, cum pauco diamoro. Si dolor vrgeat, lacte vrantur, vel aquâ ſolani, aut decocto capitum papaueris albi. Si nimia ſit fluxio, vnde metus ſuffocationis, audent aliqui venam cephalicam aperire, & aliquot ſanguinis vncias extrahere. Sed ego malim eſſe contentus cucurbitulis cum ſcarificatu. Si dentes ita vacillent vt confirmandi videantur, primùm gingiuarum ſordes abſumantur olei de ſulphure guttis aliquot in aquâ plantaginis diſſolutis, vel prædictis detergentibus, deinde confirmentur decocto foliorum oliuæ, ſalicis, ſaluiæ, & ſimilibus in aquâ fabrorum facto. Quod ad fluxum alui ſpectat, præcipuè ſi dyſentericus videatur, iniiciantur clyſteres ex decocto hordei integri & roſarum cum melle roſaceo & vitellis ouorum, ex lacte chalybeato, vel iure capitis veruecis, cum ſaccharo. Demum rhabarb. puluis exhibeatur, & oleis vel vnguentis adſtringentibus venter & lumbi illinantur.

Verùm peractâ eiuſmodi inunctione, ſi quidem non videatur omnino expugnata luis ferocitas, malim ego reliquias morbi profligandas relinquere decocto guajaci, quàm ſæpiùs illam repetere, vt imperiti multi faciunt, ne corpus cõtabeſcat, & genus neruoſum nimiùm afficiatur. Poſſunt tamen emplaſtra ſiue cerata parari, quæ omoplatis & dorſo, necnon aliis partibus, quas dolor vel tumor quidam infeſtarit, admoueantur poſt deterſum ſudorem, ex eodem decocto, vel ſtuphâ ſiccâ concitatum: vt emplaſtrum de Vigo duplicato Mercurio, quod ad reſoluendum & attenuandum maximam vim ſortitum eſt. Vel fiat ſequens.

℞ Hydrargyri præparati, vt dictum eſt, ʒ iv. pingued. gallinæ, anſeris & porci, an. ʒ iij. Miſce diligenter: Quibus adde gummi arabici, maſtich. colophon. an. ʒ ij. caphuræ ʒ j. mucilag. ſeminis pſyllij decocto guajacino extractæ, vel aquâ ſcabioſæ, ʒ ij. olei omphacini, (ad retundendam aliorum acrimoniam) ceræ & reſinæ q. ſ. ad ceratum conficiendum. Atque hæc de vſu hydrargyri in luis Venereæ curatione. Nunc ad vltimum caput huius tractationis accedamus.

Correctio affectvvm veneream lvem comitantivm. Multi affectus luem Veneream præcedunt aut comitantur, qui non ſunt illius effectus, de quibus non eſt propoſitum nobis hoc capite agere, ſed de eis tantùm qui ſunt illius veluti annexa & propagines, ex teterrimis contagij iſtius ſeminariis pendentes. Quod ad priores enim ſpectat, illi vel ſunt contrarij & diſſidentes à luis curatione, vt febris omnis, intemperies calidior viſcerum, pſora, lepra, vitiligo, ſanguinis ex pulmonibus aut aliis partibus effuſio, acutus quiuis morbus, vt pleuritis, angina, & ſimiles. Vel conſentanei & conſimiles, vt arthritis, paralyſis, tumores frigidi, hydrops, & alij, qui quandam habere videntur analogiam cum humore in lue Venereâ redundante. In his nulla penè eſt difficultas, quia vnâ ferè, eadémq; operâ ſimilibúſque remediis expugnantur: In illis verò habenda ſemper ratio vrgentioris, vt ſi quidem morbus ſit acutus vel periculoſior lue Venereâ, huius omittatur ad tempus curatio, donec alteri ſit prouiſum, & res in tuto poſita: Sin verò æquis ferè paſſibus incedant, æqualiter etiam eodem tempore vel diuerſis corrigantur, vt ex methodicâ indicationum lege cuilibet innoteſcit.

At verò illi affectus qui ex ipsâ lue velut effectrice causâ pendent, hi peculiariter à nobis ſunt pertractandi hoc capite, quoniam ſine illorum ſedatione, vix credibile eſt luis ferociam deſiiſſe, & ægri perpetuam Medici operam atque auxilium efflagitant. Eo autem ordine illorum therapeiam proponemus, quo ſignorum numerum in diagnoſtice recenſuimus, niſi fortaſſe affines ſint valde, aut ad alterius generationem ſubſequentes.

Exordiamur ergo ab eis, qui luem Veneream velut aſſeclæ quidam præcedunt vel comitantur; quamuis etiam in progreſſu illius ſuperuenire poſſint, nimirum carie pudendi, bubonibus, & gonorrhœa.

Caries igitur ita dicta à ſimilitudine, cùm nihil ſit aliud quàm vlcuſcula in viri pudendo, præcipuè ſupra glandem, vel muliebri ſinu progenira ex virulentis

huiuſce luis ſeminariis & attritione, maioriſque ac minoris ratione diſtet: Ad minora quidem & incipientia vlcuſcula ſeu puſtulas ſufficiunt ſæpe refrigerantia, contemperantia, & leuiter exſiccantia, vt fotus ex aquâ roſaceâ & nymphææ, vel pauco vino albo, & ſero caprillo: poſteà aſperſo puluere roſarum & myrtillorum, vel admoto vnguento de tuthiâ, de pompholyge, aut de ceruſſa. Sin verò profundius iam euaſerit vlcus calloſum, orbiculare, & mali coloris, tum non ſolùm leuiter detergentibus & exſiccantibus, ſed etiam validioribus erit vtendum, ſuppoſitâ imprimis vniuerſali curatione per ea quæ à nobis dicta fuere, ne rebelle hoc malum radices agat altiùs. Proinde ſpumâ guajaci fouendum lauandúmque, poſteà pauciſſimus puluis Mercurij præcipitati inſpergatur, ſuprapoſito linteolo aquâ roſaceâ intincto: Vel vnguent. Ægyptiacum aquâ plantag. diſſolutum apponatur, aut aqua illa Ferneliana, vel ſuperiùs commemorata ex viridi æris & pauco alumine in aquâ endiuiæ incoctis. Et ſi quidem iſtis ſuppuratio promoueatur, conuenienter detergentibus expurgentur, vt decocto lupinorum & hordei, ſucco apij, & ſimilibus: Poſteà cicatrice claudantur cum emplaſtris aut pulueribus dictis, inter quos ſquamam æris præferre ſolent Practici. Quod ſi iſtorum omnium medicamentorum vim eludat, fiat fumigium ſuprà dictum, aut inunctio per hydrargyrum. Quibus etiam fruſtrà tentatis, nulla erit deinceps ſpes, præterquàm in diuturniore decocti ſudorifici & alexipharmacorum vſu, vel abſciſſione ipſius partis pudendi, quæ maligno illo & gangrænoſo vlcere tenetur. (*Cautio; in ſectione pudendi nerno cauernoſo, qui cùm naturaliter atro colore ſit praditus, videtur gangrena affectus imperitis Chirurgis.*) Idem dicas de aliis vlceribus, quæ diuerſas corporis partes lue iſtâ affectorum occupare ſolent. His ſi inflationes quædam coniungantur, priùs reſoluendæ fotu ex decocto guajacino, foliorum ſcabioſæ & florum chamæm. Si verò poſt curationem duricies & calloſitas valde moleſta relinquatur, quâ veluti neruo totum pudendum prætendi videtur, emolliatur fotu ex decocto guajacino, in quo rad. lilij albi, folia maluæ & althææ cum ſemine lini bullierint; necnon appoſito poſteà emplaſtro de mucilag. vel Zachariæ dicto: Tandem ſi inuicta ſit & inſuperabilis, abradatur aut excindatur ſcalpello, dummodò partis ſitus illud ferat: in pudendo quidem per longum, nunquam per tranſuerſum, vt labra deinceps agglutinentur.

Verùm moleſtiſſimus affectus, his pudendi vlceribus curatis aliquando ſuperuenit, nempe verrucæ ſeu porri, quibus & dolor excitatur, & coitus multùm impeditur. Eſſe autem excreſentias & veluti καρκινώσεις ex vitiati alimenti ſuperfluo ſupra vlceris cicatricem, in formam thymi vel verrucarum earum quæ in manibus viſuntur, cuiuis eſt notiſſimum, ſúntque penſiles vel non penſiles. Quod ad penſiles ſpectat, quia ſtrictam habent baſim & parum adhærentem, facillimè forcipibus excinduntur, vel ligaturâ ſtrictiore ex filo ſericeo ſenſim extirpantur: Deinde radix fouetur decocto guajaci, in quo parum aluminis fuerit diſſolutum, vel etiam puluis aſpergitur ex æris ſquamâ præparatâ. Reliquæ verò non penſiles, ob latiorem baſim & adhærentiam cum parte, abſumendæ erunt cathæreticis quibuſdam, ita præparatis vt minimam inflammationem inferant. Quidam igitur duriores emolliunt priùs ammoniaco aut bdellio, cum pauco aceto diſſolutis, vel aquâ vitæ in quâ radix althææ fuerit macerata, aut ſpumâ guajaci. Deinde admouent puluerís præcipitati parum, ſupra tegendo partem emplaſtro de ceruſsâ. Alij verò frequenter intingunt oleo vitrioli vel de ſulphure, quibus ſæpiſſimè concidunt. Quòd ſi ita fuerint rebelles, vt illis nullo modo cedant, licebit factâ priùs diligenti corporis præparatione, granum cauſtici communis & indolentis admouere, & poſt 6. vel 8. horas videre quid profecerit; deinde aliud adhuc granum addere, donec omnino extinctæ videantur, & ſic per eſcharam decidant. Muniantur intereà loca vicina refrigerantibus quibuſdam & repellentibus, vt albumine oui cum bolo armenâ & pauco aceto, ne fluxio irruat. Atque ipſe æger à confricatione temperet ob pruritum qui exoritur.

Vt igitur materia ſubtilis & tenuior ad exteriora prorumpens, dicta vlcuſcula, cariem & puſtulas excitat in pudendo; ſic craſſior circa morbi initia, vel eius progreſſum in emunctoria inguinum, ab hepate cum ſeminariis virulentiæ amandata, tumores ibi excitat, quos nunc vulgò bubonas, vocant à ſimilitudine cum iis, quos labor, dolor, vel maligna febris excitare ſolet. Sunt autem eiuſmodi tumores difficilis maturationis & reſolutionis, tum propter naturam partis illius glanduloſæ & membranoſæ: tum ipſius materiæ quæ eſt contumax & rebellis,

rebellis, ob craſſitiem & deleteriam illam qualitatem adiunctam, quæ parum cedit calori noſtro natiuo. Curandum itaque in primis, exorto eiuſmodi tumore, vt natura in expulſione iuuetur, ſi minùs ſtrenuè agat, ac proinde frictionibus aſperioribus ſupra locum factis, admotis cucurbitulis cum multa flammâ, exercitationibus, equitatione dura, & ſimilibus, trahatur foràs materia, quantum fieri poterit: vel etiam venæ ſectione ex vena malleoli aut poplitis, quando corpus eſt plethoricum, [nec baſilicam ſecare eſt tutum.] Si dolor vrgeat, vtamur chalaſticis & rarefacientibus cutem, quò laxior fiat, & faciliùs materiam ſuſcipiat: Ad quod faciunt fotus ex rad. lilij, folior. maluæ & althææ, oleum amygdal. dulcium, & butyrum, vnguentum reſumptiuum, & dialthæas, ſuprà ponendo lanam ſuccidam, vel cataplaſma ex mica panis cum lacte cocta, croco, & vitellis ouorum. Vbi maturandum magis, quia materia cruda craſſaque eſt, vt diximus, quæ reſolutioni parum idonea exiſtit, valde commendatur ſequens cataplaſma: Cepe nimirum & radix lilij albi ſub cineribus coquitur & piſtatur cum V I. aut V I I. caricis etiam coctis; deinde additur fermenti acrioris ʒ. j. pingued. gallinæ & porci ʒ. ij. olei liliorum q. ſ. fiat cataplaſma in vſum dictum. Alij contenti ſunt empl. diachylone, cui diſſoluto addunt pingued. gallinæ veteſtioris tertiam partem, cum pauco ſinapi puluere. Verùm non eſt hîc expectanda perfecta ſuppuratio, tum ob materiæ contumaciam, tum etiam ne ſeminaria retrò ad hepar commeent, ac proinde aperiendus erit tumor ſcalpello, (non expectandum vt per ſe aperiatur) facta per longum ſectione, vt vulnus magis hiet, nec tam citò agglutinetur: Vel apponatur cauſticum, quod ad interiora penetrans & cutis portionem abſumens, reddet aditum patentiorem ad expurgandam materiam. Immittatur ergo turunda decocto guaiacino imbuta, & melle roſaceo, aut pauco baſilicone: Vel ſi humor viſcidus facilè non effluat, immittatur globulus cereus, cui parum viridis æris fuerit permixtum, & ſupra cataplaſma vel emplaſtrum dictum admoueatur: & ſic fluat ad minus per 40. dierum ſpatium: Quibus tranſactis & tumore abſumpto cicatrix obducatur emplaſtro diapompholygos. Sin verò vel mala caro ſupercreſcat, abſumatur puluere aluminis aut præcipitati; vel calloſitas infeſtet, vel fiſtulæ periculum, fiant iniectiones accommodatæ & cætera remedia, quæ ſuis locis traduntur.

Quoties autem nec caries in pudendo, nec bubo in inguinibus apparet, ſæpiſſimè exoritur gonorrhœa virulenta, quamuis etiam iſtis aliquando complicari poſſit: Quæ accidit ob virulentiæ iſtius malignitatem, hepar ipſum & partes ſpermatis generationi dicatas vellicantem aut certè reſoluentem, vnde fit perpetuus efflu-xus ſubſtantiæ cuiuſdam ſeroſæ & albicantis vel flaueſcentis tetro quodam odore præditę, ita vt per multos non ſolùm menſes, ſed etiam annos, ſumma fœditate prolabatur. (*In hoc affectu diſtingue diligenter, an ſit ſemen, an pus, vel ichor ex vlcere iam contracto procedens. Qui ipſam ſeminalem materiam excernunt, vix poſſunt mentulam erigere, & cum mulierculis congredi, aut ſemen cum voluptate excernere, ſed nullum patiuntur dolorem. Qui verò vlcus patiuntur, hæc omnia liberè poſſunt præſtare, ſed dolorem quaſi perpetuum ſentiunt, potiſſimum in ipſa mictione.*) Hæc itaque ſi ob inexhauſtam libidinem, acceſſúmque ad putida ſcorta contigerit (poteſt enim & à ſimplici, id eſt, non infecto coitu, & exercitatione violenta, vt dura equitatione, & ſanguinis vel ſeminis nimia quantitate fieri:) illud habet peculiare, vt vulgatis remediis non cedat, putà vacuantibus, lenientibus, refrigerantibus & adſtringentibus, quæ in aliis ſpeciebus vtiliſſimè vſurpantur: ſed inualeſcit magis, donec ipſa ſeminaria conuenienter ſudorificis & alexipharmacis exhauſta expugnatáque fuerint. Ad quod inter alia decoctum ſarſæ parillæ per X V. aut X X. dies vſurpatum, corpore leniter & frequenter priùs repurgato, ex bolo caſſiæ, rhabarbari puluere, catholicone, aut terebinthina lota: quæ plurimùm commendatur ob validam exſiccandi vim, qua prædita eſt ſine calfactione. Poteſt etiam parum ligni guajacini addi, ſi quidem ipſa lues iam altiùs impreſſa videatur, ita vt propria egeat antidoto. Intereà licebit idem decoctum cum ſero caprillo, aut pauco melle roſaceo dilutum, frequenter in canalem vrinarium iniicere: & opiatam ſuperiùs deſcriptam, addendo conſeruam florum maluæ & nymphææ, cum pauco ſemine lactucæ & plantaginis quotidie circa veſperam exhibere, facta etiam exteriùs inunctione ex oleo myrtino & ſimilibus, quando iam fluxus erit immoderatus, ſic viciſſim ad purgationes & decoctum redire per longiora interualla, donec & cauſa primaria omnino ſit ſublata, & robur partibus hiſce ſuſcipientibus reſtitutum: quod aliquando citiùs, aliàs tardiùs perficitur: fiúntque frequentes recidiuæ, in eis potiſſimùm qui libidini

indulgent, aut intemperantes sunt in victu, valde periculosæ, ob decantatas illas carnositates seu carunculas quæ in canali virgæ exulcerato supercrescere solent.

Virosus enim ille humor & acer, tamdiu per meatum illum transfluens, primò quidem excalfacit, posteà verò erodit, & vlcus excitat in vesicæ collo, aut penis cauitate, quod nisi cito aut scitè curetur, in carunculas attollitur, à quibus ductus ille seminis & vrinæ præter naturam obstruitur: Nam quemadmodum ex purissimo sanguine caro inculpata gignitur: sic ex succis vitiosis alluentibus, & irrigantibus vlcera, solet spongiosa quædam caro succrescere, quæ in externis quidem corporis partibus, facilè; in abditis autem atque intùs delitescentibus ægerrimè absumitur. Ac proinde vbi primùm exulceratio in istis ductibus genita est, priusquam vlcus ingrauescat, videndum vt debitè tractetur & cicatrice obducatur, præmissis primùm euacuantibus totum & reuellentibus à parte, deinde leniter detergentibus jam commemoratis, pòst exsiccantibus & adstringentibus, vt decocto rosarum, balaustiorum cum pauco alumine: vel aqua plantaginis, in qua parum cerussæ & lithargyri sit dissolutum. Quibus si curatio in totum absoluatur, cessabit morsus omnis & punctura partis, facilisque erit excretio tum seminis, tum vrinæ: sin verò in medio cursu subsistant, aut ægrè ac stillatim vel bifurcatim emittantur: necnon immissus catheter aut cerea candela penetrare non possit, sed in ipso ductu impingat, vt sic à lapide distinguatur, quocunque modo situato ægro, certè iam genitas carunculas agnosces, & priusquàm omnino occalleſcant, curabis.

Modus autem erit, vt primùm cathetere ipso, vel tenero maluæ cauliculo, vel cerea candela ad id comparata atteratur: cauentes interim, ne partibus hisce exquisitissimo sensu præditis magnam vim inferamus: attrita detergeatur dictis iniectionibus, & immisso specillo plumbeo vel cereo, quod ibi continebitur, quàm citissimè occludatur, & superfluæ carnis regeneratio impediatur. Sin verò durior sit, quàm sic atteri & citò cõfringi possit, tunc emollienda priùs fotu supra regionem illam facto, vel etiam iniectione, ex decocto althææ, maluarum, seminis lini, & caricarum pinguium, necnon caraplasmatis, vnguentis, & emplastris conuenientibus: deinde illius attritio per cauliculos, cereum stylum, virgulam plumbeam, catheterem, & similes molliter attentanda: Vnde si sanguinis fluxus excitetur, cohiberi poterit albumine oui cum aquâ rosaceâ diu agitato intra canalem iniecto, illitâ bolo Armenâ cum succo plantaginis. Ibidem deinceps continenda cerea illa candela, quæ præferet vlceris vestigium, & quâ in parte lateat, indicabit. Eadem excauanda deradendáque modicè circa istum locum, quem emplastro cathæretico & carnes istas absumente implebimus, vel etiam candelæ mucro ita præparandus, vt longiùs dissitæ carunculæ attingantur: sic namque fiet, vt quinis vel senis diebus paulatim absumantur, atque in humorem quendam purulentum conuertantur. Siquis intereà dolor nimium acerbus fiat, extrahatur paululum candela, & colluatur meatus ille lacte caprillo aut aquâ rosaceâ cum modico caphuræ, deinde abstergeatur & occludatur, prout iam de vlcere fuit dictum: & per aliquod tempus turunda illa plumbea, vel cerea candela in canali contineatur, donec libera sit & indolens vrinæ ac seminis excretio. Quod ad emplastrum autem illud absumens spectat, multi multas comminiscuntur formulas, nobis tamen sequens poterit sufficere.

℞. Auripigmenti, vitrioli, viridis æris, & aluminis rochæ, an. ʒ j. Perfundantur aceto acerrimo, & terantur tenuissimè inter duos lapides porphyrites vel marmoreos, exposita soli ardentissimo, exsiccentur, rursus perfundantur aceto, & læuigentur per 6. aut 7. vices, donec omnem prorsus acrimoniam amiserint. Huius pulueris ita præparati ʒ ij. plus vel minus pro corporis conditione excipiantur lithargyri ʒ iij liquati in ʒ vj. olei rosacei, & addendo ceræ parum, fiat emplastrum, quod dictæ candelæ adhærere possit, neque inde diffluat. Atque hæc de difficillimo & molestissimo affectu, qui gonorrhœas & vlcera penis subsequi consueuit.

Nunc persequamur ad pilorum defluuium, quod fœditatem ægris molestissimam & ridiculam inferre solet. Cadunt autem in hoc affectu pili, non ob densitatem aut ariditatem cutis, non ob eius laxitatem, vel alimenti penuriam, sed ob deprauationem & corruptelam humorum radices eorum erodentem, vt patet ex tumore & liuiditate quadam seu quasi albedine, quæ in his partibus tunc appareret. In hoc itaque casu præcipua erit indicatio, vt teterrima hæc lues à loco ipso cui inhæret, educatur: deinde pili defluentes confirmentur, donec laudabilis materia

regenita

regenita eorum radices reficiat : vel certè ſi ceciderint, de nouo ſuccreſcere poſſit. Vacuato igitur priùs toto corpore à redundante cacochymia, & inſtituto decocto guajacino vel ſarſæ per 12. aut 15. dies; necnon vſurpatis maſticatoriis & errhinis ad particularem vacuationem & deriuationem; radantur interea pili curioſiſſimè, & ſudor quàm poterit copioſus ex capite eliciatur. Vel ſi hoc non liceat circa pomeridianas horas, lauetur decocto ſarmentorum vitis, abrotani, calamenti, ſcabioſæ, fumariæ, capilli Veneris, addendo radicis cannarum ʒ. ij. necnon foliorum ſenæ aut agarici parum, ad majorem expurgationem ipſius partis : Quæ vbi ſufficienter mundificata videbitur, inungatur quibuſdam, quæ alliciant materiam pilorum, & leuiter adſtringant & confirment cutis poros. Vt

℞. Olei de abrotano ʒ. vij. radicis thapſiæ & agarici, an. ℥. ß. Bulliant ad ſucci conſumptionem, & colentur : deinde adde cineris veſparum, cineris pellis talpæ, & capitis murium, an. ʒ. iij. ladani ℥. ß. Fiat linimentum pro partibus glabritie affectis. Multi aquâ ſola mellis cum ladano idem conſequuntur : Alij epiſpaſticis vehementioribus vtuntur. Quæ tamen ego reformidanda exiſtimo in hoc caſu, ne comburantur radices pilorum, aut cutis nimiùm exſiccetur : vel etiam ne herpetes aut inflammatio generentur. Empirici ſatis feliciter aliquando hoc ſymptoma corrigunt per ſuffitus à nobis commemoratos.

Vt igitur pilorum defluuium propter humorum acrimoniam contingere ſolet in capite & reliquis partibus lue Venerea affectorum : ſic dolores vndiquaque exurgunt ex vaporum malignitate præditorum copia in capite, auribus; vnde tinnitus grauis & moleſtus; in mediis artubus circa perioſtion, & ſimiles partes. Ratione igitur cauſæ eradenda primùm mali ipſius fomenta per conuenientem purgationem & venæ ſectionem, quando affectus eſt in ipſo ortu; vbi verò iam inueterauit, abſtinendum à phlebotomia, & omnino incumbendum decoctis ſudorificis, ex ſarſa-parilla potiſſimum, quæ maximam habet vim penetrandi & attenuandi. Et qua parte erit dolor, inde etiam ſudores copioſius eliciendi, vt adhibitis ſaculis calentibus capiti, aliis verò partibus fomentis ſiccis vel humidis ex decocto guajacino & vino albo, in quibus folia calamenti, pulegij, maluarum, althææ, & ſimilia bullierint. Pro capitis dolore intenſo & contumaci, tandem ſequens emplaſtrum toti capiti admouent, abraſis priùs capillis.

℞. Maſſæ empl. de Vigo, diuini, & de betonica, an. ʒ. ij. euphorbij ʒ. iij. hydrarg. ʒ. j. ß. Malaxentur cum oleo irino vel rutaceo : & applicetur.

In aures verò coniiciantur ſæpiùs guttæ aliquot olei guajacini vel amygdalarum amararum, cum pauco caſtoreo & opio, vbi dolor & tinnitus magis vrgebit : vel etiam aquæ imperialis aut cæleſtis dictæ ad diſcutiendum & roborandum; quas deinde obturabis cotone moſchato ; vel linteolis iam ad præcautionem à nobis præparatis. Interea reiteretur purgatio cum pilulis cocciis vel arthriticis, cum puluere ex turbith dicto, vel radicis mechoacan in delicatis. Inungantur verò partes dolentes oleis mollientibus & diſcutientibus, vt oleo liliorum, de cera, de ſcorpionibus, rutaceo, laurino, & viperino, ſi paratum habeatur. Per os vrgente nimium dolore, theriaca recens, philonium Romanum & ſimilia certis interuallis exhibeantur circa horam ſomni, vt miſerrimi iſti ægri aliquantiſper quieſcere poſſint. Extrà verò nullis narcoticis vtendum, ne impingatur magis materia, & calor natiuus debilitetur; ſed chalaſticis tantùm, vt cataplaſmate ex micâ panis cum lacte, croco, & vitellis ouorum, vnguentis dialthææ, reſumptiuo, & ſimilibus, quibus multi theriacam vel mithridatium miſcendum ſuadent. Tandem ad inunctiones ex hydrargyro veniendum.

Quòd ſi dolores iſti non tam à vaporibus & materiâ per partes diffusâ pendeant, quàm collectâ, & in tumores coaceruatâ circa articulos, internodia, in medio cubito vel fibulâ, circa os capitis, & ſimiles : tunc maius multò negotium exoritur. Nam eiuſmodi tumores vel ſunt tophacei & lapidoſi, quaſi callo quodam ſupra os genito, vnde exoſtoſes dicuntur : vel molles & gummatoſi, ex pituitoſorum genere, nempe atheromatum, ſteatomatum, vel meliceridum pro varietate materiæ. Qui ſunt atheromatici & meliceridoſi, hoc eſt, molles vt polenta vel mel, illi citò ſubſtratum os corrumpunt propter permixtam malignam qualitatem & putredinem, ac proinde citò aperiendi : Qui verò ſteatomatoſi, duriores ac tophacei, minùs alterant oſſa, quia ſunt veluti gypſeâ quadam & concretâ pituitâ referti. Hi autem tumores fiunt vel à malâ congeſtione, partium, & aduentantis alimenti vitio, vel etiam à præpoſteris hydrargyri inunctionibus, quando videl. minus

præparato

præparato corpore admouentur: vel poſt earum vſum minùs cautè ſe gerunt ægri; & citiùs quàm par eſſet, aëri ſeſe frigidiori exponunt: vnde in eiuſmodi tumoribus apertis inuentas fuiſſe aliquando Mercurij portiones ferunt.

Ad horum itaque curationem, principem locum obtinet ſarſa parilla, (poſt hanc lignum ſaſſafras in valde refrigeratis.)Cuius decocto ſæpe eiuſmodi tumores ſi non fuerint nimiùm confirmati,per ſpatium 20.dierum euanuerunt:non neglectis interea topicis, vt in durioribus, ammoniaco, bdellio,opopánace, & ſimilibus aqua vitæ diſſolutis, & priùs fomento ex eiuſdem ſarſæ decocto præparatis. Quidam admouent cotonem aqua vitæ perfuſum,in qua radix althææ macerata fuerit. Multi verò laudant Galeni cataplaſma ex caſeo antiquiſſimo,in iure pernæ ſuillæ rancidæ diſſoluto: quæ omnia tentare licebit. In eis verò tumoribus qui molliores erunt, mellei videl. vel atheromatici, vt capitis talparia dicta, & aliis, non eſt diutiùs reſolutioni inſiſtendum, ſi quidem decocto ſudorifico nihil profectum fuerit, ne vt dicebamus, corrumpantur oſſa materiæ iſtius virulentia & malignitate; ſed aperiendum cauſtico vel ferro, ac deinceps conſumenda illa materia præcipitati puluere & ſimilibus, præcipuè ſi folliculo contineatur. Poſt mundificationem σάρκωσις & ἐπίλωσις, carnis generatio & cicatrix conſuetis remediis procuranda, quas multum promouere ſolet idem decoctum ſarſæ vel ſaſſafras ſæpiùs repetitum. Nec omittendum etiam emplaſtrum de ranis ſeu de Vigo dictum, cui Mercurij ſufficiens portio admixta ſit, potentiſſimum eſſe ad attenuandos, reſoluendos, & conſumendos iſtos tumores.

Verùm hiſce tumoribus Venereis, vt dicebamus, atque etiam ſine illis accidere ſæpiùs ſolet moleſtiſſimus & curatu difficillimus affectus, lue jam vehementius in partes ſolidas graſſante,nimirum oſſium corruptio,ob teredinem & cariem ſummam in illis introductam à teterrimis huius contagij ſeminariis, vel etiam intempeſtiuis & parùm cautis inunctionibus. Cùm igitur nulla ſit ſperabilis vlceris, tumoris, vel carnis ſuperpoſitæ ſanatio, quamdiu vitium oſſi eſt impreſſum, docente ſummo Hippocrate: Ideò vbi primùm ex malo colore circumiectarum partium, vlceris recurrentis cacoëthia, aſperitate ſeu inæqualitate oſſis ſenſibili, cum dolore in parte perpetuo, de oſſis corruptela certiores erimus; incipiendum ab illius curatione, vt ſcilicet id quod carie eſt tentatum, auferatur, ſi ſit in parte commoda,ideque medicamentis exſiccantibus & attenuantibus, quæ vulgò noſtri *Exfoliatiua* vocant, vt puluere ariſtolochiæ rotundæ, peucedani, panacis, iridis, myrrhæ, (euphorbij, ſed cautè) & ſimilium: vel oleis cauſticis, vt de ſulphure, vitrioli, aqua aluminoſa magiſtrali, & aliis; vel candente ferro ita exſiccetur pars oſſis carioſa, vt deinceps alimento priuata contabeſcat, & à natura ſeparetur. Quod ſi fieri commodè non poſſit propter magnitudinem partis corruptæ, vel certè citiùs fieri poſſit opera artificis quàm naturæ (quæ id tantùm præſtat 30. 40. vel 60. dierum ſpatio,) vt in partibus manui expoſitis, videl. tibia, brachiis, & ſimilibus; tunc ſcalpris, terebris, & ſimilibus inſtrumentis, quàm fieri poterit indolenter auferatur, & deinceps ſupergenito callo & carne ad cicatricem vlcus perducatur. Ad quod vnguentum de plumbo maximè à Practicis commendatur. Si corruptela iſta ſit in oſſibus capitis, auferatur pro modo illius medicamentis vel ferro ſecante, non autem vrente, metu inflammationis membranarum & cerebri ſubiecti.Si in palato,vtendum aquis aluminoſis, oleo vitrioli, & de ſulphure, commodè per goſſipium adhibitis: Multi aquam fortem laudant, ſed valde timendum, ne aliquid illius delabatur in ventriculum, vnde metus vlcerum peſſimorum & mortis aliquando. Procedente carie ſæpe fit vt totum os baſilare decidat cum narium interſtitio, vnde non ſolùm maxima fœditas, ſed ingens vitæ periculum, ob aëris ingreſſum & penetrationem ad interiora; tunc goſſipio, cera, ſubere, argento, vel alia materia opplendum eiuſmodi foramen, vt & ſorbere & loqui poſſint commodiùs: Interea colluant frequenter os decocto guajacino, in quo detergentia & adſtringentia incocta fuerint, vt miſerrimas vitæ reliquias faciliùs tranſigant.

Rerum affinitate ducti, omiſimus adhuc puſtulas, & herpetes ſeu impetiginem, quæ ſecundum luis iſtius gradum plerumque comitari ſolent. Quod ad puſtulas ergo attinet, illæ vt plurimum caput & frontem, aliquando ipſam oris interiorem partem, & ſedem ſeu perinæum occupant, varorum inſtar quos Græci ἰόνθους appellant; ſed diuerſorum admodum colorum, pro vario humorum dominatu, rarò tamen cum ſanie, ſed cum cruſtis & materia quadam concreta & mucoſa, quæ abraſa dolorem excitat aliquando & contumaciſſimè renaſcitur. Harum igitur

igitur curatio ſæpè decocto ſudorifico, aut ſaltem inunctionibus mercurialis perficitur, quibus mali origine ſuccisâ illæ ſuâ ſponte contabeſcunt. Quia tamen in ore multam moleſtiam inferunt, bonum erit colluere frequenter aqua plantaginis, roſarum, & caprifolij, in quâ parum guaiaci bullierit. Item illas contingere pauco oleo de ſulphure & vitrioli, vel aquâ aluminosâ magiſtrali. Si dolor ſit moleſtus, colluatur ſero caprillo chalybeato, vel decocto hordei, in quo aurum ignitum frequenter fuerit extinctum; deinde prædictis abſumantur. In aliis partibus abluantur & foueantur ſpumâ decocti guaiacini, ſicque molliores factæ abradantur ſcalpello, & cicatrix inducatur vnguento rubro vel de plumbo, emplaſtro de ceruſsâ, diapompholygos, & ſimilibus. Quidam valde commendant ad illas exſiccandas oleum viperinum; alij verò eas contingunt ſingulatim aquâ forti, (*Faciunt etiam aquam ad id ſtillatitiam ex cantharidibus,*) vbi locum aliquem magis detectum occuparint, cuius turpitudinem æger reformidet: deinde occludunt, vt ſuperius. Videndum tamen in corrodentium iſtorum vſu, ne illorum vis ad interiorem vſque cutem penetret, & ibi veſtigia non ſine magnâ fœditate relinquat: ad quæ delenda inungitur ceruſſa & lithargyro, aquâ lapathi acuti vel ſucco limonum diſſoluta: Alij cortices ouorum bene ſiccatos & in tenuiſſimum pollinem redactos cum pauco omphacio miſcent, & horâ ſomni illinunt, manè verò aquâ furfuris vel ſero caprillo abluunt. Herpetes autem ſeu impetigines, quando decocto ſarſæ parillæ bis intra ſpatium duorum aut trium menſium vſurpato non ceſſerint, inungemus frequenter vnguento illo, quod *ennlatum* vocant, & mercurij quantitatem ſufficientem recipit, vel vnguento citrino, cui momentum ſulphuris & ſuccum limonum addere oportet. Alij madefaciunt decocto guaiacino, & ſulphure pulueriſato aſpergunt. Quidam exiſtimant ſolo Nicotianæ recentis ſucco, vel oleo è chartâ combuſtâ & linteolo feliciter deleri.

Superſunt itaque Rhagades ſeu fiſſuræ, quæ pleriſque partibus iam confirmato hoc morbo exurgere ſolent: præcipuè verò pedum plantis, volis manuum, & ano, ex materiæ phlegmaticæ & melancholicæ copiâ, quæ partes iſtas diſtendens, & nitroſitate ſuâ atque acrimoniâ arrodens, continuum ſoluit, & magnam moleſtiam infert. Ad harum ſublationem nihil tantùm conducit, quàm ſarſæ parillæ decoctum frequenter repetitum, & totius corporis iterata purgatio. Quod ad topica ſpectat, cùm durities ſolutioni continui hîc complicata ſit, quæ illius vnionem impedit: patet ei proſpiciendum eſſe in primis per emollientia & humectantia, fomenta videlicet, vnguenta & emplaſtra ſæpius à nobis commemorata: quorum vſus tunc præcipuè vſurpari debet, quando decoctum ſarſæ exhibetur. Deinde, ſi ita videatur, ob contumaciam iſtius affectus, fiat fumigium ex rebus iam deſcriptis, quod recipiant per embotum rectà in iſtas partes bis aut ter: Vel confricentur vnguento mercuriato: his enim plerumque ſolent eiuſmodi rhagades expugnari.

Sin verò tanta ſit durities & malignitas, vt etiam illis reſiſtat, tunc ſcalpello, vel ferro candente, aut cauſticis admotis corrigendâ, vt deinceps vlcus rectificatum (ſic loquuntur Practici noſtri) ad mundificationem & cicatricem perducatur.

Atque hæc de correctione accidentium præcipuorum, quæ luem Veneream comitari ſolent: reliqua enim ex iſtis bene intellectis, aut communi therapeiâ (apud authores traditâ) facile erit curare.

Digitized by Google

CAPVT III.

De Hepatitide seu iecoris ἄλσει, quam alui fluxus chylosus, cruentus, sanios us, & similes consequuntur.

CITE admodum docet Galenus λογομαχίας Medico in primis fugiendas esse; & citò de nominum appellationibus conueniendum esse, ne quod illis tempus & opera insumitur, rerum cognitioni depereat. Quod in proposito nobis affectu vsurpandum videtur, distincto priùs æquiuoco. Nam ἦπαρ apud Hippocr. *lib. 1. de morb. & alibi* sæpius, apud Aristot. 3. *de histor. animal.* sumitur pro trunco illo insigni seu venâ cauâ, quæ ideò illis iecoraria dicitur, quòd ex gibbis hepatis exorta, & in plures diuisa ramos, omnes corporis nostri partes alibili illo succo iugiter & copiosè irrigat. Alibi verò, idque frequentiùs, apud ipsummet Hippocratem, Galenum, Aretæum, & alios Medicinæ proceres designat affectûs ipsius iecoris, quorum insignior est noxa in depraùandis corrumpendisque illius functionibus: vnde aliqui (inter quos doctissimus Fernelius) ex ratione seu analogiâ deriuationis nominum, voluerunt hepatitidem ipsius iecoris, non minùs quàm pleuritidem lateris, aut phrenitidem diaphragmatis vel cerebri, esse inflammationem systrophicam, quâ sanguis eius aliquâ parte præter naturam collectus, incenditur.

Sed quoniam significationes nominum in Medicinâ vsitatorum, ex Galeni doctrinâ frequentissimè repetuntur, lubet hîc cum celeberrimis viris (Hollerio, Dureto, & aliis) Hepatitidem pro iecoris ἀτονίᾳ seu imbecillitate vsurpare, à quâ hepatici seu iecorosi denominantur, quos ipse Galenus *lib. 5 de loc. affect. & 8. de compos. medic. sec. loc.* vult laborare ab hepatis exolutione sine phlegmone illius, scirrho, abscessu, vlcere, aut similibus morbis; sed ob simplicem & propriam corruptelam natiui illius temperamenti & peculiaris, quo, ἀιματοποιητικὴ facultas munus suum exercet.

Quod vt meliùs intelligatur, sciendum est sanguificationis perfectionem in tribus potissimùm esse positam velut præsidiis, nempe εὐχυλίᾳ, bonâ chylificatione, & primæ coctionis integritate, quæ conuenientem materiam hepati præparet atque obiiciat: εὐπορίᾳ, id est vasorum, quæ ab intestinis & ventriculo ipso ad iecur pertingunt libertate, vt materia illa chylosa commodè per illos meatûs ad internam hepatis officinam transferri possit: εὐτονίᾳ, id est, firmitate ac robore hepatis ad suum munus exercendum, quod spectatur in quatuor illis communibus functionibus attrahendi, retinendi, concoquendi, & expellendi. Vbi igitur prima concoctio ita in vitio est, vt illud secunda emendare non possit, quantumuis eius instrumenta bene valeant: vel meatûs illi obstructi vel infirmiores non deferunt conuenienter cremorem istum, vt in hepate suam metamorphosim & perfectionem adipiscatur: certum est tunc impeditam esse sanguificationem & malè exerceri, nihil dum adhuc perpesso iecore in suâ substantiâ, sed eorum tantùm quæ præcedere debent, vitio. At verò vbi propria illa temperies, quâ suas exercet functiones, collabitur, vel nato priùs in eius substantiâ vitio, vel aliunde, à vicinis scilicet partibus irruente, aut ab externis causis aduentante; variis modis obliduntur illius functiones, vt attractrix modò magis, aliàs retentrix, expultrix, aut alteratrix illi maximè propria & familiaris collabatur, aliàs omnes fermè corruant, & æquali labe teneantur; vt in eis potissimùm qui ab ortu hepatici existunt, si quidem incauto regimine contractum illud vitium & perniciem augeant.

Vt autem à præstantiori plurimum fieri solet denominatio, sic in proposito hoc affectu concoctricem hepatis facultatem, velut eius ἐντελέχειαν & peculiarem vim consideramus, quâ deficiente ob varias causas à nobis posteà recensendas, exoritur hæc nostra Hepatitis, in frustratâ scilicet sanguificatione, & crudioris ac dilutioris sanguinis procreatione, velut proprio charactere elucens: quo annotato

tato Galenus *lib. 5. de loc. affect.* tantam ſibi gloriam Romæ apud Glauconem Philoſophum, & Siculum Medicum decumbentem comparauit. Sic igitur illam definire lubet.

Hepatitis eſt exolutio ſeu infirmitas facultatis ſanguificæ in iecore ob vitiatam naturalem & propriam temperamenti ſui harmoniam, cuius comes eſt alui fluxus liquidus & loturæ carnium ſimillimus. Huius definitionis explicatio partem affectam, affectûs naturam, cauſas, & ſigna complectetur. Quod ad partem enim affectam ſpectat, cùm hepar organica ſit pars, & ex variis conflatum compoſitúmque particulis, quarum præcipuæ ſunt venæ per totum eius corpus multipliciter ſparſæ, meatûs item illi cholidochi variè in venas implantati, denique parenchyma ipſum, quod complet & veluti fulcit totam illam ſtructuram: Certum eſt ipſum parenchyma eſſe propriam & peculiarem hepatis ſubſtantiam, vtpote quæ in nullo alio viſcere reperiatur, & qualitatibus ſuis omnibus proximè ad ſanguinis, qui opus eſt illi propoſitum, qualitates accedat: ac proinde vbi primaria eſt huius facultatis noxa, in primis etiam ſubſtantiæ iſtius κράσιν & conſtitutionem violari, cui non ſolùm adhærentes partes, nimirum venæ ob ſocietatem operis, cui illæ velut radiis illuſtratæ ſubſeruiunt, ſed etiam vicinæ & circumſtantes partes maximè condoleſcunt & ſympathicos affectûs perpeti ſolent.

Natura verò huiuſce affectûs potiſſimùm eſt poſita in diminutâ ſeu exolutâ virtute ſanguificâ, actionis ſcilicet læſæ ſpecie, cui reliquæ tres famulantur. Nam attractrice iecoris aut venarum infirmatâ, ita vt ſuccum illum alibilem à ventriculo præparatum non appetant, aut prolectare non poſſint. Item retentrice eneruatâ, ita vt per conuenientem moram illum in debito ſpatio ac loco coërcere non valeat. Vel denique expultrice irritatâ à re quapiam moleſtâ & naturæ aduersâ, quâ impellitur ad intempeſtiuè excernendum, priuſquàm recta concoctio peracta fuerit: certum eſt ſanguificationem in iecoris officinâ ritè celebrari non poſſe. At his omnibus quamuis bene conſtitutis poteſt aliquando contingere, vt & attractio, & retentio, atque expulſio ſatis conuenienter fiant: ita tamen euersâ hepatis coctione, vt pro bono ac laudabili ſanguine, nihil niſi ſaniem aut cruentum & dilutiſſimum humorem reponat, qui minùs partibus alendis idoneus ab inualidâ naturâ parum prolicitur, & ſuâ tenuitate effluens in alui ſentinam, eius profluuium concitat. Quamuis, vt verum fateamur, in hoc noſtro affectu adeſt vt plurimùm omnium illarum facultatum labes, tùm ob præcipuæ noxam, quâ reliquarum integritas conſtituitur; tum ob magnam temperamenti proprij ruinam, in quo omnes fundamentum virtutis ſuæ collocatum habent. Vt igitur hepatis facultates omnes in hoc noſtro affectu imminuuntur ac penè abolentur, quæ intùs latent, ſenſuíque parum innoteſcunt: ſic de ſe promunt alios affectûs conſpicuos ac manifeſtos in aliorum ſymptomatum generibus repoſitos, qui ſignorum vicem hîc obtinent, vt nos poſteà dicemus, poſteaquàm cauſas propoſuerimus.

Quæ verò ſint cauſæ tanti affectûs, tam externæ quàm internæ, coniunctæ quàm antecedentes, nunc eſt videndum. Quod ad cauſam internam, eamque proximam attinet, non poteſt eſſe alia quàm morbus vnus vel plures, qui immediatè has actiones violent. Diſpoſitionem porrò organicam non poſſe primario id efficere certum eſt, niſi quatenus impedit πόρους illam ſeu commeatum materiæ chyloſæ ad hepar, vt per obſtructiones. Solutionem autem continui occultam aut manifeſtam, hîc non adeſſe iam poſuimus ex Galeno, qui vult hunc affectum abſque inflammatione, ſcirrho, abſceſſu, vel vlcere fieri. Sequitur igitur intemperiem aliquam id præſtare. Quæ verò illa ſit, non ita eſt compertum. Quidam putant eſſe perpetuò intemperiem frigidam, eo argumento ducti quod frequenter ab ipſo Galeno adducitur, nempe à frigiditate actiones corporis noſtri imminui, à calore deprauari: & quia huic affectui alij penè omnes ſuccedanei, vt cachexia, hydrops, & ſimiles, frigidiſſimi ſunt. Alij verò cùm videant & per febres ardentiſſimas hunc affectũ contingere, & in corporibus humidiſſimis ſine magno frigiditatis ſenſu: atque etiam exſiccatâ nimiùm hepatis ſubſtantiâ, vt per ſcirrhos, qui hydropem tandẽ accerſunt, exiſtimant à quâuis δυσκρασίᾳ ſiue exceſſu primarũ qualitatũ fieri poſſe, ſi eò vſq; proceſſerit, vt robur ipſius hepatis & potiſſimùm αἱματοποιητικῆς facultatis deiiciat. Nos autem ſuperius quid & maius in hoc affectu eſſe putamus. Cùm enim per omnes illas commemoratas intemperies apparere ſoleat, & ſæpe illis

quamuis valde excedentibus non appareat : dicendum non tam ab illis proximè hunc noſtrum affectum produci, quàm interuentu alterius alicuius diſpoſitionis quam iſtæ ſuſcitare poſſint. Eſt igitur exolutio ſiue conſumptio caloris illius natiui in hepate, qui oleoſæ tenuíque ſubſtantiæ inhærens, ſeu mauis humido primigenio per totum corpus diffuſo, potiùs quàm craſſæ & terrenæ partium ſubſtantiæ: Aliquando ab intenſo frigore interno vel externo extinguitur : aliàs à vehementiori calore abſumitur : nimiâ & importunâ humorum copiâ obruitur : aut etiam ingenti ſiccitate deſtruitur, fruſtratâ ſcilicet nutritione & conuenienti alimoniâ, per quam foueri & reparari debet. Quòd ſi quis hoc modo velit perpetuò refrigerationem hepatis eſſe audiendam, non repugnamus; dummodò concedat etiam minimè vulgarem eſſe illam, ſed quæ præcipuum hoc animæ noſtræ inſtrumentum reſpiciat, quo facultatum robur & temperamenti cuiuſque proprij vera harmonia continetur.

His ita poſitis patet, quamuis intemperiem, eo quo diximus modo, hunc noſtrum affectum parere poſſe, ſiue abſit humor, ſiue cum humore ſubſiſtat in ipsâ parte affectâ, quæ eſt omnium ferè humorum officina; *ἰδιοπαθῶς*, ſiue per communicationem & ſympathiam ab aliis deriuatur, vt cerebro, ventriculo, liene, meſenterio, veſicâ, vtero, & ſimilibus. Si congener ſit hic affectus, & velut ab ortu contractus, fit ob imbecillitatem natiuam, aut ex ſemine delibatam, quæ eſt poſita in paupertate caloris illius inſiti & humidi primigenij: vel coniunctionem aliarum rerum, quæ illi vim & noxam inferre aptæ natæque ſunt: Et hi propriè Hepatici dicuntur, etiam ſub latitudine ſanitatis illius indiuidualis contenti, in quibus facilis eſt lapſus ad hepatitidem hanc noſtram; in aliis difficilior, & ex malo vſu cauſarum illarum externarum quæ procatarcticæ dicuntur, vel internarum validè ſæuientium. Sic febres colliquantes & *ζωϊκαπνικὰ*, occulta putredo, humorum corruptela aut refrigeratio ſumma, qualis in vitreâ illâ pituitâ annotatur; vel multiplicatione nimiâ ſucci melancholici naturalis, quando expurgationes debitæ abſunt, quia vel abſumunt humidum illud oleoſum, vel opprimunt aut deiiciunt gradum & *ἴκλαμψιν* qualitatis illius penè diuinæ, hunc affectum producere poſſunt. Sic etiam ſumpta vel admota eiſdem viribus prædita, vt larga frigidæ aquæ, aut niuis & glaciei fuſæ potatio: olerum frigidiorum crudorúmque importunus eſus, venena potiſſimùm refrigerantia aſſumpta vel iniecta, vt opij, alterci, mandragoræ, & ſimilium nimia quantitas, vel in corpore infirmiore, vel dolo vel conſilio, vt fit dum dolorum ſæuitiam ſedare propoſitum eſt. Hippocrates 3. *Epid. & de intern. affect.* in *μεγαλοσπλάγχνοις*, carnium bubularum eſum, & vini generoſioris, quemadmodum & lactis ingurgitationem reformidat: quia illæ, vt & omnia *ὀλύσιτα* & cacochyma vim infringunt caloris natiui, humorúmque corruptelam ingenerant, quia virtus in illis eſt diſſipata, vt in maiore corde. Illud nimiâ quantitate aſſumptum, vt & piperata, & ſalſa, acria, & ſimilia exhauriunt & veluti extorrent iecoris ſubſtantiam: lac verò facilè in corporibus malè temperatis corrumpitur. His adde exercitationes violentas & aſſiduas colliquando, Veneris vſum inexplebilem, exhauriendo, ſimiléſque vtilium humorum vacuationes, vt hæmorrhagias frequentiores & copioſas, potiſſimùm feruentiori aëris conſtitutione vel boreali factas, ſiue vi naturæ, per nares, vterum, hæmorrhoides, ſeu artificis imperiti ope, vt per phlebotomias. Admota verò, vt balneum, fotus, emplaſtra, litus, vel ſimilia valde refrigerantia, aut calefacientia nimiùm & reſoluentia ſine vllâ adſtringendi facultate. Vt enim impensè frigida hepati *σφακελισμὸν* & tandem *νέκρωσιν* inferunt: ſic calida *ἀκράτειαν* & effœminationem inducunt: quod Hippocrates duobus ſectionis quintæ Aphoriſmis inſignioribus annotauit. Nunc ad ſigna veniamus.

Signorum etiam ratio in hoc affectu ex iam dictis repetenda. Nam vt ex cauſarum cenſu & enumeratione ad effectus iſtius ſeu imbecillitatis in hepate generationem progredimur: ſic multò certiùs ex effectibus & eis quæ conſequuntur, de illarum affectione coniecturam ſumimus. Non enim ſemper cauſæ etiam præſentes agunt, niſi diſpoſitum ſit patiens, & reliqua. Ac proinde concurſus cauſarum priùs dictarum, tam ex parte rerum naturalium, non naturalium, quàm præter naturam, ſufficientem aliquando facient coniecturam noxæ hepati illatæ. Multò verò illuſtriùs, ſi effecta appareant, nempe ea excreta, quæ neceſſariò conſequuntur ad iecoris actiones læſas, potiſſimùm verò deiectio eâ quam dicebamus loturæ carnium recèns mactatarum ſimillimam.

Vt

by Google

Vt enim hepar quando laudabiliter concoquit, ſanguiníſque copiam corpori conuenientem congerit, illa ſuis excrementis ritè expurgata faceſſit in vtilem corporis alimoniam: ſic vbi exundantem illius facit multitudinem, vel certè magis impuram, exoriuntur variæ excretiones per nares, vterum, hæmorrhoides, & veſicam aliquando: ſic in mulieribus quas natura ad procreationem maiori ſanguinis copiâ donauit, menſtruâ periodo effluit: in pleriſque hominibus per nares & hæmorrhoides: in mutilis verò quibus inſigne aliquod corporis membrum fuit abſciſſum, frequenter contingit, vt bis aut ter in anno patiantur magnam floridi & rutilantis ſanguinis effuſionem per aluum, qui ad membri illius deficientis nutritionem acceſſurus erat, ſed hoc commodo potiùs ſuo quàm incommodo. Aliquando etiam per vrinas hic ſanguis prorumpit magno adſtantium terrore, ſed nullo periculo, quia depletâ quæ redundabat copiâ, ſtatim ſiſtitur. At in hoc noſtro affectu, vt iam dictum fuit, quia hepatis robur & temperies læſa eſt, ideò pro varietate læſarum eius actionum plus minùs, apparent etiam variæ deiectiones: vt attractrice exolutâ, quia non transfert materiam illam chyloſam ad hepar, vt ibi conficiatur, elabitur humor ille incoctus & albeſcens, ptiſanæ recèns colatæ ſimillimus: niſi fortè hoc vitium contingat propter obſtructiones venarum meſaraicarum. Quod agnoſces ex diſtentione ipſius meſenterij, ob infarctum: & quia tunc deiectio illa chyloſa minoris eſt quantitatis & craſſior, tenuiore parte eius per medias obſtructiones peruadente ad ipſum hepar: vnde reliqua portio imminuitur & craſſeſcit. Adde quod in obſtructionibus meſenterij, vt etiam læuitate inteſtinorum citiùs effluit iſta materia per patentes illos ductus, quam ſi partes illas ſuperiores quodammodo penetret. Concoctrice verò eneruatâ pro bono & laudabili ſanguine, fit ſanies quædam, aut dilutiſſimum ſerum pauco rubore ſuffuſum, quod præ tenuitate ſuâ effluit, nec à partibus ipſis iam effœtis & quaſi illud reſpuentibus attrahitur. Quòd ſi huic functioni læſæ etiam retentrix conſentiat, non ſolùm talis humor vacuatur, ſed etiam citò & frequenter, ſine dolore tamen aut leuiſſimo, quo dyſenteria iſta hepatica ab aliis potiſſimùm ſecernitur. Vel etiam expultrice irritatâ à tetro aliquo ſucco, per putredinem videlicet inductam ſuſcitato, cum ſanioſo illo ſanguine ſæpe virulenta materia, bilis porracea aut æruginoſa, ſuccus ater & ſplendens, in principio vel ſucceſſu tandem temporis excernuntur. Certiſſima eſt nota aliarum facultatum læſarum, adhuc ſubſiſtente concoctrice, quando vrina bene colorata & mediocris ſubſtantiæ apparet. Ad hæc conſequuntur tandem debilitas totius corporis, nutricatus defectu, color luridus vel ex albo vireſcens cum inflatione palpebrarum, & tandem cachexia perfecta, necnon hydrops, ſeſe illi comites adiungunt.

Signa verò cauſarum internarum hunc affectum producentium, ſi quidem occulta ſit magis & venenatæ labis particeps, innoteſcit ex vſu cauſarum externarum, vt aëris corrupti, & multos ſimiles morbos epidemios ac peſtilentes inferentis, qui tunc graſſantur: vel veneni oblati ſuſpicione, aut alimentorum vitioſorum eſu: vnde pernicies illa multò maior, & minùs vulgatis remediis cedens, cum graueolenti & valde fœtidâ deiectione exoritur. Vulgares autem intemperies peculiarem hanc hepati ἀτοπίαν inferentes, ſuis cauſis etiam & effectibus deprehenduntur. Vnde febres ſynectícæ & exurentes calore ingenti circa dextrum hoc hypochondrium, faciùnt primùm æruginoſas vomitiones aut deiectiones, demum cruentas & ſanioſas conſumpto caloris natiui pabulo, ídque cum ſiti, ſqualore corporis, δυσκρασία, & tandem hydrope, niſi mors priùs ægrum è medio tollat, vt docuit Hippocrates in Prognoſticis. Vide etiam Galen. *lib. 8. de comp. med. gen. ſón. cap. 8.* Frigiditas verò ſumma ex cauſis commemoratis inducta minùs olentem fluidámque facit aluum, ſed tamen maiori copiâ per interiectos dies excernentem ſine ſiti, ſine colliquatione, ſed ſenſibili totius corporis perfrigeratione, niſi tandem ob excrementorum συναθροισμὸν leui inductâ putredine, lenta exoriatur febris, cum pulſu tamen tardo & quodammodo molli. Híque plurimùm ſummo vini generoſi & meracioris deſiderio tenentur. Humidior verò & ſiccior intemperies hîc prædominantes ex contrariis deprehenduntur ſignis; nam vt humidior plurimam facit deiectionem, tenuem & valde dilutam: ita ſiccior pauciorem craſſiorémque, quam tamen ingens potus cupiditas comitatur.

Itaque ſi hepar primario hoc affectu tenetur, perpetua erit & nunquam remitteus affectio cum rubrâ illâ alui proluuie: ſin verò per ſympathiam laboret ex malè affectis vicinis partibus, vel aliunde irruentibus humoribus; hæc omnia ex

ſignis illarum partium patientium erunt Medico inueſtiganda, vt primam morbi originem excindere poſſit. Sæpiùs tamen reliquæ partes ita conſentiunt affecto primùm hepati, vt & ſtomachus & lien parum ſuo fungantur officio, hoc laborante, & cerebrum ac pulmones ex κακοπραγίᾳ iſtius coctionis ita afficiuntur, vt & phthiſis ob fluxionem ex capite debilitato in pectus decumbentem aliquando hunc affectum conſequatur, vt eſt apud Hippocratem *in Coacis*. Sputum etiam cruentum aliquando exoritur, ob ſanguinis tenuitatem è venis prorumpentis. Sed potiſſimùm venæ huic parti velut principi ſuo afflicto ita condoleſcunt, vt neque ſanguinem in corporis diſſitas regiones tranſuehere, nec continere valeant, vnde frequentes hæmorrhagiæ aquoſi ſanguinis, vrinæ ſubrubræ, inordinatum & ſanioſum ex vtero in mulieribus profluuium apparere ſolent. Imò tanta eſt hîc venarum aliquando condolentia, vt grauiſſimus Fernelius animaduerterit, interdum ſanguinem ab extremis venis quæ in cutem deſinunt, multis è locis effundi, qui nullo ardore liueſcebant. Alij ſudorem cruentum obſeruarunt. Atque hæc de diagnoſi.

Quid igitur præſagiendum in hepatico hoc & penè dyſenterico affectu? Certè ex causâ materiali ſeu loco affecto, qui pars eſt non ſolùm ad vitam neceſſaria, ſed princeps & alibilis facultatis fundamentum, nihil niſi calamitoſum prædicere poteſt Medicus, potiſſimùm ſi magna ſit functionum illarum naturalium ruina, ſine quibus nec vitales, nec animales diu ſubſiſtere poſſunt. Vbi verò affectus ſenſim agit, & diuturnâ morâ, vt in refrigeratione vel humectatione nimiâ, quid expectare poteſt quàm hydropa contumaciſſimum, minimè curationi obſequentem, ſed rediuiuum aut citò mortalem propter eneruati caloris natiui ἀκράτειαν? In febribus quando illa deiectio loturæ carnium ſimilis apparet, quam ſubſequuntur colliquatio totius corporis, tuſſis, & tandem putridorum aut malignorum humorum excretio, periculum vitæ tantum inſtare certum eſt, vt paucos aut potiùs nullos ex eiuſmodi febribus euadere obſeruatum ſit: Extra febrem multi, dummodò felicem fuerint nacti medicationem, exurgunt ab hoc periculo, præcipuè quibus nulla eſt ab ortu contracta labes in hoc viſcere. At perniciosiſſima illa ſpecies, quæ contagioſos morbos, peſtilentes, & epidemios conſequitur, ob præſentem aëris corruptelam, alimentorum malignitatem, & venenatæ materiæ impreſſionem, quia difficillimum eſt communem cauſam mutare, vel ἀνθρώπους illas deletoriorum, quibus oppugnant calorem noſtrum natiuum, reprimere, niſi conuenienti alexipharmaco quod plerumque ignoramus. Denique cùm natura ipſa morborum, præcipuè humoralium, per concoctionem & expurgationem, vera medicatrix dicatur Hippocrati: quid (quæſo) hîc ſperare poſſimus, exhauſtâ facultate naturali, cuius præſidio & influentiâ coctiones omnes, non ſolùm πέψεις, ſed etiam μετασυσὶ, necnon κινήσεις & ἐπικινήσεις celebrantur? Habent hoc pro certo Arabes noſtri, in quocunque homine vel ægro & decumbente, vel etiam adhuc ſanitatis cuiuſdam beneficio fruente, eiuſmodi lotiuus ſeu lauatiuus fluxus ſemel apparuerit, diuturnam vitam contingere non poſſe, ob mala nutritiuæ facultatis fundamenta, cui illa potiſſimùm inhæret. Atque hæc de prognoſi.

Curationis ergo per indicationes artificioſas hæc ſumma eſto. Primò ratione cauſarum; ſi quidem ab humoribus tetris, acribus, & malignis eiuſmodi labes viſceri ſit illata, vel etiam pituitoſis & viſcidis illius ſubſtantiæ aut primis venis obhæreſcentibus; certum eſt eorum vacuationem eſſe moliendam catharticis quibuſdam aliquoties repetitis, cum debitâ præparatione eorumdem humorum, ſed benignioribus & quadam adſtringendi vi præditis, ne videlicet imbecillitas cum alui fluxu augeatur. Quinimò ſi ex retentione vacuationis conſuetæ per vterum, hæmorrhoidas, aut nares, hic affectus primam ſuam originem traxiſſe videatur: non inconſultum erit illas ſollicitare denuò, vel certè ſanguinem parciùs ex venâ axillari educere, aut ex malleolis, quando virium iactura timetur: Quam etſi omiſerit Galenus *lib. 8. de comp. med. nat. τόπ.* in curatione huius affectus, tamen eam annotauit Auicenna ſub dictâ circumſtantiâ: & ipſemet Galenus non videtur repugnare, cùm eam in hydrope aut paralyſi ab eadem causâ ortis conceſſerit. Ratione verò malignæ illius qualitatis, peſtilentis aut deleteriæ, à quâ hunc affectum contrahi aliquando dicebamus, ſuadentur etiam quædam illi obſiſtentia alexipharmaca vel antidoti in hos caſus parari ſolitæ: vt ratione dominantis intemperiei vulgaris, calidæ videlicet, frigidæ aut ſiccæ, contrariæ perpetuò medicamentorum facultates indicantur, ſub eâ tamen cautione, ne in viſcere hoc nobili & ad

vitam

vitam tantopere neceſſario quicquam nimium præſtemus, ſed intra mediocritatis terminos, quàm maximè fieri poterit, ſubliſtamus. Reſpectu verò ipſius partis & inductæ in ea dyſcraſiæ ſeu diſſolutionis, ad quam dicebamus proximè conſequi illam imbecillitatem & ἀτονίαν, perpetuò corroborantia & vim hepatis reficientia, tam ex victu conuenienti, quàm medicamentis repetita, vſurpanda erunt. Vt denique ob fluxum illum & excretionem hepaticam, ſi nimiùm vrgeat, adſtringentia & comprimentia illius impetum, non erunt omittenda. Præſcribamus itaque in primis rectam in illis victus rationem.

Summa autem habenda hîc aëris & alimentorum cura, vtpote quorum vitio plerumque hic affectus exoriri ſolet. Quicunque igitur hepatici ſunt ſuâ naturâ, vel ad eam valde propenſi, aut etiam dum illâ tenentur, vitare debent magnas aëris inclementias, eáſque vel loci mutatione, vel etiam artificio corrigere, potiſſimùm ſi maligna quædam labes ſit illi impreſſa. Perſpiratio igitur aëri, refrigeratio, calfactio, humectatio, puritáſque concilietur, prout ex re eſſe videbitur, & plerumque à nobis inculcatum fuit: Bene olentes ſuffitus & accommodati nunquam non laudandi in hac hepatis atoniâ ad ſpiritus recreandos, potiſſimùm ſi putidis & frequentibus excrementis feratur aluus. Alimenta quæque cacochyma & dyſpepta fugiantur: laborantibus enim ventriculo & hepate, facilitanda omnino concoctio ex parte obiecti, vt ſcilicet facilè alteretur, diſtribuatúrque, necnon gignendis bonis humoribus, & reſtaurando hino humido primigenio, ex ſuâ naturâ aptum natum ſit. Nutriantur ergo conſummatis iuſculis, gelatinis, panatellis, hordeato, carnibus delicatis per ſe, vel contuſis & ſimilibus, ouis recentibus & tremulis, piſcibus etiam ſaxatilibus, ſed benè conditis, pane albiſſimo & recenti, pyris cydoniiſque coctis & ſaccharo aſperſis. Item paſſulis, dummodò ſint acidulæ, quibus tantum tribuit Galenus, *lib.* 8. *καὶ. τόπ. cap.* 7. vt eas vim maximam in roborando hepate habere exiſtimet: nam, inquit ille, in tantum habent adſtrictionis, quantum opus habet viſcus hoc affectum: habent etiam vim concoctoriam crudorum humorum ac coërcendi quamcumque malignitatem aut putredinem, cùm ipſæ putredini minimè ſint obnoxiæ: & vltra hoc ſecundùm totam ſubſtantiam viſceri huic ſint familiares & propriæ. Quocircà hepaticis omnibus conſulit, vt eas fermè in vſu quotidiano habeant: Caſtaneas etiam generoſiores conuenienter toſtas non improbat, quia & boni ſucci ſunt, & non citò à calidioribus intemperiebus corrumpuntur. Vitent autem omnia ſalſa, piperata, frixa, acrioráque ſapore prædita: Item pinguia omnia ac oleoſa, vt amygdalas, iuglandes, fiſticos, nucleos pini, & ſimiles, quia inflammationi valde ſunt obnoxia, potiſſimùm in calido affectu: in quo alimenta omnia ad commodam refrigerationem roborantibus ſemper mixtam tendere debent: vt & in frigidâ, humidâ, vel ſiccâ conſtitutione, contrariis alimentorum facultatibus, ſed moderatis pugnandum erit. Cinnamomum & nux myriſtica in quacumque intemperie plus minùs vſurpari poſſunt, quia peculiarem habent vim ad coctiones iſtas promouendum: vt & vinum generoſum mediocris ſubſtantiæ, quod miſceri conuenienti priſanæ poterit, vtpote in qua radix graminis aut folia agrimonij; vel ſi algeat, cum decocto cinnamomi, vel paretur vinum Hippocraticum, & Claretum dictum. Multi conſulunt ægris hiſce, vt ſæpiùs hepata gallinarum aut pullorum aſſumant, quia præter alimoniam facilem & copioſam quam præſtant, ſunt etiam familiaria hepati ex totâ ſubſtantiâ, quemadmodum poſteà dicemus de lupino iecore. Verùm in putridâ vel feruidiori conſtitutione aſpergenda perpetuò ſuccis mali granati acidioris, agreſtæ, vel arantij, aut etiam omphacio, vel aceto roſaceo. De cochlearum etiam carne & limacum idem Galenus aſſerit, ex ſententiâ Aſclepiadis, quod experiri licebit, cauendo ne viſciditas illis propria, hepatis venas obſtruat.

Præter aëris & alimentorum conuenientem regulam, cætera etiam non naturalia ritè inſtitui debent: Nam omnino vitatâ exercitatione laboriosâ, debent quieſcere eiuſmodi ægrotantes, aut leniter tantùm deambulare, quando febris ſunt expertes: nec ſolum corpus, ſed etiam animum tranquillitati tradere, vitatis illis, quantum fieri poterit, pathematis quæ humores commouent & vires reſoluunt, vt irâ, curis, mœſtitiâ, & ſimilibus. Somno & vigiliâ vtantur mediocriter, præferendus tamen ſomnus, quia coctiones internas iuuat & vacuationes ſiſtit: Non tamen eæ expurgationes, quibus natura aſſueuit, negligendæ, ſed mediocriter promouendæ: excepto vſu Veneris, quo eiuſmodi hepatici omnino ſunt interdicendi, ne magis ac magis exoluantur.

Ab his ad medicamentorum rationem tranſeundum, quæ vacuantia, alterantia, & roborantia ſumpta atque admota, hic accuratè inſtitui debent. Cathartica ergo benigniſſima eligantur, vt rhabarbari puluis & infuſum, myrobalani decoctum in ſero caprillo vel aquâ borraginis aut plantaginis, ſi magis vrgeat alui fluxus: ſyrupus roſatus ſolutiuus, de cichorio compoſ. cum rhab. potiſſimùm ſi adſit obſtructio. Vbi infarctus pituitæ ſubeſſe putabitur, præſcribatur agaricus in melle roſaceo infuſus, radix mechoacan, dummodò non ſit adulterata: Quibus omnibus adde ſemper ad robur partis confirmandum, cinnamomi, ſpicæ nardi, aut ſantali rubri parum. Ad idem facient catholiconis, trypheræ Perſicæ, diaſenæ ſimpl. & ſimilium compoſitionum, nullo diagredio aut aloë conſtantium, dimidia vncia plus minùs pro ægri viribus & conditione. Denique ea ferè omnia purgantia conueniunt, quæ fusè admodum *cap. de Dyſenteriâ* deſcripſimus. Quinimò in ſiccitate nimiâ hepatis & feruore non dubitarem, caſſiæ fiſtularis aliquot drachmas in formam boli exhibere, cui ʒ j. rhabarb. eſſet permixta, dummodò non valde flueret aluus, ſed tantùm ex interuallis. Iterentur igitur hæc medicamenta toties quoties Medico præſenti viſum fuerit; non omiſſis etiam clyſteribus leuiter tergentibus & roborantibus in principio, demum adſtringentibus validius & nutritoriâ vi præditis, ex iuſculo conſummato, amygdalato, lacte priùs ſilicibus candentibus aut chalybe ignito coniectis præparato, cum ſaccharo roſaceo & vitellis ouorum. Eſt etiam quando clyſter ex vino rubro generoſo, aut etiam Hippocratico iniectus, multum profuit, potiſſimùm ſi perfrigeratio adſit: quemadmodum ex ſucco plantag. aut acetoſæ, quando vrget feruor. Commendant etiam ex proprietate Practici noſtri clyſteres ex decocto cochlearum & limacum ſimul cum carne contritarum. Ego in conſumptis & hepaticam iſtam dyſenteriam patientibus, non parum profuiſſe expertus ſum, decoctum ius teſtudinis nemoralis per os & anum iniectus cum ſaccharo.

Quod ad alterationem verò ſpectat, ſi quidem intemperies vulgares excedant, nullus eſt qui neſciat, quibus ſit refrigerandum, calfaciendum, humectandum, exſiccandum, iulepis, apozematis, opiatis, tabellis & ſimilibus: potiſſimùm tamen ea eligantur ſemper, quæ adſtringendi quadam vi prædita ſunt, vt in calidâ ſyrupi de granatis acidis, de agreſtâ, cydoniorum, de ribes: aquæ plantag. acetoſæ, portulacæ, & earum decocta. In frigidâ ſyrupi de abſinthio potiſſimùm Pontico cum aquâ agrimonij, aut eius decocto. Quòd ſi obſtructiones ſubſint, leuiter detergentia & aperientia præſcribantur, vt ſyrupi byzantinus, de duabus radicibus, de cichorio ſimpl. de ſucco endiuiæ, & ſimiles, cum decocto cinnam. & ſantali rubri. Quidam valde laudant in ſiſtendâ hac dyſenteriâ hepaticâ, Philonij Romani, aut confect. Requiei dictæ drachmam vnam cum duabus drachmis conſeruæ roſarum, abſinthij, vel cichorij exhibitam. Sed ego non auſim eiuſmodi narcoticis in hoc affectu, cum tantâ ſcil. caloris natiui paupertate, vti frequentiùs, niſi fortaſſe ſummus adſit calor febrilis, aut alui fluxus, qui temperamenti omnibus aliis omiſſis requirat. Cautè igitur iſtis vtamur.

Ad roborandum autem hepatis temperamentum, & quando coniuncta eſt potiſſimùm delecteria quædam qualitas, nihil præſtãtius eſſe puto terrâ ſigillatâ, id eſt, Lemniâ, vel bolo Armenâ, dummodò veræ & non adulteratæ haberi poſſint. Cuius laudes ſatis celebrauit Galenus, in deſcriptione peſtilentis illius conſtitutionis Romanæ; Cui adiunge margaritarum, coralli vtriuſque, raſuræ eboris, cornu cerui, & vnicornis, fragmentorum pretioſorum, & lapidis bezoar veri puluerem: Ex quibus omnibus vel pluribus eorum confice tabellas deauratas cum ſaccharo aquâ agrimoniæ diſſoluto: Vel opiatam cum conſeruâ abſinthij & cichorij, & ſyrupo de granatis acidis, frequenter exhibendam. In Officinis proſtant electaria illa diamargaritonis ad roborandum, triaſantali duplicato rhabarbaro & ſeminibus, ad roborandum etiam & temperandum: diarrhod. abbatis ſeu hepatis potiùs, ad obſtructiones hepatis leuiter ſoluendas; quæ omnia in conuenientem vſum aptare poterit Medicus. Galenus *lib. 8. καθ. τόπ.* iecur lupinum valde commendauit in hoc affectu, velut ex proprietate laboranti humano hepati quacumque de causâ ſuccurrat: Quod approbarunt Aetius & Paulus, ſi quidem illius torrefacti & puluerati ʒ j. ſæpiùs cum vino exhibeatur, vel cum ʒ iij. ſucci ſeridis aut cichorij, quando febris adeſt. Quod ideò ſolum exhibendum præſcribimus, quia eiuſmodi medicamenta ex totius ſubſtantiæ vi agentia, oderunt conſortium & mixtionem aliorum manifeſtâ qualitate agentium. Vnde idem Galenus, 11. *de ſimpl. med. fac. cap. de iecore*; eiuſmodi hepar lupinum addens hepatico medicamento, quod vocant de Eupatorio, nullam tamen in eo maiorem ad roborandum hepar vim reperit, quàm eo quod ſine illo erat confectum.

Quod

Quod ad compoſita verò Electuaria ſpectat, roborando hepati dicata, plurà reperies hinc inde apud authores: Inter quos Galenus Electuarium illud Cyphoeides ſeu de vino deſcripſit, ſed valde ingratum, vt vix hominibus noſtris exhiberi poſſit; atque ideò in hodiernos vſus ſic reformandum puto. Paſſularum purgat. & mundat. ℔ ß. decoquatur in vino tenui & odorifero, addendo ſub finem decoctionis, ſchœnanthi, Croci, Spicæ, Cinnamom. an. ʒ ß. ad penetrandum leuiter & roborandum: Roſarum rubr. & Comarum abſinth. Pontici ad adſtringendum cum leui deterſione. Decoquantur ferè ad mellis craſſitiem & colentur. Capiat illius ℥ ß. bis aut ter in die. Cui addere poſſis in magno alui fluxu, terræ ſigillatæ, aut raſuræ eboris ʒ j. Detur eodem modo: Vel vtere elect. diacydonite cum vel ſine ſpeciebus.

Inueterato iam malo & diutiùs perſeuerante affectu, noſtri Arabes ſolent ſequentes præſcribere formulas.

℞ Aſari, Ariſtol. rot. Seminis agni caſti, laccæ, & ſpodij, an. ʒ iij. Rhabarb. Radicis acori, & ſeminis ammeos, an. ʒ ij. Aloës optimæ ſucco cichorij & roſarum lotæ ʒ j. Seminum endiuiæ, lactucæ, melonum, acetoſæ & marathri, an. ʒ j. ß. folior. ſiccorum abſinth. ℥ ß. Spicæ, croci, & nucis moſchatæ, an. ʒ ß. Fiat omnium puluis, qui exceptus ſucco endiuiæ & agrimoniæ, priùs cum ſaccharo in formam ſyrupi decocto, fiat Opiata mollis, de quâ capiat ʒ ij. Vel ex puluere cum ſaccharo in aquâ endiuiæ diſſoluto, fiant tabellæ ſeu trochiſci, ponderis ʒ j. Capiat vnum ſingulis diebus manè, diſſolutum pauco vino, in quo folia agrimonij & ſaluiæ macerata fuerint. Huius Confectionis talem reddunt rationem, nimirum aſarum, ariſtol. rotunda, agnus caſtus, acorus, ſemen ammeos & marathri, cùm calida ſint omnia & tenuium partium, valent admodum ad calefaciendum hepar, & humores ſuperfluos, qui in illius ſubſtantiâ vel tenuioribus venis, tractu temporis colliguntur, abſumendos: lacca verò ad aperiendum: aloë lota ad roborandum, vt etiam rhabar. abſinthij folia, ſpica, crocus, & nux moſchata: quæ præterea valde putredini ac humorum malignitati reſiſtunt: Denique ad correctionem calidorum iſtorum, ne hepar illis nimium incaleſcat aut exſiccetur, addita fuerunt ſemina endiuiæ, lactucæ, melonum, & acetoſæ. Ad ſimplicem autem corroborationem ſpodium: Vt eſt enim in illo Barbarorum diſticho:

Gaudet hepar ſpodio, mace cor, cerebrum quoque muſco:
Palmo liquiritiâ, ſplen cappare, ſtomachúſque galangâ.

Quidam verò putant in progreſſu iſtius affectus, non inutile eſſe ſudores decocto quodam, vt ſeminis milij, radicis chynæ vel ſarſæ parillæ prouocare, quia ſudores alui fluxum minuere ſolent, raptâ aliò ſerosâ materiâ, & hepar calfaciunt. Quod experiri non erit inutile; ſi quidem æger hic ſudet & leuiter id ferat, magna erit ſalutis ſpes, & minoris noxæ hepatis: Nam vt ſcimus, quicumque ſummâ eius imbecillitate, ſcirrho aut obſtructione tenentur, vix vnam ſudoris guttulam emittere ſolent. Alij volunt cauteria cruribus admoueri, & fontanellas excitari, quibus ſuperfluum illud ſerum ſenſim & ſtillatim quaſi exhauriatur. Sed vide, ne ægro iam infirmiori id præſcribas, quia lethum illi fortaſſe iam propinquum, valde accelerabis.

Quod ad externa verò ſeu admota attinet: patet etiam illa propoſitas intemperies corrigere debere, ſed mediocriter, ne fiat vitium vitij fuga, additis ſemper quibuſdam, quæ adſtrictione ſuâ virtutem hepatis colligant. Oleum igitur roſaceum, myrtinum, cydoniorum, cum pauco oleo nardino, ſpicato, aut abſinthino mixtum: Ceratum ſantalinum, & vnguentum roſaceum, addendo parum ſpicæ: Fotus ex decocto vel ſuccis endiuiæ, agrimonij, & fœniculi, ſi obſtructiones adſint, in quibus parum puluerис triaſant. diamarg. frig. aut granorum kermes diſſoluatur, valde conuenient. Vel ſi vis, linimentum ſequens paretur, bis aut ter in die admouendum, addito vini rubri generoſioris momento.

℞ Succi agrimon. vel eupatorij Meſuei ℥ iij. ſucci endiuiæ & fœniculi, an. ℥ j. vini rubri ℥ ß. olei roſacei ℔ j. Decoquantur omnia ad ſuecі conſumptionem. Pòſt adde puluerис aſari, ſpicæ nardi & Celticæ, an. ʒ j. cinnam. ſchœnant. granorum kermes, & ſpodij, an. ϑ ij. croci ϑ j. ceræ rubræ q. ſ. Fiat vnguentum in vſus dictos.

Vbi maior erit habenda ratio fluxus ventris, ob imminentem ex eo ruinam niſi comprimatur: repetenda erunt ea quæ iam à nobis fusè in tractatu de dyſenteriâ fuêre propoſita. Atque hæc de Hepatitide ſufficiant.

Digitized by Google

CAPVT IV.

De inflammatione hepatis, abſceſſu, & vlcere illius.

INTEMPERIES hepatis minùs vulgares & occultæ malignitatis participes, vel ἀλοιώσεις eius peculiariter inducentes adhuc perſecuti ſumus in Elephantiaſeos, Luis Venereæ, & Hepatitidis tractatu. Iam igitur inſtat, vt ad affectus eos accedamus, qui manifeſtis magis qualitatibus & cauſis illud infeſtant. Exceſſus itaque caliditatis, humiditatis, frigiditatis & ſiccitatis, ſimplices vel ſine materiâ, cùm non aliâ ratione curentur, quàm coniugati vel humoribus iuncti, à nobis prætermittendi ſunt, vt ad inflammationem iecoris veniamus, quam abſceſſus atque vlcus ſæpenumerò conſequuntur.

Eſt igitur inflammatio hepatis, tumor præter naturam in eo genitus ex fluxione ſanguineâ, eius ſubſtantiam internósque poros occupante, ad quam conſequitur putredo, febris aſſidua, diſtentio, pulſatio, & ſimilia phlegmonarum accidentia. Dicimus enim tumorem eſſe præter naturam, quem Hippocrates frequentiſſimè φῦμα & εἴδημα, latè vocabulo ſumpto, Barbari noſtri apoſtema & exituram ſeu eminentiam, Galenus ὄγκον appellat, quia præter intemperiem quâ pars obſidetur, diſtractionem ſiue diuulſionem, quam ſolutionem continui occultam Practici noſtri dicunt, exoritur etiam vitium in auctâ magnitudine ſeu dimenſione aliquâ præter modum, ab humore in partem influxo. Dicitur ergo iure merito, præter naturam genitus, cùm ex triplici morborum genere ſimul aggregatorum, & à cauſæ morbificæ vi proximè inductorum oriatur, lædátque actiones partis nobiliſſimæ & principis, ad cuius noxam infinita per totum corpus vitia ſuſcitantur, vt poſteà videbimus. Eſt autem vna diſpoſitio, non plures, duplici ratione, tum partis ipſius, vnius ſcilicet eiuſdémque, quam ſimul & adæquatè occupat; tum cauſæ, quæ vna eadémque intemperiem iecori, ſeu morbum ſimilarem, malam conformationem, nempe morbum organicum, & communem per continui ſiue contigui diuortium facit.

Dicitur autem à fluxione genitus, vt diſtinguatur ab aliis intemperiebus calidioribus, tum congenitis & naturalibus, ſub latitudine ſanitatis adhuc manentibus, tum morboſis & ſimplicibus ſine humoris interuentu obortis, vt quando iecur per febres excandeſcit, aut per aliarum partium vicinarum ſyntimoriam æſtum concipit & ſimplicem φλόγωσιν patitur, factâ qualitatis illius ἐπιτάσει ſeu extenſione ad alias: tum etiam vt diſtinguatur ab intemperiebus aliis materialibus, hepar quidem calefacientibus ex humoris vitio circa propinquas illi venas, aut interiores etiam contenti, ſed non in eius ſubſtantiam proprióſque poros effuſi, quod requiritur ad tumoris naturam conſtituendam. Humor enim iſtos affectus compoſitos gignens, à venis primùm maioribus allapſus, (ſi quidem per viam fluxionis fiant) in minores irrumpit, eáſque violentiâ ſuâ & impetu dilatans, quantitatéque nimiâ diſrumpens, exilit in ſubſtantiam ſeu tenues meatus partis, relictis communibus conceptaculis, hoc eſt, vt loquuntur Practici noſtri, extrauaſatur & ratione mutati ſitus ſeu loci potiſſimùm eiuſmodi tumores committit.

Subſtantiam igitur iecoris, eiuſmodi affectus pati poſſe, à cauſis violenter & præter naturam agentibus, facile eſt docere ex luculento Hippocratis contextu, *lib. de veteri Med. Circa hepar*, inquit, *dolores acutiſſimi ac frequentiſſimi contingunt, ſuppurationéſque ac tubercula plurima διὰ τὴν ἁπαλότητα καὶ ἁιμώδεσιν, teneritudinem ac ſanguineitatem*, quorum primo diſpoſitionem patientis, alio cauſæ præſentiam, & facilem ad agendum promptitudinem notauit. Teneritas enim ſiue mollities hepatis facilè admittit influentem humorem, quod à naturâ velut affuſio quædam & παρέγχυμα genitum eſt, vt faciliùs ἀναδόσει & tranſlationi humorum cederet: Sanguineitas autem ſiue copia humorum qui in illius officinâ gignuntur, oſtendit perpetuò adeſſe cauſam illam materialem, quæ facili impulſu & agitatione rerum violentarum, tam internarum quàm externarum, fluere ac refluere poteſt, modò in gibbas & ſuperiores illius partes, modò in ſimas ſiue concauas & decliuiores, aut etiam vtraſque occupare pro variâ partis mittentis & ſuſcipientis, viarum, ac materiæ conſtitutione. Vt igitur venæ ipſæ hepati adiacentes, inflammationes pati poſſunt, quas κίδμασα vocauit Aretæus, ipſáque velamina, & circumiectæ partes, vt propria tunica, ipſúmque perito-

næum,

tonæum,omentum,muſculi abdominis,diaphragmatis, pleuræ & coſtarum propinqua latera, quæ hunc affectum ementiri aliquando, & falsò repræſentare ſolent: Sic propriam aliquando eius ſubſtantiam occupari, extra dubium apud Medicos exiſtit, qui artis vſu frequentiſſimos iſtos eſſe affectus compererunt.

Tumorem autem iſtum à fluxione ſanguineâ excitari addidimus, quoniam calidorum affectuum naturam eiuſmodi eſſe ſcimus,vt ſubitò & confertim irruant pro conditione humoris,à quo producuntur,tenuitate & mobilitate præditi. Ergo à fluxione potiùs quàm à congeſtione fiunt, quæ ſenſim & multâ morâ perficitur, dum alterarrix obiectum alimentum aſſimilare, vel expultrix reliquias tertiæ coctionis extrudere nequit. Vt igitur terminus in quem fit fluxio,ſunt variæ hepatis partes:ſic terminus à quo,poteſt eſſe quæcumque pars venarum propaginibus prædita,dum id quod ſibi moleſtum eſt,ſummo robore propellit,vel nimiâ quantitate oppreſſa retinere non valens,in ſubiectas aut ſubnexas ſibi partes dimittit. Imò ipſum hepar,variâ partium ſuarum ratione, poteſt eſſe tum mittens, tum excipiens, dum ſcilicet exonerat primæ regionis ſarcinam in ſecundam, vel contrà dum humores per palindromen à ſecundâ ad primam violenter refluunt.

Verùm dicet aliquis,cùm fluxiones fieri ſoleant à robuſtioribus partibus in debiles,à nobilibus & internis ad ignobiles & externas,quî fieri poterit vt aliæ partes in hepar corporis noſtri partem robuſtiſſimam,nobiliſſimam,interiùs poſitam, & omnis humoris in alia corporis membra veluti fontem,materiam morbificam tumoris præter naturam authorem dimittere poſſint? Reſpondemus ordinarium quidem eſſe, vt fluxiones & humorum decurſus eo quo propoſitum eſt modo contingant: attamen ſæpenumerò euenire poſſe,vt partes etiam nobiles & internæ, ſyſtrophas ex influxu patiantur:tum propter varias humorũ orgaſmo præditorum ſeu furentium ephodos & quaſi refluxus eleganter ab Hippocrate annotatos: tum etiam propter copiam materiæ peccantis, quæ cùm in externis ampliùs regionibus contineri non poſſit, cogitur in penitioribus deliteſcere & internarum partium ſubſtantiam inuadere. aut etiam dum partes iſtæ nobiles & internæ vt hepar, à cauſis quibuſdam imbecilliores ſolito redditæ, ruentem ſponte materiam ſuſcipiunt facilè, aut etiam dolore vel calore obſeſſæ eam ad ſe trahunt.

Hæc autem fluens in hepar materia,ſanguinea quidem vt plurimùm eſt,veram & ſinceram phlegmonen ſuſcitans propter conſimilem naturam partis & ſuperantis ſucci,vnde calor ingens,dolor,rubor,pulſus,& renixus in eo ſuſcitantur:attamen nihil vetat ab impuris & compoſitis fluxionibus hos tumores produci, qui modò ad eryſipelatis,aliàs ad ſcirrhi, vel œdematis aquoſi, aut etiam flatuoſi naturam accedant magis, prout humor bilioſus, melancholicus aut pituitoſus, necnon flatus aliquando ſanguini variè permixti fuerint: Quod maximè facit ad differentias iſtius affectus conſtituendas: quarum aliæ à variis iecoris partibus, ſimâ potiſſimùm & gibbâ,principio vel extremitate lobi alicuius petuntur: Aliæ autem à diuerſitate materiæ; vnde phlegmone pura,eryſipelatodes,ſcirrhodes, vel œdematodes conſtituuntur. Atque hæc de definitione propoſiti affectus ſatis. Reliqua enim in cauſarum & ſignorum enumeratione iam ſunt accuratiùs explicanda.

Cauſarum itaque internarum externarúmque hanc diſpoſitionem præter naturam excitantium ſeriem tradituri, repetere in primis oportet, illud quod à nobis ſuperiùs poſitum probatúmque fuit, iſtam ſcilicet hepatis phlegmonen, à fluxione potiùs quàm congeſtione (duabus tumorum præter naturam generalibus cauſis) exoriri: fluxionis autem internas cauſas à quatuor præcipuè rebus pendere: nempe diſpoſitione mandantis ſiue mittentis partis;ſecundò ſuſcipientis; tertiò humoris ipſius; quartò viarum ſeu ductuum, per quos eiuſmodi fluxio fieri debet: has rurſus ab aliis multis excitari & adiuuari, quas in propoſito affectu ita recenſere lubet. Primùm ex parte rerum naturalium, certiſſimum eſt quoſcumque homines temperaturæ calidioris, potiſſimùm quibus interna viſcera exæſtuant naturaliter: qui hepar habent feruidius,grandius,& ſubſtantiæ laxioris ab ortu,maximè patere eiuſmodi periculis,potiſſimùm circa florentis ætatis vigorem,dum ſanguis adhuc efferueſcit:vnde Hippoc. *Aphor.29.ſect.3.* phthoas & ſputa cruenta in illis potiſſimùm fieri ſcripſit: Item mulieribus non raro contingere poſſe cenſemus, quæcumque non parturientes magnâ abundant ſanguinis copiâ, vel quibus ob retenta immodicè menſtrua acuti morbi exoriuntur, aut humores fiunt palindromi, recurrentes ſcilicet ad eum locum, ex quo deriuati priùs fuerunt. Id autem facilè contingit in quibuſcumque,quoties cauſarum externarum violentia

acceſſerit, quæ eiuſmodi cauſas diſponentes & immediatas exſuſcitet : Quales ſunt aëris magnæ intemperies calidiores, totum ſanguinem & viſcera inflammantes ; vel iuſto frigidiores,comprimentes materiam humoralem ad interiora violenter ; vel admodum inæquales, vt autumni tempore. Ciborum acrium, ſalſorum, piperatorum, & ſimilium liberalior vſus, vt & vini generoſioris, vel calce, ſulphure, vt in Germaniâ, cinnamomo, & aliis aromaticis conditi intemperantior hauſtus. Imò etiam vult Galenus 13. *method.* ortum huic affectui ſuppeditari ex vſu craſſorum viſcidorumque alimentorum, quia obſtruendo minores hepatis venas, efficiunt ne ſanguis liberè per eas tranſcolari poſſit : ac proinde nimiâ in illis copiâ contentus, tandem effractis arctioribus repagulis, in ipſam membri ſubſtantiam defluat. Necnon dulcia ipſa intemperantius ſumpta, vt mel, ſaccharum, caricæ, & ſimilia idem præſtare poſſunt, tum quòd larga humorum alibilium copia ex illis procreari ſolet, tum etiam quia hepar benignitate eorum allectum, rapit ea ad ſe auidiſſimè, etiam inconfecta, ac proinde ab illis grandeſcit, & ſæpè obſtruitur. His adde catharticorum calidiorum & violenter agentium, ac venenorum ſumptorum vel morſu communicatorum, vt capite de Ictero clariùs dicemus, vehementiam : item intempeſtiuos motus, præcipuè à paſtu, noſtris hominibus conſuetos, vt choreas, ſaltationes, equitationes luſorias, & ſimilia, ex quibus non pauci hæc pericula incurrunt. Vt ex vigiliis immodicis, timore ingenti, de quo vide Hippocratem 599. 6. irâ, & aliis animi pathematis, humorum perturbationem & quaſi fluctuationem inducentibus. Siquid verò ad inferendum hunc morbum valeat, potiſſimum eſt vacuationis ſolitæ ſuppreſſio ſubita, vt iam de mulieribus dicebamus. Et Galenus idem eleganter annotauit *Apher.* 12. *ſect.* 6. quò Hippocrates omnimodam hæmorrhoidum diuturnarum curationem prohibet.Imò non ſolùm ex vacuationibus iſtis ſanguinis naturalibus & ſolitis per nares, vterum aut hæmorrhoidas hoc poteſt contingere : ſed etiam ex occluſo derepente fonticulo, aut omiſsâ purgatione aut venæ ſectione iam diu & ſtatis temporibus conſuetis, multi in eiuſmodi hepatis aut aliarum partium internarum inflammationes inciderunt, quod allatis multorum ægrorum hiſtoriis & aſſiſtentium teſtimoniis confirmare poſſemus. Sunt & alia quædam externa, vt caſus, percuſſio, obuiatio ſuper hanc partem, ſtrictio nimia vinculorum, aut etiam veſtium arctiorum, quas mulierculæ noſtræ ad venuſtatem conciliandam vſurpare ſolent, valde poſſunt ad debilitandum hepar, dolorem inferendum, & humores ad illud compellendos, qui cauſæ ſunt coniunctæ & continentes iſtius affectus, vt dicebamus, quando extra vaſa effuſi & conculcati diſtenſionem faciunt,& prohibitâ tranſpiratione computreſcunt. Antecedentes verò eſſe poſſunt tam plethora quàm cacochymia totius corporis, viſceris etiam alicuius publico fungentis officio, vt ventriculi, lienis, cordis, & ſimilium κακοπεψίαι humores vitioſos generantis, vel non ſecernentis conuenienter. Sic Galenus docuit ventriculum calidiorem exurendo chylum ſuppeditare huic rei anſam ; quemadmodum & cyſtidem felleam obſtructam, dum humor ille bilioſus in hepatis corpore diutiùs moratur, vel ad illud influit continuò non expurgatus per inteſtina : quod de aliarum partium obſtructionibus magnis eodẽ modo aſſerere poſſis. At verò febres tam cõtinuæ quàm intermittentes, frequentiſſimæ eſſe ſolent cauſæ harum inflammationum internarum. Quemadmodum enim ex eiuſmodi tumoribus primariis internorum viſcerum, exoriuntur febres ſymptomaticæ : ſic per febres primarias, quarum materia hac illac fluitat in venis, poteſt ſæpiſſimè fieri μετάστασις illius ſeu tranſlatio in ſubſtantiam partium internarum : vnde abſceſſus & φύματα ſuppurabilia in illis exoriuntur : Quod tam accuratè ab Hippocrate eſt obſeruatum in opere prognoſtico, vt exactiùs tradi non poſſit.Nos ergo ad ſigna diagnoſtica huius affectus,cauſarum, & partis affectæ conuertamur.

Τέκμαρσις igitur noſtra ſeu ſignorum in hoc affectu ratio,diligens & accurata eſſe debet, vtpote quæ negligentius tractata ſæpiſſimè Medicis, vt fusè docuit Galenus *libro quinto de locis affectis*, imponere ſolet. Sciendum itaque vtrum hepar per ἰδιοπάθειαν laboret, inflammationemque iſtam in propriâ ſubſtantiâ patiatur, & in quâ ſubſtantiæ ſuæ parte, gibbâ ſcilicet vel ſimâ, medio corpore, vel lobi cuiuſdam extremitate, vt ſæpè contingit : An per ſympathiam tantùm vicinarum partium phlegmone correptarum, (vt ſuccingentis membranæ, aut notharum coſtarum dextri lateris, muſculorum abdominis illi ſuperpoſitorum, vel etiam ipſius meſenterij.) Deinde videndum quibus ſignis affectus

affectus ſpeciem ſiue differentias colligere poſſimus, illiuſque mutationes agnoſcere.

Quod ad primum itaque ſpectat, inflammationem eſſe in hepate ſiue tumorem phlegmonoſum, indicant tum conſequentia partis actiones, tum propria phlegmonarum accidentia: nam ſenſus doloris grauantis, ſiue grauitatis in dextro hypochondrio, & ſub nothis coſtis, ſtatim ex ſpecie & ſitu oſtendunt partem ibi contentam, nempe iecur, affici præter naturam: potiſſimùm ſi diſtentio & renixus eo in loco percipiatur, qui diaphragma comprimens tuſſiculam quandam, ſed ſiccam & ſine ſputo, grauemque & laborioſam facit reſpirationem, ita vt neque in dextrum, neque in ſiniſtrum latus liberè poſſint decumbere, ſed cogantur quaſi perpetuò ſupini aut erecti in lecto ſeſe continere: Ac nihilominùs quædam quaſi diſtractio iuguli dextri ſeu clauiculæ ſentiatur, ob ligamentorum continuitatem, quibus hepar lateri annectitur, inſoliti ponderis grauitate diuulſorum. Prætercà vrget æſtus in profundo hypochondrij, cum δυσφορίᾳ quadam; vnde conſequitur febris aſſidua vel comitatur, eaque ingens cum ſiti, ἀνορεξίᾳ, cibi faſtidio, rubore linguæ primùm, poſtea nigredine ob caloris ἐπιγίνεσθαι, continuaſque & copioſas effumationes cordi, ventriculo, & aliis partibus communicatas: Quæ omnia in obſtructione aut ſcirrhoſo hepatis tumore non adſunt; aut certè ſi febris quædam ea comitetur, eſt lenta & exigua, paulatim accenſa & cum paruâ pulſus mutatione, qui in hoc noſtro affectu inſigniter frequens, inæqualis, & durus euadit. Admota igitur hypochondrio dextro manus, ex caloris ipſius vario gradu, & doloris, (contrectatione excitati) acerbitate, necnon aliorum ſymptomatum vehementiâ & concurſu facilè diſtinguet iſtos tumores phlegmonoſos ab obſtructione aut induratione hepatis. Adde quod excreta ipſa fidem etiam huic rei maiorem facient: nam per eiuſmodi inflammationes, aluus adſtringitur, & excrementa σκύβαλα, caprarum ſtercori ſimillima deiiciuntur, niſi tandem per inductam atoniam excitetur fluxus ille hepaticus à nobis commemoratus: fiunt etiam nauſeæ & vomitus frequentes teterrimæ bilis, vitellinæ nimirum aut etiam æruginoſæ, per eiuſmodi incendium in hepate collectæ & exuſtæ. Vrina minuitur ob eandem cauſam, abſumptâ humidi magnâ portione, atque etiam ſaturato colore, ex commixtionis bilis aut ſanguinis torrefacti, prædita, non ſine caloris & acrimoniæ ſenſu meiitur. Fit etiam ſæpiùs vt vitiato ſanguine, & in bilioſi ſucci naturam degenerante, auriginoſus aut ſubuiridis humor totum corporis habitum inficiat, & icterus ille apud Hippocratem decantatus appareat, modò ante ſeptimum diem, modò poſt illum, prout maior vel minor eſt febrilis caloris & humoris phlegmonen committentis fœuitia.

Quibus omnibus quamuis ipſius hepatis proprius affectus & ἰδιοπάθεια agnoſcatur, præcipuè ſi continuus ſit & indefinens in prædicto hypochondrio calor, dolor, & diſtentio, qui neque intermittat, nec ad alterius partis notabiliter affectæ morboſam conſtitutionem intendatur vel remittatur: Eſt tamen adhuc accuratiùs in eo laborandum, ne videlicet inflammatio pleuræ dextri lateris, muſculorum abdominis, aut meſenterij nobis imponat.

Quod ad pleuritidem ergo dextri lateris ſpectat, doloris varietas diſtinguit hos duos affectus, quoniã dolor in pleuritide pungens & acutus, in hoc grauans & pulſatorius procedente morbo: quique contrectatione exacerbatur circa dextri hypochondrij regionem manu admotâ; cùm in verâ pleuritide, nullus ex contrectatione dolor ſentiatur. Adde quod tuſſis quæ in affectu hepatico viget, ſicca eſt & arida perpetuò, quia fit vel propter compreſſionem diaphragmatis ex diſtento iecore, aut ſimplicem qualitatis communicationem: In pleuritide verò ſputo variegato aut purulento, eoque ſanguinolento vtplurimùm comitata, ob materiam in thorace collectam. Item in pleuritide propter partis duræ & membranoſæ naturam, pulſus multò eſt durior & vibratior velut chordæ extenſæ (qui propriè ſerratus vocatur) quàm in hepatis inflammatione, partis ſcilicet mollioris & laxioris. Denique dolor ille qui in vtroque affectu ad clauiculam vſque aliquando extenditur, ſi quidem percipiatur cum ſenſu ponderis diſtrahentis ad hypochondrium vſque, certiſſima erit nota iecoris affecti, cùm in pleuræ inflammatione non ſit tanta materiæ quantitas, quæ idem efficere poſſit.

Verùm inflammatio muſculorum abdominis, vtpote iecori ſuperpoſitorum & eandem ventris regionem occupantium, magnum ſæpè Medico negotium faceſſere ſolet, vt eam à iecoris tumore phlegmonoſo accuratè diſtinguat. Cùm igitur

quatuor in vnoquoque abdominis latere ſint muſculi, quorum duo magis externi, obliqui vocantur; tertius rectus, quartus verò peritonæo propinquus, qui tranſuerſus dicitur: certum eſt in obliquorum & recti muſculi inflammationibus, quia cuti ferè ſunt annexi, facillimum eſſe eas deprehendere, tum propter cutis ipſius ruborem & φλόγωσιν, quam facilè iſtis inflammatis percipit: tum etiam ſitum & figuram ipſius tumoris, quæ ſequitur naturam partis quam obſidet: itaque in obliquis tumor erit vergens à nothis verbi gratia coſtis, verſus pubis & ilium oſſa quaſi decuſſatim: in recto autem tumor quaſi mediam ventris regionem verſus vmbilicum occupabit, habebitque extenſionem ſuam rectam, & à cartilagine illâ xiphoide verſus vmbilicum extenſam, aut contrà: Et ſi quidem magna ſit, interſectam propter aponeuroſes illas quibus muſculus iſte velut nodis quibuſdam eſt colligatus, vt ex anatome ſcitur. Hæc igitur eſt figura & ſitus tumorum obliquos & rectos abdominis muſculos occupantium: cùm is qui hepar obſidet, in cauitate hypochondrij, multò profundiùs ſentiatur, & ſi quidem in eam diſtentionem eleuetur, quæ viſui ac tactui ſit perceptibilis, effigiem ſeu figuram orbicularem & in cornua quaſi lunæ falcatæ ſeu creſcentis deſinentem, in exteriori cute repræſentat, vt doctè annotauit Galenus: cùm tumores muſculorum ſenſim & quaſi in acutum deſinant. Maior tamen eſt difficultas in tranſuerſi muſculi inflammatione dignoſcendâ, quia ſitum obtinet profundiorem & hepati propinquiſſimum; tum etiam quia totum hypochondrium ferè occupans, quemcumque partis contentæ poſitum facilè repræſentat. Oportet igitur hoc in caſu accuratè propoſita hepatis ſigna euoluere: nam ſi muſculus iſte ſit inflammatus, neque febris adeò acuta, neque iuguli tenſio, nec excrementorum aut vrinæ mutationes tantæ: imò ne color quidem faciei mutatus, cui ſigno plurimùm tribuit Galenus in agnoſcendis propriis iecoris affectibus, quoniam illo per eiuſmodi phlegmonarum collectiones laborante, impoſſibile eſt quin vitiato ſanguine ſuccedat coloris per totum corpus deprauatio, vt eleganter meminit in illâ Stefiani hiſtoriâ *libro iam citato.* Addunt in hac διαγνώσει ex Aëtio recentiores Practici, vt iubeamus verti ægrum in latus ſiniſtrum: Nam ſi tumor tunc minuatur, ſignum eſt eſſe in hepate, quod in ſiniſtras ventris partes inclinatur: Sin verò idem ſemper maneat, ſignum eſt eſſe in muſculo illo tranſuerſo, quia non mutat ſitum. Item cuticula exterior apprehenſa & eleuata, minùs cedit in inflammatione muſculi quàm hepatis, quia huic eſt coniunctior.

De meſenterio autem, pancreate, omento, & ſimilibus partibus in ventre inferiore contentis phlegmonen patientibus, eodem modo iudicandum, cùm ipſe ſitus, qui non tam hypochondrium quàm mediam, ſuperiorem, aut inferiorem abdominis regionem occupat, idem oſtendat: & plurimùm eiuſmodi tumores ſunt mobiles, nec tam pertinaciter vni loco affixi, vt qui hepati inhærent. Adde quòd ſymptomata omnia erunt remiſſa habito hepatis reſpectu: & vt rectè annotauit Galenus, *cap.7. lib.5. loc. aff.* in eiuſmodi partium mollium, laxarum, & tenui tunicâ obductarum inflammationibus, reſudat perpetuò ichor, & quaſi ſanies diluta in principio, quemadmodum videmus in ophthalmiâ contingere, quæ deinde paulatim concoquitur & puri aſſimilatur. Accidit etiam in meſenterio inflammato fluxus aliquando chyloſus, propter compreſſionem & ſtrictturam venarum meſaraicarum. Itaque ſi ſitus non ſatis hepati conueniens per eiuſmodi tumores obiiciatur, & excrementa ſtatim eiuſmodi reſudante materiâ ſint perfuſa, cum perſeuerante laudabili vultus colore, tunc de affectis eiuſmodi partibus potiùs quàm de hepate pronuntiandum: quamuis non ſit negandum in rei iſtius iudicio etiam ſolertiſſimos & expertiſſimos Medicos ſæpenumero falli, potiſſimùm quando phlegmone vel ſima hepatis, vel lobi alterius extremitatem tantùm occupat.

Quâ ratione verò in horum dignotione ſit progrediendum, ex ipſius etiam Galeni doctrinâ repetere conuenit: Nam ſi quidem gracilis ſit laborans, & ventre attenuato, facillimum erit inflammationes gibbæ hepatis partis à cauâ diſtinguere, & eas quæ in extremitate lobi ventriculo incumbentis, aut ad hypogaſtrium protenſi agnoſcere ex ſitu, figurâ, & contrectatione. Sed vbi pinguis erit aqualiculus & prominens, tunc refugiendum ad ſymptomata ſeu effecta quæ conſequuntur phlegmonas variarum hepatis partium. Nam gibba pars in tumorem eleuata, omnia ea quæ ad reſpirationem ſpectant, valde intendit, propterea quod incumbit diaphragmati & pulmonibus, eos mole ſuâ comprimens, vel etiam qualitate afficiens, per communicatam materiæ aliquam portionem vaporoſæ vel humoralis:

Item

Item vrinæ retinentur, vel magis immutantur. Contrà vero dum caua pars afficitur, minora sunt hæc accidentia, augentur autem ea quæ ad ventriculum & intestina pertinent, vt sitis, ἀνορεξία, nauseæ, vomitus, alui excrementa, & similia. Ac si quidem extremitas illa lobi, quæ ventriculum amplectitur, sit inflammata, pondus, dolor, & tensio sub regione cartilagini xiphoidi expositâ sentitur, vix quicquam deglutire possunt ægrotantes, & post sumptum alimentum, gratiùs multò se habent, ac frequenter singultiunt. Quòd si velis scire, vtrùm ventriculus, vel illa hepatis pars primariò laboret, iube ægrotantem pronum in ventrem conuerti: Nam si quidem subleuari ab eiusmodi pondere & oppressione videatur, signum erit tumorem esse in illo hepatis lobo, qui iam in musculos abdominis conuersus, minùs ventriculum comprimit: sin verò similiter & pronus & supinus se habeat, non parua erit coniectura ventriculi in propriâ suâ substantiâ potiùs quàm hepatis affecti. Adde quod in inflammatione ventriculi, perpetuò puris aut saniei quædam portio exudat, quæ vomitionibus conspicitur. Vbi autem lobus ille qui ad ὑπογάστριον tendit, phlegmonen patitur, tunc situs illius ad inferiora vergit, & minora accidentia quàm in superioribus apparent. Sed caue ne renis dextri affectus imponat, qui tamen magis ad spinæ regionem & dorsum protenditur: necnon maiores in vrinâ notas, quàm partis istius inflammatio repræsentat. Denique si tunica tantùm hepar obuelans, sit inflammata, quamuis calor, dolor, & febris subsequantur, & eundem situm occupent, non tamen pondus sentitur tantum aut compressio, quia pauca esse solet illa materia quæ in membranis continetur respectu substantiæ parenchymatis, & plurimùm tenuior ac magis biliosa: vnde dolor magis acutus & pungens propter partis & humoris naturam. Atque ex his partium hepati vicinarum inflammationes, necnon propriarum ipsius partium, quantum fieri poterit, accuratissimè erunt deprehendendæ.

Quod verò ad naturam seu differentias affectus, quæ ex materiæ varietate petuntur, & illarum mutationes agnoscendas spectat, non parum etiam solertiæ & perspicacitatis adhibendum. Vt igitur phlegmone pura ex causis & signis eam subsequentibus deprehenditur: sic ex istorum consideratione & comparatione, si quidem erysipelatodes, œdematodes, vel scirrhodes fuerit, intelligendum. Prout igitur natura corporis propositi, victus ratio, & humorum dominatus suaserit, ita etiam iudicabimus de istius tumoris materiâ: quod adhuc certiùs ex propriis accidentibus eorundem humorum datur agnoscere: Nam phlegmonen veram & erysipelatodem magnus sequitur calor, dolor, febris intensa, linguæ & vrinarum colores valde mutati; cùm in scirrhode & œdematode hæc non appareant; aut multò sint minora: At in verâ phlegmone maior tensio & pondus quàm in erysipelate, sed dolor minùs pungens & acutus: adest etiam pulsatio & renixus in phlegmone sensibilis, qui in illo vix deprehenditur. In melancholico etiam tumore pondus quidem, sed indolentia cum duritie magis manifestâ, & vehementi pondere, si grandior sit scirrhus; cùm in œdematode, pituitosa siue flatuosa mollities adsit, & quidam quasi borborygmos in hypochondrio sentiatur, breuique tibiarum inflationes & aliarum partium anasarca apparere soleat. Adde quod in phlegmone verâ seu erysipelatode, color flauus, citrinus & auriginosus valde saturatus apparere consueuit: in œdematosâ autem vel scirrhosâ pallidus magis, χλωρῶδες, & quasi ex albo viresens. Quæ omnia adhuc capite de scirrho & obstructione hepatis, necnon de ictero examinabimus.

Quæcunque igitur hepatis phlegmone tam sincera quàm alteri humori permixta, cùm semel cœperit, desinere etiam debet: quod quatuor modis cõtingit. Vel enim materia illa tenuis & inflammata, per διαφόρησιν & euaporationem insensibilem resoluitur. Vel in abscessum & vomicam degenerat, factâ nimirum suppuratione, & humoris illius qui dissipari non potuit, concoctione. Quòd si ob quantitatem nimiã, vel malignam qualitatẽ humor ille à calore natiuo regi & superari nequeat, augetur putredinosus & extraneus, ex cuius victoriâ inducitur gangræna, sphacelismus, & interitus proprij temperamenti, si quidem vita tamdiu superstes esse possit. At verò quando materia huius phlegmones, vel propter mixtionem aut malam curantis rationem, quoad tenuiores sui partes resoluitur, manentibus crassis & terrenis, fit χαλήσεως & induratio, quæ ad scirrhi naturam accedit. Quotiescunque igitur recta illa & maximè laudabilis terminatio per resolutionem accesserit, præcesserũt vt plurimùm vtiles sanguinis & aliorum humorum vacuationes naturæ vi, vel etiam artis operâ factæ, quæ bonam materiæ illius partem exhauserunt; cognoscitur imminutione ipsius

tumoris,

tumoris,caloris,doloris,& reliquorum omnium ſymptomatum, quæ ſenſim ac paulatim euaneſcunt per integram & fauſtam ſanitatis reſtitutionem:nullo ampliùs põderis ſenſu in hypochondrio remanente. Quod ſi ad ſuppuratum tendat, augentur omnia ſymptomata, vt eleganter annotauit Hippocrates, *Aphor.47. ſect.2. Dum fit pus,dolores & febres augentur:facto verò pure conquieſcunt*:Itaque ſi indies febris & dolor intendantur;ſi ex grauante diſtendens & pulſatorius fiat,ita vt illa pulſatio admotâ etiam hypochondrio manu ſentiatur, certè tunc in vomicam degenerare credibile eſt,potiſſimùm ſi poſt eiuſmodi conflictum, ſubitò omnis dolor & calor euaneſcat, remanente tamen qui priùs fuerat tumore & pondere, vel parum imminuto. Facta vomica, ſi quidem duriore tunicâ aut profundioribus iecoris partibus coërceatur, ibi retentum diutiùs pus faceſſit in malignam materiam & vt plurimùm mortẽ aut hydropem inferre ſolet.Sin verò diſrumpatur & effluat,notæ certiſſimæ apparebunt in vrinis aut alui excrementis, pure multo aut ſanie refertis, cum ſenſu doloris & quaſi apertionis circa dextrum hypochondrium, ad quam vlcus ſubſequitur,quemadmodum & ex acribus ſuccis erodentibus ſine tumore aliquando contingere poteſt. Sin verò natura eneruata illum humorem concoquere non poſſit,progreditur putredinoſus calor omnia intẽdens ſymptomata,donec *τέλεον* parti & toti interitũ intulerit:præcedunt enim lipothymiæ frequentes, ſyncope,ſudor diaphoreticus,ingens fœtor.& ſimilia imminentis gangrænæ in aliis partibus accidẽtia.*Σκλήρωσιν* autem ſeu indurationem præceſſerunt longa & importuna diaphoreticorum medicamentorum aut nimis refrigerantium applicatio, abſque vllâ fortaſſis reuulſione vel conuenienti vacuatione: Vnde impacti humores refrigerantur quidem, & à putredine vindicantur ceſſante febre,ſed non multò ſalubriorem affectum producunt,qui ſcirrhus dicitur,remanente ſcilicet inſigni circa hepar pondere & duritie, vt poſteà proprio dicemus capite. Atque hæc de diagnoſi huius affectus admodum intricatâ & difficili,ad artis tamen vſum valde neceſſariâ ſufficiant.

πρόγνωσις ergo facilè ſtabilietur ex cognitâ morbi ſpecie,loco affecto ſeu ſubiecti parte, cauſarum naturâ,& concomitantibus ſymptomatis. Etenim ſiqui ſint morbi funeſti,calamitoſi,& citò interimentes, illi ſequuntur plurimùm putredines iſtas,inflammationes,& tumores dolorificos partium internarum & nobilium, præcipuè in ventris inferioris cauitate poſitarum : Vnde Hippocrates in Prognoſticis & vbique tantopere *ἐπιχόνδρια μείζονα, ἵππωνα, ἀνωμαλὰ καὶ ἄτρεμέα* in morbis acutis reformidat:Quotieſcunque enim focus & minera eiuſmodi morborum in viſceris alicuius interni ſubſtantiâ latitat,non poteſt non immineꝛe grauiſſima pernicies,tum ob febris vehementiam & internam illam putredinem, quæ intra quartum,ſeptimum, vel quod longiſſimum eſt, decimum quartum diem, è medio tollit hominem,ſuffocato vel extincto cordis natiuo calore per ſphaceliſmum illum commemoratum, præcipuè ſi vera fuerit phlegmone vel eryſipelatoſa:tum ob partium illarum dignitatem, quarum integritas vix vnquam reſtitui poteſt, ſed permanente labe aliquâ, vt ſcirrho,obſtructione,intemperie, & ſimilibus, quamuis priore morbo defunganꝛur,tamen in lethaliſſimos affectus,vt hepatitidem, cachexiam, hydropem, aut maraſmum plerumque incidere ſolent. Imò intempeſtiuus hydrops per medios æſtus & febriles illas flammas irrumpit aliquando, vt eſt apud Hippocratem 2.*Prognoſt.* *ἱππώδεως κάρτα καὶ θανατώδης*, vt qui neque febrem ſoluit, nec aliud ſolatium affert, ſed dolores & periculum auctâ inæquali & quaſi immedicabili intemperie intendit. Vel igitur,addit 1.*Prognoſt.*diuinus ſenex,eiuſmodi tumores dolorifici,duri,renitentes,& inflammatorij, in principio proximam mortem denuntiant, quando non reſoluitur materia, aut ſenſibiliter vacuatur: Vel vbi viginti dies exceſſerint, perſeuerante febre, neque detumeſcente parte ad ſuppuratum tendunt : molliores verò & minùs dolentes quaſi œdematoſi & frigidæ materiæ participes, diuturniores quidem faciunt ſuas criſes & minus habent periculi : Sin tamen neque febris quamuis lenta, neque partis eleuatio ceſſet intra ſexageſimum diem, futurum empyema & ſuppurationem, quemadmodum in aliis portendit : Quod etiam vlteriùs protendi poſſe pro variâ parris & humoris naturâ, in declinante aut ſenili potiſſimùm ætate non dubitamus. Quid autem ſperandum ſit ex eiuſmodi ſuppurationibus internis, nemo non videt:pus enim illud, vel in ſuâ vomicâ continetur diutiùs, & ibi denuò computreſcens, partis corruptionem infert, vel effluit confertim, & ſic periculum eſt, ne irrumpat in partem aliquam nobilem, vnde cita mors plerumque conſequitur : aut ſenſim & quaſi per interualla : Vnde etiam hydrops vel vlcus immedicabile & ſinuoſum excitantur. Quid verò ex profluente pure ſperandum ſit & iudi-

candum,

candum, docuit ipſemet Hippocrates dum dicit, pus album, læue, æquale, & parum fœtens, optimum eſſe, ἄριστον τουτέων πάντων : vnde *in Aphoriſmo 44. ſect. 7. Quicunque ſuppurati vruntur vel ſecantur, ſipus purum fluxerit & album, euadunt: ſin verò ſubcruentum, βορβορώδεες καὶ δυσώδεες, pereunt* : Quod peculiariùs poſteà de vomicâ hepatis pronuntiat *Aphoriſmo ſequenti. Quorum hepar*, inquit, *ſuppuratum aduritur ſi pus in tunicâ continetur*, inuiolatâ quaſi hepatis ſubſtantiâ : *Sin verò velut amurca aut olei fex effundatur, moriuntur* : quoniam ſubſtantia hepatis, ab incoctâ putredine liquatur & tabeſcit. Quod etiam *in Prognoſt. libro 2. de morbis, & in Coacis prænotionibus* repetitur. Itaque ex puris ipſius, ſponte vel artificis operâ effluentis naturâ, de futuro exitu pronuntiare licebit. Eſt etiam alia elegans prognoſis, circa finẽ libri primi, quæ apertè admodum docet, quomodo ex tumoris ipſius quantitate & proruptione de illius euentu iudicare poſſimus : *Suppurationum*, inquit, *iſtarum interiorum obſeruatio ſic eſt facienda* : *Quæcunque enim in exteriorem corporis partem vergunt, paruæ, admodum eminentes & quaſi faſtigiatæ, optimæ ſunt & ſecuriſſimæ*, quia materia, inquit Galenus, pauca & boni moris, facilè ſuppurationem admittit ; *peſſimæ verò illæ, quæ latiſſimæ & veluti planè ſentiuntur*, quoniam totam viſceris ſubſtantiam occupant, neque concoctionem aut ægrè ſuſcipiunt. *Bonum eſt etiam in eiuſmodi tumoribus*, addit, *ſi nihil exteriori cuti communicetur, eaque indolens & concolor permaneat*; oſtendit enim minorem eſſe inflammationem, & cuius materia facilè à naturâ regitur, vt πεπαομὸν ſuſcipiat. Hæc eſt Hippocratica & aureis litteris notanda prognoſis tumorum iſtorum hepatis & aliarum partium internarum. Fruſtrà igitur laborabimus ſcire, vtrùm ea quæ gibbam partem vel cauam occupat, ſit periculoſior, aut quæ lobi alicuius extremitatem obſidet: nam cùm vix fieri poſſit propter ſubſtantiæ hepatis continuitatem, quin vnâ illius parte inflãmatâ, reliquæ ſint ab eâ immunes: & cùm gibbæ partis tumores ſua habeãt crudeliſſima ſymptomata, reſpirationem potiſſimùm & ſuperiora corporis membra ſpectantia: ſimæ autem ventriculum & alia ventris inferioris loca : certè vtriuſque par eſſe periculum cenſemus, ſi par ſit magnitudo inflammationis & ſubſequentiũ ſymptomatum vehementia. Tumores tamen qui in loborum extremitatibus ſunt, minùs periculoſi, quàm qui medium eius ſpatium occupant, & illius lobi qui ventriculũ amplectitur, deterior inflammatio, ſcirrhus, abſceſſus, vlcus & ſimilia, quàm qui ad hypogaſtrium deſcendit, propter ventriculi viciniam, qui facilè illo affecto conſentit, & ruinam propriæ actionis patitur.

Spectandæ ergo cauſæ tam internæ quàm externæ, quæ hunc affectum pepererunt: nam grauitas earum & vehementia, periculi grauitatem intendet aut minuet, prout erunt conſtitutæ. Vt igitur bilioſus humor reformidandus, propter violentiam febris & inflammationis; ſic ſanguineus, quia magnos facit abſceſſus & vomicas: melancholicus etiam & pituitoſus, quia ſenſim in ſcirrhos degenerant, vel certè cõceptâ tandem graui putredine membri ſubſtantiam corrumpunt. Quoties igitur vehemens cauſa externa vel interna, vt febres, obſtructiones, & ſimilia hos tumores excitarint, luctus vbique, pauor & plurima mortis imago, potiſſimùm in naturis infirmioribus, & quæ non ſunt ferendo huic morbo tam acuto, vel certè ex decidentiâ valde diuturno, & in alios deteriores tranſeunte : nam eleganter annotatũ eſt à Gal. 10. *meth. cap.* 5. vnicam eſſe ſpem ſalutis in partium iſtarum inflammationibus, virium robur & firmitatem: Quemadmodum in calidis ſicciſque naturis eas præcipuè reformidat, quia ex ſitis vehementiâ & anxietudine, citò in marcorem & tabes perfectas incidunt. Spes tamen ſalutis tunc affulget, quando natura ſuas criſes & motus ſtatis temporibus & concoctionum ſignis præmonſtratis molitur ; vt hæmorrhagias primâ morbi periodo, antequam ſcilicet copioſior materia hepati ipſi adhæreat, liberales & κατ' ἔξιν ex nare dextrâ factas, poſt prægreſſam leuem ἀμβλυωπίαν aut cephalalgiam, quæ humoris μελάσσειν denotarũt, & quas plurimùm iuuenibus accidere circa quintũ & trigeſimum annum ſcripſit 1. *Prognoſt.* Hippocrates: Item ſudores copioſi, vomitus, alui fluxus bilioſi & ceſſantes finita vel minutâ febre, vrinarum, menſtruorum, hæmorrhoidum larga profuſio : Hæc enim omnia ſi conuenienter fiant, ægri iuuantur & leuiter ferunt, vacuatâ cauſâ morbificâ in totum, vel certè maiori ex parte. Contrà quando irriti ſunt naturæ conatus, mouentis quidem ſed nihil promouentis, aut malè agitantis, quò non oportet, omnia infauſta ſperanda ſunt : vt quando ſtillæ quædam tantùm ſanguinis ex naribus, vtero, aut aliis partibus erumpunt : alui fluxus paucus, laborioſus, aut aliis partibus erumpunt: alui fluxus paucus, laborioſus, aut hepaticus: rigores frequentiſſimi cum pauco ſudore aut diaphoretico: nauſeæ multæ ſed irritæ, & quas ſingultus ille lethalis ab Hippocr. dictus *Aph. 17. ſect. 7.* vel καρδιωγμὸς inſignis,

 aphor. 65.

*Aphor.65.sect.4.*comitatur.Denique febris & dolor in dies intenſior;ſpiritus ſeu reſpiratio offendens,*68.sect.4.*cum vultu illo horrendo & Hippocratico,frequenti ſyncope vel lipothymiâ,atque ἐφιδρώσει ferè continuâ partium infirmitatem conſequẽte, vitæ extrema imminere denunciant. In hoc etiam affectu delirium diuturnum valde reformidandum,quia ſignificat materiam, vel ſaltem qualitatem,cerebro aut diaphragmati communicari,& ſic morbum in aliis partibus non leuato hepate multiplicari. Vnde Hippocr.in hoc affectu tantopere ſuſpectas habet parotidas *in Coacis*, quia oſtendunt naturam non fuiſſe ſatis potentem, vt humorem vitioſum extruderet,ſed eò tantùm tranſtuliſſe,quò humoris feritas eum impulit,ſuccedẽte deinceps grauiori dolore & calamitosâ ſuppuratione in partibus iſtis,ex quâ pauci defunguntur.Tolerabilius paulò ſi materiam iſtã ab hepate in lienem tranſtulerit, quãuis non omnino tutum,quoniam noua adhuc ineunda eſt pugna. Atque hæc de prognoſi.

Curationem autem aggreſſuri tam periculoſi & difficilis affectus, primò iuſtas ac methodicas indicationes conſtituere oportet, ex quibus velut regulis omnia remediorum genera,eorundem iuſta quantitas, & adhibendorum occaſio ſeu modus repetantur.Cùm autem primariæ indicationes ducendæ ſint à causâ morbificâ, parte affectâ,& affectus ſpecie, variiſque illius mutationibus:certum eſt primam & præcipuam rationem habendam eſſe non ſolùm in morbi iſtius principio,fluxionis quæ illum peperit, ſed & quamdiu perſeuerat. Illam autem fluxionem diximus eſſe ſanguineam,quamuis aliquando bili,melãcholico,aut pituitoſo humori permixtam.Ac proinde omnium cauſarum tam procatarcticarum quàm internarum illam concitãtium,augentium, vel fouentium vis & conſtitutio, ſigillatim eo quo propoſitæ ſunt ordine,obſeruanda,vt vel tollantur,vel in melius transferantur,quantum fieri poteſt. Deinde conuertẽdus animus ad materiam tam fluentem quàm fluxam,vt ſi quidem quantitate exundet,& plethoram corporis vniuerſalem,vel cacochymiam ſequatur, vacuantibus decẽter vſurpatis minuatur,& ad æquabilitatem reducatur.Nec ſolùm vacuantia,ſed etiam reuellentia & deriuantia,ob motum materiæ maximè hîc erunt ex vſu , tam quæ ſenſibiliter id faciunt per humoris alicuius eductionem extra corpus,quàm inſenſibiliter(vt frictiones, ligaturæ,fotus extremarum partium,cucurbitulæ ſiccæ,& ſimilia)retrahunt & quaſi ſuſpendunt ruentis materiæ impetum.Quæ verò iam fluxit materia,coniuncta ſcilicet huius morbi cauſa,vel eſt omnino extrauaſata, & in poros ac ſubſtantiam partis effuſa:vel adhuc circa minimas & propinquiores venas hæret.Hæc igitur repellentibus & adſtringentibus in principio videtur refrænanda & comprimẽda, ne elabatur omnino:illa autem reſoluenda & digerenda circa morbi progreſſum, ſi fieri poſſit,cauendo ſemper ne ex iſtorũ nimio vſu ſcirrheſcat,inflammetur,aut nimis refrigeretur hepar. Quod ſi ad ſuppuratum tendat tumor,& pepaſmo indigeat,iuuandus naturæ conatus,& concoctio acceleranda conuenientibus pepticis:vt deinceps facto pure quàm commodiſſimè euacuetur & abſtergeatur:ac relictum vlcus exſiccetur & occalleſcat. Intereà dum hæc præſtantur,febris habenda ratio ſæuientis,& multa ſymptomata moleſtiſſima excitantis,dolores,vigilias,ſitim immodicam,& ſimilia,quorum temperatio & mitigatio artificioſa erit procuranda,nunquam neglecto partis iſtius principis & totius corporis robore , quod eſt præcipuè conſeruandum & retinendum , tanquam firmiſſimum totius curationis noſtræ fundamẽtum. Iſtas autem intentiones medicas quomodo aſſequi poſſimus accommodatis remediis,iam eſt docẽdum,ducto à victus ratione exordio.

In hoc igitur affectu diligenter repetenda Hippocratis de victu ægrorum præcepta ac theoremata,variis locis ab eo propoſita : Nam ſi in quo alio morbo verum ſit illud *Aphor.67.ſect.7.Cibus febricitanti labor*,in hoc certè potiſſimùm,vbi non ſolùm febris acuta vigere ſolet,ſed etiam ſumma circum viſcera nutritioni dicata,impuritas & putredo cum inflammatione, quâ correptum hepar primariò,ventriculus autem & circumpoſitæ partes per ſympathiam maximam,vix munere ſuo perfungi poſſũt, ſed ad excluſionem cauſæ morbificæ , aut illius pepaſmum intenduntur. Non igitur multitudine alimentorum obruenda vis concoctrix , ſed forma eorum, ſubſtantia ac quantitas eligenda , quæ maximè acuto & periculoſo morbo conueniat. Tenuis enim victus ſeu tenuiſſimus, ab Hippocrate tantopere celebratus, complectitur non ſolùm paucam illius quantitatem , & ita definitam , vt ſufficiat tantùm ſuſtentandis viribus , donec ad ſtatum morbi peruentum ſit;ſed etiam ſubſtantiam euchymam & eupeptam , vt nullum naturæ negotium in coquendo vel expurgando faceſſat , necnon formam ſeu conſiſtentiam , quæ liquida ſit, ſorbilis aut potabilis : Vnde in eiuſmodi morbis ſummus Hippocrates *lib. de vict.*

vict.in acut. tantopere commendat ptisanæ cremorẽ, qui ex hordeo cocto & colato confici solet, vtpote facilis coctionis & distributionis, atque lentoris cuiusdam, & gratæ humiditatis participem, quâ humorum acrimonia & ferocitas obtunditur: In cibo enim medicinam esse oportet, ac proinde alimentorum qualitates hîc spectandæ, vt scilicet expugnando tam atroci morbo sint accommodatæ: vnde refrigerantia cum leui humectatione, vt aqua simplex vel parum saccharata, vel cum radice cichorij, acetosæ, aut graminis cocta, syrupus acetosus aquâ endiuiæ dilutus, ptisanæ cremor, lac amygdalarum dulcium, & seminum frigidorum conuenienter paratum, iuscula pullorum aut hœdorum, cum lactucâ, endiuiâ, & similibus, pruna acidula cocta, aut poma etiam concedi poterunt. Et in eis tamdiu persistendum, quamdiu vires vegetæ & constantes apparebunt, magnusque morbi impetus circa statum sedatus videbitur: tunc enim vel factâ crisi & insigni quadam vacuatione refocillandum erit corpus, & cibis analepticis restaurandum, vt iusculis consummatis, panatellis, gelatinis, colatitiis, contusis, & expressis succis ex delicatioribus carnibus, addendo parum omphacij, aceti, succi arantij vel limonum ad refrænandam eorum caliditatem. Galenus piscium etiam salubriorum & friabili carne præditorum vsum iure albo coctorum in eiusmodi morbis concedit. Vel genito pure sustentanda natura, vt illius excretioni & iustæ expurgationi sufficiat: Aut certè si nulla sit suppuratio, sed magna adhuc humoris in substantiam hepatis diffusi portio, vt eam conuenienter digerere, & per vias vrinæ excludere possit: Quo casu & tempore valde laudant Practici nostri tenuantia, detergentia leuiter, & aperientia, vt decoctum cicerum rubeorum cum pauco petroselino, iuscula radicibus graminis, fœniculi, apij & liquiritiæ, foliis cichorij, endiuiæ, hepaticæ, capilli Veneris, berulæ, seminibus diureticis, & similibus alterata. Tunc que vinum etiam tenue, album, & oligophorum concedunt, tum ad recreandam vim naturæ in diuturno iam morbo & ancipiti; tum etiam ad propellendas commodiùs materiæ adhuc delitescentis reliquias. Quæ omnia summo cum iudicio præsentis Medici erunt moderanda: vt & prohibenda illa, quæ superiùs in rerum non naturalium enumeratione huic affectui generando occasionem adferre diximus: Mellita potissimùm, saccharata, & reliqua dulcia, viscida, crassa, acria, salsa, & similia; necnon adstringentia, vnde plantaginem, acetosam, portulacam, succum malorum granatorum, cydoniorum & similium, hîc euitandum annotant omnes: Quod tamen mihi non satis probatur; nam in principio morbi ad sedandum fluxionis impetum, temperandam humorũ caliditatem, & roborandam partis substantiam, non videntur ista omnino reiicienda, sed mediocriter aliis permixta exhiberi possunt, prout res postulare videbitur. Quibus pro variâ affectus istius constitutione & mutationibus, ita dispositis, de maioribus remediis cogitandum, quæ causas illius respiciant & valentiùs oppugnent.

Itaque cùm tumores isti à fluxione sanguineâ in hepatis substantiam irrumpente proficiscantur, nulli dubium esse potest, quin statim & largâ manu sanguis sit vacuandus, reuellendus, & deriuandus, non solùm vnicâ vice, sed pluribus repetitis, quantum pro virium naturâ & dispositione fieri poterit. Imò si ex retentis hæmorrhoidibus, mensibus, hæmorrhagiâ narium, aut aliâ quauis solitâ vacuatione, originem traxisse videatur, istæ omnes, si fieri possit, in primis reuocandæ, vt effluxus omni operâ & artificio huic materiæ citò comparetur, antequam penitus parti sit infixa.

Iniecto igitur priùs clystere, si aluus sit adstricta, vt in tali re sæpiùs contingit, emolliente ac leuiter purgante sine vllâ acrimoniâ, qualis erit ex decocto communi paratus cum oleo violaceo, medullâ cassiæ, catholicone, aut diapruno simplici: aperiatur vena iecoraria seu basilica cubiti dextri, satis amplo foramine, vt subitò & κατ' ἴξιν materia ista fluens & quasi exundans minuatur, & à suo cursu reuocetur. Effuso ergo sanguine ad ℥ viij. vel plures, primâ visitatione, si quidem febris, dolor & renixus adhuc in hypochondrio perseueret, recludatur sequenti die, vel aliis quibuscunque vulnus, & eliciatur rursum sufficiens sanguinis quantitas: Vel si mauis, aperiatur poplitis aut malleoli dextri vena, ex quâ maiorem fructum sperarem quàm ex venis extremæ manus, vt vndiquaque materia hæc exhauriatur & deriuetur: tum vt menses suppressi, vel hæmorrhoides in assuetis, hac vacuatione, vt solet, prouocentur. Non omissis interea ligaturis dolorificis extremarum partium, frictionibus asperioribus, & cucurbitulis supra scapulas, dorsi vertebras, qua incumbit vena illa caua ascendens, natibus, coxis, & cruribus, quorum

ſcarificationem veteres etiam multùm laudabant ad reuocationem humorum ad interiora magno impetu fluentium. Nolim tamen cucurbitulas hypochondrio ipſi admouere, ſaltem per initia, quoniam timendum eſt ne magis attrahant in partem affectam quàm reſoluere poſſint, vel educere verſus ipſam cutem : circa declinationem cautè etiam illis vtendum, ne nouam fluxionem accerſant.

Intereà dum iſtis reuellimus, vacuamus & ſiſtimus humoris motum, non ſunt negligenda ea quæ per os aut anum ſumpta temperare quodammodo & reſtinguere humoris acrimoniam, caliditatem & ferociam poſſint : nec etiam topica leuiter refrigerantia, relaxantia, & emollientia, non omiſſis aromaticis, & quæ ex proprietate partis iſtius nobilis robur conſeruare poſſunt. Quamdiu igitur fluxionis impetus perdurat, præſcribantur & iniiciantur frequenter clyſteres ex decocto refrigerante cum oleo cydoniorum, violaceo, aut etiam roſaceo omphacino. Fiant decocta ſequentia, quæ bis in die ſumere poterit.

℞ Rad. acetoſæ & cichor. an. ℥ j ß. foliorum borrag. agrim. endiu. capilli-Vener. acetoſæ & cichor. an. M. j. ſeminis lactucæ & granorum kermes, an. ʒ ij. florum nymphææ, roſar. violar. & cichor. an. P. j. Fiat omnium decoctio in aquâ hordei ad ℔ ij. Adde ſub finem decoctionis, ſantali rubri ℥ ß. cinnam. ʒ j. ad deferendum vim aliorum medicamentorum, & hepar recreandum. Colentur, & addendo parum ſacchari, (nam dulcia hîc copioſiùs ſumpta, valde nocere poſſunt) fiat iulepus longus, de quo capiat ℥ iv. manè, & totidem horâ tertiâ pomeridianâ. Quòd ſi velis præſcribere ſyrupos cum aquis ſtillatitiis, caue nimiùm dulces & viſcidos, quia obſtruent magis hepar & inflammabunt : ſed eorum loco tenues & acetoſos vſurpa. Vt

℞ Syr. acetoſi ſimpl. & de granatis acidis, an. ℥ j. ß. aquarum cichor. & endiu. an. ℥ v. pulueris elect. triaſant. ʒ j. Fiat iulep pro tribus doſibus, quæ reiterentur quoties opus fuerit. In eiuſmodi tamen inflammationibus internarum partium, obſeruarunt recentiores ſyrupum de papauere, quod rhœas ſeu rubrum dicitur, magnam opem adferre, tum quòd potenter febrim extinguit, fluxionem ſiſtit, & ex proprietate quadam humores in habitum digerit & per ſudores euocat. Hic igitur potiſſimùm, ſi vera ſit phlegmone aut eryſipelatoſa, vſurpari conuenienter poterit, diſſolutus aquâ nymphææ, endiuiæ, aut cichorij. Alij valde laudant vſum ſequentium emulſionum.

℞ Amygdal. dulcium & recentium mundat. ℥ j. ß. ſeminum lactucæ, melon. & papauer. albi, an. ʒ. ij. ſeminis coriandri ʒ j. Contundantur omnia in mortario marmoreo piſtillo ligneo, affundendo decocti hordei aut aquæ endiuiæ ℔ j. ß. ſacchari parum. Fiat emulſio, quâ vtatur frequenter. Exteriùs verò admoueantur in principio epithemata & vnguenta ſequentia.

℞ Succi endiuiæ & cichor. vel aquarum, an. ℥ iij. aquæ roſaceæ & aceti albi, an. ℥ ß. pulueris ſantalorum ʒ j. caphuræ ℈ j. Miſce. Applicetur tepidè regioni hepatis cum linteolis tenuioribus, vel ſericeis rubris per quartam horæ partem, frequenter renouando, bis aut ter in die. Deinde inungatur cerato ſantalino vel vnguento roſaceo, addendo parum ſpicæ vel cinnamomi ad robur partis ſeruandum, & faciliorem penetrationem.

Vbi verò calor & fluxio iam quodammodo miteſcere videbuntur, addenda erunt clyſteribus, decoctis, & topicis reſoluentia & emollientia, nuſquam omiſſis tonicis, vt materia parti infixa digeratur, & ſcirrhi generatio impediatur. Itaque decoctum hepaticæ, agrim. abſinth. Pontici, betonicæ, ſcabioſæ, tunc inſtituendum; vel iulepi ex eiſdem parandi, prout res poſtulare videbitur. Sic etiam exteriùs fiat fotus talis.

℞ Summitatum abſinth. vtriuſque, & agrimon. an. M. j. ſeminum fœnic. aniſi, & coriand. an. ʒ j. florum cichorij, violar. borr. & roſar. an. P. j. ſantali rubri & citrini, anthos, & ſpicæ nardi, an. ʒ ß. Decoquantur omnia, addendo ſi vis ſub finem decoctionis, vini albi tertiam partem : Vtatur pro fotu, vt ſuprà. Deinde ex iſtis piſtatis & cribratis, addendo parum farinæ hordei & olei roſacei, fiat cataplaſma, quod ſupra linteolum rariſſimum hepati applicetur. Vel fiat inunctio ſequens.

℞ Vnguent. roſacei & reſumptiui recenter diſpenſati, an. ℥ ij. puluer. ireos Florent. ʒ j. ß. ſantali citrini, & ſpicæ, an. ʒ. ß. vnguent. de althæâ ℥ ß. olei de abſinth. parum. Fiat linimentum, quo vtatur vt dictum eſt. Quòd ſi ſcirrheſcere & indurari videatur pars, ceſſante febre & dolore, tunc augeatur vis purè emollien-

tium

tium & attenuantium, vt proximo dicemus capite accuratiùs, quando de hepatis ſcirrho agemus.

Contrà verò vbi ſuperioribus omnibus remediis rectè vſurpatis, aut certè omiſſis, nihil profectum eſt, ſed aucto dolore, qui ex graui iam pulſatorius euaſit, renitentiâ, dolore & febre, reliquiſque circa ſtatum ſymptomatis, ita vt tumor ipſe quodammodo faſtigiari & increſcere videatur: tunc ſuppurationem fieri veriſimile eſt, & naturam pepaſino materiæ iſtius addictam grauiter laborare. Quapropter iuuanda omnibus modis, & robur illius ſuſtinendum tam ſumptis quàm admotis; quæque apparent tunc validiſſima ſymptomata mitigaoda, potiſſimùm verò dolor, ἀγρυπνία, inſomnietas, ſitis, delirium, & ſimilia: quorum particularis epicraſtice ſuis locis magis accuratè traditur. Hìc tamen notabimus ex ſententiâ Hippocratis *lib. de intern. affect.* dum fit ſuppuratio, narcoticorum vſum eſſe valde neceſſarium, vt ſyrupi de papauere vulgari, Philonij Romani, confectionis Requiei, & ſimilium, vt ſcilicet natura quaſi factis induciis, à tanto labore & dolore pauliſper reſpirare poſſit. Poteris itaque talem compoſitionem, quam vulgò *Reſtaurantem* vocant, imperare, quæ erit huic rei valde accommodata.

℞ Conſerū. florum cichor. & borrag. an. ʒ j. confect. alkerm. & requiei Nicol. an. ʒ j. pulu. elect. diambræ, triaſant. & diarrhod. abbat. an. ʒ ß. opij in vino rubro & aquâ roſaceâ leuiter cocti ℈ j. ſacchari parum. Miſce diligenter. Fiat conditum auro duplici coopertum: De quo capiat cochlear paruum ſemel aut bis in die, potiſſimùm inclinante nocte, circa horam ſomni.

Suppuratio intereà iuuetur cataplaſmate aliquo, vt ex decocto althææ, maluarum, ficuum pinguium, dactylorum, ſeminis lini, & ſimilium; vel illo quod ex micâ panis albiſſimi in lacte decoctâ & viteliis ouorum permixtâ cum pauco croco, necnon opio ſi dolor valde ſit acerbus, conficitur. Cui adde ad robur partis, ſpicæ & ſantali rubri aliquot drachmas, eſt enim concoctorium & doloris valde mitigatorium. Suppuratione ergo factâ, ſi quidem ſuperſtes ſit æger, tunc de vacuatione puris cogitandum, quæ cùm multis modis fiat, ſpectandus erit naturæ motus: Nam ſi quidem pus in vomicâ ſuâ contentum non erumpat extra hepatis corpus, vel erit in profundis eius partibus; vel eis quæ exteriùs prominent. Si exteriùs & verſus cutem faſtigium abſceſſus iſtius vergat, certè non dubitandum, quin ex Hippocratis ſententiâ, tam in Aphoriſmis iam adductis, quàm alibi ſæpe, eiuſmodi ſint vrendi vel ſecandi, hoc eſt aperiendam eſſe iſtam vomicam admoto partibus externis cauterio, donec ad interiora peruentum ſit: Ex eiuſmodi enim operatione multos euadere ſuperſtites contingit, quoties pus laudabile & bene confectum per eiuſmodi viam commodè expurgatur. Sin verò abſceſſus in profundis hepatis partibus poſitum Chirurgicæ huic operationi non ſit accommodatum, tunc diureticis quibuſdam & leuiter aperientibus tentanda eius diſruptio (per vrinas aut aluum.) Nam paulatim & diuturnâ morâ poterit expurgari purulenta hæc materia per conuenientes vias, ſumptis etiam detergentibus quibuſdam, vt melicrato; ad naturæ motum iuuandum. Fit tamen aliquando, vt vomica iſta diſrumpatur ſponte, quod ingens rigor vel tremor præcedens oſtendunt, cum nauſeâ & magno ſaniei exitu per aluum aut veſicam, aut etiam vomitu: aliàs effluit in interiorem abdominis cauitatem, & ibi colligitur magna puris copia abſque exitu, quem illi comparabit peritus artifex per apertionem in imâ ventris parte factam potentiali cauterio, quo ſæpe vacuari vidimus longo tempore materias iſtas ſuppuratas, quæ ex ſuperioribus partibus eò deuoluebantur.

His peractis remanet vlcus in parte ſordidum plerumque, atque etiam ſinuoſum, quo totum corpus liquatur & marceſcit, aut tandem in hydropa labitur, tum ob defectum principis coctionis, tum ob magnam humidæ illius & radicalis ſubſtantiæ depauperationem, quæ per eiuſmodi affectum contingit. Non eſt tamen omnino deſpondendum animo, potiſſimùm in iunioribus & bene habitis corporibus, in quibus ſola natura aliquando miras curationes perficit, quantò magis conuenientibus auxiliis adiuta. Cùm igitur in eiuſmodi vlceribus internis magna ſordium & ſaniei copia colligatur, non eſt ceſſandum à mundificantibus & tergentibus per os ſumptis, donec tota illa illuuies expurgata conuenienter fuerit: quo perfecto exſiccantia & epulotica vſurpanda, vt vlcus cicatrice occludatur. Quemadmodum ratione conſumptionis alimenta analeptica & refectoria vſurpanda. Ad detergendum igitur decoctum hordei integri cum melle aut ſaccharo roſaceo, vel ſerum lactis capilli vulgò à Practicis vſurpari ſolet. Ego tamen, ſi febris pauca

adsit potentiùs illud præstandum censeo decocto illo seu aquâ, quam vulgò catapultarum vocant, in quâ omnes indicationes curandi sordidi vlceris commodissimè perficiuntur, vt ex descriptione eius cuiuis notum esse potest. Sed potissimum in vlceribus istis internis auxilium esse putamus, lac asininum diuturno tempore sumptum cum saccharo rosaceo, terget enim leuiter ob copiam seri, refrigerat, & nutrit commodè partes, quod sub finem vstulari chalybe ardenti, vel silicibus poterit ad maiorem adstrictionem: vel illius loco ouillum præscribi, quod ad sigillandum & occludendum multò potentius est, cui adiunge, si volueris, tabellam aliquam ex corallis, terrâ sigillatâ, bolo Armenâ, gummi Arabico, & similibus confectam ad iuuandam consolidationem vlceris.

Verùm tractationis serie ducti, persecuti sumus iam curationem tumoris illius, qui vel resolutione & perfectâ διαφορήσει terminatur, vel in abscessum & suppurationem desinit. Itaque reuocato quasi gradu redeundum ad illos, in quibus materia magis crassa aut impacta dissolui nequit ex toto, sed maiori ex parte remanet cum obstructionis aut scirrhi periculo. Videndum etiam, quod à nobis omissum fuit, quomodo purgatione, quæ medicamentorum catharticorum operâ fit, & diureticis in hoc affectu vtendum sit.

Quod ad primum spectat si quidem tumoris istius materia frigidior crassiórque fuerit, aut certè ex importuno refrigerantium vsu aut resoluentium quasi indurata, ita vt febris quidem sit imminuta, sed superstit in hypochondrio distentio cum oppressione: tunc manifestum est excludendas esse morbi reliquias, quæ parti impactæ sunt, & scirrhi periculum auertendum, aut certè diuturnæ cuiusdam in membro obstructionis aut corruptelæ. Ad hoc igitur assequendum, si quidem in cauâ hepatis parte collectio illa posita sit potissimùm, & infarctus in primis venis subesse censeatur, aut certè spes aliqua sit portionem humoris illius visceri impacti, posse vacuantibus expelli, vt ex aquositatibus & exundante per aluum sanie coniicimus: Tunc ex consilio Galeni 2. *ad Glauc.* catharticis benignioribus excludenda erit maior materiæ portio, vt reliqua deinceps faciliùs vi caloris natiui digeratur & dissipetur. A cauis enim hepatis ad intestina expeditissimus est & facilis aditus, ac proinde vellem ego nostro more Apozema aliquod instituere attenuans leuiter, detergens, & expurgans, vt sensim & quasi per ἀπόκρασιν istud perficiatur: nam violentioribus remediis non videtur conturbandum corpus metu nouæ fluxionis aut inflammationis, quæ facillimè istis excitari posset. Fiat igitur sic.

℞ Rad. lapathi acuti, cichor. graminis, & asparagi, an. ℥ j. herbarum scabiosæ, agrimon. borrag. fumar. scolopend. capilli-Veneris, absinth. & lupulor. an. M. j. seminis anisi & melonum, an. ʒ ij. seminis carthami contusi ℥ j. foliorum sennæ mundat. ℥ iij. prunorum acidorum, & passul. purgat. an. P. iv. agarici trochiscati in ligaturâ positi ℥ ß. epithymi, florum cordial. cichor. & genistæ, an. P. j. Fiat omnium decoctio in sero lactis caprilli, vel aquâ hordei ad ℔ j. ß. In quibus dissolue syr. rosati solut. & de cichor. comp. cum rhab. an. ℥ ij. Fiat apozema clarificatum & aromatiz. ʒ j. ß. elect. diarrhod. abb. pro 4. vel 5. dosibus matutinis, quas capiet continuis diebus, si vires sint vegetæ, & leuiter ferat æger, meliúsque videatur se habere: sin minùs, interiectis diebus, vt recreari paulisper possint. Quòd si purgatio sit paulum laborioſa, vel non succedat conuenienter, iniiciatur clyster sequens die interualli, quo illa valde iuuabitur, & subhærentes humoris reliquiæ conuenienter educentur.

℞ Althææ, maluarum, lapathi acuti, & violar. cum toto, an. M. j. foliorum betæ, mercurial. & agrimon. an. M. ß. seminis anisi ʒ iij. furfur. macri, hordei integri, & florum cichor. an. P. ij. Fiat omnium decoctio ad ℔ j. In quâ dissolue mellis rosati colati, & saccharr. rub. an. ℥ ij. olei de absinth. ℥ iij. confect. hieræ ʒ vj. Fiat clyster: Vel ex sero caprillo paretur cum melle rosaceo & pauco fermento, quem nos experti sumus sæpiùs, vtilissimum ad eiusmodi sordes eluendas.

Quamuis igitur hæc purgantia leniter & detergentia potissimùm conueniant in affectu cauæ hepatis: attamen non vererer etiam in collectionibus gibbæ partis, iam subsistente quodammodo febre & dolore, illa præscribere: Nam quod Galenus *citato loco*, gibba per vrinas, caua per aluum præcipuè expurgari scripsit, non excludit omnino vsum purgantium in affectibus superioris partis, sed docet tantùm illam commodiùs impedimenta sua & περιττώματα excludere per mediam siue secundam corporis regionem, quæ ad vias vrinæ protenditur. Itaque post accommoda

Digitized by Google

commodatam vnius vel plurium dierum purgationem, prout ex vſu videbitur, diureticis temperatis vteremur, quorum vſus ante eam eſſet periculoſus, quia ſaburram quæ in primis viis ſubſiſtit, commouerent, & ad partem affectam deducerent. Horum diureticorum variæ præſcribi poſſunt formulæ, apozematum, ſyruporum, trochiſcorum, & ſimilium: In Officinis habentur, ſyrupi de duabus & quinque radicibus, de eupatorio, de artemiſiâ, oxymel diureticum, trochiſci dialacca, diarrhod. abbat. de capparibus, & ſimilibus. Si volueris, ita præſcribito.

℞ Rad. aperitiuarum in aceto conuenienter macerat. rad. graminis & liquirit. raſæ, an. ℥ j. foliorum creſſonis, capilli-Ven. agrimon. roſtri porcini, endiuiæ, ſummitatum fœnic. an. M. ß. ſeminis milij Solis, melonum & cucurbitæ, an. ʒ ij. capparum ſine ſale & aceto, cicerum rubr. an. P. j. cinnam electi, & ſchœnant. an. ʒ j. Bulliant omnia cum pullo gallinaceo, aut paucâ carne hœdinâ, vel per ſe. Decoctum ſumatur bis in die: Vel ex ſuccis fœnic. apij, & endiuiæ, addendo parum aceti albi, concinnetur ſyrupus, qui aquâ graminis diſſolutus, frequenter ſumi poterit. Pulueres etiam aut trochiſci concinnari poſſunt ad eundem vſum, vt ſi pulueri diarrhod. abbat. parum ſeminis apij, fœnic. & milij Solis addas, cum cinnam. aſari, & ſchœnanthi exiguâ quantitate: ex quo parabuntur etiam tabellæ cum ſucco agrimon. vel fœniculi.

Quibus ita conſtitutis, intereà fotus & linimenta aut emplaſtra exteriùs admouebuntur, quæ emolliendi & attenuandi (mixtis perpetuò roborantibus) facultate prædita, totam deinceps materiam ſubigant, quæ nos ſequenti mox capite ſumus propoſituri.

Verùm mirabitur fortè aliquis, cur in curationis iſtius principio, dum de vacuantibus & reuellentibus agebamus, nullam purgationis quæ per medicamenta cathartica fit, mentionem fecerimus: quaſi nullo modo in hoc affectu ſit vſurpanda. Cui ita ſatisfaciendum videtur, purgationem quæ medicamentorum operâ fit, nullo modo conuenire in principio iſtius inflammationis, ſi quidem phlegmonoſa vel eryſipelatoſa fuerit, vt docet conceptis verbis Galenus 13. *meth.* quia neque ratione vacuationis materiæ peccantis conferre poteſt, quæ à tenuiore ſanguine proficiſcitur; neque fluxionis auertendæ, quia materiam adducit verſus partem affectam; nec temperationis, quandoquidem omnia cathartica vel per ſe calida ſunt & æſtuantia; vel per accidens, quia humores exagitant & commouent verſus hepatis regionem. Itaque ſi quæ ſit in inteſtinis & primis viis impuritas circa initia iſtius morbi, illa ſatis commodè clyſteribus elui poterit, donec melior occaſio purgandi ſe offerat, vtpote circa illius declinationem. Quamuis non negauerim pertinaciter, exhiberi poſſe rhabarb. infuſum in aquâ endiuiæ, ſyr. roſatum ſolut. caſſiam, tamarindos, diaprunis ſimplicem, typheram Perſicam, mannam, & ſimilia purgantia, quæ vulgò benedicta dicuntur: Imò ſi ad ſcirrhoſam vel œdematoſam naturam accedat, etiam ſenam, agaricum, turpethum, catholicum, diaphœnicon, & ſimilia, quæ peritus artifex variè moderari poterit præſente magnâ cacochymiâ & impuritate totius corporis. Attamen conturbantia ſeu eradicantia dicta omnino vitanda ſunt, tam in principio, quàm in declinatione iſtorum tumorum, quia materia quæ eiuſmodi partibus eſt impacta, non poteſt violenter & confertim retrocedere, & periculum eſt ne per eiuſmodi medicamenta in obſtructum hepar varij ex toto corpore humores proliciantur, qui deinde non expurgati, illius augeant infarctum & obſtructionem. Quamuis enim Hippocrates in pleuritide, quæ ad hypochondria vergit, videatur catharſin ex helleboro concedere; tamen Galenus id non probat; vel de pleuritide nothâ, pituitoſâ vel flatuoſâ interpretatur, quam nulla vel exigua febris comitatur, magiſque laudat contextum illum, qui eodem libro *de victu acuter. comment. quarto*, ſic habetur; *Inflammata*, inquit, *hypochondria, cum iecoris ſyſtrophe phlegmonoſâ ac dolore, vel lienis tumore, aut aliis collectionibus quæ non fiunt à flatu, quin & ſuperiores ſepto dolores cum eâdem* ζυστροφῇ, *ſolui non poſſunt, ſi quis primùm pharmacis vſus fuerit: Nam phlebotomia in iſtis remedium eſt* ἡγεμονικὸν, *deinde clyſmis agere conuenit, ſi morbus ſit magnus & vehemens: Si verò purgatione non indigere videatur, poſtmodùm illud præſtabis* μετ' ἀσφαλείας καὶ μετριότητος, *cum diligenti animaduerſione & mediocritate. Quicumque enim*, addit, *ſtatim in principio morborum iſtorum, inflammationes medicamento ſoluere conantur: illi non ſolùm ab diſtentâ inflammatáque parte nihil detrahunt, cùm non cedat obſequatúrque cruda & recens affectio; ſed etiam quæ ſana adhuc & morbo repugnantia ſunt, abſumunt & conſabefaciunt, & inde ægrum in*

perniciem

perniciem conferunt. Hæc est igitur elegans & valde notatu digna Hippocratis sententia, de purgantium vsu per eiusmodi affectus inflammatorios, quam propter rei vtilitatem & tractationis nostræ velut colophonem in medium adferre libuit. Iam verò ad alios hepatis affectus ex proposito suprà ordine accedamus.

CAPVT V.

De obstructione & scirrho hepatis.

DVos istos affectus ideò coniunximus, quia in eo tantùm differunt, quòd obstructio iecoris, venas & meatus illius occupet intacto parenchymate: scirrhus verò vbique sedem suam habeat positam, potissimùm verò in ipsâ hepatis substantiâ: Ita vt scirrhus dicatur tumor præter naturam, durus, & indolens ex materiâ frigidâ crassâ, aut viscidâ, iecoris substantiam occupans: obstructio verò morbus sit organicus, distributionem humorum præcipuè impediens, ex materiâ meatus illius replente ac distendente oborțus. Diximus scirrhum esse tumorem præter naturam, quia non minùs quàm phlegmone partis magnitudinem augens, contiguitatem illius dissoluens, & intemperiem adferens, triplex illud morbi genus complectitur insigniter, quod in tumoribus præter naturam constituendis concurrere dicebamus priùs. Estque præter naturam functiones hepatis tantopere lædens, vt præsente scirrho omnes fermè corruant & labefactentur: vnde ad eius aduentum, si quidem non ritè curatus initio fuerit, necessariò lethalis hydrops, teste Galeno, exoritur: præcedunt verò κακοχυμία totius corporis, deprauatus faciei color, & similia læsæ coctionis vitia in hepate, tam per se, ob refrigerationem videlicet inductam; quàm per accidens, ob impeditum humorum commeatum & quasi abolitam retentricem. Durum verò esse scirrhum supra alios omnes tumores præter naturam par est, siue sit primarius ex humorum crassorum viscidorúmque affluxu, vel congestione genitus; siue secundarius, aliis tumoribus malè curatis superueniens, ob importunum scilicet ac diuturniorem resoluentium vel refrigerantium vsum induratis. Vnde Aurelianus hunc affectum vocat duritiam & saxitatem hepatis, quia instar lapidis tangenti renititur manui, nec vllo modo cedit, ob repletionem scilicet maximam materiæ siccioris & quasi congelatæ, quæ tres sunt omnis duritiei causæ hîc simul concurrentes: vnde etiam indolentia exoritur perfecta, quando omnino periit sensus tactus in parte, vel imperfecta, quando aliquis, sed exiguus tamen, est adhuc superstes: Nam ex tantâ humoris frigidi collectione eum destrui necesse est, & ob intemperiem ferè æqualem in parte contractam, nullum adesse dolorem aut exiguum, quîque non tam ratione loci affecti, quàm circumstantium partium pondere vel distentione illius afflictarum exoritur. Hæc igitur materia sensim illabens, vel collecta in parte, aut certè post alios tumores malè curatos relicta, visceris substantiam siue parenchyma occupat, vt diximus; quo nomine potissimùm à simplici obstructione distinguitur, quæ morbus est cauitatis siue meatuum.

Obstructionem enim iure diximus organicum morbum, quoniam partis compositionem respiciens, quatenus meatibus seu cauitate quadam prædita est, non solùm angustiores facit eos, vt in simplici contingit adstrictione; sed opplet, & à causâ materiali seu corpulentâ intra ipsum meatum, cauitatem, aut orificium contentâ exoritur. Cùm igitur res istæ obstruentes, vel firmiter adhæreant eorum parietibus, vt polypus naso, caruncula vrethræ, calculus reni ac vesicæ sæpiùs, & similia; vel tantùm positæ sint interiùs absque eiusmodi connexu: In hoc affectu quæ hepar obstruunt, sunt humores in eius ductibus positi, non adhærentes, sed multitudine suâ, crassitie aut lentore præpedientes cursum siue distributionem materiæ illius alibilis, quæ in hepate confecta debet per totum corpus transferri, vt nutritioni partium inseruiat, quam plus vel minùs impediunt, prout plures vel pauciores meatus occupati fuerint, à copiosâ vel paucâ materiâ, eáque magis vel minùs crassâ & lentâ. Vt enim omnes humores multiudine suâ ἐμφράξεως istas ex repletione

repletione nimiâ inducere poſſunt, ſic humor melancholicus craſſitie, pituitoſus lentore ac viſciditate quâ præditus eſt, frequentiſſimæ ſunt illarum cauſæ. Ab his verò præcipuè impeditur diſtributio ſiue commeatus humorum, qui beneficio canaliculorum iſtorum fieri ſolet: attamen coctiones etiam partium lædere poſſunt, tum quia humorum multitudine ſuffocatur quaſi & obruitur calor nativus, tum quia etiam eorũ frigiditate & craſſitie imminuitur, & alia deinceps ſymptomata exoriuntur, à nobis poſt cauſarum morbos iſtos excitantium enumerationem recenſenda.

Quod ad cauſas itaque horum affectuum ſpectat, illæ ſolitâ nobis methodo ex rebus naturalibus, quæ diſponentes ſeu præparantes dici poſſunt; non naturalibus, & præter naturam, quæ verè efficientes ſunt, repeti debent. Ex parte itaque rerum naturalium, cùm vterque affectus poſitus ſit in repletione tum ſubſtantiæ ipſius hepatis, tum meatuum ab humoribus multis, craſſis aut lentis: certum eſt eos qui naturâ ſunt plethorici, aut congerendis humoribus mucoſis, viſcidis & craſſis idonei, quales ſunt pituitoſi aut melancholici, vel per ſe vel per accidens, facillimè incurrere in eiuſmodi morbos, potiſſimùm ſi ex naturâ ſuâ hepatici ſint, iecore ſcilicet imbecilliore aut grandiore præditi, vel certè vaſis anguſtioribus & admodum ſtrictis donati: fieri enim vix poteſt, quin eiuſmodi homines ex leuiſſimâ & quacunque de causâ in haſce obſtructiones & duros tumores incurrant, quia humores iſti cùm non poſſint liberè hac illac transfluere, vel ſubſiſtunt in ipſis meatibus, vel in viſcerum ſubſtantiam effunduntur: vnde pueros non ſolùm ob vorocitatem, ſed etiam ob vaſorum adhuc minutulorum anguſtiam frequentiſſimè illis corripi videmus, quemadmodum & mulierculas obeſiores. Cùm igitur hepar inter omnes corporis partes aptiſſimum ſit, docente Galeno *lib. 5. de loc. affect.* ad ſcirrhum & obſtructiones ſuſcipiendas, ob multitudinem vaſorum, eorumdem tenuitatem, ſymphyſin, & complexum cauæ & portæ, ac meatuum cholidochorum, tum quia lutulentum quid naturâ ſuâ continet. Controuertitur tamen inter Practicos, vtrùm hepar calidum vel frigidum magis ſit opportunum ſuſcipiendis obſtructionibus. Concludunt ferè omnes, frigidum ex ſe, tum ob venarum exilitatem maiorem quâ præditum eſt, tum crudorum humorum generationem & perennem prouentum, quem facultas expultrix imbecillior ſuperare & excludere nequit; Calidum verò ex accidenti, quia propter attractricem vim validiorem, ſolet alimenta quaſi inconfecta rapere, eáque inæqualiter coquere, partibus crudis incraſſatis, ſubtilioribus verò exaſſatis. Adde quòd propter raritatem pororum, facilè admittit influentes humores. Atque hæc de naturalibus.

Res verò externæ ſiue non naturales, tam materialiter quàm effectiuè, concurrere poſſunt ad iſtos affectus producendos, videlicet intemperies aëris calidiores frigidioréſve: illæ exurendo & concitando humores in penetralia partium, hæ incraſſando & affigendo. Autumnus certè ferax eſt admodum iſtis obſtructionibus producendis & ſcirrhoſis tumoribus, tum ob humoris melancholici & craſſi dominatum, tum etiam inæqualitatem caloris & frigoris, quo varij humorum motus concitantur. Verùm alimenta potiſſimam hîc vim obtinent. Nam ſiue intemperanter & voraciter ſumpta, vt in pueris; ſiue qualitatibus & ſubſtantiâ noxia, ſeu præpoſtero ordine iniecta, frequentiſſimè originem & materiam huic rei idoneam ſuppeditant: Dulcia enim iecur obſtruere, prius docuimus, item viſcida & craſſa, qualia ſunt aqua paluſtris & lutulenta, vina nigra & craſſa, zythum, panis azymus, oryza, ſemola, & omne leguminum genus, ſi ſubſtantiam eorum ſpectes; olera cruda, fructus acerbi & auſteri, vt pyra, cydonia mala, potiſſimum primâ menſâ ſumpti, ſuccedentibus aliis caliditate & tenuitate partium præditis, caſtaneæ, tubera, & bulboſæ radices: Piſces cetacei & glutinoſâ carne præditi, carnes bubulæ, porcinæ, caprinæ, & ſimiles: Caſeus valde pinguis & butyroſus, aut diuturniore ſitu marceſcens. His ſi calfacientia valde & attenuantia acceſſerint, vt vini generoſioris hauſtus immodici & frequentes, rerum frixarum, ſalſarum aut acetoſarum, vel fortiorum aromatum diuturnior vſus, non ſolùm obſtructio, ſed etiam ſcirrhus, exſiccatâ eiuſmodi materiâ & valde induratâ exoritur, quemadmodum à medicamentis tam internis quàm externis valde reſoluentibus vel refrigerantibus fieri dicebamus. Ad hoc etiam faciendum conſpirant labores & exercitationes vehementiores ſtatim à paſtu factæ, quia præcipitant inconfectum alimentum in venas & exſiccant; quemadmodum & ſuperfluum otium congerendo multa excrementa: Vigiliæ immoderatæ: Animi pathemata vehementiora, potiſſimùm verò metus & mœſtitia, quia impingunt humores verſus interiora

viſcera. Sed potiſſima & frequentiſſima iſtorum affectuum cauſa pendet à ſuppreſſis vacuationibus ordinariis : Nam ſiue in mulieribus ob intercepta menſtrua, ſiue fluxum hæmorrhoidalem in aſſuetis, vel etiam factâ aluo præter ſolitum pigriore, aut ſuppreſſo ſolenni vomitu ſæpiùs ſolet humor ille in primam regionem & ipſum hepar regurgitare, ibíque ſubſiſtens, obſtructiones iſtas vel ſcirrhos ſtatim, ſi quidem materia fuerit diſpoſita; vel diuturniore motâ, vbi illa fuerit exſiccata & in poros partis tranſlata, parere. Sic decumbens ex cerebro humor pituitoſus,craſſus & lentus, vt iam ad internas & antecedentes cauſas veniamus,plerumque maximum infarctum iſtis partibus infert : Item ventriculus craſſiorem chylum generans,vel ex ſe ob caliditatem nimiam, aut refrigerationem,vel per accidens, dum citiùs quàm par ſit præcipitatur aut attrahitur à iecore æſtuoſo,vel etiam ob vitium alimentorum. Quemadmodum ipſe lien dum vel obſtructus non trahit ſanguinis fæcem quæ in ſecundâ coctione generatur,vel intemperatus & imbecillior factus non poteſt eam expurgare : quod in febribus quartanis aliiſque ſæpiùs viſitur, in quibus vel naturæ vel artis defectu non fuit inſtituta conueniens excrementorum illorum vacuatio. Illæ enim magnas obſtructiones ſæpe,aliquando etiam ſcirrhos in his viſceribus relinquere ſolent : Et quotieſcumque eſt ingens in toto corpore plethora vel cacochymia,maximè timendum eſt ab iſtis, niſi iuſta & methodica prophylaxis adhibeatur. Cauſa enim continens harum obſtructionum eſt humor vel multus, vt ſanguis, & bilis craſſior reddita admixtione pituitæ;vel craſſus tantùm,vt humor melancholicus; aut craſſus & lentus, vt pituita, quæ plurimùm aliis humoribus ad iſtas obſtructiones faciendas permiſceri ſolet, tum quòd in primis iſtis viis plurimùm abundat, tum etiam quòd facilè eneruato calore natiuo progigni ſolet. Quidam putant bilem nullo modo obſtructiones parere poſſe, ſed potiùs ſoluere velut omnia amara : Sed reſponde bilem paucam & finceram id non poſſe, ſed multam aut pituitæ permixtam & concretam, qualis eſt vitellina,poſſe;ex quâ etiam vidit generatos in cyſtide fellis calculos Fernelius. Scirrhus ſimili modo cauſam habet proximam, humorem ſiccum & terreſtrem, qualis eſt ſanguinis limus; vel craſſum & viſcidum, vt pituitam, quæ in tophos coctione induratur; aut certè quemcumque humorem, qui per tumores illos à nobis commemoratos cõcreſcit & valde refrigeratur. Atque hæc de cauſis.

Differentiæ autem iſtorum affectuum,tum à cauſis eos generantibus repetendæ, tum à locis quibus inſident, vt ſupremâ vel imâ hepatis parte, primis & capillaribus venis, vel maioribus, & earum exortu aut inſertione. Nunc ad ſigna veniamus.

Διάγνωσις ergo iſtorum affectuum ex cauſarum illos producentium præſentiâ, & effectuum conſequentium tam *ξυμπαθητικῶν*, quàm *ἰδιοπαθητικῶν* ſerie repetenda: Quæcumque enim cauſæ diuturniùs aut validiùs egerint in diſpoſita corpora, maximam faciunt coniecturam affectus ipſius qui ab illis pendet. Ideò ad *ἰκμήρια* ſeu characterem morbificæ diſpoſitionis, ſigna vocant pathognomonica, conuertendus animus, tum etiam *διαγινόμενα*, & *ξυμφέροντα* conſideranda, vt certior de ipſo rei euentu & veritate fias. Vterque igitur affectus cùm ex immodicâ repletione ac infarctu materiæ humoralis in hepate aut eius meatibus contentæ pendeat, diſtentionemque ac eleuationem neceſſariò hypochondrij dextri ſuſcitet, non poteſt latere prudentem Medicum, vbi ſolerter locum illum attigerit, ſiue æger ſupinus decumbat, ſiue ſtet : Nam perpetuò ingens ſeſe partis moles offeret, quæ non ſolùm tactui, ſed etiam viſui valde erit conſpicua, potiſſimùm ſi æger ſit gracilis, aut iam longitudine morbi extenuatus, dummodò aquarum nulla adhuc collectio facta ſit in abdomine, quam ſonitu & fluctuatione dum voluitur in alterutrum latus, agnoſcet. Vterque etiam affectus parum doloris ſuſcitat contactu aut ſine illo, vt diximus, niſi flatus adiunctus fuerit, quod ſæpe in obſtructione contingit, per quam aliquando excruciari & quaſi ſuffocari vidimus ægrotantes, dum ſcilicet flatus iſti craſſiores intra vaſa aliqua & duas obſtructiones interiectas poſiti, erumpere non poſſunt ſubitò foras, ſed ibi continentur, donec attenuati ſenſim reſoluantur. In ſcirrho certè maior eſt indolentia, quia maior infarctus partis, & quaſi ſuffocatio caloris natiui ac ſpirituum interceptio, potiſſimùm ſi verus ſit & exquiſitus, maiórque durities ſiue renitentia ob dictas cauſas. Adde quòd ſcirrhus, quemadmodum & phlegmone lunarem figuram quaſi ſchemate rotundo ſub coſtis deciſam repræſentat, cùm obſtructio inæqualiter magis

ipſum

ipſum hepar diſtendat: In vtroque tamen ſentitur oppreſſio poſt ſumptum cibum (potiſſimùm ſi acria, ſalſa aut flatuoſa ſumantur, quia pungunt, vellicant, aut diſtendunt magis partem) & quamdiu concoquitur, propter inductam à comprimente iecore anguſtiam, & quia chylus penetrare non poteſt: reſpiratio difficilis & laborioſa, præcipuè poſt exercitationem etiam leuiſſimam, ad quam ſunt inualidi, quia diaphragma vicinum premitur, nec liberè dilatatur: In vtroque etiam color faciei luridus & quaſi ex albo vireſcens, ob corruptam coctionem, & impeditam humoris alibilis diſtributionem, ad quam κακοχυμίαν, faciei totius aut palpebrarum, præcipuè poſt ſomnum, inflationes, crurum & manuum œdematoſi tumores, ſumma inappetentia, cum ſitis moleſtiâ, necnon tandem hydrops iam à nobis commemoratus conſequitur; quando concidit omnino facultas illa ἀιματοποιητική, aut ruinæ ſuæ eſt proxima: Quod ad obſtructionem etiam ſpectat, quoniam humores illi in meatibus contenti, plurimùm putredine aliquà tentantur, fit vt inde corde laceſſito, totóque corpore concalefacto, febris lenta exoriatur, quæ noctu ferè exacerbatur, tam ob materiæ pituitoſæ naturam, quàm impeditam à noctis frigore perſpirationem vaporum illorum craſſiorum: vnde pulſus inæqualis & frequens, qui valde circa furculam & collum etiam viſu deprehenditur, cum ſqualore cutis & partium extenuatione. Idem accidit in ſcirrho, potiſſimùm ſi icteri ſit comes, aut tumoribus phlegmonoſis ſucceſſerit, quia relictum eſt in parte empyreuma, vel iam collectas habeat intus & putrentes aquas: Eſt tamen in eo minutulus ferè pulſus cum quadam duritie, ob ſuffocationem caloris natiui & vaſorum anguſtiam. Vterque affectus decubitum habet difficilem. Siue enim in latera conuertantur, ſiue ſupini iaceant, moles quædam moleſta veluti ſuffocans in ventriculum & præcordia incumbit, ita vt erecti ſpirare ſæpius cogantur, & tunc etiam clauiculæ aut coſtarum diuulſionem perſentiunt, ex diſtenti iecoris pondere: faciliùs decumbunt dextrâ parte, quia tunc viſcus in muſculos reclinatum, minùs reliquis partibus eſt infeſtum. Vrina in vtroque modò tenuis & aquoſa propter refrigerationem & quaſi tranſcolationem feroſæ materiæ: aliàs rufa vel citrina, ob refluxum materiæ bilioſæ ad ſuperiores partes, dum per aluum nequit expurgari; aut febris iam inductæ vehementiam: aliquando ſubrubra apparet ex permixtione ſanguinis aquoſi, qui propter retentricis imbecillitatem per vias illas effluit: fit aliquando vt vrina pauca emittatur, quòd maior ſeri portio interciplatur, iámque in vacua abdominis ſpatia effundi incipiat. Quemadmodum & aluus aliquando profuſa in vtroque affectu, quando coarctata ſunt valde ora vaſorum, per quæ ex ſimis hepatis partibus ad gibbas fit alimenti tranſſumtio: Aliàs verò ſicca, ſi adſit calor putredinoſus fæces exurens, vel iſte infarctus in gibbá hepatis parte magis ſubſiſtat.

A quibus verò cauſis vterque affectus producatur, earum differentias deprehendes ex recollectione rerum naturalium, non naturalium, & præter naturam: tum affectus ipſius & ſubſequentium ſymptomatum comparatione. Nam ſi temperamentum totius vel iecoris, ætas, victus ratio, aëris conditio, ſuppreſſæ vacuationes, morbi aliqui præcedentes, & ſimilia, ad huius vel illius humoris generationem magis conſentiant, veriſimile erit talem eſſe coniunctam iſtorum affectuum cauſam, quæ ſuo ſe charactere, coloribus, & aliis accidentibus prodit. Certè ſcirrhus primarius & legitimus, ex melancholici ſucci ζωαθροισμῷ fit plurimùm in conſimili temperamento, victu cacochymo, hæmorrhoidibus retentis, poſt quartanas febres, longas obſtructiones, & ſimilia: colorem inducit nigricantem, refrigerationem totius corporis, & ſimilia. Quæ valde immutantur, dum pendet ex reſiccatâ pituitâ, aut tumoribus phlegmonoſis refrigeratis & induratis, vt iam diximus. Vtrùm verò pars hepatis ſuperior aut inferior potiſſimùm ſit obſeſſa, vel alia ſit abdominis pars laborans, ex ſuperiore tractatu repetendum, vbi iſta fusè ſumus perſecuti. Iam itaque prognoſin paucis expediamus.

Rectè Auicennas, obſtructionem omnium ægritudinum matrem appellauit. Etenim cùm laudabilis & recta corporis noſtri œconomia ſit poſita in bonâ humorum coctione, & eorumdem diſtributione facili, per eiuſmodi obſtructiones diutiùs perſiſtentes, corruat neceſſe eſt, ex vtriuſque vitio: & niſi decenter in principio curentur, lethales admodũ affectus inducunt, putredines, diuturnas febres, atrophiã, viſcerum omnium impuritates, & ſimilia: (vnde malorum myriades, velut ex lernæâ quadam palude exoriuntur.) Intenduntur autem omnia, prout materia copioſior, qualitatibus infeſtior, contumacior & diuturnior fuerit. Fit enim ſæpe tranſitus in ſcirrhum, tum ob materiæ quantitatem effuſæ extra vaſa, tum illius exſiccationem

& indurationem. Scirrhus autem in parte nobili & principe, ferè incurabilis censetur, potissimùm si exquisitus & confirmatus cum nullo doloris sensu fuerit: tum quòd pars illa non potest sine magnâ temperamenti sui & totius ruinâ tantam intemperiem perferre, quæ cùm iam æqualis facta sit, si quidem totum hepar tumor occupet, deploratus est æger, & necessariò mortalem incurrit hydropem, tum quòd attenuantium, resoluentium & emollientium vsus, qui hîc requiritur, dissoluit omnino robur & κρᾶσιν hepatis, cum vitæ periculo; & superuenientes aquæ etiam topicorum vim hebetant & obtundunt. Multos tamen vidimus, qui diu vitam egerunt incolumem cum scirrho extremitatum lobi alicuius, vel alterutram hepatis superficiem occupante, quia neque coctio, neque distributio humorum valde impediebatur. Suspecta tamen ista semper sunt habenda, quoniam hepar naturâ suâ, cum fæces istas & recrementa melancholiæ obtineat, facilè contingit vt augeantur eiusmodi tumores ex quocunque errore tam interno quàm externo, quasi per additamenta, & tandem totam hepatis substantiam occupent. Certè alui fluxus perseuerans cum eiusmodi scirrho pessimi est ominis, quia iam facultates omnes hepatis corruere significat, ἀνάστοιχιν esse interceptam, potissimùm si sit chylosus vel cruentus, vt in hepatitide dicebamus. Pessimus etiam scirrhus, qui ad alios tumores malè curatos subsequitur: quia iam fractæ eneruatæque naturæ maximum adhuc incumbit negotium. Nos ergo therapeiæ rationem aggrediamur.

Indicantia in his affectibus, vt in aliis, desumentur à parte affectâ, affectus naturâ, & causis. Vtpote pars nobilis & princeps, tantúmque ad vitam necessaria, sui conseruationem exposcit & roborantia suadet, non solùm ex alimentorum genere, sed etiam remediorum, quæ respectum habeant peculiarem ad continendum partis istius robur, qualia sunt adstringentia modicè & aromatica dicta, de quibus tam sæpe ex Galeno monuimus, perpetuò permiscenda esse aliis, quæ causas & affectus istos præter naturam expugnare valent. Vbi etiam notandum ex eodem Galeno *lib. 1. ad Glauc. cap. 12.* partis istius mollitiem & substantiæ teneritudinem (est enim velut coagulatus sanguis) non posse ferre tam valida medicamenta, ac lien aut aliæ partes, quæ compactiori materiâ constant, ideóque esse temperandum à vehementioribus, aût certè permiscenda alia, quæ eorum vim quodammodo refringant, & debitam iecori proportionem conseruent. Ex parte causarum primò externarum, illæ omnes, si quidem generandis hisce affectibus fuerint consentientes, euitandæ, immutandæ & in eum statum transferendæ, quem recta victus ratio posteà complectetur. Internæ autem antecedentes omnes diligenter remouendæ aut auertendæ, si quidem adhuc perseuerent, ac proinde omnis cacochymia vel plethora minuenda & ad æquabilitatem educenda. Si ex capite, thorace, liene, ventriculo, aut similibus intemperatis vel obstructis, eiusmodi materia defluat: corrigenda vitia illarum partium, humor euacuandus, reuellendus, deriuandus, ne hepar amplius impetat. Omnes denique antecedentes causæ eo ferè ordine expugnandæ per sua contraria, quo suam habuere γένεσιν & incrementum. Coniuncta verò obstruens meatus, aut substantiam ipsius partis, quæ affectus speciem etiam complectitur, quatenus distendit, & repletione nimiâ seu quantitate exuperat, inanitione seu vacuatione, aut saltem transpositione indiget, per ea quæ aluum commodè & leniter ciere aut vrinas concitare possunt: vtraque enim via expedita est ad expurgandos iecoris infarctus. Quòd si sensibiliter per cutem etiam eius portio admotis vesicatoriis aut vstionibus variis, vt solebant antiqui, euacuari possit, non erit inutile in rebelli & contumaci affectu illa vsurpare, insensibiliter etiam per resoluentia ritè vsurpata, idem præstare. Qualitates verò istius materiæ, cùm tripliciter potissimùm peccare soleant, crassitie videlicet, duritie & visciditate, indicant etiam attenuantia, mollientia & detergentia, conuenienter & pro ratione partis istius sumpta & admota, quæ calfaciendo, & incidendo, frigidiorem intemperiem si quæ sit, corrigent, aut si ex putredinis vi calor iam sit excitatus, illi temperando, quantum res postulabit, & fieri poterit, prospicient: non neglectis aliis symptomatis, quæcunque vrgere & peculiarem mitigationem exposcere videntur. Nos itaque quomodo prædictæ intentiones vulgatis illis Medicinæ instrumentis perfici possint, iam videamus.

Diæta in primis, vt dictum est, earum omnium causarum, quæ exteriùs ingruunt ad affectus istos generandos, augendos, vel conseruandos, diligentem rationem habeat. Ac proinde aëris constitutio procuretur conueniens, temperata scilicet, pura & illustris, quæ calidi illius nativi vim commodissimè foueat, nec repentinis

repentinis mutationibus infirmiores ægri vires afficiat: Quod ſi omnino comparare non poſſis arte in loco vbi iam degit, magni erit momenti mutatio ſoli in aërem ſalubriorem, quam Hippocrates tantopere ad morborum diuturnorum curationem commendauit. Somno item vtatur moderato, & nocturnis potiſſimùm horis vſurpato, quamuis aliquando ob ventriculi infirmioris & cruda eructantis corroborationem, in raris potiſſimùm & diaphoreticis corporibus, atque ſub magnis cœli ardoribus meridianus concedi poſſit. Labor corporis, animique curæ placidæ ſint, ad voluptatem potiùs & ſubleuationem vtriuſque vſurpatæ, quàm ad defatigationem. Tranquillitas enim & gaudium infirmis hominibus, quales ſunt iſti, valde conueniunt: quamuis non negauerim in ſoluendis obſtructionibus & abſumendâ pituitâ, iam prægreſſis quibuſdam purgationibus, exercitationem ſatis laborioſam & vehementem, longè à paſtu vel ante cum factam conuenire, potiſſimùm ſi ex nimio otio & deſidiâ fuerit collecta. Omnes ſolitæ & vtiles vacuationes diligenter procurentur, quatenus virium ratio patietur: Attamen ſi alui fluxus ſit immoderatus, per roborantia mediocriter compeſcendus.

Alimentorum verò præcipua haberi debet cura, vtpote in quorum vſu leuiſſimum erratum maximi & grauiſſimi erroris ac noxæ eſt cauſa in affectibus eiuſmodi ab impuritate viſcerum pendentibus. Subſtantia itaque eorum euchyma & eupepta eligatur, quantum fieri poterit, ne ſcilicet cacochymiam illam pituitoſam aut melancholicam foueant, ſed ei aduerſentur, & parum negotij faceſſant calori concoquenti: Vnde etiam tenuem victum laudant in hoc caſu authores noſtri, tam quantitatis quàm conſiſtentiæ ratione, ne vel nimiâ aſſumptus copiâ obruat vim partium iſtarum afflictarum, vel ſoliditate ſuâ nimiùm reſiſtat, quamuis plenus eſſe debeat, hoc eſt, bene & ſufficienter nutriens, ratione virium, quas in tam diuturno affectu conſeruare oportet, quod pluribus potiùs & quaſi partitis paſtibus aſſequendum eſt, quàm vnico vel duobus copioſè alendo. Certè attenuatorius eſſe debet victus, ad caliditatem & ſiccitatem vergens, cum deterſione quadam, ſi pituitoſus ſuccus abundet; in melancholico verò temperatus, aut humectans mediocriter. Vitent igitur dulcia omnia, craſſa, viſcida, dura, acerba, auſtera, oleoſa & pinguia nimiùm, frixa, piperata, ſalſa, omnem leguminum ſubſtantiam, olera, carnes difficilis coctionis, piſces glutinoſos & ſimilia à nobis priùs commemorata in cauſarum cenſu. Quorum loco delicatis & tenerioribus veſcantur carnibus aſſis & elixis, quarum iuſculis aperientia, vt fœniculum, petroſelinum, apium, cichorium, intybus, aſparagus, folia raphani & berulæ decoquantur. Per ſe etiam iuſculum ex ciceribus nigris, aſparagis & lupulis commendatur. Piſces omnino vitentur, aut ſi aliquando teneriores & carnis friabilis, vt ſaxatiles concedantur, bene præparentur cum eiuſmodi calfacientibus & aperientibus, aut in vino albo priùs decoquantur. Condimenti causâ ad appetentiam concitandam, & incitandam, & incidendum, ſumant cum ferculis ſuis cappares, fœniculum maximum, oliuas conditas & priùs maceratas, vt ſalſedinem nimiam aut acetoſitatem deponant. Ouis etiam ſorbilibus aut luteis eorum tantùm vti poterunt, quia citò nutriunt, & parum excrementoſi ſucci generant, quibus aſpergere poteris, ſi nulla ſit febris, aut eius omnino ſymptomaticæ vel remiſſioris ſuſpicio, puluerem ducis dictum, ex æquali portione cinnamomi & ſacchari confectum: quemadmodum & reliquos cibos, pauco cinnamomo, nuce moſchatâ, garyophyllis ad recreandam vim caloris natiui, condire poterunt. Necnon eandem coctionem iuuare puluere aliquo roborante & calfaciente, digeſtiuum vocant, poſt finitos ſingulos paſtus ad cochlear vnum ſumpto. Pruna & poma cocta cum multo ſaccharo & pauco cinnamomo etiam conferent, potiſſimùm ſi aluus ſit adſtrictior. Paſſulæ & nuclei pini, vt & piſtachia, aquâ calente macerata, deinde ſaccharo aſperſa, etiam commendantur, quia hepar ex proprietate roborant, & non incommodè nutriunt. Quòd ſi calidiores ſint ſucci iſti obſtruentes, non eſt reiiciendus hordei cremor, cui Galenus porri parum ad flatus diſcutiendos, aut aceti, ad iuuandam attenuationem addebat. Nos aniſum & fœniculum noſtro more incoquere poſſumus, aut ptiſanam baculo cinnamomi, dum coquitur, agitare. Panis ſit recens, albus, bene coctus & fermentatus, additis ſalis momento, & pauco aniſi, fœniculi aut coriandri ſemine.

Potus eodem modo eligatur, aqua ſcilicet pura & nitens, quæ ex fonte aliquo limpidiſſimo ſcaturiat, aut ex ciſternâ hauriatur, quę tonitruoſis & pluuialibus aquis, omnium ſcilicet tenuiſſimis, ſit referta. Si non detur illarum copia, ſumatur ex flu-

mine rapido, aut puteo multis inde haurientibus communi, cuius lateribus herbæ illæ capillares, vt apud nos frequens est, innascantur. Aliàs consulunt vt aqua leuiter decoquatur: sic enim fæcem suam & residentiam in fundum demittit, deinde in vasculum aliquod ex ligno tamarisci vel fagi confectum recondatur. Alij chalybeatam præferunt, quoniam suscipit qualitatem quandam abstergendi ex ferro. Certè ad absumendos lienis tumores efficacissimam sæpè experimur: Quidam in illâ macerant agrimoniam, capillum Veneris, radicem fœniculi, & similia: Sed in delicatis nihil est præstantius quàm cinnamomum incoquere, quod & roborandi visceris vim habet,& attenuandi humoris,neque vllo modo ingratam efficit potionem. Qui vinum expetunt,illis concedatur iam vetus & bene defæcatum, generosum, tenuis substantiæ, album aut rubellum. Hippocraticum multi laudant, sed hoc tantùm post solutas ex parte obstructiones & sedatam febrem. Quæritur, vtrùm eiusmodi ægrotantes copiosè vel parcè debeant bibere, nam ex copioso potu & attenuante incidi & quasi dilui humorem illum obstruentem & siccum, verisimile est: Attamen in principio, dum ingens est adhuc in visceribus repletio,metus est ne præcipitetur ex abundantiore potu non solùm chylus in ventriculo fluctuans & dilutus,sed etiam impuritates illæ primarum viarum in hepatis regionem transferantur; aut saltem alui fluxus concitetur. Ideò neque illis stantibus, neque in mensæ ingressu, eiusmodi potum laudarim, sed longè ab ipso pastu, potissimùm quando iam vrinarum copia apparebit, & natura ductus illos affectare videbitur. Atque hæc de diætâ.

Θεραπεία autem cùm vacuantibus, alterantibus, & roborantibus, tam sumptis quàm admotis perficiatur, illorum particularis descriptio aggredienda. Vacuantia ergo respectum habeant ad humoris genus quod redundat, & si quidem sanguis diutiùs retentus ob suppressa menstrua, intercluſas hæmorrhoidales venas, & alias hæmorrhagias, vitium hoc vel principaliter committere videatur,vel secundariò, quia calor natiuus ex humoris quamuis laudati nimiâ quantitate oppressus, crudităes multiplicat: tunc vel reuocandi isti fluxus, vel tundenda vena cubiti in magnâ plethorâ in poplite & cruribus si minor sit, & consilium totum ad concitandos dictos fluxus conuertendum videatur. In scirrho certè non auderem tam liberè venæ sectionem vsurpare, metu instantis hydropis, nisi fortasse in secundario, ob relictam febrem ex præcedenti morbo, & ἐμπύημα iecori impressum, quod euentilationem aliquando exposcit. Phlebotomiæ loco conducet sæpè hirudines venis ani aut cruribus admouere; vel cucurbitulis & scarificatu variarum partium vti, prout humor hinc vel illinc fluere, aut in hac magis vel illâ contineri videbitur. Fonticulos etiam probamus ad deplendam sensim & continuò cacochymiam intus latitantem, acrioriſque seri vacuationem: Et si quidem superiora membra ῥευματισμὸν faciunt in locum affectum, affigantur initio spinalis medullæ, vel alterutri brachio: Sin verò in medio ventre lateat peccans humor, admoueantur cruribus, potissimùm vbi iam collectæ sunt in abdominis cauo aquæ, quas eiusmodi fonticulis commodissimè euacuabis: ne admoueas tamen iam omnino debilitatis ægris, quia lethum accelerares, factâ caloris natiui nimiâ dissipatione. Antiqui, vt iam diximus,non solùm cauteria superioribus aut inferioribus partibus admouebant ad reuulsionem aut deriuationem, sed etiam exteriori regioni partis affectæ vstiones varias imprimebant, quas diu apertas seruabant, vt causa intus latitans per illas effloueret. Nos earum loco vesicatoria vsurpare possumus,quæ minori molestiâ idem præstare poterunt:vt & phœnigmi aliquando & picationes in rebellibus obstructionibus præscribuntur,quæ materiam earum coniunctam absumant & foras euocent. Atque hæc de remediis Chirurgicis.

Purgantia verò pharmaceutica pro humoris varietate & conditionibus variis præscribantur. Multus enim, crassus, & lentus validioris cathartici operam exposcit, saltem præparatione conuenienti prægressâ, & præmissis priùs leuioribus minoratiuis. In obstructionibus itaque istis solemus nos præparantia,incidentia,attenuantia,detergentia purgantibus blandis primùm permiscere, vt sensim & nullâ vi deturbetur portio huius materiæ per apozema aliquod, deinde validiora quædam præscribere,singulis mensibus repetenda, præparantibus semper vsurpatis, vt totam illam sentinam tandem exhauriant. V.g.

℞ Diaphœn. ʒ ß. hieræ picræ ʒ ij. cinnamom. puluer. ϑ ß. Cum saccharo, fiat bolus, quem capiat ante omnia: præmisso pridie clystere aliquo detergente laxante:qui frequenter vsurpari debet,ad molliendum,fundendum & purgandum leuiter humorem

humorem mucoſum, inteſtinorum parietibus & primis venis adhæreſcentem, niſi alui fluxus ingens obſiſtat, aliàs cùm ſit ſymptomaticus, non eſt pertimeſcendus, quia ſublatâ morbi causâ, ſimul etiam curabitur. Statim poſt purgationem ex bolo aut pilulis de agarico factam, præſcribatur tale Apozema.

℞ Rad.rubiæ maioris, acori vulgar. ireos Florent.liquirit. raſæ,apij & fœnic. an. ℥ j. corticis citri ſicci, corticis mediani fraxini, rad. cappar. & tamariſc. an. ℥ ß. Temperentur per aliquot horas in aceto leuiter conquaſſata, deinde adde foliorum betonic.abſinth.fumariæ,lupulor.betæ, mercurial.chamæpit.agrimon.fœnicul. borrag. dentis leonis, endiuiæ & cichorij, an. M.j. ſummitatum maluæ, capilli Vener. & praſſij, an. M. ß. ſabinæ P. j. ſeminum aniſi, carui & fœniculi, an. ʒ ij. ſeminum apij, lithoſpermi & melon. an. ʒ j. ß. capparum, paſſular. purgat. & cuſcutæ, an. ʒ iij. florum geniſtæ,cichor. roſar. rubearum, ſpicæ nardi, ſantali vtriuſque, & cicerum rubeor. an. ʒ j. Fiat omnium decoctio ad ℔ ij. in quibus diſſolue oxymel. ſcillit. & ſyrup. de cichor. ſimpl.an.℥ iij. Fiat Apozema clarificatum & aromatiz. ʒ j. ß. cinnamom. electi, & ϑ ij. elect. diarrhod. abbat. pro vj. aut vij. doſibus matutinis; quoniam longiore morâ & otio, eiuſmodi viſcerum infarctus ſunt expugnandi. His Apozematis finitis, repetat vſum boli aut pilularum præſcriptarum. Vel ſi mauis,eidem Apozemati incoquantur ſenæ, agarici,hermodactylorum, turpethi,& ſimilium ſufficiens quantitas, vt ſenſim & quaſi partitè eliciatur humor ille contumacius parti adhæreſcens.

Alij ad expurgandas iſtas obſtructiones, poſt conuenientem præparationem laudant frequentem vſum agarici in trochiſcos redacti ad ʒ ij. ſumpti, cui addunt ϑ j. rhab. & cinnam.ad roborationem iecoris. Quidam rad. mechoacan præcipuum hîc commodum adferre cenſent, ſæpiùs ex decocto aperiente exhibitam. Vel illius loco, ſeminis ebuli puluerem, cum pauco rheo in vino albo diſſolutum. Certè tartarum ſiue fæcem ex doliis vinariis extractam, non inualidum eſſe ad detergendos & expurgandos hoſce humores craſſos & glutinoſos experimur, cuius puluerem cum iuſculo aut decocto conuenienti, vel vino albo ad ʒ vj. præſcribimus. Vel ſi vis, fiant ſequentes pilulæ.

℞ Aloës electæ ſucco agrimon.& cichor.nutritæ ℥ j. agarici trochiſc. ℥ ß.tartari albi ʒ ij. rhabarb. puluer. & vino albo irrorati ʒ ß. trochiſc. alhandal, cinnamom. electi,ſpicæ nardi, maſtiches, macis, & ſantali citrini, an. ϑ j. Cum ſyrup. roſat. ſolut. vel oxymelite,fiat maſſa pilularum: Cuius drachmam vnam capiat bis in ſeptimanâ circa ſextam matutinam cum mediocri deambulatione. Habent enim magnâm ad iſtas obſtructiones ſoluendas vim, potiſſimùm ſi præparantia interponantur aliis diebus, videlicet Apozema præſcriptum, aut ſequens puluis.

℞ Puluer. electuar. diarrhod. abbat. cinnamom. electi, ſeminis apij,naſturtij, & petroſel. an. ʒ ij. hepatis lupi reſiccati vel præparati vt decet, roſarum rubr. ſeminis endiuiæ, pulueris liquiritiæ, an. ʒ j. foliorum ſiccorum agrimon.ſabinæ & ſecuridacæ, an. ʒ ß. ſacchari candi ad pondus omnium. Fiat omnium puluis, de quo capiat pondus aurei vnius plus minùs, pro conditione ægrotantis & humoris, manè diebus interiectis, cum pauco vino albo, decocto cinnamom. vel cicerum rubeor. Vel ſi mauis, ex iſto puluere concinnentur cum ſaccharo aquâ cichorij diſſoluto, tabellæ ʒ ij. pendentes: Sumat vnam, vt dictum, ſuperbibendo vini albi, aut aquæ agrimonij, vel decocti ex cinnamomo parum. Poſteà fortiter deambulet. Quidam addunt huic pulueri vel tabellis, præparati cum aceto chalybis pollinem, quia ſuo quaſi pondere & deterſione perfodere videtur & deturbare materiam iſtam obſtruentem. Verùm in communibus venarum obſtructionibus, vel lienis tumoribus abſumendis magis mihi probatur,quàm hepatis affectibus,ne illius ſubſtantiam teneriorem lædat. Galenus exhibet ſingulis diebus manè amygdalas amaras quinque contuſas & mixtas cum ʒ j. ſeminis apij & cumini, vt & varij trochiſci in hanc rem proſtant in officinis. Sunt qui decoctum halicacabi primas in hoc morbo tenere cenſent, poſt purgationem accommodatam, quia diureticum eſt, & iecoris robur tueri creditur Certè ſi caliditas inſignior his obſtructionibus ſit iuncta, eligenda erunt quæ mediocri ſunt temperie prædita, aut non valde calfaciunt: vt ſunt radices aſparagi,graminis,liquiritiæ,anonidis, bruſci,herbæ capillares,hepatica,taraxacon,agrimonia, cichorium, endiuia, ſemina frigida maiora & minora dicta,& ſimilia, additis etiam quæ hepar roborare poſſunt: vnde conuenientes remediorum formulas concinnabis.

Quòd ſi rebellior ſit & diuturna hæc obſtructio, non erit incommodum ex

neotericorum

neotericorum inuento, decoctum guaiacinum in aliquot dies inſtituere, non quidem ad ſudores promouendos, vix enim qui hoc morbo tenentur, ſudare poſſunt, ſed ad attenuandum, molliendum, & detergendum humorem iſtum; quæ omnia commodiſſimè hoc lignum præſtat, roborando etiam, ob aromaticam qualitatem qua præditum eſt, viſcera. In feruidiore hepatis conſtitutione, illius decocto incoquantur cichorium, endiuia, capillus Veneris, vel aquæ ex illis ſtillatitiæ permiſceantur. Si lapideſcat & ſcirrho ſit proximus humor, folia maluæ aut althææ addantur. Repetantur intereà frequenter purgantium præſcriptorum aliquot, & clyſteres accommodati. Ad molliendam etiam & quaſi liquandam hanc materiam veteres Practici exhibebant per os gummi ammoniacum aut bdellium, quod in pilularum modum concinnabant. Quæ omnia prudens & præſens Medicus moderari poterit.

Et quemadmodum internis remediis humorem iſtum expugnare docuimus; ſic etiam externa non erunt omittenda, eiuſdem facultatis participia. Ideò decoctum præſcripti apozematis vtiliſſimum erit ad fotum hypochondrij, quod illiniri poterit deinde oleo liliorum molliente, de capparibus attenuante, & de abſinthio roborante, ſimul mixtis, vel tale vnguentum concinnare.

℞ Succi cichor. & agrimon. an. ℥ iij. vini albi & aceti, an. ℥ ß. olei liliorum, de capparibus, & de abſint. an. ℥ iv. Bulliant omnia ad liquoris conſumptionem, deinde adde gummi ammoniaci & bdellij aceto ſcillitico diſſoluti, an. ℥ ß. pulueris ſeminis apij, rad. capparum, roſarum rub. ſpicæ, & ſantali rubri, an. ʒ j. ß. ceræ q.ſ. Fiat vnguentum ſæpè illinendum. Quidam ſolum ammoniacum aceto diſſolutum admouent. Sed ego roborantia ſemper miſcenda cenſeo, vt ſæpè monui, ne diſſoluatur nimiùm robur hepatis. In obſtructione aut ſcirrho lienis vel alterius partis, liberiùs agi poterit: emplaſtrum de arthanitâ cum diachylone mixtum, & paucâ ſpicâ vel cinnamomo, valde hîc eſt accommodatum.

Ex decocto etiam apozematis ſeu foliis parari poterit balneum vel ſemicupium ad fundendos quaſi & commouendos humores parti nimiùm adhærentes: Quamuis enim balneum multis in hoc caſu ſuſpectum ſit, ne videlicet liquatos ſuccos & toto corpore agitatos adducat in partem affectam; tamen hoc non erit reformidandum, bene purgato priùs & præparato toto corpore: tandemque paucâ ſuperſtite materiâ & remediis iam propoſitis frequenter repetitis maiori ex parte diſſipatâ, deinceps phœnigmis aut veſicatoriis loco affecto admotis, licebit, vt dictum eſt, reliquias in totum foras euocare & abſumere.

In ſcirrho autem ſi quidem dolorificus ſit, & non admodum renitens aut confirmatus: therapeiam tentare poteris, oppugnando materiam antecedentem reuellentibus & vacuantibus, ſi quidem adhuc quantitate aut motu peccet: ideoque leuiora purgantia eligenda pro genere humoris, quia vehementioribus conturbabis nimiùm totum corpus, materiam in locum affectum velut eius tramitem adduces, & robur partis valde deiicies. Senſim igitur & partitè agendum per ſyrupum aliquem magiſtralem, aut opiatam laxantem ſæpiùs à nobis deſcripta. Quanquam & clyſteribus valentioribus extrahere poteris frequenter, ea quæ in primis viis ſubhæreſcunt. Præparentur etiam humores digerentibus, incidentibus, attenuantibus, mollientibus & ſimilibus, quæ vſus expoſtulabit, julepis, apozematis, tabellis, & cæteris. Laudat Galenus oxymel diureticum cum decocto abſinthij & endiuiæ; decoctum hordei cum mulsâ: Nos more iam recepto talem julepum verbi gratia præſcribamus.

℞ Syrupi de pomis & violacei ad emolliendum, an. ℥ j. ſyrup. de abſint. ad roborandum, & oxymelitis ad incidendum, an. ℥ ß. aquarum agrimonij, fœniculi & hordei, an. ℥ iv. puluer. elect. triaſant. & diarrhod. abbat. an. ʒ ß. Fiat julep. pro tribus doſibus, frequenter repetendus, ſi æger hoc remedij genere oblectetur: Vel ſi vis, inſtitue Apozema ex anagallide, quam Aëtius ſummè commendat in hoc affectu. Vt

℞ Anagallidis flore purpureo cum toto M. ij ſummitatum abſint. maluæ & fœniculi, an. M ß. Bulliant in ℔ iij. aquæ hordei ad mediæ partis conſumptionem. Decoctum hoc frequenter colatum aromatizetur ʒ ij. cinnamom. electi. Capiat ℥ iv. manè per x. aut xij. dies. Quidam etiam laudant huius loco decoctum ſarſæ parillæ cum eiſdem paratum, quia reſoluit mediocriter & emollit: Alij ammoniaci ʒ j. cum pauco croco & ſpicâ in pilulas redactam, quæ oxymelite malaxentur, in tres dies circa veſperam exhibent non paruo fructu (vt ego quidem exiſtimo.) Certè Galenus in hoc affectu, & ad cauſam potiſſimùm coniunctam imperat diuretica &

lithontripti

lithontriptica, quæcumque ſcilicet lapides renibus contentos comminuere apta ſunt, & vrinas mouere. Sed hoc magnâ cautione præſtandum eſt: Nam cùm illa inſigni vtplurimùm calore prædita iſtud efficiant : ſcimus quanta hîc noxa ſubſequi poſſit ex calefacientibus vehementer, dum reſoluunt nimiùm & exſiccant : Præterea ex aperientibus iſtis adducitur plerumque materia in iſtas partes, non educitur, ſi pertinacior ſit affectus. Poteris tamen ſi voles ſequentem præſcribere opiatam, quæ ad hæc omnia reſpectus obtinet.

℞ Conſer. florum maluæ, cichor. & abſint. an. ʒ j. ß. conſeru. florum geniſtæ ʒ ß. puluer: elect. triaſant. & diarrh. abbat. an. ʒ j. ß. ſeminis apij ; lithoſpermi, agni caſti, & citri, an. ʒ j. pulueris lithontribi dicti, ſanguinis hirci præparati, & hepatis lupi puluer. an. ʒ j. puluer. liquirit. & cinnamom. interioris, an. ʒ ß. theriacæ electæ vel mithridatij in causâ frigidiore ʒ ij. Cum oxymelite vel ſyrupo conſeruationis corticis citri, fiat opiata, de quâ capiat ſingulis diebus manè ad quantitatem caſtaneæ, ſuprabibendo parum vini albi aquâ cichorij diluti. Poſteà diu & fortiter deambulet.

Exteriùs etiam incidendum, reſoluendum, molliendum, & roborandum ratione partis. In quibus cautè quoque agendum, vt diximus; ex reſoluentibus enim periculum eſt, ne tumor inſtar lapidis indureſcat & confirmetur : ex emollientibus, timendum eſt, ne partis ſubſtantia diſſoluatur, aut materia corrumpatur & in cancroſam διάθεσιν degeneret : Ideò conſulit Galenus, vt alternatis vicibus ad induratos hoſce tumores, modò emollientibus, modò digerentibus viciſſim vtamur : vel medicamentis mixtas has facultates habentibus, quod ego potiſſimùm in hepatis affectu probo. Fiat igitur ſic, ſi volueris.

℞ Althææ, maluar. liliorum & lapathi acuti, cum toto, ana M. ij. rad. ireos noſtratis & bryoniæ, an. ʒ ij. corticis citri ſicci, & rad. cappar. calami aromat & coſti, ana ʒ j. ſeminum lini, maluæ & fœnugr. ana ʒ ß. florum chamæmel. melil. ſtœchad. anthos, roſarum rubr. & ſpicæ, ana P. j. ſummitatum abſint. P. ij. Fiat decoctio, quâ foueatur hypochondrium cum ſpongiis vel philtris bis aut ter in die poſt conuenientem purgationem, & præcedentium vſum : Imò ſi volueris huius medicamenti vim altiùs penetrare: coniiciatur illius portio cum pauco aceto ſcillitico ſupra lapidem pyriten vel molarem. Excipiat fumum per canaliculum in affectam regionem. Deinde contegatur pars cataplaſmate ſequenti.

℞ Prædicti decocti reſidentiam, quæ contundatur & per cribrum tranſmittatur. Deinde adde farinæ hordei, & ſeminis lini, an. ʒ ij. farinæ fœnugr. ʒ j. pulueris ireos Florent. ʒ iij. croci & cinnam. an. ʒ j. pingued. gallinæ recentis, & medullæ cruris vituli, an. ʒ j. olei lilior. & de abſint. an. ʒ ij. Fiat cataplaſma, quod applicetur cum tenui linteolo poſt fotum: Vel illius loco fiat vnguentum ſequens.

℞ Mucilag. ſem. althææ, lini & fœnugr. in aquâ parietar. extractæ ʒ ij. gummi ammoniaci & opopanacis aceto ſcillitico diſſol. an. ʒ ß. medullæ ceruinæ aut vitulinæ, pingued. anatis, an. ʒ vj. ſpicæ nardi, cinnam. roſarum rubr. & croci, an. ʒ ß. ceræ nouæ & olei nardini (Galenus ſabinum omnibus præfert) q. ſ. Fiat vnguentum, quo illinatur per multos dies. Poſt quorum vſum, gerat ſequens aut ſimile emplaſtrum, quod longâ morâ & perpetuo contactu intentum noſtrum fortaſſe explebit.

℞ Emplaſtri de mucilaginibus ʒ iv. gummi ſagapeni, opopanacis, & galbani, ana ʒ j. ſtyracis calam. ʒ ß. farinæ ſem. lini, & puluer. ireos Florent. an. ʒ iij. croci, ſchœnant. cinnam. roſarum rubr. & ſantali, an. ʒ j. olei lilior. & terebint. q ſ. Fiat maſſa, de quâ formentur emplaſtra ſuper alutam, dictæ regioni admouenda. Sunt qui audent eiuſmodi induratis viſcerum tumoribus, emplaſtrum de Vigo cum Mercurio adhibere : Sed vide, ne ex hydrargyro noxa maior quàm commodum huic parti inferatur, quamuis in aliis magnæ ſit efficaciæ. Vbi ex confirmato iam ſcirrho imminet ſuffocationis vel hydropis metus, non timerem vſtulationes illas excitare circa illius regionem : vnde multus ichor exhaurietur, nullâ virium iacturâ : Vel cauterium cruris dextri internæ parti affigere, vt per inferiora deuoluantur. Atque hæc de obſtructionis & ſcirrhi in hepate curatione.

Digitized by Google

CAPVT VI.

De καχεξία, ἀτροφία, & χλωρώσει, seu fœdis virginum coloribus.

TRIA hæc symptomata valde inter se coniuncta,cùm plurimos quarumuis partium morbos consequantur,præcipuè tamen ipsius iecoris primariò vel secundariò affecti: vix enim fieri posse videtur, vt vel totum corpus debitâ nutritione destituatur, vt per ἀτροφίαν; vel malis humoribus impleatur, vt per καχεξίαν, quæ est via ad hydropē; & fœdos virginum colores, qui refluxum & interceptionem menstrui & conspurcati sanguinis sæpiùs consequuntur:quin princeps naturalis œconomiæ moderator labem contrahat, aliisque per totum habitum partibus communicet.De ἀτροφίᾳ igitur seu nutritionis defectu,siue sit cum febre,siue absque illâ contingat,quia fusè agitur tractatu de tabe, marcore, hecticâ febre, vel hecticâ senectutis quam vocant; ideò illius explicationem curationemque ad illa loca remittemus, ne omnia simul & vbique docere videamur. De cachexiâ autem & fœdis virginum coloribus modò agemus coniunctim, quoniam hi duo affectus in eo tantùm discrepare videntur, quòd καχεξία generalius omnem sexum & naturam occupare possit: fœdi verò illi colores peculiariter virginibus & mulieribus virili congressu abstinentibus contingere soleant.

Cachexia itaque generaliter sumpta opponitur euexiæ, quæ est bonus & laudabilis habitus,ad omnes actiones ritè obeundas accommodatissimus.Vtque εὐεξία perfecta valde sanitas omnibus suis notis est comitata, iucundo & florenti colore,iustâ corporis totius mole & firmitate:Sic καχεξία etiam in latitudine imperfectioris sanitatis,malus est habitus, virium infirmitate, corporis inutili incremento, variâ cacochymiâ,potissimùm pituitosâ, & illaudato colore descriptus, qui præter modum auctus vel confirmatus,vbi maiorem functionibus noxam intulerit,iam morbosa est & naturæ aduersa constitutio.

Dicamus ergo καχεξίαν & fœdos seu pallescentes virginũ colores esse symptomata qualitatum tam visilium quàm tactilium in toto corpore, præcipuè verò in vultu mutatarum, cum intemperie frigidiore humidioreque habitus, eiusque laxitate & quadam mollitie, virium deiectione, respirandi difficultate,& similibus accidentibus, ob deprauatæ nutritionis vitium, ex affectu iecoris primario vel secundario profectum. Quæ definitio formalem causam seu affectus naturam & speciem,partem affectam siue subiectum,propinquas causas,& præcipua effecta ritè complectitur, vt mox in causarum & signorum enumeratione clarum euadet.

Causæ enim tam primariæ & externæ, quàm internæ, multiplices & variæ huic affectui originem præstare possunt.Externæ igitur solitariæ & sine interiorum concursu fugacẽ aliquando καχεξίαν & decolorationẽ pariunt,vt in eis qui ad Lunæ radios dormierunt,vel in locis palustribus,vliginosis & conclusis, vt carceribus diutiùs decubuerunt,aut in aquâ frigidiore natârunt. Sin verò internæ etiam concurrerint, stabilẽ & maligną efficiunt,quã plurimùm, teste Aretæo,Autũnus concipit, Hyems alit,Ver auget ad extremũ,nisi illi tunc cõuenienter prouisũ fuerit;potissimùm quãdo mala alimentorũ ratio his adiuncta fuerit,quæ tantarũ est in hoc affectu producẽdo viriũ,vt in annonæ penuriâ, dum plebs promiscuis quibusque cibis vesci cogitur, ferè omnes cachectici & decolorati euadant.Quod eleganter Hippocr.de diuturno leguminũ esu,in insulâ illâ Æno,2.*&*6.*epid*.annotauit.Et quemadmodũ publica tunc necessitas miseros vrget mortales,sic etiã deprauati quorundã appetitus,vel intẽperantia potissimùm in iuuenculis tanta est,vt absonis quibusdam rebus plerũque se ingurgitẽt,vnde morbũ istum citò suscitari vidimus.Innuptæ enim virgines coloratiores,dum albedinẽ & formæ gratiam sibi cõciliare cupiũt,largo aquæ frigidæ haustu, aceti,pomorũ & similium crudorum vsu,magnam obstructionum copiam excitant, caloremque partium natiuum deiiciunt.Aliæ terram vorant,calcem viuam,gypsum, salis magnam copiam,carbones & similia:Quod etiam apud nos in puerulis tã maribus quàm fœminis sæpè conspicitur,nutricũ quadã incuriâ, vel furente corũ lasciviâ contingere: Vnde iam his regionibus καχεξία & fœdus color quasi endemia facta

facta ſunt. Non ignorauit hoc ſummus Hippocrates, qui 2. *Prorrhet. Quibus*, inquit; *colores dum iuuenes ſunt, praui ſunt ad multum tempus & continenter, non tamen ictèri modo; hi ſine viri ſint, ſiue fœminæ, dolent caput, & lapides ac terram comedunt, aut hæmorrhoidas habent.* Quibus verbis oſtendit cachexian iſtam, non ſolùm ab importuno rerum abſurdarum eſu, ſed etiam ob vacuationes vel immoderatè factas, vel omnino ſuppreſſas contingere, vt ſunt menſtrua, hæmorrhoides in aſſuetis, & ſimiles: Ex nimio enim earum fluxu, dum elangueſcit vis caloris natiui, & partes coctionibus deditæ ſuo genio defraudantur, non poſſunt laudabilem deinceps materiam conficere, quæ in corporis alimoniam faceſſat, ſed crudum & aquoſum ſuccum. Ex retentione autem earundem, ob quantitatem humorum in prædicta viſcera refluentium, ſuffocatur quaſi eorum caliditas natiua, & impellitur hæc materia quò poteſt, in habitum ſcilicet corporis, vbi pro conditione humoris, varias excitat colorum differentias, & totum corpus quaſi grandiore quadam ſarcinâ grauat, potiſſimùm verò in eis quibus eiuſmodi partes externæ molles, laxæ, & algidæ quaſi exiſtunt, vt in mulierculis aulicis vel delicatioribus, quæ otio marceſcentes aliquando, aliàs intempeſtiuis choreis vtentes ſtatim à paſtu, vel puluinaribus ſuis ſuendi causâ incumbentes, aut totam noctem ſæpè cum ſuis amatoribus peruigilantes, non ſine grauibus & diuerſis animi pathematis facillimè interiorem illam cacochymiam congerunt, quæ eſt omnis κακεξίας cauſa interior: nam eleganter dictum eſt illud, *ζωπυρήσαι ἀλλήλοις εἰς τὸ κακὸν, ἡ κακοχυμία καὶ ἡ κακεξία, mutuas tradunt ſibi operas in totius perniciem cacochymia & cachexia.* Vt enim cacochymia vetus ἕξιν immutat & labefactat; ſic firmiter fixa in corpore cachexia ἰδίῳ ἰσχυμίαν corrumpit, & ſimiles ſibi humores apponit: ita vt tandem vna alteram foueat & conſeruet.

Quæcunque igitur cacochymia intus aceruata ob intemperiem, obſtructionem, vel affectus alios interiorum viſcerum tandem refluit in habitum, eiuſque omnes partes occupat, proxima eſt & coniuncta propoſitorum affectuum cauſa. Eſt autem vtplurimùm pituitoſa, tum ob imminutionem caloris natiui, quæ frequentiſſimè hîc contingit; tum etiam quòd humores nimiâ quantitate in quibuſuis partibus collecti quaſi recrudeſcunt & phlegmatis naturam induunt: Prout tamen maior vel minor fuerit alterius humoris permixtio, ſic etiam ex albo vireſcens, flaueſcens, aut nigreſcens apparet color, potiſſimùm in vultu: qui in hoc præcipuè ab ictero diſtinguitur, quòd ictерus ſimplicem habet quaſi coloris mutationem, ex paucitate humoris; cachexia verò præter eam, etiam inflationem, ex ſuccorum redundantiâ, qui partibus nec aſſimilari, nec perfectè vniri poſſunt, vnde via ad leucophlegmatiam dicitur. Antecedentes autem, vt diximus, cauſæ pendent à κακοπεψίᾳ & vitiatis functionibus internarum partium, præcipuè verò nutritioni dicatarum, iecoris, lienis, ventriculi, necnon cordis, pulmonum, cerebri, & vteri, dum magnis intemperiebus, vt per febres pituitoſas, diarrhœas, lienterias, & ſimiles, tumoribus vel obſtructionibus diuturnis detinentur, per quas tum πέψις, tum iuſta humorum ἀνάδοσις, & ſolita ἔκκρισις impeditur: Ex eiuſmodi enim affectibus non ſolùm communicatur toti corpori labes & multitudo illius materiæ vitioſæ, ſed etiam ſanguificationis fons in conſenſum trahitur ex eiuſdem communicatione, & vaſorum impuritate, ſicque violatâ illius temperie, mala deinceps fit humorum generatio, quæ affectus iſtos auget & diuturniores efficit: Vnde Hippocrates *in Coacis*, ſanguinis corruptionem & exolutionem hîc eſſe voluit. Atque hæc de cauſis.

Signa verò in hoc affectu, non tam faceſſunt Medico negotium, vt agnoſcat illius naturam, & cauſæ continentis ſiue humoris ſpeciem, quoniã vtrumque viſui & tactui expoſita ſtatim deprehẽduntur; quàm vt interiora illa vitia, & partium primariò affectarum notas aſſequatur. Cachexian enim adeſſe teſtatur turgidula faciei cõſtitutio, cum quadam inflatione, quæ in palpebris potiſſimùm de manè viſitur, quia per noctem calor plures eleuauit vapores quàm diſſipauit. Laxitas ſumma & quaſi mollities externarum partium ex abundanti humorum copiâ, quæ ſegnitiem torporemque tam animi quàm corporis adfert, eneruato partium robore, potiſſimùm ſpermaticarum. Crurũ pedumque infirmitas cũ incipiente œdemate, quod maximè circa veſperã aut longam deambulationẽ apparet, quando humores in decliuia illa loca deuoluti fuerint. Reſpirandi difficultas cũ pulſu minutulo & frequenti, in iugularibus colli arteriis & temporum manifeſto. quem febricula aliquando comitatur, vt diximus, & ingens capitis dolor. Deficit enim iſtos ægros ſpiritus, dum progrediuntur, etiam breui confecto ſpatio, præcipuè dum ſcandunt, non tam neceſſitate inſpirandi

quàm expirandi, quoniam ex nimiâ vaporis fumidi abundantiâ, quæ lentam etiam illam febrem ſuſcitat & capitis dolorem fouet, plus eſt opus expiratione ad fumos illos excludendos, quàm inſpiratione ad ætis refrigerium. Idem dicas de pulſu, qui cùm à facultate infirmâ non poſſit commodè dilatari, defectum illum frequentiâ compenſare nititur. Neque ſudor, neque vrina ritè procedunt, aluique deiectiones modò paucæ, aliàs copioſæ, quando infirmitas partium inualuerit, niſi aliquando critica fuerit eiuſmodi excretio, quâ ægri iuuantur & leuiter ferunt. Procedente morbo infeſtant lipothymiæ, palpitationes cordis ex flatulento & crudo ſpiritu, ingentia rerum omnium, potiſſimùm cibi, faſtidia, ob *συναθροισμὸν* excrementorum in ventriculo & vicinis partibus, ſuperuenit malacia, & ſi quidem malum vires eundo acquiſiuerit, venter ſubtumidus ſit, pedumque œdemata, quæ vaga erant & diſſipabilia, confirmantur.

Quis verò humor ſiue cacochymia parens ſit & author tantorum affectuum, nõ ſolùm cauſæ omnes quæ illos in nobis procreare ſolent, ſed etiam effectus qui ad illos conſequuntur, id declarant, potiſſimùm verò coloris idea quæ in vultu efflореſcit: Etenim, vt docuit eleganter Hippocr. *τὸ χρῶμα ὅμοιον τῷ χυμῷ, ὅκου μὴ ἀμπώτις ᾖ: Color ſimilis eſt humori, niſi vbi adeſt illius refluxus.* Cùm igitur humores iſti cachexian facientes, non habeant refluxum, ſed affixi ſint iam partibus inſtar alimenti, ideò certam ſui ſignificationem dabunt Medico, ſiue pallidiorem facient defœdationem, pituitæ; ſeu vireſcentem, liueſcentem, & ſimilia, aliorum, pro variâ illius cum aliis humoribus permixtione.

Vtra verò pars huic affectui originem dederit, heparne ſcilicet ex idiopatheiâ laborans, vel ex ſympatheiâ ob alterius malè affectæ vitium, accuratè annotandum, quia hoc valde confert ad curationem. Intemperierum igitur, tumorum præter naturam, præcipuè ſcirrhoſorum, obſtructionum diuturniorũ in iecore, vẽtriculo, liene, vtero, & ſimilibus, notæ diligenter perquirendæ, ex ſignis conſuetis, quæ eleganter Galenus enumerauit: vbi enim priùs illæ apparuerint, inde etiam morbi fomitẽ proceſſiſſe credibile eſt. Quemadmodum etiam ſi cerebrum fluxionibus ſcatens, aut pulmones corrupti, tabefacti, vel malis humoribus infarcti, vitioſitatis ſuæ contagiũ, partibus nutritioni dicatis communicarint. Ex quacũque enim parte hydrops particularis ſuſcitatur, inde etiam vniuerſalis leucophlegmatia vel cachexia exoriri poſſunt Certè in virginibus iſtis crudior ventriculus ex propriâ intemperie, vel obiecti vitio, dum craſſos humores multiplicat, venas obſtruit, & vteri meatus opplet, frequẽtiſſima eſt iſtius affectus cauſa, quoniam menſtruus ille ſanguis non poteſt ampliùs commodè per dicatas à naturâ vias effluere, ſed in primis iſtis vaſis ſtabulatur & vitium facit, vel iecur impetens, illius natiuam temperiem obruit, tandemque extimas corporis regiones peruadens, ſummâ implet cacochymiâ & fœdo colore deturpat. Aliquando tamen ab ipſo vtero frigidiore, aut aliàs malè affecto propter defectum rei naturaliter appetitæ, nempe coitus, origo eſt iſtius affectus: quod in ſingularum partium morbis & ſignis accuratiùs tractatur.

Nos igitur de prognoſi illius pauca proponamus; omnem ſcilicet nutritionis deprauationem aut imminutionem, quæ potiſſimùm ex vitio partis principis per idiopatheian aut ſympatheian laborantis acceſſerit, malam eſſe & lethalem, niſi maturè ei prouiſum fuerit, ac proinde deploratum ferè hydropem accerſere Minus tamen malum eſſe, prout à parte minùs nobili & ad vitã neceſſariâ inceperit, ideoque fœdos illos colores, qui vteri vitia & obſtructiones conſequuntur, niſi inueteraverint, & in hecticam diſpoſitionem tranſiuerint, facilè curari. Aliàs verò multas in mortem & lethaliſſimos affectus præcipitare, aut ſaltem ſterilitati perpetuæ addicere: iuuenes autem faciliùs euadunt ſenioribus, ſi cauſarum adſit æqualitas, quia habent illam caloris *ἰλυάμων*, ſiue *ἴκελαμψιν*, vt loquitur Hippocrates, per quam euictâ præſente cacochymiâ, ſopiti ignes natiui tandem ſuſcitantur, reuiuiſcunt, atque dant clara incendia lucem. Certè mulieres, quæ diutiùs hac fœditate laborarunt, infirmam vtplurimùm prolem & parum vitalem ſuſcipiunt, potiſſimùm primis partibus, donec tota illuuies expurgata fuerit. Nec vnquam perfecta ſanatio adeſt, quamdiu in viſcere aliquo infarctus, aut vetus intemperies ſentitur. Calamitoſa eſt illa affectio, quæ cor plurimùm impetit. quoniã collabente vitali facultate, radij illi ſpirituum influentium non ampliùs affulgent, quibus circumiecta prauorum ſuccorum & vaporũ nebula diſcuti deberet. Mala etiam illa, quæ firmiter habet radices ſuas in ventriculo fixas, cum ingenti faſtidio, vel abſurdo rerum alienarũ appetitu, quia perpetuò cacochymiæ iſtius cauſam multiplicant. In mulierculis maxima ſanationis nota eſt ac

ſpes

ſpes in adultis, quando menſes denuò certas ſuas periodos obtinent, iuſtáque quantitate ac natiuis qualitatibus prædíti effluunt. Iam igitur ad θεραπείαν accedo.

Summa curationis hæc eſto; Cauſas omnes externas, quæcunque huic affectui originem dederunt, remouere, vel in conuenientem ſtatum permutare: internam verò cacochymiam, vbicunque latitarit, conuenienter educere, & ſi quidem ex ſuppreſsâ vacuatione aliquâ ſolennî inceperit, eam denuò reuocare. Viſcerum internorum, potiſſimùm iecoris & ventriculi, intemperies, obſtructiones & ſimiles affectus curare, eorúmque robur tueri: aut ſi alterius primariò affectæ ſuſpicio fuerit, quæ aliis iſtam labem communicarit, eius diligentem habere rationem: Materiam denique in habitu corporis contentam digerere, & frigidiorem humidiorémque illius δυσκρασίαν corrigere, vtque ſymptomatis cuiuſdam maior erit vehementia, illius mitigationi conuenienter indulgere, non neglectis aliis. Ratio igitur cauſarum externarum prius habeatur, per exactam victus rationem, quæ ſic præſcribenda erit.

Comparentur res illæ omnes non naturales dictæ, vt ad caliditatem quandam ſiccitatémque vergant, & præſenti cacochymiæ nullo modo faueant. Ideò aëris ſtatus ad tenuitatem & puritatem vergat, ſítque ſolito calidior. Hoc enim certiſſimâ experientiâ comperimus, in eiuſmodi cachexiâ aut fœdis mulierculatum coloribus curandis, plus profici æſtatis tempore per vnam aut alteram ſeptimanam, quàm aliis temporibus per plures menſes, & multas earum æſtate degere ſatis commodè, cùm deinde ſequentibus menſibus grauiter ſe habeant: Imò etiam quæ loca niuoſa, paluſtria, vliginoſa, aut alio modo frigidiora & humentia incolunt, vix perfectè curari, niſi ſe in alienum ſolum commodius transferant. Ideò etiam labor & exercitatio mediocris illis confert in principio; nam ex vehementiore incidunt in magnas reſpirandi difficultates & lipothymias; progreſſu tamen temporis, vbi iam inclinat affectus, diu & fortiter ſe agitare prodeſt, ad effundendos influentis caloris radios per totum corpus, & diſſipandas cacochymiæ reliquias. Cui etiam rei auxiliantur totius corporis frictiones aſperiores manè in lecto celebratæ deorſum verſus. Eſt etiam exercitationis iucundiſſimæ genus, quod nubilibus puellis & mulierculis valde conducit, dum iam conualeſcunt, nempe virilis congreſſus: ex eo enim commodè incaleſcunt, iucunditate perfunduntur, & ſuccedente partu ab impurioribus iſtis ſuccis per lochia expurgantur, obſtructionibúſque liberantur. Non tamen iungendæ ſunt viro, quando valde conflictantur hoc morbo: Nam multas ex importuno eiuſmodi coitu, aut certè imprægnationis moleſtiâ & inſueto labore interiiſſe certiſſimum eſt. Viris autem cachexiâ laborantibus, coitus omnino noxius ob maiorem refrigerationem quæ ſubſequitur, virium languorem, & materiæ vtilis excretionem. Sit etiam modus vigiliarum, vt & ſomni, cui valde addicti ſunt eiuſmodi ægri, ob vaporum copiam primi ſenſorij ductus occupantium. Summâ rerum tranquillitate, & animi paſſionum curarúmque vacatione, quantum fieri poterit, fruantur: quibus facilè infirma corpora debilitantur. Vacuationes ordinariæ alui, & veſicæ procurentur, tum alimentorum genere, tum remediis poſteà proponendis.

Præcipua autem cura adhibeatur in alimentis ritè præſcribendis. Vitent igitur omnia δύσπεπτα, ne maiorem operam faceſſant hepati & ventriculo debilitatis: cacochyma etiam, potiſſimùm ea quæ ſymbolum habent cum genere cacochymiæ dominantis: frigidáque & humida, ne crudorum ſuccorum copia multiplicetur. Itaque abſtineant potiſſimùm ab oleribus crudis, fructibus ὡραίοις recentibus, lacticiniis omnibus, piſcibus & ſimilibus. Aquæ puræ potum velut noxium vitent, omnémque liquidorum copiam, præcipuè quando iam in ventre fluctuatio, aut in extremitatibus magna œdemata apparent. Acetum inter alia, quod eiuſmodi virgines valde appetere ſolent, maximè illis eſt noxium, quia deiicit robur caloris natiui, & cruditates iſtas in habitum penetrare facit. Vtantur itaque pane recenti, biſcocto, aut ſaltem aniſato, vino tenui & generoſo, aut ſi ſint abſtemiæ, decocto cinnamomi, coriandri, aut bocheto ex ſarſa parillâ parato: fructibus ſiccis; carnibus delicatioribus, aſſis aut elixis, cum maioranâ, menthâ, ſaluiâ, hyſſopo, petroſelino, & ſimilibus: capparum, oliuarum, fœniculi marini conditorum frequens ſit vſus inter fercula ad aperiendum & incidendum, niſi ſumma ventriculi infirmitas obſtet. Sit etiam moderata cibi potúſque quantitas, ne multitudine ſuâ prauorum iſtorum ſuccorum copiam augeat, vel defectu vires nimiùm deiiciat. Imprimis autem fugiant abſona illa quorum deſiderio tenentur: vbi enim primùm

appetitui huic inordinato dominari poterunt, ſignum eſt naturam victricem eſſe cacochymiæ, & omnis augendi iſtius affectus occaſio præciditur: Ad maiora ergo remedia veniamus.

Quotieſcunque cachexia iſta recens eſt, pendétque à cacochymiâ quadam plethoricâ, vel vacuationibus ſanguinis per nares, vterum, aut hæmorrhoidas ſuppreſſis: toties tundi poterit vena illa quæ minuendis hiſce humoribus, vel renouandis illis vacuationibus erit accommodatior, habitâ ratione vitium, ne ſcilicet per eiuſmodi ſanguinis miſſionem, nimium fiat illarum diſpendium. In virginibus tamen defœdatis confidentiùs agendum, quoniam florens earum ætas, & regurgitantis ſanguinis copia, qui frequentiſſimè hæmoptoas vomitúſque ſanguinolentos parere ſolet, non ſolùm phlebotomiam ſemel, ſed & ſæpiùs repetitam tolerare poteſt ex vena cubiti ad tollendam plethoram, & venis vtriuſque malleoli circa nouilunia, vt renouetur vel incitetur fluxus ille muliebris. Quinetiam affixis hirudinibus, cucurbitulis, ſcarificationibus, & ſimilibus, variis corporis partibus licebit aliquando idem præſtare. Certè in affectu inueterato & iam grandioris ætatis mulieribus, admota cruribus cauteria non leue auxilium ſæpiùs attulerunt, ad vacuandam ſenſim & deriuandam mali iſtius cauſam. Si verò capitis, pulmonum, vel aliarum partium vitia primaria huic ortum dediſſe videantur, licebit eodem modo opem iſtam Chirurgicam locis accommodatis reuellendi causâ adhibere.

Quod ad pharmaceutica verò ſpectat, quæcunque cachexia cùm ſoboles ſit cacochymiæ, vt iam diximus, ſimplicis vel mixtæ, adhibenda erunt in primis purgantia, eáque valentiora aut benigniora frequenter repetita, cum debitis præparantibus, pro modo & naturâ redundantis ſucci. Cachexia igitur ſimpliciter pituitoſa, cùm via ſit ad hydropem anarſarcam, eâdem ratione quâ & ille curabitur, adhibitâ diligenti conſideratione, cuius partis adſint obſtructiones, vel intemperies inſigniores, vt illæ conuenienter tollantur, quemadmodum iam ſuperiùs accuratè diximus: præcipuè autem in quauis cachexiâ electarium illud de paſſulis à nobis deſcriptum vſurpari debet. Subiiciamus ergo exempli causâ curationem integram cachexiæ iſtius & fœditatis muliebris, quia & frequenter apud nos occurrit, & non paruam adfert Medico bene curanti laudem & emolumentum.

Cùm igitur ſupponantur hîc obſtructiones viarum, potiſſimùm ad vterum pertinentium, ſuppreſſio vacuationis hyſtericæ, & redundantia crudorum ſuccorum bilioſo varij generis permixtorum, vnde diuerſitas coloris: ideò quacunque anni tempeſtate in iſtas ægras incideris, cogitandum de ſolutione tanti affectus, & ſymptomatum conſequentium mitigatione: Commodiùs tamen perficietur, ſi verno tempore aut æſtate illam aggrediaris, hoc modo nobis vſitatiſſimo.

℞ Foliorum betæ, mercurialis, agrimonij, matricar. abſinth. & maluar. an. M. ij. ſeminis aniſi & fœnugr. an. ʒ iij. furfuris bene macri, florum chamæm. ſtœchad. & anthos, an. P. j. Fiat omnium decoctio ad ℔ j. ß. In quâ diſſolue hieræ picræ & bened. laxat. an. ʒ vj. olei liliorum & mellis mercur. an. ℥ ij. Fiat clyſter, qui iniiciatur ante omnia, & frequenter repetatur. Emollit enim, deterget, aperit & laxat ductus illos inteſtinis proximos, vnde magnum emergit ægrotanti commodum. Deinde ſequenti die capiat bolum ſequentem.

℞ Benedict. laxat. & diaphœn. an. ʒ ij. ß. puluer. hieræ ʒ ß. ſyr. de artemiſiâ parum, cum ſaccharo fiat bolus. Capiat manè. Vel illius loco, ſi quidem forma ſolida diſpliceat, paretur potio.

℞ Elect. diacarth. ʒ vj. ſyr. de artemiſiâ ℥ j. decocti abſinth. mercur. & foliorum ſenæ ℥ iv. Detur vt dictum eſt. Hac enim minorante purgatione, ſublatâ ventriculi & aliorum abdomine contentorum viſcerum impuritate, licebit tutiùs venam cubiti ſecare, ſi quidem id ex vſu videatur; variáque ſanguinis quantitas elici, pro ægrotantis naturâ & humoris dominio. Deinde paretur ſequens Apozema, quod aperiendi, detergendi, molliendi, & purgandi facultate præditum, omnes ferè propoſitas intentiones aſſequetur.

℞ Quinque rad. aperitiuar. in vino albo per noctem infuſ. an. ℥ j. rad. rubiæ majoris, ireos noſtrat. corticis citri ſicci, rad. cappar. & tamariſc. an. ʒ vj. foliorum beton. meliſſæ, artemiſ. matricar. nepetæ, valerianæ, ceterach, agrimon. chamædr. chamæpit. an. M. j. ſummitatum abſinth. Pont. foliorum dictamni, & ſabinæ, an. P. j. polypod. quer. & medullæ ſem. carrham. an. ℥ j. ß. foliorum ſenæ ℥ ij. hermodactyl. ʒ vj. ſemin. carui, dauci, & apij, an. ʒ iij. ſpicæ nardi ʒ ij. florum ſambuci,

ſambuci, ſtœchad. anthos, tamariſc. & geniſtæ, cicerum rubr. an. P. j. Decoquantur in hydromelite, & in colaturæ ℔ j. ß. diſſolue ſacchari albi q. ſ. cinnam. tenuiter puluer. ʒ ij. Fiat Apozema clarum pro 5. doſibus matutinis.

In quarum vltima diſſolue elect. diacarth. ʒ vj. ſyr. cap. Vener. ℥ j. Fiat potio. Detur manè cum cuſtodiâ. Deinde per aliquot dies ad recreandum ventriculi robur, capiant manè duo cochlearia vini aut ſyr. de abſinth. vel ʒ iij. tabellarum elect. aromat. roſ. ſuprabibendo parum vini albi, aut aquæ meliſſæ ℥ ij.

Ex deſcriptione iſtius Apozematis, auctâ doſi purgantium, fiat ſyrupus magiſtralis, de quo capiat ℥ iij. cum decocto cicerum rub. foliorum petroſel. croci & cinnam. ſemel aut bis in menſe: Vel illius loco paretur opiata ſequens.

℞ Elect. de citro ſolut. & diacarth. confect. hieræ, (quæ in hoc caſu valde commendatur,) an. ℥ j. ß. cathol. & diaprun. ſolut. an. ℥. j. folior. ſenæ mundat. & hermodact. an. ℥ ß. agarici recenter trochiſcati ʒ vj. rhabarb. puluer. & tartari albi, an. ʒ ij. ſpicæ nardi & ſem. apij, an. ʒ j. Cum ſyr. de artemiſ. fiat opiata, de quâ capiat ℥ ß. cum ſaccharo vel puluere ducis in formam boli concinnatam, bis in menſe, aut diſſolutam prædicto decocto.

Quidam vomitus ante cibum conſulunt, ex infuſo rad. raphani in oxymebite, quod non eſt reiiciendum in aſſuetis potiſſimùm & eis quæ circa ventriculum magnas haſce impuritates colligunt: In aliis pilulæ vſuales præſcribi poſſunt, quas ante cibum vocamus.

Peractâ ſolenni illâ vel iteratâ purgatione, ſolemus nos ad laxandas omnino vias, molliendam fundendámque materiam obſtructionis, & digerendos humores in habitu contentos, præſcribere balneum ſequens circa Majum aut Iunium menſem.

℞ Rad. bryoniæ, iridis hortenſis, cucumer. agreſtis, an. ℔ ij. rad. enulæ camp. althææ & lilior. an. ℔ j. folior. meliſſæ, praſſij, abſint. tanaceti, matricar. artemiſ. parietar. mercurial. cum toto, ſummitatum lauri & hederæ, an. M. iij. ſeminis fœnugræci leuiter contuſi & melonum, an. ℥ iij. Decoquantur pro balneo, quod ingrediatur tepidè, & ſine ſudore aut certè leuiuſculo, manè & veſperi per biduum.

Sequenti die poſt multam deambulationem, aperiatur vena malleoli vtriuſque circa meridiem, & mittantur ſanguinis ℥ iij. vel iv. tantùm, quia hoc frequentiùs repetendum.

Interea ſi rebellior ſit obſtructio, & cachexia ex illâ genita, repetantur purgantia ex ſyrupo magiſtrali, vel opiatâ: præparantia, roborantia, tam interna quàm externa.

Ad diſſoluendas itaque pertinaciores haſce obſtructiones, ſolent noſtri electarium illud aut tabellas de chalybe frequenter vſurpare: ſed ego malim in formam pulueris præſcribere, vt meliùs penetret, nec tantum ventriculo negotium faceſſat.

℞ Cortic. med. rad. cappar. ℥ j. ſeminis dauci, acetoſæ & apij, an. ʒ iij. pulueris elect. diarrhod. ab. & cinnam. electi, an. ʒ j. ß. ſpicæ nardi ʒ ß. limaturæ chalybis cum aceto præpar. ʒ ij. ſacchari duplum pondus. Fiat omnium puluis, de quo capiat manè cochlear vnum, ſuprabibendo parum vini albi, vel aquâ meliſſæ diluti, continuando per 8. aut 9. dies, & fortiter deambulando. Mulierculæ noſtrates ʒ j. limaturæ diuidunt in ſeptem partes, & cum pauco melle mixtam, totidem diebus manè exhibent. Empirici verò crocum Martis, quaſi ferri puluerem dicas, ad hoc valde commendant: Alij verò ſic præſcribunt.

℞ Boracis naturalis ʒ j. ß. cinnam. ʒ ß. croci gr. v. ſacchari ʒ ij. Fiat puluis, qui ſumatur cum vino albo aquâ matricariæ diluto: continuetur per tres aut quatuor dies. Alij verò ſic.

℞ Succi mercur. & mellis deſpum. an. ℥ j. ſeminis nigellæ puluer. ʒ ij. Decoquantur ad ſufficientem craſſitiem vt fiat maſſa: De cuius ʒ j. fiant pilulæ v. Capiat duas in ingreſſu lecti per aliquot dies.

Alij parant conſeruam ex floribus calendulæ, cuius ʒ j. ß. exhibent manè cum decocto vel aquâ aliquâ aperiente.

Alij verò exhibent panis torrefacti fruſtulum, cum ℥ ij. veteris omphacij, quod mihi non probatur, metu refrigerationis nimiæ ventriculi.

Sin hæ remediorum formulæ non ſatis arrideant, paretur decoctum tale in plures dies vſurpandum: Eligantur teneriores radices apij, fœniculi & petroſelini, ſuo cortice

cortice & neruo liberatæ: folia agrimon. pimpinel. fœnic. maluar. capilli Vener. puleg. & hyſſop. ſemina melonum & apij, cum pugillo aliquo cicerum rub. capparum recentium, & pauco croco ac cinnam. Decoquantur iſta per ſe, vel pro delicatioribus cum pullo gallinaceo aut columbino, addendo modicum ſalis. Capiat manè, & horâ tertiâ vel quartâ pomeridinâ in plures dies.

Ex eodem decocto vel deſcriptione apozematis aut balnei, fiat fotus ſupra totum ventrem inferiorem ad molliendam incidendámque materiam iſtam obſtruentem, ductúſque laxandos & aperiendos, deinde inungatur oleo de capparibus, liliorum, & de abſint. ſimul mixtis: Vel etiam magis appropriatæ inunctiones parentur, prout pars hæc vel illa præcipuè affecta apparebit.

Quoties verò diuturnior cachexia redundantes excitauerit in corpore ſuccos, qui purgantibus hiſce, alterantibus & roborantibus non facilè cedunt, ſed firmiter in habitum corporis fixi ſunt, toties licebit, rectè priùs præparato corpore, iſtam cacochymiam per ſudorifica euocare. Quamuis enim aliqui exiſtiment in affectu iſto virginum ſeu muliercularum non eſſe prouocandos ſudores, quia eripiunt materiam ferоſam quæ debet eſſe vehiculum fluxuri ſingulis menſibus ſanguinis: Non eſt tamen exiſtimandum, quin eductis humoribus iſtis, quibus velut immenſo quodam pondere natura grauabatur, liberior ſit deinceps futura ad vacuationes ſolitas promouendas, quibus etiam conueniens ſuppetet materia, ex rectâ & laudabili coctione reſtitutâ.

Nos itaque conſulere ſolemus hiſce mulieribus, vſum balneorum noſtrorum Belilucanorum, tam potu quàm lotione. Potu enim aquæ iſtius copioſiore, iam quodammodo expeditis & liberatis viis per dicta remedia, detergitur excluditúrque materia in primâ & ſecundâ corporis regione contenta per alui fluxum, & vrinæ maximum fluorem. Tertia verò regio copioſis ſudoribus excitatis etiam depletur.

Horum defectu poſſunt ſtuphæ ſiccæ ſiue laconica: aut humidæ ex decocto herbarum nerualium & hyſtericarum, vt artemiſ. nepetæ, tanaceti, ebuli, ſaluiæ, hyſſopi, lauri, lauendulæ, roriſmarini, & ſimilium, quibus ſudores commoueantur benigniùs & abſque magnâ virium diſſipatione.

Vel ſi mauis, inſtituatur decoctum ſudorificum in plures dies ex rad. chynæ, aut ſarsâ parillâ, in ſiccioris calidioríſque temperamenti ægris: In aliis verò ex ligno guajacino, quod potenter calfacit, exſiccat, mollit, & attenuat. Redeundum deinde ad ea quæ peculiariter ductus vteri aperire poſſunt & viſcerum temperiem reſtituere. Vnde multi theriacam veterem, mithridatium, & auream Alexandrinam hîc plurimùm commendant, quibus ego hyemis tempore potiſſimùm exiſtimo eſſe vtendum ſolis, vel ita permixtis.

℞ Theriacæ veteris & electæ ʒ iij. aureæ Alexandr. ʒ ij. confect. alkerm. & de hyacint. an. ʒ j. cinnam. electi, pulueris elect. aromat. roſ. & ſeminis apij, an. ʒ. ß. Cum ſyrupo conſeruat. cortic. citri, fiat opiata, de quâ capiat ad quantitatem caſtaneæ ſingulis diebus manè, ſuprabibendo parum aquæ abſint. vel meliſſæ; quando ſcilicet non vtetur opiatâ laxante, vel alio purgantis medicamenti genere. Proſtant etiam in quibuſdam Officinis confectiones dialacca, diacucurma, pliris archonticon, & ſimiles, ad obſtructiones iſtas vterinas καχεξίας parentes diſſoluendas inſtitutæ. Quæ omnia contrario modo erunt præſcribenda, quoties mulierculæ iſtæ ex nimio menſium profluuio in tales cachexias inciderunt, aut profluentibus nimiùm hæmorrhoidibus, quorum ſuppreſſioni artificioſæ erit ſtudendum, vt ſuis locis traditur. Idem dicas de febre vehementiori, quoties illi coniuncta fuerit, quæ maximè inuertit legitimam curationem.

Quod ad reliqua ſymptomata ſpectat, quibus eiuſmodi ægræ ſolent torqueri, vt ſunt cordis palpitatio, lipothymia, reſpiratio difficilis, dolor capitis, appetitus deprauatus, crurum inflatio, infirmitas, & ſimilia, illis ritè proſpiciendum, prout ſingulis & appropriatis capitibus docetur.

Vbi valde vrget lipothymia, melancholia, & cordis tremor, vtantur confectione alkermes cum vino, tabellis diamargaritonis, aquâ cœleſti vel imperiali, ad diſſoluendos flatus illos craſſiores, vel puluis garyophyllorum & macis diſſolutus cum aquâ meliſſæ frequenter exhibeatur. Suſpendatur ſupra regionem cordis ex collo nodulus camphorâ plenus, quæ ad hoc plurimùm valere creditur. Applicetur cordi ſacculus puluere diamoſchi, ſantalorum, granorum kermes, corticis citri, garyophyllorum, & ſimilium plenus, vino aut aquâ bugloſſi irroratus; Vel inungatur dicta

dicta regio confect. alkermes, & theriacâ aquâ imperiali diſſolutâ, & quoties magis infeſtabit hoc ſymptoma, ſoluatur venter clyſtere vel ſuppoſitorio acri, fricentur crura & coxæ duriter, ipſíſque hypochondriis cucurbitulæ aliquot affigantur.

Ad deprauatum vel imminutum appetitum, nihil eſt præſtantius, quàm ſi vtantur frequenter horâ vnâ ante cœnam pilulis ex aloë, agarico, nuce moſchatâ & maſtiche cum aquâ menthæ confectis: manè verò ſyrupo vel vino de abſinth. Extrà autem inungatur ventriculus cerato ſtomachico dicto, vel oleo nucis moſchatæ.

Hæc igitur de curatione *καχεξίας* iſtius muliebris, ſiue *χλωρόσεως* ſufficiant.

CAPVT VII.

De Ictero flauo & nigro.

CVM talis in cute, potiſſimùm verò in vultu color ſoleat efflorescere, qualis eſt humor in corpore redundans; hinc faciei colores varij in diuerſi temperamenti hominibus annotantur, non ſolùm naturales, ſed etiam extranei ac præter naturam. Ex ſanguine enim multo, eóque feruidiori & iam externis partibus affixo, exultat color ille ruber intenſus cum quodam liuore & faciei puſtulis, quem Practici noſtri *Guttam roſaceam* vocant: ex pituitâ verò palleſcens aut plumbeus, vnde cachexia ſimplex vel compoſita: ex bilioſi verò vel melancholici effuſione in habitum corporis, exoritur flaueſcens & nigreſcens icterus, de quo iam eſt nobis propoſitum agere.

Icteri itaque nomen, quod vſitatum eſt magis hunc affectum ſignificare, & icteritia barbaris dicitur, varia & diſcrepans eſt Autorum ſententia, vnde potiſſimùm ſit deriuatum: Alij enim ad auem quandam, vulgò galbulam dictam, & rufo colore præditam referunt. Alij ad miluum, qui *ἰκτῖνος* Græcis appellatur; quidam ad viuerram ſeu muſtelam agreſtem, quam *ἰκτίδα* dicunt, quòd vtrumque animal oculos felleo colore & auriginoſo tinctos habeat: vnde etiam hic affectus aurigo dicta ab auri colore, qui in metallo, quamuis ſit laudatiſſimus, in homine tamen fœdiſſimus habetur. Vnde etiam patet, icterum ſimpliciter dictum, de flauo ſeu citrino eſſe audiendum, cum niger non niſi per adiectionem & quandam ſimilitudinem intelligatur. Arquatus verò ſeu arcuatus, non tam ſimplicem icterum flauum aut nigrum denotat, quàm mixtum ex multis coloribus, quem vulgò vireſcentem appellant, & quia inſtar iridis ſeu arcus illius cœleſtis, mille trahit varios aduerſo Sole colores. Quod verò Regium hunc etiam morbum dicunt, non tam referendum eſſe puto, ad id quod plerique cenſent, nempe quia delicatè & regio more ſit tractandus, &, vt ait Serenus, *Molliter hic quoniam celsâ curandus in aulâ*; aut quòd mulsâ iuuetur, quæ magnatum Regúmque fuit olim potus, vt ſcripſit Varro, quàm quòd Principibus & magnatibus viris plerumque contingere ſolet, vtpote cholericis & bilioſo ſucco plurimùm abundantibus: Vel etiam quod hoc morbo detenti, inſtar Regum aut Principum valde iracundi & moroſi eſſe ſoleant. Atque hæc de affectus iſtius appellatione.

Quod ad rei autem naturam ſpectat, cùm vtriuſque icteri ratio potiſſimùm conſiſtat in coloris ſenſibili mutatione, quæ ſequitur diffuſionem præter naturam ſucci bilioſi aut melancholici verſus cutem: Ideò hunc affectum ſub ſymptomatis tertij generis collocabimus, qualitatis ſcilicet viſilis, quam eiuſmodi excreta, actionum læſiones, & varij morbi producunt, vt poſteà dicemus. Sit igitur icterus qualitas viſilis ſeu color præter naturam mutatus ab expanſione bilioſi vel melancholici ſucci in habitum corporis, ex quo flaueſcens, liuidus, aut virore præditus euadit. Dicimus enim icterum eſſe qualitatem viſilem ſiue colorem præter naturam mutatum, quoniam eiuſmodi affectus debet perpetuò naturalem conſtitutionem coloris immutare: Sequitur enim inordinatam humorum vitioſorum non alimentariorum generationem vel expurgationem, quæ cùm de-

Digitized by Google

beat per loca conferentia & naturæ assueta fieri, in externas corporis partes, alicuius morbi aut naturæ coactæ impetu transmittitur : In eis autem qui naturaliter colorem habent faciei nigricantem, vel ad citrinum vergentem, non dicemus adesse ictterum, quia eiusmodi constitutio ab humoribus ingenitis & alimentariis pendet, ex quibus natiui isti colores oriuntur. Dicitur autem qualitas mutata seu affectus corporis simplex, nempe symptoma tertij generis, quia fit à morbis quidem præcedentibus & subsequentibus, sed intermediis perpetuò aliis symptomatis, nempe actionum læsione & vitio excretorum, quæ secundarium hoc symptoma producunt. Est enim color duplici ratione symptoma, & quia non habet διαθεσιν seu dispositionem quæ permanere possit, remoto humore illo à quo proximè fit, sed ab eo totus dependet, & quia per se nullam lædit corporis operationem vel similarem vel organicam. Similares enim à temperamento & primarum qualitatum ἐνεργείᾳ proficiscuntur. Organicæ verò ex debitâ compositione & structurâ dissimilarium partium, non autem à coloribus. Quamuis enim color hic ictericus videatur visionem deprauare aliquando, dum obiecta visilia inficit, & talia apparere facit, qualis est tunicæ corneæ supra pupillam positæ color : quia tamen hæc læsio accidit in oculo peculiariter, non in aliis partibus simili colore imbutis ; vel quia hoc non fit principaliter à colore, sed dependenter, ob humorem scilicet & intemperiem impressam, quæ eiusmodi colorem fouet ; ideò illum perpetuò inter symptomata referemus, quandoquidem symptoma alterius symptomatis causam esse nihil impedit, dummodò id non sit primò & principaliter vel initiatiuè, vt loquuntur nostri Barbari. Videamus igitur, quis sit modus generationis icteri, vt inde meliùs omnium causarum illum producentium series eluceſcat. Diximus itaque ictterum fieri per expansionem vitiosi succi in habitum, hoc est, per viam fluxionis, non congestionis. Quamuis enim aliqui existiment, partes externas aliquando ita esse intemperatas, vt propter intensum calorem exurant materiam alibilem, quæ ad illas accedit, ibíque succum atrabilarium vel bilioſum congerant ; tamen vix videtur possibile, aut certè valdè rarum, totum corporis habitum ita inflammari, vt inde fiat bilioſi succi vel atrabilarij prouentus sine vitio partium internarum, quæ propriè à naturâ coquendis gignendísque humoribus dicatæ sunt. Ideóque calor ille qui in externo habitu aliquando reperitur, potiùs confert ad attractionem materiæ istius bilioſæ, fluxionémque augendam vel excitandam, quàm ad eius congestionem.

Verùm dicet aliquis, cùm bilioſus & melancholicus succus per ictteros transferatur à vasis maioribus, vel ipsis viscеribus in habitum corporis siue cutem, cur dum transit ac mouetur, non excitat rigorem, perculsis partibus illis & inæqualiter affectis, quemadmodum fit in intermittentibus febribus. Vel etiam conuulsionem non parit, pungendo tendinoſas neruoſásque partes musculorum, per quas etiam diffunditur ? Præterea cùm est in ipso habitu vel cute, cur non profert ibi erysipelata & inflammationes, vel etiam herpetes ? Aut certè cùm non sit expers aliquando putredinis, potissimùm si succedat febribus continuis, cur non excitat intermittentes tertianas, vel quartanas, quarum sedem ipse Galenus in externo corporis habitu, veníque minoribus esse voluit ? Denique, cùm ictterici multi, tales per multos annos esse perseuerent, quorum tota tunica & subiecta caro imbuta est bilioſo hoc humore, quî fit quòd pili eiusmodi ægrorum non saturantur rufo vel nigro colore, quemadmodum in vitiliginis speciebus contingit pilorum naturam immutari ? Hæc igitur videntur paucis dissoluenda priusquàm vlteriùs progrediamur, tum quia non paruam possunt tractationi nostræ obscuritatem, & Medici animo ambiguitatem adferre ; tum quod ad naturam icteri, eiúsque generationem clariùs intelligendam non parum conferunt.

Ad primam itaque difficultatem enodandam, sciendum est, rigorem non solùm in intermittentibus, sed etiam continuis contingere, quando pungens & mordax succus confertim & inæqualiter per partes sensiles delatus, calorem natiuum ita afficit, paroxysmi horâ aut instante crisi, vt veluti coactus & ad interiora repulsus, magno conatu istius materiæ expulsioni incumbat. Cùm igitur ictterus aliquando per febres continuas symptomaticè, aliàs criticè contingat, dum materia propellitur in habitum, si quidem confertim illud fiat & magno impetu, tunc rigorem ictteros istos præcedere nihil vetat, quemadmodum sudorem & alias vacuationes criticas, quarum προόδους esse solet plerumque, vt patet ex Aphorismis quàm plurimis. Sin verò sensim & paulatim fiat, quia materia illa transfertur per partes insensiles,

nempe

nempe venulas, quæ cacochymiam iſtam eructant extremis ſuis orificiis in partes ſibi vicinas, ideò non fit tanta illarum alteratio, vt rigorem producere poſſit; ſed tantùm veluti puncturæ & morſus pulicum ab ictericis perſentiuntur. Ideóque etiam conuulſiones non patiuntur, quòd materia iſta non tam neruoſam tendinoſámve ſubſtantiam interiùs inuadat, quàm extimas corporis partes ſuâ leuitate & tenuitate, naturæque foràs propellentis impetu aſſequatur. Imò etiam in ipsâ cute & ſubiectis partibus ita diſpergitur, vt eryſipelata, inflammationes, aut herpetes parere non poſſit; multo præterea ſero diluta quodammodò refrigeratur & pituiteſcit, vt ſit omnis ferè φλογώσεως expers. Aut certè quia non eſt coadunata vis iſtius ſucci, ſed diffuſa & veluti ſeparata per totum corporis habitum, ibi facillimè difflatur, magiſque refrigeſcit, ideóque non eſt tanta, quæ propoſitos affectus efficiat. Quemadmodum neque tertianam, aut alias intermittentes febres, quarum putredo inſignis eſſe debet, vt vapore ſuo cor ipſum impetat & inflammet: Non enim voluit Galenus, materiam intermittentium febrium totam in habitu eſſe & ibi putreſcere, ſed coniunctam paroxyſmi cauſam tunc temporis eò transferri ex minerâ putredinis ſuæ, quæ in interioribus poſita eſt, & eò delata excluditur, vt periodon ſuam perficiat: hîc autem vapor aut nullus eſt, aut extrorſum effertur.

Cur autem icterici diu perſeuerantes non mutent pilorum colorem, quemadmodum contingit in vitiligine & diuturnis aliis affectibus cutaneis, hæc eſſe poteſt ratio, quia fuliginoſus ille vapor, ex quo pili ſuſcitantur, procedit non ab excrementitio & aliunde prolapſo humore, ſed potiùs alibili & partibus appoſito, in cuius reliquias natura digerendo concoquendóque procedens, exſuſcitat eiuſmodi materiam, illorúmque radicibus apponit: modò cùm humor iſte ictericorum, neque ſit alibilis, neque in eum natura concoquendo procedat; ſed veluti derelictus ſit ab illius regimine, ideò non poteſt pilorum materiam ſubire, aut illorum radicibus apponi, aut colorem mutare. Diſpar autem eſt ratio in morpheâ & vitiligine, quæ fiunt ex vitio cutis proprio, & malâ aſſimilatione partium: Nam cùm humores illi ſubeant naturam alimentariorum, & ex eis partes iſtæ affectæ nutriantur, non eſt mirum etiam, ſi pili eius naturam & colores ſortiantur, quod in ictericis contingere nequit. Et ſic patet ſolutio ad obiectiones propoſitas. Iam ad icteri cauſas accedamus, quas hac methodo perquiremus.

Cùm igitur icterus ſequatur bilioſi vel melancholici ſucci effuſionem per totum corpus, illa autem fiat ob copiam & multitudinem iſtorum ſuccorum in nobis præter naturam genitorum, vel impeditam ἀνάδοσιν & diſtributionem ordinariam iſtius excrementi, aut denique eius expulſionem & attractionem violentam, quibus fluxio perficitur: ideò res omnes tam internæ quàm externæ, quæ generandis his humoribus copioſiùs quàm par ſit, operam ſuam conferunt, vel faciunt ne deferri poſſit per ductus aſſuetos & loca conferentia, aluum ſcilicet quò naturaliter dimittitur ad eluendas inteſtinorum ſordes, aut vrinæ vias, cui etiam permiſceri ſolet: vel denique ad concitandam fluxionem iſtam, verſus exteriora concurrunt: habenda ſunt pro cauſis iſtius affectus efficientibus, augentibus vel fouentibus, vt patet: Sic aër iuſto feruentior, quia totum corpus inflammat, & humores à centro ad ſuperficiem elicit. Immodicæ & anxioſæ vigiliæ. Corporis labor immenſus ab arduiſque negotiis excitatus cum iracundiâ, timore, & ſimilibus animi pathematis, quæ varios humorum motus præſtare ſolent. Vacuationes ordinariæ parciùs ſolito fluentes. Vſus ciborum potúſque calidiorum vel craſſiorum & obſtruentium meatus cholidochos. Iſta omnia facilè ictéros procreabunt, potiſſimùm ſi accidant corporibus bilioſis & atrabilariis, aut obſtructioni obnoxiis, iecore præditis feruidiore, infirmo liene, ventriculo intemperatiore, & ſimilibus circa iuuentutem potiſſimùm aut declinantem ætatem, quando humores exuri incipiunt; aut iam exuſti refluunt in omnes corporis partes. Eſt etiam inter externas cauſas fortuitas & maximè potentes recenſendus ictus ſeu morſus venenatorum animalium, vt viperæ, ſcorpionis, aut araneæ maioris, ex quorum virulentiâ ſanguini communicatâ, ita inficitur tota illa maſſa humoralis, vt in æruginoſi ſucci naturam degeneret. Quod etiam contingit ex epoto veneno aut medicamento calidiore, vt arſenico, ſublimato, cantharidibus, lepore marino, elaterio, ſcammonio, & ſimilibus, ſi quidem vita per aliquod tempus ſit ſuperſtes.

Quæ foris itaque posita sunt, si alterationes suas interioribus rebus communicarint, tunc exurgunt affectus seu dispositiones morbificæ icterum generantes: Quæ vulgò tres recensèri solent, inflammatio, scirrhus, & obstructio. Inflammatio enim siue sit totius corporis, vt per febres continuas primarias ex putredine & excandescentiâ humorum obortas; siue alicuius partis, vt ventriculi, lienis, venarum maiorum, sed potissimùm hepatis, quando phlogosi solâ vel etiam phlegmone tenetur, & symptomaticam febrem excitat, ob magnam materiæ biliosæ aut atrabilariæ copiam quæ tunc gignitur, expultrice irritatâ & quasi coactâ fit expansio illius symptomatica quò potest & quò citiùs potest in externas corporis partes: Nisi fortassis aliquando in febre continuâ primariâ, non affecto secundùm suam essentiam hepate, & post debitam coctionem circa dies faustos & laudabiles, critica fiat illius excretio, quæ in ἀναρξίαν, & sanitatis restitutionem desinit, vt habetur in Aphorismis posteà explicandis. Ad inflammationem etiam referendæ dispositiones illæ, quæ veneni exteriùs vel interiùs admoti, viscera inflammantis humoréque exagitantis & corrumpentis vim consequuntur, quamuis præter vulgarem constitutionem habeant aliquid maligni, quódque ordinariis remediis non cedit, sed proprias exposcit antidotos.

Scirrhus verò seu induratio hepatis ad flauum, lienis ad nigrum icterum producendum, maximas obtinet vires, vel quia tunc partes imbecilliores redditæ non possunt conuenienter munere suo perfungi, (quamuis etiam imbecillitas aliquando ex sola intemperie, eáque potissimùm frigidiore exoriri possit) aut quoniam per eiusmodi affectum præpeditis & occlusis poris ac substantiâ viscerum istorum, non possunt ampliùs excrementa attrahi vel expurgari commodè (quemadmodum ferrum, lapides, & cætera corpora solida nullos liquores admittunt:) vnde fit eorum refluxus in totum corpus, colorísque mutatio, donec malignus ille hydrops & incurabilis, sæpe à nobis commemoratus consequatur. Minor autem labes est magisque vulgata ad vtrumque icterum producendum, ipsa obstructio, quæ ad meatus seu canaliculos χοληδόχους & μιλαναδόχους refertur, vel ad ipsam cystidos felleæ nimiam repletionem ab humore, grumo, calculis & similibus. Etenim oppletis ductibus illis, per quos solet lien fæcem sanguinis in iecore genitam allicere & secernere, vel etiam expellere in ventriculum & intestina: Aut quando meatus illi quibus vesicula attrahit bilem sanguini mixtam, vel deponit in duodenum: Vel certè quando ipsa vesicula præ nimiâ distentione non ampliùs admittit humorem solitum, vel quia contrahi non potest ad eundem expellendum, sequitur necessariò vitiosi huius succi, cum toto sanguine permixto & impuritas maxima, quæ colores etiam pro vario humorum dominatu immutat, atque externum corporis habitum, vbi iam visilis est, similiter inficit. Quò maiores verò fuerint obstructiones, pluréque meatus occuparint & pertinaciùs, eò icterus magis vel minùs saturatus, diúque perseuerans, & remediis obsistens succedit. Quæ verò causæ sint inflammationum illarum, febrium, phlegmonarum, scirrhi & obstructionum, iam satis dictum est superioribus capitibus, dum de eorum curatione agebamus. Ad signa igitur affectus istius, partis affectæ, & causarum morbificarum accedamus, si priùs illius differentias magis vulgatas, & ad prædictionem curationémque necessarias proposuerimus.

Dicitur itaque icterus alius esse sine veneno & qualitate deleteriâ, qualis est qui à propositis iam causis exoritur: Alius verò ex veneno externo vel interno, quando scilicet grauiora vrgent & maligniora symptomata, quàm in vulgari, & notæ inflicti morsus vel ictus malefici, aut per os assumpti veneni apparent. Præterea alius icterus dicitur esse sine febre, vel prægressâ, vel quæ adhuc subsistat: Alius cum febre, eâque vel primariâ vel secundariâ, quæ sequitur visceris alicuius inflammationem: Et rursus in febre apparens, dicitur symptomaticus, si solam morbi aut causæ morbificæ magnitudinem & vehementiam consequatur. Criticus autem, si post debitam materiæ coctionem, naturæ robore & intra iustam periodon diei laudabilis bonis ægri rebus concitetur: quod Hippocrates ante septimum fieri non posse existimauit. Aliàs etiam icterus dicitur principalis, quando manifesto hepatis vitio contingit: non principalis verò quando aliarum partium affectarum ἰδιωμάτων comitatur. Et pro ratione colorum, vt iam diximus, modò flauus, idque propriè; aliàs niger, viresens, & similiter appellatur.

Signa

Digitized by Google

Signa autem ictericorum diagnostica repetuntur ex solitis fontibus: Nam cùm icterus ipse, quoad suam essentiam spectat, affectus sit externarum partium, visuique & cæteris sensibus expositus, notas etiam habet valde sensiles & perspicuas. Nam color ille mutatus nullum quantumuis imperitum latere potest, potissimùm in vultu & oculorum tunicis, quæ velut gemmæ quædam splendidiores ab alieno colore faciliùs deturpantur, quàm reliquæ corporis partes, vnde etiam visus depravatio, si quidem pars illa corneæ tunicæ, quæ pupillæ superposita est, inficiatur: quia obiectorum species eodem modo repræsentantur. Et quemadmodum qualitas illa visilis mutatur, sic etiam lingua hoc humore imbuta alienis saporibus gaudet, amarisque, acribus, & acidis magis delectatur, quàm dulcibus, temperatis & suauissimis, quoniam ab istis, vtpote humori dominanti contrariis & alienis magis aloeratur & afficitur, quàm à similibus. Vrget ictericos pruritus & veluti punctura culicum aut muscarum per totum corpus, à mordaci isto & pungente succo, qui externam illam membranam omnes musculos obuelantem lancinat. Torpor & pigrities ad motum illos infestat, potissimùm affectu iam diutiùs perseuerante, quia deprauatâ naturali œconomiâ sensim etiam facultates reliquæ consentiunt & debilitantur. Quibusdam auditus etiam & olfactus ob easdem causas obtorpescunt, vel certè dolor capitis, & variarum imaginum, velut in phreniticis, spectra obuersantur, quia humor hic facilè cerebrum inuadit, quoties paulò copiosior fuerit, vel ἐργασμὸν acquisierit. In ictero nigro & virescente adest sæpiùs mœror & iugens tristitia, ob humoris istius atri permixtionem cum spiritibus vitalibus, & eorum obnubilationem, quæ in melancholicis visitur. Sed quænam sint causæ affectuum istorum proximæ, & pars propriè affecta, maximè est inquirendum. Quicunque igitur icterus causas sequitur procatarcticas & manifestas, vt aëris vim aut veneni, ille se prodit per indicia illarum iam præsentium, aut quæ modò insigniter præcesserunt, & derepentè naturalem statum mutarunt, cum magnis & propriis symptomatis, lipothymiâ, palpitatione cordis, cardialgiâ, & similibus. Icterus verò qui febres continuas aut intermittentes, primarias vel symptomaticas, inflammationesque partium internarum excipit, siue simplices, seu tumori præter naturam iunctas, satis dignoscitur ex signis eiusmodi affectionum, calore scilicet æstuoso, siti, appetitus deprauatione, oris amaritudine insigni, & linguæ siccitate, necnon aliquando vomitu humoris istius regurgitantis in ventriculum: vrinis & deiectionibus croceis aut rufis, ob magnam materiæ istiusmodi copiam, quæ sufficit ad tincturam corporis & excrementorum omnium. Sentitur etiam dolor sub dextro hypochondrio, si hepar sit phlegmonosum, durum, & renitens; in sinistro, si lien, & sic de reliquis partibus inflammatis, quæ propria sua habent accidentia: Et si quidem criticè fiat, vt docet Hippocrates, die contingit laudabili ac præsignificato per notas coctionis, subita sanitatis restitutio affulget, & nullum in hypochondriis malæ dispositionis vestigium supereſt: Quæ omnia in symptomatico sunt contraria, neque vnquam bonis ægri rebus apparet, sed ingraescente morbo, ac viribus debilitatis. Vnde etiam Hippocrates *in Prognostico*, annotauit, denigrationes & liuores aliquando contingere in extremitatibus per febres continuas criticè & laudabili naturæ conatu, facientis materiæ istius ἀπόκρισιν quò potest. Et Galenus non dubitauit, quartanam aliquando per eiusmodi ictéros nigros terminari, si lienis tumor prægressus omnino euanuerit.

Quicunque ergo icterus scirrhos etiam subsequitur primarios vel secundarios, illius etiam signa facilè innotescunt ex sensibili tensione & renixu partium, in quibus positi sunt, reliquisque symptomatis eos comitantibus, vt dictum est. Sin verò sequatur obstructionem ex repletione nimiâ cystidos felleæ, vel meatuum eius, tunc sensim ac multâ morâ gignitur icterus, prout obstructiones multiplicantur, sentitur dolor, sed leuis, in hypochondrij dextri medio, vbi sita est hæc vesicula. Et si quidem vtrique pori obstructi sunt, tam quibus allicit bilem ab hepate, quàm quibus expellit ad intestina, vrina valde rufa & citrina, imò etiam crassa & nigrescens euadit, quia magna bilis copia sero sanguinis permiscetur: Sin verò illi non sint obstructi, multò minùs est colorata vrina & totum corpus, sed cystis fellea immodicè repletur, & in eam excrescit molem à nobis bis aut ter in dissectionibus corporum ictericorum visam, vt vesicæ vrinariæ magnitudinem multò superet. Obstructis ergo meatibus illis qui ad intestina pertingunt, & bilis portionem ad irritandam eorum expultricem, detergendamque pituitam deferre solebant, summa sequitur alui pigrities suo stimulo destitutæ: excrementa albicantia & valde resic-

cata egeruntur. Quod eodem modo dixeris de ſummâ cyſtidos & meatuum eius imbecillitate, quando ſine obſtructionis ſuſpicione, ſuo non perfunguntur munere, ſed elangueſcunt : minùs tamen vrget affectus, quàm ſi ab obſtructione fiat, nec tanta ſentitur tenſio, donec paulatim ex ſynathriſmo humoris ibi collecti etiam ingraueſcat.

Quod ad nigrum verò icterum ſpectat, ſi quidem fiat ob febres vel inflammationes iecoris exurentis ſanguinem, notæ omnes abſunt, quæ lienis obſtructiones vel imbecillitates arguunt, ſed tota ſignorum ratio ad iſtos affectus refertur : Sin verò hoc lienis ſcirrhus aut ingens obſtructio præſtet, facile eſt illud etiam ex contactu partis illius deprehendere ; item fæces colore nigro ſunt valde ſaturatæ, niſi materia hæc ad vias vrinæ multùm conuertatur, eas nigreſcentes efficiat, & in fundo velut vini nigri fæcem habentes, quæ eſt propria affecti lienis nota, non expurgantis illam propter obſtructionem vel imbecillitatem, quæ expers eſt tenſionis & reliquorum ſymptomatum in obſtructione dictorum. Atque hæc de *διαγνώσει*.

Πρόγνωσις verò ex magnitudine eſſentiæ affectus, cauſarum, & ſymptomatum comitantium ſtatuenda eſt, necnon partis affectæ præſtantiâ. Hinc propter magnitudinem eſſentiæ ictericos valde coloratos *in Coacis* voluit Hippocrates, eſſe mortales, & vidimus nos ita bile ſaturatos, vt non ſolùm excrementa alui, veſicæ, & ſudores admodum tingerent, ſed etiam linteola, veſtes circumiectas, & contrectantium manus croci inſtar inficerent, in quibus perpetuò mortem, ex diuini ſenis ſententiâ, prædiximus, quæ adhibitis exquiſitiſſimè omnibus remediis tandem ſucceſſit. Quoties enim maſſa ſanguinaria cum viſceribus à recto naturæ ſtatu ita deceſſerit, vt omnino biliosi ſucci naturam imitetur, impoſſibile eſt tantam in corpore noſtro labem reſtitui. Sic ratione cauſarum quicunque ab aſſumpto vel inflicto veneno excitatur icterus, niſi citò antidotis & cardiacis occurratur, lethum inferre ſolet ob cordis affectus grauiſſimos, qui ſubſequuntur : Sic etiam ſi inflammatio ingens phlegmonoſa aut ſcirrhus, potiſſimùm hepatis illum pepererit, perpetuò formidoloſus : vnde Hippocrates *in Aphoriſmis* 42. *ſect.* 6. *&* 64. *ſect.* 4. tantoperè exhorreſcit in ictero dextri hypochondrij tumorem & renitentiam. Faciliùs igitur cedit quicunque icterus ſine febre, aut eâ lentâ, ſequitur intemperies partium ſimplices, aut obſtructiones cyſtidos vel lienis, quamquam etiam non negligendus, quoniam longâ morâ magnos vitioſorum humorum ſynathriſmos & hydropem accerſere poteſt, potiſſimùm ætate declinante exortus, & in pinguioribus vel craſſis hominibus. In febre autem quicumque poſt diem ſeptimum aut ſeptimo, inquit Hippocrates, prægreſſis ſignis coctionis & cum ægri ſolatio acceſſerit, is ſolet eſſe ſalutaris & criticus ; Contrà verò ſymptomaticus, vtpote qui naturæ oppreſſæ, & ab humoris malignitate vel copiâ irritatæ conatum ſequitur, non *πεπασμὸν* illius, quem ante dictum tempus fieri non poſſe cenſuit, quoniam icterus à craſſiore & multo permixtâ ſero bile exoritur : aliàs enim per inſenſilem tranſpirationem aut ſudores reſoluta fuiſſet. Imò etiam ſi liceat cum Aretæo liberè loqui, infida perpetuò & vix vnquam perfectè critica, excretio iſta, niſi alui fluxu, vrinarum copiâ, aut aliis vacuationibus criticis comitata, quæ portionem materiæ morbificæ maiorem extra corpus eliminent & ſenſibiliter extrudant. Ita vt fruſtrà voluerit Auerrhoës contra Hippocratem, in Perſiâ, Indiis, Ægypto, & ſimilibus locis calidioribus ictéros poſſe eſſe laudabiles ante ſeptimum diem in febribus, cùm ne poſt ſeptimum quidem, vt diximus, valde ſit critica hæc humoris *μετάστασις* in ſolam cutem, in quâ obſtruit poros tranſpirationi idoneos, vnde facilè poteſt recurrere ad interiora. Dixit etiam ictericos Hippocrates *Aphoriſmo* 72. *ſectionis quintæ*, non eſſe admodum ventoſos vel flatuoſos, quamuis tamen alibi hydropas aliquando ictericis ſuperuenire dixerit, quod nos ita interpretamur, ictericos per ſe, & ex naturâ humoris, paucos flatus vel aquas colligere ; ex accidenti tamen, debilitatis tandem valde partibus, vel propter iunctas obſtructiones incidere poſſe in iſtos affectus, dum ſenſim cruditates in inferiore ventre multiplicantur. Icterus niger, quoad ſymptomatis ſublationem ſpectat, contumacior & difficilior eſſe ſolet flauo, quia materia craſſior & magis affixa partibus : Si fuerit ab atrâ bile in hepate genitâ, tantò omnia adhuc habet atrociora, quantò hoc genus humoris reliquos omnes feritate ſuperat. Atque hæc de prognoſi.

θεραπείαν in hoc affectu ſymptomatico, vt in aliis inſtituere, eſt cauſarum morbificarum

morbificarum & diſpoſitionum, ſecundùm ordinem generationis ſuæ, expugnationem perficere, tandémque ad præcipui ſymptomatis reliquorúmque concomitantium mitigationem accedere. Tollendæ igitur vel corrigendæ in melius cauſæ omnes procatarcticæ, quæ huic affectui præcipuam originem vel conſenſum aliquem dederunt. Deinde ad diſpoſitiones internas veniendum, ſiue ſint febres; inflammationes partium ſimplices, ſcirrhi, phlegmonæ, vel obſtructiones, quæ pro varietate locorum, in quibus poſitæ ſunt, conuenienter, & vt ſuis iam capitibus dictum fuit, corrigendæ. Totius etiam corporis vires potiſſimùm naturales in hoc affectu valde labefactatæ, quantum fieri poterit, inſtaurandæ: tandémque materia illa bilioſa, quæ in habitu poſita eſt, extrahenda variis catharticis, & diaphoreticis conuenientibus reſoluenda, priuſquàm ibi pertinaciùs affigatur & quaſi induretur: Potiſſimùm autem horribilis ille color, qui in vultu & oculis apparet, emendetur, quod ad κοσμητικὸν ſeu exornatoriam artis partem attinet. Incipiamus ergo à diætâ.

Cùm morbus hic Regio ſit nomine donatus ex Q. Sereni ſententiâ, *Molliter eſt quoniam celsâ tractandus in aulâ:* Ideò victus ratio talis inſtituenda (pro varietate tamen cauſarum icteri varia) vt perpetuò ad alimẽtorum ἐυχυμίαν & ἐυπεψίαν tendat, adiunctis eis qualitatibus primis vel ſecundis, quæ neceſſariæ videbuntur pro varietate cauſarum, vt in febribus vel inflammatione partium, refrigerantia plus minus exhibeantur & leuiter aperientia; in ſcirrho vel obſtructionibus temperata potiùs, mixtis incidentibus, attenuantibus, & mollientibus appropriatis. Carnes itaque delicatæ & teneriores conueniunt, tam elixæ cum herbis conuenientibus, cichorio, endiuiâ, lactucâ, aſparagis, fœniculo, petroſelino, & ſimilibus; quàm aſſæ & condimento ſucci mali arantij, limonis, omphacij, granatorum acidorum, & aliorum temperatæ, ſi magnus adſit feruor; vel aceto, pauco cinnamomo & ſaccharo mixtis, ſi obſtructiones vigeant. Oua recentia & tremula concedi poſſunt, quia multum & facilè nutriunt, addito tamen aliquo ex dictis ſuccis, ſi febris ſit iuncta. Abſtineant omnes icterici à craſſis, viſcidis, & dyſpeptis, quoniam ſtatim multiplicant cacochymiam iſtam & viſcerum meatus implent cruditatibus. Itaque nullum erratum ne minimum quidem in victu committendum. Interdicantur piſcibus, niſi aliquando ſaporis causâ ſalubriores concedantur conuenienter præparati, oleribus crudis, lacticiniis omnibus, quia facilè in bilioſum ſuccum conuertuntur: fructibus ὡραίοις, niſi etiam aliquando concedantur primis ferculis ad molliendam aluum, quæ in illis pigra eſſe conſueuit: Pane vtantur recenti, albiſſimo & aniſato, vel fœniculato: Vino albo vel ſaltem tenui & oligophoro, cui permiſcenda adhuc aqua copioſa & puriſſima ex ſaluberrimo quodam fonte hauſta, quæ citò peruadat hypochondria, neque vllum pondus aut rugitum illis inferat. Capparum, oliuarum, fœniculi marini, paſſularum acidularum, imò etiam amygdalarum vſus illis concedatur, quando diſſoluendæ oppilationes, dummodò non multum febriant. Certè amygdalatum dictum, vt ptiſana ex hordeo conuenienter parata, addito pauco aniſo vel fœniculo ad corrigendos flatus, valde eſt illis accommodata, quia lenit, deterget modicè & mollit ventrem inferiorem; quemadmodum pruna initio paſtus, poma & pyra bene cocta & ſaccharo aſperſa ſub finem, ad idem commendari hiſce ægris poſſunt. Vbi ad ἀλροφίαν vel ſummam imbecillitatem peruenerunt, tunc conſummata, ſtillatitia iura, reſtaurantia, ſuccus carnium, & ſimilia analeptica erunt præſcribenda, potiſſimùm in febribus continuis. Et vt ſumma cura circa alimentorum rationem adhibebitur, ſic etiam animi corporiſque non ſolùm tranquillitas, ſed etiam iucunditas imperetur. Homines enim iſti ex morbo picrocholi vel atrabilarij, facilè iracundiâ, curis, metu vel mœrore conficiuntur: aut certè laboribus & exercitationibus durioribus facilè excruciantur: Poſſunt tamen luſus, cantus, choreæ leuiores, & ſimilia ludicra & ad iucunditatem comparata concedi ſaltem ſpectanda: Item ſi paulò ſint robuſtiores, vt in ictero ab obſtructione, deambulatio, equitatio mediocris, imò etiam nauigatio longa, tum ad aëris mutationem in rebelli affectu, tum etiam ad commouendos humores & deturbandam ac fortaſſe vomitu excludendam materiam obſtruentem. Fugiant omnem vigiliarum exceſſum, vt valde inflammantium & reſoluentium corpus. Somnus ſit placidus & minimè interruptus in molliſſimo ſtrato. Matutinis horis fricentur mediocriter, pectantur, excretis priùs ſi fieri poſſit, vrinâ & alui fæcibus, quod hîc valdè eſt ſpectandum. Vt enim illud Hippocraticum eſt veriſſimum, alui ſegnities vaſorum eſt impuritas ſumma, & totius corporis perturbatio; ſic maximè

by Google

maximè ſperabilis eſt ſalus in hoc morbo, quando excrementorum recta fit & ſolita euacuatio, præterquàm ſeminis, quia, vt eleganter annotat Aurelianus, fortitudinem corporis tollit, quæ magis eſt hiſce ægrotantibus acquirenda. Non poſtremum etiam diætæ caput obtinet bona aëris conſtitutio, ſumma ſcilicet eius puritas & temperatio in domo luculenter exornatâ & illuſtri, fontibus & vireſcentibus campis ſi fieri poſſit, proximâ, vt omnibus rebus externis ita bene conſpirantibus ad ſanitatem felicior ſit ſequentium remediorum vſus.

Quod ad remedia ergo ſpectat, cùm eo modo ſint inſtituenda, vt pro varietate cauſarum & diſpoſitionum morbificarum, quæ icteros proferunt, varia adhibeantur, ideò hæc omnia ad capita imbecillitatis hepatis, inflammationis, febrium, ſcirrhi, obſtructionum remitti poterunt, vbi accuratè tractantur: ne quid tamen hîc deeſſe videatur, ea annotabimus breuiter, quæ magis ad rem faciunt, & præcipua ſunt curationis fundamenta.

Criticus itaque icterus, ſi aliquando talis & perfectus contingat, qui febrem omnino & reliqua ſymptomata tollat, ſinendus eſt, nec vllis medicamentis ſollicitandus, ex ſententiâ enim Hippocratis, *Quæ iudicantur & iudicata ſunt, non oportet mouere:* Quia tamen hoc dictum præcipuè intelligendum eſt de vacuationibus criticis, quæ ſenſibiliter materiam morbificam extra corpus educunt: ideò eiuſmodi ictero, niſi aliqua illarum vacuationum iuncta ſit, parũ eſt fidendum, vt dicebamus, ac proinde non eſt dubitandum reliquias morbi eſſe deturbandas conuenientibus catharticis, eiſque benignioribus, tollendamque partibus impreſſam intemperiem per alterantia ſumpta & admota, præcipuè balneum leuiter detergens, diſcutiens & molliens, quale poſtcà trademus.

Siquis autem in icterum ex venenato ictu vel morſu excitatum incidat, Galenus docet ibidem theriacam & cætera bezoardica appropriata, ſtatim eſſe exhibenda: loco verò ipſi attrahentia, cucurbitulas, ſcarificatûs, gallinæ podicem, pullum columbinum aut catellum per medium ſectum, theriacam etiam adhibendam, vt virus foràs attrahatur, quod cor impetere ſolet: Supra locum intercipientia, vt vincula ſtrictiora, fotûs ex adſtringentibus, emplaſtra ex bolo, & alia defenſiua: Imò ſi pars vulnerata minoris ſit momenti, vt digitus vel ſumma cutis, tota abſcindenda in principio, vt effuſa veneni vis ſimul cum eâ tollatur & eradicetur. Ab epoto verò veneno aut maligno medicamento conciliandus quàm primùm vomitus, vel acriore clyſtere incitanda aluus, vel adhibitis multis, aut durioribus frictionibus venenum eliciendum foràs pro vario eius motu. Exhibenda per os theriaca, mithridatium, confectio alkermes, vel appropriata antidotus: Vel etiam magna olei, potiſſimùm amygdalarum dulcium, butyri vel lactis copia propinanda, vt benignitate ſuâ diluant ferociam deleteriarum iſtarum rerum. Alij ſuccis acidis mali granati, arantiorum, citri, limonum, omphacio cum aquâ vel decocto conuenienti mixtis, conantur infringere malitiam illius: Quæ omnia experiri licebit, & ad proprios venenorum tractatûs recurrere.

Icterus verò ex ſcirrho vel phlegmone hepatis aliorúmque viſcerum, vel eſt vtplurimùm lethalis & grauiſſimi morbi indicium, vel certè non profligatur, niſi remediis omnibus à nobis iam propoſitis accuratiſſimè vſurpatis. Sin autẽ ſit à ſimplici intemperie, ſiue calore nimio partium, quod ſæpe per æſtiuos ardores contingit, cum ſanguinis tamen multitudine, qui ſenſim exuritur, & in bilioſam materiam conuertitur: tunc vacuantia, & alterantia conuenienter vſurpanda. Vacuantia erunt clyſteres emollientes & refrigerantes ſæpiùs repetiti. Item venæ ſectio ex axillari venâ ad ℥. vj. vel vij. pro conditione virium, & fluentis ſanguinis qualitate: Cathartica benigniora aluum ſubducentia leniter & bilem temperantia, qualia ſunt ſyrupus roſatus ſolutiuus, de cichor. cum rhabarb. catholiconis, diapruni ſimpl. aut trypheræ perſicæ ℥. j. decoctum thamarindorum, rhabarbari infuſum in aquâ endiuiæ, & ſimilia. Alterantia duplicia erunt, alimentoſa, & medicamentoſa, interna externáque. Sub alimenti ſpecie exhibentur fructûs aciduli, iuſcula pullorum, lactucæ, cichorij, endiuiæ, acetoſæ & portulacæ foliis alteratæ, cum aliquot vuarum acerbarum acinis: hordeatum & amygdalatum cum pauco ſaccharo & aquâ paratum: vt emulſiones ſequentes, quæ magnam vim obtinent ad viſcerum ardorem compeſcendum: item ſerum lactis, cui ℥. ij. ſucci endiuiæ mixtæ ſint, ſub eodem cenſu reponi poteſt.

℞ Amygdal. dulc. & recentium mundat. ℥. j. ß. ſeminum lactucæ, papaueris albi, & melonum, pariter recentium & mundat. an. ʒ. iij. Contundantur in

mortario

mortario marmoreo,piſtillo ligneo,addendo decocti hordei ℔ j.aquæ roſarum ʒ iij: ſacchari albi parum : Fiat emulſio pro iiij. doſibus. Capiat manè & ſerò. Remedij autem interni formam obtinent julepi ex commemoratis ſuccis , aquis & ſyrupis conſecti , & frigidè propinati. Rhaſis valde hîc commendat trochiſcos ſuos è camphorâ , quorum ʒ j. exhibet cum ʒ ij. ſucci mali granati recenter extracti ; vel aquâ endiuiæ. Vtroque enim vult bilis ferociam domari , & modica adſtrictione viſcera roborari.Quidam hîc laudant ψυχροσοσίαν,vel aquæ niualis aut ex glacie fuſæ potionem.Sed caue ne extinguas calorem natiuum partium , aut obſtructiones inducas, vel multiplices ſi adſint.

Externa remedia erunt epithemata ex eiſdem ſuccis, olea, linimenta,emplaſtra, vt ceratum ſantalinum, & refrigerans Galeni, ſeu de ceruſsâ, quæ hîc multum proſunt,ſi quidem ſæpè renouentur,neque ſinantur ſupra partem incaleſcere.Balneum etiam aquæ dulcis valde proficiet,ſi non adſit febris, vel putredo, frequenter repetitum. Hæc itaque prudenter in hac ſpecie icteri vſurpentur.

Vbi autem obſtructiones illum pepererunt ſine febre , aut eâ mediocri & lentâ: tunc diſſoluendæ eiuſmodi obſtructiones præparantibus materiam illarum , incidentibus nimirum , mollientibus , & detergentibus : item vacuantibus illam materiam iam ſuprà accuratè deſcriptis. Peculiariter tamen hîc Practici ſuadent vomitum ex decocto raphani cum pauco oxymelite,vel ex ʒ ij. radicis cyclam.contritæ, & cum ʒ iij.hydromel.ſumptæ, purgationem ex hieris, benedictâ, & pilulis aggregatiuis:Ego tamen à leuioribus incipiendum eſſe cenſeo,donec præparata ritè materia eradicari validioribus poſſit. Si adſit cacochymia iuncta plethoræ , ne detur occaſio putredini ac febri, florente potiſſimùm ætate, non eſt negligenda venæ ſectio,tam ex brachio,quàm ex inferioribus partibus,vbi reuocanda eſt aliqua vacuatio ſolita,vt hæmorrhoidum vel menſtruorum.

Ad præparandum verò interius laudant multi ſyrupum ex caprifolio , ex aquâ eius vel decocto,& alium qui *Diachylon* dicitur, quoniam ex ſuccis eupatorij, fœniculi, apij, & endiuiæ paratur. Hippocrates in pertinaci obſtructione vtitur decocto rad. aſphodeli & foliorum apij cum vino albo. Sed magis mihi probaretur aliud, quod habetur *libro tertio de morbis* , nempe vuarum paſſarum albarum purgatarum , cicerum alborum , & hordei integri , ana M. j. ſeminis carthami ʒ j. ſummitatum apij , menthæ , & coriandri , ana P. j. capilli Veneris P. ij. Macerat in ℔ vj. aquæ fontis , deinde coquit leniter , exponitque ſub dio per totam noctem,exhibet manè ℔ ß.ægrotanti. Hæc igitur & ſimilia à nobis capite de obſtructione propoſita , ex quibus commodiora ſeligere poteſ , præparantia ſunt , necnon vrinam promouentia , & aluum leniter ſoluentia , ac proinde eiuſmodi ægrotantibus vtiliſſima , non neglectis externis etiam fotibus & linimentis ibidem deſcriptis, quibus interiecta ſæpiùs purgantia exhaurient ſenſim materiam illam bilioſam & lucẽum meatibus obhæreſcentem : Quæ omnia commodè & potenter etiam præſtat circa morbi declinationem , lactis ſerum per xx. dies exhibitum manè ad ʒ vj. in quo per totam noctem folia capilli Veneris , cichorij & fumariæ infuſa fuerint. Confert hoc mirum in modum etiam ſplenicis & ex ictero nigro laborantibus;præcipuè ſi chalybs ignitus in eo extinctus fuerit.

Præter iſta proferunt Empirici ſua ſecreta. Arnaldus Villanouanus ſtercoris aſini puluerem exhibet ad ʒ j. manè cum vino albo per vj.aut vij. dies. Alij puluerem ſtercoris canis oſſa comedentis, vel lumbricorum eodem pondere. Vel hi pulueres cum ſucco mercurialis aut agrimonij , formentur in catapotia, quæ auro diligenter contecta deuorentur. Quidam addunt puluerem radicis rubiæ maioris , raſuram eboris & cornu cerui.

Intereà non negligantur roborantia & recreantia vim caloris natiui in hiſce partibus,qualia eſſe poſſunt opiata aliqua, vel tabellæ ſequentes.

℞ Conſeru. cichor. & abſinth. Pont. ana ʒ j. confect.alkermes,puluer.elect.triſant.& diarrh.ab.ana ʒ ß.ſacchari aquâ agrimon.diſſolut.q.ſ.raſuræ eboris ϑ ß.Fiant tabellæ deauratæ,ponderis ʒ jj.Capiat vnam manè cum pauco vino diluto.

Quibus præſtitis , ſi quidem color adhuc fœdus in vultu & externo habitu ſit ſuperſtes,reſoluatur materia illa ſenſibiliter,vel per διαφόρησιν. Senſibiliter,vnde Hippocrates *lib.2.de morbis*,& Galenus *lib.9.cap.1.καὶ τόν*. inſtituit phlebotomiam venarum ſub linguâ , ſi quidem tumentes appareant. Item ſudorifica , vt ſtuphas & laconica aut balnea tepentia ex decocto conuenienti detergente , molliente & aperiente parata. Vbi radix cucumeris agreſtis & liliorum, foliaque capilli Veneris

incoqui possunt, & similia. Errhinis etiam & sternutatoriis accommodatis eliciatur materia quæ in oculis continetur. Ego inter alia sudorifica, decoctum rad. chynæ & capillorum Veneris cum pullo factum, & per plures dies exhibitum, admodum conuenire censeo, vel syrupum illum Ambrosij dictum, qui paratur ex decocto milij excorticati ad crepaturam vsque elixi, cuius ℥ iiij. miscentur ℥ ij. vini albi. Et sumitur manè per tres dies continuos, sine saccharo aut melle.

Insensibiliter verò digeritur ille humor frictionibus, sacculis detergentibus, inunctionibus ex oleis chalasticis, vt chamæmelino, anethino, liliorum, & similibus. Aurelianus & Auicennas putant ex aspectu rerum aurearum, vel vestium flauo colore imbutarum quadam similitudine extrahi materiam istam per poros cutis: Plinius etiam idem de galbulâ aue commemorat, cuius inspectu sanari ictericos, auem autem mori censuit. Mulierculæ nostrates fœdis hisce coloribus imbutæ, solent fuco rubro alboque vitium hoc artificiosè tegere, quod hominibus non licet, nisi omnino luxu perditis. Ideò melius est in eis qui ægrè admodum ferunt istum faciei colorem, exhibere acetum acerrimum frequenter olfaciendum, deinde naribus hauriendum, ibique constricto ductu aliquantisper continendum, præcipuè dum residens in balneo aquæ dulcis, hoc enim mirificè attrahit & dissipat humores oculis & faciei affixos: Quemadmodum & lotio faciei ex decocto maluarum, hordei, semin. anethi, & florum chamæmel. cum pauco vino albo aut vrinâ pueri impubis. Alij faciunt fumigium ex decocto piscium fluuiatilium in aceti & aquæ æquis partibus: quidam ex decocto cuscutæ & foliorum caprifolij: Quæ omnia prudenter experiri licebit.

Supereſt igitur icteritia nigra, quæ ſi ſequatur inflammationem hepatis & exuſtionem humorum, non alio modo curabitur, quàm iam propoſito, vt etiam ſi ex ſcirrho lienis proficiſcatur. Vbi verò fit ex ſolâ imbecillitate, quod rariſſimum eſt, vel intemperie frigidiore, fotibus quibuſdam & irrigationibus ex oleis nardino, anethino, & maſtichino facilè corrigetur. Si verò ex obſtructione & humoris redundantis infarctu fiat, quod eſt frequentiſſimum, ſi quidem vniuerſalis ſit repletio etiam in venis, phlebotomia & purgatio melanagogis catharticis inſtituenda, præparato etiam conuenienter humore, ex decocto ſcolopendrij, tamariſci, & rad capparis cum ciceribus nigris: Deinde interiùs & exteriùs ſumptis diſſipandæ illius reliquiæ, vt electuario de chalybe, & aliis iam dictis, idque paulò validioribus quàm in flauo, quia materia craſſior & frigidior. Balneum confert molliens & laxans ad aperiendos cutis poros, diſſoluendumque humorem contumaciſſimum, qui ſtuphis & aliis ſudorificis nimiùm exſiccaretur. Atque hæc de ictero ſufficiant, cùm præcipua illius curatio ad capita cauſarum ſeu diſpoſitionũ morbificarum, ex quibus ſuſcitari ſolet, iam à nobis explicata reuocari debeat. Nunc igitur ad hydropem veniamus.

CAPVT VIII.

De Hydrope & eius ſpeciebus.

EGROTABAT Heraclitus inſignis notuſque Philoſophus, poſt acutam febrem hydrope correptus, ad quem curandum concurrunt Medici vt tunc temporis Empirici, quibus inter ſe contendentibus ac diſcrepantibus, vt eorum petulantiam atque inſcitiam retunderet, obſcurè pro more ſibi ſolito quæſiuit, *ὅπως ἂν ἐκ τῆς εὐημερίας ποιητέον ἀνχμὸν; Quomodo ex tempore pluuio ac nubiloſo ſudum, ſerenumque fieri poſſet?* Ex quibus verbis tam morbi naturam quo premebatur, quàm curandi ratione facile erat colligere. τδρωψ enim ſeu ὑδρώπους & ὑδρῳ- omnibus ſignificat aqueæ ſeu pluuioſæ naturæ in nobis dominium ac collectionem: quam Latini aquam intercutẽ appellarunt. Aurelianus *παρέγχυσιν*, ab effuſione iſtius materiæ, quæ vel in totum corpus diſpergitur, vel in certâ illius parte acceruatur, Hydropeſque modò vniuerſales conſtituit, vt leucophegmatiam, aſciten & tympaniten, ita dictos, vel quia integrum corporis ſpatium occupant, vel quia ex partis principis vitio, nempe hepatis profecti, quamuis ſoli ventri principaliter inhæreant, trahunt tamen totum corpus in conſenſum & ruinam defectu nutritionis. Aliàs particulares, qui certis tantùm inſident membris,

membris,ex eorumque propriâ labe ibidem colliguntur, quales apud Hippocratem recenſentur, in capite hydrocephalos, *libro ſecundo de morbis*;pulmonis, pericardij, vteri, & ſimilium,*libro* 1.*acut.* 2.*de morbis mulierum*. Impropriſſima eſt appellatio hydropis illius, qui ὡς ἀμίδα ſeu ad matulam dicitur ; eſt enim diabetica paſſio, per quam nulla ſit aquoſi humoris retentio in corpore, ſed vt loquitur Aurelianus,cum maximo fluore, vt ſiquid ægrotus biberit ; ſine dilatione tanquam per fiſtulam tranſiens egeratur.

Hydropis ergo nomen propriè de tribus aliis affectibus ſubiectis auditur : quando enim diſtentum ſerosâ materiâ pauco flatui iunctâ abdomen, vtris aquâ pleni ſpeciem repræſentat ; aſcites vocatur ἀπὸ τοῦ ἄσκου : à flatu pauciori aquæ permixto, tympanites, ob ſimilitudinem militaris illius tympani,& aliquando Hippocrati hydrops ſiccus appellatur. Sin verò totius corporis moles ſpongiæ inſtar intumeſcat & ſuffundatur albicante illo ſucco & pituitoſo, leucophlegmatia ob materiam appellatur, quæ carnoſarum partium ſubſtantiam cùm præcipuè occupet, ἀναζάγια etiam à ſubiecto dicitur : non autem, vt voluit Aretæus, quòd quartam hydropis ſpeciem ex carnium colliquatione ortam conſtituat. Hippocrates quidem aliquando λευκοφλεγμαϑίαν ſeu φλέγμα λευκὸν diſtinguit ab hydrope propriè dicto. Sed cùm horum nominum ratio in hanc ſignificationem hodie ab omnibus recepta ſit, par eſt vt illis relictis iam ad rei ipſius naturam indagandam accedamus, quod pro more noſtro ex propoſitâ priùs hydropis definitione fiet.

Eſt igitur hydrops, totius habitus corporis, vel abdominis tantùm tumor præter naturam,ingens & perſeuerans, à pituitæ, flatus vel ſeri collectione ortus,qui læſam αἱμάτωσιν ex primariâ vel ſecundariâ iecoris refrigeratione ſubſequitur. Hoc enim diori ſmo huiuſce affectus formam ſeu ſpeciem,partem affectam,ſeu affectus ſedem, proximamque efficientem & materialem cauſam annotauimus:ex quorum accuratiori explicatione omnia ad tanti affectus cognitionem neceſſaria innoteſcant.Repoſuimus itaque hydropem ſub genere tumoris præter naturam, quoniam hydropis appellatio,vt iam dictum eſt,pertinet ad ſecundarium illum affectum maximè ſenſibilem & manifeſtum, qui coaceruationes humoris flatúſve in toto habitu vel abdomine factas conſequitur,partiumque quantitatẽ augens, contiguitatem etiam & temperiem earum vitiat.Sit enim quantumlibet refrigeratum hepar,ſcirrho vel obſtructionibus obſeſſum:Sit induratus lien,debilitatus ventriculus aut meſaraicæ,nſi-quam tamen dicitur homo hydropicus, priuſquam aqualiculus fuerit diſtentus,vel totum corpus ſuffuſo humore in œdematoſam molem accreuerit.Eſt enim œdema ſpecies huiuſce tumoris proxima,quòd pituitoſi, ſeroſi, flatuoſi ac crudioris cuiuſuis humidioriſque ſucci ſynathriſmos in partibus factus continetur. Cuius cauſæ cùm magnæ ſint,iam confirmatæ & permanentes,tumorem etiam ingentem efficiunt & perſeuerantem,non autem vt in cachexiâ leuiorem & fugacem,qui circa veſperam tantùm & deambulationes diurnas appareat,quiete autem & nocturno ſtrati tepore euaneſcat.Neque vt in puerulis,quibus ſæpè abdomẽ ex ingluuie intumeſcẽs,flatibuſque & cruditatibus plenum, mox illis vacuatis ſubductiſque facilè detumeſcit.

Etenim cùm perennis ſit iſta & altiùs infixa in partem principem diſpoſitio,quæ noſtri corporis naturalem œconomiam regit & moderatur, vnde ſummum fruſtratæ coctionis ſecundæ vitium exoritur : fieri non poteſt quin effectus ipſe in toto eluceſcat,dum ſanguinis vice,albo illo phlegmate intumeſcit,vel in abdominis cauo ſerum flatui mixtum,reliquis partibus tabeſcentibus colligitur. Non audiendi ſunt igitur illi,qui vniuerſalem hunc hydropem putant ſine hepatis noxâ ſæpiùs contingere poſſe,debilitatis videlicet renibus aut obſtructis ſeroſam ſanguinis partem non attrahentibus aut expurgantibus ; vnde lotij paucitas in hydropico aſcite detento, vel etiam aliis quibuſuis partibus abdomine contentis ſcirrho vel obſtructione laborantibus,quæ ſerum paulatim colligant & effundant per reſudationem in ventris cauitatem,aut certè dum alimoniam ſibi aſſuetam non recipiunt, cogant in venas refluere meſaraicas,ex quibus facilis eſt elapſus in iſtam partem.Adde quòd ventriculus infirmior per ſe magnam poteſt crudorum humorum copiam ſuppeditare:itẽ ex magnâ & ſubitâ aquæ potione aliquem euadere poſſe hydropicum repentè,cenſuit Hippocr.cohibito ſcilicet illo humore in cauo abdominis:Etenim ſi in particulari hydrope, poteſt ſerum in membrorum ſpatiis colligi ſine hepatis vitio, quidni etiam in abdomine, in quo tot partes coctioni, diſtributioni & expurgationi dicatæ continentur? Quòd ſi ſerum colligi poſſit, multò magis flatus, & tympanites hydrops, quem putat Hippocrates ex dolore vmbilici exoriri poſſe, *Aphor.* 11 *ſect.* 4.

& flatus ſuſcitantur ex variâ materiæ conſtitutione, ſiue ſit calor robuſtus, ſiue infirmus, nam ex craſsâ materiâ, non poſſunt niſi à valido calore eleuari. Certè in anaſarcâ ſufficiet totius habitus magna refrigeratio, quæ alimentum etiam in hepate laudabiliter confectum pituiteſcere & in phlegmatis naturam degenerare faciat. Verùm hæc non ſunt tanti momenti, vt nos à recepta Medicorum ſententiâ diſcedere cogant. Illud enim eſt axioma pathologicum & conſtantiſſimæ veritatis, non poſſe lædi actionem aliquam vniuerſalem per totum corpus, quin eius principium ſeu pars princeps illius functionis author lædatur. Non poteſt virtus animalis motrix vel ſenſifica aboleri per totum, quin cerebrum patiatur: nec vitalis pulſifica, niſi corde ipſo affecto, vt patet in ſyncope; ſemper enim partes illæ principio propinquiores, retinerent illam vim, & facultatem influentem, quamdiu principium bene ſe haberet.

Sic etiam nutritio, quæ vna eſt trium illarum functionum, quibus corporis noſtri politia perficitur, & quæ non ſolùm eminenter in hepate reſidet, ſed etiam ab eo cum ſanguine & naturali ſpiritu in omnes partes neceſſariò demandatur, (eſt enim hepar *αἱματίου* Dureto, *ἱματίου* ex Hippocr. fons & officina gratioſi humoris, omnium aliarum functionum baſis & fundamentum) non poteſt vitiari aut aboleri per totum corpus, vt in hydrope, quin hepar illius ſedes & origo ſiue primariò, ſiue ſecundariò, vt poſteà clarius dicemus, afficiatur. Quandoquidem ſi ſufficeret ad hydropici affectus conſtitutionem, partis alicuius in abdomine poſitæ vitium, vel renum obſtructio aut imbecillitas, reperirentur multi aſcite laborantes bene habiti, & reliquo corpore valentes, quia reliquæ omnes partes præter iſtam, & abdominis cauum bono & laudabili ſanguine fruerentur: cùm tamen omnes hydropicos videamus macie ſqualentes & deformatos, ſummaque virium deiectione confectos, *Quoniam*, vt ait Hippocrates, *ex quibus venter floreſcit & augetur, ex eiſdem corpus defloreſcit & minuitur*; quaſi dicat vitiatâ coctione ſanguinis primariâ & generali, immodicum & crudum ſuccum in ventre colligi, alias verò partes ſuo genio & propriâ alimoniâ deſtitui. Quod quæſo diſcrimen eſſet inter hydropa vniuerſalem & particularem, ſi quidem à partis alicuius vitio ſine hepatis conſenſu vniuerſalis ille fieri poſſet? Oporteret enim de leucophlegmatiâ, tympaniâ & aſcite priuatim efferre, eſſe abdominis ſolius, vel muſculorum externi habitus aquoſas collectiones, quemadmodum dicimus vteri, pulmonum, ſcroti, aut ventris hydropem. Quæ omnia ſunt abſurda. Fatemur igitur ex aliis quidem partibus, vt renibus, liene, inteſtinis, vmbilico, aut meſenterio, principiũ & originẽ iſtius affectus aliquãdo proficiſci, ſed non poſſe perfici, niſi hepar in conſenſum rapiatur, & tandem ex idiopathiâ laboret. In anaſarcâ enim illâ refrigeratio externi habitus, vel penderet à cau â externâ vel interna communi. Quod ad externam attinet, niſi omnino *πύρωσιν* & mortificationem intulerit, facilè corrigitur tolliturque calfacientibus ſumptis & admotis; vel ſi perſeueret, in gangrænam & ſphacelum, non leucophlegmatiam abire ſolet: Interna autem communis non alia eſſe poteſt quàm ſubiectum illud nutritionis, quod alimentum vocamus, quodque ab hepate proficiſcitur. Idem dicas de ventriculo quod de iſtis partibus. Nam quamuis ille valde refrigeratus crudiorem ſuccum generet, is tamen ab hepate, quamdiu ſuam retinet temperiem ita emendatur, vt ſaltem affectus iſtos inducere nequeat. Quòd ſi longâ ventriculi *κακοχυμία* debilitetur, & in conſimilem tandem *διάθεσιν* præcipitetur, tunc hydrops conſentiente hepate inducitur. Atque hæc de parte affectâ: nunc proprium illius affectum hydropi generando idoneum inquiramus, vbi etiam fortaſſe non minor erit difficultas ſtabiliendæ veritatis.

Iecur omne genus morbi obſidere poteſt, ſimilare, organicum, & commune, pro diuerſis diſpoſitionibus quibus præditum eſt, à quibus actiones eius variè immutantur. Coctio igitur illa *αἱματοποιητικὴ* cum ſit ſpecies alterationis, vt ope qualitatum primarum, caloris ſcilicet bene temperati & *ἰσχυρότητος* perficitur: ſic etiam illo immutato & præter naturam conſtituto, velut propriâ & principali cauſâ immutatâ, deprauatur, imminuitur, & aboletur: fitque *δυσπεψία τοῦ τῆς αἱματώσεως ἔργου*, nimirum ſanguinis, qui in alienam naturam, corporique alendo minùs idoneam per intemperies iſtas faceſſit, ſiue ſint primariæ, vt iam dicebamus; ſiue ab aliarum partium affectibus exortæ. Solutio enim continui per ſe aut organi deprauatio non faciunt ad læſam ſanguificationem, niſi quatenus ad eas conſequitur temperamenti vitium, vel humorum impedita diſtributio. Intemperies itaque iecoris & venarum, coctioni & præparationi humorum dicatarum, accuſan-

da

da in hydrope, velut immediata diſpoſitio & affectus ſpecies, à quâ proficiſcitur. Actionis autem læſæ modus oſtendere debet, quæ ſit illa intemperies hepati impreſſa per διαθέσεις iſtas ὑδροποιητικὰς. Cùm enim dictæ coctionis, vt aliarum princeps cauſa ſit calor vnicuique partium ſubſtantiæ ingenitus, ille vel augeri præter naturam poteſt, vel imminui. Auctus autem præter naturam, actionem iſtam deprauat, ſanguinem aſſando, bilémque copioſam producendo: Contrà imminutus, cauſa eſt fruſtratæ huius functionis, vel ſaltem imminutæ, dum pro vero ſanguine flatus, ſerum, pituita copioſior quàm par ſit, generantur. Caloris enim imminutio in viuentibus, frigiditas Medicis dicitur, quæ eſt omnis ἀπεψίας & cruditatis mater. Hanc autem in hydrope abundare, nemo inficiabitur, niſi communi ſenſui & rerum euidentiæ impudenter repugnare velit. Ergo intemperies frigida, erit ea diſpoſitio proxima & immediata, quæ hydropem parit: Vt enim calor in febre ſiccitatem, ſic in hydrope frigiditas humiditatem ſibi comitem accerſit. Quod etiam cauſæ omnes illum generantes confirmant: Omnia enim refrigerandi vi prædita, ſiue actu ſiue potentiâ talia, ſuffocantia calorem natiuum, vel eius pabulum ſubtrahentia & diſſipantia, hydropiſin inuehere ſolent, potiſſimùm ſi confertim vel diuturniore contactu hepar ipſum affecerint, vt poſteà in cauſarum explicatione pleniùs adhuc oſtendemus. Sed videndum priùs, quid ad hoc noui Galenicæ doctrinæ aduerſarij obiiciant; relictâ antiquiore Eraſiſtrati ſententiâ, qui omnem hydropem ab hepatis ſcirrho fieri exiſtimauit, vtpote ſatis ab eodem Galeno refutatâ, *lib. 2. de natur. facult. & alibi.*

A cauſis igitur tam calfacientibus quàm refrigerantibus exoritur hydrops, inquiunt illi, ac ſæpe ſine vllâ calfactionis aut refrigerationis ſuſpicione. Vt enim immodicas vacuationes ſequitur hydrops, ſic etiam retentiones menſtruorum, hæmorrhoidum & ſimilium, per quas ſuppreſſo ſanguine & intus coaceruato incaleſcit potiùs hepar quàm refrigeratur. Imò Hippocrati *in Prognoſt.* hydropes aſciticí in acutis morbis, febribus nimirum ardentibus oboriuntur, qui neque febre liberant, nec æſtus aut dolores ex eâ contractos mitigant. An non in hydrope ſaltem tympanite aderit calor potiùs quàm frigus, vt placuit Auerrhoi, cùm flatus non niſi à calore attenuante & eleuante excitari poſſint? Et quæ eſt illa tantæ refrigerationis ſuſpicio in exſiccato hepate, quod variis rimis dehiſcens, velut olla fiſſa extillat ſerum in vacuum abdominis ſpatium? aut certè vlcerat vel ſuperficiario vulnere affecto, per quæ ichores eiuſmodi etiam effundi poſſunt? Calori potiùs quàm frigori, addit cauillator Argenterius, atteſtantur febris complicata, ſitis immenſa, faucium ariditas, totiúſque corporis præterquàm ventris extenuatio, cum vrinarum colore intenſo & rufeſcente.

Hæc itaque quo propoſita ſunt ordine diluemus, dicentes refrigerationem, caloriſque natiui imminutionem, variis modis, quemadmodum & externi ignis contingere poſſe, tam per σβέσιν quàm per μάρανσιν, ac proinde tam à refrigerantibus ſiue actu, ſiue potentiâ, quàm ſuffocantibus & opprimentibus vim illius, quæ poſita eſt in iuſtâ humorum quantitate, vt eos regere ac moderari poſſit: Necnon vehementer calfacientibus, quia pabulum eius proprium, ſubiectam ſcilicet oleoſam materiam reſoluunt & depopulantur, vnde illius exolutio & quaſi marcor ſubſequitur. Quemadmodum igitur ſi ardenti lampadi aqua affundatur, propter refrigerationem nimiam extinguitur: ſi terra, cinis, arena, imò etiam oleum copioſius iniiciatur, impeditâ perſpiratione & quaſi oppreſſo igne ac ſuffocato idem contingit; necnon abſumpto confertim liquore quo ellychnium fouebatur, illius flamma marceſcit aut aboletur: Idem accidit viuentium calori. Immodicæ ergo ſuppreſſiones hæmorrhoidum & menſtruorum, quamuis ſanguinem bonum & naturæ gratum humorem intus coërceant, fit tamen vt præ multitudine ac copiâ illius ad hepar recurrentis, calor opprimatur & quaſi ſuffocetur. Quod multò faciliùs & promptiùs fit, ſi immodicæ huic humoris quantitati mala etiam qualitas adiuncta ſit, quod eſt frequentiſſimum. Febres autem ardentes hydropem ideò accerſunt aliquando, quoniam peſtiferæ eiuſmodi & lethales febres, tantam faciunt benignæ illius & primigeniæ humiditatis, cui calor inhæret, diſſipationem, vt μαρασμὸν illum ἀξήρανσιν, retorridi ſcilicet & exſuccati hepatis conſtitutionem ſubitò elangueſcat, nec munere ſuo perfungi poſſit. Antecedens itaque cauſa calida eſſe poteſt, ſed quæ refrigerationem ex accidenti inducat, quod aptiſſimo exemplo confirmat Galenus *4. de ſimplic.* Aciditas, inquit, perpetuò à frigore oritur, & frigiditatis eſt index, attamen æſtate res omnes, vt vinum, lac, & ſimilia faciliùs

promptiúſque aceſcunt, quia ſcilicet tunc natiuus calor cum tenuioribus calidioribúſque liquorum iſtorum partibus vaneſcit & diſſipatur. Febrem autem poſt aduentum hydropis permanere nihil vetat, quoniam intemperies calidior cordis, cum hepatis frigiditate aliquantiſper perdurare poteſt, donec æger ob maximam duarum partium principum & inæqualem δυσκρασίαν intereat. Vel dicemus etiam intemperiem hepatis tunc eſſe frigidam ex defectu natiui caloris & humidi primigenij; quamuis extraneus abundet, qui à corde communicatur, vnde ſumma curandi difficultas.

Quod ad Auerrhois ſententiam ſpectat: ſi quidem verum ſit quod Philoſophi omnes pariter ac Medici docét, flatus à calore vehementi per ſe diſcuti potiùs quàm generari, non eſt credibile intemperiem hepatis feruidam per ſe hydropis ſicci ſeu flatuoſi cauſam eſſe poſſe. Videmus quotidie in omnibus calidis intemperiebus morboſis, flatus aut nullos aut paucos admodum gigni, priuſquàm calor labaſcere incipiat congenitus: vnde illud Hippocraticum, *Aphor. 72. ſect. 5.* Οἱ ἰκτερώδεες ἀ πάσης πνευματώδεες ἰσόν. Ambigi ergo nõ poteſt, quin generatio flatus loco ſanguinis ſit ſpecies ſeu modus coctionis imminutæ ac debilitatæ potiùs quàm deprauatæ: Nam in deprauatâ ſanguis generatur bilioſus, acris, feruens, venenatus, putridus, & ſupra naturalem vt vocant, gradum poſitus. At hîc non ſanguis vel bilis, ſed flatus cum ſero ex maiore chyli parte ſuſcitatur. Adde quod flatus in tympanite in aquam facilè concreſcit, imò cum ſpiritu aqua ſemper multa reperitur: Quod non fieret, niſi ex conſimili materiâ & efficiente ſuſcitatus eſſet.

Illorum autem commentum qui fiſſuras & rimulas quaſdam velut in ollâ fractâ fieri in hepate & aliis partibus ſomniarunt, poſteà excutiemus. Hoc tantùm in præſentiâ retorquentes, ſi per eiuſmodi rimulas, vlcera, vel vulnera ſuperficiaria, abſque hepatis refrigeratione, efflueret aqua vel ſerum in abdominis cauitatem, cur non etiam ſanguis ipſe aut pus effunderetur, quemadmodum ex pulmonum & aliarum partium vlceribus, quod tamen in hydropicis nunquam eſt viſum? Argenterio denique illud vulgatum ſatisfaciat, febrem illam ſymptomaticam, ſitim, faucium ſqualorem, non pendere ab hepatis refrigerio propriè, ſed ſequi putredines & corruptelas ſeroſæ materiæ in abdomine ſtagnantis & concluſæ, quæ ſalſedinem tandem atque acrimoniam acquirit: Aut ſi hæc omnia adſint in principio, dic iſta pendere non ab hydrope, ſed à febre acutâ quæ illum produxit, & adhuc præſens eſt: Contabeſcere autem totum corpus, non ex intemperie partium calidiore, ſed alimenti defectu ob hepatis ἀτονίαν. Vrinas autem eſſe coloratas in hydropicis, aut propter iſtum calorem extraneum ſeroſæ materiæ, impedita eius diſflatione, impreſſum, qui renibus communicatur: Aut propter mixtionem bilioſi ſucci, qui totus tunc confluit in vrinas obſtructis meatibus χοληδόχοις. Ideóque vrinas non in omnibus hydropicis aut ſemper colorari, ſed eis in quibus cauſa antecedens calida fuerit, aut ſub morbi progreſſum contractâ in ſero putredine, vel auctis obſtructionibus. Concludamus itaque efficientem hydropis cauſam eſſe intemperiem hepatis frigidam, eámque vel propriâ denominatione talem vel effectu, quando contingit ab exhauſto & diſſipatione ſubiecti illius, cui viuentium calor inhæret; ad quem ſequitur inſignis error functionis illius ἁιματοποιητικῆς. Nunc reliquarum cauſarum hanc producentium ſeriem perueſtigemus.

Ex parte igitur rerum naturalium, quæ corpus ad hydropis generationem diſponere poſſunt, certum eſt ſummam illis eſſe ad hunc affectum propenſionem, quicumque alterutro parente hydropico nati fuerint, potiſſimùm ſi ante ortum iam erant contracta quædam illius rudimenta in progenitoribus: Seminalis enim materia quæ plurimùm ab hepate deriuatur, hac labe infecta, ſimilem proli πάθος imprimit, quæ ſtato tempore claros producet ἐνεργείας ſuæ effectus, niſi maturo Medici conſilio & attentâ ægri curâ illi proſpiciatur. Sic temperamenta frigidiora & humidiora, ſiue ex dominatu naturalis pituitæ, ſeu excrementitiæ, & vitio regiminis diuturni contractæ, facilè incurrere poſſunt hunc affectum. Item quicunque inſignes habent internarum partium δυσκρασίας ſiue inæquales, potiſſimùm iecoris & ventriculi: ex his enim ſumma coctionum perturbatio & ſanguinis impuritas. Mulieres etiam & eunuchi, vt annotauit Hippocrates *circa finem 7. epidem.* vt & pueri ac ſenes facilius in hydropem incidunt, quàm florentis ætatis viri cæteris paribus, qui vt humidiora habent corpora, ſic etiam minorem caloris natiui ἐκλειψιν, quo externis cauſis iam à nobis recenſendis obſiſtere poſſint.

Illarum enim vehementes incurſus ſæpe ſufficiunt ad affectum iſtum ſubitò & potenter

potenter inducendum. Aëris enim magnæ intemperies in diſpoſitis facilè id præſtant, frigidæ quidem humidæque ealorem totius corporis & hepatis extinguendo ac ſuperfluas humiditates multiplicando, vt per auſtrinas conſtitutiones: calidæ ſiccæ reſoluendo & diſſipando radicalem illam ſubſtantiam, cui innata caliditas inhæret. Vnde regiones paludoſæ & humentes, loca vallibus concluſa, vel ſitu, vt carceres, ſqualentia, domus fluminibus ſuperſtructæ, vel illis proximæ multos in hydropem præcipitarunt. Cibus verò & potus non ſolùm qualitatibus ſuis, ſed etiam ſubſtantiâ ſeu materiâ, quam nutriendo corpori noſtro ſuppeditant, multum poſſunt in promouendo hoc affectu, vtpote alimenta quæcunque frigidiora liquidioráque exiſtunt, cucurbitæ, melones, horæi omnes fructus, lacticinia recentia, piſces, & ſimilia, quia facilè in aquoſam flatuoſámque naturam conuertuntur: quæcumque ſunt dyſpepta & cacochyma, quia dum magnum calori concoquenti negotium faceſſunt, illum atterunt, & debilitant, malignóſque ſuccos ac flatus multiplicant; vt carnes bubulæ, ſuillæ, & ſimiles potiſſimùm ſalitæ, legumina, braſſica, cum bulboſis omnibus, & ſimilia: Item valde calida, vt piperata, vinum merum & copioſum, quia extorrent & quaſi frigunt ſubſtantiam hepatis. Quæcunque voraciter, nullo ordine, aut ſtato tempore ſumpta, poſſunt idem efficere, quia obruunt vim partium coctioni dicatarum. Sed potiſſimùm illud præſtat potus immoderatus in eis qui viſcera habent infirmiora, ſi quidem aut per longas & æſtuantes febres, aut laborioſa itinera, & vehementes exercitationes, vt iam de Eunucho illo dicebamus, cogantur copioſiùs, frequentiùs, & quauis horâ, vtpote de nocte & circa ſomni tempus bibere. Etenim ſi aquâ niuali, aut aliàs frigidiore vel turbidiore & impuriore ſubitò ſe impleant, vix affectum iſtum effugere poterunt, vt eſt apud Hippocrat. *libr. de intern. affect.* Idem dicas de ſomno immoderato, quia nimis humectat; de vigiliis intempeſtiuis, quia valde exhauriunt humiditatem natiuam: de vehementioribus exercitationibus propter eandem cauſam, & quia valdè ſiticuloſos faciunt homines: de curis, mœroribus, & cæteris animi pathematis grauioribus, quia omnes coctiones perturbant & humores variè permiſcent. At verò excretiones immodicæ, ſiue laudabilis materiæ, vt ſeminis vel ſanguinis per quamcunque viam factæ; vel illaudabilis & excrementitiæ, vt per diarrhœas diutiùs profluentes, lienterias, vel dyſenterias, vt eſt *Aphoriſm.* 43. & 48. *ſect.* 6. Quia citò depopulantur ſpiritus & caloris noſtri ſubiectum, non eſt mirum ſi ἀιμάτωσιν labefactent, & cruditatibus hydropíque generando occaſionem præſtent. Suppreſſæ verò vacuationes naturales, aut artis operâ comparatæ etiam induunt naturam cauſarum interiorum & antecedentium hydropis, quia plethoram & cacochymiam faciunt & multiplicant.

Nam plethora quæuis ſiue cacochymia vniuerſalis, potiſſimùm pituitoſa, vt iam dicebamus, interna eſt hydropis cauſa ac potentiſſima, quia citò poteſt obruere vim caloris natiui, & qualitatibus ſuis temperamentum partium iſtarum immutare. Febris autem omnis ardentior aut diuturnior, quia conficit ſubitò & quaſi tabefacit illud ἔμφυτον, toti corpori & partibus neceſſarium ad ſua munia obeunda, vnde hecticos ſæpe hydropem incurrere videmus. Et quemadmodum vniuerſales iſtæ totius corporis diſpoſitiones id præſtant: Sic etiam particulares ſingulorum membrorum, quæ cum hepate ſyntimorian ex vicinià, operiſque aut generis ſocietate habent, dum qualitates ſuas & diſpoſitiones multiplicant, vel materiæ faciunt communicationem. Sic à cerebro dum decumbit pituita copioſior in hepar, à pulmonibus & diaphragmate refrigeratis aut putrilagine affectis, quia propinquas partes inficiunt. A ventriculo refrigerato nimiùm & debilitato, quia chylum crudiorem & aquoſiorem ſuppeditat. A liene ſcirrhoſo aut infirmiore, quia non expurgat fæcem melancholicam obſtructionum pertinaciſſimarum authorem, & ſuo velut torpedinis contactu, ventriculi proximiores parietes & ipſum hepar mortificat. A renibus, veſicâ, emulgentibus & meſaraïcis, quando non deducunt ſeroſitates ſanguinis per conuenientes vias, ſed cogunt refluere ad ſuum fontem. Ab vtero, & venis lumbaribus ſeu hæmorrhoidibus, quando ſolitam ſanguinis quantitatem & aſſuetis periodis non euacuant, vel nimiâ copiâ profundunt. A doloribus diuturnioribus & vehementioribus inteſtinorum, & aliarum partium, quando illis condoleſcit hepar, & magna fit triplicis ſubſtantiæ diſſipatio. Sic vlcera interna, vulneráque & obſtructiones tam hepatis quàm cyſtidos felleæ & reliquarum partium, quia temperiem eius per accidens mutant, & ſanguificationis opus impediunt, ideò hæc omnia faciunt triplicis illius materiæ, flatuoſæ ſcilicet, ſeroſæ, & pituitoſæ

ſynathriſ

ſynatriſmon, ex quâ proximè hydropici tumores excitantur. Quâ verò ratione, per quas vias, & quo impetu iſti humores & flatus in abdominis cauum exiliant, vel in totum corporis habitum effundantur, iam eſt particularius inquirendum.

Hic ergo eſt generationis modus, vtpote in λευκοφλεγμαϛία. Refrigeratum hepar crudiorem ſuccum pituitoſiorémque generans, ſed adhuc alibilem, eum diſtribuit per venas in totum corpus, vnde vniuerſalis καχεξία repente exoritur ex cacochymiâ iſtâ pituitoſâ, quæ primum in pedibus, vtpote à caloris fonte longiùs remotis & in facie eluceſcit, mox per totam cõpaginem diffunditur, & quaſi perpetuum œdema conſtituit, quod digito preſſum ſubſidit, deinde paulatim attollitur. Iſte enim ſuccus affuſus in partes, neque aſſimilatur, ob partium debilitatem; neque apponitur ſeu vnitur, ob ſubſtantiæ ineptitudinem; nec reſoluitur, ob inopiam caloris & materiæ craſſitiem, & ob hanc cauſam ſerum vel flatus non poſſunt conſtituere anaſarcam, quia eiuſmodi materiæ facilè reſoluerentur: ſed partium interualla & poros naturales replens, totam reddit cutim turgidam & præter naturæ modum intentam, túncque perfecta eſt leucophlegmatia ſeu anarſaca.

Tympaniticus autem affectus, qui à flatulento fit humore, vel flatu humorali, (nũquam enim ſincerus & ſolitarius reperitur) quotieſcunque incipit ab vmbilico & inteſtinis gracilioribus, ſequitur magnas eorum cruditates & imbecillitatem quaſi hecticam, quæ hepati ſenſim communicata, dum maior chyli portio in eiuſmodi flatuoſam materiam degenerat, nec motu illo periſtaltico inteſtinorum ſurſum vel deorſum expellitur, neque etiam contineri poteſt in cauitate aut interſtitiis tunicarũm, diu exagitata & veluti attenuata, erumpit ſummo dolore in patentiorem abdominis cauernam, ibique ſtabulatur, magnâ diſtentione ægros fatigans. Sin verò mali initium ab ipſo hepate vel aliis partibus ſit exortum, non eſt quidem tantus cruciatus ex diuulſione dum fit, ſed tamen non minor nebuloſi illius ſpiritus cum aquoſâ ſubſtantiâ in ventrem eruptio per illarum poros & naturales meatus, vbi ſimiliter coaceruatur, & tantam in molem accreſcit, vt pellis ſæpe extima diſrumpi videatur.

At verò aſcites, qui concluſarum in ventre aquarum ſoboles eſt, ita progreditur. Cùm intemperatiſſimum hepar nihil deinceps aut certè parum generet, quod alendo corpori ſit idoneum; ſed ſeroſam tantùm materiam pauco flatui mixtam, fit vt neque partes reliquæ trahant ſibi inutilem ſuccum, nec ille præ tenuitate ſuâ à iectore debilitato vlteriùs propelli poſſit, ſed elabatur in ipſum hepatis, lienis, aut alterius viſceris corpus, indéque per contiguas venas, vaſa vmbilicalia, & conſuetos meatus tranſcolatum per διαπήδησιν, vtpote tenuiſſimum aliquando ipſum omentum implet, aliàs deuoluitur in vacua illa ventris inferioris ſpatia; aliquando ſi natura ſit validior, in imos pedes, aut ſcroti cauitatem decumbit. Quod ſi materia illa paulò craſſior, aut præ multitudine, vt plerumque contingit, non poſſit per aſſuetas illas vias profundi, ſed diutiùs in partium ſubſtantiâ coërceatur, excitatâ quaſi putrilagine in extimâ eorum ſuperficie ὐδατίδες, inquit Galenus, ſeu bullæ producuntur, quales in admoto cuti veſicatorio cernere licet, quibus diſruptis extillat copioſum illud ſerum quod circa omentum, inteſtina & peritonæum tunicam coërcetur. Hæc itaque omnia colliges ex doctiſſimis Galeni commentariis *in Aphoriſm. 55. ſect. 7.* Sed inſtat Fernelius, ridétque illos qui putant per anguſtos cæcóſque poros ſeroſum humorem transferri in abdominis cauitatem. *Nam hac*, inquit, *ratione Aſcites peræque omnes inuaderet, & diſtribuendis humoribus videretur natura inutiliter vias ductúſque tam multos deſtinaſſe.* Verùm, vt Fernelio reſpondeamus, quis mediocriter in Medicinæ operibus verſatus neſcit, pus ipſum per anguſtos cæcóſque poros tranſire, per media oſſium & membranarum ſpatia penetrare, pleuritidis materiam peruadere pulmonum ſubſtantiam & bronchias, vt per ἀνακάθαρσιν copioſiſſimam excludatur? Quantò magis ſeroſa illa & tenuis materia, quæ διαπήδησιν eſt aptiſſima, & quam per cæcos meatus ferri illud manifeſtiſſimè oſtendit, quòd ab inani ventris ſpatio catharticis attracta, inteſtinorum tunicas penetrat, & per aluum profunditur? Nec idcircò omnes peræque aſcitici euadent, niſi qui magnam ſeroſi humoris copiam ex hepatis refrigeratione colligent, quæ non poſſit propter obſtructiones, ἄλειον partium, aut alia impedimenta per vias ductúſque à naturâ dicatos transferri. Sed addit Fernelius, *Multos ex vrinâ dies viginti ſuppreſsâ extinctos nouimus, quibus aqua nihil quicquam deprehenſum eſt per cæcos illos ductus in abdominis ſpatium reſluxiſſe.* Quaſi verò nos dicamus ſemper materiam illam per cæcos iſtos poros affluere, cùm ὐδατίδας illas ex Galeno conſtituendas eſſe dixerimus, ſed aliquando tamen id fieri poſſe nihil vetat, quando videlicet

tenuior

tenuior materia, aut pororum cœcorúmque illorum ductuum laxitas, vt per ſummas iſtas partium infirmitates & humectationes accidit, permiſerit: quæ ægris à Fernelio viſis & diſſectis non contigerant fortaſſe: nobis tamen aſcitici plerique viſi ſunt, in quibus venter aquâ erat refertiſſimus, nullis apparentibus in hepate aut alibi hydatidibus, multò minùs fiſſuris illis ſeu rimis à Fernelio commemoratis: illam igitur per tranſcolationem erupiſſe oportuit, cùm nullus alius pateat exeundi modus. Quòd ſi libeat Fernelij ſententiam exagitare, quis non dicat turpiter eos hallucinari, qui putant in viuentibus iecoris & aliorum viſcerum ſubſtantiam exarefactam, perinde atque terram ſiccitate quadam puluerulentà findi atque dehiſcere? Potéſtne vita noſtra cum tanto temperamenti exceſſu ſubſiſtere, in viſcere potiſſimùm humorum authore? cùm tanto ſpirituum effluuio, quod per iſtas fiſſuras aut venarum diſruptiones contingeret? An non ſimul ſanguis cum ſero in abdomen ipſum, imò ipſa anima profunderetur? An non conuulſionibus & membrorum contractionibus miris cum tantâ ſiccitate torquerentur? Certè hectici omnes, qui ad ſummum, ſub quo vita noſtra ſubſiſtere poteſt, ſiccitatis gradum peruenere, omnes aſciticí euaderent, in eíſque hepar & reliqua viſcera rimis ſcatentia reperirentur. Quod tamen nemo ſanæ mentis & in Medicinâ exercitatus aſſerere audeat.

Concludamus ergo, materiam iſtam aſciticam, ſæpiùs per poros inſenſiles tranſfluere in caua abdominis per diapedeſin, aliquando per veſiculas illas diſruptas à Galeno commemoratas, quæ & in hepate, & in aliarum partium ſuperficie exoriri poſſunt. Item intemperiem iſtam, quæ hydropas parit, maiorem eſſe vel minorem; κατὰ χύσιν, vel κατ' ἕξιν. Si minor eſt, pituitam generare, & ad corporis nutritionem adhuc tranſmittere, cùm pituita illa ſit ſanguis frigidior crudiórque; aliàs pro pituitâ flatum ſpiritúmque nebuloſum producere: Si verò maior & grauiùs infixa, meram aquam ſerúmve efficere: non tamen idcircò debere neceſſariò & ſemper leucophlegmatiam aut tympanitem, aſciticum hydropa præcedere, velut remiſſiores δυσκρασίας, quoniam cauſarum impreſſio vehementior ſæpe, aut corporis partiúmque certa conſtitutio, non permittit illum progreſſum & ordinem in producendis ſenſim iſtis affectibus, ſed ſubitò ad vltima peruadit. Nunc itaque ad diagnoſin accedamus.

Diagnoſis tanti affectus ſpectat ſigna tam communia omni hydropi, quàm particularia vnicuique ſpeciei, cauſarúmque & partis primariò affectæ notitiam. Omnis itaque hydrops cùm pendeat ex collectione materiæ humoralis vel flatuoſæ, neceſſariò facit tumores ſiue eleuationes, modò incipientes, vt in pedibus, cruribus, ſcroto, manibus, facie, palpebris, & ſimilibus, ob κακοχυμίαν malúmque habitum, qui primò in his partibus à caloris fonte remotioribus contrahitur; poſteà confimatos in toto corpore, vel in ipſo abdomine. Et quemadmodum fœdus humor affluit in omnes corporis partes, vitiatâ humorali maſsâ; ſic etiam color immutatur variis modis, prout diuerſa fuerit cacochymia, ex quâ hic affectus ſuam duxit originem. Adeſt maximus virium languor, quoniam laborante iecinore, vitioſúmque ſanguinem procreante, trahitur cor cerebrúmque in conſenſum, & tota naturalis œconomia labefactatur. Inde febricula inuadit, cum pulſu paruo ſed veloci, frequentes aliquando lipothymiæ, cordis palpitationes, tuſſes, ſpirandi difficultates, ſenſuum infirmitas, laſſitudo ſpontanea, & ſimilia. Ventriculi appetentia ad cibos deiicitur, ingraueſcente tamen ſiti, quâ plurimùm diſtorquentur: nauſeæ & vomitus aliquando vrgent; excrementa alui aliàs ægrè emittunt, quoties antecedens cauſa calidior fuerit, vel ab obſtructionibus contracta: aliàs quantitate profluunt nimiâ, ſanguinolenta, loturæ carnium ſimillima, vel chyloſa, prout ventriculi, inteſtinorum, meſaraicarum aut hepatis maior eſt infirmitas, túncque totum corpus valde contabeſcit & exſiccatur. Pauca adeſt vt plurimum mictio, vrinæque albæ & palleſcentis, niſi obſtructis meatibus cyſtidos, aut iam inductâ putredine tingantur. Hypoſarcam autem diſtinguere à tympanite & aſcite eſt facillimum, quoniam hic affectus totum corpus, vel ſaltem partes externas æquali quodam tumore & valde palleſcente, quaſi demortui hominis occupat, cui impreſſum digiti veſtigium diu ſuperſtes manet, & quædam quaſi mollis craſſities ad contactum in ſingulis partibus ſentitur, velut in paſtâ, propter pituitam illam in poros effuſam, vnde accreſcit quidem ventris moles, ſed in exteriore tantùm ſuperficie, muſculis videlicet ac cute: quod in aliis hydropis ſpeciebus, contrario fit modo, extenuatis videlicet illis præ nutritionis defectu, atque elongatis, ob diſtentionem materiæ in cauo abdominis contentæ, quæ prominere

facit vmbilicum, cùm in anasarcâ & ventris pinguedine multum occultetur. Vt igitur in hoc hydrope partes omnes intumescunt, & totum corpus grandiori quadam mole accrescit, sic in aliis gracilescit, & præter ventris sarcinam in marasmum deformem præcipitatur. Ac si quidem materia distendens flatuosa sit, minori quidem pondere fatigat, sed cruciatus acerbos infert, pulsatúsque vēter vngue aut baculo, durior sentitur instar tympani resonans, grandiorésque borborygmi & rugitus circa intestinorum claustra sæpius audiuntur: Cùm in ascite minor sit tensio, sed grauior & maioris ponderis, sensu fluctuationis & quasi inundationis comitata, dum æger ad latera conuertitur, & pro decubitu tumor in hanc vel illam partem magis inclinat, quà scilicet inclusum serum deuoluitur. Cuius etiam portio per musculorum interstitia in pedes, femora & crura labitur, aliàs per productiones peritonæi & vasa seminaria in scrotum, vbi insignes tumores excitantur, sæpe etiam diaphragma inuadit, & thoracem penetrat calamitoso ægri sidere. In hoc hydrope ob contractam in sero putrilaginem febris cum siti valde fatigat, quæ potu non leuatur, sed augetur indies ob æstum partium illarum internarum: vrináque ob eandem causam, aut iunctas obstructiones, saturata rufo colore profunditur. Eadem ratione iudicandum in permixtione horum affectuum, vt quando anasarca asciti, vel tympaniti ascites iungitur, tunc enim mixta & complicata signa esse oportet. A quibus verò causis & affectibus primariis hydropes isti exoriātur, tam ea quæ præcesserunt, & actione suâ corpori nostro vim intulerunt, quàm quæ comitantur sympromata, ostendunt. Externarum enim causarum præsentium adhuc vel prægressarum potentia ostendit naturam affectus qui subsecutus est. Vtrùm autem per se vel per accidens & intermediis aliis dispositionibus illud factum sit, ratio indicare debet. Internæ verò causæ, vt plethora, cacochymia, febriles constitutiones, ex propriis signis dignoscuntur: quemadmodum & affectus cerebri, pulmonis, ventriculi, lienis, articulorum, renum, vteri, cystidos, venarum & similium. Nam si quidem isti generationem hydropis præcesserint, & diu hominem fatigarint, priusquàm aliqua hepatis querela appareret, illisque auctis & ingraueſcentibus collecta fuerit materia illa, tumoris hydropici procreatrix, suppressâ interim ordinariâ vacuatione quæ per illas fiebat, vel inordinatè factâ: certe hinc colligere possumus secundarium esse hepatis affectum, & à sympathiâ pendere illorum membrorum πρωτοπαθῶν: Vt contrà si nullæ eiusmodi notæ adfuerint, sed in ipsâ hepatis regione dolor aut tumor potissimùm durus, diu perceptus fuerit, vel magnum pondus & obstructionum copia, aut contracti vlceris vel intemperiei simplicis suspicio fuerit, & sufficiens coniectura: tunc iecori accepta ferenda est huius mali origo, nec alteri parti adscribenda, nisi fortè cōplicatio sit aut connexio plurium affectuū in variis corporis partibus, vt sæpe contingit. Atque hæc de diagnosi sufficiant.

προγνωστικὰ autem signa huius affectus, vel sunt præsentis iam contracti, aut venturi siue imminentis, cui maturè occurrendum est. Venturum itaque significat hydropem eorum præsentia quæ illum generare posse diximus ex parte rerum naturalium, non naturalium, & præter naturam; fieri enim non potest, quin si illa omnia, vel quædam ex iis vehementiora, simul consenserint, diúque operas suas efficiendo contulerint, tandem is affectus producatur, qui cum illis analogiam habet & manifestum consensum. Imminentem autem, quando iam leuiusculi tumores & inflationes partium cum cachexiâ vel decoloratione externi habitus apparere incipiunt, & in ventre circa vmbilicum dolores pertinacissimi sentiuntur, aut saltem distentiones, & insolita in visceribus abdominis pondera, (contractis tumoribus scirrhosis, vel rebelli obstructione.) Certè inflatio ventriculi diuturna cum ἀποκλίᾳ & fastidio ciborum, frequentiùs ascitem præcedit & quasi accersit: aliàs stillæ sanguinis tenuioris & pallidioris ex naribus frequenter prorumpentes, & absque vllâ causâ manifestâ, hydropem instare portendunt. In facto autem siue præsenti hydrope, prædagire solemus de mortis periculo & curandi difficultate, aliquando comparatiuè & per relationem factam inter varias hydropis species; aliàs absolutè, simpliciter, & prout talis est affectus. Habito ergo respectu diuersarum specierum, quamuis hydrops ex suâ naturâ & constitutione propriâ θανάσιμος sit & δυσίατος, paucíque ex eo confirmato euadant, dubitatur tamen quis inter illos censeri debeat periculosior. Omnes ferè in eo consentiunt, anasarcam reliquis curatu faciliorem esse, quoniam in illo robur adhuc quoddam hepatis elucescit, materiam non omnino à sanguinis naturâ degenerantem producentis, & per extimas partes distribuentis, quódque facilius sic talem humorem per externa membra & quasi portiunculis dispersum

resoluere

reſoluere ac diſſipare, quàm vnitum & in cauitate abdominis concluſum. Tympanitem etiam non tantùm periculi inferre quam aſcitem, cùm minor ſit δυσκρασία hepatis, quæ illum producit, nec tantus ſit putrilaginis viſcerum metus à flatu in ventre concluſo, quàm à ſero ibidem ſtagnante, vnde grauiſſima emergunt ſymptomata. Attamen aliqui contrarium ſentiunt. Nam morbus vniuerſalis, inquiunt illi, & totum corpus occupans, deterior eſt particulari & vni tantùm parti affixo. Anaſarca ergo hac ratione reliquis hydropis ſpeciebus infeſtior cenſendus eſt, (vnde Hippocrates *libro de victus ratione in morb. acutis*, Hydropem hypoſarcidion vocat ἀφυκτὸν ineuitabilem, alios verò multâ bonâ fortunâ egere, vt curentur.) Tympanitem etiam aſcite periculoſiorem ſic probant.

Siccitas iuncta frigiditati ſeu minoti calori, quæ iſtum efficit, tanto difficilior curatu periculoſiórque humiditate, quæ aſcitis eſt cauſa, quantò difficilius eſt replere & reſarcire, quam vacuare. Et tumor tympaniticus ægriùs tollitur quàm aſciticus, cuius aquâ purgantibus, aperientibus, roborantibus, παρακεντήσει denique & ſimilibus facilè vacuatur, quæ flatuoſo tumori adhibere non poſſis, ſed diaphoretica tantùm ſeu reſoluentia, à quibus etiam magis augetur ſiccitas contracta, & proinde flatuum iſtorum copia. Verùm his rationibus non debemus dimoueri à priore ſententiâ. Nam quamuis vniuerſalis morbus & totum corpus occupans, deterior particulari dicatur, hoc tamen intelligendum eſt, ſi cætera ſint paria, eadémque ſit intentio & grauitas. Aliàs multò melius eſt ſimilem materiam & eiuſdem quantitatis per varias partes potiſſimùm externas diſſeminari, quàm in viſcere aliquo interno, aut iuxta illud contineri, vt in ventrali hydrope contingit.

Quod ad tympanitem verò attinet, ſcitum eſt ex iam dictis, ſiccitatem, quæ in illo eſſe dicitur, non conſtituere morbi eſſentiam; ſed cùm vocamus eum ſiccum, intelligimus hepar nondum ita receſſiſſe à temperie ſuâ naturali ſecundùm qualitates paſſiuas ac in aſcite. Vt ſic ſiccitas illa ſeu priuatio humiditatis excrementitiæ, ſalubris ſit potiùs quàm morboſa, nec proinde curationem, ſed potiùs conſeruationem expoſtulet, vnde vana eſt prior argumentatio. Quod etiam ad tumoris hydropici ſublationem ſpectat, dicimus faciliùs tolli flatuoſum quàm aquoſum diſcutientibus & diſſipantibus, quæ ſolent aquam priùs in flatum reſoluere & attenuare quàm illa diſſipetur. Paracenteſi quidem commodius educitur aqua quàm flatus, vt in catarractâ humor ille qui ſuffuſionem parit, faciliùs acu deprimitur, ſi craſſus ſit & compactus, quàm ſi diſſipatus & tenuis. Verùm hoc oſtendit grauitatem morbi aſcitici, in quo curando, cogimur anceps hoc remedium experiri, cùm tympaniticus inſenſili reſolutione, vt iam diximus, ac hepatis roboratione ſæpe diſcuti valeat, niſi iam firmiores egerit radices, & quaſi in aſcitis naturam collectâ ſenſim aquâ degeneret. Ita vt ego probarem lubenter Meſuei ſententiam, qui tympanitem etiam anaſarcâ curatu faciliorem eſſe putat. Tranſeamus ergo ad aliam huiuſce prognoſis partem.

Omnis hydrops morbus eſt periculoſiſſimus & δυσιατώτατος, ob partis principis affectæ nobilitatem, eſſentiæ propriæ magnitudinem, (non enim priùs apparet hydrops, quin iam labefactarum ſit grauiter viſceris alicuius temperamentum, & materiæ magna portio collecta:) grauiſſimáque ſymptomata quæ illum comitari & ſubſequi ſolent. Quamuis enim videatur Hippocrates *Aphoriſm. 5. ſect. 7.* facere hydropem aliquando criticum, hoc tamen eſt valde ſuſpectum Galeno, & repugnans ipſi Hippocrati in Aphoriſm. niſi illud criticum ſumatur latiùs pro quauis ſolutione alterius morbi, ſiue ſit in bonum, ſiue in malum. Grauior autem multò & periculoſior quicunque hydrops ſequitur diſpoſitiones hæreditarias, aut inæquales partium δυσκρασίας: Ac ſi quidem in temperamenta pituitoſa vel ſenile corpus inciderit, citò accreſcit, parum obſiſtente naturali diſpoſitione: Si in bilioſa calidioráue, vt ſignum eſt magnitudinis cauſæ, quæ potuit naturale temperamentum immutare, ſic magnam haber curandi difficultatem ob contrarias indicationes. Idem dicas de variâ cacochymiâ aut plethorâ hydropis parente. Quòd ſi febri acutæ, phthiſi, aut alteri morbo ſucceſſerit, impoſſibile eſt ægrum euadere priori iam pugnâ fatigatum, vt eſt 2. *Prognoſtic. libro quarto de morbis, & libro de affectionibus.* Dirus eſt etiam ille hydrops, qui ſequitur partium putrilagines & corruptelas, vlcera, aut tumores confirmatos, præcipuè verò hepatis ipſius, à cuius robore, ſi quæ ſit, tota affulgere debet in hoc affectu, curandi

ſpes, vel ſaltem prorogandæ vitæ. Melius eſt etiam hydropem ſequi ſuppreſſiones materiæ vacuari ſolitæ, quàm magnas inanitiones; facilius eſt enim deplere, quàm implere & reſarcire iacturam humidi primigenij. Tutiſſimus inter alios eſt hydrops, qui totus pendere videtur à cauſis externis, vt aquæ potu nimio, & ſimilibus: Nam illis mutatis aut eductis, aliquando contingit ſalus. De eo enim præcipuè locutum eſſe Hippocratem cenſeo *lib.* 2. *Prorrhet.* quando ſalutarem hydropa deſcribit, quem locum conſulant ſtudioſi. Pro ratione igitur vigentium ſymptomatum facile erit de ſucceſſu præſagire: Quotieſcunque enim functionum vitalium & animalium maxima eſt ruina ob collabentes naturales, mors eſt in propinquo: Syncope enim, λιποψυχία, difficultas ſpirandi, palpitatio vrgens mortem pro foribus eſſe denuntiant: Inſignis laſſitudo, imminutio memoriæ aut rationis, epilepſiæ inſultus qui olim non adfuerant, vt eſt *in Coacis*, idem ſuadent. Tuſſim etiam quæ priùs non fuit, aut non fit à defluente catarrho, valde hîc reformidat Hippocrates *Aphor.* 35. *ſect.* 6. & 48. *ſect.* 7. quia peruadente aquâ ipſum thoracem, citò æger ſuffocatur. Deiecta valde appetentia cum alui fluxu immodico, torminibus vel teneſmo iuncto, vel fœtente admodum, chyloſo aut ſanguinolento, citò hominem rapit, quia non poteſt natura laborem iſtum & vacuationem ſymptomaticam iam deiectis viribus perferre. In robuſtis tamen & appetentibus, aliquando alui fluxus ſub morbi principium, *in Coacis*, ſalutem attulit, eductâ quæ tumorem faciebat materiâ, vt eſt *in Aphoriſmis* 29. *ſect.* 7. & 14. *ſect.* 6. niſi denuò renaſcatur, ὕδρωψ ὁ πρὸς διεγερσίων παλινδρομῶν, ἀνίλπιστος, vt loquitur Hippocrates *in Coacis*, quia oſtendit confirmatam viſcerum intemperiem, quæ tantum poteſt regenerando humori morbifico, quantum artificioſa aut ſpontanea vacuatio educendo. Lotium etiam paucum & valde coloratum, peſſimum eſt, quia omnia intus cohíberi propter obſtructiones aut ſecretricem imbecillam, & magnam contractæ putredinis vim oſtendit: Hinc Hippocrates τερψιχρώιον in hydrope calamitoſam pronuntiauit *in Coacis*, (quemadmodum Arabes vrinam diuerſi coloris funeſtam eſſe dixerunt, & Gordonius biſcolorem vrinam, quia oſtendit contrarietatem materiæ & efficientis) vlcera item exorientia in hydropicis, iam eneruatam caloris natiui potentiam oſtendunt, inualeſcente putredinoſo qui interitum molitur: vt etiam ſuperueniens carbunculus, aut quæuis maligna puſtula. Maximè facit ad tanti affectus expugnationem temperantia ægri & obſequium: Nam impoſſibile eſt intemperantem ægrum aut moroſum ab hydrope quantumuis leui euadere: Vnde nobilis illa apud Celſum hiſtoria, de prædictione duorum Medicorum ſuper hydropico contrariâ, quorum vnus ad morbi naturam, alter ad ægri animum reſpiciebat. Iam ergo curationi illius incumbamus.

Θεραπεία huiuſce affectus, vt aliorum omnium, ex conuenienti indicationum lege in primis ſtabilienda eſt, quæ quid agendum ſit in omni hydrope, & ſingulis eius ſpeciebus, qualibus, quantis, & quomodo, ſufficienter oſtendant. Tria igitur potiſſimùm conſideranda veniunt, pars affecta, affectus natura cum eius magnitudine, & cauſæ omnes eum efficientes, augentes, vel conſeruantes. Ex parte igitur membrorum patientium tam hepatis quàm aliorum indicantur roborantia calorem natiuum & reficientia humidi primigenij iacturam, quod victus ratione potiſſimùm perficitur, & tonicis remediis à Galeno vocatis. Ratione naturæ & magnitudinis affectus, indicantur qualia & quanta ſint illi opponenda. Cùm enim illius eſſentiam collocauerimus in collectione materiæ humoralis vel flatuoſæ, tumorem abdominis vel totius externi habitus concitantis: inde ex contrariorum lege indicantur vacuantia eiuſmodi pituitam, aquas ſiue flatus fero permixtos, cum correctione intemperiei illius, à quâ proximè ſuſcitantur. Item præparantia vias ſiue meatus, per quos materia illa erit excludenda: Nam quod ad eam ſpectat, cùm extra naturæ regimen & omnem pepaſmi conditionem poſita ſit, ſatiſque ſequax & fluxilis ſuâ naturâ, nullam coctionis aut alterius præparationis indicationem vtilem præbet, vt eſt apud Galenum; addè quod cauſæ ſine quâ non rationem obtinens, vt in vlcere excrementa, quamuis ſit effectus alterius morbi, tamen primò auferenda eſſe ſuadetur, tum vt alij affectus deinde commodiùs corrigantur, tum etiam ne magis ac magis intemperiem hepatis intendat, vel putrilaginem concipiens, vitium & corruptelam omnibus partibus abdomine contentis inferat. Ex parte autem cauſarum primò externarum oſtenditur ea omnia eſſe vitanda, aut in meliorem ſtatum commutanda,

mutanda, quæcunque occaſionem huic affectui generando contulerunt. Interarum verò antecedentium, ſiue ſit plethora ſeu cacochymia, ſiue æſtuoſa febris; obſtructionum multitudo; vlcus, imbecillitas renum, veteri mala conſtitutio; & ſimilia, ea omnia erunt expugnanda corrigendaque quantum fieri poterit; diligenter, tali ordine, ſi fieri poſſit, quo cœperunt, ne ſubſequentem ſibi effectum foueant & multiplicent. Ratione verò propinquarum affectui cauſarum & quaſi coniunctarum, vt materiæ fluentis vel fluxuræ in abdomen aut corporis habitum, reuellentia, deriuantia, & vacuantia per omnes corporis ductus conuenientes & naturæ conſuetos indicantur, venæ ſectione in certis caſibus, vt poſteà dicemus, catharticis tam vomitoriis, quàm deiectoriis, vt clyſteribus, ſudorificis, diureticis, & ſimilibus, ſumptis & admotis. In deplorato denique hydrope dum integra curatio non ſperatur, proponitur mitigatio ſeu lenitio grauiorum ſymptomatum, vt vita diutiùs prorogetur. Nos itaque victus primò rationem omnibus hydropicis accommodatam deſcribamus, poſteà peculiarem vniuſcuiuſque ſpeciei therapeiam propoſituri.

Regimen igitur vitæ ea omnia ſpectabit, quæ priùs à nobis inter externas huiuſce affectus cauſas repoſita fuerunt. Et quemadmodum illa per διυποκρασίας ſuas, aut materiæ vitium, corpori offenſam & calamitatem iſtam intulerunt, ſic contrario modo ſunt diſponendæ, vt iam afflicto opem & ſuauem medelam adferant. Vergant itaque alimenta ad caliditatem ſiccitatemque maiorem vel minorem, prout intemperies frigidior humidiórve vigebit, nec erit complicatio febrilis æſtus primarij vel ſymptomatici, inæqualis intemperiei, cacochymiæ, aut ſimilium contraindicantium: tunc enim moderanda erunt pro vario illorum exceſſu. Qualitatibus etiam non ſint deſtituta attenuantibus, incidentibus, reſoluentibus, ſi quidem obſtructionum aut flatus copia coniuncta ſit. Subſtantia verò perpetuò ſit euchyma & eupepta, boni ſucci ſcilicet & nunquam ex ſuâ naturâ pituitoſum ſuccum vel ſeroſum generantis, facilíſque coctionis ad recreandum calorem natiuum in tantâ virium naturalium infirmitate. Quemadmodum quantitate mediocria, ne obruat vim illius, & in plures potiùs vices, quàm vno paſtu voraciter ſumpta: impedit enim metus ſuffocationis ob compreſſionem ventriculi: potiſſimùm verò potus, cuius parſimoniam in hoc affectu tanti faciunt Practici noſtri, vt referant ſe multos vidiſſe, qui ab eo liberati ſint ſolâ bibendi abſtinentiâ per integrum annum. Quod tamen ego nollem vſurpare in eis, quibus retorridum & exſiccatum hepar, per abſumptionem humidi primigenij, cauſa fuit huius ſynathriſmi, hoc enim modo incineratis quaſi partibus citiùs in mortem præcipitarentur: Sed tamen debet ſemper potus ſumma mediocritas inſtitui, & in omnibus aliis temperantia, rectus ordo, tempus & forma obſeruari. Eligatur itaque panis albiſſimus, recens, bene coctus, imò aliquando biſcoctus vel toſtus, aniſatus, & bene fermentatus, ne obſtruat vel adſtringat, ſed exſiccet. Carnes boni ſucci, perdicum, caponum, gallinarum, auium montanarum, veruecis, & ſimilium, aſſæ potiùs quàm elixæ. Quòd ſi aliquando elixis vti placeat, temperentur radicibus fœniculi, petroſelini, foliis ſaluiæ, hyſſopi, menthæ aut maioranæ. Abſtineant verò ab earum iuſculis, quantum fieri poterit, vt à piſcibus in totum, fructibus horæis & fugacibus, lacticiniis, & reliquis dulcibus, leguminibus, oleribus coctis crudiſque, & ſimilibus. Oua integra non ſunt illis concedenda, ſed vitelli tantùm indurati, aliàs tremuli cum ſaccharo & pauco cinnamomi puluere ad recreandas vires & reſarciendos ſubitò ſpiritus, quâ intentione dum iam imbecilliores euadunt, conſummata, ſtillatitia, expreſſa, & ſimilia inſtaurantia illis imperamus. Aromatum vſus accommodatiſſimus, præcipuè nucis moſchatæ, cinnamomi, & garyophyllorum; à pipere verò & piperatis, zinzibere, cardamomo, & ſimilibus abſtineant, ne ſitis intendatur. Quemadmodum & ab omnibus ſalſis & acrioribus, niſi aliquando & in paucâ quantitate, excitandi appetitus causâ: Quamuis enim Hippocrates *libro de intern. affect.* ſalſa omnia & acria hydropicis permittat, vt ſaperdam ac ſalſamentum Gaditanum; hoc tamen eâ lege permittit, vt tamen ægri non inde bibant copioſiùs, ſed voluntate ſitim ſuperent; quod de Iulio viatore narrat Plinius. Secundâ menſâ ſumant vuas paſſas, caricas, nucleos pineos torrefactos, amygdalas toſtas, corticem citri, arantij mali aut limonis ſaccharo vel melle conditum, aniſum, fœniculum, coriandri ſemina ſaccharo incruſtata. Quæ eodem modo horis matutinis aſſumpta iuuabunt, eoſque valde recreatos ſæpiùs vidimus fruſtulo myrobalani conditi, vel

by Google

nucis illius myriſticæ ſiue moſchatæ, quæ hodie ex Indiâ cum extimâ ſuâ carne conditæ deportantur. Vinum bibant purum & tenue, ſed generoſum, aquæ permixtum conuenienter, cui cinnamomi cortex, vel fœniculi ſemen, aut fruſtula tamariſci propter obſtructiones, infuſa fuerint, vel leuiter decocta, tantumque bibant, quantum ſuſtentandæ vitæ ſufficiat, & ſiticuloſæ paſſioni leniendæ, ad cuius etiam ſedationem aceti vſum concedere eis ſolemus, ciborum condiendorum,& oris aliquando colluendi causâ.

Et quemadmodum alimentorum rectus debet inſtitui vſus, ſic etiam reliquæ res externæ non negligendæ. Aëris videlicet tam vniuerſalis quàm particularis ſtatus talis ſit, vt omnis fœtoris, madoris, ac rigoris, quantum fieri poterit, expers ſit. Quòd ſi loca incolant humentiora, vt paludoſa (maritima) fluminibus proxima, aut vallibus ſubiecta, mutent ſolum, eligantque regionem pro ſtatu & conditione ægrorum conuenientem : aut ſaltem domi procurent eam temperiem, luculentis ignibus, laconicis, & ſimilibus, quæ illis ſit accommodata : neque ſe exponant aëri pluuio, nebuloſo, ſerotino, aut ventis nimiùm agitato. Plus vigilent quàm dormiant, & ſtrato vtantur duriore ac reſiccante, cui tantum tribuunt Authores noſtri, vt multos dicant decumbentes in arenâ vel aceruo frumenti, aut foliis ſiccis pulegij, origani, calamenti, viticis, & ſimilium fuiſſe percuratos. Sit etiam ſumma exercitationis cura, niſi reſpirandi difficultas vrgeat; non quæ reſoluat, ſed quæ excitet calorem natiuum, & coctiones ante paſtus confirmet. Robuſtiores ludant pilâ, vel diutiùs deambulent; infirmiores equo vehantur, lecticâ, aut naui, potiſſimùm per mare, ſi regionis conſtitutio hoc permiſerit, quia exſiccat & vomitum non inutilem hiſce ægris excitat : fricentur manè in lecto linteolis aſperioribus, vel ſolâ manu pauco ſale & oleo irino delibutâ, aut arenæ tenuioris ſacculis leuiter calefactis potiſſimùm anaſarcâ detenti,reliquis enim blanda contrectatio extremitatum ſufficiet. Alui, veſicæ, cæteratumque vacuationum ſolitarum ea eſt moderatio inſtituenda, vt ſi ſubſiſtant omnino, conuenienter prouocentur : ſin verò immoderatiores ſint, artificiosè cohibeantur. Quemadmodum & animi affectus vehementiores prohibeantur, potiſſimùm mœror & cura ſeu ſollicitudo circa aſſueta negotia, à quibus omnino vacare debent, vt ſanitati recuperandæ indulgeant : Quidam tamen in hoc affectu iracundiam ſed leuem conſulunt, vt facultas illa vitalis & θυμικὴ eluceſcat, naturalemque iam obtorpeſcentem exſuſcitet. Nunc ad remedia vnicuique hydropis ſpeciei accommodata accedamus, ducto ab aſcite exordio, vtpote difficilioris curæ & vſitatioris.

Ascitis cvratio. Hæc itaque curatio cùm perficiatur ſublatione tumoris illius aquoſi abdomen præter naturam diſtendentis, cauſarum internarum correctione, & viſcerum corroboratione, idque remediis Chirurgicis vel Pharmaceuticis per os ſumptis, in anum infuſis, aut admotis quæ topica dicuntur : Videamus primùm quid commodi iſte affectus ex merâ Chirurgiâ reportare poſſit. Quod ad phlebotomiam itaque ſpectat, nullus hîc illius vſus ſalutaris exiſtit. Nam cùm ſumma adſit laudabilis & ſanguinei humoris paupertas, cuius causâ marceſcit totum corpus, nec aquoſa illa materia in abdomine contenta, per illam vacuari aut reuelli queat, fruſtrà vſurparetur; Quamuis aliqui in ſuppreſſione menſium aut hæmorrhoidum, vel eorum immodico fluxu, aut febre intensâ, parcam venæ ſectionem ex cubito vel cruralibus venis laudent : Sed ego illud intelligendum eſſe puto de anaſarcâ, quæ habet partem humoris illius excrementitij in venis adhuc ſtabulantis. Melius eſt igitur, meo quidem conſilio, abſtinere à phlebotomiâ in aſcitico hydrope. Quòd ſi aliqua ſubeſſe videatur plethora ſanguinea circa vterum vel lumbares venas, poterimus ſcarificatu vti circa crura & talos,vt docet Galenus,ad illam eliciendam;præſtat enim paulatim & tutò vacuare,quàm feſtinanter vnà cum morbo ægrum tollere.

Et quemadmodum illi ſcarificatus valde proſunt ad eliciendos humores in propaginibus venarum deſcendentium incluſos, ſic etiam ſcarificare, & leuioribus vulnuſculis aperire ſolemus cutem eiuſmodi hydropicorum in pedibus, vt ibi contenta aqua effluat, & per conſecutionem quandam illa quæ in abdomine latitat, vel etiam ventris infernam partem circa muſculorum aponeuroſes, quæ in talibus valde ſunt conſpicuæ ob diſtenſionem, eadem ratione incidimus : Atque eiuſmodi ſcarificatus aquâ ſalsâ refricantes, aut hederæ, betæ, & caulium foliis obtegentes, magnam ſeri copiam aliquando elicimus. Si ſcrotum, vt ſolet, valde intumeſcat, non eſt timenda illius perforatio in parte demiſſiore,vitatis teſtibus,acu oblongâ,

oblongâ ; eaque frigidâ vel ignitâ ſi velis , ad maiorem partis exſiccationem , relicto intus filo laneo vel ſericeo craſſiore , (ſetonem vocant Practici,) vt aqua per illud tranſcoletur. Quidam malunt hæc omnia, admotis ventri , coxis , vel cruribus veſicatoriis præſtare , vt profundiora vitent vulnera ; attamen non tam felici ſucceſſu , quia maiorem excitant cruciatum , & paucam educunt hoc modo materiam. Certè potentiùs id præſtant cauteria actualia circa vmbilicum admota , vt ſolebant veteres ; vel more noſtro potentialia , vtrique tibiæ circa partem internam adhibita , per quæ naſcentem & perpetuò fluentem quaſi ex fonticulis aquam conſpicies. Sed caue eos,quibus tibiæ iam valde intumuerunt , aut cachecticæ ſunt multum , ne peſſima vlcera exoriantur, vel certè infirmioribus iam & oblangueſcentibus adhibeantur , quia illos citò in mortem præcipitabunt: In robuſtis tamen non ſine magno fructu affigenda ea ſæpiùs curauimus.

Inter Chirugica autem remedia , valde eſt celebris illa abdominis perforatio, vulgò παρακέντησις dicta , quam veteres accuratè deſcripſerunt , ſed difficilem & ægris moleſtam:recentiores facilem & ſine vllo dolore reſerato vmbilico inter vaſa illa quibus annectitur. Non eſt igitur dubium , quin facto eiuſmodi foramine aqua abdominis commodè educatur,eâque quantitate ac temperatione,quæ magis idonea Medico videbuntur,vt nullum ſit magis expeditum remedium ad vacuationem iſtam citò & iucundè moliendam,tollendámque ſuffocationem,quâ hydropici torquentur. Attamen non eſt leue dubium , vtrùm tutò vſurpari poſſit. Qui non probant eiuſmodi paracenteſin : primò dicunt , periculum eſſe ſummum in euacuatione humoris cuiuſuis per eiuſmodi patentes & externas vias , iuxta partem nobilem & coctioni dicatam , propter effluxum ſpirituum & exhalationem caloris natiui , qui iam imbecillior eſt factus , vnde experientiâ patet , plurimos hydropicorum ſectos intra biduum aut triduum obiiſſe , qui adhuc per plures menſes , ſuperſtites eſſe poterant. Deinde addunt ; vel aqua illa paulatim & exiguâ quantitate extraherur , aut copioſiùs & confertim : Si illud, parum profeceris; quia tantundem regenerabitur humoris , quantum vacuabitur , & idem per medicamenta ὑδραγωγὰ præſtari poterat , ſine tanto ægri & adſtantium terrore, necnon periculo vulnerandi peritonæi & inteſtinorum . Sin verò multa & confertim educatur , quod inuito etiam Medico ſæpiùs per ſomnum,aut dum æger voluitur, contingere ſolet , ſcitum eſt illud Hippocratis,*Aphor.* 27.*ſect.*6.Et viſcera iſta ventris Inferioris quæ aquæ innatantia ſubleuabantur,ſubitò concident deorſum,opprimétque aut diuellent ipſum diaphragma cum ſuffocatione præſenti & ineuitabili.Multi etiam ſunt viſi hydropici,quibus poſt vacuatam eiuſmodi materiam,diſrupta ſunt hepatis ligamenta iam ſemiputrida, potiſſimùm illud quo alligatur vmbilico , & ſic violenter occubuerunt.An non certę morti iam eſt deſtinatus æger,quando eiuſmodi paracenteſis exercetur,confirmato ſcilicet viſceris ſcirrho,aut intemperie immedicabili laborans,quæ nullum aliud ex hoc opere auxilium recipiet , quàm vt citiùs intercat æger , ſummâ cum medentis infamiâ. Melius eſt igitur in totum ab iſtâ paracenteſi abſtinere , quam non audes vſurpare in morbi principio , quando omnia ſunt leuiora , & ſalus aliunde ſperatur ; nec debes ingraueſcente morbo , & iam inſtante fatali interitu. Nos vt iſtis rationibus ſatisfaciamus , fatemur quidem anceps eſſe & valde ſuſpectum hoc remedium , & nonniſi conditionibus certis ac circumſtantiis adhibitis vſurpandum , non tamen omnino repudiandum. Nam & Hippocrati arriſit , vt videre eſt *in Aphoriſmis , lib. de intern. affect & 6.epidem.* Galeno & Auicennæ non diſplicuit , veræque rationi , ac medendi legibus iam adductis conſonat : quæ illud citò , tutò , & iucundè præcipiunt. Citò enim eiuſmodi operationem exerceri certiſſimum eſt , potiſſimùm quæ compunctione vmbilici hodie fit , citumque ægro auxilium vacuatâ materiâ adferre. Iucundè etiam , quia ſine vllo dolore , ſine peritonæi aut inteſtinorum vulnere perficitur : & facit iucundiorem vacuationem , quàm quæ medicamentis catharticis , veſicatoriis , & ſimilibus promouetur : quotquot enim hydropicos hoc modo ſecuimus , illi facillimè & quodam quaſi gaudio iſtam ſectionem tulerunt. Tutò autem fieri poſſe , quod ad vulnus ipſum ſpectat , nemo artis noſtræ peritus inficiabitur ; non enim peritonæi aut inteſtinorum hîc vulnera pertimeſcenda , cum leuiſſimâ ſtyli punctură , quâ cutis tantùm aperitur inter vaſa illa vmbilicalia, perficiatur. Tutò etiam ratione vacuandæ materiæ , ſi iuſtâ quantitate extrahatur , non quidem tam exiguâ , vt nullum inde ſolatium ſentiat æger ; nec tam copioſâ , vt inde exhauriantur ſubitò ſpiritus , aut concidant

commodè depleatur. Noſtro videlicet more paretur Apozema aliquod præparans & purgans in plures dies, cuius vſus ſi ſalubris videatur, reiteretur frequenter, aut ſyrupus magiſtralis ex eo confectus. Vt

℔ Rad. aperit. in vino albo infuſ. rad. ireos noſtratis & Florentiæ, an. ʒ j. corticis citri ſicci, & cinnamom. craſſioris, an. ʒ ß. foliorum ſoldanellæ ſeu braſſicæ marinæ, & gratiolæ, an. M. ß. ſummit. abſinthij vtriuſque, ana M. j. ſeminum apij & fœnicul. an. ʒ ij. ſeminis ebuli ʒ j. fol. ſenæ mundat. ʒ ij. agarici trochiſc. in ligaturâ poſiti, & turpethi, an. ʒ vj. florum cichor. roſarum, (ad hepatis robur ſeruandum) anthos & tamariſci, an. P. j. ſpicæ nardi ʒ ij. Fiat omnium decoctio ad ℔ j. ß. In quâ diſſolue ſyrupi de abſint. oxymel. & mellis roſacei, an. ʒ ij. Fiat apozema non clarificatum, ſed ſæpius colatum & aromat. ʒ ij. puluer. electuar. diarrhod. ab. pro ſex doſibus matutinis. Detur intereà circa horam tertiam pomeridianam tabella vna triaſant. vel aromat. roſati, ponderis ʒ ij. ad viſcera roboranda. Capiat ante apozema & finito apozemate ſi velis, pilularum de agarico & de rhabarbaro, an. ʒ ß. cum granis aliquot diagredij. Parantur nunc pilulæ cocciæ minores dictæ, ex æquis partibus aloës, colocynt. & diagredij, quæ illis ʒ ß. pondere conuenire etiam poterunt. Quamuis enim Practici à cholagogis vnicè cauendum eſſe in hoc affectu moneant, ne frigiditas maior inducatur, attamen ſtimuli vice & ad acuenda purgantia, nihil oberit vti illis modicè.

Quidam præparant ſyrupos purgantes ex ſucco rad. ireos noſtratis, corticis mediani ſambuci, ſoldanellæ, corticis rad. lauri, & ſimilium cum ſaccharo coctorum. Sed ego ſæpe expertus ſum iſtos ſuccos coctione multum eneruari, & inde confectos ſyrupos tormina ſine fructu adferre. Ac proinde melius erit iſtis ſuccis recenter extractis vti, quando opus fuerit, vt iam dictum eſt. Alij conficiunt puluercs cathartícos, hoc modo.

℔ Foliorum ſiccorum ſoldanellæ ʒ ij. foliorum ſenæ ʒ iij. turbith gummoſi & zinziberis, an. ʒ j. trochiſc. alandal ℈ ß. ſacchari ʒ ß. Fiat puluis, de quo capiat ʒ ij. ß. bis aut ter in menſe, cum pauco vino chalybeato, cuius magna etiam eſt vis ad conſumendas iſtas obſtructiones, potiſſimùm ſi lien in vitio fuerit: Poſſunt enim hiſce remediis varia addi, prout hæc vel illa pars magis affecta eſſe videbitur. Ego hydropicis frequenter exhibere ſoleo ſeminis ebuli puluer. ʒ ij. rhabarbari ℈ j. cum pauco vino albo, aut decocto cinnamomi, aut puluerem rad. mechoacan ad ʒ j.

Ruſtici flores ceraſorum, vel prunorum tam ſylueſtrium quàm domeſticorum cum aceto, oleo, & ſale inſtar acetarij comedunt, non ſine magnâ aquarum iſtarum eductione. Verùm inſignis eſt admodum virtus elaterij, cuius grana vj. vel vij. exhiberi poſſunt, cum ʒ iij. cathol. vel diaphœn. in formam boli cum ſaccharo. Audendum enim eſt in contumaciori morbo, & per interualla roboratis priùs viſceribus, vt humor ille educatur. Vnde Hippocrates *libro de intern. affect.* in hoc affectu, cneoron, hippophais ſuccum, granum cnidium, ſilphij ſuccum, ſquaman æris, tithymali ſuccum: Recentiores thymeleam, grana cataputiæ, chamæleam ſeu laureolam, ex quarum ſummitatibus cum comis abſint. contuſis & ſaccharo mixtis concinnatur conſerua ad ʒ j. robuſtioribus propinanda, cum ℈ j. puluerís hieræ picræ. Fiunt etiam pilulæ illæ de mezereo dictæ, aut de ſagapeno: Exhibetur euphorbium ad grana ij. vel iij. cum conſeruâ roſarum vel abſint. Sed cautè admodum venenatis iſtis & malignis purgantibus vtendum; ideò Hippocrates poſt illorum exhibitionem ſuadet bibendas aliquot heminas lactis aſinini cum pauco melle, ad demulcendam illorum acrimoniam, & vias reſerandas humectandaſque: Vel ſi mauis, potes quædam iſtorum infundere in vino rubro ſubdulci, aut hydromelite, & percolata exhibere, idque longioribus interuallis, roborantibus, vt ſyrupo de abſint. pontico, aut tabellis iam dictis frequenter exhibitis.

Quemadmodum igitur iſta cathartica per os aut anum excernent partem huius materiæ in ventre ſtagnantis; ſic etiam diureticis & ſudorificis auertenda illa quæ quotidie gignitur & in ventrem confluit per vias vrinæ & habitum corporis, vt tandem integra ſanitas contingat. Diuretica igitur hîc omnia eſſe poterunt, quæcunque ἐκφρακτικὰ, detergentia, incidentia & attenuantia dicuntur, ac in obſtructionum copiâ, & renum affectibus vſurpantur, ſub formam puluerís, decocti, aquæ ſtillatitiæ, & ſimilium, quorum exempla vbique habentur. V.g.

℔ Rad. aperitiuar. corticis rad. cappar. & med. fraxini, an. ʒ ij. rad. graminis,

Digitized by Google

liquirit. ononidis & oſmundæ, an. ℥ j. folior. capillarium omnium, nicotianæ, creſſonis, ſaxifragiæ & petroſelini, an. M. j. ſummit. maluæ & parietar. an. M. ß. ſemin. lithoſpermi & alkekengi, an. ʒ iij. florum ireos purpureæ, cichorij, cicerum rubr. ſpicæ nardi, & cinnamom. an. P. j. Contuſa omnia conuenienter, macerentur in vino albo tenui & leuiter feruefacto per diem integrum: Cui adde poſteà aquæ ſtillatitiæ graminis, fœnic. & parietar. an. ℥ iij. Colentur & ſeruentur in vaſe bene obturato. Capiat ℥ v. vel ℥ vj. manè per aliquot dies. Vel omnia repoſita in alembicum, diſtillentur cõuenienter: aquæ illius rectificatæ, & ſi velis per manicam Hippocratis cum ſaccharo & cinnamom. tranſmiſſæ, capiat ℥ iij. ſimiliter. Confectiones dialaccæ, diacucurmæ, pulueres lithontribi, ſyrupi nephrocathartici & diuretici, ad idem habentur in officinis. Si velis, fiat talis puluis.

℔ Cinnamom. electi & interioris, ſpicæ nardi, ſem. apij, fœniculi & milij ſolis, an. ʒ ij. rad. liquirit. ononidis, & ligni ſaſſafras dicti, an. ʒ j. lapidis Iudaici & croci, an. ℈ j. ſpecierum dialaccæ, & pulueris lithontribi, an. ʒ ß. Fiat omnium puluis, cui addere potes par pondus ſacchari candi pro delicatioribus. De quo capiat ʒ j. ß. vel ʒ ij. cum vino albo manè, vel aquâ parietariæ, in quâ cinnamomum maceratum fuerit. Quidam addunt non inutiliter huic pulueri, ʒ j. limaturæ chalybis ad obſtructiones tollendas potentiùs, præcipiuntque vt per octo aut nouem dies continuos, manè illis vtentes, diu & fortiter deambulent. Alij ad augendam vim huius remedij, miſcent puluerem cicadarum vel cantharidarum ad ʒ ß. vel ℈ ij. ex conſilio Hippocratis, *libro de diætâ acutorum*, & Galeni *libro* 3. *de temperam.* Sed hoc ſummâ cautione præſtandum, ne interiora exulcerentur, ideò exiguâ quantitate permiſcendas ſuadeo, & integras, quoniam in alis & pedibus quædam vis alexiteria eſſe dicitur, aut certè bene tuſas & irroratas aceto roſaceo, ac deinde exſiccatas, vel admixto gummi ceraſorum, quod earum vim valde obtundit. Nec quibuſuis ægris eos exhibendas puto, ſed valde robuſtis & quibus natura viam iſtam appetere videtur, nec tamen per ſe ſatis commodè poteſt, aut quando ſuppreſſione vrinæ tenentur, ex quâ vitæ periculum imminere poteſt.

Vt igitur diuretica aſciticis hoc modo prodeſſe poterunt: ſic etiam ſudorifica tentanda, quoties id fieri poterit, nec febris impedierit, aut ſummus corporis marcor: magna enim adeſt ſalutis ſpes, quoties vel ſponte vel artis beneficio ſudorem profundunt copioſum. Oſtendit enim robur adhuc hepatis eſſe integrum, naturamque ſatis potentem ad euocandam aliò materiam quæ abdominis cauum petebat. Rarò tamen hoc ſuccedit in aſcitico tumore, ſed frequenter in anaſarcâ, vbi etiam ſudorificorum materiam & exempla proponemus, quibus in hac ſpecie aliquando Medicus vti poterit, ſi ita videatur.

Roborantia item per os ſumenda ſæpiùs à nobis commemorata fuerunt, myrobalani conditi, nuces myriſticæ & vulgares conditæ, radix eryngij condita, theriaca antiqua, mithridatium, aurea Alexandrina, ſyrupus de abſinthio, conſeruationis corticis citri, de menthâ, tabellæ triaſantali, diarrhod. abbat. & aromatici roſati, confectio alkermes, & de hyacinth. quæ frequenter & omni die exhibeantur hiſce ægrotantibus, ad recreandum ventriculi, hepatis, & aliorum viſcerum calidum natiuum & ſuſcitandos ſpiritus: Inter quæ recenſere potes pilulas illas ex aloë, rhabarbaro & aromat. confectas, ſingulis vel alternis diebus ante cœnam deglutiendas: In quibus non ſolùm præſente hydrope, ſed etiam illo fugato diutiùs perſeuerandum, ne recurrat ampliùs. Si velis, concinnetur opiata quædam vſualis, aut puluis digeſtiuus ex commemoratis, quæ cùm omnibus ſint familiaria, ideò ad vltimum propoſitorum remediorum genus tranſeamus, nempe ad topica, quæ ſcilicet foris admouentur.

Eorum autem duplex eſt differentia; Prima quidem illorum quæ humorem abdomine contentum abſorbere, diſcutere per diaphoreſin, vel per aluum præcipitare valent. Altera illorum quæ roborandis viſceribus, præcipuè verò hepati adhibentur. Fiant itaque fotus, cataplaſmata, vnguenta, & emplaſtra ſummæ efficaciæ ad prædictos effectus. Vt

℔ Rad. ireos noſtratis & Florentiæ, cucumeris agreſtis, bryoniæ, & corticis citri ſicci, an. ℔ j. ß. rad. fœnic. bruſci, & aſparagi, (præcipuè ſi adſint obſtructiones) cinnamom. vilioris, an. ℥ ij. folior. pulegij, lauri, rutæ, origani, calament. hyſſopi, ſaluiæ & menthæ ſiccæ, an. M. j. folior. ſoldanellæ, ebuli, & ſenæ, an. P j. ſeminum

ſeminum aniſi, fœnic. apij, & dauci, an. ℥ ß. florum ſtœchados, anthos, ſpicæ nardi, & roſarum rubr. an. M. ß. Fiat omnium decoctio in æquis partibus vini albi, & aquæ ferratæ, vel lixiuij cineris fabarum, &c. quâ vtatur pro fotu bis in die, & poſt accuratam purgationem, aliàs magis inflaretur venter, euocatis eò humoribus per calfactionem iſtam, & pororum dilatationem. Ex reſidentiâ iſtius fotus imperari poterit ſequens cataplaſma.

℞ Reſidentiam prædicti decocti bene contuſam & cribratam, cui adde farinæ fabarum & fœnugræci, an. ℥ ij. pulueris ireos Florentiæ ℥ j. ſtercoris caprilli & columbini, rad. pyrethri, an. ℥ ß. ſulphuris viui, & nitri, an. ℥ iij. olei rutacei, vel ſucci ebuli parum. Fiat cataplaſma, non ſolùm ventri admouendum, ſed etiam cruribus, ſcroto, & aliis partibus inflatis, quemadmodum & ſequentia. Quidam huic cataplaſmati, euphorbij ʒ j. vel plures addunt ad augendam illius vim: quidam verò elaterij tantumdem, ſi conſilium ſit mouere aluum hiſce topicis. Cataplaſma etiam ex cochleis cõtuſis valde commendant Practici: Emplaſtrum de ſulphure, de baccis lauri, vnguẽtum de arthanitâ, martiatum, & ſimilia, quæ variis modis concinnari poſſunt. Phœnigmos ex caricis contuſis, & ſemine ſinapi. Ego ſequenti vnguento tumores aſciticos tam in ventre, quàm in tibiis & ſcroto diſcutere ſoleo.

℞ Succi rad. ireos noſtratis ℥ iij. ſucci cucumer. agreſtis ℥ j olei laurini & rutacei, an. ℔ ß. Bulliant omnia ad ſucci conſumptionem, deinde adde pulueris ireos Florent. ſeminis aniſi, fœnugræci, & baccarum lauri puluer. an. ℥ ß. ſtercoris caprilli & columbini, an. ʒ ij. ſulphuris viui & pulpæ colocynth. an. ʒ j garyophyl. cinnam. piperis longi, myrrhæ, aloës, & thuris, an. ℈ iiij. ſtyracis liquidæ ʒ iij. ceræ q. ſ. Fiat linimentum, quo inungantur prædictæ partes ad ignem ſarmentorum, dum ibit cubitum, vel manè, dummodò poſteà in lectum reponatur, ſæpè enim iſtis ſudor excitari ſolet.

Cauendum autem, ne prædicta regioni hepatis aut alterius partis inflammatæ aut ſcirrho affectæ admoueantur, quia affectus illos valde augerent, & robur partis omnino diſſoluerent: ideò iecur contegendum cerato ſantalino, vel inungendum vnguento roſaceo, quamdiu feruere videbitur; aliàs verò oleo de abſint. & nardino, addito puluere ſantalorum & ſpicæ: iſtiſque roborantibus diu vtendum etiam poſt expugnatum hydropem, vt defatigatum tanto conflictu hepar recreetur, & meliorem deinceps frugem proferat. Iam ergo ad tympanitis curationem progrediamur.

TYMPANITIS CVRATIO. Tympanites itaque cùm fiat à materiâ flatulentâ ſeroſitatibus permixtâ, eodem modo vacuantia ſuadet, ſed mitiora, tum quia pauci redundant humores, tum ob marcorem, febrem, iunctoſque illi vtplurimùm cruciatus. Agaricus itaque, ſena, ſemen ebuli, ſyrupus roſatus ſolutiuus, catholici, diacarthami, aut diaphœnici aliquot drachmæ frequenter repetitæ, vel pilulæ ritè concinnatæ, & puluis rad. turpethi cum cinnamomo, hîc ſufficient, mixtis quibuſdam diſcutientibus. In primis autem conferet clyſterum vſus carminantium ex decocto cumini, aniſi, rutæ cum oleo anethino, rutaceo, hierâ picrâ, benedictâ laxat. antidoto de baccis lauri, & ſimilibus. Quemadmodum & glandes ex melle toſto cum puluere hieræ, & pauco ſucco ireos vel mercurialis confectæ frequenter immittantur, quoniam aluum habent vtplurimùm pigriorem. Sudorifica & diuretica parum hîc ſunt in vſu, niſi videatur iam copioſius ſerum generari, & quodammodo ad aſcitis naturam vergere. Roborantia verò per os ſumpta plurimùm proderunt, vt hepar & reliquæ partes recreentur, vireſque paulatim acquirant: Ideò paretur ſi velis tale conditum.

℞ Conſeruæ florum roriſmarini & cichor. an. ℥ ß. corticis citri ſaccharo conditi, folior. abſint. & agrimon. pariter conditor. an. ʒ vj. puluer. elect. triaſant. & diarrhod. abbat. an. ʒ j. coralli rubri, margarit. præparat. & ſeminis acetoſæ, an. ℈ j. ſacchari candi puluerif. q. ſ. Fiat conditum duplici auro coopertum, quo vtantur frequenter, & quauis horâ. Poſſunt etiam ſumere ſæpiùs cum iuſculis puluerem diambræ, diamargaritonis, aut confectionis alkermes ℈ j. vel aquæ imperialis cum vino aut iuſculo mixtæ cochlear vnum. Sed potiſſima vis curandi iſtius affectus in topicorum debitâ vſurpatione. Roborantium quidem ſupra regionem hepatis, vt iam dictum eſt; diſcutientium autem & reſoluentium ſupra reliquum abdomen. Fiant ergo ſacellationes & fotus ſicci ex milio, ſale, auenâ, floribus anthos, ſtœchados, chamæmel. & meliloti, ſeminibus rutæ, agni

casti,cumini,fœnugræci,& baccarum lauri,in sartagine frixorum,& pauco vino generoso aspersorũ,& sacculis duobus rarioribus incluſorum,quibus calentibus vicissim foueatur dictum abdomen,vel etiam leuiter confricetur,ad quod multi laudant aronæ calentis fotum vel frumenti bene calefacti. Admouceatur postea vnguentum Agrippæ,Atragonium,vel simile, in quo parum castorei, & seminis cumini dissolutum sit. Cucurbitulæ quoque toti ventri cum multâ flammâ affigantur,quia euocant potenter flatus ad exteriora,& quasi incantamenti vice,vt loquitur Galenus,eos discutiunt. Sunt qui putant fistulâ clysteris in podicem immissâ, sine vllo liquore, & frequenter agitato instrumento illo impulsore dicto,magnam flatuum copiam educi, quasi ad vacui fugam. Quæ omnia experiri licebit. Sed in hoc affectu cordi potissimùm intendendum est, quia pererrantibus eiusmódi flatibus & penetrantibus partium substantiam, ita corrumpitur vbique coctio, spirituúmque vitalium generatio,vt frequenter in marasmum incidant. Non omittenda igitur hîc erunt epithemata cordis tam solida quàm liquida : Et vbi intestina cruciatibus torquebuntur, blandis clysteribus ex lacte, cremore hordei, hydromelite,cum saccharo,melle rosaceo, & vitellis ouorum demulceantur. Nunc ad leucophlegmatiæ curationem transeamus.

LEVCOPHLEGMATIÆ CVRATIO. Huius ergo generationem, cùm sæpiùs à retentione menstruorum, vel hæmorrhoidum consuetarum proficisci dixerimus, regurgitante sanguine crudiore & cacochymo in ipsum hepar ac reliquum corpus: Ideò quoties illud contigerit, non abstinendum est à venæ sectione,tum vacuandi totius causâ,quæ fit in basilicâ brachij dextri;tum etiam deriuandi ad inferiora,quæ in saphænâ aut ischiadicâ venâ crurali exercetur. Si non sit ingens plethora, contenti erimus prouocatione particulari hæmorrhoidum aut menstruorum remediis consuetis,vel admotione cucurbitularum in coxis & cruribus,earúmque scarificatu, si ita ex vsu videatur. Quidam in hoc affectu laudant hæmorrhagiam è naribus, quam etiam arte excitant, quia deplet materiam cerebro infensam : Sed ego potiùs vacuationes istas per inferiora probauerim, quia sunt assuetæ, nec tantam inferunt corpori iam eneruato refrigerationem. Cauteriis etiam & vesicatoriis, necnon scarificatibus per totum corpus,suus hîc esse locus poterit cõuenienter,quoties materia illa habitum distendens per externa vacuari posse videbitur. Sed potissima curationis spes in purgatione ritè institutâ,vt docet Hippocr. *lib. 2. de morbis*,& *in Aphor.* ventris fluxum in leucophlegmatiâ potissimùm commendat. Ideò vsurpentur clysteres & vomitoria superiùs scripta in eis qui ad vomendum sunt comparati : Aliàs instituatur purgatio solennis ex apozemate aperiente, detergente, & vacuante pituitosum succum : Vel sumant ʒ j. diacarthami,singulis septimanis dissolutam cum vino albo,aut aquâ fœniculi & agrimoniæ : Vel parentur recenter,Pilulæ cocciæ illæ minores,quarum ℈ ij. vel ʒ j. ad summum commodam faciet catharsin,bis aut ter in mense repetitam : dummodò interiectis diebus & repetitis vicibus præparetur humor & corpus iulapiis ex syr. de absint. Pontico, de hyssopo,de byzantiis,de duab. radic. oxymelite scillitico, & similibus cum aquâ agrimon. fœnicul. artemisiæ, vel decocto rad.aperitiuarum & cicerum rub.cum pauco cinnamomo. Si displicear vsus pilularum, paretur opiata sequens.

℞ Confect.hieræ, & catholici, an. ʒ ij. agarici recenter trochisc. ʒ iij. medullæ seminis carthami ʒ ß. seminis ebuli,& foliorum soldanellæ, an. ʒ ij. electuar. diacarthami ʒ x.spicæ nardi,santali rubri,cinnam.& trochisc.alhandal,an.℈ ij.Cum syrupo de cichor. cum rhabarb. fiat Opiata, de quâ capiat ʒ vj. cum saccharo in formam boli concinnatas,vel dissolutas cum decocto coriandri & cinnamomi semel in hebdomade. Post purgationem tribus diebus consequentibus dentur seri caprini ʒ vj. in quibus infusa fuerint per totam noctem folia absint.& fumar. deinde dissol. parum mellis rosacei vel anthosati. Aliàs capiat theriacæ electæ, vel mithridatij ʒ j. ß. cum paucâ conseruâ anthos vel absint. Si malit, vtatur roborantibus suprà scriptis, tam per os sumptis, quàm hepati admotis. Et vbi iam venæ totáque interior regio commodè depleta fuerit, tunc de diureticis iam commemoratis erit etiam cogitandum. Vel si malis,de sudorificis,quorum summa est in hoc affectu potentia.

Meminit itaque Galenus dolij cuiusdam vaporarij ad sudores hydropicis conciliandos,à Chrysippo Cnidio inuenti,quia exerto capite poterãt commodè respirare, reliquo interim corpore sudoribus diffluente : Nos idem præstamus sub tentorio,papilione,conopæis, in stuphis,laconicis,furno,& similibus,excitato vapore sicco ardentium silicum, vel irrorarorum decocto foliorum ebuli, pulegij, origani, saluiæ,

ſaluiæ, & ſimilium. Deterſo ſudore & ægro in lectum repoſito theriacâ vel mithridatio aquâ ſaluiæ diſſoluto confricamus,& denuò ſudare cogimus. Alij adeunt balnea naturalia ſulphure vel bitumine feruentia, vel artificioſa domi componunt.Sed nuſquam tantum emolumenti ex balneis iſtis actu humidis reportare poſſunt,quamuis potentiâ exſiccantibus, quàm ex ſiccis illis, vt ſtuphis vel hypocauſtis.

Placet etiam admodum in iſto affectu ſudandi ratio, quæ epoto guajacino decocto inſtituitur, quoniam præter ſudoris prouocationem,ſummè etiam aperit,digerit,& interiora viſcera roborat: Eſt etiam lignum ſaſſafras,cui magna eſt vis ad ventriculum confirmandum. Inſtituatur ergo eiuſmodi decoctum per xv. aut xx. dierum ſpatium cum diætâ exſiccante & attenuante, cui interponantur purgantia ſingulis ſex diebus. Et finitâ hac diætâ ingrediantur ſtupham vel tentorium ſudatorium domi paratum per duos aut tres dies conſequentes ſi vires ferant, vel alternis diebus: Sic enim fieri non poterit,quin immenſa iſta pituitæ & aquarum ſarcina abſumatur, niſi omnino hepar ſit intemperatum. Quidam parant puluerem ex hepate lupino & carne erinacei confectum & cum ſaccharo mixtum, multúmque hîc conferre putant ad exſiccandum, ſi per xx. dies continuos ſumatur cum pauco vino, vel decocto cinnamomi, aut guaiacino, ʒ ij. pondere. Hæc itaque eſto præcipua ſingularum hydropis ſpecierum cura.

Quod ad ſymptomatum autem mitigationem ſpectat, quam in hiſce lethalibus aliquando morbis neceſſariam eſſe diximus, leniendi doloris aut δυσφορίας, vel prorogandæ vitæ causâ: Certè omnia hîc erunt attentè conſideranda, quæ maiorem vel citiorem ſaluti ruinam minantur, vt illis conuenienter proſpiciatur. Ideò ex parte facultatum naturalium, ſi quidem appetentiæ languor plurimùm ægros fatiget & vires deiiciat, excitanda erit ſumpto vino abſinthino, tabellis aromat. roſ. vel puluere digeſtiuo dicto: aut etiam conceſſis quibuſdam alimentis ægro expetitis, quæ morbo non conueniunt. Vſus capparum, oliuarum, fœniculi marini, & ſalſamentorum ad id plurimùm valet. Si alui fluxus ſit immoderatior, ita vt ægro lethum accelerare timeatur, cohibeatur iniectis clyſteribus roborantibus & nutrientibus, quales ex iuſculo aut lacte chalybeato cum bolo Armenâ, aut terræ ſigillatæ ac granorum kermes puluere diſſoluto parantur: ſumptis miuâ cydoniorum, myrobalanis, aquâ ferratâ, vino rubro auſtero, ſyrupo myrtino, & ſimilibus: necnon admoto vnguento Comitiſſæ, vel ſimili alio. Si tuſſis vrgeat, & ex catarrho à capite pendere videatur, demulcenda adhibitis occipitio & dorſo cucurbitulis, emplaſtro veſicante, & tabellis lenientibus & adſtringentibus: ſin ab ipſis pulmonibus, ſumptis bechicis, quæ blandè educant materiam ibidem contentam. Quæ autem fit reſudante ſero ex abdomine in thoracis capacitatem, mortis eſt prænuncia, vt diximus; attamen ſyrupo violaceo, de iuiubis, looch ſano, & reliquis, quantum fieri poterit, lenienda. Palpitatio verò, ſyncope, & lipothymia ex parte vitalium requirunt magnam roborantium alimentorum & medicamentorum vim, quia mortem eſſe in propinquo denunciant. Admoueantur itaque cordi frequenter pulli columbini per medium ſecti, & puluere granorum kermes & garyophyl. ſinapiſati; ſacculi cordiales, confectio alkermes, & theriaca pauco vino diſſoluta: Sumant omni horâ parum aquæ imperialis, pulueres diamoſchi & diambræ fideliter paratos. Quoties etiam ex parte animalium motus aut ſenſus deprauatio aut imminutio apparebit, roborandum erit cerebrum & ſpinalis medulla ſumptis & admotis, educendúſque humor in eis contentus, ne periculum mortis accelerent. Quòd ſi dolor aliquam corporis partem infeſtarit, vt inteſtina vel hypochondria, quod ſæpe contingit, mitigetur anodynis, quæ calorem natiuum recreant; vel certè ſi ſit acerbior, narcoticis etiam modicâ quantitate & bene correctis, quale eſt philonium Romanum, aut confectio requies, vel puluis aſyncriton dictus; ladanum Paracelſicum, quia non tantum periculi ab iſtis impendet, quàm à doloris cruciantis vehementiâ Denique ſi moleſta ſit ſcroti inflatio aut tibiarum, ita vt diſruptio timeatur, ſetone, vulnuſculis, ſcarificatu, veſicatoriis aperiri poſſunt, aut certè commemoratis ad ventris tumorem lotionibus & cataplaſmatis exſiccari. Nos itaque huic tractationi finem imponentes, ad Lienis affectus breuiter explicandos progrediamur.

AFFECTVS LIENIS.

CAPVT IX.

De phlegmone Lienis.

BREVISSIMA erit hæc noſtra de affectibus Lienis tractatio. Cum enim Lien alterum hypochondrium occupet, pars ſit conſtans molli & laxo parenchymate, multiſque venarum ac arteriarum inſertionibus prædita, humoris melancholici elaborationi & ſecretioni dicata, vt meritò alterum iecur à multis vocetur, & ab aliis præparationi vitalium ſpirituum inſeruire credatur: Ideò facile eſt, lienis affectus hepatis affectibus ſimillimos, aut parum admodum diſcrepantes, ſiue διάγνωσιν ſeu πρόγνωσιν ſpectes, eadem methodo therapeuticâ expugnare. Ne tamen quicquam intactum reliquiſſe videamur, paucis res iſta nobis erit conficienda.

Lien igitur cùm propriâ ſuâ temperie præditus ſit certâ conformatione atque vnitate, quam συμφυίαν & ζωνίχωσιν vocant: Ideò patet omne genus morbi, eum ſuſcipere poſſe, ſimilaris, organici, & communis: Ex quibus varia exoriantur ſymptomata, actionum læſarum, qualitatis mutatæ, & excrementorum vitiatorum.

Similares morbos, vt intemperies ſimplices & compoſitas, humorales, aut ſine humore; organicos, vt obſtructiones; communes, vt vulnera, vlcera, tumores præter naturam, præcipuè phlegmonoſos aut ſcirrhoſos, & abſceſſus ſeu vomicas ex ſuppurato tuberculo vel propriâ ſubſtantiâ putrefactâ. Quòd ad intemperies illas ſpectat, frigidas, calidas, humidas vel ſiccas, ſolitarias vel coniugatas, ſine humoris vitio aut cum materiâ, certum eſt illarum curationem facilè referri poſſe ad therapeian phlegmonoſi & ſcirrhoſi tumoris, calidi ſcilicet & frigidi; vel etiam obſtructionum, quæ à materiæ copiâ contingunt: Vulnera verò, vtpote ab extrinſecis cauſis contingentia, hîc non attingemus, vtpote Chirurgiæ propria: Vlcera autem ſeu abſceſſus, quæ ad illa & ſuppurationes præuias contingunt, leuiter annotabimus, & quatenus ea quæ ſuperiùs de affectibus hepatis dicta ſunt, non ſatis propoſitum iſtud explicarunt (vel aliquid habent ab eo diſcrepans.)

Lienem ergo tumoribus phlegmonoſis rariùs quàm hepar tentari, certiſſimum eſt, propterea quòd frigidior eſt pars, & melancholico ſucco acidiore redundans, quo validiùs putredinis inflammationiſque cauſæ reprimuntur. Obſtructionibus verò & ſcirrhoſis tuberculis magis eſt obnoxius quàm hepar, propter craſſitiem fæcis illius melancholicæ quam naturaliter exugit, & quia in illum velut minùs nobilem partem, cætera quæuis excrementa faciliùs amandantur. Vnde Hippocrates *lib. 4. de morbis*, exiſtimat ſplenem & caput, inter omnes alias partes maximè morbis obnoxias eſſe, aliiſque morborum cauſas ſuppeditare. Quoties igitur magna ſanguinis copia, huic vel illi humori mixta, potiſſimùm pituitoſo aut melancholico, in lienem calidiorem, dolore affectum, aut alio modo imbecilliorem factum irruperit, & in illius ſubſtantiam effuſa fuerit: toties exoriuntur in illo phlegmonæ, rarò ſinceræ, ſæpiùs œdematoſæ vel ſcirrhoſæ, cum dolore acuto ſiniſtri hypochondrij, quì ad mammam vſque eiuſdem lateris, clauiculam, humerum, & ſcapulam aliquando protenditur, vt vult Hippocrat. *lib. de intern. affectib.* & pleuritidem ſiniſtram mentitur, quam tamen facilè ex ſcreatu & eleuatione huius hypochondrij diſtingues: cum calore etiam ſiue æſtu febrili, ob ſuſcitatam putredinem & cordi communicatam: tenſione ſeu renixu, & ſummâ aliquando pulſatione ob copiam arteriarum, quibus præditus eſt compreſſarum & inflammatarum: Vnde moleſtus dexter decubitus propter opprimentem reliqua viſcera ſuo pondere lienem; interdum etiam ſiniſter, ob contactum phlegmones, præcipuè ſi fuerit in externâ lienis parte, vel iam muſculis communicata, ita vt in ſpinam decumbere cogantur. Et reſpiratione vtuntur difficili atque ſuſpiriosâ, ob compreſſum aut diuulſum diaphragma. Quæ omnia magis augentur & increſcunt indies, ſi quidem tumor hic in ſuppuratum tendat, cum magno vitæ periculo, aut tetri vlceris generatione ex quo ſenſim contabeſcunt. Sin verò induretur magis, ac ſcirrhi naturam induat, tunc macreſcit & defloreſcit totum corpus,

corpus,malicorij ſpeciem referens,vt loquitur Hippocrates,& graueolentiæ, gingiuarum putrilagines, ac in toto habitu puſtulæ exoriri ſolent, corrupto per contagionem huiuſce viſceris toto ſanguine.

Rara eſt διαφόρησις & perfecta huius affectus curatio,ob naturam partis,& humoris illum committentis:præcipuè ſi non ſit primarius, ſed ſucceſſerit præcedenti alicui febri continuæ, vel intermittenti, quæ per noxiam μίλάσαζιν depoſuerit cineres vitioſi humoris,à quo fouebatur,in focum huiuſce viſceris.Malum eſt etiam,quoties ſucceſſerit tumori alicui externo, vt de Anaxenore narrat Hippocrates 7. *Epidem.* Huiuſmodi phlegmonoſos lienis tumores opportunè curat larga ſanguinis profuſio ex nare ſiniſtrâ,præcedentibus coctionis ſignis κατ' ἴξιν, & naturæ præpotentis auxilio facta:aliàs enim ſtillæ ſanguinis pallidioris & ſeroſioris imminere hydropem portendunt. Iuuat etiam coctâ iam materiâ fluxus ventris, ſed qui non diutiùs perſeueret,quoniam in malignam dyſenteriam degenerat, vt eſt *Aphor.* 43. *ſect.* 6. & 48. potiſſimùm quando purulenta,ſanguinolenta,atra vel æruginoſa deiiciunt.

Tanti igitur affectus curatio,ex propoſitis in iecoris phlegmone indicationibus diligenter inſtituenda. Victus ratio tenuis, & leuiter incidens atque attenuans, ob humoris craſſi permixtionem imperetur,cum debitâ refrigeratione,quæ tamen non induret valde contentam materiam. Caueant à nimio potu, quoniam lien potiſſimùm inflammatus liquidis iſtis velut ſpongia impletur, & malas deinceps corpori diſpoſitiones infert. Dulcia etiam valde lienem opplent & inflammant, niſi aliquid acidi miſceatur: vnde oxymelitis vſum hîc commendat Hippocrates: Nos autem more noſtro ſyrupos acetoſos cum hordei & graminis decocto præſcribere poſſumus, vel iam inclinante affectu vinum album tenue & oligophorum eâdem aquâ temperatum.

Quod ad maiora remedia ſpectat, ſtatim in principio venam tundendam eſſe patet,vt reuellatur materia fluxionis, & aliquid etiam ex parte detrahatur. Parcior tamen ſanguinis copia quàm in hepatis inflammatione educenda, propter iunctam huic affectui cacochymiam,idque ſeruatâ rectitudine ex eiuſdem lateris venâ,ſcilicet baſilicâ,quam Hippocrates *lib. de affect.* vocat ſplenitidem, vt brachij dextri hepatitidem. Quòd ſi diutiùs affectus hic perſeueret, laudant noſtri Practici iteratam ſectionem eiuſdem venæ, vel eius quæ inter annularem & minimum aut medium digitum excurrit: eſt enim propago baſilicæ; vel inter pollicem & indicem,quæ deriuatur à cephalicâ,quia minùs vires frangit, & ſatis commodè vacuat, febrilémque æſtum temperat. Potentius tamen erit auxilium hæmorrhoidum aut menſtruorum prouocatio,potiſſimùm ſi ab illis hoc malum incepiſſe videatur.Cúmque in hoc affectu cacochymiam plurimùm pituitoſam aut melancholicam iunctam eſſe dixerimus, & pigriorem eſſe aluum ob viſcerum calfactionem, ideò frequenter diluenda clyſteribus mollibus,refrigerantibus ac leuiter detergentibus. Eáque purgatio inſtituenda, quæ non multum exagitet humores aut inflammet, ſed blandè & ſenſim materiam circa inteſtina latitantem educat,vt quæ fit ex ſenâ,agarico, myrobalanis, epithymo, cum diaſenâ ſolut. catholicone, ſyrupo roſato ſolut. & ſimilibus: quibus præparantia humorem iſtum, alterantia & roborantia intermiſcenda erunt. Syrupi de bugloſ. violatus, capilli-Veneris, de granatis acidis, acetoſus ſimplex & compoſitus,cum aquis endiuiæ,graminis,fœniculi,meliſſæ,cardui benedicti, & ſimilium conuenient: Tabellæ diarthod. abbat. triaſant. confect.alkerm. ad inſtaurandas vires. Diuretica parum ſunt hîc ex vſu,quia parua eſt communicatio lienis cum renibus, niſi per arterias, quæ tamen declinante iam morbo præſcribantur. Topicis etiam commodè veteris in principio modicè refrigerantibus, vt oleo roſaceo, violaceo, de abſint.maſtichino,cum aliquot aceti guttis, vel cerato ſantalino & vnguento roſ.diſſolutis cum oleo de capparibus.Deinde reſoluentibus & mollientibus mixtis,ne ſcirrheſcat nimium tumor,vt anethino, chamæmelino, liliorum, & amygdalarum dulcium,quibus vnguentum reſumptiuum aut martiatum miſcentur cum paucâ ſpicâ. Eodem modo & intentione varij fotus, cataplaſmata, & emplaſtra præſcribentur,quemadmodum in inflammatione iecoris dictum eſt. Quòd ſi ex doloris,caloris,& pulſationis valido ſenſu phlegmone iſta ad ſuppurationem vergere videatur,tunc maximè ſedando dolori & febri, ſumptis narcoticis intendendum, foris verò ἐκκενωτικὰ & concoquentia adhibenda, vt pultes ex farinâ hordei & frumenti, cum aquâ & oleo abſint.& amygdal.dulc.paratæ; Vel cataplaſma ex caricis contuſis & adipibus, cui parum fermenti adiungatur ad diſruptionem abſceſſus iam facti. Tunc enim apertâ vomicâ,debet puscopioſum profluere; Quod ſi nigricans, fœtidum,

dum, aut alio modo prauum ex eat, actum est de ægro : Sin verò album & coctum, aliquando euadunt : sed vlcere tentantur, quo tandem contabescunt, nisi detergentibus conuenienter adhibitis, & lactis asinini vsu releuentur, quorum descriptionem ex superioribus repetere oportet. Nunc igitur de obstructione & scirrho lienis, breuiter etiam agamus.

CAPVT X.

De Obstructione & Scirrho Lienis.

ISTI affectus, vt iam dictum est, frequenter lienem exercent, ob proprij temperamenti constitutionem frigidiorem, quam natura multis additis arteriis quantum potuit, adiuuit substantiæ laxitatem, ob quam facilè suscipit materias istas : & proprij muneris seu functionis rationem, quia dicatus est lien expurgandæ fæci melancholicæ & amandandæ in ventriculum ac intestina. Quoties igitur causis præter naturam inualescentibus & multiplicatis ; cacochymia ista materiæ crassæ aut viscidæ subitò per fluxionem aliunde, capite, hepate, hæmorrhoidibus suppressis, &c. irruens, vel ibi per *ξυναθροισμὸν* ex partis imbecillitate, aut obiecti vitio collecta, aut certè malè curatis inflammationibus succedens, oppleuerit meatus illius à venâ portâ oriundos, vel in dicta membra desinentes, fiunt obstructiones pertinacissimæ, & quæ si diutiùs perseuerauerint, effusâ materiâ in proprium lienis corpus, & ibi induratâ, non solùm scirrhosum tumorem producunt, sed totam functionum œconomiam peruertunt, communicato affectu præcipuis corporis nostri partibus, ac potissimùm vicino iecori. *Ex quibus enim*, inquit Hippocrates, *lib. de locis in homine; lien floreſcit & augetur, ex eisdem totum corpus defloreſcit ac minuitur.* Hinc icteri nigri & arquati, dysenteriæ lethales, vel lienteriæ diuturnæ, deiectæ appetentiæ cum multâ spuitione, palpitationes cordis ob flatus eleuatos, arterias & cor implentes, mentis perturbatio cum metu & mœstitiâ, ex vaporibus cerebrum infestantibus; epilepsiæ aliquando, si malignior sit illa aura, & similes affectus symptomatici.

Facilis est ergo cognitu hic affectus suis pathognomonicis & concurrentibus signis, tensione sinistri hypochondrij durâ & oblongâ, sine dolore vel saltem exiguo, sine febre, nisi aliquando lentâ & miti, grauitatis sensu, difficultate spirandi ob compressum diaphragma aut diuulsum ; & difficili in dextrum latus decubitu ob incumbentis grandioris visceris pondus. Talibus affectos ægros diuturniori tempore, Splenicos vocat Hippocrat. eorúmque *κατάστασιν* ita describit, *lib. de intern. affect. Color*, inquit, *illis mutatur & conspicitur niger, pallidus, vel malicorij speciem referens, aures & os malè olent, gingiuæ putrescunt & à dentibus secedunt facile sanguinem effundentes : Vena circa lienem nigricant & intumescunt, cutis squallescit, pudenda flaccescunt, vlceráque in tibiis oboriuntur maligna & dysepulota, vel etiam toto corpore fœdissima scabies. Quibus*, addit 2. *Prorrheticon, succedunt inflationes pedum, & earum partium quæ oculis subiacent.*

Quanti igitur sint momenti isti affectus, ad quos tot alij consequuntur, & tandem dirus ille hydrops à nobis suprà descriptus, satis est manifestum. Obstructio quidem incipiens medicabilis est, si ritè curetur, vt & scirrhus tractabilis & sensu aliquo comitatus : Confirmata autem obstructio, vel exquisitus & indolens scirrhus sunt incurabiles, præcipuè si in senibus aut imbecillioribus naturis oboriantur : fœminis quibus iam cessarunt menstrua, omnino sunt lethales ; in aliis diu prorogatur vita, si prophylaxi diligenter incumbant.

Instituatur igitur & obseruetur diligens atque accurata victus ratio, quæ res omnes non naturales dictas, ad debitum sanitatis regimen reuocet, cuius malo vsu magnum hisce ægris periculum impendere docet Eudemi historia apud Hippocratem 7. *Epidem.* Vitent itaque malas aëris constitutiones, regiones paludosas, & malis ventis perflatas, potissimùm autumno cautè viuant, ne ob symbolam anni tempestatem ingraueſcat affectus. Labori & exercitationibus dediti sint, quantum poterunt ; vigiliarúmque quàm somni sint amantiores, dummodò vires id permittant : nec vllis se excrucient curis, mœroribus, aut grauioribus negotiis. Verùm excretionum omnium naturalium & solitarum valde sint solliciti, potissimùm alui, quæ in illis pigra admodum

admodum esse solet, nisi iam fatiscente naturâ. Cibos eligant euchymos & eupeptos, attenuantes, ac leuiter detergentes & mollientes: Denique ea omnia, quæ melancholicis conueniunt: Fugiant verò ea omnia à quibus interdicuntur, vt carnes duriores & crassi succi, suillam, aprugnam, leporinam, auium palustrium, & inter alia animantium lienes ac nigriores succos, pisces cetaceos, olera cruda, legumina, veterem caseum, dulcia omnia, vina austera & crassa, panem azymum, malè coctum & subactum. Delicatè igitur viuant, vt iam ictericis præscriptum fuit, & pauca potiùs alimenta assumant, quàm copiosiora, vt meliùs à debilitato ventriculo propter viciniam conficiantur. Ad incidendum & attenuandum concedit illis Hippocrates *lib. de intern. affect.* inter troxima omnia, scilicet quæ cruda eduntur, raphanum & apium aceto intincta; quamuis enim acetum primis qualitatibus cum melancholico succo consentire videatur, quia tamen attenuat & incidit, plurimùm conducit ad præparationem & concoctionem istius humoris. Nos igitur addere poterimus cappares, fœniculum marinum, & oliuas aceto conditas, cinnamomi vsum tam in cibis quàm potu, cicerum rubeorum & hordei cremorem, permixto croci aut fœniculi momento, ne flatus suscitentur.

Remedia verò, vt dictum est, in scirrho & obstructione hepatis, hîc similiter instituenda, validiora tamen præscribi possunt, quia si per os sumantur, lien est iecore remotior à purgationis viâ, pars est minùs nobilis, impurioris substantiæ; tum crassa, viscida, valdéque rebellia vt plurimùm continet excrementa. Quod ad phlebotomian spectat, illa non videtur in hoc affectu vsurpanda, cùm neque reuellere, nec vacuare possit materiam morbificam, & plurimùm isti ægri toto corpore refrigerati & exangues existant. Attamen si plethora cacochymiæ iuncta aliquando videatur augere propositum affectum, vel suppressa menstrua aut hæmorrhoides, non omnino prohibemus phlebotomiam in morbi principio, sed parcâ manu & summâ cautione, ne ægrum in maiorem refrigerationem vel hydropa præcipitemus: Magis laudanda est vacuatio per vterum aut hæmorrhoides in assuetis. Quidam Practici aperiunt venas illas in manu sinistra excurrentes, sinúntque sanguinem tamdiu fluere in aquâ tepente, donec sponte suâ sistatur, vel eodem sanguine confricant lienis regionem: Putant enim naturali quadam ratione & beneficio superfusum istum sanguinem languenti membro ferre medicinam. Alij dicunt experimento constare certissimo, venas quæ supra lienis regionem nigricant, apertas, vehementer eis profuisse.

Equidem si materia quædam videtur adhuc in partem istam fluere, aut iam ex deprauatâ coctione serosi & acrioris succi copia generetur, vtilissimum erit venas crurales sæpiùs aperire, aut cruribus affigere cauteria, vt inde sensim & quasi stillatim effluat. Quòd si ex parte ipsâ sit exhauriendus, & æger constanti sit animo ac corpore, non est dubium quin ipsi lieni, hoc est, musculosæ regioni lienem complectenti adhibita, multum frugis ad curationem adferant: illisque magis quàm vesicatoriis fidendum, quæ summam tantùm cuticulam exulcerant, & serositates quasi per resudationem eliciunt. Hippocrates ergo *lib. de intern. affect.* vbi opus est, & æger ferre potest, ignitis fungis vrit, & decem magnas crustas inducit, quasi in ambitu lienis. Albucasis eleuatâ cute quæ supra lienem est, cauterium ignitum adigit, quod duabus vel tribus cuspidibus præditum, quatuor vel sex foramina excitat, deinde anodyna adhibet, vt decisâ eschârâ multus inde liquor & diu profundatur. Cauterium verò potentiale iam nostris assuetum, quia indolens est & minimè terrificum, duobus vel tribus locis adhibitum sufficiet.

Purgantia autem & præparantia remedia in obstructione valida esse debent, facto initio à mitioribus, vt apozemate aliquo, vel syrupo magistrali frequenter repetito, admixtis aperientibus, diureticis, necnon lithontribis, vt docet Galenus; & menses mouentibus medicamentis, quæ capite de κακοχυμία sufficienter descripsimus: Pilulæ parantur ad obstructiones istas ex ammoniaci, hieræ picræ, agarici, & cinnamomi æquis partibus, cum succo fœniculi confectæ, additâ diagredij aut trochiscorum ex colocynthide ʒ j. vel pluribus: quæ frequenter exhibitæ, miram præstant illis vtilitatem. Vinum album chalybeatum, aut limatura chalybis cum aceto scillitico præparata, & pauco cinnam. boraci, & seminibus aperientibus mixta per septem aut nouẽ dies sumpta, sæpe curationẽ istam perfecit, non omissis topicis incidẽtibus & emollientibus, vt inunctione ex oleo de cappatibus & liliorum simul mixtis, vnguento

de arthanitâ, quod hîc potentiſſimum cenſetur, vel reſumptiuo cum dialthæâ, aut emplaſtro de mucilaginibus, de meliloto, & aliis iam ſæpe traditis. Inter externa etiam non omittendi fotus, vel balnea eâdem facultate prædita, quia multum poſſunt ad fundendas diſſipandáſque eiuſmodi obſtructiones.

Quòd ſi ſcirrhoſa ſint omnino, vel certè lienis ſubſtantia induruerit, agendum caute hiſce remediis, ne ſcilicet incidentibus nimiùm & reſoluentibus, magis ac magis ſcirrheſcat & quaſi lapideſcat: vel mollientibus & fundentibus in cancroſum tumorem degeneret. Ac proinde viciſſim illis vtendum, aut certè medicamentis mixtas haſce facultates habentibus. Galenus commendat fumigium ex lapide molari vel pyrite candente, qui irrigatur molliente aliquo decocto, cum aceti tertiâ parte, deinde imponit emplaſtrum ex caſeo veteri vel pernâ in aceto ſcillitico decoctâ. Arabes inungunt hoc vnguento per xv. aut xx. dies manè & ſero.

℞ Corticis rad. cappar. & tamariſci, rad. ariſtol. rotund. acori & gentianæ, an. ℥ j. radic. dracontij & & lilij albi, an. ʒ ß. foliorum rutæ virentium & maluæ, an. ʒ. iij. ſeminum apij, fœniculi, & agni caſti, an. ʒ j. Incidantur & macerentur in aceto fortiſſimo per totam noctem, deinde contuſa cribrentur; quibus adde axungiæ anatis & gallinæ, an. ℥ j. bdellij & ammoniaci diſſolut. cum aceto, an. ʒ iij. ceræ parum. Fiat vnguentum, vt artis eſt. Vel admoueatur ſequens emplaſtrum, donec per ſe decidat. Aut quando remouere volueris, foueatur locus decocto caulium rubrorum & florum chamæmeli, in aceti & aquæ ferratæ æquis partibus.

℞ Caricarum nigrarum ℥ ij. gummi ammoniaci, opopanacis, & bdellij, an. ℥ j. Temperentur in aceto fortiſſimo, donec diſſoluantur. Deinde adde ſtercoris capræ, & ſeminis fœnugræci puluer. an. ℥ ß. rad. cappar. puluer. ʒ ij. ceræ q. ſ. Fiat emplaſtrum, admouendum vt dixi.

Per os exhibeantur frequenter purgantia, molliendi etiam & attenuandi facultate prædita. vt opiata ex caſſiæ, catholiconis, diaprunis ſolut. & diaſenæ æquis partibus, cum ſyrupo violaceo confecta, ad ʒ vj. ſingulis hebdomadis repetatur: Vel ſi valentiùs aliquando ſit agendum, confectionis Hamech tantundem capiant cum cuſtodiâ: & poſt horas tres hauriant ſeri caprilli vel aſinini ℥ vj. ad detergendam & lubricandam aluum. Decoctum ſcolopendrij, quod nunc aſplenum vel ceterach appellamus, lienes magnos abſumere creditur. Hippocrates commemorat aſphodeli ſemen, viſci folia, fœnumgræcum, viticis & rutæ ſemen, radicem menthæ, manè exhibita cum vino. Noſtri ſuos trochiſcos de capparibus, & dialacca, vel etiam de myrrhâ, quia incidunt & emolliunt. Quidam commendant puluerem veſpertilionum combuſtorum, ſplenis porci vel aſini ad ʒ ij. cum vino albo ſumptum. Allium etiam ſylueſtre laudatur in fotu & potu, ſi non adſit febricula. Multi putant omnem lienis duritiem, intra anni vnius ſpatium diſſolui, ſi quidem æger aquâ chalybeatâ perpetuò vtatur, potétque vinum in doliolo tamariſci poſitum, iuſcula & reliqua omnia ſumat & ſorbeat ex vaſculis & cyathis ex tamariſci ligno confectis, quia pecudes, quæ loca hoc frutice ſcatentia depaſcuntur, lienes aut nullos aut tenuiſſimos habent. Alij putant fraxino eandem eſſe vim quæ tamariſco. Reliqua ex præcedentibus repetantur. Quod enim ſpectat ad flatuoſos Lienis tumores, quibus aliquando diſcruciari ſolet, eorum curatio ex colici affectus tractatu facilè inſtitui poteſt. Nos verò ad affectus renum & veſicæ tranſeamus.

IOANNIS

Digitized by Google

IOANNIS VARANDÆI
TRACTATVS THERAPEVTICVS

De affectibus Renum & Vesicæ.

PRÆFATIO.

Quâ Operis institutum declaratur.

VIVSVIS concoctionis sua esse excrementa certissimum est. Cùm enim illa ad ὁμοίωσιν tendat, id est, assimilationem nutrientis cum nutrito, oportet purum ab impuro, vtile ab inutili secerni, vt illud remaneat quod magis nutritioni est idoneum. Prætereà excrementorum istorum naturalium sua sunt munera & vsus proprij, quibus perfuncta amandantur per conuenientes vias in certa quædam loca, vnde pro naturæ arbitrio & commodis excerni valeant moderatè. Quod ex propositâ nobis nunc tractatione maximè eluceſcet. Cùm enim serum seu aquositas humorum in nobis contentorum ad distributionem materiæ alibilis maximè sit instituta, vt loquitur Hippocrates, ὑγρασία τῆς τροφῆς ὄχημα, serositas est alimenti vehiculum. *Neque enim chylus per inteſtina & venas meſaraicas in hepar, vel sanguis & reliqui humores per omnes partes deferri possent, nisi conuenienter diluti, & aquoso isto ichore fluxiliores reddiri. Attamen quia sæpiùs illa redundare solet, vel certè post peractam ἀνάδοσιν inutilis & partibus moleſta esse poterat: ideò natura diligenter prouidit, vt conuenienter & suo tempore excluderetur, aliquando per habitum corporis & poros cutis externos concitatis sudoribus vel insensili transpiratione, vt in animbus aut aliis quæ non mingunt: ordinatè verò per vias vrinæ dicatas, quas summo studio & solertiâ ad hoc munus ritè obeundum comparauit. Venis enim illis & arteriis emulgentibus dictis exugit continuò quicquid aquosioris succi in maioribus vasis continetur cum certâ sanguinis portione ad renum nutritionem neceſſariâ: In renibus velut filtro quodam secernitur ille humor, & transcolatur in subiectam peluim: à quâ per vreteras in vesicæ cauitatem præcipitatur: ibique vrina primùm nomine donatus tamdiu continetur, donec quantitate vel qualitate moleſtus, excretricem irruet, & laxatò sphincktere ceruici illius proprio, per vrethram, id est, canaliculum ad extremitatem vsque pudendi porrectum, foràs expellatur. Hæc igitur est naturalis & recta partium istarum œconomia, quæ bonis illarum dispositionibus & secundùm naturam constitutis administratur. Vbi verò illæ immutantur præter naturam in suâ essentiâ & propriâ constitutione, vel per συμπάθειαν aliarum partium malè affectarum: tunc actio ista variis etiam modis peruertitur. Vel enim non fit & omnino supprimitur, vt in ἰσχουρίᾳ; Vel malè fit, si sit imminuta, laborioſa & moleſta, vt in στραγγουρίᾳ & δυσουρίᾳ: Aut si præter naturæ modum copioſiùs fluat, vt in diabete; Vel nullo ordine & periodo, idque inuoluntariè profundatur, vt in vrinæ incontinentiâ, illiſque qui seipſos ac stragulas permingunt. Denique non tantùm excretio ipſa præter naturam esse poteſt, ſed etiam excretum ipſum, nempe vrina ipſa alienis qualitatibus & con-*

Digitized by Google

centis prædita: vt quando est arenosa, sanguinolenta, purulenta, & sic de reliquis. Quæ omnes functionum læsiones, cùm à variis causis & morbis, intemperie videlicet, tumoribus præter naturam, obstructionibus, vlceribus, & aliis proficiſci possint: Ideò tractatum hunc nostrum in septem præcipua capita diuidemus: quorum primo agemus de Calculo Renum & Vesica, vtpote præcipuo affectu, & à quo plurimùm functiones istæ labefactantur. Secundo de inflammatione & tumoribus phlegmonosis istarum partium. Tertio de vrinâ sanguinolentâ seu mictu sanguinis. Quarto de vrinâ purulentâ seu vlceribus renum & vesicæ. Quinto de diabete. Sexto de vrinæ incontinentiâ seu inuoluntariâ mictione. Septimo de ἰχουρίᾳ, στραγγουρίᾳ & δυσουρίᾳ. Quibus omnia ad rem istam pertinentia complectemur & dilucidè explicabimus, vt in Operis progressu apparebit.

CAPVT PRIMVM.

De Calculo Renum & Vesicæ.

NATVRA animantium conseruationi, non minùs quàm generationi studens, quamuis conuenientem instrumentorum fabricam & caloris insiti potentiam illis tribuerit ad functiones suas exercendas: Attamen fieri non potuit, quin vel causarum externarum violentiâ, vel ex necessitate materiæ huius elementaris & mutationi obnoxiæ varia exorirentur veluti morborum monstra, quibus à sanitatis statu deturbata, & diuersis cruciatibus exagitata tandem vltimam vitæ periodon clauderent. Inter illos autem affectus (quibus diuturna corporis veluti carnificina exercetur) non postremum obtinet locum Calculus siue lapidis generatio in variis corporis nostri partibus: vt non maiore gloriâ, quàm suo incommodo microcosmi nomen reportarit homo, genitis intra seipsum animalibus putredinosis, teterrimis humoribus variorum succorum & aliorum fossilium naturâ repræsentantibus, necnon terrarum & lapidum diuersicolorum πολυχρόων & πολυμόρφων variis speciebus. Quæ omnia in paruo hoc mundo cùm sui generationem, quemadmodum in magno ex certâ causarum constitutione adipiscantur: Ideò ex solitâ nobis methodo, Calculi definitione in primis propositâ, ea diligenter sunt explicanda, quæ ad illius naturam, causas & effectus in nobis accuratè cognoscenda faciunt.

Calculus igitur siue lapis, quæ duo nomina maioris minorísque ratione differre dicuntur, morbosam διάθεσιν in nobis infert, quæ Hippocrati λιθίασις, Latinis *Calculatio* dicitur, & eâ laborantes λιθιῶντες vocantur. Definiturque à nobis, Substantia dura & in lapidis formam confecta, varias corporis nostri partes occupans, potissimùm verò renes & vesicam, à causis præter naturam genita, obstructionésque sæpiùs excitans, à quibus rursum diuersa oriuntur symptomata.

Diximus itaque esse substantiam, quemadmodum & Galenus partem, quia numerum partium auget, siue diuersam in nobis substantiam præstat, quæ quamuis sit toto genere præter naturam, neque viuentis membri conditiones repræsentet; attamen corporis nostri prout quanti constitutionem ingredi videtur, non minùs quàm verrucæ, tophi, vermes, & alia adnata, quæ Barbari non inepte partes imaginarias seu similitudinarias appellant. Non tamen inde sequitur, substantiam, partem siue calculum ipsum esse morbum, vt quidam voluerunt, cùm non sit qualitas siue dispositio, sed causa huius dispositionis morbosæ & præter naturam, quoties contigerit illum vel obstruere, vel distendere partes corporis proprias, vnde exoriuntur varia symptomata in διαγνώσει explicanda: Quia verò tanta est affinitas huius causæ cõtinentis cum affectu qui illam proximè subsequitur: ideò multi cum Galeno causali quodam significato, quod Græci notionem αἰτιώδη vocant, calculum, vermes, sextum digitum, & similia, morbos appellarũt, quia

Digitized by Go

quia tota curatio, quam potiſſimùm ſpectat Medicus, ita poſita eſt in illorum ſublatione, vt eis remotis nihil ampliùs ſuperſit, quod functiones lædere poſſit. Diximus etiam ſubſtantiam iſtam eſſe duram & in lapidis formam confectam ad diſtinctionem aliarum rerum præter naturam, quæ in corpore noſtro generantur, quæ quamuis duritie aliquando præditæ ſint, vt tophi, exoſtoſes, calli, verrucæ, pituita gypſea, & ſimiles; non tamen repræſentant illam exteriorem formam quæ in lapidibus potiſſimùm ſilicibus conſpicitur, vt in propoſito calculo (modò aſpero ſecundùm externam ſuperficiem, modò læui & plano, aliàs continuo & ouali figurâ, aliàs diuulſo, perforato, triſulco, corticatim & quaſi per laminas compacto) tantâ duritie prædito, vbi perfectam ſuam coctionem adeptus eſt, (recens enim & adhuc tenellus paruo attritu in arenam & quaſi puluerem diſſoluitur) vt nonniſi malleorum vi, aut valido rei alicuius impetu diſrumpi poſſit. Quæ ſumma duricies non repletioni poteſt adſcribi, nulla enim intra calculum cauitas quæ impleri poſſit; non congelationi, quia non eſt tantum frigus in viuente; ſed ſummæ exſiccationi tribuenda, vt poſteà clariùs dicemus.

Reliqua igitur in definitione poſita continent cauſas generationis calculi & effectus illius, nempe diſpoſitiones & ſymptomata quæ in nobis producere ſolet. Cùm ergo calculus in quadam corporis noſtri parte concreſcat, ab aliquâ materiâ conuenienti fiat, quoties efficiens valida vel diuturnior formam & qualitates ad illius eſſentiam neceſſarias induxerit, quæ etiam finis eſſe ſolet rei cuiuſque naturali tantùm inſtinctu agentis: Ideò videndum nobis, quis ſit locus generationis calculi in nobis, quæ ſit cauſa eius materialis, & efficiens, non tantùm continens & proxima, ſed etiam antecedentes omnes & externæ, quæcunque ad illius productionem concurrere poſſunt; Ex iſtorum enim ſedulâ explicatione omnia ad hanc rem pertinentia erunt ſatis manifeſta. Quod ad locum igitur ſpectat, ſiue partem corporis noſtri, in quâ ſolet calculus concreſcere; videtur Galenus *cap. 4. lib. 6. de locis affect.* tantùm renes, veſicam, & colum agnoſcere: Attamen Paulus *lib. 3. cap. 31.* ſicuti etiam Trallianus lapides auellanæ magnitudine, è pectore vidit prodiiſſe caſu in terram ſonoro & reſiliente. Zoar *lib. 2. tract. 22.* lapidem innatum linguæ conſpexit, indeque hominem mutum. Beniuenius *cap. 23.* curauit lapides in colo genitos: Franciſcus Pedemontanus fluxum ventris lapideum per menſem integrum, incredibili lapidum numero & magnitudine, vt quorundam etiam oui eſſet craſſities. Hugo *comment. in Aphor. 29. ſect. 4.* refert cuidam plures calculos è ventriculo per vomitum reiectos. Veſalius *lib. de rad. Chyna*, multos magnoſque vidit in cyſtide felleâ hominis icterici poſt mortem diſſecti, quod nobis etiam bis aut ter contigit. Lacuna & Beniuenius *cap. 19.* conſpexerunt multos lapides natos intra caluariam, meſenterium & vterum; quemadmodum & Meſuës *in Aphor. 29. lib. 4.* Certè Hippocrates 5. *Epid.* inſignem narrat hiſtoriam mulieris Lariſſææ, (famula erat Dyſeridis) quæ ingentem lapidem in vtero à pueritiâ ad ſexageſimum vſque annum geſtans, eum tandem ſummo excreuit cruciatu tanquam parturitura: Et vulgata eſt hodie illa hiſtoria Senonenſis λιθοπαιδίου, nempe pueri in vtero matris petrificati. Vnde intelligitur quamlibet corporis cauitatem paulò maiorem, concipiendo gignendoque lapidi aptam eſſe. Quamquam, vt quod ſentio liberè proferam, exiſtimo alia loca continere potiùs aut gignere gypſeam quandam pituitam vel humorem concretum in ſuis finibus, quemadmodum in extremitatibus palpebrarum aliquando conſpicitur, per earum affectum qui etiam λιθίασις dicitur, & in externâ oſſium ſuperficie, dum ſuboriuntur exoſtoſes, quàm veros calculos, quia deeſt vtplurimùm terrenum illud ſiue fabuloſum, quod humido glutinoſo coniungi debet, vt lapis generetur.

Renes autem & veſica, quia ſunt veluti canales & tubuli, per quos natura humorum ſeroſitates tranſcolat, ideò ſiquid terrenum magis & arenoſum, ſiquid glutinoſum & viſcidum in illis fuerit, facilè concreſcit in parietibus iſtorum, quemadmodum in matulis, & in calculi formam coagmentatur. Quâ in re conſideranda venit cauſa illa concurrens & inſtrumentalis ad generationem calculi, quam noſtri ſine quâ non appellant; nempe diſpoſitio organica iſtorum membrorum, vtpote exilitas propriorum meatuum, aut ſubſtantiæ denſitas, & alia quæuis mala conformatio, ob quam non expurgato commodè eiuſmodi craſſamento, aut diutiùs retento, facillimè excoquitur & conformatur in lapidem. Vt ſiqua ſit διάθεσις in veſicâ & renibus accuſanda ad generandos calculos, quam Fernelius aliis omnibus cauſis hac in parte præferendam putat: certè ego nihil aliud eſſe cenſeo,

quàm prauam iſtarum partium conformationem, quæ tranſcolationi vrinariæ materiæ non ſatis eſt accommodata, & nimiam facit illius moram in meatibus. Huc etiam pertinere videtur duorum problematum ſolutio, cur ſcilicet ſenes in renibus, pueri in veſicâ frequentius calculos generent? Et vtrùm omne calculi rudimentum perpetuò fiat in renibus, an veſica ſuos etiam inchoare poſſit?

Ad primum itaque reſpondet Galenus 6. *epidem.* id fieri quoniam craſſities illa vrinarum in pueris calore fuſa blando, & ab expultrice validiore excreta, non facit moram in renibus, ſed allapſa in veſicam, ibíque reſidens, faciliùs concreſcit in lapidem. Adde quod pueri nugis intenti, vel dum ſomno incumbunt, longiora faciunt meiendi interualla, vnde fæx illa per exiguum adhuc vrinæ canalem non expurgatur conuenienter, ſed in cauo veſicæ ſubſiſtit & coaleſcit. In ſenibus autem facilis eſt & crebra mictio illius materiæ quæ in veſicâ continetur, ampliorque ductus patet ad eius excretionem; ſed in renibus fæx illa moratur frequentiùs, quia viſcidior, & quia non poteſt diſſolui aut tranſcolari ob ſiccitatem & quaſi ariditatem iam in renibus contractam. Ideò Hippocrates *in Coacis* vult lapidem in veſicâ non generari à decimo quarto ætatis anno vſque ad ſexageſimum tertium, niſi priùs extiterit: quaſi velit extremum ſenium eum colligere poſſe, quia iam immemores ſui & quaſi repueraſcentes non bene incumbunt mictioni, aut propter infirmitatem non poſſunt bene mingere.

Ad ſecundum problema reſpondet Fernelius, omnem calculum in veſicâ concluſum, rudimentum è renibus traxiſſe, è quibus per nephriticum dolorem excidens, ſi grandiuſculus eſt, in veſicâ hæret ac ſubſiſtit, illicque allatarum ſordium adhæſu coagmentatur. Vnde in contritis eiuſmodi veſicæ calculis, ait ſe in eorum medio quaſi nucleum reperiſſe è renibus exturbatum, diuerſi quàm reliquum integumentum coloris & ſubſtantiæ. Neque vnquam ſe aliquem offendiſſe aſſerit, calculum in veſicâ habere, qui nephriticis doloribus antè diuexatus non fuiſſet. *Quid enim limum iſtum*, addit, *tamdiu poſſet in veſicâ remorari, vt exarefactus ſenſim lapideſcat, cùm & ſanguinis grumus, & pus, & mucoſa lentaque pituita, aliaque multò craſſiora facilè illinc profluant cum vrinâ?* Hæc Fernelius, quibus tamen non poſſum aſſentiri. Nam falſum eſt vtrumque quod aſſerit, neminem ſcilicet in veſicâ calculum habere, qui nephriticis doloribus non fuerit diuexatus: Et in omni veſicæ calculo contrito reperiri nucleum coloris rubri, & diuerſæ ab integumento ſubſtantiæ. Nullus eſt enim mediocriter in artis operibus verſatus, qui non viderit pueros ſex aut ſeptem annorum, imò etiam bimulos, quibus concretus erat in veſicâ lapis, ſine vllo renum prægreſſo dolore, aut alterius partis querelâ: Et quotquot eiuſmodi puerulorum calculos contriuimus, illos ſine eiuſmodi nucleo rubro & alterius ſubſtantiæ reperimus, quod in eis tantùm qui ſunt prouectioris ætatis verum eſt, & in quibus calor iam incipit fieri acrior. Quid ergo impediet, lapidem aliquando in veſicâ primariò coaleſcere, ſiue granatim ſeu corticatim, quotieſcunque cauſæ præter naturam conſtitutæ fuerint? Anne maioris eſt momenti inchoare nucleolum illum, quàm perficere, & in prægrandem lapidem efformare, cùm veſica ex ſuâ ſubſtantiâ durâ, neruoſâ, & exangui, tota ſit comparata ad eiuſmodi generationem, vt docet Galenus? Excernit quidem veſica aliquando pus, grumos ſanguinis, & ſimilia craſſiora, ſi non ſit obſtructa, aut alio modo impedita. Idem faciunt renes. Attamen vbi malis diſpoſitionibus afficiuntur, non ſolùm pus & grumos, craſſamque pituitam retinent, à quibus multos mortis periculum ſubire quotidie videmus, ſed etiam fæcem illam terrenam, quæ excocta & coagmentata tam in rene quàm veſicâ in calculum degenerat. Nunc igitur, quæ ſit illius propria materia, & à quâ potiſſimùm cauſâ efficiente concreſcat, videamus.

Hippocratis varia eſſe videtur de calculorum cauſâ materiali ſententia: *Libro* enim *de aëre, aquis, &c.* ſcripſit aquas paluſtres, turbidas & fæculentas, calculos generare, quia ſordem relinquunt, quæ tranſcolari nequit. *Libro ſecundo de nat. hum.* calculum fieri ex ſuppurato in renibus tumore, nec vacuato, ſed craſſeſcente intra eorum cauum pure. *Libro* autem *de morbis quarto*, vult in puerulo fieri ex lacte crudo, bilioſo, aut alio modo intemperato, in veſicâ exſiccato, & pituitâ velut glutino concreſcente; in adultioribus verò ſæpè fieri ex terræ eſu, quando malaciâ tentantur. *Libro de internis affectionibus* vult fieri ex pituitâ in tophum concreſcente. Ex cuius verbis colligere eſt, materiam calculi eſſe quicquid in nobis exſiccari ſeu terreſtrem & quaſi fabuloſam naturam imitari poteſt, ſiue ſit bilis,

bilis, siue sanguis, seu melancholicus succus, vel purulenta materia, aut limus ab externis rebus contractus, quæ in renibus aut vesicâ arefacta, & pro conditione obiecti ac partis excoquentis, rufo aliquando, aliàs albo, cineritio, rubro, aut nigrescente colore donata, vt patet in profusione arenularum diuersorum hominum, faciunt ζωάγμα, vt loquitur Hippocrates, ex glutinoso illo & viscido humore qui phlegma vocatur. Quemadmodum in fodinis gignuntur lapides ab exhalatione siccâ & fuliginosâ cum humido glutinante. Non igitur semper causa materialis calculorum, vt quidam voluerunt, est ipsa pituita seu cruditates primæ & secundæ coctionis: Nam colores iam dicti tam calculorum quàm arenularum atteſtantur sæpe bili, sanguini, & aliis rebus potiùs quàm meræ pituitæ, quæ quò magis coquitur & exsiccatur, eò albidior euadit, vt patet de mucosâ, gypseâ, grandinosâ, & similibus. Deinde in vesiculâ felleâ lapides valde rufos aut nigrescentes præ adustione sæpè reperiri certissimum est, in quâ tamen non est ea pituitæ copia, quæ illis generandis sufficiat. Et cùm sæpe calculi isti potissimùm nephritici in hominibus biliosis & ætate florentibus, aut saltem consistentibus, quibus viscera exæstuant, reperiantur, non est credibile pituitam suppeditare illis præcipuam basim siue materiam generationis suæ, sed tantùm agglutinationem & quasi ferruminationem, vt vniantur partes illæ aridiores & exsiccatæ, cui rei pauciſſima pituita sæpe sufficit.

Quid verò sit illud quod conficit, coagmentat, & veluti formam inducit in propositam materiam, etiam controuertitur. Cùm enim omnis concretio fiat vel à calore per resolutionem, vel à frigore per congelationem: & lapidum in fodinis generatio sequatur aliquando calorem intensum, aliàs remissum: sæpe etiam frigoris vim, vt docent rei metallicæ scriptores: Hinc etiam multi opinati sunt, calculos renum & vesicæ fieri aliquando à calore vehementi & exurente: aliàs à frigore intenso & congelante viscidum illud & terrenum, vt in senibus, quibus, inquit Aretæus, totum corpus, præcipuè verò partes istæ refrixerunt. Sed cùm tale frigus actuale & congelans in viuentis corpore quantumuis exhausto & senili non detur, ideò non videtur admittenda illa Aretæi sententia. *Adde quòd inter senes illi maximè calculos in renibus colligunt, qui eos habent reliquis calidiores, nisi fortasse per illud frigus seu frigidam intemperiem, intellexerit, Medico more, calorem scilicet imminutum, & qui infra moderationis gradum subsistat, factâ comparatione cum aliis partibus, vel cum eadem sanâ & temperatâ. Sic enim frigidas intemperies lædere dicimus functiones in nobis; sic adipem frigore circa membranas concrescere voluit Galenus: ita vt calor ille imminutus in senibus, cùm crassos & viscidos humores multiplicet, nec possit eosdem fundere & transcolare per cauitates renum, causa sit concretionis primaria huius materiæ, quam deinde insitus ille calor quamuis infirmus diuturnâ morâ recoquat, & dissipatis partibus humidioribus in lapidem conuertat. Nam quod dicunt aliqui, si à frigore concresceret lapis iste, dissolueretur à calore, quemadmodum adeps & cætera eiusmodi: nihil facit aduersùs istam sententiam: Nam eadem ratio aduersùs illos retorqueri potest, si concresceret à calore, dissolueretur à frigido, quod tamen non contingit: Et omnia ferè lithontriba, dissoluentia, aut comminuentia calculos, caliditate prædita sunt insigni, ita vt hoc modo calculi frigiditatem expugnare viderentur. Sed illa propositio est intelligenda de eis quæ in concretione suâ seruant partes humidas mixtas cum siccis, non quæ resolutionem earum perfectam patiuntur, siue sit à frigore, vt in crystallo, adamante, & pluribus metallicis; siue à calore, vt in calce, lateribus, & propositis calculis. Ponimus itaque illorum causam efficientem primariam & perficientem, ipsum calorem, qui adhuc sub eo sit gradu, vt per diuturnam actionem & moram materiæ in istis ductibus, quam retinet causa illa sine quâ non à nobis dicta, resoluere possit partes humidiores, & siccas condensare: Non tamen negamus frigidam partium intemperiem aliquando concurrere velut concausam ad primam humorum istorum concretionem. Calorem verò intensum & vehementem semper id præstare constanter negamus, quamuis Galenus in illâ fuisse sententiâ videatur, præcipuè *lib. 3. de aliment. fac. cap. 17.* vbi agens de caseo, vult calorem istum calculi authorem esse acrem & veluti ignem. Fatemur quidem ad generandos citò & copiosè calculos eiusmodi caliditatem requiri, sed non ad generandos eos simpliciter. cùm videamus ætates calculis maximè obnoxias, senilem videlicet & puerilem, minus habere caloris secundùm gradum quàm reliquas, & frequentissimè pituitosos & languidos

languidos homines illis laborare, præcipuè in veſicâ. Sufficit ergo quicunque calor ad lapidem conficiendum, dummodò ſit anguſtia & retentio materiæ diuturna ad illius generationem idoneæ.

Ex his ita conſtitutis facile eſt colligere, quæ ſint cauſæ tam internæ quàm externæ hunc affectum fouentes, augentes, & generantes. Nam quod ad res naturales dictas ſpectat, certum eſt ex parte varij temperamenti bilioſos & ſanguineos ratione cauſæ efficientis, pituitoſos ob cauſam materialem, potiſſimùm ſi anguſtia aut mala quædam conformatio iſtarum partium natiua vel hæreditaria coniuncta fuerit, quemadmodum Galenus macros valde & pingues, *lib. de ſan. tuend.* obnoxios eſſe generandis calculis voluit, illos ob acrimoniam caloris & partium ſiccitatem, hos ob factam σύγκρισιν in meatibus ex adipis copiâ: Item ratione partium, ventriculi frigiditas, quæ multis cruditatibus producendis apta eſt, ſi fuerit coniuncta hepati naturaliter feruidiori, aut æſtuantibus renibus vel veſicæ, impoſſibile eſt quin calculos procreent. Inter ætates autem puerilis & ſenilis maximè in hunc affectum incurrunt ob cauſas dictas. Rariùs tamen mulieres illo affliguntur quàm viri, quia meatus iſtos habent multò patentiores, & veſicæ collum quàm breuiſſimum, vt docet Hippocrates *lib. de aëre, aquis, &c.*

Res verò externæ & non naturales dictæ, tantam habent hac in re potentiam, vt ſæpe ab illis vehementer aut diuturniori tempore agentibus contrahatur iſte affectus, etiam in bene diſpoſitis hominibus & nullo modo ad illum propenſis. Vtpote vſu aquarum ſtagnantium, limoſarum, aut alio modo impurarum, vini nigri, craſſioris, aut alio modo fæculenti, muſti, ceruiſiæ in non aſſuetis, quia multis terrenis partibus conſtant, quæ ad vias vrinæ deferuntur. Panis azymi, malè coĉti, aut nimiùm aſſati, vel etiam ex puluerulento, arenoſo, & malè repurgato frumento confecti. Carnium durarum & terreſtrium vel viſcidarum, quales ſunt veterum animantium, porci, leporis, apri, cerui, capræ, potiſſimùm eorum extremitates & inteſtina; auium paluſtrium, vt & piſcium limo viuentium, glutinoſorum & cetaceâ nuturâ præditorum, (vt ſunt muræna, tincha, raja, *la moulüe*) potiſſimùm ſalſorum, quia non ſolùm materiam craſſam & viſcidam ſuppeditant, ſed etiam acuunt caliditatem & acrimoniam humorum. Legumina item omnia quoad eorum ſubſtantiam ſpectat, olera cruda, triticum coctum & oryza, niſi miſceantur incidentia & detergentia; caſeus recens & glutinoſus ob materialem cauſam, vetus & mordax ratione efficientis, lac & omnia lacticinia, potiſſimùm ventriculo frigidiori vel calidiori exhibita, quia in illo aceſcunt & crudum ſuccum generant, in hoc exuruntur & inflammata in ſiccam & terrenam degenerant ſubſtantiam. Oua præſertim indurata vel frixa, pyra lapidoſa, tubera, corna, meſpila, & ſimiles fructus craſſi & auſteri: Aromata actiora, vt piper, zinziber, cubebæ, ſinapi etiam, quia nimiùm calefaciunt & præcipitant materiam crudam versùs renes, accelerant calculorum generationem in præparatis. Nec ſolùm ſubſtantia & qualitas alimentorum ad id confert, ſed etiam quantitas indebita; nam ſola ingluuies, vt in pueris, ſæpe ſufficit ad calculi materiam procreandam, & illi qui indulgent compotationibus frequentioribus, aut in quibus diu eſt immorandum, vt apud Germanos, rarò effugiunt iſtud incommodum. Siticuloſi etiam homines & popinones, qui ſtatim primâ menſâ ante ſolidorum ciborum ingeſtionem meracum bibunt copioſius, arthritici aut calculoſi fiunt, quia præcipitant materiam crudam in ventriculo latitantem, versùs hepar & vrinæ ductus.

Quemadmodum intempeſtiui motus, choreæ, ſaltationes, pugilatus, equitatio ſtatim à paſtu, idem præſtant reuocato calore ad exteriora, & deducto crudiore chylo ad inteſtina & hepar. Nec minùs otium & magna ſegnities nocent, ſuffocatis quaſi corporis viribus, & retentâ intus materiâ: vnde videmus ignauos iſtos homines & pingueſcentes plurimùm calculos colligere. Vt ex immoderatis vigiliis ob exſiccationem, & ſomno diuturniore ob humorum copiam, præcipuè ſi fiat molli & plumeo lecto, in dorſum & lumbos recumbentibus.

Quæ omnia celeriùs multò operantur, ſi quidem vacuationes ſolitæ ſuppreſſæ ſint, vel imminutæ; alui & veſicæ potiſſimùm, quia retinent ſaburram materiæ illius excrementitiæ, quæibi excoquitur. Ideoque Hippocrates *Aphor. 11. ſect. 6.* in nephriticis ſeu calculoſis hæmorrhoidum fluorem probat, quia tum materiam ſubtrahunt, tum etiam renum feruorem effuſo ſanguine temperant, quod de menſtruis eodem modo aſſeri poteſt. Quod ad animi pathemata attinet, none ſt

etiam

etiam dubitandum, quin mœror & triſtitia diuturna, dum humores intus cohibent & recoquunt, ad hunc affectum producendum conferant. Certè veneris vſus immoderatus calculoſos facere poteſt, tum quia agitatione nimiâ & calfactione iſtarum partium, adducit humores in illas partes: tum etiam quia ob voluptatis vim, & excreti ſeminis copiam elangueſcit calor natiuus & cóctiones minuuntur. Aëris porrò intemperies calidiores, dum faciunt æſtuare iſtas partes, recoquunt & quaſi incinerant materiam iſtam in corporibus noſtris, vt frigidiores, quia coarctant illius meatus, & vacuationes impediunt, non eſt dubium quin plurimum momenti ad calculi generationem vel incrementum conferant: Vnde contingit per varias anni tempeſtates, aut certis annorum conſtitutionibus calculoſam διάθεσιν magis vigere, vel etiam calculoſos magis vexari.

Et quemadmodum res iſtæ tantam id iſtius effectus productionem vim obtinuerunt; ſic etiam quoties affectus magni & præter naturam corporibus hiſce ſuperueniunt, vt ingens plethora vel cacochymia, febres æſtuoſæ & internorum viſcerum inflammationes, præcipuè iſtarum partium, vnde Hippocrati *libro citato*, veſica inflammata citò calculum producit, earundem ſuppurationes intus cohibito pure & recocto, magna obſtructionum vis, ex crudi humoris collectione vel defluxu à cerebro, ventriculo, venis vteri, aut hæmorrhoidalibus, ſuppreſſiones vrinæ ex vlcere, carunculâ aut phymate in veſicæ collo, aut penis ductu oborto; & ſimilia: fieri non poteſt quin multiplicentur calculi, & eorum productio adiuuetur, potiſſimùm ſi naturalis quædam ad hunc affectum (vt iam diximus) vel hæreditaria propenſio adfuerit.

Quis autem ſit generationis modus calculi, paucis complectamur. Quoties materia quædam limoſa & terreſtris, aut certè craſſior & viſcidior, vel vſtioni apta ad renes anguſtos potiſſimùm, aut aliàs malè conformatos acceſſerit, ita vt commodè tranſcolari non poſſit, vel ob eorum ardorem ibi retenta excoquitur & incineratur, tunc arenularum exurgit copia, quæ ſi deſtituantur ſuo humido glutinoſo, excernuntur certis interuallis per vrinas, & matulæ fundum implent, quod ſæpe per diuturnas aut ardentiores febres conſpicitur, vel etiam in bilioſis, quibus viſcera naturaliter æſtuant. Quod ſi arenulis iſtis & ſiccioribus corpuſculis ſuum non deſit gluten in renibus, quo vniantur ſimul, emergit primùm mollis & quaſi lutoſa compages iſtorum corporum aggregatorum, quæ deinceps concocta, per abſumptionem humidi illius ſuperflui, induratur & adhæſu ſuperuenientium arenularum accreſcit, donec naturæ irritatæ impetu deturbetur in caput vreteris, & ab hoc in veſicam transferatur. Vbi vel moratur & ſuppeditat rudimentum calculi grandioris, aut excluditur cum vrinâ per canalem huic rei dicatum. Eſt autem duplex locus in quo eiuſmodi arenulæ coagmentari poſſunt, nimirum ipſum parenchyma ſiue ſubſtantia renis carnoſa, & cauitas ſeu ſinus illius, in quem ſerum tranſcolatur. Quamuis enim parenchyma illud valde ſit denſum & ſpiſſum, non eſt tamen deſtitutum ſuis naturalibus poris & meatibus, potiſſimùm circa illas papillas, quæ tranſcolando huic humori ſunt dicatæ, qui coarctantur & cedunt non ſine moleſtiâ comprimenti calculo, vel certè ob prægreſſum vlcus aut abſceſſum in ſubſtantiâ renis obtinet cauitatem iſtam & ſpatium præter naturam generando calculo idoneum. Hic autem recens adhuc & mollis, vel in iſto loco ſubſiſtit & augmentum ſuſcipit, ſubſtantiam renis abſumens & occupans: vel exilit in cauum, vbi ſi grandior ſit quàm vt per vreteras excernatur, vel certè glutinoſo quodam humore ibi retineatur & quaſi ſuſpendatur, accreſcit quotidie in maiorem molem, & totum illum ductum implet. Quamuis enim natura cauum illud ſuperficie æquali & læui admodum donauerit, fecerítque ſublime in ductum vreteris, & perpetuo ſero colluat, ne quid ſordium poſſit adhæreſcere: attamen aliquando hoc incommodum euitare non poteſt ob materiæ vel organorum malam conſtitutionem.

Sic veſica dum effuſas à renibus arenulas aut calculos excipit, & non excernit, vel certè ipſamet ad ſua munera ignauior, aut ex malâ materiæ conditione recoquit eam & aſſat, facitque cohærentem ex permixtione viſcidi humoris, exoritur veſicæ calculus corticatim & quaſi per laminas accreſcens, dum per internam illam cauitatem ſordibus ſcatentem circumuoluitur.

Ex his ergo facile eſt differentias calculorum aſſignare. Nam rationem eorum

in quibus gignuntur, quidam renalis, alius veſicæ, iſque primarius vel ſecundarius dicitur. Renalis vtrumque renem vel alterutrum occupat: eſtque ipſi parenchymati affixus, vel in cauo coërcitus. Veſicæ calculus item vel adhæret & quaſi ſuſpenditur illius tunicis agglutinatus, vnde nullus moleſtiæ ſenſus donec excidat; vel per eiuſdem cauitatem oberrat. Iſque vnicus vel plures ex diuiſione materiæ, vt docet Hippocrates *libro quarto de morbis*. Reſpectu calculi dicitur magnus vel paruus, ruber, flauus vel cineritius, rotundus, oualis, triangularis, aliquando in medio perforatus, aſper, læuis, vel alio modo figuratus. Fit magnus vel paruus ex multitudine vel paucitate materiæ: coloratus etiam, prout ex hac vel illâ materiâ ſimplici vel permixtâ conſtat. Figuras verò nanciſcitur pro quantitate materiæ, eius agitatione, & vario ſitu. Aſper quidem dum granatim accreſcit, & per inæqualem partium appoſitionem; læuis autem quando ſuperficies æqualiter augetur per ſuperadditas laminas. Et ſic de reliquis. Nos igitur ad διάγνωσιν accedamus.

Cùm per calculoſam διάθεσιν, duarum præcipuè partium affectum præter naturam audiamus, nempe renum & veſicæ: & ipſe calculus non ſemper in dictis renibus & veſicâ ſubſiſtat, ſed frequenter vi naturæ excuſſus à renibus per vreteras in veſicam deturbetur: ab hac foràs per vrethram aliquando expellatur: Ideò nobis iſtorum omnium ſigna diagnoſtica tradenda ſunt, quia ſub variis iſtis conſiderationibus plurimùm immutatur medendi ratio. Calculi itaque in renum parenchymate & cauo reſidentes obſcuriùs multo dignoſcuntur, quàm dum agitari & commoueri ad excretionem incipiunt: quia ſæpe ibi latitant abſque ſenſibili functionum noxâ aut excretorum mutatione, donec grandiores facti premant ipſam partem, vel agitentur ad excretionem. Tunc enim apparent ſigna illa ab Hippocrate commemorata *libro ſexto epidem.* quorum alia per ſympathiam fiunt partium vicinarum condolentium; alia verò ex idiopathiâ viarum expurgandæ vrinæ dicatarum. *In renem*, inquit Hippocrates, *dolor grauis, & cùm implentur cibo, vomunt pituitam: quando verò increuerint dolores, aruginoſa reiiciunt, & poſteà meliùs habent, liberantur autem maximè quando cibi vacui fuerint: In vrinis arenulæ ſolue ſubſident, & cruentum aliquando mingunt: torpor autem femoris è directo.* Ecce quàm eleganter λεπτομερῶς iſtam pauciſſimis verbis eſt complexus. Ex doloris enim ſitu & illius proprietate primùm partem affectam, nempe renem ipſum deſignauit, nam dolor ille fixus & immobilis circa lumborum regionem denotat ſedem ipſius affectus omnino à colico diuerſam, qui vagus eſt & mutabilis per totam ventris circumferentiam: Grauis autem dolor non acutus, pungens vel diuellens, ſequitur naturam partis obtuſioris ſenſus & parenchymate conſtantis; qui ſæpe mutatur in acutum & punctorium, quoties calculus à renis corpore in vreteris caput, membranoſæ ſcilicet partis & exquiſiti ſenſus ſeſe inſinuarit, & rurſus ſi in cauum remearit, ceſſante diuulſione ſubſiſtit etiam doloris acuti acerbitas. Ab excretione autem & excreti modo inueſtigat ſpeciem affectus & ipſius cauſam: *In vrinis*, inquit, *arenulæ ſolue ſubſident, & cruentum aliquando mingunt.* Cùm enim vtplurimùm calculi iſti renales excernantur antequam valde indurucrint, fit vt illis agitatis deteratur etiam portio arenularum adhærentium, quæ ſimul cum vrinâ excretæ denotant intus latitantem calculum, ſi reliqua ſigna concurrant, & quia per eiuſmodi corporis duriuſculi attritum ſubſtantia renis abraditur, aut venulæ aliquæ capillares diſcerpuntur, hinc vrina ex permixtione ſanguinis cruenta apparet, vel certè ſi pauciſſimus ſit ille ſanguis, lixiuio ſimillima per aliquot dies profunditur. Verùm dicet aliquis, tantùm abeſt vt arenulæ cum vrinâ per nephriticos dolores profundantur, quin potiùs vrina omnino ſupprimitur, vel certè pauca, tenuis & pellucida, qualis per obſtructiones ſolet, excernitur. Reſpondemus, hoc quidem aliquando contingere, quando ſcilicet calculus vtrumque renem occupat, vel certè grandior factus, aut mucoſitatibus iunctus, obſtruit omnino vnum, & ex vehementiâ doloris officium alterius velut ſocij interturbat: vnde *in Coacis*, Hippocrati repentinus dolor renum cum vrinâ interceptâ, ſignificat lapillorum aut craſſarum vrinarum mictionem: Sed hoc rarius eſt, quàm id quod hoc loco ab Hippocrate annotatum fuit ad διάγνωσιν renalis calculi. Cui adiungit duplicem ſympathiam, primò ipſius ventriculi valde compatientis ob viciniam & connexionem membranæ illius

quâ

quâ viſcera ventris inferioris inuoluuntur : quâ affectâ conſurgit ventriculus ad iuuandam excretionem rei noxiæ , quantis poteſt viribus , vnde agitatione illâ & compreſſione vomuntur primùm pituita & aſſumpti cibi vel potus , deinde increbreſcente dolore , inediâ , vigiliis , & anxietate etiam æruginoſa & πολύχροα in ventriculo ipſo recocta , vel ab affecto etiam hepate & folliculo eius deriuata , ex quo meliùs ſe habent , quia natura duplici onere fatigata , iam altero ſubleuata eſt , nimirum prauorum humorum ſarcinâ , à quibus ren etiam premebatur. Secunda ſympathia eſt cum femore κατ' ἴξιν poſito. Nam calculus grandior ſcilicet, aut dum agitatur , non ſolùm diuellit renem , aut vreteris caput , ſed etiam ſubiectas partes premit , videlicet venam cauam & arteriam deſcendentem , necnon præcipuè muſculos illos lumbares & renibus ſubſtratos , qui in coxam inſeruntur Græci ἀλόπεκας & ψόας vocant , vt refert Rufus ex libro Cnidiarum ſententiarum : Fit autem torpor iſte ex compreſſione neruuli in muſculos iſtos diſtributi , non diſſimilis ei quem ſæpe ſentimus ex ſeſſione ſuper femur , vel dum innitimur diutiùs alterutri cubito , & intercipiens affluxum ſpiritus animalis in extremitatem manus, qui fit per eiuſmodi neruulos. Neque ſolùm femur , ſed etiam teſtis è directo quaſi conuellitur ob conſenſum partium iſtarum generationi dicatarum, vt eſt apud Hippocratem *lib. de intern. affect.* potiſſimùm quando calculus iam in vreterem ſeſe inſinuat , & per continuitatem iſtorum vaſorum à rene in ſcrotum vſque percurrentium, doloris ſenſum omnibus hiſce partibus impertit.

Quòd ſi ſubſiſtat intùs calculus immotus intra cauum renis vel ipſius parenchyma , vt diximus , poſſunt abeſſe prædicta omnia ſigna , excepto graui illo dolore & quaſi obtuſo in renes , cum ſumma ſpinam inflectendi difficultate , ita vt vix poſſint in terram inclinari , vel in dorſum conuerti , potiſſimùm eâ parte quâ hæret calculus : Imò ſi diutiùs aut violentiùs exerceant lumbos & ſpinam duriter equitando aut ſaltando , profunditur vrina illa cruenta, vel ſaltem lixiuio ſimillima.

At verò deturbatus in vreterem calculus , quamdiu eſt in illo ductu , dolores atrociores & clamoſos excitat , quia non ſunt in ventre erronei , vt colici , neque alui excretione omnino leuantur , ſed perreptant rectà versùs directum teſtem, nec deſiſtunt priuſquam ab vretere in veſicæ cauitatem perductus fuerit. Sola enim tranſpoſitio calculi ab anguſto loco in ampliorem , facit omnino ceſſare triſtitiam illam & anxietudinem, quia ceſſat diuulſio & quaſi diſtractio membranoſi & anguſtioris illius corporis.

Talis igitur calculus renalis , vel arenularum & muci copia ab vretere in veſicæ cauum præcipitatus , aliquando ibi ſubſiſtit cum ceſſatione doloris , & functionum integritate , vt videtur : Sin verò naturæ impellentis robore ſubeat ipſam vrethram , intercipit ſæpiùs aut ſupprimit vrinæ fluxum , ſi ſit grandiuſculus , donec multis tandem conatibus egeratur . aliàs minutuli calculi decem vel plures aliquando meiuntur , abſque difficultate in aſſuetis & grandioribus, quibus iam ob præteritos tales partus latiores redditæ ſunt viæ , potiſſimùm in fœminis quibus breuior eſt veſicæ in vrinæ ductum meatus : quod bonis & fauſtis ægri rebus contingit. Nam ſi intus retineantur , vel primaria ſit calculi in veſicâ generatio , vt fieri poſſe probauimus ; tunc vnus vel plures ibi coagmentantur , qui certo tempore clara ſuæ generationis & accretionis dabunt indicia. Certè in illis qui copioſè & diutiùs profundunt vrinas illas albas , craſſas , & turbidas , vel hypoſtaſin mucoſam & matulæ fundo adhærentem quaſi glutinum quoddam , dici certò poteſt quod de alio affectu pronuntiauit Hippocrates , veſicæ calculum adeſſe , vel citò adfuturum , quia impoſſibile eſt illas diutiùs perſeuerare, quin portio iſtius materiæ concreſcat & recoquatur in lapidem. Quinetiam arenarum albicantium copia cum vrinis diu profuſa calculum veſicæ ſignificat Hippocrati *Aphoriſmo 79. ſectionis quartæ* , quia deteritur illius portio,& amandatur meiendo : quamuis enim Auicennas huic Aphoriſmo repugnare videatur,eſt tamen intelligendus,quoties nulla alia ſigna lapidis apparent cum iſto ſedimento, quia tunc impedit potiùs generationem illius , quàm iuuat.

Hic ergo genitus, eiuſmodi aliquando muco ita inuoluitur , aut veſicæ fundo agglutinatur , vt nullam aut non ſenſibilem ſaltem moleſtiam ægro adferat, donec agitatione violentâ , aut pondere proprio diſruptis iam vinculis vagus per veſicam feratur. Tunc enim querelæ & variarum functionum læſiones exoriuntur. Intercipitur enim ſæpe in medio curſu vrina , cum vehementi dolore,

Digitized by Google

qui ad colem vſque & glandis extremum violenter extenditur, ſub mictionis præcipuè finem, quia tunc lapis alliditur ceruici veſicæ; quem ideò ſolent eiuſmodi ægri potiſſimùm pueruli erectum habere, vel contrectare & quaſi diſcerpere, exiſtimantes ibi eſſe præcipuam ægritudinis ſuæ ſedem, cùm tamen ſit tantùm ſympathia ob collum veſicæ ad iſtos vſque fines protenſum. Mulierculæ autem ora pudendorum ſuorum frequenter ſcalpunt & contrectant, tantum cruciatum conantes hoc modo demulcere. Intereà ſentitur pondus cum dolore grauante in totâ pectinis regione, præcipuè imâ perinæi parte, quam grandior iam lapis premit cum ipſo inteſtino recto & eius ſphincktere, quæ idcircò ad excernendum ſæpiùs ſollicitantur, & meientibus ægris non rarò relaxantur: Vix poſſunt ſtare recti, equitare vel ambulare per ſalebroſa loca, quia tunc contunditur magis veſicæ ceruix commoto lapide: & aliquando dum meiere volunt, coguntur ſupini recumbere, vt calculus ſuâ grauitate in fundum veſicæ reclinatus, ſinat liberum vrinæ profluenti exitum, quod eodem modo cathetere præſtatur, immiſſo in canalem vrinæ, quia calculum propellit ad interiora cauitatis veſicæ. Vt certior fias iſtorum omnium, explorandus eſt eiuſmodi calculus, non ſolùm per catheterem, vt dixi, ſed etiam immiſſo in anum digito: ſic enim manifeſtè patebit, non ſolùm vtrùm calculus latitet intus, ſed etiam omnes eius differentiæ ſtatim innoteſcent, vtrùm vnus vel plures, magnus vel paruus, aſper vel læuis, rotundus vel angularis, & ſimilia, quorum tactus certior eſſe poteſt iudex. Hæc igitur ſunt præcipua ſigna tam ipſius affectus, quàm partis affectæ diagnoſtica. Notæ verò cauſarum, num ſcilicet eiuſmodi calculus pendeat ab immenſo calore renum, veſicæ, aut alterius partis: materiâ pituitosâ, limo ſiue fæculentiâ terreſtri, exaſſatis humoribus aut aliis: ex cenſu & ſedulâ quaſi enumeratione ac conſideratione rerum naturalium, non naturalium, aut præter naturam patebit. Certè ſi nulla ſint talium cauſarum manifeſta indicia, ſed in obſcuro lateat τὸ ἴδιον διαθέσεως ἄλυσον, vt loquitur Galenus, non erit extra rem accuſare malam partium iſtarum conformationem, ductuum anguſtiam aut compreſſionem, quæ magnam, imò potiſſimam hac in re vim obtinere ſupra probauimus. Nunc ergo Prognoſin paucis perſtringamus.

Inter diuturnos ſeu chronicos affectus, cùm λιθίασις referatur, non infert quidem præſentaneum mortis periculum per ſe: attamen ratione cruciatus vehementioris, vigiliarum, interceptionis vrinæ, & aliorum ſymptomatum concurrentiũ, tam ex ἰδιοπαθείᾳ partium iſtarum, quàm ex ſympathiâ condolentium, multos neci derepentè tradidit, etiam non aduertentibus Medicis aut ægris, quia vires ſubitam fecerunt ruinam. Certè δυσιατον perpetuò & malæ curationis exiſtit hic affectus, quia ſequitur καχηκτικίαν & vitium multarum partium coctionibus & expurgationibus τῶν περιττωμάτων corporis noſtri dicatarum. Sic enim difficultatem curandi in his partibus, potiſſimùm veſicâ, annotauit Aurelianus, quòd neruoſa ſit & imbecillis caloris, quòd altioribus corporis locis inſita, ad quæ medicamina non facilè penetrant, vel certè iam multum alterata, & quòd excrementis perpetuò alluitur. Hippocrates *Aphor. 6. ſect. 6.* in ſenibus renum & veſicæ vitia difficulter ſanari tradidit, ob eaſdem cauſas quibus aſſerit *6. Epidem.* ſe non vidiſſe ſanatas renum affectiones poſt quinquageſimum ætatis annum. Hoc habet peſſimum iſte affectus, quod frequentem & quaſi ſucceſſiuam facit recidiuam, vnde Aretæus, multò difficilius eſſe putauit renes aut veſicam calculoſis diſpoſitionibus potiſſimùm hæreditariis obnoxios, arte ab illis generandis impedire, quàm vterum à pariendo fœcunditate luxuriantem. Magnitudo autem periculi, & curandi difficultas variatur pro conſtitutione cauſarum, affectus ipſius, & partis affectæ. Etenim quicunque ægri, mali ſunt regiminis, & intemperantes, aut certè propter regionis aut vitæ conditionem eo coguntur vti, nuſquam liberantur ab hoc morbo. Quòd ſi alterius affectus complicatio cum iſto coniungatur, vt vlceris, αἱμορραγίας, & ſimilium, quod eſt valde frequens, trepidabit vndique curatio, nec vllo curationis certo fundamento conſtabit, pugnantibus inter ſe indicationibus. Multitudo etiam aut mala qualitas materialis & efficientis cauſæ ad idem conſpirantes valde omnia intendunt, potiſſimùm ſi partes iſtæ affectæ iam malum habitum contraxerint, vtpote maraſmo vel ſcirrhosâ diatheſi detineantur. Renes tamen inaſſueti excludendis calculis vel arenulis, ideò magis torquentur quàm aſſueti, quia anguſtiores habent meatus, qui deinceps crebris iſtis parturitionibus, vt ſolet in vtero, dilatantur.

Veſica

Vesica verò contrà magis vexatur nouis calculis supervenientibus, quia non potest tam frequentem lithotomi operam sustinere, sine magnâ caloris & propriæ substantiæ iacturâ. Figura etiam, vt asperitas, leuitas, rotunditas & similia: Item magnitudo & numerus calculorum auctior faciunt ad faciliorem vel difficiliorem excretionem, atque symptomatum exasperationem, vt cuiuis rem ipsam consideranti patet. Quamuis aliquando in vesicâ minor calculus maiorem aliquando molestiam faceſſat quàm grandior, quia faciliùs sese insinuat in ductum vrinarium, vbi subsistens sæpe visus est neque excerni omnino posse, nec in vesicæ cauitatem retrocedere & ἰσχουρίαν pertinacissimam, interdum etiam mortalem suscitare. Nos ergo ad therapeiam accedamus.

Tota hæc nostra curandi methodus, in duas partes erit diuisa, quarum prima prophylaxin spectabit, siue causarum à quibus suscitatur calculus, remotionem & expugnationem. Altera verò veram therapeiam seu sublationem ipsius affectus, nempe calculi & arenularum ac muci in renibus, vesicâ, vreteribus, aut meatu vrinario residentis, ibíque varia symptomata excitantis: quorum mitigatio etiam non est negligenda, quòd Practici nostri vocant paroxysmo prospicere. Indicatio à parte quæ debet roborari, non est omittenda.

Prophylaxis ergo cùm spectet causas omnes generantes, augentes vel conseruantes ipsum calculum, tam externas quàm internas: ab externis est auspicandum, quæ accuratâ victus ratione ita dirigi debent, vt nullus deinceps hac in parte error contingat. Vitent itaque diligenter ægri isti ea omnia quæ à nobis inter causas huius affectus morbificas sunt recensita in censu rerum non naturalium, potissimùm quod ad alimenta attinet, ex quorum vitio tam materialis calculi causa, quàm efficiens facillimè, vt diximus, suscitatur. Obseruent ergo victus rationem quoad qualitates primas temperatam & æquabilem, nisi appareat excessus alicuius partis intemperatæ aut totius corporis, qui correctione indigeat: Vnde Galenus *lib.6.de sanit.tuend.* in pinguibus & crassis hominibus calculo obnoxiis, non solùm tenuem diætam quoad quantitatem spectat, sed etiam ratione qualitatis calfacientem, incidentem, attenuantem, & detergentem instituit, vt humores istos viscidos & pituitosos expugnet, ac corpus ipsum ad mediocritatem reducat. Contrà in gracilibus, extenuatis & biliosis, qui eiusmodi arenulas aut lapillos colligunt, bonum conatur habitum restituere alimentis euchymis, & viscerum calorem ac siccitatem refrigerantibus & mollientibus seu humectantibus temperare: Quâ in re magna esse debet Medici prudentia, ne omnes istos ægros, vno quod ait Galenus *Meth.med.lib.9.* calopodio calceet, sed pro varietate illorum, diuersum etiam regimen & causis morbificis oppositum præscribat. In summâ tamen, & quod ad generale huius affectus præcauendi theorema attinet, certum est alimentorum substantiam puram, euchymam & eupeptam, quantum fieri poterit, esse eligendam: quantitatem verò paucam aut saltem mediocrem, ne excrementa multiplicentur: qualitatibus autem eis præditam, quæ modò materialem causam, modò efficientem proximam, aliàs obstructiones, si adsint, & similia, prout magis vel minùs prævaluerint, respiciat. Potus in primis sit valde limpidus, & ex puriſſimis liquoribus, qui nullam faciunt residentiam, ex aquâ scilicet fontanâ vel cisternæ, si eius sit copia; sin minùs, percolatâ per mortaria lapidea aut mundissima linteola, vt limum deponat, vel etiam leuiter decocta, vt secernantur partes heterogeneæ: Idem dicas de vino, quod tenue, album aut saltem flauum, oligophorum, & bene maturum esse debet, idque temperatum conuenienter pro ratione dispositionis partium nutritioni dicatarum: Vnde multi laudant aquæ, dummodò non sit gelida aut niualis, potum in hoc affectu; Alij parum vini addunt, & miscent duabus horis ante pastus, vt omnem amittat feruorem; Vocant Galli *du vin lané*. Sed hoc intelligendum est in iuuenibus adhuc biliosis & similibus, quibus viscera ista exæstuant: In aliis enim pro ratione & diuersitate vini ac regionis alio modo competere potest, vt iam diximus. Vitent ergo mustum omne, vinum coctum & dulce, crassum etiam, nigrum & austerum, vina aromatibus condita, vt Hippocraticum & Pimentum vulgò dictum: Item potus illos Septemtrionalis plagæ, pyracium, pomacium, ceruisiam & similia; Quamuis enim videantur temperare caloris vehementiam, attamen quia crassarum partium, maius inferunt periculum ex parte materialis causæ, & quia vias obstruunt. Panis eodem modo eligatur ex puro frumento, non putrido aut arenoso confectus, bene fermentatus, subactus & coctus, cui si parum anisi vel coriandri addatur, dissipabit melius materias istas crassas & viscidas. Nolim tamen biscoctum,

vt quidam faciunt, dare, quia nimiùm eſt exuſtus, & ad terreſtrem naturam accedit. Vitent etiam ſalſa omnia, piperata, frixa, oua indurata: Carnes craſſioris ſubſtantiæ, animalium extremitates & inteſtina ſuperiùs commemorata: Piſces cetaceos, paluſtres, ſquamis carentes, & viſcosâ ſubſtantiâ præditos, potiſſimùm ſalſos. Aliis enim, vt ſaxatilibus & friabilis ſubſtantiæ, poterunt vti mediocriter bene præparatis, vt ſupra craticulam aſſatis, vel cum vino albo coctis, pauco aceto & aromatis, vt ſolent Germani. Legumina etiam omnia nocent, quoad ſubſtantiam ſpectat; Nam quoad liquorem eorum, proderit ſæpe iuſculum cicerum vel lentium ſumere, foliis petroſelini vel apij, & pauco croco conditum, quia valde reſerat vias vrinarias. Fugiant autem oryzam, milium, triticum coctum, amylum, & ſimilia, quia ſunt craſſæ & quaſi emplaſticæ ſubſtantiæ; Item rapas, napos, caſtaneas, caulium ſubſtantiam, tubera, pyra, corna, meſpila, ſorba, cydonia, ob eandem cauſam. Vtantur autem carnibus recentibus & delicatis, tam aſſis quàm elixis, prunis, cappatibus, paſſulis, pineis nucleis, amygdalis mundatis, piſtaciis, pomis coctis cum ſaccharo, & ſimilibus: Necnon æſtiuo tempore, ſi quidem conſtanti ſint adhuc ætate, non oberit ceraſa tam dulcia quàm acidula, pruna generoſa, raphanos, paſtinacas, aſparagos, lupulos, cucumeres, pepones, melones, cucurbitas ſatis copiosè deuorare, vt iſtis ſoluatur aluus, temperetur calor, & viæ vrinis dicatæ plurimo ſero quod generare ſolent quaſi abluantur: Quemadmodum etiam ouis tremulis & recentibus, potiſſimùm vitellis, non eſſe illis interdicendum exiſtimo, quia bonam & parum excrementitiam alimoniam præbent, quod hîc valde eſt optandum. Caſeo autem diligenter interdicendi, & omnibus lacticiniis propter rationes adductas: Quamuis enim recens caſeus vel lac coagulatum videantur facere ad ſedandum partium feruorem, tamen quia facilè à vehementi calore exuritur, & in nidoroſas cruditates abire ſolet, ideò melius eſt ab eis in totum abſtinere. Neque obeſt quod afferunt Hippocratem 7. *Epidem.* Clonigo calculorum doloribus diuexato lac recenter mulctum exhibuiſſe per multos dies: hoc enim Hippocratem non prophylaxeos causâ, aut auertendi mali ergò feciſſe patet, ſed tantùm rationę ſymptomatis, nempe cruciatus illius immenſi per anodyna demulcendi: non tamen negamus quin pro ratione regionum & in aſſuetis, multa hîc latitudo retinenda ſit.

His circa alimenta conſtitutis, habeant etiam eiuſmodi ægri curam exercitationis mediocris, non laborioſæ aut diuturnioris, potiſſimùm quæ renes exagitat violenter, qualis eſt dura equitatio, & coitus immoderatus. Agant in omnibus quansum fieri poterit, placidè, nullis conturbati moleſtiis aut iracundiâ; ſomnóque mediocriter indulgentes in grabatulo duriore, ſi forti ſint & alacri corpore, nunquam in lumbos reclinati, multò minùs culcitris illis plumeis & ſtragulis mollioribus innixi, quia illis valde incaleſcit tota lumborum regio.

Procurent vacuationes alui & veſicæ, tum alimentis, tum medicamentis, vt poſteà dicemus: Hæc enim eſt potiſſima pars prophylaxeos, vt ſi genita ſint excrementa, continuò propellantur, nec diutiùs ſtabulentur in partibus iſtis. Et ſi quidem aliæ ſint vacuationes, quæ huic affectui primordium aliquod ſuppeditaſſe videantur, diligenter etiam erunt procurandæ, vt capitis per os & nares, vteri, hæmorrhoidum, & ventriculi ipſius per vomitum frequentiorem in illis qui aſſueti & bene comparati ſunt ad vomendum, quíque magnas primæ coctionis cruditates perſentiunt. Non ſunt etiam negligendæ aëris intemperies, ſed diligenter vitandæ aut corrigendæ pro conditionibus ægrorum & regionis quam incolunt: Cuius ſtatus ſi deterior ſit & propenſior ad dictum affectum producendum, non erit abſonum, vt in aliis diuturnis morbis, ſolum mutare, & ſalubriorem plagam habitare. Hæc igitur prima eſt pars prophylaxeos quam diæteticam vocant.

Altera prophylaxeos pars quam therapeuticam vocant, tota occupatur circa cauſas internas remouendas, tam Chirurgicis quàm Pharmaceuticis remediis, prout illæ concurrunt ad affectus iſtius generationem. Ac proinde ſi plethora ſit totius corporis, vel hepatis, renum & ſimilium partium caliditas nimia, conſulit venæ ſectiones iteratas veris aut autumni tempore, ex cubiti venis, cruralibus, aut ipſis hæmorrhoidibus, (*Vnde in Aphoriſm. hæmorrhoides non ſolùm melancholicis, ſed etiam nephriticis proſunt.*) prout ipſius ægri ſtatus ſuadebit. Quemadmodum in mulierculis ſi menſtruorum ſuppreſſiones patiantur, dabit operam vt in conuenientes periodos reuocentur. Item exhibito ſero lactis per xx. aut xv. dies, æſtatis tempore, vel decocto, iulepis, conſeruis, opiatis conuenientibus, conabitur temperare viſcerum calorem, quemadmodum externis topicíſque remediis, balneo dulci & tepido,

tepido, natatione æstiuâ in flumine placido, linimentis ex vnguent. albo, rosaceo, santalino, & similibus, vel etiam gestatione laminæ plumbeæ perforatæ supra dictos renes, vt sequenti capite accuratiùs dicemus. Si cacochymia magis vrgeat, expurganda etiam erit diligenter: vnde Practici nostri in calculo obnoxiis tantopere laudant clysterum singulis diebus vsum, si aluus sit pigrior, aut pilularum ex aloë & agarico confectarum, quarum duæ vel tres assumantur alternis diebus ante cœnam. In assuetis ad vomitum, eundem conciliant bis in mense, quia euacuat potenter cruditates primæ regionis, & à renibus reuellit.

Solemus etiam purgationes quæ apozemate aliquo laxante bis in anno circa autumni & veris tempus præscribi solent, maximè hîc laudantur, quia non tantùm antecedentes remotásque causas subtrahunt, sed etiam aliquid illius materiæ quæ iam in renibus aut vesicâ continebatur, impediúntque illius coagmentationem: Adde quòd obstructiones viscerum quæ hunc affectum frequenter comitari solent, admixtis incidentibus & detergentibus conuenienter dissoluunt. Intereà roborandus ventriculus, & reliquæ partes coctionibus dicatæ sumptis & admotis, vt suo loco dictum fuit. Quòd si caput magnam mali partem conferre videatur, transmisso ad inferiora humore pituitoso per catarrhos & fluxiones, exhaurienda ista sentina pilulis validiùs purgantibus, reuellenda & deriuanda per cucurbitulas, vesicatoria, aut caustica collo admota, vel etiam errhinis & apophlegmatismis, prout commodius esse videbitur. Hîc tamen dubitari solet, vtrùm existente totius corporis aut partis alicuius pituitosâ vel serosâ repletione, quæ foueat istum affectum, liceat vti hidroticis seu sudorificis ad vacuandos eiusmodi ichores, & exsiccanda viscera humiditatibus scatentia. Quoniam sudorificis, inquiunt, valde inflammantur hepar ac renes, & humores exsiccantur, quod est hîc valde pertimescendum. Nos tamen censemus in pituitosis hominibus per se vel ex accidenti; non esse inutilem istorum remediorum vsum, si quidem ex temperatis, videlicet rad. chynæ aut sarsæ parillæ instituantur. Quoniam in illis non est tantum periculi ex parte caloris (quem etiam licet moderari externo quodam linimento singulis diebus supra illas partes admoto, iulepo aut conseruâ violæ, & similibus frequenter admotis) quàm ex parte materialis causæ, nempe humoris redundantis: cuius exsiccatio etiam seu induratio non est valde pertimescenda, quia eiusmodi remedia fundunt & liquant istam materiam quæ in renibus continetur, vnde facilius effluit; antecedentem verò resoluunt & in sudores conuertunt. Vt igitur in certis casibus & bene præparato corpore, non deneganda sunt sudorifica; sic etiam diuretica post solennes purgationes valde prosunt, tam præcautionis causâ, vt mucosa substantia, limus, arenulæ, & similes sordes iam oberrantes circa vias vrinarias excludantur, quàm vt calculi & crassior mucus iam adhærescentes commoueantur, & ad excretionem inducantur: Vnde post solennem illam κάθαρσιν, quatuor aut quinque dierum; vel si æger non sit ita cacochymus, aut diuturniores istas purgationes reformidet, exhibitâ primùm cassiæ ʒ ß. cum ʒ ß. rhabarb. puluerisati in formam boli: & sequenti die terebinth. Venetæ diligenter aquâ endiuiæ & graminis lotæ ʒ vj. cum ϑ j. puluerisliquirit. in plures morsellos nebulis obuolutos, assumptis cum pauco vino albo, vel syrupo capilli Veneris. Solemus tale decoctum diureticum & nephrocatharticum præscribere.

℞ Rad. eryngij, ononidis, apij, & liquirit. rasæ, an. ʒ j. foliorum berulæ, parietar. pimpinel. agrimon. herniariæ, petrosel. vulgaris & Macedon. an. M. j. summitatum maluæ & raphani tenerioris, an. M. ß. seminum lithospermi, alkekengi, & maluæ, an. ʒ ij. florum cichorij, borrag. genistæ, cicerum alborum & nigrorum, an. P. j. Decoquantur omnia in aquâ hordei lento igne & sine fumo ad mediæ partis consumptionem. Cui adde sub finem, vini albi tenuissimi; vel in eis qui viscera habent calidiora, succi limonum ʒ iij. Colentur. Bibat huius decocti ʒ v. vel vj. manè per plures dies. Reiterentur bis aut ter singulis annis. Eadem aut quædam ex eis gratiora, addendo mali citrij taleolas aliquot, decoqui possunt singulis diebus, cum pullo columbino vel gallinaceo, aut frustulo carnis hœdinæ, vel galli iam decrepiti, instar iusculi ante prandium sumendi, vt ægris nostris delicatioribus minùs sint ingrata. Vulgò autem iactatur hic puluis, quia compluribus magnatibus est in vsu, ad expurgandos calculosos renes, de quo capiunt cochlear vnum manè singulis mensibus, ter circa nouilunium, plenâ lunâ & mediâ, suprabibendo parum vini albi, aut decocti cicerum rubrorum, rad. liquiritiæ & eryngij, posteà diu & fortiter equitando vel deambulando.

℞ Nucleo

℞ Nucleorum meſpilorum, & puluer. electuar. diatragac. frig. an. ʒ j. glycyrrh. raſæ, ſem. melonum & milij Solis, an. ʒ ij. ſem. ſaxifrag. geniſtæ, bruſci, raphani, & cardui calcitrapa dicti, an. ʒ j. ſem. althææ & aſparagi, an. ℈. j. ſacchari candi ʒ ij. Fiat omnium puluis, vtatur vt dixi.

Sed nullum eſt, me quidem iudice, potentius præſtantiúſve remedium, poſt accuratam corporis purgationem, ad vias iſtas excrementis liberandas & mundificandas, quàm potus aquarum noſtrarum thermalium Balerucanarum: ſuo enim calore ex venâ bituminali profecto, fundunt liquántque quoſcunque craſſiores mucos, nitrosâ autem ſubſtantiâ detergent & abradunt, & quantitate mirabili quâ aſſumuntur, ſolent impuritates inteſtinorum & viarum iſtarum vrinalium quaſi torrente quodam abripere: vnde incredibile eſt dictu, quantam viderimus ex calculoloſis hominibus ſaburram, iſtarum potu benè inſtituto cum vrinis deturbatam. In quibus enim timuimus calefactionem viſcerum ex illarum vſu, præſcripſimus tunc temporis vini abſtinentiam, iuſcula pullorum herbis refrigerantibus temperata, iulepos temperantes, & ſimilia. Quibus ita conſideratis non verebimur etiam pituitoſos & pinguiori corporis mole præditos homines, dummodò firmis ſint viribus, in balneum dictarum thermarum, ſemel in die circa auroram, ídque per triduum præcipitare, munitis priùs renibus & hepate appropriatis quibuſdam inunctionibus, atque etiam duplici linteolo inuolutis, vt deinceps ſudoribus concitatis, viiſque relaxatis excrementa eiuſmodi copiosè vacuentur. Licebit enim poſteà dum erunt domi, ſi ita videatur, & pro variâ corporum conſtitutione emendare quicquid empyreumatis contraxerint vſu balinei domeſtici, ex aquâ dulci & refrigerantibus ac humectantibus parati. Nunc igitur à prophylaxi therapeuticâ ad meram calculi therapeian, tam renum quàm veſicæ progrediamur.

Vera tam renalis quàm veſicæ calculi curatio eſt eius ſublatio, citò, tutò & quantum fieri poterit iucundè procurata. Antequàm igitur grandior aut durior fiat renis calculus, vel eius ſubſtantiæ nimiùm affigatur, ſi nihil impediat, vtpote vlceris complicatio, vel magna ſanguinis per vrinas profuſio, & ſimilia; tentandum omni induſtriâ & ſtudio, vt comminutus & quaſi attritus inde excludatur, quò enim minor erit, etiam diſtentio partium ac doloris ſenſus leuior; quod fieri non poteſt, niſi priùs eductis illis excrementis quæ in primâ regione ſtabulantur, ne per iſta lithontriba & nephrocathartica in renes præcipitentur. Hoc autem fit commodiſſimè per cibi temperantiam & frugaliorem victum: Vnde Hippocrates *6. Epid.* *μὴ ἐμπίπλασθαι*, *non implerí cibo*, ait; tum præcipuè per medicamenta mollientia & quaſi anodyna, quæ nullâ exagitatione corporis id præſtant. Vnde ſolemus communiter præſcribere in primis bolum ex caſſiâ, leniente & humectante eccoprotico, cum ʒ j. rhabarb. cui vis eſt aliqua diuretica cum corroboratione partium: Deinde altero die (immiſſis interea clyſteribus lenientibus, tergentibus & leuiter purgantibus) terebinthinam ad ʒ ß. vel ʒ vj. lotam aquâ endiuiæ & gráminis, cum pauco puluere liquiritiæ exhibere: quæ præter laxandi quandam vim & detergendi, habet etiam facultatem expurgandi vias iſtas renales, & commouendi vrinas, vt patet ex odore illo quaſi violaceo, quo ſolet eas perfundere. Quamuis enim Hippocrates *loco citato 6. Epid.* audet in hoc affectu iuuenes veratro purgare, quali mochlico quodam medicamento ad expurgandam cacochymiam quæ huic affectui frequenter eſt comes, & diuellendos calculos renibus nimiùm adhærentes: Hoc tamen tempore vix tam generoſo cathartico tutum eſt vti, propter ægrorum noſtrorum mollitiem, & quia per magnas iſtas perturbationes metus eſt, ne violenter nimiùm exagitati humores præcipitentur in partem ipſam affectam. Non tamen negauerim, & hoc etiam in vſu habemus, homines calculoſos pituitâ ac ſimilibus humoribus redundantes, niſi vomitu ſpontaneo & copioſo ſufficienter vacuentur, paulò validiore cathartico quàm ſit caſſia, eſſe expurgandos, vt diacarthami vel diaphœn. ʒ vj. cum iuſculo aut decocto laxante diſſolutis: ſic enim vacuatis copiosè excrementis communibus, præcipuè pituitoſis, minùs prementur renes, & licebit deinceps tutiùs vti ſequentibus remediis.

Communibus ergo viis & excrementis ita repurgatis, accedendum erit ad ſecundum ſcopum ab eodem Hippocrate *loco citato* propoſitum, *ἐρεθιστοῖς καθαίρειν*, *vrinam cientibus* (quibus complectitur omnia lithontriba & nephrocathartica) *agendum*, vt agitentur, conterantur, & quaſi compellantur calculi iſti ad exeundum de ſuâ ſede. Sed quia hoc commodè præſtari nequit, & ſine inſigni dolore, niſi ductibus illis per quos ſolet iſta materia transferri, laxatis, mollitis & quaſi patefactis ideò

Digitized by

ideò addit ipſe Hippocrates λεπτῦναι ἢ ἀπαλῦναι, *attenuandum ac molliendum.* Sic enim ſperanda eſt facilis huius materiæ excretio aut ſaltem tranſpoſitio : Quòd ſi adhuc ſubſiſtat & moretur in viis, compellenda quaſi attrahentibus & deducentibus deorſum. Vnde *ibidem* Hippocrates, *Quieſcere non conducit, ſed exerceri*, hoc eſt, agitare & concutere ſatis vehementer corpus, *& poplitis venam ſecare.* Malim enim ego illam venæ ſectionem ex popliteâ aut crurali ab Hippocrate inſtitutam eſſe ad exagitationem & quâſi attractionem calculoſæ materiæ, vt ſolet in menſibus aut hæmorrhoidibus ſuppreſſis, quàm ad vacuationem totius corporis, vel reuulſionem à parte affectâ, ne videlicet ſanguis præ doloris vehementiâ eò tranſlatus illam inflammet. Etenim in tali caſu melius eſſet, ipſam cubiti venam, quæ ſit ex directo renis affecti tundere, quia commodiùs illa omnia præſtabit, ſi ætas & reliqua conſentiant. Nos ergo communem Practicantium vſum in excludendis calculis & leniendis eis quæ comitari ſolent ſymptomatis, proponamus.

Vbi primùm excrementa conuenienti pharmaco, vt dictum eſt, vomitu aut clyſteribus lenientibus & temperantibus frequenter repetitis, prout occaſio melior videbitur, vacuata fuerint : quia iam dolor punctorius ex calculi agitatione & diuulſione partis membranoſæ anguſtioris vrget, ſolemus de relaxandis viis iſtis comminuendo propellendóque calculo, & cruciatu, ſi ſit immoderatus, placando ſtatim cogitare. Relaxantur itaque molliuntúrque viæ iſtæ tam ſumptis quàm admotis : ſumptis, vt butyro recenti, iure pingui, cremore hordei, decocto liquiritiæ, mucilagine ſeminis maluæ aut althææ, cum aquâ parietariæ extractâ, oleo amygdal. dulc. recenti & per ſolam expreſſionem ſine igni educto : cuius cochlearia aliquot haurienda frequenter exhibentur. Intereà paretur balneum, vel ſi nimiam reſolutionem virium pertimeſcas, ſemicupium ſequens.

℞ Rad. liliorum, raphani, peucedani, apij, fœniculi, graminis & eryngij, an. ℔ j. maluar. althææ, & violar. cum toto, an. M. iv. foliorum braſſicæ, ſaxifragiæ, creſſonis, parietariæ & brancæ vrſinæ, an. M. ij. ſeminis melonum, carthami, milij Solis, lini & fœnugr. an. ℥ j. ß. florum geniſtæ, chamæm. & meliloti, an. M. j. Fiat omnium decoctio in aquâ dulci pro balneo, aut ſemicupio, quod ingrediatur frequenter, potiſſimùm vrgente dolore. Exeat autem poſt vnam aut alteram horam, ne corporis robur quod hîc valde eſt conſeruandum, reſóluatur. Aut etiam potes vti fotu ex ſimili decocto cum filtris, aut veſicis ſuillis, & internè quia inteſtinum reni incumbit, clyſteres iniicere, eodem decocto & oleo liliorum, paucóque rutaceo, propter iunctos frequenter flatus, confectos. Si non ſuppetant iſta omnia, aut certè propter affectus vehementiam non liceat tamdiu morari, paretur balneum, ſemicupium, vel fotus ex ſolâ aquâ tepidâ, cui addes olei liliorum ſufficientem quantitatem : imò ſi ægri aut regionis conditio illud permittat, vtiliſſimum erit conficere ſolium integrum ex oleo communi vel lacte, quia valde emolliunt & ſunt anodyna præſentiſſima : Quod ego magis laudo, quàm balnea illa calidiora à Rhaſe noſtro propoſita, ex decocto abrotani, menthaſtri, ſtercoris columbini & ſimilium, quoniam iſtis valde reſoluitur totum corpus, & quaſi inflammatur, nec viarum laxitas commode comparatur. In exitu ſemicupij aut balnei applicentur regioni renum & vreterum medicamenta facultatibus eiſdem prædita, folia maluæ & parietariæ frigantur in ſartagine cum adipe cuniculi, vel oleo de ſcorpionibus, & inſtar placentularum admoueantur : vel idem adeps diſſolutus cum dicto oleo aut liliorum, vel vnguenta laxantia, vt reſumptiuum, de althæâ, Agrippæ, &c. inungantur diu leuiter fricando verſus regionem pubis, vt ſic attrahatur in veſicæ cauitatem calculus : Vel etiam ſi pertinaciùs in vreteribus moretur, cucurbitulæ admoueantur cum multâ flammâ eidem regioni ſupra ventrem & dorſi latera, quaſi gradatim ad inferiora vergendo. Æger etiam ſaltu aliquando & corporis commotione violentâ ſæpe excutit eiuſmodi materiam diutiùs ibi ſubſiſtentem, quod tamen mediocriter eſt tentandum, ne vis inferatur iſtis partibus, & corpus nimiùm debilitetur.

Intereà lithontribis & nephrocatharticis ſuus etiam hic erit vſus, tam extra balneum, quàm ibidem degente ægro, vt comminuatur & validè propellatur calculus, ſiue in renum cauo, ſiue vreteribus ſubſiſtat. Ad id infinita haben-

tur apud Practicos remedia, quæ fruſtrà eſſet hîc omnia recenſere; quorum alia dicuntur ex proprietate id præſtare, vt lapis Iudaicus, lapis ſpongiæ, auis Troglodytica ſeu cauda tremula dicta: Alia quia deterunt & quaſi confricant calculi ſuperficiem, vt ſunt terrena omnia & aſpera, cineres teſtarum ouorum, vitrum vſtum, & ſimilia. Alia manifeſtis qualitatibus, vacuando ſcilicet, molliendo, incidendo, attenuando, & detergendo, vt ſunt diuretica omnia, radix raphani, peucedani, ononidis, herniariæ, aquæ thermales ſalſæ, bituminoſæ & ſimiles: Quibus lithontribis & nephrocatharticis adduntur ea quæ vehunt & quaſi propellunt hæc medicamenta verſus partem, vt ſunt liquida maiori quantitate mixta, vt eò vſque permeare poſſint, & ea quæ ſunt tenuium partium. Item alia quæ retineant & faciant quaſi moram in iſtis partibus, vt ſunt adſtringentia quædam, ſemen myrti, lentiſci, rubi, balauſtia, &c. ac ſi quidem aſperitas viarum vel calculi adſint, flatúſque coniungantur, pro varietate iſtarum conſtitutionum, oblinentia & flatus diſſipantia addi poſſunt. In Officinis vulgò habetur puluis ille λιθοντριβὲς dictus, cuius drachma vna vel dimidia exhiberi poteſt cum pauco vino albo aut aquâ parietariæ. Monſpelienſibus hodie familiaris eſt Syrupus de raphano ſeu nephrocatharticus dictus, cuius ℥ j. diſſoluta decocto recenti graminis, liquiritiæ, & rad. ononidis, vel foliorum herniariæ propinari ſolet. Aquæ ſtillatitiæ parantur ex iſtis omnibus diureticis & lithontribis accommodatiſſimæ. Sanguis autem hircinus eo quo tradunt authores noſtri modo præparatus, præcipuam laudem in hoc affectu perſanando adeptus eſt, cuius ʒ j. tam prophylaxeως, quàm therapeias causâ frequenter exhibent, ſuprabibendo ius cicerum tubrorum & foliorum petroſelini. Imò etiam commendatur idem ſanguis ex recenter mactato hirco ſupra regionem renum, vreterum, pubis & perinæi illitus, quia creditur diſſoluere iſtos lapides & conglobatas arenulas. Noli tamen in illius vſu imitari malos quoſdam Medicos, qui farcimina ex iſto ſanguine confecta & cocta, calculo diuexaris comedenda obiiciunt. Nemo enim neſcit, quantum illis noxæ ex δυσπεψίας iſtis & cacochymis cibis inferatur: Adde quòd eiuſmodi medicamenta non debent in ventriculo morari & ibi concoqui: ſed citò & quantum fieri poteſt inalterata in regiones iſtas renales transferri.

Præter iſta Practici magnam vim comminuendorum calculorum tribuunt cineri ſcorpionum, cuius ℈ j. cum vino albo, aquâ parietariæ, aut decocto cicerum exhiberi ſolet in paroxyſmo aut extra illum, quoties ſcopus confringendi calculi propoſitus eſt. Chymici autem non immeritò ad id celebrant extractum ſuum Terebinthinæ, cuius guttas aliquot diſſolutas conueniente aquâ aut iuſculo frequenter propinant. Idem tribuunt eſſentiæ cryſtalli. Hodie ex nouo Orbe deferuntur Lapis quidam renalis, & Lignum etiam renale ſimiliter dictum: Quorum vires eximias & penè incredibiles ex ſcriptoribus iſtarum rerum accipies. Nos enim prædicta ſufficere exiſtimamus ad iuuandam calculi excluſionem. Lithontriba cùm calculos comminuere dicuntur, cur non etiam partes ipſas, vt renes vel veſicam afficiunt? Reſponde primò, iſta ferè omnia ex proprietate agere aduerſus lapidem: deinde non ingredi ſubſtantiam partium vt illam comminuant, ſed in viis communibus ſiue meatibus contineri, quos obſtructione tentatos dum pertranſire conantur, in ea ſuam vim exerunt, quæ impedimento illis ſunt ne præterlabantur.

Sed quoniam vigiliæ, inquietudo, dolor, ſæpe acerbiores ſunt, quàm vt ab ægro per plures dies ſi diutiùs protrahatur affectus, tolerari ſine vitæ periculo poſſint, vel prædictis tantùm remediis ſedari; ideò cogimur aliquando præter ſimplicia anodyna, vt lac, cremorem ptiſanæ, amygdalatum, & ſimilia, narcoticis eximium partium iſtarum ſenſum obſcurare, quò natura datis quaſi induciis recreari, & ad morbum ſuperandum alacrior redire poſſit: Sic theriacæ recentis, Philonij Romani, aut confectionis Requiei dictæ dimidiam aut integram drachmam, cum pari quantitate conſeruæ maluarum aut violarum mixtam inſtar boli, ſomni tempore ſumendam præſcribimus: Vel ℈ j. pilularum de cynogloſsâ: diacodij ℥ ß. ſyrupi de papauere ℥ j. & ſimilia. Si recuſet ea quæ deuorantur, poteris confingere clyſteres ad hanc rem accommodatos, vt ex lacte caprillo, cui permiſcebis vitellos ouorum duos cum pauco croco & opij ℈ j. Si materia flatibus iuncta videatur, vt ſæpe fit, fiat clyſter ex vino generoſo, cui capita papaueris incoxerint, cum ℥ ij. olei terebinthinæ & de iunipero, cui

eſt

est etiam facultas ad conterendum calculum & flatus discutiendos. Alij communiter decoquunt maluas cum aliquot foliis papaueris & hyoscyami, & semine rutæ aut anisо additis, quæ omnia solers Medicus pro variis circumstantiis moderabitur. Non sunt tamen narcotica exteriùs inungenda, vt quidam volunt, ne partes istæ obtorpescant & constringantur nimium, vnde postea cruciatus vehementior excitaretur.

His itaque transpositus ab vreterum meatu in vesicæ cauum calculus, siue vnicus sit, siue plures, muco aut arenulis iunctus, cessat quidem dolor, sed non est perfecta curatio, nisi foràs cum vrinâ propellatur. Ideò nisi sponte suâ & naturæ impetu excludatur, suadendum est ægro, vt post epotum liberaliter vinum album aut aquam parietariæ saccharo dulcoratam, vel decoctum liquiritiæ, contineat diutiùs vrinam, vt eâ copiosiùs retentâ quasi torrente aliquo, secum eiusmodi calculos vesicæ minutiores abripiat. Imò si hæc non satis succedant, iterentur lithontriba superiùs præscripta & inunctiones pubis & perinæi ex oleo de scorpionibus, cuius etiam parua quantitas in vesicam syringâ aut cathetere immitti potest. Item suctione virgæ putat Rhases multum iuuari eductionem calculi in vesicâ positi. Aliquando autem contingit eiusmodi calculum, penis meatum subintrare, qui tamen excludi omnino non potest: sed ibi subsistens, ἰσχουρίαν molestissimam inducit: tunc repellendus est intrò cathetere, candelâ cereâ, aut maluæ cauliculo, vel potiùs ibi retinendus ligaturâ & molli manuum contrectatione, fricatione & compressione, non omissis emollientibus fotibus & oleis, versus balani foramen deducendus, vt inde forcipibus & hamulis, vel terebellis comminutus extrahatur. Accidit etiam aliquando, vt his frustrà tentatis coacti fuerint Medici ad incisionem venire, quæ fit supra locum lapidis lateraliter, quia penis eâ parte magis est carnosus, & vasa minùs per illam excurrunt, nec vrinæ fluxus tam facilè per vulnus istud continget. Aperto pene educendus calculus, & quod reliquum est, vulneri, vt in aliis casibus fit, medeatur Chirurgus.

Superest igitur curatio illius calculi, qui vesicæ cauitatem occupat, siue vesicæ adhæreat, seu vagus per illam feratur, neque propter magnitudinem suam per meatum vrinæ excludi potest: In cuius sublatione duo tantùm scopi proponuntur, vel vt eiusmodi calculus comminutus & quasi in arenulas redactus, deinceps mictione, vt de superiori scripsimus, excludatur: vel vt inciso vesicæ collo conuenienter periti artificis manu extrahatur: & in posterum tale obseruetur regimen, quod omnem generandi calculi occasionem subtrahat. Quod ad primum scopum attinet, quidam existimant, vt noster Rhases, diuturno propositorum λιθοτριβῶν vsu compleri posse, in quam rem describit trochiscos quadraginta dierum spatio confringentes etiam vetustum lapidem in vesicâ, si eorum drachma singulis diebus sumatur cum decocto seminum diureticorum. Trochisci illi siue globuli constant ex tergentibus, incidentibus, mollientibus & diureticis, vt vnicuique patet. Alij vtuntur prædictis lithontribis tam decocto quàm puluere, sed maiori quantitate quàm in calculo renum sumptis, vt possint peruadere viribus integris ad vesicam vsque: iniiciúntque frequenter in illam, olei de scorpionibus compositi guttas aliquot, eodémque inungunt externas pubis & perinæi partes, vel decocto aliquo incidente, tergente & molliente, fouent eadem partes bis in die; deinde immittunt per syringam puluerem sanguinis hircini dissolutum cum aquâ vitæ, & similia. Quidam verò ita fuerunt temerarij, vt auderent iniicere aquam fortem siue separationis dictam, non sine magno periculo ægrotantis, & artis infamiâ. Ac proinde vt liberè quod sentio profitear, parum ego commodi positum esse puto in istis lithontribis ad comminuendum vesicæ calculum grandiorem. Nam hoc posito, quod tamen vel impossibile est, vel rarò admodum accidit: confringi posse eiusmodi lapidem istorum remediorum vsu, nisi ita comminuatur, vt ferè in puluerem abeat, aut certè in ea frustula quæ facilè meiendo excludi possint, nihil aliud præstiteris, nisi quod ex vno lapide multos confeceris asperos, angulares, meatum vrinarium subintrantes, & frequentissimam ἰσχουρίαν inducentes; qui nisi tandem educantur, accrescunt paulatim per additionem mucosæ materiæ, quæ in vesicâ continetur, & miserrimam internecionem ægro adferunt. Multò ergo satius esse existimo in eis qui per ætatis & virium conditionem illud ferre possunt, ad secundum scopum accedere, qui incisione illâ celebri perficitur, quam λιθοτομίαν vocant:

ſimul enim & ſemel educitur à perito artifice, cui hac in re fidendum eſſe voluit Hippocrates *in ſuo Iureiurando*, calculus & omnis illa ſaburra, quæ internam veſicæ ſuperficiem occupat : licet enim per eiuſmodi vulnus, Chirurgicis inſtrumentis idoneis, hydromelite, decocto detergente, & ſimilibus, abluere ſordes ibi contentas.

Quibus verò modis & inſtrumentis eiuſmodi operatio exerceatur, licet ex Chirurgorum tam recentiorum quàm antiquorum libris repetere, vel potiùs ab ipsâ αὐτοψίᾳ & rerum magiſtrâ experientiâ ediſcere. Quod ad Medicum enim ſpectat, ſufficit illi eorum corpora, quæ eiuſmodi operationem exigunt, conuenienter præparare per venæ ſectiones, purgationes, victum idoneum, & ſimilia, quæ rei ſtatus indicabit : Monere de periculo affines & ægros, potiſſimùm ſi iam ſint prouectæ ætatis, ne deinceps mortis reus habeatur, quæ hîc frequenter contingere ſolet : Commodiorem anni & menſis tempeſtatem ad eiuſmodi opus exercendum eligere. Non enim bene ſuccedit frigidiore vel calidiore cœlo, vel ſub æquinoctiis, quando magnæ aëris mutationes contingunt, neque plenilunio quando humores commouentur, aut ſilente Lunâ, ſed inter iſta tempora, die ſereno & ventis vacuo. Reliqua enim ex peritiâ ipſius lithotomi pendere debent. Quòd ſi æger aut propter grandiorem ætatem, vel animi aut corporis mollitiem, non audeat ſe eiuſmodi lithotomis committere : obſeruet accuratam viuendi rationem iam præſcriptam, & totam prophylaxeos therapeuticæ partem, frequenter iteratis purgationibus & remediis expurgantibus ductus iſtos vrinarios. Vitámque in hac miſeriâ quantum poterit, producat, cui opitulabitur potiſſimùm Medicus duorum ſymptomatum correctione, doloris nimirum quo ferè perpetuò torquentur ſedatione, & ἰσχουρίας quæ illos frequenter inuadit. Dolorem ſedabit tam anodynis propriè dictis, vt lactis fotu, ſemicupiis mollientibus, fotibus ex ſemine lini & maluæ in aquâ parietariæ cocto, vnguentis Agrippæ & populeo ſimul mixtis, tum narcoticis iam deſcriptis & emulſionibus, quæ horâ potiſſimùm ſomni exhibentur, vt poſſint ſaltem de nocte, quieti indulgere. Ἰσχουρίαν verò ſedare proprio capite docebimus. Hîc tamen præcipua ſpes in cathetere, vel candelâ cereâ oleo amygdalarum dulcium illitâ, quæ in canalem virgæ frequenter immittitur, vt vel calculus, vel ſordes ibi collectæ deturbentur, & via vrinæ liberior reddatur.

Quoties verò adſunt aliorum affectuum complicationes cum calculo renum vel veſicæ, vt inflammationis, vlceris, hæmorrhagiæ, & ſimilium : tunc maius adhuc opus incumbit Medico, & therapeiæ ratio valde eſt perturbata ob repugnantiam variarum indicationum. Eſt tamen vrgentiori ſemper occurrendum, non neglecto omninò alio, vbi tota poſita eſt Medici praxim exercentis ſolertia. Nos ergo ſequentibus capitibus, reliquorum affectuum qui renibus & veſicæ ſuperuenire poſſunt, tractationem ſuſcepturi, huic finem imponamus.

CAPVT II.

De Renum & Veſicæ inflammatione, id eſt, tumore phlegmonoſo vel eryſipelatoſo.

REQVENTISSIMAM ac moleſtiſſimam eorum ſymptomatum cauſam, quæ renes & veſicam exercere ſolent, ſuperiore capite explicuimus : Nunc minùs quidem vſitatam, ſed grauiorem ac funeſtiſſimam proponemus, nempe eorumdem inflammationem ſiue tumorem præter naturam phlegmonoſum aut eryſipelatoſum. Quamuis enim inflammationis nomen non ſolùm diſpoſitiones illas complectatur, quæ ſequuntur ad ſyſtrophicas collectiones ſiue tumores materiæ ſanguineæ vel bilioſæ in partibus, ſed etiam omnem φλέγμασι, intemperiem ſcilicet calidam ſine materiâ, aut cum humore, ſed non affixo parti : attamen hoc capite principaliter

principaliter agemus de tumore renum & veſicæ calido : quoniam ex illius tractatione, natura & curatio φλεγμόνης ſimplicis facilè innoteſcet.

Eſt itaque propoſitus affectus, diſpoſitio præter naturam in renibus aut veſicâ, illorum naturalem magnitudinem augens, temperiem vitians, & diuortium vnitatis faciens, ex affluxu humoris ſanguinei vel bilioſi, in propriam iſtarum partium ſubſtantiam effuſi, ad quem ingens in parte dolor, vrinæ ardor, febris acuta, & aliquando ſuppuratum, vlceraque ſubſequuntur. Hac enim definitione complexi ſumus ea omnia quæ ad tumorum iſtorum naturam exprimendam faciunt : Quamuis enim propria illorum eſſentia poſita ſit in ὄγκῳ, vt loquitur Galenus, ſeu dimenſione, latitudinis potiſſimùm, auctâ. Quia tamen hæc partis eleuatio fit ab humore implente proprios poros & ſpatia partis, qui cùm qualitatibus ſuis tam primis quàm ſecundis præditus ſit : præter illam mutationem, quæ in quantitate ſpectatur, oportet etiam neceſſariò ἀλλοίωσιν, alterationem ſeu qualitatis communicationem ſubſequi, ex quâ maximè afficitur pars, & diſtentionem in propriâ ſubſtantiâ, repletis præter modum illis poris & quaſi diuulſis, quibus ſingulæ partes donatæ ſunt : vnde diuortium τῆς ζωοχόας, quod Practici noſtri ſolutionem continui occultam ſeu elongationem vocant. Ex aggregato enim trium iſtorum morborum fit morbus compoſitus, qui dicitur tumor præter naturam, & vnus tantùm cenſetur, quoniam in vnâ eademque parte adæquatâ ſit, ab vnicâ efficiente atque materiali causâ, vt vnicuique ſatis patet.

Huius autem differentiæ hîc proponuntur, vt ſolet, ex ſubiecto ſeu parte affectâ, humoris diuerſitate, & ſymptomatis quibuſdam comitantibus. Subiectum ergo eſt pars còrporis noſtri interna vrinæ expurgationi dicata, eaque duplex, renes ſcilicet & veſica, diſſimilis prorſus naturæ & compoſitionis, etſi ad eundem vſum comparata. Renes enim parenchymate præditi, quamuis firmo & denſo, tamen ſanguine, multiſque venis ad interiora vſque aſperſo, per quæ attractum ab emulgente ſanguinem à ſero ſeparant, ſibique velut proprium & familiarem retinent atque aſſimilant, illiuſque etiam portionem effundunt frequentiſſimè in exteriorem illam tunicam, quam multo adipe renibus firmiter adhæreſcente delibutam perfuſamque conſpicimus : Vnde patet renum ſubſtantiam ſuſcipiendæ inflammationi, tumoribuſque tam phlegmonoſis quàm eryſipelatoſis eſſe accommodatam. Veſica verò ἀναιμος καὶ ἄσαρκος, exanguis tota & ſpermatica, membranis tantùm ex hypogaſtrico ramo tenuioribus in extimâ ſuperficie prædita, perpetuo ſero & aquoſo liquore perfuſa : non videtur apta nata ad eiuſmodi affectus inflammatorios perpetiendos. Verumtamen cùm omnes corporis noſtri partes ad ſui nutritionem ſanguineo humore per venarum propagines fruantur : non eſt dubium, quin illo exundante ſiue puro ſeu impuro, & aliis ſuccis permixto, fieri poſſit illius decubitus & affluxio in quamcumque partem debiliorem factam, vel caloris aut doloris vi preſſam, quæ attractionis duæ ſunt potiſſimùm cauſæ. Vt igitur meninges cerebri, ipſiuſque propria ſubſtantia, pleura, mediaſtinum, & ſimiles partes, inflammationes perpetiuntur frequentiſſimas ; ſic etiam veſicam tumoribus hiſce aliquando tentari, adducta deinceps Hippocratis & Galeni teſtimonia, & quotidiana docet experientia.

Addidimus ad differentiam iſtarum inflammationum in definitione, illas fieri ex affluxu humoris ſanguinei vel bilioſi. Quamuis enim ſanguis pituitoſo aut melancholico ſucco perfuſus, poſſit aliquando iſtas φλεγμάσιας parere ; attamen rariùs, quoniam craſſitie ob illorum permixtionem donatus, vix impetu fluere poteſt, aut ita facilè in partium iſtarum ſolidarum tenuia ſpatia effundi. Calidarum enim iſtarum affectionum fluxio potiùs quàm congeſtio, mater cenſenda eſt, quæ paulatim ex coctricis vitio, aut expultricis impotentiâ, materias crudas & craſſas in partibus accumulat ; cùm iſtæ ἀθρόως & quaſi derepentè membra inuadant. Non tamen omnino eſt negandum, quin aliquando portio pituitoſi aut melancholici ſucci his fluxionibus permixti, poſſit facere differentias iſtorum tumorum, ſed potiſſimas frequentiſſimaſque ex ſanguinis aut bilioſi humoris dominatu eſſe repetendas.

Poſtrema definitionis noſtræ pars complectitur ea quæ ſunt ζωοδρύοντα καὶ ἐπιγενόμενα, iſtos affectus comitari vel conſequi ſolent. Comitantia ſunt febris ardens, dolor circa illas partes, & vrinæ ardor cum mingendi difficultate : quæ peculiariter in ſignorum enumeratione explicabimus. Επιγενόμενα verò ſiue ſuperuenientia multa eſſe poſſunt. Attamen quia iſtarum collectionum quatuor ſunt viæ, vt loquuntur Practici, terminationis, per διαφόρησιν, ἔκκρισιν, σηπεδόνα, & ζφακελισμὸν

Digitized by Google

Quæ per διαφόρησιν, inſenſibiliter reſoluuntur, illæ felicibus auſpiciis, & paucâ ſymptomatum ſyndrome terminantur: Quæ verò per indurationem ex naturâ humoris, vel intempeſtiuo refrigerantium vſu, vt poſteà dicemus, illæ in naturam deinceps diuturnorum affectuum tranſeunt: Quæ per corruptionem ſeu putrilaginem, illæ neceſſariò mortiferæ exiſtunt. At valde ſunt conſpicuæ illæ & Medico conſiderandæ, quæ in ſuppurationem vergunt, quoniam ingentia inuehunt ſymptomata, à quibus ſi ſuperſtes maneat æger, puris copia per diſruptam vomicam effunditur, & vlcus inductum nouam ægrotanti ac Medico pugnam indicit, vt nos ſequenti capite videbimus. Iam ergo ad cauſas iſtorum affectuum tranſeamus.

Quæcunque igitur diſponunt iſtas partes ad patiendum facilè, vel attrahendum humores iſtos calidiores: quæcunque generant & multiplicant materias iſtas in corporibus noſtris: aut eaſdem deducunt in loca vrinæ ſecernendæ, continendæ expurgandæque dicata, aut certè ſuiſmet qualitatibus inflammationes efficere poſſunt; ea omnia erunt cauſæ vel concauſæ iſtorum affectuum augentes vel conſeruantes. Vtpote ex parte rerum naturalium, infirmitas congenita & à parentibus contracta, vel magna ſubſtantiæ iſtorum membrorum laxitas, & pororum raritas, ſæpe homines ex patiendi facilitate in iſtos affectus præcipitarunt, ex causâ etiam leuiore ad efficiendum comparatâ. Item feruor & caliditas naturalis illarum partium, quia multas materias trahere ſolent versùs iſtos ductus: Ætas item calidior & iuuenilis plurimùm incurrit iſtos affectus, ſi incautè viuat, & rerum non naturalium ſiue externarum inſultus excipiat imprudenter. Veneris certè abuſus, & conatus illi immodici aut frequentiores, ſatiandis impudiciſſimis mulierculis dicati, plurimos iuuenes eneruare ſolent, aut certè ſi bilioſiore vel ſanguineo ſint temperamento præditi, partium iſtarum inflammationes & exulcerationes accerſere: Item ſi crapulæ addicti ſint, viniſque generoſioribus, ſalſis, piperatis, frixis, & ſimilibus ſeſe ingurgitent: aut quod multò deterius eſt, ſi quidem à ſuis illis ſcortis, philtra & amatoria venena inſcientes hauriant; vel ipſimet ſcientes lubenteſque aſſumant ſtimulos ad Venerem potentiùs exercendam, vt cantharidum puluerem, formicarum oua, renes ſcincorum, & ſimilia inflammantia & irritantia medicamenta vel venena. Potiſſimùm æſtiuo tempore dum ardet Canicula, vel inæqualis viget autumni intemperies. Dumque furore illo erotico perciti, totas peruigilant noctes, vt amaſiis ſuis fruantur, quaſi in excubiis militaribus poſiti, aut ſi ab illis repulſam paſſi, maximo mœrore aut irâ torqueantur. Et quemadmodum in caſtris Venereis hæc contingere poſſunt: ſic etiam ſub Martis vexillo eadem aut multò grauiora: Nam labores illi continui equitandi diutiùs & violenter, geſtandi grauiora arma, vt in cataphractis noſtris militibus, duriter cubandi. Caſus, ictus, & ſimilia vulnera aut contuſiones lumbis vel hypogaſtrio inflictæ, quibus ſingulis pænè horarum momentis obiiciuntur, multos in iſtas affectiones deducere ſolent. Quemadmodum in aliis grauiores exercitationes aut labores inſueti, vt geſtandi onera, agitandi triremes, fodiendi tellurem, & ſimilia, quæ magnam toti corpori vim, potiſſimùm verò partibus iſtis dorſi & lumborum violentam agitationem inferunt. Item magnam his affectionibus anſam ſuppeditarunt ſæpius inſignium & conſuetarum vacuationum ſuppreſſiones, vt menſtruorum in mulierculis, hæmorrhoidum, hæmorrhagiæ è naribus, & ſimilia, quia cauſas illas interiores, plethoram ſcilicet vel cacochymiam multiplicant, & humores iſtos ad interiora illa viſcera quaſi refluxu quodam compellunt. Quibus ſi acceſſerint affectus totius, vt plethora aut vaſorum cacochymia, febres continuæ, vel aliquarum partium expurgantium ſuam illuuiem per iſtos ductus, vt ſæpe fit, aut certè in illis iam ſint prægreſſi vel permanentes adhuc, vt intemperies morboſa, exulceratio contracta, calculus premens aut diuellens, dolor vehemens & frequentiùs recurrens, vrinæ ardor aut ſuppreſſio, non eſt dubium quin facillimum ſit in propoſitos affectus incidere, qui iam ſignis ſuis & τεκμηρίοις ſunt dignoſcendi.

Ex ſolitis itaque fontibus ſigna partium iſtarum affectarum, affectuum, & caurum, erunt repetenda. Ab actionibus enim læſis propriis certiſſimum eſt in vtroque affectu tam renis quàm veſicæ, mictionem vitiari: In renum inflammatione δυζουρίας potiſſimùm contingere ob ardorem vrinario liquori communicatum, qui pungit & vellicat ipſam veſicam. In illius autem φλεγμονῇ ſtrangurias & iſchurias frequentiùs accidere, ob contractum ſcilicet eius corpus, vel obturatum illius canalem præ magnitudine tumoris, potiſſimùm ſi interior ſuperficies patiatur. Et quemadmodum

admodum propria iſtarum partium actio vitiatur, ſic etiam per conſenſum aliarum functiones perturbantur. Inde enim auctâ φλογώσει, vel certè per vaporis illius putredinoſi halitum incenſo corde, animi ſæpe deliquia, febriſque aſſidua moleſtiſſima & horrifera excitatur, cuius incrementa & mores ſequuntur conditionem iſtius materiæ, quæ in ſpatiis iſtarum partium effuſa fuit. Atque inde velut propagato mali fomite, ipſum etiam cerebrum cum neruoſo genere afficitur, & παραφροσύνας, dolores acutos conuulſionéſque ſæpiùs patiuntur. Veràm partibus vicinis multò crudelius bellum infertur. Nam per inflammationem renum ventriculus perpetuò grauitor ſe habet, nauſeíſque & vomitionibus biliоſis, æruginoſis, & ſimilibus, aut certè ἀνοσοπλίᾳ perſeuerante, ſiti inexhauſtâ, graui καρδιογμῷ, anxioſo, æſtuoſo, & ſudatiunculis comitato, oſtendit quantum mali ſibi ex ſympathiâ iſtâ impendeat. Neque omnino à conſenſu iſto dolorifico libera ſunt iecur, ſi quidem ren dexter inflammetur, aut lien ſi ſiniſter; imò etiam ipſum malum per vreteras in teſtem & muſculos illos lumbares, ψόας dictos, καὶ ἴξιν poſito femori & lumbis communicatur: Necnon toti dorſo ac ſpinali medullæ, quam flectere, aut alio modo agitare vix poſſunt. Per inflammationem verò veſicæ, rectum inteſtinum vehementer affligitur, (ipſéque vterus in mulierculis,) atque tota hypogaſtrij, pectinis, perinæíque regio: vnde illæ deſidendi ſimul & mingendi cupiditates, cum ſenſu ardoris, tenſionis, aut oppreſſionis, ad ſedis vſque extremum protenſo. Ex ſitu etiam dupliciter innoteſcit, partes iſtas eſſe inflammatione affectas, ægri ſcilicet ipſius querelâ, indicantis locum doloris & oppreſſionis ſuæ, ſupra quem vix ac ne vix quidem audet decumbere, vel etiam ad latus ſeſe conuertere, quia tunc magis ſuſpenditur pars illa grauior & ſenſibilior facta: ſed ſupinus in dorſum quaſi perpetuò reclinare cogitur; ac Medici ſedulitate contingentis contrectantíſque iſta loca dolentia, renitentia & quaſi æſtuantia. Ductâ enim ab vmbilico verſus dorſi vertebras rectâ vtrinque lineâ, facilè inuenies renis vtriuſque tumorem dolorémque ex preſſu ſtatim excitabis, atque ſi ingens ſit phlegmone, aut iam ad ſuppuratum vergat, pulſationem, παλμὸν, ibi perſenties. Quemadmodum veſicæ in aqualiculo poſitæ, tumores & quæcumque repletiones tactui & quaſi viſui ſunt obuiæ. Excretorum etiam ratio potiſſimùm vrinæ, oſtendent partem ipſam affectam & affectus naturam: Vrina enim in principio phlegmones renum, quamuis aliquando alba & tenuis, quaſi tranſcolato ſero profundatur, ſemper tamen acris & mordax exiſtit, multúmque ardoris ſenſum inferre ſolet, aliàs multâ bile aut tenuiore ſanguine perfuſa ob compreſſionem ductuum meiitur: progreſſu temporis etiam ſanioſa, virulenta, graueolens & purulenta, vt in ſequenti tractatu dicemus. Per vomitum verò & per aluum biliоſa, acria, ſincera, & nigricantia ſæpe profunduntur, tanti ſcilicet mali funeſtiſſima indicia. Doloris etiam proprietas in renibus grauis & pulſans, (*niſi tunica inuoluenti renes inflammatio hæreat, quæ dolorem etiam acutum & pungentem inferet.*) in veſicâ acutus & inflammans, cum propriis accidentibus, partis ſcilicet renixu, febre aſſiduâ & horrificâ, rigoris vario inſultu, extremitatum frigore & liuiditate quadam, vt ſolet in febribus lipyriis; oſtendunt in iſtis partibus phlegmonem aut eryſipelas adeſſe.

Quæ verò ſint cauſæ & differentiæ iſtorum affectuum, perquirendum ex diligenti animaduerſione rerum naturalium, non naturalium, & præter naturam, tam earum quæ præceſſerunt, quàm quæ adhuc præſentes ſunt. Phlegmonoſa conſtitutio, vt maiorem tenſionem, grauitatem & pulſationem infert; ſic eryſipelatoſa vehementiorem ardorem & punctionis ſenſum. Ac prout ſanguis ille aut biliоſus ſuccus, ſincerus vel permixtus fuerit inter ſe, vel cum portione melancholici aut pituitoſi humoris; ſic etiam variantur iſta omnia iam à nobis adducta, vt ſatis vnicuique eſt notum. Ergo ad prognoſin tranſeamus.

Prædictio itaque in hiſce affectibus, non niſi mala & infelix eſſe poteſt, aut certè valdè anceps & dubia, ſiue ſpeciem affectus reſpicias, nempe inflammationem ſyſtrophicam, quæ in internis partibus & ad neceſſarios vitæ vſus comparatis, quales ſunt renes & veſica, perpetuò mortis periculum impendere ſignificat, vt eſt apud Hippocratem *lib. de victu rat. in acut.* ob inſignem illam & æſtuoſam febrem coniunctam, dolores & ſimilia accidentia, quæ Hippocrates vocauit 7. *Aphoriſm. ſect. 1* τὰς ἐσχάτους πόνους, extremos labores & naturæ fatigationes ex morbo. Siue etiam reſpicias μετάστασιν, tranſmutationem horum affectuum in alios, quoties vita diutiùs prorogatur: Sæpiùs enim ex διαφορήσει, reſolutione tenuiorum partium materiæ tumorem committentis, aut longo refrigerantium vſu, vt ſolet, ad tem-

perandos

perandos eiuſmodi ardores, exoritur σκλήρωσις durities, ad quam contractis vel obſtructis hiſce partibus, nec munere deinceps ſuo conuenienter fungentibus rabes aut hydrops conſequuntur, multò magis ſi ex ſuppurato. *Vide Aphor.* 36. *ſect.* 7. putrilaginoſa vlcera & corruptelæ exoriantur, quæ hominem diu fatigatum in ἀλροφίαν tandem & totius corporis ζύλιγξιν, mortiferam conſumptionem præcipitant. Minuitur tamen periculum in hiſce affectibus, quoties tumores minoris ſunt quantitatis, & paruum in iſtis partibus ſpatium occupant: quoties omnia ſymptomata pro iſtius morbi more ſunt mitiora, faciléque reſoluuntur, aut pus album, læue, æquale & minimè fœtidum profundunt per vrinas, ruptâ ſcil. interiùs vomicâ. Nam ſi in parte externâ quà patet exitus in cauitatem abdominis effundatur, malum eſt, quia non poteſt tunc excerni materia illa purulenta, & ex illius retentione inteſtina & reliquæ partes ibi contentæ vitium concipiunt. Audiamus igitur Hippocratem *in Coacis prænotionibus & prognoſticis*, ita de veſicæ inflammationibus prædicentem, quæ etiam multò grauiores ſunt renum tumoribus phlegmonoſis vel eryſipelatoſis, ob partis ſubſtantiam neruoſam & magis exquiſitum ſenſum. *Veſicæ*, inquit, *dura & dolentes, penitus ſunt horrenda atque lethifera, multóque perniciоſiores cum febre aſſiduâ coniunctæ: Etenim labores ac dolores qui ex ipsâ veſicâ oriuntur, ſufficiunt ad hominem enecandum. Ac tunc aluus ipſa nihil excernit, niſi dura admodum & neceſſitate compulſa. Iſtos aliquando ſanare poteſt*, addit Hippocrates, *vrina* κυώδης, *quæ albam & lauem habet hypoſtaſin: Sin autem nec vlla remiſſio eſt ex parte vrinæ, neque veſica emolleſcit, ſed febris illa aſſidua perſeuerat, credibile eſt agrum primis morbi periodis periturum: Inuadit autem pueros potiſſimùm hæc morbi ſpecies vſque ad* 15. *annum, quemadmodum & calculi generatio.* Ecce igitur quàm ſuſpecta ſit hæc diſpoſitio Hippocrati, cuius totam ſalutis ſpem reponit in emollitione quadam veſicæ, quæ contingit ex diaphoreſi materiæ diſtendentis, vel ſuppuratione illius, ad quam ſequitur profuſio vrinæ illius purulentæ & copioſæ. Alias enim ſuccedit mors primis diebus decretoriis, vt quinto, aut quod longiſſimum eſt, ſeptimo. Quia fieri non poteſt in tantâ ſymptomatum violentiâ, alui & vrinæ ſuppreſſione, febre ἀσκώδει, & omnium quaſi partium ζωθυμωρίᾳ ægrum diutiùs perdurare poſſe, niſi robuſtis ſit admodum viribus, quæ tantam ægritudinis huius tempeſtatem diutiùs ſuſtinere poſſit, aut accurata remediorum vſurpatio, quæ illam primis ſtatim morbi diebus infringat. Siquid autem ſalutare adhuc exiſtit in hiſce renum & veſicæ inflammationibus, eſt hæmorrhagia illa, quæ ex venis ani, hæmorrhoidalibus ſcil. contingere ſolet, vt de nephriticis pronuntiauit Hippocrates *Aphor.* 11. *ſect.* 6. quia per eiuſmodi fluxum auertitur curſus materiæ in iſtas partes fiens, atque etiam bona illius quæ influxit portio vacuatur. In tam periculoſis itaque & dubiis affectibus, cùm Medici ars & ſolertia plurimùm eluceſcant, videamus iam quomodo illis ritè ſit proſpiciendum ex conſuetâ nobis methodo.

Ergò tumores iſti præter naturam phlegmonoſi aut eryſipelatoſi in renibus & veſicâ, cùm pendeant ex influxu ſanguinei aut bilioſi humoris aliunde per venas profecti, & in illarum ſpatia effuſi ac ibi putreſcentis, magnoſque non ſolùm in parte affectâ ardores, ſed etiam in toto continuas & æſtuoſiſſimas febres concitent, grauiſſimis ſtipatas ſymptomatis ex variâ partium noſtri corporis ſympathiâ: Ideò ſui ſublationem ſuadent per conuenientia remedia diætetica, Chirurgica, & Pharmaceutica, pro variis illorum temporibus & conſtitutionibus. Cùm enim ab humore pendeant influente & replente, ſtatim indicant vacuantia, reuellentia, detiuantia, ratione cauſæ antecedentis, & quomodocunque eandem imminuentia, vt per tenuem diætam, purgationem, ſi excrementorum adſit concurſus, & ſimilia. Ratione cauſæ coniunctæ, eiuſdem ἀνωχύνωσιν, non quidem repellendo aut intercipiendo fluxionis vias, quoniam in tumoribus iſtis internis vera ἀνωχυρωτικὰ & defenſiua vulgò dicta, compingerent potius materiam verſùs partem quàm repellerent; Sed refrigerantibus ſimpliciter, quæ immenſum partis & humoris calorem, potentiſſimam attractionis cauſam temperent: Quibus ſtatim διαφορητικὰ permiſcenda, vt reſolutio etiam procuretur, quæ hîc maximè eſt exoptanda, necnon ſi ingens ſit doloris & tenſionis, vt ſolet, ſenſus, χαλαστικὰ & μαλακτικὰ admoueantur, quæ illum mulceant, & nimiam ex repletione duritiem emolliant. Quòd ſi fruſtrà reſolutione procuratâ, natura ad ſuppurationem conuertatur, tunc ἐκπυητικοῖς iuuanda, vomicæ ruptio tentanda, & purulenta materia conuenienter detergenda. Quemadmodum in illius induratione ſcirrhoſâ, quæ phlegmonis ſæpe ſuccedit, attenuantium & mollientium vſus proponitur. Intereâ morbis

&

& ſymptomatis grauioribus,vt febri,dolori,vigiliis,ſuppreſſæ vrinæ & aluo,ventriculo,& aliis partibus compatientibus,erit accuratè proſpiciendum, prout res ipſa ſuadebit,quæ vrgentioris causâ legitimam aliquando medendi methodum inuertit.His ita poſitis, diætam iſtorum ægrorum primò conſtituamus.

Pro victus ergo ratione in hiſce morbis eſto illud fundamentum Hippoc. *Aphor.7. ſect.1.Vbi morbus peracutus eſt,ſtatim extremos habet labores, & ſtatim tenuiſſimo victu vtendum eſt. Vbi verò non, tunc paulò pleniorem oportet indulgere, tantúmque cibi exhibere, quantum morbus ipſe recedit à vehementiâ acutiſſimorum* Vnde conſtat in propoſitis tumoribus, quantò illi magis accedunt ad veram phlegmones aut eryſipelatis nauram cum ardentiſſimâ febre, eò etiam magis ſubtiliandam eſſe diætam, ratione ſubſtantiæ,quantitatis,& formæ quâ exhiberi ſolet,non tamen omnimodâ inediam præſcribendam,vt eleganter annotauit Aëtius,ne vrinæ acriores reddantur (quamuis ad conſumendã fluxionis materiam eſſet aptiſſima per aliquot dies.)Vbi verò accedunt quodãmodo ad impuras illas phlegmones pituitæ aut melancholico humori coniunctas,cum lentâ aut mediocri febre,eò nutriendos eſſe iſtos ægros liberaliori manu,vt ſubſiſtere valeãt in diuturniore morbo:Nõ tamen augeatur cauſa morbifica & σωμαθροισμὸς excrementorũ.Sint itaq; omnia euchyma & ἰσχνόλα, quæ hiſce ægris exhibebuntur,quantitate pauca,& in plures potiùs vices diſpertita,quàm vnicâ copioſiùs ingeſta,ne ventriculus & inteſtina,illiſq; vicinæ iſtæ partes grauentur: formâ ſuâ liquida & ſorbilia potiùs quàm ſolida,donec morbus ad declinationẽ vergat.Et quemadmodum quantitas ita regulanda;ſic etiam alimentorum qualitas reſpectu humoris qui redundabit,& comitantis febris,erit eligenda,refrigerans,humectans,incraſſans, molliens,incidens,aut attenuans,pro variis eorũ diſpoſitionibus. Noſtros itaq; ægros huiuſmodi inflãmationibus detentos,alere ſolemus in principio potiſſimùm iuſculis teneriorũ pullorum,quæ alterantur herbis conuenientibus,maluâ,endiuiâ,cichorio,acetosâ,portulacâ,vuis acerbis,& ſimilibus refrigerãtibus & molliẽtibus,aut leuiter incraſſantibus humores fluẽtes;lenientibus etiã,vt cremore hordei, amygdalato, panatellis ex prædicto iure cõfectis,ouis ſorbilibus cõuenienti aliquo ſucco,vt agreſtæ,omphacij,aut granatorũ imbutis,prunis acidioribus & pomis cũ ſaccharo coctis. Interdicimus ab omnibus ſolidioris & craſſioris ſucci alimẽtis,ſalſis,piperatis, frixis,& ſimilibus:vt etiã vino,in cuius locũ aquam ſeu decoct.rad.acetoſæ & hordei, cũ paucâ liquiritiâ exhibemus,vel ex ſyrupo aliquo acetoſo cũ aquâ endiuiæ ſitim eorũ extinguimus:Circa declinationem,& iam ceſſante febre vinum album,ὀλιγοφορὸν & tenuium partium concedimus, vt materiæ reliquias propellat: Et tunc ad ægrorum iſtorum refectionem etiam carnes pullorum, hœdorum, & ſimilium cum panealbiſſimo concedimus, imò etiam piſces ſaxatiles & bene præparatos, ranarum coxas, cancros fluuiatiles, &c. prout ad hunc vel illum cibum magis feruntur.

Et quemadmodum ex parte alimentorum nihil erroris eſt cõmittendum;ſic etiam reliqua omnia bene inſtituta eſſe debent.Aër ſcil.ad eam tẽperiem reducendus, quæ febrili æſtui temperando ſit accommodatiſſima:omnia ſint munda, atque etiam gratis odoribus perfuſa,ob putrilaginem & fœtorem quæ eiuſmodi inflammationes internas ſubſequi ſolent. Stratum eſto molliſſimũ, ne lædat partes iſtas dolore affectas; ſummũ imperetur vndiq; ſilentium,corporiſq; & animi quantũ fieri poterit tranquillitas,ne deinceps humores exagitẽtur:Somni & vigiliæ ſit viciſſitudo, vt neq; ſomni diuturnioris propenſio concedatur,quæ ſolet motũ ad interiora facere,& viſcera calore nimio afficere:neq; vigiliæ immoderatæ ægrotantiũ iſtorũ vires frangãt,& acrimoniã humorũ intendant. Vacuationũ ſolitarũ effluxus quotidiani aut frequẽtiores, ſi opus fuerit, procurentur:Maxima enim eſt in hiſce affectibus ſpes ſalutis,quoties aluus ritè ſuo officio fũgitur,vrina more ſolito & indolenter profũditur,mẽſtrua aut hæmorrhoides in aſſuetis ſuas ſeruant periodos:Quæ ſi extra naturæ lineas ſubſiſtãt, omni arte & induſtriâ ad ſua munera reuocẽtur, vt deinceps particulariùs dicemus.

His ergo ita inſtitutis,ad maiora remedia veniendũ ex propoſitis indicationibus,vt ſcil.cauſæ illæ humorales in affectã partem quaſi agmine quodã facto irruentes,minuantur per ſufficientẽ euacuationẽ,auertantur & deriuentur. Cùm autẽ eiuſmodi materia fluens in venarũ conceptaculis ſtabuletur,nõ poſſumus prędictos ſcopos accõmodatiùs aſſequi,quàm phlebotomiâ cáq; pluribus diebus iteratâ,ad eam ſanguinis quantitatẽ,quam viriũ ſtatus,& præſentis plethoræ conditio ſuadebunt: ſdq; ex venis primùm cubiti dextri vel ſiniſtri,prout renũ alteruter erit affectus.Nam quoad veſicã inflammatã,eligenda pars dextra propter hepar,ex quo velut ſanguinis fonte, præſumitur eiuſmodi materia profluere:Deinde venæ poplitis κατ' ἐξοχὴν, aut malleoli non ſine fructu aperientur, quia partes iſtæ, ren & veſica, quaſi corporis noſtri

mediæ, vtrinque commodè depleri possunt. Si hæmorrhoidalium venarum adsit tumor & inflatio euidens, poterit per illas reseratas, velut propinquiora vasa, fieri aptissima deriuatio materiæ, quæ partibus istis nondum affixa erit, quemadmodum in mulierculis per vterum, si res ita ferat. His etiam auxiliabuntur cucurbitulæ inferioribus & superioribus partibus admotæ cum scarificatu, frictiones & ligaturæ dolorificæ extremitatum ad reuocandos versus exteriora humores.

Quòd si cacochymia aliqua huic affectui iuncta sit, vel certè in primâ corporis regione stabulari videatur, poterunt præscribi mollientes & leniter vacuantes clysteres; potiones ex laxantibus benignioribus nihil conturbantibus aut calfacientibus, Aliàs enim periculum esset, nę calefacto corpore exagitati humores magis præcipitarentur versus istas partes, & inflammationem augerent: Vnde annotant Practici nostri in eiusmodi affectibus, si adsit ingens alui fluxus, etiam esse sistendum propter istas causas. Ergo ex decocto maluæ, violariæ, althææ, cum pauco hordeo, seminibus frigidis, lini & fœnugræci, paretur clyster cum ℥ j. cassiæ, catholic. aut diaprun. simpl. addendo olei liliacei, violacei, aut rosacei in principio ad roborandos renes & vesicam, aliquot vncias. Medicamentum paretur ex ʒ vj. medullæ cassiæ fistularis, vel catholici cum dimidiâ drachmâ rhabarb. electi, & pauco santalo rubro: aut ex ℥ ij. syrupi rosati solutiui, cum infusione ʒ j. rhabar. in aquæ endiuiæ ℥ iv. Vel etiam si maior sit inflammatio, omittantur purgantia ista, donec materia conuenienter præparata fuerit. Ad quod facient iulepi, emulsiones, apozemata, & similia æstum febrilem, & humoris acrimoniam mitigantia, liquida enim esse debent, & sufficientis quantitatis, vt penetrare possint ad partes vsque istas remotiores. Vt

℞ Aquæ endiuiæ & solani, vel portulacæ, an. ℥ v. syrupi granat. acid. & de papauere, an. ℥ ij. Misce. Aromatizetur puluere santali rubri, vel diatragac. frigidi, quod valde lenit & temperat. Fiat iulep, pro tribus dosibus matutinis. Circa vesperam verò sumat emulsionis sequentis ʒ vi. vel iv. per se, vel cum iusculi mediâ parte mixtas.

℞ Amygdal. dulc. excorticat. ℥ j. seminum lactucæ, acetosæ, & portulac. mundat. an. ʒ iij. seminis papaueris albi recentis ʒ ij. Contundantur vt artis est, & affundendo aquæ hordei ℔ j. ß. sacchari albi parum. Fiat emulsio, in quâ omisimus semina frig. maiora, & omnia diuretica, quamuis temperata & refrigerantia, ne quicquã de nouo cõmoueant, aut versus istas partes deducant; Quæ tamen in declinatione ex vsu esse poterunt. Si mauis, fiat decoctũ sequens, quo vtetur manè & serò vice præcedentiũ.

℞ Rad. acetosæ ℥ ij. foliorum maluæ, plantag. portulacæ, endiuiæ, an. M. ij. summitatum papaueris albi M. j. seminum anisi & lactucæ, an. ʒ ij. florum violæ, borrag & papauer. rubr. an. P. j. Fiat decoctio, vt artis est, ad ℔ j. ß. Cui adde succi gran. ℥ iij Vtatur vt dictum est. Auicennas celebrat in eiusmodi inflammationibus internis, succum cucurbitæ in furno leuiter coctæ: Alij aquam endiuiæ cum fero caprillo, quæ mutare licebit pro loci, temporis, & ægri conditione.

Et quemadmodum istis circa causæ antecedentis expugnationem laborabimus; sic etiam circa coniunctam agendũ erit topicis in principio refrigerantibus & tẽperantibus summũ illum ardorẽ, & partium robur tuentibus. Topica autem illa, vel admouebũtur externæ regioni, quæ renibus aut vesicæ affectis superiaceat; vel per clysteres, in intestinum iniicientur, quod illis est propinquissimum. Ex oleo itaque rosaceo, violaceo, cerato santalino, vnguento rosaceo, vel alb. vng. populeone, solis aut mixtis cum pauco aceto, fiãt litus istarum partium frequentes: Vel si mauis, totum ouũ, hoc est, albumen cum vitello fortiter agitetur, deinde affundatur parum olei & aceti rosacei, vel aquæ solani & portulacæ: inungantur singulis horis subfrigidè. Aut fiãt epithemata liquida ex aquis endiuiæ, solani, & rosarum, cum pauco santalo rubro & caphurâ, quo foueantur bis aut ter in die subtepidè. Imò si inflammatio & dolor acerbus magis vrgeant, non erit alienum in eiusmodi linimentis, vnguentis, aut epithematis, parum opij cum croco dissoluere. Clysteres etiam eodem modo iniicientur ex decocto refrigerante, vel emulsione prædictâ, cum ℥ ij olei rosacei aut violacei.

Verùm non est insistendum diutiùs in hisce, vt dicebamus, refrigerantibus, ne impediatur materiæ impactæ διαφόρησις, vel ne partium istarũ tumores scirrhescãt: Ideò statim ad mollientia, leuiter resoluentia, & chalastica dicta veniendũ Talia erunt ex decoct. rad. althææ, lilior. folior. maluæ, parietar. violariæ, seminum lini, maluæ, althææ, bombacis, fœnugr. & papauer. albi, cum floribus meliloti, chamæmeli, violarum, anthos & rosarum ad robur partis seruandũ: Quibus fouebuntur partes istæ cum filtris, vel suillis vesicis semiplenis: Deinde inungentur oleo lilior. viol. nenupharino & ros. simul mixtis. Patũ enim probo balnei vel semicupij à Practicis nostris cõmemorati vsum in hoc casu, metu fluxionis nouæ & agitationis totius corporis. Inter chalastica

&

& anodyna simul, non est præstantius aliud eo cataplasmate, quod fit ex micâ panis albissimi in lacte decoctâ cum vitellis ouorum, cui addere potes parum olei rosacei, caphuræ, opij, & similia, pro vario morbi statu. Vel si mauis, in prædicti decocti magmate contuso & cribrato, dissoluantur farinæ hordei & seminis lini, cum oleis prædictis, & pauco croco. Fiat cataplasma leuissimum & frequenter mutandum. Eiusmodi enim solida medicamenta citò calorem concipiunt, & grauant partes istas dolentes: ac proinde ceratis aut emplastris abstinendum hîc esse arbitror.

Vbi iam inflammationis maxima pars sedata videbitur, tunc purè resoluentibus decoctis & linimentis vtendum, vt reliquiæ omnino absumantur, quod est maximè optandum.

Quòd si præter institutum Medici, natura putrefactum humorem concoquere incipiat, quia per resolutionem fortasse non potuit superari: tunc dolores & febres omniáque symptomata exacerbantur: vitæque ægrotantis maximum imminet periculum, quamdiu fit suppuratio. Vnde Medicus erecto tunc debet animo tantam symptomatum tempestatem, quantum fieri poterit, sedare, & naturæ motum iuuare, admotis suppurantibus & lenientibus vnguentis, de althæâ, basilicone, cum vitellis ouorum, & oleo rosaceo: Cataplasmatis ex farinâ lini & triticeâ, cum oleo & aquâ coctis, addendo caricarum paria aliquot, axungias gallinæ aut anseris cum croco, & similia, vt pure citiùs procurato omnia conquiescant accidentia: & pus ipsum per disruptam sponte vomicam, aut hydromelitis cum decocto rad. aperitiuarum, oxymelitis diuretici, & aliorum assumptorum diureticorum operâ effundatur. Quamuis enim magnum deinceps expugnandi vlceris certamen instet, vt aliis dicemus capitibus; melius est tamen illud experiri, quàm ægrum certæ quasi internecioni addictum deserere. Fit etiam sæpè, vt propter certam materiæ aut partium istarum constitutionem, vel etiam diuturniorem, vt diximus, refrigerantium vsum, tumores isti indurentur, cessante quidem febre & dolore, sed perseuerante ponderis sensu maiore, & circumiectarum partium stupore: vnde ineunda est aduersus istam scirrhosin grauissima pugna ex mollientibus & leuiter incidentibus, vt capite de scirrho hepatis dicebamus.

Supereſt igitur, vt Medicus præter legitimam illam expugnandi huius morbi & causarum à quibus proficiscitur, curandi methodum, etiam ad quæcunque concomitantia symptomata animum conuertat: qualia sunt præcipuè febris illa ardens, dolor immensus, vigiliæ perseuerantes, ischuriæ vel dysuriæ coniunctæ, ex quibus magnum in hoc affectu sæpe periculum accersitur. Quod ad febrem itaque, dolorem ex inflammatione & distentione ortum, & vigilias illas attinet, certum est iam adducta à nobis vacuantia & alterantia plurimùm posse ad eorum mitigationem. Quibus addes admota illa omnia hepati, cordi, & cerebro, quæ æstum illorum compescere possunt, epithemata solida liquidáque, inunctiones, & similia: necnon narcoticorum assumptorum, vel per clysteres iniectorum, vt philonij, confect. requiei dictæ, syrupi ex vtroque papauere, communis scilicet & rubri vsum, qui hîc frequenter repetendus, propter summam morbi violentiam. Glandes anodynæ dictæ, vel noduli ex vitello oui cum pauco opio, & succo hyoscyami, vel similibus confecti, & in anum immissi, plurimùm valent ad leniendos vesicæ dolores immoderatos.

Quòd si ἰσχουρία vel δυσουρία vrgeant, ad propria istorum affectuum capita erit recurrendum. Attamen hoc annotare possumus, δυσουρίαν cùm ex ardore vrinæ, vel permixtione puris hîc oriatur, sedari refrigerantibus, lenientibus, & modicè detergentibus sumptis per os, & in vesicam infusis per syringam. In ἰσχουρία verò minor est spes salutis. Nam si illa ob summam inflammationem & obstructionem renum oriatur, vix vllam illi opem adferre poterit Medicus, cum serum illud refluat in superiores venas: Sin verò ob insignem vesicæ tumorem, certè magna est etiam difficultas, potissimùm in viris, immittendi in illam inflammatam & distentam catheteris: quo solo tamen videtur vrina intùs contenta effundi posse. Est tamen in tam imminenti periculo aliquid audendum, & tentanda ex arte remedia attenuantia, detergentia & aperientia, quæ huic symptomati succurrere possunt, vt posteà dicemus. Iam enim ad tertium tractationis nostræ caput aggredimur.

CAPVT III.

De Vrinâ ſanguinolentâ, ſiue Mictu ſanguinis.

VRINÆ liquor, & eius contenta aliquando homogenea sunt, id est, eiusdem quasi substantiæ; quoniam cùm illa ortum suum perfectionémque nanciscuntur, & simul naturaliter profunduntur, vt sunt hypostases illæ, enæoremata, & nubeculæ toties ab Hippoc. recensitæ; aliàs heterogenea, alienigenæ & discrepantis naturæ; qualia sunt ea omnia, quæ præter naturam illi permisceri solent, siue ab vniuerso corpore, siue ab aliquâ tantùm parte, nimirum hepate, renibus, vesicâ & reliquis illi adueniant, vt sunt pinguedo, oleosa materia, varia ramenta furfuracea, laminosa, pilosa, carunculæ, pituita, arenulæ, pus, sanguis, & similia: Quorum excretio ægris ac Medico horrenda, summas interni habitus calamitates portendunt, ad quarum perquisitionem toto statim animi conatu conuerti debet: vt ingruentes illas ruinas arte Medicâ præuertere conetur: Vel certè futurum ægri euentum accuratè ex præceptis Hippocratis præsagire possit.

Quoniam igitur excreta ista præter naturam magis manifesta sunt vnicuique, quàm interiores illæ actiones vitiatæ, vel partium dispositiones, à quibus illæ proficiscuntur: ideò nunc generationem ac causas sanguinolentæ vrinæ, sequenti verò capite purulentæ, eáque omnia quæ ad διάγνωσιν, πρόγνωσιν & θεραπείαν illius faciunt, indagaturi: definitionem assignabimus, quæ futuræ tractationi conueniat.

Est itaque Sanguinolenta vrina, excretum præter naturam, seu illius liquor sanguine infectus solo vel permixto, diutiùs aut per interualla profusus, ab internâ solutione continui, aut aliâ dispositione morbificâ profectus.

Diximus esse excretum præter naturam, quoniam illius essentialis ratio non tam denotat mictionem deprauatam aut alio modo læsam, quàm vitium rei illius quæ meiendo excernitur. Non enim est necessarium, dum sanguis per vrinas profunditur, actionem illam semper esse vitiatam manifestè & sensibiliter, vt loquuntur, quandoquidem multos videmus eiusmodi vrinas diutiùs excernere indolenter, ac sine vllo impedimento. Est autem excrementum istud præter naturam, ratione potissimùm contenti, nempe sanguinis & aliarum rerum quæ vrinario liquori permiscentur: Quamuis enim hic affectus dicatur aliquando mictus sanguinis, non tamen existimandum est, purum & putum sanguinem effundi, sed permixtum serositatibus illis, quæ in vesicâ quotidie colligu ntur, & diluunt eiusmodi materiam sanguinolentam, vt facilè excerni possit: cuius exigua portio magnam seri istius copiam suo colore inficere potest. Quotiescunque enim contingit, tantam esse sanguinis in vesicam effusi quantitatem, vt longè serum illud vrinarium superet, toties etiam subest periculum non excretionis immodicæ aut deprauatæ, sed suppressionis potiùs & retentionis istius materiæ sanguineæ, quæ in ampliores corporis sinus effusa facilè grumescit, & in crassiores thrombos conuertitur: vnde grauissimi affectus, & in vesicâ ἰχουρίαι lethales, & malignis comitatæ symptomatis inducuntur, vt nos suo loco dicemus. Neque etiam intelligendum hîc de eâ puri sanguinis excretione, quæ contingit ex interiori penis meatu aut vasis seminariis, quia fit sine vrinæ permixtione, aut vllo voluntatis imperio; quamuis eandem cum istâ curationem suscipere possit.

Hic igitur liquor sanguine infectus est solo vel cum aliis permixto, vt pure, ramentis variis, sabulo, & similibus: prout à variis causis proficiscitur: Tunc enim maximè est sincerus, quoties à ruptis aut apertis venulis, vel partium imbecillitate emanat, quoniam nihil adhuc de illarum substantiâ, aut aliorum in corpore contentorum detritur: Vbi autem à confricante calculo vel crassioribus sabulis illud contingit, aut ab erosione, tumore præter naturam suppurato, & similibus, toties etiam vel arenulæ ab ipso calculo derasæ, vel ramenta varia καρυίδες, ἰσχιακίδες, pelliculæ, furfuraceæ laminæ, carnea corpuscula, aut etiam pus permisceri & complicari potest, ita tamen vt maior sit sanguinis portio, & longè alia superans. Quemadmodum enim vrina purulenta dicitur, quotiescunque illius liquor, puris

puris magnâ copiâ est infectus, quamuis guttæ aliquot sanguinis aut filamenta in illo appareant; sic à maiori sanguinis portione, quamuis aliis rebus permixti, fit vrinæ sanguinolentæ denominatio.

Debet etiam hic sanguis diutiùs, aut per interualla & quasi recurrentes periodos excerni, vt vrinæ istam tribuat appellationem. Si enim semel tantùm, aut per exiguum valde temporis spatium vrinæ rubro colore perfundantur, credibilius est ab intemperie partium calidâ, aut permixtione bilioſi illius & rufescentis succi tinctas fuisse, quàm gratissimi istius humoris, quem non solet natura, nisi coacta ab exuperante eius quantitate, vel inducta qualitate quadam noxiâ, aut certè vi morbificæ alicuius dispositionis, per has potissimùm vias profundere, (quæ non sunt loca conferentia, aut huic rei dicata, vt posteà meliùs patebit.)

Superest igitur vt videamus, à quibus causis, & ex quibus potissimùm partibus sanguis iste cum vrinâ profundatur, vt hinc totam rei istius cognitionem, & solidiora curationis fundamenta faciliùs deducere possimus.

Cùm igitur sanguis naturaliter, vel in cauitatibus cordis & hepatis, vbi concoquitur & elaboratur, vel in conceptaculis venarum & arteriarum contineatur: oportet aliquid præter naturam ipsis aut contento sanguini contigisse, vt inde effluat genialis iste humor totius corporis nutritioni dicatus. Ex cauitatibus quidem cordis, aut hepatis substantiâ profundi non potest, nisi cum præcipiti vitæ periculo, suffocatione scilicet aut exolutione caloris natiui, vt patet, ac proinde parum illa affectio sub Medici cognitionem venit. Ex venis autem aut arteriis effluit, quia naturalem illam substantiæ suæ continuitatem amiserunt, cuius operâ liquidiorem istam materiam, vasis instar, suo coërcebant termino. Oportet itaque istam continentium partium, aut rei contentæ dispositionem esse immutatam, quoties sanguinis liquor ab illis effunditur. Id autem dupliciter fieri potest in vasis, vel ratione contiguitatis pororum suorum, quibus naturaliter prædita sunt, dilatatorum scil. nimis, aut diuulsorum; vel ratione continuitatis illius, quæ mathematica siue contactûs propriè dicitur, amissæ per vulnera, disruptiones, & vlcera in extremitatibus vel medio earum tractu contingentia. Vnde Galenus eleganter quatuor constituit causas proximas & immediatas omnis hæmorrhagiæ, tam periodicæ, criticæ, quàm symptomaticæ, διαπήδησιν, ἀναστόμωσιν, ῥῆξιν & διάβρωσιν. Quarum duæ vltimæ veræ sunt & manifestæ solutiones continui; aliæ solutiones potiùs contigui, quas Practici nostri vocant *occultas*. Istarum itaque omnium exempla & causas in proposito hoc affectu inquiramus.

Διαπήδησις ergo, quæ nihil aliud est, quàm transcolatio sanguinis serosioris, contingere potest in renibus aut partibus illi superioribus, vt hepate & similibus, (nam vesica ob substantiæ suæ firmitatem, & venarum occultationem, parum huic affectui exposita est) quotiescunque imbecilliores factæ sanguinem continere non possunt, aut certè propter illius tenuitatem, vasorumque raritatem & laxitatem præterfluit aquosus, ichorosus, & sudoris instar transcolatus. Quemadmodum enim naturaliter, ad singularum partium nutritionem roris instar è venulis ipsis in spatia partium nutriendarum deriuatur: sic præter naturam mutatâ sanguinis ipsius διαθέσει, aut partium dispositione effluere potest; vt in hydropicis videre est, & quacunque iecoris ἀλοήσει, per quam non solùm fæces aquosæ & loturæ carnium simillimæ profunduntur, sed & vrinæ rubricantes sero sanguineo permixtæ. In summâ etiam renum infirmitate, quoties non secernunt accuratè materiam serosam à sanguine laudabili, vel secretum retinere & sibi apponere nequeunt, aut certè propter summam istius partis aut aliarum inflammationem & compressionem, effluit illud ἰχωρῶδες, quasi expressum, vt dicebamus ex Hippocrate, eique simile quod è carnibus assis vel contusis effluere videmus. Ac proinde illa διαπήδησις ad partium imbecillitatem, vasorum dilatationem, expressionem, aut summam sanguinis tenuitatem, solas vel complicatas referenda est: Quæ rursum à multis aliis causis suam originem repetere possunt, vt satis patet.

Ἀναστόμωσις verò, quæ est osculorum in extremis venarum aut arteriarum finibus positorum apertio; à ῥῆξει eo differt, quòd ruptiones istæ in ortu, seu intermedio vasorum tractu contingunt, & quòd eiusdem ῥῆξις præter naturam semper contingat, cùm ἀναστόμωσις sæpissimè à naturâ etiam commodis suis addictâ instituatur: quotiescunque periodicas illas & criticas hæmorrhagias ad deplendam humorum copiam instituit. Habet tamen causas ferè easdem, vt docet Galenus 5.

Meth. Quoties enim ſanguis multitudine ſuâ valde exuperat, aut propter ebullitionem & agitationem nimiam vaſa admodum diſtendit, eáque teneriora adhuc & patentibus orificiis prædita, vel certè ab externis cauſis vulnerantibus, contundentibus, diuellentibus, violenter affecta; toties periculum eſt ne ῥῆξις vel ἀναστόμωσις venarum contingat, non ſolùm in naribus, vtero, hæmorrhoidibus, quæ ſunt viæ naturales & conſuetæ, ſed etiam in variis corporis partibus, vt pulmonibus, ventriculo, renibus, & ſimilibus internis, per quas deinde ſanguinis purpurei & rutilantis magna copia, eáque confertim effunditur: vel etiam per interualla & certas periodos, ſi naturâ duce illa vacuatio inſtituatur. Vnde videmus mulierculas quæ non purgantur per vterum, athletas, reliquoſque homines plethoricos, vt eos quibus inſigne aliquod corporis membrum fuit detruncatum, vel conſuetæ à naribus aut hæmorrhoidibus hæmorrhagiæ ſuppreſſæ diutiùs, ruptionibus & apertionibus venarum valde eſſe obnoxios, quoties potiſſimùm commouentur labore forti, vt eſt apud Hippocr. *lib. de intern. aff.* irâ, crapulâ, vomitu violento, ingenti vociferatione, aut certè grauiori caſu, ictu, ſaltu, oneris geſtatione, & ſimilibus afficiuntur. Idem aliquando præſtat frigus vehemens violenter conſtringendo, quod ideò ab Hippocrate *Aphor.* 24. *ſect.* 5. φλεβῶν ῥηκτικὸν & αἱμορῤῥαγικὸν dicitur: necnon intenſior æſtus ſanguinis ebullitionem faciendo; vnde etiam *Aphor.* 29. *ſect.* 3. iuuenes ad vigeſimum quintum vſque annum, non ſolùm ſanguinis ſputationi, ſed etiam cuiuis hæmorrhagiæ valde habentur opportuni, quia tunc ſanguis maximè efferueſcit. Ergo cùm his omnibus cauſis expoſiti ſint tum renes, tum veſica, aut certè excipiant aliquando materiam ab aliis partibus, propter iſtas diſpoſitiones effuſam, patet etiam quòd eiuſmodi excretiones & affectûs in iſtas partes incidere poſſunt.

Eodem modo διάβρωσις ſeu ἀνάβρωσις in renes & veſicam continget, quotieſcunque cauſæ erodentes, vlcerantes, putrefacientes, aut quocunque modo ſubſtantiam vaſorum aut proprij parenchymatis abſumentes, illos afficient tam externæ quàm internæ. Externæ ab aſſumptis potiſſimùm alimentis, medicamentis aut venenis, acribus, mordacibus, ſalſis, & deleteriis, vt arſenico, cantharidibus, lepore marino, & aliis quæ potenter illud præſtant. Interea, vt calculus, vel craſſiores arenulæ confricando, & atterendo; tumores phlegmonoſi, præcipuè quando ſuppurantur, vulnera poſt ruptionem, inciſionem vel anaſtomoſin putreſcentia, vt ſæpe contingit ob ſordes ibi collectas; vel humores quicunque putridi, ferini & ſalſi, qui in has partes deriuantur ex toto, vt per febres; vel ex aliquâ parte malè affectâ, vt cerebro ſtillationibus obnoxio, thorace ſuppurato, iecore feruidiore, & ſimilibus: Quorum omnium cognitio ex ſuis ſignis eſt repetenda. Iam ergo ad διάγνωσιν accedamus.

In propoſito itaque affectu diligenter exploranda & dignoſcenda pars affecta, affectûs cauſa, & illius ſpecies, vt inde therapeiam conuenienter ſtatuere poſſimus. Etenim pro variâ iſtorum omnium ratione, diuerſa admodum & diſcrepans exiſtit, vt poſteà videbimus.

Vtrùm igitur iſta ſanguinis excretio ex renibus aut veſica per idiopathiam affectis, vel tantùm materiam iſtam aliunde excipientibus contingat, agnoſcemus ex proprio ægri ſermone conquerentis de loco doloris ſui, aut fluxionis variæ, proüt hîc vel illic ſentitur; Item ex cauſarum omnium tam prægreſſarum quàm præſentium ſtatu. Ac proinde ſi triſtis quædam ſenſatio afficiat iecoris vel lienis regionem: ſi inflictum fuerit priùs in thoracem, aut aliam quamuis partem vulnus, cui ſtatim ſucceſſerit cruenta illa mictio: ſi hæmorrhoidum aut menſtruorum conſuetorum adſit diuturna ſuppreſſio: & ſimul cum iſtarum partium querimoniâ augeatur dictus affectus, atque illâ ceſſante conquieſcat: certè magnam habebimus coniecturam, ſanguinem iſtum qui vrinario liquori ſolus vel aliis comitatus permiſcetur, ex iſtis partibus in ductûs vrinarios transferri, ac meram eſſe ſympathiam materiæ, vt loquuntur, communicatæ. Vbi verò hæc omnia abſunt, conuertendus ſtatim animus ad partes iſtas ſecernendæ, continendæ, & expurgandæ vrinæ dicatas, vt propriam affectûs ſedem inueniamus, vtrùm ſcil. in renibus, veſicâ, vreteribus, meatu vrinario, aut vaſis ſpernaticis ſubſiſtat, quod excreti quantitas, qualitas, & excernendi modus valde faciunt manifeſtum, cum doloris ſitu ac proprietate. Quod ad vrethram ergo ſiue meatum vrinarium, vaſáque ſpermatica ſpectat, quamuis ex eorum malis conſtitutionibus, vt conatibus Venereis, apertione, ruptione, aut eroſione ſanguis effundi poſſit, illud tamen fit ſine

mictione

mictione vllâ, vt diximus, & ſanguis vel pus ibi collectum ſincera excernuntur cum doloris ſenſu, aut ſaltem titillationis cuiuſdam circa loca illa radici virgæ & perinæo proximæ. Et ſic facile eſt de iſtis iudicare: ideò immiſſus catheter, candela cerea, aut quid ſimile quaſi digito monſtrabit proprium affectionis ſitum.

Vtrùm verò ex renibus, veſicâ, vel vreteribus emittatur, ita conijciemus. Primùm impoſſibile eſt ſanguinem exire ab hiſce partibus ruptis, apertis vel exeſis, quin aliquis ſubſit dolor, vel ſaltem quaſi diuulſæ partis ſenſus. Ac proinde ſi ſenſus ille ſit verſùs lumborum regionem, renes; ſi in hypogaſtrio, veſicam. Si in illo tractu qui à dorſo verſus ſcrotum protenditur, vreteres affectos eſſe dicemus: & ſi dolor ille ſit grauis tantùm, credibile eſt parenchyma carnoſum, quale eſt in renibus; ſi pungens, membranoſam ſubſtantiam, qualis eſt in veſicâ, pati. Atque impoſſibile eſt magnam ſanguinis quantitatem ex parte exangui ac ſpermaticâ, qualis eſt veſica & vreteres, profundi: Neque ſanguinem ita exquiſitè vrinario liquori eſſe confuſum, quoties ex veſicâ effunditur, vt ex renibus, quia in longo illo viæ tractu accuratius permiſcetur. Item vix fieri poſſe videtur, vt ſi externo vulnere id fiat, quod vnicuique notiſſimum eſt, vt ex venis vreterum aut veſicæ exilibus & accuratè contectis, per tranſcolationem, ruptionem vel anoſtomoſin ſanguis effundatur, ſed per ſolam eroſionem, ab aſſumptis venenis, & humoribus malâ qualitate, vt ſalsâ, acri, putredinosâ, vel deleteriâ præditis factam, aut à calculo contundentè & deradente eorum ſubſtantiam. Ac proinde quoties ſanguinem paucum, tenuem & ſeroſum, ſed exquiſitè permixtum, præ imbecillitate partium effundi contingit: Quoties repente copioſus ſanguis poſt laborem, vociferationem, iram, & ſimiles cauſas meiitur: vel criticâ quadam expurgatione aut periodicâ per vrinas effunditur: Credibile eſt affectum, qui proxima eſt huius mictionis cruentæ cauſa, potiùs in renibus præditis multo ſanguine, & vaſis in ſinum interiorem conniuentibus eſſe poſitum, quàm in vreteribus aut veſicâ.

Vt autem iſta meliùs ſtabiliantur, ſummi Hippocr. authoritas ex aphoriſticis oraculis adducenda 78. *ſect.* 4. *Quicunque*, inquit, *ſanguinem ἀπὸ ταυτομάτου, ſponte & repentè mingunt, ijs à renum venâ diſruptâ fluere ſignificatur*: Vt enim ibi interpretatur Galenus, impoſſibile eſt in veſicâ venam ex influentis ſanguinis abundantiâ rumpi, quoniam in illâ ſanguis paucus, & venæ admodum contectæ exiſtunt. Ac proinde nonniſi ab exeſione ſanguis à veſicâ profunditur, quam vlceris ſigna, dolor nempe, ſanioſæ materiæ ac ramentorum excretio antecedunt, vt eſt *Aphor.* 80. *ſect. eiuſd. Si ſanguinem mingant*, inquit, *& thrombos, ac ſtranguriam patiantur, cum hypogaſtrij & perinæi, dolore, veſicæ partes laborant*: Et multò clariùs. 81. *ſect. eiuſdem, Si ſanguinem & pus minxerint, cum ſquamulis & graui odore, veſica, tunc exulceratio ſignificatur.* Ergo exulceratio & ſubſtantiæ attritio, à calculo tam renibus quàm veſicæ contingere poteſt, quam pus, ſanioſa materia, ramenta varia, & carunculæ aliquando præcedunt vel comitantur. Doloris autem ſenſus & ſitus, in quam iſtarum partium contigerit, diſtinguunt. Tranſcolatio autem, vaſorum apertio, & ruptio ſolis renibus propter dictas cauſas accidere poſſunt.

Tranſcolationem agnoſcemus tenuitate ac paucitate ſanguinis vrinæ permixti, propter imbecillitatem aut laxitatem iſtarum partium, quam variæ diſpoſitiones morbificæ induxerunt, vel ſanguinis ipſius crudioris & ſeroſioris tenuitatem, vt dicebamus. Anaſtomoſin verò, quia aperta venarum oſcula profundunt rubrum & laudabilem ſanguinem, ſed id periodicè plurimum vel criticè, dum natura portionem humoris diſtendentis vaſa, ſuo commodo & leuatione per has vias profundit, eâque depletâ ſtatim ſubſiſtit. Ruptionem verò eorundem vaſorum, quia derepentè & magnâ copiâ ſanguis profunditur laudatiſſimus, cum magno vitæ periculo, niſi artis beneficio cohibeatur: præterea vel ſumma præceſſit plethora, vel ingens agitatio & diuulſio corporis à ſaltu, caſu, ictu, & ſimilibus violenter agentibus. Exulceratio autem quamuis magnam ſanguinis quantitatem aliquando effundere poſſit, non tamen ſubitò, ſed progreſſu temporis, vbi peſſima illa materia profundiùs in vaſorum tunicas aut partis ſubſtantiam inuaſerit: ac proinde facilè à ruptione diſtinguetur. Adde quòd cauſæ illæ ruptionis violentæ, tam internæ quàm externæ, ſatis oſtendunt naturam affectus quem pepererunt. Vbi tamen ruptioni velut ſimplici vulneri ſordes tandem additæ fuerint, vt ſæpe fit, complicatus erit affectus, cuius etiam ſigna ex cauſarum illarum & excretorum coniunctione erunt manifeſta.

Quæ

Quæ rursum sint causæ istæ διαῤῥήξιος, ἀναῤῥώξιος, ruptionem aut erosionem in renibus vel vesicâ efficientes, augentes vel conseruantes; vtrùm sanguinis qualitas vel quantitas, succorum aliorum permixtio, sanioſi, acrioris, virulenti & sinceri humoris effusio in has partes, calculus, &c. vtrùm extrinsecus aduenientia, assumpta, admota, vel violenter agentia, cum manifestâ continui solutione, erit inquirendum accuratè ex particulari, tam natiuâ quàm aduentitiâ ægri constitutione: ex causarum internarum & externarum statu: ab effectis aliisque omnibus rebus, quæ simul ab hisce causis produci possunt: Necnon signâ præsentis calculi, aliorúmque morborum, qui occasionem huic præbere quoquomodo possunt, erunt diligenter animo reuoluenda: vt perfectam istius rei διάγνωσιν stabiliamus, quòties in consultationem venerit.

In ipso autem Prognoseos limine, adducamus primùm, Hippocratis, *ex secundo Prorrhetico* contextum huic rei dictatum: *Sanguinem*, inquit, *mingere, rarò quidem & sine febre ac dolore, nihil mali significat, sed lassitudinum solutio existit. Si verò sæpius mingat, & aliquid ex hiis accesserit, malum est. Verùm prædicere oportet, sine cum dolore mingatur, sine cum febre, fore vt insuper pus mingat, ac tunc dolor sedetur.* Ex hisce Hippocratis verbis colligere est, periodicas esse aliquando hæmorrhagias per ductûs istos vrinarios, quibus natura ad tollendas repletiones vtitur, ac proinde multis hominibus absque periculo contingere posse: Quod Aretæus *cap.* 3. *lib.* 2. ipse confirmat, & Paulus *lib.* 3. *cap.* 15. ab Archigene scriptum refert, quibusdam per circuitûs sanguinis profluuium ex renibus fieri, quemadmodum per ora venarum in ano quas hæmorrhoidas dicunt: *Si enim*, addit Aretæus, *istis hominibus nihil suâ periodo effluxerit, capite dolent, caligine oculorum tentantur, intumescunt, & melancholicis vexantur symptomatis.* Ita vt non sit omnino tantis viris deneganda fides, vacuationes istas sanguinis per vrinas aliquando esse posse periodicas at criticas, naturæ laudabili conatu factas, per apertionem osculorum illorum quæ in extremitatibus venarum renis posita sunt. Attamen verius est vt plurimùm istas hæmorrhagias vrinæ periculosas esse, quia summam corpori imbecillitatem ac maciem breui inferunt, vel eandem præsentem indicant, quoties per διαῤῥήξιον fiunt, vnde hydrops, si non adsit, citò accersitur: Et cùm loca ista non sint conferentia, nec à primâ conformatione ad sanguinis plethoram vacuandam instituta, certè timendum est, ne hic naturæ motus damnum inferat, vel exolutiones, quoties copiosior est vacuatio; vel suffocationes, quoties, sanguis iste extrauasatus subsistit in cauitatibus istarum partium, & ibi putrescens aut grumos contrahens, pessima inducit accidentia, vt patet.

Vt ergo anastomosis quodammodo est ferenda in plethoricis aut consuetis hominibus; sic ruptio & erosio semper funesta: quia istæ solutiones continui, internæ potissimùm, neque ad manum positæ, difficilè tractantur, sanguis profluens ab illis nonnisi ægrè sistitur, & sordes ibi citò colliguntur, vnde putrilaginis & malignorum vlcerum metus impendet, ad quæ febris colliquans & marasmodes subsequitur.

Vidimus sæpiùs ex ruptâ subitò in renibus venâ, tantam profluxisse sinceri sanguinis copiam, vt vesica eo in thrombos concrescente distenta ἰσχυρίαν pateretur, à quâ mors breui subsecuta est. Et quemadmodum in pulmonibus ob perpetuum motum, vasorum ruptiones aut erosiones vix curationem recipiunt: Sic in istis partibus propter publicum illud munus expurgandi seri quo perfunguntur, difficilè admodum: Cùm etiam ipsa medicamenta in tantâ viæ longitudine nonnisi refracta & penè viribus destituta eò vsque deferantur.

Verùm dicet aliquis, ex Hippocratis sententiâ in superiore contextu adductâ, vbi ex sanguinis mictione, puris consequitur mictio, dolores sedantur, ac proinde affectus soluitur, aut saltem mitescit, neque tantum adest periculum. Ad id respondemus, Hippocratem in hoc contextu non tam respexisse ad eos morbos & incommoda, quæ consequuntur puris generationem & secretionem in his partibus, quàm simplicem doloris ex causâ istâ, quæ sanguinis fluxum concitauerat, inducti sedationem: Nam certum est siue sanguis ob distentionem, contusionem, aut incisionem vasorum istorum profluxerit, siue contractam in illis phlegmonen, doloris non esse sedationem, donec materia illa quæ effusa erat, concoquatur & excernatur per vrinas, facto enim pure febres & labores conquiescunt. At nouus ille morbus qui exoritur, nempe vlcus, summam deinceps infert molestiam, cuius tamen ibi rationem non habuit Hippocrates, cui de sanguinis tantùm mictu differere erat propositum. Atque hæc de Prognosi.

Indicationes

Indicationes autem therapeuticæ in ſanguinolentâ hac miction̄e reſpicere debent ſpeciem affectûs, à quo proximè excitatur, illius omnes cauſas, & partis tam primariò quàm ſecundario affectæ naturam. Ratione itaque affectûs, quoties ſanguis per διαπήδησιν effluit ἄλοιτα ipſius hepatis & renum, ſeu propter eius tenuitatem & vaſorum laxitatem, roborantia, incraſſantia & adſtringentia tam ſumpta quàm admota conueniunt: Et quia in eiuſmodi ſanguineâ miction̄e, maius impendet periculum ex parte natiui caloris debilitati, vel collapſus facultatis illius nutritioni dicatæ, ad quem hydrops, tabes, & ſimiles affectûs conſequuntur, quàm ex parte ipſius ſanguinis qui excernitur: ideò illorum tunc præcipua erit habenda ratio, quemadmodum capite de iecoris imbecillitate ſeu hepatitide docuimus. Sin verò ſanguis per ἀναστόμωσιν, reſerationem ſcilicet oſculorum in renibus criticam effundatur, ſuus naturæ motus per aliquod tempus erit permittendus, ne materia iſta concitata, in aliquam partem nobilem refluat, & ibi peiorem multò priori affectionem inuehat: mox ſedandus, ſi ſuperfluat per ea quæ deinceps de aliis dicentur. Sin periodicè & certis quibuſdam interuallis illud contingat, auertenda erit eiuſmodi periodus, & quaſi anticipanda per diætæ parcioris vſum ac venæ ſectionem aliquot antè diebus adhibitam, per ἐπίκρασιν & quaſi partitis vicibus, vt plethora illa minuatur, & in alia loca ſi fieri poſſit, ſenſim iſte fluxus tranſferendus, vt in hæmorrhoidas in viris, vel in vterum in mulieribus, quoniam iſtæ viæ magis ſunt accommodatæ, & ſanguis per illas effluens, faciliùs quando opus eſt ſiſtitur, nec adfert illa pericula ἰσχυρίας, grumorum, exulcerationis, putredinis, & ſimilium quæ in iſto contingere poſſunt.

Sin verò per exulcerationem ſeu eroſionem ſanguis meïatur, vtpotè ab inducto vlcere, vel atterente calculo: ad ea recurrendum quæ ſequenti capite à nobis dicentur, & in tractatu de calculo diximus. Si enim ſanguini pus iam permixtum ſit, vt lenioribus primò tergentibus illa illuuies erit auferenda: ſic glutinantibus & adſtringentibus mixtis, aut poſteà adhibitis ſanguinis fluxus nimius erit cohibendus. Si cum calculo ſanguinis fluxus ſit complicatus, ita vt calculus illius cauſa deturbandus videatur, illud erit præſtandum diureticis quibuſdam & lithontribis leuioribus, adhibitâ priùs reuulſione per phlebotomiam, cucurbitulas, & ſimilia auxilia: neque illud erit præſtandum iam debilitatis viribus immodicè, quia penitus conciderent, ſed in principio, dum illa excretio ſanguinis nondum eſt valdè pertimeſcenda: Vrgentioris itaque ratio ex præceptis Galeni perpetuò habeatur. Quòd ſi illa eroſio à venenatis rebus, vt cantharidibus (non ſolùm aſſumptis, ſed etiam admotis, vt ſæpe obſeruauimus) aut ſimilibus accideret, tunc illa acrimonia in primis reprimenda aſſumpto copioſiùs lacte tepido, hordeatis, amygdalatis, emulſionibus ſeminum frigidorum, clyſteribus refrigerantibus & mollientibus: iniectionibus per ſyringam in veſicæ ſinum, ex hordei decocto, ſucco burſæ paſtoris, & ſimilibus: Mox adſtringentibus vtendum, quæ ſimul deleteriæ qualitati reſiſtunt, vt bolo Armenâ, terrâ ſigillatâ, carabe, & ſimilibus.

Quoties verò ſanguis ex ruptione venarum, ſiue in renibus factâ, ſeu in aliquâ ſuperiore corporis parte, excernitur; toties ratio ipſius ſymptomatis diligenter habenda, quia magno impetu & copiâ ſolet effluere ſanguis per ruptam venam aut arteriam. *Quod tamen valdè eſt rarum, ob illius craſſitiem & firmitatem.* Siſtendus erit non tam per refrigerantia aut adſtringentia aſſumpta vel admota circa morbi principium, quia metus eſſet ne ſanguis iſte ſubitò cohibitus in cauitatibus corporis noſtri ſubſiſteret, & ibi in thrombos coaleſcens, magna inferret incommoda, vt iam diximus: quàm per vacuantia internas cauſas, reuellentia, & deriuantia, vt deinceps agglutinantibus & ſtypticis conuenienter vſurpatis ſoluta iſta vnitas coaleſcat. Sed quoniam iſta perfici nequeunt, niſi cauſis omnibus externis in conuenientem ſtatum adductis, ne aliquod in poſterum curanti Medico impedimentum adferant; Ideò conſtituenda erit in primis accurata victûs ratio, quæ omnem hac in parte errorem tollat, & tam prophylaxi futuri vel imminentis affectûs, quàm therapeiæ, præſentis ſcilicet curationi inſeruiat.

Ergo rerum omnium non-naturalium diligens habeatur ratio, nequa illarum vel ſanguinis impetum augere poſſit, vel vulneris ora dilatare. Aëris omnes intemperies corrigantur. Vt enim calidior ebullitionem ſanguinis inducit; ſic frigidior violenter compingit humores versùs internas haſce partes ſolutione continui laborantes. Debet tamen aër ad frigidiuſculam quodammodo conſtitutionem vergere: quia, vt eſt apud Hippocratem, *Aphor.* 37. *ſect.* 7. refrigeran-

tibus & adſtringentibus curatio perficitur. Ventorum impetus, Lunæ & Solis radios effugere etiam debent, ne aliqua fluxio ab hiſce commoueatur. Domus etiam ne ſit clara admodum & illuſtris, quia lux nimia humores concitat, nec coloribus potiſſimùm rubris exornata, quia per quandam cognationem ſanguinem commouere creduntur. Balnei vſus cuiuſuis ſit omnino interdictus, quia liquando & humectando facit fluere humores, eóſque in partes affectas deducit. Vigiliarum & ſomni adſit mediocritas; illæ enim exagitant nimiùm; huius verò diuturnitas nimis trahit & remoratur ſanguinem circa interna hæc viſcera, præcipuè in lecto molliori & culcitris calidioribus ſtrato, quæ eandem & renes nimis calfaciunt. Lenibus ſæpe clyſteribus ac molliſſimis ſollicitetur aluus, ſi non ſponte fluxerit, quoniam ex induratis fæcibus maior diuulſio, & in illo egerendi conatu metus ne ruptio iſta venarum aut apertio augeatur. Conſuetæ aliæ vacuationes etiam non negligendæ, vt portionem materiæ iſtius fluentis auferant. Eodem modo vitandus omnis corporis motus, labor & exercitatio, potiſſimùm coitus. Vociferatio etiam & nimia locutio, quia per conſecutionem quandam etiam partes iſtas exagitant. Animi affectus, vt ira, gaudium immoderatum, & ſimiles temperandi ob eaſdem cauſas.

Quod ad alimenta attinet, ſi robuſti adhuc ſint, inedia adhibeatur, aut ſaltem parcus admodum victus, vt parum ſanguinis generetur, & reliquæ partes minùs ad affectam mittant. Aliter offerantur refrigerantia actu & poteſtate talia, adſtringentia & glutinantia; vt cremor ptiſanæ, amylum cum lacte coctum, amygdalatum ex decocto ſeminum portulacæ & plantaginis paratum cum ſaccharo roſaceo, addendo ſemper grana vel ſuccum mali punici: item mala cydonia, pyra, poma auſtera cocta ſub cineribus & refrigerata. Mica panis leuiter toſta, & aquæ roſaceæ guttis aliquot aſperſa. Panatellæ, gelatinæ, oryza, ſemola, iuſcula pullorum alterata foliis oxalidis, portulacæ, plantaginis, & granis mali punici. Oua indurata & aceto imbuta. Piſces glutinoſi cum omphacio & pauco butyro, ſine oleo aut aromatibus parati. Pedes, capita ac inteſtina veruecum, hœdorum aut vitulorum ad putrilaginem coctorum, aceto aut omphacio intinctorum. Principio menſæ aſſumant perpetuò aliquid adſtringens, vt miuam cydoniorum, gelatinam ex ceraſis acidioribus, ſorbis, corneolis aut meſpilis confectam. Vitent omnia ſalſa, piperata, acria, frixa, pinguia, aperientia aut tergentia alimenta. Item πολύαιμα, quæ alibilis ſunt admodum ſucci, vt oua ſorbilia, carnes delicatas, & ex iis iuſcula, conſummata vel expreſſa: niſi quando proſtratis iam ſunt viribus, quæ refectione indigent. Parum bibant, & pro potu vtantur lorâ, vino tortitio, rubro & auſtero, cum aquâ pluuiâ aut ferratâ diluto: vel ſi adſit febris, interdicatur illis in totum vino, & prædictam aquam cum ſucco granatorum acidorum, vel ſyrupo myrtino potent.

His ita conſtitutis, ad maiora veniendum remedia, pro ratione cauſarum. Quoties igitur ſanguis in toto corpore exundat, aut propter ſummam ebullitionem efferueſcit, ita vt venarum ora diſrumpat, non eſt dubium quin ſtatim ſoluenda ſit plethora & eiuſmodi æſtus compeſcendus per phlebotomiam ex iecorariâ brachij dextri, non ſolùm reuellentem, led etiam vacuantem id quod naturæ negotium faceſſit. Quòd ſi non tam ſanguinis quantitas aut efferuenſcentia peccet, quàm præpoſterus quidam motus in haſce partes, aliquo dolore aut ſolutione continui iam affectas, phlebotomia quidem conueniet non vacuatiua, vt loquuntur, ſed potiùs euentatiua & reuulſiua, quæ in oppoſitum humores deducat, ſeruatâ rectitudine & vaſorum quadam communitate ac propinquitate. Ac proinde ſi affectio incidat in renem dextrum, vena cubiti dextri; ſi in ſiniſtrum, ſiniſtri aperienda erit exiguo foramine, & per interualla quædam, vt ſi hodie manè tres ſanguinis vnciæ eductæ fuerint, totidem vel duæ tantùm circa veſperam eliciantur, ac ſequentibus diebus repetantur, proüt ex vſu eſſe videbitur; ſic enim vires maximè recreabuntur, & naturæ inclinatio ſenſim mutabitur.

Intereà non omittentur ea quæ reuellunt & reuocant humores inſenſibiliter ad alias partes, ab internis ad externas, ab inferioribus ad ſuperas. Vt ligaturæ brachiorum dolorificæ, frictiones eorundem & ſcapularum, cucurbitulæ cum multâ flammâ dorſo & aliquando hypochondriis admotæ, ſi ſuſpicio ſit ſanguinem ex his partibus præcipuè transferri; quemadmodum natibus & oſſi ſacro, ſi veſica laborare videatur. Vtque iſta reuellunt fluentem materiam; ſic menſtruorum prouocatio in mulierculis, hæmorrhoidum in viris ita commodè deriuant aliquando

Digitized by Google

quando, vt deinceps vrinis suus color restituatur, præcipuè si ab horum suppressione sanguinolenta ista excretio originem suam ducebat.

Quoniam verò sæpissimè iuncta cacochymia potissimùm biliosa aut serosa iuuat admodum istam sanguinis excretionem, dum stimuli instar naturam proritat: Ideò huic etiam rei diligenter prospiciendum, & proùt res ipsa suadebit, cathartica quædam adstringentia & roborantia interuallis quibusdam præscribantur, quæ sine vllâ agitatione vitiosos humores expurgent, & istam partium dissolutionem corrigant. Ad id accommodatus erit rhabarbari puluis ad ʒ j. cum aqua plantaginis sumptus, infusum myrobalanorum citrinarum in decocto centinodiæ, cum ʒ ij. syrupi rosat. solut. trypheræ Persicæ, vel catholici optimè dispensati dimidiâ vnciâ, in formam boli cum saccharo rosaceo confecta: & similia, quæ prudens Medicus pro re natâ excogitabit.

Deinde ad cohibendum sanguinem, adstringenda venarum orificia, aut conglutinanda vulneris labra veniendum: quod refrigerantibus, incrassantibus, glutinantibus tam sumptis quam admotis perficietur. Non sunt tamen ista subitò, apparente sanguinis fluxu, molienda, ne citiùs quàm par sit cohibitus & incrassatus, is qui extra vasa est effusus alicubi grumescat, & ea symptomata inferat, quæ ex sanguineis thrombis exoriri consueuerunt.

Nihil autem habet præstantius Galenus ad quemcunque sanguinis fluxum compescendum, quàm plantaginis succum recenter extractum, & actu frigidum ad ʒ v. vel ℥ vj. manè & serò sumptum. Quòd si nimiam ventriculi refrigerationem timeas, decoquatur parum cum saccharo. Decoctiones etiam ex centinodia, equiseto, portulacâ & summitatibus rubi, cum tertiâ parte succi granatorum acidorum vel cydoniorum non parum ad hoc sunt efficaces. Si mauis, pulueres coralli rubri, terræ sigillatæ, boli Armeni (quæ ἴσχαιμα vocantur, quia sunt glutinantia) lapidis hæmat. benè præparati, dissoluantur in aquâ rosaceâ, cuius liquoris cochlearia aliquot assumat frequenter. Aut gummi Arabicum & tragacanthum cum pauco vino austero bulliant, quo vtatur vt superiore. Quidam diuretica, vt spicam & cinnamomum miniuâ porrione adstringentibus miscent, non vt vrinas moueant, sed vt reliquorum vim ad ductûs istos penetrare faciant. Aut paretur sequens opiata, cuius capiat quantitatem castaneæ vel iuglandis manè & serò, & superbibat parum aquæ ferratæ, vel plantaginis.

℞ Rad. symphyti saccharo cond. & conser. ros. antiq. an. ʒ j. ß sanguinis draconis veri, terræ sigill. boli Armenæ, coralli rub. pulueris lapidis hæmat. & trochisc. de karabe, an. ʒ j. hypocrist. granorum kermes, & plantag. an. ℈ j. confect. requiei dictæ, quæ valdè incrassat, ʒ j. ß Cum syrupo myrtino fiat opiata.

Vbi immoderatus est sanguinis fluxus, aut diutiùs perseuerans dissoluitur ℈ j. coaguli hœdi aut leporis in ʒ iij. aquæ rosaceæ. Coagulum enim dissoluta cogere, & coacta dissoluere creditur, vnde etiam in grumis sanguinis cum oxycrato, oxymelite, aut aquâ fœniculi exhibetur Ingraueſcente malo & iam concidentibus ægri viribus nihil præstantius habetur roborandis renibus conglutinandóque vulneri, quàm lac ouillum tepidum & recenter mulctum ad ʒ iiij. vel ℥ vi. cum ʒ ij. boli Armenæ manè per 15. aut 20. dies sumptum. Nam inter omnia lactis genera, istud magis crassarum est partium, & sero destitutum, Si deficiat eiusmodi lac, exhibeatur caprillum câdem quantitate, vstulatum cum silicibus ardentibus, vel chalybe ignito. Croeus Martis ab Empiricis commendatur. Ex pistaciis etiam ac pineolis mundatis, & cum semin. lactucæ ac portulacæ recentibus & mundatis, in mortario marmoreo contusis, conficitur cremor cum aquâ rosaceâ & saccharo rosato, qui ad hanc rem valde habetur idoneus, coctus ad consistentiam lactis amygdalini, & diu manè atque serò sumptus, cuius maiorem efficaciam experieris, si parum amyli adiunxeris. Albumina oui tria aut quatuor fortiter agitata, cum guttis aliquot aceti rosacei, & ℥ iij aquæ plantag: sanguinem citò compescunt: quibus addere potes prædictos pulueres boli armeni & terræ sigillatæ.

Vt igitur variis hisce remediorum formulis, & aliis quàm pluribus assumptis malum hoc oppugnatur: sic etiam externa non sunt omittenda, quæ huic rei opitulentur. Refrigerantia igitur & modicè repellentia in principio adhibenda, deinde adstringentibus validioribus ac glutinantibus pugnandum. Spongiæ, vel linteola tepente oxycrato aut etiam frigido madentia regioni renum aut earum partium à quibus fluere creditur sanguis, admoueantur: deinde vng. rosaceo cum pauco aceto, aut albumine oui cum oleo rosato inungantur subfrigidè & fre-

quenter. Bolus armena aceto roſaceo diſſoluta partibus ſanguinem fundentibus, atque etiam hepati commodiſſimè adhibetur. Si vis, paretur ſequens fotus & cataplaſma.

℞ Balauſtiorum, hypociſtidos, rad. biſtort. & ſymphyt. an. ℥ j. foliorum plantag. centinod. burſæ paſtoris, & millefolij, an. M j. granorum myrti, ſumach, & cupularum glandium, an. ʒ iij. roſarum rub. ſic. ſpicæ nardi ad penetrationem, & florum papaueris rub. ad incraſſandum, an. M.ß. Decoquantur in aquâ ferratâ & pauco aceto. Fiat fotus ſubfrigidus.

℞ Reſidentiam prædicti decocti, quæ piſtetur & coletur: deinde adde boli armenæ communis, & puluer. granorum kermes, an. ℥ j. olei myrtini parum. Fiat cataplaſma tenue ſuper linteolum rarum, & frequenter mutandum, ne ſuâ craſſitie incaleſcat nimium, aut partes iſtas grauet. Quâ de causâ rarò emplaſtris pro matrice, contra rupturam & ſimilibus adſtringentibus in hoc affectu vtimur, niſi in declinatione integrâ, vel præcautionis causâ ad roborandas & conſtringendas iſtas partes. Vnguentum tale parabitur, quoties ſuperiora non arridebunt.

℞ Succi plantag. vel ſanguinariæ ℥ ij. aceti ℥ ß olei omphac. ℥ vj. Bulliant ad liquoris conſumptionem: deinde adde ſang. drac. maſtich. corticis granat. an. ʒ. ij. caphuræ ʒ ß vng. Comitiſſæ ℥ j. ceræ rub. parum. Fiat linimentum; quo inungantur dictæ partes ſubfrigidè, addendo etiam aceti parum vnctionis tempore ad faciliorem penetrationem. Huic affectui portò amuleta etiam quædam aptantur ex iaſpide, corallo, cryſtallo, lapide hæmatite, mentha & ſimilibus circa regionem lumborum appenſis. Quæ omnia experiri licebit ad ſanitatem ægrotantibus iſtis conciliandam. Quòd ſi iam putrilago & exulceratio introducta ſit, vt ſæpe fit, in vulneribus iſtis internis, & effuſione materiæ ſanguinolentæ, recurrendum erit ad ſequentem tractationem.

CAPVT IV.

De Vrinâ Purulentâ ſeu Vlceribus Renum & Veſicæ.

ONGENERES duo ſunt iſti affectûs & ſibi ſuccedanei, Vrina videlicet ſanguinolenta & purulenta à vulnere atque vlcere profecta. Vt enim vulneri interno vlcus citò coniungitur; ſic à profundiore vlcere, ſiue partis ſubſtantiam ſeu vaſa tantùm occupet, multus ſanguis profundi poteſt, vt iam dictum eſt: ratione tamen dominantis ſanguinis vel puris, vrina denominationem ſuam ab hoc vel illo ſortitur.

Eſt ergo vrina purulenta, excretum præter naturam ex parte contenti, ſeu vrinæ liquor pure infectus ſolo vel permixto, & ab internâ exulceratione profecto. Dicimus eſſe excretum præter naturam ratione contenti, quia in vrinis neque pus, neque ſanguis, neque caruncvlæ, aut ramenta alia naturaliter apparent, ſed tantùm quoties affectus aliquis præter naturam in corpus noſtrum inciderit, à quo functiones iſtæ lædantur, quæ proxima ſunt cauſa excreti iſtius vitiati. Eſt autem materia iſta purulenta verè excretum præter naturam, quoniam illius generatio per modum putredinis fit, quæ inducta in ſanguinis extrauaſati, aut parenchymatis alicuius ſubſtantiam, quamuis concoctione deinceps miteſcat, nunquam tamen ad eum deduci poteſt gradum, qui naturæ noſtræ ſit omnino familiaris. Ac proinde niſi tempeſtiuè extra corpus, vbi facta eſt, excludatur, recrudeſcit denuò & peſſimas acquirit qualitates, quibus ægrotanti periculum minitatur.

Hæc autem materia purulenta, quia non ſolùm ex ſanguine, vt dictum eſt, ſed etiam ex partium ſubſtantiâ contusâ, inflammatâ, corrosâ aut alio modo affecta proficiſcitur; ideò non ſola, ſed permixta excernitur ſanguini, pelliculis, & ſimilibus ramentis partium affectarum, vt docet Galenus, pro earundem varietate. Etenim ἕλκωσις illa interna, quæ eſt parens & author huius excretionis purulentæ, ſupponit deperditionem quandam ſubſtantiæ in illis ex putri & malâ qualitate inducta.

Vbicumque

Vbicumque igitur exulceratio illa, & materiæ purulentæ collectio in corpore noſtro contigerit, ſi quidem à naturâ in vias haſce vrinarias protrudatur, vt ab empyemate thoracis, hepatis abſceſſu, meſenterij vomicâ & ſimilibus partibus, apparebit vrina illa purulenta, & ſanioſis iſtis excrementis imbuta, ſine vllo renum aut veſicæ affectu, niſi diutiùs illa excretio perſeueret, quia poteſt tandem ductus iſtos ſuâ primùm acrimonia pungere & inflammare, deinde corrodere & exulcerare, vt reliqui ſucci mordaciores in eis collecti, aut aliunde profecti. Quòd ſi nulla adſit partis alicuius inflammatæ priùs, ſuppuratæ, aut exulceratæ ſuſpicio & querela, ad quam velut primariò affectam referre poſſimus excretum iſtud præter naturam diu perſeuerans, & ea pathemata inferens, quæ deinceps à nobis deſcribentur: tunc ex Hippocratis ſententiâ *Aphoriſmo 75. ſectionis quartæ*, renum aut veſicæ exulcerationem accuſabimus: cuius iam cauſæ & differentiæ ſunt inquirendæ.

Cauſarum ergo exulcerationis renum ac veſicæ ſeriem ad procatarcticas, antecedentes & coniunctas referemus. Procatarcticæ ſeu euidentes, erunt illæ omnes quæ de foris venientes, interiores cauſas mouent vel generant. Vt ergo vlcera poſſunt eſſe primaria vel ſecundaria, & aliis morbis, vt vulneribus, contuſionibus, tumoribus ſuppuratis, phlyctænis, ſanguini extra vaſa effuſo, & reliquis ſuccedentia: Sic etiam agnoſcunt illa omnia quæ vulnerant, diuellunt, aut comprimunt violenter partes noſtri corporis, ad quorum affectus iſtæ diſpoſitiones conſequuntur, velut primarias ſuæ generationis cauſas. Item ea quæ aſſumuntur vel admouentur, inflammandi, pungendi, atque erodendi vi prædita: Vt deleteria omnia & venenata, quæ ad calidiorem præcipuè intemperiem vergunt, vel ἀλπαθάια quadam hiſce partibus ſunt infeſta: Medicamenta maligna aut malè præparata. Alimenta calidiora diutiùs vſurpata, vt ſalſa omnia, acria, amara, piperata, frixa; vini generoſioris, aut calce, ſulphure, & ſimilibus infecti copioſiores hauſtus, reliquaque omnia feruidioris & tenuioris ſucci. Vidimus etiam quibus admoto vnguento coli, perinæo, & regioni pubis, ad excitandos Veneris ſtimulos torpeſcentes, excitatum eſt graue & diuturnum vlcus in collo veſicæ. Quod frequentiùs multò contingere ſolet ex impuro illo concubitu cum ſcortis lue Venereâ correptis, non ſolùm meatus penis, & vaſorum ſpermaticorum loca, teterrimâ illâ virulentiâ inficiuntur, ſed etiam aliquando ipſa veſica & ductus iſti ad renem vſque pertingentes, per conſecutionem quandam & συμπάθειαν; quam iecori ipſi fuiſſe communicatam non ſemel obſeruauimus. Ad idem etiam multum iuuant ſuppreſſiones vel intermiſſiones illarum vacuationum, tam naturalium, vt menſtruorum, hæmorrhoidum; quàm artificialium, vt purgationis conſuetæ per medicamenta, fonticulos, &c. quæ excrementa & cacochymiam totius corporis aut partium expurgare ſolebant: fit enim illis retentis materia iſta deterior & prauis affecta qualitatibus, quibus deinceps partium internam ſubſtantiam non ſolùm alterat, ſed etiam erodit, quoties illarum ſpatia ſubintrat, aut in cauitatibus diutiùs moratur. Exercitationes verò violentæ ac laborioſæ: vigiliarum immoderantia: animi pathemata grauiora; ad iſtorum affectuum generationem concurrunt, eo potiſſimùm nomine, quòd interiores illas & antecedentes cauſas mouent ac præcipitant in has vel illas partes debiliores factas, vel caliditate aut dolore aliquo præter conſuetudinem affectas, ob quas facilè patiuntur ab irruentibus humoribus, vel illos etiam ex propriæ ſuæ coctionis errore colligunt. Fluxiones autem illæ excrementorum acrioram, ſalſorum. aut putrefactorum, quæ ſunt præcipuæ antecedentes cauſæ eroſionis iſtius, deriuantur in renes & veſicam, modò ex capite catarrhoſo, hepate calidiore, meſenterio obſtructo, & ſimilibus; modò ex collectionibus ſanici, puris, aut ichorum factis in thorace, pulmonibus, pleurâ, & ſimilibus, quæ impetu naturæ, in iſta loca compulſa euadunt continentes & coniunctæ vlcerationis renum ac veſicæ cauſæ. Pituita certè viſcida & ſalſa, quotieſcunque per hoſce ductus transfertur, magnam habet vim illos abradendi & excoriandi, tum propter longiorem moram & adhærentiam, vt loquuntur, tum etiam acuitatem & mordacitatem ſuam. Aliquando calculus firmiter reni infixus, dum commouetur & deturbatur; vel aſperior & anguloſus in tranſitu vreteras, veſicam & eius collum vulnerans & excorians, cauſa eſt eiuſmodi exulcerationis, quæ deinceps ſubſequitur; quemadmodum omnia vulnera & tumores in his partibus malè curata, quæ collectis ſordibus in vlcus degenerant.

Ac proinde vlcera iſta renes ac veſicam occupantia, non ſolùm à partibus ſiue

ſubiecto cui inhærent, differentias ſortiuntur: ſed etiam ab omnibus cauſis, propriâ eſſentiâ, & ſymptomatis quæ illis coniunguntur. Dicuntur enim primaria, vt dicebamus, quoties ab humoribus, vel aliis quibuſcunque rebus, acribus, ſalſis. & erodentibus excitantur: ſecundaria verò, quoties vulneri, ruptioni, aut apertioni vaſorum, puſtulæ vel tumori ſuppurato, calculo atterenti vel contundenti ſuccedunt. Item dicuntur phlegmonoſa, cancroſa, aut calloſa, quoties cum iſtis morbis complicantur.

Sanioſa autem, virulenta, putrida, & fœtentia, quoties cum magnâ excrementorum iſtorum colluuie coniunguntur: vel dolorifica & pruriginoſa, ſi eiuſmodi accidentibus vexentur ægri ſimul cum vlcere. Ratione verò eſſentiæ dicuntur magna vel parua, profunda vel ſuperficiaria, qualia ſunt illa quæ veſicam ipſam fatigare ſolent, vt eſt *Aphoriſm. 77. ſect. 4. & lib. de nat. hominis.* Nunc igitur ad ſigna accedamus.

Præcipua hîc cura eſſe debet circa cognitionem partis affectæ, & cauſarum morbificarum, quia vlceris natura & differentiæ illarum rationem proximè conſequuntur & imitantur. Ac proinde quod ad partem affectam ſpectat, doloris ſitus & proprietas primò oſtendent, cui iſtorum membrorum *idiopathicῶς* laborantium hæreat affectus, pro variâ enim poſitione renum, vreterum, veſicæ, & colli ſeu meatus vrinarij diſtinguet Medicus & æger, quis locus ſit affectus: dolórque profundus & obtuſus, renum parenchyma; lancinans autem & acutus, membranoſam quandam ſubſtantiam. Excretorum verò præcipua eſt vis ad detegendam affectus ſedem & naturam, vt dicebamus: ſiue excreta illa ſint partis ipſius portiunculæ, ſeu aliquid adhærens parti, ſiue naturaliter aut præter naturam ibi contentum, ſecundùm ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem variam, & excernendi modum. Ac proinde vrina puri permixta, & longiori tempore profuſa, vt eſt in Aphoriſmis, iſtarum partium exulcerationem demonſtrat, potiſſimùm ſi ſucceſſerit cruentæ mictioni. Vt enim à ſanguinis ſputo puris ſputum, ſic vrinam ſanguinolentam à ſimplici vulnere, contuſione, attritione, aut aliis cauſis, vt plurimùm ſequi ſolet puris per vrinam excretio. Cúmque pus illud pro varietate partium, varium etiam ſit & diuerſimodè conſtitutum, hinc etiam indicatur pars affecta & affectus differentiæ. Quoties enim notas illas habet ab Hippocrate recenſitas, vt ſit album, læue, æquale, & minimè fœtidum: toties indicatur coctionem eiuſmodi materiæ, factam eſſe à partibus calidioribus, carnoſis ſcilicet, aut parenchymate præditis, quæ illam ad conuenientem iſtum naturæ gradum reducere potuerunt. Ac ſi illud pus ſit copioſum & accuratè permixtum, ita vt lacti perſimilis vrina profundatur, quæque non faciat reſidentiam illam albam, niſi diu poſtquàm micta fuit: Hæc adhuc magis tenes vel partem aliquam ſuperiorem, ſuppuratam eſſe conuincunt, quæ ſanguinis multitudine & copioſo calore abũdet, ex quâ deuolutum pus accuratè in illo viæ ductu ſeroſitatibus confunditur. Contrà verò pus paucũ, neque ſatis permixtum, colore variegatum, crudum, & malè olens, oſtendunt vreteres aut veſicæ corpus laborare, quæ cùm ſint partes ſpermaticę & exangues, parum elaborandæ concoquendæque huic materiæ ſufficiunt. Ex collo autem veſicæ & canali vrinario, ſincerum ſæpiùs & ſine vrinæ mictione aliquando profunditur. Adde quod vbi eiuſmodi pus intra ipſam veſicam, aut eius collum exulceratum gignitur, perpetua adeſt dyſuria & doloris ſenſus, qui nullo modo poſt excretionem vrinæ ſedatur, ſed continuò hanc partem infeſtat. Perſeuerante eiuſmodi exulceratione, non ſolùm pus profunditur, ſed etiam ſi vlcus interiorem vaſorum aut partium ſubſtantiam penetret, ſanguis copioſus & qui difficilè ſiſti poteſt, ſæpiúſque ramenta ex partibus puri vel ſanguini permixta: Ex renibus quidem carunculæ aliquando craſſiores, & quas in tranſitu vreterum ſimilem calculo moleſtiam attuliſſe aliquoties vidimus, tantáque copiâ bis aut ter excretas fuiſſe, vt totus ren dexter abſumeretur: Ex vreteribus verò pelliculæ membranoſæ deraduntur: Ex veſicâ furfuraceæ cruſtulæ, vt eſt in Aphoriſmo illo iam citato.

Si vlcus iam cauum ac ſordidum magis euadat, tandem fit calloſum & quaſi fiſtuloſum, vnde etiam exoritur illa ſedimenti ſpecies in vrinâ viſcidi & cohærentis, quod narium muco aut oui candido perſimile exiſtit, naturâ non ampliùs concoquente materiam alibilem quæ ad partes iſtas demandatur. Vnde colliquationem tunc totius corporis, marcores, & aliquando hectica febris, ſi quidem putredo iſta ad partes vſque nobiles transferatur: vnde ſyncopes & præceps mortis periculum frequenter exurgit. Notandum tamen, quòd in vrinis ſenum aut imbecillium hominum

hominum ſæpe crudus iſte ſuccus & pituita apparent ſine præcedente exulceratione, aut aliis grauioribus cauſis, quem ideò à pure ita diſtingues, primò quòd nulla ſanguinis præceſſerit excretio: deinde quòd pus vrinæ ſemper permiſceatur, neque habeat illam muci cohærentiam, ſed per partes facilè diſſoluatur: & ſuper carbones ignitos coniectum, peius olet quàm eiuſmodi pituita.

A quibus verò cauſis externis & internis, eiuſmodi vlcera partes iſtas occuparint, vltrùm vulneribus, contuſionibus, aſſumptis erodentibus, & ſimilibus: vtrùm à calculo, phlegmone ſuppuratâ, aut expurgatione puris in aliis partibus collecti cœperint: vel pendeant à propriâ cacochymiâ humorum acrium, ſalſorum, aut putrium hiſce partibus adhærentium; perquirendum erit ex relatu ægri & adſtantium, atque rerum naturalium, non naturalium, & præter naturam diligenti animaduerſione, quæ docebunt quicquid ad huius morbi generationem aut incrementum contulerit: vt ex his tandem affectus naturam & differentias coniectare poſſit Medicus. Imprimis tamen omnia calculi & arenularum craſſiorum ſigna animo diligenter reuoluenda, quoniam frequentes ſunt vlcerationis in iſtis partibus cauſæ, niſi ab externis violentis cœperint. Atque hæc de Diagnoſi.

Ex quâ Prognoſin facilè eliciemus. Etenim omnes internæ exulcerationes peſſimæ & δυσιατοι, potiſſimùm in partibus illis quæ publico munere expurgandi corporis excrementa perfunguntur, quia perpetuo motu illo excrementorum diuelluntur, atque ſordibus ſcatent. Quamuis enim ſerum illud quod per renes excolatur, videatur deterſione præditum vlceribus curandis accommodatâ: quia tamen illud ſerum malè affecto iam corpore non eſt ſincerum, ſed peſſimis ichoribus, acribus & mordacibus permixtum, vel certè humoribus vitioſis, qui per hos ductus expurgantur, ideò fit vt cauſam potiùs morbi, & ipſum morbum, nempe eroſionem augeat quàm tollat. Adde quòd curatio vlceris non poteſt perfici niſi exſiccatione & induratione materiæ illius quæ in locum deperditæ reponitur: At hîc perpetuò diluitur & madeſcit aquoſitatibus iſtis. Vnde in ſenibus qui iam ſexageſimum ætatis annum attigerunt, deploratos eſſe omnino iſtos affectus renum & veſicæ, potiſſimùm exulcerationes aſſeruit ex Hippocrate *Aphoriſm. 6. ſect. 6.* Galenus, quia calor infirmus non ſufficit expurgationi virulentiæ quæ hîc colligitur, multò minùs refectioni & conſolidationi iſtarum partium. Hinc igitur tabes illæ renales ab Hippocrate deſcriptæ, quia per ſolutas eiuſmodi vnitates fit magnus effluxus ſubſtantiæ alibilis, & caloris natiui depauperatio. Vbi primùm inflammatio complicata eſt huic exulcerationi, vt ex febre colligitur, vel calloſa redditur, impoſſibile eſt curari perfectè, quia remedia per os aſſumpta aut exteriùs admota non poſſunt ſuperare iſtas diſpoſitiones, ſine quibus vlcus nunquam coaleſcet. Ac proinde niſi primis duobus vel tribus menſibus curentur, aut ſaltem miteſcant conuenientibus remediis, prædicere potes euentum calamitoſum. Veſicæ collum quia carnoſum faciliùs ſaneſcit, quàm renes & interior eius ſubſtantia. Nunc ergo therapeiæ incumbamus.

Exulcerationes ergo iſtæ curari debent, remotis priùs cauſis à quibus gignuntur, fouentur aut augentur. Deinde ſi qua ſit cum illis complicatio, vt febris, phlogoſeos in parte, doloris, calloſæ ſubſtantiæ, & ſimilium, quæ remorari poſſunt præcipuam eius curationem, tollenda, aut quantum fieri poterit mitiganda. Poſtmodum quia vlcerum agglutinatio fieri non poteſt, niſi reparatâ eâ ſubſtantiâ quæ per eroſionem iam eſt deperdita: illa autem reparari nequit, niſi ablatis excrementis quæ ex infirmitate laborantis partis in vlceribus ſcatere ſolent, quæque rationem cauſæ ſine quâ non obtinent: ideò detergenda excrementa illa craſſiora viſcidáque in primis, & exſiccanda tenuiora, ſanioſa & virulenta, vt tandem occluſio ſiue ſigillatio per adſtringentia & epulotica ſuccedat. Quæ omnia in vlceribus iſtis internis & à primis ductibus valde remotis, multò difficiliùs perficiuntur, quàm in externis, quorum ſordes ſolis aliquando linteolis, ſpongiis aut ſtupis facillimè abſorbentur: vel ſi profundiora ſint, pyulcis inſtrumentis aut iniectionibus commodis. Nos tamen hîc quæ partium conformatio, & affectus natura permittent, ducto à diætâ initio, proponamus.

Externorum hîc omnium maxima debet eſſe conſpiratio ad tantos támque difficiles affectus curandos, vt ſcilicet omnia nocitiua remoueantur, iuuatiua autem, vt loquuntur Practici noſtri, commodè inſtituantur. Aëris ergo omnes intemperies valde erunt vitandæ. Vt enim frigus vlceribus mordax, ſic calor ambientis inflammat valde partes iſtas excrementis redundantes. In autumnali potiſſimùm conſti

Digitized by Google

conſtitutione cautè viuendum, quæ ſolet eſſe peſtifera omnibus tabidis, & aliis morborum diuturnitate eneruatis. Vigiliarum & ſomni mediocritas ſi non adſit, concilianda: labórque omnis tam animi quàm corporis vitandus: coitus in primis & equitatio. Leuibus autem deambulationibus & frictionibus in lecto molliter factis, licebit euocare materias ad exteriora, & ealorem natiuum ſuſcitare. Aluus ſit libera ſpontè vel artis beneficio, quia bonum eſt humores in inteſtina diuertere, & ab vrinarum viis euocare. Reliquæ etiam vacuationes ſolitæ procurentur, nequid in partem affectam refluat. Quod ad alimenta attinet, quemadmodum omnes cruditates, repletiones nimiæ, & inflationes noxiæ, quia corpus replent excrementis: ſic alimenta omnia acidiora, acria, ſalſa & mordacia, quia dolorem inferunt vlceribus, & cacochymiam multiplicant: ſub quorum cenſu repone omnia frixa, piperata, & quæcunque diureticam habent vim, vt cepæ, allia, ſinapi, ciceres, fœniculum, petroſelinum, cappares, & ſimilia, quia deuehunt perittomata in locos iſtos affectos: quo nomine etiam Rufus caricis interdicit, quia habent vim aperiendi validam. Pinguium etiam & dulcium nimius vſus nocet, quia facilè in biliоſum ſuccum conuertuntur in præparatis potiſſimùm Ergo victus ſit ex alimentis euchymis & eupeptis, vt pane albo molli & recenti, aliàs biſcocto, ſi magna ſit excrementorum copia. Ex carnibus delicatis, tam aſſis quàm elixis, cum plantagine, portulacâ, oxalide, ſymphyto & ſimilibus. Cremor hordei eo nomine commendatur, quòd leuiter deterget & lenit dolores. Eadem ratione amygdalatum, auenatum, ſemola, panatellæ, gelatinæ ex cruribus & pedibus vitulorum, quando erit ſtudendum refectioni, & agglutinandum vlcus. Amylum coctum cum lacte caprillo & vitellis ouorum: Oua recentia & ſorbilia potenter mulcent roſiones iſtas ac dolores veſicæ. Piſces autem ſaxatiles, vt auratæ, aſelli, (*merluë*) cuculi (*rougets*) coliæ (*maquereaux*,) teſtudinum caro, cancri fluuiatiles, & ranarum coxæ concedantur, quia temperant ardorem his vlceribus ſæpiſſimè iunctum, & commodè reſarciunt conſumptionem corporis, quæ illis accidere ſolet. Inter bellaria vuis paſſis commodè vtentur, quia leniunt & tergent leuiter, nucleis pineis recentibus aquâ roſaceâ maceratis, piſtaciis, amygdalis etiam recentibus & mundatis, pyris ſub cineribus coctis, & ſaccharo roſaceo aſperſis: cuius tanta eſt vis, vt illius vſu diuturno & copioſiore omnes vlcerationes internas curari poſſe crediderit Auicennas. Conditura etiam radicis ſymphyti valde illis accommodata cenſetur. Fugiant tamen varietatem ferculorum in vno paſtu. Quod ad potum attinet, qui parcus eſſe debet, ne quantitate ſuâ vrinas augeat & mictionem frequentiorem irritet; bonum eſſet in totum vino abſtinere, quia vellicat iſtas partes, & vehiculi inſtar transfert ſuccos excrementitios ſubitò in veſicam, & eius loco decoctum liquiritiæ, aut ex hordeo & paſſulis ptiſanam aſſumere: Attamen in aſſuetis, decrepitis, & infirmioribus concedi poterit rubellum & oligophorum conuenienter lymphatum. Alij vinum album exhibent, quia minùs validum, ſed aquâ ferratâ aut coctâ temperatum. Nunquam autem bibant ieiuni, aut in principio menſæ, quia tunc deuehitur ſtatim in iſtas regiones, & ſecum rapit excrementa primarum viarum.

Inter alimenta autem lac etiam recenſeri poteſt, cuius vario vſu in totum curationem iſtam perfici poſſe, multi ſcripſerunt: non enim tantùm ad refectionem corporis facit in conſumptis, ſed etiam ad deterſionem & conſolidationem vlcerum. Cùm enim tria ſint lactis genera plurimùm vſitata, aſininum ſcilicet tenue & ſeroſum; ouillum craſſiorum partium, & caſeoſum; atque inter iſta duo medium caprillum: imprimis vbi deterſio eſt procuranda imperant per viginti dies aſininum, quod manè cum pauco melle aut ſaccharo roſaceo ſumitur. Si illud abhorreant, vt noſtrâtes ſolent, caprinum illius loco exhibetur. Deinde per totidem dies ouillum ſolum, vel cum pauco ſaccharo roſaceo, aut etiam ſi omnino ſigillaudum ſit vlcus, vt loquuntur, vſtulatum, vel cum ʒ j. ß. terræ ſigillatæ aut boli armenæ ſingulis vicibus. Placet etiam illud Amati Luſitani in principio ad deterſionem fœtidioris & impurioris vlceris, vt ſerum caprillum inſigni copiâ & penè ſingulis horis hauriatur, ex eo enim mirabiles aliquando effectus vidimus. Quemadmodum & hydromelitis dilutioris, cuius potus ordinarius in menſâ, & manè ad ℥ vj. vel plures, pro naturâ corporum inſtitutus, mirè facit ad repurgandas ſordes iſtorum vlcerum in renibus aut veſicâ poſitorum.

Quoniam verò iſta ſupponere debent cauſarum antecedentium remotionem, vt commodè operentur, per venæ ſectionem ſi adſit plethora vel inflammatio ſanguinis; aut partium per purgationem iteratam frequentiùs, quæ auferat & deriuet

portionem

portionem vitioſorum ſuccorum. Ideò iſta in primis conuenienter inſtituenda. Cathartica tamen omnia ſint benigna & lenientia vel roborantia, vt medulla caſſiæ, ſyrupus roſatus ſolut. rhabarbari puluis, agarici infuſum, & ſimilia, ne conturbetur corpus, aut humores nimis exagitentur. Si volueris, componatur ſyrupus magiſtralis purgans, qui reſpiciat iſtas partes, & vlceribus ſit accommodatus: Talis eſſe poteſt formula.

℞ Liquirit. raſæ, rad. ſymphyti & althææ, an. ℥ j. ß. foliorum plantag. vincæ peruincæ, prunellæ, & maluarum, an. M. j. capilli Veneris M. ß. folior. ſenæ mundat. ℥. iij. ſeminis carthami ℥ j. ſeminis portulacæ ʒ ij. aniſi & coriandri, an. ʒ j. agarici trochiſcati in ligaturâ poſiti ʒ iij. florum violæ, roſarum, & anthos, hordei integ. an. P. j. Fiat omnium decoctio, in cuius portione infunde rhabarb. electi ʒ. iij. ß. cinnam. & ſantali rubri, an. ʒ ß. Decoquatur cum ſaccharo in conuenientem conſiſtentiam: Dentur ℥ ij. ſemel aut bis in menſe cum ſero lactis, vel decocto liquiritiæ.

Et quoniam totius corporis exſiccatio maximè facit ad eiuſmodi ichoras abſumendos, & interna vlcera expurganda conſolidandáque, ideò in eiuſmodi ægris, potiſſimùm ſi plethorici ſint, vel ex maligna illâ lue Venereâ aliquando laborarint, nihil eſt conſultius, dummodò non ſit iunctus ſanguinis fluxus, quàm decoctum ſudorificum ex chynâ, ſarſa parilla aut ligno ſaſſafras, vel etiam guaiacino per xxx. dies, aut plures præſcribere, cum decocto etiam ſecundario ad potum ordinarium, victúque tenui & exſiccante. Sic enim plurimos curari certiſſimum eſt. Ac ſi quidem ægri ſint temperamento calidiore, aut inflammationem ſentiant ex eiuſmodi decocto, retundatur aſſumptis circa veſperam iulepis, & inunctionibus cordis atque hepatis ex cerato ſantalino, aut vng. roſaceo.

Vbi toti corpori & humorum adæquationi, vt loquuntur, proſpectum fuerit, iam ad vlceris curationem animus omnino erit conuertendus. Ac proinde vel vſu hydromelitis dilutioris, vel ſeri caprilli, vel decocti hordei & liquiritiæ cum ſaccharo roſaceo, deterſionem illius & mundificationem inſtituemus, donec vrinæ puriores reddantur: Deinde agglutinationem & conſolidationem ex trochiſcis terræ ſigillatæ, boli armenæ, tragacant. & gummi Arabici cum aquâ prunellæ vel agrimoniæ confectis ad ʒ j. ß. Quorum vnus manè & ſerò exhibebitur, ſuprabibendo lac ouillum vſtulatum, vel decoctum ſymphyti maioris & prunellæ. Si malignum ſit vlcus & fœtens, adde hiſce trochiſcis vel pulueri cinerem ferularum combuſtarum, aut cancrorum fluuiatilium, quæ potenter exſiccant & abſorbent humiditates iſtas excrementitias.

Auicennas ſummis effert inter alia laudibus, gummi illud quod Lacca vocatur, quia, inquit ille, habet virtutem conglutinatiuam, & facit creſcere carnem in renibus, reddítque nutrimentum quo reficiuntur renes ſpiſſum & aptum, vt citò ſigilletur. Quidam Experimentatores aloën herbam tuſam cum pauco lacte miſcent, & per xv. dies continuos manè propinant, quibus curationem iſtam perfici aſſerunt.

Vulgus tamen Medicorum in vlceribus renum & veſicæ purificandis glutinandíſque inſtar omnium habent trochiſcos Gordonij dictos, quorum ʒ ij. exhibent ſingulis diebus manè, modò cum hordei decocto, vbi eſt detergendum & lauandum: modò cum lacte caprino, vbi eſt conſolidandum. Illorum deſcriptiones variæ apud multos Medicinæ authores habentur, inter quas iſta potiſſimùm nobis arridet.

℞ Seminum iv. frig. maior. mundat. & recentium, ſeminum maluæ, bombacis, portulacæ, cydoniorum & myrti, ſeminis papaueris albi, gummi tragacanthi & arabici, gummi laccæ, piſtaciorum, nucleorum pini mundat. amygdal. dulcium, liquirit. raſæ, hordei mund. ſacchari candi, & penidiorum, an. ʒ ij. mucilag ſeminis pſyllij, terræ ſigillatæ, boli armeni, ſanguinis draconis veri, ſpodij, roſarum rub. & myrrhæ, an. ℥ ß. Conficiantur cum hydromelite trochiſci pendentes ʒ ij. Conſtant ex aperientibus & detergentibus modicè, vt ſeminibus frigidis maioribus, maluæ & bombacis, liquiritiâ, hordeo, hydromelite, ſaccharo candido, & ſimilibus. Ex incraſſantibus & anodynis, vt ſemine papaueris albi, cydoniorum, portulacæ, mucilagine pſyllij, &c. Ex agglutinantibus, vt gummi laccâ, arabico, tragacanthâ, &c. Exſiccantibus & incarnantibus, vt myrrhâ, bolo armeno, ſanguine draconis, & ſimilibus: Vnde exurgit facultas ad iſta vlcera perſananda efficax; quicquid multi obſtrepant, facultates iſtas non poſſe ſimul ſubſiſtere, quia in compoſito medicamento ſeſe inuicem retundant. Si enim in ſimplicibus ipſis contrariæ omnino vires reperiantur, vt docet Galenus

exemplo lactis, rosarum, & aceti, multò magis in composito medicamento, cuius mixtio artificialis nunquam ad exquisitam illam naturæ aliquid generantis vnionem & alterationem accedere potest. Et retusæ illæ vires satis commodè operantur, si ad eum gradum sint redactæ, qui naturæ magis est conueniens ad operandum secundùm varias Medici intentiones. Atque hæc παρεργῶς.

Loco istorum omnium multi vsurpant aquas thermales, tantopere in hoc affectu à Cælio Aureliano commendatas, actu frigidas, aluminosas & ferratas, quales sunt in hac Prouinciâ Occitanicâ, Mainenses dictæ: Quibus egò fidem non abrogo, dummodò reliquæ præparationes iam dictæ non omittantur. Diuturno enim & continuo illarum vsu per duos aut tres menses corrigitur intemperies calidior, quæ hisce vlceribus plurimùm iungitur, abluuntur sordes, & adstringitur exsiccatúrque illorum superficies. Sicque multi incipiente affectu, nedum confirmato conualuerunt.

Quemadmodum igitur internis remediis assumptis vndique morbum istum oppugnabimus; sic etiam externa non sunt negligenda, quæ admouentur regioni renum & vesicæ, vel quæ iniiciuntur in interiorem illius sinum & canalem. Iniectiones ergo anodynæ, quando vrgebit dolor, ex lacte tepido muliebri vel caprillo, ex aquâ fontis in qua papaueris semina incoxerint, ex cremore amygdalarũ, & similibus erunt imperãdæ: Ad detergendũ verò ex hydromelite, ex sero lactis, aut decocto hordei, cum pauco melle rosaceo. Vbi adstringendũ & glutinandum, ex aquâ ferratâ aut thermali, vel rad. symphyti, in quâ myrrhæ, aluminis, sarcocollæ, & tragacanthi parum bullierit. Si velis autem eiusmodi iniectiones ad interiora vsque vesicæ penetrare, non sunt tantùm infundendæ per syringam, cuius canalis vix attingit virgæ extremum, sed syringa catheteri immisso aptanda, qui ad intimam vsque cauitatem perueniat: aliàs musculus ille sphincter collum vesicæ claudens, impedit ne eiusmodi infusa ad interiora ferantur.

Exteriùs autem admoueri possunt fotus, insessus, cataplasmata, vnguenta, & similia ad varios scopos. Vlceribus enim istis ob iunctam inflammationem & dolorem cogimur aliquando admouere leuiter resoluentia & chalastica, vt cataplasma illud de micâ panis dictum, de furfuribus & semine lini in vino & aquâ coctis. Paratur fotus vel insessus ad pubem vsque aut regionem renum ex decocto rad. althææ, liliorum, folior. malvæ, violar. parietar. cum seminibus frigidis maioribus, lini & fœnugræci. Laudo tamen magis fotum, quàm insessum vel balneum, quia metus est ne balneo fusi humores in partem affectam deducantur.

Aliquando vbi relaxandum magis, ob inflationem & duritiem, inungantur dictæ partes butyro recenti, oleo amygdalarum dulcium & violaceo, vel axungiâ gallinæ, & similibus, deinde supertegentur lanâ succidâ aut bombace.

Atque his ita sedatis, ne partes istæ relaxatæ deinceps admittant facilius excrementa corporis, roborentur alio cataplasmate vel vnguento adstringente & exsiccante; vt ex puluere myrtino, rosarum, thuris, mastiches, & farinâ hordei in vino rubro coctis, addendo mellis & olei rosacei parum. Fiat cataplasma. Vnguentum Comitissæ oleo myrtino dilutum huic etiam rei erit accommodatum, vel si adsit inflammatio, ceratum santalinum cum puluere prædicto.

Vbi pertinacissima essent hæc vlcera, potissimùm in corporibus plethoricis & pituitosis, solebant veteres candente ferro, vel causticо potentiali crustas circa istas regiones exteriùs inurere, quarum effluxu continuo tandem interna illa vlcera exsiccabantur. Nostris hominibus sufficere possunt sinapismi, vel duo aut tria vesicatoria commodè adhibita: pauci tamen sunt in hoc affectu, qui nouum velint cruciatum subire. Imò propter ægrorum nostrorum mollitiem solemus vt plurimùm relictâ verâ curatione, palliationi tantùm & sedationi symptomatum studere.

Inter quæ cùm dolor immensus plurimùm illos fatiget, præcipuè vbi vesica est alterata, ideò debemus habere quædam anodyna potentiora seu narcotica in promptu, quibus illius acerbitatem temperemus; Practici nostri ad id trochiscos illos alkekengi cum opio pararunt: Alij vtuntur puluere asynerito, diacodione, syrupo papauerino, & similibus. Sed inter ista plurimùm excellit Laudanum illud Paracelsi dictum, quod exiguâ quantitate, vt 4. vel 5. granorum, & nullâ noxâ, plurimam hisce exulcerationibus consolationem adfert. Atque hæc de vrinâ purulentâ. Nunc ad reliqua transeamus.

CAPVT

CAPVT V.

De Diabete, seu Immoderato Vrinæ Profluuio.

RARISSIMVS est iste affectus, quem Galenus Diabeten appellauit, ac proinde paucis illius curationem & historiam perstringemus. Dicitur autem Diabetes παρὰ τὸ διαβαίνειν, teste Aretæo, quòd transferatur citò materia vrinæ, & veluti per siphonem extra corpus emittatur. Dicitur etiam hydrops ad matellam, quod perpetuâ mictione matulas impleant; & ὑδρωπικὸς, propter sitim huic affectui iunctam.

Est autem Diabetes, immensa vrinæ crudioris profusio, propter depraua tam renum attractricem, ab intemperie eorum calidâ, cum siti & totius corporis subitâ colliquatione. Diximus esse immensam vrinæ profusionem, quia est symptoma secundi generis, nempe excreti præter naturam ratione quantitatis multùm excedentis naturalem, aut consuetum morem: Quo nomine etiam distinguitur ab ἐρήσει ἀκρατείᾳ siue vrinæ incontinentiâ, de quâ sequenti capite agemus: In quâ licèt vrina profundatur sæpiùs & præter voluntatem; attamen non maiori copiâ, neque tanto impetu, vt in Diabete. Adde quòd in hoc affectu vrina exit cruda, aquosa, & potui nuper assumpto simillima, quia impossibile est tantam materiæ quantitatem in renibus aut vesicâ retineri, aut in tam paruâ morâ coqui & alterari. Hæc autem vrinæ mictio præter naturam, pendet ab interioribus illis functionibus læsis & deprauatis, quâ solent renes naturaliter serum illud sanguinis attrahere, secernere, & in vesicæ cauitatem profundere. Quoties ergo à causis externis vel internis affecti attrahunt nimiùm quàm par sit, & attractam materiam retinere nequeunt, multò minùs alterare vel concoquere, toties contingit Diabeticus affectus verus & legitimus: in quo attractrix præcipuè & principaliter, retentrix & alteratrix secundariò & concurrenter tantùm, vt loquuntur nostri, labefactantur. Vnde si immensa hæc vrinæ profusio ratione transmissionis fiat, vt per viam crisis, quando in morbo acuto vel chronico natura totum corpus per vrinas expurgat: vel per viam colliquationis totius aut partis, vt videmus in plerisque marasmo affectis crebras istas & copiosas mictiones: & vt ait Hippocrates *libro secundo de morbis: Vbi caput nimiùm incaluerit, multum vrina emittitur*: liquescit enim in ipso pituita, & transfertur partim in nares, partim in os; aliquando in venas, quæ ducunt ad pudendum vsque, vel etiam propter nimium potum, vt in hominibus crapulæ & longis illis compotationibus addictis; aut quia diureticis & aperientibus, vt vino albo tenui, aquis thermalibus, & similibus vrinas mouentibus vtuntur: tunc mictio illa quamuis frequens & copiosa, non erit Diabetes verus, sed falsus & spurius, quia renales illæ partes, nihil tunc per se & ἰδιοπαθικῶς patiuntur, sed tantùm συμπαθικῶς, ob transmissam illam materiam, quæ per istos ductus necessariò expurgatur.

Est igitur attractrix illa renum læsa siue deprauata, quia nimis quàm par est, ex aliis corporis partibus, potissimùm verò ventriculo, hepate, venis maioribus elicit materiam illam serosam, quæ debet esse vehiculum alimenti, nempe sanguinis per totum corpus, antequàm in renes ipsos defluat. Non enim vesica, vt docet Galenus, attrahit serum illud, sed excipit tantùm per vreteras velut canales, vbi in renibus secretum fuerit: ac proinde non potest esse verum huius morbi subiectum. Quamuis enim omnes corporis nostri partes quatuor illis facultatibus naturalibus præditæ sint, attrahendi, retinendi, alterandi, & expurgandi: Attamen in quibusdam illæ publico etiam muneri inseruiunt, vt in ventriculo, hepate, renibus, & aliis: in reliquis autem priuatis tantùm officiis, nempe propriæ alimenti attractioni, vt in vesicâ, quamuis ratione expulsionis & retentionis, non sibi tantùm, sed etiam toti inseruiat. Etsi non negauerim vesi-

Digitized by Google

cam intemperatam aliquando renes ipsos velut principes istius functionis partes excitare posse per sympathiam, atque etiam præcipitare in hunc & alios plures affectus. Multò minùs accusandus hic erit ventriculus tanquam pars primariò laborans. Quamuis enim siti torquetur immensâ, quæ ab attractione illâ indefinenti per modum exsiccationis oritur: attamen ibi non esse veram morbi sedem, inde patet quod cessante fluxu illo vrinarum, omnia ventriculi symptomata sedantur: & quoniam ventriculus vel intestina malè affecta non per vias vrinæ, sed per ipsam aluum deponerent ista excrementa, vt videmus in diarrhœâ, lienteriâ, & similibus; Et sic idem Galenus *libr. 6. de locis affectis*, comparat istum affectum caninæ appetentiæ, ratione immensi illius appetitus, quo renes serosam materiam sibi familiarem alliciunt; & lienteriæ, ratione imbecillitatis illius, eneruatâ scilicet retentrice, ad quam celer illa profusio vrinæ subsequitur.

Verùm quæ sit tanti mali causa proxima & immediata, seu dispositio, à quâ functiones istæ læduntur, maximè controuertitur. Nos diximus fieri ab intemperie renum calidâ. Cùm enim attractio ista sit deprauata, oportet etiam à causis præter naturam fieri: non ergo à similitudine substantiæ, quæ est causa naturalis, sed vel à dolore insigni, vel calore immodico. Istas enim esse duas causas fluxionum, quando fiunt per viam attractionis, omnibus est notum. Cùm igitur dolor non sit in hoc affectu tantus, vt fluxionis istius præcipua causa illi tribui possit; sequitur intemperiem calidam illud præstare, tum quia absorbet humiditates partium quas occupauit, & inde attrahendi appetitum auget, tum quia fundit & dilatat poros earum. Quis enim dixerit frigiditatem tantam in renibus viuentium adesse posse, vt per compressionem violentam humores istos ex renibus exprimat? Deinde oporteret totam illam materiam in renibus esse contentam, quæ per diabeten excernitur, quod est absurdum: quia deinceps coarctatis poris à frigore, non exciperent facilè fluentem aliunde materiam. Ac proinde caliditati potiùs erit tribuendus affectus seu læsio functionis istius, quæ tametsi publico inseruiat muneri, vt diximus, læditur tamen à morbo similari, quia à temperie potissimùm exercetur: nequis nobis fortè obiiciat organicam actionem non nisi ab organico morbo lædi, quod verum est de purè organicis, non autem de mixtis, qualis est ista, quæ tam à temperie, quàm partium compositione pendent.

Dicet aliquis, Si verum esset (id quod vos asseritis) affectus istius causam immediatam & præcipuam esse calorem renum immensum, non esset tam rarus & extraordinarius, cùm nihil sit frequentius in Medicinâ, quàm ægros de hac renum intemperie conquerentes audire. Et nemo est qui in phlegmone aut simplici inflammatione renum vel vesicæ, istas vrinæ profusiones immodicas annotarit, sed potiùs *ἰχωρίας* & stillicidia. Adde quòd vrina alba, aquosa, & cruda emittitur, quæ tamen per renum caliditatem tingi & flauescere solet Huic igitur grauissimæ obiectioni vt satisfaciamus: Dicimus primò varios esse gradus cuiusuis intemperiei & qualitatis excedentis, pro quorum varietate, varia etiam exoriuntur symptomata, & hæ potiùs quàm illæ functiones læduntur. Secundò concurrere posse cum istis qualitatibus, modò has, modò illas dispositiones, quæ impediunt vel iuuant has potiùs quàm illas actiones. Vnde contingit intemperies istas renum calidiores, modò maiores esse, modò minores: Minores non efficiunt *δρῶσαν* istum, & immensam serosæ materiæ attractionem, quia parum extra naturæ modum excedunt: Maiores verò quia vt plurimum accersunt copiam sanguinis, ex quâ phlegmonosi illi aut erysipelatosi tumores, cum oppilatione & viarum coarctatione oriuntur; hinc fit vt rarò aptæ sint ad Diabetas istos producendos: ad cuius generationem requiritur, vt viæ sint laxæ & patentes, per quas hic humor transcolatur, & caloris natiui summa imbecillitas ab exhausto, propter quam omnium functionum naturalium ingens perturbatio consequitur, vt in *ἀλοσίᾳ* illa iecoris contingit, quæ est parens *δυσκρασίας* hepaticæ, per quam magna sanguinis aquosi proluuies per aluum effunditur. Vnde non est mirum si hæc rarò concurrant simul ad affectus istius generationem. Vrinam autem albam esse & crudam, contingit propter copiam humoris illius serosi & impermixti, qui attrahitur, neque in renibus aut vesicâ moratur, vt ibi colorem vel consistentiam adipiscatur.

Est ergo hæc intemperies calida & sicca ab exhausto, sine humoris affluxu, aut

aut humore non implente vel obſtruente, ſed tantùm alterante à variis cauſis producti. Nam & externæ & internæ faciunt ad illum generandum, fouendum, atque augendum: vt calor aëris immenſus, aſſumptorum alimentorum, medicamentorum, aut venenorum caliditas, putrida conſtitutio, aut deleteria, vel ſummæ aperiendi vis & detergendi. Vina aromatibus medicata: vigiliæ immoderatæ: ſomnus in ſtrato molliore & calidiore diuturnior: vehemens exercicatio lumbarium præcipuè partium: iracundia, & coitus ſuperfluus: vacuationum ſolitarum ſuppreſſio, quia pariunt vel augent cauſas illas internas, vt cacochymiam & pleboram, à quibus iſte affectus producitur. Annotârunt Veteres ſerpentis illius morſum quem διψάδα appellant, non ſolùm ſitim implacabilem, ſed etiam magnum hoc vrinæ profluuium excitare poſſe. Nolim tamen Auicennæ aſſentiri, qui exiſtimauit inſigne frigus externum, aut aquæ potum frigidioris, huic malo originem aliquando dediſſe, quia hæc omnia adſtringunt potiùs & impediunt humorum effluxûs quàm promouent: niſi fortè per accidens, dum cogunt vehementiùs humores versùs aliquam partem, & eam inflammant: Qui humores acres, ſalſi, pungentes, deleterij, ipſi renum ſubſtantiæ affixi, & aliunde deriuati, & ibidem collecti, aut certè caliditas cum ſiccitate immaterialis, quam vacuantia, reſoluentia aut colliquantia pepererunt, erunt immediatæ illius cauſæ. Qui modò ſubſiſtit ſine febre, quando vitium eſt particulare & ſine putredine; aut cum febre, quoties impuritas corporis iuncta fuerit, aut materiæ corruptelam concipientis ſynathriſmus, vt patet.

Facile ergo erit affectum hunc præſenem agnoſcere, ex immodico illo & ferè continuo vrinæ profluuio, ex ſiti immenſâ, & quæ aſſumpto potu nihil ſedatur, quia eum talem ſubitò reijciunt, qualem aſſumpſerunt. Vtrùm verò ſit verus Diabetes & primarius ratione attractionis renum immoderatæ; an verò falſus & ſecundarius ratione tranſmiſſionis, dum ſuſcipiunt tantùm & tranſcolant materiam à toto corpore, vel aliquâ parte deriuatam, cognoſcemus; ſiquidem in vero & primario, renes calorem illum immoderatum patiuntur, lumbares partes incenduntur & macreſcunt magis, & ſitis quæ iſtum comitatur, eſt intenſior, neque à cauſis incepit procatarcticis: neque præceſſit febris aliqua, cuius iudicatio per vrinas perficiatur, aut cuius vi humores corporis ſint colliquati. Nulla etiam adeſt alicuius partis ſuperioris, vt capitis pituitâ redundantis, ventriculi humidioris, & ſimilium querela, propter quas ſecundarius ille Diabetes ſit exortus. A quibus verò cauſis tam falſus quàm verus fuerint ſuſcitati, repeties ab enumeratione rerum naturalium, non naturalium, & præter naturam, quorum varia conſtitutio prægreſſa vel adhuc perſeuerans, oſtendit qualis effectus in corpore noſtro fuerit productus.

Atque etiam pro naturâ & ſpecie affectûs, partis primariò aut ſecundariò laborantis, pro varietate cauſarum & effectuum ſiue ſymptomatum prædicemus de euentu in hiſce ægrotantibus. Incipientem enim & ſine febre, aut leuiori curari poſſe exiſtimo; confirmatum verò & ab attractione illâ immodicâ pendentem cum febre ardente vel hecticâ, incurabilem. Quid enim ſperare potes in intemperie partium confirmatâ, ſubitâ & ſummâ totius corporis colliquatione & marcore? In hoc enim affectu dupliciter conſumptio contingit, tum quia vacuatur materia copioſiùs & confertim, cum quâ ſemper aliqui ſpiritûs & humoris ſubſtantifici portio decedit: tum etiam quòd ſanguis ſuo ſero velut vehiculo deſtitutus, non poteſt deinceps transferri ad remotas corporis partes, & aluus immodicè reſiccatur. Adde quòd ſitis illa immenſa & implacabilis apoſitiæ iuncta ob ſummam ventriculi ſiccitatem caliditati aliquando iunctam, nullas vnquam dat ægro inducias, ſed dies noctéſque crudeliter fatigat, & auget cauſam ipſam morbi, quia perpetuò affluit humor nouus in locum affectum. Prætereà vbi iam malum inualuit, ſi quidem ſubito ille vrinæ effluxus artis beneficio cohibeatur, periculum eſt promptæ ſuffocationis ex παλινδρομῇ illius id partes nobiles, vel certè hydropis ex collectione ſeri in cauo abdominis. Miraculi igitur inſtar eſt hic affectus, inquit Aretæus, ſiue eius generationem, ſiue curationem ſpectes: Quod de vero intelligendum, cùm alter facilius multò ſedari poſſit, tranſmiſſâ aliò vel deriuatâ materiâ quæ in renes effundebatur: Vel certè ex ſeipſo ſubſiſtit, quoties à causâ procatarcticâ pendet, ſi illa in meliorem ſtatum reducatur, dummodò ætatis aut virium adſit vigor.

Omni igitur ingenio & induſtriâ ſolerti, debet hic affectus oppugnari. Vnde

cùm renes intemperie laborent calidâ ſiccâque, modo immateriali, aliàs cum affluxu materiæ: Si adſit humor, indicatur vacuatio, quæ reuellat à viis renum in cauitates inteſtinorum, per clyſteres mollientes, & leniter purgantes; per cathartica benigna & adſtringendi vi prædita, deinde alterantibus ardor ille immoderatus erit compeſcendus, renum infirmitas & laxitas adſtringentibus & reficientibus roboranda: fluxúſque tenuioris ſeri per reuulſionem & incraſſationem corrigendus: omnibus denique ſymptomatis proſpiciendum erit, quæ hîc maximam moleſtiam pariunt.

Ac proinde victûs ratio, ex alimentis quidem boni ſucci & facilis digeſtionis erit inſtituenda, propter corporis conſumptionem, & virium collapſum. Attamen incraſſantibus & refrigerantibus pro varietate cauſæ morbificæ, & fluxûs vehementiâ. Vnde conuenient cremor hordei torrefacti, lac amygdalarum dulcium cum aquâ roſaceâ extractum, oryza, ſemola in iure capi aut gallinæ iunioris cocta, panatellæ, gelatinæ, lac caprinum cum paucâ farinâ tritici torrefactâ, & vitellis ouorum coctum: Caſeus recens, mollis, & ſine ſale paratus: Carnes perdicum, iuniorum columbarum, pedes & capita vitulecum, hœdorum, vitulorum ad putrilaginem cocta, aceto, omphacio, aut ſuco mali arantij & punici aſperſa. Si iuſculis gaudeant, alterentur plantagine, portulacâ, oxalide, ſymphyto, & ſimilibus. Pyris, pomis auſteris, malis cydonijs ſub cineribus coctis, & pauco ſaccharo aſperſis; item meſpilis, corneolis, ſorbis, vel eorum miuâ: aut cucurbitæ cortice, lactucarum caulibus, & ſimilibus condîtis frequenter vtantur: Myrobalanorum etiam ſaccharo conditorum fruſtula deliratioribus aut iam eneruatis dari poterunt, bene contuſa in mortario, & paucâ aquâ roſarum aſperſa. Piſcium ſaxatilium aut friabili carne præditorum vſus, is aſſuetis potiſſimùm, eóſque appetentibus concedatur, quia bene nutriunt, & iccitatem illam ventriculi temperant; imò anguillarum, murænarum, ranarum, teſtudinum caro bene cocta & præparata illis conueniet ad refrigerandum & incraſſandum ſerum. Parùm verò potent, ne multiplicetur illa aquoſitas, ídque ex decocto rad. acetoſæ, vel aquâ ferratâ cum ſyrupis vel ſuccis acidis & adſtringentibus, aut vino rubro & auſtero. Fugiant autem omnia ſalſa, acria, piperata, frixa, & aperientia, vt diuretica. Quies imperetur corporis & animi: Aluus quæ hîc ſicca eſſe ſolet, excitetur conuenienter. Somno indulgeant, quia omnes vacuationes, præterquàm ſudorem hîc vtiliſſimum ſiſtit. Et aëris quæcunque vitietur aut corrigatur inclementia, eíque temperies concilietur.

Quibus ita conſtitutis, ſi quidem corpus ſit plethoricum, malum incipiat tantùm, & vires adhuc ſint vegetæ, tam reuulſionis causâ, quàm vt temperetur æſtus ille renum, & totius corporis, quando febris illi coniuncta eſt, fiat phlebotomia ex baſilicâ brachij dextri exiguo foramine, ita vt per ῥύμφαζιν pauca ſanguinis quantitas extrahatur hodie, & ſequenti die iteretur. Hîc enim non ſolùm præſentes, ſed etiam futuræ vires conſiderandæ, citáque corporis conſumptio, quæ vbi iam præſens eſt aut imminet, abſtinendum erit omninò à venæ ſectione.

Purgatio etiam & deriuatio fiat lenientibus, & molliter vacuantibus clyſteribus, necnon alterantibus, quibus ſequenti die cathartícum quoddam ſimile adiungetur. Vt

℞ Rad. acetoſæ ʒ iiij. folior. plantag. maluar. & borrag. an. M. j. portul. M. ß. hordei integ. & roſarum ſic. an. P. j. Fiat decoctio ad ℔ j. ß. In quâ diſſolue mellis roſacei, & olei omphacini, an. ʒ iij. Fiat clyſter, qui inijciatur frequenter, & quando vacuandum erit potentiùs, adde hieræ picræ, cathol. aut diaprunis ſolut. ʒ j.

Sequenti die exhibeantur ʒ iij ſyrupi roſati laxat. cum decocto acetoſæ & endiuiæ, vel myrobal. citrinarum. Vbi habitus eſt pituitoſus, laudantur leuiora illa medicamenta, quæ ad hydropis materiam educendam præſcribi ſolent, vt radix mechoacan ad ʒ j. puluer. & cum ſimili decocto exhibita, addendo ſi vis parum rhabarb. ad adſtringendum & roborandum. Agaricus etiam, ſoldanella, ſemen ebuli. Componatur ex illis omnibus ſi volueris, Syr. magiſtralis, qui reiteretur ſingulis quindecim diebus, quando affectus eſt diuturnior. Alij valde laudant vomitum ex decocto ſem. raphani & ebuli, cum pauco oxymelite, quia vacuat & reuellit ſimul à ductibus vrinariis: Inter iſta præſcribantur iulepi refrigerantes, incraſſantes & roborantes ſæpiùs dicti, ex aquis endiuiæ, lactucæ, plantag. portul. ſyr. myrtino, violaceo, de pomis redolentibus, atque etiam de papauere: addendo puluer. tragacant. diamargar. frig. granorum kermes, terræ ſigillatæ, trochiſc. de ſpodio, & ſimilium.

Non

Non ausim autem diureticis post purgationem in hoc affectu vti, quamuis illa à Practicis quibusdam probentur ad depellendos humores renibus adhærentes; quia in tanto humorum impetu versùs istas partes, maius sequeretur incommodum. Siquis eatentare velit, sint ex aperientibus sine vllo calore, vt vino albo tenui & oligophoro aquâ graminis diluto, vel seminibus frigidis maioribus & minoribus in decocto liquirit. quibus etiam quædam adstringentia adiuncta sint.

Maius tamen commodum ex sudorificis percipient, quia euacuant simul & reuellunt, ita tamen instituantur, vt neque calefaciant nimiùm renes, neque corpus ipsum colliquent. Vnde decoctum nostro more ex radice Chynæ paratum, & per multos dies vsurpatum hîc valde laudàrim; quod etiam in consumptis fieri potest ex iusculo pulli aut gallinæ conuenienter alterato. Antiqui in dolio silicibus candentibus, aut arenæ insolatu sudores excitabant: Alij in balneo ex aquis thermalibus, aut decocto conuenienter parato. Sed hoc minori calfactione & resolutione præstari potest per decoctum radicis Chynæ, vel etiam sarsæ parillæ aut smilacis asperæ: Quare ab illis abstinendum esse censeo.

Renum interim regio temperanda, roboranda, fotibus ex decocto rad. acetosæ, folior. plantag. rosarum, malicorij, seminis sumach, & similibus, quibus aceti parum additur: Deinde inungatur cerato santalino, vng. rosaceo & Comitissæ simul mixtis. Emplastrum de cerusâ, vel ex cerâ in oleo rosaceo liquefactâ, & sæpiùs aquâ frigidâ aut rosarum ablutâ idem præstabunt. Si malum ingraueſcat, aut diutiùs perseueret, non oberit, parum theriacæ recentis, confectionis requiei dictæ, diacodium, & similia stupefacientia, cum conserui violarum, maluarum, aut rosarum simul mixtis exhibere, vt immoderatus ille fluxus cohibeatur.

Symptomatum denique, vt consumptionis, vigiliarum, & similium mitigatio ex propriis capitibus repetatur. Et quia sitis hîc plurimum adfert molestiæ: teneant perpetuò in ore sequentem mixturam ἔδυσμον à Veteribus vocatam: ℞. Aceti optimi quantum volueris, & in eo leuiter supra cineres tepidos calfacto, dissolue succi granat. aquæ ros. & vini albi parum, sacchari albissimi puluer. q. s. ad incorporandum & ebibendum totum liquorem. Mixtura reponatur in pyxide argenteâ vel vitreatâ. Teneat in ore frustula illius, vel etiam dissoluta cum paucâ aquâ potabili. Nos ergo huic capiti finem imponamus.

CAPVT VI.

De Vrinæ Incontinentiâ.

ΤΡΗΤΙΚΟΙ dicebantur apud Veteres, quicunque non solùm frequenter mingunt, sed etiam vrinam continere nequeunt & inuoluntariè profundunt, seipsos aut stragulas permingentes. Et illa affectio Medicis ἕξις ἀκρατοποσίας vocatur, Barbaris *diamne*, Aretæo ἀκράτεια ἐκκρίσεως τῆς οὔρων.

Est autem functio retentrix vesicæ læsa, ob musculi eam claudentis infirmitatem à variis dispositionibus præter naturam. Dicimus esse functionem vesicæ læsam, quia hoc pathos proprium est & peculiare illi, quemadmodum Diabetes renibus: Id enim ex varietate instrumentorum huic rei dicatorum innotescit; nam renum propria est attractio serositatis illius sanguini permixtæ per emulgentes venas, & secretio seu transcolatio per illa fistulosa corpora & papillas, velut fonticulos in sinum interiorem extuberantes, qui vreteribus iunctus deuehit continuò materiam istam in vesicæ cauitatem. Ibi autem collecta vrina tamdiu retinetur, donec copiâ suâ vel qualitate molesta expultricem irritet, ope transuersorum villorum adiutam, vt foràs profundatur, aperto musculo illo sphincter, qui collo vesicæ, ideò prudenter à naturâ ianitoris instar constitutus fuit, ne perpetuò mingere cogeretur animal. Ita vt ista retentio omnino propria sit vesicæ, non tantùm opera fibrarum obliquarum, sed etiam musculi illius nertios à spinalis medullæ vertebris inferioribus recipientis, qui ad voluntatis imperium claudi & recludi debet. Quoties igitur causæ morbificæ & præter naturam in vesicæ collum & musculi istius corpus, aut neruorum propagines, quibus irrigatur, inciderint: toties vrina intempestiuè & sine vllo voluntatis concursu profundetur, non

non quidem expultricis nimiùm ſtimulatæ, vt in dyſuriâ; vel attractricis vi, vt in diabete; ſed quadam ἀτονίᾳ illius functionis, quæ continendæ vrinæ præſidet, ſiue illud inter vigilandum contingat, ſiue in ſomno, dum facultates animales minùs liberè muneribus ſuis funguntur: Ita tamen vt de nocte dupliciter illa mictio in ſtragulis contingere poſſit, vel debilitate propriâ iſtius functionis, & muſculi mollificatione, vt loquuntur, quod pueris ferè omnibus lactentibus, decrepitis, & quibuſdam adultis accidit: aut errore imaginationis. Multi enim vbi copioſiùs potârint, vel exquiſitiori præditi ſunt veſicæ ſenſu, lectulos ſuos permingunt quodam obſcuro voluntatis concurſu, dum putant ſe in parietem vel alium quendam locum vrinam effundere. Et ita ſunt huic rei aſſueti, vt ſæpiùs illud agentes videantur debilitate iſtius muſculi id præſtare; cùm tamen ab hoc vitio non tam medicamentis corrigantur, quàm ſi illa imaginatio mutetur, vt in pueris & adultis, flagro; vel in ætate grandioribus, ſi locus ille quem ſibi permingere in ſomnis videntur, de die rebus quibuſdam honeſtis & venerandis, vt cruce, tapetibus, libris, &c. exornetur, & illis ita ſpectandus proponatur.

Cauſas autem & diſpoſitiones iſtum affectum producentes, varias eſſe poſſe diximus. Cùm enim hic muſculus ſit pars organica ad motum comparata, qui tum à propriâ illius conſtitutione pendet, tum neruorum à quibus influxum animalis illius facultatis excipit: ideò non ſolùm *ἰδιοπαθῶς*, ſed etiam *συμπαθῶς* laborare poteſt, quoties accidit ſumma infirmitas & caloris natiui depauperatio, vt per febres acutas in morituris, aut alio modo conſumptis, aut quando totum corpus paralyſi tentatur, vel dimidia eius pars hemiplegiâ laborat, aut etiam illæ neruorum propagines, quæ ab oſſe ſacro exortæ, ramulum veſicæ communicant: Illis enim obſtructis, colliſis, compreſſis, aut ab alio quocunque affectu præter naturam læſis, non eſt mirum actionem etiam iſtam, quæ eſt dependens, labefactari per conſenſum & priuationem ſpiritûs illius & caloris, cuius beneficio exercetur. Aliàs ob ſimplicem condolentiam & vicinitatem, vt in grauidis ob vteri nimium tumorem vel dolorem: in maioribus inteſtini potiſſimùm recti affectibus: Vnde apud Galenum hiſtoriæ illæ *lib. 6. de loc. aff. cap.* 3. Et quemadmodum iſta per ſympathiam accidunt, ſic etiam per *ἰδιοπάθειαν* muſculus iſte variis modis labefactari poteſt: Nam ſolutiones continui, vt vulnera huic parti inflicta, & inciſiones maiores quàm par ſit à lithotomis celebratæ, dum calculum extrahere conantur, fiſtulæ ibidem contractæ, & vlcera profundiora, efficiunt ne muſculus iſte ſeipſum contrahere poſſit ad veſicam occludendam. At potiſſima & frequentiſſima cauſa imbecillitatis in iſto muſculo, referenda ad intemperiem non calidam & ſiccam, quia illæ faciunt ad retentionem potiùs, niſi fortè per accidens, vbi poſt magnam reſolutionem caloris inſiti & ſpirituum, ſubſequitur eneruatio potentiæ iſtius motricis; ſed frigidam vel humidam, ſimplicem aut compoſitam ſimul, vt ſæpiùs accidit. Vt enim frigidum oſſibus, neruis, & cæteris partibus ſpermaticis & exanguibus inimicum; ſic humiditas ſuperflua quæ mollities vocatur, à redundantiâ ſuccorum pituitoſorum, ſeroſorum, & ſimilium contracta, ipſiſque neruis, tendinibus, & muſculis communicata, illorum ſubſtantiam relaxans, & propriæ temperiei gradum retundens, facit vt minùs perfungi poſſint ſuo munere. Ac proinde vt in aliis muſculis impedimentum adfert mouendi, attollendi, & quocunque modo agitandi alias corporis noſtri partes; ſic in iſto & aliis qui ſphincteres ab officio vocantur, impotentiam parit ſeipſos contrahendi, & retinendi materias in cauitatibus contentas.

Ergo cùm frigiditas & humiditas efficiant frequentiùs diſpoſitionem iſtam, quæ eſt cauſa proxima incontinentiæ vrinæ: hinc patet ea omnia quæ efficiunt iſtas qualitates in hac parte, vel eam diſponunt ad faciliùs illas recipiendas, eſſe cauſas internas vel externas iſtius affectûs; Quales ſunt ex parte rerum naturalium, temperamenta pituitoſiora & veterno dedita, ætas puerilis aut ſenilis, ſexus muliebris, ventriculi & cæterarum coctioni dicatarum partium naturalis infirmitas, ex quâ fit ſuccorum multorum & cruditatum prouentus. Quibus ſi acceſſerint morbi totius vel partium præcipuè neruoſarum, magna fiet acceſſio ad intemperiem iſtam producendam: Vidimus enim quibus à leuiori apoplexiâ aut hemiplegiâ percuratis, remanſit tamen iſta vrinæ continendæ impotentia per multos annos, quia ſcilicet ſuberant in hac parte remotiori reliquiæ præcedentis morbi. Ad hoc promouendum maximam etiam habent vim externæ cauſæ, vt aëris intemperies aquiloniæ & auſtrinæ, ſeſſiones ſupra res frigidiores, marmor, lapides, &c. minimè tectis natibus, vt ſolent pueri: natationes in aquâ gelidâ, aut in balneo

molliendi

molliendi facultate prædito : fotus ex refrigerantibus & relaxantibus diutiùs vſurpati ad leniendos partium iſtarum dolores,vel inflammationes,& ſimilia Item ſomni profundiores, quia accumulant multam vrinæ copiam, & corporis interiora humectant. Aliæ corporis vacuationes ſuppreſſæ , quia multiplicant vitioſos in nobis ſuccos,vtplurimùm pituitoſos. Otium etiam,torpor,& deſidies valde eneruant vim iſtarum partium ſopito calore natiuo.Quemadmodum alimẽta cruda,ὀξύρροπα,nimiùm refrigerantia aut humectantia, vt olei, butyri, medullarum, & omnium pinguedinum diuturnior vſus,potus intempeſtiuus & immodicus aquæ frigidioris potiſſimùm , idem præſtant efficaciſſimè , cùm materiâ, quam generationi humorum ſuppeditant;tum qualitatibus ſuis,quibus interna viſcera afficiunt.

Ex ſolitis itaque ſignorum fontibus,pars primariò vel ſecundariò laborans,natura ſeu ſpecies affectus,& illius cauſæ ſunt agnoſcendæ & perluſtrandæ. Etenim vbi illa à nobis iam commemorata apparent,priuſquàm iſta vrinæ incontinentia adeſſet,vt totius corporis infirmitas,apoplexiæ,paralyſes,luxationes vertebrarum in lumbis poſitarum, vulnera earundem partium , vel obſtructiones ex decubitu humoris in iſtas neruorum propagines:ſumma veteri, inteſtinorum , aut circumſtantium partium compreſſio vel dolor : Tunc credibile eſt eiuſmodi affectum eſſe ſympathicum,ex partium iſtarum primario affectu deriuatum , quibus ideò curam adhibendam eſſe potiſſimùm docuit Galenus,non autem ipſi veſicæ,aut eam claudenti muſculo. Sin verò iſta omnia abſint, nec vlla ſit alterius partis grauiùs affectæ ſuſpicio: tunc conuertendus animus ad particulare iſtud organum vrinæ continendæ dicatum, velut primariò affectum.

Quòd ſi in illo fuerint ſolutiones continui,vlcera,vulnera,& ſimilia,ſatis ex conſuetis & propriis ſibi ſignis innoteſcent. Intemperies verò frigida vel humida , ſimplex aut compoſita hunc affectum producens,deprehendetur ex cauſarum tam internarum quàm externarum conſtitutione , eiſque ſymptomatis ſeu effectis à quibus comitantur,vt totius corporis mollitie, colore albicante, neruoſi generis & partium genitalium laxitate:Si adſit ætas puerilis aut ſenilis , quæ humiditatibus ſuperfluis plurimùm abundant , aut in aliis ætatibus cacochymia pituitoſa exuperet, quæ per iſtos ductus expurgetur:Quibuſdam etiam hæreditarium hunc eſſe morbum,& qui nonniſi certo annorum ſpatio terminetur, ſæpiùs obſeruauimus.

Quod ad prognoſin ergo ſpectat:In decrepitis hunc affectum eſſe immedicabilem conſtat,ob exuperantem humiditatem,& caloris natiui infirmitatem, ob quam omnes functiones collabuntur:In pueris etiam quamdiu lacte nutriuntur,patet non eſſe tentandam illius curam,quoniam ætas illa mollior,& alimentum humidiſſimum quo vtuntur,non facilè ſuſcipiunt exſiccationem. In febre verò continuâ & acutâ, vrinæ excretio inuita aut inſciente ægro facta, mortalis : quia oſtendit delirium adeſſe ingens,vel ſummam extinctionem & impotentiam facultatis animalis.Idem dicas de illâ quæ ſequitur apoplexias,epilepſias,paralyſes vniuerſales,vel hemiplegias, vertebrarum luxationes , & ſimiles affectus , quorum ſublatio operoſa eſt & valde difficilis.In ætatibus verò mediis propria muſculi iſtius intemperies aliquando curatur , per ſolam caloris natiui ἴκλαμψιν ſeu accreſcentiam circa decimum octauum annum , aut ſaltem vigeſimum quintum. Aliàs manet immedicabilis & confirmata , quando terminum iſtum exceſſerit , & remedia omnia conuenienter adhibita fuerint.

Inſtituenda igitur diligens therapeia ad curandam iſtam turpitudinem,quæ ſi pẽdeat,vt dictum eſt,ab aliis affectibus primariis,illorum ſublatio pro varietate & naturâ diſpoſitionum & cauſarum morbificarum tentanda. Fruſtrà enim circa iſtius medelam,ſi ſecundarius ſit,laboraremus. In ſolutionibus autem continui, vt vulneribus,vlceribus,fiſtulis,contuſionibus, & ſimilibus huic muſculo aut veſicæ inflictis, adhibenda methodus curatiua , quæ ſuis locis traditur. At in intemperie frigidâ & humidâ,ſimplici vel compoſitâ, quæ eſt communior huius incontinentiæ cauſa,petendæ indicationes à cauſis tam externis quàm internis antecedentibus & coniunctis:à propriâ diſpoſitionis ſpecie , & partis affectæ naturâ , quæ roborantia potiſſimùm expoſcit. Imprimis autem recta viuendi ratio decernenda erit.

Ac proinde cùm frigiditas humiditati iuncta hîc ſæpiùs dominetur : vitentur ea omnia,quæ iſtas intemperies generare vel augere poſſunt , vt ciborũ & potuum nimiam copiam , potiſſimùm in cœnâ , ſi noctu incontinentiâ iſtâ laborent. Omnia aquoſa & vrinæ materiã multiplicantia, vel ad excernendam eam irritantia:vt ſunt vinum album & tenue, olera cruda , fructus ὠμὰ & recentes , melones , pepones,

cucumeres,cucurbitæ,raphanus,apium,petroſelinum,&c. Omnia pinguia,oleoſa & butyroſa,quantum fieri poterit,quia valde internas partes emolliunt. Lactis etiam vſum & lacticiniorum recentium,quia valde humectant:Iuſculis etiam,ouis tremulis,piſcibus, (vel ſi non poſſint,condiantur aromatibus,vt nuce moſchatâ, pipere & garyophillis:aut ſaluiâ,hyſſopo,menthâ,& ſimilibus:) & omnibus liquidioribus abſtineant. Eligantque victum calefacientem & exſiccantem ex pane biſcocto & ſemine aniſi vel coriandri condito,carnibus aſſis potiùs quàm elixis:paſſulis,amygdalis , & auellanis toſtis , pyris & caſtaneis ſub cineribus coctis , quas hîc peculiariter commendant Practici. Vino rubro,generoſo & meraciore,aliquando etiam auſtero & adſtringente, ſi nimia appareat mollificatio. Si ſint hydropotæ , ex aquâ ferratâ, aut in quâ coriandri ſemen leuiter fuerit decoctum. Intereà vitent etiam aëris intemperies pluuioſas & aquilonias , omniſque rei frigidæ & humidioris contactum, vt ſeſſionem ſupra lapides,natationem,&c.Plus vigilent quàm dormiant,ſi per ætatis conditionem liceat. Exerceantur diligenter : Imò etiam irâ concitari, aut verecundiâ torqueri, illis plurimùm prodeſt,quia illa calefacit corpus, hæc verò reuocat naturam ad ſuum officium peragendum: Veneris vſus noxius, quia debilitat magis iſtas partes, & trahit humores versùs iſta locà:Aluum eſſe lubricam conuenit , quia per iſtum ductum excernitur materia quæ ad vrinas transfertur. Idem dicas de ſudoribus;ſiue ſponte,ſeu artis beneficio concitentur, quia vacuant & reuellunt ſeroſitates iſtas,ex quibus vrina conficitur,& totum corpus exſiccatur.

Quod ad remedia itaque maiora ſpectat : reſpectu cauſarum antecedentium; cùm dictum fuerit à nobis , cacochymiam vtplurimum ſeroſam aut pituitoſam hîc redundare,rarò phlebotomia competere poterit,tum quòd vitium hoc ſæpiùs accidit ante decimum quartum annum,tum quòd ex eâ corpus magis refrigeratur. Aliquando tamen in corpore iuuenili & plethorico exerceri poterit, reuulſionis causâ, & vt totius corporis atque humorum adæquatio concilietur.

Purgatio autem ſemper conueniet,(niſi affectus iſte ex ſimplici intemperie pendeat,quam externæ cauſæ excitarint, vt ſeſſio ſupra marmor, natatio in aquâ frigidâ,&c.) ex catharticis phlegmagogis & hydragogis ſæpiùs iterata, vt pilulis de agarico,cocciis maioribus,& minoribus,diacarthamo,diaphœnicone, ſemine ebuli, radice mechoacan , & ſimilibus , quibus adſtringentia & roborantia addi poſſunt ratione partis affectæ,vt rhabarb.puluis,myrobalanorum decoctum,ſyrup. roſatus ſolutiuus, vel de floribus perſici. Illis etiam purgantibus, præparantia ſi opus ſit, præmittantur & intermiſceantur,vt ſyrup.de abſint.mel anthoſatum,ſola vel mixta cum aquis aut decocto primulæ veris,prunellæ,ſaluiæ, menthæ,iuæ arthriticæ,herniariæ, & ſimilibus , quibus roborandi etiam genus neruoſum facultas ſubeſt.

Ratione etiam cauſarum antecedentium , & ad exſiccandum totum corpus ſudorifica vſurpentur,vt ſtuphæ, laconica, thermæ ſulphureæ & bituminoſæ, vt apud nos Bellilucanæ,decoctum ligni guaiacini vel ſaſſafras dicti,per viginti dies aut plures vſurpatum. Si fluxio ex capite in partes inferiores delabi videatur, quæ illis infirmitatem iſtam conciliet,deriuetur errhinis,maſticatoriis,cauſtico occipiti admoto,vel alterutri brachio.

Quibus diligenter peractis , ſupereſt remotio cauſæ coniunctæ & ipſius affectus, partiſque roboratio procuranda tam internis quàm externis remediis. Interna quæ ad hunc affectum aſſumuntur , vel manifeſtis agunt qualitatibus , vel occultâ proprietate.Caſtoreum in hac re valde commendatur , ſumptum ad ℈ j.cum granis aliquot myrrhæ,& aquâ calamintæ diſſolutum,vel in pilularum formam concinnatum, quia horrendo eſt valde ſapore. Aquæ cæleſtis & imperialis cochlear vnum manè & ſerò ſumptum:confectio anacardina,theriaca vetus & mithridatium,pro ratione ætatis & temporis exhibita. Apud Auicennam & Serapionem habentur compoſitiones huic rei dicatæ. Vt

℔ Nucum cupreſſi,& corticis eiuſdem,thuris, caſtorei, myrtillorum,cumini torrefacti , puluer. è gutture veteris galli torrefacto, an. ʒ iij. fimi columbini, carabes, coralli rubr.roſarum ſic.an.ʒ ij.ſeminis rutæ & anethi,an.℈ j.Conficiantur cum melle roſaceo,vel conſeruâ cydoniorum inſtar opiatæ. De quâ detur ad quantitatẽ fabæ maioris manè & ſerò,ſuprabibendo parum vini rubri auſteri,vel aquæ primulæ veris.

Inter ea autem quæ occultis agunt viribus, maximè probantur pulueres renũ leporis ; aut veſicæ ſuis vel capri , qui dantur etiam ex vino dormituris. Item leporis cerebrum toſtum vt ſolet, & vino irroratum : caro hericij ſalſa, vulgò muses aſſi vel elixi comedendi exhibentur laborantibus incontinentiâ vrinæ, quia calidiſſimi eſſe dicuntur,

dicuntur, quo nomine paſſerculorum vel pullorum hirundinum caro mihi magis probaretur.

Externa eodem modo calefaciant, exſiccent, roborent, ſemicupia, fotus, olea, vnguenta, emplaſtra inferiori ſpinæ parti, perinæo & pubi admouenda.

Decocta igitur ad fotus & ſemicupia, necnon clyſteres, quorum magna hîc eſt agendi vis, quia proximè attingunt partem affectam, parentur ex nerualibus, vt cypero, calamo aromatico, iride Florentinâ, ſaluiâ, maioranâ, hypericone, calamento, origano, primulâ veris, lauro, lauendulâ, iuâ arthriticâ, floribus roſarum, anthos, malorum granatorum, nucibus cupreſſi, cupulis glandium, &c.

Oleum vulpinum, irinum, laurinum, maſtichinum, de caſtoreo. Vnguentum martiatum, Arragonium. Emplaſtra adſtringentia & roborantia, de maſtiche, de meliloto, & ſimilia conferunt.

Quidam ſtyracem liquidam pauco vino diſſolutam dictis partibus admouent magno ſucceſſu, vel etiam moſchi aut ciuetæ grauis aliquot in oleo conuenienti diſſolutis inungunt.

Vbi inueteratus eſt & rebellis affectus, veniendum ad ſinapiſmos, dropaces, & cauteria circa iſtas partes admota, vt euocentur foras materiæ parti adhærentes, & intemperies illa hectica, vel altiùs impreſſa corrigatur. Cucurbitulæ pubi ſæpiùs affixæ ad illud pariter prodeſſe poſſunt. Atque hæc de propoſito affectu ſufficiant.

CAPVT VII. & vlt. huius tractationis.

De laboriosâ mictione, nempe ἰσχυρίαν, στραγγουρίαν & δυσουρίαν.

LABORIOSA omnis mictio tribus potiſſimùm nominibus expreſſa fuit à veteribus, iſchurias nempe, ſtrangurias, & dyſurias, quæ ita interpretatur Aurelianus *capite proprio*: Stranguria, inquit, eſt impedimentum ſeu mictus officium retardatum: Difficultas autem quam *δυσουρίαν* vocant, quæ id adiuncto dolore præſtat: Impoſſibilitas autem quam *ἰσχουρίαν* vocant, perfecta eſt eius officij negatio. Nos itaque iſtarum vocum ſignificata, quamuis apud Galenum *lib. de cauſ. ſympt. de loc. affect. &c.* ambigua aliquando videantur, ita clarioris doctrinæ causâ vſurpabimus, vt *ἰσχουρίαν* perpetuò vrinæ ſuppreſſionem denotet, dyſuria verò dolorificam miſtionem; ſtranguria autem ſit medium quid inter hæc duo ſymptomata, vt ſi abſque dolore ſit, accedat magis ad *ἰσχουρίαν*, & ſit veluti imminuta *ἰσχουρίαν*: Si doloris ſit particeps, etiam ad *δυσουρίαν* vergat. Quibus ita poſitis deſcriptionem illarum eliciemus, ſequenti tractationi accommodatam.

Ἰσχουρία eſt mictio ablata; Stranguria, mictio ſtillatim facta, imminuta, & aliquando dolori iuncta. *Δυσουρία*, deprauata mictio & dolorifica, ob affectus ſimilares, organicos, & communes, quos variæ cauſæ morbificæ pepererunt. Iſta igitur diligenti perquiſitione indigent, vt ex cauſarum notitiâ, iſtorum etiam affectuum natura & generatio innoteſcat. Cùm ergo mictio, vt & reliquæ functiones, ritè peragatur, quoties inſtrumenta illi dicata ſecundùm naturam ſe habuerint, & ipſum obiectum, nempe vrina, ſecundùm naturam & mediocriter ſe habuerit: Inde etiam ex contrariorum lege ſequitur, diſpoſitiones præter naturam iſtarum partium, & ipſius vrinæ vitia labefactare poſſe hanc actionem, abolere videlicet, imminuere & deprauare. Porrò cùm ad mictionem celebrandam, vtpote mixtam actionem, non ſolùm diſpoſitiones organicæ, ſed etiam ſimilares & ipſa partium vnitas, neceſſariò concurrere debeant: atque vrina ſecundum qualitatem, quantitatem, & conſiſtentiam peccare poſſit: ideò ab omnibus iſtis mictioni incommodum inferri, notiſſimum eſt.

Ac proinde vt ab *ἰσχουρίαν* incipiamus, ſciendum imprimis illam eſſe duplicem; veram ſcilicet & falſam: Vera enim ea dicitur, quoties vrinâ exiſtente in veſicæ cauitate ſenſibiliter, vt ex pondere & tumore continentium partium apparet, non poſſumus mingere, ſed illa in totũ ſupprimitur. Falſa verò quando vrina non gignitur, ſed illius materia abſumitur, vt per febres ardẽtiſſimas, abſũpto humorũ ſero & eis torrefactis: vel aliò amãdatur, vt per inſignes diarrhœas, & ſudores: aut nõ delabitur in

veſicam, vt per obſtructiones, calculos, inflammationes, & ſimiles affectûs vtriuſque renis, laborantis idiopathicè vel ſympathicè, per condolentiam ſcilicet vnius inflammati aut grauiter obſtructi. Vel effunditur in abdominis cauitates vulneratis aut quomodocunque apertis vreteribus, & ſimilibus partibus. Tunc enim propriè mictio non aboletur, quia non adeſt obiectum ſiue materia illa quæ per veſicam effundi debet.

Vera ergo ἰσχυρία fit ex retentione vrinæ quæ eſt in cauo veſicæ. Retinetur autem ibi, vel ratione affectuum ipſius veſicæ, vt poſtea dicemus; vel ipſius vrinæ copioſioris, quæ nimiâ ſuâ quantitate ita replet veſicam, vt non poſſit ſeipſam deinceps cogere, & quaſi lateraliter coarctare ad eius expulſionem, quæ fit operâ fibrarum tranſuerſarum; nec vrinæ liquor ſuâ ſponte exire, quia ſibi ipſi viam præpedit, vt videmus in vaſis orificij anguſtioris, ſi humore aliquo perfectè oppleta ſint. Copioſiùs autem colligitur vrina, aliquãdo ſine morbo, vt in iis qui propter negotiorum multitudinem, diuturnam equitationem, magnatum aut aliorum quorumuis hominum præſentiam non poſſunt aut audent mingere. Aliàs autem cum morbo, vt quando mens ægrotat in delirantibus, phreniticis, lethargicis, & ſimilibus; Vel certè quando veſicæ ipſius ſenſus ita eſt obtuſus ob intemperiem frigidam humidámve, vel paralyſin vniuerſalem aut particularem, vt nullo modo percipiat vrinam intus latitantem, nec ad eam excernendam commoueatur.

Affectûs autem veſicæ qui ἰσχουρίαν pariunt, præter immodicam illam vrinæ collectionem, ſiue ſympathici ſint, ſiue idiopathici, referuntur ad adſtrictionem vel obſtructionem. Adſtrictio enim fit ab omnibus comprimentibus externis, vt inflammato vel oppleto vtero, recto inteſtino, vel colo flatibus diſtento & cruciatibus maximis correpto, fæcibus induratis, & ſimilibus. Aliquando etiam à conuulſione vniuerſali vel particulari, ob dolorem ex vlcere, inflammatione, & ſimilibus inductum, retrahente & adſtringente totam veſicam, vel certè muſculum illum ſphincterem, qui ad excernendam vrinam aperiri debet. Obſtructio verò fit ab eis quæ adhærent parti, vt tumoribus omnibus præter naturam, tuberculo in collo veſicæ aut penis canali poſt vlcerationes, fœdas gonorrhœas, & ſimiles affectûs oborto: Vel quæ continentur tantùm in parte, vt pure, pituitâ, calculo, arenulis, grumis ſanguinis, caruncvlis, & ſimilibus ductûs iſtos occupantibus & perfectè opplentibus.

Quo nomine differunt iſtæ cauſæ ab iis quæ ſtranguriam & ſtillicidium vrinæ producunt ſine dolore, quia maiores ſunt & potentiores: Sin verò iunctus ſit dolor ſtrangvriæ, mixtas habet cauſas tum ἰσχυρίας, tum δυσουρίας: Vnde Hippocrates *Aphor.* 58. *ſect.* 5. Recto inteſtino atque vtero inflammationem phlegmonoſam patiente, vel etiam renibus ſuppuratis, fit ſtranguria; quia, vt docet Galenus *in commentario*, imminuta illa mictio, quando parum & frequenter cum expreſſione & conatu mingunt, aliquando fit ex imbecillitate facultatis retentricis veſicæ, ob aliquam intemperiem, aliàs ex vrinæ acrimoniâ, vel ex vtriſque coniunctis. Sic in vteri vel recti inteſtini inflammatione, veſica vicinitatis ratione patitur, vtpote quæ intemperiei illius ab inflammatione ſit particeps, & præterea prematur à tumoribus præter naturam, qui in illis exiſtunt: In ſuppuratis autem renibus vel aliis partim à materiâ illâ in veſicam effusâ pungatur & vellicetur, partim obſtruatur; *In Epid.* 3. vocat ἀπόσασιν στραγγουριώδη: Ac proinde cùm ſtrangvriæ modi ſint multi & omnigeni, vt dicit Hippocrates *lib. de affectionibus*, quatenus eſt affectus ex ἰσχυρία & δυσουρία mixtus: ſic etiam cauſæ illius ad iſtorum affectuum cauſas ſunt referendæ.

Ac proinde δυσουρία, quæ perpetuò dolorem in ipſo mictionis actu, quemadmodum dyſenteria in deiectione præſupponit; generatur ab affectibus veſicæ tam ſympathicis quàm idiopathicis, quicuuque dolorem inferre poſſunt inflammando, comprimendo, diuellendo, erodendo, vt tumoribus phlegmonoſis aut eryſipelatoſis, calculo grandiore vel aſperiore, vulnere, contuſione, vlceribus, & ſimilibus, qui inſignem intemperiem, vel ſolutionem continui habent coniunctam: Quod enim dixit Hippocrates *in Coacis*, δυσουρίαν à phymate ſeu tuberculo veſicæ fieri, magis ſpectat ipſam ſtranguriam propriè ſumptam, quæ lato dyſurias nomine continetur. Vel dic illud tuberculum inflammationi eſſe iunctum, vnde complicatio δυσουρίας cum στραγγουρίᾳ. Vel fit ab vrinæ ipſius ardore & acrimoniâ aliquando ſimplici & ſine humorum permixtione, quam viſcerum vel totius intemperies calidior, diætæ malus vſus, & ſimilia induxerunt: Aliquando verò ex permixtione humorum, vt bilioſi vel atrabilarij ſucci, pituitæ ſalſæ & mordacis, arenularum craſſiorum & confricantium iſtos ductûs. Iſta enim omnia efficiunt, vt expultrix facultas vehementer

irritetur

irritetur, & pars ipsa sensu tactûs exquisitissimo prædita, cruciatu insigni inter meiendum præcipuè afficiatur. Vnde constat ἰσχουρίας, strangurias & dysurias à variis morbis,tam idiopathicis quàm sympathicis, similaribus, organicis, & solutionibus continui pendere. Quæ verò rursus sint causæ istos affectûs & dispositiones morbificas producentes, facile erit ex enumeratione rerum illarum naturalium, non naturalium,& præter naturam inuenire,tum etiam vniuscuiusque affectûs particulari tractatione.

Nos igitur breuiter dicamus,ex parte rerum naturalium suppressiones vrinæ,eiusdem imminutiones & ardores frequentiùs contingere in pueris, ob ingluuiem illis assuetam, & inaduertentiam mentis, vt loquuntur, quia parum sunt solliciti de excernendâ aluo, vel vrinâ stato & conuenienti tempore: Item senibus strangurias & dysurias sæpe accidere, vt est *Aphor.* 31. *sect.* 3. ob imbecilliorem vim expultricem, & collectionem pituitæ illius viscidæ, quæ diuturniore morâ in partibus quasi recocta, magnam acquirit acrimoniam. In genere illos maximè his affectibus esse obnoxios, qui vel toto corpore intemperati naturaliter, vel in partibus istis connatam quandam imbecillitatem & viarum stricturam obtinent. Res verò illæ externæ, tam violentæ & non necessariæ, vt ictus, casus, medicamentorum aut venenorum assumptio, rerum exteriùs admotarum, vt aquæ frigidioris, & similium vis; quàm necessariæ & in vsum quotidianum venientes, multum possunt ad affectûs istos generandos; vt ciborum & potuum malæ qualitates, substantia coctioni inepta, aut quantitas nimia: Somni & vigiliarum immoderantia: Aliarum vacuationum suppressio, vel fluxus immodicus: Violentæ animi passiones: Venus intempestiua: Otij aut laboris superfluitas: Aëris que vehementes intemperies, aut malignæ constitutiones. Inde Hippocrates *Aphor.* 5. *sect.* 3. flante boreâ contingere δυσουρίας φρικώδεις scripsit: Et *Aphor.* 16. vult strangurias in siccitatibus temporum fieri, ob generationem bilioſi succi,qui tunc vrinæ liquori copiosiùs permiscetur. Et *Aphor.* 22. *eiusdem sect.* fieri autumno voluit, quoniam acres & maligni humores, qui anteà dum vigeret verna tempestas aut æstiua, per sudorem aut insensilem transpirationem vacuabantur laxatis poris & externâ cute, tunc quasi interceptis viis inæquali illo frigore,ad vesicam recurrunt:addè quòd vesica membranosa & neruea, imbecillis frigore nouo & intemperie eiusmodi variâ redditur.

Vt igitur externæ causæ conferunt multum ad affectuum istorum generationem; sic internæ omnes dispositiones præter naturam,tam vniuersales quàm particulares, quæcunque cumulandæ plethoræ vel cacochymiæ multiplici aliquid conferunt, eámque versùs vias istas præcipitant: aut certè immediatos illos affectûs à nobis recensitos, tumores præter naturam, vlcera, calculos, arenulas, purulentam materiam, & similia producunt. Iam igitur ad eorum διάγνωσιν veniamus.

Cognitio affectuum istorum, quod spectat ad symptomatum ipsorum essentiam, facilis est & imperitissimo cuique notissima. Abolitiones enim, imminutiones, & deprauationes istius actionis per seipsas statim deprehenduntur. Tota igitur difficultas hîc versatur in cognitione partis affectæ primariò vel secundariò, dispositionis morbificæ, à quâ immediatè actio illa læditur: & causarum quæ istam dispositionem pepererunt, vel iam fouent & augent. Ischuriam itaque falsam, quæ non fit ex suppressione liquoris vrinarij in vesicâ contenti,sed potiùs ex obstructione renum, solutione vreterum, consumptione serositatum,vel transmissione in alios corporis ductûs cognoscemus, eo quòd nulla existit circa regionem pubis tensio vel pondus, sed potiùs inanitas quædam sentitur, & immisso liberè in vesicam catheter, nihil vrinæ emittitur: Præcesserunt signa calculi in renibus aut vreteribus, inflammationes, disruptionis aut alterius cuiusuis obstructionis. Prægressa est febris ardens,quæ serum illud & humiditates ex quibus conficitur vrina,insensibiliter absumpsit; vel sudores, diarrhœæ, & similes vacuationes, quæ sensibiliter eiusmodi materiam extra corpus eduxerunt.

Quòd si ἰσχουρία vera contingat ex retentione vrinæ, quæ in vesicæ cauo delitescit: Agnoscemus vtrùm pendeat ex vrinâ tantùm copiosiore ibi collectâ, quæ impedit contractionem vesicæ,si quidem negotiis deditus homo, aut incautus iuuenis ob diuturniorem equitationem, loci aut personarum præsentiam, omiserit longiori spatio mictionem celebrare: ita vt deinceps quando voluerit, vrinam excernere non potuerit, quamuis de nullo partis alicuius morbo conquereretur: Sin verò delirio laborârit, lethargo, paralysi, aut torpidiore sensu vesicæ, ob frigiditatem illius, vel neruorum obstructiones, collisiones & similes affectus, propter quos non

excreuerit iamdiu vrinam, indicia etiam istarum passionum & causarum quæ illas induxerunt, erunt manifesta, & affectus naturam demonstrabunt.

Idem dicas de vesicę & totius canalis vrinarij obstructionibus vel adstrictionibus: Nam adstrictiones quæ accidunt à conuulsionibus retrahentibus vesicæ corpus aut peculiarem musculum, si quidem sint vniuersales, aut pendeant ex malis dispositionibus eorum neruorum, qui ex vertebris lumborum deriuantur in vesicam, facile erit ex istorum læsione affectum istum deprehendere. Quemadmodum adstrictiones & compressiones quæ fiunt à vicinis partibus inflammatis, aut alio tumore præter naturam obsessis, notæ sunt ex signis partium istarum affectarum. Obstructiones verò propriæ istius canalis à rebus illi adhærentibus, vt phlegmone, tuberculo, carunculâ seu verrucâ intus genita post illius exulcerationes, facilè ex præuiis illis morbis dignoscentur: Et quòd immissâ in virgæ canalem candelâ, catheteræ, vel quouis cauliculo, non potest penetrare, sed ibi subsistit, vbi adest corpus illud obstruens. Idem dicas de pure, sanguinis grumis, pituita, calculo, arenulis, & similibus. Vt enim portiunculæ istorum exeũtes, vel immisso catheteri sæpiùs adhærentes, ostendunt reliquias morbi intus latitare; sic præuij dolores in calculo, si sit deciduus à renibus, vel si sit genitus in vesicâ, eorum accidentium concursus, quibus solet comitari, facient fidem istorum omnium, & ostendent causam, quæ ischuriæ ortum dederit; quemadmodum & stranguriæ, quoties illa pendebit ex eisdem causis, sed tantùm imminutis, vt sæpe contingit.

Δυσουρίαν item agnoscere quæ sit à dispositionibus morbosis & dolorificis ipsius vesicæ, eâdem conuenit methodo, quæ in particularibus illarum enarrationibus fuit proposita, siue sint idiopathicæ siue sympathicæ. Vlcerationes enim, tumores phlegmonosi, calculi asperiores, & similia, suas habent notas manifestissimas, suis etiam locis traditas. Quæ verò sit ab vrinæ ardore simplici, quam intemperies viscerum vel totius, malum vitæ regimen, durior equitatio, assumptorum acrimonia, & similes causæ pepererunt, tam ex istis quàm colore ipsius vrinæ intenso, & mordicatione illâ quam infert, dignoscitur. Sin verò humorum bilioſorum, puris, pituitæ salsæ, aut arenularum effusio in vesicam id efficiat, facile erit istos succos vrinario liquori permixtos deprehendere, ex totius corporis constitutione, & vrinæ coloribus, consistentiâ ac contentis, & à quibus deriuentur partibus indagare: ac proinde affectuum istorum τεκμαρσιν solerti animo stabilire.

De Prognosi ergo dicamus: operationem istam ad vitæ munera necessariam, non posse impediri aut deprauari, quin graue aliquod malum toti impendeat corpori. Vt enim suppressio vltra quintum diem perseuerans, certam adfert mortem ex suffocatione; sic stranguria & dysuria, quia dolori & assiduæ quasi molestiæ coniunctæ sunt, vigilias, vomitus, & ciborum ingentia accersunt fastidia, aliquando cum febre, periculum est tabis & consumptionis totius corporis ab exhausto tam spirituum quàm humorum. ἰσχυρία quæ fit ab obstructionibus, disruptionibus, & similibus affectibus renum & vreterum, omnino est incurabilis & desperata, quia vix locus est medicationi: ægri enim priùs intereunt, quàm illæ dispositiones curari possint. Idem dicas de illâ, quæ à grumescente in vesicâ sanguine inducitur. Nisi enim admotis medicamentis citò dissoluantur, pallor, cardialgia, & tandem syncope hominem corripiunt & è medio tollunt. Quod elegãter expressit Hippocr. *in Coacis* ἀιμαλώδης ἔρπης ὀπισθίη, ὀλίθριος ὀπωτίνως, *cruenta mictio suppressa lethifera cum dolore vel labore.* Instante autem per ἰσχουρίας morte, singultus à repletione inducitur, ob refluxum materiæ ad superiora, & teter halitus vrinæ odorem referens per os & nares eructatur: aliàs veternosâ seu cataphoricâ affectione correpti intereunt. Est tamen aliquando apud Hippocratem 6. *Epid. part.* 1. ἰσχυρία quædam critica, quam vocat τὴν τῦ ἄρω ὀπίσιον πρὸ ῥίγεος; *vrinæ suppressionem quæ rigori præmittitur*, dum scilicet natura sudoribus intenta materiam istam communem, ab vrinæ viis ad externum corporis habitum transmittit. *In Coacis etiam prænotionibus*; Vrinæ ἀναλήψις & grauitas in imo ventre sæpiùs stranguriam futuram denunciat, vel alium quemuis morbum, ex quo ægrotare consueuerunt, ex naturæ scilicet perturbatione & impotentiâ, morbi alterius vel causarum morbificarum aduentum præsentientis, quæ munere hoc ad vitam necessario non potest commodè perfungi. *Ibidem* etiam annotauit ileo ischuriam, & ischuriæ ileum sæpe cum graui & certo ægrotantium periculo coniungi. Quod eodem modo de stranguriâ pronuntiauit, *Aphor.* 44 *sect.* 6. vbi vterque affectus a pituitâ putri & crassâ pendet, inductus istos copiosiùs & confertim illabente.

Dysenteria etiam, quamuis leuior superioribus affectus, attamen diutiùs perseue-

rans,

raus, ita hominem affligit,vt ſenſim conſumat & in maraſmum præcipitet, potiſſimùm quando ab vlcere proprio veſicæ vel renum,tuberculo inflammato,aut calculi præſentiâ proficiſcitur,quia difficile eſt admodum illis mederi. Aliæ verò dyſuriæ faciliùs curantur, dummodò non inueteraverint, quia contracto iam malo habitu, vix immutari poſſunt, & veſicæ ſubſtantia diuturno acriorum ſuccorum contactu, non ſolùm incaleſcit,ſed etiam exulceratur. Peſſima eſt dyſuria febri iuncta continuæ,quia auget intemperiem febrilem dolor ille aſſiduus in meiendo, & ægros crebriùs cogit exſurgere: febris autem materiam acrem & bilioſam ſuppeditat huius mali fomitem. In ſenibus certè, omnibus ſcilicet iis qui ſexageſimum ætatis annum exceſſerunt, ſuſpecti valde iſti omnes affectus, quia languidulus illorum calor vix poteſt vitia partium iſtarum exanguium & remotarum emendare:quemadmodum ſi ex hæreditario quodam iure profecti ſint. Et hoc noſtro ſæculo dyſuriæ ex impuro concubitu contractæ non curantur vulgaribus remediis, ſi iam altiùs radices egerint, ſed indigent propriis illis antidotis, quibus lues Venerea expugnatur. Nunc paucis therapeiæ iſtorum affectuum ſtudeamus.

Cùm igitur dicti omnes affectus ſint præter naturam, & à variis cauſis atque diſpoſitionibus morbificis producantur, ſui ſublationem ſuadent, idque inſtitutis remediis pro varietate diſpoſitionum à quibus fiunt. Ac proinde non ſolùm externarum cauſarum,à quibus aliquando principium huius calamitatis, aut certè augmentum contigit, ſi adhuc perſeuerent, habenda ratio: ſed etiam omnium antecedentium, quæcunque interiùs poſitæ aliquid ad illius generationem vel durationem conferunt. Illis enim perſeuerantibus,fruſtrà proximarum ſeu coniunctarum correctioni ſtuderemus,quæ ſunt illarum veluti ſoboles & propago. Imprimis itaque inſtituatur victus ratio,quæ vnicuique ſit accommodata, neque vllum præcipuæ curationi impedimentum afferat.

Ac proinde vt ab ἰσχυρία ſecundùm ordinem iam propoſitum incipiamus,cùm illa ſit vera aut falſa;hæc autem fiat ob cauſas extra veſicam ipſam poſitas, vt dicebamus; earum ſublatio ex propriis repetenda capitibus. Vera autem cùm pendeat aliquando ab immodicâ vrinæ quantitate in veſicæ cauo collectæ,ſi quidem illud contigerit ſine morbo,ob negotiorum tantùm importunitatem, facilè curatur compreſſione ſimiliter factâ ipſius hypogaſtrij verſus inferiora admotis ambabus manibus, ſitu ægrotantis conuenienti,vt veſica ſit decliuior;aut tandem catheteris immiſſione,per quem eductâ portione ſeroſi illius humoris, natura deinceps reliquum facillimè expellet.

Sin verò ob morbi vim,vt præſentis delirij, paralyſeos, & quomodocunque obtuſioris veſicæ ſenſus ob frigidiorem intemperiem, ea vſurpanda, quæ iam capite de incontinentiâ vrinæ dicta fuerunt: peculiariter autem oportet veſicæ ſenſum & actionem excitare vellicantibus & titillationem inferentibus, vt pilis minutim conciſis,grumo ſalis,aut nitri in meatum vrinarium immiſſis, vel factâ iniectione per ſyringam ex melle roſaceo & pauco hieræ picræ puluere, aut oleo de ſcorpionibus; Quidam pediculum aut viuum cimicem apponunt canali virgæ, vt perreptatione illâ ſuſcitêt vim excretricem ſopitam. Deinde fotus aut ſemicupia inſtituunt ex calfacientibus,vt decocto ſeminis lini,napi,& fœnugræci;foliorum rutæ,ſampſuchi,artemiſiæ,ſenecionis,dauci,parietariæ,ſiſymbrij,calamenti,apij,fœniculi, chamæmeli, pulegij,origani,thymi, centaurij vtriuſque,& ſimilium; quibus addunt inunctiones oleorum nardini,de caſtoreo,de ſcorpionibus,cum pinguedine cuniculi, & gallinæ axungiâ,paucóque puluere irino,vermium terreſtrium, aut etiam cicadarum diſſolutorum Eadem per ſedem iniici poſſunt paucâ quantitate, quia proximè contingunt veſicam: Vidimus enim multos deploratâ ἰσχυρίᾳ detentos,quibus vrina iniecto clyſtere ex aperientibus iſtis & emollientibus ſingulariter comparato,ſtatim prodiit.

Per os autem exhibere aperientia ad corrigendum iſtum affectum præſentem, non videtur eſſe ex vſu,quia magis adducent materiam verſus ipſam partem, & diſtentionem augebunt:ſed tantùm præcautionis cauſâ,vt ſcilicet præmiſſis purgantibus & præparantibus neceſſariis deinceps diuretica iſta humores frigidiores craſſioréſque veſicæ parietibus adhærentes fundât & attenuent;vel certè proprietate quadam,veſicæ torpidiorem ſenſum ab intemperie inductum corrigant. Ad id laudatur puluis cicadarum, vermium terreſtrium, aut ex veſicâ muſtelæ, cum hydromelite, aut aquâ parietariæ ſumptus: Multi pro ſecreto habent Chryſocollam ad ʒ j. in formam pilularum,aut cum decocto cicerum rubeorum,& cinnamomi exhibitam.

ἰσχυρία autem quæ fit ab adſtrictione ipſius veſicæ ob circumiecta corpora,vterum, rectum

rectum inteſtinum,tumores præter naturam totius ventris inferioris,flatus, fæces induratas,& ſimilia,non recipit particularem curationem,ſed vt tota pendet à ſympathiâ iſtarum partium ; ſic etiam primariis illis affectibus ſublatis tollitur,aut certè illis perſeuerantibus,ægrotantes è medio tollit, quod eadem ratione aſſeri poteſt de conuulſione veſicam aut eius muſculum contrahente, ſiue à ſiccitate & inanitione, ſeu repletione, vel doloris acerbitate contingat.

At verò illa ἰσχουρίαν, quæ ſequitur proprias veſicæ aut canalis vrinarij obſtructiones,ſedulâ indiget animaduerſione, vt pro diuersâ cauſarum iſtarum obſtruentium conſtitutione, illi etiam opem adferre valeamus. Ac proinde ſi obſtructiones iſtæ pendeant à rebus ipſi parti adhærentibus, vt tumoribus præter naturam frigidis vel calidis, earum methodus therapeutica peculiariter inſtituenda, vt ex ſuperioribus colligi poteſt : Si à tuberculo vel carunculâ in veſicæ collo aut virgæ canali obortâ poſt exulcerationes virulentas,vt ſæpe fit in diuturniore gonorrhœâ : vbi eiuſmodi tuberculum calloſum & duriuſculum fuerit, primò emollientibus & relaxantibus præparetur,deinde immiſſo cathetere,ſcirpo terete,aut candelâ cereâ rumpantur & atterantur. Vel ſi res ipſa maiores dederit inducias,puluere quodam erodente & cathęretico abſumatur caro illa ſupercreſcens, & deinceps deterſum vlcus æquali cicatrice obducatur, admotis exſiccantibus & adſtringentibus. Quæ omnia peculiariùs in tractatu noſtro de Lue Venereâ docuimus.

Sin verò illæ obſtructiones ἰσχουρίαν producentes, ſint à rebus in veſicâ aut prædicto meatu contentis tantùm,non adhęrentibus,vt calculo,grumis ſanguinis,pure,pituitâ,& ſimilibus, ita erit progrediendum. Si quidem calculus ille grandior, veſicæ collum occupet,conandum omni arte,vt ab ipſo meatu recedat,ita figurato ægro vt eleuatis ſurſum cruribus, plurimùm & diu concutiatur, deinde immiſſo cathetere protrudatur verſus fundum ipſius veſicæ. Ac deinceps æger lithotomo committatur, qui extractione lapidis impediet,ne rurſum in iſtos cruciatus incidat. Sin verò exiguus fuerit ille calculus,qui iam intra virgæ canalem penetrarit,relaxãdus meatus ille mollientibus & humectantibus oleis,linimentis ac fotibus, vt deinceps leui compreſſione penis,ſenſim deducatur ad extremum vſque pudendi,& ibi ſi ſponte non exeat,forcipibus attritus, educatur foràs. Vbi profundior eſt,quàm attingi poſſit inſtrumentis Chirurgicis, quidam exiſtimant confringi iniectione factâ per ſyringam ex ſucco raphani,& pauco aceto,vel limonum ſucco & hypericonis. Si hæc non proficiant,ligato pene in ſuperiore atque inferiore loco, lateraliter aperienda erit pars, & inde educendus calculus,vt ſuo loco diximus.

Vbi verò grumi ſanguinei hanc veſicæ obturationem efficiunt, citò proſpiciendum, quia non ſolùm ratione ἰσχουρίας necem inferunt,ſed etiam putrilagine ſuâ & tetro vapore in præcipuas partes delato. Ad eiuſmodi itaque grumos diſſoluendos ſumptis & admotis propugnandum. In aſſumendis videndum primùm,vt priùs vena illa ſanguinem fundens occludatur, ſi fieri poſſit, ne ab eiuſmodi medicamentis hæmorrhagia iſta augeatur. Inter aſſumpta recenſentur ſyrupus acetoſus, oxymel vtrumque,mumia, leporis aut hœdi coagulum, decoctum ſarmentorum vitis, aqua nucum,carpobalſamum,carabe puluerisata ad ʒ j. cum vino albo exhibita. Eadem oxymelite diluta iniiciantur,deinde admoto cathetere, ſi nihil exeat, & iam pallor ora ægri occupet,ſudor frigidus cum lipothymiâ oriatur, non eſt alia eripiendi hominem ex Orci faucibus ratio, quâm ſi Aretæi atque Aëtij conſenſu perinęum incidatur,vt ſolet in calculo,& per eiuſmodi vulnus materia iſta educatur.

Quòd ſi à puris copiâ craſſioris,vel viſcidâ pituitâ,ſuppreſſio iſta vrinæ contingat, antequàm illorum eductioni per vrinas incumbamus, præparandum corpus & conuenienter expurgandum, ne incidentibus & attenuantibus vſurpatis magis impingantur humores verſus iſtam partem. Ad id valet plurimùm terebinthina cum puluere liquiritiæ ſæpiùs exhibita,aut etiam bolus ex dimidiâ diaphœniconis vnciâ, & rhabarb. puluerisati ʒ ß. paratus,ſi quidem maior appareat cacochymia. Deinde rad. aperitiuarum decoctum cum oxymelite aut ſyrupo byzantino propinari poterit, eáque omnia quæ ad arenulas confringendas expurgandáſque ſuo lõco fuerunt tradita. Quibus adiunges topica incidentia & emollientia cum iniectionibus commemoratis. Atque hæc de variâ ἰσχυρίας curatione ſufficiant,ſi quidem annotaueris in omni ἰσχυρίᾳ parcè bibendum nutriendúmque, ne multiplicetur materia illa ſeroſa, quæ vrinam multiplicat.

Stranguria verò, quæ aliquando imminuta eſt tantùm ἰσχουρία, vt diximus, aliàs compoſitus ex dyſuriâ & ἰσχουρίᾳ affectus,quoties dolorem habet comitem,particeps etiam

etiam erit vtriusque curationis. Quod eleganter indicauit Hippocratës *Aphor. illo 48 sect. 7. Stranguriam*, inquit, *& dysuriam vini meracioris potio, & phlebotomia venarum interiorum soluit.* Vbi enim stranguria à crassiorum humorum collectione, aut torpidiore ipsius vesicæ sensu, ob frigidiorem intemperaturam contigerit, non est mirum si vini potio meracior & copiosior illam discutiat: Quemadmodum vbi dysuriæ est particeps, ob inflammationem, vlcerationem, & acriores succos, si iuuetur venæ sectione poplitis aut malleoli interni, quæ portionem causæ ipsius, non solùm antecedentis, sed etiam coniunctæ καθ' ἕξιν euacuat. Quod adhuc confirmat *lib. 2. Epidem.* Dicamus igitur, Stranguriam, quæ fit magno quidem conatu & stillatione, sed dolore nullo, pro varietate causarum suarum, quę in ἰσχυρίαις propositæ sunt, esse curandam: & si quidem συμπαθητικῶς tantùm fiat, maiorem esse habendam primarij affectus, quàm ipsius stranguriæ rationem. Sin verò dolori sit iuncta, ita vt stillicidium illud magnam dysurias speciem referat, tunc eâdem methodo erit progrediendum, quæ iam à nobis proponetur.

Dysuria ergo quæ omnem dolorificam mictionem complectitur, cùm fieri possit, vt diximus, ab omni affectu tam sympathico quàm idiopathico, cui insignis intemperies potissimùm calida, solutio continui, distensio, aut tumor præter naturam iuncta fuerint, vel etiam à solo vrinæ ardore simplici & absque materiâ, sæpiùs tamen humoribus salsis, mordacibus, putridis, purulentis, biliosis, pituitosis, &c. coniuncto. Idcircò ista omnia diligenter agnoscenda & perpendenda, vt deinceps ad ordinariam causarum sublationem accedere possimus.

Ac proinde quæcunque dysuria proficiscitur ab inflammationibus vesicæ aut vicinarum partium tumoribus phlegmonosis aut erysipelatosis, calculo, arenulis, vlceribus, purulentâ materiâ, carunculis virulentis, & similibus; illius curatio pendet omnino ab affectuum istorum sublatione, à nobis superioribus capitibus traditâ.

Illa verò quam excitat simplex vrinæ ardor sine humoris copiâ, indicat sui correctionem, temperatis visceribus, totóque sanguinis sero ad symmetriam reuocato. Quod fiet imprimis institutâ victus ratione conuenienti; vnde cibi & potus instituentur ex mediocri substantiâ & coctili, refrigerantes, modicè incrassantes aut lenientes, eáque quantitate quæ calori partium concoquentium respondeat: Vt enim ieiunium illis nocere potest inflammando & exurendo humores; sic nimia repletio suggerendo materiam huic affectui aduersam, & ex simplici intemperie compositam siue humoralem faciendo: potissimùm si vino vtantur meraco & generoso; salsis, frixis, piperatis, aliisque acribus & acerbis, vt sinapi, cepis, alliis, porris, nasturtio, erucâ, & similibus, necnon incidentibus aut detergentibus, vt caricis, passulis, asparagis, fœniculo marino, oliuis, capparibus, ciceribus, cum apio, petroselino & similibus. A quibus omnibus diligenter sibi temperare debent, eorúmque loco vesci pane molli & recenti, sine sale parato, hordeatis, amygdalatis, panatellis, iusculis cum maluâ, atriplice, portulacâ, acetosâ, endiuiâ, & lactucâ alteratis. Cucurbitis etiam, melonibus, peponibus, & cucumeribus, necnon ὡραίοις fructibus, cerasis, prunis, pomis, persicis, & similibus vti licebit mediocriter: quamuis enim seri materiam multiplicare videantur, quia tamen eam frigidiorem reddunt, & viscera temperant, ideò maius adferent hac ex parte commodum: Carnes etiam iuniorum animalium, vt hœdorum, vitulorum, castratorum, pullorúmque conuenient, & pisces omnes squamosi fluminum aut maris accolæ, longè à paludibus aut littore, iíque conuenienter cocti & præparati, sine aromatibus, vino, oleo, & similibus, quæ facilè inflammantur: Casei etiam molles, recocta, lactis serositas, oua recentia & tremula conuenient: cum potu aquæ fontanæ, quo solo multi in sanitatem sunt restituti, vel certè additâ tantùm tertiâ vel quartâ parte vini rubri ὀλιγοφόρου, aut albi austeri & infirmioris.

Vtque alimentorum ratio habebitur; sic etiam rerum omnium aliarum non naturalium: Coitum enim omnem, nimiam exercitationem, vigilias immoderatas, iram, & cætera animi pathemata diligenter euitare debent, ne istis magis incalescant viscera, & humorum serosæ partes præcipitentur in vesicam, debitámque alui excretionem procurare, vt per istum ductum eliciantur excrementa communia, quæ facilè versus vrinas refluere possunt.

Quemadmodum igitur istud πάθος quibusdam hominibus ex natiuâ partium intemperie proficiscitur, aut certè latitudinem sanitatis sæpe non excedit: sic etiam solâ diætâ iam à nobis præscriptâ correctionem aliquando suscipit. Quòd si iam altiùs radices egerit, potissimùm verò permixtis humoribus alienis ipsi

vrinæ, tunc maiora etiam remedia admouenda, purgatio videlicet, & venæ sectio, non neglectis alterantibus & præparantibus, tam internis quàm externis.

Quod ad purgationem ergo spectat, multi existimant illam nullo modo ex vsu esse in dysuriâ, propterea quòd catharticorum vi exasperatur magis, caliditate scilicet vt plurimùm præditorum, & humores ex toto corpore in ductus istos attrahentium, vnde dolor & inflammatio vesicæ maior, aut saltē intestini illius recti, cum quo magna illi societas & condolentia. Attamen non existimamus in cacochymiâ humorum putridorum, salsorum & acrium per vrinæ meatus confluentium priuandos esse ægros istos purgationis mediocris commodo, quæ neque inflammet, neque conturbet nimiùm totum corpus, vnde omnibus diagrediatis, colocynthiatis, & similibus acrioribus, aut potentioribus omnino abstinendum esse censemus in hoc affectu. Lenientibus autem vel modicè adstringentibus vacuationem istorum succorum per ἐπίκρασιν, & repetitis vicibus esse moliendam, vtpote in bilioforum succorum redundantiâ, cassiâ, tamarindis, syr. rosato solut. mannâ, rhabarbari infuso & puluere, myrobalanis citrinis, catholicone, trypherâ Persicâ, & similibus: vel syrupo aliquo aut opiatâ magistrali ad id conuenienter præscriptâ. In pituitosis tumoribus terebinthinâ diligenter lotâ, radice mechoacan, agarici pulpâ cum pauco rhabarb. in pilularum formam confecto, & similibus: Sic enim fiet commoda illorum expulsio & deriuatio in ductus intestinorum, loca scilicet conferentia & naturæ consueta, vt per clysteres mollientes & leuiter purgantes. Quòd si qui sint ad vomendum bene comparati, non oberit in magnâ succorum quantitate circa primam corporis regionem præcipuè stabulantium, vomitum concitare ex mitioribus medicamentis, aut immisso post cœnam paulò vberiorem in fauces digito, vel pennâ oleo imbutâ.

De venæ autem sectione non est dubium, quin præsente insigni plethorâ, aut ardore hepatis, reliquorúmque viscerum, vel metu inflammationis in istis partibus, quin, inquam, illa celebranda sit, non solùm semel, sed etiam pluribus vicibus, vt res ipsa suadebit, ex venâ cubiti potissimùm dextri, propter hepatis situm, ex quo fluxionis istius calidioris origo proficiscitur. Quamuis enim Hippoc. *Aphor.* 36. *sect.* 6. videatur interiores malleoli venas eligere in curandâ dysuriâ: illud tamen fit potiùs vacuationis particularis causâ, ex parte iam inflammatâ, quàm refrigerationis totius corporis & reuulsionis, quæ hîc valde est necessaria.

His ita institutis ad vacuationem humorum peccantium & reuulsionem, tunc alterantibus expugnanda erit illa acrimonia, & caliditas sumptis & admotis. Præscribantur itaque iuscula pullorum in plures dies cum herbis dictis, emulsiones seminum frigidorum, & papaueris albi, iulep Alexandrinum, syrupus violaceus, nenupharinus, & papauerinus, cum aquâ fontanâ dissoluti; succus pomorum redolentium & borraginis; apozemata ex decocto maluarum, solani hortensis, & acetosæ, mucilagines seminis psyllij; serum lactis caprilli, vel totum etiam lac asinæ, quod lenit & mulcet dolores internos, acrimoniámque humorum temperat. Quibus non erit extra rem, interiorem vesicæ cauitatem per syringam proluere. Similibus etiam opiatis, trochiscis, aut tabellis vti, non erit incommodum. Diureticis autem verè dictis, nisi refrigerent, & vrinam meatúsque istos excalfactos temperent, idque post purgationem, nullo modo vtendum.

Exteriùs vsurpentur balnea refrigerantia & humectantia sæpiùs dicta, fotus & semicupia, inunctiones ex vnguento rosaceo, santalino, & similibus, cum oleo violaceo & pauco aceto. Quòd si renes feruidiori temperamento sint præditi, epithematib. conuenientibus refrigerentur, vel etiam laminâ plumbeâ supra lumbos gestatâ, pluribus foraminibus peruiâ, & aquis endiuiæ vel lactucæ sæpe irrorata. Denique omni ingenio procuretur, ne ardor iste vrinæ in veram inflammationem aut vlcerationem degeneret, aut ex recoctis in vesicâ eiusmodi succis calculus suscitetur. Caphuræ vsum tam externis quàm internis remediis multi commendant ad istos vrinæ ardores, quod de verâ & genuinâ intelligendum, non vt vulgò habetur factitiâ & adulteratâ. Atque hæc de ἰσχουρίᾳ, στραγγουρίᾳ & δυσουρίᾳ, cæterísque Renum & Vesicæ affectibus sufficiant.

IOANNIS

Digitized by Google

IOANNIS VARANDÆI

TRACTATVS THERAPEVTICVS,

DE MORBIS MVLIERVM; TRIBVS LIBRIS COMPREHENSVS.

LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO;

In quâ Operis diuiſio, & examinata quæſtio, An Fœmina ſit imperfectior Mare?

ANTEQVAM ad inſtitutam de propriis affectibus mulierum tractationem denuò aggrediamur (A.O.) quoniam ſubiecti iſtius dignitas, nempe muliebris corporis præſtantia, dulcedo, & elegantia, vt vtilitatem & neceſſitatem omittam, tam ad vitæ communionem feliciorem, quam ſpeciei propagationem, nos impulit, vt animum cogitationémque noſtram huic operi iamdiu admoueremus. Ideò non omnino extra rem eſſe videbitur fortaſſe, ſi in hoc prælectionum noſtrarum limine & quaſi ortu poſiti, ad quem Ianus noſter Iatricus feliciter hoc Ordinarium renouaturus acceſſit, de fœminarum præſtantiâ & dignitate paucis diſſeramus, aduerſus eos qui μυσογυναικίᾳ quadam ducti, illarum naturæ & ſexui inſultare atque etiam iniuriam facere auſi ſunt.

Inter quos primus & quaſi Anteſignanus Ariſtoteles lib. 4. de generat. animal. cap. 3. & 6. *miris modis muliebrem naturam inſectari videtur: dum vult τὴν θηλύτητα ἴσως ὡσανεὶ ἀναπηρίαν φύσεως: fœminam eſſe veluti παρέκβασιν καὶ παρεγγὲς, excurſum & præuaricationem naturæ: non intendi primariò in ipsâ generatione, ſed eſſe animal. occaſionatum, quaſi dicas mutilum & imperfectum: διὸ τέρας, quaſi monſtrum.*

Illius etiam ſententiæ quodammodo fauere videtur Galenus 14. de vſu partium cap. 6. & 7. *vbi ait vim in humano ſemine formatricem, cum vna ſit, vnum tantùm intendere, nempe marem: quod ſi ab inſtituto aberret, neque marem generare poſſit, fœminam creare, quaſi marem imperfectum & deficientem, cuius genitalia intus recondita lateant defectu caloris, qui non potuit foràs ea trudere, quemadmodum in maſculis: cùm tamen ſibi inuicem reſpondeant iſta membra in vtriſque, teſtes teſtibus, vaſa ſpermatica eiſdem vaſis in maribus, ceruix autem vteri inuerſa, virili pudendo ſeu mentulæ: vteri autem corpus ſiue fundum ſcroto. Ac proinde fœminam eſſe quaſi inuerſum aut peruerſum marem, cuius procreatio ſit quaſi per accidens, defectu perfectioris, vt dicebamus.*

Verùm iſta non arrident nobis, neque veritati conſentanea videntur, qui fœminarum patrocinium hodie aduerſus tantorum virorum placita ſuſcepimus. Vt igitur cauſam hanc noſtram tueamur, dicimus naturam dum animantium propagationi, &

ſpecierum conſeruationi ſtuderet, non potuiſſe in perfectis potiſſimum ſpeciebus indiuidua ex vnico principio producere: ſed neceſſarium fuiſſe ad commodam generationem, vt eſſet aliquid, quod principium formale ſiue ſeminalem vim continens illam communicaret extra ſe alteri, quod locum habens idoneum, & materiam accretioni & nutritioni accommodatam, fœtum ſpecie ſimilem intra ſe concipere & ad terminos vſque incrementi idoneos conſeruare poſſet, antequam vitali aurâ frueretur. Vnde contigit illa diſtinctio in perfectioribus ſpeciebus maris & fœminæ, per quædam accidentia ad generationis vſum facientia: putà temperiem & variam conformationem partium genitalium.

Modò cum tale ſit inſtitutum & finis naturæ propoſitus in animalium generatione, quod nemo ſapiens & vſu rerum confirmatus inficiari audeat: quis etiam non videt fœminam in productione fœtus non minus intendi quàm marem, cuius vſus multo maior quam marium ad ſpeciei propagationem, quoniam intra ſe, dum ſcilicet in vtero continetur fœtus, debet illa omnia conferre quæ perficiendo fœtui neceſſaria ſunt: & extra ſe, dum lacte nutritur, illa quæ ad ſuſtentandam & educandam ſobolem, tenellam adhuc & iniuriis obnoxiam, requiruntur. Non eſt igitur error naturæ, non excurſus, aut prauaricatio, non fit per accidens, ſi ab eâ primariò ad finem illum præſtantiſſimum generationis intendatur: neque monſtrum aut ἀναπηρία ſeu mutilatio, quia eiuſmodi errores in paucis tantum contingunt, neque defectus diuidunt ſpeciem. Imò videtur natura, ſi hoc nobis proferre liceat, magis intendere fœminæ quam mari generationem, quoniam in perfectioribus tantum ſpeciebus animantium illa ſexuum diſtinctio apparet & quia plures producuntur fœminæ in humanâ ſpecie quam mares, vt facilior ſit illius reparatio, vt patet apud illas gentes quibus πολυγαμία vel promiſcuus cum fœminis congreſſus fuit conceſſus: ex vno enim aut altero mare facile eſt infinitam quaſi ſobolem, ſi plures adſint fœminæ, ſuſcipere, & defectum pereuntium in dies virorum reparare. Hoc in luporum ſpecie valde eſt manifeſtum: lupi enim ideo non poſſunt multum ſeſe propagare, quoniam etſi ſit animal πολυγονὸν multiparum, tamen inter fœtus quos edit, plerique mares, raræ exiſtunt fœmellæ.

Vnde legibus & conſuetudine longâ receptum videtur, vt fœminæ domi ſeſe magis continerent, quam mares, raro ſeſe nauigationibus aut aliis periculis exponerent, & à bellorum inſultibus tutæ manerent: non quòd imbellis ſit & impotens fœminarum natura, vt quidam exiſtimant; quinimo contrarium ſatis oſtendit Amazonum, Thracum & aliarum mulierum fortitudo, quoties neceſſitas coëgit illas rebus incumbere bellicis, & ſui hac in parte ſpecimen præbere: Sed quia multo magis ad generis humani conſeruationem neceſſariæ, quàm mares debent ab omni iniuriâ & cæde, etiam ſauiente Martis tumultu, immunes manere, vt ſcilicet pereuntibus in pugnâ viris, ex paucis tamen eorum ſuperſtitibus poſſit humana ſpecies plurium fœminarum beneficio citò reparari. Ergo cum fœmina ἀναγκαιοτέρα τῇ Φύσει, vt ipſemet fatetur Philoſophus non erit error naturæ generantis, non erit animal occaſionatum, ſed primariò & ad ſummam perfectionem illius genitum.

Atque vt res iſta clarior multò euadat, videamus etiam, vtrum poſſimus adhuc oſtendere aduerſus iſtos μισογυναίκας fœminarum oſores aut potius vituligatores, fœminam non ſolùm eſſe perfectum quid ratione finis generationis, ſed etiam comparatione factâ ad marem, ſecundum qualitates vnicuique inhærentes, ſuam habere perfectionem, quæ illi parum aut nihil cedit. Diximus enim prius ſexum accidentibus quibuſdam diſtingui, præcipuè autem temperie, & conſtitutione diuersâ partium genitalium: nunc excutiendum, vtrum etiam hac in parte fœminæ maribus habendæ ſint inferiores vel ſuperiores.

Primò quod ad temperiem obiicium aduerſarij, fœmina frigidior exiſtit, languidi

corporis

Digitized by Google

corporis & minoris, virium quasi effœtarum, si ad marem comparetur, qui ista omnia habet in excelso quodam gradu: unde dominatio & imperium in subiectas illi fœminas. Virorum ergo authoritas, potentia, & maiestas, fœminarum obsequium, impotentia, & pudor satis declarant mulierum imperfectionem, si cum maribus comparentur. Quod etiam in animi operationibus apparet, quæ multò sunt illustriores in viris, quam in mulieribus: Rara enim, vt aiunt, in fœminis sapientia & prudentia. Quod ad constitutionem verò spectat genitalium partium, obicium Peripatetici exerta & prominentia membra in maribus signum esse redundantis caloris, qui foras extrudere potuit eo quæ in fœminarum cauo abdomine recondita latent. Ita vt multas viragines & mulieres alacriores inuersione illarum partium, & emissione, in viros, quasi in perfectiorem statum & naturam, commutatas scribant.

Verùm ista non sunt tanti momenti, vt nos à susceptâ sententiâ discedere faciant. Nam calor ille intensior qui maribus adscribitur, quamuis illud satis sit controuersum & problematicum, non est tam ratione quantitatis siue substantiæ, quam ratione qualitatis siue gradus propter iunctam siccitatem, quæ est lima caloris. Atqui temperies illa non est laudabilior, quæ magnos facit excessus in gradu alicuius qualitatis, sed quæ ex conuenienti συμμετρίᾳ *& proportione calidi cum humido primigenio apta est ad omnes functiones potissimum naturales exercendas. Sic pueri quo magis ad ortum accedunt eo temperatiores, & τῷ ἐμφυτῷ θερμῷ abundantiores censentur, quam iuuenes quibus iam calor ille exasperari incipit & quasi inflammari, depopulatâ parte gratiosi illius humoris, quo exquisita illa crasis maximè constituitur. Sic nemo dixerit capram perpetuò & quasi naturaliter febrientem, vel leonem exæstuanti calore præditum, viro minus calido perfectiorem aut præstantiorem: cum certum sit optimam temperiem, non in vnâ qualitatum vincente, sed in omnium bene consentientium harmoniâ repositam esse: non ex vnâ actione valentiori æstimandam, sed ex pluribus, vel omnibus simul perfectioribus, vt fusè docuit Galenus* lib. de εὐεξίᾳ. *Itaque concedamus, si placet, maribus, vt belluis maiorem quamdam corporis vim & proceritatem, quamquam illud etiam sæpè fallit, vt de bellicosissimis quibusdam fœminis suprà notauimus, & in ferocissimarum quadrupedum aut auium rapacium variis speciebus contrarium vniuersaliter apparet. Sed illa ad robur tantum musculorum & motricis functionis potentiam spectant: Ideo si reliquas simul actiones contemplemur, illæ fere omnes attestabuntur perfectiorem in fœminis quam maribus temperiem adesse; nam & accretio, & pubertas celerior, nutritio felicior: vnde maior sanguinis copia, quàm in viro, quæ singulis mensibus profunditur, non excrementitij illius & crudi, vt quidam voluerunt; sed oleosi & alimentarij: vnde pinguiores existunt mulieres viris, vt plurimùm: vel certè in fœtus alimoniam, aut lactis materiam facessentis, quæ sunt optimi humoris certissima indicia, & optimæ nutritionis* τεκμήρια.

Nec est quod viri tãtopere suum illud imperium in fœminas extollant, aut corporis robur, vel ingenij vires celebrent. Nam illa authoritas & imperium virorum in mulieres constat potius lege & consuetudine, quam ratione & naturâ: in aliis enim animantium speciebus idem esset imperium & potentia in fœminas, quod est falsum: cum videamus solam formæ elegantiam, pulchritudinem, & corporis venustatem fœminarum, tantarum esse virium, vt nemo sit virorum quantumuis fortium & bellicosorum, qui non statim se formosioris muliercula seruulum & quasi mancipium iactitet. Nota est enim Veneris & Martis historia: Herculis & Omphales: Helenæ & Menelai: Achillis & Briseidos, cæterorumque heroum, qui lubentes colla sua præstantissimis eiusmodi Heroinis submiserunt. Vt omittam populos illos Scythiæ γυναικοκρατουμένους, *& bella plurima mulierum causa & iussu suscepta, quæ longum esset hîc recensere.*

Digitized by Google

Verùm vt bellicam fortitudinem fœmina viris concedant, non inde tamen sequetur illos robustiores, aut ferendis laboribus aptiores esse quam fœminas: duplex enim fortitudo, vna quidem quæ in agendo: altera quæ in patiendo seu resistendo eluceſcit. Mallem, dicebat Euripides, decies in acie pugnaturus stare, quam semel parturire. Ex pugnâ enim licet fugere, aut pacem deprecari, aut pugnantem fortiter occumbere semel, aut vincere: In partu verò decet fœminam animo & corpore valere, vt tanto periculo defungi possit. Qui semel expertus est belli incommoda & casus, qui naufragij calamitates euasit, is deinceps bello & mari abstinet: At fœmina sæpius & multa quotannis istam pariendi aleam interrita subeunt, vt taceam ipsius grauiditatis molestiam, & nutricandi ex vbere fœtus labores immensos die noctuque suscipiendos. Quibus omnibus satis ostendunt, quam longè viribus & animi constantiâ viros superent. Adde quòd tantis attrita ærumnis viuaciores adhuc, & animosiores plerumque quam viri euadunt. Certè mira est quarumdam longæuitas, quæ in cælibatu aut cœnobiis precibus & ieiunio addictæ diutissimè transegerunt, vt cuiuis notissimum existat.

Sed dicunt illi, animi dotes & actiones in viris quam in fœminis illustriores. Quòd nos falsum omnino esse statuimus. Primò Galeni authoritate ducti, qui lib. 2. artis paruæ, *ad ingenij vim & solertiam requirit cerebri tenuitatem: Philosophus substantiæ mollitiem. At illam in fœminis potius adesse quàm in viris ob iunctam siccitatem, nemo est qui non videat: Ergo ad ἐγχείρησιν paratiores, cum reliqua cerebri organa, & conformatio eadem sint in fœminis & maribus. Secundò ipsâ rei euidentiâ & obseruatione ducti, quandoquidem fœminæ domi degentes, colo & acui intentæ aut œconomicis negotiis tantum incumbentes, eâ sunt solertiâ & consilio præditæ, vt viris aut superiores, aut certè non inferiores appareant: Cum tamen masculi ab ineunte ætate in scholâ, in foro, theatris, in republicâ, longissimis etiam peregrinationibus plerumque eruditantur sedulo & quotidiano vsu instituantur. Ita vt illæ ἄπαιδες & αὐτοδίδακται superent illos πεπαιδευμένους, & aliorum operâ exultos. Id autem clarissimè apparuit, quoties naturali huic mulierculorum solertiæ cultus & institutio adhibita fuerunt. Tunc enim tam rara & excellens fœminarum eruditio in omni literaturæ genere, tam præclara industria in administrandâ republicâ apparuit, vt viri illis lubentes palmam hac in parte concesserint. Quod tam veterum quam neotericorum plurimis traditum est historiis.*

Iam igitur superest, vt vltimam obiectionis partem diluamus, quâ dicebant illi ex parte genitalium membrorum quæ natura in viris exprompsit, in mulieribus condidit, magnam indicare virorum perfectionem, quandoquidem fœminas multas in mares tanquam perfectiores sæpius mutatas constat: non autem contra. Tamen Hippocrates narrat apud Scythas sæpe accidere, vt viri euadant ἀγεννητοι, & imbelles, tuncque exercere opera muliebria, lib. de aëre, locis & aquis. *At hîc quis non rideat vanitatem istiusmodi fabellarum ex Poëtis, Amato Lusitano, Plinio, & similis farinæ authoribus petitarum, qui istas metamorphoses ludibundi potius quam serio commemorarunt? Tam enim illud est possibile, quam ex pelle arietinâ fieri hastam, aut ex lanâ calamum. Quid enim commune cerui matricis cum virili pudendô siue mentulâ, quæ suis constat musculis, neruo cauernoso, glande, & præputio? quæ omnia oportet miraculo quodam aut creatione de nouo fieri in ista mutatione sexus. Quomodo testes illi muliebres & vasa spermatica firmissimis nexibus alligata disrumperentur sine vitæ periculo, vt foras prominerent? Maximam certe hæmorrhagiam & dolorem debere sequi quis inficiabitur? Deinde quid conuenit vuluæ cum misero illo & pendulo virorum scroto, cui nulla actio particularis dicata fuit, quam continendi testes, cum vterus nobilissima habeat munera effundendi sanguinem menstruum, recipiendi seminis viri, que, mi-*

scendi

ſcendi & alendi, imò conformandi per ἰδιοσυγκρασίαν mirabilem, & geſtandi fœtum donec maturitatem certam adeptus ſit ? Çertè multis accidit mulierculis infeliciter vteros prolabi & inuerti : at quis vnquam vidit in eiuſmodi procidentiâ iſtam metamorphoſin ? quin potius morboſam & fœdam diſpoſitionem quæ curatione indiget ſedulâ ? Fabulæ itaque ſunt iſtæ mutationes fœminarum in mares, vel certè illud contigit in Hermaphroditis, in quibus circa florem ætatis ſexus maſculini notæ euidentiores apparuerunt, quæ antea ambigebant inter vtramque naturam. Vt taceam clitoridos hiſtoriam, & Tribadum quarumdam fraudes, quæ nihil ad noſtrum inſtitutum ſpectant.

Non eſt igitur maior perfectio in maſculis ex parte genitalium membrorum, quàm in fœminis, quoniam ſola vteri præſtantia, qui eſt veluti diuina quædam fauiſſa, & naturæ theſaurus locupletiſſimus, longè omnem genitalium virorum ſtructuram præcellit. Ideóque intus cum reliquis partibus generationi dicatis in fœmina conditus fuit, vt melius ſeruari & ab omni externâ iniuriâ cuſtodiri poſſet, cum virorum genitalia velut ignobiliora, & minùs neceſſaria foras propendeant omni iniuriæ obnoxia. Vel certè, vt Medico more loquamur, foras prominent marium genitalia ratione finis, & inſtituti naturæ, vt poſſent deferre materiam ſpermaticam viri, & quaſi inſerere in agrum illum naturæ ſiue penu muliebre intus reconditum ad ſua munera conuenientius præſtanda. Ex his igitur omnibus ſatis confeciſſe videmur, mares fœminis non eſſe præſtantiores, neque ſi generationis finem ſpectes, cum illa ſit ad propagationem ſpeciei magis neceſſaria : neque ſi temperiem contempleris, quæ magis ad ἰσοκρασίαν accedere videtur in mulieribus quam in viris, quia habent calidum natiuum humido melius proportionatum : Nec denique ſi partium genitalium naturam, conformationem & ſitum conſideres, quoniam & efficiendi principium, & materiam in ſe continent, & ratione neceſſitatis ac præſtantiæ potius quam defectu caloris intus poſitæ in fœminis latent.

Habemus etiam ex his (A. O.) ſubiecti huius noſtri, cuius explicationem veſtris ſuaſionibus & voti ſuſcepimus, dignitatem & neceſſitatem, vt qui in curandis mulierum morbis Medicus exercitatus fuerit, is potiſſimam & omnium optatiſſimam θεραπευτικῆς partem obtinere videatur : Vix enim videas ad γυναικεῖα iſta admitti niſi præſtantes eruditione, & iam longo vſu confirmatos, vt qui ſemel muliebri ſexui medendo placuerit, is certè nulli deinceps diſplicere poſſit. Incumbamus itaque denuò gnauiter huic noſtræ tractationi, & omni operâ contendamus, vt fœminarum affectus conuenienti methodo explicare valeamus, & ad vmbilicum, diuino adiuti auxilio, perducere.

ΤΑ ΓΥΝΑΙΚΕΙΑ ΠΑΘΗ. Morbi muliebres, ſeu affectus mulierum dupliciter apud Hippocratem accipiuntur : Primò quidem lata quadam ſignificatione, pro omnibus illis affectibus, qui fœminis humanæ ſpeciei quocunque modo contingere poſſunt; quì tamen ratione ſexus, peculiarem quandam conſiderationem & curandi modum obtinent : ſic Epilepſia, Apoplexia, Syncope, Καταβάρωσις & ſimiles, quamuis vtrique ſexui ſint communes, quia tamen in mulierculis coniunctam frequenter habent cum vtero ſympathiam, vel occultam accipiunt ab excrementis illis muliebribus labem; ideo ab Hippocrate de illis generaliter fuit pronuntiatum libro primo γυναικείων : Multum, inquit, differt muliebrium morborum ac virilium curatio, quod & tacitè innuit Aphor. 57. ſect. 5. Propriè autem ſumpti muliebres morbi, illos affectus deſignant, qui ſolis fœminis ſunt peculiares, ratione proprij temperamenti, aut certarum partium, quarum deſcriptionem ex Anatomicis inſtitutionibus repetere oportet. Cùm enim perfectiorum animantium propagatio, non vnius tantùm indiuidui opera, quod Plato in ſua Androgyne ſomniauerat : ſed duorum inter ſe temperamento, & certis partibus diſcrepantium

crepantium ac ſimul coëuntium opera præſtari poſſit : ideo Medicus cui cura humanæ ſpeciei incumbit, non tantùm hominem in genere à morbis vindicandum ſuſcipit : ſed etiam ſpeciem diuidens in marem & fœminam, prout multum inter ſe diſcrepant, eos affectus conſiderat, qui peculiariter vtrique contingere poſſunt, & vtriuſque naturam indiuiduam corrumpere, vel ſpeciei productionem impedire. Nos igitur maiorum noſtrorum, potiſſimum verò Hippocratis, quo cum frequenter & familiariter verſamur, morem & inſtitutum ſequentes (qui cum in aliis morborum generibus tractandis, breuis & perfunctorius fuerit, in iſtis tamen accuratus & ex profeſſo agit, vnde vtilitas apparet) *iam prouinciam illam vtiliſſimam, quamuis grauiſſimam & laborioſam, veſtris ſuaſionibus tractandæ hiſtoriæ muliebrium morborum & therapeian eorumdem ſuſcepimus, hac methodo & ordine ; vt ſcilicet mulierum naturam primùm conſideremus ſimpliciter, quatenus ſcilicet ſunt indiuidua humanam ſpeciem conſtituentia, à maribus diſtincta, & ſuis morbis peculiaribus obnoxia. Secundò quatenus ad ſpeciei propagationem ſunt neceſſariæ, & huic actioni incumbentes varia ſubeunt ſymptomata & morbos, qui tum illis, tum proli quæ ſuſcipitur moleſtiam inferre ſolent. Totum igitur opus in tres partes ſiue libros diuidemus, quorum primo perſequemur affectus mulierum, qui illis contingunt ratione proprij temperamenti & excrementorum illorum, quæ in corporibus fœminarum peculiariter generantur. Reſpectu enim temperamenti proprij, quod debilius frigidiúſque cenſetur, contingunt cachexiæ, pallidi illi ſeu fædi colores, quibus pleraſque virginum noſtrarum hodie deturpari conſpicimus. Ratione excrementorum propriorum, vt ſemins, ſanguinis menſtrui, contingit eorum ſuppreſſio vel excretio immodica aut depranata, ex quibus deinde pendent ferè omnes mulierum affectus tam proprij quàm communes, teſte Hippocrate Aphoriſmo iam citato : vnde retentio ſanguinis menſtrui præter naturam erit explicanda, eiuſdemque vacuatio immoderata & ſtillicidium, fluxus item muliebres varij generis, & gonorrhœa. Ratione verò retenti ſeminis & inflammati, contingit præcipuè furor ille qui vterinus nuncupatur, quemadmodum ab vtroque vel alterutro ſuppreſſo & corrupto ſuffocationes & ſtrangulatus matricis, ité hydropes, cancri & varij tumores præter naturam, vlcera & ſimilia erunt explicanda, quæ particularem vteri conſtitutionem reſpiciunt. Quibus peractis ad ſecundam tractationem, ſeu librum veniemus, in quo iam contemplabimur mulierum naturam, reſpectu habito ad opus generationis, cui vel inepta ſunt, vnde ſterilitatis querelæ exoriuntur ; vel idoneæ quidem, ſed tamen in ipſo conceptu, geſtatione & partu multa ſubeuntes incommoda, quæ arte noſtra & methodo tollere vel mitigare docebimus, vt totus deinde liber tertius reſpiciat ipſius prolis ſeu fœtus iam editi educationem ; propoſito conuenienti nutricum & infantis regimine, necnon ea omnia perſequendo, quæ ad lactis & mammarum huic rei dicatarum conſtitutionem faciunt. Hæc igitur ſumma eſt dicendorum à nobis in hac muliebrium affectuum tractatione, quæ multo clariùs in operis progreſſu patebit.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT PRIMVM.

De χλωρώσει, ſeu fœdis Virginum Coloribus eorúmque annexis.

DIxIMVS temperamentum quoddam eſſe peculiare fœminis,quo à maribus, quemadmodum partibus generationi dicatis diſtinguuntur.Cum enim fœmina homo materiam potiſſimum & locum procreationi fœtus idoneum præſtet : mas autem effectiuum, principium ; ideo oportuit fœminam, quatenus à viro diſtinguitur, accepiſſe à primordiis generationis ipſius diſpoſitionem & κρᾶσιν peculiarem, quæ huic rei ſit idonea, propter quam etiam ſit paratior ad hunc vel illum affectum præter naturam ſuſcipiendum, concurrentibus cauſis quæ natiuam iſtam διάθεσιν præcipitent in lapſum naturali temperiei conſentaneum, vt loquitur Hippocrates *Aphoriſm.* 34. *ſect.* 2. Si quis autem ſit affectus temperamento fœminarum proprio, humidiori ſcilicet frigidiorique, vt in Phyſiologia fuit probatum, familiaris & congener, is eſt habendus, quem hodie graſſari in his prouinciis conſpicimus, præcipuè inter nobiliores formoſioréſque puellas, viduas & alias à virili congreſſu abſtinentes : vt penè endemius & familiaris videatur eſſe factus,quem vulgus pallidos colores ſiue fœdos, icterum album,febrem amatoriam, morbum virgineum appellant, nos ex Hippocrat. χλώρωσιν, quia eſt ſpecies cachexiæ, comitata prauo quodam colore ex albo plus minus vireſcente, prout peſſimi quidam humores variè commiſti, externam illam cutis, præcipuè in vultu,ſuperficiem inficiunt. Quamuis autem morbus iſte cenſeatur vt plurimum ex malâ quadam doctrinâ ſeu opinione proficiſci, quâ imbutæ virgines, & mulierculæ iſtæ innuptæ, (iuxta illud ; *Pallent omnis amans, color hic eſt aptus amori*,) vt ſibi maiorem formæ gratiam acquirant,hunc ſibi pallorem omni arte, & induſtriâ conciliant:attamen credibile eſt quendam etiam eſſe ipſius aëris,alimentorum & fortaſſis ſyderum, aliarúmque cauſarum concurſum ; propter quem hic affectus noſtro tempore, potius quam ſuperioribus ſæculis inualuit : quemadmodum de ſtrumis obſeruare licet, quæ ante aliquot annos in Galliâ rariſſimæ aut penitus ignotæ, iam vbique & maximâ κακοηθείᾳ plurimas inuaſerunt familias. Si quis igitur quærat cur, cum hic affectus ſequatur temperamentum muliercularum proprium : hoc noſtro ſæculo potius quam ſuperioribus inualuit : Reſpondemus, peculiare temperamentum facere tantum ſporadicos affectus. Vt autem epidemici & endemij euadant, oportere aëris vel alimentorum conſtitutionem immutatam eſſe, vt hic agnoſcimus.

Dicamus itaque χλώρωσιν iſtam eſſe κακιξίας ſpeciem, nempe ſymptoma qualitatum tam viſilium quam tactilium in toto corpore præcipuè vultu præter naturam mutatarum, ob deprauatæ nutritionis vitium, ex affectu vario iecoris, ventriculi, lienis, & ſimilium primariò vel ſecundariò profectum, quam virium languor, cibi faſtidium, capitis dolor, reſpirandi difficultas, cordis & arteriarum palpitatio comitantur. Hæc definitio ſiue deſcriptio formalem cauſam, affectus ſcilicet naturam & ſpeciem, partem affectam ſiue ſubiectum, propinquas cauſas, & συμπτώματα. i. præcipua effecta complectitur, vt mox in cauſarum & ſignorum peculiari enumeratione clarum euadet.

Cauſæ enim tam primariæ & externæ quam internæ multiplices & variæ huic affectui originem præſtare poſſunt. Externæ quidem ſolitariæ & ſine interiorum concurſu fugacem aliquam κακιξίαν & decolorationem pariunt : vt in eis qui ad Lunæ radios dormierunt, vel in locis paluſtribus,vliginoſis, & concluſis, vt carceribus decubuerunt, aut etiam in aquâ frigidiore natauerunt : quibus ſi internæ ex partium coctionibus dicatarum vitio concurrerint, ſtabilem & contumacem efficiunt. Quam vt plurimum,inquit Aretæus ; Autumnus concipit, hyems alit,ver autem auget, niſi illi tunc conuenienter prouiſum fuerit. Potiſſimum vero mala alimentorum ratio tantarum eſt in hoc affectu producendo virium, vt in annonæ penuriâ,dum plebs promiſcuis quibuſque cibis veſci cogitur,ferè omnes cachectici & decolorati euadant. Quod eleganter Hippocrates de diuturno leguminum vſu in inſulâ illa Æno 2. & 6. *epid.* annotauit. Et quemadmodum tunc neceſſitas miſeros

vrget mortales: hic etiam deprauati quorumdam appetitus, vel intemperantia in iuuenculis iſtis, tanta eſt vt abſurdis quibuſdam rebus ſeſe ingurgitare malint, quàm conuenienti & conſuetâ alimentorum materiâ reficere: vnde morbus iſte cito & vehementer ſuſcitatur. Quædam enim rubicundiores, vt viuidum faciei colorem infringant, largo aquæ frigidæ hauſtu circa horam ſomni vel ſummo mane vtuntur: acetum, olera, poma, & ſimilia cruda, imo niuem & glaciem auidiſſimè continuò deuorant: vnde calor partium natiuus obruitur, & magna obſtructionum copia ſuſcitatur. Aliæ verò iam malaciâ obſeſſæ & intemperatiores terram vorant, calcem, gypſum, aromata, ſalis magnam copiam, carbones, feſtucas, & ſimilia: quod non ſolùm in adultis virginibus, ſed etiam in multis lactentibus puellis apud nos ſæpe conſpicitur, illis potiſſimùm quæ ex parentibus eodem morbo laborantibus vel olim affectis progenitæ fuerunt. Non ignorauit hoc ſummus Hippocrates, qui 2. *Prorrhet. Quibus*, inquit, *colores dum iuuenes ſunt, praui ſunt ad multum tempus, non tamen ictteri modo, ſiue mares ſint, ſiue fœmina, dolent caput, lapides ac terram comedunt, aut hæmorrhoidas habent.* Quibus verbis oſtendit diuinus ſenex καχεξίαν iſtam non ſolùm ab importuno rerum abſurdarum vſu, ſed etiam ob vacuationes immoderatè factas, vel omninò ſuppreſſas contingere, vt ſunt menſtrua & hæmorrhoides in aſſuetis. Quod veriſſimum in hiſce noſtris mulierculis experimur, quotieſcunque enim immodico menſium profluuio torquentur, elangueſcit vis caloris natiui in partibus coctioni dicatis, & reliquæ ſuo genio ſeu proprio alimento defraudatæ, non poſſunt deinceps ſucco crudo & aquoſo conuenienter refici. Ex retentione verò earumdem ob nimiam quantitatem humorum in prædicta viſcera refluentium, ſuffocatur quaſi innata temperies, & materia iſta recrudeſcens impellitur à robuſtioribus partibus in cutem: vbi pro conditione humoris varias excitat colorum differentias, ad albedinem tamen vergentes, & habitus ipſe intumeſcit, & laxior redditur. Potiſſimum in illis quibus partes externæ molliores & frigidiores exiſtunt, vt in mulierculis aulicis, & delicatioribus, quæ longiori ſomno indulgent, & ſæpius diuturno otio marceſcunt, ſuiſque puluinaribus affixæ ſuendi causâ maximo torquentur frigore: aliquando intempeſtiuis vigiliis & exercitationibus vtuntur, vt choreæ ſtatim à paſtu, quas in longam noctem cum ſuis amatoribus producunt, non ſine grauiſſimis curis & variis animi pathematis, ex quibus facillimè euertuntur coctiones illæ interiores, cruditates multiplicantur, & augetur cacochymia, quæ omnis καχεξίας cauſa eſt interior. Eleganter enim dictum eſt illud à Galeno *συντιμωρεῖσθον ἀλλήλοις εἰς τὸ κακὸν ἡ κακοχυμία καὶ ἡ καχεξία: mutuo ſibi tradunt operas in totius perniciem cacochymia & cachexia:* Vt enim cacochymia vetus ἰσχίαν immutat & euertit, ſic firmiter fixa in corpore cachexia τὴν ἰσχυμίαν corrumpit & ſimiles ſibi humores apponit, vnaque tandem alteram fouet & conſeruat.

Quæcunque igitur cacochymia intus aceruato ob intemperiem, tumores, vel obſtructiones interiorum viſcerum tandem refluit in habitum aut præcipuas eius partes, coniuncta eſt & proxima propoſiti affectus cauſa. Eſt autem vt plurimùm pituitoſa, tùm ob imminutionem caloris natiui, quæ frequentiſſimè hic contingit, tum etiam quod humores ſæpius nimiâ mole collecti quaſi recrudeſcunt deſtituti regimine caloris innati, & phlegmatis naturam inducunt. Prout tamen maior vel minor fuerit alterius humoris permixtio, ſic etiam ex albo vireſcens, flaueſcens aut tenuiter nigreſcens color apparet in vultu: qui in hoc præcipuè ab ictero, diſtinguitur, quod icterus vterque ſimplicem habet quaſi coloris mutationem ex paucitate humoris per cutem expanſi: cachexia vero & χλώσεως præter decolorationem coniunctam, inflationem (*bonifſeure*) ex ſuccorum redundantiâ, qui partibus iſtis neque aſſimilari, neque perfectè vniri poſſunt: vnde via ad leucophlegmatiam dicitur.

Antecedentes autem cauſæ, vt diximus, pendent à καχοπραγίαις, & vitiatis functionibus internarum partium, præcipuè verò nutritioni dicatarum, vt iecoris, lienis, ventriculi, & totius meſenterij: quibus in maioribus natu potiſſimùm vterus ſæpe occaſionem ſuppeditat morbificæ diſpoſitionis: magnæ enim intemperies potiſſimùm frigidæ per ſe: calidæ vero ex accidenti, tumores præter naturam: obſtructionum diuturniorum copia non ſolum πέψιν naturalem euertunt, ſed etiam iuſtam humorum ἀνάδοσιν & ſolitam ἔκκρισιν impediunt: quibus ſæpe coniunguntur febres lentæ, pituitoſæ, & nocturnæ, quando humor iam putreſcere ex prohibitâ tranſpiratione incipit, diarrhœæ profuſæ. Item & lienteriæ naturalibus

facultatibus

facultatibus iam collabentibus succedunt. Hippocrates *in Coacis* sanguinis corruptionem & exolutionem hic contingere scripsit, quando scilicet fons sanguificationis, nempe iecur, per idiopatheiam aut sympatheiam affectum excrementis eiusmodi massam ita sanguinariam inficit, vt deinceps in alienam materiam degeneret. Atque hæc de causis.

Signa verò in hoc affectu non tam Medico negotium facessunt, vt agnoscat illius naturam & causæ continentis siue humoris speciem: quoniam vtraque visui & tactui exposita statim deprehenduntur: quàm vt interiora illa vitia, & partium primariò vel secundariò affectarum notas assequatur. Cachexiam enim adesse testatur turgidula faciei constitutio cum quadam inflatione, quæ in palpebris potissimùm mane & statim post somnum conspicitur: quia per noctem calor conclusus plures eleuauit vapores quam dissipare potuit.

Laxitas summa, & quasi mollities externarum partium apparet, ex abundanti humorum copiâ, quæ segnitiem torporémque tam animi quam corporis infert, eneruato calore natiuo, & partium præcipuè solidarum robore. Crurum pedúmque tensiua lassitudo, & pondus cum incipiente œdemate, quod maximè circa vesperam, & deambulationem contingit, deuolutis sua grauitate humoribus in loca illa decliuia. Respirandi difficultas vrget cum pulsu minutulo & frequenti, in iugularibus colli arterijs & temporum conspicuo; quem febricula aliquando comitatur, vt dicebamus, & ingens *καῦσος*. Deficit enim istas ægras spiritus dum progrediuntur breui etiam spatio confecto, præcipuè si scandendum sit, non tam necessitate inspirandi quam expirandi, quoniam ex nimiâ fumidi & crassi vaporis abundantiâ, quæ lentam etiam illam febrem & capitis dolorem accersit & fouet, plus est opus expiratione ad fumos illos excludendos, quam inspiratione ad aëris refrigerium. Idem dicas de pulsu, qui præterea cum à facultate infirma non possit commodè dilatari, defectum illum frequentiâ compensare nititur. Procedente morbo infestant lipothymiæ, palpitationes cordis ex crudo & flatulento spiritu (*Serum copiosum aliquando colligi in pericardio obseruauimus*:) Ingentia rerum omnium, potissimum cibi euchymi, fastidia, ob *συναθροισμὸν* excrementitiorum succorum in ventriculo & vicinis partibus, cui superuenit tandem malacia. Et si quidem malum vires acquisiuerit, venter subtumidus fit, inchoato hydrope, pedúmque œdemata, quæ prius vaga erant & dissipabilia, confirmantur. Neque sudor, neque vrina tunc rite procedunt auctis obstructionibus, quæ omnem *ἔκκρισιν* siue vacuationem impediunt.

Quis vero humor siue cacochymia parens sit & author tot tantorum affectuum, non solum causæ omnes, quæ illos in nobis procreare solent, sed etiam effectus qui ad illos consequuntur id declarant, potissimum vero coloris idea quæ in vultu efflorescit: Etenim, vt eleganter docuit Hippocrates, τὸ χρῶμα ὅμοιον τῶν χυμῶν, ὅκου μὴ ἀμπῶτίς ἐστι, *color similis est humori, nisi vbi adest illius refluxus.* Cum igitur humores *χλώρωσιν* istam cachecticam efficientes non habeant refluxum, sed iam affixi sint partibus instar alimenti, ideo certam sui significationem dabunt Medico, & illius intemperiei ex qua suscitantur: quæ plerumque, vt dixi, frigidior humidiórque existit, præcipuè quando affectus iam diuturnior factus fuerit.

Vtra vero pars huic affectui originem dederit, hepárne scilicet ex idiopatheia laborans, vel ex sympatheia ob alterius male affectæ vitium, accuratè distinguendum, quia inde potissima curandi ratio proficiscitur. Intemperierum igitur, tumorum præter naturam, præcipuè scirrhosorum, obstructionum diuturniorum in iecore, ventriculo, liene, vtero & similibus notæ diligenter perquirendæ ex signis consuetis & propositis in diagnostice vniuersali: quæ quidem petuntur ab actione partium affectarum læsâ: à partis situ: ab excretis & retentis: à doloris proprietate: & ab accidentibus seu concurrentibus simul: Vbi enim apparuerint tales notæ, inde etiam morbi fomitem præcessisse credibile est. Quemadmodum etiam si cerebrum fluxionibus scatens, aut pulmones corrupti, tabefacti, vel prauis humoribus infarcti, vitiositatis suæ contagium partibus nutritioni dicatis communicauerint. Ex quacunque enim parte hydrops particularis suscitatur: inde etiam vniuersalis leucophlegmatia vel cachexia tandem exoriri possunt. Certe in iuuenculis istis malè affectus crudiórque ventriculus

ex propria intemperie, vel obiecti vitio, dum crassos humores multiplicat, venas obstruit, & vteri meatus opplet, frequentissima est istius affectus causa, vt patet ex vomitu frequenti, diarrhœâ, dolore sub cartilagine xiphoide, deprauato appetitu, rugitu & borborygmis, qui in istis ægrotantibus frequenter obseruantur. Quemadmodum in virginibus iam nubilibus aut viduis quæ castitatem seruant, vterus propter defectum rei naturaliter appetitæ, nempe coitus, varie torquetur, & contractâ tandem intemperie frigidiore vel vasorum infarctu contumaci, cuius signum est, quod nullo apparente alterius partis affectæ signo, fœdo colore corripiuntur, & purgatione menstruâ priuantur, sæpius huic affectui originem præbet, & alias partes in consensum trahit: vt postea docebimus, dum de illius morbosis dispositionibus ex professo agendum erit.

Nos igitur de prognosi pauca quædam proponamus, quia hic affectus ex chronicorum genere diutius vexat miseras istas ægrotantes, sine vitæ tamen vt plurimùm discrimine, si maturè illi prospectum fuerit. Quod si negligatur, ita vt summa nutritionis immutatio aut deprauatio contingat, iam vitiatis partibus istis ventris inferioris, potissimum iecore, ex illius ἀτονίᾳ, & imbecillitate tandem producitur hydrops incurabilis, vt in pluribus conspeximus, in quarum cadaueribus dissectis plane scirrhosum aut putrefactum apparuit. Minus malum est quando à parte minus nobili incipit, ideóque fœdi isti colores, quando vteri simplices obstructiones consequuntur, facilè curantur. Quod si inueterauerint, alios etiam affectus per sympathiam accersunt grauissimos, vt dictum est. Iuuenes itaque puellæ, & virgines facilius curantur quam grandiores natu, aut viduæ, si causarum adsit æqualitas, quia habent illam caloris ὑγρὰν siue ἔκλαμψιν, vt loquitur Hippocrates, per quem euictâ præsente cacochymia sopiti ignes natiui tandem suscitantur & reuiuiscunt. Certè mulieres, quæ diutius hac fœditate laborarunt, vel sterilescunt omnino, vel infirmam prolem & parum vitalem suscipiunt, potissimum primis partibus, donec tota illa illuuies expurgata fuerit, nec vnquam perfecta sanatio adest, quamdiu in viscere aliquo infarctus aut insignis intemperies sentitur. Calamitosa est ista affectio, quando cor frequenter impetit, quoniam collabente vitali facultate radij spirituum influentium non amplius affulgent, quibus circumiecta prauorum succorum & vaporum nebula discuti debeat. Mala etiam illa, quæ firmiter radices in ventriculo fixit cum ingenti fastidio, vel absurdo rerum alienarum appetitu: nam perpetua fit cacochymiæ istius generatio, vel ex vitio assumptorum, vel confirmatâ illius intemperie. In virginibus iam adultis & mulieribus maxima sanationis nota ac spes victoriæ existit, quando menses certas suas periodos repetunt, iustáque quantitate, & natiuis qualitatibus præditi effluunt. Iam igitur ad θεραπείαν accedamus.

Summa curationis hæc esto: causas omnes externas quæcunque huic affectui originem dederunt, remouere, vel in conuenientem statum permutare: internam verò cacochymiam vbicunque latitarit conuenienter educere, & si quidem ex suppressâ aliquâ vacuatione solenni inceperit, eam denuò reuocare: sin ex eadem immoderata proficiscatur, eam ad idoneum naturæ scopum deducere. Viscerum interiorum, potissimùm iecoris & ventriculi, intemperies, obstructiones & similes affectus curare, eorumdem robur tueri, aut si alterius partis primariò affectæ suspicio fuerit, quæ aliis istam labem communicet, eius diligentem habere rationem. Materiam denique in corporis habitu contentam digerere, & frigidiorem humidiorémque illius δυσκρασίαν corrigere. Vtque symptomatis alicuius maior erit vehementia, illius mitigationi diligenter studere, non neglectis aliis. Ratio igitur causarum externarum prius habeatur per accuratam viuendi rationem, quæ hic præscribenda erit.

Posito itaque quod hîc affectus à collectione crudioris & pituitosi succi potissimum pendeat & ab obstructionibus diuturnis: comparentur res illæ non naturales dictæ quibus diæta medica perficitur, vt ad caliditatem quandam siccitatémque inclinent, & præsenti cacochymiæ aduersentur. Ideo aëris status ad tenuitatem quandam cum puritate vergat, sitque solito calidior, si fieri possit. Hoc enim certissimâ experientia habemus in istiusmodi cachexiâ & fœdis mulierc̃ularum coloribus curandis, plus perfici æstatis tempore per vnam aut alteram septimanam, quam aliis temporibus per plures menses: multáque earum aduentante æstate satis commodè degere, quæ aliis tempestatibus grauiter conflictabantur. Imò etiam fœminas, quæ loca niuosa, palustria, vliginosa, aut alio modo frigidiora,

frigidiora, & humentia incolunt; vix perſanari poſſe, niſi prius in alienum ſolum commodius ſeſe transferant. Ideo etiam labor & exercitatio mediocris illis confert in principio: nam ex vehementiore incidunt in magnas cordis palpitationes & reſpirandi difficultates; Progreſſu tamen temporis vbi iam inclinat affectus, diu & fortiter ſe agitare prodeſt ad effundendos influentis caloris radios per totum corpus, quibus humorum reliquiæ omnino diſſipantur. Huic rei auxiliantur totius corporis frictiones aſperiores mane in lecto celebratæ deorſum verſus. Eſt etiam exercitationis genus, quod nubilibus puellis & viduis hac feditate detentis valde conducit, dum iam conualeſcunt, nempe virilis congreſſus: ex eo enim commodè incaleſcunt, iucunditate perfunduntur, & ſuccedente partu ab impurioribus iſtis ſuccis per lochia expurgantur, obſtructionibuſque liberantur. Non tamen iungendæ ſunt viro quando valde conflictantur hoc morbo: nam multas, (vt ſororem Maurelli Licentiati,) ex importuno eiuſmodi coitu, aut certe imprægnationis moleſtiâ, & inſueto labore vitam cum morte commutaſſe vidimus. Præſcribatur etiam modus vigiliis & ſomno, cui valde addictæ ſunt iſtæ ægrotantes, ob vaporum copiam primi ſenſorij ductus occupantium: neque permittantur matutinis horis diutius dormire, niſi inſomnem fortè noctem duxerint. Summâ rerum omnium tranquillitate, & animi pathematum curarúmque vacatione, quantum fieri poterit, fruantur, quia illis infirma corpora facile debilitantur. Vacuationes ordinariæ alui & veſicæ commodè procurentur, tum alimentorum genere, tum remediis poſtea proponendis.

Præcipua verò cura ponatur in alimentis ritè præſcribendis, vt ſcilicet omnia vitent dyſpepta, ne maiorem operam faceſſant hepati & ventriculo iam debilitatis, quemadmodum cacochyma, potiſſimùm ea quæ ſymbolum habent cum genere dominantis cacochymiæ: frigida item & humida, ne pituitoſorum ſuccorum copia multiplicetur. Abſtineant itaque ab oleribus crudis, fructibus horæis & recentibus, lacticiniis omnibus, piſcibus & carnibus craſſioris ſucci. Caueant ab aquæ potu omniúmque liquidorum copiâ, aceti præcipuè, quod eiuſmodi ægræ ſummopere appetunt, quamquam illis valde noxium, tam quod infirmiori nocet calori viſcerum præcipuè vteri, vnde ὑστεραλγὶς dicitur Hippocrati: tum etiam quia cruditates iſtas, & prauos humores in habitum penetrare facit. Vtantur itaque pane recenti, biſcocto aut ſaltem aniſato, vino tenui & generoſo: aut ſi ſint abſtemiæ, decocto cinamomi, coriandri, aut bocheto ex ſarſa parilla comparato: fructibus ſiccis: carnibus delicatioribus aſſis potiſſimùm, aliquando elixis cum mentha, hyſſopo, ſaluia, petroſelino: fœniculi & apij radicibus, vel ſummitatibus capparum, oliuarum fœniculi marini conditorum frequens ſit vſus inter fercula, ad aperiendum & incidendum, niſi ſumma ventriculi obſtet infirmitas. Sit autem moderata cibi potuſque quantitas ſuo tempore & ordine conuenienti, ne multitudine prauorum eiuſmodi ſuccorum copiam augeat, vel defectu vires nimis deiiciat. Imprimis autem fugiant abſona illa, quorum deſiderio tantopere tenentur: vbi enim primum huic inordinato appetitui dominari poterunt, ſignum eſt naturam victricem eſſe cacochymiæ, & omnis augendi iſtius affectus occaſio præciditur. Ad maiora ergo remedia veniamus: quoniam ſola diæta ſæpe non ſufficit ad malum iſtud oppugnandum.

Quotieſcunque cachexia iſta recens eſt, pendetque à cacochymiâ quadam plethoricâ vel vacuationibus ſanguinis per nares, vterum, aut hæmorrhoidas ſuppreſſis: toties tundi poterit in principio vena illa, quæ minuendis hiſce humoribus, vel renouandis iſtis vacuationibus erit accommodatior, habitâ imprimis ratione virium, ne ſcilicet per eiuſmodi miſſionem, nimium fiat illarum diſpendium: In virginibus tamen quæ decimum quartum annum exceſſerint confidentius agendum, quoniam florens earum ætas & regurgitantis ſanguinis copia, qui frequentiſſime hæmoptoas & vomitus ſanguinolentos parere ſolet, non tantum phlebotomiam ſemel, ſed ſæpius repetitam tolerare poteſt ex venâ cubiti ad tollendam plethoram, & venis malleoli circa nouilunia, vt renouetur vel inciteturfluxus ille muliebris. Quin etiam affixis hirudinibus, cucurbitulis, ſcarificationibus, & ſimilibus, variis corporis partibus licebit idem aliquando ſecundum varias ægrarum conſtitutiones præſtare. Certè in affectu inueterato, & iam grandioris ætatis mulieribus admota cruribus cauteria non leue auxilium ſæpius tulerunt ad vacuandam ſenſim, & deriuandam mali iſtius cauſam. Sin vero capitis, pulmonum, vel aliarum partium vitia primaria huic ortum dediſſe videantur, licebit eodem

modo opem iſtam Chirurgicam locis accommodatis adhibere.

Quod ad pharmaceutica verò ſpectat, quoniam omnis cachexia, vt ſæpe diximus, ſoboles eſt cacochymiæ ſimplicis vel mixtæ, adhibenda erunt imprimis purgantia valentiora aut benigniora frequenter repetita, cum debitis præparantibus, pro modo & naturâ redundantis humoris. Cachexia igitur ſimpliciter pituitoſa, cum via ſit ad hydropem anaſarcan, eadem ratione qua & ille curabitur, adhibita diligenti animaduerſione cuius partis adſunt obſtructiones, vel intemperies inſigniores, vt eis potiſſimum proſpiciatur. Sed quoniam iſta χλώρωσις virginum & viduarum plurimum pendet ab obſtructionibus viarum ad vterum pertinentium, ſuppreſſione vacuationis hyſtericæ, & redundantiâ crudorum ſuccorum & craſſorum, pauco bilioſo varij generis permixtorum, vnde illa coloris diuerſitas; Ideo ſubiiciemus typum curationis integræ, quam in eiuſmodi fœminis moliri ſolemus, vigente potiſſimùm vere aut circa æſtatis initium, aliquando autumno, ſi ita res ferat, quando ſolennes purgationes etiam in aliis inſtitui ſolent, ducto exordio à ſequenti enemate, quia frequenter adſtrictam ſolent habere aluum.

℞ Fol. betæ, mercur. maluar. agrimon. abſint. & matricar. ana M. j. ſeminis aniſi & fœnugr. ana ʒ iij. furfur. macri, flor. chamæmel. ſtœchad. & anthos, ana P. j. Fiat omnium decoctio ad ℔ j. ß. in qua diſſolue hieræ picræ & benedictæ laxat. ana ʒ vj. olei lilior. & mellis mercurial. ana ℥ ij. Fiat clyſter, qui iniiciatur ante omnia, & frequenter repetatur: emollit enim, deterget, aperit, & laxat ductus illos inteſtinis proximos, vnde magnum emergit ægrotantibus iſtis commodum. Sequenti die capiat talem bolum.

℞ Benedict. laxat. & hieræ picræ, an. ʒ iij. pulu. hieræ picræ ϑ j. Cum ſaccharo fiat bolus, capiat mane, vel ſi forma ſolida diſpliceat, paretur potio.

℞ Electuar. diacarthami ʒ vj. ſyrup. de artemiſiâ ℥ j. decocti abſint. mercurialis & agrimon. cum foliis ſenæ q. ſ. Detur in aurora. Hac enim minorante purgatione ſublatâ ventriculi & aliorum abdomine contentorum viſcerum impuritate licebit tutius venam cubiti ſecare, ſi quidem id ex vſu videatur, vt iam dictum eſt. Deinde paretur ſequens apozema, quod aperiendi, detergendi, molliendi & purgandi facultate præditum, omnes fere propoſitas intentiones complectitur.

℞ Quinque radic. aperitiuar. in vino albo per noctem infuſ. ana ℥ j. rad. eryngij, rubiæ maioris, ireos noſtratis, corticis citri ſicci, & rad. cappar. ana ʒ vj. fol. beton. meliſſæ, artemiſiæ, matricar. nepet. valerianæ, ceterach, agrimon. chamædr. & chamæpiteos, ana M. j. ſummitatum abſint. pontici, folior. dictamni Cretenſis & ſabinæ, ana P. j. polyp. querni & medullæ ſeminis carthami, ana ℥ j. ß. folior. ſenæ mundat. vino albo irroratorum ℥ ij. hermodact. ʒ vj. ſemin. dauci & apij, ana ʒ iij. ſpicæ nardi ʒ ij. flor. ſtœchados, anthos, ſambuci, geniſtæ, tamariſci & cicerum rubrorum, ana P. j. Fiat omnium decoctio in hydromelite. In colaturæ ℔ j. ß. diſſolue ſyrup. de artemiſia ℥ iij. Fiat apozema clarificatum & aromatizatum ʒ iij. cinamomi electi pro quinque doſibus matutinis. In quarum vltimâ diſſolue diacarth. ʒ vj. rhabarbari pulueriſ. ϑ j. Capiat cum cuſtodiâ. Deinde per aliquot dies ad recreandum ventriculi robur, capiat mane cochlearia duo vini aut ſyrup. de abſint. vel electuar. aromatic. roſati ℥ iij. ſuperbibendo parum vini albi aut aquæ meliſſæ ℥ ij.

Ex deſcriptione iſtius apozematis, auctâ doſi purgantium, fiat ſyrupus magiſtralis, de quo capiat ℥ ij. vel iij. cum decocto cicerum rubeorum, fol. petroſel. croci & cinnamomi ſemel aut bis in menſe: vel illius loco paretur opiata ſequens.

℞ Electuar. de citro ſolut. & diacarthami, ana ℥ j. ß. confect. hieræ picræ, quæ in hoc caſu valde commendatur; & diapruni ſolut. ana ℥ j. fol. ſenæ mundat. & hermodact. ana ℥ ß. agarici recenter trochiſcati ʒ vj. rhabarb. & tartari albi puluer. ana ʒ ij. ſpicæ nardi & ſeminis apij, ana ʒ ß. Cum ſyrupo de artemiſia fiat opiata, de qua capiat ℥ ß. cum ſaccharo vel puluere ducis, in formam boli concinnatam aut prædicto decocto diſſoluram bis in menſe.

Quidam vomitus ante cibum conciliant ex infuſo ſeminis vel radicum raphani in oxymelite: quod non eſt improbandum in aſſuetis potiſſimum & eis qui nauſeas ex impuritate ventriculi frequentes patiuntur: in aliis verò pilulæ vſuales, quas ante cibum vocant, præſcribi poterunt, vt ſenſim illa illuuies educatur, & viæ aperiantur in hunc modum.

℞ Puluer. hieræ picræ ʒ vj. agarici recenter trochiſcati ʒ ij. tartari vini albi & rhabarb.

puluerat. pauco vino irrorati, ana ʒ j. gummi ammoniaci aceto ſcillitico diſſoluti ʒ j. ß.cinamomi electi, ſalis gemmæ, maſtic. & ſpicæ nardi, ana ℈ j. croci g.v. Conficiantur cum ſyrupo de abſint. fiat maſſa, de cuius ʒ j. fiant pilulæ ſex deauratæ. Capiat tres horâ vnâ ante cœnam alternis diebus. His pilulis diutius vſurpatis, pleraſque iſtarum ægrarum conualuiſſe obſeruauimus: non enim audiendi ſunt illi, qui in hiſce fœdis coloribus exhibendas cenſent tabellas antimoniatas ex deſcriptione Vvecheri; aut quatuor vel quinque grana ſtibij per ſe aut in vino infuſi: quoniam infirmior iſtarum calor, & pertinaces obſtructiones nullo modo perferre poſſunt *κάθαρσιν* ex malignis iſtis & vehementioribus purgantibus, à quibus vt plurimùm in ſyncopem & grauiſſima ventris tormina coniiciuntur.

Peractâ ſolenni illâ vel ſæpius iteratâ purgatione ſolemus nos ad laxandas omnino vias, molliendam, fundendamque materiam obſtructionum, & digerendos humores in habitu contentos præſcribere balneum ſequens, aut ſimile circa Maium aut Iunium menſem.

℥ Rad. bryon. irid. hortenſis, cucumer. agreſtis; & enulæ campanæ, ana ℔ ij. rad.althææ,lilior.& fœnicul.ana ℔ j.fol.meliſſ. praſſij,abſint.tanaceti, matricar.artemiſiæ,parietar.mercurial.cum toto, ſummitatum lauri & hederæ, ana M.iij. ſemin. lini & fœnugr. leuiter contuſorum, ana ʒ ij. Decoquantur in aqua fontis vel fluminis pro balneo, quod ingrediatur tepidè per biduum ſine ſudore aut ſaltem modico,ne vires nimium deiiciantur.

Sequenti die ſi virgo ſit,aut vidua menſtruis purgationibus aſſueta,quæ ſuppreſſæ fuerint; poſt multam deambulationem aperiatur vena vtriuſque malleoli circa meridiem:quod poterit bis aut ter repeti, eadem ſcilicet periodo, quâ dicti menſes fluere ſolebant,quemadmodum purgantia, præparantia, & roborantia, tam interna quam externa, tamdiu vſurpanda certis interuallis, quamdiu pertinaciſſima iſta cachexia perſeuerabit.

Inter alia autem quæ valde commendantur poſt purgationem conuenientem, eſt chalybis limatura,quæ variè præparata, aut cum aliis mixta,iam habetur præcipua antidotus in hoc affectu debellando. Chalybs igitur nihil eſt aliud, quam ferrum frequenter ignitum, in aquâ extinctum & expurgatum,idem quod ſtomoma apud Ariſtotelem *cap.6.lib.4.meteor.* Ex illo dum ita paratur, & malleis percutitur, decidit ſquama, quemadmodum ex ære & ferro, cuius vſum voluit eſſe Dioſcorides, vt tergeat & aluum ſoluat. Galenus autem 9. *de ſimpl. medic. facul.* ſcribit omnes iſtas ſquamas eſſe acres, & liquare carnem, ita tamen vt æris ſquama illud præſtet ſiccando magis; ferri autem adſtringendo, ſed præter iſta proprietatem quamdam purgandi in chalybe,quemadmodum in rhabarbaro aut roſis, quæ manifeſtè adſtringunt, agnoſcere cum Fallopio non eſt rationi aduerſum, & experientiâ quotidianâ confirmatum. Hinc Aëtius *lib.*10. *cap.*11. ſquamam ferri vel chalybis exhibet per os ruſticis & durioribus corporibus ad ſcirrhos lienis comminuendos, quia pondere ſuo obuios humores craſſos & viſcidos deturbat,acrimoniâ autem illâ incidit & detergeat,adſtrictione verò lienem condenſat & roborat. Mollioribus verò & delicatis exhibebat vinum vel mulſam, in quo chalybs ipſe fuerit ſæpe extinctus, ex quo etiam aluus ſubducebatur, & tumor lienis ſubſidebat. Illud confirmat Paulus,Auicennas & cæteri authores noſtri, qui non ſolum ad hoc vtuntur ſquamâ chalybis vel ferri, ſed etiam ipsâ ſcoriâ ferri, & aquâ illâ quæ excurrit per lapides molares, dum enſes acuuntur. Vnde iam apud nos inualuit vſus iſtius medicamenti ad rebelles iſtas obſtructiones & tumores, partim ventris inferioris expurgandos in quartanariis & hiſce mulieribus defœdatis, non infelici ſucceſſu. Quia autem ſquamæ illæ veteribus vſitatæ, non ſunt nobis ita familiares, apud quos metallorum fodinæ,vbi illæ parari ſolent,minimè habentur,& quia ſunt acriores reſpectu iſtarum muliercularum:Ideo ſolemus ex limaturâ chalybis idem præſtare,quam variis modis hodie parant,infundunt in variis liquoribus,aut cum aliis medicamentis tenuantibus, detergentibus, roborantibus, nec non aliquando purgantibus miſcent.Mulierculæ noſtrates recentis limaturæ (aliàs enim rubiginem quamdam noxiam contrahit) ʒ j. diuidunt in ſeptem partes, & poſt purgationem aliquam totidem diebus mane cum pauco melle mixtam exhibent iſtis puellis, diúque ambulare iubent. Medici verò, vt melius penetret, nec tantum ventriculo negotium faceſſat,præſcribunt in hunc modum, vel huic conſimilem.

℥ Cort.median.rad.cappar.ʒ ß.ſemin.dauci,acetoſæ, & apij, ana ʒ ij.puluer.electuar. diarrhod. abbat. & cinamom. electi, ana ʒ j. ſpicæ nardi & croci, ana ℈ ß.

limaturæ

limaturæ chalybis cum aceto præparatæ (ex deſcriptione Fallopij) ʒ ij. ſacchari ad pondus omnium. Fiat puluis, de quo capiat mane cochlear vnum vel duo pro corporis & morbi conſtitutione, ſuperbibendo parum vini albi vel aquæ melillæ, continuando per ſeptem aut nouem dies, & fortiter poſtea deambulando. Vinum autem chalybeatum, cuius elegantem deſcriptionem habet Fallopius, continuandum cenſent per totos quadraginta dies, vt obſtructiones iſtæ abſumantur. Poſſunt ex prædicti pulueris portione, ſi magis gratum ſit, concinnari tabellæ ponderis ʒ ij. cum ſaccharo aquâ fœniculi vel agrimoniæ diſſolut. Sumat vnam ſingulis diebus, ſuperbibendo parum decocti cinamomi & cicerum rubrorum, vel aquæ fœniculi aut vini tenuis, quod per aliquot dies in doliolis ex tamariſcino ligno confectis, manſerit. Variæ ſunt præparationes & aliæ mixtiones huius limaturæ, prout lien, hepar, ventriculus, vel aliæ partes magis affectæ apparuerint. Empirici ſuum crocum Martis hîc celebrant. Alij verò in pertinaciſſimis obſtructionibus boracis naturalis ʒ j. miſcent cum ʒ ß. cinamomi, & aliquot granis croci, & pauco ſaccharo. Diuidunt in quatuor partes & per quatriduum exhibent mane cum paucâ aquâ matricariæ. Sequentes vero pilulæ pro ſecreto à multis habentur.

℞ Succi mercur. & mellis deſpumati, ana ℥ j. Decoquantur ad ſufficientem craſſitiem, addendo ſeminis nigellæ Romanæ puluer. ʒ ij. Fiat maſſa, de cuius ʒ j. fiant pilulæ ſex deauratæ. Capiat duas in ingreſſu lecti per tres dies continuos, quando inſtabit menſtruorum periodus : nihil enim præſtantius dicunt in prouocando fluxu illo ſuppreſſo. Quidam etiam pro certo remedio propinant puluerem pſeudorhabarbari ſeu monachorum ad ʒ j. cum decocto rubiæ maioris : vel ipſius radices decoquunt in aquâ agrimoniæ, & exhibent ad ℥ ij. mane per quinque aut ſex dies.

Immutandæ enim in diuturniore affectu iſtæ remediorum formulæ, ſi non ſatis arrideant : ac proinde parari poteſt ad hanc rem decoctum vel iuſculum ſimile, in plures dies vſurpandum. Verbi gratia eligantur teneriores radices apij, fœnicul. & petroſel. ſuo cortice & neruo liberatæ : folia agrimoniæ, pimpinellæ, fœniculi, maluarum, capilli Veneris, pulegij, & hyſſopi : ſeminis melon. & apij, cum pugillo aliquo cicerum rubrorum, capparum recentium, & cinamomi & croci aliquot fruſtulis. Decoquantur per ſe in aquâ fontis, vel pro delicatioribus cum pullo gallinaceo, vel columbino, addendo modicum ſalis. Capiat mane & horâ tertiâ, vel quartâ pomeridianâ in plures dies. Sunt qui valde laudant conſeruam ex floribus calendulæ, cuius ʒ j. ß. exhibẽt mane cum pauco vino generoſo : Mulierculæ etiam exhibent mane fruſtulum vnum panis torrefacti & macerati in ℥ ij. veteris omphacij, ſed non ſatis prudenter, in illis potiſſimum, quæ iam valde refrigeratum habent ventriculum.

Ex eodem decocto vel deſcriptione apozematis aut balnei fiat fotus ſupra totum ventrem inferiorem, ad molliendam incidendámque materiam iſtam obſtruentem, ductúſque laxandos & aperiendos : deinde inungatur oleo de capparibus, liliorum & nardino ſimul mixtis : vel etiam fiant inunctiones magis appropriatæ ſingulis partibus affectis. Quoties verò diuturnior κακοχυμία redundantes excitauerit in corpore ſuccos, qui purgantibus hiſce, alterantibus, & roborantibus non facilè cedunt, ſed firmiter in habitu corporis permanent : toties licebit rectè præparato corpore, iſtam cacochymiam per ſudorifica euocare. Quamuis enim aliqui exiſtiment in affectu iſto virginum ſeu muliercularum non eſſe prouocandos ſudores, quia eripiunt materiam ſeroſam, quæ debet eſſe vehiculum fluxuri ſingulis menſibus ſanguinis : non eſt tamen exiſtimandum, quin eductis humoribus iſtis, quibus velut immenſo quodam pondere natura grauabatur, liberior ſit deinceps futura ad vacuationes ſolitas promouendas & generandam materiam huic rei idoneam ex rectâ & laudabili coctione : Adde quod humor iſte in ſuperficie corporis hærens non poteſt commodius quam per hidrotica vacuari.

Nos itaque conſulere ſolemus hiſce mulieribus vſum balneorum noſtrorum Bellilucanorum, tam potu quam lotione. Potu enim aquæ iſtius copioſiore, prius expeditis & liberatis viis per dicta remedia, detergetur, excluditúrque humor in primâ & ſecundâ corporis regione contentus per alui fluxum & vrinæ maximum fluorem : tertiâ vero regio excitatis copioſè ſudoribus depletur. Horum defectu poterunt ſtuphæ ficcæ ſeu laconica præſcribi, aut humidæ ex decocto herbarum nerualium & hyſtericarum, vt artemiſiæ, nepetæ, tanaceti, ebuli, ſaluiæ, hyſſopi, lauri, lauendulæ, roriſmarini & ſimilium, quibus ſudores commoueantur benignè,

&

& abſque magnâ virium diſſipatione. Vel ſi mauis, inſtituatur decoctum ſudorificum in plures dies ex radicibus chynæ, quam apion vocant (*non eſt apios Dioſcoridis, ſed talis dicitur, quia omni ſapore alieno caret*) aut ſarſæ parillæ in ſiccioris calidioriſque temperamenti ægris: in aliis verò ex ligno guaiacino, quod potenter calfacit, exſiccat, mollit, & attenuat. Redeundum deinde ad ea quæ peculiariter ductus vteri aperire poſſunt, & viſcerum temperiem reſtituere. Vnde multi theriacam veterem, mithridatium, & auream Alexandrinam hîc plurimùm commendant, quibus hyemis tempore potiſſimum erit vtendum ſolis, vel ita permixtis.

℞ Theriacæ veteris & electæ ʒ iij. aureæ Alexandrinæ ritè diſpenſatæ ʒ ij. cinamomi electi pulu. elect. diambræ, diarrhodon. abbatis & trochiſcor. de myrrhâ, ana ℈ j. ſeminis apij & citri, ana ʒ ß. conſeruæ radicum eryngij & florum calendulæ, ſi habeatur, ana ʒ j. Cum ſyrupo de artemiſiâ vel byzantino fiat opiata, de quâ capiat ad quantitatem caſtaneæ ſingulis diebus mane, ſuperbibendo parum aquæ abſinthij vel meliſſæ, quando non vtentur alio remedio. Proſtant in multis officinis confectiones dialacca, diacurcuma, pliriſarcoticon, & ſimiles, ad rebelles iſtas obſtructiones, potiſſimum vterinas, inſtitutæ, & menſtrui fluxus prouocationem. Quæ omnia contrario modo erunt vſurpanda, quoties mulierculæ iſtæ ex nimio menſium aut hæmorrhoidum profluuio in tales καχηξίας inciderint: cuius ſuppreſſioni artificiosè ſtudendum erit, vt ſuis locis tradetur. Idem dicas de febre vehementi, quoties illi ſuperuenerit: tunc enim temperanda remediorum iſtorum qualitas, & febrilis ardor in primis compeſcendus.

Quod ad reliqua verò ſymptomata ſpectat, quibus ægræ ſolent torqueri, vt ſunt lipothymiæ, cordis palpitatio, reſpiratio difficilis, dolor capitis, appetitus deprauatus, crurum inflatio, infirmitas & ſimilia, illis rectè proſpiciendum, prout ſingulis & appropriatis capitibus docetur. Exempli causâ, vbi valde vrget lipothymia, & melancholicus vapor cum cordis palpitatione, vtatur frequenter confectione alkermes cum vino, tabellis diamargaritonis, aquâ cœleſti dictâ, vel imperiali, quæ potentiſſimæ ſunt ad flatus diſſipandos, & reparandam ſubſtantiam ſpirituoſam. Diſſoluatur item puluis garyophyllorum & macis cum granis aliquot moſchi in pauco vino albo odorifero, & aquâ meliſſæ: capiat cochlear vnum inſtante paroxyſmo. Suſpendatur ex collo, ita vt regionem cordis attingat, nodulus caphurâ refertus, quæ ad hoc plurimùm valere creditur. Geſtent ſupra regionem cordis continuò facculum interbaſtatum inter duas ſindones ſericeas rubras cum cotone moſchato, plenum puluere ſantalorum, granorum kermes, corticis citri ſicci, garyophyllorum, vel cyprio Monſpelienſibus dicto, qui frequenter aquis dictis vel bugloſſi aut vino generoſo irrorari poterit. Quoties magis infeſtabit hoc ſymptoma ex copiâ fumorum ad ſuperiora delatorum, ſoluatur ſtatim venter clyſtere vel ſuppoſitorio quodam acri, confricentur duriter, & ligentur crura & coxæ: ipſiſque hypochondriis aut ſub illis affigantur cucurbitulæ aliquot cum multâ flammâ. Generoſiſſimum remedium ad hoc malum propulſandum habetur hodie apud Medicos lapis ille ex Indiâ delatus qui bezoar vocatur: cuius ℊ. iij. vel iv. diſſoluunt cum aquâ quadam cordiali, vel vino illo chalybeato, & tempore afflictionis, vel etiam extra, ſi ægræ ſumptum illum tolerare poſſint, frequenter exhibent. Hiſpani verò laudant in hoc caſu radicem ſcorcioneræ; Germani angelicæ, quam in vino per totam noctem maceratam, & ſummo mane colaturam exhibent: vel faciunt illius conſeruam cum ſaccharo, aut incoquunt iuſculis, & ſic exhibent iſtis mulierculis variâ formulâ & frequenter.

Ad deprauatum verò vel imminutum appetitum nihil eſt præſtantius, quam ſi ſæpe vtantur horâ vnâ ante paſtum pilulis ex aloë, agarico, nuce moſchatâ, & maſtiche, cum aqua menthæ confectis: mane vero ſyrupo vel vino de abſinthio: extrà autem inungatur ventriculus oleo nucis moſchatæ aut cerato ſtomachico dicto. Dolorem autem capitis hic valde importunum mitigabis præter purgationem ex pilulis, & clyſteribus dictis, lotionibus pedum, ex vino & herbis nerualibus, embrochâ capitis ſuper futuras ex aquâ theriacali ſulphureâ, vel oleo balſamino aut ſambucino, admotione emplaſtri ſupra particulam dolentem, ex gummi illo quod hodie tacamaacha vocant: necnon additis quibuſdam narcoticis, ſi doloris atrocitas id expoſtulet, & tandem ad cauteria ſiue apertiones cutis deueniendum, vbi iam materia fixa eſt in parte. Atque hæc de χλωρώσεως & καχηξίας muliebris curatione ſufficiant.

CAPVT II.

De ſuppreſſione fluxus menſtrui.

MVLIERES peculiaria quædam excrementa gignere, quæ natiuam earum temperiem æmulentur, in Phyſiologiâ docuimus, inter quæ principatum obtinent ſemen muliebre, & ſanguis ille menſtruus, quia non tam ſunt verè excrementa qualitate peccantia, quam vtiles & benignæ ſuperfluitates concoctionum, ad generationis opus neceſſariæ: vnde fluxus iſte muliebris, purgationes κατ' ἐξοχὴν à vulgo dicuntur, & flores, quia vt arborum alacritas & vigor ex florum ſuo tempore erumpentium vbertate cognoſcitur: ſic etiam mulierculârum fœcunditas ex ſanguinis iſtius legitimâ effuſione. Qui nihil aliud eſt, quam excrementum benignum ſecundæ concoctionis, & menſtruâ periodo in fœminis ætate vigentibus, neque grauidis, neque lactantibus per vteri venas vtiliter fluens. Diximus eſſe excrementum benignum, ſcilicet quantitate tantùm exuperans. Cum enim ex eo fœtus partes in vtero nutriri, augeri, & perfici debeant, cum ex eo mammæ turgentes lac conficiant ad educationem illius extra vterum, vt ſuis locis probabimus: cum ab eodem calore natiuo generetur, eadem partium præcipuè iecoris ἰδιοσυγκρασία, ab eadem materiâ alimentali: eaſdem habeat qualitates, quæ in ſanguine ab aliis venis effuſo conſpicitur, quis dixerit alterius eſſe naturæ, malignæ nimirum & infeſtæ, præterquam quantitate in muliebri naturâ? Quod eodem modo contingit ephebis & iuuenibus, ſanguineis potiſſimum & æſtatis tempore, qui largam per nares florentis ſanguinis copiam ſolent effundere frequenter. Ita vt maleficia illa Plinij, Fernelij & aliorum huic ſanguini adſcripta, vel ſint commentitia, vel audienda ſint de fœminis cacochymis & male habitis, in quibus coërcitus iſte ſanguis corrumpitur, vel alienis excrementis permixtus vitioſas contrahit qualitates. Diximus eſſe excrementum ſecundæ coctionis, nempe ſanguificationis quæ in iecore perficitur, quia & colore & totâ ſubſtantiâ repræſentat naturam maſſæ ſanguinariæ: quamuis enim aliqui exiſtiment, inter quos eſt Ariſtoteles *libro tertio de generation. animal.* iſtum ſanguinem proficiſci ex partibus tertiæ concoctioni dicatis, illud tamen non videtur credibile, tum quia magis eſſet alteratus & illarum partium qualitatibus donatus: tum quod maiorem reſolutionem & infirmitatem corporibus mulierculârum inferret, dum vacuatur, iam quodammodo ſeminalis materiæ naturam redolens, & ſpiritibus permixtus. Diximus fluere in fœminis ætate florentibus, neque grauidis, neque lactantibus, quia hic ſanguis generationi prolis præcipuè dicatus, non debuit erumpere, niſi eo tempore quo mulierculæ iſtæ ad opus illud ſunt idoneæ. At dum ſunt iuuenculæ, verbi gratia vſque ad duodecimum aut decimum quartum annum, venas habent anguſtiores: & natura de corporis incremento & firmitate ſollicita totum illud alimentum abſumit facile ad partium iuſtam accretionem: ita vt ſi quæ ante illud tempus flores iſtos patiantur, vulgo præcoces & breuioris vitæ habeantur. Vbi vero vigor ætatis præteriit, circa quinquageſimum aut quinquageſimum quintum circiter vitæ annum deſinit iſte fluxus muliebris, quia tunc calor infirmior ſatis eſt occupatus circa corporis nutritionem, & indiuidui conſeruationem, neglectâ prolis educatione. Totos igitur quadraginta annos aut circiter fœmina homo debet hunc fluxum pati, ſi proli generandæ ſit idonea, quod in alterius ſpeciei fœminis non contingit, quia vehementi nimirum exercitatione, pauco & minus laudabili victu, prolis multitudine, partium aliarum generatione, vt cornuum, pilorum, ſquamarum, pennarum, & ſimilium omne illud ſuperfluum abſumunt, quod idem narrant de Indicis fœminis, de ſaltatricibus, & Amazonibus, quæ parum aut nihil defluxum iſtum experiuntur ob vehementes corporis animique motus. Sic etiam dum grauidæ ſunt aut lactantes non debent illum pati, quamuis aliquando ſecus contingat, præcipuè in luxurioſis fœminis, quia debet tunc transferri ad nutritionem embryonis aut lactis generationem. Diximus præterea hunc ſanguinem

guinem effluere naturaliter ſingulis menſibus, non autem ſæpius vel rarius circâ varias ſeptimanas: vnde illud. *Luna vetus veteres, iuuenes noua luna repurgat*, cuius rei multiplex ratio redditur. Quod enim menſtruatim effluat, non autem ſingulis diebus, (intercedit enim vt plurimũ interuallum viginti duorum dierum,) id tum ratione decori, cuius admodum ſollicita eſt natura, factum eſſe videtur, quia valde fuiſſet turpe fœminam cum mare coituram perpetuò hac illuuie ſcatere: tum etiam quod cum ſanguis iſte non qualitate ſit infeſtus, ſed tantùm quantitate: ideo oportuit illius certam copiam colligi, quæ ſuâ mole vel pondere grauans tunc ſollicitaret naturam ad expellendum, certâ ſcilicet periodo, quam natura bene regulata in ſuis omnibus motibus obſeruare ſolet, vt patet in criſibus: imò alui ipſius & vrinæ profuſione in quamplurimis hominibus. Adde quod cum luna menſium, vt ſol annorũ gubernatrix, humoribus præeſſe credatur, fit vt peracto illius curſu natura etiã commoueatur ad humoris iſtius expulſionem. Cur autem lunâ creſcente aut plenâ quædam: aliæ verò decreſcente vel omnino deficiẽte purgentur, hanc ſtatuunt eſſe cauſam: quia iuuenes quibus multus ſanguis eſt fluidior, corpuſque patentius, facilè ad fluxum commouentur, vel primâ orientis & creſcentis lunæ quadrâ: vetularum autẽ humores frigidiores & pauciores, vaſiſque denſioribus & ſiccioribus contenti non tam facilè fluunt, niſi adiuti lunaribus pleno orbe effuſis radiis, aut certè lunâ iam decreſcente, quia collectus & turgens plenilunio humor irrumpit deinde in vaſa vteri, & ſibi viam facit, ſub iſto ſydere declinante circa finem menſis, quando ob frigiditatem grauior & copioſior factus eſt.

Diximus etiam per vteri venas, vt diſtingueremus ab omni alio fluxu ſanguineo, vt narium, oris, veſicæ, hæmorrhoidum & ſimilium, qui quamuis aliquando vtilis eſſe poſſit ratione indiuidui, impedit tamen aut imminuit curſum iſtarum purgationum & prolis generationem. Debet igitur ſanguis iſte copiâ turgens in hepate & venâ cauâ, deriuari per ramum iliacum in hypogaſtricas illas duas, quæ per corpus & collum vteri diſperſæ, circa hanc periodum, apertis oſculis, iſtum excludunt in vteri cauitatem: aut aliquando in meatum ceruicis, vt in quibuſdam virginibus, & prægnantibus. In lactantibus verò non tam per venas illas & mammariam, quam per ipſam venam axillarem recurrit in mammas, vt lacti materiam ſuppeditet.

Diximus denique, ſanguinem hũc vtiliter fluere, tum ratione indiuidui, quia mulier ſcatet humore iſto ſuperfluo: tum prolis ſuſcipiendæ causâ, ſi debitis qualitatibus præditus iuſtâ menſurâ & certo ſpatio temporis conuenienti vacuetur, ſine dolore aut aliis accidentibus. Conditiones iſtas complexus eſt Hippocrates 2. *prorrhet.* & *lib.* 1. *γυναικείων*, dum vult ſanguinem iſtum per trium dierum aut ad ſummum quatuor ſpatium ferri debere florentem, & qualis è recenti victimâ mactatâ conſpicitur, duarum cotylarum ſeu heminarum atticarum menſurâ, quæ libram vnam cum dimidia efficiunt, plus minus tamen, pro variâ corporis conſtitutione, & viuendi ratione. Hæc eſt naturalis œconomia huius menſtruæ purgationis in mulieribus, quæ ſanæ exiſtunt & ad prolem ſuſcipiendam idoneæ. Ex cuius cognitione facilius erit nunc ea quæ præter naturam illi accidunt, perſcrutari.

Imprimis autem agendum de ſuppreſſione vel imminutione illius, tum quia frequentior eſt inter alia mulierum ſymptomata: tum etiam quod affinitate quadam coniuncta eſt cum ſuperiori affectu, quem dicebamus ſæpius ex ſuppreſſis menſibus pendere. Vt igitur rem ipſam definitione complectamur, dicimus, ſuppreſſionem iſtam eſſe ſymptoma retenti præter naturam ſanguinis menſtrui, propter ipſius materiæ vitium, viarum vel vteri impedimenta, ex quo varij oriuntur affectus morboſi. Hac definitione complectimur naturam ipſius affectus, quæ eſt poſita in ſecundo ſymptomatum genere, dum aliquid quod excerni debet naturaliter à corpore, cohibetur intus à causâ morbificâ ex toto vel ex parte, vnde abolitæ vel imminutæ functionis effectus dicitur: ita vt aliquando retentrix, aliàs expultrix laboret aut otietur, per ſympatheiam aut idiopatheiam læſa, vt deinde clariùs apparebit. Complectimur ſubiectum & partes affectas, quæ materialem cauſam repræſentant, dum dicimus eſſe ſymptoma ſanguinis menſtrui ſeu purgationis muliebris, quæ peculiariter per vteri ductus vacuari ſolet, vt diſtinguatur ab omni aliâ vacuatione ſanguinis quæ fit per alias partes, vt nares, mariſcas, veſicam, &c. quæ non ſunt dicatæ generationi prolis, vt iſta purgatio vterina. Complectimur efficientes propinquas ſeu coniunctas cauſas, eáſque ſub tria potiſſimùm capita reuocamus, materiæ ſcilicet ipſius, nempe ſanguinis fluxuri, venarum & vteri vitia. Sanguis porro vel quantitate exupe-

rat, vt quando nimius eſt, & copiâ ſuâ ita opplet venas, vt ſibi ipſi aditum & exitum præpediat, quemadmodum videre eſt ex Galeno *libro ſexto de locu affect. cap. 4.* in veſicâ nimio humore plenâ, qui ob diſtentionem illius excerni nequit: in multitudine hominum, qui dum per ianuam aliquam ſimul exire contendunt, ipſimet ſibi viam occludunt, & ſimilibus. Vel quantitate deficit, paucus enim & diminutus valde ſanguis non poteſt naturam ſollicitare ad excretionem, quæ prius de individui conſeruatione ſollicita, quam ſpeciei propagatione, exiguum iſtum ſanguinem ad partium alimoniam ſeruat, neglectâ vterinâ iſtâ purgatione. Vel peccat proprio motu iſta materia, quæ debet eſſe καταφόρους verſus vteri vias, deflectit aliquando curſum ſuum ad ſuperiora, vt in hæmorrhagiâ narium, vomitu vel ſputo ſanguinolento: aut deriuatur in veſicam, mariſcas & ſimiles ductus, per quos copioſiùs vacuata, non fertur deinceps commodè ad vterum, vt ibi menſtruâ purgatione pro more ſolito excludatur. Vel denique ſanguis iſte peccat qualitate, craſſitie nimirum vel lentore, ex proprio ſuo vitio, vt quando tota maſſa ſanguinaria nimium refrigeratur aut exſiccatur: Vel permixtione alterius humoris excrementitij, pituitoſi potiſſimùm & melancholici, qui ſimul cum illo mandatur in iſtos ductus vterinos, vnde vaſorum etiam obſtructiones exurgunt. Secundum enim caput cauſarum efficientium proximarum ſuppreſſionis & imminutionis menſtruorum refertur ad ipſas venas & arterias, ſiue ſint ipſi vtero propriæ, ſiue propagines hepatis, lienis, meſenterij & aliarum partium, ex quibus materia iſta in ductus iſtos proficiſcitur. Hiſce vaſis στύγωσις vel ἔμφραξις contingens intercipit fluxum menſtruæ purgationis: à στυγόω factæ anguſtiores vel naturâ ipſa, vel frigiditate nimia, ſiccitate, aut compreſſione vicinorum corporum, non præbent iuſtum canalem humori fluxuro: per ἔμφραξιν verò oppletæ ſucco aliquo craſſo & lento, qui interioribus earum parietibus adhæret, fieri non poteſt vt ſanguis ille menſtruatim effluens penetrare poſſit ad vteri vſque cauitatem. Et hæc eſt frequentiſſima ſuppreſſæ vel imminutæ iſtius vacuationis cauſa in corpore mulierum frigidiore & cacochymo. Tertium denique caput cauſarum iſtarum propinquarum efficientium refertur ad ipſas vteri diſpoſitiones morbificas: nam & intemperies illius inſigniores id præſtare poſſunt cum materiâ & ſine materiâ: inſignis vero frigiditas & ſiccitas conſtringendo & denſando corpus vteri: caliditas vehementior, quia ſiccat & reſoluit potenter: potiſſimum quando materia aliqua ſiue humor penetrauit in ſubſtantiam iſtius partis, & tumores præter naturam committit: tunc enim vix datur ingreſſus huic humori periodicè fluenti, tum quia pori ipſius vteri ſunt oppleti, tum etiam vaſa in illius cauitatem deſinentia, & cotyledonas conſtituentia comprimuntur. Idem dicas de nimiâ mole, & pinguedine, vel ſtrictura naturali vteri, illius malo ſitu, procidentia, euerſione, ſeu diſtorſione oſculi interioris: cicatricibus grandioribus poſt aborſum, partum laborioſum, & quæcumque vlcera relictis, pelliculâ ductum obturante, vt in eis quas *imperforatas* vocant, coalitu ceruicis parietum, & ſic de reliquis propriè matrici vel eius collo inhærentibus, necnon ſympathicis affectibus qui idem præſtare poſſunt, vt inteſtini recti vel veſicæ tumoribus & calculo grandiori, omento pinguiori, muſculorum abdominis præcipuè rectorum inflammationibus, & aliis tumoribus, quæ omnia aliquando originem, aut ſaltem anſam huic affectui præſtare poſſunt. Iam igitur videamus quomodo externæ illæ cauſæ ſeu res non naturales dictæ iſtas interiores, tam antecedentes, quam coniunctas promouere valeant.

Primùm igitur aër frigidior ſicciórque, vt aquilonia tempeſtas, conſtringendo vehementer poros, ductúſque corporis, & humores condenſando poteſt aliquando cohibere vel retardare iſtam purgationem, præcipuè in eis quæ non ſunt aſſuetæ illi tempeſtati. Ingreſſus præceps in aquam frigidam aut nimia mora in flumine, vt balneatricibus aut pauperculis contingit quæ lixiuia lauant, idem præſtare poteſt, potiſſimum ſi tunc fluxerint menſtruæ purgationes: quia eas intrò repellit & ſanguinem congelat. Aliquando, ſed rarius, aër feruidus, qualis ſub Caniculâ, multum diſſipando & reſoluendo, materiæ iſtius ſanguineæ facit tardiorem vel parciorem κάθαρσιν. Quod eodem modo dici poteſt de æſtuario & balneo calidiore, cui ſe imprudenter immerſerint: quia euocant motum humorum ad exteriora: ſudoreſque copioſos prouocando rapiunt & abſumunt ſeroſam partem ſanguinis, propter quam maximè fluxilis exiſtit. Alimenta etiam in hoc affectu producendo maximam vim obtinent, tum materiâ ſuâ, tum qualitatibus variis, necnon quantitate: nam pauciora alimenta quam par ſit, non reficiunt conuenienter corpus, nec iſtam

ſanguinis

ſanguinis redundantiam efficere poſſunt, quæ menſtruatim expurgatur: vnde videmus illas quæ præter naturam, id eſt accidenti aliquo valde gracileſcunt, deſtitui hac purgatione per longum tempus: nimia autem & intempeſtiuè ſumpta, potiſſimùm dulcia, copioſiorem efficiunt ſanguinem, vt dicebamus, ex cuius multitudine diſtenta vaſa non permittunt illi exitum conuenientem: vel certè effuſus circa ſpatia & membranas partium concreſcit in adipem, & præ mole ſuâ ductus corporis reddit anguſtiores: vnde præpingues iſtas mulierculas, quales ſolent eſſe quæ hoſpitium faciunt, laborare συγκοπῇ & parum purgari certiſſimum eſt. Quod ſi alimentis craſſis & viſcidis, potu frigidiore, crudioribus cibis frequenter veſcantur, non eſt dubium, quin ſanguinem reddant pituitoſiorem, ductus & orificia venarum humore lento oppleant, propter cuius infarctum obortis obſtructionibus vix deinceps conuenienter purgari poſſunt, niſi mutatâ victus ratione. Poteſt etiam aliquando ex alimentis calidioribus ſiccioribúſque magnâ copiâ ſumptis, vt ſale, aromatibus, & reliquis hæc purgatio ſiſti, tum quia exſiccant valde partium ſubſtantiam, potiſſimum hepatis, tum etiam ſanguinis ipſius liquorem abſumunt & exhauriunt. Adſtringentia denique alimenta, acida nimirum, acerba, auſtera, & ſimilia manifeſtiſſimis illud qualitatibus præſtare ſolent, dum ductus coarctant & humores condenſant. His adde exercitationes violentas, & immoderatas vigilias, quibus exhauritur valde corpus, propter quas dicebamus ſaltatrices fœminas, Amazonas, Indicas & ruſticanas parum aut nihil purgari. Quemadmodum ſomnus diuturnior & otium nimium multiplicatis cruditatibus, & eneruato calore natiuo idem aliquando efficiunt. Excreta verò & retenta præter naturam, ſiue ſint ſanguineæ materiæ, vt dicebamus de hæmorrhagiâ narium, oris & hæmorrhoidum; ſiue alterius cuiuſuis, vt per diarrhœas immenſas, vomitus continuos, ſudores & vrinæ profluuia: ſiue etiam inſenſibiliter facta per διαφόρησιν, vt videmus in maraſmo, febribus diuturnis, ſcirrho internarum partium & vlceribus, potenter ſiſtunt iſtam purgationem, quæ non prius reſtituitur, quam eiuſmodi vacuationes ſedatæ fuerint. Denique animi pathemata, quibus miſerè fluctuat ſexus hic muliebris, iracundia vehemens, timor ſubitus, mœror perſeuerans, zelotypia grauis & ſimilia, tantam illis perturbationem inferre ſolent, vt plerumque poſt calidos iſtarum paſſionum inſultus deſtituantur hac purgatione in totum, vel ſaltem per plures menſes, potiſſimùm ſi illis fluentibus iſta pathemata ſuperuenerint. Nunc igitur ad ſigna veniamus.

Diagnoſis autem ſpeciem ſiue naturam affectus, partem primariò vel ſecundariò laborantem, & cauſas ipſius affectus varias hîc deſignare debet. Quod ad ſpeciem igitur affectus ſpectat, duo ſunt Aphoriſmi apud Hippocratem, qui ad hanc rem pertinere videntur. Primus *ſect.* 5. *Aphoriſm.* 39. ita ſe habet. ***Si mulier quæ neque pragnans eſt, neque puerpera, lac habet, ei menſtrua defecerunt.*** Quaſi velit Hippocrates hoc Aphoriſmo lac in mulieribus iuſtæ & vigentis ætatis apparere poſſe, quotieſcunque menſtrua defecerint, quamuis neque ſint grauidæ, neque pepererint: quod tamen rarum eſt apud nos, & potius propter authoritatem Hippocratis creditum, quam vllâ ratione confirmatum. Cum enim lac in muliere potius ſanâ generetur, quam morbis obſeſsâ, & fiat fœtus nutriendi cauſâ: non videtur credibile retentis menſtruis propter cauſas morbificas, & nullâ prole ſuſceptâ lac generari poſſe, etiam ſine virili concubitu, vtpote in virginibus & caſtitatem ſeruantibus; quemadmodum ibi videtur ſentire Hippocrates. Quid dicemus igitur de hoc Aphoriſmo? an omnino reiiciendus vt ſpurius & à veritate alienus? an potius dicemus Hippocratem per lac non veram illam lactis ſubſtantiam quæ proli nùtriendæ idonea ſit, intellexiſſe: ſed ichorem ſubalbidum & ſanioſum, quo ſæpe virginum mammas etiam morboſarum quando menſtrua diutius defecerunt, imò etiam quorumdam virorum, abundare conſpeximus, magnóque pruritu & moleſtiâ exire. Alter Aphoriſmus eſt 61. eiuſdem ſectionis. ***Si mulieri purgationes non prodeant, quæ prius eas recte natura modo habere ſolebat, nullo tamen horrore aut febre ſuperueniente, coniectura eſt eam in vtero gerere***: ita vt his verbis innuere videatur Hippocrates, ſuppreſſionem iſtam menſtruorum morboſam inferre mulierculis horrores ob refluxum materiæ iam viciatæ aut frigidioris in ſenſiles partes & habitum corporis. Febres autem, ob conceptam putredinem, quæ humoribus præter naturam coneluſis accidere ſolet: quamquam enim hoc non ſit perpetuæ veritatis, multis enim menſes ſine iſto horrore & febre ſupprimi præter naturam & per plures menſes conſpicimus. Attamen in cacochymis illud contingere frequenter, veriſſimum eſt. Vnde

istud clarius explicans 1. γνησιώτερον. *Tertio*, inquit, *mense post suppressa menstrua incipiunt sentire suffocationes & horrores, lumborum grauitatem & quandoque febrem. Quod si suppressio diutius perseueret*, addit, *iam incipit obdurescere venter, spinalis regio dolere, cibi fastidio & vigiliis vrgeri, ita vt dentibus dormientes strideant. Tandem anxia fiant, animo linquuntur, frequenter vomunt, pectus intumescit, & vrina aliquando supprimitur, vel rubra, nigricant, aut sanioſa excluditur*: quod Galenus fere expressit *cap. 5. lib. 6. de locis affectis*. Qua in re solertem & accuratum valde oportet esse Medicum, ne decipiatur à mulierculis grauiditatem dissimulantibus & accusantibus causas morbificas istiusmodi suppressionis, vt remedia accipiant à Medicis, quibus abortum sibi conciliare valeant. Quamuis enim multa sint accidentia communia grauidis, & iis quæ præter naturam suppressos habent menses, attamen illa sic distinguere oportet: quia grauidæ, vt plurimùm viuido & florenti colore præditæ sunt, qui in istis defœdatur: quia grauidarum symptomata iam aucto fœtu mitescunt, contra in aliis magis ac magis perseuerante affectu sæuiunt: quod denique motus & situs infantis sensibiliter percipitur admotâ ventri manu post octauum mensem in grauidis, in istis vero minimè, sed tumor quidam œdematosus, vel durities insignis, quæ non habet circumscriptionem suam cum vtero limitatam. Adde quod si os vteri à peritâ obstetrice tangatur, non ita clausum vt in grauidis reperietur, sed durum potius & quasi contractum cum quodam dolore.

Cognito igitur affectu deprehendenda diligenter pars affecta & causa affectus proxima. Ac proinde si totum corpus sit hic in vitio, aut pars aliqua princeps, vel alia ad vitæ vsum necessaria, quæ sanguinis quantitatem, qualitates, aut motum immutet, vel vasis & vtero noxam inferat ex sympatheiâ: illud agnoscendum perlustratis omnibus signis earum dispositionum, quæ præcedere potuerunt hanc menstruorum suppressionem. Exempli causâ vniuersum corpus huic affectioni ortum dedisse propter plethoram redundantem, apparebit, si venæ valde fuerint in cruribus & brachiis distentæ ac nigricantes: si fœmina corpulentior aut rubicundior appareat: aut propter defectum sanguinis, si obesior solito facta fuerit, si diuturnam febrem, & quartanam perpessa, si inediâ coacta, vel fastidio cibi vexata fuerit: aut etiam immutato motu, quando per hæmorrhagias illas commemoratas excluditur sub propriâ formâ: vel rapitur serosa materia per alias quascunque, vt diarrhœas, vomitus, sudores, aut vrinæ profluuia: idque factis obstructionibus in vasis maioribus aut iecore, liene, mesenterio, & reliquis, vel intemperie aliarum quæ attrahunt aut repellunt eiusmodi humorem. Sanguinis denique refrigerationem, crassitiem & lentorem proprium, vel ex permixtione cum pituitoso aut melancholico excremento dignosces: quia totum corpus, hepar, lien, aut ventriculus intemperiem contraxerunt aliquam, vel obstructionem: quia color iam est defœdatus in cute: pulsus infirmior: vrina alba aut tenuis. Quod si angustia aut obstructio vasorum illi adiungatur, labores & dolores in lumbis & partibus prope vterum sitis, instante purgationis tempore persentiuntur: & si quid tum effluat, & quasi percoletur, mucosum, subalbidum, aut nigricans apparet, vnde dicuntur ab Hippocrat. menses decolores: quod linteolis aut arenâ exceptum, vt idem docet Hippocrates *libro cit.* tale sese ostendit. Præterea venas aut vterum comprimi vel coarctari ex incumbente tumore, calculo, vel aliâ plenitudine vicinæ partis, earumdem ostendent prægressi affectus. Quod si illa obstructio sit intra vasa aut vteri poros, quæ est frequentissima huius affectus causa, ingraueſcunt dolores circa periodum istam, lassitudines & grauitates sentiuntur: aliquando stillæ sanguinis velut transcolati aut expressi apparent, periodos illa retardatur aut anteuertit magno naturæ cruciatu, quæ expellere quidem, sed frustra ob viarum impedimenta nititur. Vbi verò ipse vterus intemperie insigni, tumoribus præter naturam, malo situ, procidentiâ, euersione, distorsione osculi, cicatricibus, pelliculâ vel coalitu laborat: propria signa ex sequentibus capitibus, vbi ista explicabuntur, repetenda erunt: quorum pleraque ex relatu ipsius ægrotantis, vel contactu & inspectione harum partium habebuntur.

Quapropter in hoc affectu præsagire non erit difficile. Nam si ista retentio menstruorum sit præter naturam, neque ex ætatis defectu, grauiditate, puerperio, aut lactatione dependens, sed à puris causis morbificis à nobis enumeratis, innumera consequuntur mala in corpore muliebri, vt iam fuit annotatum ex Hippocrate *Aphorism. 57. sect. 5.* quorum alia in toto corpore fiunt, vt quando febres oboriuntur, lepræ, leucophlegmatiæ, aliæ partem aliquam peculiariter impetunt, vt maniæ,

melan

melancholiæ, lipothymiæ, καρηβαρίαι, ophthalmiæ, ciborum faſtidia, anhelationes, tuſſes, ſanguinis vomitus, arthritides 6. *epid.* podagra *Aphoriſm.* 29. *ſect.* 6. cruris claudicatio *lib.* 6. *epid.* & ſimilia. Alia in ipſo vtero contingunt, vnde variæ in illo intemperies, & tumores præter naturam pro varietate humoris retenti, abſceſſus & vlcerationes. Ex quibus ſi diutius conflictentur mulierculæ, vel moriuntur, vel proli ſuſcipiendæ omninò redduntur ineptæ. Quod fuſius apud Hippocratem *libro ſæpe citato* 1. γυναικείων, tractatur. Eſt etiam memorabile quod refertur ab eodem, quibuſdam mulieribus robuſtioribus ob retenta diutius menſtrua barbam emerſiſſe, & viris ſimiles quoad inceſſum & alias actiones, redditas fuiſſe: quod veriſimilius eſt, quam quod narrant, quibuſdam etiam membra generationis foras erupiſſe, & verè maſculos euaſiſſe; niſi forte prius hermaphroditi exiſterent. Scripſit idem Hippocrates, ſuppreſſionem quæ vltra ſex menſes durat, eſſe immedicabilem, quod intelligendum eſt de retentis in ipſo vteri corpore aut cauitate menſtruis, quæ ibi putreſcunt & ſuppurantur, vt in retentis lochiis videmus; non autem de quacumque ſuppreſſione, cum à nobis contrarium perpetuò obſeruetur, & ipſe *lib.* 4. *epid.* tradiderit ancillam quandam (& 5. *epid* 4. Gorgiæ vxorem) cui per ſeptennium ſuppreſſa fuerunt menſtrua, illis tandem redeuntibus ſanitati reſtitutam fuiſſe. Minùs periculoſa vero eſt iſta ſuppreſſio, quæ â multitudine ſanguinis optimi exoritur, à pinguedinis copiâ, gracilitate, vel hæmorrhagiâ, & vacuationibus aliis, quia cauſæ illæ ſi non multum inualuerint, facilè tolli poſſunt. Ægrius curantur, quæ ob ſuccorum prauitatem, vaſorum obſtructiones aut anguſtiam torquentur, quia rebellis ille humor, & in penitiores meatuum partes inſinuatus, non niſi rectis remediis, & diuturnâ operâ, cuius mulierculæ iſtæ ſunt valde impatientes, educitur. Sed omnium peſſima, quæ ex proprio vteri affectu proficiſcitur, quia parte illâ per ἰδιοπάθειαν læſa, quæ eſt veluti ſentina muliebris corporis, difficulter curari poteſt ob perpetuum excrementorum affluxum: quemadmodum ſi ſequatur illius cicatrices altiores, malos ſitus aut conformationes. Atque hæc de prognoſi.

Ad θεραπείαν igitur accedentes, meminiſſe ſemper oportet, rationalem & methodicam curandi legem id ſemper habere propoſitum, vt non promiſcuè & ſine delectu remedia affectibus præter naturam adhibeat, ſed habitâ varietatis cauſarum ratione, à quibus illi exoriuntur. Ac proinde cum affectus iſte tot patiatur cauſarum differentias, ideo ſolers Medicus illis cognitis, ad medelam cuiuſque particularem accedere debet, quæ triplici inſtrumentorum genere perficitur, vt ſæpe fuit annotatum.

Imprimis itaque cauſæ omnes externæ ita componantur, vt oppoſitæ ſint generi cauſarum internarum, à quibus ſuppreſſionem iſtam oboriri poſſe ſcripſimus: Vtpote ſi à repletione inſigni ſanguinis & pinguedinis copia, oboriatur iſta ſuppreſſio, imminuenda erit tam victus ratione, quam venæ ſectione illa plethora: venáque ſecanda imprimis cubiti, quocunque tempore videbitur, & largâ manu. Cum enim dixerimus ſanguinem tunc ſuâ copiâ nimium implere venas & ſibi ipſi aditum ad minutula vteri vaſa præpedire: ſi quidem venæ illæ inferiores prius aperirentur, traheretur adhuc magis ad vterum: ſi exitum non inueniret conuenientem per orificia illorum, metus eſſet ne diſrumperet venam aliquam interiorem, aut effunderetur in ipſum vteri corpus, ibíque inflammationes, ſuppurationes, aut aliud genus tumoris præter naturam induceret. Ac proinde in hoc caſu non eſt audienda illorum, vt Mercurialis, ſententiâ, qui ex Galeno *cap.* 11. & 18. *lib. de curandi ratione per venæ ſectionem*, putant in ſuppreſſione menſium nunquam tundendam eſſe venam in cubito: non enim ratione ſuppreſſionis ſimpliciter illam tundimus, ſed ratione plethoræ, quæ cauſa eſt, cur ſanguis non ita commodè per vaſa feratur: quâ ſublatâ licebit poſtea, vt docet Aëtius *libro* 16. *cap.* 51. circa ſolitam menſium periodum venas crurum aperire, vt alliciatur ſanguis verſus inferiora. Quod eodem modo frictionibus, ligaturis, ſcarificatu, cucurbitulis, circa coxas, hirudinibus, lotionibus crurum in aquâ tepente, ſemicupio ex rerum aperientiúm & mollientium decocto præſtari poterit.

Vbi verò ab inſigni defectu ſanguinis contingit iſta ſuppreſſio, propter inedias, gracilitatem ex maraſmo, febre diuturnâ, vacuationibus magnis ſanguinis aut alterius materiæ: Tunc non prius ſollicitandi menſes, quam conuenienter alimentis refectum fuerit corpus, vires inſtauratæ, omniſque morbus, qui illius inanitionis cauſa exiſtit princeps, ritè expugnatus fuerit. Tum demum ſi natura muneris ſui oblita non reuertatur ad priſtinum officium, vel præpoſterè moueat in alias partes, vt

per

Digitized by Google

per hæmorrhagias paret; reuocanda erit fluxio sanguinis in vterum, tum phlebotomiâ ex venis cruralibus, tum aliis remediis iam dictis; ita tamen vt sanguinis quæ educetur quantitas valde sit moderata, partitisque vicibus celebretur ratione virium, potissimum circa ordinariam periodum, vt diximus, in illis quæ iam purgari solitæ erant: quo sanguis tunc temporis magis fluxilis reddatur, & impetus naturæ renouętur. Idem dicas de motu præpostero naturæ, qui compescendus est repellentibus, & intercipientibus circa partem & vias quæ suscipiunt; attrahentibus verò sanguis compellendus in vteri vasa, quæ ideo laxari debent emollientibus & aperientibus sumptis & admotis, quorum exempla deinceps patebunt.

Sed quoniam frequentissimam istius affectus causam collocauimus in sanguinis ipsius fluxuri malis qualitatibus, crassitie scilicet & lentore ob proprium vitium in ipsâ massâ sanguinariâ: vel excrementorum quæ in vteri ductus deriuantur, pituitosi potissimum & melancholici permixtionem, cum vasorum angustiâ vel obstructione: Ideò prolixiores erimus in eiusmodi causa profliganda, cui opponenda sunt de more tria illa Medicinæ instrumenta tantopere celebrata. Quamuis autem in superiore capite iam ista videantur maiori ex parte explicata, attamen quædam à nobis adhuc non negligenda proponentur. Galenus igitur *comment. in Aphorism. 36. sect. 5.* vult istiusmodi suppressionem curari victu attenuante, purgatione excrementi dominantis, remediis incidentibus & detergentibus, inter quæ diacalaminthen celebrat; tum balneis, fotibus, suffitibus aromatum, & pessis accommodatis. Victum autem attenuantem laudat, quia crassities & lentor sanguini proprius, vel ob excrementorum miscellam aduentitius, non potest commodius corrigi, quam euitatis eis quæ talem humorem producere apta esse diximus, eisque exhibitis alimentis, quæ incidendi & detergendi potestate pollent, qualia à nobis superius recensita fuerunt: necnon rectâ aliarum rerum non naturalium constitutione, quæ ad idem conspiret. Multas enim nouimus, quæ aquâ frigidâ sese ingurgitantes, fructibus immaturis, oleribus crudis & similibus, solo victus genere mutato percuratæ fuerunt. De hoc igitur diligenter erunt monendæ. Deinde si videatur pertinacior affectus, quàm vt solâ diætâ sanari possit, ad reliqua veniendum. Cúmque in repletione quadam positus sit ob vacuationem istam retentam, dubitari potest, vtrùm in hoc etiam casu vena tundenda sit, cuius partis & quomodo. Nam Galenus *libro citato* non meminit phlebotomiæ, tum quòd per sanguinis missionem ex venâ cubiti magis refrigeraretur totum corpus & inspissaretur materia fluxioni dicata: tum etiam reuelleretur à loco per quem euacuanda videtur. Nos itaque in propositâ causâ non censemus ex vsu esse phlebotomiam in cubito celebratam, quæ plethoræ vacuatiua propriè existit; neque etiam ex cruribus, nisi prius expurgato conuenienter corpore ab istis excrementis, attenuatâ materiâ, & vasis apertis ac dilatatis, per quæ sanguis tunc commotus istis venæ sectionibus inferiorum partium commodè possit circa consuetam periodum effluere: Vnde etiam Galenus *libro de curandi ratione per phlebotom.* venam tali secat in nigricantibus & gracilibus fœminis: in albicantibus verò & carnosis abstinet, tum quod pauco sanguine præditæ sint: tum etiam ob exiles venas quæ vix in illis reperiri possunt: Ideóque contentus est cucurbitulis pectini & coxis admotis, crurum scarificatu, frictionibus, & vinculis dolorificis, quæ sufficient ad attrahendum sanguinem in vteri vias, quando iam sufficienter præparatus fuerit. Nos certè in istis mulierculis, quibus vix licet sanguinem mittere, nihil præstantius ad cacochymiam exhauriendam, & sollicitandos menses obseruauimus, quam cauterij in vtroque crure admotionem, vt per vlcuscula ista continuo effluant ichores superflui, & humorum cursus versus inferiora dirigatur. In illis etiam quæ varicosas venas in coxis & tibiis patiuntur ob retenta menstrua, vidimus quandoque circa purgationis istius tempus illarum vnam aperiri, quæ magnam excerneret sanguinis copiam, purgationi menstruæ respondentem. Sed hoc non est sine periculo, quia aperturæ istarum venarum non fiunt conuenienti orificio, sed per ἔκῤῥηξιν aut διάβρωσιν: vnde imminet metus largioris hæmorrhagiæ & aliorum grauissimorum symptomatum. Adde quod quamuis ex istis sanguinis excretionibus, & per nares, mariscas, aut vomitus videatur subleuari fœmina, vt est *Aphorism. 33. sect. 5.* vbi Hippocrates hæmorrhagiam narium in retentione mensium bonam esse voluit: attamen non est permittendus ille naturæ motus, quia si perseueret, intercipitur omnino spes suscipiendæ prolis.

Videndum ergo deinde, quod genus excrementi in sanguine dominetur, pituitosi scilicet,

ſcilicet,aut melancholici, propter cuius permixtionem inſpiſſatur, & vaſorum ductus obſtruuntur: vt conueniens illi expurgatio & præparatio inſtituatur, ex *Aphor. 36. ſect. 5.* Inter alia autem catharticorum genera laudat valde Galenus *lib. 3. cap. 8.* καθ' ὅλου in hoc affectu confectionem de hierâ ſimplicem & compoſitam, pilulas de hierâ cum colocynthide: quia præterquam quod educunt conuenienter humores iſtos, habent etiam facultatem expurgandi vterum propter aromata,& vias aperiendi. Præmiſſo itaque clyſtere conueniemi,cuius hic magnus vſus eſſe ſolet,ob incumbentem inteſtino vterum,præſcribatur hiera iſta cum pauco diaphœnicone in pituitoſis; vel cum confectione Hamec in melancholicis, in formam boli, ſingulis menſibus repetendi,antequam præparantia,incidentia ſcilicet, detergentia & menſes prouocantia exhibeantur, tam intus quam foris, quod per ſex aut ſeptem dies præcedentes ſolitam periodum frequenter erit repetendum, ſi rebellis ſit & contumax affectus,vt ſolet plerumque. Nos apozematis noſtris, iulepis,ſyrupis magiſtralibus, pilulis & opiatis aperientibus, detergentibus, expurgantibus & roborantibus, quorum exempla habetis ſuperiori capite deſcripta, illud præſtare ſolemus. Inter ſimplicia autem cathartica commendatur hodie puluis radicis mechoacan veri; qui ad ʒ j ß. ſumptus,cum pari pondere pulueris ducis dicti, ex iuſculo cicerum rubrorum valde creditur expurgare illuuiem iſtam vterinam, ſemel aut bis in menſe ſumptus,quod idem dicunt de puluere tartari albi. Aliquando potentiori καθαρτικῷ & quaſi μοχλικῷ vtendum erit,vt loquitur Galenus *comment. in ſect. 1. part 6. lib. 6. epidem.* poſt humectatum conuenienter & præparatum corpus,tam victu quam fotibus & balneis. Imo non reiicit vomitoria in hoc affectu validiora,ſi quidem ſoboles excrementi pituitoſi,quod in vteri venas deuoluatur ex cerebri catarrhosâ diſpoſitione vel infarctu ventriculi pendeat. Nos more noſtro infundere poſſumus agarici recens trochiſcati ʒ ij. in ℥ iij. oxymelitis, vel in decocto radicum rubiæ,deinde diſſoluere benedict. laxat. ℥ ß. erit quippe accõmodatiſſimum purgans in hoc caſu,quod non ſolùm inferiorum,ſed etiam ſuperiorum partium ſaburram commouebit. Pariter infuſum agarici in ſucco mercurialis, cum pauco croco, valde commendatur in hoc affectu. Si magis arrideat forma pilularum, præſto ſunt, de agarico, cocciæ maiores, & minores, arthriticæ, & ſimiles, quibus aliquid diagredij vel trochiſcorum alhandal addi poteſt, vt vis earum acuatur.

Poſt purgationem iſtam præparetur humor peccans,& viæ diſponantur, vt moris eſt,conuenientibus quibuſdam iulepis,vel decoctis,ducto initio à leuioribus,vt aquâ graminis, melliſſæ, & fœniculi, in quibus diſſoluti fuerint ſyrupi de byzantiis & de duabus radicibus cum puluere diaireos:deinde decocto radicum rubiæ maioris, ruſci, cicerum rubrorum cum pauco croco & cinamomo. In pituitoſis nihil præſtantius reperies ad eiuſmodi παρασκευὴν, quam ſi totos duodecim dies mane bibant decoctum ligni guaiacini, cui additum fuerit parum dictamni Cretici: ſine ſudoris prouocatione. Interea pro anni tempeſtate parentur balnea,quæ ſecundum Philon. prouocant menſes, quia calfaciunt corpus,ſubtiliant humores & vias laxant. Eorum vicem obtinent ſemicupia,pedum lotiones,vel fotus ex mollientibus,incidentibus, & attenuantibus,prout magis ex vſu eſſe videbitur, vt deinceps iteratâ purgatione & præparatione circa periodum conſuetam menſium alliciatur ſanguis ad vterum venæ ſectione in cruribus,frictionibus,ligaturis,cucurbitulis, & ſimilibus auxiliis ſæpe commemoratis.

Quod ſi rebellior iſte affectus non pareat communibus hiſce remediis,tunc ad valentiora progrediendum erit,tam ſumpta quam admota: Vnde Galen. 5. *de ſimpl. fac. c.* 21. dum agit de diureticis,γαλακτοποιητικοῖς,& menſtrua prouocantibus,eorum varia conſtituit genera,prout magis vel minus eſſentiæ ſuæ tenuitate & calore ſanguinem fluxilem reddere,venarum oſcula in vteri & eius ceruicem deſinentia reſerare,atque expultricem vim ad conſuetum munus laceſſere valent,præter quam quod ſubſtantiæ quadam proprietate vtero amica & familiaria exiſtunt. Vbi igitur mitiora expertus eris,tunc exhibere poteris fortiora,v.g. trochiſc. de myrrhâ ʒ j. cum pauco hydromelite per tres dies continuos mane, periodo menſium inſtante. Vel decoctum ſabinæ & ſummitatum lauri cum pauco cinamomo. Habentur ex Montagnana etiam pilulæ ad hoc efficaciſſimæ.

℞ Trochiſc. de myrrha ʒ j. ß. ſemin. petroſel. caſtorei,& corticis caſſiæ,an. ℈ j. moſchi gr. x. Cum ſucco apij formentur pilulæ duodecim. Capiat duas mane, vel in ingreſſu lecti per aliquot dies, quibus ſi incaleſcere nimium videatur corpus, ſumat aquæ graminis vel decocti liquiritiæ ℥ iij. cum radicibus diureticis.

Alij ex puluere radicum rubiæ & ariſtolochiæ cum pauco agarico & cinamomo conficiunt pilulas cum ſyrupo de artemiſiâ, & pariter exhibent, magis enim conuenit puluueris cum liquore aliquo ſumpti vel decocti ipſius vſus, vt facilius in vias illas remotiſſimas vires remedij deferri poſſint: niſi id ingratum eſſet iſtis ægrotantibus. Quidam vero fermentum vetus ad quantitatem auellanæ, cum pari quantitate ſacchari in formam boli per tres dies mane: vel aquam diſſolutionis eiuſdem fermenti exhibent. Sic Galenus *lib. 1 de ſang. miſſione cap.* 17. nepetam & pulegium in tenuiſſimum puluerem redacta propinat cum aquâ coctâ in exitu balnei, quod medicamentum melius eſſe ait: valentius autem quod ex ſabinæ & dictamni puluere paratur cum aquâ mulsâ. Hippocrates *lib. de ſuperfœtatione* exhibet porri ſuccum cum vino dulci, vt auidius trahatur à partibus: Item decoctum ſeminis apij, cumini, & aſparagi in hydromelite. Imo idem Hippocrates *lib. de naturâ muliebri* cantharidas quinque, auulſis alis, capite & pedibus, puluerisatas exhibet cum mulsâ. Quod hoc tempore valde periculoſum eſſe quidam hydropici & quibus vrina ſuppreſſa erat, nuper experti ſunt. Metus enim eſt, non ſolum inflammationis, ſed exulcerationis partium. Ideo tutior erit vſus puluueris à nobis ſuperiori capite ex chalybe præparato deſcripti, cui multi addunt pollinem vermium terreſtrium præparatorum ad ʒ j. & aliquando ℈ j. noctilucarum cum gummi ceraſorum.

Præter aſſumenda ad menſes ciendos idonea, ſunt etiam admouenda ad illud accommodatiſſima, nempe ſuffitus, peſſi, & iniectiones ſeu metrenchytæ. Vnde *Aphoriſmo* 28. *ſect.* 5. fumigium ex aromatibus vocat γυναικείων ὑγρῶν. Suffitus ergo, vt & fotus ξηροπυρία & ὑγροπυρία, duplices ſunt, humidi & ſicci. Humidi dicuntur illi, qui fiunt ex decocto calente ſub formâ vaporis in vteri cauitatem eleuato: ſicci verò, qui ex puluere, vel trochiſcis ſupra prunas coniectis exhalant. Exemplum ſuffitus humidi ad menſes ciendos tale eſſe poteſt.

℞ Rad. cyperi, corticis citri ſicci & fœnicul. ana ʒ j. rad. valerianæ, cucumeris agreſtis & ireos noſtratis, an. ʒ j. folior. nepetæ, calamint. origani, matricar. & tanacet. an. M. j. ſeminis apij & dauci, ſpicæ nardi, an. ʒ ij. flor. geniſt. calend. & centaurij minoris, an P. j. Bulliant in aquâ & vino albo, quod decoctum modicè calens operiatur patellâ perforatâ, cui annecti debet fiſtula oblonga, quæ ſinum pudoris attingat. Excipiat eiuſmodi fumum mane & ſero in ingreſſu lecti, bene veſtibus contecta.

℞ Puluer. rad. ariſtoloch. rotund. & peucedani, an. ʒ ij. puluer. ireos Flor. ʒ j. ſemin. nigellæ romanæ & apij, caſtorei, myrrhæ, an. ʒ ß. folior. ſabinæ, cinamomi & trochiſcor. galliæ moſchatæ, an. ℈ j. Excipiantur ſucco fœniculi, vel melle mercuriali. Fiant trochiſci lupinares, quorum duo vel tres iniiciantur ſupra carbones vel lapides ignitos, ſub ſellâ perforatâ poſitos. Excipiat fumum vt ſuprà. Attenuat & incidit materiam obſtruentem, aperit orificia vaſorum, & ſanguinem ibi contentum elicit: poſtea inunctio aliqua conueniens, vt ex theriacâ veteri ſucco mercurialis diſſolutâ, vel oleo liliorum & de capparibus, cum croco & caſtoreo, adminiſtrari poteſt.

Quod ſi non arriſerit hæc remedij formula, ad peſſos ſeu peſſaria erit tranſeundum: quorum etiam duplex eſt forma: quædam enim inſtar glandis breuioris, vel potius noduli confecta, *Naſcalia* Practicis dicuntur, pro virginibus inſtituta: alia oblongioris ſunt figuræ & craſſiora, vt poſſint penetrare ad interius vſque matricis orificium. Fiunt autem multis modis. Sunt verbi gratia, qui radicem maluæ aut fœniculi purgatam inungunt melle, deinde aſpergunt puluere ſeminis nigellæ romanæ, & ariſtolochiæ rotundæ. Alij decoquunt ſuccum mercurialis, ſabinæ, aut chelidoniæ cum melle aut cerâ ad conſiſtentiam emplaſtri: Inde formant peſſarium. Alij cum bombace, hierâ picrâ, puluere colocynthidos, trochiſcis de myrrhâ, cinamom. agarico, & pauco caſtoreo, vel etiam moſcho pro ditioribus, qui ex Scaligero, *exerc.* 21. & 22. miram habet eliciendi ſanguinis facultatem; conficiunt peſſum, & ſuperregunt panno ſericeo tenui, qui inunctus oleo liliorum vel amygdalarum dulcium ſupponitur filo alligatus, vt commodè extrahi poſſit, dum eunt cubitum, & per horam vnam aut alteram tantum relinquitur, ne inflammationem aut exulcerationem inferre poſſit. Imo remoto peſſario ſi quis ibi ardor perſentietur, abluatur locus lacte, vel eius ſero, aut decocto hordei & paſſularum. Vulgares mulierculæ ſolent etiam ſibi ſubdere in hos vſus allium leuiter tritum & oleo ſpicæ inunctum, vel ſolam mercurialem contritam, linteolo obuolutam.

Quod ſi perueniendum ſit ad interiorem matricis cauitatem, non id commodius præſtare poſſis, quam metrenchytâ ſeu clyſtere vterino, per idoneum ſiphonem

nem immiſſo : nam abluit ſordes partibus adhærentes, & quæ in antro illo deliteſcunt, necnon orificia vaſorum interna reſerat. Paratur autem ex decocto latti ad ſuffumigium inſtituto, vel conſimili : Item ex ſolo ſucco mercurialis depurato, in quo parum benedictæ laxatiuæ ſit diſſolutum : Nolim enim ad acriora aſcendere : imo poſt vſum iſtorum, quæ intus tantum per horam vnam morari debent, vtile erit loca illa abluere decocto maluarum, hordei & violarum, vel hydromelite, ſero lactis & ſimilibus. Atque hæc ſunt præcipua remedia aduerſus menſium ſuppreſſionem ex dictâ causâ.

Quod ſi retineatur ſanguis hic menſtruus ob proprios vteri affectus inſignes, videlicet intemperies, denſitatem, vel tumores præter naturam, malas conformationes, exulcerationes, cicatrices, condylomata, ὑπερσαρκώσεις, membranas obturantes, coalitus & ſimilia : tunc recurrendum erit ad propria capita, in quibus ſigillatim de iſtis morbis curandis agemus, vel ad caput de ſterilitate, quia vt plurimum eam inducere ſolent. Vnde deſperato eiuſmodi fluxu, per prædictos morbos, ſolemus in plethoricis fœminis venam frequenter aperire, aut ſanguinem è naribus elicere, vel ſaltem ex hæmorrhoidibus, ſi apparuerint, deriuare, vitandi ſcilicet maioris mali cauſa, nempe ruptionis vaſorum, cui, vt de athleticis corporibus annotauit Hippocrates *Aphoriſm.* 2. *ſect.* 1. valde ſunt obnoxiæ.

Sed quoniam ſæpe contingit menſibus parcè aut difficulter fluentibus, dolores & tormina grauiſſima exoriri, quibus miſeræ iſtæ valde cruciantur ; id ſi fiat à materiâ acri & erodente permixta ſanguini, temperanda erit fotu aut ſemicupio ex decocto violarum, maluarum, althææ & liliorum : iniectionibus ex lacte, emulſionibus ſeminum frigidorum, decocto liquiritiæ, & ſimilibus frequenter repetitis : inter quæ olei de nuce indica iniectionem prodeſſe ſæpius experti ſumus : quemadmodum emulſiones ex ſeminibus frigidis per os ſumptas. Si à flatu exoriantur, quod frequentiſſimum eſt, propter materias iſtas crudas & craſſas ſanguini permixtas, fiant fotus ſicci & humidi ex carminantibus, attenuantibus ſcilicet & reſoluentibus. Inunctiones ex oleis ſambucino, rutaceo, chamæmel. & lumbricorum. Item puluis cumini, aut coriandri per os ſumptus cum pauco vino tenui, & generoſo valde conducit. Idem dicas de emplaſtris & cataplaſmatis. Si tanta ſit doloris vehementia, vt vulgaribus iſtis remediis non cedat, cogimur aliquando ad narcotica accedere : Vnde theriacam recentem, confectionem quæ requies vocatur, philonium romanum cum paucâ conſeruâ capilli veneris, illis exhibemus, aut etiam cataplaſmatis inſtar admouemus ſupra regionem pectinis, cum pauco oleo chamæmelino, aut aquâ vitæ diſſolutam ; ſed hoc cum ſummâ cautione : ita vt his remotis, deinde aliquo linimento calfaciente & roborante vtamur. Iam igitur ad alia tranſeamus.

CAPVT III.

De immodico menſium fluxu & eorum ſtillicidio.

SYMPTOMATA & affectus præter naturam vt vitia, in exceſſu & defectu poſita ſunt : Ac proinde cum ſuperiori capite tractatum fuerit de menſium ſuppreſſione morboſâ ; iam inſtat vt de eorum profuſione immodicâ, inordinatâ, & præter naturæ debitum factâ agamus. Cum autem rectum index ſit ſui & obliqui; repetendum ex ſuperioribus illud Hippocratis, 1. γνωμικῶν : *Moderati*, inquit, *ſunt menſes prodeuntes in omni muliere, ſi ſana ſit & iuſta ætate, neque grauida, neque ablactans, quando duarum heminarum atticarum menſurâ ſecedunt, aut paulo plures vel pauciores : atque hoc ad duos vel tres dies ; multo enim longius vel breuius tempus, morboſum & ſterile eſt. Procedit autem ſanguis velut victima recens mactata, & cito congelatur, ſi bene valeat mulier.* Hæc eſt regula Hippocratica rationi & experientiæ conſentanea, qua velut fundamento poſita, ſic definiamus propoſitum affectum.

Excretum ſcilicet ſanguinolentum ab vtero, copiâ vel tempore excedens, propter vaſorum illius nimiam apertionẽ, ruptionem, vel vlcerationem factum. Dicimus eſſe

excretum ſanguinolentum,ad differentiam alterius cuiuſuis materiæ profluentis,vt poſtea patebit in capite de fluore muliebri : ita vt illud excretum non ſit toto genere præter naturam , neque ratione materiæ quæ benigna eſt , neque ratione excretionis , quia natura inſtituit iſtam viam,per quam expurgaret redundantem ſanguinem in corpore muliebri : vnde aliquando etiam immodica ſalutaris eſſe ſolet Galeno *cap.* 5. *lib.* 6. *de locis affectis* , vt in eis quibus per aliquod tempus ſuppreſſa fuerat , aut alio modo plethoricæ admodum euaſerant. Sed ratione quantitatis illius & diuturnioris temporis , quæ non eſt proportionata cum hoc vel illo indiuiduo. Dicimus ab vtero ; quamuis enim Galenus *comment. in Aphor.* 57. *ſect.* 5. referat eiuſmodi ſymptomata ad vitium vteri, vel totius, aut ſanguinis : ibi tamen non reſpexit immediatas cauſas , ſed remotas , quæ à variis partibus pendere poſſunt, cum ſemper oporteat in eiuſmodi profuſione immoderatâ , ipſa vteri vaſa quæ ſanguinem iſtum ſuſcipiunt , aliquo affectu præter naturam teneri , vt is copioſius effundatur quam par ſit. Cum autem duæ ſint vteri partes præcipuæ, ſcilicet fundum & ceruix ; intelligimus hanc fluxionem potiſſimum fieri ex venis fundi ſeu cauitatis,per quas naturaliter etiam expurgantur,cum illæ quæ in collo poſitæ ſunt, non ordinariè aperiantur,ſed cogente neceſſitate,vt aliquando in grauidis plethoricis affectis,vel dum nimis dilatantur præter naturam, quod Practici noſtri hæmorrhoidas vteri vocant.

Diximus,copiâ vel tempore excedens , quia hæc ſuperflua vacuatio poteſt fieri confertim & vnico impetu , quod Hippocrates λαβρῶς καὶ ἀθρόως appellat , quando ſcilicet ſpatio duorum vel trium dierum tanta contingit per iſtas vteri venas hæmorrhagia circa ſolitam periodum , vt vitæ vel alicuius maximi morbi impendeat periculum ; vel poteſt fieri alieno tempore & non conſueto diuturniore , aut certè bis vel ter in menſe repetito : aut denique perpetuò & guttatim effluere, quod ſtillicidium menſium σταλαγμὸν appellant : tunc enim ad immodicam eorum vacuationem refertur. Quod ſi ſtillatim (σάξιν καὶ ἀποσάξιν vocat Hippocrates *in prorrhet. ſtillationes , ſubſtilla*) paucum & paucis diebus effluat , ad ſuppreſſionem potius pertinere videtur. Diximus denique hoc profluuium fieri apertis, ruptis, vel eroſis vteri vaſis, quibus verbis cauſas omnes immediatas iſtius affectus complexi ſumus. Nam cum ſanguis iſte ab hepatis cauâ in venas vteri deriuatus, ibidem contineri debeat , donec ſolitâ periodo excludatur , recluſis earum orificiis conuenienter , vt ſolet in aliis partibus , quando natura plethoram ſuam criticè vel periodicè cum ægrotantis ſolatio exonerat. Contra ſi contingat φυλακὴν iſtam ſiue receptaculum male affici , tunc ſanguis inuitâ naturâ aut ſaltem malis ægri rebus ſymptomaticè effunditur. Arteriæ autem & venæ tunc male afficiuntur,quando amittunt naturales ſuas diſpoſitiones , propter quas aptæ ſunt continendo ſanguini : Sunt autem illæ vel in meatu ſeu orificio proprio , quod occluſum eſſe debet naturaliter ; vel in contiguitate quæ proprios ſpectat poros , vel in continuitate partium poſitæ : vnde quando orificia ſeu oſcula referantur nimium aut dilatantur præter naturam , vocatur ἀναῤῥώωζις. i. apertio morbifica : quando proprij pori diſſoluuntur nimium aut rarefiunt tunicæ , dicitur διάπλόησις , quaſi tranſcolatio : quando continuitas earum fit per vulnera , vnde ῥῆξις ruptio , & διαίρεζις diuiſio vocatur : aut per vlcera , vnde διάβρωζις ſeu ἀνάβρωζις eroſio nuncupatur. Harum diſpoſitionum præter naturam rurſus cauſæ ſunt variæ , vt docet Galenus *lib.* 5. *method.* verbi gratia ῥῆξις & ἀναῤῥώσις : vaſorum imbecillitas, propter quam facilè perpetiuntur à cauſis externis interniſque : ſanguinis multitudo aut eius mala qualitas. Ob ſanguinis enim multitudinem referari aut diſrumpi vaſa quotidie videmus in athleticis corporibus , *Aphor.* 2. *ſect.* 1. & in eis qui vacuationi illius aſſueti per vterum aut hæmorrhoidas non amplius purgantur, *Aphor.* 12. & 33 *ſect.* 5. quando potiſſimum commouentur irâ, validè vociferantur , ſaltant, cadunt, crapulantur,onera grauiora tollere vel ferre nituntur. Quibus adde externa omnia vulnerantia , & vnitatem partium confertim ſoluentia , vt ictus , morſus , & ſimilia. Vnde etiam Hippocrati , *Aphor.* 24. *ſect.* 5. frigus vehemens dicitur φλέβων ῥηκτικὸν & αἱμορῥαγικὸν , quando conſtringendo violenter adducit nimiam ſanguinis copiam in externas vaſorum partes, quæ ſic debilitatæ præter modum diſrumpuntur. Ob malam vero ſanguinis qualitatem , calidiorem ſcilicet , iuuenes ad trigeſimum quintum vſque annum ſputationi ſanguinis habentur obnoxij apud Hippocratem, *Aphor.* 29. *ſect.* 3. quia ea ætate maximè feruet ſanguis : & ſub vehementi æſtu, dum ſanguinis ebullitio excitatur, largas hæmorrhagias contingere notiſſimum eſt.

Διαπόδησις verò agnoſcit cauſas, ipſam vaſorum ſecundum ſuas tunicas raritatem laxitatemque, vt dicebamus; quæ aliquando naturalis eſt, aliquando accidentaria, vt videre eſt in contuſionibus; & ſanguinis tenuitatem: vnde in hoc affectu ſanguis effluit pallidus, ichoroſus, & ſudoris inſtar tranſcolatus. Διαβρώσεως autem ſeu eroſionis cauſæ ſunt potiſſimum internæ, vt humor acris, ſalſus, æruginoſus, putrefactus, & mordax, & tunicas vaſorum ad internum vſque ſpatium abſumens. Aliquando externæ, vt medicamenta, vel venena cauſtica, ſeptica, rodentia, & exulcerantia ſumpta vel admota.

In propoſito itaque caſu certum eſt cauſas, tam externas quam internas, multiplices concurrere. Nam & aër feruidior & frigidior dum ſanguinem variè exagitat, huic malo ſæpe originem præſtare ſolet; ſub quo referri debent balneum calidius quam par ſit, ignis luculentior, & mutatio regionis in quâ repentinæ ſiunt qualitatum iſtarum viciſſitudines. Alimenta euchyma & πολύαιμα copioſius præter morem ſumpta, dum ſanguinis multitudinem augent, abundantior liquidorum & potulentorum vſus, quia ſerum maſſæ ſanguinariæ multiplicant ſupra modum. Vacuationes ſolitæ tam ſanguinis quam excrementi cuiuſuis potiſſimum ſeroſi, diutius ſuppreſſæ. Exercitationes validiores, vt ſaltationes, choreæ, coitus diuturnior cum viro valde mentulato, &c. nec non otium immodicum, quia colligit magnam excrementorum vim, quam natura per hos ductus excludere nititur: vnde dicebamus, ruſticas, ſaltatrices, & ſimiles fœminas nulla vel pauca pati menſtrua. Idem dicas de ſomno & vigilia: immoderatus enim ſomnus colligit cruditates multas: peruigilium autem immenſum acuit ſanguinem & validè commoueti quemadmodum animi pathemata vehementiora & diutius perſeuerantia. His adde fortuita: vt vulnerantia, contundentia, diuellentia, erodentia: ſic partus laborioſi, aut ab imperitâ obſtetrice celebrati: aborſus frequentes: caſus ex equo, vel violenta rhedæ agitatio multas in iſtam calamitatem præcipitarunt. Vt etiam remedia illa iam commemorata ad menſes prouocandos intempeſtiuè aut diutius vſurpata: *Fit enim*, vt ille ait, *vitium, vitij fuga, ſi caret arte*: ex ſolo enim peſſario acriori per aliquot horas immiſſo profuſam ὑστερικὴν αἱμορῤῥαγίαν καὶ ὑπερκάθαρσιν exitialem conſpeximus in nobili quadam viduâ. Cum iſtis omnibus concurrere poſſunt morbificæ diſpoſitiones aliarum partium, quibus per ſympatheian vterus in iſtum affectum deducitur: iecoris verbi gratia ἀτονία & imbecillitas, quæ ſanguinem crudum & aquoſum generans, non ſolum dyſenterias illas αἱματηρὰς, ſed etiam fluxum diluti ſanguinis ex naribus, veſica, vtero, & reliquis producere poteſt. Catarrhus ex capite ſalſus & acris in partes ventris inferioris prolabens, ſi ad vterum vſque perueniat, in eo eroſionem & tandem vlcus excitare valet, à quo ſequitur iſta hæmorrhagia vterina. Bene igitur & diligenter perluſtrandæ ſunt iſtæ omnes cauſæ, ex cenſu rerum naturalium, non naturalium & præter naturam, vt totius morbi ſeries accuratè innoteſcat in ſingulis ægrotantibus. Quod ex conuenientibus ſignis erit repetendum.

Signa igitur quæ affectus iſtius naturam, partem affectam & affectus cauſas detegant, ſunt deinceps perluſtranda. Vtrùm igitur hæc profuſio ſanguinis ex vtero ſit præter naturæ modum & inſtitutum, oſtendent difficilis ægræ tolerantia, virium prolapſus naturalium, vitalium & animalium: nam vt docet Galenus 5. *de locis affectis*, imminuitur appetentia & concoctiones, καχεξίαι exoriuntur & alui fluxus lienterici cum flatu & borborygmo, color fit cadaueroſus in vultu, pedes tument, pulſus deficit, cor miſerè languet, ſtillant è cerebro catarrhi, aut conuulſiones, & ſtupores ſuperueniunt. Vtrum vero collum, vel cauitas ipſa vteri affecta ſint, facile eſt diſtinguere, tum ſenſu, tum ratione. Quia ſi ex colli venis effluat, ſanguine tumentes ibi venæ, hiantes, aut eroſæ apparent, & ab ægrotante aut obſtetrice facilè tanguntur: Si ab vteri cauo, pondus aut dolor circa regionem pubis percipiuntur & qui paulatim collectus erat intus ſanguis, ſubitò magna copia erumpit, aliquando in grumos iam conglobatus. Vtrùm verò ex arteriâ, vel venâ paruâ vel maiore erumpat, diſtingues, quoniam ex arteriâ floridus magis & flaueſcens cum impetu quodam: ex venâ rubicundus aut ater ſine vllo motu, quæ ſi grandior fuerit, copioſam & ſubitam facit hæmorrhagiam: ſi minutior, paucam & quaſi ſtillatim fluentem. Vtrùm autem hoc ex ἰδιοπαθείᾳ ſolius vteri aut ζυμπαθείᾳ aliarum partium malè affectarum, diſces ex cauſis & effectibus omnibus, quæ eiuſmodi membrorum paſſiones præcedere aut ſubſequi ſolent, vt in peculiari earum tractatione habetur.

Digitized by Google

Iam igitur potiſſimus labor poſitus eſt in eo, vt cauſæ proximæ naturam detegamus, vt inde præcipua curandi ratio repetatur. Διαπίδησιν itaque ſeu tranſcolationem ſanguinis eſſe cauſam iſtius affectus, cognoſces ex eo quod mulier rari eſt habitus & molliſſimarum carnium, quæ multis rebus ſeri copiam multiplicantibus vſa ſit : quod aliquando ſimiles ſtillas diluti & aquoſi ſanguinis ex naribus, aut dyſenterias illas hepaticas patitur : quod imbecillitate hepatis diuturná laborat, denique quod ipſe ſanguis, qui excernitur tali eſt qualitate præditus : & abſunt alia ſigna, quæ ruptiones vel eroſiones denotare ſolent. Anaſtomoſin autem vel ῥῆξιν concitaſſe hunc menſtrui ſanguinis immoderatum fluxum, colliges ex præſentiâ cauſarum illas efficientium, & effectuum qui conſequi ſolent. Vbi enim vulnerantia, contundentia, diſrumpentia, ſaltus, ictus, caſus, geſtatio ponderis inſoliti, clamores & ſimilia præceſſerunt in corporibus plethoricis potiſſimum, rubentibus & validis : vel ingens æſtus, frigus vehemens, coitus immoderatus, conuiuia & choreæ intempeſtiuæ, iracundia inſignis & ſimilia quæ calfaciunt valde aut exagitant ſanguinem : ex quibus ſubitò erupit ingens illius viuidi & quaſi ſinceri copia ſine magnâ virium iacturâ in principio : iſta oſtendunt diſruptum eſſe vas aliquod, vel inſigniter apertum illius orificium, per quod talis facta eſt hæmorrhagia. Idem contingit poſt partus laborioſos, vel ab imperitâ obſtetrice male tractatos, poſt aborſus, poſt diuturnam menſium ſuppreſſionem, vbi primùm cauſa aliqua interna vel externa adiuuans præcipitarit redundantem iſtum humorem verſus vteri vaſa. Vbi aliquando in thrombos conuertitur, qui ſi ibidem diutius retineantur aut computreſcant, intenſum faciei pallorem, febriculam, παραφροσύνην, & cardialgias inducunt, demum inſigne pondus & inflationem in vteri regione, cum ſuffocationibus matricis, & aliquando ſyncope, & repentinâ morte. Διάβρωσιν vero ſeu vlcerationem in vtero profundere iſtos menſes dignoſcimus, quia non confertim & ſubitò accidunt, ſed paulatim cum ſenſu doloris & acrimoniæ in corporibus potiſſimùm cacochymis, in quibus acrior vel ſalſus humor erodens vaſorum ſubſtantiam primò ſtillas quaſdam profundit ſanioſi, ichoroſi, nigricantis vel flaui ſanguinis, poſtmodum ſi affectus perſeueret, etiam fruſtula partis (ἐφελκίδας vocat Galen.) deradit; à quibus deinde magna ſequitur effuſio humoris, quam vix ſiſtere licet, quibuſuis remediis admotis. Præceſſerunt cauſæ cacochymiam iſtam generantes, vt vſus eduliorum acrium, ſalſorum, piperatorum, putridorum : vel deriuantes & attrahentes in vterum, vt diuretica & aperientia nimium repetita, tam ſumpta quam admota, quod de peſſariis ſupra annotauimus. Præterea in eiuſmodi διαβρώσει, vbi ſemel perfecta eſt, vix vnquam ceſſat fluxus iſtius ſtillicidium, cum in aliis ſpeciebus depletâ ſanguinis multitudine, vt plurimum ſiſtatur, neque recurrat, niſi per interualla, aut dum mulier corpore vel animo imprudenter agitatur. Hæc igitur præcipua ſunt ſigna ad διάγνωσιν pertinentia.

Quod ad πρόγνωσιν verò ſpectat : Ratione ſpeciei affectus, certum eſt omnem hæmorrhagiam diuturniorem, vel profuſiorem periculoſam eſſe, quia diſperdit theſaurum naturæ, & nectar illud viuificum, quo animantium viuacitas ſuſtentatur. Item hæmorrhagiam iſtam ex vtero noxiam eſſe tum ſpeciei, tum indiuiduo: ſpeciei quidem, quia turbat opus generationis vel humectando nimium vterum, vel refrigerando totum corpus, vnde neceſſariò exoritur ſterilitas : indiuiduo etiam, quia perſeuerans non ſolum, vt docet Galenus *lib. 4. de præſag. ex pulſibus*, virium imbecillitatem, ſipothymiam, ſyncopem, ſudores frigidos, & diaphoreticos, conuulſionem, ex *Aphor. 56. ſect. 5.* paralyſin, hydropem & ſimilia accerſit, ſed mortem aliquando ſubitam, vt in multis quotidie videmus. Ac proinde nullo modo in principio negligenda, ne eſſentia morbi intendatur, & cauſarum : inter quas certum eſt διαπίδησιν minus periculi minari per ſe, quia minorem facit depauperationem caloris natiui & ſpirituum; minari tamen crudioris & ſeroſi humoris prouentum, ex quo καχεξίαι & hydropes frequenter exoriuntur : ῥῆξις autem & ἀπόρρωσις vehementem inducere poſſunt & ſubitam refrigerationem, à quâ obitus repentini contingunt, niſi quis diligens ſit & induſtrius in illis reprimendis. Attamen facilius admittunt curationem quam διάβρωσις, tum quod in corporibus vt plurimum bene ſanis & plethoricis contingant : διάβρωσις verò in cacochymis, tum etiam quod nulla adeſt ſubſtantiæ deperditio, vt in vlcere, quæ impediat nouum iſtarum partium coalitum. Denique ætas, vires, & proprium cuiuſque temperamentum valde mutant in hoc affectu, non ſolum curandi, ſed etiam prædicendi leges. Item res non naturales, & præter naturam his connexæ. Æſtatis enim

feruen

feruentioris tempore, aut ſub magnis frigoribus difficilius curatur, ac proinde periculoſior exiſtit: quamdiu adſunt grauiora animi pathemata vix ſiſti poteſt iſta hæmorrhagia, vt in aliis vulneratis patet. Si producta ſit ab aſſumptis, vel admotis erodentibus, aut aperientibus nimium, minus eſt malum, quam ſi ab internâ diſpoſitione, quam foueat iecoris, lienis, aut alterius viſceris languor. A partu & aborſu rarò interimit, niſi citò illis proſpiciatur. Si adſint grumi ſanguinis frequentes, valde impediunt curationem, quia illi diſſoluendi aperientibus, quæ hæmorrhagiam augere poſſunt. Denique ſymptomatum vehementia, quæ nullo modo remittit, ſed in dies intenditur, oſtendit perniciem certiſſimam iſtius affectus, ad cuius διαγνῶσιν accingamur.

Indicationes ergo curatiuæ, quæ præſeruatorias & conſeruatorias ſeu vitales etiam in morbis complectuntur, repetendæ ſunt ex naturâ affectus, partibus primariò vel ſecundariò affectis, & cauſis, tam immediatis quam antecedentibus & externis, à quibus ille pendet, vel adhuc fouetur. Quod ad naturam itaque affectus, cum ſit vacuatio immodica, & præter naturam, tam ratione quantitatis quam temporis, vt dictum eſt; ideo propoſitum eſſe debet Medico, vt illam ad debitos mediocritatis terminos reducat: neque enim ſubito reprimenda in corporibus potiſſimum plethoricis, metu grauioris mali, vt refluxus in partem aliquam nobilem, aut congelationis ſanguinis, & grumorum in vtero, ex quibus multas periiſſe certiſſimum eſt: neque etiam permittendum vt nimium luxuriet, quia pro foribus ſtare ſolent, vt diximus, infinita ſymptomata, imò & mors; quæ iſtas vehementes hæmorrhagias conſequitur. Poſt partum certè & aborſum, vt ſuis locis dicemus, ſinere oportet, quemadmodum in vulneratis, motum naturæ liberum, donec exagitati ſanguinis aut corrupti ſufficientem copiam exegerit foras; in aliis citius huic hæmorrhagiæ ſiſtendæ erit ſtudendum: & ſi quidem vires iam nimium collabi aut collapſæ videantur, illis inſtaurandis per roborantia erit incumbendum. Ratione autem partium affectarum, ſi quidem vteri tantùm vaſa in vitio hic eſſe appareat, nullâ alterius partis prægreſsâ, vel præſente querelâ, tunc illorum tantùm cura habenda: ſin verò ſympatheia totius corporis, verbi gratia plethorici aut febrientis, hepatis ἀτονίᾳ laborantis, lienis obſtructi & ſimilium, contigiſſe videatur: tunc ad iſtas partes primariò affectas, & ſuam labem vtero communicantes percurandas animus primò conuertendus. Denique reſpectu cauſarum procatarcticarum, quæ fouent vel generant hunc affectum, omnia externa ita diſponenda, vt nullum huic fluxioni adiumentum deinceps præbeant, ſed potius ad illam compeſcendam conſpirent. Reſpectu antecedentium, vt humorum quantitate, qualitate, vel motu peccantium; vacuantibus, reuellentibus, deriuantibus, & alterantibus variis ita agendum, vt omnia ad æqualitatem quamdam naturæ amicam reducantur. Sed quoniam curandi ratio maximè differt reſpectu cauſarum coniunctarum, à quibus iſte affectus pendet immediatè: ideo quod ad διαπόησιν ſeu tranſcolationem ſpectat, indicationes therapeuticæ reſpectu ſanguinis tenuioris & ſeroſioris exoriuntur, vacuandi eiuſmodi ichores & incraſſandi: reſpectu vaſorum ſeu tunicarum rariorum quibus continetur, condenſandi & roborandi. Quod ad ἀναστόμωσιν vero & ῥῆξιν attinet, quæ vulneris naturam ſapiunt, vniendi & conglutinandi ſeu conſtringendi, tam extrema orificia nimium hiantia, quam parietes diſrupti vaſis aut diſſecti. Διάβρωσις autem, quæ eſt ſpecies vlceris, vt perfectè curetur, indiget tergentibus, abluentibus, & mundantibus iſtas ſordes quæ partibus vlceratis ſuperueniunt, necnon ſarcoticis regenerantibus partis ſubſtantiam, ſi valde ſit abſumpta; vel exſiccantibus, adſtringentibus, & epuloticis, quibus tandem cicatrix parti obducatur. Atque hæ ſunt artificioſæ indicationes in hoc affectu. Nunc videamus quibus mediis, ſeu inſtrumentis diæteticis, chirurgicis, & pharmaceuticis illas conſequi valeamus.

Imprimis igitur res illas ſex non naturales ita inſtituamus, vt ad curationem iſtius affectus cum reliquis artis noſtræ auxiliis concurrant. Quod fiet, ſi aër ita ſit temperatus, vt neque immodico frigore vaſa diſrumpat, neque vehementi calore nimium aperiat, & humores fluxioni paratiores efficiat. Debet ergo potius ad frigiditatem quamdam vergere moderatam cum ſiccitate. Lux etiam ita diſpenſanda, vt neque fulgore nimio debilitet ægrotantis aciem, & alliciat ſanguinem ac ſpiritus ſibi conſociales foras: neque denſioribus tenebris compellantur validè verſus interiora, ex quibus fluxio concitatur. Non debent mutare ſubuculas, quia mundæ & recentes magis attrahunt hunc fluxum. Decumbant in lecto molliori

molliori quidem, ſi iam vires ſint debiliores,& corpus macilentum, ſed non calidiori, ne efferueſcat ſanguis, vt dictum eſt, vnde vſus culcitrarum plumearum illis noxius eſt, niſi ſupertegantur coriis, linteis crudioribus, panno qui vulgo *cambelot* dicitur, ſacculis roſarum vel nymphææ floribus plenis, & ſimilibus,quæ impedire poſſint caliditatem earum: ſed multo melius eſt ſubſternere illa fulcimenta,quæ ex lanâ hodie conficiuntur, & vulgo *matelas* appellantur.Sit etiam mediocritas ſomni, & vigiliæ,quia vt ſomnus diuturnior nimium calefacit interiora, & in centrum humores allicit,ſic vigilia immoderata exagitat & commouet. Reſideant perpetuò in lecto,ſi ingens ſit hæmorrhagia,capite & thorace depreſſo,arrectis verò cruribus, & in dorſum inclinatis,ſint ſcilicet ſupinæ,vt materiæ motus ſiſtatur:niſi forte ſuſpicio ſit congelati & grumeſcentis ſanguinis,vt ſæpe fit.In quo caſu non ſolum moueri & aſſurgere debent,ſed etiam multas iuſſimus deambulare, vt grandiores iſtos thrombos iam in matrice putreſcentes excuterent. Extra hanc occaſionem, abſtineant ab omni motu corporis, animique, quantum fieri poterit, congreſſu potiſſimum venereo,ex quo frequenter recidiuas incurrunt.Quidam exiſtimant timorem vehementem & ſubitò incuſſum his mulierculis, eſſe aptum ad ſiſtendam iſtam hæmorrhagiam,quia compellit vehementer humores ad interiora:tamen non videtur ſatis tutum in corpore iam debilitato, aut prauis humoribus ſcatente validam hanc & improuiſam humorum agitationem concitare, ex quâ magnos etiam affectus in bene ſanis contingere certiſſimum eſt.Eadem ratione quamdiu effrænis eſt iſta vacuatio, neque ſollicitanda aluus, quamuis pigrior; neque veſicæ excrementa prouocanda: ſed expectandum interuallum, in quo poſſint alui fæces humectari clyſtere aliquo molliente,aut ſuppoſitorio leuiori, ne induratæ nimium laborioſam deinceps reddant deiectionem,à quâ fluxio iſta augeri poſſet. His ita conſtitutis, alimentorum etiam habenda ratio: ita vt ratione quantitatis & ſubſtantiæ eorum, quamdiu perſeuerat plethora,aut virium adeſt conſtantia,parcè exhibeantur, & ex illorum genere,quæ minus multiplicando ſanguini apta ſunt;vnde carnibus, iuſculis, vino, & aliis interdicere illas ſolemus; eaſque nutrimus panatellis ex aquâ & pauco ſaccharo,butyro vel oleo paratis,amylo,amygdalatis, lactuca,endiuia,& portulaca elixis & cum aceto paratis; vitellis ouorum induratis, pomis,pyris,& cydoniis ſub cineribus coctis, aquâ fontis vel hordei chalybeata, vel in qua parum maſtiches bullierit,irroratis. Contra verò vbi manifeſtus virium defectus apparet,indulgemus victui analeptico ad reparandam ſubſtantiæ iſtius humoralis,& ſpirituoſæ deperditionem:vnde frequenter potius quam magna quantitate oblatis iuſculis, conſummatis, colatitiis, ſucco carnium expreſſo, ouis ſorbilibus cum ſaccharo,gelatinis,carnibus delicatioribus,condituris roborantibus & vino generoſo eas reficere ſolemus,vt ex præſenti periculo liberentur.Ratione vero qualitatis,perpetuo id obſeruamus,vt alimenta refrigerandi,ſiccandi & adſtringendi facultate prædita ſint, tam actu quam poteſtate: vnde iam dictis panatellis,hordeatis,oryzâ coctâ,& ſimilibus affundere ſolemus ſuccum granatorum,vel vuarum acerbarum: pedes & crura veruecum,vitulorum,hœdorum elixos,quin etiam piſces glutinosâ ſubſtantiâ præditos,vt anguillas,murænas, &c.aceto multo condire,gelatinas ex eiſdem parare ſine ſaccharo:iuſculis incoquere folia polygoni,plantaginis,acetoſæ,& ſymphyti:vino interdicere in totum,eiſque vel loram exhibere,aut ſecundum ex torculari expreſſum: aut certè aquam ciſternæ, quæ maiore adſtrictione prædita eſſe creditur. Licet enim ex pluuiâ colligatur, & ad decoquenda legumina aptior habeatur,ſua partium tenuitate citò penetrat in ſecundam & tertiam corporis regionem,ſicque minus aluum humectat:julepus Alexandrinus illis accommodatus eſſe poteſt, ſi aquæ ſolius vſum exhorreſcant: item cydoniatum,condituras myrobalanorum, radicum ſymphyti,caulium lactucæ,& ſimilium,fructus acerbos,vt ſorba, meſpila, corneola, acidiores paſſulas. Quibus per diætam tentatis, ſi quidem affectus vehementia illis ſuperari non poſſit, de maioribus tunc remediis cogitandum.

Ac proinde vt res iſta accuratius & certâ methodo explicetur,primum ea proponemus,quæ generaliter ad iſtiuſmodi fluxum inſtitui ſolent,potiſſimum ex anaſtomoſi & ῥήξει concitatum;quæ ſunt frequentiores cauſæ:deinde pauca de diapedeſi & diabroſi ſubnectemus.Contemplanda itaque primum, vt dicebamus,huius morbi cauſa præcipua, quæ ſi poſita ſit in ſanguinis multitudine, qui impetu quam par ſit maiore, verſus vteri vaſa irrumpat, cogitandum ſtatim de eius vacuatione & reuulſione per ſuperiores partes, quod non poteſt commodiùs fieri, quam celebratâ phlebotomiâ ex cubito dextro, vel ſiniſtro, prout ex vſu eſſe videbitur.

Eſtque

commodius fieri, quam celebratâ phlebotomiâ ex cubito dextro, vel ſiniſtro, prout ex vſu eſſe videbitur. Eſtque haurienda ea ſanguinis quantitas, quæ naturæ moleſtiam parit: ita tamen vt non vnâ vice, & confertim educatur, ſed per interualla & partitè, tum vt vires recreentur, tum etiam vt maior fiat retractio, & diuturnior verſus ſuperiora: vnde quidam ſaluatellam vtriuſque manus aperiendam cenſent. Cui auxiliarem opem conferent ligaturæ dolorificæ, & frictiones brachiorum ſæpius ſurſum verſus celebratæ. Cucurbitularum appoſitio cum multâ flammâ mammarum regioni, vel ſub illis aut hypochondriis, aliquando cum ſcarificatu, ſi ægra tolerare poſſit, quæ repetendæ erunt frequenter ad ſuſpendendum ſanguinis curſum qui fertur ad vteri vaſa: Auicennas eas etiam applicat loco qui eſt inter vtraſque anchas: vnde aliqui quoque affigendas putant regioni pubis & oſſi ſacro.

Quod ſi ſanguis non tantum quantitate & motu peccare videatur, ſed etiam qualitate, vt quando permixtus eſt bilioſo humori, vel alias feruidior & acrior exiſtit: non tantùm vacuatio & reuulſio per phlebotomiam conueniet, ſed etiam per cathartica benigniora, adſtringendi & temperandi vi prædita: vnde ſolemus in hoc caſu poſt venæ ſectionem imperare leuem quamdam purgationem infuſo myrobalanorum citrinorum in ſero lactis, vel aquâ plantaginis, rhabarbari puluere, vel infuſione, ſyrupo roſato ſolutiuo, agarico, foliis ſenæ, & tamarindis, ſi humorum ſit varietas, & ſynatriſmus cum ſanguine iſto permixtus. Quibus ſemel aut ſæpius celebratis pro rei exigentiâ, temperantibus, incraſſantibus, & ſiſtentibus motum ſanguinis tam foris quam intus vtendum erit: ita tamen vt non illico cohibeamus fluentem ſanguinem, ne alicubi grumeſcat, ſed ſenſim & quaſi gradatim, niſi quando magnum imminet vitæ periculum. Quidam vtuntur poſcâ ſeu oxycrato dilutiore tam ſumpto quam admoto, ſed non ſatis commode, vt mihi quidem videtur, ob naturam partis affectæ neruoſæ & membranoſæ: quæ aceto valde irritatur, vt experientiâ compertum eſt, niſi forte in ruſticis & durioribus corporibus. In aliis ego mallem julepos comparare ex decocto millefolij, centinodiæ, equiſeti, burſæ paſtoris, ſummitatum rubi, oxalidis & portulacæ: vel ex earum aquis ſtillatitiis, in quibus diſſolue ſucci vel ſyrupi de granatis acidis, myrtini, cydoniorum atque etiam papauerini, ſi maius ſit ſanguinis incendium, vt æſtiuo tempore aliquot vncias: cum pauco puluere terræ ſigillatæ, boli armeni, carabes, coralli rubri, lapidis hæmatitis præparati, & ſimilium. Si magis arridet forma pulueris; comparetur ex eiſdem addendo ſacchari roſati tabulati veteris duplum, capiat ſæpe cum pauco vino rubro adſtringente, aquâ portulacæ vel fontis, in qua plumbum ardens extinctum fuerit. Pilulæ de bdellio frequenter ſumptæ, dummodo ex vero non adulterino comparentur; in omni hæmorrhagiâ partium inferiorum valde à Practicis commendantur. Et inter alia puluis corticis mori nigri ad ʒ j. ſæpe cum vino adſtringente ſumptus: item ʒ j. pulueris radicum filipendulæ per quinque dies mane cum ouo ſorbili. Noſtrates mulieres vulgare habent remedium ex floribus chamæleontis albi (vocant *lou preſou*) quibus lac condenſatur in caſeum cum iuſculo aut quouis alio liquore. Aliæ vtuntur ipſo coagulo hœdi vel leporis ad ℈ ß. cuius magnum eſt in hoc affectu commodum, quia vt ſiſtit fluentem ſanguinem, ſic etiam eiuſdem grumos iam factos diſſoluit. Sed inter omnia alia remedia nullum habemus præſtantius ex Galeno in omni hæmorrhagiâ, quam ſuccum plantaginis ex virentibus foliis recenter extractum, cuius ℥ iij. vel iiij. per os ſumptæ compeſcunt ſtatim furorem iſtius fluxionis. Atque eodem modo iniicitur in vterum per metrenchyten, ſi opus fuerit: eodem diſſoluitur bolus armena vel communis in formam cataplaſmatis, quod admouetur poſt reuulſiones conuenienter celebratas regioni hepatis, lumborum, & oſſis ſacri. Idem encomium tribuitur ſucco millefolij. Vbi impetus ſanguinis maior eſt, vt iſtis non poſſit cohiberi, albumina ouorum fortiter agitata, & cum prædicto puluere, & pauco amylo commixta iniiciuntur in vteri cauitatem ad obſtruendos, & conglutinandos illos ductus per quos effunditur. Non omittunt etiam Practici lotionem tibiarum in aquâ frigidâ aut decocto adſtringente cum pauco aceto: ſuffitum ex vngulâ mulæ, vel aſinæ, cuius portionem permiſcere poſſis cum acaciâ, hypociſtide, corticibus granatorum, gallarum, & granorum myrti. Denique ex collo ſuſpendunt coralli rubri fragmenta, iaſpidem, cryſtallum, puluerem ranæ maioris combuſtæ, ſacculo ſericeo rubro incluſum inter duas mammas: gemmam quæ corneola dicitur, digito geſtare iubent:

illinunt etiam eiſdem mammis ſuccum chelidonij: vmbilico autem ſuccum vrticæ græcæ,cum pauco bombace, quod habetur pro ſecreto. Tandem ſi omnia iſta non ſufficiant,deueniunt ad narcotica,vt confectionem requiei,puluerem alyncriton,pilulas de cynogloſſo,vnde Promothus laudat,vt in hoc genere capiantur ſingulis diebus mane tria grana ſeminis hyoſcyami. Alij conficiunt tales pilulas.

℞ Chalcant. opij, thuris,maſtich.coriand. toſti,ana ℈.ij. Conficiantur cum ſyrup. de ribes.Fiant pilulæ, quas capiat duabus aut tribus horis poſt cœnam. Quæ tamen ſunt vſurpanda, priuſquam vires omnino ſint collapſæ. Quibus omnibus aut aliquibus ita conſtitutis, ſedataque hæmorrhagia, tunc cogitandum de peculiari diſpoſitione, quæ illam excitauerat, quod ad ἀναστόμωσιν & ἕξιν ſpectat,obturantia ratione orificij hiantis;ſeu adſtringentia,conglutinantia ratione ruptionis,ſeu diuiſionis magis conueniunt.Adſtringentia ſunt fere omnia ſupradicta: glutinantia verò ea quæ præterea viſciditate quadam & lentore prædita ſunt, vt ſanguis draconis,gummi arabicum,cuius ʒ j.liquata in ſucco vel aquâ plantaginis cum pauco vino rubro adſtringente exhiberi poteſt:vel etiam iniici in vterum, mucilagines gummi tragacanthi,ſeminis pſyllij & cydoniorum,cum pauco ſaccharo roſato veteri:exterius admoueri poteſt taurocolla,vel ichthyocolla diſſoluta cum pauco aceto,aut vino rubro adſtringente. Iniectio etiam ex albumine oui conquaſſato ſuperius commemorata,cum puluere amyli & boli armenæ hic peculiariter locum habet: quod in formam peſſi concinnari etiam debet,ſi vulnus ſit in ipsâ vteri ceruice.

Quod ad diapedeſin verò attinet,ſi tenuitas ſola ſanguinis cum multâ ſeri copiâ huius tranſcolationis præcipua cauſa ſit, non tam per incraſſantia & adſtringentia agendum eſſe cenſeo,quam purgantia iſtos ichores,& abſorbentia humiditates ſuperfluas. Vnde debent iſtæ ægrotantes frequenter vacuari per ſyrupum magiſtralem,aut opiatam laxantem,in quæ ingrediantur folia braſſicæ marinæ,ſenæ orientalis, fumariæ,ſuccus roſarum pallidarum, agaricus trochiſcatus, ſemen ebuli, puluis mechoacan veri,& ſimilia cum roborantibus.Imo in hoc caſu vtiliſſimum eſt ſudores promouere blandis ἱδρωτικοῖς, qualia ſunt radix ſarſæ parillæ & chynæ,vt materia reuocetur ad externas corporis partes,& ſerum iſtud ſenſibiliter abſumatur. Quod ſi raritas ſeu laxitas vaſorum huic coniuncta ſint,non erunt etiam omittẽda adſtringentia & roborantia,tam ſumpta quam admota, quæ prudens Medicus pro rei præſentis & corporis variâ conſtitutione repetere poterit ex ſuperioribus vel ſimilibus.

Supereſt igitur διάβρωσις ſeu eroſio vteri vel vaſorum,quæ maximum Medico negotium faceſſere ſolet,quoties illi complicata eſt iſta hæmorrhagia vehemens.Cum enim pendere ſoleat ab acrioribus aut ſalſis humoribus,qui penetrare ſolent in partium iſtarum ſubſtantiam & eam exulcerare:ideo redundantes iſti ſuci,tum præparatione,tum purgatione indigent conuenienti: ſi bilioſus fuerit,rhabarbaro,myrobalanis citrinis, ſero lactis, ſyrupo roſaceo, aut de cichoreo cum rheo expurgandus:ſin pituita ſalſa,melle roſaceo,agarico trochiſcato,ſemine carthami & ſimilibus. Quibus frequenter repetitis ad cacochymiam corrigendam: deinde videndum an ſordes ſcateant in iſtâ eroſione vterinâ,quæ erunt diligenter detergẽdæ per iniecta, cuiuſmodi eſt aqua hordei cum melle,ſero lactis,vel toto lacte, ſi dolor ſit coniunctus:mox partis ſubſtantia ſarcoticis reficienda, vt aloë, mannâ thuris, cortice pini, terrâ lemniâ, ſucco plantaginis vel albumine oui excepta, vt iniiciantur per ſyringam, vel ſupponantur in formam peſſi. Quidam etiam comparant cataplaſmata ex farinâ fabarum cum puluere ſtercoris porci, roſarum, teſtæ ouorum combuſtæ, & pauco oleo roſaceo,quod anteriori & poſteriori pubis regioni vtiliter admouent. Succus ſenecionis valde in hoc affectu commendatur ſumptus & admotus. Sed ad reficiendam ſubſtantiam, conſtringendas partes diuiſas, & figillandum vlcus, nihil eſt efficacius,quam lactis chalybeati vſus,per viginti aut triginta dies vſurpatus,cum ſaccharo roſato mane ſumptus ad ʒ iiij. vel vj. & in vteri cauitatem frequenter immiſſus. Verum de hoc affectu rurſum, quando de vteri vlceribus peculiariter agemus.

CAPVT

CAPVT IV.

De muliebri fluore & gonorrhœa.

EX vtero velut ſentinâ quadam, non ſolum ſanguis menſtruus periodo, vel inordinatè profunditur: ſed etiam varia excrementa quibus corpus muliebre ſcatere ſolet: quæ veteres ſub nomine ῥύσεως γυναικείου & τῆς γονορῥοίας complexi ſunt. Vnde apud vulgus flores albi, purgamenta vteri, & falſa menſtrua appellantur. Nos ita definimus: Excretũ immodicum & præter naturam ab vtero variæ materiæ excrementitiæ aut ſeminalis: quæ propter impuritatem totius corporis vel alicuius partis inſignioris, aut ipſius vteri & vaſorum imbecillitatem profunditur. Dicimus eſſe excretum immodicum & præter naturam ab vtero, quia fluxus iſte non ſolum quantitate, ſed etiam qualitate inſigniter peccat, & quia abuti videtur natura hoc matricis ductu ſeu ergaſtulo ad vacuationem impuritatum quæ in corpore muliebri colliguntur: vnde varia exoriuntur incommoda, tam ratione indiuidui, quam procreationis ſpeciei. Mulieres enim quæ iſtos fluores patiuntur, non ſolum male ſe habent & variis ſymptomatis exercentur, ſed etiam earum vterus eiuſmodi illuuie ſcatens, ineptus redditur ſuſcipiendo, retinendoque ſemini, & aliquando vlcerationes aut tumores malignos & ſimilia ex iſtius materiæ vitio incurrit. Eſt autem immodicus hic fluxus, vel quia continuò & indefinenter fluit in quibuſdam mulierculis, vt vult Aretæus; aut quamuis intermittat, reuertitur tamen bis terve in menſe, vel ſi periodum certam ſeruet, antecedens vel ſubſequens veram ſanguinis menſtrui purgationem, vt ſæpe ſolet; magnam tamen affert viribus debilitatem & mulieri inſignem moleſtiam.

Diximus *variæ materiæ excrementitiæ aut ſeminalis*: vt oſtenderemus non vniuſmodi eſſe materiam quæ in hoc affectu profunditur, ſed multiplicem & diuerſam pro varietate cacochymiæ, quæ in corporibus iſtis dominatur: vnde aliquando ſimplex ſerum, alias humori iunctum, in quo varius apparet color; albus, flaueſcens, viridis, cruentus, ſanioſus, & nigricans: alias mixtus pro combinatione peccantis humoris, ex albo vireſcens, ex nigro flaueſcens, & ſic de reliquis. Quibus omnibus accidere poteſt, vt aliquando putreſcentes ſint iſti ſucci, & cum fœtore virulento: alias imputres & ſub naturâ ſuâ ſubſiſtẽtes, qui vel mordacitatis & acrimoniæ ſunt expertes, vel eâ admodum moleſti ſunt. Idem dicas de ſeminali materiâ, quæ per iſtas vias aliquando effluere ſolet in mulieribus, quando quantitate vel qualitate peccat, manifeſtâ, vt quando ferociſor vel acrior: occultâ, vt quando malignâ quadam labe inficitur, quemadmodum contingit in lue Venereâ, elephantico concubitu, & ſic de reliquis, vnde differentiæ iſtius affectus potiſſimum exoriuntur. Quamuis enim generali vocabulo fluoris albi contineantur, quia tamen illa materia, vt diximus, variorum colorum eſt particeps, ideo etiam pro diuerſitate humorum dominantium diſtinguenda tum inter ſe, tum etiam à verâ purgatione menſtruâ ſeu menſibus, quos Hippocrates decolores appellat. Primo ratione materiæ, quia vt in menſibus quamuis infectis perpetuò ruber humor dominatur, ſic in iſto fluore albus, citrinus, & ſic de reliquis. Secundò exeundi tempore & modo. Nam vt menſes ſtatim ſuam ſeruant ſæpius periodum, ſic iſta inquinamenta ſeparatim ab illis, & inordinatim effunduntur. Nec ſolum eas exercent quæ menſtruatim purgantur, ſed etiam alias quaſcunque, vt prægnantes, anus, & puellas, in quibus corporis incrementum impedire ſcripſit Ariſtoteles *ſeptimo de hiſtor. animal. capite primo.* Quæ etiam diſtingui debent à purulentâ materiâ, quam vlcus matricis procreat & effundit: quia præceſſerunt cauſæ exulcerantes, & pus multò eſt craſſius & albicans, quam materia iſta fluoris muliebris. Præterea minoris eſt quantitatis, & quaſi continuò effluit cum maiori ſenſu doloris & acrimoniæ, quam in iſto fluore: quâ de causâ fit vt quæ vlcera matricis, & colli eius patiũtur, non admittãt coitũ, niſi cum moleſtiâ, quia affectum exaſperat, cũ eiuſmodi fluores muliebres liberè & ἰυφόρως viriles amplexus experiantur. Idem dicas de effluxu iſto ſeminalis materiæ inuoluntario, qui á fluore albo ſimplici ſecernendus, eo quod minoris eſt

multo quantitatis quam fluor, craſſior exiſtit, & longioribus interuallis emanare ſolet : albeſcit multo magis, & ſemper ſine fœtore eſt, potiſſimum in principio, quando aliena illi materia non admiſcetur. Adde quod citius ex iſtâ feminis profuſione corpus contabeſcit : atque vt plurimum regio renum & lumborum qua pertreptant vaſa illa ſpermatica, dolitare ſolet : diſtingues etiam gonorrhœam à pollutione nocturnâ ſeu ὀνειρωγμῷ, quod pollutio illa eſt ſemper cum aliquâ imaginatione & cupiditate : gonorrhœa verò eſt purè inuoluntaria, & ſine vllo veneris appetitu. Item qualibet horâ infeſtare ſolet ægrotantes, non autem pollutio, quæ per ſomnum tantum exercetur cum magnâ perturbatione.

Diximus denique hunc fluorem tam humoris quam ſeminalis materiæ contingere propter impuritatem totius corporis, vel partis alicuius inſignioris, aut vteri ipſius, vel vaſorum imbecillitatem. Quibus verbis omnes complectimur cauſas propinquiores iſtius affectus : quamuis enim Galenus 3. *de ſympt. cauſis, cap. 4. & lib. 6. de locis affectis, cap.* 5. exiſtimaſſe videatur in hoc fluore nullum eſſe certum locum affectum, propterea quod promiſcuè ex variis corporis partibus, habitu ſcilicet, cerebro, iecore, ventriculo, liene, & ſimilibus transferri poteſt vitium humorum & deponi in vterum, vt excernantur. Attamen certiſſimum eſt originem illius aliquando toti corpori, vt in valde cacochymis, referendam eſſe : alias parti cuidam inſigniori, quæ ſe in iſtas vias exonerat, vt videmus in mulierculis catarrhoſis, lienoſis aut quibus ventriculus eruditatibus ſcatet : aliàs reſpicere ipſum vterum imbecilliorem, vel quia non poteſt repellere vel concoquere materiam nutritioni dicatam : vnde ſuccedit συναθροισμὸς eiuſmodi humiditatum quæ per illius ceruicem effluunt, quemadmodum aliis corporis noſtri partibus contingit. Eodem modo ſpermatica illa vaſa præter vitia feminis à nobis iam commemorata, quoties intemperie aliquâ propriâ vel per conſenſum veſicæ, renum, muſculorum, & ſimilium infeſtantur, aut quia nimis alliciunt eiuſmodi materiam vt in eorum φλογώσιν : vel eam conuenienter retinere non poſſunt, vt quando humidiora laxioraque exiſtunt, efficiunt iſtos effluxus, & gonorrhœas in mulieribus, quemadmodum in viris. Rurſum iſtæ cauſæ promoueri poſſunt, & quaſi excitari à variis cauſis, ex cenſu rerum naturalium, non naturalium & præter naturam repetitis. Nam quod ad res naturales ſpectat, pro ratione temperamentorum, pituitoſæ vel bilioſæ quibus admodum tenuis eſt & ichoroſa ſanguinaria maſſa, ſuppeditant facile humiditates, quæ per iſtam partem expurgantur : Ratione ætatum ſenes, vt eſt 2. γονωκίων ſæpius fluxum album : iuuenes flauum aut vireſcentem incurrunt, atque etiam gonorrhœam Ratione verò rerum non naturalium, non eſt dubium quin aëris variæ conſtitutiones multum poſſint ad fluorem iſtum concitandum vel ſaltem iuuandum : aquilonia videlicet, nimium refrigerando pituitoſa corpora : auſtrina, nimium laxando : feruidior, tenuando humores, & ſic de reliquis. Narrant eas mulieres quæ circa Mæotidem paludem & Phaſim fluuium degunt, regionem ſcilicet perpetuo humore ſtagnantem, valde hoc affectu infeſtari. Quod eodem modo dici poteſt de aliis quæ circa paludes & ſtagna habitant. Quibus ſi acceſſerit crapula inſignis & ingurgitatio quorumcunque ciborum cacochymων & dyſpeptων, potus copioſior, otium & ignauia ingens, mœror timorque diuturnus, nec non ira vehementior, alui durities, vrinæ parcitas, ſomni & vigiliarum immoderatio, non eſt dubium quin valde conferant ad iſta excrementa congerenda, commouendaque verſus vteri vias vt expurgentur. Ad ſeminalem verò materiam effundendam faciunt ingens æſtus, veſtium compreſſio circa lumbos & renes, torus ex anatum plumis confectus, cibi potuſque ſemen multiplicantes, & irritantes facultatis expultricis vim, vt cochleæ, bulbi, cerebra & medullæ animantium, nuclei pinei, vitelli ouorum, tubera, cardui, vinum meracius, ſalſa, piperata, frixa, & ſimilia : ſomnus ſuper dorſum factus, longa abſtinentia à coitu cum cogitatione intenſâ amati aut lectione rerum venerearum, concubitus etiam vehementior aut impurus, equitatio durior, & ſimiles motus, quibus renes & lumbi agitantur vehementius & incaleſcunt. Denique res præter naturam concurrere poſſunt ad affectum iſtum producendum; febres verbi gratia diuturniores, leucophlegmatiæ & χλώρωσις, intemperies inſignes, vel obſtructiones partium nutritioni dicatarum, dum αἱματώσιν violant & ſanguini vitium inferunt notabile, certum eſt quod materiam huic rei idoneam ſuppeditant, præcipuè quoties vterus, vel illius vaſa infirmiora redduntur

ex

ex accidente ob morbum qui illis ſuperuenerit, vt aborſum, partum laborioſum, tumores vel intemperies præter naturam: quarum enumerationem facere cuiuis erit facile. Nos igitur ad διάγνωσιν veniamus.

Signa quædam diſtinctiua iam ſuperius propoſuimus, quibus hic affectus ab aliis ſibi affinibus ſecerni poteſt: nunc igitur propria proſequamur. Quotieſcunque ægra ipſa aut ipſius miniſtræ referunt vuluam irrigari inquinamentis quibuſdam albis aut alterius coloris ſupradicti, quo etiam circumiecti panni & ſubuculæ inficiuntur, idque continuò, ante aut poſt fluxum rubrum menſtruorum: Tunc debet ſolers Medicus reliqua percunctari, quæ faciunt ad eius cognitionem peculiarem: verbi gratia, vtrum pituitoſus ſit iſte fluor, bilioſus aut melancholicus: ſeroſus vel humoralis. Quæ omnia cognoſcuntur ex habitu & temperamento ægrotantis, tum inſpectione linteolorum hoc humore infectorum, & in vmbra ſiccatorum, aut arenæ in quam eiuſmodi materia effuſa fuerit, docente Hippocrate, *lib. 2. περὶ γυναικείων.* Perſeuerante autem fluore corpus intumeſcit, color defœdatur, oculi liueſcunt, reſpiratio difficilis redditur, pulſus minutulus & vrinæ turbatæ meiuntur, ingens moleſtia mentem occupat, καρδιωγμὸς & nauſea ieiunas potiſſimum infeſtat: denique tota naturalis œconomia, & vires debilitantur. Quod ſi acrior ſit aut putris materia, ſæpe accerſit febrem lentam, vel partes iſtas mordet, & tandem erodit: ſin vero humidior, ita relaxat, vt fere videantur procidere & inuerti. Ex quibus verò potiſſimum locis proficiſcatur, ita erit perluſtrandum; ſi quidem totum corpus tumidum & molle exiſtat cum venarum tenſione & plenitudine, quæ inferat laſſitudines illas ſpontaneas ab Hippocrate decantatas, tunc maxima erit coniectura illam ex toto corpore promanare, vt obſeruauit Galenus in vxore illa Boëthi Conſulis Romani, potiſſimum ſi laſſitudines augeantur vel minuantur, prout fluor iſte magis vel minus intenditur. Quod ſi ex iecore, ventriculo aut alio viſcere ſuboriatur: id etiam demonſtrabunt peculiaria vnicuique parti ſymptomata, verbi gratia dolor circa dextrum hypochondrium, calor aut tumor cum excrementis quibuſdam bilioſis, quæ maximè viſuntur in iſtâ excretione, facile iecoris ſympatheiam indicabunt: vt lienis, ſi in ſiniſtro ſint aſpectabilia cum fæculenti & atrioris ſucci miſcellâ. Quod ſi inappetentia, ructus acidi, frequens nauſea, & ventriculi oppreſſio adſit, cum pituitoſi recrementi copiâ, quâ vacuatâ iſtæ moleſtiæ tolluntur, aut ſaltem minuuntur: nemo dubitare poteſt, quin ex ventriculo iſtæ cruditates ferantur: vel ex cerebro, quando circa caput grauedines, lumborum & dorſi dolores quaſi perreptantes apparent, cum ſuppreſſione inſuetâ eorum quæ per os & nares excernuntur. Et ſic de reliquis partibus, quarum particulares querelæ erunt inquirendæ. Illis autem omnibus ceſſantibus, aut ſaltem non præeuntibus, ſed ſubſequentibus eiuſmodi fluorem: tunc animus ad vterum velut *idiopathiæ* affectum erit conuertendus, in quo grauiora etiam tunc apparent omnia, putâ intemperies, vel obſtructiones manifeſtæ, debilitates ex aborſu, laborioſo partu, ictu, caſu, & ſic de reliquis.

Idem dicas de gonorrhœâ, in cuius dignotione, vt dicebamus, percunctari etiam oportet de naturâ & conditionibus excreti: quod ſi ſit album, paucum & craſſiuſculum, ſine voluptate aut animi vllâ agitatione profluens, iudicabimus eſſe ſpeciem gonorrhœæ vulgaris, quæ propter cauſas manifeſtas iam à nobis commemoratas acciderit: ſin verò ſecuta ſit impurum quendam concubitum, erit virulenta & luis Veneræ ſoboles, quæ per contagium communicatur: in quarum vtraque inualeſcente ſcilicet, aut neglecta poteſt tandem magna materiæ copia excerni, tum quia alieni ſucci permiſcentur, tum quod vaſa ſpermatica, vbi fuerint intemperata, vehementer trahunt à toto: ita vt quod deberet nutrire membra, ad ſe rapiant, & ſic totum corpus colliquant: vnde marcor & conſumptio cito conſequuntur iſtum affectum. Qui ſi fiat à multitudine ſeminis tantum, cognoſcitur ex habitu carnoſo calido & humido, qui augendo ſemini valde eſt idoneus, præcipuè ſi fruatur otio, ciborum copiam ad illud aptiſſimorum aſſumpſerit, diutius à coitu abſtinuerit, &c. & ex iſtâ profuſione leuamen potius quam debilitatem in principio ſaltem perſentiat. Si à tenuitate vel acrimoniâ ſeminis fiat, cauſæ etiam prægreſſæ, aut adhuc præſentes talem qualitatem producentes id oſtendent, quemadmodum effectus, nempe ſenſus punctionis & vellicationis in locis per quæ excluditur. Denique iſtis omnibus deficientibus recurrendum erit ad ipſorum vaſorum intemperiem & debilitatem, quæ in dorſo ac lumbis etiam ſentitur: ſæpe fit vt renes huic conſentiant: vnde in vrinâ iſtarum ſolet ſupernatare quædam

pinguedo, ob σύπηξιν materiæ illius adipoſæ quæ ibi continetur. Atque hæc de διαγνώσει.

Πρόγνωσιν autem in hoc affectu eliciemus ex eis quæ iam fusè dicta fuerunt de ſpecie & magnitudine illius. Quamuis igitur hic morbus à totâ ſpecie non ſit lethalis: attamen difficilis admodum eſt curatu, vbi inueterauit, quia totum corpus iam aſſueuit ſuam impuritatem per vterum debilitatum velut per cloacam effundere, & ſterilitatem vt plurimum inducit: non tamen ſemper, vt eſt apud Hippocratem 4. *epidemiorum textu* 51. *part.* 12. Quod ſi vehementiam habeat ſummam, tum ratione quantitatis materiæ quæ effunditur, tum qualitatis: non ſolum καρδιωγμὸς, καχεξίας, hydropes, marcorem & ſimiles affectus inducere ſolet: ſed etiam conuulſiones lethales, vt eſt *Aphoriſm.* 56. *ſect.* 5. tam ab inanitione & punctione virulentæ materiæ, vt quidam putant; quam à repletione: quando iſta materia ſubitò recurrit in cerebrum & neruoſum genus: vt ipſe Hippocrates innuere videtur 2. γυναικείων. Quod eodem modo de ſeminis effuſione immodicâ aſſerendum, imo frequenter ex iſtâ gonorrhœâ, ſi ſit rebellior, intereunt mulierculæ, quia præ pudore vix audent conqueri apud Medicos & legitima remedia vſurpare. Auget periculum in vtroque affectu pars princeps aut coctionibus dicata, quæ fouet perenniter & ſuppeditat huic malo cauſam, tam per μετάστασιν, quam per ἄπηγίνσιν. Quis verò iſtorum fluxuum ſit deterior, ita puto iudicandum: album quidem eſſe contumaciorem & diuturniorem, potiſſimùm iam prouectis ætate, quibus eſt valde familiaris, quia pendet à pituitâ & defectu concoctricis facultatis: alios autem, vt citrinos, vireſcentes, atros, & ſimiles, facilius quidem curari ob humoris tenuitatem: attamen maius periculum inducere, niſi eis maturè proſpiciatur, ſiue ferantur per vterum erodendo, inflammando: ſeu cohibeantur intus ſubito: vnde infinita propemodum mala ſuboriri poſſunt. Iam igitur de illius θεραπείᾳ cogitemus.

Quod ad curandi ergo methodum ſpectat, in hoc affectu, quemadum in aliis, habenda ratio imprimis cauſarum internarum & externarum: ipſius naturæ ſeu ſpeciei affectus: à quo præcipuè ſeu immediatè pendet: & partium affectarum, tam mittentium, quam ſuſcipientium. Ratione cauſarum igitur externarum, inſtituenda conueniens victus ratio, quæ omnes illas ita diſponat, vt non amplius ad cauſarum internarum generationem & ipſius morbi incrementum conſpirent, ſed contrà aduerſentur, & naturæ ſuppetias ferant. Ratione cauſarum internarum humoralium, tam antecedentis, quam coniunctæ, quæ peccant motu, quantitate & variis qualitatibus, indicantur reuellentia, deriuantia, vacuantia, & alterantia pro conditione humoris varia. Ratione affectus ſeu diſpoſitionis morbificæ, à quâ præcipuè ſuſcitantur, indicantur etiam contraria, quæ eam expugnent, ſiue ſit intemperies multiplex, ſiue tumor præter naturam, obſtructio, & ſic de de reliquis. Denique ratione partium mittentium, vt cerebri, ventriculi & reliquorum, ſi quidem iſte fluxus concitetur non vi expultricis facultatis, vt ſæpe contingit; ſed potius ob conſtitutiones morboſas & debilitatem illarum, proponitur etiam earum omnium correctio, & materiæ quæ ab illis fluit interceptio aut deriuatio in alium locum minus naturæ moleſtum. Ratione denique partium ſuſcipientium, nempe vteri & vaſorum, exoriuntur indicationes exſiccandi eiuſmodi ſuperfluam humiditatem, adſtringendi ductus, & partem roborandi, ne amplius tam facilè ſuſcipiat & priſtinam temperiem recuperare poſſit. Quibus ita poſitis, primum diæta erit ritè conſtituenda.

Aër itaque eligatur aut arte paretur purus & minime inquinatus vaporibus ſtagnorum, paludum, conuallium, & ſimilium locorum, qui etiam mutandi erunt hiſce ægrotantibus, ſi quidem incolæ ſint inſalubrium iſtarum regionum, vt poſſint perfrui in alieno ſolo commodiore aëre, ſicciore ſcilicet, & limpidiore. Aut certè domi corrigant vitium ambientis, quantum fieri poterit, vbi ſe continebunt, excitato igne, tempore potiſſimum pluuioſo aut nebuloſo, dum ſpirat auſter, vel frigoris nimia inclementia viget. Promoueantur conuenienter omnes aliæ vacuationes ſolitæ alui, veſicæ, & ſimilium; quantum enim iſtis decedit de naturali & ſtata ἐκκρίσει, tantum huic fluori accedere ſolet. Vigiliarum & ſomni adſit moderatio in cubili minus calente, remotis culcitris plumeis & ſimilibus, & raro in dorſum conuerſæ dormiant, quia calfactis renibus, & lumborum regione materiæ fluxus magis verſus inferiora concitatur. Exercitatione vtantur paucâ vel mediocri, potiſſimùm inferiorum partium: quia hoc etiam facit ad alliciendum humorem verſus vterina loca: ſed

ſed frequenti vtantur frictione ſuperiorum partium cum linteolis crudis & aſperioribus mane antequam ſurgant: quibus ſe vxorem illam Boëthi Conſulis Romani potiſſimum curaſſe gloriatur Galenus *libro de prænotione*, cui addebat mel crudum, vel etiam coctum ad maiorem reſolutionem humorum pituitoſorum, quibus totum illius corpus ſcatebat. Sunt qui ſaccvlis arenâ tenui & modicè calente, alij farinâ fabarum & hordei plenis, vtantur non ſine fructu. Abſtineant à coitu quantum fieri poterit, ne ex eo magis conturbentur humores & attrahantur in vterum calfactum & dilatatum ex ciuſmodi congreſſu. Denique animi pathemata vitentur, quæ idem præſtare poſſunt, vt ira, mœror, zelotypia, quibus valde exerceri ſolent per eiuſmodi affectum, quia norunt ſe maritis ſuis ob illum eſſe valde ingratas. Vnde conſolandæ ſunt ſpe citæ curationis, & auertendæ ab iſtis cogitationibus, vt gaudio indulgentes & caloris natiui beneficio conualeſcant.

Quod ad alimenta ſpectat, in illis magna etiam cura & ſedulitas adhibenda: quia in hoc affectu non ſolum qualitatibus ſuis afficiunt, ſed etiam totâ ſubſtantia faceſſunt in materiam humoralem quæ illorum naturam redolet. Ideo eligantur ſecundum ſubſtantiam euchyma, quia hic perpetuò excedit quædam cacochymia: ſecundum materiam ἰσοσθένεια, quia calor natiuus ſæpe hic eneruatus & debilis euadit: ſecundum quantitatem mediocria, vt neque extenuetur nimium totum corpus defectu, vel nimis impleatur eorum ſuperabundante copiâ. Qualitatibus autem ſint varia; nam prout materia fluoris ad pituitoſum, bilioſum aut melancholicum humorem magis verget: ita etiam in caliditate & frigiditate temperata & lenientia eſſe debent. Perpetuò tamen ſiccantia & abſorbentia iſtas humiditates ſuperfluas: vnde Galenus in iſtis laudat victum attenuantem & exſiccantem, quo ſolo pituitoſos illos fluxus maximè vulgares curari aſſerit. Fugiant igitur omnia cruda, & valde humida, vt olera, fructus horæos aut immaturos, acetaria, legumina, lacticinia omnis generis, piſces, niſi ſaxatiles & friabilis ſubſtantiæ; ivſcula, niſi fuerint inſpiſſata amylo, oryzâ, ſemolâ & ſimilibus, aut certè alterata cõuenientibus herbis, mentha, hyſſopo, maioranâ, ſaluiâ & ſimilibus, ſed paucâ quantitate. Veſcantur carnibus aſſis potius quas elixis, quas inſpergere poterunt puluere nucleorum granatorum acidorum. Vtantur etiam pane biſcocto, aniſato & probè fermentato. Inter bellaria, paſſulis, pineis, dactylis: amygdalis toſtis, pyris & cydoniis malis ſaccharo aſperſis vtantur. Potus ſit parcus ex aquâ coriandrorum, vel chalybeatâ, aut mixtâ cum pauco vino rubro adſtringente. Laudat Hippocrates *lib. 2. γυναικείων*, vt iſtæ mulierculæ ſæpius incœnatæ dormitum eant, quod ego valde probo in pituitoſis & mollibus corporibus, ex *Aphoriſmo* 57. *ſect.* 7. *Corporibus humidas carnes habentibus famem imperare oportet.* Idem *eodem loco* vult eas abſtinere à pinguibus & dulcibus, quia facile corrumpuntur, & in pituitoſum ſuccum degenerant in cacochymis. Item ab acribus & ſallis, vt frixis & piperatis, quia fluxiones ſuâ acrimoniâ augent. Quæ omnia iuxta propoſitæ ægrotantis naturam ſolerter varianda erunt

In gonorrhœâ autem vitandi ſunt etiam corporis motus, præciputè equitationis, renes & lumbi ſint diſcincti & minimè coarctati. Vitent cogitationes rerum venerearum. Abſtineant vino, vel ſaltem vtantur oligophoro & adſtringente. Sunt qui ſolâ aquâ potabili, in qua bullierit ſemen nymphææ, putent iſtum affectum extingui poſſe. Vitent cibos multi nutrimenti, & qui ſemen multiplicant iam commemoratos, niſi tabes imminere videatur. Denique adſtringentibus vtantur, vbi iam erit conſilium ſupprimere ex toto iſtum fluxum. Atque hæc de diæta.

Quod ad remedia ſpectat, cum poſitum ſit in fluore muliebri regnare cacochymiam pituitoſam, bilioſam & melancholicam, non eſt dubium quin purgatio per accommoda cathartica conueniat, ex *Aphor.* 36. *ſect.* 5. mixtis ſemper quæ reſtringendi & roborandi facultate prædita ſunt, ne materia nimis violenter verſus vterum præcipitetur, & ipſa pars debilitetur. Verum verò venæ ſectio etiam ſit ex vſu, dubitari poteſt. Si enim ſit mera cacochymia, certum eſt illam non educi ex venis, neque debilitandum eſſe robur naturæ per ſanguinis miſſionem in tam chronico affectu. Ac proinde adhibitâ diſtinctione conciliari poteſt. Nam ſi iſte fluor non ſit ſolitarius, ſed ſubrubro humore, nempe ſanguineo permixtus, tunc celebrari poteſt venæ ſectio, tam reuulſionis, quam modicæ vacuationis causâ. Tum ſi inſignior iecoris caliditas aut bilioſi ſucci acrimonia humores inflammantis vigeat, tunc etiam non erit inutile ventilationis causâ ſanguinem modicum elicere. In aliis autem caſibus melius erit ab eâ abſtinere, & illius loco ligaturas in ſuperioribus

tibus partibus & frictiones exercere, cucurbitulas ſcapulis & dorſo admouere frequenter, potiſſimùm ſi ex cerebro rheumatiſmus iſte pendere videatur. Quo etiam in caſu conueniunt veſicatoria, phœnigmi, maſticatoria, errhina, necnon cauteria occipiti vel brachiis inuſta, vt mali iſtius fomes aboleatur. Vtrum vero etiam cruribus admoueri debeant aliquando, non ſatis eſt compertum. Nam cum eiuſmodi cauteria in tibiis, magis ac magis allicere ſoleant humorem verſus inferiora; inde etiam ſequi videtur, quod augebunt etiam fluorem iſtum vterinum. Attamen illis quæ magnâ ſeroſæ materiæ copiâ abundant, vt eius portio per eiuſmodi emiſſaria vacuetur, non eſſe inutiles iſtas tibiarum fontanellas, aliquando experti ſumus, ſi reliqua non profecerint remedia.

Repetenda igitur frequenter & quaſi ſtatis temporibus purgantia in hoc affectu, vt ſeges illa cacochymiæ, quæ continuò generatur & ſuccreſcit, per διάκρασιν etiam vacuetur, non ſolum concitatâ deiectione, ſed etiam procurato ſæpius vomitu, potiſſimum in illis quæ ad vomendum ſunt comparatæ, & quibus ventriculus infarctu humoris crudi laborat. Materia purgantium ex ſolitis fontibus repetatur. In ſeroſo & pituitoſo dominatu ſemen carthami, & ebuli, folia ſoldanellæ, & agaricus, radix mechoacan & turpethum maximè conueniunt. In bilioſo myrobalani citrini, rhabarbarum, ſyrupus roſatus, ſerum lactis, aliquando etiam ſcammoniata, ſi liberalius ſit agendum, permixtis roborantibus. In melancholico folia ſennæ, polypodium, myrobalani indi, ſyrupus fumariæ, lapis lazuli, confectio Hamec & catholicon. Denique ſyrupi magiſtrales, opiatæ laxantes, pilulæ, electuaria ſolida & illud quod de citro dicitur, & ſimiles formulæ præſcribentur, quas non eſt hic propoſitum fuſius delineare, cum ex præcedentibus facilè reperi poſſint.

Præter purgantia igitur, quæ hîc vacuandi deriuandique causâ vſurpantur: quæri poteſt, vtrum etiam in hoc affectu ſudorifica & diuretica præſcribi debeant. Ipſe Hippocrates in hac ſententiâ eſſe videtur *lib.* 2. γυναικείων, vbi narrat multas iſtarum ægrarum naturæ operâ ſanatas, quibus diarrhœæ ſpontaneæ, aut ſudorum & vrinæ profluuia ſuperuenerant: quare idem poteſt imitari Medicus in curatione iſtarum mulierũ, vt ipſemet Galenus feciſſe gloriatur in curatione vxoris illius Boëthi Conſulis Romani. Quod ad ſudorifica quidem, non eſt dubium quin vacuatâ ſeri maiore portione per poros cutis & habitũ corporis, magna fiat reuulſio & vacuatio materiæ iſtius fluentis: vnde generoſum in illis auxilium experimur, potiſſimùm in pituitoſis, quæ decocto ligni guaiacini aut ſaſſafras, vſu ſtupharum, & thermarum naturalium diutius vtuntur ad tollendam halitu vel ſudore maiorem portionem iſtius humoris excedentis. At in bilioſis & melancholicis cautius agendum, ne exaſperentur magis iſti ſucci & acriores euadant: vnde ſi in illis ſudores ſint promouendi, velim ego vti decocto radicis ſarſæ parillæ vel chynæ cum temperantibus & demulcentibus æſtum furentis materiæ: aut certè præſcribere balneum aquæ dulcis & tepidæ, in quo modici tantum ſudores & blandè prouocentur: ſic enim iuuari nullo nocumento poterunt.

De diureticis tamen maior eſt dubitatio: nam quæcunque prouocant vrinam, cum caliditate vt plurimum & tenuitate partium prædita ſint, non ſolum illud præſtare ſolent, ſed etiam menſes concitare, vt eſt 8. *de ſimplic. medicam. facult.* vbi aſarum, petroſelinum, apium, & ſimilia commemorat Galenus, quæ præſcripſit in illâ vxore Boëthi. Quare non videtur tutum in hoc fluore muliebri medicamentis vrinas concitare, quia eodem modo etiam fluorem iſtum augere poſſent: non enim par eſt ratio motus naturæ, quando in hoc affectu concitat vrinas; & artis: quia motus ille ſpontaneus fit operâ caloris natiui & facultatis expultricis, ſeroſam materiam in vias renum propellentis: Medicamenta autem illud præſtant, vt diximus, calfaciendo, & attenuando: Vnde non magis ſequetur fluxus humoris verſus renes, quam verſus vterum. Quid igitur hac de re ſtabiliendum? Dicimus, medicamenta iſta vrinas primariò prouocare, menſes verò ſecundariò. Ac proinde maiorem fructum ſperari poſſe ex illorum vſu in hoc affectu, prius bene repurgato corpore, quam incommodum, quia commota materia attrahitur à renibus potenter, & per veſicam excluditur: ſicque minor remanet illa quæ in vterum prorumpere poteſt, qui dummodo non ſit nimium debilitatus, vel vlceribus affectus, vt annotauit Auicennas, poterit facillimè repellere per ſe aut medicamentis adiutus, vel diſſipare reliquias iſtius fluxus diminuti per vrinæ profluuium. Cautè igitur agendum in diureticis præſcribendis, quaſi explorando eorum affectum in iſtis ægrotantibus.

Corpore

Corpore ita præparato, materiâ ex parte vacuatâ & deriuatâ, tunc roborantia & adſtringentia non erunt omittenda, tam interna quam externa: quorum ſatis magnam copiam ſuperiori capite propoſuimus. Theriaca antiqua igitur in corpore & affectu pituitoſo hic maximè vſurpari poteſt, potiſſimum vigente hyeme ſola vel cum conſeruâ abſint. & roſarum mixta, addendo ſi volueris, ſeminis cynaræ, coaguli hœdi & terræ lemniæ parum. Syrupus de roſis tranſmarinis mane & ſero ad ʒ ij. ſumptus hodie valde laudatur. Alij diſſoluunt coaguli hœdi vel leporis ʒ j. in ʒ iv. decocti foliorum quercus, & per ſeptem aut octo dies exhibent mane extra tempus fluxuri aut fluentis menſtrui, quod in omnibus adſtringentibus eſt obſeruandum. Commendatur etiam conſerua berberis vel roſarum cum ℈ ß. aut gr. vj. maſtiches. Inter alia autem, vbi fluxus inueterauit, & iam corpus emaciari incipit, celebrant Practici noſtri lactis vſtulati ſeu chalybeati vſum per quadraginta dies mane ſumptum, cui circa extremum tempus addere poſſis puluerem terræ lemniæ, boli armenæ, vel ſacchari roſati antiqui. Interea fiant eodem modo fotus, fumigia, litus, emplaſtra, & peſſaria adſtringentia & roborantia: quorum formulæ ex ſuperioribus patent. Ad roborandum vterum non inutile erit fouere totam illam regionem & perinæi decocto ex vinaceis parato: Item decoctum milij aut farris in vterum iniicere: cui addere potes parum ſucci granatorum, ſi vterus aut fluxio calidior videatur. Oxalidis folia vtero appoſita commendat Mercatus. Iuuat etiam ſubdere in formam naſcalis, theriacam cum pauco coagulo, vel myrobalanum ſaccharo conditam, aut etiam peſſarium illud ex lanâ vel cotone ab Aëtio commemoratum, qui in ſucco adſtringente maceratur & exſiccatur: deinde in vuluam immittitur & frequenter mutatur. Atque hæc de fluore muliebri.

Quod ad gonorrhœam verò ſpectat, pauca de illius curatione ſubnectemus, tum quia conſimilis eſt cum eâ quæ viris contingit: tum etiam quod de virulentâ ſatis copiosè à nobis diſputatum fuit in tractatu luis venereæ.

Iam igitur dicamus in gonorrhœæ iſtius muliebris curatione, præter victum ſuperius propoſitum: ſi quidem pendeat ex multitudine ſeminis, vel ſit complicata cum inſigni plethora totius & venarum tenſione aut alicuius partis inflammatione, neceſſariò ſecandam eſſe venam in brachio, vt minuatur quantitas humoris, & impediatur, quo minus ferri poſſit verſus vteri vaſa: aliquando etiam tundi ſaphæna ſeu vena poplitis debet in hoc affectu, potiſſimum ſi ſit coniuncta virulentiæ venereæ, quam timemus reuocare in medias corporis vias, ſuperiorum venarum ſectione: vel certe ſi illa fluente, menſtruorum ſuppreſſio accedat, quod aliquando contingit. Vacuanda etiam cacochymia, & temperanda humoris acuitas, quæcunque illi fuerit coniuncta; vnde purgationem præſcribere ſolemus ex caſſiâ ſolutiuâ, myrobalanis citrinis in ſero lactis infuſis, ſyrupo roſarum pallidarum: deinde ex terebinthinâ cum aquâ graminis, & roſarum diligenter lotâ: cui adiungere ſolemus modicum puluerem rhei electi aut liquiritiæ, quod repetimus pluribus vicibus, prout vſus expoſtulare videtur. Mox iulepis refrigerantibus, incraſſantibus, & lenientibus, materiæ iſtius acrimoniam & tenuitatem temperare ſolemus: vt ſyrupo de pomis, violaceo & de nymphæâ, in aquis lactucæ, portulacæ, vel acetoſæ diſſolutis cum puluere diatragacanthi frigidi. Aut ſi manis, paretur emulſio, mane & ſero ſumenda, ex amygdalis dulcibus, nucleis pini, cum ſeminibus frigidis maioribus, & de papauere conuenienter contuſis & irrigatis ſ. q. aquæ hordei aut liquiritiæ, cum pauco ſaccharo. Si maior ſit ſanies & virulentia quæ deterſione indigere videatur, proderit decoctum fabarum nigrarum cum pauco ſyrupo capilli veneris per aliquot dies, potiſſimùm horâ ſomni exhibere. Poſtea ad exſiccantia & adſtringentia venire, inter quæ potus ſecundarius radicis ſarſæ parillæ maximè commendatur, eiuſdémque puluis ad ʒ j. mane & ſero ſumptus cum pauco ſyrupo de limonibus vel conſeruâ roſarum. Alij parant electuaria, pulueres, ſyrupos, & alia multa pro ægri & temporis conſtitutione in vſum conſimilem. Vt

℞ Conſeruæ acetoſitatis citri, & conſeruæ roſarum antiq. an. ℥ j. ß. ſeminis nymphææ, papaueris albi, terræ ſigillatæ, granor. kermes, an. ʒ j. ſemin. agni caſti & caphur. an. ℈ ß. Cum ſyrupo myrtino fiat opiata, de quâ capiat ad quãtitatem caſtaneæ maioris mane & ſero. Cui addere potes, ſi ſuſpicio ſit impuri concubitus, raſuræ ligni ſancti tenuiſſimę ʒ ij. Non erunt etiã omittẽda externa, vt iniectiones ex lacte aut emulſione prædictâ, quãdo acrimonia & calor infeſta ſunt: ex detergẽtibus, vt decoct. hord. & mell. roſ. ſi ſordes multæ dominentur; ex adſtringentibus & roborantibus, vbi

iam sistere consilium erit, vt ex decocto vulnerario seu catapultarum dicto, cui incoxerint folia plantaginis & rosæ siccæ, cum radice symphyti maioris. Exterius inungantur renes & lumbi vnguento albo Galeni refrigerante, cerato santalino, & rosaceo, cum pauco aceto; gestent laminas plumbeas bene perforatas, & caphurâ, cum pauco oleo seminis hyoscyami illitas supra dictam regionem. Fiant etiam insessus seu fotus varij, prout temperandi vel roborandi & exsiccandi indicationes aderunt. Quibus si non tollatur affectus, tandem vtantur decocto sudorifico ex radice sarsæ parillæ, vel chynæ per viginti aut plures dies: & tunc temporis commodè nutriantur ex alimentis euchymis, ne corpus nimium contabescat. Atque hæc de fluore muliebri & gonorrhœâ sufficiant.

CAPVT V.

De melancholia, & furore Vterino.

CVM varij sint morbi & symptomata, quæ exoriri possunt à retentione seminis aut sanguinis menstrui: tamen præcipuè inter illa eluceſcunt duo mulieribus peculiaria, nempe furor vterinus, & suffocatio matricis, de quibus iam acturi sumus. Quod ad furorem itaque vterinum spectat, nihil aliud est quam error imaginatricis circa intensum coëundi appetitum, ob malam seminis in vtero retenti & illum inflammantis corruptelam.

Diximus esse errorem imaginatricis; quia in hoc affectu perpetuò aut saltem per interualla adest delirium, quod cum sæpius sine febre accidat, ad maniam aut melancholiam potius, quam ad phrenitidem refertur. Itaque si cum metu & tristitiâ, taciturnitate, ac quodam pudore illud fiat, ad melancholicum affectum: sin verò cum furore & impudicâ loquacitate, ad maniam accedit, quæ satyriasim antiquorum quodammodo repræsentat: nam priapismus in mulierculis fieri nequit; siquidem hoc delirium est aliàs mitius & tolerandum, aliàs ferinum & quasi tragicum: Vnde Plutarchus narrat quondam Milesias virgines hac rabie correptas, quam fortassis prodere non audebant, sese suspendisse. Perhibent quoque Lugdunenses sese in flumen cateruatim præcipitasse. Quod ipsemet Hippocrates innuit *libr. de morbis Virginum. Muliebre*, ait, *natura magis est abiecti & infirmi animi quam virilis, ac proinde virgines vbi iam matura sunt viro, nisi habeant effluxum conuenientes, materia illa pra multitudine restitit ad cor & diaphragma, vbi primum cor infatuatur, deinde delirium succedit, & pra compressione istâ strangulationes sibi parant, & mortem velut quoddam bonum exoptant.* Ex quibus verbis elicimus, quæ mulieres sint huic malo obnoxiæ potissimùm, nempe virgines alacriores, dum flos ætatis vigere incipit & menstrua fluere parata sunt, quæ aliquâ de causâ cohibentur: quibus addere possumus viduas iuniores castitatem seruantes, aut etiam nuptas (hinc cantilenæ illæ: (*pauro pichote voudrie esse morte*) steriles quibus propter impotentiam ignauioris aut ingrati coniugis non licet conuenienter vasa illa vterina deplere, & appetitum rei venereæ satiare. Quamuis autem Hippocrates significare videatur retentum sanguinem menstruum esse causam istius affectus, attamen non est cẽsendum solam sanguinis istius suppressionem istud efficere posse, sed concurrere tantum cum seminali materia retenta, cuius igniculi in vehementi illo coëundi appetitu eluceſcunt: cum illæ, quibus tantum menstrua retinentur, frigidiores & ad coitum potius torpidæ & ignauæ euadant: Imo istum furorem multis accidere, quæ ritè menstrua patiuntur, & ipsis fluentibus experientiâ compertum habemus. Istis tamen duobus coëuntibus simul, non est dubium quin vehementior euadat iste affectus, qualis erat is quem superius describebat Hippocrates.

Diximus itaque errorem contingere circa intensum coëundi appetitum, vt illum distingueremus ab omni aliâ dementiâ, quæ ipsis mulieribus contingere potest, videlicet quacunque maniâ, aut melancholia, quæ non habet fomitem suum, & originem ab vtero, & materiâ istâ retentâ: ob cuius corruptelam & effumationem non solum contingit vterum male affici, sed communicatis, vt in hypochondriacâ

solet,

ſolet,vaporibus tum cordi, tum cerebro,fit vt deliria exoriantur non circa quæcunque obiecta,ſed ipſius rei venereæ vſum, quod riſu immodico aliquando atteſtantur,aliàs pudore quodam ruſtico,& mœſtâ taciturnitate,aliquando impudenti & laſciuo ſermone,aut geſticulatione,vt dicebamus;prout earum natura & temperamentum magis ad hunc vel illum humorem inclinarit.Ita tamen vt in pleriſque acceſſiones habeat manifeſtas,dum ſcil. materia illa turget & exhalat ad partes nobiles,quibus ceſſantibus redeunt ad priſtinam mentem quaſi miraculo:In aliis fixo iam altius malo,& violatâ cerebri temperie perpetuum adſit delirium,vel ſaltem per integram anni tempeſtatem,vt ver vel autumnũ,quibus maximè ſolent iſti furores cõmoueri.

Diximus denique iſta contingere ob malam ſeminis retenti & vterum inflammãtis corruptelam.Quibus verbis tum partem affectam,tum cauſam affectus proximam & ipſius affectus naturam annotauimus. Pars quidem affecta primariò eſt ipſe vterus cum teſtibus & vaſis ſpermaticis illi annexis, in quibus ob copiam retenti ſeminis turgentis & inflammati, ac occultâ quadam qualitates præditi, excitatur φλόγωσις in illis partibus, & quædam putredo, per quam expirantes maligni quidam fumi cordis & cerebri arcem conſcendunt, eámque trahunt in ſympatheiam, tum contaminatis & conturbatis ſpiritibus vitalibus & animalibus, tum etiam eorum temperie mutatâ, fugaci quidem alteratione, ſi paroxyſmis tantum exacerbetur iſte affectus: firmiori autem & conſtante,vbi iam ex ſympathico idiopathicus redditur, mutatâ ſcilicet ipſius cerebri temperie. Obiiciet aliquis, forſaſſe multoties accidere inflammationes in vtero, tumores præter naturam, vlcera & putrilagines fœtidiſſimas, in quibus tamen non contingit iſte furor vterinus ob coitus deſiderium: Imo in ipsâ ſuffocatione vteri aliquando retentum menſtruum & ſemen, vt ſuo loco videbimus, corrumpi, quæ tamen non inferunt iſtum pruritum, & tentiginem cum delirio: imo potius inſignem ſtupiditatem & torporem cum ſenſuum omnium priuatione. Ad hoc reſpondemus, ſimplices inflammationes vteri aut tumores præter naturam, à ſanguine ſolo, vel cum aliis humoribus permixto, non ſufficere ad inducendum eiuſmodi delirium circa res venereas, quia deeſt proprius ille libidinis ſtimulus à quo iſta obiecta in imaginatione ſuſcitantur, vt videmus in ipſis viris ac mulieribus bene ſanis, in quibus dum magna copia turget ſeminalis materia, eiuſmodi phantaſiæ etiam per ſomnum obuerſantur. Illæ itaque ſanguinis putrefactiones & phlegmonæ poſſunt quidem febres inſignes ſymptomaticas parere, quæ in propoſito affectu perpetuò abſunt, poſſunt & intenſam phrenitidem inducere, quæ non habeat proprium circa iſtam rem veneream errorem, ſed circa quamcunque, vt in aliis febribus. Vlcera vero & reliquæ putrilagines, ſi eructent foras ſuam illam virulentiam, non mittunt iſtam effumationem ad ſuperiora quæ delira inducat: ſin verò retineatur, poſſunt quidem pruritus & moleſtias inſignes parere, ſed quæ ſint abſque coitus deſiderio. In vteri verò præfocatione, ſemen quidem & menſtruum aliquando corrumpuntur, ſed non incaleſcunt & feruent, imo potius refrigerantur: vnde quamuis ad cor & cerebrum vapores dimittant, contraria tamen omnino huic noſtro affectui ſymptomata inducunt, tum propter manifeſtam illam qualitatem, nempe frigiditatem; tum certum putredinis gradum & inexplicabilem proprietatem, quam agnoſcere cogimur, quidquid dicant noſtri Cenſores; ac proinde diſcrepantes ſunt omnino iſti affectus.

Ex ſupradictis facile eſt colligere, cauſas furoris iſtius & melancholiæ vterinæ ex parte rerum naturalium,non naturalium,& præter naturam: etenim temperamentum εὐσαρκὸν,ſanguineum & bene temperatum:vel exuſtum,vt in nigricantibus(*moriſques,brunes,&c.*)ætas florẽs & vegeta,qualis eſt præcipuè Virginum dum menſtrua habere incipiunt,quas ideo Ariſtot.7. *de gener. anim.*tunc valde cuſtodiendas præcipit: libidinoſa natura viduarum & mulierum ſterilium quamuis coitu vtantur, eſt valde diſpoſita,vt in hunc affectum incurrat.Ex parte verò rerum externarum,quæcunque ſemen multiplicare,feruefacere, corrumpere, aut retinere in vaſis ſpermaticis poſſunt, illæ huic furori generando auxiliarem operam conferunt. Vnde aër temperatus vel feruentior illi valde idoneus eſſe creditur: quod de Ægypto aſſerunt Strabo & Herodotus, à quibus monſtroſæ libidines illius regionis recenſentur: aliquando valde frigidus in eis quæ non ſunt illi aſſuetæ, quia retinet materiam & vaſa nimium coarctat: quemadmodum in rabie caninâ, quæ non ſolum ſub Syrio ardente,ſed etiam in ipsâ brumâ exaſperatur.Idem dicas de igne luculento, veſtibus ſericeis aut pelliceis, ſuffitu ambari, ciuetæ, moſchi, & ſimilibus,

cubili plumeo, & molliori, voluptatum omnium affluxu, choreis, blanditiis amasiorum, lectione scriptorum impudicorum, otio & somno longiore, animi quiete superfluâ, denique opiparâ mensâ ex cibo & potu delicatiore, necnon calidiore, vt variis condimentis, aromatis, vino generoso & Hippocratico instructa: hic enim illud poëticum vere dici potest, *sine Cerere & Baccho friget Venus*: quibus si accedat solitarum vacuationum imminutio aut imminentium retentio, coitus valde expetiti per longum tempus frustratio, cum mœrore aut zelotypia: fieri vix potest, quin in istum affectum incidant: primò quidem melancholicum, vbi maior est adhuc humorum temperies: deinde illis incensis & efferatis ob diuturniorem moram, in maniacum & furibundum. Quod multò facilius fiet, si causæ præter naturam & insolitæ accesserint, vt febres, inflammationes partium & obstructiones, potissimum vteri ac vasorum spermaticorum. Imò etiam assumpta quædam dicuntur istum affectum subitò excitare posse, vt vidimus in quibusdam, quæ vsæ fuerant vino Hippocratico, in quo bauracis naturalis parum dissolutum fuerat: aut tabellis illis rubris cum puluere cantharidum, ad ignauiam virorum corrigendam celebratis. Sunt etiam quæ dicuntur in eum incidisse post congressum cum viris, qui ad maiorem illis voluptatem conciliandam, oleis illis calidioribus cum moscho aut pyrethro mixtis virgam inunxerant. Atque hæc de causis.

Διάγνωσις autem istius affectus propter vehementiam symptomatis est manifestissima. In principio enim illius taciturniores quidem euadunt & mœstiores, sed cum oculorum iactatione & lasciuiâ, faciei rubore saturato, qui intenditur per interualla, potissimum verò factâ commemoratione rei ludicræ vel venereæ, ad quam respiratio & pulsus immutantur per sympatheiam cordis, ex quo Galenus gloriatur se cognouisse sæpius muliercularum istarum ἐρώσας, furibundos amores: quando scilicet in proprium quoddam obiectum feruntur, vt illa Iusti in Pyladem, Oenones in Paridem: Non quod sit aliquis pulsus amatorius propriè dictus, sed quod eiusmodi amantes, seu potius ex libidine amentes, facilè & quasi subitò varias mutationes suscipiunt in pulsu, & motu cordis, quando obiecta illa expetita illis offeruntur, vel etiam in memoriam reuocantur: modò enim irâ, gaudio, mœrore, & aliis animi pathematis corripiuntur, prout variè illa concipiunt: cutis etiam paulatim fit squallida, & aspera, habitus gracilior, lotium acre, vel adiposum, quando incipit σύνταξις partium vicinarum, deiectiones paucæ & aridæ. Quibus diutius perseuerantibus exacerbatur malum, rixantur præposterè, lachrymantur, & statim in risum effunduntur, obloquuntur multa confusè, & impudenter, ex quibus nihil certi colligas. Mox subitò resipiscunt, donec alter paroxysmus, inordinatè tamen & sine certa periodo redierit. Hoc furore percitæ mulieres non solum viros appetere, sed etiam publicè sectari audent: imo relictis affinibus, liberis & coniuge, in quæcunque loca comitari, vt de Medeâ, Ariadne, & similibus authores referunt, siue hoc animi, siue corporis morbo aut vtroque contigerit. Aliæ omnino dementatæ & furentes (*masele*) quibuscunque obuiis sese prostituunt, & rerum omnium aliarum obliuiscuntur, in hac solum titillatione occupatæ, nec vnquam resipiscentes, potissimùm vernâ aut autumnali tempestate, quibus tunc genitalia admodum tument, & pruriunt, vt continuo quasi scalptu & frictione istas partes exerceant. Quæ verò pars in illis primariò vel secundariò sit affecta: quis affectus vt intemperies vel obstructio illi originem dederit, ex ægrotantibus istis vix expiscari possis, vel amentibus aut dum sunt in ipso interuallo præ pudore reticentibus. Attamen illa poterit solers Medicus ex solitis signorum fontibus repetere: si enim simul retenta sint menstrua, aut conuenientes periodos non seruent, vel malâ qualitate sint prædita, maxima erit obstructionum suspicio in vasis matricis. Quod si ista ritè peragantur cum furore hoc vterino perseuerante, verisimile erit ex summâ acrimoniâ & feruore feminis in illo loco turgentis sibíque ipsi viam præpedientis potius pendere.

Non ergo negligendus hic affectus, vtpote fœdissimus, & familiis notam ignominiæ vel dedecoris inurens, cui si non maturè prospiciatur, vel ferina illa amentia succedit, vel etiam mors; aliquando ex causis internis, vt compressione nimiâ cordis & diaphragmatis: vel etiam violentis, vt quando se in puteos coniiciunt, vel suspendio afficiunt. Magna est tunc spes salutis, quando dilucida adsunt interualla, & rari vel breues paroxysmi: Aut certè quando corpus tabefactum instaurari incipit, & commemoratio rei venereæ aut coniugij coram illis facta non amplius

Digitized by Google

amplius eas ſtimulat, aut ſenſibiliter perturbat. Iam igitur de therapeiâ cogitemus.

Ad *θεραπείαν* primò cauſæ omnes externæ per rectam victus rationem conuenienter inſtituendæ. Aër frigidiuſculus comparetur arte, aut mutatione ſoli, lotiones in aquâ frigidâ ſæpe repetantur: moris enim eſt apud pleroſque eiuſmodi libidinoſas & impudicas mulieres ferreis incluſas caueis frequenter in fluuios immergere: vnde aliquando ſanantur & reſipiſcunt. Auertantur ab omni ſermone, lectione, & inſpectione rerum laſciuarum, ieiunio & orationi addictæ, eiſque potibus & cibis vtantur, qui maximè ardorem iſtum refrænare poſſunt, & lactucis crudis, portulacâ, melonibus, cucurbitis, pomis acidulis, aquâ gelidâ, pane furfuraceo, aut ſyncomiſto: qui etiam aptiſſimus eſt ad aluum commouendam. Imperetur illis vſus aceti, omphacij, limonum, arantiorum, granatorum, capparum, oliuarum & ſimilium exigui nutrimenti alimentorum, quæcunque refrigerare, leuiter incidere, & corruptelæ humorum reſiſtere poſſunt. Occupentur rebus domeſticis & laborioſis, ſi fieri poſſit, à quibus vix animum auertere poſſint: (*otia ſi tollas, periere Cupidinis arcus.*) Imo etiam aliquando ab amicis & parentibus, ſi nimium delipiant, non ſolum grauioribus increpationibus & verbis, ſed etiam verberibus excipiantur, ac ignominiâ aliquâ afficiantur, propter quam reſipuiſſe Mileſias illas virgines ſcribit Plutarchus. Procurentur omnes vacuationes ſolitæ & artificioſæ, de quibus poſtea agemus. Quod ad ſomni vſum ſpectat, dum adhuc ſanæ mentis ſunt, & tantum per interualla corripiuntur, indulgeant illi modicè, ſed magis vigilent ad diſſipationem vaporum illorum, qui intus per ſomnum concluduntur: Vbi verò amentes factæ ſunt, nihil eſt melius quam illis omni operâ diuturnum conciliare ſomnum, ex quo mens quietior redditur, & præpoſteri illi humorum motus temperantur. Quibus omnibus ſi non poſſis carnem illarum macerare, vel certè in principio metus ſit ne in peiorem aliquam infamiam labantur, maturè proſpiciendum & antequam affectus ingraueſcat, vt viro, eique valido iungantur, quia ſatiato ſic vtero, & effusâ materiâ, quæ in vaſis continebatur, ſæpe eas ſanari contingit. Si hoc etiam non proſit, ad ſequentia remedia confugiendum.

Indicationes itaque erunt primùm à cauſis antecedentibus humoralibus, vtpote ſi adſit plethora ob temperamentum ſanguineum, vacuetur inſigniter per phlebotomiam, ex cubito aliquoties repetitam, ſi quidem neceſſarium videatur; quæ etiam reuellet ab inferioribus partibus. Sin vero ob menſium ſuppreſſionem redundet ſanguis, tundantur etiam venæ malleoli, vt curſus ille naturalis humorum concitetur: vel etiam hæmorrhoides aperiantur admotis ſanguiſugis, ſi quidem fæculenti ſanguinis motus eò vergere videatur, ex tumore & rubore illarum venarum ſedis. Ratione cacochymiæ verò ſeu impuritatis, quæ hic vt plurimùm melancholica & atrabilaria eſſe ſolet, præſcribantur vacuantia, præparantia, & alterantia totum corpus & humores. Purgentur igitur in principio benignioribus, vt ſyrupo de fumariâ cum decocto foliorum ſenæ & polypodij querni frequenter repetito: bolo ex catholicone & diaſenâ, vel paucâ confectione Hamec. In progreſſu autem iam præparato humore & corpore, laxatiſque viis victu & balneo tepente, audacius erit agendum, vt contumax ille humor potenter deturbetur, ad quod præſtandum nihil eſt præſtantius helleboriſmo: nempe potione ex helleboro nigro paratâ, cuius conficiendi ratio, & doſis varia eſſe debet pro naturâ ægrotantis & ægritudinis. Item puluis lapidis lazuli ad ℈. x. vel xij. cum pauca conſeruâ violarum hîc magnum ſæpe auxilium attulit: necnon antimonij præparati ℈. v. vel vj. in aquâ cordiali infuſa cum pulueribus diambræ & diamargariti frigidi. Interea præparari & alterari debent non ſolum balneo tepente & domeſtico, vel in flumine ſi æſtas viguerit; ſed etiam decoctis vel julepis refrigerantibus & modicè aperientibus, inter quæ ſyrupus ex ſucco pomorum & borraginis, cum paucâ aquâ graminis confectus maximè commendatur, aquâ fontanâ vel nymphææ diſſolutus, cuius ʒ viij. capiat mane & ſero. Serum lactis caprini bene depuratum & refrigeratum ſub dio, in quo maduerint folia cichorei & fumariæ, vel ſucci diſſoluti fuerint, per viginti dies mane & horâ ſecundâ pomeridianâ ad ℔ j. vſurpatum maximè conducit. Denique ea omnia, quæ ad melancholicos & maniacos præſcribi ſolent, illis conuenient, quibus ſi parum caphuræ addideris, habetur præſtantiſſima antidotus ad iſtum morbum debellandum; geſtata etiam manibus, aut lumbis admota per ſe, vel facto ex eâ litu

laminæ plumbeæ cum aquâ nenupharis. Quando autem vires diuturnitate morbi erunt deiectæ,tunc parum confectionis alkermes cum conſeruâ borraginis, aut julepo Alexandrino concedere poteris, ad roborandum. Vbi igitur cauſarum antecedentium humoralium & totius corporis rationem habueris, non erunt etiam negligenda cerebrum & cor, per ſympatheiam grauiter affecta, ob fumos & vapores ſurſum elatos, qui idcirco frictionibus aſperis, & ligaturis erunt reuellendi ad inferiora, cuc urbitulis ſupra coxas & inguina, necnon clyſteribus & ſuppoſitoriis, ſi ea velint admittere, nullo tamen modo calfacientibus, ne exaſperent magis & commoueant iſtam materiam. Deinde erunt roboranda & temperanda cor epithematis, cerebrum lotionibus, & embrochis conuenientibus, ſemper addendo modicum caphuræ. Quibus ita celebratis conuertendus erit animus ad ipſam cauſam coniunctam, nempe concluſum, & putrefactum ſemen, ipſumque vterum & vaſa ſpermatica nimio calore affecta. Ad eiuſmodi ſemen educendum, niſi vti poſſint propter vitæ conditionem virili congreſſu, fiant à peritâ obſtetrice frictiones & contrectationes partium illarum genitalium,à quibus ſæpe excernere conſueuerunt magnam ſeminis iſtius putrefacti copiam. Peſſaria ad eumdem vſum erunt accommoda ex mercuriali contusâ cum paucâ myrrhâ,aut puluere ariſtolochiæ: alij conficiunt ex fermento cum pauco puluere colocynthidos & oleo ſambucino; vel agnus caſtus apponatur: rutæ folia quoque & allium tritum cum oleo de ſpicâ immiſſum laudantur: quibus vtantur dum ſunt in balneo tepente filo alligata,vt retrahi poſſint. Poſtquam ibi manſerint per ſpatium horæ vnius vel dimidiæ, fiat iniectio in ipſum vterum calfactum ex ſero lactis, decocto hordei cum pauco ſucco ſemperuiui vel cicutæ quam commendant: vel ſi nolint iſtas iniectiones admittere, inungantur ſedulò renes, lumbi & perinæum vnguento roſaceo, vel albo refrigerante,ſucco ſolani, hyoſcyami vel aqua nymphææ diſſoluto,cum modico caphuræ. Tandem ſi perſeueret affectus, applicentur fontanellæ cruribus, quibus nihil eſt præſtantius in eiuſmodi melancholicis affectibus; & ſi inſignes lienis obſtructiones vel tumor ſuperuenerit, illi diligenter erit medendum, tanquam fautori iſtius affectus. Aliquando enim illius regioni ſeronem admouiſſe non inutiliter,fuit obſeruatum. Atque hæc de vterino furore ſufficiant;nunc de illius ſuffocatione agamus.

CAPVT VI.

De ſuffocatione Matricis.

GRAVISSIMVM & valde frequens ſymptoma explicandum aggredimur, quod vulgo ſuffocationem matricis appellant: Græci ὑστερικὴν πνίγα, vuluæ, ſeu mulierum ab vtero, vt loquitur Plinius, ſtrangulatum: vnde etiam mulieres illi obnoxiæ ſimpliciter ὑστερικαὶ vocantur. Eſt autem hic affectus, læſa reſpiratio ob perfrigerationem totius corporis & vteri à materiâ quadam ſeu vapore maligno in illius ſinu aut vaſis contento: deinde ad cor atque cerebrum per interualla delato. Definimus per reſpirationem læſam,nempe ablatam vel imminutam, tanquam per præcipuum & magis inſigne ſymptoma, quod in iſto affectu apparet. Quemadmodum Galenus *comment. in Aphoriſm. 42. ſectionis ſecundæ*, apoplexiæ differentias, quamuis ſit affectus cerebri, rimatur à varietate reſpirationis quæ in illâ conſpicitur. In hoc enim ſtrangulatu vteri tanta aliquando adeſt huius functionis ad vitam neceſſariæ priuatio, vt multæ (inquit Galenus *lib.6. de locis affect. cap.5.*) pro mortuis elatæ ſint;quod etiam confirmatur ex variis authorum hiſtoriis: & Heraclides Ponticus libellũ ſcripſit περὶ ἄπνοιας.Cum enim tres ſint reſpirationis,vt & pulſus,cauſæ continẽtes ſiue proximæ,ſcilicet inſtrumentorũ propriorum diſpoſitio,facultatis robur,& vſus:hic non ſolum cauſarũ vna, ſed fere omnes lædi videntur,propter quod tanta in illis accidit mutatio:nam cum totũ corpus & vterus inſigniter refrigerentur,cũ vapore illo tetro & algido afficiantur cordis ſpiritus,certè finalis cauſa ſeu vſus perire videtur,propter quẽ reſpiratio exercetur,quia vehementer refrigerato corde,non videtur amplius neceſſaria aëris attractio,quæ fit ad caloris contemperationem;neque expiratio fuliginoſarum exhalationum,quæ vi caloris eleuantur.

Infringitur

Infringitur etiam facultatis robur, quod positum omnino est in gradu naturali siue propria temperie calidi illius innati, à quo omnes functiones exercentur. Instrumentorum etiam propriorum dispositio immutatur, quia male affecto cerebro non influit amplius commodè spiritus animalis in neruos & musculos, quibus thorax comprimi & dilatari solet. Frustra igitur quærunt, vtrum vita sine cordis motu & respiratione subsistere possit, per solam transpirationem conseruato calore natiuo qui in partibus supereſt, cum illud quotidianâ experientiâ constet, non solum istarum muliercularum, sed etiam animantium aliorum, vt serpentum, vrsorum & similium, quæ per duos aut tres menses integros velut demortua, & semisopita delitescunt in antris quibusdam subterraneis, plantarum vitam tunc tantum agentia. Vnde etiam tres differentias seu gradus istius hysthericæ suffocationis statuunt: Primum quidem, quando sine sensu & motu iacent, cum obscuro aut paruo pulsu, sed cum nullâ sensibili respiratione: Secundum, quando sentiunt quidem, & integrâ functione, sed ægrè mouentur, & difficile spirant: Tertium, in quo præter difficilem spirationem & strangulatum illum in faucibus, quo valde anguntur, etiam conuulsionibus, & membrorum contractionibus vexantur. Prima differentia accedit magis ad syncopem vel apoplexiam, à quibus non facile discernitur. Secunda ad catochen vel paralysin. Tertia ad epilepsiam & conuulsiuos motus, in quâ maiorem noxam cerebro inferri credibile est.

Bene igitur diximus, istud symptoma accidere ob perfrigerationem totius corporis & vteri, quia illa refrigeratio tollit vsum inspirandi & facultatem debilitat. Est autem illa perfrigeratio qualitas mutata, fugax scilicet & mobilis intemperies, quæ dissipatâ suâ causâ tollitur statim, quia pendet à vapore delato in præcipua illa membra, & fontes caloris influentis: quemadmodum videmus fieri in principio accessionum febrilium, aut instante crisi per sudores. Et hæc rursum patibilis qualitas pendet ab alio symptomate, nempe exeunte mutato, seu retentione alicuius materiæ conclusæ in vasis vteri, aut illius cauo, vbi propter multitudinem aut obstructionem computrescens, & corrupta degenerat in frigidiorem quamdam constitutionem: quemadmodum videmus lac & vinum, imo & grumos sanguinis putrescentis acescere & refrigerari, nec non deleteriam quamdam qualitatem acquirere, propter quam ita infesta euadit cordi & præcipuis partibus, quando agitatur & euaporat ad superiora. Dicet aliquis, si frigidior euadit ista materia, quomodo exhalat & in vapores conuertitur? Respondeo, semper remanere aliquas partes tenuiores, quæ facile vel à calore putredinoso, aut certè à natiuo versante & agitante humores corporis, exaltantur. Quemadmodum videmus hydrargyrum calore externo attenuatum copiosam suppeditare exhalationem.

Porro istius vaporis minera continetur in vasis vteri, quæ multiplicia sunt, vt venæ, arteriæ, & spermatis conceptacula; aut in eius cauo. Vnde apparet non vnicam esse, sed multiplicem, nempe sanguinem illum menstruum, qui dum supprimitur ex toto vel ex parte, ibique diutius retinetur præter naturam, malas illas qualitates acquirit: Item semen illud muliebre, quod cum sit naturæ frigidioris humidiorisque quam virorum, ibidem coaceruatum & concluſum, si à naturæ suæ integritate deceſſerit, pessimam induit corruptionem, ex quâ deinceps istud symptoma exurgit. A menstruo enim & semine retento illud contingere frequenter, inde apparet, quod fœminæ illæ, quibus ista non rite fluunt, vt plurimum incidunt in istos affectus vterinos: deinde quod illis vacuatis & excluſis, ita sanitati restituuntur, vt nulla deinceps morbi vestigia supersint. Attamen non fieri tantum à semine & sanguine corrupto, sed etiam à quacunque aliâ materiâ in vteri cauitate retenta & corrupta, illud ostendit, quod hic affectus multas vetulas exerceat, quibus neque sanguis, nec seminis vlla adest superfluitas, quæ possit istas obstructiones vasorum parere: tum etiam quod multæ coitu vtentes sufficienter, & menstrua singulis periodis patientes, tamen ob illuuiem vlceris aut materiæ cuiusuis fœtentis in vtero contentæ incurrant hanc strangulationem: quamuis non tam grauem, quam eam quæ fit à semine & menstruo, tum quia non faciunt illam obstructionem & distentionem in vasis, tum etiam, quia facilius elabuntur & profluunt ex vteri cauitate, quam ab illis. Obiiciet aliquis, si deleterius sit ille vapor, & venenatus, non tantum frigidus qui ab istâ materiâ eleuatur, oportet in nobis venena generari à calore nostro natiuo, ex materiâ alimentariâ, verbi gratia sanguine, in partibus siue locis physicis conseruationi, non corruptioni dicatis. Ad illud respon

respondemus primò, non sufficere vaporem istum esse tantum frigidum, quia à solo frigido non tam cito, neque tam grauis, neque tam determinatè in partes nobiles noxa inferretur, potissimùm cum exiguæ sit quantitatis illud quod ex istis locis exhalare potest: Ac proinde debere esse venenatæ qualitatis participem, vt istos effectus producat, quod Galenus admittit *libro tertio de locis affectis, capite decimo octauo*, agens de epilepsiâ, & *6. de locis affectis, cap.* 5. dum agit de hysterică hac passione, comparans istam causam torpedinis contactui, morsui phalangij, vel ictui scorpionis, qui cum exiguum quid expirent per illa vulnera in nostrum corpus, pauco tamen tempore, illud ita afficiunt, vt non solum gelu & quasi grandine perfusum videatur, sed etiam in syncopes & alia grauissima symptomata incidat. Illud autem venenum interius fieri non tam ratione caloris natiui, quam putredinosi & alieni inducti in istam materiam ab externis causis, vel vaporibus alienis conclusis, illique permixtis, propter malam dispositionem, tum locorum obstructione laborantium, tum etiam materiæ, quæ ob vitium alimentorum, aut etiam intemperies partium coctioni dicatarum valde cacochyma & aliena euasit à naturali temperie: Quod exemplo atræ bilis illustrare licet, quæ ad tantum venenositatis gradum accedit, vt toto genere nobis infensa existat.

Rursum dici potest, si per vaporem hic affectus excitetur ab vtero eleuatum, augeretur potius quam minueretur pulsus & respiratio: item cor ipsum palpitaret, quia ad exclusionem illorum, vt patet in aliis morbis, oporteret magis agitari istas partes. Respondemus primo, vaporem istum esse pauçum, ac proinde non esse opus grandiori expiratione vel systole, vt excludatur: deinde refrigerare ac intercipere commeatum spiritus animalis in neruos, propter quem cessat motus ille thoracis. Ac proinde quamuis in principio celer & frequens esse possit aliquando pulsus & concitata respiratio cum cordis tremore, attamen dum vapor iste iam partes istas vehementius occupauit, cessare ista omnia quasi congelatis spiritibus, & succedere mirabilem illam ἀπνοιαν.

Redeamus iam ad nostram definitionem, in qua dicebamus, vaporem istum venenatum vteri vasa, deinde totum corpus male & præter naturam afficere: vbi posita est celebris valde & magna quæstio, de naturâ seu propriâ specie istius affectus, à quâ nimirum pendeant prædicta omnia symptomata. Quidam enim existimant esse distentionem vasorum & quasi conuulsionem à repletione in vteri vasis: alij cum Hippocrate etiam inanitionem accusant. Quidam existimant à solo motu & situ præpostero, ascensu scilicet vteri pendere: Alij denique solum vaporem eleuatum ex malâ istâ intemperie vteri sufficere ad illa omnia producenda: vt fere nihil certi de naturâ istius affectus reperiamus apud authores nostros. Nos igitur rem ipsam accuratius contemplantes, dicimus primò, istum affectum fugacem, & qui per paroxysmos obrepit, non posse pendere à conuulsione factâ ipsius vteri aut vasorum, quæ repletionem aut inanitionem veram sequitur. Cum enim eiusmodi distentiones aut exsiccationes partibus accidunt, continuo affligunt, & non nisi longo temporis tractu, summoque cum periculo tolluntur: at noster hic affectus, vt diximus, desinit & recurrit frequenter, ac rarò enecat istas ægras, sed aliquando vsque ad vitæ diuturnioris exitum concitatur. Neque etiam existimamus, hunc affectum pendere à solo motu aut malo vteri situ: neque enim animal esse particulare putamus in mulierculis vterum, cum Platone & Aretæo, qui lumbrici instar hinc inde versus hepar, diaphragma, aut cor deerrare possit, alimentum sibi familiare quærens, & ista membra coarctans, & quasi suffocans: ipsa enim Anatome satis docet, vterum propriâ membranâ obuoluente à peritonæo & ligamentis fortiter contineri in sua sede, de quâ non potest excedere, nisi illis solutis aut disruptis: ac proinde non possit ita discurrere per ventrem inferiorem, vt illi voluerunt: quia tunc præcipitaretur etiam ad ĩferiora, vt fit in illius procidentiâ. Quamuis enim recurrere aliquando versus pudenda suscipiendi feminis virilis causâ, quamuis malis odoribus affici, iucundis delectari: quamuis alimentum conueniens appetere videatur: non tamen inde sequitur esse animal in animali, non magis quam cerebrum, cor, aut ventriculum, quæ manifestè moueri & concuti apparet suis fibris naturalibus, & ratione sensus illius naturalis omnibus partibus insiti sibi conueniens prolectare, à contrariis verò affici & agitari. Denique non existimamus etiam solam intemperiem semper sufficere ad hunc affectum producendum. Quamuis enim præcipua sit causa efficiens malum illum humorem & vaporem, à quo per corpus eleuato, talia subsequuntur symptomáta: attamen certum est in

plerisque

Digitized by Google

pletiſque iſtis fœminis hyſtericâ paſſione detentis,manifeſtum vteri motum & agitationem ſentiri circa principium paroxyſmi,à quo maxime torquentur,& cui compeſcendo multæ ſolent implorare adſtantium manus ad illum comprimendum, vel etiam latiſſima quadam faſciâ ſibi conſtringere hypochondria, vt vterus in ſuâ ſede contineatur firmiter.Ac proinde exiſtimamus in hyſtericâ paſſione idem fere quod in epilepſiâ contingere, nempe conuulſiuum motum ex causâ non proportionatâ; & agitationem inſignem vteri propter eiuſmodi materiam laceſſentem & irritantẽ vim expultricis facultatis , quæ contractis violenter , & dilatatis omnibus fibris concutitur ſummo labore , vt excutiat infenſum iſtum humorem , qui motu illo eleuatus , & quaſi depulſus verſus alias partes horrenda ſymptomata infert , donec diſcuſſus & reſolutus fuerit , quemadmodum contingit in epilepſia. Quod ſi tanta ſit illius aliquando ferocitas,vt natura eum quaſi exhorreſcens,non audeat aſſurgere cum iſto motu ad illum excludendum , tunc exoriuntur peſſimæ ſtrangulationes ſine vllo ſenſibili motu ipſius , aut alterius partis. Ad hunc autem conuulſiuum motum ſequitur frequenter agitatio etiam ipſius ventriculi cum vomitu aut nauſeâ , diaphragmatis concuſſio ad quam reſpiratio læditur , cerebri compaſſio : vnde in illis frequentes diſtortiones membrorum obſeruantur. Atque ideo concludimus in hoc affectu adeſſe intemperiem vt plurimùm malignam cum frigiditate (quo nomine diſtinguitur ab vterino furore) quæ magnæ humoris quantitati aliquando coniungitur,vt in retentis menſtruis aut ſemine : aliàs paucæ admodum, quæ etiam per inanitiones & exſiccationes illius, vt poſt puerperia, & magnam ſanguinis profuſionem irritatur & ferocior redditur:vnde irritatio & vellicario quaſi per paroxyſmos in vtero recurrit , ad quam commotus & quaſi conuulſus reliquas partes, præcipuè cor & cerebrum,trahit in ſympathiam,tum etiam communicatione materiæ illius ſeu vaporis, qui ab illo excluditur & ſurſum amandatur.

Verum ſubeſt hic ſcrupulus.Si enim à retento ſemine & menſtruo iſta exoriuntur præcipuè ſymptomata,vt dictum fuit;quî fit quod in viris ſanguineis,v.g.quibus hæmorrhoides non fluunt, aut qui nullâ vtuntur Venere,non eadem obſeruentur? Reſpondemus,in viris non omnino ſimilia apparere poſſe ſymptomata, tum quod diſcrepat qualitas ſeminis virilis & ſanguinis à muliebri , frigidiore ſcilicet & humidiore : tum etiam quod vteri & vaſorum illorum alia eſt proprietas ad corrumpendam eiuſmodi materiam , quam in membris virorum generationi dicatorum : Adde quod mares animi & corporis robore præditi,ſtudiis,exercitationibus & labore maiorem iſtorum vaporum partem diſcutere poſſunt : aut certè vbi ſuperabundat ſemen , confricatione leui facilius excutere , quam mulieres,vt de Diogene Cynico narrat Galenus. Attamen non omnino diſſimilia aliquando in viris obſeruari accidentia , quibus hæmorrhoidum fluxui aſſuetis aut prolificæ Veneri,iſta ſupprimantur , quod Galenus hiſtoriis quibuſdam confirmauit *lib.6. de locis affectis, capite* 5.& nos multos nouimus, qui præter morem intermiſſo coitu, in melancholiam aut grauiſſima cibi faſtidia , nauſeas ac lipothymias inciderant : ſed hoc rarius quam in mulierculis propter dictas rationes.

Cum igitur immediatæ huius affectus cauſæ humorales poſitæ ſint ſemen , ſanguis menſtruus,& virulenta quæcunque materia in vtero aut vaſis contenta,ex quibus oritur intemperies illa maligna cum frigiditate , & vapor deleterius tum vteri vim expultricem per paroxyſmos irritans , tum reliqua corporis membra impetens , præcipuè cor & cerebrum , cum quibus magnam vterus habet *συμπάθειαν*. Iam videamus , quæ aliæ cauſæ , tam internæ quam externæ,concurrere poſſint ad iſtas propinquas & immediatas generandas vel concitandas,ad affectum iſtum producendum , ex numero rerum naturalium , non naturalium & præter naturam. Quod ad res ergo naturales ſpectat , certum eſt temperamenta illa ſanguinea & bene habita,quibus Veneris vſus interdicitur,vel mẽſtruæ purgationes quacumque occaſione retinentur:Item valde cacochyma,quando non habent ſuas ſolitas *κοπρώσεις* , valde diſpoſita eſſe ad morbum iſtum. Item ratione ætatis virgines viro iam maturas , ſi igniculos amoris ſemel concipiant , & diutius illis torqueantur , ita vt palleſcant & *κλωρίασις* illâ commemoratâ tandem corripiantur , facilè in illum incidere , quod de viduis etiam caſtitatem ſeruantibus , & adhuc florentibus ætate, atque de ſterilibus aut imbelli viro coniunctis,intelligendũ eſt. Vetulæ verò multæ ob cacochymiã inſignem ſæpe illo corripiũtur,potiſſimũ quæ fluore muliebri diu detentæ,nõ amplius purgantur vitioſis iſtis humoribus,ſed intus cõcluduntur.Exiſtimauit etiam Hippocr. *lib.citato*, prægnantibus aliquando iſtum ſtrangulatum accidere,

quod de valde cacochymis etiam audiendum, quibus peſſimi iſti ſucci impræguationis tempore retinentur : Puerperis autem ſæpe contingit, vel quando lochia non rite expurgantur, quod ſæpe fit; vel aliquando ob immodicam ſanguinis vacuationem ex laborioſo partu vel aborſu : quando ſcilicet praui humores poſt optimi vacuationem, dominantur & inſoleſcunt.

Quod ſpectat autem ad cauſas externas & procatarcticas, quomodo concurrant ad iſtius affectus productionem, ſcribunt Paulus & Auicenna, iſtas ſuffocationes hyſtericas fieri potiſſimum autumno & hyeme : Autumno quidem, propter ſummam inæqualitatem frigoris & caloris, quâ perculſæ mulieres iſtæ infirmiores, & variè agitata interiore illâ cacochymiâ, incurrunt hoc ſymptoma : Hyeme autem, propter frigoris vim impedientis, ne vapores iſti ad exteriora exhalent, & vteri temperiem oppugnantis; vt reliquarum partium neruoſarum, quibus inimicum frigus dixit Hippocrates. Regiones etiam illæ dicuntur hoc affectu feraciſſimæ, quæcunque repentinas illas aëris mutationes patiuntur, vt hæc noſtra Occitanica. Sub aëris etiam cenſum reuocare poſſumus odores, qui inſtar aërei corporis communicantur, & à quibus mirificè vterus afficitur. Quæcunque hyſtericæ paſſioni valde ſunt obnoxiæ ita exhorreſcunt odorum illorum ſuauiſſimorum, potiſſimum moſchi, zibeti, benzoini, ſtyracis & ambari appulſum, vt quam primum illos naribus perceperint, in affectum prolabantur : cum tamen iſta εὐώδεα ſuppoſita aut in vuluam indita, ſint vera iſtius ſtrangulatus φαρμακεῖα, quæ contrario modo epilepticis contingunt. Contra verò ab olfactis, & aſſumptis ingratiſſimis odoribus, vt aſſæ fœtidæ, bituminis, gagatis, ſulphuris, caſtorei, galbani, & ſimilium mirificè recreentur, imo à paroxyſmo ſuſcitentur : quæ contrario modo accidunt, ſi vuluæ admoueantur iſta δυσώδεα : quod multos induxit, vt crederent vterum olfactus ſenſu verè eſſe præditum, cum odoribus ita diſtincte commoueatur : aut à dæmone obſideri, cum illi ſpiritus dæmoniaci grauiter etiam ferre dicantur tetros odores. Quid hac de re ſtatuendum ſit, non ſine difficultate inueniri poteſt. Attamen, vt quæ probabiliora ſunt conſectemur, dicimus admittendas eſſe in rerum naturâ antipathias & ſympathias mirabiles, propter quas naturali quodam inſtinctu iſta gaudent quibuſdam, alia autem auerſantur quædam peculiariter. Ac proinde exiſtimamus vapores iſtos à rebus ſuauiter olentibus eleuatos, præcipuè zibeto, ambaro & moſcho ſolis vel permixtis (non enim ita afficitur ab odore roſarum, cinnamomi, garyophyll. & ſimilium aromatum) percipi ab vtero non ſub ſpecie odoris, qui eſt proprium olfactus obiectum; ſed grati & benigni vaporis, quo maximè recreatur & reficitur, quemadmodum ſpiritus corporis noſtri, & reliquæ partes neruoſæ, quamuis non ita inſigniter. Vbi igitur iſta bene olentia pudendis admouentur, tunc quaſi ſatiatus & recreatus conquieſcit vterus : ſin verò naribus & cerebro prius offerantur, deliderio eorum naturali primùm commouetur, deinde ſi æger ſit, vt in iſtis hyſtericis, commoto maligno humore conuellitur, & excutitur peſſima illa aura ſuffocationis hyſtericæ parens. Contra verò à male olentibus infra admotis, cum quibus illi eſt diſſidium, irritatur, vt aliquando ventriculus ad vomendum : ſin vero per os aſſumantur, naribus vel vmbilico applicentur, conquieſcit & quaſi refugit naturali antipatheiâ in propriam ſedem. Adde quod iſta fœdè ſpirantia non ſimpliciter male olentia ſunt, ſed caliditate & ſiccitate inſigni prædita, qua facilè diſcutiunt vapores illos qui ex vtero effumant, & hyſtericum ſtrangulatum inferunt. Alia enim male olentia, quæ caliditatem humiditati excedenti & putredinoſæ iunctam habent, vt ſtercora humana, carnes putridæ, & cadauera, illud non præſtant, ſed potius affectum iſtum augent. Vnde poſſumus concludere, iſta bene olentia, tum occulta quadam ſympathiâ vtero amica eſſe, tum manifeſtâ qualitate, quâ reliquas partes neruoſas, & ſpiritus omnes recreant : graueolentia item naturali ἀντιπαθείᾳ, vt & ſpiritibus aduerſari, qualitatibus vero ſuis diſcutere & diſſipare materiam illam & fumos qui inde eleuantur, vnde acceſſionis irritatio, & ceſſatio contingit. Iam alias cauſas percurramus.

Quicunque cibi & potus dicti ſunt à nobis ſupprimendis menſibus eſſe idonei, obſtructionibus & cruditatibus multiplicandis, aut ſemini augendo: illi etiam concurrere poſſunt ad iſtius affectus hyſterici generationem: inter quæ dulcia potentiſſimè illud efficere ſolent quaſi eorum ſuauitate ſtatim commoto vtero, quemadmodum dicebamus de odoribus. Eodem modo quæ agitare poſſunt, aut corrumpere iſtam materiam, illique incrementũ præſtare, ſomnus immodicus & otium, vigiliæ &

exercitatio

exercitationes immoderatæ:excreta omnia & retenta præter naturã:animi pathemata vehementiora,vel congerere malignum in vtero humorem,vel eumdem concitare ſolent ad paroxyſmum. Audito enim vel accepto malo aliquo nuntio multas ſtatim in ſtrangulatum iſtum incidere notum eſt:& quaſdam nouimus,quibus ſi per integram ſeptimanam ceſſaret conſuetus vomitus,vel non purgarentur per alui fluxum, grauiſſimè conflictabantur. His adde obſtructiones quaſdam vel intemperies partium relictas poſt alios morbos,vt febres quartanas & diuturnas, inſignes cerebri catarrhos,epilepticam diſpoſitionem,melancholiæ hypochondriacæ dominatum & ſimilia,à quibus vel producitur iſte affectus, vel eis complicatus maximè efferatur: Atque hæc de cauſis.

Signa autem iſtius affectus, cauſarum & partis affectæ ita ſunt perluſtranda, vt primò per certa τεκμήρια illum diſtinguere poſſimus ab aliis cum quibus magnam habet ſimilitudinem,putà ſyncope,apoplexia & comitiali morbo. Quod ad ſyncopen ergo ſpectat,in ea non ſolum reſpiratio,ſed etiam pulſus omnino amittitur,qui in iſtâ ſuffocatione remanet,quamuis paruus,donec iam ad extremum periculum deuenerint:deinde ſyncope præceps eſt magis lapſus omniũ virium, hîc verò maior datur ſignificatio futuræ acceſſionis:& in ipsâ acceſſione non eſt tantus pallor,quantus in ſyncope apparet,neque apparet ſudor ille diaphoreticus,qui ſyncope affectas occupare ſolet.Quamuis non ſit negãdum,quin interdum iſta ſuffocatio complicetur cũ ſyncope vel lipothymiâ, quando potiſſimùm corde ſunt & animo languidiore, aut certè iam valde debilitatis viribus ob diuturnitatem affectus.Differt autem ab apoplexiâ, quod partes non ita reſolutas habeant, neque ſenſum omnino amiſerunt vt apoplecticiſed cum pili extrahuntur,vel punguntur,indicant manu ſibi fauces præcludi:deinde non habent illum ſtertorẽ,& reſpirandi reciprocationem,quæ in apoplecticis ſemper viſitur plus minus, & ſæpius poſt acceſſionem meminerunt eorum quæ dicta & facta fuerunt, quamuis ipſæ loqui non poſſent;quod non fit in apoplexiâ,vel epilepſiâ:à quâ etiam in hoc diſtinguitur,quod conuulſiui motus,qui aliquãdo coniunguntur vterinæ paſſioni, non ſunt ita vniuerſales vt epileptici,ſed hoc vel illud membrum ſeorſim tantũ diſtorquent & ſine vehementi agitatione.Adde quod dum ſoluitur hyſterica paſſio,nulla apparet ſpuma circa os, vt in epilepſiâ; ſed velut dormientes excitantur, cum murmure inferioris ventris, quaſi vtero quieſcente,& in ſuam ſedem reſtituto, & aliquando effluente magna humiditatis copiâ per vuluam, potiſſimum ſi diutius contrectentur partes genitales. Iam igitur ſupereſt, vt propria ſigna enarremus, quibus affectus, & ſedes affecta, ac illius cauſa peculiaris innoteſcat.

Imminentis itaque iſtius affectus ſeu paroxyſmi,cui maturè occurrẽdum eſt, quaſi πρόδρομοι præcurſores ſunt: murmur abdominis cum ructu frequenti,laſſitudines vel confractiones membrorum,oſcitationes,pandiculationes ex flatu illo & vapore qui iam eleuatur,nauſea quædam,triſtis aſpectus & quaſi horror quo afficiuntur ob conſentientes iam alias partes, & ſenſus quidam ſtrangulationis, quaſi à grandiori bolo deuorato,quem percipere in faucibus incipiunt. Vbi ingraueſcit, tunc diſtorqueri incipiunt aliquot membra,vel ſubitò ἀφωνίᾳ correptæ deinceps nihil ſenſibiliter reſpirant,& pulſus admodum languidus exiſtit,clauſiſque aliquando permanent oculis donec reſtituantur:In aliis vterus ſenſibiliter agitatur, & quaſi conglobatur, vel ceruix eius ab obſtetrice tangente quaſi retracta ſentitur.Quæ verò pars huic affectui præcipuam originem dederit,per ſingulas diſcurrendo inueniendum erit.Nam ſi præter vteri querelas quæ hic frequentiſſimæ eſſe ſolent, adſint notæ iecoris,ventriculi,lienis,cerebri aut ſimilium male affectarum,quæ præceſſerint generationem iſtius hyſtericæ paſſionis, ac deinceps cum illis ſæuientibus ingraueſcat, aut deſinentibus miteſcat,magna erit tunc coniectura primariam ab illis iſtius affectus cauſam repetendam eſſe.Certè per hyſtericas iſtas paſſiones valde notum fit, quæ partes in corpore ægrotantis ſint imbecilliores. Nam ſi ventriculus v.g. infirmitatẽ laboret,perpetuis ructibus,aut circa vmbilicum rugitibus,frequenti nauſeâ,perpetuo ciborum faſtidio, aut deprauatâ appetentiâ torquentur. Si cor ſit imbecillum, illas exercet palpitatio, & tremor illius cum mœrore & metu frequenti. Denique cerebrum debile, catarrhis & fluxionibus moleſtiſſimis illas infeſtat, madeſcunt lachrymis oculi,imaginationibus variis agitantur,& ſæpe diſtortiones illas membrorum iam dictas perpetiuntur. Vtrum verò à ſemine retento, ſuppreſſione ſanguinis menſtrui,vel alterius materiæ excrementitiæ in vtero corruptæ, tanquam à peculiari cauſâ intemperiem ibi producente, pendeat:ita diſtinguendum erit. Etenim ſi à

ſemine retento & putrefacto contingat, aderunt vel præceſſerunt omnes cauſæ, quæ illud augere, coaceruare in vaſis, aut corrumpere potuerunt, vt florens ætas Veneri iam matura, vel aſſueta, quæ illius vſum diutius intermiſerit, temperamentum ἰυκρατὸν aut ſanguineum, vita otio & voluptatibus dedita, victus opiparus ex cibis aliquando corruptioni obnoxiis: ita vt bene habitæ & fluentibus commodè menſibus hoc affectu grauiſſimè corripiantur, quem vt plurimum præcedere ſolet vterinus ille furor à nobis commemoratus, cum riſu intempeſtiuo, aut importunis lachrymis, quamdiu adeſt materiæ feruor, quo ſedato deſinit in paſſionem iſtam hyſtericam. Omnia ſunt vehementiora quam ab aliis cauſis,& valde iuuantur, quando contrectatione molli & blanda genitalium partiũ humor quidam albus & craſſus nõ ſine voluptate effluit. Quod ſi in mulieribus coitu vtentibus menſes ſupprimantur, aut non ſatis commodè purgentur, tunc ex ſanguine iſto retento pendebit, pro cuius varietate & cacochymiâ melancholicæ, iracundæ aut torpidæ & ſomnolentæ euadunt: mammæ aliquando turgent & partes iuxta renes & femora dolent: nec non caput frequenter in poſteriori parte, propter copioſos fumos qui ex hac materiâ eleuantur, & per ſpinalem medullam illi communicantur. Quod ſi commodè menſtrua fluant, ſit etiam Veneris vſus conueniens, quo ſemen ritè è ſuis vaſis eliciatur: mulier iam ſenio ſit vicina aut valde cacochyma, vel vterinâ quadam fœditate laborans: tunc coniectura erit cauſam huius affectus eſſe corruptum quemuis alium humorem in vteri fundo, qui non tam vehementes paroxyſmos inferet, quam ſemen & ſanguis: Quò enim aliquid perfectius & ſalubrius extiterit, quando ſemel à naturæ ſuæ integritate decedit, eo deteriorem acquirit aliis ſuâ naturâ infeſtis conditionem. Denique ſi vterus in hoc affectu commoueatur aut conuellatur, infeſtabunt valde ructus, rugitus abdominis,& conglobatio illa facilè ſentietur à tangentibus circa vmbilicum,dumque reſtituitur cum quodam murmure, in imum ventrem deuoluitur. Atque hæc de diagnoſi.

Quod ad prognoſin,ratione ſpeciei huius affectus rarò interficit ægrotantes,ſed chronicus eſt & valde moleſtus:niſi ſyncope illi coniungatur, aut ingens conuulſio, quibus citò tolluntur è medio.Si ſæpius repetat & difficile ſoluatur,periculum eſt,ne reſpiratione toties læſâ calor natiuus ſuffocetur & intereant. Vbi tamen illud accidit,non ſunt ſtatim ſepeliendæ,quia multas in ipſo tumulo exſuſcitatas conſtat.Practici vt experiantur vtrum ſint mortuæ, apponunt lanæ floccum naribus, vas aquâ plenum ſupra orificium ventriculi & diaphragmatis regionem,aut ſpeculum ori,vt videant an ab earum halitu inficiatur. Sed quia iſta poſſunt tantum ſignificare reſpirationem eſſe ſublatam, non tranſpirationem, per quam ſuſtineri poteſt vita per aliquod tempus,vt ſupra docebamus;ideo melius eſt ſeruare eas inhumatas per triduum ſiue ſpatium ſeptuaginta duarum horarum, vt loquitur Auicenna; quia illo tempore fit motus omnium humorum,& ſi quidem calor natiuus euanuerit omnino cum vitâ,tunc fœtere incipiunt,aliàs manent incorruptæ per aliquod tempus,vt experientiâ ſæpius fuit compertum. Ratione verò eſſentiæ morbi, cauſarum & ſymptomatum,illa paſſio hyſterica eſt deterior, quæ plures partes rapuit in conſenſum, quæ à ſeminali materiâ pendet corrupta propter rationes dictas,& quæ grauem reſpirationi noxam infert.In ſenioribus vix curatur,vbi diutius perſeuerauit, ob inſignem cacochymiam quæ in illis redundat: In iuuenibus plerumque ceſſat, quando parturire incipiunt: At in prægnantibus & puerperis valde moleſta & aliquando mortifera:in his quidem,propter ſummam virium infirmitatem: in illis, quia fœtus ſimul cum matre vehementer laborat,& quaſi ſuffocatur, vnde periculum aborſus. Iam igitur ad θεραπείαν accedamus.

Curationis autem duæ erunt partes, quemadmodum duo ſunt tempora iſtius affectus,nempe paroxyſmus & interuallum. Prius igitur à paroxyſmo liberandæ ſunt: deinde interualli tempore danda opera per remotionem cauſarum, vt prophylaxis illius inſtituatur,ne amplius,aut certè ne tam vehemens reuertatur.In ipſo igitur paroxyſmo, cum poſitum ſit illum excitari à vapore eleuato ob commotam materiam malignam & vteri agitationem,propter quam totũ corpus valde refrigeratur,& partes nobiles,præcipuè cor & cerebrum,iũ conſenſum rapiuntur:Patet tunc incumbẽdum eſſe diſſipationi illius vaporis, & reuulſioni, excretioni tetterrimæ materiæ, & corroborationi ſeu conſolationi,tam ipſius vteri,quam cordis & cerebri.Illud autem præſtabunt primum frictiones aſperiores,& ligaturæ dolorificæ inferiorum partium: vellantur pili pudendorũ & capitis:vocentur altâ voce & increpentur:cucurbitulæ

cum

cum multâ flammâ coxis & regioni pubis, aut ſub vmbilico appoſitę: vulgares mulierculæ admouent ollas vel ſcutellas allio confricatas non ſine fructu. Quin etiam ſi detur commoditas iniiciendi clyſteris carminantis & purgantis cum hierâ, aut ſuppoſitorium aliquod acre, nihil erit præſtantius ad vacuandos reuellendóſque iſtos vapores. Qui deinde ſumptis & admotis erunt diſſipandi: vnde Auicennas exhibet aliquot grana piperis contuſa cum pauco vino generoſo: Nos aliquot guttas olei aniſi vel gagatini cum vino aut iuſculo: aliquando parum theriacæ vel mithridatij: Vel conficimus tales pilulas ad ſedationem paroxyſmi & præcautionem vtiliſſimas.

℞ Caſtorei, myrrhæ, & aſſæ fœtidæ, an. ℈ j. ſeminis rutæ & croci, ana gr. iij. Conficiantur cum paucâ aqua matricariæ vel ſyrupo de artemiſiâ duodecim pilulæ deauratæ. Capiat vnam vel duas inſtante paroxyſmo, & tempore interualli dum ibit cubitum; ſuperbibat, ſi voluerit, parum aquæ imperialis. Conficientur interea nares eodem oleo gagatino, vel de junipero, vel aſſa fœtida diſſoluta cum pauco vino aut aceto acerrimo. Fiat ſuffitus ex plumis perdicis, capillis propriis, cornu quolibet accenſo, puluere verrucarum quæ adhærent tibiis equorum, ſulphure viuo, pannis detritis, ſoleis & ipſo gagate combuſto, allia confricata naribus offerantur, & ſimilia. Sub vmbilico applicetur emplaſtrum ceroneum, vel ex galbano & aſsâ fœtidâ confectum, quod etiam ordinariè ferre poterunt, aut certè quando venturam eſſe acceſſionem ſuſpicantur. Deinde vt irritetur ipſa facultas ad expellendum, ſi valde ſepulta videatur, ſternutamentum, ex *Aphoriſmo* 35. *ſect.* 5. procurari debet ex puluere piperis longi, pyrethri, aliquando ellebori aut euphorbij, ſi malum ingraueſcat. Alij inſtillant etiam in aures aliquot guttas olei de ſpicâ vel ſaluiæ.

Interea ſi à retento ſemine iſta ſuffocatio pendeat, niſi virili concubitu vti poſſint, volunt eas ita collocari, vt ceruice ac ſcapulis ſint accliuibus, coxis autem & inguinibus decliuibus: deinde attrectari partes genitales, & blande fricari à peritâ quadam muliere, quæ manum oleo moſcatellino, vel amygdalarum dulcium inunxerit, aut etiam immitti peſſarium ex mercuriali contritâ cum paucâ hierâ & cinamomo ad eliciendum iſtum humorem ſpermaticum ferocientem. Aut ſupponantur in aliis caſibus aliquot grana moſchi aut ciuetæ cum pauco cotone ligati: In pauperioribus puluis garyophyllorum, nucis moſchatæ & cinamomi ſufficiet ad vteri recreationem. Suffiatur etiam ſtyrace, benzoino. Si cordis vires ex pulſu deficiente nimium collabi videantur, ita vt ſit metus complicatæ ſyncopes, optimum erit illud irrorare aut fouere vino generoſo cum paucâ aquâ naphæ, vel imperiali diluto: admouere pullos columbinos vel gallinas per medium ſectas, & puluere granorum kermes aſperſas. Sin vero cerebrum magis patiatur, & apoplexiâ detineri videatur, non erit extra rem, extimam cutem oleo feruente, vel ferro ignito adurere leuiter.

Mira eſt Hippocratis 5. *epid. part.* 18. hiſtoria de muliere quadam, quæ cum nullis remediis à paroxyſmo liberari poſſet, tandem coniectis ſuper illam triginta aquæ frigidæ amphoris reſurrexerit. Quæ curatio ſimilis eſt illi quam proponit de tetano affectis *Aphoriſm.* 21. *ſect.* 5. non niſi ſummâ cautione adhibenda. Quemadmodum ſi prægnans hyſterico ſtrangulatu occupetur: prudenter iſta remedia vſurpanda, ne aborſus illis concilietur. Eſt etiam controuerſia inter authores noſtros, vtrum horâ paroxyſmi vinum hyſtericis ſit exhibendum. Auicennas prohibet. Hippocrates concedere videtur. Etenim ſumma refrigeratio totius corporis, virium inſignis imbecillitas, & ſpirituum retractio, non videtur melius ſubleuari poſſe quam vſu vini generoſi modicè ſumpti. Attamen quia hic affectus vt plurimùm pendet à retento ſemine, putrefacto ſanguine & vaporibus tetris, qui ab vtero eleuantur, ratione cauſarum non videtur exhibendum, quia magis ac magis irritare poteſt materiam illam intus deliteſcentem. Itaque iſta diſcrepantia hoc modo componi poteſt, vt vinum ordinariè non ſit exhibendum tempore paroxyſmi, ſed tantùm extraordinariè, quando ſcilicet ratione virium ſummè collapſarum, complicatæ ſyncopes vel inſtantis lethi cogimur ad præſentaneum illud auxilium recurrere, iam aliis omnibus fruſtra tentatis. Atque hæc de paroxyſmi ſubleuatione ſufficiant.

Quod ad prophylaxim vero ſpectat, quæ interualli tempore exerceri debet, vt acceſſionis reditus impediatur, aut ſaltem retardetur: tota poſita eſt in cauſarum ſublatione, atque vteri corroboratione. Explorandæ igitur omnes cauſę tam externæ,

quam internæ, quæ huic affectui originem, vel incrementum præstare potuerunt, vt illis sublatis, vel saltem immutatis, melior concilietur mulieri hysterica dispositio. Diæta itaque imprimis rite instituenda pro vario corporis & affectus statu: quod ex superioribus facile potest repeti. In genere tamen aër illis purus & lucidus conuenit, in mediocritate qualitatum positus: exercitatio & vigilia moderatæ: animi tranquillitas & auersio ab omni cogitatione vel inspectione rei libidinosæ, præcipuè in illis quæ ex seminis multitudine laborant: alui & vesicæ libertas, vt ritè communia excrementa repurgentur. Inter alimenta vt plurimum dulcia illis sunt ita inimica, vt quam primum illis assumptis torqueantur: ita vt vterus non solum odoribus, sed etiam saporibus commoueri videatur, quod suprà annotauimus. Vtantur itaque exsiccantibus, modicè attenuantibus, & calfacientibus, vt carnibus assis, pane bene cocto, & fermentato: & aliis quæ paucum nutrimentum præstant, & incidunt, vt mentha cum iusculo cocta, capparibus conditis, oliuis & fœniculo marino. In eis quæ valde lasciuiunt, consulatur vsus Veneris, si eo non fruantur; aut si non liceat vti, ieiunium & oratio imperetur: vnde multas solo pane, aquâ & oleribus, aut prunis, pomis, & similibus vtentes conualuisse vidimus. In aliis concedatur vinum tenue, oligophorum, aut bene lymphatum, nisi sint valde senes, & cacochymiâ pituitosâ obsessæ. Denique reliqua stabiliantur ex judicio prudentis Medici.

Deinde de maioribus remediis cogitandum. Cum enim à semine retento, sanguine menstruo corrupto, & quauis insigni cacochymiâ vteri hunc affectum exoriri posse dixerimus: non est dubium, quin etiam vacuatio hic competat, tam per phlebotomiam, quam purgationem, si vires & ætas consentiant. Venæ sectio igitur vsurpanda in istis mulierculis, non tantum inferiorum partium ad eliciendos menses, sed etiam ex cubito, vbi plethora sanguinea apparebit, tam ad vires quam ad vasa, vt natura parte istius humoris redundantis leuatâ, reliquum deinceps melius superare possit: & vt fluens ad vterum aut vasa spermatica quodammodo reuellatur, fumíque illi & vapores euentilentur. Ea tamen cautione, vt si ingens sit cacochymia & vitium in humoribus aut semine, cautius agamus, præmissa conuenienti purgatione & præparatione: quia scimus affectum istum exasperari valde per venæ sectionem, commotâ scilicet camarinâ, & educto puriore sanguine, qui vitiosorum humorum frænum esse solet. Vnde mirari subit eorum audaciam, qui scripserunt etiam ipso sæuiente paroxysmo tentandam esse phlebotomiam. Cum enim tunc ingens sit virium prostratio, & quasi vitæ desperatio, cum insigni refrigeratione totius corporis à malignis vaporibus cor & cerebrum infestantibus, non est dubium, quin magnum periculum ex vsu phlebotomiæ accessionis tempore immineat, magnámque is iure merito incurrat reprehensionem, qui illam tunc exercuerit, si res male succedat, cum adsit tempus interualli, in quo illa tutius celebrari potest. Venæ sectionis succedaneæ aliquando erunt scarificationes, hirudines, cucurbitulæ & similia sæpius commemorata.

Purgatio autem cum præparatione instituetur pro varietate cacochymiæ dominantis: vnde autumno & vere apozematis nostris laxantibus & aperientibus solemus istas impuritates eliminare, quod valde vtile est in hisce hystericis. Aliis verò temporibus pilulas vel infusa præscribere, quæ menstruatim vacuent istos humores vitiosos. Galenus frequenter exhibet *lib. 9. κατὰ τόπους*, agarici ʒ j. cum vino albo, quod valde laudo, si non sint vomitui obnoxiæ, à quo maximè læduntur propter nimiam inferiorum partium & vteri agitationem. Ad præparationem & detersionem istorum humorum valde commendatur vsus thermarum sulphurearum, potissimum in pituitosis, tam potu quam insessu. Item decoctum ligni sassafras aut guaiacini, cum semine fœniculi, rutæ, aut viticis per plures dies sumptum sine sudore, aut cum eo, in quibus infarctus adest crudiorum succorum. Deinde purgentur diaphœnicone aut pilulis aggregatiuis. Ad roborandum vsurpetur theriaca vetus cum conseruis capilli veneris & nymphææ, si intemperies calidior subesse videatur. Venter fasciâ latâ sub vmbilico firmiter vinciatur, vt vterus minus liberè concuti possit, & vapores isti non possint ascendere ad superiora: Denique dropacibus & sinapismis antiquior vteri intemperies corrigatur, & humores extrorsum attrahantur: fonticuli cruribus admoueantur, quibus eliciatur teter ille humor & contumax quasi stillatim, & vapores retrahantur. Solent etiam nostrates mulieres ad præcauendum hunc affectum non infœliciter gestare perpetuò frustum assæ fœtidæ linteolo raro inuolutum supra regionem vmbilici. Alij laudant

radicem

radicem peucedani, quam vim amuleti in hoc morbo habere ſcribunt : Matthiolus verò radicem bryoniæ eiúſque puluerem diu exhibitum mirè extollit. Atque hæc de vteri præfocatione ſufficiant. Nunc ad particulares vteri morbos accedamus ex propoſitâ methodo.

CAPVT VII.

De inflammatione Vteri.

EXPLICVIMVS ſuperiori ſermone ea ſymptomata, quæ peculiariter mulieres exercere ſolent, vel ratione temperamenti proprij, vel excrementorum, vt ſanguinis menſtrui & ſeminis præter naturam retentorum aut excretorum. Iam ſupereſt, vt eos affectus perluſtremus, qui vtero accidere poſſunt, quatenus eſt pars conſtitutiua corporis muliebris, ſuámque habet temperiem, conformationem & vnitatem pròpriam. Videndum igitur, qui ſint affectus ſimilares, vt intemperies & tumores præter naturam : qui organici aut communes, quorum ratione vterus frequenter affligitur, & peculiarem ab eis qui iam ſuperius tractati ſunt, curationem expoſcunt. Quod ad intemperies itaque ſpectat, cum immateriales & ſimplices facile intelligantur ex tractatione compoſitarum & earum quæ cum affluxu humoris contingunt : ideo agemus primò de inflammatione illius, tam phlegmonoſâ, quam eryſipelatoſâ, ſub quam calida humida, calida & ſicca intemperies commodè reducentur : Pòſt de hydrope, tam aquoſo, quam flatuoſo vteri, de ſcirrho & cancro eiuſdem, ſub quibus intemperies frigidæ humidæque, frigidæ ac ſiccæ commodè explicabuntur. Deinde veniemus ad morbos organicos & communes, qui vtero frequentius accidunt, vtpote procidentiam, ſubuerſionem & omnem illius ſitum præter naturam : ad clauſuram ſeu diſtorſionem: ad condylomata, colli verrucas, rhagadas, & fiſſuras. Demum illius vlcera & abſceſſus proponemus, quibus exiſtimamus nos ſufficienter vteri morbos, qui in vſum praxeos veniunt explicaturos. Si quid autem iſtis deeſſe videatur, illud ſupplere conabimur ſecundo libro, vbi de mulierum ſterilitate, & eius cauſis fusè actum ſumus. Ac proinde iam ad rem ipſam aggrediamur.

Φλόγωσις & φλεγμονὴ ea ratione apud authores noſtros diſtinguuntur, vt illa quaſcunque inflammationes ſimplices etiam & immateriales partium complectatur : hæc verò coniunctas cum humore, eóque per ſyſtrophen vt plurimum collecto in ſpatiis & ſubſtantiâ illarum : vnde exurgunt tumores cum caliditate inſigni & præter naturam, ſiue humor ille ſit ſanguis, vt in phlegmonoſâ : ſiue bilioſus, vt in eryſipelatoſâ, ſeu alicui alteri permixtus, vnde œdematoſa & ſcirrhoſa phlegmone appellatur. Cum igitur ſuperius capite de furore vterino ſatis actum ſit de caliditate & ſiccitate ſeu φλογώσει matricis : iam propoſitum eſt ſermonem hunc de verâ illius phlegmone inſtituere, quæ nihil aliud eſt quam tumor præter naturam totius vteri vel partis illius cum inſigni caliditate & feruore ob ſanguinem in illius ſubſtantiam effuſum ibíque putreſcentem. Diximus eſſe tumorem præter naturam, vt diſtingueremus tum à ſimplici φλογώσει, tum ab aliis inflammationibus, quæ contingere poſſunt ex retento ſanguine in illius cauitate, aut vaporibus aliunde irrumpentibus & illum calfacientibus. Iſte enim tumor præter naturam diſtinguitur ab aliis, eleuatione partis, circumſcriptione quadam, quæ reſpondet figuræ & magnitudini illius, rubore qui ſæpe in illius cernice atque etiam in externâ cute, & muſculis conſpicitur, dolore fixo & aliquando pulſatili, potiſſimum quando tendit ad ſuppuratum, quæ omnia in aliis inflammationibus abſunt.

Notandum tamen, hæc omnia illuſtriora multo & manifeſtiora eſſe in illa phlegmone, quæ totum vteri corpus occupat, quam in aliis quæ multò ſunt frequentiores, illiúſque collum vel partes laterales, anticam etiam & poſticam ſolum occupant, in quibus tantum imminuitur vis iſtius morbi, quantum minus extenſionis habet in parte. Eſt tamen ſemper inſignis feruor ad eiuſmodi phlegmonas vteri conſectarius, ſi veræ ſint & exquiſitæ, vt ſanguineæ vel eryſipelatoſæ : aliàs vt in œdematoſis

matosis & scirrhi naturam redolentibus parua est febris ac subobscura, quæ fere Medici ac ægrotantis sensum latet, potissimum in principio, quod annotauit Galenus *comment. in part. 2. sect. 1. lib. 6. epidem.* Putrescens igitur sanguis in verâ phlegmone vteri & in illius substantiam seu poros effusus, eundem solet habere exitum, qui in aliis tumoribus sanguineis obseruatur, vt scilicet, resolutione, suppurato, putrilagine, aut induratione terminetur: quod deinde in curâ peculiariter explicabimus.

Quod ad causas istius affectus attinet efficientes & materiales seu humorales, nam formalis iam à nobis per tumorem præter naturam expressa fuit, & vera materialis seu subiectiua per vteri corpus aut varias illius partes, quæ hàc phlegmone tentari solent. Reducendæ sunt igitur illæ ad res naturales, non naturales & præter naturam, quæcunque vel vterum debilitare, & disponere ad eiusmodi fluxiones suscipiendas, vel materiam in mulieribus generare & augere, quæ apta sit ad effectum istum committendum, aut certè vias aperire, humorem concitare, & ad fluendum impellere possunt. Temperamentum iraque mulieris plethoricum, sanguineum, aut biliosum, viarum latitudo & vteri laxitas naturalis maximè disponit causas illas interiores ad affectum istum producendum. Præcipuè quando externa valentiora accedunt, quæ internam plethoram aut cacochymiam commouent: vt aër feruidior & tenuior, frigiditas vehemens repellens ad interiora, potissimùm si occurrat fluentibus, aut iam fluere paratis mensibus. Violenta exercitatio, ictus, casus, multitudo coitus intempestiui, compressio vt ab onere, insessu duriore, & similibus, aut agitatio insueta & succussatio, qualis ab equo rudiore aut rhedâ fieri solet. Ista omnia præcipitare solent humores in vterum, potissimum si calore iam aliquo aut dolore infestetur. Quemadmodum & animi mœrores, iracundia & similes affectus vehementiores, quibus adde omnia assumpta, vt venena aut venenatâ, summâ caliditate & tenuitate partium prædita, quod de cantharidibus potissimùm non solum vesicæ, sed etiam vtero infestis ab authoribus nostris annotatur: pessaria acriora & potentiora ad concitandos menses, vel expurgandas matricis sordes diutius aut intempestiuè vsurpata; medicamenta cathartica aut alterantia valentiora, qualia vt plurimum solent miseræ illæ mulierculæ vsurpare, quæ ob sterilitatem varia conquirunt vndique & à quibusuis remedia: vnde ob illorum acrimoniam facile in istam inflammationem vteri præcipitantur. Alimenta etiam illud præstare possunt, quæ vehementiorem habent vim calfaciendi, pungendi & irritandi humores ad fluxionem, vt sunt potus insuetus vini generosioris, vsus aromatum, frixorum, acriorum, & similium, quæ vnusquisque recensere facile poterit. Id autem frequentius fit in illis quibus excreta & retenta non bene procedunt secundum naturam, siue plethoram & cacochymiam augeant in corpore ob multitudinem humorum dum cohibentur: seu vias & spatia partium nimium laxent, humoresque adducant in vterum, vt quando vehementer, aut diuturniore quam par est spatio effunduntur. Cucurbitularum frequens admotio circa pubem aut hypogastrion, non est etiam satis tuta in mulieribus sanguineis aut biliosis, quia attrahunt aut etiam sistunt humores circa regionem vteri, & huic morbo occasionem præbent. Sic partus laboriosus, abortus, mala contrectatio istarum partium ab obstetrice imperitâ: imo etiam gestatio fœtus molesta, potentissimæ sunt causæ ad istum affectum producendum: vnde grauidas illo sæpe infestari constat, ex *Aphorismo* 43. *sect.* 5. Quando scilicet sanguis feruidior aut tenuior, ob pondus vel compressionem ex grandiore aut male collocato fœtu attrahitur è venâ cauâ proximiore in hypogastricas quæ vterum irrigant, & in illius substantiam seu spatia effunditur. Atque hæc de causis, nunc ad signa diagnostica istius affectus veniamus.

Pars igitur affecta, affectus species, & causæ illius interiores sunt dignoscendæ. Quod ad partem affectam attinet, vterum affici & morbo detineri ἰδιοπαθικῶς demonstrat, quod perpetua est afflictio & doloris pulsatilis ac caloris sensus in illa parte hypogastrij continuus, cum insigni eleuatione, tensione, atque etiam rubore aliquando, circumpositarum partium. Actionesque illius mirè deprauantur, vtpote excretio consueta menstrui sanguinis, quæ vel omnino supprimitur, vel certè si fiat, imminuta est, decolor & anxiosa, vt loquitur Hippocrates; nempe dolori & torminibus coniuncta. Solentque aliquando ichores, isque putrentes & fœtidi per resudationem inde profluere. Ac si quis interiora vuluæ spatia contrectet, inueniet remotius illud osculum occlusum, non vt in prægnantibus, sed cum duritie

ac

ac doloris ſenſu : ſi introſpiciat, rubicundam & inflammatam vteri ceruicem reperiet, cum venulis inſtar telæ aranearum, inquit Hippocrates, tumentibus. Quod ſi totus vterus & fundum eius laborer, hæc omnia erunt vehementiora, quam ſi vel ſola ceruix, vel eius partes laterales ſint inflammatæ, quarum ex vario ſitu diſtinguenda etiam erit, quæ potiſſimum afficiatur : collo enim tantum inflammato calor & dolor ad inguina & pudendum maximè extenduntur. Si antica eius pars ſit affecta, veſicæ noxa magis communicatur ob viciniam : ſi poſtica, recto inteſtino : vnde illorum functiones, nempe vrinæ, & fæcum excretio magis violantur, & dolor verſus pubem, aut verſus lumbos magis contingit : ſi ea quæ in latere dextro aut ſiniſtro poſita eſt, pondus & feruor ibi ſentientur circa inguen alterutrum, & femur καθ' ἕξιν poſitum grauitate quadam inſolita premitur, atque ipſe vterus vt plurimum verſus eam partem retrahitur, & quaſi conuellitur, quæ magis eſt inflammata : quia quantum vni accedit dimenſioni, tantum alteri decedat eſt neceſſe.

Speciem verò affectus ſeu phlegmones iſtius naturam oſtendent ea quæ iſtas inflammationes internas conſequi aut ſubſequi ſolent : calor enim, dolor, rubor, cum pulſu & renixu ſigna ſunt pathognomonica omnium phlegmonarum tam internarum quam externarum. At internæ ſi veræ ſint aut eryſipelatoſæ, comitem habent ſtatim febrem aſſiduam, eámque ex genere ſynocharum, vt exiſtimat Galenus, ob magna vaſa quæ ad vterum pertingunt, & cum venâ cauâ communicant; vel certè ſæpius ſympathicam & lipyriam, in quâ algentibus externis partibus vruntur & exæſtuant interiora : horror infeſtat perpetuus, vt loquitur Hippocrates, ob retractionem caloris natiui ad interiora, & perpetuam humorum commotionem. Lingua nigricat & areſcit, vrget ſitis, vigilia, ἀγρυπνίαι & ἀνοφορίαι : quæ in hoc noſtro affectu valde ſunt conſpicua, tum ob exquiſitum partis ſenſum & ſubſtantiam membranoſam : tum propter colligantiam & maximum quem habet cum omnibus corporis partibus conſenſum. Hinc exoriuntur in hoc affectu καρηβαρίαι, phrenitides, conuulſiones, caphalaigiæ anterioris capitis partis, & circa radices oculorum : difficilis motus & decubitus in quamcumque partem, vrinæ & fæcum ſuppreſſio, cordis tremor, ac tandem, ſi malum ingraueſcat, diaphoreticus ſudor. Aliquando etiam iungitur ingens δύσπνοια, quando ille feruor magis diaphragmati communicatur per tunicam peritonæon, quæ pleuræ circa ſeptum coniungitur : vnde multi pleuritidem eſſe ſuſpicantur. Dolent etiam aliquando vehementer renes, vt nephritidis ſuſpicionem afferant : ſæpe quoque extolluntur mammæ propter σπάρωσιν in tumorem, & dolitant : erumpunt puſtulæ rubentes per totum corpus per ἐξάνθησιν, vt exiſtimat Hippocrates : iam corruptis humoribus per vniuerſum habitum. Si eiuſmodi phlegmone augmentum tranſeat, vitatâ putrilagine aut gangrænâ quæ ſæpius illam occupare ſolet, quando non diſſipatur eo tempore per διαφόρησιν, tunc peruenit ad ſtatum, in quo omnia vehementiora exiſtunt, per ſuppurationem aut σκλήρωσιν. Ad vtramque genitam remittitur quidem febris & dolor, ſed puris generationem ſequitur illius effluxus cum vlcere interno, aut certe vomicâ quæ diſrumpenda proponitur. Poſt σκλήρωσιν verò tumor & renitentia ſuperſunt cum pondere & grauitate, non ſolum ipſius vteri, ſed etiam omnium circumiacentium partium, vt vix ægra commoueri poſſit.

Quæ verò ſint cauſæ interiores harum diſpoſitionum, inueſtigandum erit, tum ex ſtatu rerum externarum, quibus vſa eſt ægra, tum præſenti corporis & humorum conſtitutione, quæ omnia oſtendent, vtrum eiuſmodi inflammatio pendeat à vero ſanguine, bilioſo, pituitoſo, vel melancholico. Ipſi etiam affectus iam à nobis propoſiti detegent quis humor potiſſimum in hoc morbo dominetur : quia, vt dicebamus, ſuperante ſanguine & bile, omnia erunt vehementiora, quam vbi reliqui humores exuperant, ſolétque cutis color, & oculorum candidum rubore aut flauitie infectum oſtendere quis horum humorum magis dominetur. Vt autem eryſipelatoſa conſtitutio maximè horrenda ob feruorem (dicitur enim τὸ πῦρ *apud Hippocratem*) intenſum : ſic phlegmonoſa ob diſtentionem maiorem, & ſuppurationis metum, magnam ægræ moleſtiam infert.

Quapropter aſſerere poſſumus, affectum hunc ex totâ ſuâ ſpecie & naturâ valde periculoſum : præcipuè quando totum vteri corpus occupat : Ex Hippo-

crate enim *libro de morbis mulierum*, istum morbum paucæ effugiunt. Et *Aphorismo* 30. *sectionis* 5. & 43. *si erysipelas pregnanti acciderit, lethale*, quia vel suffocari oportet fœtum in vtero ob incendium illud vehementissimum, vnde abortus subsequitur: vel matrem ipsam præ magnitudine febris & cruciatus interire. Est enim mos huius morbi malignus, ob putrilaginem interiorem, & partem excrementis naturaliter scatentem, & motus vehemens ex inflammationis natura, quem illæ vix sustinere possunt. Est igitur hic opus insigni robore & constantiâ, remediorúmque accuratâ vsurpatione, vt fretum istud euadere possint, antequam grauissima illa symptomata iam à nobis commemorata vrgeant. Vbi enim semel καρδιαλγίαι, singultus, tremores, conuulsiones, phrenitides, sudores diaphoretici & similes accidentium tempestates apparuerint, conclamatum est & salus earum desperata: vt plurimum enim pereunt in augmento, vi doloris, dum materia tendit ad putrilaginem vel suppuratum. Si suppurentur, etiam incidunt in vlcus internum ac sordidum, à quo diutius conflictatæ tandem pereunt, vel hecticæ, vel hydropicæ euadentes. Pus enim ob naturam partis istius vix habere potest illas conditiones ab Hippocrate requisitas, vt sit album, læue, æquale, & quam minimè fœtidum. Facillimè etiam scirrhescit hæc phlegmone, si imperitè tractetur, propter duritiem natiuam partis membraneæ, & humoris crassioris ac melancholici, qui per eam frequenter expurgari solet. Iam igitur de illius θεραπείᾳ cogitemus.

Cum itaque hic affectus sit inflammatio ex materiæ sanguineæ potissimùm affluxu in vterum: habenda ratio causarum, tam internarum, quam externarum, quæ hanc fluxionem humoris sanguinei, bilioſi, aut alterius cum sanguine permixti, concitarunt: tum etiam affectus ipsius, nempe inflammationis iam contractæ vel fientis in parte; & symptomatum, vt doloris, febris, & aliorum velut vrgentiorum, quæ aliquando curam ordinariam inuertere solent. Imprimis itaque ratione causarum externarum instituenda recta victus ratio, quæ illas omnes ita componat & dirigat, vt non solum amplius illi nocere non possint, sed etiam oppositæ sint causis omnibus quæ morbum istum fouere vel augere possunt. Ideo aër hic eligendus, aut ita in domo ægrotantis temperandus, vt nullo neque frigoris, neque caloris excessu illam afficiat: ex frigido enim impeditur διαφόρησις hic maximè experenda: ex nimium calido inflammantur magis partes, & humores ad fluxionem concitantur. Sic etiam lux moderata in conclaui esse debet, quia ex nimio fulgore resoluuntur vires hic valde necessariæ: ex nimiâ caligine reuocantur humores ad interiora, & inducitur somnus profundior, qui hic potissimum, circa principium morbi est arcendus, ne scilicet nimium & diutius retineatur calor cum spiritibus circum interiora viscera. Atque ita paretur cubile ex culcitris non plumeis, ne calfaciant nimium partem istam; sed potius ex lanâ confectis, quæ satis erunt molles & teneræ, ne dolentem hanc partem magis affligant: Imo si ardor insignis sentiatur, supponantur quædam quæ illum temperare possint, vt coria quæ vulgo *marroquin* vocantur, folia vitis, cucurbitæ & similium, prout anni tempestas feret. Omnis motus & exercitatio diligenter vitetur, potissimum inferiorum partium, vt crurum, nisi forrasse aliquando frictiones, & ligaturas in superioribus partibus & brachiis retractionis causâ exercere, quod adhuc debet fieri cum cautelâ post conuenientes vacuationes, ne magis humores commoueantur. Idem dicas de animi pathematis, quæ omnia sunt hîc curiosè arcenda, & summa rerum omnium tranquillitas concilianda. Quod si fæces non satis commodè vacuentur, sollicitanda erit aluus molliſſimis clysteribus, aut alimentis ad illud accommodatis, & ægræ istæ sæpius ad meiendum sollicitandæ, quia facilè vrina in illis supprimitur per vesicæ sympathiam. Cæterum victus incipiente atque vrgente inflammatione pertenuis esse debet, ita vt quidam per triduum illud integrum, quod principium morbi cum latitudine vocant, omnimodam inediam illis præscribendam censeant, vt scilicet natura suo genio & quotidiano quasi alimento defraudata, minus sanguinis suppeditare possit ad phlegmonem istam generandam. In hoc autem, vt in aliis omnibus quæ in arte nostrâ exercentur,

habenda

Digitized by Google

habenda ratio virium, ætatis, consuetudinis, temporis & similium, ne vis aliqua naturæ inferatur: Vix enim corpora nostra, prægnantium præcipuè mulierum, insignes illas antiquorum abstinentias perferre possunt. Nutriantur itaque tenuiter, & leuiori cibo ac potu quandiu fluxio & inflammatio vrgent: potus sit aquâ fontis, vel decocta cum hordeo, eáque non actu frigida, sed tepidiuscula, ne impingat magis humores in istam partem, & resolutionem impediat, quâ de causâ ψυχροποσίαν formidamus in plerisque inflammationibus internis, vt pleuritide, peripneumoniâ, & similibus, quamuis ratione febris & ardoris videretur experenda: Vino arceantur omnino, nisi fortassis sub morbi declinationem tenue & ὀλιγοφορον concedatur, ad reliquias humorum per vrinam propellendas & vires recreandas: Iuscula pullorum conuenientibus herbis, vt acetosâ, endiuiâ, lactucâ, & borragine alterata concedantur, panatellæ etiam ex illis confectæ, hordeata, amygdalata cum succo granatorum, prunâ, poma, & pyra cocta. Vbi iam desinit aut mitescit inflammatio, largiore manu & cibis refectoriis nutriantur ad restaurationem virium. Atque hæc de diætâ.

Quod ad reliquam curationem spectat, persequendæ sunt indicationes iam propositæ. Cum enim fluxio sit sanguinea, humoribus aliquando alienis coniuncta; proponitur vacuatio, reuulsio & deriuatio illius: quæ potissimum venæ sectione perficitur, nisi mulier sit grauida, cum quâ cautius erit agendum, quoad phlebotomiam & purgationem, potissimum primis & vltimis mensibus, vt est *Aphorism. 1. sect. 4.* Nolim tamen illas omnino hoc generoso priuare auxilio, si affectus vrgeat: maius enim imminet periculum ex magnitudine inflammationis, quàm ex educto sanguine, qui causam morbificam imminuit. In aliis autem corpore & animo valentibus inchoetur curatio post iniectum molliorem & refrigerantem clysterem, missione sanguinis ex venâ basilicâ cubiti dextri, quia coniectura est in hoc affectu maiorem humoris fluentis partem ex hepate deriuari. Quæ phlebotomia pro temperamento ægrotantis bis aut ter celebrari poterit ad suspendendum quasi & paulatim reuocandum humoris impetum. Post istam venæ sectionem reuulsoriam laudat Galenus *lib. de sang. miss. cap.* 18. deriuatoriam, quæ fit secta poplitis venâ aut malleoli. Sed quia per eiusmodi phlebotomias inferiorum partium allicitur magis materia versus vterum, vt experimur in prouocandis menstruis, & vix celebrari possunt, quin mulier commoueatur, & erecta aliquandiu maneat: Ideo expectandum erit donec impetus fluxionis sit paulisper sedatus, venæ sectione iam commemoratâ, frictionibus, ligaturis superiorum partium dolorificis, cucurbitulis cum scarificatu supra scapulas, lumbos, & dorsum admotis: Tunc enim si phlegmone facta videatur, & ardor ingens in istis locis cum oppressione sentiatur, tempestiuum erit istas sanguinis missiones deriuatorias experiri, quæ quasi luxuriantem circa propinqua vasa humorem imminuunt.

Quibus ita præmissis si cacochymia dominari videatur, aut cum sanguinis affluxu coniungi, non erit inutile leuiorem quandam purgationem instituere, quæ impuritatem istam corrigat, vt ex bolo cassiæ cum pauco rhabarbaro, tamarindis, catholicone, syrupo rosarum pallidarum cum infuso rhei aut agarici, decocto senæ & similibus pro variâ cacochymiæ specie. Vomitoriis autem agere in hoc casu, quidquid dicat Auicenna, numquam mihi satis tutum videtur; nam si blanda sint illa vomitoria, nihil aut parum de causâ mali istius detrahere poterunt: sin vehementiora, ex maximâ conturbatione corporis & humorum grauiorem noxam quam emolumentum adferent. Purgationi propter insignem febrem subnectenda erunt medicamenta præparantia & alterantia, iulepi refrigerantes, apozemata, emulsiones, & similia quæ sæpius à nobis descripta fuerunt. Imo si vigiliæ immensæ, dolor & inquietudo vehemens, vt solet, ægrotantem afficiant, optimum erit & consultissimum illis prospicere. Quia sapienter à Practicis nostris est obseruatum, has mulierculas vt plurimum perire circa augmentum morbi vi istorum symptomatum, quibus mitigandis diligenter studendum erit, frontalibus scilicet, epithematis refrigerantibus, inunctionibus ex opio conuenienter dissoluto, iulepis somniferis, confectione requies dicta, & similibus sumptis & admotis variis corporis partibus, vt possint hanc symptomatum tempestatem facilius transigere. Quâ sedatâ commodius deinde recta morbi istius & causarum curatio suscipitur. Vbi enim iam inclinare cœpit affectus, iterãda purgatio & præparatio humorũ. Rarò tamen in hoc affectu diureticis & aperientibus vtendum metu nouæ fluxionis & prouocationis menstruorum, quæ renouare possint istam inflammationem. Quamuis enim laudent authores nostri in hoc

affectu alui fluxum & vrinæ, quoties ſponte naturæ contingit, præcipuè poſt concoctiones : attamen quia natura illud præſtat propriis inſtrumentis, nempe ſpirituum & caloris natiui beneficio, ideo nihil mali conciliare poteſt iſtis ægrotantibus, quod ex vſu calfacientium & attenuantium medicamentorum pertimeſcimus. Illis igitur melius eſt ſuperſedere, donec phlegmone omnino diſſipata fuerit.

Atque vt per dicta remedia toti corpori, fluxioni, febrili ardori & ſymptomatis proſpiciemus, ſic etiam iam factæ diſpoſitioni & parti affectæ per topica conuenienter ſuccurrendum. Annotant item hic Practici noſtri, maximos errores in principio huius affectus committi, dum mulierculæ ipſæ ægrotantes & illi adſtantes exiſtimãt dolores iſtos à flatu contingere, adhibéntque & aſſumunt remedia multa calfacientia & digerentia ad illos diſcutiendos : vnde maximè ingraueſcit atque augetur iſta phlegmone. Ac proinde oportet ſolertem Medicum cognitâ primùm naturâ affectus, illa omnia reiicere, & aliam inſtituere medendi methodum, quæ in generatione & curatione phlegmonarum iſtarum à Galeno præſcribitur, vt ſcilicet modicè repellentibus in principio & anodynis vtamur: deinde reſoluentibus mixtis aut ſolis, prout ſpes eſt maior διαφορήσεως, vtemur. Tandem ſuppurantibus, ſi materia putrefacta concoquatur, & ad puris generationem tendat. Ad quæ præſtanda ſelectis potius remediis, quam immensâ eorum multitudine erit agendum.

Ad repellendum igitur in principio, & ferinum illum ardorem temperandum, inungatur regio pectinis, lumborum & laterum, prout inflammatio in hanc vel illam partem magis vergere videbitur, ex oleo aut vnguento roſaceo, cerato ſantalino, aut albo caphurato, cui parum aceti immixtum fuerit. Foueantur ex decocto vel aquâ ſummitatum papaueris albi, roſarum, ſolani, acetoſæ, plantaginis, & ſemperuiui. Ex eiſdem fiant iniectiones in vterum per metrenchyten. Comparentur peſſaria ex illorum foliis contuſis, quibus aliquando ob doloris vehementiam opij modicum cum vitellis ouorum, pauco croco & oleo roſaceo immiſceatur : vel etiam fiant peſſi ex Philonio romano cum eotone. Cataplaſma etiam paretur ex micâ panis albiſſimi cum lacte coctâ, cui parum olei roſacei, ſucci hyoſcyami aut ſolanis, cum vitellis ouorum addatur. Iniectio ex lacte caprino recenter mulcto, cui aquæ roſaceæ modicum adiunctum fuerit, valde etiam prodeſt ad refrænandum iſtum dolorem & humoris feruorem.

Vbi iam iſta miteſcere incipient ; tranſeundum erit ad reſoluentia modicè & digerentia. Vnde vnguentum reſumptiuum cum oleo chamæmelino & liliorum diſſolutum, decoctum ſeminis lini, fœnugræci, florum meliloti, & roſarum ad fotus vel inſeſſus & ſemicupia, ſi iam ſint alacriores, erit accommodatum. Quibus ne ſcirrheſcat iſta materia, quædam emollientia, vt radices althææ, folia maluæ, parietariæ, & brancæ vrſinæ adiungere poteris, donec perfecta reſolutio ſubſecuta fuerit. Quod ſi natura contrario inſtituto ad ſuppurandum vergere videatur, iuuanda erit in hoc motu, quamuis non ſatis laudabili. Ideo cataplaſma ex decocto ficuum cum farinâ tritici, & pauco oxymelite erit maximè accommodatum : vel ex vnguento dialthæas cum butyro, axungiâ gallinæ, & pauco oleo liliorum. Poſt ſuppurationem factam, quæ omnia ſymptomata reddit mitiora, ſi natura ſuo iure non vtatur in diſruptione abſceſſus & puris vacuatione : iuuanda erit motu & concuſſione corporis ægrotantis ; admotis cucurbitulis & frictionibus in inferiore parte, iniectionibus detergentibus & aperientibus, imo etiam cataplaſmate ſupraſcripto, cui addatur parum ſtercoris columbini. Iam erumpente purulentâ materiâ & facto vlcere recurrendum erit ad propriam illius curationem, quam in ſequentibus proponemus. Idem dicas quando phlegmone iſta in ſcirrhoſam diſpoſitionem degenerat. Si mulier fuerit grauida, aut aborſum nuper paſſa, aut inſignem per vterum hæmorrhagiam, parcius iſta omnia erunt vſurpanda, & cum maiori cautione. Erit tamen aliquid audendum, ne videamur illarum ſalutem omnino neglexiſſe : ſæpe enim natura adiuta illud præſtat, quod vix fuiſſemus auſi ſperare.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VIII.

De hydrope & flatu Vteri.

VPERIORE capite tumores vteri præter naturam calidos explicuimus, iam de frigidis agendum, tam pituitosis quam melancholicis. Quóniam verò hydrops & inflatio vteri inter illos valde sunt conspicui & memorabiles, ideo sub eorum tractatione omnes alios qui à pituitâ pendent, complectemur, quia eorum curatio facile ad hanc reuocari potest. Hydrops igitur alius dicitur vniuersalis, alius particularis. Vniuersalis rursum, vel talis dicitur ratione subiecti, quando scilicet totum corpus, & præcipuè exteriorem habitum occupat; vel ratione principij siue fontis illius, in quo posita est facultas αἱματοποιητικὴ, nempe hepatis, à quo nihil aut parum deinceps laudabilis sanguinis producitur, quo nutriri possint partes, eisque tabescentibus augetur in immensum abdominis moles, flatu, aquâ, aut vtroque distenti, ob iecoris κακοχυμίαν. Similiter particularis hydrops, vel solitarius est aliquando & per se subsistens, vt quando ex malâ concoctione membri alicuius pendet, quod per congestionem colligit serum, pituitam, aut flatum ex vitiato proprio alimento, quod illi ab hepate inculpatum suppeditatur. Vnde hydropes pulmonum, capitis, vteri & similium plerumque visuntur sine vniuersali noxa aliarum partium. Aliàs eiusmodi particularis hydrops coniunctus est cum vniuersali, & ab eo fomitem suum repetit, vt quando sensim violatur hepatis ipsius temperies, aut per sympathiam paulatim afficitur. Vnde iam inclinante calore natiuo incipiunt apparere in externis partibus, vt in cruribus & manibus œdematosæ eleuationes: aut etiam internis, vt in vtero rudimenta istius pessimæ sanguificationis.

Est igitur hydrops vteri tumor præter naturam ex collectione pituitæ, seri aut flatus intra illius cauitatem, aut propriam substantiam & membranas, propter debilitatum calorem natiuum & malam proprij alimenti coctionem. Dicitur tumor præter naturam hîc affectus, quia est magnitudo sensibiliter aucta, actiones lædens istius partis, quo respectu distinguitur ab imprægnatione, & quia illi complicata est insignis intemperies cum solutione continui, ob distensionem & compressionem quæ sequitur ad illam repletionem. Fit autem ista intemperies seu collectio ex triplici materia, simplici vel compositâ, id est solâ vel inuicem complicatâ, nimirum pituitæ frigidæ quidem & lentæ, quæ propriè hydropem anasarcam dictum repræsentat, quando illa pituita œdematis instar imbuit propriam vteri substantiam & membranas. Seri, id est ichorum, siue aquosi humoris implentis cauitatem vteri instar vtris, & sic hydropem ascitem repræsentat. Denique flatus, qui in vtero collectus, illum tympani instar distendit, & hydropis tympanitis dicti speciem refert, qui etiam aliquando, vt accidit intestinis in dolore colico, inter spatia propria & tunicas matricis continetur, easque diuellendo insignem cruciatum excitat. Hîc oritur dubitatio non contemnenda. Cum enim dixerimus istos flatus aut serum contineri in substantia, id est inter membranas ipsius vteri, vel in ipsius cauitate, dubitari potest, quomodo ista materia ibi coërceri possit, cum illi pateat continuus effluxus per vteri osculum & ceruicem ad exteriora: ita vt non videatur verisimile serum aut flatus, qui perpetuò mouentur & fluunt, nisi alieno terminò contineantur, intra matricis clausti a ita apertæ, vt neque in vtre aut dolio perforato contineri posse. Hanc difficultatem agnouit Aëtius, & vt illam effugeret, voluit serum illud, quod attollit vterum in hydropem asciti similem, non contineri in ipso cauo vteri diffluens, sed intra vesiculas quasdam quasi folliculos coërcitum, qui excitati fuerint ex irrumpente eiusmodi materiâ in vteri substantiam, eamque distendente & leuiter corrumpente, quemadmodum Hippocrates etiam voluit, aliquando ad hydropem abdominis ὑδατίδας quasdam hepatis concurrere. Mercatus verò, non, vt Aëtius, existimat illas vesiculas fieri ex propriâ substantiâ vteri membranosâ distentâ, quia sic iam putrefactus & quasi corruptus esset vterus, & semper vlceratus, sed potius ex

Digitized by Google

humore iſto pituitoſo influente primum circa oſcula ſiue extremitates vaſorum, per quæ menſtrua purgantur, excitari quaſi pelliculam quamdam, quæ oblinens interiorem vteri ſuperficiem, vt contingit in fœtus generatione, deinceps muco re iſto & ichoribus quaſi ſuſpenſis impleatur. Verùm non videtur tantopere laborandum in inueſtigando modo, per quem retinetur iſtud ſerum aut flatus in vteri cauitate, quibus hydrops ille excitatur: cum enim rariſſimus ſit hic affectus, non dubito quin aliquando ita conſtringi & coarctari poſſit præter naturam interius illud oſculum vteri, vt iſti materiæ non pateat exitus. Quemadmodum enim ſecundum naturam exacte clauditur in prægnantibus, vt ne ſpecillo quidem, inquit Hippocrates, pateat ingreſſus in interiorem cauitatem: ſic etiam per tumores ſcirrhoſos circa inferiorem potiſſimum illius partem, poſt phlegmonoſos per reſolutionem induratos, per illius contorſiones ſiue peruerſiones, certum eſt ita conſtringi illud oſculum, vt nihil facile ex cauo foras effluere poſſit. Quod ſi contrectatum eiuſmodi orificium patens & liberum appareat, ſignum erit aquam iſtam & ſerum non in cauitate, ſed potius in ſubſtantia, & inter ipſas tunicas poſitum eſſe. Nam quod aliqui dicunt, à grumis ſanguinis obſtrui poſt aborſum aut laborioſum partum ibi concretis, non placet etiam: quia eiuſmodi ſanguis grumeſcens in aliqua parte contentus, vel putreſcit breui tempore & inflammatur, vel congelatur quaſi amiſſo calore natiuo. Ex vtroque accidente grauiſſima otiuntur ſymptomata, quæ non permittunt tam diuturnam moram ægrotanti, vt in generatione & duratione iſtius hydropis ſiue flatuoſi, ſiue aquoſi requiritur.

Vltimò in definitione noſtrâ dicebamus hydropem iſtum vteri fieri propter debilitatum calorem natiuum, ſiue ſit hoc in toto, ſiue in fonte humoris gratioſi & nectarei, nempe hepate: ſiue tantum in ipſo vtero ob malam illius coctionem, quando intemperie, vlcere, aut ſimilibus præter naturam affectibus proprium nutrimentum alterat, corrumpit, & loco veræ alimoniæ in flatum, pituitam aut ſeroſitates conuertit, quod authores noſtri per ſynathriſmum & congeſtionem ſignificarunt. Cauſæ igitur iſtius affectus, tam externæ, quam internæ ſunt, ea omnia quæ calorem natiuum ita debilitare & infringere poſſunt, ſiue in toto, ſeu in hepate, aut in vtero tantum, vt deinceps bonæ concoctioni ſtudere nequeat. In calore autem natiuo ſiue primigenio non ſolum qualitatem ſpectamus, ſed etiam illi coniunctam ſubſtantiam cui innititur, nempe humidum illud oleoſum & pingue quod radicale vocant, & ſpiritum inſitum, à quo functiones omnes corporis noſtri contingunt. Quæcunque igitur iſta oppugnare valent, ſiue per ſe, ſiue per accidens, illa omnia hydropem etiamſi inualuerint, accerſere poſſunt. In cenſu itaque rerum naturalium valde erunt diſpoſitæ mulieres ad hunc morbum contrahendum pituitoſæ & melancholicæ, quæcunque temperamento humidiore frigidioreque præditæ ſunt & vterum habent largis & fere continuis humiditatibus ſcatentem: bilioſæ verò dum ex caloris vehementioris potentiâ exhauriunt ſpiritum & humidi primigenij ſubſtantiam ante debitum ætatis decurſum: potiſſimùm ſi vtero ſint debiliori & frequentioribus partibus defatigato. Ex parte verò rerum non naturalium concurrit aër frigidior, aut humidior per ſe, feruentior verò per accidens, dum abſorbet ſpiritus ac benigniores ſuccos in illis contentos: natatio aut manſio diuturnior in aquâ frigidiore vel balneo humectante & relaxante. Immenſus aquæ, aceti, ſucci limonum, granatorum, & ſimilium alimentorum etiam crudiorum, vt olerum, fructuum horæorum, piſcium, & iuſculorum diuturnior ac largior vſus. Somnus profundior poſt longas vigilias, quæ corpus valde exagitarunt, vt contingit chorearum tempore, quo & violenter exercentur, ingurgitant ſe potu frigido, & intempeſtiuè coguntur vigilare ac dormire cum variis animi pathematis. Sed inter alias cauſas procatarcticas generandi huius hydropis, præcipua exiſtit vehemens & diuturna menſtruorum fluxio, per quam omnino exhauritur pabulum caloris natiui; vel eiuſdem nimia ſuppreſſio, quâ ſuffocatur idem calor, & humores incrudantur. Idem dicas de quauis aliâ ex quacunque parte liberaliore hæmorrhagiâ, quæ ſi non tam ſubitò, attamen idem præſtare poteſt; atque etiam de vrinæ indebitâ retentione, aut alui, quæ olim fluida eſſe ſolebat, inuſitatâ duritie: propter quam refluunt eiuſmodi materiæ in vterum & vicinas partes. Quibus adiunge externa ſeu fortuita, & res contra naturam, vt caſus, vulnera, partus laborioſos, aborſus frequentes, inteimperies grauiores, aliquando totius, vt per febres acutas; aliquando variarum partium, vt iecoris, lienis, ventriculi,

ventriculi, & similium: aliàs ipsius uteri, præcipue verò vlcera & quoscunque tumores præter naturam: nam vt scirrhosus & œdematosus refrigerando & obstruendo id præstant: sic etiam erysipelatosus, & phlegmonosus absorbendo humidi primigenij & spirituum substantiam, tum etiam si indurentur obstruendo & constipando ductus & poros uteri. Atque hæc de causis, nunc ad signa veniamus.

Partem affectam in hoc morbo nullus dubitat esse uterum in tumorem & distentionem præter naturam à materiâ ibi collectâ eleuatum. Sed distinguendum est imprimis, utrum primariò vel secundariò ibidem genita sit hæc materia, quæ est continens illius causa: & utrum illa contineatur in cauitate vel membranarum spatiis quæ uterum constituunt. Quod ad primum igitur attinet, si quidem apparentes sint notæ totius corporis male affecti, vt per febres acutas vel diuturnas, per hæmorrhagias immoderatas, si sint insignes querelæ ipsius capitis fluxionibus laborantis, ventriculi imbecillioris, lienis grandioris, & potissimum hepatis malè affecti & valde debilitati, cum quibus inceperit hic noster affectus, cum illis augeatur & mitescat: tunc maxima erit coniectura sympatheias per communicationem materiæ, uterum scilicet non tam vitio suo, quam illarum partium συμπαθῶς suscepisse causas istas præter naturam. Contra verò si ista omnia absint, & rectè aut saltem mediocriter valente reliquo corpore, iste tumor acciderit post particulares affectus ipsius uteri, vt laborioſos partus, vel aborsus, suppressiones mensium, vel eorumdem nimias profusiones, vlcera, tumores phlegmonosos vel scirrhosos: tunc non erit dubium, quin particularis ista dispositio prima rudimenta iecerit istius hydropis in utero per congestionem, ex deprauatâ scilicet illius coctione, aut impeditâ excretione superfluæ humiditatis, aut flatuosæ substantiæ illic genitæ. Quod ad secundum spectat, utrum scilicet illa materia pituitosa, serosa, aut flatuosa posita sit intra uteri cauitatem, vel ipsius substantiam & membranas, ita distingui posse existimo. Quod scilicet dum est in cauo, multò maiorem eleuationem ac tumorem facit in illa regione hypogastrij, quam dum est inter membranas uteri, quia multò maius est spatium vbi contineatur: deinde quod aliquam fluctuationem repræsentat dum est in cauitate, quando non est exactè distenta sero: & minores infert cruciatus in illa cauitate, quam dum est inter tunicas, vbi diuulsiones sunt maiores, & in parte magis sensibili, vt patet de dolore colico. Deinde, quia, vt dicebamus, quando eiusmodi flatus & serum continentur in cauo uteri, oportet adesse aliquas obstructiones, aut constrictiones orificij illius interioris, vt retineatur interius: quæ si omnino absint, vt contrectanti obstetrici vel chirurgo patebit, credibile erit materiam illam non in cauitate, sed in spatiis tunicarum esse positam.

Vbiuis igitur illa materia contineatur, dignoscendum rursus, utrum sit pituitosa, serosa, vel flatuosa, quamquam numquam ita sint solitariæ, quin inuicem permisceantur, vt in hydrope vniuersali dictum est. Quod ad pituitosam spectat, quæ ad anasarcæ naturam magis accedit, mollem reddit, & contactui digitorum cedentem, non solum uterum, sed etiam vicinas omnes partes hypogastrij, pubis, perinæi, & lumborum, sine vllo dolore aut distentione partis istius, quæ in dies magis ac magis flacceſcit, nisi conuenienti remediorum vsu emendetur. Serosa autem & flatuosa insignem faciunt eleuationem partis ac renitentiam, potissimum si in cauo contineantur, cum dolore aliquo: flatuosa quidem, quam ideo Græci ἰωπνευμάτωσιν vocant, cum minore pondere & fluctuatione: serosa cum illis sæpe ascitem vniuersalem repræsentat: percussa tamen ista pars si flatu sit distenta, instar tympani resonat; si sero, instar utris aquâ aut alio liquore referti. Denique respiciendæ erunt causæ, quæ ad istas materias producendas aptæ sunt. Etenim si vera sunt quæ ab authoribus nostris traduntur, certum est flatum à minori multo frigiditate excitari, quam pituitam, & serum: certum est etiam causas externas & internas, vt alimentorum varia genera, & similia quibus vsæ sunt, ostendere cui materiæ producendæ magis dispositæ fuerint.

Verum supereſt adhuc vt sciamus, quomodo particularis iste hydrops distingui possit à verâ imprægnatione quam sæpe mentitur, ab hydrope abdominis, qui ascites & tympanites vocatur: atque ab aliis tumoribus, qui in utero fieri possunt. Quod ad imprægnationem spectat, si quidem sanæ & vegetæ fuerint mulieres fœcundo concubitu vtentes, quibus uterus sensim in molem attollitur cum motu proprio & sensibili embryonis, nulla est dubitatio, quin eiusmodi affectus sit secundum naturam & vera grauiditas. Sed quoniam contingit mulieres male

sanas

ſanas & coloratas, infinitiſque ſymptomatis vexatas aliquando etiam imprægnari: fit ſæpe vt non ſolum mulierculæ, & obſtetrices, ſed etiam Medici fallantur in diſtinguendâ verâ imprægnatione ab iſtis affectibus præter naturam: quando in vtriſque menſtrua per aliquod tempus ſupprimuntur. Imo ipſe Aëtius putauit cum ipſo hydrope vteri conceptum accidere poſſe: quod tamen ego non exiſtimo eſſe admittendum de vero conceptu, qui ad perfectionem fœtus peruenire poſſit, ſed tantum ſeminis virilis quadam retentione per aliquod tempus, quia embryonem nouem integros menſes poſſe nutriri commodè, & retineri in vtero cum tantâ aquarum illuuie, aut flatuum copiâ omnino eſt impoſſibile. Grauiditatem itaque veram ab hydrope vteri in muliere aduerſa valetudine vexatâ ita diſtinguemus. Primum quod vera grauiditas non facit tumorem præter naturã ita æqualem vt iſte hydrops, ſed acuminatum & quaſi faſtigiatum, cum hydrops ſit extenſus vniformiter per vteri corpus: Secundò quod in grauiditate poſt aliquot menſes meliùs ſe habere ſolent mulieres vt plurimum, quia grandior fœtus iam abſumit maiorem partem humorum qui illi negotium faceſſunt: cum per iſtos tumores præter naturam quo diuturnior eſt progreſſus, eo magis ſymptomata intendantur, & vires imminuantur. Deinde quod in imprægnatione motus infantis ſenſibiliter poſt tertium aut quartum menſem percipitur, non ſolùm à grauidâ muliere, ſed etiam ab obſtetrice vel Medico, qui ventri manum diutius admouerit: iſque non vt in ſolâ palpitatione, quam flatus etiam excitare poteſt; ſed oblongior & vniformis, ſub quo ſentitur maior renitentia, quam dum ſubeſt tantum flatus vel aqua. Tertio denique, quod conſtitutio mammarum omnino alia eſt in grauidâ muliere, quam in ea quæ iſtos vteri tumores patitur: etenim in grauidâ mammæ tumidiores, rotundiores, ac lacte prægnantes redduntur, quæ in iſtis affectibus flaueſcunt omnino, decolorantur, & omni ſucco ſaltem alibili deſtitutæ apparent.

Hydrops verò vniuerſalis ipſius abdominis, ſiue ſit aſcites, ſiue tympanites, dignoſcetur ab iſto hydrope particulari matricis, tam flatuoſo quam ſeroſo, ſi ſit ſolitarius: alias enim pereunt omnia ſigna diſtinctiua vtriuſque: quia tumor iſte magis eſt poſitus in aqualiculo & fundo ventris ſiue hypogaſtrio, vbi eſt ſitus vterus; quam in ſuperiore abdominis parte, à qua potius incipit vniuerſalis hydrops. Actiones totius ſanguificationis, & nutricationis in corpore non apparent hîc ita læſæ, vt in vniuerſali, neque tantopere, aut tam ſubitò decolorantur iſtæ mulierculæ, aut extenuantur partibus ſuperioribus: ſitis illa & aridîtas linguæ quæ ſequitur hydropem abdominis, non ita vrget, & alia omnia ſymptomata valde ſunt mitiora. Quod ſi hydrops iſte vteri ab aquoſo humore pendeat, fere effluit huius aquæ quædam portio per vuluam, qua irrigantur perpetuo genitalia: ſi à flatuoſo, exeunt etiam per interualla quidam flatus quaſi ſtrependo per vteri orificium. Denique non eſt tanta vel fluctuatio in aquoſo dum conuertuntur ad latera, neque renitentia in flatuoſo per totum ventrem, vt in vniuerſali hydrope, quibus notis ſatis ſecernentur ab inuicem.

Denique ab aliis tumoribus vteri diſtinguitur hydrops, tum phlegmonoſo & eryſipelatoſo, quod febris, dolor intenſus, & inflammatio partium genitalium abeſt: tum ſcirrhoſo, cancroſo & ſimilibus, quod non ſit ea durities quæ tangentis digito reſiſtat, ſed cedat potius, & quaſi in foueam deprimatur: habet enim ſuam propriam ideam, quam ſolers Medicus animo concipiens non falletur circa particularem iſtam διάγνωσιν, de qua ſatis ſuperque dictum eſt.

Quod ad πρόγνωσιν verò, non eſt dubium quin iſte affectus ex totâ ſuâ ſpecie ſit valde pertimeſcendus: quia iſti peculiares hydropes vel denotant ruinam integram functionum naturalium in membris iſtis, quorum vſu vita diu carere nequit: vnde accerſunt tandem vniuerſalem κακεξίαν & hydropem: vel certè oſtendunt iam conſenſum quemdam partium principum, vt iecoris, lienis, ventriculi, propter quorum prauas concoctiones incipit grauiter labefactari œconomia naturalis. Qualis enim eſt vterus in muliere, inquit Aëtius, tale eſt vt plurimum reliquum corpus. Prout igitur inflatio hæc vteri hydropiformis velociora habet & vehementiora ſua incrementa, cum ſymptomatum magna ſyndrome, præcipuè ſi iuncta ſit pertinax menſium ſuppreſſio aut hæmorrhagia inſignis, eo maiorem portendit noxam & periculum: quia virium robur illas deficit, quod in hoc morbo chronico & pertinaci maximè requiritur. Iam igitur de illius curatione agamus.

In qua eò breuiores erimus, quod iſtius affectus θεραπεία fere ſimilis eſt illi quæ fuse proponitur in curâ hydropis vniuerſalis. Si quid igitur magis eſt hic peculiare,

præcipuè

præcipuè à nobis erit annotandum. Quod ad victus ergo rationem ſpectat, cum poſitum ſit hunc affectum pendere ab intemperie *frigidiore*, obſtructionibus, & collectione materiæ pituitoſæ, ſeroſæ, vel flatuoſæ: omnia calfacientia & exſiccantia plus minus pro conditione humoris dominantis, tenuantia, aperientia, detergentia, & reſoluentia erunt ex vſu iſtis ægrotantibus. Interdicenda igitur omnia alimenta aquoſa, *frigidiora*, & quæ concoquendo negotium faceſſunt calori natiuo. Somnus diuturnior arcendus. Exercitandæ aut fricandæ conuenienter. Omnes aliæ vacuationes naturales ad curſum ordinarium reuocandæ, & ab iniuriâ cæli frigidioris, pluuioſi, & auſtrini, quantum fieri poterit, prohibendæ: deinde de maioribus remediis cogitandum, inter quæ cum phlebotomia & purgatio principatum, obtineant, quæritur primùm, vtrum venæ ſectio iſtis mulierculis hydrope vterino laborantibus conueniat? Partem affirmantem tenent Paulus, Aëtius, & Auicenna, quia exiſtimant præcipuam huius affectus cauſam & magis ordinariam cœpiſſe à menſtruorum ſuppreſſione: Quod quamuis illis concedamus, non eſt tamen ita generaliter pronuntiandum de vſu iſtius remedij in hoc affectu, in quo calor valde eſt imminutus, obſtructiones pertinaces ab humore frigido, virium deiectio, & metus hydropis vniuerſalis. Ac proinde ſi incipiente morbo, conſtantibus viribus, & ſuppreſſis menſtruis appareat inſignis plenitudo in venoſo genere, non denegabimus hoc auxilium iſtis ægrotantibus, modò ex venâ cubiti, ſi humorum quantitas illud manifeſtè expoſcat; modò ex venis crurum, ſi ex vtero tantum ſit deriuandum. In aliis caſibus melius eſt à phlebotomiâ omnino abſtinere, & vacuationi huius cacochymiæ incumbere potiſſimùm.

Hoc autem fiet catharticis φλεγμαγωγοῖς & ὑδραγωγοῖς frequenter repetitis, & à nobis ſæpius commemoratis, inter quæ ſemen ebuli, ſoldanella, mechoacan, puluis radicis bryoniæ, ſuccus ireos noſtratis, elaterium, agaricus, hiera Galeni, & turbith principatum obtinent: ex quibus iunctis cum alterantibus & præparantibus, attenuantibus ſcilicet, aperientibus, detergentibus, & reſoluentibus, parari poterunt ſyrupi magiſtrales, apozemata, opiatæ laxantes, potiones catharticæ, & ſimilia ex aliis locis repetenda. Quibus adiungenda erunt roborantia, tabellæ ſcilicet, aut pulueres cardiaci & hepatici ad colligendas vires, quæ hic facilè dilabuntur. Et quemadmodum veris catharticis illa illuuies cauſæ antecedentis diligenter erit expurganda; ſic etiam illis adiungenda erunt diuretica & menſes prouocantia, quæ conuenienter iſtas vias reſerare, & materiam in vtero contentam propellere aut deriuare poſſunt. Necnon ſudorifica erunt vſurpanda, quorum caliditate & tenuitate reſoluetur maior pars huius humoris in vtero contenti, & per ſudores ſenſibiliter vacuabitur. Quorum omnium exempla copioſe repeti poſſunt ex capite de fœdis mulierum coloribus. Neque ſolum internis, ſed etiam externis remediis eadem attenuandi & reſoluendi facultate præditis erit oppugnandus hic affectus. Cucurbitulas laudant Practici circum & ſupra locum frequenter admotas cum multâ flammâ. Item fotus ex filtris, quæ bullierint in cineribus ſarmentorum & lixiuio cum pulegio, origano, foliis ebuli, & ſemine fœnugræci, quæ bene expreſſa & calentia applicentur ante & retro, vt ſudet ſi poſſit in lecto vel in ſtuphâ commodè paratâ. In hydrope flatuoſo fiant potius iſti fotus ſicci ex ſaculis calenti arenâ, aut cineribus referti, vel aliis rebus tenuantibus, & reſoluentibus in ſartagine frixis & ſimiliter admotis. Tegatur deinde locus emplaſtro de baccis lauri, vel de ſtercore caprino aut bouino cum ſemine cumini, dropace vel ſinapiſmo aut veſicatorio, vbi rebellior eſt affectus. Recentiores laudant aquam ſtillatitiam nicotianæ per octo aut decem dies ad ℥ iij cum pauco ſaccharo ſumptam: Alij vinum album cum infuſione cinamomi & limatura chalybis. Quæ omnia tam purgantia quam tenuantia & incidentia, in vterum etiam, ſi fieri poſſit, per metrenchyten infundenda, aut in formam peſſarij adhibenda poſt vniuerſales purgationes & præparationes. Si coniunctus ſit inſignis dolor huic morbo, commendat imprimis Amatus aquam vel decoctum florum chamæmeli, pari quantitate ſumptum. Aquæ item ſulphureæ, & nitroſæ à pleriſque in hoc affectu laudantur, tam potu quam balneo, dummodo inſignis feruor jecoris aut totius corporis non ſit illi coniunctus. Tutiſſimum eſt etiam auxilium in hoc affectu potiſſimum humorali, fontanellas cruribus admouere, vt exhauriatur illa vteri ſentina paulatim. Hippocrates verò *lib de naturâ muliebri*, com-

mendat medicamentum quod ex cantharide & felle paratur,& peplij ſuccum,quod hoc tempore non eſt vſitatum.Reliqua facile repeti poterunt ex tractatu vniuerſalis hydropis, vt diximus.

CAPVT IX.

De Scirrho & Cancro Vteri.

TVMORIBVS pituitoſis & mollibus ad melancholicos & duros tranſeundum eſt,quos breuitatis cauſa vnico hoc capite complectemur. Eſt igitur propoſitus affectus tumor vteri durus ab exſiccatione nimia aut melancholici vel atrabilarij humoris ſynathriſmo pendens,quem grauitatis ſenſus & contractio inſignis comitantur.Dicimus eſſe tumorem vteri durum, quoniam in omnibus iſtis eleuationibus ſentitur manifeſta renitentia & durities,quæ cum à triplici cauſa fieri dicatur à Galeno,nimirum ſiccitate inſigni, repletione magna, & congelatione,hîc omnes iſtæ cauſæ concurrunt,aliquando ſolæ & ſimplices,aliquando coniunctæ.Vtpote in ſcirrho vero ex humoris melancholici congeſtione,adeſt propria & quaſi natiua humoris ſiccitas,quâ pars naturâ ſuâ exanguis magis ac magis exſiccatur:adeſt inſignis repletio,vnde tumor ille cum grauitatis ſenſu & pondere:& quia tum pars affecta, tum ipſe humor ad frigidam vergunt intemperiem, ideo materia illa concreſcit in illo loco & quaſi congelatur. In ſimplici vero ſcleroſi, quæ eſt quæcunque durities & ſcleroma,vt loquitur Aëtius,adeſt aliquando ſiccitas per reſolutionem tenuiorum partium factam in aliis tumoribus præter naturam, quæ degenerare poſſunt in ſcirrhum,vt phlegmonoſo & œdematoſo cum repletione.Quod ſi ipſius partis ſubſtantia ſit ſuo proprio humido defraudata, tunc durities illa à ſimplici pendet ſiccitate. In cancro autem repletio & tumefactio ingens illud præſtat:vnde poſita eſt à nobis in noſtrâ definitione illa diſtinctio cauſæ efficientis, nempe exſiccatio ſimplex & congeſtio humoris melancholici vel atrabilarij: vt omnes tumorum iſtorum differentias complecteremur.Diximus etiam eſſe vteri tumorem, non quod totum vteri corpus,niſi raro admodum, occupet, quia humor iſte craſſus vix poteſt diſpergi per ſubſtantiam iſtam vteri ſolidam & denſam: ſed quia affectus iſte inſidet aliquando eius fundo,vt dicebamus de phlegmone, aliquando lateribus,aliquando ceruici, ita tamen vt perpetuò totius partis operationes ſenſibiliter lædat.Addidimus etiam in noſtrâ definitione, cum grauitatis ſeu ponderis ſenſu, & inſigni illius contractione; quia iſta duo accidentia perpetuò ſolent duros iſtos tumores in vtero comitari.Grauitas quidem,quia materia hæc craſſa & terreſtris multum addit ponderis huic parti & circumiacentibus,quæ quaſi onere iſto oppreſſæ vix moueri poſſunt. Contractio verò, quia vbi pars iſta vel tota, vel ſecundum aliquam eius portionem exſiccata eſt, vel referta humore diſtendente, tantumdem oportet vni decedere dimenſioni, longitudinis ſcilicet vel profunditatis, quæ cauitas eſt in vtero; quantum accedit latitudini eleuatæ & diſtentæ. Ita vt in eiuſmodi tumoribus ſit obſeruatum, perpetuò vterum retrahi & quaſi conuelli verſus illam partem, quæ eſt tumore affecta.

Omiſimus verò dolorem in hac noſtra definitione:quia hoc ſymptoma triſtis ſenſationis in ſenſu tactus non conueniebat ſimpliciter omnibus hiſce tumoribus ſub noſtrâ definitione comprehenſis. Nam in ſimplici exſiccatione per reſolutionem, in phlegmonoſo vel œdematoſo indurato, in ſcirrho exquiſito,dolor nullus aut valde exiguus, qui ad grauitatis ſenſum referri commodè poteſt, percipitur. In ſcirrho verò non exquiſito,qui fit à permixtione quadam humoris melancholici cum ſanguineo,bilioſo,aut atrabilario,eſt quidem dolor, ſed non atrox & moleſtus,qui ægro aut Medico negotium faceſſere debeat, aut illum à verâ & methodicâ curatione diſtrahere. Contrà in carcinomate & tumore quouis cancroſo, potiſſimum vbi ſæuire & exaſperari incipit per ſe, vt aucto incendio illius, aut ab externis medicamentis, tanta eſt doloris aliquando ſæuitia & horrendus cruciatus, vt illi tanquam vrgentiori, omnibus indicationibus relictis, continuò ſit proſpiciendum.Ita vt hoc capite habeamus tria potiſſimùm tractanda,ſcirrhoſim ſcilicet,

quæ

quæ eſt ſimplex induratio,& vniuerſalis cuiuſcunque partis aut humoris : ſcirrhum, qui verus eſt tumor à melancholico ſucco naturali:& cancrum vteri,qui eſt ab humore maligno & atrabilario ibidem congeſto.

Quæ ſint igitur cauſæ iſtorum affectuum imprimis eſt inquirendum ſolitâ methodo.Quod ad ſcleroſim ſpectat,indurationem ſcilicet ipſius partis vel alterius tumoris phlegmonoſi aut œdematoſi : certum eſt illud contingere vt plurimum duplici errore, præter vitium partis & materiæ, quæ aliquando craſſior & contumacior exiſtit : nempe in principio inflammationis vteri vel phlegmonoſi tumoris propter vſum immodicum repellentium, adſtringentium aut refrigerantium : ex his enim conculcatus humor,qui regredi amplius non poteſt,atque ſubſtantia partis condenſata, fit vt adhæreat magis & induretur in naturam ſcirrhoſam. Alius error propter quem fit eiuſmodi ſcleroſis, contingit in progreſſu atque declinatione iſtorum tumorum, quando vehementi aut diuturniore diſcutientium ac reſoluentium medicamentorum vſu partes tenuiores ita ſubitò & violenter diſſipantur,vt quaſi fæx & craſſamentum quoddam remaneat,cuius diſſolutio deinceps fieri nequit,ſed in calloſam & quaſi lapideam naturam degenerat. Et ſic fit ſcirrhus ille ſecundarius ex permutatione aliorum tumorum male curatorum,vnde phlegmone indurata, ſclerotoma,œdema induratum,ſcirrhus albus vocatur apud authores noſtros.

Scirrhus autem propriè ſumptus, ſiue exquiſitus & indolens,cum ſit ſoboles humoris melancholici puri & naturalis,in alicuius partis,vt vteri,ſubſtantiam effuſi,ea omnia agnoſcit ad ſui generationem idonea, quæcunque materiam huic humori producendo aptam ſuppeditant, quæ illius expurgationem conuenientem impediunt & partem ac vias fluxioni huic ſuſcipiendæ diſponunt. Spurius autem ſcirrhus & cuidam dolori coniunctus, permixtas habet cauſas, id eſt,quæ poſſunt huic materiæ melancholicæ portionem aliquam alterius humoris permiſcere, præcipuè ſanguinei,bilioſi aut atrabilarij.Nam quando pituita melancholiæ coniungitur,non facit differentiam,ſaltem ſecundum doloris ſenſum,ſed colorem & partis conſiſtentiam euariat. Ex parte igitur rerum naturalium, temperamentum melancholicum aut ſanguineum humores iam adurens, quale eſt fuſcarum & nigricantium,vel rubore ſaturato perfuſarum:ætas inclinans circa quadrageſimum quintum annum: victus ratio laborioſa : vſus alimentorum craſſorum & δυσπεπτων, incontinentia vt in malaciâ, & voracitas vt in βουλιμῳ, quibus ſunt valde obnoxiæ, aëris inclementiæ vehementiores & diuturnæ, vt ſiccitas æſtate præteritâ : mœrores aut metus diuturni, quales fuerunt his noſtris bellis ciuilibus, quibus vidimus etiam infinita, vt ſcrophulas olim inauditas, morborum genera in Galliam irrepſiſſe. Sed præcipuè retentio vacuationum ſolitarum, per quam recoctis quaſi humoribus & incraſſatis facilis exiſtit generatio iſtorum tumorum ſcirrhoſorum, tam ſimplicium quam compoſitorum in vtero, potiſſimùm ſi ab aliquâ cauſâ externâ, vt percuſſione, caſu, ictu fuerit debilitatus : vel internâ, vt intemperie inſigni, obſtructionibus,vlceribus, aborſu, partu laborioſo,poſt quem non ſatis commode expurgata fuerint lochia illa, ſiue ſuperfluitates à fœtu collectæ : denique hepar aut lien malè affecta, quæ vt plurimum omnibus iſtis morbis humoralibus primam originem ſuppeditare ſolent. Hæc omnia aut pleraque ſi concurrant apta ad melancholici humoris ſimplicis vel mixti generationem, ſcirrhos producent in vtero, & aliis partibus calore, dolore, vel ſummâ debilitate affectis, prout variè contingit. Sin vero magis tendant ad productionem humoris atrabilarij, ob intenſiorem calorem & quaſi aliorum humorum aduſtionem & incinerationem, fient carcinomata ſiue cancri in partibus, non ſolum externis, vt plerumque ſolet ; ſed etiam internis, vt vtero, qui occulti ab Hippocrate vocantur, præcipuè quando non ſunt vlcerati. Item iſta carcinomata & cancroſa vlcera facile exoriuntur ex aliis tumoribus, vt phlegmonoſis, ſcrophuloſis, ſed potiſſimum ſcirrhoſis, vel ob permixtionem alicuius ſucci acrioris, vel certe quando imperitâ medicatione exaſperantur,vt ipſemet docuit Hippocrates. Videamus igitur quibus ſignis deprehendere poſſimus iſtiuſmodi affectus in vtero.

Factam itaque ſcleroſim in vtero ex præcedente inflammatione ſimplici, aut tumore phlegmonoſo, oſtendent ea quæ prædictos primum affectus præceſſiſſe ſignificant, vt ſupra diſputauimus : & quod ceſſantibus eiuſmodi inflammationibus, pars tamen neque leuior,neque liberior reddita ſit,ſed grauior cum inſigni ponderis aut duritiei ſenſu:necnon contractior & quaſi anguſtior verſus illam partem,vbi iſta exſiccatio & induratio potiſſimum facta eſt.

Quod si sit scirrhus à verâ melancholiâ, per fluxionem aut congestionem genitus,præcesserunt vel adhuc adsunt ea omnia quæ iam à nobis fuerunt commemorata ad eius generationem necessaria : in principio incrementi illius fluere possunt immoderatè menstrua, sed aquosa,tenuia, & quasi transcolata,relicto intus crassamento, & veluti fæce sanguinis : in progressu supprimuntur omnino, grauatur uterus cum circumiacentibus partibus, coarctatur plus minus pro ratione partis in qua situs est.Nam si in fundo hæreat,repræsentat quasi molam carnosam, quæ in eo gigni solet,sæpeque Medicis atque ægrotantibus imponit, nisi diligenter alia considerentur : nam per scirrhum uteri mulier attenuatur, mammæ gracilescunt & lacte omnino destituuntur, neque dum stat,prouoluitur ita tumor versus os pubis,quemadmodum in molâ. Si in lateribus hæreat scirrhus,intumescit magis ea pars, & ad eam reliquæ quasi contrahuntur. Si in ceruice, obstruit & tactu atque etiam oculis deprehendi potest. Vbi neque dolorem insignem aut saltem effatu dignum, neque aliam molestiam, nisi forte grauitatis, vt diximus, inferre solet, vt narrat Hippocrates *libro quinto epid.* de illa Gorgiæ uxore, in qua videtur mola fuisse coniuncta cum fœtu.

Carcinoma autem in utero radices posuisse,quod ad tumorem simpliciter & grauitatem spectat,eadem ostendent(& in quâ uteri parte)quæ de phlegmonosis tumoribus,& scirrho dicta fuerunt.At verò si visum aut tactum consulas,multum discrepantia:nam dum oculis cerni potest, apparet tumor inæqualis & tuberosus, ex liuido vt plurimum nigricans, & venarum propaginibus quasi radicibus infestissimis adhærens parti affectæ.Si verò sensum tactus adhibeas,hic adest insignis dolor quasi acuum per interualla pungentium, insignis etiam grauitas, & partis contractio molestior : quæ omnia exacerbantur, si vlcerari incipiat, feruente scilicet & dilatato humore isto,qui erodens tandem substantiam partis eructat saniem quamdam tenuem, nigram, vel suluam & grauiter olentem : imo etiam aliquando sanguinem,quando contingit vas aliquod grandius abradi, cui comes est febricula, inquietudo, nausea, pudendorum ardor & similia, quibus malignitas pessimi huius affectus deprehenditur.

Nam vt ad PROGNOSIM veniamus,nullus est morbus,qui maiorem adferat naturæ & Medico curanti difficultatem, quam illi qui pendent à summâ exsiccatione humoris melancholici & atrabilarij:quæ enim summè exsiccata sunt vt in sclerosi, vel propter ignauiorem humectantium vim, vel quia calor natiuus in illis partibus est pænè exhaustus, vix vmquam restitui possunt.Quæ valde sunt dura,vt scirrhi ob humoris frigidi & sicci dominium,non potes nisi emollientium & resoluentium viribus oppugnare : ab emollientibus impendet metus putrilaginis malignæ, à calfacientibus & resoluentibus periculum est ne ferueant & in atrabilarium succum permutentur,vnde carcinomata:vel nimium exsiccata magis ac magis indurentur.Adde quod propter menstruorum in hoc affectu suppressionem, vel imminutionem, multa in corpore mala exoriuntur, à quibus tandem consequitur hydrops uteri, vel abdominis,quando lien & hepar consentiunt. Quod ad cancros vero, ex Hippocr. *Aphor.* 38.*sect.*6.potissimum occultos,propter summam feritatem illius humoris,melius est non curare:quia curati,id est tentatâ eorum curatione, exasperantur vt plurimum,& citius pereunt ægrotantes, quam non tractati ope medicâ:nisi in illis partibus ex quibus radicitus extirpari possunt. Quæ omnia facient nobis viam ad sequentem διαγνῶσιν.

Quod ad CVRATIONEM attinet,suppositio imprimis debito regimine,vt scilicet sub dominio humoris melancholici vel atrabilarij abstineant ab eis omnibus, quæ generationi illorum materiam, vel aliquod aliud adiumentum adferre possunt:qualia sunt alimenta omnia crassi succi & viscidi,omnia nimium frigida vel etiam torrida & æstuantia,ob exsiccationem quam inducunt, vt panis ater, durus & furfuraceus,carnes suillæ,bouinæ,aprinæ,leporinæ,anatum, & reliquarum auium paluſtriū, pisces grandiores & cetacei,legumina,tubera,caseus acris,& inueteratus,omnia salsa,piperata,frixa,& inter olera, cepe, & brassica:vinum merum,crassum,nigrum,vetus, aut fumosum, mustum, sinapi, & similia, quæ accuratius capite de melancholiâ tractantur.Hoc inquam suppositio, vt propositos affectus oppugnemus, hos habere scopos debemus. Quod si quæ sit adhuc materia antecedens, quæ affectum augeat vel foueat, eam diligenter expurgemus, & reuellamus : deinde causam coniunctam cum ipso morbo peculiari vacuatione educamus. Quod ad primum scopum attinet, vacuationes humoris melancholici & atrabilarij,si quidem

cum

Digitized by Google

cum maſsâ ſanguinariâ permixtus ſit, vt ex tumentibus nigricantibúſque venis & totius corporis colore iudicamus, non ſolum purgantibus medicamentis, ſed etiam phlebotomiâ perficietur, tam ex venâ vtriuſque cubiti mediana, quæ vtramque plethoram exhauriat, quam ex venis popliteis,& cruralibus,præcipue quando ſuppreſſa ſunt mẽſtrua vel hæmorrhoides,& eò vergere videtur illud excrementũ:aliquando etiam ſaluatella, quæ inter minimum & annularem digitum excurrit,quando longius reuellendum erit à parte affectâ: eóque in educendo ſanguine audaciores & liberaliores erimus, quo ille nigricantior & fæculentior apparebit; quia talia tunc educuntur, qualia oportet. Venæ ſectioni ſuccedaneam præſtabunt operam cucurbitulæ cum ſcarificatu in variis partibus, hirudines, cauteria cruribus impoſita, vt fiant emiſſaria ſiue fonticuli ſuperuacaneorum humorum & ſimilia auxilia Chirurgica: Pharmaceutica verò erunt purgantia, alterantia, externa & interna, tam manifeſtis quam occultis qualitatibus, & aperientia iſtas obſtructiones. Purgantium igitur melanagogωn claſſes ita hic ſunt percurrendæ, tam ſimplicium quam compoſitorum, vt in principio & ante præparationem benignioribus: poſtmodum vehementioribus agamus, vt lapidis lazuli puluere, & pilulis, Antimonio infuſo, radice eſulæ, elleboriſmo, & ſimilibus, dummodo vires & reliqua corporis conſtitutio id permittant. Aliàs melius eſt & tutius mediocribus frequenter repetitis illud per ἐπίκρασιν præſtare, potiſſimum in cancroſo tumore. Alterantia verò in ſcirrho ſincero erunt humectantia & modicè calfacientia, vel temperantia potius, vt humor ille auſterus & rebellis iſtorum benignitate paulatim ſuperetur. Si ad atram bilem vergat, vt in ſcirrho impuro vel carcinomate, etiam refrigerantia & refrænantia erunt ex vſu. Vnde ſyrupos illos ex ſucco borraginis & pomorum redolentium, decoctum lupulorum, cichorei, & epithymi, ſerum lactis, balnea humectantia, inſeſſus & linimenta refrigerantia præſcribere illis ſolemus. Ex proprietate puluis veri ſapphiri & ſmaragdi, præcipuè ad cancrum, frequenter ad gr. iij. cum aquâ ſcabioſæ ſumptus prodeſſe putatur, quod eodem modo dicas de lapide noſtro bezoardico. Aperientia vero & diſſoluentia humores iſtos in viis vteri & vaſis contentos duo potiſſimùm traduntur à Practicis: nempe trochiſci ex viperinâ carne confecti ad ʒ j. mane per quatuor dies ſumantur cum iuſculo pulli conuenientibus herbis alterato, vel cum decocto cancrorum fluuiatilium aut gammarorum in aqua borraginis facto. Aliud eſt chalybs ſæpe extinctus in aquâ aut vino albo oligophoro, aut eiuſdem limatura ſola vel permixta cum aliis, ſuperiori tractatione de fœdis mulierum coloribus à nobis ſufficienter traditis, quâ exiſtimant validiſſimè iſtos infarctus craſſorum & rebellium humorum in vtero & aliis partibus diſſolui poſſe. Atque hæc de primo ſcopo.

Quod ad ſecundum, qui cauſam coniunctam & ipſum morbum conſiderat: ad remollitionem & humectationem ſcleroſcos in vteri propriâ ſubſtantiâ, vel ab induratis tumoribus phlegmonoſis & œdematoſis contractæ, non opus eſt aliis remediis aut methodo, quàm in vero ſcirrho, cuius materia vacuanda eſt & alteranda. Ideo ſufficiet de illo agere. Durus igitur hic tumor emollientia cum tenuitate partium, humoris qualitas & quantitas calfacientia modicè & digerentia expoſcit. Neque enim ſimpliciter emollientibus, & humectantibus vtendum, ne maligna putredo, vt dicebamus, introducatur: neque ſimpliciter calfacientibus, attenuantibus & reſoluentibus, ne contracto incendio degeneret in atram bilem: aut per nimiam reſolutionem reliquæ partes magis ac magis exſiccentur & indureſcant. Ideóque conſulunt authores noſtri,vel illis inuicem permixtis, vel viciſſim vſurpatis agendum. In hoc igitur vteri ſcirrho formulæ remediorum topicorum eſſe poterunt per fotus, inſeſſus, iniectiones, linimenta, emplaſtra, ſuffumigia, & peſſaria, prædictis viribus prædita, prout magis commodum videbitur. Inter quæ ſequens decoctum pro balneo, ſemicupio, fotu, enematis, aut iniectione prodeſſe poterit.

℞ Rad. althææ, liliorum, & fœniculi, ana ℔ iv. maluarum cum toto, violar. & brancæ vrſinæ, ana M iij. nepetæ & artemiſiæ, ana M. j. ſeminis lini & fœnugræci leuiter contuſor.an. ʒ ij. flor. chamæmel. meliloti & ſtœchados, ana M. ß. Fiat omnium decoctio in aquâ dulci, vel iure capitis, pedum aut inteſtinorum veruecis. Aut in eodem decocto diſſolue olei liliorum alborum, iaſmini, hypericon. an. ʒ iv. Vtatur vt dixi. Ex cuius reſidentiâ contusâ & cribratâ, addendo farinæ ſeminis lini ʒ iij. puluer. ireos Florent. ʒ ij. croci ϑ j. butyri recentis & pinguedinis gallinæ, an. ʒ j. olei amygdalarum dulcium q. ſ. Fiat cataplaſma: admoueatur ſupra

& poſt regionem pubis. Quo remoto poſt aliquot horas, ne diuturniore morâ exſiccetur, apponi poterit emplaſtrum de mucilaginibus aut diachylonis ireati oleo lumbricorum diſſolutum : vel fiat ex gummi bdellio & ammoniaco liquatis cum pauco aceto aut vino albo.

Exiſtimant folia & radices capparis in hydromelite ad putrilaginem decocta, tam fotu quam cataplaſmate, maximam obtinere vim ad ſcirrhos iſtos perdomandos. Galenus in rebelli materiâ vtitur fumigio lapidis pyritis igniti & aceto acerrimo irrorati, vino albo aut decocto maluarum & parietariæ. Recentiores lutum bituminoſum balneorum naturalium, qualia ſunt noſtra Balerucana, valde commendant ad molliendum & digerendum. Iſta autem omnia ſummo iudicio & prudentiâ erunt moderanda, ne, vt iam dictum eſt, aut magis induretur ſcirrhus, aut quod multò peius, in cancrum degeneret, quod omnes Practici verentur ex inconſideratâ aut diuturniore auxiliorum adminiſtratione. A qua melius eſt per interualla deſiſtere, vt eorum ſucceſſus appareat : fruſtra enim pugnatur, quando ſcirrhus omnino indolens in lapideam naturam degenerauit.

Ad cancri verò particularem curationem nihil habent authores noſtri præcipuum, quam, ſi ſecari aut aduri cum ſuis radicibus non poſſit penitus, illius incrementum impedire ac ferocitatem compeſcere. Ac proinde in cancro non vlcerato omnia moliuntur, ne exulceretur : in vlceratione ferociat & augeatur : ac in vtróque doloris atrocitas temperetur. Impediunt igitur illius vlcerationem, quæ moderatè refrigerant & adſtringunt ſine vllâ mordacitate : inter quæ metallica bene præparata principatum obtinent. Vt

℞ Olei myrtini & roſacei, an. ʒ ij. ſucci ſolani aut ſemperuiui ʒ j. Agitentur omnia in mortario marmoreo ad ſolem cum piſtillo plumbeo, donec nígreſcant : deinde adde lithargyri & ceruſæ aquâ ſcabioſæ lotorum, an. ʒ iij. tuthiæ præparat. ʒ j. caphur. ℈ j. Fiat linimentum, quo inungatur ter aut quater in die : deinde lauetur leuiter aceto roſaceo, ſero lactis aut hydromelite. Vel ſi dolor vrgeat, decocto maluarum & papaueris albi, lacte muliebri tepente & ſimilibus. Eadem iniici in vterum poterunt, aut etiam aqua ſolani & nymphææ diutius in mortario plumbeo agitata, aut decoctum cancrorum fluuiatilium, quorum puluis prædicto vnguento addi poterit. Quidam pro ſecreto habent ad eiuſmodi cancros herbæ Roberti vſum intus & extra : alij ranas lotas decoctas & contuſas in formam cataplaſmatis, aut etiam fotu & iniectione adhibere. Vbi iam vlcerari incipit cancer, melius eſt Medico honeſtam fugam capeſſere, quam in morbo deplorato oleum & operam perdere, niſi fortè ſymptomatum ſedandorum causâ. Atque hæc de propoſitis affectibus.

CAPVT X.

De procidentia, ſubuerſione, & omni malo ſitu Vteri.

AB intemperie & tumoribus vteri præter naturam, ad morbos eiuſdem organicos ſeu conformationis vitia progredimur : quæ quidem in vſum venire ſolent. Qualia ſunt imprimis procidentia, ſubuerſio, & omnis malus ſitus hoc capite explicanda : diximus enim de aſcenſu vteri verſus ſuperiora, vt hepar & diaphragma, quod nobis veriſimilius videbatur capite de ſuffocatione hyſtericâ : de reclinatione autem illius ad latera, tractatu de tumoribus præter naturam, quibus aliquando afficitur : & ex præſenti capite facile cognitio illius & curatio haberi poterit. Eſt igitur propoſitus affectus, diſpoſitio præter naturam vteri organica, quando ſecundum ſuum ſitum & connexum vitiatus, deſcendit plus minus ad inferiora, propter ligamentorum relaxationem aut eorumdem diſruptionem. Dicimus eſſe diſpoſitionem præter naturam organicam in ſitu & connexu, vt diſtinguamus ab eo motu naturali, quo refert Ariſtoteles *lib. 7. de hiſtor. animal.* deferri vterum verſus oſculum pudendi appetitu coeundi, vel prolectandi ſeminis virilis. Quia ille deſcenſus vel conceſſo coitu, aut peracto poſt eiaculationem ſeminis ſponte ſua ſedatur. Eſt autem morbus organicus in ſitu & connexu : non diſſimilis herniæ inteſtinali, vel ani procidentiæ : quia ſedes naturalis vteri eſt intra abdominis inferiorem

partem

Digitized by

partem ſub oſſe pubis inter inteſtinum rectum & veſicam, ibique manere debet vt functiones ſuas rite obire poſſit, puta menſtruorum expurgationem, ſeminis eiaculationem, conceptum & pueri ad debitum vſque tempus geſtationem. Ideóque à naturâ in illo loco validiſſimis ligamentis, præter vaſa illa, neruos ſcilicet, venas & arterias, quibus principibus partibus connectitur, fuit firmatus & annexus, quo opus ſuum ſpeciei propagationi neceſſarium commode poſſet peragere. Vbi igitur iſte connexus violatur, quia grauitate ſua naturaliter ad inferiora deuoluitur, vt reliquæ omnes corporis noſtri partes, ibidem varias parit procidentiæ differentias, quod in noſtrâ definitione intelleximus, per illud *plus minus*: aliquando enim ſola ceruix interior prouoluitur in vuluam: aliàs totum quidem corpus & fundum illius procidit, ſed non prominet extra concauum vuluæ, ſed in eâ apparet velut glans virilis rubens cum ſuo foramine, aut anſeris ouum perforatum, quod eſt interius matricis orificium. Alias denique tanta eſt illius præcipitatio, vt fundo etiam inuerſo deuoluatur ad femora vſque & propendeat inſtar virilis ſcroti rugoſa matrix, aut oui ſtruthiocameli ſimilis cum aſperitate.

Diximus itaque in definitione noſtrâ, hunc ſitum & connexum vitiari, quoties ligamenta quibus vterus firmatur, præter naturam afficiuntur. Vincula iſta ſunt primò membrana omnibus ventris inferioris partibus communis à peritonæo orta, omnium craſſiſſima & robuſtiſſima: deinde tendines ſeu ligamenta duo, admodum laxa, quæ à lateribus apophyſeon orta, & oſſi pubis annexa, deinde ad inguina vſque excurrunt. Vbi igitur iſtorum vinculorum conſtitutio naturalis vitiata fuerit, ita vt vterum in proprio ſuo loco continere nequeant, tunc affectus iſte maximè moleſtus & turpis contingit. Oportet autem iſta ligamenta idem pati quod videmus in rebus externis contingere: tunc enim res inter ſe colligatæ diſſoluuntur, quando eiuſmodi vincula vel ſunt diſrupta, vel diſſoluta & elongata, propter ſummam mollitiem & humectationem. Ergo duæ erunt cauſæ immediatæ huius affectus, quarum vna diſruptio ſeu ſolutio continui manifeſta dicetur: altera relaxatio ſeu remollitio ligamentorum vteri. Oportet autem illam ruptionem & relaxationem contingere vtrique ligamento antagoniſtæ, & ipſi peritonæo tunicæ, ſcilicet vt prolapſus iſte vteri fiat ad inferiora, quia vno ſaluo & incolumi vterus adhuc ab eo retentus non poſſet præcipitari deorſum, ſed tantum ad latus alterutrum reclinari, vt conſideranti patet.

Quæ igitur rurſum ſint cauſæ iſtarum duarum diſpoſitionum præter naturam in vtero & ligamentis propriis, eſt inueniendum, vt conuenientior deinde θεραπεία inſtituatur. Quod ad ruptionem ſpectat, quæ eſt ſpecies ſolutæ vnitatis quaſi ἀνάστασμα quoddam, omnia vehementer commouentia, & concutientia vel diſſecantia id præſtare poſſunt: Vnde ictus, caſus ex alto, ſaltus, oneris geſtatio vel ſubleuatio, curſus in decliui loco, compreſſio abdominis violenta, tuſſis vehemens & diuturnior, ſternutatio violenta in puerperio aut poſt, reſpirationis & ſpiritus diuturna cohibitio, vt aliquid per inferiora expellatur, compulſo diaphragmate & muſculis abdominis vehementer, vt fit in deiectione laboriosâ, aluo durâ, teneſmo, geſtatione moleſtâ multorum fœtuum, & difficili partu: auulſio violenta fœtus aut ſecundinæ ab obſtetrice imperitâ vel audaciori: vehemens conatus vteri ad expellendum aliquid ſibi moleſtum, vt demortuum fœtum, molam aut materiam aliquam præter naturam: tunc enim idem contingit vtero, ex Galeni ſententiâ *lib. 3. de facult. natural. cap. 3.* quod duobus athletis, quilcum ſeſe mutuò deiicere conantur, vterque in terram prolabitur: frequens cucurbitularum admotio femoribus, maiorum ſcilicet & cum multâ flammâ, poteſt violenter attrahere vterum ad inferiora, in debilioribus potiſſimùm mulierculis, & in quibus ob frequentes partus vel aborſus membra iſta iampridem infirmiora fuerunt reddita: nauigatio periculoſa agitando: imo animi pathemata aliquando iſtud præſtitiſſe animaduerſum eſt, vt vehemens ira, & terror: multæ enim ex repentino & malo nuntio ita conturbatæ fuerunt, vt compulſis violenter ad inferiora, ſpiritibus ipſum etiam vterum diuulſis ligamentis excuſſerint

Relaxatio vero ſeu elongatio prædictorum ligamentorum, quæ eſt altera deſcenſus vteri cauſa: à multis etiam produci & augeri poteſt, tam externis quam internis cauſis. Temperamentum enim pituitoſum valde & cruditatibus obnoxium, cuius impuritates per vteri vaſa tanquam ſentinam ordinarie vacuantur, vt in fluore albo, vix euitare poteſt hoc periculum. Vt etiam quæ magnis obnoxiæ ſunt catarrhis, quorum portio defertur ad hypogaſtrion, & partes illas copioſe irrigat, quod in vetulis

plerumque

plerumque contingit, aut illis quæ ob vitæ rationem perpetuo in balneis, vt balneatrices illæ Balerucanæ mulieres,item lotrices linteorum,quæ in flumine aut aquâ frigidiore quoquo modo diutius degunt.Sæpissime post partum,nisi sedulo protegatur vterus ab ingressu externi aëris humidioris & australis, aut si regionem palustrem accolant, contingere solet hic affectus. Quemadmodum ex humidioribus alimentis, largiore potu, medicamentis emollientibus, tam sumptis quam admotis diuturniore tempore, suppressione mensium longa aut alterius vacuationis consuetæ, vt sæpe obseruauimus in fontanellis siue cauteriis subito occlusis: otio, gaudio & somno prolixiore : ab istis enim omnibus commouentur, vel generantur causæ illæ interiores, tam antecedentes quam coniunctæ,nempe humores serosi,aut pituitosi, quibus istæ partes copiosius irrigantur, vt quasi particularis in vtero paralysis & effœminatio contingat. Est etiam aliquando hæc elongatio seu mollities vteri & ligamentorum dependens à putredinosâ illius constitutione,quam prægressæ dispositiones, vt inflammationis, tumores præter naturam, vlcera & similes produxerunt, sed rarius,& cuius curatio pene est deplorata : vnde non immorabimur diutius in describenda illius essentia & causis iam satis ex superioribus notis. Quare ad *διάγνωσιν* accedamus.

SIGNA in hoc affectu, tam partis affectæ quam causarum, ex solitâ methodo innotescent. Nam ipse affectus, nempe malus vteri situs, cognoscitur ex sensibili mutatione, quæ contingit extra illius locum naturalem, vt dicebamus. Si ceruix sola procidat, apparebit extra vuluam, vel etiam exiguus tumor quasi extensæ pellis & conuolutæ sine magnâ molestiâ. Quod si ipsum corpus decidat, apparet velut ouum anseris aut struthiocameli, vt dicebamus; in cuius imâ parte apparet foramen, quod est interius vteri orificium, ita deprelsum versus ipsam ceruicem, per quod etiam effunduntur menstruæ purgationes in istis mulierculis suo tempore. Hoc autem foramen perit, quando tota matrix inuersa ab ipso fundo velut scrotum pendet extra vuluam : sed ipsa ceruix tunc superior supremam partem quodammodo coarctat instar cucurbitularum illarum quibus viatores potum circumgestare solent. In principio affectus insignis est dolor circa pubem, inguina & lumbos, ob auulsa eiusmodi ligamenta & peritonæum, aliquando etiam conuulsio, febris & hæmorrhagia propter disrupta vasa aliquot, puta neruos, venas, & arterias, quibus adhæret vterus : vbi autem iam est assuetus, mitescunt ista omnia, & solâ ponderis vel obstructionis molestiâ torquentur : ita vt difficulter ambulent, & aliquando ob compressionem fæces & vrina supprimantur.

Vtrum verò à relaxatione ligamentorum & peritonæi vel eorumdem ruptione illud contingat, ita erit distinguendum. Primò ex generationis modo, quoniam in relaxatione paulatim & longo tempore contingit ista procidentia, sensimque augetur, nisi illi commodè prospectum fuerit, donec totus simul vterus foras exiliat. In ruptione verò subito & confertim contingere solet, magno cum dolore, & vehementioribus symptomatis iam commemoratis. Secundo quod causæ violentæ, disrumpentes, & diuellentes in corpore bene habito, & sine vllâ huius morbi suspicione producunt istam procidentiam vteri per ruptionem, vt contingit in hernia intestinorum. Eam verò quæ fit à relaxatione præcedunt corporis totius vel ipsius vteri constitutio humidior & mollior, laxitas in prædictis partibus summa apparet, tandémque resolutis aut elongatis eiusmodi partibus voluitur vterus ad exteriora : perpetuóque quasi humore & ichoribus madet, si fiat à simplici humore : sin verò ob putredinem, & corruptelam, effluit quædam virulentia aut sanies cum fœtore. Atque sæpius febricula quædam & omnium rerum fastidio detinentur.

Quod ad *πρόγνωσιν* verò, hic affectus ex suâ specie non est lethalis, acutus vel periculosus, sed chronicus & valde molestus: quia & deambulationem, & venereum opus & conceptionem, commodámque menstruorum expurgationem impedit. Aliquando tamen, vt de principio dicebamus,ob concomitantia symptomata, dolorem, febrem, conuulsionem, & subito necem inferre potest, præcipue in puerperis. Periculosior & curatu difficilior qui fit à ruptione quam ab elongatione, nisi adsit putredo : Item molestior in quo inueterauit, quemadmodum intestinalis hernia, nunquam curatur : In iuuenibus autem non sine difficultate : aliquando ex imperitâ contre-

ſtatione, violentâ repulſione ad interiora, aut ambientis frigiditate, fit vt gangræna procidentem vterum occupet, quæ metu maioris periculi exciſionem expoſcit. Atque hæc de ſignis.

Iam igitur curationem iſtius affectus fœdiſſimi & mulierculis moleſtiſſimi, quantum erit poſſibile, moliamur. Prima igitur & principalis indicatio petatur à causâ affectus, quæ ſi ſit relaxatio ex humiditate, exſiccantia, adſtringentia, & roborantia vſurpanda eſſe ſuadebit, tam ex victus ratione, quam medicamentorum internorum & externorum claſſibus repetenda. Si ex ruptione, agglutinantia, ſarcotica, & epulotica, vt in ramice inteſtinorum. Secunda petetur à ſpecie ſeu naturâ ipſius affectus, quæ cum poſita ſit in malo ſitu & connexu partium, imprimis reponendum eſſe ſuadet vterum in ſuum locum naturalem & vicinis partibus quaſi reſtituendum: mox ibidem retinendum & coercendum ne rurſum prolabatur. Tertia denique indicatio petetur à ſymptomatis & morbis concomitantibus hunc affectum, dolore videlicet, febre, conuulſione, hæmorrhagiâ, vlceribus, gangræna & ſimilibus, quæ mitiganda, & remouenda erunt, quantum fieri poterit, relictâ aliquando cura principali, vt loquuntur, cuius cùm ſæpe ſublata ſit ſpes, proponitur conſeruatio vteri prolapſi, ne vitium contrahat, aut tandem ſphaceliſmum. Quo graſſante in hanc partem, vſurpanda Poëtę ſententia, ſcilicet aut igne abſumendum, aut enſe reſecandum illud quod putrefactum eſt, & aliquando totus vterus exſcindendus, ne pars ſincera trahatur. Quod Caſtratores iſti vulgares in canibus, porcis, & aliis animantibus ſine vllo eorum periculo quotidie exercent, & in mulieribus ſimiliter turò fieri poſſe, vbi prociderit omnino & putruerit vterus, veriſimile exiſtit.

Incipiamus itaque à primâ indicatione, quæ diætam in hoc morbo conuenientem præſcribi ſuadet, potiſſimum quando ab humiditate & relaxatione proficiſcitur. Sit aër ſponte aut arte comparatus calidior, ſiccior. Vitent balnea, & omnem pedum aliarúmque partium lotionem: neque degant in regione aut domo vliginoſa paludibus aut flumini vicina. Corpore & animo ſint quieto, vitando omnem mœſtitiam, terrorem, iram, vociferationem, tuſſim & maxime ſternutationem, quantum fieri poterit, ſupinæque in lecto eleuatis cruribus iaceant. Ventre ſint molli, ne ex ſicciorib. excrementis comprimatur vterus, & dum laborant in deiectione, foris denuò protrudatur: non tamen laxo & nimium profluente, quia ſic irrigarentur magis iſta ligamenta & humectarentur. Cibo vtantur potúque calfaciente, exſiccante, & modicè adſtringente. Parce igitur bibant ex vino rubro & generoſo, aquâ fontis, vel in quâ ſemen coriandri bullierit, lymphato: abſtineant à iuſculis, oleribus, fructibus horæis, leguminibus, piſcibus, lacticiniis & ſimilibus humidis & flatum generantibus. Carnes ſint aſſæ potius quam elixæ, panis biſcoctus, & aniſatus, & ſimilia, niſi quid obſtiterit, vt infirmitas virium, vel alterius morbi vrgentioris complicatio.

His ita conſtitutis cogitandum erit de repoſitione vteri, quam primum fieri poterit, ne ab aëris externi contactu alteretur, vel ex compreſſione inflammetur & intumeſcat. Ac proinde immiſſo prius leni clyſtere aut carminante, ſi flatuum copia adfuerit cum aluo adſtricta, atque vrinâ excretâ, ſi quidem lotium in veſicâ diutius moratum fuerit: collocanda ita erit ægra, vt in lecto (*Hippocrates lib. 2. de morb. mulier. vult pedes ad ſcalam alligari, vt caput deorſum vergat*) ſupina iacens, capite ſubmiſſo, coxis altioribus & reflexis, poplitibus ac cruribus diſiunctis, facilius recipiat in ſuum locum prolabentem vterum, Chirurgi aut obſtetricis manu blandè tractatum & repulſum. Qui ſi iam intumuerit aut induruerit ex refrigeratione, oleo liliorum tepente, butyro recenti, vel axungiâ gallinæ erit inungendus, vel leui decocto foliorum betæ, maluarum, ſeminis lini, fœnugræci & ſimilium fouendus erit. Si inflammatus fuerit, expectandum erit donec inflammatio illa fuerit repreſſa: quæ dolorem in repoſitione maximum excitaret. Vbi verò reponenti reſiſtit nimium, & in ſinu pudoris diutius hæret, docuit Hippocrates lanam conuolutam tenui linteolo circumdatam, aut bombacem circumponere baculo (*ἐκτάλην vocant cum ſuo ſyſtemate ſeu globo*) cuius extremitas craſſior & plana reſpondet fere vuluæ magnitudini: deinde in locum illum intromittere ſucco aliquo adſtringente perfuſam, vt blandè & citra violentiam, hoc inſtrumentum adigendo, reprimi poſſit tota vteri moles intra ſuam ſedem propriam.

Repoſito ſic vtero omni poſtmodum arte continendus erit & retinendus in ſuo loco, tum rectè figuratâ muliere, vt ſcilicet in lecto reclinata, cruribus extenſis molliter, & ita coaptatis, vt vnum alteri incumbat, & per nouem dies

ex Hippocrate in hoc ſitu moretur : immiſſo etiam lanæ aut bombacis, vel etiam ſpongiæ fruſtulo in ſinum vuluæ, qui irrigatus fuerit vino auſtero aut ſucco acaciæ, vel hypociſtidos aquâ roſaceâ diſſoluto. Interea admoueantur frequenter cucurbitulæ cum multâ flammâ ſub regione mammarum, vmbilico, & vtriſque ilibus, naribus beneolentia offerantur, genitalibus verò fœtida, niſi ſit obnoxia hyſtericæ paſſioni, & aliqua adſtringentia & roborantia per os exhibeantur. Continuando ſimiles fotus ex filtris aut ſpongiis nouis per aliquot dies, admouendo catàplaſmata aut emplaſtra contra rupturam eiſdem viribus prædita ſupra regionem pubis & lumborum. Nam quod ad balnea & ſemicupia ſpectat, quæ à Practicis quibuſdam in hoc caſu vſurpantur, non videntur admittenda : quia ex illo ſitu & mora in balneo neceſſaria periculum eſſet, ne denuò prouolueretur vterus extra ſuam ſedem, potiſſimum in principio, dum adhuc recens eſt affectus. Vbi autem diutius ægrotantem detinuerit, & conueniente ſubligaculo præmunita fuerit, non omnino interdicimus,

Quod ad ſubligaculum autem iſtud ſpectat, ſiue zonam Hippocratis dictam, certum eſt in præcipitatione vteri, præcipuè ob rupturam, nihil eſſe præſtantius ad continendum vterum in ſuo loco, imo pleraſque niſi cingulo iſto muniantur, nunquam eſſe ſecuras ab iſta procidentia. Qua in re ſedulo Chirurgi induſtria erit imploranda, vt artificioſo iſto ſubligaculo compenſent ligamentorum ruptorum vel extenſorum defectum. Et in illis etiam quibus vterus procidens nullo modo reſtitui potuit, certum eſt nihil eſſe ſalubrius iſto cingulo, cui annexa ſit conueniens pera ad illum ſuſtinendum, & inuoluendum: ſic enim commodius ambulant & reliquas ſuas actiones exercent, vterus ab ambientis frigore defenditur, & pondus illud grauitatis, quo aliàs vicinæ partes torquerentur, ſummopere leuatur. Alij, vt Paræus, in deploratis iſtis procidentiis parant quædam peſſaria ex ſubere ſatis oblonga & oualia, quæ cerâ ſuperlinunt & funiculo alligata in profundiſſimam vuluæ partem immittunt; cum enim non poſſint facilè retrocedere eiuſmodi peſſaria, vterum coercent & in ſua ſede ſubſiſtere cogunt, vt ibi tantum reliquorum remediorum operâ agglutinetur & ſtabiliatur. Quod Hippocrates *libro ſecundo de morbis mulierum*, expreſſiſſe videtur per malum punicum perforatum quod indendum ſuadet. Sed magis mirabile eſt Roſſeti noſtri artificium, qui ad eiuſmodi deploratas procidentias, inuerſo penitus vtero, & frequentius decidente : compingit rotulas quaſdam ex ſubere, ſatis amplas & latas, cerâ incraſſatas, quas in penitiſſimum vteri fundum intromittit, & ſic illius prolapſum obſtante eiuſmodi corpore impedit.

Hæc igitur omnia ipſum affectum & cauſam eius proximam ſpectare videntur. Quod ad antecedentem ſpectat, quando ex rheumatiſmo cerebri, aut alterius partis, totius corporis plethorâ, vel inſigni humiditate pendet iſta ligamentorum & vteri relaxatio : quando etiam alij morbi aut ſymptomata huic complicantur, vt febris, conuulſio, dolor, hæmorrhagia : apparet non negligenda etiam remedia quæ iſtis omnibus rite medeantur : vnde per inſignes plethoras, aut menſium ſuppreſſiones, vel etiam hæmorrhagias, potiſſimum præſente febre, ſolemus phlebotomiam hic vſurpare. In dominatu verò excrementorum pituitoſorum & aquoſorum purgationes conuenientes inſtituere, quæ tamen non ſint conturbantes, & violenter operantes, quia metus eſſet ne de nouo vterum per eiuſmodi agitationes foras præcipitarent, & nimiis in illam partem deductis humiditatibus, irrigarent: vnde multi vomitum in hoc affectu præſtabiliorem eſſe exiſtimant, vt fiat reuulſio ad ſuperiora, quod nos in aſſuetis, & ad vomendum comparatis non denegamus : aliæ tamen non ſunt iſto auxilio purgationis omnino deſtituendæ, dummodo fiat cum decenti cautione. Præter purgantia poſſunt in iſta procidentiâ ab inſigni totius vel vteri humiditate vſurpari ea quæ calfaciendo, attenuando, & reſoluendo inſenſibiliter per halitum : aut ſenſibiliter per ſudores totum corpus exſiccare : qualia ſunt laconica ſeu ſtuphæ, thermæ ſulphureæ, vt noſtræ Balerucanæ : decoctum ſudorificum ex ligno guaiacino aut ſaſſafras per viginti aut plures dies inſtitutum : ex cuius vſu multas conualuiſſe compertum habemus : ſi interea conuenientibus topicis relaxatus vterus confirmetur.

Non ſunt etiam omittenda ea quæ ex proprietate ad hunc affectum curandum vtilia eſſe creduntur : vt muſci quercini decoctum cum pauco vino albo ſumptum & admotum : vel decoctum cornu ceruini, foliorum lauri & myrti ſiccor. cum vino

Digitized by Google

vino auſtero: allium tritum genitalibus impoſitum: vrtica recens contuſa & vmbilico adhibita: althæa cum oleo & adipe coturnicis cocta: adeps coturnicis illitus: lana arietis nigri fumigata: ouum antiquum ex nido gallinæ raptum, conquaſſatum & impoſitum: aculeus paſtinacæ marinæ vtero admotus, apud Aëtium: Mercatus valde laudat, vt iſtæ mulierculæ procidentiâ laborantes perpetuò geſtent peſſaria ex aſſæ fœtidæ, myrrhæ, thuris, maſtiches q. ſ. quæ miſceantur cum oleo laurino, addendo pulueris lauendulæ ʒ ij. & incorporentur cum bombace & ſupertegantur linteolo, vel panno ſericeo, vt ſolet. Sunt etiam alia ſimilia, quæ vnuſquiſque in praxi ordinariâ obſeruare poteſt. Nos verò ad alios affectus vterinos tranſeamus.

CAPVT XI.

De Vteri clauſura, coalitu, & diſtorſione.

PERSEQVAMVR igitur vteri morbos organicos, qui in vſu practico Medicis occurrere ſolent. Cum enim ſuperius de malo illius ſitu & connexu egerimus, iam illius meatus vitiatos & male figuratos contemplemur, qui maxime faciunt ad vteri actiones vitiandas. Sciendum igitur à pudendo muliebri (quod propriè Cunnum vel vuluam vocant) extendi productionem quandam membranoſam vſque ad proprium matricis oſculum (collum ſiue ceruicem illius appellant) in quam membrum virile coitus tempore intromittitur, & per cuius cauitatem menſtrua illa purgatio effluere ſolet, atque ipſe fœtus parturitionis tempore erumpere. Oportet igitur, vt iſta munia rite exerceantur, partem hanc ſecundum naturam ſuum habere meatum & orificium, ita vt ſit conuenienter apertum, & ita ſecundum rectitudinem poſitum, vt poſſit tum mentulam commodè recipere, eiaculationémque ſeminis virilis directè ad internum, vſque oſculum ſuſcipere: tum etiam menſtruo fluori atque fœtui conuenientem exitum præbere. Vnde patet, quoties iſti meatus & orificia peruertuntur & complicantur, dum obturantur, implentur aut coaleſcunt, non ſolum prædicta munera impediri, ſed etiam maximum periculum & grauiſſimos morbos ac dolores in muliebri corpore excitari: Ac proinde non ſine causâ à nobis ſuſceptam eſſe iſtorum affectuum qui ad meatus iſtos vteri pertinent, tractationem.

Quos facilioris doctrinæ gratia ita definiemus, vt ſint vitia ſeu affectus meatus & orificij vteri ac ceruicis illius propter obſtructionem aut adſtrictionem illorum ex variis cauſis profectam. Diximus eſſe vitia ſeu affectus prædictarum partium. Quamuis enim aliquando ab ortu & naturaliter contingant eiuſmodi clauſuræ & obturationes, quemadmodum in illis quas Græci ἀτρήτους, nos imperforatas vocamus: attamen certum eſt illas diſpoſitiones eſſe vitioſas, & præter intentum generantis naturæ, veluti ſunt monſtra: neque minus incommodi adferre prædictis actionibus, quam illas quæ ex accidenti, & poſt ortum contingere ſolent: quod eodem modo in podice puerulorum clauſo, in virgæ meatu obſtructo, & ſimilibus videre eſt per eos affectus quos Græci φίμωσις & φιμώσεις appellant: quaſi dicas capiſtrationes & obturamenta. Addidimus in definitione iſta vitia contingere meatui & orificio vteri ac ceruicis illius, vt deſignaremus varia eſſe loca in quibus eiuſmodi obturationes, & impedimenta fieri poſſunt. Nam cum vterus ipſe habeat ſuum proprium orificium, quod in grauidis tam exactè claudi voluit Hippocrates, vt vix ſpecilli acumen admittat: habeat etiam poſt iſtud orificium quemdam meatum exiguum, qui veluti roſtri porcini effigiem in ſuâ extremitate refert: adſit deinde ceruix ſiue collum, quod ad finem vſque pudendi muliebris extenditur, vbi etiam in ſuperiori parte meatus vrinarius conſpicitur: poteſt hæc clauſura ſeu obturatio contingere in tribus potiſſimum locis, nempe in proprio ſeu interno vteri orificio, & meatu remotiore: in ductu ſiue ſpatio ceruicis illius in quam membrum virile inſeritur: & in prima muliebris pudendi parte ſeu labiis: Eſtque eiuſmodi clauſura, vt loquuntur noſtri Practici, completa, quando perfectè to-

tum obſtruat meatum vel orificium : Incompleta, quando adhuc ſupereſt aliqua via aperta & libera ab eiuſmodi impedimento, vt aſſerunt de tunicâ (ſeu potius vaſorum & membranæ corrugatione) illâ pudicitiæ ſeu virginali, quæ in primo hymenæo ſeu congreſſu virili diſrumpitur cum quadam ſanguinis effuſione.

Diximus deinde iſta vitia fieri propter adſtrictionem vel obſtructionem iſtarum partium, vt deſignaremus naturam ſiue ſpeciem propriam variorum affectuum, qui hæc incommoda parere poſſunt : Alij enim id præſtant, quia reddunt partem anguſtiorem ſine vllo corpore interpoſito, quod Græci propriè στένωσιν vocant, vt fit in diſtorſione, complicatione, ſimplici coalitu parietum, induratione & ſiccitate iſtius loci, vt habet Hippocrates *Aphoriſm.* 54. *ſect.* 5. & ſtructurâ συμπαθικῶς factâ, vt quando grandius & pinguius omentum, ex *Aphoriſmo* 46. *ſectionis* 5. comprimit & coarctat oſculum illud vteri interius & conceptionem impedit : crura etiam aut femora contorta & diuaricata idem aliquando efficiunt, dum diſtorquent iſtam pudendi ceruicem, vel nimis ad interiora comprimunt : oſſe etiam ſacro aut coccyge luxato, vel male conformato : ex calculosâ veſicâ, & inteſtino recto tumente, iſtæ compreſſiones & ſtricturæ in vteri orificio & meatu contingere poſſunt. Alij verò affectus id præſtant ἰδιοπαθικῶς, intermedio ſeu interiecto quodam corpore iſtis ductibus adhæreſcente, veluti membranâ, carnoſa quadam ſubſtantiâ, phymate ſeu quouis tumore præter naturam ibi progenito, vlcere etiam in quo excreſcentia carnis fiat ſuperflua, qui affectus canali virgæ hoc noſtro ſæculo valde eſt infeſtus. In hiſce autem partibus, ex vlcere duplex poteſt fieri modus ſtricturæ: Vnus quidem iam commemoratus ex ſupercreſcente inutili & fungoſa carne : alius verò quando propter exulcerationem vtriuſque lateris pudendi muliebris ſeſe contingentis mutuò coaleſcunt & vniuntur parietes iſti ſiue ductus vterini. Atque hæ ſunt proximæ cauſæ à nobis etiam in noſtrâ definitione denotatæ.

Quorum rurſus aliæ & propemodum innumeræ aſſignari poſſunt, tum ipſo generationis primordio concurrentes : tum poſt ortum iſtos affectus producentes, tam ſympathicos quam ἰδιοπαθικῶς : ſuæ enim ſunt cauſæ propriæ craſſioris omenti, contortorum femorum, diuulſi vteri, aut ligamentorum, productæ membranæ, vel ſubſtantiæ carnoſæ, geniti in hac parte vlceris, vel tumoris alicuius præter naturam : quæ ex aliis capitibus repetendæ erunt. Sufficiet hic differentias iſtius affectus, quæ ex eiuſmodi omnibus exoriuntur, annotaſſe. Ex tempore enim generationis, eiuſmodi vteri ſtrictura dicitur ab ortu, ſiue naturalis : & poſt ortum contracta ſiue accidentaria, & præter naturam. A loco ſeu poſitu vario per iſtum ductum ſeu orificium triplex eſt diſtinctio, vt ſupra diximus. A formâ ſeu ſpecie affectus quædam eſt ſimplex ſtrictura, coalitus, & diſtorſio : alia eſt clauſura cum materiâ ſeu corpore obturante : quod rurſum multiplex eſſe poteſt, vt docuimus. Denique eiuſmodi clauſura completa eſt, vel incompleta : ſympathica vel idiopathica. Quod ad curandi rationem animaduertiſſe, plurimum confert. Iam igitur ſigna paucis proponamus.

DIAGNOSIS in hoc affectu erit facilior, quia participat quodammodo naturam affectus externi, qui viſu & tactu percipitur ſimpliciter, vel adhibito inſtrumento illo quod dioptram & ſpeculum matricis vocant. Sunt tamen alia quædam ſigna, quæ & partem affectam & affectus ſpeciem eiuſque cauſas demonſtrant. Etenim cum iſtud membrum in mulieribus vſum præſtet ad menſtrui ſanguinis expurgationem, ad coitum & conceptum, quando iam ætate ſunt maturâ & nubili, ſi quidem menſtruæ purgationes retineantur, ita vt certis periodis ingraueſcat dolor circa illas partes cum pondere ſenſibili & tumore, tunc credibile eſt, ſi alias bene habita ſit fœmina, impedimentum illud non à cachexia aùt obſtructionibus pendere, vt in fœdis earum coloribus, & menſium ſuppreſſione dicebamus : ſed ab obſtructione vel adſtrictione iſtius meatus, per quem foras effluere debent : Ita vt perſeuerante hoc affectu diutius, inquit Hippocrates, intumeſcat vterus, grauetur totum corpus, & quaſi luuore afficiatur : aut etiam in ſuppuratum hæc materia aliquando abeat, vnde infinita mala deinde exoriuntur. Quod ſi præter dictam menſtruorum retentionem, non poſſit etiam eiuſmodi fœmina coitu vti, ſed impediatur in ipſo limine ingreſſus membri virilis, vel cernetur quidem aliquis ingreſſus, ſed breuis & non reſpondens virgæ longitudini, ex

co

eo coniiciemus quo in loco pudendi muliebris positum sit eiusmodi impedimentum. In eis verò quæ admittunt quidem congressum virilem, & penis introitum; attamen nullo modo semen retinent masculum, sed statim emittunt, neque proprij seminis effusionem percipiunt: credibile erit strictiuram vel distorsionem esse in supremo illo orificio & vteri meatu, qui prolectando virili spermati & permiscendo cum muliebri dicatus est: vnde numquam tales concipere contingit. Quod ad affectus verò speciem, causas & differentias attinet, si quidem sit sympathicus tantum affectus, ex vicinarum partium incommodis contractus, facile erit illud coniicere ex omento verbi gratia & aqualiculo grandiori, coxis distortis naturaliter, aut per luxationes accidentarias, & sic de reliquis, cum quibus hic affectus ortum suum & incrementum habuerit. Vtrum verò sit ab ortu, aut post ortum, ob membranosam vel carnosam substantiam obstruentem, vel ab vlcere aut tumore præter naturam: ea omnia quæ prægressa fuerunt diligenter recensita, docere poterunt: quando enim nullo perceptibili morbo aut affectu præter naturam prægresso in hisce partibus tale sequitur incommodum, verisimile est illud originem à primâ generatione habuisse, vt patet in aliis partibus. Vbi verò diuexatæ fuerint iis morbis, qui natiuam constitutionem istius partis euertere possunt, si sint immateriales, & sine sensibili humorum affluxu, tunc simplex durities, strictura aut distorsio, quæ angustiam solum pariunt, erunt accusandæ: quod si materia quæuis aut humor in eas diutius profluxerit, vel erit cum sensibili solutione continui, & tunc vlcus genitum fuisse par est: vt etiam si vulnus aliquod præcesserit, quod ipsa etiam excrementa profluentia indicant: sin verò ista omnia absint, & interna eleuatio ac distentio sentiatur, siue cum calore, siue absque illo, tunc à tumoribus quibusdam & phymatis illud accidisse coniiciemus. Quæ omnia adhuc certiora, & magis explorata reddent visus & tactus eiusmodi partium, qui etiam ad opus curatorium, vt postea dicemus, omnino erunt & necessario adhibendi. Ex his etiam patet solutio dubitationum illarum quæ hic fieri solent, vtrum scilicet per eiusmodi affectus pudendi muliebris possint aliquando concipere? Et vtrum menstrua etiam possint fluere? Ex eo enim, quod diximus istas obstructiones & adstrictiones aliquando esse completas, aliquando incompletas: & esse in variis pudendi partibus: Respondemus per incompletos affectus dari quemdam exitum menstruo sanguini, vt & prægnantibus per venas ceruicis vteri; sed diuturnum & molestum: dari etiam quendam ingressum semini virili, præcipuè si impedimentum illud sit in superiore parte, ita vt aliquando concipere possint, sed summo cum periculo vitæ, quia si tales permaneant, non poterunt conceptos fœtus, neque per aborsum, neque per verum partum excludere. Ac proinde diligenter percurandæ & antequam matrimonio iungantur, aut incumbant operi generationis.

Est igitur hic affectus ex suâ naturâ molestus & curatu difficilis, potissimùm ab ortu contractus, nisi in puellulis aut saltem iuuenculis maturè agnoscatur, antequam grandiores factæ præ pudore non audeant vitium istud confiteri, donec magnis tandem incommodis ac vitæ periculo perculsæ cogantur, vt in retentione diuturna menstrui sanguinis in vteri cauitate extranasati & putrescentis. In sympathicâ autem strictura vel distorsione pudendi muliebris, si natiua sit ex malâ conformatione vicinarum partium, vt in diuaricatione crurum, coccygis depressione & similibus, non est speranda curatio. Et eiusmodi mulierculæ cœnobio potius quam matrimonio dicandæ. In aliis accidentariis casibus, vtpote vlceribus, carne superfluâ, membranâ extensâ, cartilaginosâ, aut carnosâ substantiâ, tumoribus præter naturam, tanto erit facilior sublatio, quantò istæ causæ morbificæ minus erunt confirmatæ, & ex suâ propriâ specie tractabiles. Ac proinde cito & quam primum ad conuenientem therapeiam disponendæ, ne inueteratæ deploratum inferant affectum. Iam igitur de curatione agamus.

In quâ erimus breuiores, quod omnis affectus istius curandi ratio fere ad superiores, & iam explicatos affectus, vel postea tractandos sit referenda: quemadmodum si sit sympathica, ad sublationem primariarum dispositionum in aliis partibus positarum. Vel certe quia tota vis istius curationis pendet potissimum à debita ἐγχειρήσει siue Chirurgica operatione. Dicamus igitur breuiter, Medicum ad hasce mulierculas sanandas vocatum, imprimis contemplari debere, ex quâ causâ affectus iste originem duxerit. Si sit sympathicus tantum, videat quomodo, & quatenus mederi possit aliarum partium circumiectarum dispositionibus per con-

uenientem methodum,vt huic naturalis ſua conformatio reſtituatur : ſi ſit idiopathicus, ob ſimplicem ſtricturam, coalitum, aut diſtorſionem : in ſtricturâ,quia ſit vt plurimum à duritie & ſiccitate,agat humectantibus,mollientibus & laxantibus fotibus, ſemicupiis, linimentis, peſſariis, & ſimilibus,ſicque relaxata parte,vt melius apertum teneatur orificium iſtud & meatus, immittatur cannula ex argento, auro, plumbo, cerâ albâ vel ligno ſolidiore,commode concinnata & irrigata conuenienti oleo aut butyro,quod geſtet potiſſimum de nocte. Interdiu immittatur emmotum, ſpongia,aut peſſus ex cotone, cum rebus conuenientibus conſtructus, donec parti ſua conformatio ſit bene reſtituta.Idem agendum in diſtorſione, eâ tamen lege, vt quæ immittetur cannula ita ſit concinnata,vt in contrariam diſtorſionis partem deflectat molliter, ſicque ad debitum ſuum locum vteri ceruicem paulatim reuocet. Quando verò ob exulcerationem præcedentes vteri parietes vtriuſque lateris coaluerunt, antequam callum ibi obducant, reſerandi eodem modo immiſſo ſpecillo aut ſpatulâ Chirurgica, quæ dilatet iſtum ductum, ibique per cannulam plumbeam contineat : vel etiam peſſis quibuſdam exſiccantibus & epuloticis idem erit præſtandum,tamdiuque in eis perſiſtendum, donec firma & ſolida cicatrix inducta eſſe videatur.

In tumoribus autem præter naturam curandis, qui aliquando hunc locum obturant, eadem erit methodus obſeruanda, quæ in ſuperioribus capitibus fuit à nobis tradita,niſi ex eorum ſint genere qui ſcalpello aut cauterio auferri in totum & aboleri poſſunt,quod non ſemel fieri iuſſimus in quibuſdam tumoribus iſtius pudendi muliebris,qui ad naturam atheromatis,ſteatomatis,aut meliceridis accedebant.Eodẽ modo in carne fungosâ & flaccidâ, quæ diuturnis & ſordidis vlceribus ſupercreſcere ſolet,agendum erit exciſione aut vſtione,ſi locus ad manum ſit poſitus : deinde reliqua cura ex ſequenti capite perſequenda. Supereſt igitur illius obturationis curatio, quæ fit à membranosâ vel carnosâ ſubſtantiâ meatum iſtum obturante & implente, ſiue ſit ab ortu, ſiue poſt ortum ex variis cauſis contractâ, vt ſupra docebamus.

Ad hanc itaque velut præcipuam affectus iſtius ſpeciem curandam animum aduertentes,ſi quidem cacochymica aut plethorica ſit fœmina : ſi vires & ætas conueniens permittat, venæ ſectione & purgatione conuenienti,erit præparanda:necnon ſi res ita expoſcere videatur,conuenientibus balneis ac fotibus mollienda, laxanda, atque attenuanda erit, antequam ad operationem propriam deueniamus:quæ nihil eſt aliud quam ſectio eiuſdem & quaſi noua perforatio, cuius rationem elegantèr docent Albucaſis, Aëtius *lib.4.ſerm.4. cap.69.* Paulus, & inter recentiores Paræus. In hac operatione opus eſt periti & ſolertis Chirurgi induſtriâ.Quia ſi incîdat quidem eiuſmodi ſubſtantiam obſtruentem, ſed non perfectè, maximum creabit ægrotanti periculum quia deinceps vtetur quidem coitu, & concipiet, ſi ſit fœcunda,ſed in partu ſumma erit difficultas, quia ex eiuſmodi ſuperſtite quaſi vinculo, non ſatis commode aperiri & dilatari poterit vteri ceruix ad excipiendum & excludendum fœtùm : ſin verò nimium & imprudenter incidat, ita vt ad partes ſenſiles vſque & ſubſtantiam ipſius ceruicis vteri perueniat, inducet maximos dolores, hæmorrhagias, vulnera curatu difficilia, & aliquando conuulſiones. Perfectâ operatione euacuandæ diligenter omnes ſordes & excrementa, atque ipſe ſanguis menſtruus, ſi intus fuerint coërcita : denique vulnus ita tractandum, vt ſedatâ hæmorrhagiâ vtrinque parietes cicatrice obducantur, diuque prædictis topicis, præcipuè plumbeâ fiſtulâ diducti teneantur.Quod ſi poſt ſectionem ſubſtantiæ potiſſimum carnoſæ, fruſta quædam ſuperſint grandiora, quæ non potuerint primâ vice auferri, ex quibus metus ſit noui coalitus & obturationis,cathæreticis, vel cauſticis, aut potius ignito ferro abſumenda erunt, vt integra & perfecta curatio ſubſequatur, quæ eſt maximè hic exoptanda ob cauſas iam à nobis adductas. Ac proinde huic capiti finem iam imponamus, vt ad abſceſſus & vlcera vteri veniamus.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XII.

De abſceſſu & vlcere Vteri.

ABSOLVIMVS ſuperioribus capitibus tractationem particularium vteri affectuum, qui ad morbos ſimilares & organicos præcipuè pertinent: Iam ſupereſt vt morbos communes, ſiue continui ſolutiones, quæ illi contingunt, perſequamur, quatenus ad præſentem noſtram ἐξήγησιν faciunt. Cum igitur quatuor ſint præcipuæ ſolutæ vnitatis ſpecies ex cauſarum varietate petitæ, ſectio, contuſio, auulſio, & eroſio; relictis tribus primis differentiis, vtpote vulneribus & aliis quæ à cauſarum externarum violentiâ ſimpliciter pendent, & ad Chirurgicam operationem peculiariter referuntur, de vltimâ, nempe eroſione iam propoſitum eſt nobis agere: ſub quâ abſceſſus & vlcera vteri complectemur.

Eſt igitur propoſitus affectus, ſuppuratio materiæ in vteri ſubſtantiam effuſæ, & eiuſdem eroſio à variis cauſis, cum ſaniei ac ſordium effuſione. Quibus verbis naturam iſtius affectus, eiuſdem cauſas & quæ ſequuntur propria ſymptomata expreſſiſſe videmur. Etenim cum omne vlcus vel primarium ſit, vt loquuntur Practici, vel ſecundarium: vtrumque noſtrâ definitione complecti voluimus. Primarium enim deſignauimus per eroſionem factam à variis cauſis, quando ſcilicet nullo alio prægreſſo in hac parte morbo exoritur paulatim ſolutio iſta continui, ob acrioris materiæ, vt bilioſæ, ſalſuginoſæ, atrabilariæ, putrentis, exuſtæ, & variorum excrementorum, vt ſaniei, puris & ſimilium ex aliis partibus deriuatorum affluxum: vel etiam à rebus externis ſumptis vel admotis illud idem efficere valentibus, vt cauſticis, cathæreticis, ſepticis, ſpermate corrupto & venenato: hæc enim omnia primarium conſtituere poſſunt in hac parte vlcus. Quoties verò ex vulnere, caſu, contuſione, aut tumore multiplici præter naturam prægreſſo, contingit colligi in vtero materiam purulentam aut ſanioſam in vomicâ contentam: ex cuius apertione datur ſenſibilis & manifeſta ſolutio continui cum effluxu iſtorum excremen-

torum, tunc etiam vlcus genitum eſſe in illo apparet, ſed ſecundarium: quod nomine abſceſſus ſeu ſuppurationis denotare voluimus.

Ex his itaque facilè patebit, quæ ſint iſtorum vteri vlcerum cauſæ, à rebus tam externis quam internis repetitæ. Omnia enim contundentia, diuellentia, vt ſunt partus & aborſus laborioſi; extractio ſecundinæ aut fœtus demortui, inordinatus & effrænis concubitus, caſus ex alto, & ſimilia violenta, dum propriam ſubſtantiam vteri diſſoluunt, vel alienam materiam in illum adducunt, cauſæ ſunt putrefactionis, inflammationis, & generationis materiæ iſtius purulentæ ac ſanioſæ, quæ erodendo proprium & genuinum tandem conſtituit vlcus. Sic etiam aſſumptæ cantharides, ſublimatum & ſimilia venenata & cathæretica, imò etiam diuretica aut menſes mouentia valentiora, immiſſa peſſaria acriora, aut iniectiones valde detergentes, & ibi diutius retentæ, abradere poſſunt & exulcerare iſta loca: quod miro modo præſtat concubitus ille impurus & luis Venereæ contagio infectus: dum enim cum feminis virilis effluuio maligna illa labes mulierculis iſtis communicatur, corrumpit primum ſpiritus & humores ſibi obuios, à quibus concepta ſcilicet virulentia in vaſis ſpermaticis excitatur teterrima & diuturna gonorrhœa, ob excretricem irritatam primò, deinde retentricem debilitatam, ex cuius proluuie, niſi ſedulò illi proſpiciatur, inflammantur iſtæ partes, deteruntur, & tandem exulcerantur. Quod multò facilius contingit, quoties externæ iſtæ cauſæ incidunt in corpora huic rei diſpoſita, cacochyma ſcilicet ex proprio temperamento, vel ex malo vitæ regimine, vt alimentorum & ſimilium vſu deprauato, quibus cauſæ antecedentes iſtius affectus multiplicantur, excrementa ſcilicet, bilioſa, ſalſa, acriora, ex quibus confluentibus in communem hanc corporis muliebris ſentinam excitantur fluores illi albi diuturni ac male olentes, & quæuis alia purgamenta per vterum, quæ naturæ modum excedunt: ex illis enim facile alteratur illius ſubſtantia, & ſi magis perſeuerent aut negligantur, exulceratur, & eroditur. Eodem modo voluit Hippocrates *libro 2. γυναικείων*, ex lochiis diu poſt puerperium retentis;

ex

Digitized by Google

ex menſtruis in vteri fundum emiſſis, & ibi ſubſiſtentibus peſſimas aliquando contingere ſuppurationes, quæ putrilagine ſuâ inſigni ita vterum afficiant, vt tandem vlcera incurrat. Denique ad generationem eiuſmodi vlceris vterini præcipuè ſecundarij,ea omnia concurrere poſſunt, quæ ad tumores præter naturam producendos in illo apta eſſe à nobis ſupra fuit annotatum.

Præcipuæ igitur iſtarum vteri exulcerationum differentiæ oriuntur, nempe ratione loci affecti,propriæ eſſentiæ, & complicationis cum aliis affectibus. Ratione quidem loci, nempe variarum partium vteri, modò eiuſmodi vlcus eſt in illius ceruice aut orificio,quod potiſſimum in partu laborioſo contingit; modò in ipſius corpore aut cauo: modò in exteriori illius ſuperficie, modò in interiore,aliquando vtramque penetrat. Vnde apud Hippocratem, quando eiuſmodi abſceſſus vteri in ſuppurationem verſi ſunt, & diſrumpuntur, effluit illa materia & irrumpit in varias partes, aut per reſudationem & poros inſenſiles, qui in viuentibus valde ſunt aperti: vel certe per διαγνώσιν, quando ſcilicet eiuſmodi exulceratio vicinis partibus communicatur per externam illius ſuperficiem: vnde aliquando per inteſtina, aliàs per veſicam iſta ſanies vacuatur. Quod ſi laterales partes afficiantur quâ vterus iſchio ſiue coxæ incumbit, ita vt abſceſſus iſte verſus inguina diſrumpatur:tunc vt eſt *Aphor.47.ſect.5.*ſequitur vlcus ἔμμοτον, profundum ſcilicet & ſinuoſum, quod in inguine apertum indiget turundis ſeu penicillis oblongioribus ex linamento confectis,& ſæpe in fiſtulam degenerat.

Quod ad eſſentiam verò vlceris vterini ſpectat (vt quantitatis) aliquando dicuntur magna & extenſa:alias parua & contracta, quando multum vel parum ſpatij in vtero occupant: dicuntur etiam leuia & ſuperficiaria, vt in ſimplici ſcabie vel pruritu: alias grauia & profunda ſeu penetrantia: Ex quorum conſideratione Hippocrates iſta vlcera vterina, modò ad aphthas, ſi ſint leuia & feruida, & cum pruritu; modo ad nomas, ſi ſint grandiora & depaſcentia refert. Eodem modo reſpectu figuræ aliquando ſunt rotunda, oblonga, ſinuoſa, aut in fiſtulæ morem confecta. Ratione verò complicationis iſta vlcera ſi ſint coniuncta cum ſuis cauſis,varias ſortiuntur differentias: vnde dicuntur cacochyma, venenata,contagioſa, quod præcipuè ex lue Venereâ contractis competit: ſi cum morbis, intemperata, feruida, ſicca, phlegmonoſa, cancroſa, & ſic de reliquis;vt cum ſymptomatis variis dolorifica,ſanioſa,virulenta,pallida,nigricantia,& ſic de reliquis. Quæ omnia cum ad diuerſam medendi methodum ſpectent, quæ illis conuenire ſolet,ideo accuratè per ſua ſigna erunt dignoſcenda.

Vlceris itaque in vtero geniti ſiue primarij, ſiue ſecundarij certæ erunt notæ ex ſenſu doloris, & quaſi perpetuæ mordicationis in illo loco, quæ ſenſim augetur,& maiorem eundo moleſtiam ægrotantibus parit: aliquando cum totius corporis horrore frequenter repetente: & capitis oculorumque grauitate & ſympathiâ: potiſſimum vbi eſt in parte internâ vteri vel ceruicis, quæ exquiſitiore ſenſu eſt prædita. Si ſit primarium vlcus illud,vt dicebamus,exortum eſt abſque vllo alio morbo particulari ipſius vteri prægreſſo, perſeuerante tantum aliquâ fluxione acrioris ſucci ex aliis partibus, vt in fluore albo ac fœtido, in retentis lochiis aut menſtruis: vel vſu rerum acriorum & erodentium ſumptarum aut admotarum, concubitu ſuſpecto, ad quem ſequuta ſit gonorrhœa, & ſic de reliquis. Si ſit ſecundarium,adfuerunt aut adhuc præſentia ſunt ea omnia ſigna,quæ ad vulnera, contuſiones,aut tumores ſuppuratos ſubſequi & antecedere ſolent, quorum doctrinam abunde ſuperius tradidimus. Atque particularis loci indicia erunt ex variis vteri partibus, & earum ſitu repetenda. Nam in ceruice viſu & tactu deprehenduntur, in fundo dolet inferior abdominis pars cum ſenſu acrimoniæ & mordicationis. Profluunt excrementa copioſa per pudendum ſaltem initio,atque per interualla, prout collecta fuerunt. Quod ſi in externâ ſuperficie poſitum ſit,& effluat ad exteriora loca, vt in abdominis cauitatem, ibi ſentitur fluctuatio, quæ tandem verſus inguina ſubſidere ſolet cum manifeſtâ eleuatione & mollitie, ſi in veſicam per vrinas, ſi in aluum per deiectiones ſanies iſta expurgatur. Cuius diuerſitas in quantitate, colore, odore, & conſiſtentia varietatem etiam affectus & cauſarum manifeſtabit; pus enim multum & album ex rupto vt plurimum abſceſſu phlegmonoſo:ſanioſum, virulentum,fœtidum ex aliis tumoribus male concoctis,aut peſſimo quouis humore proficiſcitur: vnde fluidum nimis & citrinum bilioſo humori ac ſeroſo: nigricans & craſſum atrabilario, quemadmodum albicans cum tenuitate, pituitoſo adſcribitur. Vlcus ex lue Venereâ contractum deſignat præcipuè gonorrhœa illa virulenta,

quæ

quæ præceſſit aut adhuc perſeuerat, totius corporis pallor & defœdatio; cum rebelli vlcerum iſtorum conſtitutione, quæ dyſepulotica exiſtunt,& non poſſunt ad curationem vulgatis remediis deduci, priuſquam ipſa luis iſtius alexipharmaca, vt guaiacum aut hydrargyrus vſurpata fuerint ad profligandam malignam illam qualitatem quæ illis eſt complicata. Reliquæ cauſæ ex cenſu rerum naturalium, non naturalium, & præter naturam, ipſiuſque ægrotantis vel miniſtrantium relatu erunt perdiſcendæ.

In hoc autem affectu præſagium Hippocratis *lib.* 1. *γυναικείων* tale eſt, vt velit nullum vlcus vteri contemnendum eſſe, quia ſit in parte exquiſiti ſenſus præditâ, quæ ſymparhiam habet cum præcipuis corporis partibus maximam: vnde varij morbi & ſymptomata exoriri poſſunt, febres tabidæ, hydropes, dolores acerbi & ſimilia: item quia pars iſta eſt neruoſæ ſeu ſpermaticæ ſubſtantiæ, cuius deperditionem & coalitum valde eſſe difficilem aut omninò impoſſibilem ex intentione prima, vt loquuntur Practici, notiſſimum eſt: eapropter vel non coaleſcunt eiuſmodi vteri vlcera, aut, ſi claudantur cicatrice, potiſſimùm quando ſunt grandiora, fit vt læuigata interiori ſuperficie vteri, vt contingit in ea lienteriæ ſpecie quæ dyſenteriæ ſuccedit, iſtæ mulierculæ non amplius retinere poſſint ſemen virile ad conceptum, aut etiam non poſſint rite purgationes ſuas menſtruas ſubire,occluſis maiori ex parte per iſtas cicatrices meatibus, quorum beneficio ſanguis iſte in vterum periodicè effundebatur. Denique quia ſit hoc vlcus in parte quæ nata eſt ſuſcipiendis influxibus humorum & excrementorum totius corporis, qui vlceris deterſionem atque exſiccationem conuenientem impediunt & remorantur. Adde quod in loco concluſo facilè putredo, inflammatio, & feruor contrahantur, cum quibus impoſſibile eſt vlcerationes curare. Vbi ſemel ſunt fiſtuloſa, ſinuoſa, cancroſa, phagedænica, aut etiam phlegmonoſa, rarò ad perfectam ſanitatem perducuntur, ſed per totum vitæ ſpatium miſeram ægrotantem variis ærumnis exercent. Quæ in ceruice poſita ſunt, quia tangi poſſunt & remedia localia commodius excipere, facilius etiam curantur: quæ vero in inguinibus poſita, quamuis ſint externa, difficilius: quia vt plurimùm penetrant totum vteri corpus, & cito in fiſtuloſam & calloſam naturam degenerant. Signum eſt perfectæ valetudinis in hiſce ægrotantibus, quando concipere inceperint,quia oſtendit vlcus eſſe omnino exſiccatum, non profluente amplius ſanie, quæ ſeminis vim obrueret: & cicatricem non eſſe grandiorem, neque profundam qua impediretur vteri retentio & occluſio. Eſt igitur opus commodâ & maturâ curatione, vt tantus affectus expugnari poſſit.

Vt igitur therapeiæ illius incumbamus, videndum erit imprimis, quænam cauſæ externæ vel internæ, tam antecedentes quam coniunctæ, hunc affectum fouere, aut conſeruare adhuc valeant, vt illis prius ſecundum ordinariam methodum remotis, ad ipſius peculiarem curationem accedere valeamus, & ſymptomata ſi quæ fuerint vrgentiora, quantum fieri poterit, mitigemus. Ad cauſas igitur omnes externas reſpicientes, primò conuenientem diætam inſtituemus, quæ illas in meliorem ſtatum reducat,ne antecedentibus materiam vel occaſionem ad iſtum affectum augendum aut propagandum ſuppeditent.

Ac proinde quod ad regimen vitæ ſpectat, quæcunque mulierculæ iſtis vlceribus vterinis vexantur, munditiei valde ſtudere debent, vt & domus & veſtes, & linteola omnia ſordibus bene ſint repurgata: atque ipſe aër limpidus & tenuis ad ſiccitatem vergens, ſine vllâ caliditatis aut frigiditatis exuperantiâ: vt enim frigidum vlceribus mordax, ex *Aphor.* 20. *ſect.* 5. ſic etiam caliditas nimia inflammationi & putrefactioni ſuſcipiendæ vlcera valde diſponit. Balneorum etiam humidiorum & mollientium vſum vitent, ne magis partem relaxent, ac fluxioni idoneam reddant: niſi fortaſſis inſtante tabe vel febre pertinaci & hectica: aut ad diluendos acriones ſuccos & contemperandos, vt docet Hippocrates *lib.* 1. *γυναικείων*: quamquam laconicorum, & ſtupharum ad concitandos ſudores, vſum illis aliquando conſulere ſoleamus: vbi iam mundato corpore & ſordibus vlceris conuenienter deterſis, opus eſt exſiccatione & ſigillatione illius. Alimenta omnia dyſpepta & cacochyma, pro vario ſuperantis excrementi genere, ſummopere erunt vitanda, omnia acria, ſalſa, piperata, frixa, aromata, cepæ, allia, braſſica, cum reliquis oleribus calidioribus, caſeus acrior & inueteratus, acetum & omnia aceto condita, quia pungunt partes vlceratas, & vtero ſunt inimica. Imo, ex Hippocratis ſententiâ, vino etiam abſtinere debent propter fluxionis

xionis metum, ſi ſtomacho ſint validiore & temperamento calido, in cuius locum bibant aquam fontis aut decoctam cum radice acetoſæ, vel in infirmioribus dilutam pauco vino oligophoro & adſtringente. Pro bellariis poma, pyra, cydonia, meſpila, rite parata conuenient ad roborandum vterum & ſiſtendam fluxionem. Piſcibus, vtpote nimium humectantibus, melius erit abſtinere: carnibus verò aſſis potius quam elixis, paneque biſcocto & aniſato veſci. Denique parcâ manu & ſobrie alantur, ne multitudine alimentorum augeatur etiam copia excrementorum, quæ in locum debiliorem præcipitari ſolent. Sit mediocritas ſomni & vigiliæ. Dormiant in lecto molli quidem ad indolentiam, ſed non valde calfaciente vt plumeo, metu inflammationis: animi paſſiones eliminentur: minime moueatur aut exerceatur corpus, quiete enim curantur vlcera: niſi forte frictiones ſuperiorum partium vſurpentur ad reuellendum & vacuandum inſenſibiliter. Aluus ſit modicè fluida ſponte vel artis beneficio, omneſque reliquæ vacuationes naturales & ſolitæ conuenienter procurentur, exceptâ purgatione menſtrua: quam ego potius in hoc affectu minuendam & ſupprimendam eſſe, aut certe reuellendam & auertendam puto per venæ ſectiones in cubito; quam promouendam in vlcere hoc vterino, ne ab eiuſmodi materiâ ſanguineâ variis excrementis, vt ſolet, permixta, proluatur de nouo vterus, & ſanies ac ſordes vlceris multiplicentur: quod eſt hic valde dignum conſideratione, & ſolertiâ Medici prudentioris indiget. Nos ad reliqua pergamus.

In eiuſmodi affectu igitur rebelli & diuturno, cum non ſufficiat plerumque recta victus ratio, niſi maioribus remediis adiuta, quæ plethoram aut cacochymiam frequenter illi coniunctam vacuent, fluxionem humorum reuellant, & inflammationem, ſi fuerit illi comes, temperent: Ideo in corporibus plethoricis, inflammationi ac putredini obnoxiis, in illis vlceribus quæ coniunctam habent φλόγωσιν, non eſt dubium, quin curatio ab ipſa ſanguinis miſſione ex cubito ad reuulſionem, ſit inchoanda, & à venis cruralibus ad deriuationem & particularem vacuationem materiæ in vtero contentæ. Quæ etiam toties erit repetenda, quoties iſtæ cauſæ præſentes erunt, vel nouæ fluxionis, potiſſimum ſanguineæ, metus aderit, vt iam de menſtruâ purgatione annotauimus. Quod etiam quodam modo ligaturis dolorificis, cucurbitulis ſiccis & cum ſcarificatu ſub mammis in vtroque hypochondrio, ſcapulis vel dorſo admotis expleri poterit in corporibus valde redundantibus & ſanguineis.

De purgatione autem & præparatione humorum non eſt hic exigua dubitatio. Quamuis enim cacochymia ſiue excrementorum redundantia illam ſæpius expoſcere in hoc affectu videatur, attamen ſitus partis quodammodo repugnat: quia per deiectionem commotis excrementis ad inferiora videntur vlcera iſta exaſperari & ſordeſcere magis ac magis: ita vt purgatio quæ per vomitionem exercetur, hic magis competere videatur, ſi ægrotantes ad vomitum ſint comparatæ. Attamen non vererer in aliis per cathartica quædam benigniora illud præſtare, quæ etiam roborandi facultate ſint prædita, frequenter, videlicet bis aut ter in menſe, repetita, vt ſunt rhabarbari puluis & infuſum, decoctum foliorum ſenæ, cum aniſo: ſyrupus roſatus ſolutiuus: electuaria diaprunum & diaſena ſimplex, catholicon, & vtraque tryphera: ſi velis, comparetur ſyrupus magiſtralis hoc aut ſimplici modo.

℞ Rad. conſolidæ maioris, polypodij querni recentis & contuſi, pàſſular. cum arillis & liquir. raſæ, ana ʒ j. ß. corticis citri ſicci ℥ ß. folior. vincæ-peruincæ, plantaginis, ſaniculæ, acetoſæ & capilli Veneris, an. M. j. folior. ſenæ mundat. ʒ vj. ſemin. melon. & aniſi, an. ʒ ij. ſeminis carthami contuſi ʒ ij. agarici recenter trochiſcati in ligatura poſiti ʒ x. epithymi, flor. cordialium, anthos & chamæleontis albi, an. P. j. Fiat omnium decoctio in hydromelite ad ℔ j. ß. In cuius portione infunde rhabarbari electi ʒ ß ſpicæ nardi ʒ j. deinde adde ſucci roſarum optimi ℥ iij. ſacchari q. ſ. Fiat ſyrupus perfectè coctus, de quo capiat ʒ ij. vel iij. vt dictum eſt, diſſolutas cum decocto centinodiæ & plantaginis, vel infuſo recenti rhabarbari in aquâ endiuiæ.

Ad præparationem verò humorum nihil erit accommodatius per interualla, quam decoctum illud vulnerarium vulgo dictum, in formam apozematis cum ſaccharo concinnatum, cuius deſcriptionem in collectione formularum noſtrarum habetis. Vel fiant julepi pro variis indicationibus, ex affectu, & variâ complicatione cauſarum aut morborum repetitis. Vbi vrget febris & adeſt magna

magna ſaniei copia, nihil erit vtilius, quam magnam doſim ſeri caprilli bene depurati mane ad ʒ viij. cum ʒ ß ſacchari roſati ſumere. Vel ſi iam quædam corporis conſumptio appareat cum febre habituali, quæ poſt ſingulos paſtus exaſperetur, licebit eas ad vſum lactis aſinini cum eodem ſaccharo transferre, per ſpatium integri menſis, aut diutius, ſi melius ſe habeant, neque earum ventriculus aſſumptione iſtius lactis perturbetur. Alias in eis quæ lactis vſum refugiunt;

℞ Rad. chynæ recentis, & ponderoſæ per taleolas diſſectæ ʒ ij. folior. agrim. pimpinel. borrag. acetoſ. & plantag. an. P. j. vuarum corinthiacarum, & ſeminis coriandri mundat. an. ʒ ij. ſantali rubri ℈ j. Decoquantur, addendo ſalis parum ſub finem, cum pullo columbino aut gallinaceo ſenſim, donec contabeſcant omnia. Capiat juris iſtius colati mediam partem horâ ſextâ matutinâ, & aliam horâ tertiâ pomeridianâ, continuando per viginti aut plures dies. In robuſtioribus decoctum ſarſæ parillæ, ligni ſaſſafras, atque etiam ligni guaiacini, vbi eſt ſuſpicio luis venereæ, quod in hoc morbo frequentiſſimum eſt, præſcribi poterit ad ſudores etiam promouendos, qui in hoc caſu ſunt vtiliſſimi ad exſiccandum non ſolum vterum, ſed etiam vniuerſum corpus, & reuellendos humores ſeroſos verſus habitum corporis.

Vtrum verò diuretica in hoc affectu eadem commoditate præſcribi poſſint, quemadmodum & ſudorifica, valde eſt controuerſum. Quamuis enim videantur deriuare materiam ſeroſam verſus vrinæ vias, vnde minui poſſet fluxio vterina, & vlcus illud exſiccari: attamen quia eiuſmodi diuretica non ſolum vrinas, ſed etiam menſes eodem impetu concitare ſolent, periculum erit perpetuo, ne magis adducant in vterum excrementa, quam per veſicam vacuare poſſint. Ac proinde melius erit omnino illis abſtinere, niſi motus naturæ inclinare videatur verſus iſtas vias, vt ſuprà dicebamus de abſceſſu diſrupto, qui in veſicam transfluit, & per vrinas purulentas expurgatur. Tunc enim, vt recte monuit Aëtius, vtendum diureticis leuioribus, & refrigerantibus, quæ vacuent has ſordes in veſicam tranſmiſſas, & illius exulcerationem impediant, quale eſt decoctum ſeminum frigidorum maiorum, vel emulſio in eiuſmodi formam comparata: quæ etiam in hoc caſu inijci in vuluam & veſicam poterit, vt eadem commoda præſtet.

℞ Amygdalarum dulcium recentium mundat. ʒ j. ß. ſemin. lactucæ & papaueris albi pariter mundat. an. ʒ ij. ſemin. melon. cucumer. & cucurbitæ non rancid. & mundat. an. ʒ ß. Contundantur omnia in mortario marmoreo cum piſtillo ligneo, affundendo decocti hordei vel liquir. ℔ j. ß. ſacchari parum. Fiat emulſio pro quatuor doſibus. Vtatur vt dictum eſt.

Quibus interponi poterit aliquando bolus ex dimidiâ vnciâ terebinthinæ aquâ graminis & roſarum lotæ, ad valentius expurgandas iſtas veſicæ ſordes.

Et quemadmodum diureticis ſuus erit locus in hoc caſu: ſic etiam clyſteribus detergentibus, lenientibus, exſiccantibus, & roborantibus, quando materia illa purulenta ex rupto vteri abſceſſu in rectum inteſtinum delabitur, & per illud expurgatur. Quorum clyſterum formulas ex tractatu dyſenteriæ vnuſquiſque habere poteſt.

Pergamus igitur ad vlceris, quod in ſinu aut cervice vteri exiſtit particularem curationem. Vbi totius corporis ratio ex præmiſſis & aliis quæ ingenioſus Medicus excogitare poterit, habita fuerit: videndum vt ipſi vlceri, qua vlcus eſt, his vel illis affectibus comitatum, medeamur. Imprimis igitur certum eſt intetiora iſta vlcera in principio, vt plurimum cuidam inflammationi eſſe coniuncta cum ſordibus & ſanie, quæ antequam vnio, & ſubſtantiæ deperditæ inſtauratio in illis procurari poſſit, diligenter ſunt corrigenda. Quinimo dolorem ſæpius adeſſe comitem, qui non ſolum ob moleſtiæ ſenſum eſt demulcendus, ſed etiam ne humores in partem magis ac magis ferantur: ideo detergentia & abluentia, quæ tunc ratione ſordium vſurpantur; ita debent eſſe temperata, vt & inflammationem leniant, ſi qua eſt, & dolori ſolatium quoddam præſtent. Vnde Practici exiſtimant jure merito tunc temporis aquæ tepentis diuturnam quaſi continuam affuſionem vel iniectionem plurimum prodeſſe, tum abluendo excrementa illa vlceri adhærentia, tum laxando & molliendo, vnde doloris mitigatio, & temperando contractum feruorem, cuius ratione etiam refrigerantibus iniectionibus aliquando cogimur vti, vt emulſionis prædictæ, ſeri caprini; lactis ipſius, aquarum ſolani aut nymphææ, decocti capitum papaueris & ſum-

mitatum maluæ, ſi res ita expoſtulet & ſimilium. Idem dicas quando iſta vlcera nimiæ ſiccitati coniuncta ſunt.

Mitigato dolore & temperato ardore, ſi quis fuerit, poſtea detergentibus validioribus erit opus, vt hydromelite, decocto hordei cum melle roſaceo: aquâ vulneraria ſeu catapultarum vulgo dicta, quæ hîc primarium locum obtinet aut colluantur frequenter vrinâ pueri impubis, lixiuio dulci ex cineribus ſarmentorum confecto: vel aqua Balerucanâ thermali. Apud neotericos vſitata eſt ſequens iniectio.

℥ Hordei integri & furfuris bene macri, roſarum rubrarum, an. P.j. foliorum agrimon. abſinth. & apij, vincæ-peruincæ, & caprifolij, an. M.j. fabarum nigrar. cum cortice & lentium, an. ʒ iij. liquir. raſæ, ariſtol. rotundæ, zedoariæ, rhapont. & rad. ireos Florent. ana ʒ ij. Fiat omnium decoctio, addendo parum vini albi & ſacchari ſub finem, quâ vtantur pro iniectione. Quod ſi vlcera admodum ſordida & fœtentia appareant, diſſolue in portione huius decocti parum vnguenti ægyptiaci, aut aquæ marinæ, vel aluminoſæ cum pauco ſublimato, vel etiam pulueris mercurij dulcorati vel aluminis q. ſ. Vtantur per interualla. Aut vſurpetur in hoc caſu collyrium Lanfranci dictum (*vide deſcriptionem apud Guidonem*) quod plurimum valet ad vlcera iſta maligna & fœtida. Deindè ſi vlcus ſit in collo matricis, poteſt inungi detergente & exſiccante linimento, cui adde argenti viui modicum, præcipuè quando eſt ſuſpicio luis Venereæ. Oleum calcis, ſiue illa pinguedo iniectâ in calcem aquâ quæ facile ab eâ ſeparari poteſt, eſt mirabile ad hæc vlcera exſiccanda: quando tangi poſſunt, ſuperponantur perpetuo emplaſtra vel cataplaſmata aut linimenta eiſdem facultatibus prædita circa pubem vel perinæum, quorum vires ad interiora vſque per inſenſiles meatus deferuntur. Pars autem iſta propter naturam ſuam membranoſam & temperamentum proprium facile fert exſiccantia etiam validiora; vt annotauit Galenus: tum etiam propter copiam excrementorum quibus ſcatere ſolet. Eodem igitur modo peſſaria conformari poſſunt ex emplaſtro de Vigo aut diapompholygos, cui modo thus, maſtichen ad exſiccandum: aliquando etiam myrrham aut aloën ad detergendum addere licebit. In profundo autem vlcere, quod verſus fundum vteri poſitum eſt, poſt iniectiones, agendum erit fumigiis, quæ in hoc caſu, & pro diuerſis intentionibus variè comparari poſſunt: ſequens habetur potentiſſimum ad abſorbenda inquinamenta, & corrigendam malignam qualitatem, vtero impreſſam.

℥ Gummi hederæ & iuniperi, ladani puri, ana ʒ j. corticis thuris, maſtiches & cinamomi, ana ʒ ij. auripigmenti rubri vel citrini ʒ j. Formentur trochiſci cum terebinthinâ ponderis ʒ ß. Iniiciatur vnus ſuper prunas, cuius fumum excipiat mane poſt purgatum conuenienter corpus, continuando per triduum ſingulis ſeptimanis. Hiſce trochiſcis audent quidam cinabrij puluerem cum benjoino adiicere in deplorato vlcere, & cum lue Venereâ complicato. Sed omnia pro variis circumſtantiis erunt moderanda in corporibus hiſce mollioribus & delicatis: in quibus erit conſultius, vt iam dictum eſt, luem prædictam expugnare decocto guaiácino, per aliquod tempus vſurpato, & inunctionibus ex hydrargyro ſolitis, quam quidquam temerè iſtis vehementioribus remediis moliri. Prudenter hic igitur ſe gerat Medicus, ne dum nimis citò & importunè cupit hunc affectum tollere, miſeram ægrotantem in maius periculum præcipitet.

Hæc igitur omnia aut ſimilia erunt conuenienter vſurpanda in vlcerum matricis curatione: quæ vbi propter malignitatem aut incuriam ægrotantium, quia propter pudorem vix ſe audent Medico vel Chirurgo committere, dura, calloſa, & ſinuoſa euaſerint; tunc imitantur naturam fiſtularum, & ad illarum curationem ſunt reuocanda. Quod potiſſimum contingit in illo vlcere vteri, quod exterius verſus coxam aperitur, & ibi abſceſſum generat, vt ex Aphoriſmo illo Hippocratico ſuprà annotauimus. Confluente enim verſus inguina pure, fieri non poteſt quin plures partes vicinæ inficiantur, & vitium concipiant, ex quo ſinuoſitates, & quaſi tubuloſa vlcera exoriuntur, tam in matrice quam in membris circumiectis. In quibus curandis eadem methodus obſeruanda ex detergentibus, abluentibus, & tandem exſiccantibus iam commemoratis. Verum quando in hac parte inguinis, vel etiam intra vteri corpus & fundum genita eſt fiſtula, vlcus ſcilicet cauum, oblongum, calloſum, & perpetuo effluxu excrementorum ſcatens, quæ ex variis locis deriuantur in iſtam cauitatem: Tunc conſiderandum erit, vtrum magis conducat

Digitized by Google

conducat ægrotanti talem meatum iam assuetum relinquere intactum, per quem natura vacuationem excrementorum multiplicium molitur : vel eiusdem curationem suscipere. In priore casu contenti erimus frequenti purgatione, sudorificis semel aut bis in anno repetitis, iniectionibus detergentibus & roborantibus, superimposito emplastro diuino, diapalma, & similibus, quæ curam vulgo palliatiuam dictam complere poterunt. In alio verò casu. vbi scilicet integra istius fistulæ curatio est sperabilis, potissimum quando eius extremitas vergit ad exteriora, vt coxam vel perinæum : tunc prima erit cogitatio circa duritiem istam siue callum auferendum, vt dissitæ partes coalescere possint : deinde ad reparandam partis substantiam deperditam, siue implendam istam cauitatem per laudatæ carnis regenerationem ; demum illius exsiccationem & sigillationem inductâ cicatrice, quæ denuo recludi non possit. Quæ priusquam moliamur, omnis cacochymia & fluxionis impetus diligenter erit auertendus, vt supra dictum est.

Callum igitur auferre ex eiusmodi fistulis, quæ ad manum positæ sunt, licet, ampliando prius externum foramen, si nimis sit angustum, immissâ spongiâ, linteolis bene conuolutis, aut radice gentianæ, aristolochiæ, bryoniæ, aut etiam hellebori albi si habeatur, quæ relinquentur ibidem per trium aut quatuor horarum spatium : deinde iniiciendo in sinum interiorem medicamenta quædam acriora, vel aspergendo quosdam pulueres, si solum orificium illius deterendum proponatur : hic æruginem æris cum sale ammoniaco mixtam & pauco vino dilutam turundæ aut penicillo oblongiori illitam immittere possumus, & ibi sinere donec morsus ab ægrotante sentiatur. Alij quando callus est durior, audent eiusmodi turundas aquâ rosaceâ intinctas pauco arsenici puluere conspergere. Quod si profunda & sinuosa sit fistula, oportet per metrenchyten infundere in formam liquoris, qui obturato foramine, ne refluat, ibi contineatur per aliquot horas. Vt

℞ Sublimati ʒ j. arsenici, viridis æris, ana ϑ j. aquæ plantag. & rosarum, ana ℥ iv. Bulliant parum supra cineres calidos, deinde colentur : colaturæ, si volueris adde vnguenti ægyptiaci ʒ iij. plus minus. Iniiciatur parum in fistulam, & ibi contineatur per aliquod tempus : tamdiúque per interualla continuetur, donec tabefacta & exsiccata videatur fistula, quæ deinde butyro recenti instillato, oleo amygdalarum dulcium aut vnguento resumptiuo emollita per se decidat. Tunc detersis sordibus, & omnibus extraneis conuenienti iniectione, qualis erit ex decocto catapultarum dicto. vel hydromelite supra dicto, vlcere recenti & ita renouato procuranda erit carnis deperditæ restauratio, immisso puluere radicis ireos, aristol. myrrhæ, thuris, sarcocollæ, sanguinis draconis, & similium, qui etiam dissolui quodam liquore poterunt, vt vino albo vel austero, succo plantaginis & similibus, si in profundiores partes vim medicamenti penetrare opus fuerit. Tandem oppletis sinibus, & cauitate interiori, aspergantur frequenter orificia alumine puluerisato, bolo armenâ & similibus : supertegantur emplastro diapalma, de lapide calaminari, lamina plumbi, argento viuo vel aquæ aluminosæ liquore confricata, & aliis quæ cicatricem firmam inducere valeant.

Sunt etiam alij modi absumendæ fistulæ à Chirurgis nostris commemorati, qui per vstionem aut sectionem perficiuntur, vt ex eorum libris licet addiscere. Verùm quia locus iste profundior, membranosus & exquisiti sensus, non videtur posse pati eiusmodi operationes, nisi rarò admodum, & in robustioribus : Ideo melius est illas omittere, & curationem istarum veteri fistularum supradictâ viâ moliri, si quidem ex eius vsu speramus aliquem fructum emergere posse. Alias enim melius erit eas omnino intactas relinquere, vt iam monuimus, & curâ tantum παλιατιϖ seu palliatiua solatium aliquod miseris istis ægrotantibus adferre. Iam ad alia accedamus.

CAPVT XIII.

De condylomatis, verrucis, rhagadibus, seu scissuris Vteri & similibus.

PRÆTER vlcera & fistulas vteri, sunt etiam quædam solutiones continui cum tumore, propriis nominibus donatæ, quas hoc capite persequi & breuiter explicare propositum est: ne huic nostræ tractationi quicquam deesse videatur. Inter quas præcipuè commemorant authores nostri condylomata, condylas, siue condylous, verrucas tam formicarias, pensiles, callosas, quam in summitatum thymi speciem effigiatas, quæ sæpe in ficos degenerant: & rhagadas siue scissuras orificiorum vteri, quas eodem modo in ore, in ano, in digitis manuum ac pedum post ingentia frigora aut diuturna vlcera contingere obseruamus. Quæ omnia, vt facilius intelligantur, dicimus condylomata ista nihil aliud esse, quam tubercula siue tumores duriores & eminentes in rugis orificiorum pudendi aut vteri instar internodiorum, quæ in complicatis digitis apparent, vnde etiam nominis ratio deducta videtur, à congestione humoris frigidioris & crassi, vt melancholici aut pituitosi inuicem permixti, à quo gignuntur eiusmodi tumores, qui neque omnino ad scirrhi aut œdematis naturam accedunt, neque ita per partis substantiam & poros habent materiam dispersam, vt illi, sed magis collectam sub cute & quasi separatam. Ex quibus verbis, quidquid alij sentiant, satis datur intelligere naturam & rationem istorum tumorum, quos peculiari nomine authores nostri donarunt: & quomodo ab aliis distinguantur.

Vt autem ista condylomata magis habent collectam materiam illam à qua pendent: sic verrucæ, thymi, & fici, habent magis illam extra cutem: sunt enim tumores instar monticulorum eminentium extra superficiem partis cui adhærent, vnde quidam vocantur acrochordones, quasi pensiles: alij, vt formicariæ & callosæ, maiorem habent basim. Quibus si contingat vt crassescant valde, scindantur in morem flosculi illius aut summitatis thymi, vel instar ficus & mariscæ extuberent, tunc etiam illas appellationes sortiuntur particulares: & à communibus verrucis in eo differunt, quod malignitatis cuiusdam & feritatis sunt participes, quæ ad cancri naturam quodammodo accedit, fundúntque de se vt plurimum sanguinem, vel saniosam quamdam materiam, & virulentam.

Rhagades autem sunt oblongæ quædam rimæ, & veluti fissuræ inter rugas istorum orificiorum positæ, quæ vlcerationes illarum sequuntur, cum paucâ aut nullâ sanie, aliquando si confricentur aut atterantur, sanguinem fundentes, & sæpe tumori cuidam & eleuationi coniunctæ: aut insigni siccitati & duritiei, quod in aliis partibus videre est, vt iam fuit annotatum.

Causæ igitur istorum affectuum variæ esse possunt, prout variæ sunt eorum differentiæ. Cum autem pendeant potissimum ex congestione humoris melancholici & crassæ pituitæ circa istas partes vterinas & eorum extrema siue orificia collectæ: Patet etiam ea omnia quæcunque generando illi humori vel deducendo versus istam partem idonea sunt, aut immutandæ propriæ vteri temperiei, propter quam debilitatur admodum & mala fit alimenti in illo concoctio: posse istos affectus producere. Hoc certè nostro sæculo vt plurimum isti affectus sunt soboles pessimi illius contagij venerei, propter quod communicatâ labe hepati & principibus partibus inficiuntur omnia membra prauis excrementis, vlcera cacoëthea, dolores nocturni, exostoses, caruncvlæ seu hypersarcoses & similia: & in vtero qui est pars obuia, & primum suscipiens in hoc morbo conflictum, exoriuntur varij isti affectus, tam ex sympathiâ partium aliarum mittentium suam cacochymiam in locum istum expurgationi naturaliter dicatum, quam ἰδιοπαθέα, per vitium illud occultæ & malignæ intemperiei altius huic

huic membro infixum. Non est tamen negandum, ab aliis causis illos pendere posse, vt partu, vel aborsu violento, longis & fœdis fluoribus vterinis, coitu immoderato, aut improportionato, & iuuenculæ & pumilæ mulieris cum vasto viro, potissimùm in illis quæ cachexia diutius laborarunt, aut certè habent temperamentum inclinans ad elephantiasin, vel post febres quartanas aut diuturnas cum magnis obstructionibus passæ sunt tandem humorum decubitus & μεταστάσεις in partes inferiores. Quæ sunt diligenter à Medico animaduertenda, vt ex illis differentias etiam istorum affectuum ad curandam necessarias constituere possit.

Quod ad diagnosim spectat, quia isti affectus vt plurimum visui & tactui sunt expositi, aut saltem immissâ dioptra facile conspiciuntur: Ideo etiam eorum natura, siue species, cum parte affectâ siue loco vteri proprio cui adhærent, statim prudenti Medico, aut Chirurgo tractanti innotescunt. Causæ verò internæ & externæ antecedentes seu coniunctæ, tam ex relatu ægrotantis, quam ratiocinio eorum omnium quæ præcesserunt vel adsunt, erunt inuestigandæ. Etenim si ex lue Venereâ aut elephanticâ dispositione pendeant, rarò solitarij sunt isti affectus, sed in variis aliis partibus malignitatis suæ vestigia ostendunt. Si ex simplici cacochymiâ totius corporis, hepatis & similium: si ex κακοχροίᾳ ipsius vteri, ista erunt ex solitis signis repetenda, quæ fusè in superioribus affectibus proposita fuerunt. Hinc etiam pendebunt prædictionis leges; nam ex variâ earum specie, & causis licebit coniicere de exitu siue successu in istis affectibus: quoties enim admodum sunt inueterati, vel ex malignâ lue aut elephanticâ dispositione pendent, vix eradicari possunt, quin altior illa mali labes aulsa fuerit. Si exasperati fuerint ob ineptam aut importunam remediorum adhibitionem, ita vt in cancrosum vlcus degenerent, melius est sinere, quam eorum θεραπείαν aggredi, nisi forte mitigatoriam sympt omatum, quam vulgo palliatiuam vocant. Rhagades aliquando sunt ita pertinaces ob κακοήθειαν, aut malum habitum in parte contractum, vt quamuis sæpius curatæ, denuò reuiuiscant. Quod in multorum pedibus aut manibus obseruare licet per hyemem, dum præ frigoris vi χείμετλα illa seu perniones & fissuræ quotannis renouantur. Sunt autem isti omnes affectus valde molesti, tum propter dolorem quem sæpius ægrotantibus istis inferunt, tum etiam quod libertatem coeundi & pariendi maiori ex parte auferunt. Quare illorum curationem, quæ ad superiora capita, vbi de tumoribus & vlceribus vteri egimus, facile referri potest, breuiter perstringamus.

Imprimis habeatur omnium causarum externarum ratio, si sit lues Venerea aut elephantica dispositio illorum præcipua causa, corrigantur omni artificio & curâ; frustra enim laborabimus circa particulares illos affectus, nisi primarij sublati fuerint. Si pendeant ab vniuersali plethorâ vel cacochymiâ, tollantur purgatione præparationéque totius corporis & humorum conuenienti: necnon venæ sectione, si opus esse videatur. Eáque vitæ ratio instituatur, quæ omnino aduersetur generationi istorum excrementorum, à quibus peculiariter producti fuerunt, quam hic repetere foret inutile, cum satis ex superioribus constet. Ideò particularem tantum istorum curam proponemus. Quod ad condylomata igitur, verrucas & thymos spectat, si illius sunt naturæ, quæ ad cancrosum tumorem vel vlcus accedant, melius erit intacta relinquere, quam eorum curationem suscipere, vt iam sæpe fuit annotatum: vel certè palliatiuam illam tractationem instituere, quæ eorum effer-uescentiam compescat & symptomata, vt dolorem, mitiget, de quâ superiori capite actum fuit: per vnguenta illa, fotus & pessaria, quæ reprimentibus, refrigerantibus & anodynis constent. Vbi verò isti affectus communem tantum sequuntur humorum constitutionem in corpore bene habito, tum integra illorum sublatio tentanda erit per sectionem filo aut ferro factam, vel vstionem per actuale vel potentiale cauterium: quibus ita sublatis, tota deinde cura erit in repurgandis sordibus, si quæ supersint, mollienda eschara vt decidat, & inducenda cicatrice, ne malum denuò exoriatur. In condylomatis tamen, quando adhuc sunt recentia, nollem statim sectionem vel vstionem instituere: quia sæpe visa sunt decoctis ad fotum vel insessum adstringentibus & roborantibus disparuisse: vel certè relaxantibus & mollientibus, si iam duriora euaserint: vnde Celsus laudat in principio insessiones ex decocto verbenæ, sertulæ campanæ, lentium, summitatum rubi contritarum in vino adstringente. Deinde vult lixiuio perfundendam esse partem, cui thymum & chamæmel. incoxerint, si discussoriis reliqua humoris portio dissolui posse videatur: quibus succedent pessaria, aut linimenta eisdem facultatibus præ-

dita;

dita: additis etiam mollientibus, ſi opus ſit, vbi hæc remedia per aliquod tempus fruſtra fuerint tentata, tunc ad Chirurgicam operationem veniendum erit, ſi affectus fuerit moleſtior: cuius formulam tradit Aëtius *lib.4.ſerm.1. cap.4.*

In verrucis autem & thymis extirpandis, præter ſectionem & vſtionem, ſi ſint aſque vllâ malignâ labe, vſurpari poterunt ea quæ vulgò traduntur ad verrucas aliarum partium tollendas & exterendas, vt lac ſeu ſuccus fici arboris illitus, ſuccus cucumeris agreſtis cum ſale, thuris cortex contritus cum aceto, portulacæ folia virentia contuſa: cantharidum puluis cum vnguento apoſtolorum permixtus, ſtercus bubulum cum aceto, liquor qui ex vitibus amputatis vel combuſto ſarmento ſtillat. Quæ cum habeant vim adurendi, & erodendi, ita ſunt admouenda, ne partes ſanas & circumiacentes contingant, aut certe illas præmunire oportet litu vnguenti de bolo, laminâ plumbeâ perforatâ & ſimilibus, ac frequenter abluere aquâ hordei aut roſaceâ ne male afficiantur. Hodie audent noſtri Practici illas contingere aquâ forti ſeu chryſulca argentariorum dicta, quam ſecundariam vocant: Alij verò oleo ſulphuris aut vitrioli, quibus etiam cauteriſandæ erunt iſtæ partes poſt abſciſſionem volſellis factam, ne hæmorrhagia concitetur, aut illarum radix repullulet. Quod eodem modo vſurpari poteſt in verrucis illis calloſis quas vulgo cornua (*des cors*) appellant.

In rhagadibus autem ſiue vlcuſculis illis oblongis & rimoſis curandis, quæ orificio interiori matricis, vel pudendo muliebri innaſcuntur: videndum vtrum iam ſint profunda & calloſa, vel ſuperficiaria tantum, & ſine duritie. Recentia enim & ſanguinolenta, vt quæ poſt laborioſum partum, vel coitum violentum contigerunt, indigent tantum adſtringentibus & glutinantibus, vt iniectionibus ex decocto plantaginis & roſarum cum paucâ bolo armenâ & cortice thuris, aut ex prædictis linimenti inſtar, cum albumine oui conquaſſato, & lanâ vel bombyce parentur peſſaria, præcipuè quando eſt metus largioris hæmorrhagiæ. Vbi iam ſiciores euaſerunt & quodammodo duriores, molliantur decocto humectante vt maluarum, iuſculo capitis veruecis, & illinantur mucilaginibus ſeminis pſyllij & cydoniorum, vel butyro recenti: ſi virulentæ ſunt, vnguento de plumbo aut de cerusâ reprimendæ: aut oleo ex ſemine lini in mortario plumbeo diu agitato. Vtiliſſimum experieris ad iſtos affectus vnguentum illud, quod hodie parare ſolemus ex melle, vino rubro auſtero coctis, & vitellis quorum, donec inſpiſſentur, admixtis in pulticulæ formam; lenit enim dolorem, deterget modicè, adſtringit diſſitas partes, & roborat. Tandem ſi callus grandior aut firmior impediat iſtarum rhagadum agglutinationem, & poſt emollientia per aliquod tempus adhibita, opus erit eiuſmodi callos vel ignito ferro tollere, vel cauſticis medicamentis, qualia à nobis ſuperius fuerunt commemorata: deinde renouato, & repurgato vlcere eius conſolidatio procuranda. Quod non niſi magnâ difficultate, & labore fit, ob rationem partis iſtius neruoſæ & excrementorum, quibus perpetuò alluitur. Hoc vnum diligenter videre hic debet Medicus, ne dum iſtis affectibus mederi cupit, maius aliquod periculum inferat, vt carcinomatis vel inſignis fluxionis, & doloris in hac parte, propter quæ multas miſerè periiſſe certiſſimum eſt.

Præter dictos affectus recenſentur etiam ab authoribus noſtris, præſertim antiquioribus, alij, vt hæmorrhoides vteri, venæ ſcilicet hiantes & apertæ in collo illius, aſcarides, & calculi vterini, quorum omnium tractationem omittimus, quia nihil aut parum diſcrepant, quod ad cognitionem & curationem eorum ſpectat, ab hæmorrhoidibus ani, lumbricis inteſtinorum, & calculo veſicæ, aut quia admodum rari & infrequentes exiſtunt.

Alius tamen eſt animaduerſione quadam dignus, quia & fœdus eſt, & coitum quodammodo impediens, quem Caudam, Tentiginem, Clitorida, ſeu Nympham muliebrem extuberantem vocant. Cuius beneficio olim Tribades quædam fœminæ alias ſubigere dicebantur, & in Ægypto omnibus puellulis locus iſte, dum recens eſſent natæ, inurebatur ne iſtam turpitudinem incurrerent. Quidam ita diſtinguunt Caudam à Nymphâ excreſcente: quod Cauda ſit proprie excreſcentia illa, quæ inſtar membri virilis contingit in mulieribus, dum proceſſus ille paruus ſecundum naturam & leuiter tantum prominens in mediâ & pinguiore pubis parte ſuperpoſitus, & è directo reſpondens meatui vrinæ, qui in pudendum muliebre inferitur, ita augetur, vt erigi inſtar penis & inſigniter prominere valeat. Nympha verò extuberans ſint caruncułæ illæ cuticulares ſeu fungoſæ vtrinque in lateribus pudendi muliebris poſitæ, ſtatim poſt rimam, vt labiorum inſtar illam

melius

Digitized by Google

melius occludant, & vrinæ exitum quodammodo dirigant: vbi enim vehementer excreuerint, & quodammodo indurverint, ex earum indecorâ magnitudine exoritur illa muliebris turpitudo, propter quam viris valde redduntur ingratæ.

Quidquid sit, vterque affectus vbi proponitur, vnicam exposcit curationem, quæ peritâ artificis manu perficitur, post conuenientem sanguinis missionem & purgationem, si opus fuerit. Apprehensâ enim hac tentigine volsellis, rescindatur nouaculâ, aut forficibus, quidquid præter naturam excreuit: deinde vbi aliquid sanguinis fluxerit, aduri debet ferro ignito, vel aquâ secundariâ attingi, oleo vitrioli aut sulphuris; vt sic vulnus hoc constringatur, & altiori cicatrice claudatur, ne amplius repullulare valeat. Atque hæc sunt præcipua, quæ ad particulares vteri affectus cognoscendos & curandos pertinent: quibus intellectis facilius transire poterimus ad sequentem tractationem libri secundi, in quâ propositum est agere de mulierum dispositionibus, quatenus illæ ad generationis opus propriè destinantur.

IOANNIS VARANDÆI
TRACTATVS THERAPEVTICVS,
DE MORBIS MVLIERVM.
LIBER SECVNDVS.

PRÆFATIO,
Et Operis diuisio.

QVANTVM æterna temporalibus, vniuersalia particularibus, meliora & præstantiora habentur: tantum etiam libet hic secundus dignitate & vtilitate primum præcellit, in quo agebamus de affectibus mulierum, quatenus individui muliebris, & vteri tanquam partis illius constitutiuæ curatio Medico consideranda proponitur: In hoc autem secundo toti occupati erimus circa dispositiones fœminarum, quatenus propagandæ speciei, conceptui, & fœtus productioni à naturâ destinatæ fuerunt: ita vt totam præcedentem doctrinam ad hunc secundum scopum velut finem præcipuum referre oporteat.

Cum igitur perfectior quæque animantium species ad commodiorem propagationem in marem & fœminam distincta sit, oportet etiam in vtroque certas esse dispositiones, quarum beneficio aptiores sint ad illum finem consequendum. Id nos in specie humanâ contemplaturi, relictâ in aliud tempus marium tractatione, quam persequemur, modo Deus nobis vitam dederit: Dicimus fœminas ita comparatas esse debere, vt in sese, quemadmodum mares extra se, concipere, fœtum alere, gestare, & commodo tempore extra vterum edere, editum & adhuc tenellum educare possint conuenienter. Ad hæc omnia præstanda opus esse apparatu, & idoneâ dispositione multarum partium, quæ & viam susceptioni seminis virilis commodam & locum proprium vbi contineatur: & materiam idoneam ex quâ primum foueatur, inchoetur, & augeatur: deinde alatur fœtus tam intra quam

Digitized by Google

extra vterum præstet. Considerandа igitur imprimis & ex historicâ anatomes cognitione repetenda naturalis constitutio partium genitalium muliebrium, vt exteriorum, ceruicis & ipsius matricis, vasorum spermaticorum & sanguinem in illam deferentium, consensus vteri cum mammis & earum omnium dispositionum, quæ naturaliter in eis ad lactis generationem reperiri solent : vt ex illorum comparatione facilius ea omnia quæ præter naturam illis contingunt deinceps intelligere valeamus : quæ tamen breuitatis causâ nunc omittimus, cum sit facile illa ex Anatomicorum libris repetere : & à nobis etiam in sequentibus tractatibus, quantum opus fuerit, explicabuntur.

Hunc igitur secundum librum ita partiemur in varia capita, vt primo agamus de fœminarum infœcunditate, quæ est vel omnimoda priuatio illius finis à naturâ intenti ad propagandam speciem : vel imminutio, & difficultas conceptionis atque imprægnationis. Quoniam verò vbi mulieres conceperunt, toto illo grauiditatis tempore oportet eas certis vti cautionibus, & victu, quo salubriter, & fœtus & fœta se habere possint, ideo secundo capite dicemus de cognitione prægnantium, & earum debito regimine. Sed quia sæpe contingit fœminas quidem concipere, sed vel non concipere id quod oportet, vel nimis quam oportet, vel excludere illud quod conceperunt ante debitum tempus, ideo agemus tertio capite de molâ, quæ est conceptus irritus & vanus : quarto de superfœtatione & gemellis, quod est nimius conceptus, propter quem vix seruari possunt vitales fœtus : quinto de aborsu, qui respicit tempus indebitum gestationis : sexto denique, quia in partu debiti temporis multa incommoda superueniunt, propter quæ vel non possunt parere, vel laboriosè admodum pariunt, & post partum in varios affectus & incommoda incidunt ; ideo vltimo capite agemus de partu iuuando, & de eis quæ ad partum consequuntur. Vnde sex erunt præcipua libri istius capita siue sectiones, quibus integra istorum affectuum sobolem impedientium tractatio perficietur. Oportet autem ista mysteria muliebria & arcana quæ vobis nunc pandimus, non risu aut ioco excipere, sed potius reuerenter & serio, quia non potest Medicus alia ratione aut verbis propositos istos affectus explicare, nisi multa sæpe interponat, quæ ad res venereas faciant. Procul ergo este profani.

CAPVT PRIMVM.

De sterilitate muliebri.

COITVS comes est voluptas, finis verò generatio siue proles : vnde legibus cautum est, ne homines promiscuè concumberent more ferarum, sed certis conditionibus & legitimo matrimonio coniuncti, ex quo oriuntur familiæ velut præcipua Reipublicæ seminaria. Hinc fit vt vir mulierem ambiat, non solum formæ gratiâ, aut dotis cupiditate, & affinium comparandorum causa : sed etiam vt mutuis officiis, ac vitæ societate fruens paterfamilias euadere possit, & domum commodius cum vxore, & liberis administrare. Est igitur mulier fœcunda & viro, & familiæ atque ipsi Reipublicæ vtilissima & iucundissima : vnde apud Platonem *lib. de Republ.* olim præcipuum erat obstetricum & paranymphωn munus, vt coniuges fœcundos explorarent, & inuicem coniungerent. Medici igitur operæpretium hac in parte maximum Reipublicæ faciunt, quando non solum in explorandâ & dignoscendâ marium & fœminarum sterilitate, sed etiam curandâ & in gratissimam fœcunditatem permutandâ incumbunt. Cum ergo ex parte mulierum, de quarum tantum affectibus iam est nobis

propositum

propoſitum agere, ſterilitas iſta poſſit contingere, modo ſimpliciter & ex ipsâ indiuidui naturâ: modo ex parte tantum, vt quando difficilè concipiunt, & raro imprægnantur: modo ex ſuperueniente aliquo affectu præter naturam: vel ſecundum quid, vt quando propter viri defectum aut illius certam diſpoſitionem non poſſunt ex illo prolem ſuſcipere, quam ex aliis facillimè adipiſcerentur: Ideò nos propoſitum affectum ita definiemus. Sterilitas muliebris eſt priuatio vel difficultas imprægnationis in fœminâ iuſtæ ætatis & congreſſu virili debite vtente, ob vitium totius corporis, membri alicuius principalis, aut partium genitalium, ſiue ſit ab ortu, & natiuâ conſtitutione, ſeu ex morbo, vel alia de causâ deinceps contractum. Qua definitione ſeu deſcriptione omnia videmur complecti, quæ ad naturam iſtius affectus intelligendam faciunt. Dicimus enim eſſe priuationem vel difficultatem imprægnationis, quia agnoſcimus in ſterilitate iſta actionem vteri præcipuam, quæ eſt conceptio; vel abolitam omnino, vt in illis quæ nuſquam pepererunt, quomodocunque vtentes virili congreſſu vnius vel plurium, & quibuſcunque adiutæ remediis: vel imminutam, vt in illis quidem quæ concipiunt, ſed raro & difficulter, cum hoc potius quam illo homine coeuntes, vt in primo matrimonio ſteriles ſint, in ſecundo aut aliis fœcundæ, vel contra, vt ſæpe contingit. Iſtæ enim omnes latè ſumpto ſterilitatis nomine infœcundæ appellantur. Addidimus in fœminâ iuſtæ ætatis: quia in mulieribus, vt in reliquis omnibus rebus, ſua eſt maturitas & certum tempus ad ſobolem & fructum producendum. Vt enim puellæ ob incrementum corporis & anguſtiam vaſorum neque pariunt, neque viro tradi debent ante decimum quartum aut potius decimum octauum annum, poſtquam menſtruæ purgationes apparuerunt, quæ oſtendant iam ſupereſſe materiam vtilem & ad fœtus generationem idoneam: ſic grandiores natu circa quinquageſimum vel quinquageſimum quintum annum ceſſantibus etiam menſtruis purgationibus legitimis parere deſinunt & effœtæ euadunt, nullo alio vitio quam ætatis, quæ omnibus rebus genitis non ſolum interitum, ſed etiam omnium actionum, præcipuè generationis, ceſſationem inducit. Poſuimus etiam in definitione *congreſſu virili vtente*. Quamuis enim fœmina apud Medicos duplex habeat principium, ſemen ſcilicet proprium & ſanguinem menſtruum, quorum illud efficientis quodammodo principij: hoc verò materialis rationem obtinet: attamen quia illud ſemen muliebre crudum eſt & imperfectum, nihil poteſt per ſe ad conceptum vel generationem, niſi roboratum & permixtum virili, fœcundo & ſpirituoſo, cuius vi efficitur præcipuè, vt animal ſecundum ſpeciem propriam generetur. Atque ridiculum eſt quod putat Auerroes, ſine congreſſu virili fœminam fuiſſe factam grauidam ex ſemine in balneum effuſo. Item quod Amatus Luſitanus narrat de duabus fœminis: quia ſemen virile vbi primum ab aëre ambiente contactum fuerit, contabeſcit & in aqueum liquorem conuertitur, diſſipatis ſpiritibus quibus turget & fœcundum exiſtit: Imo qui longiorem habent mentulam, ideo habentur infœcundi, quia in illo tractu ſemen nimis refrigeſcit. Itaque effæta virorum corpora, languidioréque calore natiuo, aut cuiuſuis præcipuæ & notabilis partis vitio affecta, ob ſeminis iſtius prolifici defectum, quod fœminæ communicari debet: imo ſola proportio ſeminalis huius materiæ quam conuenit adeſſe inter maritum & vxorem, vt poſtea dicemus; ſi deſit, irritos, ἀποφυσήσας reddit coitus, & totum generationis opus deſtruit, quantumcunque integrâ & bene ſe habente fœminâ.

Diximus igitur in muliere hunc imprægnationis defectum contingere ob vitium totius corporis, vel alicuius membri principis & ad vitam neceſſarij, aut denique partium ipſarum genitalium, ſiue ſit illud vitium natiuum, id eſt ex primo ortu & conſtitutione contractum: ſiue aduentitium & ſuccedaneum, propter varios morbos & accidentia, quæ mulierum corporibus ſuperuenire deinceps poſſunt, ac ſeminis & menſtrui ſanguinis naturalem & bonam conſtitutionem hic maximè expetitam corrumpere. Quibus verbis cauſas infœcundi huius affectus ſubnotare voluimus, in quarum enumeratione hæc methodus ſiue ordo omnium facillimus & expeditiſſimus mihi videtur, vt cum ad prolem ſuſcipiendam mulieri quatuor ſint neceſſaria, nempe vt primò recipiat commodè viri genituram in congreſſu venereo emiſſam: ſecundò receptam contineat in vtero per debitum tempus: tertiò vt eam ſinu ſuo foueat & conſeruet amicabiliter: quartò vt illam affusâ conuenienti materiâ quaſi nutriat,

& incrementum ad embryj formationem ac nutritionem præſtet. Hinc fit, vt quatuor etiam modis præcipuè generatio in muliere impediatur, non recipiendo, non retinendo, non conſeruando, & non nutriendo, ſeu non ſuppeditando conuenientem materiam: ad quos deinceps cauſæ omnes tam ex parte rerum naturalium, non naturalium, quam præter naturam, ſunt reuocandæ, vt ſequenti explicatione fiet manifeſtum.

Primum igitur vitium muliebre generationem impediens, diximus eſſe quando non recipit conuenienter fœcundi maris genituram, turgentem ſpiritibus & bene eiaculatam. Illud autem contingit primò ex parte rerum naturalium, quando ætas iuuencula ob paruitatem partium vix admittere poteſt ingreſſum pudendi virilis, aut certè magno cum dolore, propter quem auerſari ſolent concubitum. Quod eodem modo accidit illis mulierculis quæ pumilâ donatæ ſtaturâ cum hominibus gigantæis, aut certè craſſioris mentulæ coniunguntur: aut quæ iam prouectiorem ætatem adeptæ & caſtitati indulgentes, calloſas habent iſtas partes & coarctatas, vt vix intromitti poſſit veretrum in profundiorem ſinus muliebris partem, neque commode ſemen ad interiora eiaculari. Quæcunque etiam naturâ claudæ diſtortis cruribus, depreſſo coccyge, aut diuaricatis nimium cruribus exiſtunt, vix poſſunt commodam in concubitu figuram præſtare ad ſuſceptionem genitalis illius humoris. His addit Hippocrates *in Aphoriſmo 46. ſect. 5.* pinguedinis molem inſuetam & præter naturam, omentum craſſius cum aqualiculo prominentiore; iſta enim omnia non ſolum coanguſtant vteri orificium & comprimunt, ſed etiam impediunt iuſtum viri cum fœminâ congreſſum, & amplexus accommodatos, vt ſemen virile intra vterum recipiatur. His adde quarumdam mulierum natiuam intemperiem vteri frigidam & quaſi torpidam: propter quam neque appetunt, neque delectantur concubitu: ſed velut demortuæ aut non ſentientes illo vtuntur, ac proinde non recipiunt ſemen ad interiora. Ex parte vero rerum non naturalium: certiſſimum eſt animi pathemata præcipuam vim obtinere. Vbi enim adeſt odium inter coniuges, vel vnus alterum auerſatur: vbi inuitè aut ſine vllâ voluptate mulier potiſſimum viri amplexus patitur, vix fieri poteſt vt genitura commodè effundatur in muliebre penu: quia oportet matricem in congreſſu quaſi geſtientem occurrere, genituram illam ſuſcipere, & ad ſe euocare cum effuſione proprij ſeminis, quod ei commiſceri debet. Quæ præſtari non poſſunt, vbi mens eſt auerſa ab eiuſmodi voluptate, & refugit cum ſpiritibus & humore benigno ad interiora, ſiue per odium, timorem, triſtitiam, & ſimiles animi affectus. Immodica etiam voluptas & libido idem præſtare videntur, dum nimium commotus vterus excutit potius quam ſuſcipit virilem genituram. Omitto infandos meretricum & ſimilium fœminarum congreſſus, quæ vel clunes nimium agitando, vel præpoſteram figuram exhibendo, aut retrectando impetum ſeminis virilis dum fit eiaculatio, illius ingreſſum impediunt, ne imprægnationis moleſtiam ſubire cogantur. Sunt etiam quædam ita perdito animo fœminæ, vt norint artificioſè interius vuluæ orificium in concubitu ita obturare, ne ſemen viri cogantur in vterum admittere, & inde concipere. Quibus relictis dicamus etiam eſſe quædam medicamenta, quorum longo vſu iſtæ partes ita adſtringi aut exſiccari poſſunt, vt vix deinceps aptæ ſint ad ſeſe dilatandum commodè & aperiendum, vt recipiant genituram maris. Quod de ſcoriâ ferri & limaturâ chalybis authores noſtri annotarunt: propter cuius diuturniorem vſum in obſtructionibus puellarum noſtrarum, quæ pallido colore detinentur, exiſtimo earum plurimas deinceps, vbi matrimonio iunguntur, ſteriles in totum euadere, aut certè non prius concipere, quin omnis illa intemperies paulatim iucunditate coitus, & perfuſione gratioſi ſeminis emendata fuerit. Idem contingere poteſt ex adſtringentibus nimium fotibus, peſſis & ſimilibus admotis, ſed non ita vehementer vt ex aſſumptis, quia eorum vis non tamdiu permanet, neque interioribus viſceribus ſuam labem communicat. Demum iſtud impedimentum non recipiendi ſeminis virilis pendebit etiam à rebus præter naturam, morboſis ſcilicet omnibus diſpoſitionibus, quæ huic parti obſtructiones vel adſtrictiones *ἰδιοπαθικὰς* vel *συμπαθικὰς* inferre poſſunt; vt tumoribus præter naturam in illâ genitis, aut vicinis partibus, vt calculo veſicæ, vlceribus dolorificis in collo potiſſimum, flatuum diſtendentium multitudine, diſtorſione, diuulſione orificij, præcipuè interioris, clauſurâ ceruicis vteri, propter membranam aut aliam, ſubſtantiam ibi exortam, de quibus omnibus

nibus primo libro & peculiari capite ſufficienter egimus, vt non ſit opus hic illâ repetere.

Secundum verò vitium muliebre generationem impediens, diximus eſſe, quando vterus non retinet genituram maſculi in ſinum interiorem effuſam, quæ ibi coïre debet cum muliebri ſemine, & conſeruari vt conceptio perficiatur. Quædam enim ſtatim poſt concubitum illud emittunt; aliæ poſt aliquot horas, vbi primum ſurrexerint: aliæ poſt vnum aut alterum diem, prout vitium hoc maius fuerit vel minus. Atque hæc eſt frequentiſſima cauſa, propter quam mulieres fiunt infœcundæ. Cum enim vterus pars ſit recipiendæ totius corporis, & ſingularum partium, vt cerebri, hepatis, meſenterij & aliarum cacochymiæ idonea, contingit, vt plurimum iſtam partem madeſcere multis excrementis, quæ ita eneruant vim illius retentricem, vt non poſſit ſeſe colligere poſt concubitum ad ſuſceptam genituram continendam: neque ſemen ob iſtos mucores illi adhæreſcere poteſt, ſed quaſi fluitans oberrat, donec vel ſua ſponte, vel etiam excuſſum, vt quid inutile, prolabatur. In iſtis fœminis humidâ vteri intemperie naturaliter, ſiue ab ortu affectis, aliud etiam vitium contingit, vt ſcilicet os illud vteri interius habeant hians, & patulum, quod poſt coïtum coarctari non poteſt, vt genitura ibidem retineatur. Apud Hippocratem enim *Aphor.* 51. *ſect.* 5. grauidarum & quæ conceperunt, vteri oſcula ita conniuere debent, vt ne ſpecilli quidem mucronem admittant. Hoc malum intenditur etiam in illis, quæ ſub cœlo humidiore habitantes, vt de Scytharum fœminis narrat Hippocrates, otio abundantes maximo, alimentis præterea, & balneis vtuntur humidioribus ad corporis mollitiem conciliandam. Imo figura erecta in coïtu ipſo, vel ſtatim poſt illum, ſaltatio & ſimilia excutere poſſunt receptum in vtero ſemen: quemadmodum de meretricibus, & vulgaribus ſcortis creditur, non concipere, quod frequentiori concubitu quorumcumque aduenarum vtentes excutiant ſuſceptam genituram, & vterum ita debilitent, vt deinceps retinendo ſemini idoneus non ſit. Inter cauſas autem morbificas, quæ maximè illud efficere poſſunt, recenſentur gonorrhœa virulenta, & fluor ille albus, quo laborantes mulierculæ omnino generationi reddantur ineptæ: quia ſemen fœdâ illâ proluuie inquinatum prolabitur, vteruſque valde debilitatus non poteſt illud retinere. Idem præſtant vteriuæ exulcerationes, aut inductæ cicatrices grandiores poſt curata vlcera, quia illius etiam contractionem impediunt, & vires omnes labefactant.

Sequitur ergo tertium vitium muliebre, propter quod conceptio fieri nequit. Quamuis enim eiaculatum ſemen virile prolificum in ſinum vteri receptum fuerit, & retentum per aliquod tempus ſufficiens ad primam conformationem delineandam, ſeu tres illas ampullas ab Hippocrate commemoratas, excitandas, quod ſeptem dierum ſpatio fieri exiſtimant: Attamen certum eſt, præter receptionem & retentionem debere etiam conſeruari ſemen & foueri in vtero tanquam familiari, phyſico & accommodato loco, propter illius peculiarem *ἰδιοσυγκρασίαν*, à naturâ ad id muneris fabricatam: tum etiam alias conditiones neceſſarias, quæ temperiem debitam conſequuntur. Vnde ex illis immutatis contingit ſemen in vtero potius corrumpi, quam perfici, & omnem illius vim *πλαστικὴν* aboleri, aut certe admodum deprauari. Id in multis obſeruare licet, quæ ex occultâ quadam conſtitutione aut diſproportione, quam ab ortu, vel cum viri alicuius ſemine *ἀντιπαθείᾳ* numquam prolem ſuſcipere potuerunt, quamuis cauſæ nullæ ordinariæ apparerent. Hinc apud noſtros vulgatum eſt, aliquem eſſe perpetuò marem vel fœminam in qualibet familia, qui ineptus ſit ad generationem. Hippocrates hoc innuit apertis verbis *inſigni illo Aphoriſ.* 62. *ſect.* 5. *Mulieres quæ frigidos & denſos habent vteros, non concipiunt: quæ etiam prehumida ſunt, non concipiunt, extinguitur enim in illis ſemen. Nec quæ ſiccos admodum & calidos habent, inopia enim alimenti corrumpitur ſemen. Quæ vero vtrinque mediocrem habent temperaturam, hæ ſunt fœcundæ.* Vbi oſtendit per varias intemperies tam natiuas quam aduentitias generationem impediri, quatenus per illas prohibetur receptio virilis feminis, retentio illius in vtero, conſeruatio & debita nutritio ſiue incrementum. Idem præſtare poſſunt omnia ſumpta & admota quæcunque, *ἀτοκία* & *φθόρια* dicuntur ab authoribus noſtris, quia qualitatibus quibuſdam occultis vel manifeſtis apta ſunt extinguendo ſemini & abolendæ generationi, vt narrant de lapide gagate, oſſe cordis

ceruini, vuluâ capræ aut mulæ, ſapphiro, ſmaragdo, & caphura, de vermibus noctu lucentibus, & aliis veneratis, quæ infames meretriculæ conſulere aut exhibere ſolent ad impediendum conceptum. Imò quædam alimenta (*Plinius lib. 14. cap. 18. meminit cuiuſdam vini Trœzenij*) creduntur ὑστεράθεια ſeu diſſidium habere peculiare cum genitali ſemine, & illius vim diſſipare in vtero, vt acetum, mentham, ſiſymbrium aquaticum, fabas, & ſimilia. Neque omittenda maleficia, & incantationes, quibus compertum eſt ſcelerata dæmonum mancipia abuti ad generis humani perniciem. Vt enim nodo venereo & ſimilibus ſortilegiis congreſſus coniugum impeditur, ſic etiam prolifica ſeminis vis, & vteri ὑφηγία corrumpitur. Quibus omiſſis dicamus iſtam ſeminis maſculini conſeruationem maximè labefactari ab illis omnibus affectibus, qui venenatæ cuiuſdam & malignæ labis aut etiam contagionis ſunt participes: quales ſunt ex vlceribus fœtidis & cancroſis vterum infeſtantibus, ex elephanticâ diſpoſitione & phthiſicâ: aut etiam venereâ lue, quando habitum & iam confirmatam intemperiem adepta eſt: impoſſibile enim eſt ſemen viri, quantumuis ſani & fœcundi, ſaluum & incolume permanere permixtum eiuſmodi inquinamentis, quæ calori noſtro natiuo, & ſpiritibus ex diametro aduerſantur. Imo ſi quæ proles aliquando ſuſcitetur ex eiuſmodi fœminis, illa aut non debitâ periodo excluditur, aut morboſa, inualida, & breuis vitæ generatur, vt ſæpe obſeruauimus.

Supereſt igitur quartum & vltimum vitium muliebre generationem impediens, quod maximi eſt inter alia momenti: etenim ſemen fœcundum in vtero receptum & retentum, illiuſque bonâ temperie ſuſcitatum ad informandum fœtum, debet habere conuenientem materiam, nempe primò ſemen muliebre, cui coniungatur ad partes ſpermaticas delineandas: deinde menſtruum ſanguinem, cuius benignâ ſubſtantiâ irroretur, quantitate mediocri & conuenienti qualitate nutriatur, vt incrementum capeſſere poſſit. Horum alterutro, vel vtroque deficiente, irritum omnino & vanum ſubſequi conceptum neceſſe eſt: aut ſaltem minime vitalem produci. Vnde nimis iuuenculæ & vetulæ defectu vtriuſque, ſeminis ſcilicet & menſtrui, ſteriles eſſe ſolent, quamuis concubitu fruantur: vt plurimum enim ante decimum quartum annum, & poſt quinquageſimum quintum fœminæ non ſuſcipiunt liberos, tam ob prædicta iam à nobis incommoda, quam ob defectum materiæ quam mulier ad fœtus productionem ſuppeditare ſolet. Vtrum verò ſit ſemper neceſſarium menſtrua apparere & fluere in mulierculis vt generationi ſint idoneæ, ita vt non poſſint illis nondum fluentibus aut ceſſantibus concipere, ſatis eſt controuerſum apud authores. Nos verò dicimus breuiter, menſtrua omnino deficientia ob ætatem, vt in iuuenculis, quandiu corporis incrementum durat; vel in vetulis, ob defectum caloris natiui & αἱματώσεως, impedire conceptionem, quia omnino ſubtrahitur materia augendo & alendo fœtui neceſſaria. Item menſtrua ob morbum deficientia, vt obſtructiones varias & intemperies, ſuum adferre incommodum generationi, donec illæ percuratæ fuerint, quia impediunt bonam ſanguinis generationem, vel illius commeatum ad vteri vaſa intercipiunt. At verò ſi menſtrua non appareant ob labores & exercitationes nimias, vel certè pauca, vt in ruſticis quamplurimis; vel ob aëris caliditatem, vt de Americanis narrant: tunc neceſſariò non impeditur generatio in fœminis juſtæ ætatis, dummodo tantum ſuperſit interius ſanguinis, quantum neceſſe eſt ad prædictam materiam ſuppeditandam: quæ etiam poſt purgationem menſtruam in noſtratibus mulierculis ſupereſſe debet. Non enim eſt neceſſarium, vt quantitas illa materni ſanguinis ſit immenſa, ſed mediocris, quò eâ commodè poſſit ali fœtus. quandoquidem contingit multas puerperas imprægnari antequam denuò illarum purgationes menſtruæ poſt partum apparuerint. Quemadmodum graciles fœminæ, aut quæ paucum habent ſanguinem facilius concipiunt inſtantibus menſtruis, quoniam tunc ſuppetit maior illius copia: contrà bene habitæ, & ſanguineæ deſinentibus menſtruis, poſtquam ſcilicet ablata eſt illa portio ſanguinis ſuperflua, qua ſemen, in principio potiſſimum conceptionis, obrueretur. Et videmus plerumque iſtas mulieres πολυαίμας, vt concipiant, & fœtum commodiùs ſeruent, indigere ſanguinis miſſione ex venis brachij ad reuellendam materiam

quæ

Digitized by Google

quæ copioſior in vterum primis menſibus prolabitur. Atque hæc de propoſitâ difficultate.

Apud Hippocratem 6. *epid.* 8. mulier virago non concipit, neque etiam Hermaphrodita, quia in illis eſt quaſi corruptio & mixtio ſexus, propter quam veriſimile eſt ſeminalem & ſanguineam materiam abſumi in alios vſus, aut certè illas non habere vteros ritè diſpoſitos & conformatos ad ſuſcipiendum & fouendum virile ſemen. Sic ebriæ & guloſæ admodum rarò aut difficulter concipiunt: quia crapulæ copia ſuffocat calorem natiuum, & omnes coctiones peruertit, quæ ſunt neceſſariæ ad materias illas producendas. Idem dicunt de hydropotis, quæ ſeſe magnâ aquæ copiâ & intempeſtiuè iugurgitant: quia ſerum potius quam ſanguinem laudabilem producunt. Nutrices contrà & quibus lac copioſum ex mammis profluit, non imprægnantur aut rarò, quia auertitur aliò iſta materia, quæ in vterum debet ad generationem transferri. Eodem modo affectus omnes qui maciem ſummam corpori inferre ſolent, febres acutæ, & hecticæ: & qui obſtructiones maximas viſcerum & vaſorum vteri ſequuntur, generationem remorantur, vt iam diximus; quia eadem materia intercipitur aut abſumitur. Atque hæc de præcipuis cauſis, quibus quatuor illa vitia inducuntur generationem impedientia. Nunc quibus ſignis internoſci poſſint videamus.

Antequam vero ad diagnoſim iſtius affectus progrediamur, ponamus hoc pro certo fundamento inter virum & vxorem legitimo matrimonio coniunctos, certam quamdam proportionem eſſe debere, tum ſeminis, tum ipſius temperamenti, & morum, vt poſſint ex mutuo congreſſu prolem excitare. Nam temperati mares ex temperatis fœminis & bene habitis, ſi mutua præcipuè animorum & officiorum conſpiratio fuerit, facilè liberos ſuſcipient: & intemperati etiam ex bene temperatis. At verò intemperati valde in latitudine ſanitatis poſiti, ſi fœminis iungantur intemperatis in eodem qualitatis exceſſu, vt calidiores viri cum fœminis æſtuantibus; frigidiores cum fœminis algido temperamento præditis, & ſic de aliis; vix aut numquam fœcundos euadere, quia iſta temperamenta non ſeſe mutuò corrigunt, & ad quamdam mediocritatem deducunt. Vnde contingit iſtas mulieres ſteriles euadere, non ſimpliciter, ſed tantum reſpectu coniugis, quia ex permutatione ſolâ alterutrius, vt ſæpe videmus in ſecundis nuptiis, vterque fertilis & fœcundus euadit. In his itaque non eſt fruſtra laborandum, præcipuè ſi defectus generationis ex parte viri pendeat. Secundò notandum eſt, ſterilitatem frequentius ex parte fœminarum quam marium contingere, quoniam iſtæ multo plures cauſas adferunt ad generationem quam illi, qui tantum ſemen genitale extra ſe & in ſinum muliebrem effundere debent, vt principium motus generationi præbeant. Illæ verò præter ſemen, quod debent etiam conuenienter & quaſi concurrenter cum virili profundere, vt ſimul miſceantur ad opus generationis inchoandum: debent præterea ſuppeditare locum idoneum, nempe vterum bene præparatum tanquam agrum ſemini & ſoboli conſerendæ accommodatum: & materiam ad illius alimoniam & incrementum. At vbi ſunt plures cauſæ ſimul neceſſariæ, ibi etiam plura vitia & errores contingere poſſunt, ita vt fœminis ſterilitas, cæteris paribus, vt plurimum ſit adſcribenda. Hinc illa paræmia: *per pau que valgues lon bocillon, mas que la cabre ſio de ſeſon.* Tertio denique notandum eſt in multis coniugio ligatis, nullas manifeſtas ſterilitatis cauſas aliquando apparere, quantumuis omnia diligenter perueſtiganti: ſed cum tam externa quam interna rite ſe habere videantur, fit tamen vt infœcundi & liberis orbati per multos annos permaneant. In hiſce vt poſſit detegi latens illa occaſio infœcunditatis, Hippocrates & reliqui authores noſtri multa ſcripſerunt experimenta. Sic *Aphor.* 59. *ſect.* 5. *Si mulier non concipiat, & ſcire velis, an ſit conceptioni apta, involue illam veſtibus optimè, & ſuffito per inferiores partes: nam ſi odor videatur tibi penetrare corpus, & ad nares & os vſque pervadere, ſcito iſtam non eſſe ſuâ culpâ ſterilem.* Quia communicatio eiuſmodi odoris fieri non poſſet, ſi inſignis intemperies aut occultæ obſtructiones præpedirent propagationem iſtius qualitatis ad ſuperiora vſque. Alia multa proponit idem Hippocrates *lib. de ſterilibus*, quæ videntur potius niti ſolâ experientiâ quam certâ ratione: quemadmodum & illa, quæ Rhaſis & alij adducunt de proijciendo viri-ſemine in aquam, de granis hordei vrinâ vtriuſque coniugis ſeorſim aſperſis: ita vt quæ germinarint, oſtendant fœcunditatem, & contrà. Quibus etſi non magnam fidem adhibeamus, attamen aliquando ſecundum propoſitos caſus vti licebit, videlicet in gratiam Regum,

Principum

Principum & illustrium familiarum, quorum & Reipublicæ maxime interest, vt liberos in successionem bonorum progenerent. Christianissimi Reges nostri possunt diuortium facere & repudiare vxores suas, si steriles sint. His ita suppositis ad methodicam diagnosim accedamus.

Quotiescumque igitur mulier aliqua Medicum accedit cõsilium petitura de causis & remediis sterilitatis: debet ille imprimis totius corporis habitum, & conformationem contemplari, quod Hippocrates naturam appellauit, dum agit de eis qui sunt propensi ad tabem: quemadmodum enim illi ex collo oblongo, scapulis eleuatis, pectore tabulato, & cruribus gracilioribus dignoscuntur primo intuitu: sic mulieres naturâ steriles, vt plurimum sunt procerâ nimium, vel pusilla statura, pectore amplo cum paruis & exilibus mammis, lumbis angustioribus, clunibus depressis, & male conformatis. Ex quibus orietur prima suspicio infœcunditatis. Secundò debet etiam considerare corporis statum ratione coloris & pinguedinis copiosioris aut maciei: quia hæc pessimam illius constitutionem indicabunt ad fœcunditatem, ratione seminis & aliarum causarum ad generationem concurrentium. Tertio quærat vtrum aliquâ parte corporis insigni doleat: an cerebrum catarrhis habeat obnoxium? cordis palpitationes vel asthmata patiatur? ventriculo sit imbecilliore & crudiore? vomitibus aut alui fluxibus obnoxia? an bene appetat? an hepatis vel lienis tumoribus aut obstructionibus vrgeatur? quoniam ista omnia eodem modo seminis muliebris, & sanguinis rectam constitutionem peruertunt: & vix sperabile est, vt cum illis fœcundæ euadant ex sterilibus. Itaque quartò interrogabit de menstruæ purgationis constitutione, secundum substantiam, quantitatem, qualitatem, exeundi modum & periodum. Vtrum fluores albos cum illa aut etiam ante vel post patiatur. Quinto percunctabitur de omnibus causis euidentibus, quæ aliquid ad hoc conferre possunt, vt de natalibus & familiæ vitiis hæreditariis, de regione vbi degit, viuendi modo, consuetudine & similibus externis. Quibus exploratis accedet tandem ad ipsum coitus modum, vtrum illo commodè vtatur, eóque delectetur vel non: vt possit demum percurrere peculiariter illa quatuor vitia à nobis recensita secundum eorumdem causas. Etenim si non recipiat semen, quia non potest admittere liberum pudendi virilis ingressum, vel quia in ipso orificio exteriore aut collo matricis vitium adest quod impedit ratione doloris, vt fit in vlcere, vel obstructionibus, vt in phymate vel membrana, aut aliâ substantiâ obturante prædictum meatum, illud visu & tactu, aut etiam ægrotantis relatu facile erit dignoscere. Adde quod in istis & vrina & menstrua purgatio non commodè effluit. Verùm si admittat quidem congressum virilem commodè & indolenter, sed emissum semen statim à concubitu effundat, aut post aliquot horas, vbi surrexit; tunc oportet vitium in ipso matricis orificio interno adesse, quod vel durum, vel obturatum, vel distortum, vel compressum à vicinis partibus, vt dicebamus de omento crassiore, calculo vesicæ & similibus, non finit genituram insinuari in penitiorem vteri sinum, sed ex ipso vestibulo reijcit. Illa igitur dignoscere etiam licebit, tum ex constitutione rerum omnium naturalium, non naturalium & præter naturam, quæ ibi aut in vicinis membris apparebunt; atque etiam manu peritæ obstetricis, vel Chirurgi contrectantis membra ista genitalia mulierum, vt solemus sæpe in explorandâ earum pudicitiâ, quando videlicet accusantur apud Iudices de grauiditate. Sin verò admittat semen in vteri sinum, & retineat per aliquot dies, sed deinde excutiat subitò, & fere immutatum, oportet intemperiem aliquam insignem adesse, aut frigidam, quæ omnes illius functiones reddit hebetiores; aut humidam, quæ illius villos & osculum relaxat, aut cicatrices quasdam grandiores post curata vlcera, & sic de reliquis: Frigidam intemperiem natiuam vteri agnoscere, tum ex corporis totius habitu, pilorum in pube defectu, & menstruorum paucitate: tum etiam paruâ aut nullâ delectatione quam in concubitu recipiunt. Aduentitiam verò ex eis omnibus causis externis vel internis prægressis vel præsentibus adhuc, quæ illum refrigerare & debiliorem reddere valent. Humidiorem verò, ex profluuio excrementorum pituitosiore, menstruis aquosis, vel albicantibus, fluore albo cum illis aut semper infestante ob ῥευματισμὸν totius corporis, aut alicuius partis interioris malè affectæ, & deponentis sua excrementa in vterum. Si fiat ob gonorrhœam aut saniem ex vlceribus profluentem, eadem signis suis iam propositis internoscentur. Quoties verò fœmina infœcunda genituram virilem admittit, illamque in vtero conuenienter retinet sine illius effluxu sensibili: tunc

oportet

oportet ſemen ibi corrumpi, aut non nutriri commodè vt impediatur conceptus. Signa quod corrumpatur, erunt quia ſine vllâ imprægnationis notâ, aut menſtruorum retentione per vnam aut alteram periodum, ſemen quaſi in flatus aut tenues auras irritum euaneſcit, aut ſuffocatur: Id ſi fiat ex immensâ vteri intemperie quæ *ἰδιοσύγκρασιαν* illam ad ſeminis conſeruationem neceſſariam, violet, notæ illarum ex prædictis erunt repetendæ. Sin verò illa *ἰδιοσύγκρασια* & caloris natiui benignitas corrumpatur à malignis quibuſdam medicamentis aſſumptis, vel alimentis abſurdis, vt contingit in picâ & aliis affectibus ventriculi; illud mulieris ipſius interrogatione, & relatu erit perdiſcendum: Quorum ſuſpicionem facient fœdus faciei color, menſtruorum virulentia, & quidam dolor qui in vtero ſentitur, quamdiu ibi integrum manet ſemen, ex pugnâ & diſſidio illius cum deprauatis humoribus in vtero ſtabulantibus. Sin verò propter maleficia & incantationes iſta ſeminis corruptela contingat, aberunt omnia alia ſigna, quæ cauſas externas & internas vulgares demonſtrare poſſunt, & erit aliquod diuortium inter coniuges, cuius neuter rationem ſatis appoſitè poterit reddere. Qui etiam de hac re accuratius ſcripſerunt, per eiuſmodi maleficia dicunt, eiaculationem ſeminis vtriuſque rarò & cum labore quodâ & anxietate fieri. Quoties verò hæc ſeminis corruptela in vtero contingit ob morbos, malignos, venenatos, aut contagioſos, vt cancroſa vlcera, luem veneream confirmatam, elephanticam, ſtrumoſam, aut phthiſicam diſpoſitionem: tunc iſtorum affectuum manifeſtiſſima apparent ſigna, quæ ſatis oſtendunt, vnde vitium iſtud proficiſcatur.

Iſtis verò omnibus abſentibus ſignis, quæ vitia receptionis, retentionis, & conſeruationis genituræ virilis in vtero ſpectant: demum ipſa nutritionis incommoda per defectum aut exceſſum conuenientis materiæ ſeminalis vel ſanguineæ quam mulier ſuppeditare debet, perluſtranda erunt. Primò igitur inſignis totius corporis pinguedo, tam natiua quam aduentitia, oſtendit ſanguinem in ſaginam partium potius conuerti, quam amandari in vterum ad nutricationem fœtus: Exilitas verò & deformis macies, vt eſt *Aphoriſ. quadrageſimo quarta ſect. quinta*, ſignificabit deeſſe materiam conuenientem quæ ſuppeditetur generationi, cum ipſis partibus fœminæ alendis non ſuppetat. Omnia etiam interna & externa, quæ abſumunt, & præripiunt iſtam alimoniam, idem oſtendent, vt labores immenſi, vigiliæ immoderatæ, ieiunia coacta vel ſponte facta, vacuatio ſanguinis immodica per ſuperiores potiſſimum partes, vomitus aut alui fluxus diuturni, animi mœror & ſimilia pathemata, morbi omnes depaſcentes humidi alibilis copiam, vt febres acutæ vel hecticæ: vlcera fiſtuloſa, aut cauteria multum profluentia, dolores acerbi & repetentes, denotabunt manifeſtè generationem impediri ob defectum materiæ vtriuſque ad illam neceſſariæ: quemadmodum affectus illarum partium, quæ peculiariter aliquid conferre poſſunt ad illius productionem, vt cerebri, cordis, hepatis, & ventriculi, ex quarum *κακοχυμίᾳ* vel imbecillitate deprauari aut imminui poſſunt humores benigni & ſpirituum procreatio. Ex mammis certè lac copioſius profluens, impedit nutrices ablactantes non ſolum ne concipiant, ſed ne menſtruam purgationem patiantur, vt quotidiana docet experientia. Maximum ergo infœcunditatis hac in parte ſignum erit paucitas, & raritas menſtruæ purgationis, in fœminâ alias ſat bene conſtituta, vt in viraginibus, hermaphroditis, & ſimilibus contingit. Quod ſi omnia defectus ſigna ubſint, plethora vero potius ſimplex, vt in *πολυαίμοις*, rubicundis & bene habitis naturâ fœminis, aut genio & crapulæ indulgentibus, appareat, cum perfuſione & quaſi madore vteri perpetuo: tunc ſignum erit, non tam adeſſe defectum nutricationis, quam exceſſum materiæ alibilis ſecundum quantitatem, & aliquando qualitatem alienam, propter quam ſemen in vtero quaſi obrutum, vt eſt Aphoriſmo nuper citato; non poteſt vim illam ſuam *πλαστικὴν* exercere. Iſtæ enim mulierculæ, vbi primum imprægnantur, coloratiores, & venis tumidioribus apparent ob regurgitantem ad ſuperiora ſanguinem, qui non poteſt ſufficienter abſumi in fœtus incrementum, neque per vterum concluſum expurgari, vnde aborſus ſæpiſſime ſubſequuntur, niſi illa plethora minuatur per phlebotomiam aut purgationem menſtruam, quæ in multis grauidis fieri ſolet vtiliter, præcipuè primis menſibus, per orificia venarum in vteri ceruicem deſinentium. Atque hæc de diagnoſi.

Quod ad PROGNOSIM ſpectat. Cum ſterilitas non ſolum remouenda ſit propter prolem, ſed etiam propter ſanitatem mulieris peculiarem: quia, vt docet

Hippocrates, ſteriles fœminæ robuſtiores quidem ad tempus exiſtunt quàm fœcundæ, ſed morbis valde obnoxiæ & libidinoſiores, quia numquam ritè expurgantur ſemine & ſanguine ſuperfluo. Ideo in prædictione omnia diligenter perluſtrare debet Medicus, ne illam miſerè remediis diuexet, quæ vel naturaliter, vel ex inſito principio ſterilis exiſtit, vel non ſuâ culpâ & vitio, ſed ſolius coniugis defectu, aut diſproportione temperamenti, vt dicebamus. Item conſiderare debet, vtrum iſtud contingat peculiari inter illos odio, vt quando inuiti coniunguntur, maleficio, incantatione & ſimilibus tentantur, quia illa non tam ad Medicum quam ad alios ſpectare videntur, qui iſtis proſpicere ſolent, priuſquam eiuſmodi mulieres arti noſtræ ſubijciantur. Deinceps igitur prænotionem inſtituet Medicus in iſto affectu, ſterilitatem ſcilicet in fœminis illis eſſe deploratam, quæ ſequitur aliquam affectus ſpeciem immedicabilem & ἀνιατὸν, aut vitium inſigne ab ortu contractum. Imo fœcunditatem numquam reſtitui poſſe, priuſquam omnes cauſæ, tam internæ quam externæ, illam impedientes, rite fuerint ſublatæ, aut ſaltem in meliorem ſtatum deductæ. Vnde illud *in Aphor 46. ſect. 5. Quæ præter naturam craſſa ſunt, non concipiunt, priuſquam extenuentur.* Cum vlceribus tamen, aut poſt vlcera, ſi ſint grandiora, in vtero vix reſtituitur fœcunditas, propter inductas cicatrices, quæ ſeminis retentionem impediunt ob læuitatem, & nutritionem propter cotyledonas obliteratos, per quos coniungi debet fœtus cum vaſis vteri. Idem dicas de diſpoſitione hæreditariâ, venenatâ, contagioſâ, vt elephanticâ, phthiſicâ, ſtrumoſâ, & venereâ, quando iam ſunt confirmatæ, quia ſequuntur partium principum corruptelas, cum quibus caloris natiui ruina, & omnium functionum deprauatio conſequitur. In quibus etiam ob vitium conformationis, vt diſtortionem ceruicis vteri, orificij interioris ſtricturam, crurum aut coxarum vel oſſis ſacri peruerſionem contingit infœcunditas: melius eſt non concipere quandiu illi affectus perſeuerant: quia in partu periclitantur, & exitus infanti præpeditur. Vnde melius eſſet iſtas mulierculas male conformatas cœnobio quam matrimonio tradere. Quæcunque etiam præter ætatis rationem fœcundæ artis beneficio euadunt, vt nimium iuuenculæ aut vetulæ, multa incurrunt damna, quia totum corpus earum contabeſcit, & vix ſufficiunt ad ferendas geſtationis & partus moleſtias: neque vt plurimum prolem vitalem aut generoſam producunt. Sunt etiam mulieres, quæ ad tempus tantum ſteriles exiſtunt, vt in primâ adoleſcentiâ & iuuentute, propter intemperiem quandam inſigniorem, quæ deinde circa conſtantem ætatem fœcundæ euadunt, repreſſo eiuſmodi qualitatis exceſſu, vt hepatis & vteri feruore ac ſimilibus, per ſolam ætatis mutationem. In quibus omnibus prouidendis prudenter ſe gerere debet Medicus, antequam eiuſmodi fœminas remediis maioribus inutiliter ſubijciat.

Vt igitur iſta curatio rectâ methodo inſtituatur, reuoluenda erunt animo & quaſi in numerum recenſenda ea omnia quæ iam à nobis dicta fuere de cauſis illius affectus, tam externis quam internis, & vitiis quæ ad illa conſequuntur, vt per earum remotionem, vel in meliorem ſtatum reductionem, poſſimus propoſitum nobis ſcopum, quantum artis noſtræ beneficio ſperari poteſt, conſequi. Incipiamus igitur à rebus naturalibus, vt temperamento innato totius & partium, ætate & conſuetudine. Deinde accedemus ad res non naturales ſeu externas, & ad vitam neceſſarias cum annexis, quas ad certam regulam deducere conabimur, vt omnes huic noſtræ intentioni faueant & auxilientur. Poſtmodum ad res præter naturam veniemus, ſeu affectus morboſos, qui præcipuè generationi obſtare videntur, vt ex eorum ſublatione quantum fieri poterit fœminæ in integrum tum ſalubritatis, tum fœcunditatis reſtituantur. Ac proinde quod ad res naturales ſpectat, ſi quidem fœmina, cuius ſterilitas remouenda proponitur, temperamento quodam longè à mediocritate lapſo prædita videatur, vt ſit in πυρροχόλοις, φλεγματικοῖς, & melancholicis, atque etiam in valde obeſis & ſanguineis aut naturaliter macilentis & valde extenuatis: illud imprimis erit curandum, vt prædicta temperamenta, quamuis in latitudine propriæ ſanitatis poſita, contrariorum vſu mediocri & paulatino corrigantur: præcipue ſi reſpectu habito ad virum, vt dicebamus, videantur impedire generationem, vt quando vterque eorum exceſſu eſt intemperatus, vel magis recedit à mediocritate quam par ſit; ambo in meliorem ſtatum deducendi. Idem dicas de intemperamento naturali partium principum aut ad vitam neceſſariarum, vt cerebri, cordis, ventriculi, hepatis & ſimilium, earumque debilitate, quæ maxima

indigent

indigent Medici curantis solertiâ, vt ista omnia corrigantur, priusquam de suscipiendâ sobole cogitemus, vt in libris sanit. tuendæ, de attenuant. diætâ & aliis à Galeno eleganter traditum est. Hic tamen subest dubitatio de valde pinguibus & macilentis naturâ. Cum enim dixerimus vtrasque permutandas esse, vt aptæ reddantur generationi: primò quæritur, quæ sint aptiores istarum ad sobolem producendam: deinde quomodo, & quantum permutandæ, quoniam vitium fiet vitij fuga, si illud simpliciter præstiterimus. Ad primum itaque respondemus, macilentas naturâ nimium pinguibus, & obesis esse aptiores ad prolem suscipiendam; quia facile est in gracilibus per conuenientem alimoniam eam suscitare benigni humoris copiam, quæ sufficiat ad seminis & sanguinis materni generationem, ex quo fœtus nutriri & augeri possit: cum in pinguioribus difficile sit inediam aut victum attenuantem instituere ob voracitatem earum, & quia iam consueuit alimentaris materia facessere in adipem & partium saginam, viæque ita sint coarctatæ, vt vix deriuari possit ad vteri vasa. Adde quod congressus cum obesioribus mulierculis valde impeditur ob molem pinguedinis occultantis fere genitalia, & angustantis tam orificium illud internum vteri, quam proprium corpus & cauitatem illius. Omitto difficultates & labores, quos incurrunt tam in gestatione quam in partu: ita vt macilentæ pinguibus hac in parte videantur præferendæ. Ita tamen vt transferendæ sint vtræque in meliorem statum, quantum fieri poterit, non quidem vt macilentæ valde pingues euadant, sic enim fieret error nouissimus peior priore; sed vt bonum habitum respectu proprij temperamenti adipiscantur. Quemadmodum obesæ extenuandæ, non vt omnino graciles & macilentæ euadant; periculum enim esset marcoris & consumptionis integræ; sed vt sarcina excedentis pinguedinis liberatæ, vegetiores, & alacriores ad omnia munera exercenda reddantur. Ad nostram itaque redeamus orationem. Si quidem ætatis adhuc immaturæ ratione fœcunditas impediatur, vt contingit in virginibus, quæ ante pubertatem matrimonio traduntur, nihil est salubrius, quam vtrique consulere coitus abstinentiam, donec illucescente viuidioris ætatis robore menstrua apparere incipiant, & corpus redditum sit alacrius ad molestias gestationis & partus sustinendas. Si aliqua noxa sit illata hisce virginibus tenerioribus in primo congressu, vt excoriationis, dilatationis nimiæ, distortionis pudendi, conuenientibus remediis curentur, & in integrum restituantur. At verò aniculæ, quibus iam menstrua defecerunt, non sunt amplius torquendæ remediis vt prolem suscipiant, sed potius monendæ, vt precibus deinceps & rei domesticæ administrandæ incumbant, relictâ iunioribus operâ producendi liberos: quia multæ cupidiores prolis hoc modo in grauissima pericula coniectæ fuerunt. Sic viragines ἀνδρόγυναι, hermaphroditæ, & quæcunque mulieres robustiores & ad virorum naturam quodammodo accedentes, effœminandæ sunt omni artificio, & ad mores sexui congruos efformandæ: interdictis omnibus eduliis crassioris succi, laboribus & exercitationibus asperioribus quibus fortiores redduntur, semotâ omni negotiorum, præcipue politicorum & bellicorum cura, quibus animi robur intenditur, & procurato conuenienti menstruorum fluxu, vt illius quasi copiâ eneruentur & mollescant: Imo etiam adhibitâ frequenti purgatione, & venæ sectione, balneis & similibus, quæ habitum humidiorem & frigidiorem reddere possunt. Denique in hisce omnibus iam à nobis commemoratis illud erit obseruandum, vt si quidem assueuerint iamdiu rei alicui, quæ officere videatur generationi & temperamenti excessum fouere, illam paulatim omittant, & contrariis vtantur. Atque hæc de rebus naturalibus.

Rerum autem non naturalium regimen & regula, quam hic in gratiam fœcunditatis mulierum instituimus, complectetur diætam & ordinem causarum omnium externarum, sine quarum debito concursu vix est possibile illas conuenienter huic operi incumbere. Lubet autem imprimis huc referre Hippocratis elegantem obseruationem *lib de aëre, locis & aquis*; vbi agens de Scytharum moribus & vitâ, qui ἀμαξοβιώται dicũtur, & circa Mœotidem paludem habitant: existimat illos multis de causis steriles & infœcundos euadere; Primo ob aëris illius in quo degunt insignem frigiditatem cum humiditate & caligine perpetuâ: Secundò, ob alimentorum rationem, quoniam lactis equini potatione sese ingurgitantes valde molli erant & fluxâ corporis dispositione: Tertio, quod equitatione continuâ vtentes viri nullo corporis motu aut exercitatione, genitalia reddebant ἄπρακτα & inualida,

fluxionibus maximis tentati in podagricos, & sciaticos dolores incidebant, propter quos variis erat vstionibus & sectionibus opus, potissimum arteriarum quæ sunt pone aures: vnde fiebat interceptio seminalis materiæ, quæ à cerebro plurimum defertur, atque eneruati & steriles omnino euadebant: quod illi tamen deorum vindictæ & indignationi tribuebant. Mulieres autem eorum in plaustris perpetuò vitam degentes ob cœli & soli inclementiam, tanto torpescebant otio & mollitie tenebantur, vt conceptui ineptæ redderentur, propter exuperantiam illam humiditatis & excrementorum, cum earum ancillæ ob labores & exercitationem, cui erant ex famulitij iure addictæ, fœcundiores essent. Ecce quam accuratus fuit summus ille senex in describendâ κατασκευῇ rerum externarum, quæ huic generationis negotio impedimentum adferre solent. Quod vt ille peculiariter de ritu gentis illius animaduertit: sic nobis vniuersaliter de omnibus est annotandum, quæ proli officere possunt.

Aër igitur quem communissimam & potentissimam causam vocauit idem Hippocrates, maximum ad generationẽ iuuandam vel impediendam obtinet momentum. Nam Ægyptius maximè fœcundus & genialis habetur, quoniam temperie ex calido humidoque gratissimâ præditus corpora fouet & materiâ seminali perfundit: vnde apud Ægyptios animalia multa sponte generantur: imo hominem ibi ex limo productum fuisse existimant: illic partus frequentissimi non solum gemellorum, sed quatuor & quinque fœtuum, vt scribit Herodotus: atque etiam octimestres partus, qui alibi omnes infausti habentur; in Ægypto vitales sunt & prosperi, vt est apud Aristotelem. Cui rei etiam auxiliantur alimenta regionis illius & aqua ex flumine Nilo summâ bonitate & dulcedine prædita. Vbi verò feruens & æstuosus, vt in Æthiopiâ, vel gelidus & rigens, vt in Scythiâ; sicut supra diximus, maxima viget infœcunditas, tam ex parte virorum, qui parum apti sunt ad venereos amplexus, quàm mulierum, quia corpora & vteros habent valde intemperatos, & soboli producendæ ineptos. Certissimum est enim ex solâ mutatione loci in aërem contrarium multas mulieres euasisse fœcundas, in quibus nihil proficere potuerant alia remedia conuenienter exhibita. Et quemadmodum ratione totius aëris ambientis commoda ista fœminæ, vel incommoda patiuntur: sic ratione tempestatum anni, solet facilius generatio procedere: vnde Hippocrates *lib. de superfœtatione*, ad id laudauit vernam tempestatem, velut temperatissimam, & in quâ reliqua animantium genera videntur in venerem alacrius ruere, renouatis scilicet humoribus & turgente seminis œstro, quo in furias istas amoris concitantur. (*Cur igitur mense Maio non consuluntur nuptiæ: imò tunc vulgo fugiuntur? Dicunt nostrates esse mensem asinorum. Alij putant ne noui nupti nimiâ luxuriâ in ægritudinem incidant. Quidam verò ne mulieres primis istis congressibus lasciuiores reddantur.*) Sunt tamen qui autumnum eligunt & veri præferunt, quia tunc terræ semina commodius mandantur: & quia succedente postea hyemis frigore fœtus in vtero melius nutritur, & fouetur quam æstate: atque gestatio minus molesta, parturitioque facilior, quæ circa æquinoctium vernum contingit. Est igitur recta aëris constitutio imprimis procuranda hisce mulierculis, quæ sterilitatis noxam & dedecus fugere cupiunt.

Alimentorum non minor habenda est cura: tum quia faciunt ad totius & partium intemperies corrigendas, quæ in vtroque officere videbuntur generationi, vt supra dicebamus de impinguandis gracilibus, & pinguibus emaciandis ex Galeno: tum etiam quod multa sunt alimenta, quæ vel excedentibus suis qualitatibus, vel substantiæ proprietate nocent sterilibus hisce fœminis. Sic mentha, quam aiunt belli tempore non esse ferendam, apium, vitex & similia ob siccitatis excessum creduntur seminalem materiam absumere. Poma autem, legumina recentia, inter quæ fabas præcipuè recensent, olera cruda, lacticinia, & acetaria omnia, quemadmodum aquæ niualis aut glaciei permixtæ potum (quo nomine multas esse in Hispaniâ steriles scribit Mercatus) suo frigore extinguunt quasi vim illam caloris natiui, quæ maximè debet in seminis prolifici productione elucescere. Sola crapula seu nimia potus & cibi quantitas, vt supra de gulosis & ebriosis notabamus, potest idem præstare: quemadmodum inedia & tenuior victus, in illis præcipuè quibus iam corpus est macilentum & debilitatum. Oportet igitur istorum omnium conuenientes leges statuere: ita vt habito respectu ad vniuscuiusque peculiarem naturam & temperamentum,

ea

Digitized by Google

ea præſcribamus alimenta ſecundum ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, & ordinem, quæ aptiora illis conſeruandis vel reducendis in meliorem ſtatum videbuntur: quod facile eſt vnicuique ex aliis tractationibus repetere, vbi diætæ ratio & modus præſcribuntur, ne in immenſum excreſcat hoc noſtrum opus.

Eodem modo ſomnus & vigilia, excreta & retenta, exercitationes & animi pathemata diſponenda ſecundum varietatem temperamentorum. Vt enim pinguioribus curæ, verbi gratia, labores, & vigiliæ vtiliores, ſic extenuatis, ſomnus & quies; ſummáque animi tranquillitas, & iucunditas. Vtriſque tamen menſtrua excretio conuenit ſolitis periodis & iuſtâ quantitate, ſi generationi idoneæ eſſe velint: quâ in re debet Medicus potiſſimum incumbere, illámque, ſi ſuperfluat, moderari; ſi deficiat, prouocare conuenienter victu & remediis fusè à nobis propoſitis. Necnon ipſius coitus rationem habere, vt ſcilicet legitimè obeatur, animis conſentientibus, & pacificis; corpore integro, neque nimium pleno, aut vacuo, calfacto, vel refrigerato, nec violenter nimium & ſuperfluè, neque indebitâ figurâ & ſitu. Qui enim generationis, non voluptatis causâ coeunt, iſta diligenter circumſpicere debent, vt vtriuſque ſemen bene ſit elaboratum, quando congrediuntur, quod potius fiet horis matutinis iam peractâ coctione, quam veſpertinis ſtatim à paſtu: & ſi per longiora interualla exerceatur, quam ſi crebro & tumultuariè: *Qui tard y va, ſouuent baptize.* Debet etiam electio eſſe coitus ratione menſtruorum: nam illis fluentibus turpe eſt & noxium viro, ob communicationem illius virulentiæ: & inutile, quia nulla conceptio fieri poteſt vtero tantâ humiditate referto: aut ſi fiat, exoritur proles morboſa, & elephantiaſi obnoxia: vnde id in lege Dei prohibitum. Illis verò deſinentibus cónuenit coitus iam præpurgato vtero, in fœminis quæ multâ humorum copiâ ſcatent: imminentibus verò in illis quæ pauco ſanguine ſunt præditæ: Aliis verò temporibus interualli moderati, & pro ratione ætatis, ac conditionis: ita vt adſit potius coeundi appetentia, quam faſtidium in vtroque. Reſpiciendum etiam diligenter vtrum fluxione illâ albâ, & virulentâ teneatur mulier, & quo tempore, ne tunc miſceantur inuicem: quod ſi ſit continua & indeſinens, perſananda prius, quàm amplexui venereo indulgeat. Quod ſi liceat etiam quædam in generationis vtilitatem de figurâ coitus pudicè proferre, ſit illa naturalis & ſolitâ, ſine vllo voluptatis incendio, vario ſitu, aut agitatione femorum, quæ impediunt rectam ſeminis in vterum eiaculationem, quam meretrices impudicis illis motibus effugere conantur ne concipiant. In illis tamen quæ non poſſunt ſatis commodè excipere ſemen in ſinum matricis, laudant authores coitum, qui fit à tergo, ferarum more, quia videtur magis recta in orificium vteri deferri ſemen. Poſt coitum debet mulier, ſummiſſo capite, elatis cruribus, & eodem ſitu per aliquod tempus manere, vt intus quieſcat genitura: imò paululum obdormiſcere, ſi poſſit, vt melius retineatur: reſpirationem ad ſe trahere ſurſum, tuſſim, riſum, loquelam, & omnia vitare tunc temporis, quæ ſemen excutere poſſunt foras. Surgat etiam ſenſim & molliter ex lecto; vitando omnem ſaltationem, compreſſionem, contentionem, & ſimilia, quæ huic rei nocumento eſſe poſſunt. Atque hæc de rebus non naturalibus.

Quibus omnibus ita rectè diſpoſitis deinceps ad θεραπείαν omnium illorum affectuum tam ἰδιοπαθικῶν, quam συμπαθικῶν vteri accedendum erit, quibus dicebamus quatuor illa vitia excitari diſtincta vel coniuncta, non recipiendi, non retinendi, non conſeruandi, & non nutriendi ſeminis virilis, ex quibus conceptio in muliere impeditur. Cum autem intemperies, vt conſtat ex *Aphoriſmo illo* 62. *ſect.* 5. inter iſtos affectus præcipuè eluceſcat ad munera iſta euertenda maximè familiaris, & tam ex parte viri quam mulieris, quorum vterque ad mediocritatem eſt reducendus, ſi velimus ex eorum congreſſu prolem ſuſcitari. Ideo θεραπεύειν intentus Medicus, debet primum ad omnem affectum ſimilarem totius corporis, ex cuius errore, genituræ deprauatio contingit, vel ſaltem improportio inter maritum & vxorem: atque etiam ipſius vteri velut telluris, quæ ſemina iſta inuicem concurrentia, bene præparata ſuſcipere debet, animum conuertere, vt quantum fieri poterit, corrigantur & temperentur.

Quamuis igitur ex ſuperiore libro, vbi de fluore muliebri, vlceribus, & tumoribus præter naturam vteri agebamus, multa ad hanc rem facientia repeti poſſint: Attamen vt iſta tractatio perfectior euadat, nos paucis intemperies vteri ſine collectione aut extrauaſatione humoris in propriam illius ſubſtantiam & poros hic curare docebimus, ex quibus facile erit colligere correctionem illarum quæ in toto

corpore,& alibi ſubſiſtunt. Quotieſcunque igitur vterus intemperie calidiore tentatur cum effluxu humoris vel ſine eo (quæ dignoſcetur, vt hoc etiam addamus, pruritu & ſenſu acrimoniæ in hiſce partibus, velut exulcerationis aliquando, pilorum in pube copiâ, inſigni ſalacitate, menſtruorum paucitate, vel alieno colore, vt flaueſcente vel nigreſcente, totius corporis, aut ſaltem iecoris feruore, ſiticulosâ diſpoſitione & ſimilibus) percuranda erit primùm victu accommodato, vitando frixa omnia, piperata, ſalſa, acria, & dulcia, vini generoſi aut meracioris potum & ſimilia: ita vt res illæ externæ, & non naturales dictæ, præcipuè alimenta, conſpirent ad refrigerandum modicè vterum & contemperandum, donec ad gradum natiui caloris deducatur, vbi ſubſiſtendum ſtatim, ne vlteriori refrigeratione ineptior reddatur generationi. Quod ſi iſta intemperies iuncta ſit cum plethora humoris ſanguinei vel bilioſi, non eſt dubium, quin vtraque etiam vacuantibus conuenienter ſit imminuenda, vtpote venæ ſectione ex brachio ſæpius repetita, quando ſanguis ſua multitudine non ſolum moleſtus eſt, ſed etiam ſibi ipſi præpedit viam ad exitum per menſtruas periodos, ad quam reſpexiſſe videtur Hippocrates *libro de ſuperfæt.* dum ait; *Mulier quæ facilè concipiebat, ſi prægnans fieri deſiit, bis per annum à manibus & cruribus venam ſecari ſinat.* In bilioſo exceſſu parcius erit agendum, aut omnino abſtinendum à phlebotomiâ ſuperiorum partium, ſed potius purgationi ex cholagogis ſæpius iteratis, vt ex ſyrupo magiſtrali, vel opiatâ laxante indulgendum: ſimúlque alterantibus internis & externis pugnandum, vt feruor iſte inſignior remittatur. Inter interna accommodatiſſima erunt iuſcula pullorum conuenientibus herbis parata, ſerum lactis, in quo borraginis folia ſint per noctem infuſa, emulſiones, julepi, decocta, conſeruæ florum violæ, nenupharis, & roſarum; atque ex his comparatæ confectiones vel opiatæ cum puluerib us triaſantali & diarrhodonis abbatis. Externa, vt balnea, fotus, cataplaſmata & litus ex vnguento roſaceo & ſantalino, ſed remouenda caphura ex iſtis refrigerantibus. Quin imo iniectiones ex aquâ roſaceâ & endiuiæ, emulſione prædictâ, decocto conuenienti; & peſſaria ex roſis & floribus violæ contuſis cum farinâ hordeaceâ & oleo roſato, quæ excipientur lanâ vel ſtupis cannabinis vt ritè formentur. Vix enim in hoc affectu probare poſſum ſuffumigia ſicca ſeu θυμιάματα, quantumuis ex rebus refrigerantibus parata, quia perpetuò redolent naturam ἰμπυρεύματος, quod hic valde fugiendum. Si vero inſignis fuerit in hiſce mulierculis coeundi libido, quæ effrænis ſit quaſi & importuna prolis ſuſcipiendæ: recurrendum erit ad caput illud, quo egimus accuratè de vterino furore. Vbi verò ſedata fuerit eiuſmodi intemperies, tunc commemoratis opiatis aliqua addenda erunt, quæ ex proprietate generationi conferre poſſea dicemus.

Quoniam vero inſignem caliditatem aliquandiu perſeuerantem ſequitur ſiccitas (quamuis etiam ſine illâ ſubſiſtere poſſit;) ideo ſiccitatem vteri naturæ limites ſuperantem & generationi incommodam, (quæ dignoſcetur, vt hoc etiam addamus, quadam duritie, & aſperitate cutis atque genitalium, gracilitate vt plurimùm reliqui corporis, parcis menſibus & craſſis, ceruicis pictura & calloſitate, interioris orificij coarctatione nimiâ, & quaſi rugis denſioribus; ad quod explorandum opus eſt obſtetrice peritâ, quæ tangat iſtas partes: atque etiam quando in coitu nulla humiditatis ſtilla ſentitur) ſiccitatem inquam iſtam curabimus victu omni analeptico & refectorio, præcipuè ſi reliquum corpus ſit exſuccum & macilentum: imo etiam alimentis non ſolum reparantibus aëream illam & oleoſam humidi primigenij ſubſtantiam, ſed etiam aqueam, vt molliatur & humectetur totus habitus, ſeminique & menſtruo liquidior materia ſuppeditetur: vnde carnibus boni ſucci, piſcibus recentibus, iuſculis conſummatis, vino diluto & mediocri, ouis tremulis, hordeatis, amygdalatis, fructibus horæis, delicatioribus peponibus, & oleribus accommodatis illas reficere tentabimus. Quod ſi maior ſit conſumptio, ex cuia hecticorum lactis vſu & balneo totam corporis molem irrigare, & ſi fieri poſſit, impinguare conabimur, otio & quiete, ſomno, leuioribus frictionibus, molli partium contrectatione, & picationibus, vt docet Galenus: vteri etiam regionem intus & extra eiſdem decoctis aut fumigiis humectantibus perfundemus, pinguioribus iuſculis, lacte recenter mulcto, oleo amygdalarum dulcium recenti & ſine igne extracto, vel nucis indicæ, liliorum, iaſmino, & ſimilibus, ipſúmque os interius molliuſculum efficere enitemur inunctione ex recenti medullâ cruris vituli, butyro, vel vnguento dialthææ & reſumptiuo, cui parum croci vel etiam moſchi additum ſit

ad

ad vteri recreationem : ex ſucco porri decocto cum adipe gallinaceo poteſt inungi collum illius poſt tranſacta menſtrua, aut ex illis confingi peſſarium cum radice maluarum & althææ, quæ iſtam aſperitatem, duritiem, & ſtricturam valde emendabunt. Quod ſi alicuius humoris, vt melancholici, aut pituitæ ſalſæ & viſcidæ affluxus hunc affectum fouere videatur, non erit omittenda purgatio lenior ex ſenâ & agarico, additis iis quæ emollire & temperare poſſunt iſtas partes.

Sed quoniam inter iſtas intemperies totius corporis & vteri frigidam & humidam ſolas vel coniunctas cenſemus eſſe maxime vulgares, & conſuetas ſterilitatis cauſas, de quibus conſulitur Medicus: ideo de illis ſeorſim etiam agendum, vt inde complicatarum etiam curatio intelligatur. Frigiditatem itaque iſtam naturæ & ſanitatis modum excedentem, quæ ſpiſſos, denſos & occluſos reddere poſſit vteros, vt eſt apud Hippocratem *Aphoriſmo illo* 62. *ſect.* 5. dignoſcat primum (vt hoc etiam addamus) ex ſtupido quodam ſenſu & quaſi torpore circa iſtas partes, flatuum aliquando copia diſtendentium, aut borborygmos interiores excitantium, nullo aut paruo Veneris appetitu, ita vt congreſſum ſine vllâ voluptate & ſtimulis exerceant, pilorum circa pubem raritate, ſi ſit natiua; menſium paucitate, & diuturnitate cum quodam alieno colore palleſcente, aut liueſcente, omnimumque aliarum actionum quaſi languore & ignauiâ. Ad curationem ergo iſtius affectus primo vitæ regimen idoneum præſcribendum: ita vt vitentur omnia cruda, acetoſa, & flatus generantia, qualia ſunt legumina, rapæ, napi, tubera, poma, fructus horæi, & ſimilia: addendo omnibus eduliis ea quæ menſes ciere, coitum irritare, obſtructiones aperire, & flatus diſcutere valent, vt olera illa odorata & acria, naſturtium, erucam, fœniculum, hyſſopum, apij & petroſelini radices, ſemen coriandri & ſimilia. Potus ſit ex vino generoſo & tenui, vel aquâ decoctionis cinamomi: aut ipſius chynæ bocheto. Omnia aſſa, aut aromatibus, vt cinamomo, garyophyllis, nuce moſchatâ & zinzibere condita exhibeantur. Inter quæ nuces cinamomo & garyophyllis tranſfixæ ac ſaccharo conditæ valde commendantur, ſi mane cum pauco vino generoſo ſumantur, aut radix zinziberis ſimiliter condita. Quæ Medicus variè poterit eligere pro affectus & ægrotantis conditione. Vbi impensè refrigeratus eſt vterus præter reliquum corpus, debet accuratè defendi ab omni iniuriâ externi aëris, vſu caligarum & inuolucrorum, quæ impediunt illius ingreſſum ad interiora: quibus multas ex iſto affectu conualuiſſe certum eſt, vt crebris frictionibus, & exercitatione validiore. Quibus ita comparatis cogitandum erit de maioribus remediis, ſi adſit copia humoris in ventriculo, hepate, vel cerebro geniti, affectum iſtum augentis vel conſeruantis, abſumẽdus erit purgatione conuenienti, diureticis, ſudorificis, & artificioſâ diaphoreſi per laconica, ſtuphas, balnea naturalia & ſimilia, quæ etiam calfactioni iſtarum omnium partium & vteri conducent. Si flatuum adſit copia cum dolore & diſtenſione, diſſoluentur eodem modo carminantibus & diſcutientibus, tam ſumptis quam admotis, quæ omnibus eſt facile repetere ex materiâ medicâ & aliis tractatibus huic rei dicatis. Iam quia in hiſce mulieribus toto corpore vel vtero frigidiore ſemen paucum, aut aquoſum gignitur, ſanguis menſtruus ſiſtitur & languet Venus: Ideo huic rei maximè proſpicere debet Medicus, non ſolum victu analeptico & calfaciente, ſed etiam remediis ad id accommodatis. Itaque conſeruæ omnes, pulueres cardiaci, electuaria, ſyrupi, opiatæ, & ſimilia ex aromaticis, & roborantibus confecta, hic prodeſſe poterunt. Vt

℞ Rad. eryngij & ſatyrionis, ana ℥ j. ß. nucem myriſticam ſaccharo conditam & fortiter contuſam numer. j. pineorum recent. mundat. & piſtatorum ʒ ij. ſemin. erucæ, piperis longi, & cinam. an. ʒ j. cineris priapi tauri & raſuræ eboris, an. ʒ ß. Cum ſyrupo conſeruat. calami aromat. fiat opiata, de quâ capiat ʒ ij. mane & ſero, ſuprabibendo parum vini maluatici vel hippocratici. Si non ſit obnoxia ſtrangulatui vterino, adde puluer. diaſmochi & diambræ, an. ʒ j. Si volueris, fiat ſequens puluis in eundem vſum.

℞ Piperis vtriuſque, cardamomi & ſeminis erucæ, ana ʒ ij. ſeminis vrticæ, macis & garyophyll. an. ʒ j. puluer. diambræ ℈ ij. ſacchari ℥ j. Fiat omnium puluis, de quo capiat cochlear vnum mane & ſero cum vino muſcatellino aut aquâ cinamomi. In illis autem, & in viris quibus valde eſt ſopita libido, vt quaſi ſtipites potius quam homines videantur, audent Practici noſtri electuarium ſequens præſcribere.

℞ Raſuræ priapi tauri aut cerui, piperis longi, zinziberis & cardamomi, ana ʒ ß. renum ſtincorum ʒ j. bauracis & cantharidum capite & alis abſciſſis, an. ℈ ß. pul-

ueris

ueris diamoſc. ℈ ij. Excipiantur gummi tragacant. liquato cum aquâ borraginis. Fiat inſtar muſcardinorum, vel tabellarum ponderis ʒ j. Capiat vnam in ingreſſu lecti. Vel ſi reformides vſum iſtorum, miſceantur renes ſtincorum recentes cum ʒ ij. ſemin. erucæ & melle deſpumato. Capiat ad quantitatem fabæ maipris in ingreſſu lecti, cum pauco vino vel decocto cinamomi.

Exterius foueantur partes oleo de nuce indica, ſambucino, vel in quo pyrethrum bullierit: inungantur interius zibeto, oleo muſcatellino, aut baliamo indico naturali, cuius nunc magna copia habetur: fiant peſſaria ex theriacâ veteri, cui addentur pulueris diambræ, diamoſchi, aut aliquot illius grana cum pauco ſucco menthæ. Peſſarium ex allio hortenſi contrito cum oleo de ſpicâ hic mirabilem poſſidere vim creditur. Sed inter alia ſuffitus odorati & calfacientes proderunt, ſæpius repetiti dum ibit cubitum. Vt

℞ Trochiſc. aliptæ & galliæ moſchatæ, ana ʒ iij. garyophyllorum, nucis moſchatæ & ligni aloes, ſi haberi poſſit, vel ſantali citrini, ana ʒ j. benjoini ʒ ij. Fiat puluis craſſior, quo vtatur, vt dictum eſt. Licet igitur talia & illis ſimilia commini-ſci ad frigidam iſtam vteri intemperiem expugnandam, flatus diſcutiendos, menſes concitandos, & Veneris ſtimulos in torpidioribus hiſce mulierculis excitandos.

Nunc ad humidam illius intemperiem accedamus, quæ omnium maximè eſt vulgaris & infeſta ad generationem impediendam, vt ſupra dicebamus. Idcóque illius cognitioni & curationi maximè eſt incumbendum. Ac proinde iſtiuſmodi affectum vteri dignoſces primùm, vt hoc paucis perſtringamus, ex totius corporis molli & laxo habitu, vel certè excrementitio, vt ſolet in pleriſque macilentis & ſenioribus, quibus interiora viſcera perpetuis fluxionibus ſcaturiunt: menſes adſunt aut ſaltem ichores decidunt copioſi ex vtero, quibus ferè continuo madeſcit pudendum; ceruix autem flaccida ſentitur, os interius hians & apertum cum paucâ Veneris voluptate: ita vt virile ſemen vel non attrahant, vel attractum non retineant, aut certè per aliquod tempus retentum ſuffocent & quaſi obruant humoris ſuperflui copiâ: cuius natura ſeu ſpecies etiam dignoſcetur ex materiæ profluentis conditione, vt dicebamus in menſtruorum tractatione, quæ in iſto affectu albicans, mucoſa, aut ſeroſa apparere ſolet.

Eſt igitur huic affectui proſpiciendum, cui maximè ſunt obnoxiæ mulieres, exſiccando & abſumendo iſtas humiditates vterinas & totius corporis, vterum repurgando ab iſtis ſordibus: deinde conſtringendo & roborando, vt munere ſuo perfungi poſſit. Ad id primùm conueniens diæta inſtituenda erit, quæ arceat eiuſmodi fœminas ab omni cruditate & humidiorum alimentorum vſu, vt olerum, fructuum horariorum, pomorum, prunorum, piſcium, lacticiniorum, iuſculorum, aquæ nimio potu, aceti, & ſimilium. Præſcribátque exſiccantia, & modicè calfacientia, ſi quidem iam frigiditas coniungi videatur, vt ſæpe ſolet: nempe panem biſcoctum & aniſatum, modico ſale aſperſum: carnes aſſas potius quam elixas, aromata omnia, dragemata, fructus exſiccantes, & roborantes, vt ſunt pyra, cydonia, pineæ, auellanæ, dactyli, paſſulæ & ſimilia: vinum rubrum & generoſum decocto cinamomi aut ſeminis coriandri lymphatum pro potu: vel ſecundarium ex ſarſa parillâ conuenienter præparatum. Præterea imperet exercitationes frequentes ante paſtum, frictiones, vigilias moderatas, vacuationes excrementorum conſuetas, aëris conſtitutionem conuenientem, etiam mutatione ſoli per aliquod tempus, ſi opus videatur.

Deinde maioribus incumbendum remediis, ratione totius quidem corporis, ſi huic affectui conſentire videatur ex plethoricâ, aut cacochymicâ conſtitutione, vel alicuius partis principis, cerebri, ventriculi, hepatis & ſimilium, vacuantia & reuellentia erunt vſurpanda. Quando venoſum genus turget nimiâ humiditate, non erit abſurdum venas cubiti aperire, dummodo frigiditatis nulla ſit complicatio: vel purgationes ſolennes inſtituere autumno & vere, aut ſingulis menſibus, ex opiatâ laxante, ſyrupo magiſtrali, vel pilulis ſecundum rem præſentem præſcribendis; quibus ſubnectantur præparantia, roborantia, exſiccantia, & reſoluentia: inter quæ plurimum poteſt diæta ſudorifica ex ligno guaiacino, ſaſſafras, aut radice ſarſæ parillæ, per viginti aut triginta dies inſtituta cum debito regimine: item ſtuphæ, laconica, aut balnea naturalia, qualia ſunt noſtra Balerucana, ex quorum vſu multas mulieres fœcunditatem recuperaſſe compertum habemus. Eodem modo cauteriis, brachio, ceruici, aut cruribus adhibitis multas fuiſſe perſanatas ſcimus, quibus fluxiones copioſiores in vterum irruebant ex

variis

variis partibus: non omissâ exhibitione frequenti theriacæ, mithridatij, tabellarum, aut alicuius conseruæ ad similes vsus comparatæ. Hippocrates *libro primo γυναικ.* laudat hederæ grana septem, singulis mensibus cum vino veteri sumpta cessantibus menstruis: accipitris stercus ex vino dulci epotum. Consulit quoque Amatus Lusitanus ad hanc sterilitatis speciem, vt aloë mane & sero sumatur ad ℈ j. nebulis inuoluta, vel carne prunorum aut aliquo simili, vt amaritudo illius abscondatur, idque per decem aut duodecim dies post fluxum menstruorum, túneque abstineat à congressu virili. Quæ omnia debet accuratè perpendere Medicus, priusquam de topicis remediis cogitet.

In quorum vsu illud erit obseruandum, vt priusquam de exsiccatione, adstrictione, & roboratione vteri cogitemus, attrahantur & expurgentur sordes illæ in cauitate illius stabulantes, ne in partes principes refluant, vel illius substantiæ affigantur: vnde pessariis purgantibus & attrahentibus præmissis deinceps reliqua subsequi debent in sequentem modum.

℞ Conseruæ hieræ picræ ʒ ß. agarici trochiscati & pulueris ireos florentinæ, an. ʒ j. mithridatij veteris & diaphœnici, an. ʒ ij Cum succo mercurialis fiat pessarium linteolo inuolutum, quod immittatur in sinum pudoris, dum ibit cubitum, & ibi sinatur per duas aut tres horas: quo remoto abluatur pars decocto rosarum, hordei, foliorum melissæ, & absint. quæ hic proprietate valere dicuntur. Postea sequens pessarium immittatur.

℞ Conseruæ rosarum & anthos, an. ʒ iij. pulueris aromatici rosati & galangæ, an. ʒ j. thuris & mastic. an. ʒ ß. coaguli leporis & rasuræ eboris, an. ℈ ß. Misce, formetur vt artis est, & sinatur per totam noctem, continuando per sex aut septem dies. Quibus finitis fiant fotus, semicupia, vel iniectiones ad eundem finem, aut etiam suffumigia ex aromaticis, quæ hic plurimum vtilitatis adferent, addendo etiam adstringentia, vt vteri osculum hians coarctetur. Dum hisce remediis indulgebit, abstineat à virili congressu, & habeat semper aliquid in vsu, quod ad generationem iuuandam peculiariter faciat. Vt erit sequens opiata.

℞ Conseruæ rad. symphyti & satyrionis, an. ℥ j. ß. corticis citri saccharo conditi ʒ ß. myrobal. sacchar. conditam fortiter contusam numer. j. rasuræ eboris, seminis cynaræ, & seseleos, an. ʒ j. coaguli leporis vel matricis eiusdem pulu. an. ℈ ij. Cum saccharo, fiat instar conditi, vel cum syrupo de absint. instar opiatæ, quâ vtatur mane & sero cum vino generoso aut decocto sarsæ parillæ. His ita præparata, vbi in complexus viriles veniet, vtatur omni industriâ & artificio iam superius commemorato ad excipiendam, retinendam, & conseruandam conuenienter maris genituram. Ad quod maxime conferet, si ante lecti egressum sumat rasuræ eboris vel coaguli leporini ℈ ß. cum pauco vino rubro aut iusculo: si regioni hypogastrij versus pubem & lumbos duo admoueantur emplastra adstringentia, vt sunt de mastiche, contra rupturam, pro matrice & similia conuenienter emollita cum oleo myrtino, rosaceo aut simili, & sinapisata puluere granorum kermes & boli armenæ. Mira sunt & propemodum infinita, quæ à Practicis nostris ad promouendam fœcunditatem laudari & præscribi solent. Licet paucis istis & selectis affectus istius curatio, si sit sanabilis, conuenienter perfici possit: nos tamen adhuc quædam addamus in gratiam tam optabilis rei. Commendant igitur multi istud specificum in omni sterilitate.

℞ Conseruæ florum citri & arantiorum, an. ℥ ij. olei nucis moschatæ per expressionem extracti ʒ ij. baccar. iuniperi, rad. cyperi, & caryophyll. an. ʒ ß. seminis seseleos, ormini, erysimi, erucæ, saluiæ, & pastinacæ syluestris, an. ʒ j. rasuræ dentis apri & eboris, testiculorum vulpis & verris, matricis suillæ & leporis pulueril. an. ʒ ß. Cum syrupo ex succo melissæ vel maioranæ fiat electuarium molle, de quo capiat frequenter post præparationem prædictam mane & sero donec imprægnetur. Alij in hoc casu, frigidioris scilicet & humidioris vteri ita progrediuntur. Primò præparant totum corpus & humores iulepis, syrupis aut apozematis calfacientibus & incidentibus seu attenuantibus per aliquot dies. Deinde purgant per interualla pilulis aut potione conuenienti. Interea inunctiones iam præscriptas & similes ad matrici robur comparandum non omittunt. Postmodum stuphis, balneis naturalibus, aut diætâ sudorificâ conantur corpus in meliorem statum deducere: vt deinde particularem vteri purgationem moliantur, in hunc modum.

℔ Folior. abſint. artemiſ. ſauinæ & rutæ, an. M. ß. myrrhæ ʒ j. ß. pulpæ colocynt. ϑ j. agarici trochiſcati ʒ ß. zinziberis ϑ ß. Fiat decoctio in vino albo ad ℔ j. in quâ diſſolue ſyrup. roſacei & mellis, an. ℥ j. ß. Iniiciantur ℥ ij. vel iij. tepidè in matricem, continuando per triduum mane & ſero, vbi fluxerint menſtrua. Quod ſi nolit iſtas infuſiones admittere, paretur ſequens peſſarium.

℔ Hieræ picræ & bened. laxat. an. ℥ j. pulpæ colocynt. & agarici trochiſcati, an. ʒ j. ſpicæ nardi & foliorum ſauinæ pulueriſ. ſemin. nigellæ, an. ʒ j. ß. Incorporentur cum ſucco mercurialis & melle anthoſato, & inuoluantur panno ſericeo. Fiant peſſaria, quorum vnum per aliquot horas de nocte teneat in vuluâ. Mane abluatur cum vino albo & hordei decocto. Deinde per triduum vtatur aliis peſſariis roborantibus & adſtringentibus. Vt

℔ Thuris & maſtic. an. ʒ ij. nucum cupreſſi, rad. biſtort. raſuræ eboris, roſarum rubrarum & aluminis, an. ʒ j. cinamomi craſſioris ʒ ß. galliæ moſchatæ ϑ j. Incorporentur cum ſucco vel ſyrupo myrtino, formentur pariter peſſaria, quibus vtatur per aliquod tempus. Quidam ex Hippocrate commendant peſſarium ex puluere magnetis cum lacte mulieris ſubacto. Quibus peractis habeat rem cum viro, ſeruet regimen debitum, & apponantur emplaſtra adſtringentia pubi & lumbis. Quod ſi primâ vice non conceperit, redeat ad eundem vſum per tres aut quatuor menſes continuos, præcipuè autumno & vere, per aliquot annos, quoniam eiuſmodi impotentia ſeu infœcunditas eſt de genere chronicorum affectuum, qui non niſi longâ temporis morâ & remediorum repetitione, animíque conſtantiâ expugnari poſſunt. Iſtis omnibus fruſtra & diu tentatis expectet mutationem ætatis & ſimilia ſuperius à nobis commemorata. Debet etiam idem regimen calfaciens & exſiccans ſeruari ex parte mulieris, quando cupimus illam potius mares quam fœmellas concipere.

Eſt tamen illud imprimis ante prædictam curationem animaduertendum, vt omne vitium malæ conformationis, luxationis, obſtructionis, diſtorſionis colli aut oſculi interioris, ſolutæ vnitatis, vlceris, cicatricum, malignæ conſtitutionis venereæ, elephanticæ, aut ex veneno ſumpto vel admoto contractæ, & omnium impedimentorum, quæ dicta fuerunt à nobis ad recipiendum, retinendum, conſeruandum viri genituram concurrere poſſunt, diligenter, ſi fieri poſſit, tollantur, priuſquam aliquid de reſtituendâ fœcunditate per eiuſmodi remedia, polliceamur: quia omnis vana & inutilis futura eſt medicatio, quæ non arte & rectâ methodo progreditur, ſed empiricorum more arcanis quibuſdam & futilibus nititur præſidiis, ſine cauſarum aut affectuum notitiâ: quorum etiam omnium curationem ex ſuperiore libro, vbi de illis peculiariter egimus, repetere licebit.

Supereſt igitur, vt pauca quædam, appendicis vice, de maleficio ſubnectamus. Ex priuatione enim omnium aliarum rerum iam ante commemoratarum, quæ ſterilitatem inducere valent, cogimur admittere aliquando vim ſuperioris cuiuſdam & occultæ cauſæ, propter quam vxorati aut mutuo diſſidio, aut impotentia coeundi, aut defectu ſeminis prolifici in ætate & temperamento laudabili laborant, vnde ſterilitas ſubſequitur. Quo caſu faſcinationem omnes accuſant, ſiue illa pendeat à ſceleratis quibuſdam hominibus, qui ope dæmonis cum quo fœdus ex pacto contraxerant, iſta exercent maleficia; ſeu à ſimplici incantatione, characterum, imaginum, & verborum *ἐνεργείᾳ*, vt patet ex carmine Virgiliano,

Nectè tribus nodis ternos Amarilli colores,
Nectè Amarilli modò, & Veneris dic vincula nectо.

Et in illis qui hodie dum ſacra illa verba pronunciantur: *Quod Deus coniunxit, homo ne ſeparet*, contraria & infauſta ſubmurmurant non ſine effectu & ligatura, & frequenti rerum euentu compertum fuit & apud Iudices litigatum, cuius rei metu multi nunc non audent publicè nuptias celebrare: ſeu denique illud maleficium pendeat à viribus aduerſæ conſtellationis, vel malignæ cuiuſdam exhalationis ab aſpectu viri infamis vel mulierculæ: aut denique pharmacorum quorumdam, quæ occulta *ἀντιπαθείᾳ* coitui & generationi obſiſtere poſſunt, quorum & apud Cardanum, & alios magiæ ſpeculatores ſat frequens mentio habetur.

In hoc caſu vocatus aut interrogatus Medicus, vt debet admittere ſuperiores illas & occultas cauſas, tum ex illo Hippocratis dicto in prognoſticis, vbi *ἀδύνατα* in morbis agnoſcit, tum proprio vſu & experimento confirmatus: hic etiam

cauè

Digitized by Google

cautè & ſolerter explorare, vtrum aliqua fraus lateat, quam multi ſæpe coniugati præſtant, vt mutuo diſſoluantur connubio & alienis indulgeant deliciis. Vbi res comperta eſt, neque diſſimulari poteſt ex defectu omnium aliarum cauſarum: non eſt dubium quin ad fugandam dæmonis vim, diuini numinis auxilium ſit implorandum ab vtroque coniuge & à viris pietate præſtantibus. Quin etiam omni modo conquirendus ſit author nodi illius, ſeu ligaturæ venereæ, verborum, imaginis, vel characterum magicorum: nam compertum experientiâ eſt, illis remotis, corruptis, aut in contrarium ſenſum & modum prolatis vel perductis, ceſſare eiuſmodi incantamentum. Si pendeat ab aduersâ quadam conſtellatione, vt docent Aſtrologi, circa horam primi concubitus, contraria eligenda eſt, vt diſſoluatur prioris effectus. Si à malignâ exhalatione faſcinatoris, aut impuri cuiuſuis corporis vel horrendi conſpectu, omnia cardiaca & roborantia erunt vtiliſſima, & iucundarum rerum ac pulchrarum obiecta, donec vis illa primæ impreſſionis fuerit diſſipata. Si ab occultâ pharmacorum proprietate pendeat, illa erit oppugnanda amuletis & aliis quæ aduerſantur huic qualitati. Vult Cardanus lupi priapum geſtatum omnes iſtas faſcinationes diſſoluere: Item adamantem, hyacinthum & ſimiles gemmas. Antiqui experimentatores hypericon vocabant fugam dæmonum & omnis incantationis, quod ideo in cameris ſuſpendebant: quemadmodum Dioſcorides ſcillam integram in limine oſtij, radices pœoniæ, artemiſiam, rutam circumligatam, betonicam, centaurium, vel eryngium. Item ſagapenum ab vtroque geſtatum commendant: magnetem, corallum & ſimilia, quibus ego nolim omnino refragari, cum habeant ſuas obſeruationes ad illud probandum: vel ex vi imaginationis ſuum conſequantur effectum. Aliquando enim ludens, & experiendi gratiâ ex vetuſtiſſimis iſtis ſcriptis conſului vxoratis quibuſdam diſſidentibus ſine manifeſtâ causâ, vt auem picam dictam ſimul comederent, & cor turturis maris, & fœminæ vterque geſtaret, ſericeo panno inuolutum & pauco ſale aſperſum, vir quidem fœminæ, mulier maris, donec contabeſceret: Euentus probauit non inutile fuiſſe conſilium, vnitis illorum animis, & mutuò deinceps ad delibanda Veneris munera conſpirantibus. Duo autem ſunt præcipuè, quæ faſcinatos eiuſmodi iuuare ſolent, vt ſcilicet confidenti animo conentur iſta omnia maleficia & incantationes aſpernari. Deinde vt locorum mutatione, domos, cubicula, lectos, veſtes, & reliquam ſupellectilem relinquant, in quibus vis illa venefica & faſcinatoria ſæpe abſconditur. Verum in re tanti momenti, tam occulta & extra cauſarum phyſicarum ſeriem ſaltem ordinariam poſita, nihil audemus aſſeuerare: hoc tantum in gratiam recentiorum Philiatrων proponere libuit, vt ſi quando incidant in eiuſmodi difficultates, non omnino ſint deſtituti conſilio & auxilio. Nos igitur ad alia pergamus.

CAPVT II.

De cognitione prægnantium & earum regimine.

NON ſolum iuuanda fœcunditas in mulieribus, vt facilius concipiant; ſed etiam dignoſcendus eſt conceptus, vt tunc prægnantium cura conueniens habeatur. Non enim minor eſt Medici virtus in retinendo & tuendo ad finem vſque debitum fœtu, quam eodem procurando & producendo. Adde quod fœmina prægnans in ſtatu neutro, & multis calamitatibus expoſito, conſtituta, non minus iuuanda eſt tunc temporis, quam ipſe fœtus: cuſtodia enim, inquit Hippocrat. 1. γυναικείων, & ſcientia multa opus eſt, vt in vtero geſtet puerum, enutriat, & vt euadat ab ipſo partu.

Præmittamus igitur grauiditatis διάγνωσιν & πρόγνωσιν: poſtmodum regimen grauidæ & curam eorum quæ ſæpius ei ſuperuenire ſolent affectuum, ſubnectamus. Idque ex Hippocratis præcipuè doctrinâ, qui hac in parte poſteris admodum clarè præluxiſſe videtur. Cum igitur grauiditas nihil aliud ſit quam fœtus in vtero productio ex ſeminis virilis & fœminei mutuo concurſu, in eo debitè retenti & amicâ illius proprietate adiuti, ſanguiniſque materni benigno affluxu nutriti: Ideo

vt cognoſcamus eiuſmodi affectum contigiſſe, oportet omnes cauſas diligenter perluſtrare, quæ ad illum producendum concurrere ſolent, & ea omnia quæ ad illum conſequuntur. Vnde apud Hippocratem, ſi genitura maris per ſeptem dies in vtero retineatur, ſignum eſt conceptus: quia intra illud temporis ſpatium ſolent omnia delineari, veluti ſtamina & rudimenta quæ ad hominem effingendum ſunt neceſſaria, quæque deinceps ad quadrageſimum circiter diem perficiuntur, vbi omnibus numeris completus habetur: ſic enim Theologi & Iuriſconſulti ante illum terminum non putant committi homicidium, ſi fœmina ex ictu abortiat: quia tunc credunt partes omnes perfectas informari animâ illâ humanâ cœlitus delibatâ: cum antea ſint potius ἐκχύσεως ſeu genituræ effluxus. Semen autem eſſe attractum & retentum mas ipſe agnoſcit aliquando, ſi virgam in illo coitu perceperit fuiſſe quaſi emulſam vehementius & retractam, ſine humectatione locorum muliebrium. Fœmina autem ſi tota concuſſa fuerit ex voluptatis maioris ſenſu & contractione vteri ſeſe colligentis circa fundum, vt amplexetur ſemen prolificum, & generationi deinceps incumbat. Vbi autem illud contingit, oportet etiam os illud interius accuratè claudi, ne quicquam elabatur, quod tum mulier ipſa percipit, tum ipſa obſtetrix perita immiſſo digito; ita enim ex ſententia Hippocratis conniuet illud orificium, vt ne ſpecilli quidem mucronem admittat. Sentitur autem illa clauſura ſine duritie, renitentiâ, aut dolore, vt in affectibus morboſis; ſed cum mollitie tractabili ex ſimplici corrugatione partis illius, vt patet in ſphincter ani. Ad iſtiuſmodi etiam clauſuram ſequitur retentio menſtruorum, quia ſanguis tunc per interiora matricis effundi nec poteſt, nec debet: Vnde ex Hippocrate *Aphoriſm. 61. ſect. 5. Mulieri ſi purgationes ceſſauerint, neque febre, neque rigore ſuperueniente, cibi autem faſtidia ſuperueniant, iudica illam in vtero habere.* Non poteſt igitur hic ſanguis effundi, cùm cotyledones ſeu oſcula venarum ſint coniuncta cum fœtu: nec debet etiam, quia effuſus corrumperetur ibi, vel erumpens fœtum & fœtam debilitaret cum periculo aborſus. Quapropter vbi menſes in grauidis fluunt, vt aliquando contingit, vel purgamenta quædam albicantia & alieno colore prædita in plethoricis aut cacochymicis fœminis, tunc natura molitur alias vias, per illa ſcilicet vaſa quæ in vteri ceruice poſita ſunt, hos humores excludit. Retentis itaque menſtruis per aliquod tempus, quia ex eorum inquinamento quodam & ſuperfluitatibus inficiuntur partes, exoritur per interualla horror, faſtidium, pica, & nauſea, atque etiam vomitus frequens in multis, donec grandior fœtus circa tertium vel quartum menſem abſumpſerit maiorem partem iſtorum ſuperfluorum excrementorum: vel hæc ſepoſita fuerint verſus venas illas hypogaſtricas & venam cauam deſcendentem, in quibus lochia aſſeruari ſolent ad diem vſque partus. Quod tamen vſquequaque verum non eſt, cum aliquando accidat, vt mulieres quædam grauiditatis tempore melius ſe habeant, quam extra illam. Iam grandiore igitur fœtu accreſcit ventris ipſius moles, non vt in hydrope diffuſa, ſed collecta & quaſi acuminata verſus ventriculum, ipſe fœtus agitari incipit leuiter, non motu palpitante, vt aliquando contingit in molâ, quæ ponderoſior exiſtit; ſed conuerſiuo in omnem poſitum, præcipuè vbi maiores vires ſibi compararit: mammæ augentur, papillarum color immutatur in rubedinem aut nigredinem quandam ob affluxum humorum, tandémque lac aduentante copiâ menſtrui ſanguinis verſus ſuperiora, colligitur in illis.

Præter iſta ſigna quæ videntur pathognomonica grauiditatis, ſolent etiam authores noſtri, alia ex Hippocratis ſententiâ addere, quæ ſunt minus firma, & ab extrinſecis adiunctiſque rebus petita: vtpote voluptatis venereæ minor appetentia ob ſatiatum vterum, quando oculi repente diſtracti, profundi, & cauiores exiſtunt, eorúmque candidum liuidius; maculæ in vultu apparent veluti ſolares, ſeu radianti nigredine conſpurcatæ, totúſque color hebeſcit primis quadraginta diebus, dum fœtus perficitur, donec recurrat ſanguis verſus ſuperiora, & faciem denuò perfundat. Pulſus in principio grauiditatis profundior & minutulus, qui ſuccedente tempore ob eandem cauſam attollitur & augetur, valdéque conſpicuus exiſtit in arteriis circa ceruicem poſitis. Vrina, ex Auicennæ placito, primis quatuor menſibus cruda, aquoſa vel decolorata profunditur: ſequentibus verò ſpiſſa, colorata & quaſi ignita. Practici ſuperioris ætui, quibus cura fuit ex vrinarum contemplatione omnia augurari, imprægnationem ſtatim deprehendunt ex vrinâ albicante, in cuius medio apparet nubecula ſubalbida,

vel

vel ei inſperſa ſunt velut fragmenta & floſculi bombacis, vel lanæ recens carptæ. Alij dicunt in ſummo vrinæ apparere circulum verſicolorem inſtar iridis. Et noſtri ruſtici adhuc iſta ἀφορμοτάτα valde delectari ſolent. Qua autem ratione fulciatur iſtud ſignum, difficile eſt aſſignare. Si tamen aliquid in re incertâ ſit ſtatuendum, ex diuerſa corporis & humorum œconomiâ, quæ grauiditatis tempore poteſt contingere: exiſtimamus crudam & albicantem in principio grauiditatis vrinam profundi: quoniam tunc redundat & quaſi refluit multa excrementorum copia ex vtero, à quibus calor natiuus debilitatur, & vrinæ color remittitur: poſtea verò rufeſcit & inflammatur, quia iſta excrementa paulatim putredinem quamdam concipiunt, & ſanguinis ſerum illis commiſcetur: vnde circulus ille verſicolor in ſuperficie poteſt apparere. Cur autem eiuſmodi contenta bombacina in vrinæ medio apparere ſoleant, fit fortaſſe quod calor in eiuſmodi excrementa agens ea attenuat quantum poteſt & digerit: ſed non perfectè: vnde contingit, vt non craſſa & puri ſimilia ſedimenta cernantur, quemadmodum in febricitantibus, dum hypoſtaſis coctionem perfectam adepta eſt. Sed hæc cum multis affectibus poſſunt eſſe communia: atque ideo non eſt quod illis diutius immoremur.

Vbi ſigna iſta ſunt valde dubia ad aſſerendam grauiditatem, confugit aliquando Hippocrates ad quædam experimenta, quæ non poſſunt etiam eſſe omnino certa, niſi multis adhibitis cautionibus: vt *Aphoriſm. quadrageſimo primo ſectionis quintæ*, exhibet mulieri dormituræ hydromelitis aliquam quantitatem, vt ℥ iv. vel vj. nam ſi poſt potum ſentiat tormina & dolores circa vmbilicum, illam exiſtimat eſſe grauidam; ſin minus, non eſſe. Multa alia habentur *libro de ſterilibus*, ſed quæ difficultates maximas patiuntur, vt conſideranti patet. Mira etiam eſt Fernelij hac in re experientia, qui vult æqualem vini albi partem cum vrinâ mulieris miſceri; etenim ſi hæc mixtura ſimilis ſit iuſculo fabarum, tunc cenſet illam eſſe grauidam, aliàs non. Vel vrinam mulieris aſſeruari per triduum in vaſculo bene obturato extra ſolis radios, deinde percolari per linteolum rarum: in quo ſi animalcula inſtar pediculorum appareant, ſignum eſſe vult grauiditatis.

Idem dicas de ſignis illis, quibus ipſemet Hippocrates cenſet marem à fœminâ in vtero diſtingui. Etenim ſi marem gerat, inquit *Aphor.* 42. *ſect.* 5. mulier coloratior eſt, ſi fœminam decolor: & *Aphoriſ.* 48. *ſectionis* 5. mares dextrâ vteri parte, ſiniſtrâ fœminæ magis geſtantur. Vnde exurgens dextræ manui potius incumbit, pedem dextrum deambulatura primum promouet, oculum habet dextrum limpidiorem & vegetiorem, ſi marem gerat: lac craſſius & magis compactum ex dextro vbere præcipuè effluens, & ſimilia. Alacrior eſt, citius motum embryonis in vtero ſentiſcit, nec tot fatigatur ſymptomatis ac ſi fœminam geſtet, quæ omnia vt plurimum vera, ſi non ſemper, reperiuntur. Mulierculæ noſtræ pro certo habent marem eſſe quando ſtillæ ſanguinis viuidi & bene rubentis frequenter ex nare potiſſimum dextrâ effluunt. Verum de hiſce prudenter reſpondere debemus, omnibus rite penſitatis, & ex collatione cum aliis, proprioque grauidæ temperamento, quia facile eſt in hiſce decipi propter varias cauſas à quibus iſtiuſmodi effectus pendere poſſunt.

Sed multo maior ſollicitudo eſſe debet Medico, qui magnatum & principum fœminarum regimini incumbit, vt poſſit præſagire de euentu proſpero aut infauſto grauiditatis: & occurrere maturè omnibus cauſis & diſpoſitionibus, quæ prægnantibus aliquod incommodum aut periculum minitantur. Ad prognoſim itaque facit *Aphor. ille* 52. *ſect.* 5. *Mulieri vtero gerenti*, inquit, *ſi lac multum è mammis effluat, fœtum imbecillem ſignificat. Si vero mammæ ſolidæ fuerint, fœtum ſignificant ſaniorem*, quem confirmauit 2. *epid.* item *Aphoriſ.* 34. & 37. *eiuſdem ſectionis*, vbi alui profluuium & mammarum gracilitatem grauidis periculoſa eſſe cenſet, & 60. *eius quoque ſectionis*, quæ ita ſe habet. *Si prægnanti menſtrua purgationes ſolito more profluant, impoſſibile eſt fœtum bene valere*, & ſimilia, quæ nos capite de aborſu rurſum plenius perſequemur, ibíque oſtendemus, quomodo demortuam in vtero ſobolem agnoſcere poſſimus. Hoc autem certiſſimum eſt quibuſdam fœminis grauiditatem eſſe ſalutiferam, eaſque à magnis morbis liberare: ſiue quod ſatiatus vterus nullos amplius ſuſcitat in corpore tumultus, ſeu quia per vomitus excluduntur, aut in fœtus alimoniam abſumuntur, & à partibus affectis reuelluntur pleraque excrementa & ſuperfluitates corporis. In aliis vero eſſe infauſtam & morbidam, vt quæ in maniam, epilepſiam & ſimiles morbos ſolo imprægnationis

tempore incidant: vel eò quòd recrudescant alij morbi, quibus aliquando obnoxiæ fuerant. Multas vidimus tunc arthriticas, nephriticas, &c. idque propter retentam menstruam purgationem, neque aliunde vacuatam, sed in partes istas debiliores irrumpentem. Pertinet etiam ad prognosim istam, vt possimus scire futuras grauiditates in ea quæ peperit. Inspicienda autem iubent vasa vmbilicalia nuper nati infantis, ex Auicenna: quot enim rugæ seu nodi in ea fuerint, tot iterum fœtus mulier concipiet: & si nulla, nullum. Quod si rugarum vna ab aliâ multum fuerit distans, inter illos fœtus nascituros, longa erit temporis intercapedo: si vicinæ sint, cito vtero geret. Rugæ item nigræ aut rubræ masculos, albæ fœminas arguunt. Nostrates fœminæ lunæ diem considerant ex illo disticho:

Si lunâ crescente parit, partus maris alter,
Eius decursu virginis ortus erit.

Atque hæc sunt, quæ de prognosi circa mulieres grauidas instituendâ, dicenda habebamus: nunc sermonem nostrum ad alia non minoris momenti transferamus.

Ad mulierum igitur grauidarum regimen accedimus: cuius tres erunt partes. Prima quidem versabitur circa statum grauidarum naturalem & consuetum, vt scilicet rectâ victus ratione præseruentur ab omni incommodo. Secunda docebit quomodo euitare possint, aut certe lenire accidentia illa vulgaria quæ ratione grauiditatis accidere solent. Tertia verò pars spectabit statum earum generaliter morbo aliquo graui siue acuto seu chronico affectarum, vt sciamus quâ methodo in eiusmodi affectibus præter naturam, quando superuenerint, sint tractandæ.

Quod ad primam itaque partem; Cum constet fœtum in vtero contentum eadem materiâ alibili nutriri per vasa vmbilicalia, quâ & matrem; ideo in victu illis præscribendo magna est adhibenda cautio, quia vno eodemque tempore duobus est prospiciendum, & vnicus error duplicem noxam statim inferre potest. Alimenta igitur, quæ in dictâ istâ principatum obtinere videntur ratione substantiæ, qualitatis, quantitatis, & ordinis, optime sunt disponenda: vtpote ratione substantiæ euchyma sint & eupepta, bonum & laudabilem succum vtrique præstent, facileque in ventriculo fastidiosæ ob grauiditatem multis & neauseabundæ conficiantur. Ratione qualitatis ea omnia eligantur, quæ temperatiore sunt succo prædita, aut saltem ea quæ obsistere possint dominanti in grauidâ intemperiei: vnde in calidiore fœminâ modice refrigerantia, in humidiore exsiccantia præscribantur, & sic de reliquis. Generaliter tamen vitare debent grauidæ omnia aromatica & aperientia calidiora, acria, piperata, amara, vt allia, cepas, oliuas, cappares, fœniculum marinum, crocum, cinamomum, vinum album & similia, ne ex eis aperiantur oscula venarum & menses concitentur, vel vrinæ promoueantur, aut diarrhœa, quæ omnia sunt in prægnante periculosa. Quamuis enim libera debeat esse in illis aluus sponte aut vsu alimentorum emollientium, vt prunorum in principio prandij sumptorum, iusculorum cum maluâ & borragine paratorum, & similium: non tamen profusa, ne exhauriantur vires & fœtui alimentum præripiatur. Flatuosa etiam omnia vitare debent, vt poma, olera cruda, legumina, tubera, castaneas, napos, rapas, fructus horæos, & huiusmodi copiosius sumpta: ne ex illis aut tormina, quando colico affectui sunt obnoxiæ, aut saltem inflatio, & distensio suscitentur. Inter alia quoque à salsis abstinere debent: quæ enim illis copiosè vescuntur, vt annotauit Aristoteles 7. *de historia animal. capite quarto*, fœtus imbecilles & sine vnguibus producunt, quia salis vi attenuante dissoluitur quidquid solidum & viscidum est in corpore eiusmodi infantis tenello. Idem dicas de quadragesimali victu, grauidis admodum noxio. In fine pastus conducent roborantia, & adstringentia dragemata, aut confecturæ, vel pyra & cydonia mala. Nostrates mulierculæ circa nonum mensem solent solidiore cibo nutrire prægnantes, pane syncomisto, vel furfuraceo, carnibus quibusque & piscibus promiscuè, vt robustior fiat infans, & viæ incipiant aperiri, quod in alacrioribus fœminis & quæ exercentur non est repudiandum. Quemadmodum quantitas alimentorum in primis mensibus minor esse debet: in vltimis copiosior, vt instante partu & iam grandiore fœtu, vires vndique reparentur: ita tamen vt melius sit perpetuò grauidas in copiosiore quam parciore victu errare, ob alimoniam fœtus & vtriusque robur. In alimentorum verò ordine, præmittenda semper

quæ

quæ facilioris ſunt concoctionis, aut citius ſecedunt, vt poſtmodum roborantia orificium ventriculi & adſtringentia aſſumantur. Potus tamen ſit exiguus & ex minoribus poculis, accuratè cum cibo permixtus, ne fluctuationes & borborygmos in ventre pariat, vel diarrhœas concitet, vel multam aquæ copiam generet. Vinum rubrum & generoſum conueniet modicè temperatum. Hydropotæ vero, & imprimis quæ ventriculum habent imbecilliorem, bibant aquam ex decocto coriandri. In delicatulis tamen primiparis & moroſis multa concedi poſſunt ad ſuſtentandum earum corpus, & ne macilentæ admodum euadant. Quod in illis reformidat Hippocrates *Aphoriſmo 44. ſectionis quintæ*, vt in affectu picaceo rurſum dicemus.

Quod ad reliqua, habenda etiam eſt ratio aëris quo vtitur prægnans, vt quantum fieri poterit ab omni exceſſu recedat, vt neque ſe frigori committat vehementiori; nec caloribus exæſtuet: nam vtrumque valde periculoſum; illud violenter conſtringendo, hoc vero inflammando ſanguinem & putrefaciendo. Quæcunque cauſariæ ſunt mulieres, & alicui morbo obnoxiæ, varias aëris inclementias cauere, & peculiariter Autumni tempore curare debent diligenter, valetudinem dum ſunt prægnantes, ne ob aëris inæqualitatem, peſſimè afficiantur. Sub aëris cenſum referri etiam poſſunt colores ſeu picturæ, odores, ſoni, & ſtrepitus. Nam omnia horrenda & extranea ſunt diligenter à conſpectu grauidarum remouenda, tum quod ſubitum terrorem incutere poſſunt: tum etiam quod ſpecies illæ vehementer imaginationi impreſſæ maximam fœtui noxam inferre ſolent: ſic fœdi halitus, vt cloacarum recenter apertarum, rerum venenatarum aut virulentiam redolentium, extinctæ lucernæ, & ſimilium ſæpe illis magnum periculum crearunt. Imo in quibuſdam ſuaueolentia ſunt vitanda, propter motum matricis & eius ſuffocationem, quando illi ſunt obnoxiæ: ſtrepitus tympanorum, bombardarum, tonitruum & tubarum ſubiti clangores, propter animi conſternationem quam inducere valent, & vehementem aëris motum quem inferunt, idem præſtare poſſunt: quare ab illis omnibus præſeruentur, quantum fieri poterit. Caueant etiam ab omni lotione & balneo, niſi forte circa vltimum geſtationis menſem, quando iam dilatandæ videntur partes, & vincula paulatim relaxanda in ſiccioribus & durioribus mulierculis. Circa exercitationem corporis ea lex obſeruetur, vt nihil violentum, nihil laborioſum aggrediantur: Saltationes illas & choreas diligenter vitent, nec quicquam grauius attollere vel agitare conentur: neque rhedâ aut equo vehantur rudiore, vel aliquid tale præſtent, quod concutere poſſit vehementer corpus aut comprimere: vnde etiam in veſtitu ea ratio tenenda, vt nihil gerant à quo coarctari, vel moleſtiam ſuſcipere poſſint, ſed diſſolutis & laxis vtantur indumentis, quæ etiam fœtui liberum incrementum, & domicilium permittant: multas enim nouimus elegantiori corporis cultui ſtudentes, quæ noxam & mutilationes fœtibus ſuis ex nimiâ veſtium compreſſione attulerunt. Poſſunt tamen lentis & iucundis deambulationibus oblectari, potiſſimum à ſecundo menſe, vſque ad finem ſexti: deinde aduentante ſeptimo, & octauo magis quieſcere, quia in illis ſolet natura ſæpe parturitiones infauſtas moliri, ſi quid extrinſecus accidat. Circa finem & medium noni iuuat exerceri alacrius, vt calor natiuus ſuſcitetur, fœtus pondere ſuo agitatus ad inferiora deuoluatur, & partes quodammodo relaxentur. Idem dicas de coitu in grauidis, quæ primis menſibus ab illo debent abſtinere, non tantum metu ſuperfœtationis, vt ſuo loco dicemus; ſed etiam ne tenellus ille fructus excutiatur, & nouâ eiuſmodi agitatione aut matricis nimiâ oblectatione, & apertione: circa medios menſes moderatè exerceatur: ſub vltimum verò poteſt eſſe vtilis ad irrigandas, & dilatandas partes iſtas vterinas, dummodo nulla fiat ventris muliebris compreſſio, aut nimia concuſſio.

Indulgeant magis ſomno quam vigiliis: quia facit ad concoctiones & retentiones iuuandas. Sit ſumma animi tranquillitas, & temperantia; nullum enim animi pathema in illis innoxium: nam & à vehementi repentinoque gaudio, immoderato riſu, oblectatione & amore multas male affectas fuiſſe certum eſt: multo magis ab iracundiâ grauiori, terrore ſubito, mœſtitiâ diuturniore, zelotypia, & ſimilibus. Inter alia mirè torquentur iſtæ prægnantes immoderatâ concupiſcentiâ rerum conſpectarum vel auditarum, quibus ſi potiri non poſſint, ſæpe aborſus incurrunt, vel turpiſſimas fœtibus ſuis notas inurunt, vt quotidiana docet experientia. Imo tantam eſſe huius appetentiæ vim cenſent hodie multi, vt ſi quid

quid expetitum illis denegetur, in illius corpus, qui recuſarit agere poſſit, in faciem potiſſimum, vel palpebras oculorum maculam inſtar hordeoli excitare. Solent peritiores mulierculæ, vbi ex improuiſo tali torquentur appetitu, ſtatim natibus vel tibiis manum admouere: quia putant eidem parti fœtus, quam primum in ſe contigerit grauida, illam notam imprimi. Quamuis enim tanta imaginationi vis non ſit tribuenda, vt in quæcunque corpora diſtántia agere valeat, aut in omnem materiam ſuum exercere imperium, vt putauit Auicennas; attamen nemo rerum naturalium diligens ſpeculator, aut peritus Medicus inficiari illius potentiam audeat in proprium & continuatum corpus ad curandos morbos, agitandos humores, & conturbandos ſpiritus. Ac proinde cum fœtus ſit velut quid continuum cum parentis corpore, illius ſpiritus & ſanguinem continuò recipiens; quidni ſimiliter iſtas impreſſiones ſuſcipiet, & conceptas ſpecies, potiſſimum primis menſibus, quando adhuc mollior, & veluti cereus in quamcumque effigiem facile transformari poteſt? quæ apparebit deinceps edito fœtu, ſi contigerit eiuſmodi characterem ſpiritui & ſanguini impreſſum ad exteriores corporis partes, & ſuperficiem deferri: hoc autem fit vi expultritis facultatis quando robuſta eſt, vt expellat ad ſuperficiem humores hanc notam inferentes. Debet igitur ſedula circa prægnantes iſtas fœminas cura adhiberi, ne circum loca illa ducantur, vbi praua eiuſmodi edulia habentur, vt hortos & pomaria, in quibus virentes adhuc & immaturi fructus exiſtunt: aut etiam ne quid obiiciatur aut commemoretur coram illis, cuius vſu lædi poſſint, aut quo non liceat potiri, ſi libuerit, propter dicta pericula. Atque hæc de diætâ.

His ita conſtitutis veniamus nunc ad illa accidentia, quæ grauidis ſecundum naturalem curſum, vt vocant, ſuperuenire ſolent, habitâ ratione ordinis menſium grauiditatis, quo illa frequentius apparent: vtpote primis menſibus ventriculi imbecillitates, ructus, ſingultus, nauſeæ, vomitus, cibi faſtidia, deprauati & picacei appetitus, ventris tormina & fluxus, capitis grauitates & vertigines. In mediis palpitationes cordis, dolores lumborum, tuſſis, ſanguinis profuſio, mammarum inflationes, & gracilitates. In vltimis fiſſuræ cutis in ventre, tumores pedum œdematoſi, vrinæ & alui ſuppreſſio. De quibus pauca tantum & ad vſum practicum magis facientia reſpectu prægnantium dicturi ſumus.

Quod igitur ſpectat ad iſtos ventriculi affectus, imbecillitates, ructus, ſingultus, nauſeæ, vomitus, cibi faſtidia, deprauatos & picaceos appetitus, quibus grauidæ primis præſertim menſibus torquentur: certum eſt illos exoriri in cacochymis potiſſimum mulierculis ob retenta menſtrua, cum quibus eiuſmodi impuritates & fœdi humores repurgabantur. Illi enim deinceps coërciti, & quaſi reſtagnantes in abdomine, vel in ipſum ventriculum influentes, modò orificio & parietibus illius infixi adhærent, modò in cauitate fluctuant, & varia iſta ſymptomata inducunt. Ac proinde ſi vomitus ſit facilis & accommodatus, melius ſe habere ſolent, & breui poſt vnum aut alterum menſem ab hiſce incommodis liberantur. Si verò ſit laborioſus & ſuperfluus, vt quando cibos aſſumptos ſtatim eiiciunt, non parum periculi minatur, reliquaque omnia ingraueſcunt. Ideo in cacoſtomachis iſtis grauidis debet Medicus eo artificio regere iſtos vomitus, vt aliquando totum negotium naturæ committat, ſi illa commodè agere videatur: ſin minus, laborioſum & exiguum vomitum iuuare aſſumpto decocto hordei & ſeminis raphani cum pauco ſyrupo granatorum, vel oxymelite, vt proritetur commodius: vel ſi vomitio ſit ſuſpecta, inſtituatur deiectio ex ſyrupo roſato ſolut. infuſo aut ſubſtantiâ rhabarbari, decocto myrobal. & ſenæ orient. pro naturâ & ſpecie dominantis cacochymiæ: iſta enim non ſolum prægnanti, vt ab hiſce moleſtiis liberetur, ſed etiam fœtui proficua exiſtunt, ne primis menſibus inficiatur malignitate iſtorum excrementorum: vnde non oportet ita meticuloſos eſſe Medicos in repurgandis hiſce prægnantibus hoc catharticorum roborantium, exſiccantium, & adſtringentium genere, cum multo plus mali impendeat ex continuis illis vomitionibus, ſingultibus, nauſeis, & ructibus, vt facile eſt vnicuique intelligere. Quæcunque enim continuâ hac affectuum ventriculi ſyndrome affliguntur, omne remediorum genus reſpuentes, vix ſalutiferi partus attingunt portum, aut fœtus edunt macilentos, morbidos, & parum vitales. Ideo purgandæ per παρεγκλυσιν frequenter: deinde roborandus ventriculus tam ſumptis quam admotis: quorum claſſes ex propriis tractatibus repetendæ. Vbi ſuperfluit vomitus & alimentum eiicitur, cohibendus adſtringentibus externis & internis: imo etiam frequenter admouenda vm-

bilico

bilico cucurbitula poſt paſtum, ibique relinquenda, donec concoctionis rudimentum factum fuerit : quod etiam valde iuuat ſingultum & ructum à flatu excitatum. In eiuſmodi imbecillitatibus omnibus mirè prodeſt frequens vſus pulueris digeſtiui à paſtu, aniſi & coriandri ſaccharo conditi, tabellarum aromatici roſati, corticis citri ſaccharo conditi & ſimilium. Exterius verò emplaſtrum de cruſtâ panis cum aromatibus, vel pellis vulturina ſupra ventriculi regionem geſtata.

Quod ſi propter χαυνότητα prægnans macie contabeſcat, irritandus erit appetitus ferculorum varietate & munditie, ſumptis etiam frequenter ante cœnam pilulis duabus vel tribus elephanginis aut ſtomachicis, quibus rhabarbarum ſit additum, præcipuè ſi ob pituitæ copiam oriatur iſtud faſtidium; ſyrupo de abſinthio pontico circa horas matutinas. Si iuncta ſit ſitis, vtantur acetoſis, vt ſucco arantiorum, granatorum, & ſimilium, quibus æſtuans ventriculus recreatur. Caueant tamen ab immenſo aquæ frigidæ potu, quia obruit calorem natiuum in illis & ſeri copiam auget : vnde venter intumeſcit & grauatur, alui fluxus pernicioſus aliquando excitatur. At in illis quæ appetunt quidem, ſed non id quod oportet, & naturæ congruum exiſtit, verùm abſurda, aliena, & nocua, vt in picaceo affectu, proſpicere debet Medicus, vt in meliorem mentem reducantur blandis ſermonibus & monitis, vt norint quæ mala ex vſu iſtarum rerum tam illis quam fœtui impendeant. Quod ſi verbis ab intentâ cupiditate auocari nequeant, quæritur vtrum eiuſmodi expetita illis ſint concedenda, vel deneganda prorſus ? Diximus enim ſuperius, eiuſmodi rerum vehementer expetitarum veſtigia & notas fœtibus ſæpe imprimi, imo etiam ex humorum ac ſpirituum vehementi motu ob fortem iſtam imaginationem, aborſum ſæpe concitari. Vndique igitur periculum. Vel ſi peſſima illa concedantur, carbones verbi gratia, gypſum, fructus immaturi & ſimilia, non eſt dubium quin peſſima, & quaſi venenata cacochymia in illis procreetur, ex quâ infinitorum morborum ſoboles deinceps exoriri poteſt, fœtæ & fœtui pernicioſa. In tam ancipiti ergo ſtatu, rem ita temperare debemus, vt ſi omnino videatur propter animi impotentiam & cupiditatem aborſum paſſura certiſſimum, aliquid iſtorum concedatur cum præfatione periculi, vt poſſit paulatim reſipiſcere, & ab illorum vſu abſtinere. Sin vero non ſit ita vehemens cupiditas, ſed cui imperare poſſit, reuocetur omnino, & ſuâ ſponte ab illis abſurdis, vel etiam arte quadam iuuetur, vt ſi pro terrâ expetitâ parum amyli deuoret, pro carbone puluerem cicerum rubeorum aut fabarum toſtarum leuiter cum pauco ſaccharo, ſi oliuas muriâ conditas frequenter aſſumat inter comedendum, vuas paſſas, & mali punici acidodulcis grana poſt paſtum. Quidam exiſtimant polypodium exſiccatum & pulueriſatum ad ʒ j. mane cum vino rubro lymphato ſumptum plurimum hic prodeſſe : atque etiam emplaſtris aut cataplaſmatis roborantibus admixtum. Vbi res magis vrget, deueniendum ad purgationes leuiores, ſed frequentius repetitas, tam eis quæ deiectione, quam quæ vomitione id præſtant : quia impoſſibile eſt tantum affectum ſolis alterantibus expugnare. Imo vbi inueterauit, vix ab eo liberantur, ſed recidiuas frequentiſſimas patiuntur.

Sequuntur ventris tormina, & alui fluxus, quibus non rarò prægnantes primis potiſſimum menſibus corripiuntur. Fiunt autem quando ſupradicti humores & flatus quaſi per περιδρομὴν ex ventriculo in inteſtina & aluum inferiorem deferuntur. Cum itaque vterque affectus in prægnante valde ſit periculoſus, primum diæta erit inſtituenda conuenienter pro modo humoris peccantis, atque etiam roborans & adſtringens. Deinde ad diſcutiendos eiuſmodi flatus, quibus dilaniantur inteſtinorum tunicæ, veniendum erit, antequam ſanguis ex diſruptis vteri vaſis propter doloris acerbitatem, erumpat : tunc enim vix impediri poteſt aborſus. Si quis enim tunc diſſipandis flatibus incumbat, magis ac magis augebitur hæmorrhagia. Si verò adſtringentibus eam compeſcere voluerit, accreſcent tormina & cruciatus ventris. Admoueantur igitur loco dolenti ſacculi ex carminantibus in ſartagine frixis, vel cum vino rubro vetere decoctis, dummodo vitentur aperientia nimium & mollientia : deinde inungantur oleo laurino, & rutaceo cum vnguento reſumptiuo ſimul mixtis, quibus puluis cumini, ireos Florent. & croci com-

modè addetur. Emplaſtra & cataplaſmata non ſunt illis tam accommodata, quia pondere ſuo grauare poſſunt fœtum in vtero contentum. Ego ſæpe fœlici ſucceſſu illis admoui fruſtum carnis (*carbonade*) carbonibus calfactæ & puluere cumini ſinapiſatæ : vel omentum arietis recenter mactati & adhuc calens, vel vino calente inſperſum. Sumant per os parum pulueris ex cortice citri, vel piperis craſſiuſculè contuſi, cum vino generoſo, vel paucâ aquâ imperiali. In contumaciſſimis iſtis doloribus non eſt etiam illis denegandus vſus narcoticorum cum debitâ correctione per os & anum aſſumptorum, quibus comparatur naturæ iam proſtratæ nouum robur per iſtas inducias. Vbi acrioris materiæ fluxus iſtos cruciatus parit, poſt leuem purgationem, profuit ſæpe prægnantibus γαλαξιαγωγία : quæ omnia ſapienter ſunt moderanda. Quod ſi alui fluxus illis coniunctus, vt dyſentericus ; vel ſolus, vt lientericus aut ſimplex diarrhœa prægnantem exerceat, maturè etiam cohibendus, antequam vires matris & fœtus præreptâ alimoniâ collabantur, aut vincula vteri relaxentur. Non ſunt tamen includendi praui humores ſubitò, priuſquam leui & roborante purgatione fuerint moderatè excluſi. Rhabarbarum itaque tam pulueratum quam infuſum hic præcipuè vſurpandum, myrobalanorum decoctum, & ſyrupus roſatus ſolutiuus. Poſt catharſin ſumant puluerem corallorum, margaritarum, raſuræ eboris, & terræ ſigillatæ cum aquâ plantaginis. Fiant fotus & linimenta conſueta, quæ ad praxim ordinariam ſunt releganda.

Sæuientibus hiſce affectibus, vel ſine illis, grauitates capitis, vertigo & cephalalgia ſæpe grauidas hiſce menſibus exercere ſolent, ob fumos & vapores ex inferiori iſtâ ſentinâ ad cerebrum eleuatos, in quibus nihil aliud habemus annotandum, niſi quod iſta pathemata ſunt lenienda paregoricis tantum quibuſdam & repellentibus capiti & fronti admotis, ſi admodum ſint moleſta, quia vt plurimum ſua ſponte poſt aliquot menſes, iam grandeſcente fœtu deſinunt: quemadmodum dolores dentium, vel aurium, qui multis hoc tempore exoriri ſolent.

Circa medios verò menſes dicebamus, vt plurimum apparere in grauidis infirmioribus palpitationes cordis, lumborum dolores, tuſſes, ſanguinis profuſiones ex vtero vel aliis partibus, mammarum inflationes vel extenuationes nimias. Quod igitur ſpectat ad cordis palpitationem & ſaltum, qui contingit in illis aliquando ob nimiam ſanguinis copiam refluentis ad ſuperiores partes & facultatem vitalem opprimentis : aliàs ob flatus & vapores eleuatos, & concluſos in iſtis ſinubus cordis : non eſt dubium quin in priore caſu, ſi inſignis ſit plethora ſanguinea, exercenda ſit venæ ſectio ex ſuperioribus partibus moderata & partita, vt multitudo depleatur, & tota humorum maſſa conuenienter euentiletur : multas enim nouimus, quæ perpetuo grauiditatis tempore, iſtis palpitationibus, lipothymiis & aſphyxiâ diuexantur, cum ſummo abortiendi diſcrimine, donec ſanguinis copia per venæ ſectionem ex brachio fuerit imminuta, & ex vteri vaſis, vbi diſtentionem pariebat, reuulſa. In ſecundo autem caſu, quando palpitatio iſta ex flatu & vapore exoritur, epithemata tam liquida quam ſolida roborantia & leuiter diſcutientia imperanda, cum cardiacis frequenter per os aſſumptis, inter quæ confectio alkermes principatum obtinet : quamuis illius vſum quidam imperitè in grauidis reformident, tanquam partum accelerantis : etenim ſi confectio iſta partum inſtantem iuuet, vires refocillando, aut propter exiguam licet moſchi quantitatem, quæ illius compoſitionem ingreditur, ſpiritus exilarando : multò magis poteſt in mediis menſibus, dum nulla eſt ſuſpicio pariendi, calorem natiuum fouendo, & viſcera nobiliora recreando, hiſce ſymptomatis mederi.

Lumborum autem & coxendicum dolores, quibus ſæpe affliguntur prægnantes ob grandeſcentem iam fœtum, vt fere ſciaticum dolorem repræſentent, ſedabuntur quiete potiſſimum & ſomno, aut inunctione prædictarum partium ex oleo lumbricorum & myrtino. Si onus ventris videatur grandius, quàm vt commode ſuſtineri poſſit ab vtero & ligamentis, comparanda ſunt ſubligacula & pelles cum vinculis, quibus collo appenſis abdomen fulciatur, & iuuetur in geſtandâ hac ſarcinâ.

Tuſſis verò in grauidis catarrhoſis & capite aut pulmonibus imbecillioribus, valde reformidanda: tũ etiam quia cõcutit vehementer muſculos epigaſtrij, vnde periculũ excutiendi

excutiendi immaturè fœtus : omni operâ & sedulitate cohibenda , iuxta solitam in aliis methodum , præcipuè si à sallis & acribus humoribus pendeat : in quorum temperatione victus ratio ex lenientibus & incrassantibus multum proderit , hordeatis , amygdalatis, panatellis, & similibus. Imo si vigiliæ ob prædictam tussim infestent diutius, poterit Medicus horâ somni pilulas de cynoglossâ , diacodion , vel cochlearia duo syrupi de papauere & de rosis siccis exhibere. Demum reuellentia , cucurbitulas , frictiones, & epispastica adhibere,quæ impetum fluxionis in contrariam partem deducant , si affectus magnitudo id postulare videatur.

Est aliud symptoma in prægnantibus infestissimum & valde formidandum , ex Hippocr. *Aphor.60.sect.5.* nempe sanguinis profusio ex vtero,naribus, hæmorrhoidibus, & aliis partibus. Quod aliquando sequitur humoris sanguinei multitudinem, alias prauitatem & mixtionem acriorum succorum , vnde varij colores in excretâ materiâ apparent.In primo casu si sanguis fluat moderatè per venas colli matricis, non est valde metuendum in plethoricis fœminis, in quibus imminuitur copia redundantis humoris,per hæmorrhagiam.Sin verò fluat per interiores venas matricis, siue per ruptionem earum quæ adhærent embryoni , siue per anastomosin earum quæ illi non adhærent,perpetuò periculum est aborsus,seu propter nimiam hæmorrhagiam & vteri hiatum : seu propter sanguinis retentionem in cauitate vteri , vbi grumescens vel putrescens infinita mala inferre solet. In secundo casu,si profluat ex vtero sanguis vel ichor virulentus,saniosus, nigricans, aut pallido colore suffusus, & tetro odore præditus , vt signum & vt causa pessimis grauidæ rebus profluere solet, quia designat dominatum malignæ cacochymiæ , & quia pessimis suis qualitatibus potest vterum & fœtum in varios affectus præcipitare. Minus malum est, si sanguis per nares , aut hæmorrhoidas feratur , illique multò facilius est mederi. Illud autem præstandum ex communi methodo,ita tamen vt omnia prudenter administrentur, purgantia , adstringentia , vel repellentia , venæ sectio non nisi coactè adhibeatur : vbi alia nihil profuerint , vt ligaturæ , frictiones , & cucurbitulæ variis corporis partibus admotæ. In hæmorrhoidum fluxu temperandus imprimis dolor,ne maiorem materiæ copiam accersat versus vteri vasa proximiora, aut inflammationem inducat.

Supereſt mammarum inflatio vel extenuatio nimia in grauidis , quæ peculiarem aliquando curam exigunt , vt est *Aphor.37.sect.5.& 33.sect.eiusdem.* Quæcunque enim mulieres delicatiores aut morbosiores non possunt dare operam alendis suis fœtibus , sed eos nutricibus committunt , sæpissime istas noxas incurrunt , ex importuno vsu remediorum repellentium & adstringentium mammis adhibitorum imprægnationis tempore , ne lac circa quartum aut quintum mensem in illas influat. Solent enim laminas chalybis inter mammas gestare , frustula suberis vtrique axillæ imponere , vel vnguento rosaceo frequenter inungere , fomenta ex aquis vel decocto , aut succis myrti , rosarum , balaustiorum , hederæ terrestris , cupularum glandium , ipsius cicutæ , foliorum menthæ siccorum cum pauco aceto adhibere: vel cataplasma ex farinâ fabarum in aceto coctarũ & similia. Ex quibus contingit aliquando,vt earum mammæ in deformem gracilitatem & asperitatem extenuentur : alias vt in polyhàimis & succi plenis fœminis materia lactis , facto impetu & contra nitens aduersus ista remedia, copiosius influit,& vbera ita reficcata & quasi constipata istorum ξηραντικῶν vsu , non sine dolore distendit. Vnde coguntur lenientibus , relaxantibus , & emollientibus fotibus, & cataplasmatis deinceps mammas ita affectas recreare , emunctoriis cucurbitulas admouere , vt reuellant fluxum humoris , vel tandem ex ipsis vberibus lac,antequam grumescat vel putrescat,exugere : ne in sanioſam materiam degeneret.Sed de his fusè tertio libro acturi sumus Deo volente.

Nunc accedamus ad reliqua symptomata, quæ vltimis grauiditatis mensibus potissimum apparere dicebamus : inter quæ primò occurrunt fissuræ & rugæ , quibus venter illarum iam grandescente fœtu solet exerceri , in primiparis præcipuè , quæ nondum istis distentionibus sunt assuetæ. Quibus est occurrendum antequam fiant , & factis medendum : ne dolorem & deformitatem etiam post partum relinquant. Impediemus ne fiant , si ventris cutem circa quartum mensem laxantibus quibusdam , vt axungiis , pomatis , vel oleis molliorem reddiderimus , inter quæ commendant pinguedinem & medullam ex pedibus arietinis ad putrilaginem decoctis extractam , sæpiusque aquâ rosaceâ

Digitized by Google

abluram : vel pellem canis præparatam & oleo amygdalarum dulcium imbutam, quam toti abdomini imponunt, vbi opus fuerit : remouet enim omnem duritiem & cutis asperitatem. Quod si iam factæ sint eiusmodi fissuræ & exulcerationes, leuiter detergentibus & exsiccantibus percurandæ, vt vnguento citrino & rosaceo simul mixtis, vnguento de cerusâ vel santalino : vbi verò rugæ & asperitates post illarum curationem infestarint, redeundum ad emollientia iam dicta, vel etiam fotus eadem vi præditos.

Succedunt tumores pedum œdematosi : aliquando varicosi, quibus valde conflictantur prægnantes, delabentibus humoribus superfluis in partes illas declives,& longius à caloris fonte remotas.Quod ad varicosas igitur illas venarum distentiones in abdomine,coxis,& cruribus grauidarum frequentissimas, quia post editũ partum disparere solent sua sponte,solemus eiusmodi mulierculis quietem tantum consulere & eleuationẽ crurum in sedili aut in lecto,ne humor tam facile possit ad inferiora deuolui : vel in eis quæ coguntur operibus ordinariis incumbere,fasciationes crurũ lenes, quæ ab imâ parte pedum incipiendæ ad supremam versus genu desinant: sic enim facilius ferent illam molestiam. In tumoribus verò œdematosis, si ingens sit moles serosi humoris vel flatus,quæ impediat progressum,necnon dolorem quemdam ex distentione pariat, vt sæpe contingit, resoluenda erit ista materia discutientibus quibusdam & roborantibus partem : quale est sequens lixiuium & cataplasma.

℞ Lixiuij sarmentorum & vini albi, ana ℔.iij. In quibus bulliant cortices citri sicci, limatura cornu cerui, folia pulegij, origani, & calament. cum pauco sale & sulphure. Lauentur & foueantur crura in ingressu lecti per dimidiæ horæ spatium, deinde exsiccentur diligenter, vel fasciis hoc liquore imbutis vinciantur prædicta crura, & sinantur donec refrixerint : deinde illis ablatis illinantur sequenti vnguento.

℞ Vnguenti de artanita ℥ iv. sulphuris viui ʒ iij. baccar. lauri pulu.& aluminis, ana ʒ j.aceti parum.Vel fiat sequens cataplasma.

℞ Farinæ fabarum & orobi, ana q.s. Coquantur cum succo caulium rubeorum & pauco aceto, fiat instar cataplasmatis, quod admoueatur calidè prædictis partibus, addendo etiam parum sulphuris, si res illud exposcere videatur. Cauendum enim à repellentibus vehementioribus metu recursus materiæ ad superiora, ex quo infiniti affectus exoriri solent, vt annotauit Hippocrates 7. *epid. text.*7. *in historiâ sororis Harpalidæ.*

Denique solent vexari prægnantes circa vltimos hosce menses frequenter alui suppressione & vrinæ, ob compressionem recti intestini & vesicæ à grandiore fœtu. In suppressâ vrinâ, quia pondus deuoluitur circa collum vesicæ,dum stat erecta, debet mictura iacere, & perinæum fouere sacculo quodam, radice apij & petroselini referto, vel semine lini, quod in lacte vel vino albo leuiter incoxerit. At si molestior sit illa retentio, quæ periculum minetur, debet catheterem admittere operâ experti Chirurgi, vt detumescat nimium distenta vesicâ. In duritie autem alui prospiciendum, ne propter egerendi conatum aliquid mali inferatur matri vel fœtui, idcoque mollienda eiusmodi excrementa scybala alimentis liquidis, vt dicebamus, nempe iusculis cum butyro, maluâ & borragine paratis,prunis dulcibus & saccharatis primâ mensâ sumptis ; aliquando leuiter detergentibus, vt pane furfuraceo, initio prandij cum iusculo sumpto, aut decocto hordei cum pauco melle rosaceo ad tria vel quatuor cochlearia. Imo si respuat ista per os assumpta, non est tantopere reformidandus, vt solent aliqui, glandium vsus ex vitello oui cum pauco sale, aut clysterum mollientium & leuiter detergentium paucâ quantitate iniectorum, ex iusculis capitis veruecis, vel alio communi, aut maluæ & seminis lini decocto, cum pauco melle rosacco, & oleo liliorum : nam maius est multò periculum ex compressione illa alui ab excrementis induratis, quàm ab emollitione, quam eiusmodi iniectiones adferre possunt. Atque hæc sunt præcipua, quibus Medicus iuuare potest prudenter prægnantes variis accidentibus affectas, ex communi & ordinariâ grauiditatis constitutione, vt supra dicebamus. Nunc videamus, quomodo sese gerere debeat, quoties grauidæ extra naturalem cursum, vt vocant, incidunt in morbos grauiores, tam chronicos, vt hydropem,maniam, paralysim,luem veneream & similes ; quam acutos,vt febrem continuam, pleuritidem, anginam & similes.

Sed antequam rem aggrediamur, scire oportet nos hic de morborum acutorum

Digitized by Google

rum & chronicorum qui prægnantibus accidere poſſunt, integrâ & peculiari curâ non agere: quoniam in immenſum excreſceret iſta tractatio,& fruſtra hic illa eſſent repetenda, quæ ſuis locis explicantur: ſed tantum inueſtigare, quomodo differat vſus magnorum remediorum diæteticorum, chirurgicorum, & pharmaceuticorum, præcipuè purgationis & venæ ſectionis in prægnantibus, quando proponuntur nobis morbis illis detentæ, qui iſta auxilia expoſcere ſuo iure & naturâ videntur.

Primò quod ad Hippocratem & Galenum ſpectat, quorum loca hac in parte diligenter expendenda, quoniam ſi quid in hiſce curationibus grauidarum actum fuerit, quod eorum ſententiæ repugnet, ſtatim & quaſi meritò Medicis exprobrari ſolet, quia in re ancipiti & periculi pleniſſimâ nihil videntur debere moliri, quod non ſit à tantis viris probatum & longo ſæculorum vſu confirmatum. Galenus igitur *comment. 3. in lib. 1. epid.* penultimâ hiſtoriâ vbi agitur de quadam muliere prægnante quæ acutâ febre laborabat, hæc habet. *Exemplum eſt rarum, prægnantem præter abortionem acutis morbis defungi. Iam illud quoque meminiſſe par eſt, fœtum trimeſtrem & quadrimeſtrem præter cæteros iniurijs reſiſtere. Qui enim minores ſunt, vincula quibus adhærent vtero, imbecilla habent, & vniuerſum corpus tenerum: qui vero prope partum, vt poſt ſextum aut ſeptimum menſem, quia iam ſunt magni, multo indigent alimento, quo ſi deſtituantur crebro in morbis acutis pereunt. Quo fit vt bonam victus rationem his præſcribere non parui ſit negotij, quando morbo acuto detinentur. Nam ſi vt non prægnantes parcè nutriæ, proditur fœtus cum periculo matris: ſin fœtus habitâ ratione liberalius illas cibes, ipſa prægnans adducitur in diſcrimen ob multitudinem excrementorum & naturæ oppreſſionem* Quibus verbis apertè ſententiam ſuam declarat, quomodo & quam cautè nos debeamus gerere in præſcribendâ grauidis diætâ, quando morbo acuto detinentur. Vt enim primis menſibus quodammodo ferre poſſunt quandam inediam & victum tenuiorem: ſic in mediis minus, in vltimis minime, propter cauſas ab eo ibi adductas: ita tamen, vt ſi in diætâ grauidarum ægrotantium aliquid peccandum vel concedendum ſit, videatur melius eſſe ad paulo pleniorem diætam, quam tenuiorem vel exquiſitam vergere: ex viribus enim vtriuſque ſperanda ſalus, tam in præſenti morbo, quam in eâ quæ ſupereſt geſtatione & futuro partu. Atque hæc paucis de diætâ.

Quod ad venæ ſectionem ſpectat, Hippocrates eam omnino prohibere videtur in grauidis *Aphoriſm. 30. ſect. 5. Mulier*, inquit, *vtero gerens, ſanguine ex venâ miſſo abortit, præcipuè ſi fœtus iam ſit grandior.* Quod aliqui interpretantur vt plurimum, & in imbecillioribus, non autem in omnibus: quemadmodum enim 31. *eiuſdem ſectionis* dixit: *mulierem grauidam ab aliquo morbo acuto corripi, lethale*: quamuis certum ſit, non omnes, ſed pleraſque in iſtis affectibus interire: ſic de phlebotomiâ intelligendum volunt. Alij audiendum malunt de largâ illâ & profuſiore ſanguinis miſſione, quam tantum putant veteribus vſitatam fuiſſe, ac proinde ratione quantitatis inferre grauidis ægrotantibus periculum, non autem ex ſe & ſi artificioſe regatur: Cellus *libro 2. cap. 10. Siquidem antiqui*, ait, *primam vltimámque ætatem ſuſtinere non poſſe hoc auxilij genus iudicabant, perſuaſerántque ſibi mulierem grauidam, quæ ita curata eſſet, aborſum eſſe facturam. Poſtea verò vſus oſtendit, nihil ex his eſſe perpetuum, aliaſque potius obſeruationes adhibendas eſſe, ad quas dirigi curantis conſilium debeat: intereſt enim non quæ ætas ſit, neque quid intus in corpore geratur, ſed quæ vires ſint conſiderare.* Nos itaque dicamus phlebotomiam prægnantibus quocunque menſe, potiſſimum verò primis, non eſſe denegandam, ſi cauſa morbi, illius ſpecies & magnitudo illam expoſcere videantur, vt in febre putridâ potiſſimum ſanguineâ, in fluxionibus phlegmonoſis, vt pleuritide, peripneumonia, & anginâ: dummodo vires ſint integræ, aut ſaltem mediocres, quarum firmitas à præſenti Medico ex pulſus conſtantiâ & reliquis explorabitur, vt pro earum modulo ea ſanguinis quantitas extrahatur, quæ exhauriendæ plethoræ, reuellendæ fluxioni, & debellando morbo ſaluis vtriuſque rebus ſufficere poſſit. Quamuis enim ex phlebotomia aliquod aborſus periculum immineat, non tamen minor ſequetur noxa, & incommodum, ſi redundante ſanguine, putreſcente in vaſis maioribus, aut in aliquam partem phlegmone tentatam fluente, cum dolore & febre vehementi, nulla adhibeatur illius vacuatio aut reuulſio, ſed totum naturæ oppreſſæ negotium committatur. Itaque in re ancipiti, qualis eſt acutus morbus in prægnante, melius eſt illud præſtare remedium quod eſt accommodatiſſimum ad eius oppugnationem, quam miſeram velut deploratam, metu virium aut aborſus ſine illo relinquere. Aphoriſmus

autem citatus, siue Hippocratis sententia facit magis ad prædictionem quam prohibitionem, vt videlicet ante vsum tanti auxilij, & tam necessarij præmoneantur a Medico affines ægrotantis, & adstantes de periculo aborsus, vt si post phlebotomiam contingat, quod sæpe fit, non reiiciatur culpa in eum, sed in morbum ipsum, cuius magnitudine coactus tale remedium vsurpauit. Imo si liberè quod sentimus, dicendum sit, melius est grauidas periclitari de aborsu in morbo acuto ob vsum phlebotomiæ, quàm illâ omnino priuari, quia facilius est & frequentius eas hoc modo euadere, quam si oppressæ causis morbificis tandem abortiant. Cum ergo redundet sæpe sanguis in prægnantibus, ita vt ad aborsus præcautionem primis mensibus sæpe sit extra alium morbum educendus & minuendus: suppetátque ad lactis copiam etiam vltimis mensibus suscitandam, non est dubium quin in prædictis casibus phlebotomiam commodè ferre possint, si non confertim, saltem per ἐπίκρασιν & partitè, vt ipse vsus & quotidiana experientia confirmauit. Quod si purgationem in grauidis concessit Hippocrates, vt postea videbimus, quando materia turget, cuius vis non est amplius in manu nostrâ posita, vbi semel assumpta fuerit, & maiorem multo excitat perturbationem in corpore quam phlebotomia: non est credibile illum eo Aphorismo voluisse sanguinis missionem in grauidis simpliciter prohibere, sed tantum admonere de periculo, cuius gratiâ conueniens prædictio est facienda, vt iam sumus interpretati. Atque hæc de venæ sectione vsurpanda in grauidis correptis acuto morbo, vel etiam longo, si rei natura id suadere videatur.

Iam de purgatione illarum agamus, de cuius vsu ita Hippocrates *Aphorism.* 1. *sect.* 4. & 29. *sect.* 5. *Grauidas purgare, si materia turgeat, conuenit quadrimestres, & ad septimum vsque mensem: grandiores verò & iuniores cauere.* Vnde misera illa periit 5. *epid.* cui catapotium ex elaterio deorsum purgans secundo mense exhibitum fuerat. Et *Aphorism.* 34. *sect.* 5. *Grauide si aluus nimium profluat, periculum est ne abortiat:* & *Aphorism.* 27. *sect.* 7. *Tenesmus in grauidâ excitat aborsum.* In quibus apparet, Hippocratem fuisse dubium & quasi anxium in præscribendâ grauidis purgatione: vbi tamen eâ opus est, vtpote in redundante cacochymiâ, per morbos humorales tam diuturnos quam acutos in quibus materia turget, concedere tribus mediis grauiditatis mensibus, quando iam robustior est fœtus, primis autem & vltimis non nisi cum cautione & metu præscribere: quia primis propter teneriora vincula facile excutitur conturbante medicamento: vltimis vero ob maturitatem & partus propinquitatem, periculum est ne acceleretur illius exitus cum vtriusque calamitate.

Verùm si in hac re sententiam nostram aperire liceat, certum est mulieribus grauidis morbo acuto vel longo detentis ex humorum excrementitiorum dominatu, purgationem præscribi posse, tam in principio morbi, quam statu & declinatione; turgente vel iam concoctâ materiâ: quotiescunque maius impendet periculum ex parte istius cacochymiæ in grauidarum corpore stabulantis, quam ex commotione aut insuauitate purgantium. Imo nullus est eorum qui hodie feliciter medicam praxim exercent, qui non illas præcautionis causâ, vt auertantur causæ morbificæ, & effectus varij quibus obnoxiæ esse solent, medicamento cathartico vacuet, non tantum benigniori, vt est rhabarbarum, myrobalani, mãna, syrupus rosatus solutiuus, catholicon, & similia; sed etiam valentiori, dummodo malignitatis sit expers; qualia sunt hodie electuaria nostra laxatiua summo iudicio composita ex eis quæ cathartico-rum acrimoniam & agitationem nimiam reprimunt. Potest itaque Medicus vtiliter & conuenienter illa vsurpare in grauidis purgationi potissimùm assuetis quocunque grauiditatis mense, securius tamen mediis, vt doctè annotauit Hippocrates. Idque per ἐπίκρασιν potius & repetitis vicibus, vt ex opiatâ laxante aut syrupo magistrali, quam subito & vehementer.

Vsus tamen pilularum in grauidis est suspectior, quam aliorum catharticorum, tum propter validam conturbationem quam inferunt, tum ratione aloës, cuius amarore ingratissimo male affici potest fœtus, & quia solet aperire orificia venarum & hæmorrhagiam excitare. Quod si eâ opus esse videatur aliquando, vt in affectibus propriis ventriculi, lauetur diligenter aquâ rosarum & similibus, vt tollatur eius acrimonia, vel permisceatur adstringentibus & roborantibus.

Idem dicas de clysteribus, quorum vsum summopere reformidant mulierculæ in prægnantibus, ob compressionem & morsum quem excitare possunt in abdomine: attamen in assuetis & quando opus fuerit, non est ita periculosus, dummodo mi-

noti

nori quantitate iniiciantur, & ex eis comparentur, quæ molliendi aut leniendi potius quam pungendi aut validè detergendi facultate prædita sunt.

Quemadmodum igitur purgatio artificiosè præscripta competere potest prægnantibus, quando res illud expoſcit in morbis longis & acutis; sic etiam præparantia & concoquentia accommodata, dummodo non præripiant conuenientem cibandi occasionem, quæ vires vtriusque conseruet: quorum ideo formulæ sub alimenti specie, quantum fieri poterit, erunt præscribendæ. Reliqua autem vacuantia per secundam & tertiam corporis regionem, qualia sunt diuretica & sudorifica, cautè erunt adhibenda: diuretica enim vera attenuandi aut detergendi facultate insigni prædita, non sunt in eis satis tuta, quia menses eodem modo quo vrinas promouere possunt, ac proinde satis erit leuiora & minus aperientia in eis vsurpare. Sudorifica tamen possunt vsurpari tutius, quia exhauriunt seroſos humores & ad circumferentiam corporis propulsant cum biliosis aliquando excrementis; sed quæ sunt moderata, & sine vllo conatu nimio & deiectione virium. Sic enim multas grauidas, in quibus erat luis venereæ suspicio, aut quarum fœtus ex patre inquinato susceptus fuerat, decocto ligni sancti, radicum chynæ, ligni sassafras aut rad. sarsæ parillæ per quadraginta dies assumpto cum diætâ conuenienti fœliciter percurauimus. Imo plurimas in quibus maior erat istius mali labes, vidimus inunctiones ex hydrargyro, aut emplastra mercuriata cum sputationibus constanter & impune sustinuisse ab Empiricis instituta. Vbi enim adsunt causæ morbificæ, aduersus quas valentioribus remediis est pugnandum, non est dubium quin natura mediocriter robusta magis leuetur ex eorum vsu, quam opprimatur: quia concurrit simul cum illis ad conflictum istum perficiendum, & post partam victoriam felicius conquiescit, quam si pessimarum illarum dispositionum insultibus ad finem vsque imprægnationis conflictetur. Quæ dicuntur à nobis, non vt semper ista imitetur Medicus, sed vt quorumdam pusillanimitatem incusemus, qui malunt miseras prægnantes & morbo afflictas omnino derelinquere, quam conuenientibus auxiliis iuuare. Iam igitur ad alia transeamus.

CAPVT III.

De mola & monstris.

NATVRAM αὐτοδιδακτὸν per se doctam propter finem certum agere docuit Philosophus, quoniam generationes rerum non fiunt casu aut fortuitò, neque ex quolibet quidlibet exoriri potest, sed ex certo & determinato principio. Quod si aliquando à proposito sibi fine aberret, id fit propter causarum concurrentium impedimenta, quibus à priore suo scopo auertitur: Vnde exurgunt errores & monstra, nempe effectus quidam illius à rectâ & solitâ secundum speciem dispositione degenerantes. Vt enim fiat monstrum, oportet similitudinem specificam non seruari cum suâ proximâ causâ principali, verbi gratia, si ex semine humano serpens, piscis, aut canis generetur, vel certè puer aliquas habens partes istorum animantium. Ista enim vera monstra existunt, quia degenerant secundum similitudinem specificam: quamuis multa alia latiore significatione monstra dicantur, vt quæ respectu materiæ deficientis vel exuperantis nascuntur sine brachiis, aut duplici capite: quæ ratione qualitatis, situs & ordinis habent aliquas partes malè collocatas vel conformatas. Quotiescunque igitur causæ ad generationem putà hominis, de qua nobis est hîc propositum agere, necessariæ, vt semen vtriusque parentis, materia ipsa ex quâ debet fieri fœtus, nempe sanguis menstruus, locus in quo generatur, nempe vterus, & omnia externa ad illam conferentia, vt cœlorum aspectus, aëris ambientis qualitates, materna imaginatio, & similia non fuerint ritè disposita, aut non seruarint conuenientem proportionem inter se, tunc sequitur defectus siue error in generatione, qui pro varietate multiplici varias etiam monstrorum differentias constituit.

In specie igitur humanâ ea omnia vocamus monstra, quæ in vtero muliebri genita ad animantis alterius speciem & naturam accedenti, aut partibus quibusdam excedentia

excedentia vel deficientia, ſenſum & motum voluntarium habent, aut habere poterunt. Quæ verò rudia ſunt & informia, nullis diſtincta membris, ſed inſtar globi alicuius & molis carnoſæ efficta, molas appellarunt. Quamuis enim multi illud molæ nomen extendant ad quaſcunque eleuationes vteri muliebris, ſiue ſint à flatu & aquis in eius cauitate contentis, ſeu à tumore quocumque ſcirrhoſo, vel carnoſo illius ſubſtantiam occupante: attamen certum eſt illos affectus aliam longè habere naturam & diſpoſitionem ab eo qui verè & propriè mola & μυλὴ appellatur, per quamdam ſimilitudinem cum molis illis verſatilibus piſtrinorum, quibus frumenta & alia conteruntur. Vnde Heſychius μυλόσαρκα vocat, veteres moluerum.

Relictâ igitur monſtrorum longiore tractatione, vt quæ parum ad inſtitutum noſtrum faciant, & quia eorum curatio, ſi quæ contigerit, ad molæ ſublationem facile referri poſſit: ideo molæ explicationem à definitione exordiamur, dicentes, molam eſſe diſpoſitionem præter naturam in vtero muliebri, ob genitam in eius cauitate ſubſtantiam carnoſam, rudem & informem, ex imbecilliore ſemine virili & nimia ſanguinis quantitate, quæ ramificationibus quibuſdam prædita, & membranis inuoluta, incrementum ſuſcipit, palpitat & grauiditatem veram in principio æmulatur: tandem verò grauiſſima & moleſtiſſima infert ſymptomata.

Hac deſcriptione ea omnia videmur complecti, quæcumque ad naturam & cauſas iſtius affectus intelligendas requiruntur. Nam dum dicimus eſſe diſpoſitionem præter naturam, denotamus molæ generationem eſſe præter intentum naturæ, quæ ex vitio ſeu neceſſitate materiæ illud generat quod poteſt, ac proinde cum deficiat à ſuo naturali opere, autor eſt ex accidenti morboſæ illius & periculoſæ conſtitutionis, quam molam appellamus: quæ reuera nihil aliud eſt, quam numerus partis auctus præter naturam cum obſtructione, propter inſignem illam carnis quantitatem in vteri muliebris cauo progenitam, non autem in illius ſubſtantiâ, & poris propriis, vt diſtinguatur ab omni tumore præter naturam qui vterum obſidere poteſt, & omni aliâ ingrauidatione falsâ ſeu molâ impropriè dictâ, quæ à flatu, aquoſitatibus, vel collectionibus purulentis ſuſcitari poteſt: quod imprimis accuratè eſt annotandum. Quæque dicitur in vtero mulieris genita, quoniam rarò aut nuſquam in vtero aliarum animantium produci ſolet, quia carent menſtruis purgationibus, neque tantam habent ſuperflui ſanguinis copiam, vt ex eâ fieri poſſit mola, nec tam frequenti coitu vtuntur, ex quo maxima ſemini imbecillitas conciliatur. Quod enim de vrsâ narrant, aut eſt fabuloſum, aut quia pituita quædam mucoſa fœtui adhæreſcit, quam lambendo aufert, & ſic effingi à multis exiſtimatur illius fœtus.

Potiſſima igitur molæ generatio pendet ex imbecillitate ſeminis vtriuſque, præcipuè virilis, quod non poteſt dominari & regere nimiam ſanguinis quantitatem in vterum effuſam, ſed poſt inchoata generationis rudimenta, nempe vaſorum quaſdam ramificationes ad nutritionem, tunicas & inuolucra veluti obrutum concidit, & ſuperatur à multitudine materiæ, quæ deinceps in rudem illam & indigeſtam carnis molem faceſſit, aliquando vnicam, alias plures, prout diuiſa eſt in varias vteri partes, illi firmiter adhærentes inſtar piſcis illius quem polypum vocant, aut certe ſimillimas illi, quem raiam aſteriam & clauatam dicunt.

Eſt igitur inſignis hic illa controuerſia paucis agitanda, qua quæritur vtrum mola ſine virili ſemine & congreſſu in mulieribus generari poſſit. Nulla enim eſt ferè maioris momẽti ad pudicitiam vel impudicitiam fœminarum accuſandam vel propugnandam, nec de quâ maior ſit inter authores noſtros diſcrepantia. Plinius enim *lib.* 10. *cap.* 64. imo ipſe Auicennas, Paulus & Aëtius exiſtimant molam, id eſt, carneam quandam & rudem ſubſtantiam ex affuſione ſanguinis in vtero generari poſſe, vel à ſolo vteri calore aſſante & coagulante iſtum ſanguinem, vt contingit in multis aliis corporis noſtri partibus, quæ ὑπερσαρκώσεις frequenter patiuntur: vel concurrente muliebri ſemine, cui velut coagulo huiuſce humoris imperfectam iſtam actionem tribui poſſe aſſeuerant. Galenus etenim *lib.* 14. *de vſu partium*, vbi agit ferè ex profeſſo de molæ iſtius generatione, dicit eam reſpondere ouis gallinarum ſubuentaneis, quæ nullam habent generandi vim, & ſine galli congreſſu producuntur. Verum iſta ſententia nobis placere non poteſt; primò quia repugnat authoritati Hippocratis *lib.* 2. γυναικείων: ſecundò quia aduerſatur experientiæ; quotidianus enim rerum euentus oſtendit iſtas molas non in virginibus & caſtitatem ſeruantibus fœminis contingere, ſed in illis quæ viro coniunctæ ſunt, aut quocunque modo virili fruuntur concubitu, imo plerunque iſtas molas eſſe coniunctas cum

vero

vero fœtu, ita vt falſam imprægnationem repræſentent, errorem in computando tempore partus producant, & magnum fœtæ & fœtui periculum difficultatémque in pariendo inferant. Vnde fit etiam vt apud Gordonium mola dicatur *frater Lombardorum*, quia mulieres Lombardicæ valde erant obnoxiæ generationi molæ aut monſtri cum fœtu. Quod ſi ſolus ſanguis vteri calore condenſatus, vel ſaltem muliebri ſemini cõiunctus ſufficeret ad molam producendam, certè frequens eſſet & pene ordinaria illius generatio in illis, quibus menſes ſupprimuntur, in puellis nubilibus aut viduis alacrioribus, quibus vtriuſque copia ſuppetit: quod tamen non contingit, niſi in illis, quæ ſuſpectæ ſunt pudicitiæ.

Repugnat etiam rationi iſta ſententia: quoniam ſanguis effuſus in vterum, cum ſit extrauaſatus, niſi regatur ab aliquo efficiente & dirigente, eſt omnino extra naturæ regimen, vnde grumeſcere, vel putreſcere & inflammari ſolet, non autem formari & effingi in certam molem, quæ deinceps nutriatur & paulatim accreſcat. Quod enim de ὑπερσαρκώσει aliarum partium, excreſcentiis carnoſis & fungoſis aut tumoribus præter naturam dicitur, non eſt par ratio: quia materia iſtarum ὑπερσαρκώσεων, & tumorum non extrauaſatur aut emittitur omnino in cauitatem partis, ſed ex poris ipſis erumpens per modum nutritionis, quamuis vitioſæ, faceſſit in eiuſmodi ſuperfluas eleuationes: quod etiam in vtero contingere poſſe fatemur, ſed non ideo veram iſtam molam conſtituere, de quâ nunc eſt quæſtio, verum tumores præter naturam carnoſos aut fungoſos, atheromata, ſteatomata, & ſimilia, quorum diſpar eſt omnino natura & ſpecies. Quod ſi dicas, iſtum ſanguinem in vteri cauitatem effuſum regi & effingi in molam ſeu corpus ἡμίζωον, vitâ tantum plantæ præditum, à ſemine muliebri, cui iſta imperfecta actio tribui poteſt, quandoquidem illud ad perfectam generationem efficienter concurrere concedunt Medici. Reſpondemus, ſemen quidem muliebre quamdam efficiendi vim habere virili coniunctum ad fœtum producendum: ſolum autem nihil poſſe, ne ad imperfectam quidem generationem, quandoquidem effuſum extra vaſa fœminarum ſpermatica, vt contingit aliquando per nocturnas illas pollutiones, aut titillationes partium genitalium, non retinetur in cauitate vteri, ſed effluit & eiicitur foras, quia tunc nulla ſit vteri contractio vt in ſuſceptione virilis ſeminis, ad cuius velut gratiſſimi hoſpitis aduentum matrix ſeſe colligit, & vtrumque geſtiens in interiori ſinu ſuo recondit, vt poſtea fiat conceptus. Adde quod finalis cauſa deficit, propter quam natura operari ſolet, quia à ſolo ſemine muliebri non poteſt conſequi perfectam generationem, ideo negligit eiuſmodi effuſiones ſeminis muliebris, & ex eo ne inchoat quidem. Sed nonne etiam in omni actione debet eſſe quædam diſſimilitudo vel contrarietas? Itaque à ſolo muliebri ſemine velut omnino ſimili, non poteſt inchoari aut perfici illa actio. Non valet igitur illa ſimilitudo ouorum, quæ à gallinis ſine galli congreſſu producuntur: quoniam gallinæ à gallis non materiam quamdam ſpermaticam recipiunt vt oua generent, ſed vim tantum ſeu ſpiritum genitalem, quo perfuſæ ouis eamdem communicant vt fœcunda eſſe poſſint: mulieres verò contra, & omnia animantia viuipara ex permiſtione ſeminum ſolent conceptus ſuos efformare. Galenus itaque illâ comparatione vſus eſt ad rem potius illuſtrandam, quam vt contrarium huic doctrinæ quicquam ſuaderet. Iam ad alia tranſeamus.

Diximus itaque in noſtrâ definitione, ſubſtantiam iſtam carnoſam rudem eſſe & informem, ſi comparetur cum vero fœtu; attamen partium quarumdam habere delineationes, vt tunicas, ligamenta, & ramificationes vaſorum, quibus adhærens vtero trahit alimentum, & accreſcit aliquando in immenſam molem, inſtar ζωοφύτου ſeu plantanimalis dictæ, quæ præter vegetantem illam animæ vim, motu etiam quodam palpitante ſeu dilatationis & contractionis prædita eſt, quo nomine maximè mentitur veram imprægnationem, & ancipites ac dubios reddit diu contemplantium animos, donec ingraueſcant grauiora illa ſymptomata, quibus manifeſtè diſtinguitur à vero & germano fœtu, vt poſtea dicemus.

Cauſæ igitur quibus eiuſmodi irrita & inutilis in vtero ſubſtantia gignitur, poſſunt conſiderari ex parte rerum naturalium, non naturalium & præter naturam, vt in reliquis affectibus morboſis. Idque primum ratione viri ipſius, quatenus ſemen morboſum aut ſaltem imbecillius generationi præſtat, vt quoties eſt iam effœtus & ſeneſcens, vel etiam tenerior adhuc & iuuenculus, aut naturæ deli-

catioris, & infirmioris valetudinis quam par sit ad rem veneream gnauiter exercendam : quoties etiam ob errores externos corrumpitur vis genitalis seminis, vt in illis qui crapulæ addicti sunt : qui nimio & intempestiuo concubitu euertunt caloris natiui robur, nec sinunt materiam seminalem debitè in testibus confici: qui ob immoderatos labores aut morbos acutos vel diuturnos , præcipuè vero gonorrhœas inueteratas , totum habent corpus languidum , & quasi effœminatum. Quod eodem modo in fœminis contingere potest ratione proprij seminis, quod in generatione præstare debent. At verò præcipuè respectu ipsius sanguinis menstrui , qui si substantiâ , quantitate , motu nimio & subitaneo post concubitum vel quantitate peccet , maximam & potissimam præstat occasionem molæ in vtero producendæ , vt supra dicebamus. Nam substantia menstrui corrupta, vel maligna , ichorosa , saniosa , aut putris obtundit aut saltem reprimit ἐνέργειαν spiritus illius, qui artifex est primarius generationis nostræ : vnde contingit imperfectum illud & quasi portentosum opus ex materiæ ipsius vitio. Nimia quantitas menstruorum , ex Aristotele 4. *de generat. animal.* idem præstat : quo fit vt videamus plerumque mulieres πολυαίμους & πολυσάρκους obnoxias esse generationi molæ , & eas quæ imminentibus aut fluentibus mensibus auidius concumbunt, quando scilicet vterus humore illo superfluo redundat , aut citius quam par est confluit ad seminis nutritionem post concubitum. Est apud Hippocratem 5. *epidem.* insignis historia vxoris cuiusdam Gorgiæ , cui cum per aliquot annos suppressa fuisset menstrua purgatio , tandem cum multo & copioso sanguine proiecit molam & sanata est , quam ibi genitam fuisse ob copiam materiæ retentæ & semini imbecilliori coniunctæ credibile est. Ratione item qualitatis menstrui, erediderim ego facilè calidiorem iusto & quasi feruidum sanguinem , aut crassiorem & viscidiorem , quamuis non multum quantitate luxuriet , aptissimum esse ad efformandas istas molas, quia calidior absumit benignum humorem seminis, & spiritus dissipat : crassior aut viscidior suffocat illius vim , nec potest ita facilè regi , vt in varias partes & figuras efformetur , quæ ad perfecti fœtus generationem requiruntur. Quæ sint autem causæ istarum omnium rerum , propter quas sanguis ille maternus corrumpitur in suâ origine , quæ ἀιμάτων respicit , vel permixtione alienâ , aut in ipso vtero ob peculiares δυσκρασίας , malas conformationes , aut obstructiones ibi genitas labefactetur , facile erit vnicuique ex censu illo & enumeratione ordinariâ , vel præcedentibus nostris tractationibus repetere. Nunc ergo ad affectus istius διαγνώσεως veniamus.

Nullus est affectus , qui maiorem Medico difficultatem in διαγνώσει , necnon aliquando dedecus aut gloriam afferat , quam propositus molæ affectus : quia potest æmulari veros partus , hydropes vteri , tumores , aut obstructiones illius insignes cum suppressâ muliebri purgatione. Ideo cautè admodum & solerter hic progrediendum , non solum ob consimiles istos affectus , à quibus est distinguenda mola ; sed etiam quia cum illis sæpe complicari solet , & simul cum partu , hydrope vteri , tumoribus , & obstructionibus illius mulierculas infestare. In principio igitur generationis molæ , vix est possibile illam secernere à vero partu propter affinitatem symptomatum , vt docet Hippocrates 1. γυναικείων. Nam & decolor fit mulier , & horrores infestant , & menses retinentur ob clausum vteri orificium , cæteraque eiusmodi apparent initio , quæ veram mentiuntur grauiditatem. Progressu autem temporis , vt circa tertium mensem , tria habet potissima & quasi χαρακτηριστικὰ Hippocrates , quibus molam esse in vtero deprehendit. Primum est ab ipso motu , nam mola vel non mouetur omnino circa tertium vel quartum mensem , vt verus fœtus , sed instar lapidis aut rei inanimatæ conuertitur simul cum corpore muliebri in hoc vel illud latus cum insigni pondere & grauitatis sensu , aliquando etiam pungenti dolore , quo nomine distinguitur ab vteri hydrope & aliis tumoribus præter naturam , qui huic vel illi parti magis adhærent : aut si moueatur , mouetur tremulo quodam & palpitante motu , ratione constrictionis & dilatationis , vt contingit in ζωοφύτοις multis , non autem in omnem situm,& partium differentiam , vt solet fœtus , cuius agitatio velut circularis ab imo ad summum percipitur. Secundum signum repetit Hippoc.ex ipsâ plenitudinis vteri mole & figurâ;nam vbi iam intumescere incipit venter,ex molæ incremento dilatatur in omnem dimensionem , fere æqualiter, cum ex fœtu acuminetur potius versus vmbilicum , coarctatis molliter lateribus , & si quis contrectet hypogastrij regionem diligenter,animaduertet in molâ nullam esse

partium

partium distinctionem, sed velut globum quemdam, versus vteri & lumborum inferiorem partem positum. Tertium denique signum principale petitur ex ipso lacte; nam in grauidis ex vero fœtu, solet natura de illius nutritione sollicita transmittere circa quartum mensem sanguinis optimi copiam in mammas, vt ibi concoquatur, & in lactis naturam face flat, ac tanquam in penu asseruetur donec infans ex vtero prodierit. At in molæ generatione quamuis intumescant mammæ, non gignitur tamen lac, saltem verum & legitimum; sed cruda manet illa materia, & tandem euanescit: quia scilicet calor natiuus debilis factus in mammis per sympathiam vteri, & quasi reuocatus negligit concoctionem humoris illius, cuius nulla deinceps futura est vtilitas. Progrediente magis tempore tanta mulierem molâ laborantem infestant symptomata, si quidem infirmior fuerit, vt vix ab eis respirare possit, languescentibus omnibus functionibus naturalibus, vitalibus, & animalibus; sin verò robustior, exurgit natura summo impetu ad excludendam istam molestiam cum perpetuo expellendi desiderio, & doloribus dorsi atque inguinum: Vnde eruptiones apparere solent frequentes sanguinis atri & impuri, aliquando frustulorum carnis, si incipiat dissolui mola cum febre, dolore, & similibus, ad quæ tandem sequitur exclusio informis illius, & inutilis substantiæ, si quidem in plures partes diuisa fuerit, minúsque vtero adhærescat. Vbi verò irritus est iste naturæ conatus, molâque grandior & globosa siue vnita firmiter cum suis ligamentis in cauitate matricis stabulatur tunc elapso, partus legitimi tempore, durat ad duodecim vel tredecim vsque menses, aliquando ad tres vel plures annos, ac sæpe fœminam variè cruciatam è medio tollit. Maior est difficultas dignoscendi molam quando complicatur cum fœtu, cum hydrope, tumoribus, & similibus: quoniam ex permixtione signorum valde anceps cognitio illius exurgit. Est tamen ex solerti eorum omnium consideratione, expiscanda *διάγνωσις*, & quantum fieri poterit, ad vsum artis reuocanda.

Quod ad PROGNOSIN; pauca ex Hippocrate ipso *in libro nuper citato, & lib. de sterilibus*, proponemus: molam scilicet perpetuò affectum esse periculosum, quia insignem affert vtero obstructionem, totique corpori noxam, ob refluxum excrementorum ad partes nutritioni dicatas, quibus naturalis œconomia peruertitur. Periculosior verò multo, si vnica sit caro, quia, vt dicebamus, ex eâ frequentissimè mulieres pereunt, tum quia non possunt eam excludere, sicque infinitis exercentur malis donec moriantur: tum quia in illius exclusione periculum est ne intereant ob insignem diuulsionem, dolorémque istarum partium, atque hæmorrhagiam superuenientem. Vbi in plures diuisa est particulas, sæpius tertio vel quarto mense eiici solet, dum scilicet est mollis, cum noxâ tamen & insigni labore, quia maximum naturæ conatum ad illius exclusionem, præcipuè vero tunicarum & ligamentorum quibus annectitur, intercedere oportet. Si fœtui coniungatur, vt plurimùm ab illâ interimitur: si ei complicetur hydrops vel subsequatur, vix euadere potest mulier, duobus hisce crudelissimis affectibus occupata. Iam igitur videamus, quibus morbum istum auxiliis expugnare possimus.

Vbi primùm molam in vtero genitam esse cognouerimus, non est cunctandum in curatione, priusquam augeatur magis, vel radices in vtero firmiores agat. Ideo suppositâ victus ratione conuenienti, quæ fœminæ vires sustentet, si imbecillior sit; aut quæ excrementa, & ipsam sanguinis multitudinem minuat, si sit cacochyma vel plethorica, omni arte ad istius ponderis & rei inutilis sublationem erit incumbendum remediis tam chirurgicis quam pharmaceuticis, quorum rationem repetere licet ex capite de suppressis mensibus prouocandis, & capite de iuuando partu, seu propellendo fœtu mortuo extra vterum, de quo deinde acturi sumus.

Clarioris tamen doctrinæ gratiâ pauca subnectamus, quibus præcipuè huius affectus *διαγνώσιν* instituere licebit. Cum igitur Medicus naturæ sit minister, & imitator in illis motibus quos salubriter instituit, ideo quoniam experientiâ constat, multas mulieres hisce affectibus liberatas fuisse insigni diarrhœâ, dysenteriâ, & hæmorrhagiâ vterinâ sponte superueniente, oportet etiam eadem methodo progredi in illis quæ destituuntur isto auxilio naturali. Ac proinde purgantia accommodata satisque valida, aperientia, detergentia, & emollientia erunt vsurpanda, tam sumpta quam admota, variis formis, vt totum corpus exinaniatur, viæ referentur, & excrementa attenuentur atque agitentur sufficienter, sicque per consequutionem quamdam natura impellatur ad depulsionem oneris istius.

Præſcribantur igitur potiones purgantes; balnea naturalia ſeu thermæ potu & balneo valde proſunt detergendo, molliendo, & aperiendo: apozemata incidentia, pulueres diuretici & menſium prouocatiui, clyſteres acriores, peſſaria irritantia, fotus, balnea, & linimenta mollientia & aluum ſubducentia, quorum longiorem catalogum hîc denuò recenſere ſuperfluum eſſet: Inter alia autem commendat Hippocrates *lib.* 1. γυναικείων, fotum & clyſterem ex radicibus ariſtolochiæ, mercuriali, cum aliis emollientibus & detergentibus: peſſarium ex elaterio, decoctum dictamni cretici frequenter exhibitum, caſtorei puluerem, & cucurbitulas circa lumbos & latera ventris, aliáſque vicinas partes adhibitas, quibus ſcilicet deturbetur & quaſi auellatur mola iſta interius deliteſcens. Laudat etiam ſanguinis miſſionem copioſiorem, ſi quidem vires conſtent. Vt enim mulier vero fœtu grauida ſanguine emiſſo abortire ſolet, ſic etiam veriſimile eſt in iſto conceptu naturam defraudatam humoris copiâ quâ alitur mola, ſollicitari ad eius expulſionem.

Attamen ſi diuturniorem illius in vtero moram reformidemus, in muliere potiſſimum exangui aut minus ſanguineâ, multò erit conſultius venas inferiores, vt poplitis aut tali, ſecare, quibus attrahitur materia verſus inferiora, ſicut menſes euocari ſolent; quam venas cubiti, quibus ſola plethora tollitur, viréſque exhauriuntur. Adde, quod ſæpe accidat, vt poſt excretionem molæ diſruptis violenter vteri vaſis, ſanguis immoderatè profluat, ita vt non ſolum cucurbitulis, frictionibus, & vinculis ſuperiorum partium dolorificis opus ſit ad hæmorrhagiam ſiſtendam, ſed etiam phlebotomiâ iſtâ brachij ad reuulſionem.

His ita per aliquod tempus tentatis, vt commoueatur & quaſi concutiatur mola in vtero latitans, ſi quidem nulla ſit ſpes exitus illius, aut fruſtula quædam excreta fuerint, reliquis intus morantibus cum magno naturæ incommodo: volunt authores noſtri, vt veniamus ad chirurgiam illam, quam veteres μοκλείαν appellabant, quæ inſtrumentis & maiore artificio perficitur, antequam vires magis debilitentur. Collocatâ conuenienter fœminâ, vteróque per διωρυχὴν dilatato, vel ſolâ manu Chirurgi peritioris, vel adhibitis laqueis, & vinculis, aut etiam organis illis extractoriis quæ in fœtu demortuo auellendo vſurpantur, & à gryphij pedis ſimilitudine nomen traxerunt, comprehendi debet artificiosè & extrahi, quam minimâ fieri poterit mulieris & vteri noxâ: ſæpius enim ſuccedunt ingentes hæmorrhagiæ, dilacerationes partium, vlcera & putrilagines, quibus omnibus mederi conueniet pro ſingulorum differentiâ & cauſis, vt rurſum in puerperio dicemus.

Sunt qui poſt excretum vnum aut alterum molæ fruſtulum, aperto ſcilicet vtero exiſtiment putrefacientibus & ſuppurantibus reliquias eſſe molliendas, & in ſaniem conuertendas, vt ſponte ſua deinceps effluere valeant. Verum res eſt periculi pleniſſima, ex tantâ corruptelâ in vtero ſuſcitatâ, & in materiâ rebelli, vix fieri poteſt, quin fœmina febre, lipothymiâ, doloribus aut conuulſione tandem correpta intereat. Aut ſi tantam malorum tempeſtatem euadat, quin incidat in carcinoma aut ſæuiſſimum aliquod vlcus vterinum, ex quo deinceps neceſſariò multis cruciata affectibus contabeſcat. Melius eſt itaque vel totum naturæ negotium committere, quæ expellat reliquias iſtius molæ paulatim, aut exſiccet intus & induret: vel certè vti exſiccantibus & detergentibus, quæ illud tandem abſumere valeant. Ac proinde opus eſt magnâ Medici, cui talis caſus proponitur, ſedulitate & prudentiâ, ne quicquam in ægrotantis incommodum aut artis opprobrium committatur.

Vbi igitur contigerit mulierem bono aliquo fato, propriæ ſcilicet naturæ aut artis operâ peſſimum hunc morbum euaſiſſe, deinceps curandum eſt ſedulò, ne incurrat iſtos inutiles & damnoſos conceptus. Quod fiet ſi omnium illarum cauſarum diligenter euitandarum rationem habuerit, quas nos ſupra proponebamus. Inter quas præcipuum eſt ne concũbat inſtantibus aut fluentibus adhuc menſtruis, ſed benè repurgato vtero ab omni ſorditie excrementorum, quorum copiâ obruitur ſeminis τρίγωνα. Debet etiam rarus eſſe vtriuſque concubitus, vt redintegratis viribus, & bene elaboratâ genitura opus illud aggrediatur commodè. Denique ſi vterus intemperatior aut obſtructionibus obnoxius huic rei aliquam occaſionem præbere videatur, ceſſent per aliquod tempus, omniáque in meliorem omnino ſtatum reducantur, priuſquam ad nouam generationem accedant. Idem dicas de monſtris, in quibus etiam auertendis maximè cauendum ab imaginatione alienâ & præpoſterâ, quæ præcipuum hac in parte effectum habere creditur. Nos verò ad alia tranſeamus.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT IV.

De ſuperfœtatione & gemellis.

VNo eodemque capite dicturi ſumus de gemellis & ſuperfœtatione, quoniam in eo tantum differunt, quod per gemellos audimus conceptionem duorum vel plurium fœtuum vnico coitu, & ex vnico ſemine procreatorum: per ſuperfœtationem verò ſeu ἐπικύησιν conceptum variorum fœtuum ſimul quidem in vtero contentorum, ſed variis & diuerſis congreſſibus genitorum, ac proinde neque eiſdem inuolucris comprehenſorum, nec eodem tempore, vt vitales eſſe poſſint, perfectorum. Ad clariorem huius rei intelligentiam, ſciendum eſt vterum in mulieribus ita fuiſſe à naturâ comparatum, vt cauitatem habeat mediâ quadam lineâ diſtinctam, futuræ quæ in ſcroto apparet perſimilem, cuius beneficio vterus in duas quaſi partes diuiditur, dextram & ſiniſtram vocat Hippocrates, dum vult *Aphoriſmo quadrageſimo octauo ſectionis quintæ*, in dextro mares, fœminas in ſiniſtro vteri latere magis contineri: & ex *Aphor.* 38. *ſect.* 5. vtrique lateri vtramque mammam è directo poſitam reſpondere.

Hinc fit, vt quoties muliebre ſemen cum virili coniunctum ſemel aut pluribus vicibus in eodem congreſſu eiaculatum ita in partes diuiditur, vt illæ ſufficiant ad perfectam generationem variorum fœtuum, delineationem ſcilicet partium principum & ſpermaticarum, tunicarum quibus inuoluuntur, conſtitutionem, alimenti materni attractionem & aſſimilationem: tunc oriantur gemelli duo vel plures eiuſdem vel diuerſi ſexus pro variâ ſeminis illius diſpoſitione, & prout plus minus coniuncti ſunt & propinqui, eiſdem inuolucris vel diuerſis contenti, ſuis tamen & propriis ſinguli vaſis vmbilicalibus donati, per quæ conuenientem ſibi vnuſquiſque alimoniam ad incrementum & perfectionem neceſſariam attrahunt: atque ſi vterus ſit capax & validus, ligamenta quibus annectantur robuſta, nutritio omnium ſufficiens, vt ad naturalem vſque & conſuetum partus terminum in illo manere poſſint, fit ſæpe de duobus, aliquando de pluribus (ſi hiſtoriæ fides ſit adhibenda) ad prodigium vſque auctis, vt omnes vitales aliquando diu, aliàs ad certum ſaltem tempus euadant. Sæpe tamen aborſus eorum contingunt quando ſunt numeroſiores, quia nimis diſtendunt matricem & iuſtum nutrimentum obtinere nequeunt: vel quando ex inæquali ſeminis materiâ geniti, alij aliis infirmiores exiſtunt, aut etiam cum informi molâ, vel abſurdis conceptibus coniuncti, quod ſæpe contingit. Imo obſeruatum eſt, geminos diuerſi ſexus raro eſſe vitales propter inæqualitatem ſeminis, ex quo producti ſunt, varietatem incrementi, motus & perfectionis, quæ impedit ne ſimul commodè in vtero geſtari, aut ex eo fœliciter erumpere poſſint. Atque hæc eſt ratio generationis gemellorum.

Superfœtationis autem modus paulò obſcurior videtur, quam ideo multi inficiari auſi ſunt multis rationibus. Primò authoritate Hippocratis moti *Aphoriſmo quinquageſimo primo ſectionis quintæ*, quo vult in grauidis os vteri ita clauſum eſſe, vt nihil deinceps admittere poſſit, cui adſtipulatur experientia: nullum enim eſt validius imprægnationis ſignum, quam ſi tangente obſtetrice illud orificium indolenter coarctatum ſentiatur & conniueat: tunc enim illas in vtero habere certiſſimum eſt. Ratio etiam id perſuadet, quia retentricis facultatis munus tunc maximè exercetur, quando aliquid adeſt in aliquâ parte officiali, quod vel coquendum, vel perficiendum proponitur. Ac proinde cum allecto ſemine virili, permixtoque cum muliebri vterus maximè delectetur, tum ratione ſympathiæ, tum etiam finis, nempe conceptus perficiendi cauſa: hinc etiam ſequitur illum quantum fieri maxime poteſt, retentioni ſeminalis materiæ incumbere contractis fibris, & oſculo clauſo, per quod communes illius vacuationes perficiuntur. Vnde videmus naturam de conſeruatione ſpeciei ſollicitam, vt conceptus in vtero commodius exerceretur, neque irruente materiæ copiâ in venas illas interiores impediretur, quod in plethoricis & cacochymis mulierculis ſæpius contingere po-

Digitized by Google

terat, aliam viam inſtituiſſe, nempe venas in collum matricis deſinentes, quibus prægnantes expurgare poſſint redundantes humores, ſi opus ſit, ſine vllo fœtus detrimento aut apertione orificij iſtius matricis.

Quibus poſitis videtur non poſſe dari ſuperfœtatio, quia oporteret poſt primum conceptum de nouo orificium illud aperiri ad nouum ſemen recipiendum, quod non fieret ſine aborſus periculo, relaxatis vteri lateribus, & aperto eiuſmodi meatu. Adde quod cum vterus muliebris non ſeptem aut pluribus cellulis, vt quidam Iureconſulti & imperiti Anatomici exiſtimarunt; ſed vnicâ cauitate per mediam tantum lineam diuiſa, donatus ſit, vbi ſemel prior fœtus in vtero vaſis ſuis vmbilicalibus ſuſceperit orificia venarum & arteriarum quibus cotyledones conſtituuntur, non videtur deinceps ſupereſſe aliquid nouo ſemini, quo alimentum ad ſui nutritionem & incrementum recipere poſſit. Præterea prior fœtus iam grandior vteri ſpatia occupans, impediet ne alter ibi accreſcere poſſit: aut ſi incrementum ſuſcipiat, ob compreſſionem & diſtentionem nimiam inferioris vteri partis; vterque foras ante iuſtum partus terminum excutietur, iſque ſemper prior excludetur, qui poſterior ingreſſus fuerit, vt limini propinquior. Et ſic nullus per ſuperfœtationem fœtus integer & numeris ſuis abſolutus edi poterit.

His & ſimilibus rationibus ſuperfœtationem in humanâ ſpecie impoſſibilem eſſe probari pote ſt, quam vt nos raram certè ac perdifficilem eſſe concedimus, non tamen omnino abnegandam cenſemus, ipſius etiam Hippocratis authoritate moti, qui libello huic rei dicato ſuperfœtationem aliquando fieri exiſtimat, idque confirmat, *lib.* 5. *epidem.* hiſtoria cuiuſdam mulieris Lariſſæ, vt omittam celebrem Alcmenæ partum, quæ, vt ait Plautus, *Hodie illa pariet filios geminos*, nempe Herculem & Iphiclum, *eorum Amphitryonà alter eſt, alter Ioui. Alter decimo poſt menſe naſcitur puer, quàm ſeminatus eſt, alter menſe ſeptimo*: & alia multa exempla quæ recenſet Plinius *libro* 10. *capite* 63. vt manifeſtum ſit eiuſmodi conceptus qui ſuperfœtationem ſequuntur, plerumque à veteribus fuiſſe obſeruatos, vt etiam ab Ariſtotele 7. *de hiſtor. animal. capite quarto*, vbi narrat de quadam ancillâ Proconneſiâ, quæ eiuſdem diei cotu duplici, alterum fœtum domino ſimilem, alterum procuratori eius edidit.

Clauditur quidem orificium vteri in mulieribus, vbi primum conceperunt. Attamen non eſt credibile, quin in maiori voluptatis ſenſu, quando fœmina prægnans marem admittit vel gratiorem vel libidinoſiorem, quemadmodum ventriculus quamuis plenus ad ſapidiorem cibum vel potum, ſic vterus laſciuiâ iſtâ excitatus aperiri poſſit ad nouam huius ſeminis ſuſceptionem, & ſic aliquando alium conceptum perficere, quem ſuperfœtationem vocant. Neque enim ad quamcunque vteri apertionem conſequitur ſtatim aborſus, ſiue expulſio concepti fœtus, vt patet ſæpiſſimè in geminis, quorum alter aborſu excutietur, altero interius ad maturitatem vſque & conſuetum terminum remanente, quod agnouit Hippocrates *Aphoriſmo* 38. *ſectionis* 5. Si tamen ſalutaris debeat eſſe iſta ſuperfœtatio ſeu vitalis fœtus qui per illam concipitur, oportet eam contingere à primo primi conceptus die ad quadrageſimum aut circiter, antequam prior fœtus magnum in vtero ſpatium obtineat, vel omnes venarum & arteriarum vteri propagines occuparit ad ſuſcipiendum alimentum neceſſarias. Tunc enim cum prior fœtus exiguæ ſit admodum molis, & motus expers, facile erit ſuperuenienti ſemini ſpatium reperire idoneum, quemadmodum in gemellis contingit, & ſua ibi vaſa adipiſci, quibus ſimiliter nutriatur. Aliàs ſi poſt tertium vel quartum menſem contingat, excitabitur aborſus, vel vtriuſque, vel certè illius qui nouiſſimè vterum ingreſſus fuerit, ac proinde ſine vllâ cellularum in vtero multitudine, non eſt omnino abſurdum aliquando & geminos, pluresue fœtus, aut etiam ſuperfœtationes, primo potiſſimum poſt primam imprægnationem menſe, contingere, quod in Ægypto frequentiſſimum eſſe teſtantur Herodotus & Diodorus.

Iam igitur videamus quid ad vſum medicum ex iſtâ gemellorum & ſuperfœtationis contemplatione exoriri poſſit. Cum enim cauſæ iſtorum affectuum ex dictis abunde pateant, non eſt dubium quin ſæpe Medicus conſuli poſſit de diagnoſi & prognoſi vtriuſque. Intereſt enim multum ſcire, vtrum fœmina vnicum vel plures fœtus in vtero habeat: vtrum euaſura ſit ex eiuſmodi partu, vel ex eo periclitetur, tam ad regimen illius ſtatuendum, quam præcauenda infinita pericula, aut ſalrem lenienda grauiſſima ſymptomata, quibus per iſtos conceptus

alacriter

Digitized by Google

infestatur. Ad erigendum etiam matris animum in partu, vt post vnius enixum; alacriter alterius etiam vel aliorum exitum sustineat, sine vllo tumultu, aut adstantium iam præmonitorum trepidatione.

Quod ad διάγνωσιν itaque spectat. Non est dubium quin duo vel plures in vtero fœtus, siue sint in vno eodemque latere, seu in vtroque collocati, maiorem multo molem, quando iam incrementum susceperunt, exhibeant, quam si vnicus ibi habeatur, quæ moles siue magnitudo non erit omnino æquabilis & continua, vt in vnico fœtu, sed quasi seiuncta in plures globos, seu eminentias, potissimum si variis membranis includantur, quæ rugis quibusdam quasi sulcis diuisæ apparebunt, aut saltem contrectanti sentientur. Vnde subsequitur non solum maius pondus, quam in simplici fœtu, sed etiam inæquale pro maiore vel minore huius vel illius magnitudine: raro enim gemini vel plures fœtus vnius eiusdemque virtutis & magnitudinis existunt. Eodem modo motus in vtero non vniformis & continuus, sed diuisus aut diuersus percipietur: quia vnusquisque vbi ad terminum illum peruenerit, peculiari concitatur facultate. Ex mole igitur, pondere, motu, & sulcis, seu interlinearibus rugis velut præcipuis signis cognoscemus, quando plures erunt in vtero fœtus.

Πρόγνωσιν verò stabiliemus salutarem, vel periculosam & ancipitem, ratione tum matris, tum fœtus. Nam quæcunque mulier geminos aut plures fœtus gerit, vt illos nutrire conuenienter in vtero, & continere ad debitum vsque terminum & salubriter parere possit, debet alacri esse animo & corpore, neque nimiâ pinguedine oppressa, quæ vias angustat, & debitam præripit fœtui alimoniam; nec nimiâ macie deformis, vt habetur *Aphor.* 44. & 55. *sect.* 5. vterum etiam bene constitutum ac omni illuuie & mucore repurgatum habeat, quia in sordidioribus vteris, ex *Aphorism.* 45. *sect.* 5. acetabula præ mollitie faciliimè disrumpuntur, & fœtus intempestiuè excluduntur. Quæcunque igitur deiectis iam viribus, aut malè constituto corpore & vtero, animíque imbecillitate laborantes, in istas iucidunt angustias cum summâ imprægnationis molestiâ, inquietudine & δυσφορίᾳ non est dubium quin magnum incurrant vitæ periculum, aut abortientes, aut etiam in iusto partu ob nimios dolores, hæmorrhagiam, & diuturnitatem temporis, quod aliquando interiectum est inter varias excluſiones istorum fœtuum. Aphorismus est insignis 38. *sect.* 5. iam citatus. *Mulieri*, inquit, *grauide geminos ferenti, si altera mamma extenuetur, alterum abortit. Et si quidem dextra, marem; si sinistra, fœminam excludit*: quibus verbis summus iste præceptor ostendit vnius fœtus abortum contingere posse altero saluo & incolumi, quod apud nos rarissimum existit.

Quid igitur operis & auxilij medici hisce mulierculis adferre possumus? Primò quod ad προφύλαξιν spectat, consulimus illis, ne incidant in periculum istud imprægnationis geminorum aut plurium fœtuum, vel superfœtationis, vt fugiant quantum fieri poterit omnes causas, quæ copiosos istos conceptus efficere solent, inter quas præcipua est multitudo seminis vtriusque, dum per longiora tantum interualla coëuntes, nimiam illius copiam colligunt. Ad vitandam autem superfœtationem debent quæ illi sunt obnoxiæ, vbi primum conceperunt, per totos illos primos menses, sed potissimùm ad quadragesimum vsque diem à primo conceptu auersari nouos amplexus, saltem lasciuiores, ne ex illorum dulcedine vteri osculum denuò aperiatur, & secundum efficiat conceptum.

Quod ad θεραπείαν attinet, vbi in istas grauiditates inciderunt, accuratè obseruanda ea omnia, quæ à nobis prius dicta fuerunt de regimine prægnantium, earumque leuandis symptomatis, tam quæ secundum naturalem cursum contingere solent, quam quæ extraordinariè accidunt, quibusque istæ magis obnoxiæ esse solent: sæpius enim ex nimiâ ventris distensione & pondere ita grauantur, vt cogantur Medici laxantibus fomentis & vnguentis χαλασμοῖς emollire abdominis partes externas, ne disrumpantur, aut compressione nimiâ fœtus & matrem lædant. Item aliquando visæ sunt eiusmodi prægnantes, quibus oportuit ventris onus sustentare fasciis & subligaculis adhibitis, ne disrumperetur peritonæi tunica, & hernioſæ euaderent. Sed de his, quia sub Medici cognitionem raro venire solent, plus satis: iam ad aborsum transeamus.

CAPVT

CAPVT V.

De aborſu.

INTER omnia ſymptomata quibus prægnantes infeſtari ſolent, nullum eſt frequentius & periculoſius quam aborſus ſeu abortus, Hippocrati variis nominibus inſignitus. Διαφθορὴ enim, ἀποφθορὰ καὶ ἀπόφθαρμα dicitur, *in Coacis*, τρωσμὸς, ἐκτρωσμὸς, ἔκτρωσις alibi paſſim, ἄμβλωσις, ἀμβλωσμὸς, ἐκβολὴ γυναικὸς, 6. *epidem.* quibus omnibus nihil aliud ſignificare voluit, quam excluſionem fœtus immaturi & minime vitalis, cum matris inſigni noxâ & periculo. Dicitur *excluſio*, quia ad aborſum perficiendum quamuis retentrix facultas debilitata concurrere poſſit, tamen præcipua iſtius affectus natura poſita eſt in excretione embryonis extra vterum: nam etſi mortuus, putrefactus, aut induratus ibi aliquando deliteſcat: non tamen prius dicetur prægnans aborſum paſſa, quin eiecerit eiuſmodi rem naturæ tum alienam & moleſtam. Dicitur quoque *fœtus*, vt diſtinguatur ab illis, quæ molas informes, grumos ſanguinis grandiores, flatuum vel aquarum copiam, ex vtero confertim excreuerunt, à quibus eiectis cauitas illius & moles diſtenta, detumuit. Dicitur *immaturi & minimè vitalis*, vt diſtinguatur à partu legitimo & naturali, qui certis & dimenſis ſpatiis contingens, perfectum vndiquaque, maturum, & vitæ extra vterum diu producendæ aptum edere ſolet: tum ſemper aborſus ad illius internecionem tendat: tum etiam vt diſtinguatur ab illâ effuſione ſeminis, quæ primis diebus contingit, & Hippocrati *lib. de ſeptimeſtri partu*, non τρωσμὸς, ſed ἔκρυσις vocatur. Vnde apud Iureconſultos is non habetur mortis reus, qui prægnanti mulieri vim intulerit, & ex vtero contentum fœtum deturbarit ante quadrageſimum diem, quia nondum homo perfectus cenſetur, neque rationali aut potius nullâ præter eam quæ in ſemine exiſtit, animâ donatus.

Dicitur etiam *cum inſigni matris noxâ & periculo*: quamuis enim partus etiam legitimus ſit dolori & labori coniunctus dum fit, attamen iam factus fauſtis deſinit plerumque parentis rebus, ſummamque illi poſt iſtas moleſtias lætitiam conciliat: cum aborſus ob diuulſionem & ſecretionem illam præcocis fructus, non ſine vitæ periculo aut ſaltem inſigni noxâ matris vel vteri contingere poſſit.

Videamus igitur, quæ ſint cauſæ efficientes & promouentes eiuſmodi affectum, ex quibus etiam illius differentiæ exorientur. Serapio eruditè de cauſis aborſus ita pronuntiauit. *Si primis*, inquit, *menſibus fiat aborſus, vt ſecundo & tertio, cauſam eſſe flatum quendam vteri diuellentem, aut quandam agitationem vehementem, tenuiſſimas adhuc vaſorum fibras diſrumpentem. Si mediis, vt quarto, quinto, & ſexto ſine manifeſtâ causâ, accuſandos eſſe potiſſimum mucores illos & nimias humiditates, qua acetabula vteri relaxare ſolent. In poſtremis verò menſibus cauſam eſſe vt plurimum inopiam alimenti, vel vteri anguſtiam.* Galenus verò 3. *de facult. natural. cap.* 12. triplicem conſtituit cauſam omnis aborſus, nempe molem nimiam, pondus & morſum. Sed vt melius & facilius iſta intelligantur, lubet cauſarum iſtarum ſeriem ex conſuetâ methodo recenſere.

Ergo illud imprimis in memoriam reuocemus, partum naturalem feliciter ſuccedere, quoties matris, vteri & fœtus bona eſt conſtitutio. Ac proinde ratione contrariorum, quoties iſta præter naturam, vel aliquod eorum immutata fuerint, toties etiam aborſus, aut ſaltem difficilis & laborioſos partus, de quibus poſtea agemus, contingere. Immutantur autem iſta à cauſis internis & externis. Τὰ ἔξωθεν contingentia extrinſecus, vel ſunt neceſſaria & fortuita: vel ex rebus neceſſariis & non naturalibus dictis petita.

Caſus igitur, ictus, occurſus, morſus, vulnera, preſſus & coarctationes veſtium aut aliarum rerum, geſtationes aut eleuationes grauioris ſarcinæ, ſucculſationes & ſimiles tam atrociter aliquando maternum corpus commouent cum vtero, vt ex illâ agitatione diſruptis fœtus vinculis præmaturè excutiatur. Ad quæ etiam referri poſſunt tetri omnes odores & halitus, vt extinctæ lucernæ & ſimilium:

Digitized by Google

ſimilium : omnia aſſumpta vel admota venenatæ & malignæ qualitatis participia, aſſumpta cathartica vehementiora aut copioſiora, necnon cætera aperientia & detergentia potenter aut occultis proprietatibus agentia, abortiua ideo dicta, quibus peſſimæ quædam mulieres aliquando ad corrumpendos ſuos fœtus vel aliarum abutuntur. Eodem modo vſurpata poſtremis potiſſimum menſibus largior phlebotomia idem præſtat, ſiue ex cubito, quia alimoniam fœtui eripit; ſiue ex malleolis, quia menſes proritare ſolet. Item balneum molliens, & laxans, quia deducendo humores & quaſi colliquando verſus vterinam regionem vincula quibus annectitur vtero fœtus, eneruat & aliquando diſrumpit. Hæc igitur ſunt contingentia fortuita.

Cauſæ verò ex rebus neceſſariis petitæ,& quæ in quotidianum vitæ vſum venire ſolent,malè vſurpatæ ratione indiuidui,vt loquuntur,plurimæ exiſtunt:vtpote aëris conſtitutiones omnes inclementiores ſibi inuicem ſuccedentes,aut inæqualiter corpora noſtra infeſtantes,vt annotauit Hippocr. *Aphor.* 13. *ſect.* 3. vehemens æſtus,non ſolum abſorbendo,ſed etiam ſuffocando propter auctum reſpirandi vſum,magnam grauidis moleſtiam infert:quibus addunt Aſtrologi malignas quaſdam conſtellationes,propter quas nullâ exiſtente aliâ causâ manifeſtâ, exiſtimant certis temporibus tot aborſus promiſcuè in quibuſcunque fœminis contingere.

Eodem modo cibus & potus nimiâ copiâ ſumptus nocere fœtui poteſt, tum grauando & ſuffocando calorem natiuum,tum irritando vomitiones violentas,aut diarrhœas diuturniores & teneſmum,vt videre eſt ex *Aphor.* 34. *ſect.* 7. & 27. *ſect.* 7. Parcius verò ſumptum alimentum magis adhuc promouet aborſus, vt per διαπαύσεις illas, & inedias integras : quia embryoni detrahitur alimentum conueniens. Quod ſi vtantur cibis malignâ qualitate, & ſubſtantiâ præditis, vt quando detinentur picâ & malaciâ,fit vt & alimentum conueniens deficiat,& peſſima excrementa congerantur,à quibus vterus cum fœtu inquinatur. Adde vigilias immenſas, animi pathemata vehementiora, terrorem ſubitum, iracundiam, effrænem appetitum,amorem furibundum,& coitum intempeſtiuum,vt ſupra dicebamus. Inter cauſas procatarcticas frequentiſſimæ ſunt & efficaciſſimæ exercitationes violentæ, vociferationes,& vacuationes immodicæ, ſiue excrementorum, per vomitum, alui fluxum, ſudores, vrinæ profuſionem : ſeu ſanguinis per nares, hæmorrhoidas, ſed potiſſimum per venas vteri interiores, quibus apertis vix fieri poteſt, vt fœtus ibi integer maneat : quia ſi cohibeatur eiuſmodi ſanguis extrauaſatus, coaleſcit & putredinem noxiam concipit : vnde vterus cogitur ad illum expellendum inſurgere, ſimulque fœtum deturbare : ſin effluat diutius debilitato fœtu, etiam contingit aborſus : vnde apparentibus menſtruis in grauidâ pertinacius impoſſibile voluit Hippocrates *Aphor.* 60. *ſect.* 5. fœtum bene ſe habere. Eodem modo effluxum lactis copioſum è mammis grauidarum,infauſtum eſſe pronunciauit, *Aphor.* 52. *ſect.* 5. non ſolum vt ſignum ſummæ imbecillitatis, ſed etiam vt cauſam, quia euacuat illud quod in nutritionem fœtus faceſſere debebat.

Omnes autem iſtæ externæ cauſæ non ſemper ſubitò & immediatè aborſus concitant, ſed vel interuenientibus diſpoſitionibus internis, vel ſenſim & earum operâ genitis. Iſtæ autem diſpoſitiones internæ reſpiciunt vel matris corpus, vel vterum, vel ipſum fœtum,aut duo vel omnia ſimul.Hinc diſpoſitiones omnes maternæ inſigniores,vt gracilitas ſeu macilentia deformis, craſſities immenſa, catarrhoſa conſtitutio,& ſimiles,ſed præcipuè morbi acuti,febres continuæ,pleuritides,& reliqui,ſiue ex plethorâ,ſiue ex cacochymiâ,& variis fluxionibus pendentes, grande periculum aborſus inuehunt ob triplicem cauſam : Primò,quia vehementer totum matris corpus, ac proinde vterum cum fœtu affligunt & commouent:Secundò,quia ingens faſtidium ciborum inducunt,& vehementer reſoluunt,propter quod alimonia vtrique eripitur. Tertiò, quia ſoluuntur inſignibus euacuationibus artificialibus vel ſpontaneis,& criticis,quas omnes fœtui periculoſas eſſe dicebamus. Neque vacant ſuo periculo morbi chroniei per paroxyſmos reuertentes, aut inſignibus doloribus, & agitationibus obnoxij illud præſtare poſſunt,febres quotidianę & quartanæ,arthritides, dyſenteriæ, teneſmi, tuſſes catarrhoſæ & rebelles cum frequenti ſternutatione:quia fieri non poteſt,vt fœtus integer & validus permaneat, dum mater,tot exercita cruciatibus, & imbecillitatibus diutius conflictatur.

Ex parte verò ipſius vteri non eſt dubium, quin morbi omnes ſimilares, organici & communes, ſi grauiores ſint, abortiendi anſam ſuppeditent : vnde eryſipelata & tumores omnes præter naturam tunc maximè pertimeſcendi, vlcera,

Digitized by Google

vulnera, præcipitationes, diſtortiones vel relaxationes nimiæ ab humiditatibus illis pituitoſis ſiue mucoribus,quibus acetabula diſſoluuntur.Læuitatem etiam vteri, aut naturâ, aut vlceribus in ipſo innatis contractam accuſat Hippocrates *libro* 1. *γυναικείων.*

Ex parte verò fœtus contingit ſæpe aborſus,quando vel quantitate,vel qualitate peccat:quantitate quidem, vt numero, magnitudine, & pondere: numero, nam ſi duo,tres vel plures in vtero fœtus ſtabulentur,periculum eſt ne excutiantur, vt dicebamus ſuperiori capite, ſuomet preſſu & quaſi colliſione: vnde gemellorum frequens aborſus:magnitudine,vt quando moles maior eſt & amplior quam par ſit ratione continentis vteri: hinc videmus mulieres puſillas frequenter abortire,potiſſimũ ſi viris iunctæ ſint procerioribus,quorum ſoboles magnum & citum in vtero incrementum ſuſcipit:vnde etiam Hippocrat. *lib.de ſuperfœtat.* Si quæ mulier concipit quidem,ſed fœtus bimeſtres,trimeſtres,quadrimeſtres,aut vetuſtiores ſtato tempore excutit, id eſt referendum ad vteri anguſtiam, quæ augeſcentem fœtum amplius continere non poteſt: Pondere autem dupliciter,ratione virtutis ipſius vteri & ligamentorum,quæ infirmior ob varias cauſas reddita,ne leuiorem quidem farcinam ſuſtinere valet: vel reſpectu ipſius fœtus craſſioris, membranarum & ſeroſi excrementi ibidem collecti,quæ grauitatem aliquando immoderatam adipiſcuntur.Qualitate verò fœtus poteſt peccare multiplici, vt quando exſiccatus & veluti areſcens fructus ſponte decidit, vel demortuus amittit continuitatem illam phyſicam quam habere debet cum vtero:vel putredine quadam eſt affectus, aut mordacibus, acribus,vel venenatis ſuccis imbutus,quemadmodum contingit in illis qui lue Venereâ, elephantiaſi,aut aliis vlceribus laborantes coitum exercent:omnes enim iſtæ qualitates vtero infeſtæ illius vim expultricem citò irritant ad eiuſmodi noxia propellenda. Atque hæc de cauſis aborſus.

Qvod ad diagnosin illivs spectat. Certum eſt aborſum,vel eſſe iam factum,vel futurum,vel imminentem.Aborſus iam facti ſigna non proſunt Medico, niſi quatenus aliquando conſulitur à Magiſtratu vel aliis de pudicitiâ mulierculârum, quæ fœtus ſuos clam corrupiſſe accuſantur. In hoc igitur caſu, exploratis diligenter locis iſtis muliebribus per obſtetricem, aut peritum Chirurgum,facile eſt pronunciare de facto aborſu recenti: quia adhuc ita ſunt madentia & aperta loca illa, vt facile ſit coniicere aliquid abruptum violenter, & ex vtero depulſum fuiſſe: In aborſu autem inueterato non eſt ita facile, quia intra aliquot dies coëunt rurſum iſtæ partes & redintegrantur. Futuri verò aborſus cognitio poſita eſt in ſedulâ animaduerſione omnium illarum cauſarum externarum & internarum, quæ dictæ ſunt à nobis illum promouere poſſe: ex vario enim earum concurſu, aut incauto prægnantis regimine, vel diſpoſitionibus illis ſuperuenientibus poſſumus quaſi futuram eiuſmodi tempeſtatem præuidere. Supereſt igitur, vt imnenmitis aborſus ſigna curioſius perluſtremus, quia maximè faciunt ad medicam θεραπείαν.

Illa igitur repetenda ſunt ex ſolitis fontibus. Cum enim fœtus naturaliter conſtitutus debeat eſſe in vtero indolenter, aut ſaltem ſine moleſtiâ inſigni,quæ morboſam διάθεσιν conſequitur,debeat etiam eſſe in proprio ſitu & conuenienti, frui alimento ſibi debito, & expectare periodum ſiue tempus illud pariendi à naturâ conſtitutum ſine vllâ afflictione aut præpoſtero motu:quotieſcunque iſta præuertuntur & præter naturam ſe habent, ſiue á cauſis externis,ſiue ab internis: periculum eſt ne immaturè & violenter,id eſt per aborſum excludatur. Vnde quoties dolores, eique crebri & vehementes matrem exercent circa ventrem & lumbos, vt docet Hippocrates 1. *γυναικείων*,quique proprietate hutiuſce doloris verſus pubem & os ſacrum terminantur,cum quadam expreſſione & egerendi conatu: toties ſignum eſt aliquid noxium latere, & diuelli membranas & vincula quibus embryo matrici connectitur. Quod ſi poſt iſtos conatus & tormina, vel aqua, vel cruor ſanioſus, vel ſanguis aut grumi illius exeant magnâ copiâ, iam inſtare aborſum apparet: quia non ſolum diſrupta eſſe illa vaſa, ſed etiam vteri oſculum apertum eſſe ſignificatur. Tuncque infantis ſitus non ſublimis & faſtigiatus in ventre ſentitur, ſed quaſi conglobatus & decliuis in hypogaſtrium: plurimaque tunc ſymptomata prægreſſa ſunt & comitantur miſeram prægnantem, ſiue cum febre, vt ſæpe ſolet:ſiue ab illâ immunis affligatur, nam & capitis grauitates, oculorum turbationes, tremores, cordis ſaltus, vomitiones, & cardialgiæ ſæpe negotium illi faceſſunt, & imminentis aborſus prænuntij exiſtunt. Apud Hippocratem etiam

Aphor. 37.

Aphor. 37. *sect.* 5. si mammillæ prægnanti subito & quasi sine manifestâ causâ gracilescant, aborsus est signum, quia denotant per condolentiam, & summam quam habent simul cum vtero syntimoriam, cum aut fœtum pessimè se habere : vel etiam deficere communem illam materiam quâ fruebantur ad lactis generationem, dum vterque bene se habebat. Vnde etiam *Aphor.* 52. *sect.* 5. fluxus lactis ex vberibus grauidarum copiosior & perseuerans idem significat : quia inualidam retentricem denotat, quæ non potest quantumuis πρόσφυτον & conuenientem succum suo sinu coërcere. Quæ omnia sunt grauiora, prout primis vel mediis mensibus contingunt.

Quod ad causarũ aborsum committentium διάγνωσιν, ex illarum diligenti perquisitione, ægrotantis, & adstantium relatu facile innotescent. Illud valde notandum est, quod Hippocrates docuit 2. *epid. text.* 71. quod si ob casum, ictum aut similes externas & violentas causas vehemens dolor, & perturbatio in grauidâ excitetur, statim aut saltem eadem die fieri aborsum : sin verò minor vis fuerit illius causæ, intra spatium trium dierum constare, vtrum fœtus corrupturæ sint aut non : quia vulnera eiusmodi tertio aut quarto die vt plurimùm recrudescunt : vnde aborsus illo tempore contingit, vel mitigantur, ac infans denuò confirmatur & in vtero retinetur.

Ex his etiam πρόγνωσιν stabilire licebit. Aliquando enim mulieres, vt dicebamus, ex aborsu de vitâ periclitantur, quia violentior est quam naturalis partus, vt docet Hippocrates *lib. de naturâ pueri* : aliquando euadunt, sed multis excruciatæ symptomatis : & inter illas multæ ob aborsum steriles deinceps per totam vitam manserunt. Quæ omnia sunt præuidenda Medico. Quoties igitur violenter & subitò ex causarum externarum aut internarum vehementiâ accidit aborsus in muliere alioquin sanâ, adest insigne periculum, siue in illo conatu emittendi valde laboret, siue post factam fœtus expulsionem, quando insignes hæmorrhagiæ ob diuulsionem aut disruptionem partium vterinarum contingunt, ad quas syncopæ, conuulsiones & delitia consequuntur, tandemque mors : siue suppressis lochiis, illis purgamentis propter inflammationem & obstructionem vasorum sanguis putrescens & ad superiora recurrens pariat febres æstuosas, cardialgias, palpitationes cordis & similia symptomata. Aborsus in primiparâ periculosior : quia inassueta hisce doloribus, & nimis dilatatis meatibus diutius & vehementius torquetur. Adde quod vt plurimum ex istâ diuulsione intempestiuâ ita dilaniatur, dissoluitur, exulceratur, aut præcipitatur vterus, vt deinceps conceptui ineptæ reddantur. Item graciles admodum & crassæ mulieres valde ex aborsu periclitantur : illæ propter infirmitatem, hæ verò propter angustiam locorum per quæ excludi solet fœtus. Nullas vidit seruatas Aretæus, quibus in aborsu aut post aborsum conuulsiones superuenerunt, siue fiant ab inanitione ob immodicam sanguinis effusionem : siue à repletione propter refluxum humoris ad cerebrum. Est etiam aborsus periculi plenus sexto, septimo, aut octauo mense, quia tunc grandior infans maiorem in exitu molestiam excitare solet quam primis mensibus. Quæ verò humidiore sunt & laxiore vtero, fere sine noxâ abortiunt primis quatuor mensibus : imo existimántur à nostratibus fœminis aborsus in istis conferre ad felicitandam conceptionem sequentem : quia expurgant & exsiccant locos istos muliebres iusto molliores. Est etiam insignis contextus apud Hippocratem 2. *epidem.* vbi vult aborsum sexaginta dierum masculinum conferre in partium suppressionibus : quod ego interpretor de illis, quæ non commodè expurgantur menstruis periodis, & ideo valetudinariæ existunt, quia per eiusmodi aborsum aperiuntur viæ obstructæ, & allicitur sanguis versus vterum, qui parcius eò fluebat. Atque hæc de προγνώσει.

Curatio autem aborsus tota posita est in præseruatione futuri vel imminentis ; nam iam factus restitui non potest, & ea quæ inducit accidentia, siue affectus, ad enixarum regimen & curam reduci possunt. Præseruatio autem futuri aborsus tota posita est in sublatione, seu artificiosâ declinatione causarum illarum à quibus produci solet, tam externarum quàm internarum : de quibus cum iam abunde actum sit in regimine prægnantium, pauca hic tantum erunt adnectenda. Primò futurum aborsum præcaueri, vel dum iam est grauida mulier, vel extra grauiditatem. Extra grauiditatem perlustrandæ erunt imprimis constitutiones totius corporis, quæ aborsui ansam suppeditare solent, vtpote plethora, cacochymia, gracilitas, vel crassities nimia. Plethoræ enim venæ sectio, cacochymiæ iteratæ purgatio debebitur : gracilitatem instaurare accommodato victu & balneis

Digitized by Google

accommodatis : craſſitiem imminuere laboribus, frictionibus, victu attenuante, thermis ſulphureis & ſimilibus conueniet : deinde ipſius vteri conſtitutio contemplanda, in quo intemperies erunt omnes, quæ ſeſe offerent, corrigendæ, vt primo libro docuimus, potiſſimum humida illa & mucoſa, propter quam laxantur vteri acetabula : necnon flatuoſa, propter quam ſæpe diſrumpuntur: eodem modo anguſtia locorum, præcipitationes, vlcera & læuitates matricis erunt diligenter percurandæ, ſi fieri poſſit, antequam mulier aborſui obnoxia conceptioni det operam poſt remedia à nobis ſuo loco propoſita.

Vbi enim ſemel conceperit cum hiſce diſpoſitionibus, maior erit præcauendi aborſus futuri difficultas : quia non licet tam liberè hiſce remediis in prægnante, quam non prægnante vti. Eſt tamen audendum aliquid, & vbi frequens aborſus periculum præceſſit, non eſt deſiſtendum ab vſu eorum quæ illum impedire poſſunt, per cauſarum ſublationem : vnde multas quæ ob nimiam ſanguinis copiam abortiebant, ſæpe liberauimus iteratâ primis menſibus, bis aut ter venæ ſectione ex venis cubiti : in quibus vero inſignis cacochymia redundabat, frequenti purgatione, circa medios potiſſimum menſes, ex ſyrupo magiſtrali vel opiatâ laxante, quæ corroborantibus etiam conſtaret: in quibus intemperies illa humida, catarrhoſa, mucoſa, & flatuoſa totius corporis & vteri infeſtabat, diætâ leuiter exſiccante ex decocto guaiacino & ſarſæ parillæ in craſſioribus & robuſtioribus: vel radicum chynæ in gracilioribus effecimus, vt abortui minus eſſent obnoxiæ.

His & ſimilibus pro varietate diſpoſitionum totius aut vteri, ita præſtitis in grauidâ ad futurum aborſum artificiosè præcauendum, ſi nihilominus propter imbecillitatem totius corporis vel vteri, propter morbos acutos aut chronicos ſuperuenientes, aut cauſarum externarum & de improuiſo agentium impetum, iam immineat aborſus, vt ex ſupra adductis ſignis innoteſcet : tunc antequam fiat, omni operâ & ſedulitate impediendus. Ad illud autem hoc modo progrediendum. Vbi primum dolores & tormina in ventris fundo & lumbis apparuerint, verſus pubem & os ſacrum extenſa, non erit cunctandum, ſed fœminâ in lecto rectè collocatâ, omnique motu corporis & animi prohibito ſedandi erunt iſti dolores pro varietate ſuarum cauſarum, tam ſumptis quam admotis. Etenim ſi ob aſſumpta venenata aut maligna medicamenta oriri contingat, vt fit aliquando in illis quæ ſibi aborſum ſponte conciliare voluerunt, alexipharmacis propriis agendum, & iis quæ manifeſtâ etiam qualitate illorum deleteriorum qualitates oppugnant. Si ob cruditates & flatus excitentur, quod eſt frequentiſſimum, quando aborſus incipit à cauſâ internâ, diſſipentur & corrigantur eis quæ ſimul roborandi vi ſunt prædita, ad quod guttæ aliquot olei aniſi cum vino aut iuſculo ſumptæ ſunt valde vtiles : puluis ex coriandro & aromatico roſato concinnatus : imo ipſa theriaca, aut aqua imperialis exhibita, ſi maior ſit phlegmatis collecti aut flatuum ſoboles. Interea ventri admoueantur facculi carminantes dicti, aut panis roſarum vino rubro calente immerſus & puluere nucis moſchatæ aſperſus : omentum recens mactati verueecis, pulmones calentes, & ſimilia ſummum adferre ſolent illis ſolatium. Quinimo clyſteres ex vino, oleo & pauco philonio romano confecti in deploratis iſtis & vehementioribus torminibus ſæpius fuerunt adhibendi ; aut ipſa requies Nicolai dicta per os exhibenda, vt naturæ quædam induciæ narcoticis iſtis leuioribus præſtarentur : quorum etiam magna erit commoditas, quando iſti dolores ab acrioribus, virulentis, & malignis humoribus pendebunt.

Tandem vbi dolores iſti diutius grauidam exercuerint, ſiue ab internâ, ſeu ab externâ cauſâ profecti, ſolet erumpere ſanguis ab vtero, diſruptis quibuſdam acetabulis, aut ab externis illis colli matricis venulis, quod eſt minus periculoſum. Ille autem non ſtatim ſiſtendus, ne ad interiora ſubito reuocatus concreſcat & fœtum ſuffocet ; ſed reuellendus frictionibus ſuperiorum partium & ligaturis dolorificis, admotis etiam cucurbitulis thoraci, & ſcapularum regioni, ſub mammis & vtrique hypochondrio. Quin imo ſi valentes ſint fœminæ & plethoricæ, non fuerit tunc abſurdum, antequam magna effluxerit ſanguinis copia, venam cubiti ſecare, & per *Διάκεγον* partitiſque vicibus ſanguinem educere.

Quod ſi iam largiori copiâ effluere incipiat ſanguis per inferiora, cohibendus omni arte, quamdiu aliqua adhuc ſpes affulget ſalutis & continendi fœtus in vtero A

proiudec

proinde exhibeantur frequenter per os ea quæ illum ſiſtere valeant, vt alimenta incraſſantia & adſtringentia, ſuccus plantaginis recenter extractus, puluis granorum kermes, coralli vtriuſque, terræ ſigillatæ, & lapidis hæmatitis cum pauco vino rubro adſtringente aut aquâ roſaceâ: maſtiches etiam aliquot grana non inutiliter deuorantur: item ſyrupus de papauere ad ℥ j. ſumptus cum pauco puluere boli armenæ multum profuiſſe aliquando compertum eſt. Interea fiant fotus etiam adſtringentes & roborantes ex vinaceis vuarum, balauſtiis, cupulis glandium, & ſimilibus in aquâ fabrorum & vino adſtringente decoctis: inungantur totus venter, & renes oleo myrtino, vnguento comitiſſæ maiori & ſimilibus. Admoueantur emplaſtra pro matrice, maſtichinum aut contra rupturam pubi & lumbis. Item bolus armena aut vulgaris albuminibus ouorum & aceto diſſoluta in modum cataplaſmatis applicatur hepati, hypogaſtrio, & lumborum regioni. In cuius locum ruſtici valde laudant ſtercus ſuillum recens aceto diſſolutum, eiſdem partibus admotum.

Non ſunt etiam negligenda ea quæ ex proprietate fœtum in vtero continere dicuntur, vt lapis ille Aëtites ſeu aquilæ dictus, ex collo ſuſpenſus, magnes vmbilico admotus, jaſpides, ſmaragdi, adamantes, lapides ſardonij vel topazij, oſſa de corde cerui legitima ſub axillis geſtata; quibus omnibus ſi nihil proficitur, ſed perpetui adſunt naturæ conatus ad expellendum, cum ſanguinis copiâ & grumis prodeuntibus, tandem erit quieſcendum ab vſu iſtorum remediorum adſtringentium, iuuandáque tunc roborantibus tam ſumptis quam admotis, & permittenda fœtus iam abrupti aut diuulſi excluſio, ne cunctatione ſuâ maiorem adferat noxam matri & vtero. Et ſic poſt peractum opus calamitoſum, curanda erit deinceps miſera mulier, & tractanda, prout dicemus ſequenti capite in regimine enixarum, à quo non differunt iſtæ quæ aborſus paſſæ ſunt.

CAPVT VI.

De partu iuuando & eis quæ ad partum conſequuntur.

PARTVS naturalis & legitimus, qui Græcis *εὐτοκία* dicitur, nihil eſt aliud quam infantis perfecti ab vtero exitus debito tempore, & cum ſeui matris tolerantia. Vbi enim fœtus ſeptem illas quadragenarias tantopere apud Hippocratem celebratas, quæ nonum & decimum menſem complectuntur attigerit, iam numeris ſuis omnibus abſolutus, nouæque vitæ cupidus, imo fortaſſe quia iam calidior factus indiget aëris reſpiratione quâ in vtero deſtituitur, ſicut & tranſpiratione commodâ, diſrumpit, vt volunt, calcitrando inuolucra ſua; vel, vt credibilius eſt, præ maturitate ſuâ, & pondere, vt contingit in fructibus, decidit cum ſuis ſecundinis iam ob illius magnitudinem diuulſis in partem abdominis inferiorem: atque in caput conuerſus mirâ naturæ prouidentiâ, vel ob pondus ſuperiorum partium, poſt effuſas interiores illas aquas ſanguiniſque quantitatem mediocrem, vuluæ oſtium petit, quo aperto, & extremo coccygis oſſe retruſo, concurrente etiam vteri & muſculorum abdominis expultrice foras cum ſuis membranis prodit, quaſi miraculo quodam naturali, inter haſce oſſium pubis, ilium & ſacri anguſtias, in quibus nullam diſparationem contingere certiſſimum eſt, quidquid dicat Auicennas; vt fiat nouus huius mundi incola. In hoc conatu & diuulſionibus fieri non poteſt, quin puerpera doloribus torqueatur variis, ſed qui cito finiuntur, quãdo celer eſt & fœlix partus: vel certè in maximum degenerant gaudium, vbi & ſibi & proli incolumẽ adeſſe ſalutem cognoſcit. Vt igitur in aliis omnibus naturæ operibus plurimi poſſunt contingere errores ac difficultates, ſic in iſto præcipuè, quod inter alia maximi eſt momenti: vnde *δυστοκία*, difficilis ſcilicet & laborioſus partus exoritur, qui non ſolum periculum & moleſtiam infanti vel matri, aut vtrique aliquando, ſed etiam mortem adferre ſolet frequenter.

Iſta enim *δυστοκία* conſideratur vel ratione temporis in excludendo fœtu, quod vt plurimum non debet excedere ſpatium viginti quatuor horarum à primo inſultu; nam ſi ad quartum vſque diem moretur eiuſmodi parturitio, habetur omnino infauſta & difficilis, potiſſimum quando aquoſitates illæ in membranis contentæ

Digitized by Google

iamdiu effuſæ fuerunt. Vel iſta δυσοκία dicitur ratione doloris vehementioris, & grauiorum ſymptomatum, quibus præter modum puerpera torquetur in ipſo partu aut poſt partum, propter quæ ſanitatis latitudinem egreditur, & medicis auxiliis deinceps eſt iuuanda, vt videbimus poſtea.

Cauſas autem iſtius δυσοκίας tam externas quam internas repetere oportet ex contrariis vel oppoſitis conſtitutionibus earum quæ εὐτοκίαν facilem & naturalem partum efficiunt. Ad quem debent concurrere primò omnia externa bene diſpoſita, non ſolum tempore partus, ſed etiam ante illum, vt in regimine prægnantium propoſuimus, quæ exitum iſtum tempeſtiuè poſſint adiuuare: deinde matris ipſius robur, & valetudo commoda cum vteri ipſius rectâ diſpoſitione, quibus vt præcipuis agentibus maxime perficitur iſte motus: demum fœtus ipſius alacritas, & bona conſtitutio, vtpote quo adiuuante & promouente iſtud opus, feliciter omnia ſuccedere ſolent. Ergo cauſæ δυσοκίας erunt externæ vel internæ: Illæ reſpicient res omnes tam neceſſarias, vt vocant, quam contingentes: Iſtæ verò matris, vteri & fœtus cum ſuis ſecundinis malas conſtitutiones, quæ huic rei impedimentum adferre poſſunt. Quarum enumeratio ſigillatim percenſenda, vt ex earum peculiari cognitione poſſimus etiam ea inuenire auxilia, quæ iſtas difficultates partus tollere valeant.

Ab externis igitur neceſſariis, ſiue ſex rebus non naturalibus dictis incipientes, dicimus certiſſimum eſſe aërem inclementiorem, præcipuè verò frigidum & ſiccum, qualis eſt flante aquilone, valde infeſtum eſſe parturientibus, quia cogit poros, humoréſque verſus interiora repellit, & puello exeunti à tepentibus illis locis valde eſt infenſus. Sic etiam torridus & præter conſuetudinem exæſtuans, in regionibus alioquin temperatis, plurimum obeſt parturitioni, quia vires vtriuſque exhaurit, reſpirationem efficit laborioſam, & inflammationem febrilem inducit. Idem dicas de vſu intempeſtiuorum balneorum, lotionum, domus, & loci peculiaris in quo habitant, quorum incommoda hiſce mulieribus facilè communicantur. Eodem modo alimenta cruda, δυσπεπτὰ & adſtringentia, vel nimiâ quantitate circa horam partus aſſumpta, vt in voracioribus aut moroſis ſæpe contingit, plurimum nocere poſſunt: quemadmodum prægreſſa ieiunia, necnon odores fœtidi aut ſuauiores: illi quidem quia conturbant ſpiritus, & ſuffocationis periculum infanti aliquando adferunt: hi verò quia alliciunt vterum ad ſuperiora, illiúſque dilatationem impediunt, præcipuè in illis quæ hyſtericis paſſionibus ſunt obnoxiæ. Somnolentia etiam & ſtupor in parturiente non ſunt bona, tum quia oſtendunt inualidam naturæ vim, & parum propoſito operi intentam, tum etiam quia retardant & quaſi cohibent vtriuſque impetum ad efficiendam iſtam excluſionem. Maior etiam noxa ex parte exercitationis & motus intempeſtiui, ſiue nolint ſtare, ambulare, decumbere, ſedere in ſellâ obſtetriciâ quando opus eſt: ſiue importune agitentur præ doloris vehementiâ aut animi imbecillitate: vnde contingit fœtum vel non poſſe exire ſecundum debitam figuram, vel amittere illam ob iſtas circumuolutiones. Imo annotarunt authores noſtri, quoſcunque motus qui videntur ferri ad exteriora corporis, vt oſcitationes, pandiculationes, tremores, rigores, ſuſpiria, clamores, riſus, & ſimiles noxios eſſe parturienti: ſternutationem autem & compreſſionem anhelitus ad inferiora illis prodeſſe admodum. Excretiones pariter ordinariæ præter modum ſuppreſſæ circa iſtud tempus, magnam moleſtiam inferunt, vt vrinæ veſicam diſtendentis, fæcum in recto inteſtino induratarum, hæmorrhoidum inſigniter tumentium, aut dolentium: tum quia comprimunt vteri ipſius ceruicem, tum quod naturam auertunt à parturitionis conatu. His adde animi pathemata vehementiora, timorem, vt in infirmioribus & primiparis, quæ nondum expertæ ſunt iſtas afflictiones, & præ metu illarum, animo ſunt conſternatæ: mœſtitiam inſignem ob prægreſſa, aut præſentia incommoda, iracundiam præcipitem, necnon ex his tribus compoſitum pathema moleſtiſſimum, quod zelotypiam appellant: his enim agitatæ furiis, velut tempeſtate quadam à bono & ſalutari parturiendi portu vt plurimum auertuntur.

His neceſſariis & conſuetis cauſis difficultatem partus inducentibus, ſi non neceſſariæ ſeu contingentes ſeſe adiunxerint, tunc maius multo negotium parturienti faceſſent. Inter iſta autem præcipuè recenſemus adſtantes & alia, quæ huic rei opitulari debent: nam & viri debent adeſſe validi, aut ſaltem famulæ, quæ illam fulciant & ſubleuent, dum eſt in ipſo enixu & validioribus illis conatibus, & obſtetrix (*μαῖαν καὶ μαμμύτριαν veteres vocabant*) imprimis prouidæ,

Digitized by Google

prouida, ſapiens, & perita, cuius præſentiâ confirmetur, & bene ſperet de ſua ſalute: Illius enim eſt munus parturientis animum erigere, debitum corporis motum & ſitum docere, in ſellâ aut lecto conuenienter locare, inſtantem partum agnoſcere, vteri oſculum leuiter aperire, puellulum conuenienter exeuntem blandè excipere, morantem promouere, indebitâ figurâ ſeſe offerentem corrigere, & immutare, vmbilicum illius (*vnde ὀμφαλοτόμος & ἐμβρυοτόμος dicebatur*) ſapienter & tempeſtiue reſecare, ſecundinam eodem impetu, ſi fieri poſſit, educere, & productum infantem comiter ac peritè tractare, vt poſtea etiam dicemus. Inter externa etiam fortuita recenſeri poſſunt quæcunque ex improuiſo occurrere parturientibus poſſunt, vt ictus, caſus, & ſimilia, quæ extra Medici notitiam & poteſtatem poſita ſunt.

Interiores cauſas *δυσοκίας* peculiariter iam conſideremus: primò ex parte matris: ſecundò vteri: tertiò ipſius fœtus. Quod ad matrem ſpectat, quæ integris viribus & bene diſpoſito corpore debet ad hoc opus concurrere, vt ritè perficiatur: certum eſt illius debilitatem, ſiue ſit ex naturæ primordiis, ſiue ob ætatem, vt in valde iuuenculis & ſenioribus; ſeu ob morbos acutos, aut diuturnos quibus in grauiditate ipsâ diuexatæ fuerunt, aut adhuc detinentur, vt ſæpe contingit, maximum hic impedimentum inferre: Imo vbi diutius moratur exitus infantis poſt tormina, ſanguinis effuſiones, vigilias & ſimilia, non eſt dubium quin difficilior multò ſit parturitio, quam ſi primo vel ſecundo die peragatur: ſic etiam quæ valde macilento & conſumpto ſunt corpore, ob ficcitatem & anguſtiam viarum atque etiam infirmitatem: aut valde pingues & craſſæ, ob compreſſionem vteri, multum laborant in partu. Neque ſolum ratione totius corporis materni, ſed etiam partium vtero circumiectarum iſta difficultas contingere poteſt: ſic enim abdomen ſeſquipedale, & omentum craſſius non ſolum ſterilitatem, ſed etiam *δυσοκίαν* infert, comprimendo vterum & vicinas partes: ſic oſſa ilium, pubis, ſacrum, & coccygis, vt in claudicantibus & diſtortis, malè conformata: inteſtina flatibus diſtenta, veſica calculo, inflammatione, aut aliis affectibus detenta: pulmones male affecti & reliquæ partes reſpirationi dicatæ, quarum auxilio multum iuuatur exitus infantis, cohibendo anhelitum & ſpiritum ad inferiora propellendo, maximam ſæpe parturientibus difficultatem attulerunt. Nouimus etiam quaſdam infirmiore ventriculo aut cerebro, quibus inſtante partu contigerunt vomitus vehementiores, aut epileptici inſultus cum magno fœtus detrimento & matris periculo. Quod de aliis partibus eodem modo dici poteſt. Sed præcipue de vtero, qui ſecundas tenet poſt matrem ad excludendum infantem in ſuo ſinu deliteſcentem. Quotieſcunque enim vel ante partum, aut in illo grauioribus occupatur affectibus, ſimilaribus, organicis, vel communibus, impoſſibile eſt felicem eſſe parturitionem: ſola enim obſtructio, vel adſtrictio illius, ſiue fundum, ſeu orificia, aut matricis collum reſpicias, tantum negotium hic faceſſit, vt ſæpe ob illas diſpoſitiones ad chirurgicam operationem ſit deueniendum, vt poſtea videbimus. Intemperies itaque omnes vteri inſigniores, tumores præter naturam & *φυμάτων*, diſtorſiones, relaxationes, vlcera & cicatrices, aut calloſitates grandiores, ſunt grauiſſimæ *δυσοκίας* cauſæ, & maximè curatu difficiles in tam ſubitaneo & præcipiti affectu.

Quemadmodum autem mater & vterus præter naturam ſe habentes hic negotium faceſſunt, ſic etiam fœtus; nam & ratione ſubſtantiæ, & quantitatis, & figuræ, & illi adiunctorum impedimenta partui frequentiſſimè inferre ſolet. Vitium enim ſubſtantiæ in fœtu adeſt, quoties vel mortuus, vel putrefactus, malignâ quadam labe infectus, aut alio quocunque modo morboſus & debilis in vtero latitat, nec concurrit in iſta actione, aut quicquam virium præſtat ex parte ſui ad promouendum partum. Ratione autem quantitatis tam continuæ quam diſcretæ peccat fœtus in vtero, & impedimentum adfert partui, quando maioris eſt molis, quam par ſit, vel ſecundum totum corpus, vel ipſum caput, vt apparet in pueris illis qui *μεγαλοκέφαλοι* naſcuntur: quando etiam plures ſunt in vtero vel gemelli & diſcreti, vel cohærentes ſimul: aut certe vnicus, ſed pluribus membris, quam ſpeciei ratio ferat, præditus, vt duplici capite, tribus brachiis, aut manibus deformis. Ratione etiam ſitus & figuræ ſeu compoſitionis membrorum pueri ad exeundum ab vtero idoneæ, plurimi & moleſtiſſimi errores contingere poſſunt in partu. Etenim quamdiu latet in vtero infans ſuis inuolutus tunicis, ibi quaſi conglobatus manet, manibus ad genua admotis, capitéque inclinato ſupra manus, & cruribus molliter reflexis, donec aduenientе exitus tempore, diſruptis ob maturitatem membranis, ſuo quaſi pondere, &

ſupernarum

ſupernarum partium grauitate in caput reuoluitur, & oſtium matricis adit quaſi exploraturus, vt foras citò erumpere poſſit. Hæc figura infantis ad exeundum comparata, βραχυφαλὴ dicitur, omnium naturaliſſima, & vtiliſſima exiſtit, tum quia capite proprio ſuóque pondere, vt diximus, facit ſibi viam ad exeundum: tum quia ſub hoc ſchemate nullum aliud membrum diſtorqueri aut reflecti poteſt, ex quo ſequatur impedimentum in partu. Alia igitur omnia ſchemata vitioſa & partum remorantia plus minus, vt quando in pedes aut manibus præuiis exire conatur, quando vnum tantum pedem vel manum exerit, aut ſeſe offert duplicatus in nates, in ventrem, & ſimiles corporis partes: ſub quo ſitu impoſſibile eſt, aut certè admodum difficile partum innoxiè ſuccedere, tum propter ſummam matris moleſtiam, tum infantis labores, cuius membra diuelluntur, & contorquentur aliquando, ſi ſub hac figurâ exeat, vel ita comprimuntur vt frequenter in hoc ſtatu intereat & ſuffocetur. Ratione denique adiunctorum fœtus contingit difficultas partus, vtpote membranarum, quas nomine ſecundinarum audiunt authores noſtri, quia ſecundæ & ſtatim poſt fœtum, ſi fieri poſſit, exire debent: quamquam etiam aliquando in feliciori partu capiti infantis inuolutæ inſtar galeæ exoriri ſoleant. Quoties autem nimium ſunt tenues & infirmæ, vt eludant vim excretricis facultatis, vel citius quam par eſt diſrumpantur, vnde contingit præcox & nimium feſtina aquarum, quæ in illis continentur effuſio, & à quibus lubrica & mollis debuit reddi via fœtui, dum paratus eſſet ad exeundum, quam deinde reſiccatam reperit. Vel quando nimis ſunt craſſæ, & duræ, vt facilè à fœtu diſrumpi non poſſint, vel poſt eum cito exire nequeuntes, quia vteri acetabulis firmius adhærent: iſta omnia δυσοκίαν inferre ſolent. Quibus adde omnes tumores præter naturam, in vtero aut fœtu geniti: Item molæ coniunctionem, quæ dum fœtui firmiter adhæret, debet ſimul exire, & propter ſuam molem aditum vtrique diutius præpedit, aut aliquando fœtum ipſum interimit. Vnde à quibuſdam Practicis iſta mola fœtui iuncta *frater Longobardorum* appellatur, quia frequens eſt eiuſmodi partus in agro Mediolanenſi ſeu Inſubriâ, ex quo multum mulieres illæ affliguntur. Atque hæc de præcipuis δυσοκίας cauſis.

Prægnitis itaque cauſis, quæ facilem vel difficilem partum excitare poſſunt, iam eſt ad diagnoſim veniẽdum. Oportet enim inſtantem partum agnoſcere, priuſquam de illius euentu pronunciemus, aut quædam auxilia ad eum iuuandum adhibeamus: deinde cauſas à quibus illi difficultas adferri poteſt, diſtinguere, vt pro earum varietate, methodicam noſtram θεραπείαν, quando opus fuerit, inſtituere valeamus.

Vbi igitur ex ſupputatione prægnantis ſeptimus, octauus, nonus, aut decimus menſis grauiditatis ſuperuenerint, & in illis contigerint dolores & tormina frequenter & valide ſeſe conſequentia verſus pubem, lumbos & inguina, non eſt dubium quin natura excretionem infantis moliatur, quæ tunc in procinctu maximè credenda eſt, quando venter in ſuperiori parte ſubito detumeſcens, ad inferiora quaſi deuoluitur, genitalia intumeſcunt, vulua humectatur, vrinæ incontinentia vrget, & oſculum matricis à peritâ obſtetrice contrectatum primò oui inſtar inflatum, deinde hians deprehenditur, mox aquarum ſanguiniſque effuſione madidum. Quæ ſi ritè ſuccedant, ſolius naturæ impetu puer pronus in caput manibus ad genua conuerſis ſeſe obſtetrici offert, & mediocri parientis conatu per vteri ceruicem ſaluus erumpit, cuius vmbilicalia vaſa adhuc vtero adhærentia conuenienter primò ligantur, ne ſanguis per ea effuſus internecionem aut ſummam debilitatem puello inferat, vt ſæpe viſum eſt: deinde ſecantur, manu obſtetricis firmiter apprehenſa, quæ non debet prius dimittere, quam monitâ muliere & erecta, vt vno aut altero impetu cum ſanguine profluente inuolucra etiam illa quæ ſecundinas appellamus, poſtmodum excludat. His enim peractis feliciter, nihil amplius ſupererit, quam vt enixæ & infantis nuper nati conueniens cura habeatur.

At verò in difficili & laborioſo partu omnia iſta peruerſo ordine ſuccedunt nam ſiue externa impediant à nobis commemorata, ſeu mater ex parte ſui deficiat, ſiue vterus male ſit diſpoſitus, aut infans non ſequatur naturæ leges, magna contingit perturbatio in opere iſto perficiendo. Malam autem externarum cauſarum conſtitutionem, ſiue neceſſariarum ſeu contingentium, facile erit ex præſenti aut prægreſſo rerum illarum ſtatu cognoſcere. Matris verò defectus in toto aut partibus, vterique affectus ex conuenientibus etiam ſignis oportet deprehendere, quæ ſuis peculiaribus tractationibus fuere propoſita. Infantis autem errores, & illi

adiunctorum

adiunctorum innoteſcent, ſi ſit debilis, malignâ aliquâ labe infectus, aut alio modo morboſus ex prægreſſis affectibus tam acutis quam chronicis, quibus diuexata mater ſecundum totum corpus, vel ipſum vterum vitioſam aut deficientem alimoniam fœtui in vtero præbuit, eiúſque vires propter ſummam fœtæ & fœtus κοινωνίαν grauiter afflixit. Vnde Hippocrates *in Aphoriſmis*, fluentibus menſtruis in grauidâ eodem modo quo ante conceptum, impoſſibile eſſe putat fœtum bene ſe habere, & dum mammæ ſubito in prægnante gracileſcunt, ſignificatur maxima fœtus & vteri debilitas, propter eum qui eſt illorum cum mammis conſenſum. In eiuſmodi etiam fœtus debilioris aut morboſi geſtatione multum laborarunt prægnantes, exiguos ac raros illius motus in matrice perceperunt, & inſtante partu nullos aut certe languidos impetus: ex iis verò ſi diutius morentur, contingit mori infantem in vtero, vel ſuffocatum, vel præ languore & virium deiectione: tuncque error contingit deterior priore, quia demortuus infans non ſolum impedit parturitionem, quia eam non iuuat; ſed inſtar lapidis aut rei cuiuſuis inanimatæ hinc inde in vtero voluitur, ſed etiam noxius eſt ſuo fœtore & putrilagine, quam ibidem concipit diutius retentus. Ideo dignoſcendus quamprimum infantis in vtero interitus, vt ante excludatur, ſi fieri poſſit, quam corruptelam ſuam matri communicarit.

Vbi igitur illud contigerit, primò ceſſat motus ille, quem prius in vtero mater aut obſtetrix percipiebant, admotâ manu aut aliis rebus tepentibus., quibus exſuſcitari ſolet, dolórque grauis & cum maiore ponderis ſenſu hypogaſtrion infeſtat: ventris inferioris frigiditas tactu deprehenditur, extincto calore natiuo & diſſipatis ſpiritibus qui ibi continebantur: prouoluitur moles illa in vtrumque latus conuersâ matre. Tandem putreſcente fœtu, ichores fœtidi & ſanioſi ab vtero emanant: abdomen ob vapores eleuatos inflatur, teter odor & graueolens ſpiritus non ſolum ex ore matris per anhelitum, ſed etiam toto corpore exhalat, vnde aliquando febres oriuntur, & vbi iam magis ſæuire incipit illa labes, lipothymiæ ſuperueniunt, oculi redduntur concaui & turbati, pallor horrendus faciem occupat, frigus liuórque in extremis apparent, donec fœmina tandem è medio tollatur. Hæc enim eſt demortui in vtero fœtus & miſerrima cataſtrophe.

At vbi error contingit in partu ex parte quantitatis fœtus: ſi ſit nimia magnitudo in toto corpore, vel capite ſimpliciter, aut ratione vteri anguſtioris, id à peritâ obſtetrice facile percipitur, quia quantumcunque rectè procedente puero & impetũ faciente, non poteſt tamen per illas anguſtias euadere, ſed in ipſo orificio ſubliſtit: ingens diſtentio & moles ſentitur: omnéſque cauſæ præceſſerunt, quæ illius quantitatẽ augere poſſunt. Idem dicas de geminis aut pluribus fœtibus ſeſe inuicẽ præpedientibus, de monſtroſis conceptibus, quibus partes abundant aut male ſunt cõformatæ, quæ omnia tactu ferè dignoſcuntur, & vario motu ſitúq; qui in vtero percipitur. Figura etiam deprauata animaduertitur facile, quia offert partem aliquam, quæ primò exire nequit ſine periculo, vt pedem, manum & ſimilia à nobis dicta. Deniq; cognoſcemus adiuncta fœtus impedimentum in pariendo adferre, ſi omnibus aliis bene ſe habentibus, aliquid tamen lateat, quod excluſionem iſtam retardet: ſecundæ quidem tenuiores & molliores quam par ſit, innoteſcũt, quando in primo impetu diſrũpuntur & emittunt illas ſeroſitates, quæ humectare debent & lubricam reddere iſtam viam: duriores verò quando non poſſunt poſt multa tormina effringi, continéntque fœtũ, & aquas illas firmiter ſine vlla effuſione. Quod ſi aliqua mola, aut tumor præter naturam iunctus eſt cum fœtu, ſentitur etiã aliquid firmius adhærens vtero, præpedienſque infantis exitum: tempora computationis incerta & confuſa propter iſtam complicationem præceſſerunt, & in tumoribus præter naturam, aut molâ impoſſibile eſt grauidam commode habuiſſe in ipsâ geſtatione, ſed grauioribus ſymptomatis infeſtatam ad iſtam partus horam perueniſſe. Ex his igitur & ſimilibus διάγνωσιν cauſarum difficilis partus ſtabiliemus.

Qvod ad πρόγνωσιν spectat. Partum difficilem & laborioſum fore præſagiet Medicus, ſi poſſit antè cognoſcere ſtatum cauſarũ à nobis enumeratarũ, potiſſimùm ſi prægnans ſit primipara, tenuiori corpore & ſicciori, anguſtioribus lũbis, & clunibus, diſtortis coxis, aut alio modo circa iſtas partes male conformata. Si ſit annoſa nimiũ, aut iuuencula, animi & corporis infirmioris, propter natiuam conſtitutionẽ, aut prægreſſos morbos. Si aquarum aut ſanguinis effuſiones frequenter in illâ apparuerint, priuſquã partus inſtaret cum aborſus periculo: Si lac copioſum & crudũ ex mammis effluxerit, aut illarum extenuatio inſueta, & pallor diutius perſeuerarint, potiſſimùm circa vltimos grauiditatis mẽſes. Deniq; ſi languoribus & horroribus frequentioribus

Digitized by Google

per interualla corripiatur. Imo si nullos, aut non sufficientes dolores in ipso partus conatu persentiat, suspectum est illud Hippocratis *in Coacis*, quia summam vtriusque imbecillitatem significat, aut partium istarum ἀναισθησίαν & quasi νάρκωσιν ab eneruato calore natiuo. Bonum est autem sternutationem partui superuenire apud Hippocratem, cum vehementiori concussu naturæ vim sopitam excitet, & illud quod firmius corpori adhæret, isto spirituum ad inferiora impulsu excutiat. Vbi partus diutius moratur, vt ad quartum vsque diem, vix fieri potest sine vtriusque magno discrimine, vt dicebamus: infans enim vt plurimum in vtero moritur, diuulsis iam acetabulis, quibus maternum sanguinem & spiritum vitalem alliciebat: continuis quoque iactatus doloribus interit. Mater etiam valde debilitata vix sufficere potest deinceps ad nouos conatus perferendos, qui ad istam exclusionem sunt necessarij. Veniamus igitur ad auxilia, quibus puerperæ in eiusmodi periculo constitutæ iuuari possunt.

Θεραπεία huius affectus partim communia quædam habet, quibus vti potest Medicus in quouis difficili partu iuuando: partim quædam peculiaria & appropriata differentiis causarum, à quibus δυσοχίαι excitari diximus. Quod ad communia spectat, primo oportet in quocunque partu rationem habere virium puerperæ, videlicet ne collabantur nimiũ; & caloris natiui, qui occupatus maximè & intentus huic operi non est reuocandus multitudine eduliorum ad concoctionem ventriculi. Ideo alendæ sunt ἰυωτάλοις & ἰυχύμοις, paucâ quantitate, sed frequenter exhibitis ad reparandos spiritus, vtpote iusculis, consummatis, panatellis, gelatinis, aqua vel stillatitio iure carnium, expresso aut contuso caponis, cruris veruecis & perdicis, ouis trémulis, pauco puluere ducis, qui ex saccharo & cinamomo conficitur, aspersis, frustulo panis in vino generoso, vt maluatico, cretensi dicto, intincti: vel etiam vino Hippocratico propter cinamomum, dummodo nulla adsit febris, vel inflammationis vterinæ suspicio. Odorentur etiam frequenter vinum aut acetum calfactum cum paucâ nuce moschatâ & garyophyllis. Quod si diutius protrahatur parturitionis tempus, exhibeantur quædam solidiora, vt nuces saccharo conditæ, cortex citri & similia, quibus ventriculi robur instauratur. Aër etiam in cubiculo parturientis ita temperetur, vt nullum qualitatis excessum repræsentet, omnisque fœtor & immundities tollatur, idque omne quod terrorem incutere possit, vt sanguis ex vtero in terram effusus & similia. Indulgeant leuiori somno quando conquiescunt tormina, & nulla se produnt exituri infantis propemodum signa; plus tamen vigilandum, vt acrior sit naturæ pugna, & celerior, si fieri possit, expulsio illius iam ad exitum properantis. Si vrina aut fæces sint diutius retentæ, educantur commodè suppositoriis aut clysteribus, quia hoc multum impedire solet parturitionem ob viciniam partium quæ ista excrementa continent, cum vtero, à quibus comprimi posset. Omnium adstantium sit alacritas, & iucunda cum parturiente locutio, vt erigatur illius animus, neque permittatur cuiquam iuuenculæ, virgini, nuper nuptæ aut inexpertæ labores istos in cubiculo illius morari: quia clamoribus & eiulatu parturientis perterrefactæ summam etiam perturbationem reliquis inferre solent. Imprimis autem obstetricis hic solertia elucescere debet, quæ puerperam iubeat decumbere, ambulare, stare, aut sedere in sellâ conuenienti, quando opus fuerit: neque enim citius quam par est aut alieno tempore oportet ista præstare: neque etiam vteri os diuellere, priusquam sponte sua dehiscat, quod tunc leuiter & placidè contrectare debet, intinctis oleo liliorum vel amygdalarum dulcium digitis, accuratéque vnguibus resectis, ne quid interius violet. Vbi iam caput infantis ad vteri orificium apparet, illam in sellâ collocare, quæ nullo modo comprimat clunes, & postremum coccygis os: vel eam duabus fœminis robustioribus aut viris, si eorum sit copia, fulcire, & ad exercendas gnauiter vires hortari, compresso anhelitu & ad inferiora vehementer compulso. Quod si sternutatio superueniat, aut arte excitetur, vt solent, paratam esse ad festinè excipiendum, educendumque molliter infantem ab vtero exeuntem.

Eodem tempore vbi partus magis moratur, possunt admouere coxis ea quæ ex proprietate creduntur iuuare partum, vt lapidem Aëtitem, styracem calamitam, coriandrum viride, aristolochiæ, polygoni vel dictamni cretici radicem & similia. Imo in illis quæ solent diutius torqueri in eiusmodi partubus, non erit inutile post aliquot horas, vt dimidij diei spatium, aliquid per os propinare, quod excitare possit naturam torpentem, aut nimium in isto opere morantem. Quæ omnia quamdiu fœtus viuit, & in vtero adhuc manifestè mouetur, debent esse mitiora

ac

ac naturæ familiaria, velut diætetica tantum ; ne ab acrioribus aut vehementioribus interimatur; idque imprimis notandum in vſu iſtorum remediorum vteri, expulſionem prouocantium. Itaque in principio ſolemus exhibere cochlear vnum aut alterum aquæ cinamomi, vel puluerem cinamomi & croci cum iuſculo vel vino albo tenui, aut decocto cicerum rubeorum & petroſelini. Noſtrates mulierculæ, vt plurimum vtuntur axungiâ ſerpentis cum iuſculo diſſoluta : quia tenuandi molliendíque maximam vim habet. Vbi paulo validioribus eſt agendum, propinant ſtercoris falconis ſeu accipitris, aut trochiſc. de myrrhâ ʒ j. cum aquâ artemiſiæ aut vino albo, vel præſcribitur ſequens iulepus.

℞ Trochiſcor. de myrrhâ ʒ j. cinamomi tenerioris & electi, corticis caſſiæ fiſtularis, quæ hîc peculiari quadam dote creditur agere, ana ℈ j. croci gran. ij. ſyrup. byzantini ℥ j. Cum aquâ fœniculi fiat potio, quæ detur calidè, vt citius in actum reducatur. Interea dum procraſtinat exitus infantis, ſolet apud nos frequens eſſe vſus confectionis alkermes : cuius deſcriptio ante aliquot annos ita fuit inſtituta à profeſſoribus noſtris, addendo ſuccum ipſum fructus kermes, minuendo doſim lapidis lazuli & ambari, vt mediocri pretio à tenuioris fortunæ hominibus nunc comparari poſſit, & tuto quibuſuis exhiberi, tam viris quam fœminis, debilitate virium tentatis, etiam alui fluxu detentis, atque in ipſo puerperio vtiliſſimè vſurpari ad ʒ ß. per ſe vel cum vino aut iuſculo diſſoluta, tum quia roborat admodum cor, ventriculum, & reliqua viſcera, tum quia ratione cinamomi & moſchi plurimum prodeſt ad recreandum vterum, illiuſque vias reſerandas. Quod obiter dictum ſit aduerſus quorumdam ſententiam, qui illius vſum in partu & aliis caſibus improbant.

Vt autem ad propoſitum noſtrum redeamus, mirum eſt quot generibus remediorum mulierculæ vires tunc robotare & morantem partum accelerare conentur: Cor è viuenti & ſubitò diſſectâ columbâ auellunt, & ita ſpiritibus turgidum, calens adhuc, tremenſque deuorandum puerperæ exhibent, magno, vt illæ aiunt, ſucceſſu: His tamen & aliis non eſt omnino obtemperandum, ſed ſelectis præcipuè inſiſtendum, ne ſcilicet vſu frequentiori & importuno aliorum febris excitetur, aut vicina loca incendantur, vel tandem copioſior hæmorrhagia excitetur.

His omnibus fruſtra tentatis, iam veniendum ad peculiarem cauſarum conſiderationem, quæ fœtum tamdiu in vtero remorari poſſunt, vt illis conuenienter & maturè proſpiciamus. Quod ad exteras ſpectat, illarũ rationem habere ſuperius docuimus ex regimine ſex rerum non naturalium & annexarum. Internæ igitur in hoc caſu perluſtrandæ, vtpote ſi ex parte matris pendeant, in tantum corrigantur aut in melius reducantur, in quantum rei huiuſce ſtatus & præceps occaſio permittet. Vtpote ſi debilior, ſi morboſa aut aliis incommodis oppreſſa, ſubleuetur iis omnibus, quæ dicta fuere à nobis vires recreare & augere ad ferendos iſtos labores partus. Si valde tenuis & macilenta conſumptóque & reſiccato corpore, humectanda & mollienda non ſolum conuenienti victu, ſed etiam balneo vel ſemicupio accommodato, ſi vires ferant, aut ſaltem fotibus & linimentis omnium partium vtero circumiectarum, quorum formulæ ſæpius fuerunt propoſitæ. Si pinguior aut craſſior toto corpore, omento, abdomine, aut ſimilibus partibus vtero vicinis, à quibus premantur vteri viæ, conſulit Ægineta & reliqui Practici, vt pariat quadrupedum more prona & genibus ſubnixa : quia tunc omentum & venter pinguior propendens ad inferiora relinquunt liberam oſculi vterini viam, ipſéque vterus deuolutus in hypogaſtrium, non præpedit exitum ipſius infantis per canalem ceruicis. Eodem modo, ſi coxæ diuaricatæ, ſi pulmonum infarctus, veſicæ aut inteſtinorum obſtructiones, vomitus & ſimilia impedimentum hic adferre videantur, erunt ſimiliter curanda, quantum fieri poterit, vt accelleretur partus. Vteri verò diſpoſitiones inſigniores & præter naturam, quando concurrunt cum parturitione, tantam ſæpius inferunt difficultatem, vt tunc fere oporteat recurrere ad Chirurgicam operationem ſiue ſectionem, quemadmodum ſupra annotauimus, & poſtea dicemus : quia impoſſibile eſt fœtum alio modo exire, quando adeſt illius φίμωσις, obſtructio ab aliquo tumore, diſtortio, vel obliquitas nimia colli, & ſic de reliquis.

Ex parte verò fœtus exoriuntur impedimenta magni momenti, quæ auxilio medico indigent: quando debilior eſt v.g. fœtus, recreandus fotu vini generoſi calentis, admoto panis fruſtulo leuiter torrefacto & irrigato aquâ imperiali, ſeu magmate, pane ſimiliter roſaceo ſinapiſato, puluere granorum kermes & nucis moſchatæ cum pauco vino. Aliquando applicare ſolemus fruſtum carnis

Digitized by Google

veruecinæ calentis irroratum aquâ roſaceâ, aut omentum ex recenter mactatâ oue, & ſimilia, quibus calor natiuus infantis ſuſcitetur, quamdiu in viuis fuerit. Vbi autem primò demortuum eſſe in vtero apparuerit, ob alimenti defectum, plethoram inſignem quâ ſuffocatur, cacochymiam humorum, affectus morboſos matris, vel certè ob ſumpta medicamenta vehementiora, aut alimenta inſigniter acria, amara, & ſic de reliquis: vel, quod hic eſt frequentius, quoniam diſruptis citius quam par eſt acetabulis quibus connectebatur vtero, & maternis vaſis non amplius vitalem illum calorem per arterias recipere poteſt, & ſic in loco illo concluſo, & imperſpirabili ſuffocatur. Quacumque igitur de causâ extinctus fuerit, conandum eſt quamprimum, vt foras propellatur, antequam putrilaginem conceperit, maiorémque noxam matri vteróque attulerit.

Ad id præſtandum vehementiora, quam dum viuus eſſet, vſurpari poſſunt, tum quia nullum ei deinceps periculum inferre queunt, tum quod multò potentius concitanda eſt facultas excretrix ceſſante omnino infantis motu. Exhibentur itaque per os decoctum ſabinæ, foliorum dictamni & baccarum lauri: puluis bauracis ad ℈ j. cum vino albo aut aquâ artemiſiæ: myrrhæ & caſtorei puluis ad ℈ ij. incorporatus cum ſucco fœniculi inſtar pilularum molliuſn, poſt quas aſſumatur decoctum cicerum rubeorum, cinamomi & foliorum petroſelini. Idem dicas de ſucco mercurialis aut decocto ariſtolochiæ, radicum ireos, verbenæ, gentianæ, foliorum thymi & ſimilium, quibus magna vis ineſt attenuandi & aperiendi. Imo ſi res cunctetur diutius, non eſt inutile aliquando conſtantibus viribus medicamentum catharticum exhibere, quia ſimul eliciuntur vitioſi humores, qui cito & facile colliguntur in iſto ſtatu, & conſecutione quadam propellitur fœtus. Non omittendi etiam fotus ex emollientibus & digerentibus, aperientibus & irritantibus, vtpote addendo ſupradictis radic. ireos florentinæ, cucumeris agreſtis & ariſtolochiæ: flores geniſtæ & ſtœchados in vino albo decocta: poſt quorum vſum non erit inutile inungere hypogaſtrium, pubem, & lumbos vnguento de artanita vel felle taurino cum pauco puluere colocynthidos & agarici. Item fumigia ex eiſdem ſuſcitare, quæ per embotum ſuſcipiet, aut ex vngulâ mulæ, piſcibus ſalitis, caſtoreo, galbano, & ſimilibus: quibus adiungere poſſumus peſſaria compoſita ex benedictâ laxatiuâ cum puluere colocynthidos & ſucco mercurialis, aut oleo rutaceo. Sunt qui indunt ſolam radicem ireos noſtratis vel cucumeris agreſtis, oleo amygdalarum dulcium vel butyro delibutam, ne acrimoniâ ſuâ partes iſtas exulceret.

Demum ſi non ſuccedat expulſio infantis demortui in vtero poſt vſum iſtorum remediorum, vel quia fractæ ſunt matris vires, vel quia infans putrefactus intumuit ibidem: antequam malum iſtud augeatur, non eſt dubium quin accedendum ſit ad Chirurgicam operationem, quam veteres ἐμβρυωλκίαν appellabant, cuiuſque deſcriptionem proponit Ægineta *libro ſexto*, & Aëtius *tetrab. 4. ſerm. 4. cap. 23.* Hac noſtra ætate multi ſunt, qui artificiosè admodum, ſine tanto inſtrumentorum apparatu & terrore, ſolâ immiſsâ manu in vterum aut vinculis comitata fœtus demortuos apprehendere & extrahere norunt; vel integros vel per fruſta diſſectos, quando aliter fieri nequit. Poſt extractionem curiosè tractandæ ſunt miſeræ iſtæ puerperæ alimentis & medicamentis roborantibus, ne omnino collabantur vires & moriantur, quod ſæpe contingit, ſi tardius facta fuerit iſta operatio: à quâ valde eſt diuerſa illa, quam ſub cæſareo partu intelligunt authores noſtri, & de quâ diſputant recentiores.

Eſt enim cæſareus partus, vt de eo obiter etiam aliquid dicamus, infantis in vtero exiſtentis extractio per cæſum ſeu ſectum abdomen & ipſum vterum ſuperiori eius parte quâ reſpicit muſculos epigaſtrij, quando nulla ſpes eſt fœtum exire aut extrahi poſſe per viam conſuetam, id eſt per collum matricis, ob tumorem præter naturam, diſtortionem, diuaricationem aut ſimiles affectus in eo genitos: vel enormem fœtus magnitudinem vnius aut plurium, quæ nos cogit ad opus iſtud accedere, ſiue ſit viuus adhuc, ſiue demortuus. Hic autem quæri ſolet, vtrum deſperato naturali partu, cæſareus tentandus ſit, nempe quando fieri nequit, vt per vias conſuetas educatur, debeat Medicus conſulere iſtam ſectionem vteri, vel poſſit exerceri ſine opprobrio & Artis infamiâ. Multi enim exiſtimant ſalua & matre & fœtu hanc operationem fieri poſſe, inter quos Franciſcus Roſſetus huius Academiæ Doctor libellum ex profeſſo edidit, vbi hanc ſententiam pluribus confirmare nititur rationibus, experientiis, & authoritatibus. D. Laurent. etiam in anatomicis quæſtionibus ad illius opinionem

opinionem accedere videtur. Sed vt liberè dicam quod censeo, supponunt illi extinctâ matre aliquando superstitem esse posse adhuc in vtero puerum, cuius seruandi causâ hæc sectio institui debeat: quod omnino est impossibile: quandoquidem fœtus in vtero existens, non aliâ vitâ quam maternâ subsistit, vnde eâ extinctâ illum etiam statim mori necesse est. Ac proinde in hoc casu inutilis ista sectio. Quando verò fœtui mortuo superstes adhuc est mater, non videtur illa via capessenda, quæ interitum matri certum inferre videtur. Vbi autem vterque adhuc est superstes, existimo ego quidem tentari posse ad seruandum puellum, si alio modo exire nequeat, quamuis matris interitus subsequatur, quia melius est seruari vnum, quam vtrosque simul perire: vel quia aliquando magis interest reipublicæ ad illustrioris familiæ conseruationem, vt puer saluus sit quam mater: vnde apud Romanos multi fuerunt Cæsares & Cæsones, qui ex vtero materno hoc modo salui & incolumes educti fuerunt per istam sectionem, matribus percuntibus. Quis enim Hippocraticæ *Aphor.* 18. *sect.* 6. doctrinæ peritus crediderit vterum tantam solutionem in suo fundo pati posse saluis parturientis rebus, quantam oportet fieri per medios epigastrij musculos & peritonæum, cum hæmorrhagiâ insigni, ad educendum inde puerum? Nam quod dicunt ex Ægineta, aliquando totam matricem delapsam & præcipitem fuisse recisam & sublatam sine interitu mulieris, multò credibilius est, quia tunc sana esse potest & robusta mulier ad id perferendum, neque infertur tanta vis toti corpori, aut reliquis abdominis partibus, quanta fit in eiusmodi sectione cæsareâ. Deinde facilius est hæmorrhagias sistere ligatis vasis aut alio modo obturatis, caloremque natiuum fouere, & cætera remedia admouere, quæ sunt ad curandum necessaria. Imo multò securius esse totam rescindere, quam dissecare illius partem, apparet exemplo puncti aut cæsi parum tendinis, in quo vrgentibus conuulsionibus & dolore cogimur ad illorum sedationem totum dissecare, etiamsi postea pereat membri illius motus. Dicimus insuper ea omnia esse de rarò contingentibus, & Æginetam ex aliorum potius relatu aut historiâ, quam proprio experimento illud in medium adduxisse. Nos igitur ad alia partus impedimenta transeamus.

Ratione itaque fœtus, dicebamus difficultatem in partu contingere etiam aliquando propter magnitudinem illius nimiam, vel multitudinem. In quo casu laxandæ sunt & amplificandæ viæ, per quas exire debet, quantum fieri poterit: sin minus ad operationem illam Chirurgicam erit veniendum, quæ manu educat eiusmodi grandiorem aut numerosiorem fœtum mortuum, integrum, vel si impossibile sit, membratim *dissectum*, antequam vires matris nimium concidant. Præcipua difficultas posita est in educendo capite grandiore, propter figuram illius sphæricam, quæ facile comprehendi non potest, vbi à corpore est separatum: tunc igitur comminuendum erit in partes: vel ita comprimendum & elongandum, vt deinceps facilius exire possit.

Situs autem & figuræ vitia, propter quæ impeditur partus, ita sunt à peritâ obstetrice, vel Chirurgo emendanda, vt leuiter retrusâ eâ parte, vt brachio, pede, vel similibus, quæ erroris istius causa existit, conuertatur infans in decentem figuram, nempe caput, & sic blandè educatur. Vel si hoc fieri nequit, quando pedes primi sese offerunt, ita componantur ad latera manus, vt exitum minus impedire possint: melius enim est infantem periclitari de fracturâ vel luxatione alicuius membri, quam in vtero diutius morari cum summo vtriusque periculo: propter quod cogimur etiam sæpe in hoc casu ad manualem operationem confugere. Idem dicas de coniuncto fœtui tumore aliquo præter naturam, aut molâ, vt supra proprio capite dicebamus. Superest igitur, vt de secundâ post partum relictâ paucis agamus.

De secvndina retenta. Per secundam autem siue secundinam dicebamus Medicos nihil aliud audire, quam inuolucra & membranas quibus fœtus in vtero alligabatur, & aquositates illæ continebantur, ex quarum præcoci aut præposterâ effusione, difficultas etiam in partu contingit propter siccitatem viarum, quæ ab eis humectari & liquescere debent ad faciliorem infantis exitum. Secundinæ autem istæ, membranæ, seu inuolucra fœtus statim cum ipso, vel paulo post, & minimo conatu exire debent, si omnia fœliciter in partu & prospere se habeant. Vbi verò diutius post illum intus detinentur, exoritur affectus in genere retentorum præter naturam: quia istæ membranæ excluso fœtu non solum inutiles sunt, sed etiam noxiæ, multisque stipatæ symptomatis.

Retinentur verò diutius in vtero poſt partum ob varias cauſas tam externas quam internas ; externas quidem , vtpote à ſubito aëris frigidioris appulſu, à quo repellitur ſecundina , & orificium vteri coarctatur : ob aquæ frigidioris potum : odoramenta etiam quæ ſurſum alliciunt vterum & exagitant : ob ſubitum timorem , vel terrorem : ob parturientis moroſitatem , quæ nequit aut non vult eo in ſitu manere , vel eos conatus præſtare , qui requiruntur ad opus iſtud perficiendum : Item ob infantis pondus , quo diſrumpitur aliquando vmbilicus ex improuiſo. Sed præcipuè propter imperitæ obſtetricis temeritatem , quæ citius reſecuit vaſa vmbilicalia quam par eſſet , aut non retinuit ſiniſtrâ manu vt debebat ad extractionem iſtarum tunicarum , quæ illis adhærent : fit enim tunc vt ſurſum reuulſus & quaſi retractus in vterum vmbilicus , non poſſit deinde educi tam facile foras. Internæ autem cauſæ cur retineantur , eſſe poſſunt præcipuæ iſtarum tunicarum nimia craſſities , aut quando nimium vteri parietibus adhærent : vel etiam earum exilitas , quæ eludit vim excretricem partium iſtarum : aut quando propter diuturniores partus labores vterus & ſecundinæ intumeſcunt & inflammantur cum affluxu humorum : vnde aliquando ſuccedit putredo hiſce membranis:corrumpuntur enim tum quia amplius non aluntur occluſis cotyledonibus,per quos trahebant ſibi & fœtui nutrimentum:tum quia in calido humidoque loco concluſæ non euentilantur.

Facilis eſt igitur retentæ in vtero ſecundinæ cognitio , quia debet cum partu paulo poſt partum excerni. Cauſarum etiam tam internarum quam externarum notitia habebitur ex conſtitutione earum rerum quæ dictæ ſunt à nobis illam extra vel intus detinere poſſe. Sic etiam vbi putreſcere & inflammari incipit , agnoſcetur ex vteri tumore , dolore , continuâ febre , pulſu immutato, & fœtore inſigni : imo ingraueſcente affectu incipit teter vapor ventriculum , cor , hepar , diaphragma & aliquando cerebrum impetere:vnde nauſeæ, lipothymiæ,dyſpnœa, linguæ ſcabrities , ſudores diaphoretici , extremorum frigus , ſuffocationes hyſtericæ, epileptici inſultus , & tandem mors ipſa ſubſequitur. Hinc igitur apparet, quod ad prognoſim ſpectat , quantum periculum immineat hiſce mulierculis ex retentis diutius iſtis ſecundinis : Optimum eſſe vult Hippocrates , quando apparet citò ſanies copioſa,& per pudendum effluit, idque confirmat *ſect.2.lib.2.epidem.* hiſtoriâ vxoris cuiuſdam Coriarij:quia tunc ſpes eſt illas ſexto vel ſeptimo die computrefactas ſponte ſua decidere poſſe.

Non eſt igitur negligenda iſta curatio : ſed eiuſmodi mulier conuenientibus alimentis , cardiaciſque medicamentis tam ſumptis quam admotis diligenter roboranda , ne concidant vires , aut teter fumus partes nobiles inficiat. Perficietur autem per ſublationem integram rei noxiæ ſiue ſubſtantiæ præter naturam retentæ. Illud autem præſtandum in principio , ſi fieri poſſit , dum adhuc vmbilicus extra vterum prominet cum fœtu , vel reſectus manibus obſtetricis tenetur , vel coxæ mulieris eſt alligatus , vt ſolent peritiores facere , leuiter trahendo hinc inde , non recta , ne ſimul vteri fundum euertatur , & matrix præcipitetur ; ſed in obliquum & quaſi in orbem : excitando etiam ſternutamenta , ex *Aphor.35.ſect.5.* naribus occluſis , & concitando fortiter ſpiritum verſus inferiora ; quemadmodum & commodè tuſſim , dummodo illius impetus feratur deorſum : aut ſuffiendo vterum ex vngulæ aſininæ ramentis combuſtis , quam ad hoc peculiarem quamdam proprietatem obtinere ſcribunt Practici : aut cornuum captæ apud Hippocratem: vel potius ex odoratis , vt caſſiæ cortice , nardo , thure , & ſtyrace : ita tamen vt nares non feriant , quia iſta dilatabunt , & aperient vterum , eumque quaſi commonefacient de excutiendis hiſce ſecundinis. Poſſunt etiam exhiberi potiones aperientes , & irritantes vim expultricem ſuperius propoſitæ in partu accelerando. Hippocrates commendat ſpolium ſerpentis ad tres obolos ſumptum cum decocto radicum fœniculi. Item decoctum foliorum anchuſæ & mercurialis ſumptum:ita vt mulier poſtea deambulet , vel ſaltet , & ſeſe concutiat , ſi fieri poſſit. Quidam ſcribunt opobalſamum indicum ad 3 ß. cum pauco vino tepido exhibitum , magnam vim hic obtinere ; ſed poſtea volunt bibi lactis muliebris vel alterius calentis cyathum vnum , vt acrimonia illius obtundatur , aut etiam infundi in vterum lac & emulſiones ex ſemine lini ad leniendum. Nec etiam omittenda erunt peſſaria illa educentia & irritantia ſuperius commemorata.

Verum inter alia multum in hoc caſu poteſt manus peritæ obſtetricis aut Chirurgi in vterum immiſſa , antequam inflammatio vel inflatio exoriatur : ſic enim

apprehenſis

apprehensis secundinis & molliter circumductis poterunt tutò, citò, & iucundè extrahi, mulieremque à tot symptomatis, & remediorum molestiis liberare. Sin verò nihil hisce proficiatur, aut eorum vsus impediatur, vel respuatur, expectanda secundinæ putrefactio, vt docuit Hippocrates, tuncque roborandæ partes principes vt resistant pessimæ huic exhalationi: iuuanda etiam maturatio, si ita videatur, iniecto sæpius in vterum oleo iasmino vel amygdalarum dulcium, aut tetrapharmaco dissoluto cum aquâ hordei & pauco melle ad leuiter detergendum. Non inutilis etiam erit vsus frequens clysterum, quia educunt morantia in aluo tunc excrementa putidiora, & simul excitant ipsam facultatem ad munus suum exercendum. Atque hæc de secundinâ sufficiant: nunc ad regimen enixarum, & earum morbosos affectus curandos accedamus.

CAPVT VII.

De regimine Enixarum.

POST partum tam naturalem & consuetum, quam difficilem & laboriosum, non est dubium, quin puerperæ summo indigeant regimine vt conseruentur ab omni noxâ impendentium symptomatum, & ad integram valetudinem restituantur. A quocunque enim partu adest veluti contusio partium vtero vicinarum, confractio totius corporis ob prægressos labores & virium deiectio, præcipuè dum diuturnior mora in excludendo fœtu intercessit. Oportet etiam necessariò expurgari à partu reliquias menstrui illius sanguinis, quæ in vasis vtero circumiectis toto gestationis tempore collectæ fuerant: λοχίων κάθαρσιν vocat Hippocrates μετὰ τὸν τόκον γινομένην: quæ purgatio in puerperis totos aliquando quadraginta dies perdurat, vt est apud Hippocratem *libro* 1. γυναικείων: aliquando tamen minus pro variâ puerperarum constitutione. Reddit autem rationem *lib. de naturâ pueri*, cur per quadraginta dies fiat lochiorum purgatio: quia, inquit, primis quadraginta diebus dum fit conformatio pueri in vtero, magis allabitur sanguis, quam absumi possit. Ideo oportet illius redundantiam circa vteri vasa collectam totidem diebus post puerperium effundi, vt collectioni quadam proportione respondeat. Aliàs itaque contingit eiusmodi lochia supprimi: alias nimium excedere: vnde varij affectus grauissimi exoriuntur: sæpe etiam dum expurgantur propter flatus aut crudos succos illis permixtos, inducunt tormina, *tranchees*, & ventris dolores. Ex puerperio etiam sequitur lactis in mammas copiosioris irruptio, *bontade*, nondum satis bene excocti, πρωτόγαλα vocant authores nostri, cuius ratione multa etiam accidentia apparere solent in puerperis, plethoricis potissimum, vel cacochymis. Denique ex partu venter, vterus, & viæ illæ genitales multa patiuntur, quæ aliquando medicâ ope ad restitutionem indigent. Iamque præterlapsis aliquot decubitus ex partu diebus, antequam mulier sese consuetis accingat muneribus, debet confirmari totum corpus illius, & à sordibus & omnibus inquinamentis per istas euacuationes & moram in lecto contractis diligenter emendari.

Est igitur ex his manifestum, duplicem proponi curam in istis puerperis: vnam quidem ratione ipsius partus tantum & eorum quæ ad illum necessariò consequuntur: aliam verò ratione affectuum præter naturam, qui illis à puerperio frequenter accidere solent: quod nos etiam duobus capitibus complectemur: primo enim agemus de regimine enixarum, quatenus eo indigent secundum cursum naturalem partus, vt loquuntur Practici: sequenti verò dicemus de affectibus morbosis puerperarum.

QVOD AD REGIMEN ITAQVE ILLARVM ORDINARIVM SPECTAT. Vbi primum ex labore partus emerserunt, excluso scilicet fœtu & secundinis, in lecto molliter collocandæ sunt, post repurgatas genitalium sordes, & appositis fasciis aut linteolis, quæ excipere possint profluentia excrementa: nostrates mulierculæ ad id natibus puluinar furfure repletum, constituuntque modicè diuaricatis cruribus, ne exitus prædictis excrementis præpediatur. Sunt qui statim post partum inuoluunt illas pelle arietinâ recenter detractâ & adhuc calente ad lassi-

tudines

tudines ex compreſſione prædictâ & contuſiones leuandas : alij autem contenti ſunt ad idem ventrem, lumbos, & inguina inungere ſtatim oleo myrtino & amygdalarum dulcium, vel liliorum ſimul mixtis cum pauco vino calente. Interea arceatur omnis ſtrepitus, & imperetur quies ac ſilentium eiuſmodi puerperis decumbentibus, ne agitatione partium commoueantur humores verſus ſuperiora. Obſerentur primis ſaltem diebus feneſtræ cubiculi vbi degit, ne luce nimiâ diſſipentur ſpiritus, & vires debilitentur : frigiditas aëris & aura omnis diligenter impediatur, ne illarum corpora rarefacta & aperta ſubintrare valeat : quemadmodum omnia odorata remoueantur metu ſuffocationis matricis, quæ tunc debilior facta, & exagitata præcedenti motu facile irritari ſolet, magnamque illis moleſtiam faceſſere. Eodem modo mœror omnis, iracundia, & ſimilia animi pathemata eliminanda, quorum tumultu poſſet tunc coniici in grauiſſimos affectus.

Victus in principio, contra vulgi ſententiam, ſit tenuis & parcus, quemadmodum in illis qui paſſi ſunt magna vulnera : natura enim deiecta non poteſt magnam ciborum quantitatem conficere, & metus eſſet ex pleniori victu, ne magis in illis excrementitij humores multiplicentur. Adde quod vitandus eſt lactis nimius impetus, ex quo frequenter & peſſimè afficiuntur. Senſim ergo augenda erunt alimenta, prout melius ſe habere videbuntur, vbi iam peracta conuenienter purgatio lochiorum, atque lactis conſtitutio laudabilis apparebit. Noſtrates itaque illas in principio puerperij nutriunt iuſculis tantum & panatellis, accuratè cauent, ne primis nouem diebus bibant, vel parcè admodum & tepidè metu dolorum, quos ventrem & vterum exercere tunc dicebamus. Si aliqua ſit inflammatio, aut ſuſpicio febris, abſtinere vino iubent, & in illius locum exhibent aquam, in quâ cinamomum, & parum ſeminis coriandri bullierint, ne ex aquâ ſimplici flatus & tormina excitentur. Non permittunt etiam temerè mutare veſtes aut induſia, donec ſeptimus vel nonus dies præterierit : circa vigeſimum diem vt plurimum eas ſui iuris faciunt, & ſurgere ſinunt : quia, vt docet Hippocrates, *intra illud tempus*, purgationes puerperij vt plurimum & ſufficienter perficiuntur *lib. 1. γυναικείων, & lib. de naturâ pueri.* Aliæ vero menſem integrum aut totos quadraginta dies in lecto contineri volunt, donec vterus recte fuerit expurgatus, & viæ illæ omnes vterinæ ſufficienter ſint confirmatæ ; alias flatibus impleri aut diſtorqueri aſſerunt. Paucæ tamen tam diuturnam in lecto moram pati poſſunt, ſed plerumque poſt decimum quartum diem incipiunt progredi, ſaltem per aliquot horas interdiu, ad ſuſcitandum calorem natiuum, & excutiendum commodius quidquid adhuc in vtero excrementorum deliteſcit. Non eſt omittendum, quod in illis quæ ablactare puerulos ſuos nolunt (quod frequens apud nos exiſtit) proſpiciendum erit in principio, vt purgationes vterinæ ritè procedant, & ſanguinis impetus à mammis reprimatur, admotis regioni axillarum vnguento roſaceo & ſantalino cum pauco aceto, ipſis autem mammis cataplaſmate ex farinâ fabarum & orobi cum aquâ ferratâ, vel pauco oxymelite mixta, aut decocto foliorum menthæ, creſſonis, apij & ſeminis myrti, ex quorum etiam reſidentiâ contuſâ comparari poteſt cataplaſma.

Sunt quæ frequenter eiuſmodi fœminis ad diſſipandam lactis materiam exhibent hydromelitis dilutioris ℥ ij. vel iij. dummodo non ſint obnoxiæ ſuffocationi vteri, ex quo vidimus aliquando ſatis bonam lactis quantitatem cum vrinis excretam. Sed quidquid ſit, tutius eſt multò imprimis educere eam quæ redundat lactis copiam ſugendo, quod fit à pauperculis quibuſdam mulierculis, quæ deinde ex ore illud reiiciunt ; vel à catellis edentulis, aut cum vitreâ illâ ampullâ, quam deſcribit Paræus, aquâ tepente irroratâ : aut mulgendo : deinde lac paulatim repellere, & mammas adſtringere. Non eſt autem permittendum, vt vbera ſua tunc puerulo nuper nato exhibeant, quia illud lac adhuc feruidius & craſſius facilè coagulatur in ventriculo illius, & varia infert ſymptomata : poſt ſeptem aut octo dies habetur iam purum & innoxium, vt infanti exhibeatur, ſicut poſtea ſequenti libro dicemus in regimine nutricis.

Interea in illis quæ ventris torminibus ſunt obnoxiæ, dum purgationes iſtæ lochiorum perficiuntur, præcauenda erunt illa, & lenienda eis quæ ſanguinem iſtum craſſum attenuant & flatus diſcutiunt: vnde ſolet concinnari puluis ex æquis partibus diacumini, ſeminis dauci & cinamomi, cuius ʒ j. exhibetur mane & ſero cum pauco vino albo tenui & aquâ fœniculi, vel borraginis, ſi fœmina bilioſior videatur, diluto. Mulierculæ non ſolum porri capita decocta, vel ſummas radices

ſub

Digitized by Google

ſub cineribus coctas puerperarum vmbilico adhibent, ſed etiam illis iuſcula cum pauco croco,& vitellis ouorum exhibent,ſi nulla febris adfuerit;ſæpe etiam theriacæ optimæ ʒ ß. cum ʒ j. conſeruæ capill. Veneris non infœlici ſucceſſu. Interea inungitur venter oleo ex ſemine lini vel ſambucino, addendo parum croci; aut rutaceo,ſi flatus magis vrgere videantur.Ad quos diſcutiendos alij parant facculos ex milio,auenâ,ſemine fœnugræci & lini,herbis artemiſiæ,ſaluiæ & ſabinæ cum pauco ſale,omnia frigunt in ſartagine,irrigantes pauco vino rubro aut aquâ vitæ:his fouent enixarum ventrem : deinde illinunt vnguento ſequenti.

℞ Olei amygdalarum dulcium & hyperic.ana ℥ j. ß. myrtini ℥ ij.ſeu hircini & ſpermatis ceti, (*eſt adeps vnius balænæ*) ana ℥ j.ceræ nouæ q.ſ.Applicetur.Si dolores & tormina adhuc magis vrgeant, admoueri poteſt omentum veruecis recenter extractum & adhuc calens, aut vino irroratum, vel fruſtum pellis nigri veruecis recens mactati:deinde parari ſpanadrapum barbaris dictum,ſeu tela Gualteri:hoc modo

℞ Ceræ nouæ ℥ iv.ſpermatis ceti ℥ j.ß.terebinth.Venetæ in aquâ roſarum & artemiſiæ lotæ ℥ ij. olei amygdalar. dulcium & hyperic. ana ℥ j olei myrtini & de maſtich. ana ℥ ß. axungiæ cerui vel medullæ cruris vituli ℥ j. ß. Liquefiant omnia ſimul:deinde auferendo ab igne,iniice telam vnam aut duas cannabinas ad magnitudinem ventris : hæ leuiter calfactæ admoueantur toti abdomini viciſſim : vel ſinantur per diem integrum.

℞ Aniſi ʒ j.nucis moſchatæ,cornu cerui vſti,ana ʒ j.nucleor.dactylor. ʒ iij. cinamomi ʒ ij. ſacchari parum. Fiat puluis. Vel

℞ Radicum conſolidæ maioris ʒ j.ß. nucleorum perſicorum & nucis moſchatæ, ana ℈ ij.ambræ griſeæ ℊ.iij.Fiat puluis. Capiat ʒ j.cum vino aut iuſculo, vbi caliditatis eſt ſuſpicio. Quidam valde laudant aquam ex floribus chamæmel. ſtillatitiam ad ℥ ij. ſumptam in hoc caſu, & parietariæ folia cum oleo rutaceo fixa ventri admota.

Præter iſta ventris tormina,quæ enixas frequenter exercere ſolent,videndum erit vtrum poſt partum leues aliquæ exulcerationes, aut diſtortiones vteri & partium genitalium ſubſint, quarum reſtitutio erit procuranda poſt fluxum lochiorum, vt propriis capitibus docebamus. Quemadmodum ſulci & rugæ ventris, quæ illis accidere ſolent ob diſtentam abdominis cutem geſtationis tempore, deinde poſt partum contractam, non ſolum præcauendæ, vt ſuo loco diximus, ſed etiam nunc corrigendæ inunctione olei de nuce indicâ, quod hic plurimum valere certum eſt;vel adipe illo ex vuluâ balænæ extracto, quem vulgò *ſperma ceti* appellant : addendo modicum ceræ nouæ. Item laudatur cinis teſtudinis nemoralis oui albumine exceptus, aut aquâ ex illo ſtillatitiâ. Sed imprimis etiam proderit tela illa à nobis propoſita; quam ſpanadrapum vocant : illa enim æqualitatem ſummam & ventri mollitiem comparabit.

Vt autem viæ illæ genitales poſt partum relaxatæ, & quaſi diuulſæ reſtituantur, non erit extra rem, ſi abſoluto prius puerperij purgamento, foueantur loca iſta pudendorum decocto malicorij, roſarum rubrarum & ſeminis myrti in vino rubro adſtringente, aut aquâ aluminoſâ:vel etiam immittantur peſſaria ex puluere gallarum cum prædictâ aquâ,& goſſipio concinnata.Quibus omnibus peractis,antequam puerpera cogitet de congreſſu & ſolitis negotiis repetendis, videndum erit, vtrum propter ſordes illas ex partu & morâ diuturniore in lecto contractas, balneo indigeat, aut propter humores excrementitios & pituitoſos, qui ob deſidiam illam & otium facilè contrahuntur,ſtuphâ ſiue laconico, quod valde noſtratibus fœminis eſt vſitatum.Quædam balneum humidum cum ſicco coniungunt : ita vt poſt labri vel ſemicupij vſum, iubeant illas in ſtuphâ mediocriter ſudare.

Sed vt hac de re ſententiam noſtram aperiamus : certum eſt balneum humidum à partu valde conferre poſt peractam lochiorum purgationem & egregiè reſtitutas vires:quia ſic commodiſſimè abluuntur ſordes ex illis contractæ, roborantur partes, & ad meliorem deinceps habitum contrahendum diſponunt. Sed hoc in fœminis potiſſimum bilioſis aut ſanguineis, macie quodammodo ob labores & vacuationes prægreſſas affectis, & quæ aſſuetæ ſunt eiuſmodi balneis.In aliis vero, vt phlegmaticis & pinguioribus,quibus venter aut pedes facile intumeſcunt,melius eſt abſtinere,& ad ſtuphas relegare,ſi res expoſcere videatur, aut contentas eſſe ſolâ lotione pudendorum, vel fumigio accommodato, vt poſtea dicemus. In eis itaque quibus competet balneum, prægreſſâ leui purgatione aut clyſmate, ſi excrementorum adſit prouentus, ita præſcribi poterit poſt vigeſimum vel potius trigeſimum

Digitized by Google

partus diem,vigente aëris clementiâ,aut saltem artificio comparatâ in earum cubili.

℞ Rad.acori,enulæ campanæ,& lilior.albor.ana ℔ ij.corticis citri sicc.℔ ß.foliorum artemis.pulegij, agrimon. maioranæ & borrag.ana M.iv.semin.lini & fœnugr.leuiter contusi,granorum myrti, ana ʒ ij. flor. chamæmel. melilot.stœchados, anthos,rosar. rubr.ana M.j.Fiat omnium decoctio in aquâ fontisvel fluminis pro balneo,quod ingrediatur tepidè,& ibi maneat per duas horas mane,& per vnam tantum à meridie. Antequam exeat,sumantur tres aut quatuor silices igniti, qui in sartagine positi irrorentur vino albo,in quo parum aluminis dissolutum fuerit, vel sine eo,iniiciantur in balneum, & excipiat eiusmodi fumum circa regionem renum, & lumborum,ad eos confirmandos.Dum erit in balneo,neque potu,neque cibo vtatur,sed antequam ingrediatur per semihoram sumat iusculum, aut vitellos aliquot ouorum cum vini momento,tacita etiam & ab omni strepitu libera maneat,tam in dicto balneo,quam vbi in lecto erit reposita:contra morem vulgi,quod bacchanalia in eiusmodi balneis celebrare solet:continuet per biduum aut triduum,prout moris est,si bene ex eo se habeat,neque lassitudinem sentiat. Finito balneo per aliud biduum vtatur sequenti fumigio,quod maximè conueniet ad facilitandam futuram conceptionem.

℞ Santali citrini, corticis citri sicci & nucis moschatæ, ana ʒ ij. granorum kermes,& nucum cupressi,ana ʒ j.garyophyllor. & carabes,ana ℈ j. Fiat pulvis crassior, de quo parum coniiciatur super prunas in sellâ perforatâ positas, vel in ollâ quæ canalem seu tubulum habeat ad interiorem vsque pudoris sinum. Si timeas siccum,propter vapores acriores, fiat ex decocto schœnanthi & aluminis, cum aliquot garyophyllis in vino albo calente feruefactis.

Vbi verò venter aut pedes in puerperâ apparent tumidi post dies decubitus peractos, instituenda erit purgatio solennis & integra,si autumnus aut ver tunc vigeant, vel saltem per διάκρισιν pro naturâ laborantis:deinde committenda stuphæ seu laconico per duos aut tres dies, horis tantum matutinis ad absumendos humores illis superfluos. Quod si abhorreat vsum stupharum, vt multæ solent, non erit extra rem, illi præscribere diætam sudorificam per duodecim aut quindecim dies ex decocto sarsæ parillæ, vel radicis chynæ : & interea eis vti remediis, vt fotibus,lixiuis, vel linimentis,quæ ad discutiendos istos flatus,& humores serosos conuenient. Multas etiam eiusmodi cachexiâ ex puerperio contractâ vsu thermarum nostrarum Balerucanarum artificiosè præscriptarum conualuisse certissimum est, atque luto illo calente ventri & pedibus admoto omnem tumorem euanuisse. Nos igitur ad affectus puerperarum morbosos transeamus.

CAPVT VIII.

De affectibus morbosis puerperarum.

OSTENDIMVS superiori capite partum quendam esse naturalem & consuetum:alium verò difficilem,laborioſum, præter naturam,& extraordinarium,qui non solum dolores atrocissimos,& periculà inferre solet in ipso parturiendi conatu,sed etiam post illum grauissimos affectus morbosos, qui curatione medicâ indigent. Quemadmodum enim in grauidis acuto morbo,vel chronico detentis, exoritur peculiaris quædam ratio illas tractandi propter fœtum in vtero contentum : sic etiam in puerperis non est dubium, quin considerationes multæ exurgere possint, propter quas tam in præsagiendo,quam curando diuersitas maxima exoritur.

Cum igitur dixerimus suprà præcipuum in puerperâ bonæ valetudinis fundamentum positum esse in eo,vt purgatio illa lochiorum seu sanguinis in vteri vasis vel circumiacentibus contenti ritè procedat : hinc etiam sequitur prima incommoda aduersæ valetudinis exoriri, quando vel deprauatè & immodicè fit, vel imminutè illa vacuatio : eo enim tantum modo enixæ à vulneratis discrepant, quod in puerperio largius,& diutius quam in vulnere fluere debeat iste sanguis,propter contractum in eo vitium,& naturam partis affectæ,quæ huic vacuationi est assueta. Quotiescunq; igitur post primos impetus & labores partus, excluſumque fœtum & secundinam, sanguis iste ob rupta vasa, vel nimium aperta tantâ fluit quantitate, vt puerpe-

ris citò ruinam minetur, quod ex viribus potius decumbentis & pulſu, quam certâ menſurâ eſt coniectandum: vnde Aphoriſmus ille 54.*ſectionis quintæ, in fluxu muliebri ſi conuulſio, & lipothymia accidant, malum*: toties incumbit negotium Medico, vt illi ſuppetias maturè & prudenter afferat. Primo enim ea inſtituenda erit victus ratio, quæ incraſſandis humoribus & compeſcendo fluxui eſt accommodata, vtpote pro potu vtatur aquâ ferratâ: vel in qua parum maſtiches bullierit, addendo modicum vini rubri auſteri, ſi nimia ſit virium deiectio; panatellis, gelatinis, amylo aut oryzâ coctis cum iuſculo capi & pedum aut cruris vituli: pyris, cydoniis malis, carnibus aſſis, & ſucco granatorum aſperſis, aliiſque ad hanc rem comparatis, frequenter potius quam magnâ quantitate & confertim exhibitis. Non omittendæ etiam erunt frictiones, & ligaturæ dolorificæ ſuperiorum partium, cucurbitulæ vtrique hypochondrio admotæ, inunctiones hepatis ex vnguento roſaceo, & cataplaſmata, *eſtoupades*, ex bolo armenâ cum albumine oui & pauco aceto comparata, quæ lumborum regioni & pubis admouentur. Valde commendant authores noſtri ſtercus ſuillum adhuc calens aceto diſſolutum & ventri admotum. Poterunt etiam per os exhiberi quædam potiones adſtringentes ex terrâ ſigillatâ cum ſyrupo myrtino & aqua plantaginis, vel ipſo ſuccus recens extractus: atque etiam ipſum rhabarbarum pulueriſatum cum pauco ſemine plantaginis ex iuſculo aut pauco vino adſtringente. Imo vbi immodicè fertur iſte ſanguis, ita vt nullâ arte reuocari poſſit, non eſt præſentius auxilium, quàm venam cubiti aperire, & ſanguinem inde paulatim, & per vices educere: ſic enim multas velut deploratas & ab omnibus derelictas conualuiſſe obſeruauimus.

Quod ſi propter iſta adſtringentia, & refrænantia ſumpta & admota ſanguis craſſior redditus concreſcat in grumos, & in vtero ſubſiſtens dolorem, tenſionem, & fumos cordi ac cerebro malignos communicet, videndum erit vt illi blandè excutiantur, antequam maiorem conceperint putredinem, & febrem induxerint: ideo iubendum eſt vt erectæ, ſi fieri poſſit, aut ſaltem genibus innixæ maneant: ſic enim ſuomet pondere aliquando decidunt: aut ſi hoc fieri nequeat, educantur manu peritæ obſtetricis, vel etiam diſſoluantur factâ iniectione tepidâ in vterum ex decocto hordei & pauco oxymelite: aut aquâ nucum & rubiæ: cautè tamen agendum, nam ſic vndique imminet periculum, ne ſcilicet poſt eductos eiuſmodi grumos, aut diſſolutos, renouetur ſanguinis fluxus immodicus cũ vitæ diſcrimine: aut ſi eiuſmodi ſanguis coagulatus in vtero maneat, ne calorem natiuum ſuffocet, reſpirationem intercipiat, aut ob inſignem putrilaginem febres, lipothymias, ſudores diaphoreticos, & ſimilia accidentia accerſat. Videat itaque Medicus, ne quid detrimenti ex alterutro exceſſu ægrota accipiat, ſed vtrumque, quantum fieri poterit, ſapienter moderetur.

Sequitur itaque aliud vitium huic contrarium, nec minus pernicioſum, nempe lochiorum iſtorum, ſeu menſtrui poſt puerperium ſuppreſſio, aut imminuta vacuatio: ex cuius refluxu aut corruptelâ, infiniti propemodum affectus generari poſſunt: & eſt præcipua cauſa accidentium præter naturam, quæ in puerperis apparere ſolent: quoniam non ſolum quantitate, ſed etiam qualitate hic ſanguis peccat, tum ob diuturnam moram circum vteri acetabula, tum quia tracto puriore alimento à fœtu, quidquid fæculentum & impurum in illo fuit, ibidem relinquitur vſque ad tempus parturitionis. Hinc igitur Hippocr. 1.γυναικ. oriuntur febres acutæ, maniæ, melancholiæ, phrenitides, anginæ, pleuritides, peripneumoniæ, & cætera eiuſmodi: vt taceam vteri inflammationes, & tumores malignos: niſi aliunde exoriatur aliqua vacuatio, quæ vitium iſtud emendet, vt per alui fluxum, per hæmorrhagias narium & hæmorrhoidum, vrinarum cum fuliginoſo ſedimento, vt eſt 3.*epid.ſect.*5. profuſiones, aut ſudoris copioſi, cuius ſummam hîc vtilitatem doctè animaduertit Auicennas.

Eiuſmodi itaque purgatio poſt partum à variis cauſis imminui vel ſupprimi poteſt tam exterius quam interius, quas non opus eſt hic accuratius recenſere, cum à nobis fuerint propoſitæ capite de ſuppreſſis menſtruis. Vbi igitur primùm iſta puerperij purgamenta ſuppreſſa fuerint, ita vt dolor in vtero & calor ſentiatur, ventris aut lienis tumor cum tenſione lumborum ac difficultate ſpirandi, faciei rubore intenſo, aut liuore, oculorum perturbatione & ſimilibus: ſtatim ad ea veniendum, quæ iſtum ſanguinem ad inferiora reuocent & foras eliciant: vtpote clyſteribus laxantibus, & mollientibus: & ſi iam aliquot dies, vt ſeptem vel nouem à partu interceſſerint, purgatione leui ex infuſo rhabarbari, agarici, aut ſenæ decocto: imo etiam valentioribus, ſi opus eſſe videatur. Fiant frictiones frequentes femorum & crurum aſperiores deorſum verſus, ligaturæ dolorificæ articulorum pedis: admoueantur

cucurbitulæ inguinibus & coxis cum multâ flammâ, atque etiam carnosiori parti tibiarum cum leui scarificatu, si rubor in illis appareat. Quod si illis nihil proficiatur, & malum ingraueſcat, non est cunctandum in apertione venarum poplitis aut vtriusque cruris semel, bis atque iterum, si opus sit; vel etiam hæmorrhoidum, si natura eò videatur vergere, distentis aut dolentibus venis illis exterioribus ani.

Aliquando fit vt ne sanguis quidem commodè fluere possit per istas venas ob tenacitatem & crassitiem, quod Hippocrates innuit *lib. de naturâ muliebri*, ideoque adhibet fotus attenuantes & mollientes toti ventri, pessaria prouocantia menses, potissimum ex farinâ nigellæ romanæ, succo mercurialis excepta: fumigium ex bdellio, sinapi & myrrha: aut ex vngulâ asini & capræ: exhibendo etiam per os ea quæ menses prouocare possunt, vt decoctum radicum aperitiuarum, graminis, cinamomi, & cicerum rubeorum cum pauco croco: imo etiam ʒj. trochiscorum de myrrhâ cum pauco vino albo, aut aquâ fœniculi, antequam febris inualuerit. His enim & similibus irritanda erit denuò ista purgatio lochiorum, tanquam causa morborum, qui ad eam consequi solent: deinde peculiariter partibus ipsis male affectis erit prospiciendum, vt cordi, ventriculo, lieni, cerebro & similibus, quæ ob communicationem istius maligni humoris maiorem noxam contraxisse videbuntur.

Accidunt igitur puerperis morbi primò & principaliter ob istam purgationem malè constitutam: secundò ob intensos labores & dolores quos in partu passæ sunt: tertiò ob lactis redundantiam & refluxum per totum corpus: quartò ob malum corporis habitum innatum vel aduentitium ex causarum externarum internarumque aduersâ constitutione. Quomodocunque igitur illud fiat, videndum quæ ratio illarum sit habenda in therapeiâ instituendâ, exemplo aliquo affectuum qui illis frequentius accidere solent: ducto initio à febre continuâ primariâ, cui valde sunt obnoxiæ: deinde febre secundariâ seu symptomaticâ, quam sub nomine pleuritidis explicabimus.

Febris igitur primaria à putredine humorum in maioribus vasis orta, magnum inferre solet puerperis periculum, vt patet ex 3. *epidem. histor.* 12. tum ob propriam speciem, tum etiam propter excrementorum in illis agitationem & prauitatem, corporisque ob prægressos labores infirmitatem. Habet quoque prædicendi difficultatem, vt etiam obiter attingamus, propter computationem variam dierum criticorum, quibusdam existimantibus numerum illorum inchoandum à die partus: aliis vero ab initio ipsius febris, propter varios & pugnantes Hippocratis locos: nam *in prognosticis* apertè dixit: mulieribus iudicationes contingere à partu: & Galenus *in commentario. Principium*, inquit, *numerationis tibi fiat, non quo die cæperint febricitare, sed quo pepererint*: quod etiam confirmatur 3. *epid.* variis historiis à decimâ ad duodecimam. Attamen *sect.* 3. *lib.* 1. *epidem.* in descriptione ægritudinis vxoris Philini, Epicratis, & Dromeadis facit initium à die febris, non à die partus. Vt igitur sententias istas conciliemus, & veram Hippocratis mentem breuiter aperiamus, scitum est ex superioribus, partum alium esse naturalem, ordinarium & facilem, quatenus natura ipsius rei ferre potest: alium verò difficilem, laborioſum, magnis doloribus & symptomatis comitatum. Modò partus ille naturalis ordinarius & facilis tendit vt plurimum ad integram matris & fœtus valetudinem, neque facit maiorem motum humorum quam par sit, sed omnia intra mediocritatis limites remanent: ita vt nisi error aliquis externus de nouo contigerit, vel præcesserit mala quædam dispositio in prægnante, certum sit puerperam ratione ipsius partus, neque febre, neque alio affectu morboso corripi debere. In hoc itaque partu, si post aliquot dies, propter impetum causarum externarum vel internarum exoriatur causos, pleuritis aut similes affectus, certè computatio criticorum dierum non debet fieri à die partus, sed à die morbi, quando inceperunt exagitari humores præter naturam & putrescere. Contrà verò in partu difficili & laborioso, per quem totum corpus valde fuit commotum, & humores exagitati, si febris post tertium vel quartum diem corripuerit puerperam, oportebit initium computationis facere ab ipso die partus: quia tunc incepit totius corporis œconomia peruerti, humorumque perturbatio fieri, à qua proficiscitur deinceps iste affectus: quemadmodum obseruare solemus in vulneribus capitis, & inflammationibus partium internarum. Vnde patet conciliatio locorum Hippocratis, & vera ratio numerandi dies criticos in istis affectibus complicatis. Nunc videamus,

mus, quid de ὑπαιθρίᾳ febris iſtius primariæ & continuæ in puerperis ſit ſtatuendum.

Conſiderandum itaque primò, vtrum exorta ſit ex abundantia & reflvxu lactis in venas: talis enim vt plurimum intra ſpatium duorum aut trium dierum, inſtar ephemeræ extenſæ, ſolet ceſſare, niſi lac in mammis coaguletur, & putreſcat: vnde inflammatio & febris ſymptomatica ſequitur, de quâ non eſt hic propoſitus ſermo. Deinde videndum vtrum iſta febris contigerit cum ſuppreſſione lochiorum, vel nimio illorum fluxu, aut eis moderatè fluentibus, & rite ſe habentibus. Quoties enim contingit cum eorum ſuppreſſione aut imminutione; tota fere curatio pendet ex prouocatione illorum, quemadmodum à nobis ſuprà fuit traditum. Sin vero fiat cum immoderato lochiorum fluxu: oportet eam tunc pendere à nimiâ exagitatione corporis & humorum ob partum difficilem & laboriosum: vnde compeſcendus eſt moderatè eiuſmodi fluxus & illa perturbatio ſedanda per remedia ſuperius præſcripta; non neglecto febrili ardore, qui alterantibus indiget: vel certè pendet ab inſigni cacochymiâ in venis maioribus latitante, quæ non potuit per eiuſmodi lochiorum vacuationem expurgari: ideóque ſi vires ferant, phlebotomiam ex venis brachij expoſcit, & purgationem ex benignioribus & roborantibus: vt eſt rhabarbari infuſum, & puluis myrobalanorum, polypodij & ſenæ decoctum, catholicon, ſyrupus roſatus ſolutiuus & ſimilia. Quod ſi illa febris exorta ſit lochiis rite ſe habentibus ſecundum quantitatem & qualitatem, vt apparet ex hiſtoriâ vxoris Philini 1. *epidem.* tunc exiſtimandum eſt, illam ob errorem victus, vel aliam cauſam externam contigiſſe, quæ interiorem cacochymiam genuit, auxit, vel commouit, & ad putredinem diſpoſuit. Ac proinde agendum erit ex ſolitâ methodo per vacuantia, alterantia, concoquentia, & roborantia: hoc tamen excepto, quod ſi ſufficiens ſit ille lochiorum fluxus, ne temere & ſubitò ſecemus venas cubiti ſuperiores, quia metus eſſet recurſus iſtius materiæ ad interiora corporis, vnde fortaſſe maius ſequeretur incommodum, quàm vtilitas ex miſſione illâ ſanguinis: ſed purgantibus & alterantibus primum inſiſtemus ad illam cacochymiam compeſcendam: quia diutius perſeuerante febre, vix fieri poteſt, quin iſta lochia ſiſtantur: & tunc habitâ ratione magnitudinis febris, aliarúmque circumſtantiarum prudenter erit decernendum de vſu phlebotomiæ. Atque hæc de febre primariâ in puerperis.

Secundariæ autem ſiue ſymptomaticæ exemplum ſumemus in pleuritide, tum quia frequens eſſe ſolet in illis, propter labores immenſos, madores ex ſordibus contractos, perfrigerationes, & reſpirandi ſeu cohibendi ſpiritum, comprimendíque verſus inferiora neceſſitatem: tum quia ex eius paradigmate facile erit ſtatuere de aliis febribus conſequentibus peripneumoniam, hepatitidem, vteri inflammationem, & ſimiles. Pleuritis itaque in puerperâ curanda magnam adfert difficultatem propter vſum phlebotomiæ, quæ videtur ſingulare & præcipuum illius præſidium. Nam ſi lochia præſente pleuritide, fluant immodicè, non eſt dubium, quin tunc & quam primum veniendum ſit ad venæ ſectionem ex brachio lateris dolentis, ſanguiſque ſit mittendus per ἐπίκρασιν & iteratis vicibus, vt vires conſeruentur, & ſimul ſiſtatur vacuatio illa immoderata. Vbi vero ſuppreſſa eſt illa lochiorum purgatio, & regurgitare videtur ad ſuperiora, quæritur vtrum vena illa brachij ſtatim in principio ſit aperienda ad ſedationem fluxionis & inflammationis? Ego non exiſtimo: quia in eiuſmodi lochiorum ſuppreſſione & reflvxu magis ac magis acerſetur materia iſta verſus interiora & partem affectam, ſi vena illa cubiti ſecetur: Ideóque per initia melius videtur, venam poplitis aut tali κατ' ἴξιν poſiti aperire, cucurbitulas & frictiones inferioribus partibus admouere, reliquáque præſtare, quæ ſunt neceſſaria ad deducendam iſtam materiam verſus vterum, vt inde renouetur lochiorum fluxus, quæ apparente ſæpius etiam ceſſare ſolet, aut ſaltem mitigari iſta pleuritis. Quod ſi iſtis vſurpatis perſeueret tamen affectus aut augeatur, tunc non erit procraſtinandum in vſu phlebotomiæ brachij eiuſdem lateris affecti: quia ſignificatur aut fluxionem aliunde pendere, aut ita copcluſam eſſe illam materiam, vt deinceps reuelli aut reuocari non poſſit verſus vias matricis.

Supereſt igitur, vt videamus, quid ſtatuendum ſit, quando lochiis moderatè & naturaliter fluentibus exoritur pleuritis in puerpera: quæ difficultas eadem eſt cum illâ, quâ quæri ſolet, vtrum mulieri extra grauiditatem aut puerperium, ſecanda ſit vena brachij, quando pleuritis aut alius morbus id expoſcit, ſi præſens

ſit purgatio menſtruorum. Multi enim exiſtimant, non eſſe tundendam, quia ſperant ex iſtis ſanguinis vacuationibus ſatis commode reuelli & vacuari poſſe materiam quæ in latus defertur. Verum ego hac diſtinctione opus eſſe cenſeo, vt ſi pleuritis apparuerit iam præſentibus & fluentibus lochiis aut menſtruis, non ſit cunctandum in venâ illâ brachij eiuſdem lateris tanquam proximiori tundenda, vt occurramus ſæuiſſimo morbo, (ex ſententiâ Hippocratis, *in doloribus proximum ventrem ſecare*) cuius cauſa non potuit impediri ab illa vacuatione præſenti, ſed ſuperauit omnem naturæ excernentis vim: Ideo petendum eſſe præſentaneum illud præſidium ab arte. Quod ſi pleuritis aut alia inflammatio interna præceſſerit, aut ſimul cœperit cum iſto fluxu, tunc expectandum aliquantiſper, donec aliqua ſufficiens quantitas lochiorum vel ſanguinis menſtrui fuerit effuſa, ex quâ ſi imminutus fuerit affectus, cum aliis auxiliis vulgaribus, & conſuetis, non erit deueniendum ad phlebotomiam. At verò ſi intendatur dolor & difficultas ſpirandi, quantumcunque fluat illa materia, tunc erit vſurpanda venæ ſectio brachij, ratione habitâ vrgentioris, fluxionis ſcilicet, & morbi cum fæuiſſimo ſymptomate iuncti, qui alia ſcilicet ratione curari nequit: deinde procurandus erit rurſum ille fluxus, ſi omnino ſubſtiterit, aut eo opus eſſe videatur. Quæ omnia ſunt valde animaduertenda Medico in praxi. Ad curationem verò reliquam inſiſtendum erit eiſdem remediis, quæ in aliis hoc morbo detentis vſurpari ſolent. Hoc tamen notandum de purgatione, quod ſi ea expeti videatur, vt in pleuritide nothâ, & ad hypochondria vergente, eam tunc potiſſimum celebremus, quando inſtare videtur finis vacuationis illius lochiorum, vel menſtrui ſanguinis: ne per iſtam *κάθαρσιν* ſiſtatur aut auertatur violenter, dummodo morbus non admodum ſæuiat & inducias quaſdam naturæ præbere videatur: aliàs enim non eſt cunctandum. Atque hæc de pleuritide in puerperis.

Eſt etiam alius affectus, qui illis familiaris & valde moleſtus eſſe ſolet, nempe alui fluxus: iunctus enim alteri vacuationi, nempe lochiorum & in corpore iam fracto ob præcedentes labores, citam deiectionem virium & ruinam minatur: cui etiam non eſt facile mederi, quia quæ aluum ſiſtunt, eodem modo videntur purgamenta illa poſt partum neceſſaria ſupprimere. Primo igitur ſuſtentandæ ſunt in hoc caſu vires optimis alimentis, vt ferre poſſint per aliquod tempus vtramque purgationem: vbi autem diarrhœa nimium perſeuerabit, aut in dyſenteriam aut teneſmum degenerare videbitur, agendum primò aliquot clyſteribus detergentibus leuiter & obtundentibus humorum acrimoniam: deinde audendum erit magis, & præſcribenda purgatio accommodata ex ſupradictis, quæ eliminet citò prauos illos humores, à quibus excretrix facultas irritatur, atque etiam aliquot roborantibus tam internis, vt ſyrupo de abſint. & cydoniorum, tabellis diamargariti aut diarrhodon. Abbatis: quam externis, vt inunctione ventriculi ex oleo maſtichino, & ſimilibus tentanda erit reſtitutio iſtarum partium. Quibus præſtitis ſi purgatio illa lochiorum videatur intermiſiſſe, aut non ſufficienter fluxiſſe, redeundum erit ad ea quæ illam reuocare poſſunt. Idem dicas de vomitu. Siue enim praui humores excernantur per illum, ſeu cruda & inconfecta alimenta, ſeu aliquando ſanguis, vt voluit Hippocrates *libro primo γυναικείων*, perpetuò ſumma in iſtis mulierculis moleſtia ab iſto ſymptomate prouenit: quoniam valde deiicit vires, & illa via eſt tunc extra propoſitum naturæ, quæ debuit per inferiorem & vterinam vacuationem humores expurgare. Siſtendus itaque quam primum poterit, conſuetis remediis: ac ſi ſanguis nimio impetu adſuperiora ferri videatur, vnde aliquando præter vomitum, hæmoptoë etiam exoritur; reuellendus per ſectionem venarum illarum quæ verſus poplitem & talum excurrunt.

Præter dictos affectus non raro ſolent infeſtari puerperæ, potiſſimum primiparæ & ſanguineæ, ob vehementem compreſſionem & nixum in partu, inflatione, & doloribus atrociſſimis hæmorrhoidum, nempe venarum illarum quæ in ano conſpiciuntur. Ad quorum medelam omnia genera anodynorum ſunt vſurpanda, vt proprio tractatu docetur. Quin imo ſi cruciatus non poſſit illis ſedari etiam præſente lochiorum vacuatione, non eſt dubium quin illarum apertionem admotis ſanguiſugis tentare debeamus, vt exhauriatur peſſimus ille humor, qui venarum iſtarum extremitatibus impactus non poteſt deinceps retrocedere aut mitigari. Sed quia iſta effuſio ſanguinis per anum videtur quodammodo reuocare & intercipere

intercipere lochiorum vacuationem, ideo iuuanda erit postea cucurbitulis & frictionibus partium inferiorum: tum pessario illo ex succo mercurialis, & farina seminis nigellæ comparato, quod alliciet denuò materiam istam versus vterum.

Solet etiam multas puerperas frequenter exercere vterina suffocatio, cuius sedationi oportet opitulari sedulò, ob conturbationem quam toti corpori infirmiori adferre solet. In eiusmodi igitur fœminis solemus nos statim à puerperio admouere regioni pubis aut ad extremum hypogastrij emplastrum ex galbano confectum, cuius medio vel potius extremo ciuetæ aut moschi aliquot grana addi possiunt ad recreandam matricem. Item frequenter illis olfaciendum offerimus oleum de gagate, atque etiamin crudeliori affectu deuorandum ad tres vel quatuor guttas cum pauco vino vel iusculo.

Supereſt igitur vt adhuc annotemus affectum quemdam, qui frequenter id puerperio apparere solet, postquam surgere & deambulare incipiunt, nempe coxendicum dolorem, ob quem aliquando claudicare coguntur. Putat Rondeletius hunc affectum non propriè esse coxarium, sed referendum esse ad vteri ligamenta, quæ ad interiorem illam ischij partem vergunt. Quod etsi verissimum sit: non est tamen inficiandum, quin mulieres ægrè parientes sæpe possint, ob compressionem & quasi contusionem istarum partium, longámque decubitus moram, insignem accersere humorum copiam, quæ ipsum ischij articulum & ligamenta impetat, vt quotidiano vsu didicimus: Ideóque in istis mulierculis solemus post cathartica accommodata, si eis opus fuerit, præscribere laconica superius à nobis commemorata, cum inunctionibus ex theriacâ vetere, & oleo lumbricorum; vel balsamo illo Guidonis tantopere celebrato. Multis etiam profuit vsus musti aut vini calentis cum herbis nerualibus in formam semicupij aut fotus à quo tegitur. Deinde pars emplastro aliquo discutiente & roborante, vt de sulphure & de meliloto simul mixtis cum oleo vulpino, aut catellorum. Si diuturnior & pertinacior sit affectus, solemus eas ad thermas nostras Baleucanas relegare, vbi balnei soluti vsu dissipatur tandem, & pars integræ sanitati restituitur. Atque hæc de affectibus præcipuis, quibus puerperæ torqueri solent. Quoniam alij quibus etiam sunt obnoxiæ, vt ani prolapsus, & intestini recti propter violentas compressiones, distortio osculi vel colli matricis, præcipitatio aut exulceratio vteri, scissura vuluæ ad anum vsque ob nimiam fœtus magnitudinem, in cuius exitu disrumpitur vel aliquando scinditur à Chirurgo istud interstitium propter eumdem finem, & similes, facile reduci possunt ad peculiarem therapeiam suis locis propositam. Hoc tamen notabis, in istâ vuluæ scissurâ, quod si tanta fuerit, vt deinde futurâ & simili operâ restitui debeat, quoties de nouo parere debent, vix exire posse infantem quin denuò rescindatur, propter callum & firmiorem cicatricem vulneri obductam, quæ non potest satis commodè vt prius dilatari. Qua in re melius est vti manu artificis, quam expectare vt sponte disrumpatur, propter nimium matris & pueri laborem ex diuturniore morâ. Sed hæc rarò contingunt. Quare huic tandem libro secundo de affectibus mulierum finem imponamus.

IOANNIS

Digitized by Google

IOANNIS VARANDÆI
TRACTATVS THERAPEVTICVS,
DE MORBIS MVLIERVM.
LIBER TERTIVS.

PRÆFATIO,
Et Operis diuiſio.

GENERATIONIS impedimenta tollere & curare ſuperioribus libris docuimus: nunc ſupereſt, vt tertio iſto libro generationis opus, nempe editum iam fœtum conſideremus. Cum igitur ille tenellus exiſtat, faciléque à cauſis externis & internis lædatur, cúmque nutrici ſine infantis damno in victus ratione peccare non liceat, ideo primo capite de regimine infantis nuper nati & nutricis dicemus. Et quia non amplius, ſicut ſolebat in vtero, ſanguine per vaſa vmbilicalia allecto, alitur, ſed nutricis lacte quod in eius mammis perficitur; ſecundo loco agemus de bona lactis & mammarum conſtitutione, cuius enarrationem ſequetur tertium caput de harum affectibus morboſis, eorúmque curatione, vt tandem huic operi finem imponamus, explicando vitia quæ lacti contingunt, eorúmque correctionem.

CAPVT PRIMVM.

De regimine infantis nuper nati & nutricis.

VBI primum euaſit infans anguſtias materni vteri, & nouus mundi incola factus eſt: expoſcere videtur alienam opem vagitu inſigni, quo inchoare ſolet, & quaſi præſagire futuræ vitæ miſerias. Ideo ſedulâ curâ indiget, vt educari, augeri, & ad perfectionem ſpeciei humanæ propriam peruenire poſſit. Eſt autem duplex iſta cura; vna quæ reſpicit tenellum pueruli corpus, quomodo ſit peculiariter tractandum: altera verò nutricem ſeu fœminam illam, cuius lacte frui debet per aliquod tempus, donec ſolidioribus alimentis veſci poſſit.

QVOD AD PRIOREM ITAQVE PARTEM SPECTAT. Non eſt dubium, quin pueruli iſti in ipſo exortu variè ſint conſtituti: alij ſiquidem infirmiores naturâ & origine: alij robuſtiores: quidam male ſe habentes ex accidenti & ob partus difficultatem & moram. Robuſtiores itaque cenſentur illi, qui ſtatim poſt exitum magno ploratu aut clamore omnia implent, aluum & veſicæ excrementa validè exonerant, mammam oblatam libere admittunt & ſugunt, oculos intrepidè ad lucem aperiunt, manum vtramque iactant, & ſimilia alacritatis ſigna exhibent. Quæ ſi deſint omnia vel plura, imbellem & minus validum oſtendunt eſſe fœtum. Vtrum verò illud habeat ab origine, & principiis generationis ab vtero, ſignificabunt vtriuſque

by Google

vtriuſque parentis conſtitutio:à ſanis enim & robuſtis,ſoboles plèrumque ſana & robuſta oriri ſolet,& contra:Item grauiditatis,& geſtationis modus.Quæ enim mulieres multa ſymptomata patiuntur, & incommoda dum vtero geſtant, potiſſimum morbos chronicos aut acutos,vix bene valentes fœtus producere poſſunt. Præterea ſi menſe incómodo, ſeu termino minus conſueto peperit;qui maxime oſtendit naturæ perturbationem : ſin verò eiuſmodi infirmitas fœtui contingat ex accidenti, nempe propter labores quos paſſus eſt in ipſo partu ex multitudine cauſarum à nobis ſupra commemoratarum : tunc reliqua quidem aberunt, ſed ipſa difficultas pariendi quæ præceſſit & diuturna mora, patefacient vnde illa proficiſcatur : imo ipſum aliquando infantis corpus quaſi contuſum & liuidum ob iſtos labores appareat : & poſt aliquot horas vbi in lucem fuerit editum, extinguitur.

In iſtiuſmodi itaq; fœtibus imbecillioribus mulierculæ ſolent plurima moliri, quæ plerumq; ſunt irrita:blande in os illius inſpirare faciũt delicatulã quamdam virginẽ, ſi mas fuerit;puellulã,ſi fœmina:exhibent modicũ theriacæ vel confectionis alkerm. cum lacte,roſtrũ gallinæ viuentis in eius podicem inſerunt,eámq; ibi extingui ſinũt, quia putant hoc modo exhalãtes ſpiritus, & caloré morientis gallinæ refocillare infantis vires. Poſt deterſas oris ſordes,ſi non poſſit præ infirmitate lac ex vberibus ſugere, mulsũ immittũt in fauces cum canaliculis quibuſdã argenteis,vel ex membranâ chartaceâ cõcinnatis:quod in plures dies præſtare ſolent,donec paulatim vires ad ſugendũ collegerit.Præterea ſi neque alui,nec veſicæ ſordes emittat, ſolent ad ignẽ blandè & diu partes illas cõtrectare:vt excitetur facultas excretrix,immittere in podicẽ cauliculum maluæ,vel betæ oleo illitũ,aut mellis roſacei calentis cochlear per os exhibere,ad eliciendũ illud excrementũ, quod in inteſtinis nuper natorũ deliteſcit, ab authoribus noſtris papauerculũ dictum,ob nigredinẽ quamdam & ſimilitudinem quam habere videtur cum opio ipſo,vel meconio:vnde credibilius eſt eſſe portionẽ faculentioré ſanguinis illius materni, cuius in embryonis hepate elaborati reliquiæ per venas meſaraicas in inteſtina relabuntur,& ibi diutius morantes reſiccantur,quã excrementũ primæ concoctionis ventriculi,vt quidã voluerunt, quæ ſtullo modo in fœtu quamdiu eſt in vtero,exercetur,quia nullũ per os alimentũ attrahit.Si contuſiones aut liuores in prædicti infantis corpuſculo apparent, poſt deterſa cutis inquinamenta cum vino tepente,inungitur oleo myrtin.& amygdal.dulcium ſimul mixtis: vel partes affectæ ex decoct.flor. chamæm.ſemin.coriandri & myrti in aquâ & vino albo foueãtur molliter. Si excoriationes adſint,puluer.roſar.aſperguntur,aut vnguen. roſacco feliciter illinuntur:denique omnia præſtantur,quæ ad præſentia iſta,vel alia ſymptomata lenienda,fecerint,vt miſer infans, & malè natus à præſenti mortis periculo & ærumnis, quas ſtatim in ortu perferre ſolet, liberetur.

Sed nos ad naturalem partum & alacriores fœtus tractandos redeamus, quorum regimen valde etiam accuratum eſſe debet, vt ex generoſis iſtis, & felicibus plantis genus humanum augeatur,& familiarum ſeries continuetur. Poſt ſectum itaque & nexũ conuenienter pueruli vmbilicum,vt ſupra dicebamus,inunctúmq; pauco oleo roſac. vel amygdal.dulcium & inuolutum bombyce,aut panno lineo delicatiori, ne partes ventris immediatè contingat:vnde dolores & tormina exoriuntur, quia ſenſim putreſcere & quaſi ſphacelo correptũ ſponte ſua decidere conſueuit:debet perita obſtetrix & ſapiens puerulum ita egreſſum blandè contrectare, ſi quid ſit male conformatum in vultu aut aliis partibus,dum adhuc quaſi cerea ſunt oſſa,effingere, artus omnes explicare,crura & brachia ſæpius contrahere,& extendere,vt ſi quid in articulis muci vel lentoris reſidet,diſſipetur,palpebrarum,narium,aurium,vuluæ,podicis,mentulæ ductus & orificia,vtrum bene pateant,explorare:digitorũ in pedibus, manibúſq; interſtitia animaduertere,ne quid ſit cohærens aut diſtortum:deinde immiſſis in os digitis fauces ſordibus liberare,linguæ radicem & ligamenta contrectare, & conuenienter abſcindere, ſi nimium ſint adſtricta : inde enim maximum in loquendo impedimentum,atque etiam in ſugendo lacte,exoritur.Tandem illi parum mellis roſacei, vel olei amygdalarum dulcium recenter & ſine igne extracti per os exhibere,vt abluantur fauces,& aluus ad prima illa excrementa eiicienda molliatur.

His præſtitis abluat totum infantuli corpus.Noſtræ mulierculæ,pauco vino tepente diluto:vel ſiquid craſſioris inquinamenti pertinacius adhæreat,oleo communi aut myrtino,vel vrinâ, aquâ ſalsâ,& ſimilibus detergent:deinde faſciis & linteolis commodè inuoluunt & in cunas reponunt. Galen. *lib.* 1 *.de ſanit.tuend.* ſale aſpergebãt recens natorum corpora,vt exſiccaretur cutis,& membra robur cõtraherent. Sed propter mordacitatem & acrimoniam eiuſmodi medicamenti, neſcio an impune iſtud ferre poſſent pueulorum corpuſcula,quæ frequenter inflammationibus,vlcuſculis,&

pruritu tentantur. Antiqui ſtatim natos in aquam frigidam, quemadmodum ferrum candens in officinis fabrorum, immergebant, vt validiores & quaſi ſolidiores redderentur: Vnde illud apud Virgilium 9. *Æneid.*

Durum ab ſtirpe genus, natos ad flumina primum
Deferimus, ſanóque gelu duramus & vndis.

Sed illam conſuetudinem hoc tempore non poſſumus probare, tum quia plerique puerulorum ex tam ſubitâ mutatione caloris in frigus perirent: tum quod nimium conſtipata cutis & habitus corporis denſatus, quamuis eos redderet externarum rerum iniuriis minus obnoxios, attamen putredinoſis affectibus & cauſarum internarum moleſtiis comparatos ob impeditam tranſpirationem maxime efficeret. Adde quod cùm debeant exanthemata & ecthymata in illis tandem erumpere, id ab iſtâ conſtipatione meatuum impediretur. Quemadmodum igitur Aquila pullos recenter excluſos ad ſolis orbitam conſtituit, vt qui defixis oculis, radios illius intueri valeant, pro genuinis alantur: reliqui perituri abiiciantur tanquam degeneres: ſic credibile eſt immanes illos populos, & gentes bellicis artibus tantum addictas, tentandi potius causâ in puerulis ſuis id præſtitiſſe, vt qui ſubitum hoc frigidæ aquæ lauacrum ferre poſſent, tanquam digni parentum virtute educarentur: reliqui autem delicatiores & quaſi imbelles ſtatim extinguerentur, quod nobis lege prohibitum eſt. Nunc reliquum pueruli regimen perſequamur.

Repoſitus itaque in cunis ab omni aëris nimiâ inclementiâ pro varietate anni temporum, regionum & locorum, cuſtodiatur: veſtibus, linteolis, & tegumentis eodem modo commode muniatur, in quibus mundities potius, & mollities, quã ſplendor aut elegãtia quæratur. Excipiat directè lumen ſiue ſolis, ſiue aliorũ corporum lucidorũ, vt nunquam cogatur diſtortis oculis ſpectare: inde enim ſtrabi & luſci diuulſis oculorũ muſculis euadunt: quod ſi aliquid vitij hac in parte cõtigiſſe appareat, res illis aliquæ illuſtriores, vt ſpecula ex aduerſo obiiciãtur, vel pannus ſericeus, colore aliquo ſplendidiore præditus, in oppoſitâ parte affigatur, vt intentâ in contrarium acie corrigatur ille ſtrabiſmus. Non eſt etiam omittendũ, quod puerulis, quando intuitu frui incipiunt libero, numquam obiici debent res turpes aut horrendæ, quantum fieri poteſt, quia ex illarum aſpectu in terrores & animi cõſternationes maximas aliquando incidunt. Neque etiam contrectandi à vetulis, aut ſordidioribus mulierculis, vel aliis hominibus, qui grauiorẽ & moleſtũ exhalant vaporẽ, quia facilè hauriunt molliſſima & ſpongioſa iſta corpuſcula expirationes omnes circumiectarũ ſibi rerũ: vnde illud:

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Recentes etiam pueruli ex conſuetudine in vtero contractâ plus ſomno indulgere debent quam vigiliis, quia ſic cõcoctiones naturales melius perficiuntur, & minor fit ſpirituum diſſipatio: vnde cantibus, blandâ agitatione cunarũ, frequenti vberis exhibitione ad id excitãdi ſunt. Vbi primũ expergiſcuntur, à ſordibus ſuis diligenter mundandi, & toties in die mutãdi, quoties illis inquinati videbuntur, contra vulgi ſententiam; ne dolore aliquo, pruritu, excoriatione, aut fœtore afficiantur ex earũ diuturno contactu. Et ita faſciandi de nouo, vt ne propter nimiam laxitatẽ diſtorqueri aut relaxari poſſit aliquod membrũ, neque propter nimiam adſtrictionẽ comprimi aut doloribus tentari: male enim quibuſdã in locis corpora puellarũ arctius ligant circa thoracẽ, vt graciliores corpore, natibus craſſiores euadant. Proſpiciendũ perpetuò in hiſce infantulis, vt aluus libere fluat, & vrinæ copioſæ profundãtur: eſt enim ſignũ optimæ nutritionis: quia ex lacte liberalius ſumpto, liquidiore ſcil. alimento neceſſe eſt mul a excremẽta ſuſcitari, & qui adſtrictiore ſunt aluo pueruli vt plurimũ varias incurrũt ægritudines, multúmq; laboris & periculi ſubeunt in ipsâ dentitione ob nimiã cerebri & totius corporis repletionem, quæ ad gingiuas copioſius defluit. Quod ad exercitationes eorũ ſpectat, certũ eſt, quando faſciis continentur, illos propter oſſium mollitiem nullũ obire poſſe corporis motũ, donec confirmatis mẽbris paulatim ambulare incipiant: túncq; diligenti indigent cuſtodiâ, ne caſu, ictu, aut vehementiori agitatione ſibi ipſis vim inferant. Vagitus etiã, ploratus, & clamores in eis debent eſſe mediocres, quia hoc facit ad vacuandã cerebri & pulmonis pituitam, dilatandum thoracem, & excitandũ calorem natiuũ, quamdiu in cunis degunt immoti, dũmodo illud non cõtingat ex vi doloris alicuius vehemẽtioris, vt quando linteolo premũtur, aciculâ pungũtur, aut ægritudines patiũtur, vt ventris tormina, quibus valde ſunt obnoxij: hiſce enim & omnibus ſtatim & prudenter proſpiciendũ, ne in animi deliquiũ aut marcorẽ incidant. Vbi verò grãdiores iam ſunt facti & ambulare incipiunt, cohibendi omnes illi impetus, quantũ fieri poteſt, potiſſimũ ſi ex animi pathematis pendeant, ne aſſueſcant illis indulgere & malos mores contrahant. Adde quod ex nimiis illis

Digitized by Google

illis clamoribus, & ploratu facile incidunt in hernias inteſtinales, ob laxiorem peritonæi & muſculorum conſtitutionem: quæ omnia ſunt valde animaduertenda.

DENIQVE QVOD SPECTAT AD ILLORVM ALIMENTVM. Quandoquidem ex ſolo lacte debet conſtare, aut leui pulticulâ, donec dentire incipiant, & ſolidiores cibos conficere valeant: Ideo maximâ ſollicitudine tale erit eis comparandum lac, quod & ſecundum ſubſtantiam & qualitates omnes ſit laudatiſſimum, vt ſequenti capite dicemus. Quod ad quantitatem enim, tempus & ordinem ſpectat lactis exhibendi, certè quandiu illo ſolo fruuntur, debent quacunque horâ illud ſugere, dummodo vomitu aut alui fluxu immoderato non tententur. Vt enim in vtero perpetua erat ſanguinis illius materni attractio ad fœtus nutritionem: ſic eſſe debet frequens lactis ſumptio ad corporis incrementum. Vbi verò iam incipiunt pulticulam ſorbere, iuſcula aut alios etiam cibos ſumere, optimum erit vt per horam ſaltem vnam à lactis ſuctione abſtineant, ne diutius in ventriculo aliis permixtum & retentum corrumpatur. Notiſſimum eſt enim puerulos lumbricis non tentari, quandiu ſolo lacte, tanquam æquabili & proportionato illis alimento, vtuntur, quod deinde aliorum conſortio facile alteratur. Cogimur tamen illis iam grandioribus alios cibos exhibere, tum vt illis aſſueſcant paulatim & firmiores euadant: tum etiam ne nimis exhauriant ſuas nutrices: vel in lactis penuriâ quæ nutricibus frequenter contingit, fame quam difficillime ferre ſolent, aliquando torqueantur.

Ratione itaque gratioſi iſtius & laudatiſſimi alimenti, quo debet frui infans per duos aut tres annos integros, donec ablacteturſumma eſt etiam habenda ratio illius fœminæ quæ talem illi alimoniam ſuppeditare debet: ſiue ſit mater quæ illum peperit, ſiue nutrix quæ ad id muneris fuerit electa. Primò igitur quæritur, vtrum ſit melius infantem materno lacte, vel nutricis educari: & vtrinque ſatis validæ rationes adducuntur. Plutarchus, A. Gellius, & reliqui Politici validè exagitant matres velut ἀσίτους, quæ infantulis ſuis nuper natis illud denegant, quod coactè tantum prius in vtero exhibebant, eáſque dimidias tantum matres appellant in perniciem quaſi familiarum natas, quæ fœtus ſuos alienis humoribus & moribus peſſimarum aliquando mulierculatum imbuendos committant. Addunt Phyſici. Alimentum eo melius quo ſimilius, & magis naturæ conſuetum, ideo maternum lac, quod fit ex eodem ſanguine quo alebatur fœtus in vtero, illi magis ſimile eſſe, & conſuetum, ac proinde commodius ad eius nutritionem & accretionem, quam nutricis, quæ aliquando longe diſſidet ab vtriuſque temperamento. Item amorem & beneuolentiam matrum longè maiorem eſſe erga ſuos alumnos, quam nutricum, quæ mercedis tantum causâ id præſtant: ac proinde maiori ſollicitudine illorum tunc curam habituras, ne quicquam detrimenti in tam tenellâ ætate accipiant.

Verum quia contingit vt plurimum in familiis, potiſſimùm magnatum, matres eſſe delicatiores, quam vt ferre poſſint tantam & tam longam educandi fœtus moleſtiam poſt geſtationem; non abs re eſſe videtur, ſi ob eiuſmodi matris mollitiem, vel quãdo non eſt ritè comparata ad lactis generationem, deſes, faſtidioſa, querula, & frequenter δυσκρίτους laborans, vt ſolent fœminæ aulicæ & ſplẽdidiores: pueri eiuſmodi tradantur alendi egregiæ cuidam, & robuſtæ nutrici, quam facile inter ruſticas aut vrbanas illis eligere licet ex conſilio Medici, optimo temperamento præditam, vel parum diſſimili, ſi corrigenda ſit aliqua intemperies in puerulo, bene moratam, ſollicitam & expertam in tractandis huiuſmodi puerulis, quos & ſummo amore proſequuntur, vt vnicuique notum eſt, & generoſiores validioréſque viros, reipubl. adminiſtrandæ & bellis exercendis idoneos educare ſolent. Cum igitur nutrix eligi poſſit, non mater vt plurimum intemperata ad commodè educandum puerulum, cui facilius imperari poteſt debitum regimen, quàm matri moroſæ & deliciis addictæ: ideo in tali caſu non eſt improbanda illa educatio quæ à nutricibus obitur. Adde quod duo mihi videntur maximè nutricum educationem commendare: Primum quod minus ſint animi pathematibus obnoxiæ quam matres: quando enim morbis aliquibus afficiuntur infantes, impoſſibile eſt matres quæ illos nutriunt, non valde commoueri: vnde perturbatio humorum & lactis maxima, ex quâ vidimus multos periclitari puerulos, & tandem nutricibus fuiſſe tradendos. Alterum quod matres iſtæ perpetuo coitu vtentes, aut imprægnantur frequẽter, & ſic duobus fraudem faciunt, cum non poſſit ſufficere natura ad vtriuſque commodam nutritionem; aut certè lac feruidius illis exhibent & magis intemperatum, quam nutrices ab eo abſtinentes.

Vbi igitur contigerit puerulum nutrici propter dictas cauſas eſſe tradendum, eligatur mulier boni habitus & temperamenti (niſi fortè corrigenda ſit intemperies

aliqua in puerulo) nigricantis coloris potius quam albi,lati pectoris, & ſcapuliorum, mammarum mediocrium, & bene conformatis papillis, ætatis vegetæ à vigeſimo ſcilicet anno ad trigeſimum quintum vſque, non primipara nec abortiens, ſed quæ iam aſſueta ſit hiſce laboribus ferendis, & tractandis infantulis, cuius lac neque nimis recens,nec valde ſit inueteratum: à tribus enim menſibus à partu vſque ad tertium annum laudatiſſimum exiſtit. Volunt quidam nutricem quæ fœminam peperit, marem nutrire,& contra; ſed hoc non eſt perpetuæ veritatis, niſi ſit corrigendus aliquis in propoſito infante exceſſus,vt iam diximus. Sit etiam bene morata & quantum fieri poterit, tranquillo corpore & animo: quæ enim iracundæ, ebrioſæ, melancholicæ, aut ſalaces exiſtunt, eiuſmodi vitia ſuis alumnis imprimunt, & lac facile corrumpunt. Attendenda eſt etiam accuratè familia ſeu parentum natura à quibus orta eſt,ne quam ſanguinis maculam habeant hæreditariam,potiſſimum elephantiaſeos,luis venereæ, ſtrumarum, phthiſeos, & ſimilium morborum contagioſorum,quorum propagatio eſſe poteſt,præter quam omni etiam affectu morboſo aut quomodocunque vitioſo careat, vtpote balbutie, ſtraboſitate, achoribus, pediculis, ſcabie, & ſimilibus, ac ſi aliquando in ægritudinem, vt catarrhum, febrem & alios affectus incidat, tunc temporis abſtineat ab exhibendo infanti lacte: quæ etiam menſtrua patiuntur, dum lacte puerulos nutriunt, vix illud ſanum & integrum habere poſſunt, aut tunc prægnantes euadunt. Tandem lac illius ex vberibus extractum erit diligenter examinandum ſecundum notas ſequenti capite à nobis dicendas.

Et ſi quidem talis iudicata fuerit, cui puellus tradatur educandus,illi conueniens regimen præſcribendum,quo obſeruato pro variis rerum circumſtantiis,poterit tutius multo & ſalubrius propoſitum negotium obire. Aëris itaque nimias vitare debet inclementias,etiam mutatione loci intemperatioris, ſi ita videatur. Neque nimium vigilet,nec valde ſomno ſit addicta. Quæ enim profundo admodum ſopore tenentur, negligunt puerulorum ſuorum curam totâ nocte,& illos vociferantes,aut lacte indigentes non exaudiunt. In talibus etiam valde cauendum, ne infantulos ſimul & iuxta ſe poſitos in lecto habeant, quoniam plurimi hoc modo ab illis fuerunt ſuffocati. Ne ſit etiam deſes & otioſa, ſed alacris & ad ſuſcipiendos mediocres labores comparata, potiſſimum in quibus brachiorum motus requiritur,vt ſanguis ad mammas copioſior attrahatur, & lac melius concoquatur. Aluum neque fluxilem, nec nimis adſtrictam habere debet, quia vtrumque lactis materiæ nocet, eam minuendo vel corrumpendo: ſed ſi cacochyma videatur, aut propter victum liberaliorem & inſuetum excrementis redundans,poterit purgari per interualla leui quodam cathartico, dummodo per illum diem puerulo mammam non porrigat,niſi eadem operâ infans videatur etiam purgandus: vt eſt enim apud Hippocrat. *Mulier & capra ſit hymalum comedens, lac habent purgatorium.* Vitent omnia animi pathemata, quantum fieri poterit, neque illis occaſio mœrendi vel iraſcendi à quouis domeſticorum præbeatur: quia pœna ſtatim cadit illius animi motus in miſerum infantem,vt docet experientia. Quod ad alimenta,debet vti omnibus euchymis, & eupeptis ſi lactis ſola habeatur ratio, ita tamen vt non fiat ſubita mutatio à victu conſueto,verbi gratia, ſi ruſtica ſit in domum magnatis alicuius vocata, debet illi aliquando concedi, vt conſuetis cibis veſcatur,donec paulatim lautioribus alliueſcat: alias ita faſtidioſæ euadunt, vt vix propoſita alimenta delicatiora aſſumere valeant. Si ſit etiam robur & alacritas comparanda puerulo,vt cupiunt noſtri nobiles in maribus ſuis, debet in agro potius quam in vrbe aut aulâ morari, & ibi ordinariam viuendi rationem ſeruare. Expetendum tamen eſt, vt à valde intemperatis cibis abſtineat, vt frixis,piperatis, ſalſis,& ſimilibus. Quæritur etiam vtrum nutrix vinum vel aquam bibere debeat? Diximus enim ſupra, non debere eſſe ebrioſam ſeu vino addictam: inde enim infinita ſequuntur incommoda, tum quia vinum immodicè ſumptum lac reddit feruidum & intemperatum, tum etiam quod eiuſmodi temulentæ nutrices ſalaciores redduntur, & ſomno indulgere nimium coguntur,aut perturbatâ mente puerulos iſtos in mille pericula præcipitant. Attamen in illis quæ aſſuetæ ſunt vino, niſi temperamentum aut ægritudo pueruli non repugnet, poteſt illius vſus moderatus concedi,ad vitandas cruditates, & ventriculi imbecillitatem, in quam incidunt ex priuatione illius,quo deinde, vbi datur occaſio, ſeſe ingurgitare ſolent. Idem dicas de vſu coitus, à quo nutrices melius eſt quidem toto ablactationis tempore abſtinere, ſi fieri poſſit; attamen in illis quæ coniugem habent, & cum eo degunt, permittendus potius, quam ſi immenſo eiuſdem deſiderio, in furias deinde,

deinde, ac maiorem animi ac corporis perturbationem incidant. Sic igitur regenda nutrix, quod ad communes viuendi regulas: postea peculiaris habenda lactis & mammarum ratio, vt omnia ritè in propositâ infantuli educatione se habeant; quod iam est nobis persequendum.

CAPVT II.

De bona lactis & mammarum constitutione.

MAMMÆ siue vbera, Græcis μαζοὶ, μαστοὶ, καὶ τιτθοὶ, sunt corporis nostri partes glandulosæ, copioso adipe, & venarum multiplicibus ramis præditæ, in anteriori & mediâ pectoris regione sitæ, rotundâ figurâ donatæ, quæ in papillam fungosam velut apicem aut canaliculum desinit: ad thoracis ornatum & cordis tutelam in vtroque sexu dicatæ: In mulieribus autem peculiariter ad alimoniam fœtus recentis parandam, & γαλακτοποιητικὴν facultatem, quâ peculiariter donatæ sunt, post partum exercendam.

Illarum itaque effectus peculiaris siue opus præcipuum est ipsum lac, quod nihil aliud est, quam humor benignus, dulcis & albicans in mammis fœminæ concoctus ex puriore sanguinis menstrui portione, & propriâ redundantis alimenti mammarum parte confectus ad nutritionem editi fœtus. Dicimus esse *humorem*, quia instar aliorum liquidorum corporum in nobis contentorum, sanguinis, seri, seminis, & similium diffluit, nec facilè proprio termino continetur. Est autem benigna admodum & laudabilis substantia, quam natura comparauit ad tenelli fœtus nutritionem, cuius natura in calido humidoque, vitæ scilicet animantium principiis fundata, indiget consimili & temperato alimento, vt refici commodè & incrementum capessere possit. Est enim tanta humoris istius benignitas & suauitas, vt non solum illius vsu tenella puerorum corpuscula sustententur, sed etiam grandiorum, qui macie aut febre hecticâ tentantur. In quibusdam etiam regionibus, vt de Scythis narrat Hippocrates, præcipuum ex eo supperit omnibus alimentum. Adde quod ex lacte tres educuntur substantiæ; serum, caseus, & butyrum, quorum in diætâ communi hominum tanta est vtilitas, vt nulla alia sit res, quæ huic eâ in parte comparari valeat. Diximus præterea *in mammis fœminæ concoctum*: quia verum lac fit tantum in fœminis, & eo tempore quo fœtus in vtero perfectus moueri incipit, ratione scilicet finis propositi vtilis & necessarij, nempe nutritionis illius extra vterum, quo cessante videmus etiam in nutricibus post aliquot annos desinere istam lactis generationem, donec congressu fœcundo vtentes, de nouo conceperint: non enim quicunque congressus virilis sufficit ad lactis generationem: neque enim steriles ex quacunque causâ, neque meretrices, quantumuis libidini indulgentes, lac in mammis proferre solent; nisi ex eiusmodi concubitu sequatur masculi seminis fœcundi & validi in vtero retentio, & verus conceptus: vnde falsæ illæ imprægnationes à nobis recensitæ menstruorum, molæ & similium, priuantur iucundissimi istius succi generatione, vt ipsemet annotauit Hippocrates.

Quamuis igitur mares aliquando, vt de Syro quodam narrat Aristoteles; vel virgines, aut mulieres quædam quibus menstrua defecerunt, absque imprægnatione aut partu, vt est in Aphorismis, quamdam profudisse ex vberibus substantiam albicantem & lacti persimilem: non est tamen putandum esse verum lac, sed portionem proprij alimenti mammarum redundantem, quæ per istos canaliculos effluens, lactis quamdam ideam repræsentat, cum tamen nec idonea sit ad perfectam puelli alicuius nutritionem, nec ex eâ tres illæ partes à nobis commemoratæ secerni possint, scilicet serum, caseus & butyrum, cum tota sit potius serosa, & veluti albicans & tenuis pituita. Quod si obiiciat aliquis, istud lac in muliere cui menstrua defecerunt, non esse portionem proprij alimenti mammarum, sed esse ex concoctione sanguinis illius menstrui retenti & refluentis ad mammas. Respondemus, sanguinem illum menstruum, qui in fœminis iustæ ætatis retinetur præter naturam, quando scilicet neque prægnantes sunt, neque la-

Digitized by Google

ctantes,vitium concipere,& infinitos morbos inferre,vt docet quotidiana experientia:ac proinde non esse aptam materiam vt ex eo lac producatur.

Verum obiiciet adhuc aliquis, si lac in mammis fiat per concoctionem & viam nutritionis, vt vocant, pendebit ista vis γαλακτοποιητικὴ à facultatibus naturalibus & insitis, quæ perpetuò præsentes sunt, & propolito obiecto continuò agere solent. Atqui ista vis lactis generandi videtur influere, vel à viro, cuius congressu non solùm fœmina fœcundatur, sed etiam lacti generando redditur idonea: vel certè à semine virili fœcundo in vteri cauitate ad conceptum retento, cuius ἐνέργεια intra quatuor aut quinque menses grandescente fœtu incipiunt mammæ lac generare. Ad id respondemus, vim istam γαλακτοποιητικὴν esse quidem inter naturales, cum fiat per viam concoctionis & assimilationis, ipsisque mammis insitam, quæ tamen non exerat suos effectus insignes & manifestos, nisi præsente obiecto conuenienti & fine proposito vtili. Quamdiu enim fœmina extra fœtus generationem constituta est, quia inutilis esset ista lactis generatio, ideo propriis tantum mammarum commodis & nutritioni incumbit illa facultas concoctrix: neque habet tantam sanguinis copiam refluentis & elaborati, vel attracti in suas cauitates, vt ex eo lac proferri possit; ideo tunc cessare videtur, quemadmodum σπερματοποιητικὴ in pueris aut senibus: auctrix post vigesimum quintum annum, & sic de reliquis. Quæ sint autem potissimæ causæ, cur præsente fœtu in vtero incipiat lac generari, existimat Hippocrates id fieri, quia vasa illa vterina occlusa & multo sanguine referta comprimuntur, vnde sanguis repulsus in mammas influere primum solet. Deinde quia tunc propter concubitum & conceptum dilatata sunt vasa, quæ prius angustiora esse solebant, daturque facilior transitus per communes illas vias, & eximium consensum qui est inter mammas & vterum. Sed illud videtur mihi magis præcipuum, quod ex præsentiâ seminis masculi & fœcundi in vtero, propter summam correspondentiam quæ est inter istas duas facultates σπερματοποιητικὴν & γαλακτοποιητικὴν, hæc veluti sopita excitatur & ex potentia in actum deducitur, vt possit conuenientem & sufficientem futuræ proli alimoniam olim suppeditare. Vel etiam dicamus, istam materiam, quæ ab vtero & reliquis venis in mammas ad generationem lactis tempore conceptus & post partum influit, non esse simpliciter sanguinem, sed iam ita præparatum & elaboratum, vi vteri & vasorum ex peculiari illâ seminis virilis & fœcundi ἐνεργείᾳ corroboratum, vt ex eo commodè in mammis lac generari queat: quemadmodum materia seminalis non solum ex reliquis corporis partibus ad testes generandi veri seminis causâ defertur, sed etiam in vasis illis præparantibus elaboratur.

Diximus itaque ad lactis generationem concurrere duplicem materiam: vnam quidem ex vtero & reliquo corpore per venas communes & proprias, quæ in epigastrio κατατείνων vteri & mammarum præcipuè efficiunt, nempe sanguinem illum menstruum præparatum & elaboratum: & proprij alimenti mammarum superfluam portionem, ex quibus ista substantia lactea conflatur. Etenim si sanguis solus, purus & probus lactis materiam constitueret, ipsum lac aut eo gradu ac sanguis calidum esset, aut certè calidius per vlteriorem coctionem & diuturniorem caloris in eandem materiam applicationem: attamen ex ipso Galeno 2. *de natur. facult.* certum est lac frigidius esse sanguine., & ex lacte chylum primò, deinde sanguinem de nouo generari in pueris lactentibus: vnde oportet illud habere caliditatem remissiorem in gradu, vt ex eo deinceps commode & æquabiliter quatuor illi humores suscitentur. Adde quod ipsa docet experientia, lactis vsu hecticâ detentos temperari, & æstus præcordiorum sedari, quod nemo sanguini tribuere potest, cum ex ipso assumpto incalescat corpus & pessimè nutriatur: imo etiam sanguis quorumdam animantium, tauri videlicet, ob crassitiem fibrarum quæ in ventriculo concrescunt, haustus pro præsentissimo veneno habeatur. Quando igitur lac dicitur sanguis dealbatus & leuiter immutatus, non est existimandum illud ideo dici, quod non sit diuersâ ab eo substantiâ, (*sanguinis quatuor sunt partes siue substantiæ, lactis verò tres tantum*:) vel quod non sit aliis dotibus præditum ad alimoniam corpori præbendam, sed quia inter coctiones sanguinis, quæ fiunt in corpore nostro, illa sit inter omnes leuior: non enim affigitur vel apponitur parti in quâ assimilatur. Ac proinde non est recipienda illorum sententia, qui existimant naturam ideo tantum istum sanguinem in lac dealbasse ad alendum fœtum, ne cruor ex mammis effusus matri & alumno horrorem

rorem incuteret , quandoquidem , vt iam diximus , ipſe ſanguis non eſt idoneum alimentum quo nutriatur fœtus extra vterum , quando iam ventriculus & hepar ſuo munere fungi incipiunt , quo erant priuata dum eſſet in vtero , & per vaſa vmbilicalia ſanguis ille maternus hauriebatur , & in partibus ſingulis ſolam ἑψησιν ſeu tertiam coctionem patiebatur, vel leuem tantum in hepate depurationem, vt de meconio dicebamus.

Nec eſt quod obiiciat aliquis, lac neceſſariò eſſe ſanguine calidius , quia fit per vlteriorem concoctionem & elaborationem : illud enim Philoſophi , *omnia quæ concoquuntur euadere calidiora & craſſiora* , eſt intelligendum de eo quod vnam & eandem coctionem patitur , non autem diuerſas : quia dum varias coctiones ſubit, fit vt propter partis velut vaſis mutationem , quæ diuerſo temperamento prædita eſſe poteſt , vel alicuius rei ſecretionem aut admixtionem refrigeratio potius quam calfactio in re coctâ aliquando contingat. Id enim ſanguini manifeſtè accidit , dum in mammas glanduloſæ & exanguis naturæ decidit , ibique permiſcetur proprio alimento iſtarum glandularum , valde ſeroſo & pituitoſo, quo diluitur & temperatur : ideo dicitur Galeno lac ſubſtantia quædam veluti media inter pituitam & verum ſanguinem *eodem loco citato* : quem vult à loci proprietate in quo faceſſit & degenerat in lactis naturam , ſufficienter refrigerari. Contra iſtud tamen adferri poteſt , quod ſi ſanguis in mammis refrigeretur , dum lac fit, idem contingere ſemini , dum coquitur in teſtibus : cum tamen certum ſit ſemen longè ipſo ſanguine eſſe calidius. Verùm diſpar eſt admodum ratio lactis & ſeminis: quia ſeminis materia nuſquam ingreditur teſtium glandes , ſed perpetuò in ipſis paraſtatis retinetur impermixta. Imo ſi quid ſeroſi & nimium redundantis excrementitij ſucci eſt , illud exugitur ab ipſis teſtibus in ſui alimoniam , vt eo ſemen depuretur. Adde quod copia ſpirituum per arterias & nernos ex omnibus corporis partibus eò delatorum , maximè facit ad ſeminis caliditatem augendam : quibus euaneſcentibus in ſemine , videmus craſſamentum illius ſatis aquoſum & frigidum , ex quo potiſſimùm coagmentantur partes ſpermaticæ , & frigidæ à Medicis appellatæ.

Supereſt adhuc alia difficultas aduerſus iſtam lactis materiam & naturam. Etenim ſi lac ex ſanguine fiat concocto & elaborato , idem contingeret lacti ac ſemini : quod ſcilicet natura non poſſet ferre magnas illius vacuationes , quod tamen eſt falſum , cum videamus nutrices tantam illius copiam ſingulis diebus & ſine noxâ profundere , quæ duobus aliquando alendis pueris ſufficiat. Quod ſi reſpondeas , diſparem eſſe rationem ſeminis ac lactis , quia ſemen in parte exiguâ conficitur , quæ non poteſt tantam copiam humoris continere , vt mammæ : deinde ſemen eſſe donatum inſigni ſpirituum quantitate , ex quorum profuſione valde debilitatur totum corpus per immoderatam Venerem : aut ſi ſemen ſit deſtitutum ſuis ſpiritibus , quamuis copioſè effluat , non tamen tantum inferre corpori detrimentum , vt patet in vetere gonorrhœâ. Vrgent illi denuò , ſaltem eadem eſſet reſolutio virium aut maior in lactis ac ſanguinis ex venis profuſione , quia lac eſt magis concoctum & elaboratum quam ſanguis. Attamen ſi quis venam tundat mulieri ad ℔. j. facilè præcipitabit illam in ſyncopem , aut etiam ſi menſtrua vel hæmorrhoidalis purgatio ſit præter modum liberalis , ſtatim deficiunt vires , & totum corpus vehementer languet : cum tamen nutrices vegetæ , imo alacriores videantur ex copioſiſſimâ illâ lactis effuſione , quam infans ſingulis pene momentis noctes atque dies ex illarum ſugit vberibus. Ad id reſpondemus , magnam eſſe vim & prudentiam naturæ diſpenſantis actiones corporis noſtri : quæ enim fiunt propter certum finem , & ex primario illius inſtituto , illa iucundiſſimè feruntur , & obeuntur à ſingulis partibus , quamuis ſatis moleſta , & difficilia videantur. Ideo cum natura partes iſtas dicauerit huic lactis concoctioni ad fœtus editi nutritionem, illis ſummam tribuit concoquendi huius alimenti potentiam , eiuſque excernendi copioſè ſine vllo corporis detrimento. Ad id autem maxime confert ſpongioſa iſtius partis ſubſtantia , quæ ſenſim alimentum illud recipiens , & imbibens , nullam vim reliquis infert partibus ſponte & naturæ iuſſu illuc ſanguinem mittentibus : deinde illud excernens etiam per διανήθησιν, & quaſi tranſcolationem ex fungoſis papillæ canaliculis ſine vllâ aut paucâ caloris natiui diſſipatione , quæ in ſanguinis nimiâ profuſione per venas apertas contingit. Adde quod dum ſanguis impetu ex aliquo loco excernitur , non ſolùm ſuperfluus & redundans, ſed etiam naturæ amicus , & neceſſarius vacuari poteſt ad vltimam vſque guttulam , vt patet in vulneratis:

vulneratis : cum lac illud tantum emitti ex mammâ possit vna vice, quod iam concoctum & secretum, naturæ totius, & partis, quasi inutile existit.

Diximus denique in nostrâ lactis definitione, hunc succum produci à naturâ ad iam editi & extra vterum existentis fœtus alimoniam. Quod tamen non videtur vlquequaque verum, quoniam lac non solum post partum gignitur, sed etiam in prægnantibus post quartum circiter vel quintum mensem, si fœtus bene se habeat. Illud itaque est ita intelligendum, lacteam substantiam fieri ad nutritionem editi fœtus ex primario naturæ instituto, quæ omnia propter finem & bonum operatur : apparere tamen in prægnantibus lactis quamdam generationem, tum vt assuescant iam mammæ, & maturè huic muneri incumbant : tum etiam vt hac lactis productione in mammas auertatur quodammodo alimentum ab vtero, sicque illius indigentiâ, & post maturitatem perfectam moueatur iam infans & quasi incitetur ad discessum. Hinc fit, vt quibus prægnantibus mammæ subitò gracilescunt, vel lac copiosum ex mammis effluit, illis immineat abortus, quia deficit, vel auertitur subitò materia ad alendum in vtero fœtum idonea. Atque hæc de lactis naturâ & generatione sufficiant : nunc ad illius electionem veniamus.

Superiori igitur capite, dum de regimine nutricis, eiusque bonâ constitutione ageremus, satis copiosè proposuimus causas optimi lactis generandi, tam internas ex parte nutricis, quam externas, quæ concurrere possunt ad istud opus iuuandum vel perficiendum. Superest vt paucis tradamus notas siue conditiones quæ in lacte ipso requiruntur, vt conueniens sit & idoneum pueri alimentum. In lacte ergo ab vberibus nutricis receenter extracto, consideranda erit primum substantia ipsa siue substantiæ modus, qui positus est in iustâ quadam consistentiâ, quæ media sit inter nimiam crassitiem & tenuitatem. Vt enim nimia crassities impedit eius coctionem & facilem distributionem, vnde grumi sæpius in ventriculo concrescunt : sic nimia tenuitas, cum ex cruditate pendeat, vel nimiâ seroſæ materiæ admixtione, eiusdem prauam ad alendum dispositionem : vnde alui fluxus, vomitus, & totius corporis macies in puerulis sæpe exoriuntur. Aëtius itaque immergit pilum in lac : quod si bonum sit, æqualiter illi hærere debet : vel si vitiosum, nihil aut nimis. Nos verò coniicere solemus supra speculum, lancem, patinam aut vnguem lactis portiunculam, quæ si ibi subsistat immota, optimæ consistentiæ & laudatæ coctionis erit indicium : sin statim diffluat, tenuis & seroſæ nimium : si commoto aut etiam inuerso vngue vel speculo hæreat, nimium crassæ & viscidæ : quod eodem modo explorare possumus digitis illud contrectantes, vtrum lentore, vel tenuitate nimiâ sit præditum.

Secundò oportet quantitatem lactis, quæ in vberibus nutricis continetur explorare. Nam si exigua sit valde, aut sæpe & per interualla deficiat, vix sperati potest commoda ex eo infantis nutritio : sin verò admodum redundet, nocere etiam solet : quia puellus nimiâ illâ copiâ confertim irruente fere suffocatur : vel dum non satis abundè extrahitur, facile inflammationem aut grumos concipit : imo eiusmodi vbera lacte turgidiora facile offenduntur à quacunque re comprimente : vnde infinita in illis mala exoriri solent. Atque vt plurimum illa nimia lactis redundantia ad tempus, in penuriam & defectum maximum exinanito confertim nutricis corpore terminatur.

Tertio in lacte considerandus erit color. Vt enim sanguis ruber & floridus laudatur ob exquisitam temperiem & coctionem in hepate : sic etiam lac album & splendidum, nempe proprio suo colore donatum, qui non est simpliciter albus, sed ea albedinis species, quæ lactea peculiariter dicitur, nec in sero, semine, pituita, muco, aut aliis corporis nostri humoribus, quamuis albicantibus reperitur. Ab hoc colore quantum recedit lac, eo deterius, quia vel cruditatem arguit, vel exustionem, aut certè alicuius humoris dominatum, vt bilioſi si flaueſcat, melancholici si liueſcat, pituitoſi aut seroſi, si alienâ albedine inficiatur, quo eius temperies labefactatur. Quamuis enim colores vniuersaliter considerati non sint certa temperamentorum indicia : attamen in vnaquaque specie aut indiuiduo, quia certus adest color, rei illius bonam vel malam dispositionem demonstrare possunt, quæ pendet ex proportione humorum, & singularum coctionum integritate vel vitio.

Quartò in lacte considerandus est odor, qui in succo isto temperato & æqualiter concocto debet esse suauis & blandus, nullo virore aut acrimoniâ infectus, qualis

Digitized by Google

qualis ex corporibus feruidioribus, rufis & lentiginoſis expirare ſolet; nec etiam aciditate quæ teſtetur illius refrigerationem maximam. Lac enim, vt eſt in medio fere omnium qualitatum, & quaſi in æquilibrio poſitum, ſic etiam facile vitium contrahit, non ſolum in ipſis vberibus, ſed etiam in ventriculo intemperato, cuius notas ſtatim repræſentat ructibus acidis, ſi frigidior; nidorulentis verò, ſi calidior exiſtit. Quod etiam ipſæ alumnæ ſolent in ſuis puerulis præſentire ex ſolo halitu, qui per os emittitur: vbi enim lac crudum & inconfectum in ventriculo remanet, talis vapor acidus; ſin exuratur nimium, torridus & acer eleuatur.

Verum iſta omnia adhuc certius ex quinto ſigno, nempe ſapore cognoſcemus; nam ſi quis deguſtet eiuſmodi lac ſtatim mulctum, deprehendet non ſolum actualem illius caliditatem maiorem aut minorem, ſed etiam potentialem, vt loquuntur. Vt enim dulcedo gratiſſima, & quaſi ſaccharata illi propria, ſignum erit præſtantiſſimi lactis: ſic etiam ſalſedo, acrimonia, amaror, illius exceſſum verſus intemperiem calidiorem: acerbitas vero, aciditas aut inſipiditas inſignis, cruditatem & exceſſum verſus intemperiem frigidiorem, indicant. Imo tanta eſt vis iſtius ſigni, vt poſſint quidam ex deguſtato lacte nutricis alicuius detegere, vtrum illa quodam alimento vitioſo aut inſigni qualitate prædito in damnum infantuli vſa fuerit, vt cepis, alliis, ſalſis, piperatis, frixis, & ſimilibus, quorum exceſſus huic liquidæ ſubſtantiæ facilè communicatur. Patet hoc exemplo butyri, quod alieno ſapore inficitur, dum vaccæ alliariam, &c. comedunt. Illud nos aliquando vidimus iucundiſſimè vſurpatum in gynæceis magnatum, & illuſtrium fœminarum.

Præter iſtas notas, & ſigna lactis realia, vt loquuntur, non inutile etiam erit habere rationem loci & temporis: loci, nempe regionis vel pagi ex quo oriunda nutrix: quia multum differt lac earum fœminarum quæ mõtes & temperata aut frigida loca inhabitant ab aliis, vt apud nos Cebenicæ nutrices magis probantur: temporis autem, videlicet intra grauiditatem vel extra: quoniam durante geſtatione vix poteſt lactis bonitas adeſſe, cum oporteat fœtum in vtero ſuis commodis inſeruire, & meliorem ſucci materni portionem ad ſe allicere. Ac proinde vbi nutrices Venere vrentes, in vtero habere deprehenduntur, ſtatim debent abſtinere à nutritione infantis, ne prauum illis lac & fæculentum exhibeant. Extra grauiditatem verò conſiderandum etiam vtrum longè ſint à partu, vel ſtatim poſt partum: num vetuſtiores, vtpote quæ tres à partu annos exceſſerunt, lac craſſum, paucum, & turbidum ſuppeditare ſolent: quæ verò proximæ ſunt partui vſque ad tertium menſem, valde crudum & aquoſum, quod eodem modo eſt quibuſdam puerulis noxium, vt ſuprà annotauimus: niſi ſit intentio ſoluendi & expurgandi aluum, vel refrigerandi corporis calidioris & ſiccioris: quâ in re prudenter eſt agendum, ne videlicet tenelli illi infantes in grauiora mala ex intempeſtiui iſtius lactis vſu præcipitentur, vt ſæpe obſeruauimus.

Vt igitur omnes lactis conditiones ſunt conſiderandæ ad bonam illius conſtitutionem deprehendẽdam, ſic etiam mammarum velut efficiẽtium cauſarum diſpoſitio erit contemplanda, vt ſit optimè, & ſecundũ rectas naturæ leges inſtituta, ad proprium munus exercendum. Siue igitur fœmina ſit virgo, ſiue mulier venereo vtens congreſſu, ſiue prægnans aut puerpera & nutrix, debet perpetuò mammas ita habere temperatas, vt nullus in illis exceſſus primarum qualitatum morboſus ſẽtiatur: debet etiam habere ritè conformatas, figurâ decenti, rotundatâ, & faſtigiatâ, quæ in papillã modicè extuberantẽ & craſſum velut apicem deſinat, læuitate elegãti politas, firmitateque quadã mediocri donatas, quæ ſit inter mollitiem & duritiẽ quaſi media. Sint etiam ea magnitudine, non ſolũ virginibus aut fœminis elegantiæ ſtudioſis, ſed etiam in nutricibus quæ iuſtæ corporis moli reſpondeat. Debet etiam ipſe ſitus in mammis eſſe elegans, & decorus, vt ſcilicet non connexæ & quaſi confuſæ in mediâ pectoris regione exiſtant, ſed ita diſtinctæ, vt vnaquæque ſuum locum ad latera thoracis ex diametro poſita obſeruet. Nulla etiam adſit macula, lentigo, vlcus, aut cicatrix, quæ membrum iſtud viſui & tactui expoſitum dehoneſtet. Ex eiuſmodi mammis Venerem quaſi & delicias ſpirantibus, non ſolum ſumma iucunditas exoritur, ſed etiam quando ad præcipuam ſuam operationem, nempe γαλακτοποίαν exercendam reuocantur, ſumma vtilitas ad ſobolis educationem. Hanc igitur exquiſitam & laudabilem mammarum conſtitutionem debet Medicus gynæci præfectus omni induſtriâ ſartam tectam ſeruare, vel ſaltem intra ſanitatis latitudinem, quantum fieri poterit, retinere. Quod ſi contingat aliquando propter vio-

lentiam causarum internarum vel externarum eam immutari & longè depravari ob exorientes affectus morbosos, tunc etiam rectâ methodo & remediis artificiosè adhibitis, illos oppugnare conueniet.

CAPVT III.

De affectibus mammarum præcipuis & eorum curatione.

IN pertractandis mammarum affectibus præter naturam, illos tantum explicandos suscipiemus, qui præcipuè in vsum & praxin medicam venire solent, & ex quorum cognitione, aliorum facile notitia, & curandi ratio haberi potest. Hunc igitur tractatum perficiemus quinque sectionibus, in quarum primâ agemus de immodicâ mammarum magnitudine, & gracilitate: in secũda de earumdem tumore œdematoso siue phlegmatico: in tertiâ de earum tumore scirrhoso & canceroso: in quarta de mammarum inflammatione phlegmonosâ, erysipelatosâ, & quæ à lacte corrupto contingit: quintâ denique de earumdem vlceribus tam simplicibus, quam cancrosis tractabimus. Ad istorum accuratam explicationem reuocari poterunt commodè reliquæ dispositiones mammarũ similares, tam simplices intẽperies, quam compositæ, cũ affluxu variæ materiæ, & sine eo: Item dispositiones aliæ organicæ & solutiones continui, asperitates, vesiculæ, scabies, fistulæ, nomæ, & similia, vt vnicuique rem istam diligenter consideranti satis patebit.

Ad primam itaque partem huius tractatus aggrediamur: vbi illud primum monuerimus, prædictos affectus nobis nunc explicandos in quocunque statu fœminarum, virginitatis scilicet, grauiditatis, puerperi, & extra illos contingere posse: ideo illam tractationem non tantum respicere nutritionem editi fœtus, sed etiam commoda individui muliebris: atque idcirco postea peculiari capite agemus de vitiis quæ contingunt ipsis mammis ratione lactis præter naturam constituti in nutricibus.

IMMODICA MAMMARVM MAGNITVDO ET NIMIA GRACILITAS. Corporis nostri partes intra vterũ ita conformari & augeri debent, vt iusta omniũ quantitas, & inter ipsas debita proportio seruetur: quod si aliter contigerit, tunc vitia contingũt magnitudinis auctæ vel imminutæ præter naturæ institutum & speciei conditionem: vnde longimani, crassipedes, macrocephali, platones, & similes appellati fuerunt: Extra vterum dum fit incrementũ totius corporis, & partium nisi iusta seruetur proportio, eadem vitia contingere possunt: sic videmus multis collum oblongum fieri & gracilescere circa pubertatem, aliis scapulas alarum instar eleuari & similia. At verò vitia auctæ vel imminutæ magnitudinis maximè eluceſcũt, cessante vi illâ auctrice post 25. aut circiter ætatis annum: (*ratione scilicet incrementi totius corporis, non autem partium, vt patet exemplis*:) tunc enim obseruare licet multos præ adipis & carnium multitudine ita intumescere, vt vix se loco mouere possint: alios circa declinãtem ætatem ita extenuari toto corpore, vt sceleti vel laruæ arte progredientis speciẽ repræsentent: sic etiam peculiaris quædam crassities aliquibus partibus, aut gracilitas contingere potest, quæ summum actionibus incommodũ adferre solet: vidimus multos præpingui & crasso corpore, quibus tamen pedes & crura ita erant exilia, vt vix incedere possent: contra in aliis tibias ex multitudine carnis ita intumuisse, vt vix illas attollere possent. In quibusdam fœminis omentum ita impinguatur, & venter crassescit, vt sterilitatẽ inducat, sicut est in Aph. Eodem modo & frequentius mãmis contingere solet, vt propter spongiosam illã, adiposam & glandulosam substantiã quâ præditæ sunt, incidant in istos affectus auctæ vel imminutæ magnitudinis: ex quibus non solum propria, sed etiam partium vicinarum, vt brachiorum & thoracis actio læditur: vnde patet propter turpitudinem & indecoram dispositionem mammosas illas mulieres frequenter difficultate spirandi & ambulandi laborare: narrantque authores de bellicosis illis mulieribus *Amazones* dictis, quod sibi mammas dextras adurebant, vt essent alacriores ad motus exercendos, & arma gestanda. Quæri tamen potest, verum magnitudo ista immodica mammarum eodem modo sit inepta ad lactis generationem, quemadmodum reliquis actionibus impedimentum infert? Nam gracilitatem eximiam eidem plurimum obesse certissimum est, cum neque sufficiens lactis quantitas in illis contineri, nec etiam commode concoqui possit ob duritiem & siccitatem nimiam gracilitatis plerumque

plerumque comitem, quâ omnes naturales functiones facillimè læduntur. Magnitudo autem mammarum cùm & excipiendæ materiæ lacteæ, ob vasorum amplitudinem; & continendæ, ob substantiæ laxitatem; & conseruandæ, ob humiditatem quâ præditæ sunt, idonea videatur: iuuare potius videbitur lactis generationem quam impedire. Attamen si rei veritatem accuratius expendamus, magnitudinem mammarum, quæ non est proportionata thoraci, & reliquo corpori, dicemus incommodam esse ad lac optimum generandum: quia cum sint valde laxæ & humidæ, non possunt habere eum gradum caloris proprium, nec à subiecto corde & pulmonibus ita calefieri, quin dissipetur & exhalet melior illius pars: vnde inualidiores remanent ad lactis generationem exercendam. Adde quod in profundioribus illis pendularum mammarum cauernis, vt plurimùm subsistit succi crudioris aut iam mucidi copia, quo reliquum lac inficitur quodam acore, & serosius quam par sit redditur, vt ipsa docet experientia.

Sunt igitur propositi affectus, dispositiones præter naturam organicę mammarum, ex defectu vel redundantiâ proprij alimenti, sine vllo tumore præter naturam, aut humore in cauitate ibidem contento vel deficiente. Sic enim distinguuntur ab eleuationibus phlegmonosis, scirrhosis & similibus, in quibus adsunt alia morborum genera præter commemorata. Distinguitur etiam ab illâ magnitudine & gracilitate, quæ fit ex lacte copiosiore, vel parciore in eis dum prægnantes sunt, vt est *Aph.* 37. *&* 53. *sect.* 5. vel nutricis munere funguntur: quia hæ non sunt propriæ, sed aduentitiæ dispositiones, vt suis capitibus ostendemus. Diximus itaque istam magnitudinem & gracilitatem propriè sumptam pendere ex proprij mammarum alimenti excessu aut defectu, id est ex multitudine vel inopiâ nutritionis. Quotiescunque enim adest sanguinis laudabilis copia, caloris attrahentis ad partem & concoquentis vbertas, & viarum commoditas seu amplitudo; toties necessario debent partes, potissimum mammæ laxæ & fungosæ ex naturali constitutione recipere magnam proprij alimenti copiam, quod concoctum & assimilatum in maiorem quam par est molem accrescit: & sic mammæ in plerisque fœminis etiam virginibus, sororiantes, vt loquitur Plautus, id est valde tumentes apparent, præcipuè si lato sint pectore, & scapulis, laxioreque corporis habitu. Sunt & quædam regiones, vt circa Alpes, in quibus vel hæreditario iure, aut peculiari aëris & diætæ ratione, non solum hernia illa gutturis, bronchocele dicta, sed etiam mammæ quasi prodigiosæ & instar saccorum visuntur: vnde illud Martialis,

Mammas atque natas habet Afra, sed illa natarum
Dici & mammarum maxima mamma potest.

Quod etiam iuuat victus liberalis & euchymus in corporibus sanguineis & temperatis, aut quibus hepar πολύαιμον & μεγαλόστομαχον exiitit. Si multum somno & otio indulgeant aut balneis humectantibus & laxantibus vtantur: Idem præstant alimenta succi solidioris & copiosioris, putà ex caseo multo, intestinis & pinguedine animalium, butyro, mellitis, & saccharatis, leguminibus recentibus, castaneis, pastinacis, tuberibus, rapis, & similibus ad impinguandum aptissimis, desumpta. Imprimis autem ad id confert parcitas menstruæ purgationis in virginibus iam nubilibus, aut fœminis Venere abstinentibus, si consortio iuuenum, blandisque contrectationibus vtantur, quibus vterus & mammæ propter mutuum consensum facile dilatari & incalescere solent, sanguinemque ad se copiosiorem attrahere, & in adipem ex propriâ loci constitutione conuertere.

Contra verò gracilitas mammarum insignis omnes agnoscit causas, quæ prædictum alimentum imminuere in toto, vel intercipere & à mammis repellere, aut aliò deriuare possunt. Sic temperamentum totius corporis vel hepatis siccius, inedia, labor immodicus, vigiliæ immensæ, ambientis feruor, febres absumentes, vacuationes omnes superfluæ & diaphoreticæ; vlcera interna, præcipuè pulmonum, illud violenter præstare possunt. Mammarum autem alimentum intercipiunt angustia naturalis aut obstructiones venarum, potissimum axillaris, ex cuius ramo irrigantur: repellunt omnia adstringentia admota, vel comprimentia, vt arctiores vestes, fasciæ & similia, quibus mulierculæ sæpius ad ornatum & elegantiam sibi comparandam abutuntur. Reuellunt frictiones & cucurbitulæ inferioribus partibus sæpius admotæ: potissimùm si ab illis immodica sequatur sanguinis per vterum excretio. Sunt quibus ex diuturniore & copiosiore lactatione seu puerulorum nutricatu mammæ omnino contabuerunt, consumpto quasi proprio & radicali istius partis humido: quod tabem membri authores nostri vocare consueuerunt. Ex his itaque & simili-

bus cauſis pendet mammarum magnitudo & graciliras nimia.

Signa autem illarum ex iam dictis viſui & tactui patent, differentiarum etiam, quia debent iam dictæ diſpoſitiones eſſe ſine vllo tumore præter naturam, dolore, tenſione, aut duritie inſigniori: debent etiam ſine vllâ lactis generatione, vt ſupra annotauimus, quia tunc eſſet alius affectus ſuo loco explicandus. Signa etiam cauſarum haberi poterunt ex ſedulâ animaduerſione & enumeratione rerum naturalium, non naturalium & præter naturam.

QVOD AD πρόγνωσιν SPECTAT. Vt magnitudo mammarum turpitudinem maiorem & impedimentum adfert in muliere: ſic gracilitas earum deterior, tum quod ſequitur vt plurimum affectus grauiores, & quia minus eſt apta ad munus illud exercendum cui mammæ dicatæ ſunt, nempe lactis generationem. Quando vtraque confirmata eſt, vix curationem recipere poteſt, ac proinde illis maturè proſpiciendum erit.

Vt autem illud præſtare poſſimus, imprimis diæta vtrique affectui præſcribenda, quæ cauſas illas generantibus & iuuantibus opponatur, quam vnuſquiſque ex prædictis facile ſtabilire poterit. Ratione etiam totius corporis, nempe vacuationis aut reuulſionis, ſi phlebotomia ex venis ſuperioribus aut inferioribus, cucurbitulæ, frictiones, cauteria ſeu fontanellæ videantur ex vſu: item purgantia, alterantia, diuretica, menſes aut ſudores prouocantia: illud periti Medici arbitrio relinquemus, cuius etiam erit omnes alios affectus iſtis complicatos, & qui originem aut anſam aliquam ei præbuerunt, prudenter oppugnare: deinde ad peculiaria ſeu appropriata remedia accedere. Ad magnitudinem itaque mammarum coërcendam dum adeſt, vel prohibendam ne augeatur: faſciæ molliter illas comprimentes proderunt, vt minus idoneæ ſint ad recipiendum alimentum, & ligaturæ quibus impediatur prolapſus eiuſmodi mammarum ad inferiora, quo magis ac magis diſtenduntur ac dilatantur. Si iuuencula ſit, poterunt fieri fotus adſtringentes ac modicè refrigerantes, atque etiam admoueri emplaſtra aut cataplaſmata eiuſdem facultatis, non ſolum mammis, ſed etiam axillis, ad coarctandam ſubſtantiam partis iſtius molliorem, conſtringenda vaſa, & reprimendum impetum materiæ, quæ ad illas defertur. Non eſt ſatis tutum vti narcoticis, qualia à multis in hoc caſu laudantur, vt oleo hyoſcyami, ſemine aut ſucco cicutæ, & ſimilibus, potiſſimùm in illis quæ aliquando nutritioni fœtus daturæ ſunt operam, quoniam eiuſmodi remedia eneruant penitus vim caloris natiui in parte potiſſimum exangui & frigidâ. Laudarem potius remedium Aëtij ex terrâ Cimoliâ cum oleo omphacino, aut luto quod in molaribus reperitur, cum ſucco plantaginis, vel etiam ex ferri ærugine, aut croco Martis, diſſolutis oleo myrtino.

Commendant nonnulli, ex proprietate, ouum perdicis conquaſſatum & mixtum cum pauco aceto & oleo roſaceo ad illinendas mammas nimium creſcentes. Mulierculæ noſtrates folia hederæ, oliuarum, & lentiſci contundunt, irrigando paucâ aquâ aluminoſâ, & eiuſmodi mammis, quarum magnitudinem imminuere cupiunt, in ingreſſu lecti adhibent: mane aquâ aluminoſâ & vrinâ pueri lauant, vel aquâ ſtillatitiâ peculi roſarum. Et quemadmodum iſta adſtringentia prodeſſe poſſunt in iuuenculis & virginibus: ſic in eis quibus propter ablactationem diuturniorem mammæ nimis increuerunt, probarem maximè ſiccantia & reſoluentia, quibus exhauriatur humiditas illa ſuperflua parti adhærens, & pori conſtringantur & corroborentur. Horum paradigmata facilè haberi poterunt ex communibus formulis, & quando de lactis redundantiâ agemus. Lubet tamen ſequens cataplaſma quod ſatis commendatur, deſcribere.

℞ Farinæ fabarum, orobi, & lupinorum, ana ʒ j. ß. Decoquantur in oxymelite: addendo ſub finem florum chamæmel. melilot. & roſarum: fol. ſiccorum menthæ, abſint. & anethi, ana ʒ j. ß. olei irini q.ſ. Vratur vt dictum eſt.

QVOD AD GRACILITATEM VERO MAMMARVM NIMIAM SPECTAT. Si illa ſit coniuncta depauperationi humidi primigenij, & totiùs corporis conſumptioni, eodem modo erit curanda, quo hectica febris aut maraſmus ad quem conſequitur. Imo in quacunque gracilitate mammarum inſigni, ſiue ſolâ, ſiue complicatâ optimum erit victum præſcribere analepticum, balnea humectantia, γαλακτοποιὰ, ſi fœmina non offendatur illius vſu, aut ſaltem mammarum fotum ex lacte tepente, aut decocto capitis & inteſtinorum vetuecis, cum herbis & radicibus emollientibus atque humectantibus. Quod ſi quædam ſanguinis

craſſities

craſſities appareat, aut venarum anguſtia, propter quam ſanguis non poſſit commodè transferri ad mammas, non erit inutilis vini generoſi & tenuis vſus, reliquorúmque aperientium ad illud corrigendum. Vbi verò facultas mammarum non videtur ſatis valida ad attrahendam conuenientem alimoniam, excitanda erit fotu vini albi & aquæ tepentis, aut adhibito leui quodam dropace, vel ſinapiſmo; poſt leues frictiones, aut etiam admotiones cucurbitularum. Sed quoniam hac de re acturi ſumus capite de lactis defectu, ideo hiſce erimus contenti, vt ad tumores mammarum morboſos accedamus.

TVMOR MAMMARVM OEDEMATOSVS. Quemadmodum dicebamus, mammas aliquando corripi intemperie frigidâ humidáque: ſic etiam tumoribus œdematoſis infeſtari poſſunt, quoties materia aquoſa, flatuoſa, aut phlegmatica ſolæ vel inuicem mixtæ in illarum ſubſtantiam & proprios poros effunduntur. Quod ſæpe videre eſt in noſtris fœminis, quæ cachexiâ & pallidis coloribus detinentur: deficiente enim calore natiuo intumeſcunt paulatim partes & œdematoſæ euadunt, ita vt albicent præter modum, & impreſſum digiti veſtigium ſine dolore, diutius ſeruent: quamquam raro in mammis & pectore iſti tumores phlegmatici appareant propter ſubiecti cordis caliditatem, diſſipantis iſtos humores, quamdiu aliquid ſupereſt virtutis. Attamen non eſt dubium, quin aliquando contingere poſſint, vt Auicenna proprio capite annotauit, & nos in aliquot mulierculis obſeruauimus.

Cum igitur œdema iſtud mammarum fieri poſſit tum à fluxione, tum à congeſtione, duabus nimirum cauſis tumorum præter naturam vniuerſalibus: ideo in illius curatione poſt habitam rationem diætæ exſiccantis & calfacientis quæ hic maximam vim obtinere ſolet; videndum erit vtrum iſte humor ex capite in mammas, quod frequentiſſimum eſt, prolabatur, vel ex totius corporis & caloris natiui ruinâ pendeat, vt in anaſarcâ ſeu leucophlegmatiâ. Etenim ſi hydropi vniuerſali coniunctus ſit, recurrendum erit ad curam illius ordinariam vel cachexiæ, quæ à nobis fusè tractata fuit capite de χλωρώσει. Sin vero pendeat à cerebri catarrho, reuellendus erit omni arte ac deriuandus, ipſúmque caput exſiccandum & roborandum, ne amplius talem huic parti labem communicet.

Quod ſi per congeſtionem iſte tumor aquoſus, flatuoſus vel phlegmaticus in mammis colligatur ex violatâ in membro concoctrice: tunc confirmanda erit omni arte, humórque collectus diſſipandus & reſoluendus. Id fiet poſt præmiſſa vniuerſalia purgantia, ſudorifica & ſimilia, fotibus ex lixiuio ſarmentorum, fici & braſſicæ cum pauco ſale, roſis, & alumine, ad robur parti addendum: cataplaſmate ex farina fabarum & orobi cum floribus chamæmel. & ſeminis cumini puluere in vino rubro aut albo coctorum: emplaſtro de ſulphure & de baccis lauri: eâ tamen cautione, ne nimis violenter reſoluamus, quia facile degenerat in ſcirrhoſam diſpoſitionem: nec nimium calfaciamus aut diutius, quia ſanguis in partem attractus, & huic materiæ admixtus ſolet putreſcere, & abſceſſum ſatis malignum producere, vt in ſcrophulis quotidie obſeruamus. De quibus omnibus poſtea agemus.

TVMOR MAMMARVM SCIRRHOSVS ET CANCROSVS. Duo iſti affectus valde ſunt ordinarij & familiares mammis, ob ſubſtantiæ laxitatem, multitudinémque vaſorum quibus excipiunt facilè quamcunque materiam in corpore redundantem, potiſſimum obſtructo vel aliter impedito vtero ad purgationes illas menſtruas obeundas. Dicamus itaque ſcirrhum mammarum eſſe tumorem præter naturam durum & indolentem, ab humoris melancholici naturalis ſolius vel permixti collectione, aut alio quocunque tumore propter nimiam reſolutionem ibidem exſiccato. Sic igitur diſtinguimus ſcirrhum à cancro, dum dicimus eſſe indolentem, aut ſaltem minimi doloris participem, & à naturali melancholiâ frigidâ ſiccáque fieri: cum cancer à fœce illa humorum putrefactorum, aut incenſorum, contingat, ad quam ſequitur ſenſus acrimoniæ, punctionis, & tandem exulcerationis. Diſtinguimus etiam vltimâ particulâ definitionis ſcirrhum exquiſitum à non exquiſito, & primarium à ſecundario, dum dicimus illum fieri non ſolum ab iſto humoris melancholici συναθροισμῷ, ſed etiam alterius, qui varie permiſceri poteſt cum illo, & diuerſas ſcirrhi ſpecies conſtituere. Diſtinguimus etiam primarium à ſecundario, quia primarius eo quo iam diximus modo, contingit: ſecundarius verò fit ab omnibus aliis tumoribus præter naturam induratis, ſiue per ſe ob vehementem caloris actionem & tenuiorum partium reſolutionem, ſiue vſu remediorum intempeſtiuè adhibitorum: hinc dicitur ſcirrhus albus, ille qui exſicca-

diſſiparunt, quia continuò agunt & ſine moleſtiâ, vt emplaſtrum diachylon magnum, de mucilaginibus, filij Zachariæ, & ſimilia fideliter diſpenſata, & oleo hypericonis inſtar cerati emollita, ne partem ipſam duritie premant, vel pondere ſuo grauent. In confirmatis & rebellibus ſcirrhis laudat Galenus fumigia ex aceto ſuper lapidem pyritem, vel molarem candentem affuſo, ad incidendum & penetrandum. Sed in mammis non conducit aceti vſus, vt nec ipſi vtero, propter ſummam partis laxitatem & acriorem ſenſum: Ideo loco aceti velim affundere decoctum iam ſuperius commemoratum ad cataplaſma: quo vteretur bis in die: deinde ipſe locus affectus tegeretur gummi ammoniaco & bdellio, diſſolutis in vino albo inſtar emplaſtri. Iſta autem remedia in morbo tam longo & pertinaci non ſunt perpetuò vſurpanda, ſed potius per interualla, vt dentur quædam naturæ induciæ, & pars ipſa recreetur. Quod ſi poſt annum integrum, adhibitis tam vniuerſalibus quam particularibus accuratè remediis, nihil profeciſſe videamur, nec ſcirrhus in aliam tumoris ſpeciem vertatur, vt phlegmonem, abſceſſum, aut cancrum, tunc eſt confirmatus, & velut immedicabilis relinquendus.

Iam igitur ad cancroſum tumorem mammarum curandum tranſeamus: vbi primum Hippocrati ſatisfecerimus, qui *Aphor.* 38. *ſect.* 6. conceptis verbis cancros occultos curare prohibet: quia curati citius pereunt: non curati longius durant. Per occultos autem intellexit, interpretante Galeno, vel eos qui nondum ſunt vlcerati, ſub ſpecie ſcilicet tumoris: vel qui ſunt in interioribus corporis ſedibus, vt ano, vuluâ, palato & ſimilibus partibus, in quibus non admittunt liberam manuum tractationem, neque radices ſuas & venas illas à quibus augentur, oſtendunt oculis. Itaque cum per illud *curare*, vera & perfecta curatio ſit audienda, quæ fit vrendo & reſecando; vel etiam intelligatur therapeia quæ fit per indicationes vulgares, vtpote cum in iſto tumore, quemadmodum in ſcirrhoſo materia ſeu cau a coni ncta videatur primo intuitu craſſa & dura, ſi quis ad illam oppugnandam, ſiue ad curandam vtatur incidentibus & mollientibus, exaſperabit procul dubio affectum: certiſſimum eſt cancros occultos in vtraque ſignificatione non eſſe attingendos, quando non eſt ſpes illos omnino cum ſuis venis nigricantibus extirpari poſſe, & deinde ad cicatricem veram perduci: quod in paucis admodum contingit: meliúſque eſſe tunc vel non attingere omnino, vel curâ tantum prophylactica illorum incrementum & exacerbationem impedire: quemadmodum gloriatur Galenus *lib. quos, quibus & quando*, ſe in multis præſtitiſſe fœminis, in quarum mammis aderat iam aut imminebat cancroſus tumor, repetitâ frequenter purgatione, & phlebotomiâ circa vernum & autumnale tempus, prouocatione menſtruorum & hæmorrhoidum in viris: aut curam tantum παρηγορικὴν ſiue palliatiuam moliri, quâ ſolemus symptoata illius mitigare, vt dolorem & inflammationem atque exulcerationem in cancroſo tumore retardare, & ſimul iſtorum ægrotantium vitam prorogare.

Prophylacticen igitur, cum reſpiciat cauſas antecedentes, ſufficiat annotaſſe ex ſupra dictis: quod ad curatiuam verò, quæ amputatione integra aut vſtione fit: raro admitti ſolet ab eiuſmodi fœminis cancro mammarum laborantibus, quandiu eſt ſimplex tumor, nec adhuc in vlcus degeneratit: quia ſemper dubitant de illius eſſentia, & malunt alia experiri remedia, antequam ferro aut igni ſeſe committant. Neque etiam videtur vſurpanda iſta operatio, niſi admodum ſuperficialis ſit cancroſus iſte tumor, & venas habeat exteriores, quæ ſimul amputari poſſint cum illo, & ſanguis ille atrabilarius diligenter exprimi: alias recrudeſcere ſolet vehementius, vel vlcus teterrimum excitari, à quo tandem mors, non ſine Medici infamiâ oboritur. Melius eſt itaque, ex conſilio Hippocratis, illud relinquere & remedia refrænantia, & ſymptomatum vim lenientia vſurpare. Inter quæ plumbum & ſuccus ſolani principatum obtinent: verſatur autem iſte ſuccus ad ſolis radios cum piſtillo plumbeo in mortario etiam plumbeo, donec linimenti conſiſtentiam acquirat, eóque inungitur pars affecta ſæpius in die, & aliquando lauatur decocto vel aquâ portulacæ & pimpinellæ, quæ peculiarem ad cancroſos tumores vim obtinere creditur. Ad idem concinnatur vna aut altera lamina plumbea inſtar papyri tenuis, & variis foraminulis peruia, quæ inuncta eodem linimento, vel aqua ſupra partem viciſſim geſtatur. Sunt qui audent iſtam laminam interius confricare argento viuo, non ſine ſucceſſu, vt aſſerunt; quia & refrigerat, & reſoluit inſenſibiliter. Mira ſunt quæ vndique circumferuntur & iactantur à Practicis ad iſtos cancroſos tumores, oleum ex viperis, vnguentum ex bufone, pinguedo ranarum,

pulvis

puluis cancrorum fluuiatilium, cum ouo integro conquaſſato commixtus, & frequenter illitus. Ego frequenter in eiuſmodi tumoribus efferueſcentibus ardorem & dolorem ſedaui ex cataplaſmate pomorum in aquâ roſaceâ decoctorum: vel oleo roſaceo loto, & oleo ex vitellis ouorum ſimul mixtis, cum albumine oui conquaſſato. Sed quia iſte tumor dum minor eſt, negligitur, dum autem maior & vehementior, citò hiſtoriam ſuam peragit, & in vlcus malignum degenerat, quo fluente aliquando vita per aliquot annos durare poteſt: Ideo reliquam curationem ad proprium vlceris caput remittemus.

Inflammatio mammarvm. Duplex eſt iſta mammarum inflammatio, de quâ nunc agere inſtituimus. Vna quidem quæ ſequitur tumores præter naturam phlegmonoſos aut eryſipelatoſos in mammis genitos, ſub quibus etiam φλόγωσις ſimplex contineri poteſt: alia vero, quæ contingit à lacte in eiſdem corrupto vel putrefacto, vt ſolet frequenter in prægnantibus, aut citò poſt partum.

Primæ quidem natura, generatio, progreſſus, & curatio parum differt ab eiuſmodi tumoribus, qui in aliis partibus ex affluxu humoris ſanguinei aut bilioſi exoriuntur. Alia verò eſt peculiaris huic parti, magiſque frequens, vt docet experientia Phlegmonoſus itaque tumor (eryſipelatoſus à nobis omittitur, vt & ſimplex φλόγωσις, quia rarior eſt in mammis, & facilè ex phlegmonoſi deſcriptione cognoſci ac curari poterit) dignoſcitur inquam in mammis ex calore, dolore, rubore, pulſu, & renixu, qui ſequitur eleuationem partis non diffuſam & ita extenſam, vt ea quæ proficiſcitur ex lacte corrupto; ſed contractam & faſtigiatam ad alterum latus mammillæ, vnde fit vt in illâ parte pulſatio ex contractis arteriis ſentiatur, quod non contingit in ea quæ fit à lacte contento in latioribus mammarum ſpatiis. Dolor quidem & calor in vtroque inſignis, vt qui febrem ſæpius acceſſant ſibi comitem cum aliis ſymptomatis vulgaribus, ſiti, delirio, vigiliis, & ſimilibus: ſed in phlegmonoſo tumore, non ita diffuſus calor & dolor per totam mammam, ſed intentior in aliquâ eius parte, atque ad exteriora potius vergens: cum in lacte corrupto magis figatur verſus anteriora, & quaſi mammillæ centro adhæreat, aut in variis eius partibus ſentiatur quaſi diſperſus. Vnde etiam rubor multo intenſior in phlegmone, quia ſequitur ſanguinis collectionem: in lacte autem corrupto vapores tantum, aut tenuiorum partium lactis eleuationem ad ſuperficiem mammæ, eámque inflammantium.

Cauſæ phlegmonoſi tumoris, tam externæ quam internæ, ſunt quæcunque ſanguinem copioſiorem in mammam attrahere, vel mittere poſſunt, vt plethora vniuerſalis, calor partis nimius, dolor ex compreſſione, contuſione, & ſimilibus, ſuppreſſæ vacuationes, potiſſimum vterinæ, vehementior exercitatio ſuperiorum partium & ſimilia. Lac autem corrumpitur in mammis aliquando à cauſâ externâ, quæcunque vim illi infert, contundendo vel comprimendo; aut ob nimiam eius copiam, vnde obſtructio & putrefactio; vel ob qualitatem alienam, propter quam in grumos & coagulum conuertitur, vt ſuo loco dicemus, ibique diutius retentum incaleſcit, ac tandem peſſimam & profundam putredinem concipit: vnde periculum imminet mulieri in vtroque affectu, abſceſſus, vlceris diuturnioris, & fiſtulæ, aliquando indurationis ſcirrhoſæ, vel gangrænæ & mortis; propter communicationem teterrimorum vaporum & qualitatis deleteriæ vicino cordi aut cerebro, vt habetur *Aphoriſm.* 40. *ſect.* 5. de ſanguine in mammis collecto, à quo maniam inferri ſcripſit Hippocrates.

Incumbendum itaque iſtorum affectuum curationi diligenter, præcipue in puerperis & lactantibus, quæ mammas habent tunc laxiores & humoribus abundantiores: vnde maius quam in aliis malum exoriri ſolet. Conſtitutâ igitur imprimis rectâ victus ratione, tenui & exquiſitâ, vt ſolet in morbis acutis febri coniunctis, videndum erit vtrum ſit opus phlebotomia ex brachij venis, poplitis, aut malleoli, & purgatione, ad totius plethoram & cacochymiam corrigendam, reuulſionéſque conuenienter perficiendas, potiſſimum ſi vacuationes vteri aut hæmorrhoidum ſint ſuppreſſæ: quod eodem modo ſtatuendum de vſu cucurbitularum, frictionum, ligaturarum, clyſterum, lotionum, & ſimilium, quæ auertere poſſunt confluxum humorum ad partem affectam. Præcipua eſt etiam habenda cura in lacte corrupto, ne deinceps aliud, ſi fieri poſſit, in mammâ generetur, vel illud quod ibi genitum eſt, per alia loca vacuetur, antequam vitium contrahat.

His ita conſtitutis, ſupererit ipſe affectus ſeu cauſa coniuncta expugnanda. Principio igitur phlegmones repellentibus domeſticis & leuioribus vtemur metu ipſius

cordis

cordis ſubiecti & thoracis, vbi pleuritis & peripneumonia generari poſſunt, & ne materia nimium congeletur in mammis: impetus tamen ſanguinis refrænetur quodammodo. Exempli gratiâ imperabimus fotum ex oxycrato dilutiore, aut aquâ plantaginis & roſarum cum foliis ſolani, oleo roſaceo omphacino, prius loto cum aquâ portulacæ, & ſimilibus, quibus etiam leniter reſoluentia admiſceri poterunt, quale eſt chamæmelum & melilotus, vt tota iſta materia per διαφόρησιν exhauriatur, ſi ſit poſſibile. Ad id valde confert ſequens cataplaſma.

℞ Foliorum ſolatri & plantag. ana P. j. Decoquantur in ſucco caulium.: deinde adde farinæ fabatum & hordei, ana ℥ j. mellis communis ℥ j. ß. olei roſacei q. ſ. Fiat vt dictum eſt, & applicetur tepidum, ſæpiúſque renouetur. Cauendo tamen ne ab iſtis digerentibus, vt ſæpe fuit annotatum, partes tenuiores diſſipentur, reliquis craſſioribus exſiccatis, & σκίῤῥωσιν committentibus. Ideóque ſi non ſit ſpes perfectæ reſolutionis, melius erit ſuppurationi incumbere, vt materia concocta & ſegregata ſenſibiliter per apertam vomicam educatur. Ad maturandum itaque farina tritici cum hydrelæo inſtar pultis decocta imponitur: vel ſi materia ſit craſſior, parum fermenti diſſoluitur, aut ſequens cataplama imperatur.

℞ Rad. althææ & lilior. ana ℥ ij. rad. bryoniæ & cucumeris agreſt. ana ℥ ß. ſummitatum maluæ M. j. ſemin. lini & fœnugræc. ana ʒ iij. Fiat decoctio ad putrilaginem. Contuſis omnibus & colatis adde farinæ hordei & medullæ panis albiſſimi, ana ℥ iij. myrrhæ ʒ j. croci ϑ j. vitellos ouorum numer. vj. olei amygdalarum dulcium ℥ j. ß. Fiat cataplaſma, quod applicetur ter aut quater in die. Apud Auicennam in iſtis affectibus valde commendatur farina oryzæ cum melicrato decocta, vel mica panis cum lacte caprillo diſſoluta, & leuiter bullita, mixtis croco & vitellis ouorum. Si materia ſit craſſior & rebellior, ſequens præſcribitur.

℞ Ceparum albarum, radicum althææ & liliorum, ana ℥ ij. folior. apij, fœniculi, ſenecionis & lapathi acuti, ana M. j. ſeminis lini & fœnugræc. ana ʒ iij. caricar. pinguium paria vj. Fiat decoctio in aquâ & vino albo: deinde contuſis & cribratis adde farinæ tritici & fabarum, ana ℥ iij. axungiæ porci ℥ iv. Fiat vt ſupra. Quamdiu fiet ſuppuratio, dolor, & calor augebuntur, parſque in faſtigium & veluti mucronem eleuabitur cum pulſatione inſigni: facto pure omnia iſta mitescent, ideóque cogitandum erit de educendâ materiâ per apertam cutem: Quod ſi natura non præſtet ſponte, iuuanda erit, vel appoſito pauco fermento cum ſale & vitello oui vnius ſupra locum molliorem & decliuiorem, expurgatiónique aptiorem: vel cauſtico potentiali, vt ſolent noſtri Chirurgi; aut ſi materia ſit in ſuperficie, ſcalpelli mucrone; vel ſi profundius lateat, ferro candenti, quod in his affectibus mammarum, quamuis mulierculis terrorem inferat, principatum tamen obtinet, quia minorem dolorem infert, exugit humiditates ſuperfluas, roborat & corrigit laxitatem partis. Aperta vomica fit vlcus, deinceps extergendum, ſiccandum, & ſigillandum, vt ſequenti capite dicemus. Hoc prius annotato, quod vbi iſta inflammatio mammarum fit à lacte coagulato, & iam putreſcente, omnino prius arte incumbendum eſt illius diſſolutioni & correctioni, ſi fieri poſſit; addendo ſupradictis folia menthæ recentia, apij, aut fœniculi: quia ſic diſſolutum lac ſæpius per ipſam papillam exugitur & euacuatur, ceſſátque commodiſſimè affectus. Sin verò iam concepto maiore incendio & corruptelâ parti ſit affixum & conglobatum, vt neque euacuari per loca conſueta, neque retrocedere valeat: tunc paucis refrigerantibus adhibitis ad ſedationem ardoris nimij, de maturatione citò erit cogitandum, & eius eductione ſenſibili per apertam cutem, ne diutius morando in parte molli & fungosâ illam corrumpat, & vitium aliquod atque detrimentum cordi ſubiectíſque partibus inferat. Nunc igitur ad vlcera mammarum veniamus.

VLCERA MAMMARVM. Vlcus in mammis, vt in reliquis corporis partibus primarium eſſe poteſt, vel ſecundarium. Primarium vocant, quod ab eroſione acrium ſuccorum in corpore contentorum, ſine alio affectu præuio contingit. Secundarium verò, quod vulneri, contuſioni, vel externorum ſepticorum, cathæreticorum & cauſticorum admotorum διαβρώσει, aut cuiuis tumori in abſceſſum degeneranti ſuccedit. Rurſum ſimplex eſt eiuſmodi vlcus & boni moris, vel complicatum cum ſuâ cauſâ antecedente, aut aliquo alio morbo perſiſtente ſimul, vel ſymptomatis malignis & ferocioribus. Vnde phlegmonoſum, cancro-

ſum, cauernoſum, fiſtuloſum, nomodes, ferinum, dolorificum, virulentum & cacoëthes appellatur.

Videamus igitur, quomodo iſta ſolutio continui, cum ſanie & pure coniuncta, curari debeat in mammis, quoniam de eius naturâ, cauſis, & ſignis in doctrina vniuerſali & libro noſtro de indicationibus, ſatis abundè tractatum eſt. Cum ergo tota curandi ratio poſita ſit in cauſarum externarum internarúmque remotione, morborum coniunctorum, & ſymptomatum ſublatione, vlceríſque peculiari detерſione, & exſiccatione: Ideo poſt conſtitutam conuenientem diætam, quæ omnem cacochymiam aut plethoram præſentem emendet, poſt vacuationes, & reuulſiones artificioſas cauſarum antecedentium & fouentium iſtum affectum, inter quas, ſi vlcus ſit rebelle & iam inueteraum, illa quæ ſudoribus per viginti aut plures dies ex decocto guaiacino, aut ſarſæ parillæ excitatur, principatum obtinet, quia validè exſiccat: veniendum erit ad vlceris ipſius conſiderationem, quod ſi ſit ſimplex & ordinarium, ordinariâ etiam curandi lege ſanabitur. Hoc prius obſeruato, vt etiam ſupra annotabamus, quod ſi fœmina ſit puerpera aut lactans, vix ac ne vix quidem exſiccari poterit, niſi prius lac exhauriatur, & ita auertatur à mammis, vt eo amplius non confluat: aliàs perpetuo ſordibus, & inquinamentis ſcatens, incurabile permanet; etiamſi vnica tantum mamma vlcere detineatur. Paulatim igitur & accurate illud erit procurandum, ne aliquid dete rius accidat.

Poſtea quoniam iſtis vlceribus coniunctus eſt vt plurimum dolor, præcipuè quæ ſuccedunt tumoribus ſuppuratis, & cauſtico vel ferro candente apertis: Ideo remediis procuranda erit illorum deterſio, quæ etiam vi quadam ἀνωδύνα ſint prædita. Ad id vſitatum eſt valde noſtratibus Chirurgis, vt componant pultem ex melle ad detergendum, vino rubro & auſtero ad roborandum, & vitellis ouorum ad dolorem leniendum, ſimul mixtis & leuiter coctis. Idque obſeruant vt tunc nullam aut valde exiguam immittant in vlcus turundam, ne quicquam exaſperet, vel cauernoſum aut fiſtuloſum illud reddat. Vbi verò dolor eſt ſedatus, ad exhauriendas commodius iſtas ſordes, vtuntur cannulâ plumbeâ, aut argenteâ breuiore, per quam continuò effluant nec etiam eſt parui momenti mammas ita affectas, quia non patiuntur aliud genus ligaturæ, faſciâ aptè compoſitâ & ad oppoſitum ceruicis latus ſuſpenſa, ſuſtinere, ne ſuo pondere & dolore fluxionem accerſant. Idem dicas de brachio eiuſdem lateris, quod immotum & fultum eodem modo geſtare conuenit. In progreſſu iſtius vlceris nihil eſt magis accommodatum, quam aqua ſiue decoctum illud cancrorum ſiue catapultarum vulgo dictum, quo prædicta pars fouetur bis aut ter in die, iniectiones in ſinum vlceris inſtituuntur, ſi opus ſit: deinde pars folio caulium aut betæ ſuperegitur, quandiu opus eſt deterſione: deinde emplaſtro diapalma, aut de minio cum oleis hypericonis aut lentiſci diſſoluto, inſtar cerati mollioris, vbi exſiccandum & roborandum. Quidam feliciſſimo ſucceſſu loco prædicti decocti parant aliud ex zedoariâ & rhapontico in vino albo decoctis, cui addunt ſacchari tertiam partem, quibus vlcus mundatum ſufficienter, deinde adſtringentibus, quale eſt vinum illud nigrum & ſtypticum ab Auicenna commemoratum, in quo gallæ, nuces cupreſſi, folia rhois coriariorum, agrimoniæ & lentiſci infuſa & decocta fuerint cum pauco alumine.

Quod ſi propter diuturnitatem eiuſmodi vlceris, callus quidam & durities contracta fuerit, ita vt fiſtulam minetur, dilatandum erit illud orificium & abſumendus callus quamprimum, vt ſic renouato vlcere ad curam ordinariam reuocetur, quæ ex doctrinâ vniuerſali fiſtularum erit repetenda.

Verum ſupereſt adhuc illud mammarum vlcus ferinum, nomodes, & cancroſum, quod ſuccedit vel aliis vlceribus male curatis, vel tumoribus ex atrâ bile genitis, vt dicebamus, quando in abſceſſum conuerutuntur: ſeſéque ſtatim intuenti prodit, ſanie quadam horrendâ & fœtidâ, labiis inuerſis, colore liuido, venis tumidioribus & nigricãtibus vndequaq; ſparſis. In cuius curatione patet ex naturâ deleterij & ferociſſimi iſtius affectus, nihil eſſe certius, quã ſi illius ablatio integra inſtituatur ferro vel medicamẽtis, ne partes vicinæ, potiſſimũ cor, hoc cabo inficiantur & cum totius animãtis pernicie cõtabeſcant. Chirurgi igitur operâ ſolertiſſimi opus eſt, qui præparato prius corpore & humoribus, vt decet, munitiſq; & roboratis vicinis mẽbris, auferat partem vlceratã cum circũiectis radicibus, ne amplius repullulare poſſit, ſiue hoc præſtet incidendo, ſiue vrendo, aut remediis cauſticis vrendo, inter quæ arſenicũ ſublimatũ hic

præcipue

præcipuè commendatur, vt in absumendis scrophulis. Post ablationem signum est sanationis futuræ, quando caro florens & viuida apparet, cum pure albo & æquali, ad cuius detersionem sequitur exsiccatio, & sigillatio perfecta. Quo peracto, ne possit hic affectus in eadem mammâ aut alibi recidiuam committere, impedienda erit generatio istius humoris atrabilarij exquisito victu, phlebotomia ex locis conuenientibus sæpius repetita. Si menstrua periodus deficiat, eius prouocatione aut hæmorrhoidum fluxu, si natura eo vergat; & solenni purgatione bis in anno repetita ad principium veris & autumni finem, vt docet Galenus *lib. quos, quando, quibus, &c.*

Quod si propter naturam istius affectus, aut partis affectæ, aut vires ægrotantis languidæ, & timidioris, non detur locus huic operationi, tunc incumbendum erit remediis illis, quæ refrænare humoris ferocitatem & doloris acerbitatem demulcere valent, quod Practici nostri per curam palliatiuam intelligunt; cuius operâ aliquando mors per aliquot annos retardari potest. Ad id igitur præstandum præter vniuersalia iam dicta, accommodatissimum est linimentum illud, quod sine oleis, adipe, aut vllis aliis pinguibus, & inflammationi obnoxiis, paratur ex metallicis cum succo aliquo conuenienti. Vt

℞ Cerussæ & lithargyri, ana ʒ ij. plumbi vsti & loti, tutiæ præpar. ana ʒ j. cineris cancrorum fluuiatilium ℈ j. caphuræ ℈ ß. succi solani & plantag. ana ʒ ij. Ducantur, & agitentur diu in mortario plumbeo cum pistillo ligneo vel plumbeo ad solis radios, donec crassitiem conuenientem adepta fuerint. Illinatur frequenter in die cum pennâ aut baculo tenerioris lentisci. Si possit deinde ferre laminam plumbeam tenuissimam & multis foraminibus peruiam, argento viuo, aut aquâ aluminosâ illitam, miræ erit ad refrænandum vtilitatis. Oleum etiam eius à Chymicis valde laudatur: sed videndum vt sit valde dulce, & bene præparatum: aliàs propter empyreuma irritare posset materiam istam ferocem & venenatam. Sunt qui admouent ad leniendum dolorem & eliciendas sordes: quantum enim adsit periculum, quando in eiusmodi vlcere retinentur subito excrementa illa graueolentia, testatur historia mulieris illius Abderitanæ 5. *epidem.* Admouent, inquam, in ferociori vlcere carnem recentem & teneriorem veruecis, gallinarum & similium: vnde vulgus vocat istam constitutionem, *lupum*, quasi vlcus istud phagedænicon velut animal quoddam vorax istis vescatur cibis. Sed mihi non omnino probantur ista remedia, quamuis ἀνώδυνα, quia corruptioni sunt obnoxia, & sordes vlceris augere solent. Melius est itaque lacte tepenti frequenter partem istam fouere, vel admouere cataplasma illud celebratum ex micâ panis albissimi cum lacte infusa & decocta. Ad idem proderunt emulsiones ex seminibus frigidis & papaueris albi, cum aquâ solani vel rosarum paratæ, quibus pars vlcerata aspergitur & abluitur singulis horis. Imò aliquando coacti fuimus ob immensum dolorem, & inflammationem superiori linimento parum opij addere, vel supertegere partem foliis hyoscyami aut mandragoræ, quæ prudens Medicus pro variis morbi & ægrotantis circumstantiis moderabitur. Quod enim spectat ad amuleta, vt smaragdum, sapphirum & similia, quæ ex proprietate occultâ feruntur huic affectui prodesse, parui esse momenti iudico. Non tamen negligendum est in diuturniore affectu illud quod à Practicis commendatur ad oppugnandam istius humoris venenositatem, & foras propulsandam, nempe si ægrotans sumat per viginti aut plures dies mane trochisc. de viperâ & puluer. cancror. fluuiat. ana ℈ j. cum conseruâ nymphææ, superbibendo parum aquæ scrophulariæ dictæ vel scorzoneræ.

Denique pro huius capitis complemento illud adhuc adiiciemus, frequentissimum esse summâ cum fœminarum istarum molestiâ, vt papillæ mammarum findantur & exulcerentur, dum lactationi incumbunt, vel quando in vtero gestant: quod fit propter serositates acriores, quæ ex mammis exudant tunc temporis, & ibi retinentur. Ad id ergo valet admodum vnguentum de plumbo iam propositum & recens, vel de tutiâ frequenter illitum, quod antequam mamma puero exhibeatur, pauco vino albo, vel vrina eiusdem infantis, abluatur, aut etiam aquâ rosaceâ. Sunt qui componant laminam plumbi instar papillæ, quæ aquâ aluminosâ irrorari potest interius, aut aliis remediis: atque sic munita, exhiberi puerulo, quando dentibus iam præditus est, aut certè dentitionis molestia detinetur, ne tunc vulnerare possit, & exasperare istas rhagadas, fissuras, siue vlcuscula papillarum. Quæ si sint grauiora, ita vt prædictis remediis curari nequeant, cogetur tunc nutrix omnino ablactationem relinquere, & illorum curationi incumbere;

Digitized by Google

ad quam commendatur oleum ceræ, vel lamina ceræ nouæ oleo myrtino concinnata: aut paretur sequens linimentum.

℞ Aluminis ʒ j. caphuræ ℈ j. tutiæ præpar. ℈ ß. Incorporentur cum pinguedine capi aut vnguento rosaceo: Vel

℞ Pomatæ communis ℥ iij. In quâ dissolue mastich. gallarum virid. gummi tragac. puluer. ana ʒ j. ß. semin. hyoscyami ℈ j. salis communis grana iv. Vtatur vt dictum est: vel fiat sequens linimentum.

℞ Mucilag. seminis cydonior. & psyllij cum aquâ solani extractæ ℥ ij. tutiæ præpar. cerusæ & litharg. ana ʒ ß. vitrioli romani gran. iij. Agitentur diu in mortario plumbeo ad linimenti formam: quod applicetur vt supra. Atque hæc de præcipuis mammarum affectibus sufficiant; nunc ad ipsius lactis vitia transeamus.

CAPVT IV. & vltimum.

De vitiis quæ lacti contingunt & eorum correctione.

LACTIS optimi & ad fœtus editi nutritionem accommodatissimi, conditiones supra proposuimus, secundum substantiam illius, quantitatem, & qualitatem. Quibus ex aduerso positæ totidem morbosæ erunt & incommodæ ad finem propositum assequendum. Ac proinde operâ medicâ corrigendæ, & in meliorem statum reducendæ: quod nos tribus sectionibus præstare conabimur: quarum primâ, ratione quantitatis deficientis agemus de reparando lactis defectu in nutrice, cui non conuenienter suppetit lac ad pueri alimoniam: Secundâ, ratione quantitatis excedentis, docebimus quomodo lactis redundantia, quæ tum ipsi nutrici, tum puello educando incommoda esse potest, ad mediocritatem reduci debeat: Tertiâ denique agemus de lacte deprauato seu vitiis, quæ contingere possunt secundum eius substantiam & qualitatem, quibus complectemur crassitiem & tenuitatem nimiam, vtpote quando grumosum aut caseosum euadit: Item quando contrahit colores, odores, & sapores alienos, vt melius in ipso progressu patebit. Incipiamus igitur à lacte imminuto siue deficiente.

LACTIS DEFECTVS. Non solum debet nutrix alumno suo mammam porrigere ad lac sugendum, sed etiam iustam eius quantitatem exhibere, quâ non solum nutriri, verum etiam augeri possit conuenienter, & vires eundo sibi comparare. Ac proinde quoties iusta illius quantitas deest lactanti extra imprægnationem, & toto illo tempore quo adesse debet ex naturæ instituto, quod triennio aut saltem biennio post partum describebamus: tunc exoritur affectus, quem reducere possumus ad symptoma excreti vtilis imminuti præter naturam in muliere educando fœtui dicatâ. Quamuis enim quædam sint mulieres puerperæ, vt annotauit Hippocrates, quæ naturaliter carent lacte ob varias causas earum quæ postea à nobis proponentur: illud tamen præter naturæ institutum est existimandum, quæ sobolis non solum procreationi, sed etiam educationi fœminas destinauit.

Iste igiter affectus, siue symptoma exoritur à variis dispositionibus, quarum præcipuæ respiciunt causam lactis materialem, nempe ipsum sanguinem secundum illius substantiam, quantitatem, aut qualitatem vitiatam, propter quam non potest commodè & satis abundè lac ex eo generari. Etenim substantia sanguinis crassior & viscidior, multo humore pituitoso aut melancholico perfusa, vix potest in mammas penetrare sufficienter, neque ibi in lac conuerti, quod satis sit fœtui educando. Idem dicas de illius quantitate admodum imminutâ, propter ieiunia, libidinem nimiam, curas, mœrores, vigilias, nimios labores, & similia externa, aut ob vitia totius, vt febres continuas, & synthecticas; vel partis alicuius principis, aut concoctioni dicatæ *ἀνωφασίαν*, vacuationésque immodicas, tum ipsius sanguinis, potissimum per venas vteri, (quæcunque enim mulieres menstrua copiosiora eo tempore patiuntur, vix sufficientem lactis copiam ad infantis nutritionem suppeditare possunt) tum aliorum excrementorum immoderatiores: quia omnis vacuatio resoluit admodum totum corpus, & reuellit humores in aliena loca: vnde multas vidimus satis succulentas nutrices, quibus ob alui fluxum diuturniorem, aut sudores superuenientes, ita

Digitized by Google

ita fuit lac imminutum, vt cogerentur nutritionem ſuſcepti infantis relinquere. Eodem modo ſecundum qualitatem ſanguinis, ſi quidem intemperatior fuerit ſecundum caliditatem, frigiditatem, ſiccitatem, aut humiditatem nimiam, non ſolum lac deprauatum redditur, vt ſuo capite dicemus; ſed etiam minus quam par ſit, producitur, vel quia non tam auidè & ſuauiter à mammis attrahitur iſte ſanguis intemperatus: vel quia difficilè concoquitur & in nectaream iſtam lactis ſubſtantiam conuertitur.

His adde vitia quæ reſpicere poſſunt cauſam lactis efficientem, vtpote facultatem iſtam γαλακτοποιητικὴν mammis peculiariter inſitam, & caloris natiui à corde potiſſimum influxum, quorum defectu ab ipſis incunabulis vult Hippocrates quaſdam mulieres, quamuis ſæpe parientes, omninò lacte deſtitui naturaliter; in aliis verò accidentaliter, ob imbecillitatem mammarum & obſtructiones vaſorum ad eas pertingentium, ex variis morbis contractas: vel etiam cauſis externis & malo regimine, vt in eis quæ elegantiæ & venuſtatis causâ, vel dum lactationis moleſtias fugiunt, varia admouent mammis remedia refrigerantia admodum & adſtringentia circa quintum imprægnationis menſem, quo ſolet lac in grauidis apparere, vel etiam poſt puerperium. Sic etiam eneruant omnino & extinguunt vim illam attractricem & concoctricem mammarum, aut etiam vaſa deferentia ita conſtringunt, vt nihil aut parum ſucci iſtius vtilis poſſit deinceps in illas irrumpere. Eſt etiam animaduertendum puerulos imbecilliores, & minus validos ad lac ſugendum, ſæpe per accidens cauſam eſſe vt lac in mammis nutricum imminuatur: vt etiam vlcuſcula in papillis oborta, propter quæ nutrices non audent ſua vbera liberè ſugenda infantibus committere, ne diuellantur & dolorem perſentiant. Atque hæc de cauſis.

QVOD AD DIAGNOSIM ISTIVS AFFECTVS. Quatenus eſt ſymptoma deficientis materiæ vtilis, facile innoteſcit, tam ex parte nutricis, cui mammæ non turgent amplius, ſed ſolito flaccidiores apparent, neque ſugendo aut mulgendo aliquid effatu dignum emittere poſſunt: quàm ipſius infantis, qui in dies macilentior, & moroſior euadit, vagiendo frequentius, potiſſimum de nocte: ita vt exhibito vbere non magis quieſcat à ſuo ploratu, neque deiiciat copioſè, aut ſtragulas, vt ſolebat, permingat: dummodo iſta præter morem contingentia non poſſint adſcribi illius infirmitati aliunde contractæ. Reſpicienda igitur nutrix, & omnium cauſarum tam naturalium, quam non naturalium & præter naturam ſeries perluſtranda: vt ex earum animaduerſione agnoſcamus cui potiſſimùm iſte affectus ſit adſcribendus, ſiue ſequatur diſpoſitiones malas cauſæ materialis, nempe ſanguinis ſecundum eius ſubſtantiam, quantitatem & qualitatem, vt diximus: ſiue efficientis duplicis, & cauſæ ſine quâ non, nempe viarum & vaſorum, per quæ materia iſta ad mammas defertur. Cauſæ quidem externæ aut per ſe, aut ex relatu ipſius nutricis vel adſtantium innoteſcent. Internæ prægreſſæ eodem modo deprehendendæ, vt febres, fluxus ſanguinis ab vtero aut aliis partibus: viſcerum obſtructiones & ſimiles, vt ſuis capitibus peculiariter docetur. Si reliqua omnia deficiant, accuſanda erit præcipuè natiua mammarum imbecillitas, quæ non eſt apta generationi lactis, quantumuis reliqua omnia conſentiant. Vnde vulgus non ſine causâ exiſtimat, nimis exiguas mammas inutiles eſſe ad lac conficiendum, quia neque vaſa habent conuenienter patentia, per quæ attrahant materiam illius, neque locum vbi ſufficienter concoquant: nimium quoque flaccidas, quia diffuſam habent illam vim inſitam & imbecillam, nec poſſunt influxum illum caloris natiui à corde & vicinis partibus conuenienter retinere.

QVOD AD PROGNOSIM. Symptoma ipſum valde incommodum eſt infanti, potiſſimum ad ſextum aut ſeptimum menſem, quamdiu ſcilicet ſolo lacte nutritur. Cauſæ verò & diſpoſitiones nutricis, potiſſimum ſi pendeant ab inanitione morboſâ & exolutione caloris natiui: quo in caſu debet ſtatim à lactatione deſiſtere, ne grauius aliquod periculum incurrat. Aliàs verò ſi ſpes ſit reuocari poſſe & augeri lac, vt in bene habitis & ſucculentis mulieribus, quibus ſubitò ob cauſarum externarum impetum contigit iſte affectus: vel in quibus inanitio eſt leuis & accidentaria, tentari debet illius reſtitutio per ſequentem therapeiam.

Prius tamen dicendum paucis, ex Galeni ſententiâ 5. *de ſimpl. medicament. facult. capite* 20. quid ſint γαλακτοποιητικὰ, & quot modis lac ipſum producere vel etiam augere valeant. Lac igitur generantia, vel ipſius materiam reſpiciunt, vt ſcilicet optimus ſanguis & copioſus producatur, ex quo lac deinde generetur: & hæc ſunt

propriè alimenta euchyma, & eupepta; quæ faciunt ad laudabilem nutricis alimoniam. Alia verò respiciunt sanguinem iam genitum, & ipsa vasa per quæ ad mammas defertur, vt scilicet hæc aperiantur commodè, & obstructionibus, si quæ sint, liberentur: sanguis autem modicè attenuetur, & versus mammas propellatur. Et ista sunt sub genere medicamentorum calfacientium modicè & attenuantium, non autem exsiccantium: quo nomine differunt ab eis, quæ vrinas & menses mouent, quæ maioribus viribus prædita esse debent, vt suum munus præstare valeant, quoniam neque vterus, neque renes tam potentem habent vim attrahendi sanguinem ad menstruas purgationes, aut serum ad vrinam constituendam, quantam mammæ ad sugendam materiam illam lacti generando idoneam. Hinc Galenus eadem aliquando esse vult diuretica, menses mouentia, & lac prouocantia, si genus medicamentorum spectes; non tamen, si varias eorum qualitates; nam fœniculum, apium & similia ad lac generandum vult virentia vsurpari, ne tantam adhuc siccitatem adepta sint, quæ huic rei impedimentum adferre posset, cum in vrinæ aut menstruorum prouocatione potius sicca vsurpentur, vt maiore vi attenuandi polleant.

Rursum notandum est, vtraque ista γαλακτοποιητικὰ, tam sub alimenti, quàm medicamenti specie exhibita, præter qualitates istas vulgares & notas, posse habere aliquam proprietatem & vires magis occultas ad lac producendum, vt in sequentibus dicemus: quemadmodum quæ menses mouent multa vterum peculiariter respiciunt. Quamuis enim, inquit Galenus, omnia aperientia menses quodammodo excitare valeant, id tamen commodius artemisia vel matricaria faciunt propter respectum peculiarem & familiaritatem quam habent cum vtero. Hic etiam rursus animaduertendum, quod ad alimenta γαλακτοποιητικὰ, ea quidem quæ sunt optimi & laudabilis succi principatum ad lac generandum obtinere, quia totâ suâ substantiâ, optimo sanguini generando sunt idonea: secundariò tamen esse quædam alimenta, quæ temperando & reducendo ad mediocritatem totius corporis nimias intemperies illud efficiunt: vnde lactuca inter omnia olera censetur maxime idonea ad sanguinem optimum & lac generandum apud Dioscoridem, quia feruorem hepatis in sanguineis & biliosis corporibus refrænat, nimiamque exustionem humorum impedit. Quod eodem modo dici potest de semine papaueris albi, ab Auicenna commendato. Itaque illud quod apud eumdem Galenum habetur *libro citato*, valde calfacientia aut refrigerantia alimenta non esse apta ad lactis generationem promouendam; per se & principaliter, vel secundum primarias qualitates in corporibus temperatis, in aliis verò aliquando posse, vt ex propositis exemplis notum fecimus: explicandum est.

Hisce omnibus lactis generationem promouentibus addi possunt alia, quæ si non propriè, saltem generaliter γαλακτοποιητικὰ appellari poterunt: vtpote quæ calfaciendo, & aperiendo exterius ipsam mammarum substantiam, vel partes vicinas sanguinem ad illas attrahunt, vt sunt frictiones scapularum ex sinapi contrito, mulierculis nostris valde vsitatæ, cucurbitulæ sub mammis positæ, fomenta ex spongiis, aut cataplasmata illis admota, ex fermento, farinâ orobi & similibus, quæ postea à nobis adhuc commemorabuntur.

Quibus ita præmissis, videndum nunc in propositâ nutrice, cui lac deficit omnino vel valde est imminutum, quæ curandi illiusque reuocandi ratio sit instituenda. Primum igitur perlustratis omnibus causis tam externis quam internis, quæ lactis generationem impedire possunt, illæ remouendæ, vel saltem in meliorem statum deducendæ. Sic aëris quo fruitur omnis inclementia, quantum fieri poterit vitanda, si sit tenello & delicatiore corpore: robustiores enim gaudent aëre frigidiore, qualis esse solet hyemis tempore; vel in montibus, vbi pascua omnia lætiora & maiorem lactis copiam in pecoribus obseruamus. Vitet omnes animi curas, mœrores, iram, & amoris igniculos, quibus incensæ sæpius lac corrumpunt, aut omnino amittunt: vnde in vxoratis, vt superius annotauimus, & libidinosis, melius est illas frui ordinario concubitu, quam furiis istis venereis agitari: ita tamen vt si grauidæ fiant post vnum aut alterum imprægnationis mensem à lactando abdicentur, ne vtrique infanti noceant. Vacuationes omnes & vigiliæ sint moderatæ: exercitationes extra omnem defatigationem & nimium laborem, supernarum tamen corporis partium, præcipuè brachiorum, illis aliquando prosunt ad attrahendum sanguinem versus mammas. Vnde solemus nutricibus robustioribus & assuetis consulere, vt molam aliquam leuiorem versent, pinsant, tundant, panem

panem conficiant & ſimilia præſtent, quæ partes mammis vicinas calfaciunt & dilatant. Numquam adhibeantur nutricibus frictiones totius corporis, vel inferiorum partium, quia reſoluunt & materiam ad inferiora deriuant, menſiumque fluxum excitare ſolent. Neque etiam cucurbitulæ propter eamdem rationem inferioribus membris, præcipuè cum ſcarificatu. Vidimus enim multas matricis ſuffocationi obnoxias, quibus ob frequentius admotas pubi aut coxis cucurbitulas, lac valde fuit imminutum.

Alimentorum deinde ſubſtantia, quantitas, & qualitas conueniens præſcribenda, quam videmur ſuperius, ex Galeni ſententiâ, reſumptiuam ſiue analepticam in nutricibus iſtis approbaſſe. Attamen huic ſententiæ repugnare videtur aliquando experientia: nam vaccæ & reliqua pecora macilenta plurimum lactis profundere ſolent.

Bis venit ad mulctram, binos alit vbere fœtus.

Et nutrices quæ ex montibus Cebenarum vicinis in hanc vrbem confluunt, vbi primum lautiore victu vti incipiunt, ſolent quidem pingueſcere, ſed tunc lac amittunt, vel pauciſſimum producunt: ita vt cogamur eas ſæpius ſolito victui, parciori ſcilicet & vilioribus cibis conſtanti tradere, maioribuſque exercitationibus denuò committere, vt emacientur, ac ſaginam illam contractam amittant. Ad id reſpondemus, certiſſimum eſſe ad lactis generationem non requiri totius corporis aut humorum inſignem plethoram, vel pinguedinis molem, quia copia ſanguinis craſſioris poteſt ſibi ipſi aditum ad mammas præpedire, & obſtructiones parere: quemadmodum adeps nimius, conſtringit vaſa, & quaſi impedit radios caloris natiui, qui totum corpus illuſtrare debent. Eſt igitur hac in parte ea ſeruanda regula, vt nutrices quamuis macilentæ, ſi ſufficientem lactis quantitatem producant, in eo ſtatu contineantur, neque temere delicatioribus cibis impleantur, niſi aliqua intemperies ſit corrigenda: quia ſignum eſt naturam ſanguinis idoneam quantitatem producere, quam lacti generando non impinguando illarum corpori dicauit, vt vaccarum exemplo probatum fuit: In aliis verò in quibus lac non fit propter defectum ſanguinis, & corporis emaciationem, non eſt dubium quin illa reſtituenda ſit optimis, & conuenientibus alimentis, conuenienti quantitate, tempore & ordine ſumptis, quæ materiam illi generando ſuppeditare valeant.

Sit etiam potus nutricis cui lac imminutum eſt, vinum tenue, album vel flauum, quod ad concoctionem alimenti & eiuſdem diſtributionem faciat, modicè lymphatum, ne humores reddat feruidiores: craſſa enim, dulcia, fumoſa, turbida & nimium recentia vina fugere debet, ne obſtructiones & flatus ex eis generentur. Sunt tamen qui aquæ potum in nutricibus magis probent: quia experientia docuit hydropotas mulieres, & eas quæ in regionibus degunt, vbi nullus eſt vini prouentus, lacte magis abundare. Quod verum eſſe poteſt in eiuſmodi fœminis aquæ potioni aſſuetis, aut quibus hepatis vel totius corporis feruor eſt contemperandus, vt iam ſupra de refrigerantibus annotabamus; in aliis autem ſecus ſe habet: quia aqua non tantum habet ſymbolum ad ſanguinis productionem, quam vinum, & poteſt illi maiorem craſſitiem inducere aut obſtructiones parere. Sit igitur vini vſus qualis dictus eſt. Quidam laudant in iſtis nutricibus potum ex ptiſanâ ſeu decocto hordei, liquiritiæ, paſſul. & ſeminis coriandri, aut ex cereuiſiâ vel hydromelite paratum. Sed metus eſt, ne ex inſolito eiuſmodi potu illarum corpora turbentur, flatus concitentur, aut etiam vterus agitetur & illis noxam maiorem quam commodum inferat. Quæ ratio eſt etiam cur caricis, paſſulis, ſaccharo, melle, ſapâ, & ſimilibus dulcibus & conditis non audeamus liberè illas reficere, quamuis accommodatiſſimis ad corpora inſtauranda, metu vterinæ illius diſpoſitionis, quam ſuffocationem vocant, cui ſæpius ſunt obnoxiæ. In valdè emaciatis ſolemus etiam præſcribere balneum tepidum, γαλακτωσίαν in plures dies, addendo, ſi non obſtent prædicta, parum mellis vel ſacchari: aut ex lacte recenti cum farinâ tritici aut hordei paramus pulticulas, quibus adduntur vitelli ouorum & ſaccharum. Idem dicas de amygdalatis, hordeatis, ſemolâ, panatellis, gelatinis, oryzâ & ſimilibus impinguantibus & mediocris conſiſtentiæ alimentis, quæ pro vario nutricum iſtarum temperamento & conſuetudine præſcribi poterunt. Butyrum etiam in eis quæ illi aſſuetæ ſunt, erit aptiſſimum ad iſtas nutrices reficiendas: & caſeus recens ac pinguis. Inter ruſticos maximè ad id commendãt

braſſicam

braſſicam coctam & betam, cepas albas, porrum, pultem ex farinâ fabarum cum butyro vel caſeo confectam, caſtaneas molles, vel cum pauco fœniculo & ſale decoctas: vbera vaccina pinguiora, valde cocta & parata cum condito dulci & pauco cinamomo vel zinzibere. Sunt etiam qui panes vel placentulas ex milij farinâ confectas commendent. Pro delicatioribus vſurpantur iuſcula, conſummata, & colatitia, ſuccus carnis vitelli ouorum recentium, placentæ ex contuſo carnis perdicum vel capi, cum amygdalis & ſaccharo paratæ: aut condimentum illud quod vulgo album appellant, ſupra gallinæ elixæ carnes aſperſum: laudantur & piſtacia, nuclei pinei, eruca cocta in iuſculis, vel in formam acetarij, paſtinaca aſſa ſub cineribus & ſimilia. Imprimis autem pane vtantur ſyncomiſto recenti, vel ſi ſint delicatiores, albiſſimo, quem nunc etiam cum lacte aliqui parare dicuntur. Cibique omnes ita conuenienter ſale condiantur, vt ad appetitum excitandum ſint aptiſſimi, non autem ad exurendum vel exſiccandum: quo nomine quidam authores ſalſa & piperata macilentis prohibent, quos impinguandos ſuſceperunt.

Illud etiam non eſt omittendum in nutricibus, quod ſi optimo appetitu vigeant, & bene concoquant, non illis certa quantitas aut hora ad cibos ſumendos imperetur, ſed ſinantur genio ſuo indulgere. Quemadmodum enim ſingulis momentis coguntur ſubſtantiam illam lacteam effundere in alimoniam infantis: ſic etiam crebro illam inſtaurare debent. In aliis verò quæ ventriculo imbecilliore ſunt præditæ, iuſta ſeruetur proportio, quæ vi concoquentis caloris reſpondeat. Atque hæc de victu.

Quod ad remedia verò ſpectat. Cum dixerimus non ſolum inanitionem & defectum laudabilis ſuccì, ſed etiam aliquando nimiam plethoram aut cacochymiam huic vitio originem ſuppeditare poſſe: quæritur primum, vtrum venæ ſectio & purgatio in hoc caſu ſint vſurpandæ? Iſta quidem remedia omnes fere reſpuunt in eiuſmodi nutricibus lactis penuriâ laborantibus: quia timent ne ex eorum vſu omnino lac euaneſcat. Verumtamen nos ſæpius obſeruauimus per morbos acutos iſtarum fœminarum lactantium, vſurpatâ ſæpius purgatione & venæ ſectione vt moris eſt: lac tamen finito morbo copioſum rediiſſe. Itaque prudens Medicus, ex omnium cauſarum & circumſtantiarum diligenti animaduerſione, iſta remedia, aliquando etiam extra febrem vſurpare poterit: ſed parciore manu, vt nos rurſum dicemus capite de lacte deprauato, quod ſecundum varia vitia à ſuis excrementis expurgari debet, ſiue exuperet, ſiue deficiat: ita tamen vt in lactis defectu ea ſemper regula à nobis ex Galeno propoſita obſeruetur, vt medicamenta ſiue alterantia, ſiue purgantia eligantur, quæ nulla aut exigua vi deſiccandi ſint prædita.

Fiant igitur decocta ex foliis virentibus aut radicibus recentibus fœniculi, naſturtij, ſmyrnij, apij, ſij, cytiſi aut polij in iure perfectè cocto cicerum rubeorum cum pauco ſale, cuius ʒ iiij. tepidè exhibentur mane & ſero: vel cum ſaccharo & cinamomo mittuntur per manicam Hippocratis, vt pro potu ordinario vtatur: vel capiat mane & ſero ʒ iiij. Si puluis magis arrideat, paretur ex ſemine lini & naſturtij, addendo æquas partes lumbricorum, quos terræ inteſtina vocant, vino albo & ſucco fœniculi prius lotorum; deinde in ollâ combuſtorum, qui ad lac producendum proprietate mirabili valere dicuntur. Detur huius puluerìs ʒ j. vel ij. cum pauco vino albo, mane per ſex aut ſeptem dies. Eſt quidam lapis qui vulgo Galactites appellatur, de quo Galenus 9. *ſimplic. medicament.* & Dioſcorides *libro* 5. qui geſtatus inſtar amuleti, aut potatus cum pauco iuſculo drachmæ vnius pondere, ad hanc rem plurimum valere creditur. Plinius laudat etiam melititem lapidem, qui Galactiti valde eſt affinis. Vterque in Hetruriâ reperitur, à pictoribus valde vſitatus. Eodem modo Amatus *centur.* 4. miris laudibus extollit puluerem piſciculi illius, quem Hippocampum vocant, ad ʒ ß. cum vino albo matutinis horis ſumptum.

Interea fricentur leuiter corporis partes ſuperiores: applicentur cucurbitulæ circa venas axillares: foueantur ſæpius mammæ aquâ tepidâ, vel in quâ chamæmeli flores & ſummitates fœniculi incoxerint: Imo etiam leuis ſinapiſmus, dropax, aut cataplaſma calfaciens ex fermento, aut ex farinâ orobi cum hydromelite confectum, mammis ipſis per horæ quadrantem adhibeatur, ad vaſa earum aperienda, & ſanguinem alliciendum. Quæ omnia erunt parcè & quaſi per interualla vſurpanda, vt videamus quid illis profectum fuerit: nam poſteaquam victu

conuenienter

Digitized by Google

conuenienter instituto, & hisce remediis frequenter sine fructu vsæ fuerint, desistendum omnino, illisque consulendum, vt à lactatione abstineant, neque frustra corpus suum & infantuli miserè excrucient. Quemadmodum in deploratis nihil tentandum, vt si ille affectus pendeat ex natiuâ constitutione. Iam igitur ad lactis redundantiam transeamus.

LACTIS REDVNDANTIA. Facilis erit huiusce affectus explicatio, ex præcedentis velut omnino oppositi notitiâ: ac proinde illius tractationem paucis absoluere propositum est. Lactis enim redundantia ὑπεργάνωσις nihil aliud est, quam nimia mammarum repletio ab exuperante lactis copiâ, ad quam sequitur tensio, & tumor ingens illarum cum dolore & metu aliquando compressionis, vel corruptionis ipsius lactis: vnde patet istam lactis redundantiam non solum matri ob dolorem, tensionem, & varios alios casus qui superuenire possunt, vt in omni plethorâ tam vniuersali quam particulari; sed etiam infanti esse noxiam: quia non potest tam commodè mammam sugere, aut lactis impetum ex eâ profluentis sustinere, nec non propter lactis corruptionem, quæ sæpius tantâ multitudine contingit, ob difflationem impeditam & obstructiones ipsius partis, aut aliquando contusiones, & compressiones, quam ipsemet puer sugendo inferre potest.

Iste igitur affectus oritur vel statim à puerperio, vt supra annotabamus, ob impetum sanguinis tunc refluentis ab vtero ad mammas, cuius incommoda arcere ibi etiam docuimus: vel post aliquot menses, quando sanguis quantitate exuperans ob copiam laudabilis alimenti, & caloris natiui bonitatem in partibus coctioni dicatis, mittitur ad mammas, vel attrahitur potenter, per vasa ampla & bene expedita: deficientibus tunc omnino menstruis, aut aliis vacuationibus, quæ sanguinem & humores exhaurire, aut aliò reuocare solent, ita vt ista lactis redundantia fiat ab omnino contrariis causis, ex rerum naturalium, non naturalium, aut præter naturam, censu repetendis, quas dicebamus concurrere ad lactis penuriam efficiendam: ita vt non sit opus illis nunc recensendis diutius immorari.

Affectus etiam ipse visui & tactui expositus, satis per se est notus, causarum deinde series internarum & externarum erit ex superiorum enumeratione perlustranda, vt illi deinceps medeamur: quia metus est, si ista lactis copia confertim in mammis retineatur, ne inflammationem & corruptelam concipiat, magnamque non solum mammis, sed etiam toti corpori noxam inferat. Vbi enim per se effluit, aut mulgetur, aut ab infante sugi potest, minus tunc adest periculi, nisi compressione aut contusione à vestibus, puero, vel aliis externis causis afficiantur turgentes mammæ, quod sæpe contingit.

Vbi igitur propositum est lactis exuperantiam imminuere, quæ naturæ limites excessit: sciendum est, ex Galeno *loco suprà citato*, ea quæ lac imminuunt, vel eius substantiam destruere, vel materiam illius à mammis repellere, vel aliò reuocare. Quæ eius substantiam destruunt, id rursum dupliciter præstant, vel quia sanguinis generationem impediunt: vel quia occultâ quadam qualitate lac corrumpunt, vt semen rutæ, cumini, & viticis sumptum & admotum. Quæ sanguinis generationem impediunt, illa potissimum in victus ratione posita sunt: vt videlicet omnia alimenta sint paucæ nutritionis, & exiguæ quantitatis, quantum ferre poterunt eiusmodi mulierculæ. Panis ergo crassior & furfuraceus, olera & fructus horæi, aquæ potio, & similia præscribi poterunt, quæ sunt ὀλιγότροφα, & solent conferre ad pingues emaciandas: vigiliæ plus solito maiores, animique pathemata, vt curæ, & sollicitudines intentiores circa domestica, vacuationes omnes solitæ liberaliores: frictiones duriores, & exercitationes inferiorum partium, vt & vincula arctiora, & cucurbitulæ cum multâ flammâ femoribus admotæ valde proderunt. Si sit ingens plethora totius corporis, neque fluant menses soliti, secetur primum vena mediana vtriusque brachij, vel illius quod erit è regione mammæ magis affectæ: deinde aperiantur post aliquot dies venæ malleoli aut poplitis. Interea si mammæ valde intumescant, neque quicquam ab eis effluat; ita vt sit metus magnæ inflammationis & corruptionis in lacte, fugantur à peritâ quadam mulierculâ, vel instrumento illo Paræi, superius à nobis commemorato, vt quædam eius portio educatur: non autem à puerulo, ne imperitè comprimendo, aut auidius sugendo aliquid illis mali inferat. Alias si

Digitized by Google

non sit ingens pondus aut molestia lactis distendentis, nihil erit melius quam omnino fugere, ne natura attractioni nouæ denuò incumbat.

Si sit etiam aliqua cacochymiæ suspicio, aut metus excrementi irrumpentis in mammas, non erit etiam negligenda purgatio ex catharticis accommodatis, pro variâ peccantis humoris naturâ. Quibus præstitis repellentia mammis & axillis, vbi sunt vasa illa lactis materiam deferentia, admoueri poterunt, vt vnguentum rosaceum oleo myrtino dissolutum, bolus armena cum aceto, vel succo plantaginis in formam linimenti redacta. Sunt qui spongias oxycrato madefactas imponunt, & fasciis ligatas ibi diutius continent. Nostrates fœminæ vruntur frequenter cataplasmate ex farinâ lentium & seminis cumini cum oleo rosaceo, partim ad repellendum, partim ad digerendum. Aliæ mucilaginem seminis psyllij extrahunt cum aceto rosaceo, & puluere granorum myrti ac pauco alumine perfundunt: deinde mammis admouent, quemadmodum terram illam Cimoliam oleo myrtino dissolutam.

Sed ego nollem diutius in vsu istorum adstringentium, & refrigerantium perseuerare, quia metus est ne tam repellant lac è mammis, quam in eis coagulent, aut vasa & poros valde obstruendo putredinem tandem inducant: ideo tutius est venire ad exsiccantia & digerentia, quibus reliquiæ redundantis lactis post vniuersales vacuationes & reuulsiones sæpe repetitas dissipentur. Quidam igitur non infelici successu ad nimium hunc lactis prouentum dissipandum, præcipuè in pituitosis, vsurparunt decoctum guaiaci, vel sarsæ parillæ sudorificum in plures dies. Alij diureticis valentioribus eiusmodi materiam putant se in vias vrinæ reuocare posse. Topicis autem ita vtantur.

℞ Fœniculi, apij, petroselini & maluarum cum toto, ana M. j. seminis cumini & fœnugræci, ana ʒ iij. florum chamæmeli, folior. menthæ & summitatum lauri, ana P. j. Decoquantur omnia in aquâ fabrorum, addendo sub finem parum vini albi. Foueantur mammæ cum filtris bene expressis bis aut ter in die. Ex residentiâ huius decocti, addendo parum farinæ fabarum & oxymelite, fiat cataplasma vtilissimum. Quo etiam tempore, si opus esse videatur, mammæ leuiter exugi poterunt. Si velis, circa declinationem morbi paretur tale emplastrum, vel ceratum.

℞ Terebinthinæ optimæ frequenter aquâ rosarum lotæ ʒ iiij. seminis lini & cumini puluerisat. ana ʒ ij puluer. ireos Florentiæ ʒ j. croci ℈ j. aluminis ℈ ß. ceræ nouæ q. s. Fiat ceratum super linteolum crassius, quod aptetur in formam mammæ affectæ. Quidam succo menthæ bis aut ter in die optimo successu pertingunt. Crocus & cuminum non solum admota, sed etiam instar amuleti collo appensa, ita vt inter duas mammas iaceant, lac imminuere creduntur. Auicennas existimat cancros fluuiatiles coctos cum aceto, vel eorum puluerem cum succo menthæ impositum, ex proprietate ad lac imminuendum conferre. Alij laudant folia ricini trita & mammis imposita. Atque hæc de proposito affectu sufficiant.

LAC DEPRAVATVM. Supereſt igitur vt de lacte deprauato agamus, nempe de vitiis, quæ lacti secundum substantiam, vt loquuntur Medici, & qualitates contingere possunt. Secundum substantiam autem vel potius consistentiam, quæ in lacte mediocris esse debet, oritur duplex vitium, quando scilicet tenuius euadit quam par sit, & nimis fluidum ad conuenientem fœtus alimoniam: vel nimis crassum, ita vt in caſei formam aut grumos in mammis conuertatur. Secundum verò qualitates primas, potissimùm caliditatem aut frigiditatem insignem, simplices & sine materiâ: aut cum materiâ & permixtione humoris bilioſi, pituitosi aut melancholici: vnde exoriuntur qualitates secundæ præter naturam, nempe odor, color, aut sapor extraneus in lacte, propter quas non solum minus alendo fœtui idoneum euadit, sed etiam aliquando valde noxium.

Incipiamus igitur à vitiis secundum consistentiam. Quotiescunque lac fit tenuius & nimis fluidum propter exuperantem seri copiam & humiditatis alienæ: toties certum est vel sanguinem nimis esse dilutum & crudum ob vitia assumptorum, vel imminutas corporis coctiones: aut certè quia mammæ minus feliciter illud conficiunt & assimilant, ob varias intemperies in eis contractas, potissimùm verò frigidam humidamque solas, vel combinatas. Quæ

omnia

omnia ex ſignis à nobis ſupra propoſitis, *capite de lacte optimo dignoſcendo*, ſatis manifeſta fient. Neque alia eſt prognoſis, quam quod ex illius vſu infantes in inſignes diarrhœas, totiuſque corporis emaciationem incurrunt, niſi illis citò proſpiciatur.

Itaque victus inſtituendus, qui luxuriantem iſtam humiditatem, atque etiam frigiditatem, ſi ita contigerit, corrigere valeat. Vtantur ergo cibis omnibus exſiccantibus & calfacientibus modicè, pane biſcocto & aniſato, carnibus aſſis; paſſulis, amygdalis toſtis, condituris aromaticis & ſimilibus, idque parcâ manu. Vitent olera, piſces, legumina, fructus horæos, caſeum & omnia lacticinia; à iuſculis & offis abſtineant, niſi forte oryzâ, quia exſiccat, cum iure carnium paratâ. Parum bibant, vinoque generoſo, & odorifero vtantur modicè lymphato; vel ſi vini vſus timeatur, aqua in quâ cinamomum aut coriandri ſemen incoxerint; vel etiam ſecundario ligni guaiacini decocto vtantur pro potu ordinario. Quod ſi hiſce non ſatis commodè corrigatur iſtud vitium, excitentur ſudores poſt conuenientem purgationem, in ſtuphâ ſiccâ ſeu laconico per aliquot dies: vel in thermis ſulphureis, vt Balerucanis: aut ex decocto ſudorifico, ſi opus eſſe videatur: vt iſta temperies rebellior corrigatur, quando ſoli victus regimini non cedit.

LACTIS CRASSITIES. Huic contraria eſt, vt diximus, craſſities lactis nimia: quæ ſi ſanitatis latitudinem excedat & morboſa euadat: ſolet magna adferre pericula doloris, tenſionis, inflammationis, & putredinis, quando ſcilicet in θρόμβωσιν & τραγαλίδας Græcis dictas, quaſi dicas grumos & globulos, ſiue in τύρωσιν, id eſt caſeationem, degenerat; qui affectus in qualitate excretorum ea tantum ratione differunt: quòd in θρομβώσει minores partes lactis ſentiantur coagulatæ ſeu condenſatæ: in τυρώσει autem totum fere lac in mammis contentum ſit inſtar caſei concretum: Dioſcorides *libro* 2. vocat μασὰς χονδρωώδεις καὶ σκληρυνούσας, quaſi dixeris cartilaginoſas & renitentes.

Primo igitur hic dubitari poteſt, quomodo lac in proprio ſuo loco conſeruationis & generationis, vt vocant, ita affici poſſit, vt alienam omnino & aliquando deleteriam naturam adipiſcatur? Deinde quomodo fieri poteſt, vt lac in mammis viuentium, quæ perpetuo calore, aut ſaltem tepore ſentiuntur perfuſæ ob proprium temperamentum, & cordis viciniam, caſei ſpeciem induere poſſit, quem ſcimus à frigore externo concreſcere? Ad primum igitur reſpondemus, mammas quidem proprium eſſe lactis locum, vbi generari & conſeruari debet, quemadmodum ſanguis in venis, quamdiu omnia ſunt bene & naturaliter diſpoſita: vbi verò cauſæ præter naturam acceſſerint ex parte contenti vel continentis, quæ ſtatum illum labefactent, tunc vitia & corruptelas in illis contingere. Ex parte enim contenti, nempe lactis, illius nimia redundantia vel craſſities, quia impediunt commodum eius affluxum & calorem natiuum ſuffocant: Ex parte verò continentis, nempe mammarum, quando calidiores aut frigidiores iuſto euadunt, non eſt mirum ſi mollis iſta, & facile alterabilis ſubſtantia male afficiatur, & præter naturam concreſcat: à calore quidem, dum eius partes tenuiores humidioreſque exhauriuntur & diſſipantur: à frigore autem, quando vniuerſa eius ſubſtantia condenſatur & induratur; frigoris enim eſt heterogenea cogere. Frigiditas autem iſta mammarum non eſt actualis, id eſt quæ ſenſu talis percipiatur tangendo; ſed ita remiſſus calor, (frigidam intemperiem vocant Medici) qui non amplius obeundis functionibus naturalibus ſufficiat, aut humoribus in iuſtâ ſuâ conſiſtentia ſeruandis, vt patet ex pinguedinis naturâ & generatione apud Galenum: & de ſanguine extrauaſato, qui ob caloris natiui priuationem grumeſcit in cauitatibus membrorum. Eodem modo coagulum fit ex refrigeratione in ventriculis animantium iuniorum, vt hœdorum, lepuſculorum & ſimilium, quando ſolo lacte nutriuntur: quamuis deinde acrem & quaſi vrentem naturam acquirat ex quadam putredine introductâ ab extraneo calore. Et ſæpe pueri vbi ventriculum habuerint frigidiorem vel calidiorem, ſolent per vomitum emittere lac caſeatum & grumoſum (vulgus *bronſſat*, quaſi coctum, Latini coloſtratum.) Sic Galenus 3. *de aliment. facultat. capite de oxygalacte*: ſcribit lac ſpiſſari vſu vaſis aquâ frigidâ pleni.

Signa iſtorum affectuum, vt ſupra diximus, per ſe ſunt nota. Vtrum vero ſequantur

redundantiam lactis vel eius craſſitiem : item vim caloris aut frigoris , dignoſcemus ab ipſo excreto , nempe lacte & affectibus qui in mammis apparent : nam inflammatio & febris maior aut minor , vel ipſius carentia , oſtendunt conditionem humoris in vberibus ſtabulantis , cauſarumque naturam quæ illum pepererunt.

Vnde etiam prognoſtica exoriuntur ; nam prout putredines & febres huic affectui coniunguntur , hinc etiam maiora pericula exoriuntur, quia facile iſta materia, aut vapores maligni cordi & cerebro, aut pulmonibus communicantur. Quæ ſi excedant, pars tandem grauiter exulceratur, & niſi maturè proſpectum fuerit, corpus in marcorem & tabem præcipitant.

Curandi itaque ratio citò & accuratè inſtituenda. Nam ſi lactis redundantia hunc affectum efficiat , vſurpanda erit tam victus ratio , quam remedia ſuperiori capite à nobis propoſita. Si craſſities cum caliditate dominetur , victus attenuans & temperatus : calfaciens verò , ſi frigiditas illi annexa ſit : ita tamen vt modicus ſit,parum nutriens,& generando ſanguini minime idoneus.

Quod ad remedia vero : imprimis videndum eſt , ne humores in mammas deinceps confluant , ideoque frictiones aſperæ , & vincula dolorifica inferiorum partium , cucurbitulæ coxis admotæ cum multâ flammâ erunt ex vſu : & venæ ſectio , ſi caſus grauior , aut cum febre coniunctus : aperiaturque mediana cubiti vel tibiarum. Ipſa etiam intemperies totius corporis vel mammarum , ſi ſit inſignior, erit corrigenda conſuetis remediis alterantibus & purgantibus , vt res ipſa poſtulabit.

Deinde ipſi affectui proſpiciendum , ſeu cauſæ coniunctæ : quæ ſi concreuiſſe videatur à frigore , propinanda erunt & admouenda quæ calfacere & attenuare valeant : ſi à calore , vtendum quidem erit attenuantibus & incidentibus,ſed quæ minus calida ſint.Exempli causâ, ſi videatur affectus frigidior.

℞ Rad. fœnicul. & ſummit. eiuſdem , ana M. ß. folior. menthæ P. j. cicerum rubeor. P. ß. ſemin. apij ʒ j. Fiat omnium decoctio in aquâ hordei ad ℥ vj. Clarificetur,& aromatiſetur pauco cinamomo pro duabus doſibus , mane & ſero exhibendis : quæ ſæpius iterari poterunt.

℞ Rad. rubiæ maior. & fœniculi , ana ℥ j. ſemin. apij & rutæ , ana ʒ ij. florum meliloti & ſtœchados , ſummitatum menthæ , ana P. j. Contundantur omnia & decoquantur in aquâ ciſternæ vel fontis , addendo ſub finem parum aceti , vel vini albi. Hoc decocto foueantur mammæ frequenter. Deinde illinantur ſequenti vnguento : nam emplaſtra vel cataplaſmata dolentes mammas nimis grauant.

℞ Vnguenti reſumptiui ℥ iij. cinamomi , ſeminis cumini , & fœnugr. ana ʒ j. ß. croci & puluer. ireos Florent. ana ℈ j. Miſce,fiat linimentum , quo vtatur,vt dictum eſt,addendo parum aquæ vitæ, ad penetrationem maiorem vnctionis tempore Paulus & Aëtius vtuntur muriâ pro fotu,aut aceto, in quo folia menthæ bullierint cum ſpongiis ſuperligatis. Illinunt etiam crocum & cuminum cum melle : vel iuglandes contritas cum foliis rutæ & melle. Alij valde commendant folia apij virentia leuiter contuſa , aut ſuccum eius cum oxymelite mixtum, quem mammis apponunt: vel coagulum leporinum aceto diſſolutum cum pauco butyro , inſtar linimenti. Quod ſi affectus calidior videatur , minus calfacientibus vtendum erit , & adu tepidis tantum : quia frigida poſſent condenſare , & impingere magis materiam. Vt

℞ Folior. lactucæ & ſummitatum fœniculi,ana M.j. ſemin. melon. & petroſelini, ana ʒ ij.florum cichor.borraginis & ſummit.menthæ,ana P.j. Fiat omnium decoctio ad ℥ vj. vt ſuprà : quibus clarificatis adde ſyrup. acetoſi ſimpl. vel de limonibus ℥ ij. Fiat julepus pro duabus doſibus : vel bulliant cum iuſculo pulli. Exterius verò admoueatur oxycratum tepidum cum linteolis , cui parum ſucci apij ſit additum:vel furfures in aceto decoquantur , cum pauco ſemine rutæ , & ſacculo lineo iniecti, mammis tepidè admoueantur. Quidam ſumunt folia ſolani , halicacabi , braſſicæ, quæ decoquunt & contundunt , addendo parum myrrhæ & croci cum aceto in eumdem vſum : vt etiam capita papaueris albi cum melle cocta. Alij fouent oleo tepente , cui parum ſucci apij , vel herbæ illius quam anagallidem flore purpureo vocant , additum fuerit. Tandem ſi iſtis diu vſurpatis nihil proficiatur , tam in affectu frigido quam calido , neque lac fuſum retrocedere , aut per papillas mammarum effluere

effluere valeat, iamque dolores & febres intendantur : veniendum erit tandem ad ſuppurantia eadem ratione, quæ propoſita fuit à nobis, capite de inflammatione mammarum.

ALIENÆ LACTIS QVALITATES COLOR, ODOR, ET SAPOR. Iam igitur pauca addamus de alienis qualitatibus lactis, quoties ſecundum colorem, odorem, aut ſaporem valde immutatur : quod frequentiſſimum eſt vbi nutrices vel malo regimine vtuntur, vel ſunt intemperatæ admodum : nulla enim eſt in nobis ſubſtantia quæ facilius alterari poſſit quam lac, vt annotauit Galenus, *tertio de aliment. facultat. capite decimoquinto.* Vnde ex Hippocrate, *capra & mulier elaterium aut tithymalum comedens, lac habet purgatorium.* Et quotidiana experientia docet, in ipſo butyro, quod odorem & ſaporem inſignem, multiſque moleſtum acquirit, dum pecudes circa ver alliariâ herbâ veſcuntur. Sic nutrices, ſi aliquo animi pathemate torqueantur, ſi libidine agitentur, nimium ſe exercuerint aut vigilarint, ſi porrum, cepas, braſſicam, frixa, ſalſa, aut piperata comederint, vel vinum merum copioſum potarint, ſtatim iſtas notas lacti imprimunt, & infanti communicant; vnde tot vlcera, excoriationes aut inflammationes in puerulis iſtis lactentibus quotidie obſeruamus.

In quibus igitur propter ſolum regimen malum, lac præter naturam redditur, ſecundum qualitates primas vel ſecundas : in illis etiam ſola diætæ ratio à nobis fusè ſuperiùs tradita, ſufficiet ad lactis integritatem reſtituendam. Quod ſi illa mutatio pendeat ab intemperie natiuâ & propriâ nutricis, vt ſolet in rufis & bilioſis, aut pallidis admodum & pituitoſis vel melancholicis : tunc melius eſt nutricem mutare, & infantulum alteri ſalubriori lactandum committere, quam fruſtra in corrigendo iſto vitio naturali laborare. Sin verò pendeat ab intemperie accidentariâ, vepote humorum excrementitiorum collectione, propter varias cauſas internas, vt morbos; vel externas iam à nobis annotatas, quæ altius pedem fixerint & impreſſionem in corpore illarum fecerint : tunc ſi non ſufficiat regimen bene inſtitutum ad iſtas intemperies delendas, cogitandum erit incommoda iſta tam nutricis quam alumni purgatione conuenienti tollere, eáque mediocri, quia infirmior nihil proficit, & turbat tantum earum corpora: validior autem exagitat nimium, & ſæpe lactis defectum inducit. Notandum etiam, quod eo die quo purgantur nutrices, non debent vbera ſua infanti exhibere : tum quia metus eſt ne valde debilitentur eâ purgatione ſimul & lactatione : tum etiam quod lac ſuſcipit facilè vim cathartici & puerulo communicat, niſi fortaſſe eodem modo ipſe puer indigere videatur purgatione.

Parentur igitur opiatæ laxantes, pilulæ vſuales, aut ſyrupi magiſtrales dicti, prout magis ex vſu eſſe videbitur, & pro vario cacochymiæ dominatu, quibus ſemel aut bis in menſe vtantur, donec iſta colluuies excrementorum penitus exhauſta videatur iſtis per epicraſim repetitis purgationibus ac bono regimine. Quod ſi vitium non ſit ita graue, bilioſæ aliquoties ſumant infuſum rhabarbari cum ſyrupo roſato ſolutiuo : pituitoſæ agaricum trochiſcatum cum electuario lenitiuo in formam boli : melancholicæ, decoctum ſenæ & ſimilia, quæ non ſunt hic fuſiùs perſequenda : cum ſit facile ex communibus remediorum formulis illa repetere. Iam igitur prolixæ huic tractationi de affectibus mulierum & vtiliſſimæ, finem optatiſſimum imponamus.

Digitized by Google

IOANNIS VARANDÆI TRACTATVS THERAPEVTICVS,

DE MORBIS GENITALIVM IN VIRIS.

PRÆFATIO.

POST affectus fœminarum à nobis accuratè explicatos, in quibus non solùm induidui muliebris conseruandi ratio proposita fuit, sed etiam speciei propagandæ, sobolis videlicet producendæ, & alendæ modus, remotis scilicet dispositionibus præter naturam, quibus tantopere expetitum à naturâ opus similis sibi generandi, impediri poterat: Iam serie quadam doctrinæ accedimus ad affectus partium genitalium in viris tractandos, quibus eodem modo & noxa induiduis marium & generationi impedimentum inferri solet.

Quamuis enim quidam veterum existimarint virorum & fœminarum genitalia solo situ differre: ita vt harum partes genitales ob frigiditatem tantum, & naturæ defectum intus lateant: virorum autem caliditate quadam & maiori robore extra promineant; vnde mulieres quasdam in viros circa pubertatem mutatas multi scripserint, aucto calore nativo & prorumpentibus quæ intus latebant partibus. Attamen illud nullo modo fieri posse existimamus: quoniam neque fundum vteri scroto, nec illius ceruix membro virili respondet, vt ex anatomicis demonstrationibus satis patet: Scrotum enim cutis est tantum rugosa, illiúsque portio, quâ totum corpus integitur: vteri autem fundum constat membranâ densissimâ & carnosâ, multiplici fibrarum genere intertextâ, venarúmque propaginibus innumeris præditâ, ad expurgandam sanguinis menstrui redundantiam, fœtúmque per acetabula alendum. Ceruix autem vteri, quæ est tantum canalis oblongus, & vaginæ mollioris instar, quomodo poterit respondere aut conuerti in membrum virile, quod duobus neruis seu ligamentis cauis & arteriosis constat, qui coitus tempore inflantur & distenduntur, quod musculis quatuor ad erectionem stabilitur, in osse pubis collocatum est, & balanum habet in postremâ sui parte, velut totius membri complementum? Hæc igitur omnia de nouo generari oporteret, vasáque spermatica mulierum intus latitantia, & ligamenta vteri cum magno dolore, & sanguinis effusione disrumpi, vt foras erumperent, & metamorphosin istam perficerent. An non multas quotidie fœminas videmus, quibus vterus extra loca sua procidit, & maximis illas incommodis afficit, absque istâ imaginariâ mutatione? Quod si quædam circa pubertatem viragines masculam quandam naturam adeptæ sint, illud intelligendum est, vel propter grandiorem clitorida, quâ abutebantur olim muliercula quædam, Tribades dictæ, ad alias subigendas: vel certè de Hermaphroditis, & Androgynis, in quibus dum lateret quodammodo sexus masculinus in puentiâ, circa virilem ætatem incrementum sumens, reddebat illas vtriusque actionis potentes. Quod Iurisconsulti etiam annotarunt, talibúsque Hermaphroditis electionem alterutrius concesserunt, prohibuerúntque ne deinceps alio abuterentur. Itaque cum

patet

patent genitalia virorum & fœminarum non ſolum poſitione, ſed etiam numero, & conformatione differre: ideo peculiares debent eſſe tractationes quæ affectus in fœminis & viris partium iſtarum genitalium explicent.

Cur autem partes iſtæ propagandæ ſpeciei dicatæ, turpes, obſcœnæ & quaſi pudendæ habeantur, αἰσχρὰ μόρια, αἰδοῖα à Græcis dicantur; cum tantopere ſint neceſſariæ, & vnicuique cum ſummâ voluptate penitiſſimè inſitus ſit appetitus ille coeundi, ſibique ſimile producendi: poſſet aliquis iure merito mirari. In plantis quidem nihil pulchrius ſpectari poteſt, quam apparatus ad ſeminis productionem, venuſtate florum fructus præmonſtrantium, in quibus ſemina, tanquam generationis theſauri reconduntur. In brutis etiam reliquiſque animantibus nullus iſtarum partium pudor, aut in illarum operationibus exercendis. In ſpecie autem humanâ, non ſolùm occultantur, ſed ne rectis quidem & propriis nominibus eas, aut earum actiones proferre audemus. Imo quod peius eſt, ſi aliquando morbi iſtis ſedibus contingunt, vix volunt agri ob verecundiam illos Medicis patefacere, ſicque remediis deſtituti in grauiſſimam ſæpe valetudinem incurrant.

Theologi exiſtimant id propter primi parentis peccatum accidiſſe, quem deinceps paradiſo pulſum, prolem Deo quaſi exoſam, producere puduerit, partéſque generationi dicatas occuluerit. Philoſophi autem cenſent illud in ſpecie humanâ contigiſſe, quia vita hominis præſtantiſſima poſita eſt in intellectu & ratione: ac proinde turpe eſſe animalium brutorum ritu duci à ſenſu, & veneris illecebris detineri: quæ maximè reuocant mentem à Superioribus illis & homini propriis cogitationibus: Idcóque partes illas occultandas, earúmque actiones, non niſi ſecreto, & ex re aliorum conſpectum exercendas. Medici verò nihil in naturâ turpe, nihil obſcœnum eſſe putant, ſed omnes corporis noſtri partes maximum creatoris ſui artificium repræſentare, & aliquid diuini continere: cum ex iſtarum ablatione vel depranatione totius corporis ſtatus peſſimè immutetur, & quaſi euiretur, vt patet in eunuchis & effœminatis. Ac proinde non minus in genitalibus hiſce membris conſeruandis curandiſque, quam aliis, ſed etiam fortè accuratius verſantur, quia magis ſciunt ad ſubiecti ſui propagationem.

Dicamus igitur, genitalia membra in viris, quoad vſum therapeuticum attinet, quatuor à nobis potiſſimum ſpectari, nempe vaſa ſpermatica, teſtes, mentulam, & ſcrotum, quorum ratione veluti ſuſcipientium morbi & ſymptomata exoriuntur. Nam vitio ſeminis quod debet deferri ex præcipuis corporis noſtri partibus per vaſa illa in teſtes, ibíque præparari & concoqui, vt ſuo tempore emittatur in locum à naturâ dicatum: exoritur vt plurimùm ſterilitas virilis. Ratione verò debilitatis eorundem teſtium, & penis ſit defectus ille coëundi, qui ſi grauior ſit, ad impotentiam vſque integram venereorum accedit, vt in frigidis & maleficiatis. Contra ſi ob calidiorem conſtitutionem, aut flatuoſam materiam copioſius diſtendentem has partes, ſit perpetuus coëundi appetitus, tentigo, aut virgæ erectio & dilatatio, contingunt illi affectus, quos veteres ſatyriaſim & priapiſmum dixerunt. Sæpe etiam fit, vt ex ἀτονίᾳ, infirmitate, ac malâ conſtitutione ſpermaticorum vaſorum, aut ipſius ſeminis vitio, fluat inuoluntariè & aſſiduò ſine voluptate, vel per interualla dum ſomno detinentur, cum eneruatione totius corporis & moleſtia: Sícque oriuntur gonorrhœa tam ſimplex quam virulenta ſeu venerea, & pollutiones nocturnæ. Ratione autem teſtium ipſorum & ſcroti, quando materias aliquas ſiue ſubſtantias alienas continent, illis adhærentes vel aliunde prolapſas, fiunt multæ herniarum ſpecies, varicoſæ, carnoſæ, humorales, flatuoſæ, inteſtinales & ipſius omenti, quibus non ſolum graues dolores & pericula exercent ægrotantes, ſed etiam impedimentum coitui & generationi infertur. Denique

ratione

ratione ipſius ſcroti & cutis externæ pudendorum, fiunt plerumque fœdæ ſcabies, & impetigines illarum partium, vt ipſemet annotauit Hippocrates Aphoriſm. 21. ſect. 3. *in quibus ſanandis non exigua Medici operâ opus eſt, ob naturam iſtarum partium putredini & fluxioni obnoxiam. Itaque ſex præcipuis capitibus totam hanc tractationem, Deo fauente, abſoluemus: quorum primo agemus de ſterilitate virili: ſecundo de venereorum impotentiâ: tertio de priapiſmo & ſatyriaſi: quarto de gonorrhœâ & pollutione nocturnâ: quinto de variis herniarum ſpeciebus: ſexto & vltimo, de ſcabie & impetigine pudendorum. Reliqua enim vel ad generales tractationes affectuum præter naturam, vt de tumoribus præter naturam, vlceribus, intemperie & ſimilibus: vel ad iſta facilè referri poterunt.*

CAPVT PRIMVM.

De ſterilitate Virili.

IN ſpecie perfectiſſimâ, qualis eſt humana, productio non poterat fieri indiuiduorum, ab vno eodémque, qui ſimul generaret, & fœtum contineret, eumque ad debita incrementa perduceret: quod Plato in ſuâ Androgyne ſomniarat. Sed opus fuit mare & fœminâ: illo, qui vim prolificam efficientem & quaſi formalem immitteret: hac vero, quæ locum & materiam præſtaret, vbi conuenienti alimento reficeretur, formaretur, & ad iuſtam vſque perfectionem contineretur. Hinc fit vt ex vtriuſque parte vitia & defectus contingere poſſint, quibus generatio impeditur. Quæ pendent ex parte mulierum, iam à nobis antea ſufficienter explicata fuerunt.

Quod viros itaque ſpectat. Nullus ferè ſteriles dici poteſt ſimpliciter, niſi cui reſectæ ſunt partes genitales, vt teſticuli, aut Venere vti non poteſt propter defectum erectionis virgæ, & penis reſolutionem: alij enim qui ſteriles habebantur vxoribus tantum ſuis congredientes, cum aliis coniuncti feliciter prolem ſuſceperunt. Imo videmus vulgò defectum generationis magis adſcribi fœminis quam maribus, quia mares & ſatis inualidi & variis morbis detenti, vt leprâ, phthiſi, lue venereâ, & ſimilibus; dummodo fœminâ bene diſpoſitâ vtantur, procreare liberos ſolent, nullis aut paucis remediis adiuti.

Dicamus itaque ſterilitatem iſtam virilem, quæ eſt ſymptoma abolitæ functionis generatricis in maribus debitæ ætatis, potiſſimum reſpicere ipſum ſemen, quod eſt agens in hoc opere præcipuum, quando ſubſtantiâ, qualitate, quantitate aut excretionis modo peccat. Iſta autem contingunt vel vitio totius corporis, vel partis alicuius principalis malè affectæ, vel proprio affectu membrorum genitalium. Subſtantiâ enim peccat in elephanticis confirmatis, in lue venereâ affectis, aut phthoë, aut aliis vlceribus internarum partium, quæ materiam ſemini dicatam corrumpunt: qualitate verò ſi nimis liquidum & aquoſum, aut nimis craſſum & quaſi concretum exiſtat: ſic enim aut non poteſt hærere parietibus vteri, ſed ſtatim diffluit; vel non poteſt permiſceri, & quaſi vniri cum ſemine muliebri, ſed præpondere citò ex vuluâ decidit. Iſtud autem fit vitio totius corporis intemperati, aut cerebri, ventriculi, & ſimilium magnas cruditates generantium, vel humores ſecundarios exurentium, vt in valde biliоſis & atrabilariis, quod Hippocrates *Aphoriſm. 63. ſect. 5.* expreſſiſſe videtur. Pueri etiam & ſenes ratione ætatis ſunt infœcundi, quia nullum ſemen gignunt, aut hoc modo vitiatum. Sed potiſſima vis poſita eſt in teſtibus, qui pro variâ intemperie quâ donati ſunt aliquando, non bene exercent vltimam illam elaborationem σπερματοποιητικὴν, quæ ſemini debetur, vt Galenus eleganter proſequitur *lib. artis parua*. Qui vino etiam aut crapulæ multum indulgent, hoc modo ſteriles fiunt, quia ſuffocando vim caloris natiui frigidius ſemen emittunt: vt etiam illi qui coitu immodico vtuntur: reſolutis enim ſpiritibus, fit vt ſeroſa tantum & liquida quædam materia effundatur, nullâ generandi vi prædita. Cur autem illi euadant ſteriles, vt multi Practici ſcripſerunt, qui cum nimium

nimium paruis aut iuuenculis puellis coëunt, non tam facile eſt reſpondere, niſi dicatur, illud contingere propter nimiam voluptatem, aut conatum vehementiorem in illis ſtuprandis, quo diſſoluuntur & quaſi eneruantur. Vulgus etiam exiſtimat in vnaquaque familiâ, vbi ſit liberorum multitudo, vnum perpetuò eſſe infœcundum, quod ſæpe experientia confirmat. Sed iſtud ad occultam potius cauſam referendum, vt & maleficia, & alimentorum quorumdam extinguendo ſemini & deprauando proprietates.

Quod ad quantitatem verò ſeminis ſpectat, certum eſt illius paucitatem & defectum ſterilitatem parere, quia in minore quam par eſt quanto non poteſt eſſe ea vis quæ requiritur ad producendum effectum. Sic pueri non generant ſemen, aut paucum, quia tota alimentalis materia faceſſit in corporis incrementum: ſenes iam decrepiti non generant etiam, quia deficit vis concoctrix, & in toto & in partibus generationi dicatis. Eodem modo qui admodum pingueſcunt & obeſi euadunt, vt etiam qui nimiâ gracilitate laborant: qui longis & acutis morbis detinentur, qui largas patiuntur vacuationes, aut ieiunio addicti ſunt, abſumptâ humorali ſubſtantiâ, vel aliò reuocatâ, non poſſunt ſemini producendo ſufficere. Sunt etiam qui ita minutulos habent teſtes, vt non poſſint coquere vel continere ſufficientem ſeminis copiam. Hippocrates *lib. de genitura*, *Quibus*, inquit, *iuxta aures venæ ſectæ ſunt, ſi coëunt quidem & genituram emittunt, verum modicam, debilem & infœcundam: quia plurima genitura pars à capite iuxta aures in ſpinalem medullam procedit: ipſe autem tranſitus inducta ſectioni cicatrice interceptus eſt*: Vel dic illud fieri propter effuſionem ſanguinis & ſpirituum, qua refrigeratur cerebrum. Ariſtoteles 4. *probl.* 21. ſcribit quibus varices adſunt eſſe infœcundos, quia ſpiritus ad varices deflectitur. Sed hoc potius de aneuriſmatis eſſet intelligendum: vel quia in varicoſis natura obruitur multitudine ſanguinis melancholici. Quantitas etiam nimia ſanguinis aliquando per accidens fœcunditati eſt noxia, quia retentum diutius, & præter morem in vaſis ſpermaticis ſemen corrumpitur & variis ſymptomatis viros exercet, vt videmus ſæpe in illis, qui propter legem continentes eſſe coguntur: Vnde Diogenes apud Galenum *libr. 6. de locis affect.* exercebat coitum, non voluptatis causâ, quam ille vt Philoſophus maximè aſpernabatur, ſed vt vitaret noxas retenti diutius ſeminis.

Denique ſterilitas in viris maxime contingit ob excretionis modum vitiatum, quando ſemen non emittitur commodè in ſinum matricis interiorem. Hoc ſæpe contingit ex defectu ſpirituum, qui velut ὀρμῶντες debent illi permiſceri & foras cum impetu erumpere, vnde qui longis torquentur morbis, qui paulatim tabeſcunt, aut debiliori ſunt natura, vel cor habent infirmum & palpitans, ſæpe hoc detinentur vitio. Frequentius fit ob malas penis conformationes; nam qui mentulam iuſto habent breuiorem, vt quæ non accedit ad ſex digitorum latitudinem, non poſſunt eiaculari commodè ſemen ad interiorem vſque ſinum matricis. Qui vero iuſto habent longiorem, ſæpe ſteriles exiſtunt: non quod ſemen in illo tractu refrigeretur, vt quidam ſcripſerunt; ſed quia perit in illâ diſtantiâ impetus & orgaſmus ſpirituum, qui debent ſemen eiicere in vuluam. Eodem modo mentula curua, vt per vulnera quandoque accidit, aut contracta, vt in illis qui habent vinculum illud ſub balano arctius, quod canem appellant: aut male perforata, vt in eis qui foramen balani non in apice illius habẽt, ſed in decliuiori parte verſus præputium, quod in duobus aut tribus à nobis non diu fuit viſum: aut obſtructa, vt quando canalis ſeu meatus communis vrinæ & ſemini refertus eſt alieno quodam corpore, potiſſimùm carunculâ illâ hodie multum vulgari, quæ ſuccedere ſolet gonorrhœæ virulentæ exulcerãti prædictum canalem, in quo ob neglectum vlcus ſolet naſci ὑπερσάρκωσις, ſiue caro fungoſa & ſuperflua. Iſti omnes non poſſunt bene eiaculari ſemen in vterum, ac proinde ſteriles ex accidenti euadunt.

Iſtæ igitur ſunt omnes cauſæ, quæ ſterilitatem excitare poſſunt in viris, qui poſſunt arrigere, & ſatis commodè venereo vti congreſſu (qui enim illius ſunt impotentes, ad ſequens caput ſunt remittendi:) quarum rurſus aliæ cauſæ ſunt, ex cenſu rerum naturalium, non naturalium, & præter naturam repetendæ, vt vnicuique patet.

Diagnosis deinde illarum habenda pro variâ vniuſcuiuſque ſpecie, ſiue pendeat ex totius corporis vitio, aut principalis alicuius partis affectu, ſeu teſtium & aliarum partium genitalium prauis diſpoſitionibus, quas Medicum diligenter contemplari oportet, quando hac de re conſulitur. Fallax eſſe puto illud quod dicunt de vrinâ maris, in quâ ſi grana hordei macerentur diu, nec germinent, ſed marceſcant, ſterilem illum eſſe pronunciant: quoniam vrina pendet

Digitized by Google

ab aliis cauſis quam ſemen. Sunt etiam alij qui ſemen effundunt in vaſculum aquâ plenum, in aquâ ſi ſupernatet, infœcundum pronunciant: ſi fundum aquæ petat, fœcundum: quod parum etiam certitudinis habet, quia ſemen cum debeat eſſe aëreum, potius quam terreum aut aqueum, non eſt magis graue quam aqua: nec eadem eſt ratio ac puris, quod deſtitutum eſt ſpiritibus, & partes habet magis craſſas & vnitas quam aqua. Malim ego contemplari ſemen dum emittitur ex pene, an impetu exeat, colore ſit albo, ſplendente & quaſi ſpumante ſubſtantiâ: tale enim eſt laudatiſſimum & fœcundum: vt contra ſi ſtillatim fluat paucâ titillatione, liquidum & ſeroſum. Quod fœcundum eſt ſemen, ſuper linteolum aut chartam proiectum, diu turgens & quaſi granoſum permanet: aliud ſtatim ſubſidet & inſtar aquæ diffluit. Maximum eſt ſterilitatis ſignum in viris, quando cum variis fœminis bene diſpoſitis congredientes, nihil vnquam frugis producunt. Reliqui affectus ex ſolâ genitalium inſpectione dignoſcuntur.

Ex his etiam προγνωσιν ſtabilire licet: nam omnis ſterilitas, cuius cauſæ pendent ex malo victus regimine, vt in crapuloſis, aut ætatis increſcentis defectu, poteſt curari illo mutato, vbi ad pubertatem aut vigeſimum quintum ætatis annum peruenerunt. Quæ etiam pendet ex morbis, in quibus certa ſalutis eſt ſpes, credibile eſt etiam illam tolli poſſe, vbi corpus priſtinam ſanitatem fuerit adeptum. Maior eſt difficultas in illis, qui laborant intemperie totius corporis, vel partis alicuius ab ortu contracta, quia natiua conſtitutio difficilè expugnatur. Denique malæ conformationes & ſolutiones continui, quæ impediunt fœcunditatem, aliquando difficile, alias nullo modo corriguntur: & plerumque ægri nolunt ſe ſubmittere curationibus neceſſariis. V.gr. qui vinculum habet ſtrictum, quo balanus peni alligatur, facile illius ſectionem permittet: at qui adhærens habet totum præputium, vel malè perforatam glandem, vix audebit illorum curationem ſuſtinere, quæ non ſine dolore, & aliquo periculo exerceri poteſt. Atque hæc exempli cauſâ dicta ſint.

QVOD AD CVRATIONEM VERO SPECTAT. Quoniam illa reſpicit vitium totius corporis vel diuerſarum partium affectus, qui propriis ſuis locis tractantur: vel fere refertur ad ſequens caput, vbi de impotentiâ venereorum acturi ſumus: vel ipſa ſterilitas virilis eſt quidem ſine vllo morbo, ita vt intra ſanitatis latitudinem ſubſiſtere videatur: & tunc eius cura eſt rectificatio ſeminis ſecundum eius ſubſtantiam, quantitatem & qualitates, quod ex diætâ & roborantibus medicamentis eſt repetendum, vt ſequenti capite de impotentiâ venereorum dicemus, ideo illi non immorabimur: ſingula enim ſuis locis docenda ex Philoſopho, non autem, inutiliter vbique repetenda: illud tantum annotantes, præcipuam ſterilitatis curam, quando non pendet ab inſigni aliquo morbo, poſitam eſſe in ſemine rectificando, vt loquuntur; ſiue illius ſubſtantia, ſiue qualitas, ſeu quantitas ſit corrigenda, alimentorum & medicamentorum operâ; Quod ex optimâ diætâ & roborantium claſſe erit repetendum. Tunc verò credendum eſt aliquid emolumenti in curâ contigiſſe, quando mulier bene diſpoſita, quæ cum viro eiuſmodi congredi ſolita eſt, maiorem in coitu delectationem percipit, & ſemen in vteri cauitate diutius quam ſolitum erat, moratur. Sin autem defectus iſte pendeat ex teſticulorum paruitate, ex breuitate aut longitudine nimiâ penis, vel curuitate naturali, non eſt medicabilis: ſi ex curuitate ob vulnus malè curatum, vt aliquando vidimus, renouanda erit cicatrix calloſa aut durior, & cutis dilatanda conuenienter. Si ex contractione ob vinculum balani vel præputium arctius, reſcindenda vtraque pars, & hæmorrhagia vitanda, quæ hic facilè contingit, & impediendum ne denuò vulneris labra coaleſcant. Si ex malâ perforatione balani, explorandum ſpecillo per aliud foramen, vtrum extremitas illius ſit craſſa & ſolida: tunc enim non eſt attingenda cura metu grauioris mali: ſi ſit tenuis & quaſi membranoſa, illud audacter aggrediendum, incidendo extremam illius partem, donec ad canalem peruentum ſit: deinde vulnus dilatandum cannula plumbeâ vel argenteâ, quæ ibi contineatur, donec parietes vtrinque cutem contraxerint, & æger per illud foramen mingere incipiat: tunc enim aliud occludi poterit Chirurgi operâ per leuem ſcarificationem & ligaturam conuenientem. In obſtructione autem, quæ contingit ex caruncula obortâ in canali virgæ, tollenda eſt ſcalpello, vel medicamentis cathæreticis, vt in tractatu noſtro luis venereæ dictum fuit. Iam igitur ad alia progrediamur.

CAPVT

CAPVT II.

De impotentia Venereorum.

PERFECTVS igitur coitus constat erectione membri virilis, eiusdem intromissione in sinum muliebrem,& debitâ seminis eiaculatione. Propriè igitur impotentes venereorum, ἄνεργοι, ignaui & inertes vocantur, qui non possunt virgam erigere, aut ita debiliter erigunt, vt non possint intromittere, sæpiúsque semen ante congressum (in ostio se exonerant, non in atrio Veneris) inutiliter effundunt. Ista autem penis erectio est actio partim naturalis, partim animalis: naturalis quidem, quia illa distentio & accretio penis in maiorem molem, pendet præcipuè ab influxu caloris natiui, & spirituum crassiorum,per irradiationem seminis prolifici in testibus contenti suscitatorum: vnde corpus illud neruosum, cauernosum, fistulosum, & ligamentosum infinitis venularum.& arteriarum ramulis perfusum intumescit: animalis autem, quia fit præcedente imaginatione & appetitu, ad quem consurgit confluxus spirituum animalium cum eximio voluptatis sensu, quæ est obiectum tactus, & motricis concursu, quæ quatuor illos penis musculos ad erectionem istam firmandam necessarios regit. Ergo totidem causæ solæ,vel plures præter naturam constitutæ poterunt euertere istam actionem. Vtpote paupertas caloris natiui influen is,& defectus materiæ spermaticæ in testibus,imaginationis perturbationes & spi ituum animalium reuocatio vel interceptio, à quibus motrix vel sensifica vis aut vtraque simul peruertuntur. Ista autem rursum suas habent causas ex rerum naturalium,non naturalium, & præter natutam censu repetendas.

Etenim quædam sunt temperamenta etiam naturalia,& ab ortu contracta, exanguia,strigosa,& macilenta,vt vix apta sint ad Venerem exercendam: aut etiam aliquando ita constituta,vt quamuis aliis partibus satis valere videantur: in genitalibus tamen ita deficiunt, vt nullam aut certe exiguam illarum operationem edere valeant. Athletæ olim hoc affectu valde tenebantur, qui erant ἴυνικτοι ϗ ἄνεργοι:quos omnes Iureconsulti frigidos & maleficiatos appellarunt.Sunt etiam multi, qui cum præmaturè nimium Venerem exercuerint,videlicet ante pubertatis annos,omnino èneruentur,& deinde inutiles ad illam reddantur: pueritiæ enim,& donec iusta accretio corpori accesserit,nihil magis nociuum quam coitus. Vbi verò barba canescere incipit,& senium ingruere,non est mirum,si refrigeratis superioribus interioribúsque partibus, inferiores etiam & Veneri dicatæ algeant. Qui valde pingues sunt, & obesi præter morem, parum etiam sunt idonei ad coitum alacriter exercendum (*jamais bon coq ne fut gras.*)

Res verò externæ hic etiam multum possunt: nam aër frigidior,vt in illis,qui per Alpinas niues iter faciunt,aut hyeme regiones septemtrionales adeunt, sub dio pernoctant,ventis borealibus se exponunt,in aquis diutius degunt, pedibus nudis incedunt,ex Auicennâ, & malè vestiuntur; potest extinguere omnem libidinis vim, vt in aliis partibus ῥάχωσιν inducit. Mirum est quod referunt viatores,non prius interire aut deficere homines frigore affectos,quam illius vis ad genitalia peruenerit,ideóque diligenter tunc calfacienda, & tegenda præscribunt. Calidior eodem modo & æstuans aër, resoluendo & dissipando triplicem corporis nostri substantiam valde dejicit vim erigendæ mentulæ:vnde æstatis tempore,nempe Iulio & Augusto mensibus,aut sub diebus canicularibus vix appetunt viri coitum,& in illo exercendo admodum languent. Balnea etiam frequentiora aquæ tepentis aut calidæ possunt multum infringere vim coëundi,molliendo istas partes, potissimum in delicatis & humidioribus naturis. Potentissima etiam est hac in parte alimentorum, & medicamentorum ratio,siue ex proprietate, & occultâ substantiæ vi semen prolificum extinguant, & virilitatem tollant,siue qualitatibus manifestis:in quorum numero habentur lentes,forte ob siccitatem, & aqua ipsarum, & præcipuè coctarum cum semine canabis,vt inquit Auicen.glandium farina,semen agni casti,nigellæ,rutæ,hyoscyami,lactucæ,portulacæ,flores nenupharis & mandragoræ,coriandrum viride,succus cannæ recentis,muscus arborum,præcipuè quercus,oxygala,acetum,serum lactis acescens & similia,cum omnibus narcoticis,tam sumptis quam admotis, vt aiunt de

Chirurgo,qui emplaſtrum ex meconio tradidit cuidam vxorem ſuam ſubigenti.

Mirum eſt quod narrant de mentha Ariſtoteles & Plinius, cum ita ſit odorifera & ventriculo grata, illam tamen ſemen humanum deprauare, atque generationi corpus imbecillum reddere: quod ſicuti illa lacti immiſſa prohibet,quo minus coaguletur & coëat: ita non ſinit in cibo ſumpta ſemen in homine condenſari, ſed illud colliquat & abſorbet. Quibus aſſentitur Hippocrates ſiue author libri ſecundi de diætâ. Auicenna autem repugnat proprio tractatu, & aptiſſimam cenſet ad coitum iuuandum. An hoc intelligendum de immodico illius vſu, vt & reliquorum calfacientium, à quibus exſiccari poteſt, aut colliquari ſeminalis iſte humor, in naturis potiſſimum feruentioribus: cum tamen mediocriter ſumpta & in temperamentis frigidioribus coitum iuuare poſſit? De pomis eadem eſt controuerſia: cum enim ſint flatuoſa, videntur conferre ad Venerem exercendam; quia verò frigida & dyſpepta, nocere: Vnde apud Gallos prouerbium. *Si femme ſçauoit que vaut pomme, jamais n'en donroit à ſon homme: ſi femme ſçauoit que pomme vaut, touſiours en donroit à ſon Ribaud*: ſcilicet non eſſe exhibenda poma vxoratis maritis, & iam debilitatis hominibus, quia ab illis valde refrigerantur: mœchis autem, amaſiis & alacrioribus viris exhibenda, qui illa optimè conficere poſſunt, & in flatum erigendæ mentulæ vtilem conuertere. Quo ſenſu Galenus etiam voluit lactucam in bilioſis naturis plurimum ſanguinis generare. Et Turcæ dicuntur amphion ſeu opium in quotidiano vſu habere ad æſtum viſcerum ſuorum temperandum, Venerémque alacrius exercendam: quod nobis tantopere eſt infeſtum & venenatum: caphura ſumpta & admota coitui etiam obſtare creditur. De ſtellione etiam & ſalamandra ſi ſit in rerum naturâ, multi mira narrant ad impediendam Venerem.

Eodem modo alimentorum nimia quantitas, vt in ebrioſis & crapuloſis hominibus obruendo calorem natiuum,multum officit huic operi: ieiunium autem & fames diuturna omnem vim & materiam illi idoneam ſurripiunt: vnde Hippocrates generaliter pronunciauit *Aphor.16.ſect.2. vbi fames, ibi non eſt laborandum.* Et credibile eſt,tot ieiunia & preces indicta eſſe viris religioni dicatis, vt facilius caſtitatem ſeruare poſſint.

Somnus etiam & vigilia hic non paruam noxam inferunt, ſi modum exceſſerint, vt eſt *Aphor.3.ſect.2.* ille conculcando humores,& nimis ad interiora reuocando: hæc verò diſſipando & exagitando. Vnde ſunt multi,qui non niſi poſt ſomnum expergefacti attollunt mentulam,vbi ſupini,calfactis ſcilicet renibus & lumbis dormierint in ſtrato molli & bene operto,vt diuitibus moris eſt. Alij in ſtrato duriore melius arrigunt,propter moleſtiam quâ irritantur partes iſtæ,& flatibus excitatis intumeſcunt: ſed hoc in corporibus vegetioribus,non eneruatis contingit.

Motus etiam & quies multum poſſunt in iuuandâ & debilitandâ Venere, variis modiis: vnde inquit Poëta,

Otia ſi tollas, periere Cupidinis arcus:

Id eſt homo negotiis valde addictus, continuò ſe exercens, pietati aut litterarum ſtudiis immerſus, vix excitatur ad iſtas Veneris delicias. Otia etiam nimia ſi ponas, ita vt homo deſes & quaſi feriatus abſque vllo labore vel exercitatione maneat, certè reddetur etiam hac in parte ignauus & imbellis, quia calor natiuus torpeſcit, & ſpiritus non excitantur. Sic apud Auicennam, coitus coitum deſtruit; coitus ſcilicet nimius & vehemens, eneruando & diſſipando: coitus nimis rarus & extra voluptatem, quia reddit partes genitales, quaſi torpidas & appetitum imminuit. Equitatio, quia exagitat partes iſtas generationi dicatas, & humores verſus lumbos attrahit, valde commendatur à quibuſdam ad Veneris munera alacrius obeunda. Attamen Hippocrates *lib.de aëre,locis,&c.* agens de Scytharum impotentiâ, & effœminatione, maxime adſcribit illam equitationi aſſiduæ, quâ hinc inde continuò vagabantur. Sed ſi quis Hippocratis contextum attentius perlegat, animaduertet illum non ſimpliciter equitationem accuſare, ſed & duram & laborioſam ſine ephippiis, & ſtapedibus, per media frigora, & paludes glacie concretas: vnde iſti Scythæ incidebant in dolores articulorum grauiſſimos, potiſſimùm iſchij: ſicque ad morbi iſtius ſolatium curabant ſibi ſecanda aut vrenda vaſa pone aures,ex quibus maxima pars ſeminis deriuatur,ex Hippocratis ſententiâ. Adde victum ordinarium ex caſeo quodam acido, quem Hippacen appellabant, & lacte equino: vnde non mirum eſt, ſi ita refrigerati, in iſtam impotentiam incidebant. Herodotus *libro primo*, refert ad cauſam metaphyſicam, nempe ſcelus & impietatem

impietatem Scytharum, qui dum Asiam exercitu inuasissent, antiquissimum Veneris in Ascalone fanum diripuerunt: *Morbum autem istum*, inquit, *theliamvocant, & qui illum curant, Enarcas.*

Vacuationes igitur ingentes, potissimum sanguinis arterioſi & spirituoſi, hunc affectum inducere valent: item seminis per gonorrhœas diuturnas: colliquatio pinguedinis in vrinâ aut fœcibus, quæ frequenter nouis nuptis contingit, dum nimium incumbunt ludo venereo. Imo annotatum est à recentioribus fistulas penetrantes, & cauteria diutius fluentia variis corporis partibus affixa non parum debilitare vires Veneri exercendæ necessarias. Qui sudoribus maximis diffluunt, non parum etiam eneruantur hac in parte.

Sed nihil est quod citius & validius immutet & quasi aboleat istam operationem, quam imaginationis motus & perturbationes: Ira enim, gaudium ingens ex repentinâ & insperatâ fruitione, & amor nimius subito eripiunt vim istam arrigendi, vt experientia patet: verecundia etiam & horror seu abominatio alicuius rei fœdæ improuiso repertæ horâ concubitus, ita quidam reperiens cauterium in tibiâ vxoris primâ nocte, opus iam inceptum perficere non potuit: sic enim concidit omnis appetitus, & reuocantur spiritus ad interiora, destitutis hisce partibus. Ad hanc imaginationis deprauationem & animi perturbationes referri fortasse possit fascinatio, incantamentum, sortilegium, ligatura & simile maleficium, non tantum nunc, sed etiam olim vsurpatum, nisi quòd hoc naturæ leges longè prætergrediatur, tum quod subito & quasi in instanti inducitur, non generaliter omnes fœminas spectat, sed vnam tantum, verbi gratia vxorem aut amasiam cum quâ ligatus fuerit, tum etiam quod solis verbis, characteribus, imaginibus, aut vinculis perficitur, quacumque etiam distantiâ loci. Denique nullis vmquam remediis ordinariis & physicis dissoluitur, sed recurrendum est ad sagas, magos, & similes, qui tale impedimentum induxerunt. Idem Herodotus *libro* 2. narrat Regem Ægypti Amasim, cum vxorem duxisset Cyrenaicam, & eâ vt reliquis mulieribus vti non posset, eam veneficij accusauit. Mulier votum fecit Veneri, & sic liberatus est Amasis Nota est etiam historia Tobiæ ex libris sacris, vt alias omittam.

Quemadmodum autem ista naturalia, & non naturalia à nobis recensita possunt esse causæ imbecillitatis istius & impotentiæ: sic etam ea quæ præter naturam in nobis contingunt. Nam, vt dicebamus superiore capite, omnes fere morbi grauiores & diuturniores totius corporis vel alicuius partis præcipuæ id præstare possunt. Sed peculiariter ventriculi imbecillitas & δυσπεψία, viscerum obstructiones, quia obruunt vim caloris natiui, impediuntque influxum materiæ tam spirituosæ quam humoralis versus hæc membra: item renum & vesicæ affectus insigniores, quia ob viciniam & operis quamdam societatem valde communicantur hisce partibus. Si nephritici diuturnis doloribus vexati, aut quibus calculus grandior hæret in vesicâ, vel fuit extractus secto sphincter, hernioſi, varicum multitudine in femoribus detenti, hæmorrhoidum cruciatibus diu affecti, aut quibus sectæ fuerunt hæmorrhoides antiquæ, sæpe incidunt in istam impotentiam ex viciniæ sympathiâ. Vulnera item maiora, præcipue capitis, & quibus fuit admotum trepanum, lumborum & ossis sacri, quamuis persanata, possunt reddere membra ista infirmiora, propter neruos male affectos, qui sensum & motum ad illa deferre debent. In ipsis autem partibus genitalibus affectus qui istam debilitatem inferunt, vt plurimum sunt magnæ intemperies simplices vel cum materia, potissimum frigidæ aut humidæ corrumpentes vim illam σπερματοποιητικὴν testium, & resoluentes ligamenta ac musculos penis. Reliquæ enim dispositiones magis respiciunt sterilitatem virilem, quam istam impotentiam, vt diximus.

Vt igitur ad signa veniamus, iste affectus quatenus est symptoma abolitæ vel imminutæ virilitatis, innotescit statim, vel ex ægri ipsius relatu, & querimoniâ, vel ex inspectu partium genitalium, earumque contrectatione ac experimento, quod sæpe cogimur exercere in istis euiratis, quando lis hac de re apud Iudices orta est, vxoribus eos accusantibus, & repudium ob impotentiam istam petentibus. Causæ autem & dispositiones à quibus pendere potest, sunt sigillatim percurrendæ, si non arrigant, aut intromittere non possint: ex defectu caloris influentis, aut materiæ spermaticæ: considerandum est hominis totius temperamentum, ætas & conditio, singularumque partium saltem præcipuarum, vt cordis, ventriculi, & hepatis dispositiones natiuæ: deindè partium genitalium,

præcipuè testium natura & signis à Galeno in arte paruâ propositis. Contemplanda vrina, vt quæ sit vis concoctricis facultatis deprehendatur : ipsumque semen excretum, si opus sit, vt ex illius substantia, quantitate & qualitatibus possimus coniicere, vnde hic defectus pendeat. Quod si partes genitales manifestè in vitio sint, scilicet secundum intemperiem, malam conformationem aut solutiones continui, non est quod aliò recurramus. Interea perlustrandæ etiam sunt res exteruæ, in quo aëre sit versatus, quibus alimentis, & quomodo sit vsus, & reliqua à nobis superius commemorata : sæpe enim fit, vt ex malo tantum regimine hæc dispositio pendeat, vel ex maleficio : quibus mutatis, restituitur etiam citò ista vis coëundi. Quod si imaginationis motus præcesserint, animique perturbationes ingentes, illis cessantibus aliquandoetiam desinit vis istius morbi, vt sæpe obseruauimus. Alias oportet malum altius esse impressum, & iam in aliquâ corporis parte radices egisse, quod peculiaribus signis erit detegendum. Certè si nullus sit coëundi appetitus, si nulla in congressu voluptas, credibile est cerebrum laborare, & facultates illius ac spiritus non influere ad iuuandam istam actionem: quod manifestum erit in illis qui magna illa vulnera cranij, lumborum, aut ossis sacri passi sunt. Qui ex maleficio afficiuntur, illi ad alienas mulieres arrigunt, non ad suas vxores vel amasias, quas absentes valde expetunt, præsentes verò auersantur. His ita ad diagnosim constitutis.

Certum est hunc affectum, ex suâ naturâ, nullum vitæ periculum indiuiduo adferre, nisi hoc fiat vi alterius morbi à quo dependet : Imo aliquando causam esse diuturnioris vitæ, vt patet in eunuchis & monachis, qui coitu abstinent, sed miseri, sibique & fœminis inuisi. Omnis ergo impotentia seu ignauia ad Venerem videtur curabilis, si non pendeat ab excisione testium, vel malâ penis conformatione. Attamen scribit Auicenna, quòd si virga diutius à mulierculis pulchrioribus fricata ad ignem luculentum, post verba lasciua, iocos & oscula, aut in lecto post peractum somnum, admotis etiam linteolis calentibus, nullo modo intumescat & eleuetur, sed in eodem statu permaneat ; nulli aut pauci adsint pili in scroto & pube : & actualis quasi frigiditas sentiatur in contrectatione istarum partium, deploratam esse hanc impotentiam, nec curationem illius vllo modo suscipiendam. Alij ponunt virgam in aquâ tepente, vt videant vtrum ibi intumescat : alij in aquâ frigidâ, vt obseruent an ibi contrahatur & corrugetur. Si vtrumque deficiat, hominem ad frigidos & maleficiatos relegant sine vllâ spe sanationis. Pessimum est etiam, quando semen effluit sæpius sine vllâ erectione aut coëundi appetitu. In maleficio dicunt incurabilem esse affectum, si animum transierit, si is qui intulit, morte præuentus sit, aut fugâ supplicium effugerit, quia debet ab eodem tolli quo illatum fuit, per eosdem characteres, imagunculas, verba, nodos, & similia. Alij dicunt recurrendum esse ad superiorem quemdam magum. Sed ego puto ista esse ludibria dæmonum : ac proinde ad Deum potius esse recurrendum, quam ad illos. Nisi hoc forte fingatur ad ægri imaginationem denuò confirmandam, qui putat hoc modo mali causam tolli posse. Alij mutant sedem, lectum, vestes, & reliquam supellectilem, quibus putant impressam esse vim fascini. Reliqui igitur, in quibus vis adhuc quædam natiui roboris elucescit, sunt cohortandi ne animo despondeant, & remediis conuenientibus curandi.

Vt igitur ad θεραπείαν tanti affectus accedamus, qui bellum peculiariter indixit speciei propagationi. Primò dicamus non esse nobis hic propositum omnium morborum curationes persequi, à quibus pendere potest : quandoquidem immensum esset opus, & illud ex singulari vniuscuiusque tractatu repetendum : vt si cerebrum, ventriculus, hepar, renes, aut totum corpus laborent idiopathicos, suamque hisce partibus sympathiam communicent : illi enim affectus primarij sunt primum curandi, antequam cogitemus de sublatione istius impotentiæ. Sufficiat igitur hîc nobis respicere defectum caloris natiui in hisce partibus, materiæ spermaticæ indigentiam, & flatuosi spiritus ad penem erigendum necessarij, cum eis quæ naturam torpentem ad excernendum irritant. His enim indicationibus complebitur proposita tractatio.

Disponendæ itaque primum causæ omnes externæ, & res non naturales dictæ, vt ad scopos istos assequendos consentiant, vel iuuent. Aëris igitur temperies concilianda, vt si nimium refrigerati vel calfacti fuerint, denuò reducantur ad conuenientem mediocritatem : eligendo regionem, domum, cubile, vestes, ignem, balneum & similia ad illud assequendum necessaria. Sunt enim quibus multum

Digitized by Google

multum ad hoc profuit ſola peregrinatio iucunda, & in loca contrariæ temperaturæ: Sed potiſſima hic alimentorum ratio habenda: quoniam non ſolum qualitatibus ſuis præſentem diſpoſitionem corrigere poſſunt: verum etiam ſua ſubſtantiâ & quantitate caloris natiui incrementum præſtare, materiam ſpermaticam & flatuoſam excitare. Ideo vitatis diligenter illis omnibus, quæ dicta ſunt à nobis proprietate aut qualitatibus manifeſtis ſeminis generationi nocere: eligenda ſunt alimenta primum boni ſucci, quæ materiam huic rei idoneam præſtent. Sub hoc cenſu habentur vina omnia rubra & generoſa, aliquando etiam maluaticum, muſcatellinum, vel Hippocraticum, ſi frigidius temperamentum ſit corrigendum. Si ſint abſtemij, vt aliquando contingit, neque vti velint vino; decoquatur cinamomum in aquâ fontis vel coriandrum, aut paretur bochetum ex decocto radicum ſaſſafras cum pauco ſaccharo & cinamomo. Sunt qui bibunt hydromel vinoſum; non ſine fructu, quia flatus excitat & ſufficienter calfacit. Panis albus & recens; artocreata cum carne veruecis & aromatibus parata, placentæ ſaccharatæ, & mellitæ, iuſcula cum cepis dulcibus, porris & fructibus cynaræ, *artichocos* vocant, parata, vel herbis odoriferis, vt ſatureiâ, cerefolio, mentha, eruca, quam Poëta ideo commendat, croco & petroſelino condita: carnes omnes delicatiores perdicum, caponum, phaſianorum, turdorum, coturnicum, columbarum iuniorum, & ſimilium cum ſuis condimentis & aromatibus, vitando omnia acida & acerba, vt & diuretica, quæ hic peculiariter nocent, teſticuli gallorum iuniorum, cerebella paſſerum & reliquarum auium minutiorum bene parata valde commendantur: ſuccus carnium & expreſſa iura in valde conſumptis etiam vſurpari poſſunt. Piſces minuti aut ſaxatiles cum butyro frixi & pipere aſperſi, anguillæ fontium & murænæ toſtæ cum ſuo condimento dulci: conchylia, oſtreæ, gammari, mituli & ſimiles bene præparati & conditi. Inter bulbos tubera maximè laudantur pipere aſperſa: paſtinacæ frixæ: caſtaneæ etiam molles non ſunt hic ſpernendæ, piſtacia, nuclei pini, auellanæ, dactyli, vuæ paſſæ dulces, quæ variis modis parantur: pyra etiam & cydonia mala ſub cineribus cocta & multo ſaccharo aſperſa poterunt conferre vltimâ menſâ, quia valde roborant ventriculum. Oua recentia & tremula gallinarum & perdicum, vel in butyro aut lacte cocta, & puluere ducis dicto aſperſa valde hic proderunt: quia multum ſanguinis & citò generant: confert etiam caſeus mediæ ætatis ex ouium aut caprarum lacte confectus. Inter legumina phaſeoli, fabæ, piſa, & ciceres probantur, in eis potiſſimum, qui robuſtiore ventriculo ſunt præditi; quia ſolidum alimentum præſtant & quodammodo flatuoſum: lupinis etiam cum lacte, vel iure dulci coctis vtuntur in Luſitaniâ paſſim ad irritandam Venerem. Neque etiam omittendæ condituræ, & tragemata huic rei propria, myrobalanorum, nucum myriſticarum & iuglandium, corticis citri, & radicum eryngij, zinziberis viridis & ſatyrionis maris, quæ hic ex proprietate valere dicuntur. Semen aniſi, coriandri & carui ſaccharo incruſtatum cum paucâ ambrâ aut moſcho, non parum etiam hic conferre poſſunt. Quæ omnia moderatè & ſobriè vſurpanda ſunt: & quâ die Venus exercenda, debent parcè alimenta ſumere, ne natura coctioni intenta reuocetur ab iſto munere: vnde noui vxorati apud nos non ſolent ſedere in conuiuio nuptiarum, ſed aliis miniſtrare, ne nimis impleantur.

Quod ad reliqua ſpectat. Somno mediocriter indulgeat in molli ſtrato & plumeis ſtragulis eleganter ſtructo, neque ſtatim poſt cœnam in cumbat Veneri, ſed poſt aliquod tempus: ſi valde ſit infirmus, expectet horas matutinas, nec prius ſollicitetur ad concubitum, quam concoctio peracta ſit. Nullam etiam exercitationem & laborem corporis & animi violentum ſuſcipiat. Occupetur feſtiuioribus quibuſdam iocis, lectione iucundâ, colloquiis amatoriis & præſertim cum elegantioribus fœminis: imo ad appetitum venereum irritandum ſunt qui illis conſulunt, vt reſpiciant frequenter congreſſum aliorum animantium. Sunt qui virgis percuſſi ſuper nates aut alios percutientes facilius arrigunt. Quod ſi imaginatio ſit perturbata, expectandum donec illud pathema quieuerit. Qui nimis amant aut verecundiâ tenentur, paulatim aſſueſcant cum ſuis amaſiis, vt illâ familiaritate diſſoluantur iſti animi affectus: ſibique alias repræſentent, cum quibus facilè concubuerunt. Omnes immodicæ vacuationes ſiſtantur, tam ſanguinis quam ſeminis, imò ſi quæ alia impedimentum adferre videatur, erit artificiosè compeſcenda. Vrina aliquando retenta irritat Venerem, & iuuat priapi tenſionem: ac proinde iſtis euitatis conſulunt, ne frequenter meiant, ſed plenâ veſicâ

concumbere

Digitized by Google

concumbere nitantur. Si quid ſit maleficij aut incantamenti, vitetur, vt iam diximus, mutatione loci, cubilis, veſtium & ſimilium, & vota ad Deum ardentiſſima pro liberatione fundantur. His ita conſtitutis ad remedia maiora accèdendum.

Nullus tamen hic purgationi aut venæ ſectioni locus, ratione proprij affectus, & cauſarum continentium, vt ſatis patet: hic enim augendus calor natiuus, roborandæ partes, multiplicandi ſpiritus & flatus, ſeminis copia procuranda, & naturæ torpenti ſtimulus addendus. Ad hos omnes ſcopos infinita propemodum remedia ſolent proponere authores noſtri, nos ſelectis quibuſdam & gratioribus erimus contenti.

Inter antidotos igitur quæ hic locum habere poſſunt, laudat Auicenna mithridatium, cuius ʒ j. ſingulis diebus mane ſumant iſti refrigerati & impotentes per ſe vel cum duabus drachmis conſeruæ zinziberis aut ſatyrionis maſculi. Nos confectionem alkermes decenter præparatam vtiliter vſurpamus. Eodem pondere exhibent puluerem aſſæ fœtidæ, pyrethri, galangæ, ſeminis naſturtij, erucæ: puluerem teſticulorum vulpis, raſuræ priapi tauri vel cerui & ſimilium, prout commodius haberi poſſunt. Scincus ſpecies eſt lacertæ Ægyptiacæ, qui exenteratus, & ſalitus ad nos defertur; illius animantis ſalaciſſimi renes & cauda per ſe ad pondus ʒ j. vel cum aliis mixta maximam habent vim ad Venerem accendendam; dummodo ſit recens & bene conditus. Cantharides verò omnibus notiſſimæ ad veſicatoria conficienda, & veſicæ non parum nocuæ, præcipuam habent facultatem ad Veneris munera excitanda; ſed numquam ſolæ vſurpandæ, propter vim quam habent exulcerandi & inflammandi. Corrigendæ itaque diligenter, ſi quis eis interius velit vti, præparandæ, miſcendæ & non ſine magnâ cautione exhibendæ. Vidimus enim quoſdam ex eorum vſu in ſatyriaſin, hæmorrhagiam ex pene, & vitæ periculum coniectos.

Eorum loco vtuntur nunc quidam borace ſeu chryſocolla factitiâ, non ſolum ad partus promouendos, ſed etiam ad Venerem irritandam: illius enim ϑ j. exhibent cum ℥ j ſyrup. capillor. Veneris; vel in vino Hippocratico infundunt & colant. Caue tamen ne decipiaris vt Medicus quidam Auenionenſis, propter magnam quam habet cum ſublimato ſimilitudinem. Hodie etiam multum inualuit vſus ambari griſei in iuuando opere venereo, potiſſimum apud magnates, in quorum ferculis & condimentis additur. Luſitani aſpergunt oua fixa ambari puluere (*omelette de Portugal*) & pauco pipere, eaque ſumunt aliquot horis ante congreſſum: alij cum luteo oui deuorant cum pari quantitate ſacchari.

His igitur & ſimilibus vti conueniet ad propoſitum perficiendum. Quod ſi compoſitis ſit vtendum, ſequentia vſu confirmata præſcribantur.

℔ Nucis moſchatæ conditæ, myrobalanorum conditorum, corticis citri condiri, conſeruæ zinziberis & radicum eryngij vel ſatyrionis maris, ana ℥ ß. piſtaciorum, pineorum recentium mundat. ana ʒ vj. renum ſcincorum ʒ iij. eſſentiæ perlarum & ambræ griſeæ, ana ʒ j. ß. Cum ſyrupo conſeruat. zinziber. fiat opiata, de qua capiat ad quantitatem caſtaneę mane & ſero, ſuprabibendo parum vini rubri generoſi aut maluatici per quatuor aut quinque dies, antequam ſit congrediendum.

℔ Zinziberis optimi, ſeminis finapi & erucæ, ſantali rubri & citrini, garyophyllorum, piperis longi, radicum ſatyrionis maris ſiccar. ana ϑ j. cinamomi & ſpicæ nardi, ana ℈ vj. calami aromatici, gummi ceraſorum & noctilucarum (*mouſches d'Eſpagne*) integrarum in lacte muliebri infuſarum & deinde puluer. ana ϑ ß. medullæ nucis indicæ ϑ ij. moſchi ℈ v ſacchari aquâ roſarum diſſoluti q. ſ. Fiant tabellæ deauratæ ponderis ʒ j. ſumat vnam paulò ante congreſſum.

℔ Rad. ſatyr. maris ſiccæ ʒ iij ſemin. erucæ & ſinapi, ana ʒ j. ſemin. carui & pyrethri, ana ϑ j. puluer. electuar. diambræ & diamoſchi, cinamomi electi & galangæ, ana ϑ ß. ſacchari albi ℥ ij. Fiat omnium puluis, de quo capiat cochlear paruum mane cum vino Hippocratico, vel miſceatur cum melle Narbonenſi inſtar boli: detur etiam horâ ſomni.

℔ Rad. eryngij recent. ℥ ij. rad. fœniculi & calami aromatici, ana ℥ ß. ſeminis aniſi & erucæ, ana ʒ j. ß. Fiat decoctio in ℔ j. aquæ fontis ad mediæ partis conſumptionem. Colaturæ adde cinamomi & ſacchari q. ſ. Fiat inſtar ſyrupi, cui adde ϑ j. puluer. diambræ pro ℥ j. Capiat eodem modo ex cochleari, vel diſſolue cum paucâ aquâ cinamomi.

Non ſunt etiam negligenda externa ad calfaciendas partes iſtas genitales, & ſtimulos

ſtimulos Veneris excitandos. Fiant fotus ergo illarum ex decocto radicum eryngij, ſatyrionis maris, ireos Florentiæ, foliorum menthæ, maioranæ, ſatureiæ, ſeminis erucæ, naſturtij & granorum kermes cum P.j. roſarum rubrarum ſiccarum, in vino albo generoſo coctarum, cum filtris bene expreſſis aut ſpongiis nouis, dum ibit cubitum. Alij fouent vino Hippocratico calente, aut communi, in quo ſemen erucæ & paſtinacæ infuſum fuerit. Inungatur deinde ſolo zibeto vel benjoino, diſſoluto paucâ aquâ imperiali aut cinamomi. Alij præſcribunt ſequens vnguentum.

℞ Nucis moſchatæ, macis, folij ſpicæ nardi, coſti & maſtic. ana ʒ ß. myrrhæ, cinamom ſtyracis calam. croci, garyophyll. cubeb. & bdellij, ana ϑ j. trochiſc. aliptæ moſchat. ϑ ß. moſchi ℊ. ij. olei irini & ceræ q.ſ. Bulliat oleum cum cerâ in vino rubro optimo: poſt cola: deinde pulueres addantur. Illinantur perinæum & radix virgæ per aliquot dies. Qui non excitabitur his remediis per aliquot menſes ritè vſurpatis, & habitâ cauſarum antecedentium ratione, quando illi erit copia gratioris mulierculæ, pro deplorato relinquatur, præcipuè ſi iam ætas ingraueſcat. Nos igitur ad alia progrediamur.

CAPVT III.

De Satyriaſi & Priapiſmo.

DVo iſti affectus præcedentibus contrarij, nempe impotentiæ & ignauiæ coëundi, rari ſunt admodum & infrequentes, ideo à nobis paucis abſoluendi. Vterque nomen deſumpſit à ſymptomate, nempe tenſione & erectione pudendi ad Venerem exercendam comparati, qualis eſſe fingitur in Satyris & Priapo hortorum cuſtode deo: ita tamen vt in ſatyriaſi ſit appetitus coëundi inexplebilis cum quadam inflammatione & palpitatione pudendi: in priapiſmo ſola inflatio & tenſio perpetua cum dolore, ſine vllâ libidinis cupiditate. Vnde patet quomodo inter ſe conueniant & diſſentiant. Scio Galenum & alios authores multa hinc inde & valde diſſentanea in medium adferre de iſtis duobus affectibus: nos ea tantum proferemus, quæ experientiæ conſentanea videbuntur, & ad curandi rationem magis idonea.

Vterque igitur affectus poſitus eſt in quadam tenſione & inflatione pudendi, non momentanea aut exigui temporis, qualis eſſe ſolet in illis qui naturaliter ad Venerem parati ſunt: ſed continua, cum immenſo pruritu & coëundi appetitu in illis qui ſatyriaſi detinentur: ita vt ſi illo priuentur, in rabiem quamdam incidant, & frequenter ſemen emittant, vt in duobus vidimus, qui incautè vſi fuerant cantharidum puluere. Iſti febre corripiuntur cito, phrenitici euadunt & conuulſi moriuntur, ipſo pudendo rigente etiam poſt obitum. In priapiſmo autem eſt potius languor & eneruatio totius corporis, ſolo pene in tumorem elato ob flatuum copiam, à quibus impletur & diſtenditur. In gonorrhœa quidem virulentâ aliquando valde intenditur pudendum & cum dolore, ob acrioris materiæ vellicationem, ſed ſine tumore inſigni, qualis eſſe hic ſolet. Eſt etiam affectus quidam peculiaris, qui nuper innotuit, ex luis venereæ contagio profectus, cryſtallinam vulgò vocant, per quem totus quidem penis intumeſcit multum & albicat, ſed ſine vllâ erectione. In hydropicis etiam prolabente materiâ ſerosâ vel flatu in pudendi cutem, aliquando valde inflatur cum ipſo ſcroto. In phimoſi ſolum præputium ita includit glandem inflammatum & tumefactum, vt exire non poſſit: in paraphimoſi ita excludit & coarctat, vt retrocedere nequeat; ſed hæc non reſpiciunt totum penem, ſed eius tantum extremam partem, vt contingit in aliis orificiis & eorum extremitatibus malè affectis.

Dicamus itaque ſatyriaſim eſſe penis inflationem & tenſionem perſeuerantem ex diſpoſitione phlegmonosâ, quam comitantur calor, rubor & laſciua quædam palpitatio. Priapiſmum autem eſſe inflationem penis perſeuerantem ex tumore flatuoſo, occupante & diſtendente illius interiora ſpatia, citra libidinis ſtimulum. Si quis contra hæc differere velit, inſtituet potius diſputationem de nominibus,

quam de re ipsâ,cuius natura ita debet distingui.In vtroque igitur affectu patet pudendum virile esse partem affectam,siue primariò illud fiat & ex dispositione idiopathicâ,siue secundariò propter alterius partis consensum, quæ istum affectum produxit vel fouet. Vnde patet ridiculam esse illorum opinionem,qui putant illum mulieribus contingere posse : illarum enim tentigo dicta spectat ad matricem & illius collum,vt in furore vterino dictum fuit.Iste morbus est in magnitudine vel quantitate auctâ præter naturam , cum intemperie & solutione continui , quia ad tumores refertur,ex quo oritur actionis læsio,nempe deprauatio.Cum enim ista penis arrectio naturalis debeat fieri per interualla , & quando natura cum voluptate intendit Veneri exercendæ propter generationem : hîc est perseuerans ob causæ morbificæ præsentiam & variis symptomatibus comitata, quæ omnino sunt aliena à constitutione naturali.

Causæ autem proximæ & continentes vtriusque affectus ex dictis satis patent, nempe in satyriasi humor acer , mordax & inflãmans:in priapismo flatus distendés. Antecedentes verò & primariæ multiplices esse possunt:nam ad satyriasim producendam certum est multum facere temperamentum proprium,v.g.sanguineum aut bilioſum,vel eorum qui ad elephantiasin sunt propensi,quique indesinenter arrigũt, & ad Venerẽ quasi æstro quodam & rabie incenduntur.Si quis diutius in coitu strictioris mulieris,vt puellæ laborauerit,ex Auicennæ sententia, facilè corripitur satyriasi ex attractione nimiâ humorum acriorum versus illam partem. Quod adhuc facilius fit , si vlus fuerit ante aliquod tempus alimentis vel medicamentis Venerẽ stimulãtibus,vt supra annotauimus.Nouimus etiam quosdam,qui post stuphas illas calidiores & inunctiones hydrargyri ad luem veneream profligandam,in eiusmodi tẽtiginem inciderunt,defluente materiâ virulentâ versus istam partem.Equitatio violenta ad id etiam multum potest , vehemensque & nimium affixa cogitatio libidinis exercendæ cum muliere expetitâ,vt amatoribus accidit. Illud etiam per morbos aliquando fieri non est omnino incredibile,vt in febribus,quando humor aliquis acrior defluit in hanc partem, in vlceribus vel renum vel ipsius pudendi , si ingens mordicatio ab illis excitetur in pene.

Quod ad priapismum verò spectat : Galenus *lib.6 de locis affectis* , existimat istum flatum distendentem in pene colligi, vel ob materiam crassam in neruo illo fistuloso contentam,quam calor natiuus imbecillior exagitans,non potest discutere,sed in flatus copiosos conuertit. Vel ob arteriarum ora quæ in illam cauitatem desinunt immodicè patentia,& eiusmodi spiritus crassos in illius poros emittentia.Attamen hæc vltima causa non videtur admittenda,propterea quod si dehiscerent ita in hoc affectu arteriarum oscula,vix fieri posset,quin per illa non solum spiritus,sed etiam sanguis arterioſus efflueret, vnde inflammatio aut aneurismatis species subsequeretur, quod nemo tamen in priapismo animaduertit. Deinde spiritus isti arterioſi ita effusi quandam illic palpitationem inducerent , quam tamen Galenus in priapismo excludit.Neque esset qui priapismo tenetur,omnino expers libidinis & voluptatis, vt volunt omnes , si à causâ istâ contingeret : quinimo citò lipothymiæ superuenirent ab effusione materiæ istius spirituosæ.Est igitur verisimilius, meo quidem iudicio, fieri priapismum à priori tantum causâ , nempe eleuatione crassiorum spirituum siue flatuum ob materiam ita dispositam, & in pene collectam,aut aliunde deriuatam: vnde qui cibis vruntur flatuosis, qui à Venere diutius abstinent , qui super renes cubant, aut lumbos cinctura,vestibus aut alio onere insueto comprimunt , facilius hoc affectu corripiuntur. Atque hæc de causis.

Signa verò vtriusque affectus & partis affectæ primo quasi intuitu patent:quia tumor ille penis cum suis differentiis oculis est conspicuus, ipseque æger symptomata quibus affligitur,sponte sua profitetur.Causarum itaque cognitio perlustranda est,videndumque quid peccauerit aut adhuc sit in vitio ex parte rerum naturalium , non naturalium,& præter naturam:talia enim nos deducent ad vniuscuiusque notitiam. In satyriasi enim causas ad caliditatem magis vergere certissimum est : in priapismo ad generationem flatulenti spiritus,vt supra fuit annotatum.

Nec est negligendus vterque affectus:quia magnitudinem & periculum continet, tam ratione partis affectæ,quæ est exquisitissimi sensus,habetque consensum insigné cum testibus,vasis spermaticis,& præcipuis corporis partibus:quã ipsius affectus,quia talis tumor in pene facile extinguit calorem nathuum partis , vnde sphacelus & gangræna sæpius exoritur : vel certè communicatâ materiâ & maligno vapore cordi vel cerebro succedit palpitatio,lipothymia,conuulsio, & similes affectus calamitosi. Qui

satyriasi

ſatyriaſi diutius tentantur, incidunt in riſum illum quem vocant ſardonium, ex contractione partium faciei & oris, & cum peſſimo & impudico delirio moriuntur. Reſpectu quorum tam ſatyriaſis, quam priapiſmus inter acutos morbos recenſentur à Galeno, qui ſuam hiſtoriam cito, id eſt ſeptimo aut decimo quarto die peragunt Priapiſmus tamen aliquando eſt paulò diuturnior.

ΘΕΡΑΠΕΙΑΝ igitur illorum rite inſtituere oportet. Nam in ſatyriaſi cum humorum acrimonia & inflammatio ſupponatur adeſſe: omnes cauſæ externæ ad temperandum eiuſmodi feruorem & libidinis æſtum erunt diſponendæ: aër ſi ſit calidior; refrigerandus in loco commodo, cubili etiam ad id comparato, quod foliis ſalicis, lactucæ, agni caſti, roſarum & ſimilium inſterni poteſt: ſomnus alimentis refrigerantibus & temperantibus concilietur, quæ nihil conferunt aut parum ſeminis generationi: ideoque carnibus in totum earumque iuſculis & vino abſtinere debent. Vtantur pane aquâ fontis madefacto, iuſculo prunorum, pomis acidioribus coctis, malis granatis, foliis lactucæ & portulacæ leuiter feruefactis & aceto irrigatis, ſero lactis caprini refrigerato, & ſimilibus paruâ quantitate ſumptis, vt maceretur appetitus & libido extinguatur. Quod ſi vires omnino concidant, vt ſit circa morbi vigorem, refocillentur ſumpto pulli iuſculo, cremore hordei, aut vino albo tenui & oligophoro bene diluto. Victus ergo ſit tenuis & exquiſitus, vt in acutis ſolet.

Remedia etiam maiora hic citò vſurpanda; nam & venæ ſectio probatur, ſi adhuc conſtent vires, & non ſit facta nimia ſeminis excretio: ita vt poſt baſilicæ ſectionem, etiam non inutile ſit venas tali aut poplitis ſecare, quæ maximè reuellunt à partibus iſtis, vt docet Hippocrates de dyſuriâ *Aphor.* 36. *ſect.* 6. Aluus etiam mollienda clyſteribus refrigerantibus & mollientibus frequenter repetitis. Bolus caſſiæ aut dilutum illius inſtar julepi paratum, decoctum tamarindorum, aut ſyrupus roſatus ſolutiuus recens, exhiberi poſſunt ad leuem purgationem, quamuis alij in paratis & conſuetis magis probent vomitum, vt humores ſurſum attrahantur. Expectanda igitur naturæ inclinatio, &, ſi legitima ſit, iuuanda.

Interea julepis & apozematis refrigerantibus, vel emulſionibus ſeminum frigidorum bis aut ter in die ſumptis, hic erit locus: ſuccus cannæ virentis cum pauco ſaccharo coquitur in formam julepi & frequenter exhibitus multum prodeſſe ſolet. Neque etiam omittendæ inunctiones renum ex vnguento roſaceo, refrigerante Galeni & ſimilibus, cum aquâ ſolani aut nymphææ diſſoluto: imo fotus ex iſtis aquis cum pauco aceto inſtar oxycrati renibus & lumbis admotus. Lamina plumbi tenuiſſima & foraminibus multis peruia aceto perfunditur, vel hydrargyro fricatur, & renibus applicatur donec incaleſcat, tuncque remouetur, & alia viciſſim imponitur. Practici in hoc affectu valde commendant caphuram, dummodo ſit vera, non factitia, cuius puluerem linteolo interbaſtato includunt, aceto irrigant & admouent. Iubent vtraque manu illius fruſtulum contineri. Imo ipſi Arabes ad ℈ j. cum aquâ cucurbitulæ vel fontis exhibere audent, quod nobis non licet propter adulterationem iſtius medicamenti: alij contenti ſunt illam inunctionibus & fotibus miſcere: fruſta cucurbitæ recentis maiora inſtar laminarum aquæ immerſa admouentur alternatim lumbis, natibus & ipſi perinæo cum magno fructu.

Sunt etiam qui ægros iſtos ſatyriaſi laborantes balneo aquæ tepentis aut ſubfrigidæ immergunt, donec calor facici mutetur & quemdam horrorem perſentiant. Verum hoc non eſt tentandum, niſi firmo ſint admodum corpore & viribus. Melius erit epithema cordi & hepati frequenter adhibere, vt eiuſmodi æſtus & rabies temperetur. Quidam folia ſolani aut hyoſcyami leuiter immerſa in aquâ tepente, audent ipſi pudendo admouere, vel etiam vnguento populeone inungere, ſed cauendum eſt ne partis calor natiuus extinguatur.

QVOD AD PRIAPISMVM VERO SPECTAT. Curatio illius magis expetit attenuantia & reſoluentia, ſine inſigni tamen calore, vt iſti flatus in pene collecti diſſipari poſſint. Ideo præter victus rationem, quæ hic mediocris ſubſtantiæ & qualitatum eſſe debet: ſi quidem corpus videatur plethoricum & robuſtum, vena etiam ſecari poterit, parciori tamen manu, quam in ſatyriaſi; & purgatio quædam inſtitui per vomitum aut ſeceſſum, quæ & excrementorum naturam reſpiciat: adhibentur cucurbitulæ, frictiones & ligaturæ, ſuperioribus corporis partibus potiſſimùm. Sunt qui tabellas diagalangæ hic valde laudent, præcipue circa declinationem morbi, quarum ʒ ij. exhibent mane & ſerò cum paucâ aquâ fontis, in quâ ſemen coriandri fuerit maceratum.

Digitized by Google

Foris imponunt fotus ex decocto foliorum rutæ & viticis, cui addunt guttas aliquot aceti roſacei, totumque colem & perinæum inungunt frequenter cerato ſantalino, diſſoluto cum oleo chamæmel. & addendo grana aliquot caphuræ. Mucilago ſeminis pſyllij cum aquâ rutæ extracta eodem modo commendatur. Cataplaſma etiam ex farinâ lentium & fabarum cum oxycrato dilutiſſimo paratum valde proderit. Si malum magis prorogetur, vnguenta aut cerata calidiora adhibentur ad validius diſcutiendum, quibus ſemper admiſcent aliquid croci & caphuræ, imo etiam caſtorei, ſi res expoſcat, poſt repetitam purgationem ex infuſo agarici & ſyrupo roſato ſolutiuo, vel etiam ſenæ & aniſi decocto. Atque hæc de curatione ſatyriaſeos & priapiſmi, rariſſimorum affectuum ſufficiant.

CAPVT IV.

De gonorrhœa & pollutione nocturna.

GENITVRA ſiue ſemen virile eſt corpus album, ſpumoſum & multis ſpiritibus turgens, cuius beneficio & interuentu dum in vtero muliebri retinetur, mas ſibi ſimilem procreat fœtum. Illius materia eſt quaſi reſiduum tertiæ coctionis ſingularum partium, illarum ideam & ſpeciem referens, quod ideo Auicennas quartum alimentum vocat, per vaſa quatuor ſpermatica extra peritonæum prolabentia in epidydimida & teſtes defluens, vbi concoctum & certâ vi prolificâ donatum, refluit per eiaculatoria vaſa in extremam veſicæ partem ſupra ſphincterem illius, vbi adſunt corpora quædam glandoſa, *proſtatæ* vocant recentiores anatomici, vnde coitus tempore erumpit magnâ cum voluptate & impetu in canalem virgæ, vt foras emittatur. Illius effuſio tanti momenti eſt, vt idem Auicennas aſſerat, in corporibus debilitatis deteriorem eſſe vnam ſeminis guttam, quam quadraginta ſanguinis amiſſas: ideoque circa ſanitatem ſeruandam vel deſtruendam multum poſſe regimen quod ſeminis emiſſionem reſpicit.

Accidit igitur aliquando, vt conſtituto præter naturam ſemine vel partibus hiſce genitalibus, materia iſta effundatur ſine tenſione pudendi & voluptate continenter & quaſi ſtillatim, alias inter dormiendum tantum & cum ludibriis quibuſdam & inſomniis venereis, ſed ſummâ corporis debilitatione & moleſtiâ. Prior affectus dicitur gonorrhœa à perpetuo genituræ fluore: alter pollutio nocturna, Græcis ὀνειρογμὸς, quod ſomniando contingat. Quæ fit in paroxyſmo epileptico effuſio ſeminis, contingit propter agitationem nimiam & quaſi confricationem iſtarum partium, in principio illius. Si ſub declinationem, ob earumdem reſolutionem, quemadmodum ſtercoris & vrinæ emiſſio.

Vterque igitur affectus eſt ſymptoma in genere excretorum præter naturam, ob ſeminis vitium, aut diſpoſitiones morboſas vaſorum ſpermaticorum. Diximus eſſe *ſymptoma in genere excretorum præter naturam*, quia materia ſeminalis quæ retineri debet & concoqui, donec parata ſit ad coitum exercendum, inutiliter hic effunditur, multaſque noxas & incommoda non ſolum partibus genitalibus, ſed etiam toti corpori adfert. Sequitur etiam vterque affectus duas potiſſimum cauſas, nempe ſeminis vitia, & diſpoſitiones præter naturam vaſorum ſpermaticorum. Nam quotieſcunque ſemen nimia quantitate exuperat, vt in illis qui omnino coitu abſtinent, fit vt ſtimulet facultatem expultricem vel inter dormiendum, vel vigilando, aliquando cum concurſu imaginationis, aliquando ſine illâ, vnde fit iſte effluxus; cui coniungitur mala quædam qualitas, vt acrimonia, putredo, aut virus quoddam naturæ inimicum, quale videmus in illis qui lue venereâ correpti ſunt, contingit naturam expellere per iſtos ductus, non ſolum materiam ſeminalem, ſed etiam varia corporis excrementa diuerſis coloribus prædita, vt quotidie licet obſeruare.

Diſpoſitiones autem ſeu morbi vaſorum ſpermaticorum, ad quæ ſpectat iſte affectus potius quam ad teſtes vel penem, quamuis penis ipſe tandem exulceretur in lõgiori gonorrhœâ, ſunt tres potiſſimùm, laxitas ſcilicet illorum nimia, inflammatio & vlcus. Sunt enim multi quibus partes iſtæ ita ſunt relaxatæ, ob violentos ſcilicet concubitus

Digitized by Google

cubitus,vel alias cauſas,vt ex minimâ agitatione,aut ex primo contactu mulieris alicuius elegantioris,vel ſolo imaginationis motu ſtatim effundant ſemen in vaſis contentum:qui omnes valde ſunt obnoxij gonorrhœæ & pollutionibus nocturnis,plurimumque ex illarum continuatione contabeſcunt. Alij verò,quibus ſcilicet vaſa ſunt firmiora , non incurrunt in iſtos affectus facilè ; ſed vbi grauius ſeſe exercuerint, luctando, ſaltando ,durius equitando ,& ſimilia præſtando , quia calfaciunt valde renes & inflammant iſtas partes , attrahúntque violenter humores verſus illas & veſicam, fit vt exorto illius ardore , meiant cum dolore , aliquid ſanguinis cum vrinâ profundant , & ipſum etiam ſemen ex paraſtatis excutiant. Quod ſi ex fluxu putridi humoris aut ſeminis vitio tandem iſtæ partes exulcerentur, exoritur grauiſſima illa gonorrhœa, potiſſimum virulenta , & ex luis venereæ contagio profecta, quæ multos annos perſeuerat; necnon niſi ſummâ difficultate curatur. Iſtas porro cauſas iuuant aëris intemperies , decubitus ſupinus , ſomnus longior , alimenta acriora , & ſimilia , vel iuuando fluxum materiæ verſus iſtas partes , vel materiam nouam generando,vt vnicuique patet.

Iſta igitur omnia ſunt ſignis diligenter diſtinguenda , verum à ſolo ſeminis vitio , vel diſpoſitionibus morboſis vaſorum ſpermaticorum contingant ; aut vtriſque iunctis , vt fit aliquando. Quibus adeſt quantitas ſeminis exuperans , illi ſuculento ſunt corpore & bene habito , ætate florenti , temperamento vt plurimum ſanguineo , iociſque & comeſſationibus addicti , diuque à Venere abſtinentes: Illi parum læduntur ab eiuſmodi fluxu ſeminis , ſaltem in principio , illúdque cum quadam voluptate effundunt , & vrinæ ardore premuntur. Quod ſi ſemen propter acrimoniam , putrilaginem , aut malignam quandam virulentiam effundatur , præceſſit victus ratio calfaciens & prauos ſuccos ſuppeditans. Equitatio dura & diuturna , quæ multum renes calfacit , dilatat , & humores ad inferiora attrahit : decubitus in dorſum in plumeis culcitris præter morem , vel conuerſio lumborum inſueta ad ignem luculentum vel ſolis radios ardentiores : aut certè contagium adfuit elephanticum aut venereum , vt in illis qui coiuerunt cum impuris meretricibus : malus odor ſentitur effuſi ſeminis , colorque admodum deprauatus apparet , & vellicantur partes quas contingit , vnde pruritus , ardor , & aliquando exulceratio ſuſcitantur. Peculiare eſt gonorrhœæ venereæ , vt ſæpius comitata appareat bubonibus in inguine , vel puſtulis malignis , quas cancroſas vocat vulgus , in balano , quia natura vndiquaque nititur virulentam illam labem excutere. Quando ſola laxitas vaſorum ſpermaticorum eſt cauſa iſtius effuſionis , nullo dolore , vel ardoris ſenſu pene ad ſolam venereæ rei recordationem emittunt ſeminis liquidioris copiam , cui opem ferre volens natura , eò dimittit ſpiritus & humores , qui ſimul etiam effunduntur , & fluxum iſtum augent. Humidiore ſunt vt plurimùm temperamento & rariore corporis habitu , vnde fit maxima reſolutio & virium eneruatio. Contra verò præſente inflammatione aut vlcere in iſtis vaſis , præceſſerunt aut adhuc præſentes ſunt cauſæ calfacientes & erodentes , ex quibus , ſi perſeuerent , exoritur quidam tenſionis ſenſus in his partibus & difficultas meiendi : vnde non parua aliquando ſuſpicio calculi veſicæ oritur : facto vlcere non ſolum ſeminalis materia , ſed etiam purulenta effluit , & ſanies rubicunda. Iſta igitur omnia accuratè perluſtranda & diſtinguenda erunt.

Nec eſt contemnendus vterque affectus tam ratione ſpeciei , cuius propagatio impeditur per iſtum effluxum ; quam indiuidui , nempe ægrotantis , qui ſenſim contabeſcit , defraudatis ſcilicet partibus conuenienti alimoniâ , quæ per eiuſmodi vacuationes præripitur : & propter dolorem , quando inflammatio vel vlcus adſunt. Satyrus quidam apud Hippocratem *6. epidem.* ab anno vigeſimo quinto ſemen in ſomnis effundebat , vſque ad trigeſimum , quo tandem tabidus factus interiit. Laxitas enim vaſorum ſpermaticorum , à quâ profectam fuiſſe illam pollutionem credibile eſt , quamuis non ſit ita moleſta ac aliæ cauſæ , tamen valde eſt periculoſa propter curandi difficultatem , potiſſimum ſi ſit natiua , aut ex immodico coitu , vel aliâ causâ violentâ contigerit. In lue venereâ aut elephantiaſi vix curantur gonorrhœæ , niſi proprijs antidotis expugnato morbo , & virulentia à qua pendet : víxque , ſi diutius perſeuerent , euadere poſſunt penis exulcerationem ſordidam , cui innaſcitur illa caruncula ſiue carnoſitas hodie multum celebrata , canalem virgæ obturans , & vrinæ ac ſeminis emiſſionem impediens. Vidimus etiam quoſdam , qui ex profluuio eiuſmodi putrente

& ſordido inciderunt in periculum gangrænæ in hiſce partibus cum denigratione penis.

Eſt igitur illis accuratè proſpiciendum, habitâ potiſſimùm ratione cauſarum à quibus pendent. Quoniam verò vulgares noſtræ gonorrhœæ in principio cum inflammatione & ardore vrinæ, vt plurimum ſentiuntur, inflammatis nimirum paraſtatis, & renibus ac vicinis partibus: in progreſſu autem ceſſat aliquando illa acrimonia, & relaxatis tantum debilitatiſque vaſis ſpermaticis videtur effundi ſemen cum aliis humoribus, qui ex toto corpore delabuntur. Ideo poterimus hac methodo perſequi curationem iſtius affectus, vt in principio illius habeamus rationem multitudinis ſeminis, inflammationis & exulcerationis quæ contingere poteſt: quibus ſedatis partes roborandæ, & adſtringentibus quaſi conſolidandæ videntur. Ad hanc enim curationem facilè reuocari poterit pollutio nocturna: ſiue primordium habeat à multitudine ſeminis, ſiue ſubſequatur laxitatem & infirmitatem vaſorum.

Inchoanda igitur therapeia à regimine vitæ, quod in illis accuratum eſſe debet: quia à minimo etiam illius errore multum læduntur, vt ſæpe obſeruamus. Aëris igitur, domus, cubilis, veſtium, & ſimilium qualitates eligantur, quæ ad rem præſentem facere videbuntur pro maiore vel minore inflammationis ac doloris ſenſu: exercitationes quæcunque violentiores vitentur, potiſſimum quæ lumbos & renes calfaciunt, vt equitatio, ſaltatio, lucta, & ſimiles. Coitus etiam non eſt hic vtilis contra vulgarem ſententiam. Quamuis enim videatur exhaurire ſeminis aliquam quantitatem; attamen magis nocet attrahendo humores verſus iſtas partes affectas, & vaſa dilatando. Contineant igitur ſe in magnâ corporis & animi tranquillitate. Quod ad cibos & potum ſpectat, pauca ſit eorum quantitas in principio & pauci nutrimenti, ne materia huic fluxui ſuppeditetur: qualitatibus refrigerent, & mulceant humoris acrimoniam, & partium intemperiem: ſi ſordes multa vacuentur cum ſemine, leuiter detergeant; vbi iam depuratum fuerit corpus, adſtringant modicè. Sit itaque pro potu aqua fontis, vel alia, quæ decoqui poterit cum paucâ liquiritiâ, hordeo & paſſulis integris. Si nolint vino abſtinere, vtantur albo, oligophoro & bene lymphato, aut rubro adſtringente. Panis ſit albus, aut ſyncomiſtus pro conditione ægrotantis, non tamen valde recens, ne ita facile nutriat. Carnibus abſtinere melius eſt, ſaltem in principio, aut illis parce vti, item ouis & ſimilibus quæ ſanguinis multum generant. Piſces potius concedantur; dummodo non ſint frixi, piperati, aut cum vino, butyro, & aromatibus conditi: Iuſcula carnium, ſi ab illis propter conſuetudinem expetantur, alterentur foliis lactucæ, endiuiæ, portulacæ, borraginis, vuis acerbis, carne cucurbitæ & ſimilibus. Propter delicatos conceduntur carnes pullorum & hœdorum teneriorum, potiſſimum declinante morbo, condituræ caulium lactucæ, carnis cucurbitæ, prunorum & ceraſorum acidorum. Poma etiam, tam cruda in robuſtioribus, quam cocta hic poterunt conferre ad refrigerandum: ſub declinationem etiam cydonia, ſorba, meſpila & corneola. Quod ad lentium decoctum & ſubſtantiam ſpectat, parum hic mihi probantur, propter craſſitiem & δυσπεψίαν. Imprimis ratio habenda ventriculi, qui multum ſolet debilitari in hoc morbo. Si aſſueti ſint lactis potationi, poterunt eo aliquando vti leuiter cocto aut vſtulato, vel addendo ſacchari roſati parum matutinis horis. Alij tamen magis probant ſerum lactis, ad refrigerandum & leuiter detergendum, quæ omnia pro variis indicationibus erunt ſtabilienda.

Vt autem ad remedia veniamus, ſi magna ſit inflammatio & acrimonia humoris fluentis, aut partium recipientium, potiſſimum in principio & præſente plethorâ ſanguineâ: ſecanda eſt vena cubiti, & ſanguis ſatis liberali manu educendus. Attamen ſi gonorrhœa contracta ſit ex contagio elephanticæ aut lue venereâ affectæ mulieris multi reformidant hanc venæ ſectionem ex ſuperioribus partibus, ne ſimul cum ſanguine virus illud transferatur in partes nobiles & interiora viſcera: vnde mali labes multum augeretur: ſicque malunt tunc confugere, ſi adſit dyſuria, ad venas poplitis aut malleoli, ex *Aphoriſmo* 36. *ſectionis ſextæ*, & *quadrageſimo octauo*, *ſectionis ſeptimæ*.

Clyſteres imprimis molles & blandi ex refrigerantibus & lenientibus compoſiti, valde erunt hic vtiles, ſi aluus ſit adſtricta, quia ex fæcum duriorum compreſſione multum afficiuntur vaſa iſta illis vicina. Purgatio etiam ex lenientibus frequenter repetita, quibus interiicientur iulepi, decocta, vel emulſiones ad temperandum & leuiter detergendum, ſecundum conſuetas nobis formulas.

℔ Hordei integri, flor. violar. borrag. & nymphæ, ana M. j semin. melon. ʒ ij. foliorum lactucæ M. ß. seminis anisi ℈ j. Fiat decoctio ad ℔ j. in qua dissolue cassiæ recenter extractæ ex decocto maluarum ℥ j. olei violacei & amygdalarum dulcium sine igne extracti, ana ℥ j. ß. Fiat clyster, qui retineatur diu, & sæpius iteretur. Vomitorium quoque leue in assuetis, aut quibus natura videtur vergere ad superiora.

℔ Medullæ cassiæ fistularis optimæ & recentis ℥ j. Capiat in formam boli per se vel cum pauco saccharo: cui adde, si volueris leuiter adstringere & roborare, rhabarbari electi puluer. ℈ ij. Capiat bis aut ter. Aut si recuset boli formam.

℔ Hordei integri, liquir. rasæ, passular. purgat. & flor. cordial. ana P. j. seminis maluæ ʒ ß. tamarind. pinguium ℥ ß. Fiat decoctio in sero lactis caprini. Aliquando addi potest sena ad ʒ ij. vel iij. si humor sit crassior. In colaturæ ℥ iij. dissolue syrupi violacei ℥ j. cathol. ℥ ß. Fiat potio, detur mane vt moris est.

℔ Amygdalarum dulcium recentium & excorticat. ℥ j. ß. nucleorum pini recent. ℥ ß. semin. melon. & cucurbit. mundat. seminis lactucæ & papaueris albi, ana ʒ ij. Contundantur omnia in mortario marmoreo cum pistillo ligneo, affundendo decocti lactucæ & liquir. q. s. sacchari albissimi parum. Fiat emulsio pro quatuor dosibus, mane & sero sumendis. Reiterentur etiam si opus sit, aut vtatur sequenti iulepo.

℔ Syrup. violacei, de liquir. & cydonior. ana ℥ j. aquarum endiuiæ, maluarum & borraginis, ana ℥ iij. puluer. electuar. diatrag. frigidi ʒ j. Fiat iulep. pro tribus dosibus matutinis. In ingressu autem lecti sumat tunc conseruæ violar. & florum nenupharis, ana ʒ j. aut caulium lactucæ sacchar. condit. ℥ ß. Quibus ita institutis & peractis, ne materia quædam intus latitet & adhæreat partibus istis, solemus detergente cathartico celebratissimo vti, quo etiam vrinæ satis commodè expurgantur: nempe terebinthinâ Venetâ optimè lotâ, vt caliditatem amittat, in hunc modum.

℔ Terebinth. optimæ & pellucidæ ʒ vj. vel ℥ ß. Lauetur optimè cum aquâ fontis, & lactucæ donec albescat: deinde reducatur in plures bolos, addendo puluer. liquir. vel diatrag. frigid. ʒ ß. Sumat inuolutos nebulis cum pauco vino albo aut syrup. capilli Veneris. Continuet illius vsum per tres dies continuos mane, si opus esse videatur. Si non possint deuorare istos bolos, sunt qui terebinthinam includunt ouo perforato & inanito. sicque illam hauriunt, vel ex cochleari sumunt cum syrupo capilli Veneris. Aut etiam in formam pilularum reducunt. Sed prior forma vtilior est, si ægro non sit ingrata.

Post terebinthinæ vsum, si fluxus adhuc perseueret, adstringentibus & roborantibus erit compescendus. Quidam laudant succum plantaginis coctum cum saccharo in formam syrupi, cuius dant ℥ j. mane & sero: alij semen illius & granorum kermes cum vitello oui sumptum ad ʒ j. Eodem modo ex corallo vtroque, terrâ sigillatâ, & paucâ liquiritia, fiat puluis, qui exhiberi poterit frequenter.

Multi laudant corticem radicum halicacabi puluer. & frequenter exhibitum ad ʒ j. cum aquâ chalybeatâ, aut pauco vino austero. Sunt qui in peruicaci gonorrhœa mittunt istos ægrotantes ad aquas thermales frigidas, vt Meynenses; vel acidulas, vt Spadenses, Niuernenses, aut Vallenses. Alij verò sublatâ iam omni acrimoniâ, & inflammatione committunt decocto sudorifico per quindecim aut viginti dies; ex decocto radicum chynæ, vel sarsæ parillæ. Quod si suspicio adsit contractæ luis venereæ, non omittunt etiam inunctiones ex hydrargyro, & similia suis locis tradita.

Quemadmodum autem istis remediis interius oppugnandus hic affectus, sic etiam externa non omnino negligenda ad compescendum feruorem in principio, & roborandas partes circa declinationem. Fotus ergo fiunt supra renes, & perinæum ex decocto radicum acetosæ, foliorum plantaginis, lactucæ, solani & maluarum, cum pauco semine lini & myrti: vel ex aquis stillatitiis nymphæ, solani, & rosarum, addendo aliquid puluris triasantali: deinde inungantur dictæ partes cerato santalino, vnguento rosaceo, de cerusâ, aut refrigerante Galeni, additâ caphurâ, & aceti momento ad penetrationem. Lamina etiam plumbi, aquâ solani irrigata & renibus admota, hic prodesse poterit: vel si æstas vigeat, & renibus admota hic prodesse poterit: vel si æstas vigeat, folia vitis, cucurbitæ,

solani,

ſolani, plantaginis, & agni caſti ſubſterni poterunt, vt illis dormiendo incubet. In delicatioribus poſſumus parare parua puluinaria ex roſis rubris & albis recentibus, quæ regioni renum admoueantur. Perinæo aliquando adhibetur emplaſtrum diapalma, emollitum cum oleo ſeminis papaueris albi, ſi habeatur, vel myrtino, ſed hoc circa finem iſtius fluxus vt roborentur partes.

De balnei verò ſiue ſemicupij aquæ tepentis vſu in hoc affectu dubitatur, vtrum præſcribi poſſit, quemadmodum in doloribus renum & veſicæ ex calculo, in dyſuria & ſimilibus, qui multum leniuntur illius adminiſtratione. Attamen quia gonorrhœa poſita eſt in magno humoris fluxu delabentis non ſolum ex vaſis iſtis ſpermaticis, ſed etiam ex toto corpore, quod colliquatur, & valde macreſcit diuturnitate temporis: ideo non ſatis tutum videtur hic balneum tepidum, ne magis laxentur viæ, fundantur humores, & attrahantur verſus partes iſtas imbecilliores. Ideo perſeuerante gonorrhœâ melius eſt balneo abſtinere. Quod ſi illa iam ſedatâ, videatur adhuc opus refectione & temperatione, non erit inutile illud præſcribere, admotis roborantibus, vt pane roſarum, ſacculo ex foliis myrti, lentiſci & ſimilium ſupra partes iſtas debilitatas.

Notandum etiam, quod hic affectus eſt valde obnoxius recidiuæ ex minimo vitæ errore, vt quotidianâ experientiâ compertum eſt, ideoque qui volunt ab eo in totum liberari, debent diu ſe continere ab eis quæ illum excitare, & reuocare poſſunt: nec prius ſe ordinariis vitæ actionibus committere, quam incipiant ſemen in paraſtatis colligere, retinere, & cum penis ſufficienti tenſione ac voluptate per interualla emittere. Atque hæc de gonorrhœâ & pollutionibus nocturnis.

CAPVT V.

De ramicibus ſeu variis herniarum ſpeciebus.

ΚΗΛΗ, Ramex & Hernia apud veteres præcipue ſignificant ſcroti tumores præter naturam à quacumque causâ oriantur. Per quamdam autem analogiam & ſimilitudinem cum tumoribus iſtis ſcroti, dicitur bubonocele hernia inguinis; omphalocele, hernia vmbilici rupti & tumentis; bronchocele, hernia gutturis; quando colli pars anterior impletur humore aut carne quadam fungoſâ inſtar colis, quæ familiaris & quaſi vernacula exiſtit Alpinis hominibus, & aliis qui aëre craſſiore, aquiſque vtuntur niualibus.

Nos igitur aliis relictis peculiariter habemus hic agendum de herniâ ſcroti & eius variis ſpeciebus: quoniam hic affectus plurimum officit generationi, multis doloribus exercet ægrotantem, & vitæ periculum ſæpenumero inducit: tamque vulgatis hodie eſt in hac regione, vt vix decem reperias mares, inter quos pluſquam dimidia pars non detineatur hoc incommodo, plurimumque in eo curando ab empiricis operæ, ſed parum frugis inſtituitur.

Sciendum igitur eſt ex anatome, peritonæum tunicam, quâ pertingit ad pubis extremitatem, elongari & productionem illam facere, per quam emittuntur vaſa ſpermatica in teſtes, rurſumque redeunt in veſicæ ceruicem; cum muſculo illo cremaſtere dicto ſiue ſuſpenſorio, qui eſt veluti appendix muſculorum epigaſtrij ob iquorum internorum. Quotieſcunque ergo illa peritonæi productio vel dilaratur nimium, vel diſrumpitur violenter, inteſtinum colon, vnde ἐντεροκήλη; vel etiam omentum quod ὀμφαλοκήλην facit, deuoluitur per illam ſolutionem continui in bubones, aut inguina, vel vtrumque ſimul, ex quo fit ἐντεροεμφαλοκήλη, ibique tumorem parit, non quidem verum & humoralem, ſed imaginarium & tranſeuntem, vt loquuntur Practici noſtri: quia vbi primum ægrotante inuerſo repoſitum fuerit in cauitatem abdominis, inteſtinum illud vel omentum, ſtatim & eodem momento ceſſat eiuſmodi tumor. Quando autem per illam productionem humores quidam ſeroſi influunt in eamdem partem cum flatibus multis, aut ſine eis, vel ibidem per congeſtionem colliguntur, oritur verus tumor aquoſus aut flatuoſus, tanquam hydrops particularis, ad œdematis naturam accedens, vnde ὑδροκήλη & πνευματοκήλη oriuntur. Quod ſi caro ſuperflua colligatur & accreſcat circa teſtes, eoſque in magnitudinem eleuet, fit tumor, qui apud authores noſtros ὑπερσάρκωσις vocatur; in ſcroto autem σαρκοκήλη; quemadmodum

admodum ex inflatis aut dilatatis venis peculiaribus teſtium aut ſcroti generatur κυρσοκηλη: pars enim illa inſtar varicum intumeſcit inæqualiter ſecundum internam vel externam ſuperficiem. Vnde patet omnes iſtas hernias ſcroti conuenire ſecundum formalem illam rationem,quatenus attollunt & eleuant iſtam partem in molem, & magnitudinem præter naturam: multum autem in ſuâ naturâ & cauſis propriis diſcrepare. Ideo liceat nobis morbum hunc ita deſcribere: tumorem ſcilicet præter naturam inguinis & ſcroti ob prolabentem partem aliquam, aut humorem in illius cauitatem,rupto aut dilatato peritonæo, vel ibidem collectam materiam ex prio partis vitio.Quæ definitio ex ſupradictis ſufficienter patet. Attamen cauſæ diligentius adhuc ſunt perluſtrandæ.Etenim certum eſt inteſtinum ileum omnium longiſſimum,quod ſubter vmbilicum ad ilia & coxas vtrinque poſitum eſt, prolabi in ſcrotum,potius quam colon,quod firmiter vicinis adhæret partibus;vel cœcum,quod eſt breuiſſimum;vel cætera, quæ ſunt ab inguine & ſcroto nimis remota:prolabi inquam ſolum vel cum omento,aut ſolum omentum, quotieſcunque membrum illud continens & quaſi circumuoluens omnes abdominis partes interiores,patitur aliquam ſolutionem ſuæ vnitatis,vtpote rupturam ſiue crepaturam,aut dilatationem inſignem, per quas datur via & egreſſus hiſce partibus ob naturale pondus quo feruntur ad decliuia,& quamdam lubricitatem,propter quam facile penetrant illud ſpatium ſiue aperturam.Quæcunque igitur diſrumpere,aut relaxare valent iſtam peritonæi productionem, illa habenda erunt pro cauſis remotioribus iſtius herniæ inteſtinalis vel omenti:ſiue ſint res naturales,non naturales,aut præter naturam: nam conſtat certâ experientiâ vitium hoc aliquando eſſe hæreditarium: quia ab ortu pueros multos infeſtat ob laxitatem & mollitiem natiuam iſtius partis: aliis contingit ob temperamentum humidius,vt pituitoſum,vel quibus venter inferior naturaliter multis ſcatet excrementis. Res vero externæ, tam neceſſariæ dictæ, quam fortuitæ hic multum poſſunt.Nam aër auſtrinus,pluuioſus,aut vaporibus multis refertus,vt in eis locis quæ ad flumina, lacus, aut paludes ſita ſunt, multum valet ad relaxandam membranæ iſtius firmitatem. Sic etiam alimenta multum humectantia & emollientia, vnde in hac regione propter olei vſum frequentem creduntur tot herniæ graſſari. In infantibus lac nutricis liquidum & ſeroſum nimis accuſatur:In aliis piſcium, fructuum horæorum,herbarum,iuſculorum vſus & aquæ potio largior creduntur huic parti laxitatem inferre.Sed ad ruptionem illius, ſeu crepaturam excitandam nihil eſt potentius quam res illæ violentæ, quas non neceſſarias vocant,vt ictus,caſus, tuſſis violenta,clamor ingens, & vociferatio,vt in tibicinibus & concionatoribus contingit frequenter,in pueris vagitus, in adultis ſubleuatio oneris nimij,equitatio durior, luctatio,ſaltatio laborioſa,iaculatio, & ſimilia, quibus violenter & ſubitò abrumpitur iſta membrana.Obſeruatum eſt etiam in illis qui duriores habent alui fæces,dum nimio nixu illas excernere conantur,ſæpe fieri vt diuellatur iſta peritonæi productio:quod eodem modo contingere poteſt ob flatuum copiam. Quidam etiam exiſtimant ad id præſtandum coitum nimium plurimùm valere, ſaltem ad augendum affectum, non eſt dubium quin multum poſſit.

RELIQVA DESIDERANTVR. Author enim, dum huncce tractatum prælegeret Auditoribus, lethali morbo correptus interiit; magno ſanè Reipublicæ damno, præſertim Medicæ; ac potiſſimum Facultatis Monſpelienſis, cuius Decanus & Columen erat. In gratiam autem Φιλιατρῶν, *eumdem tractatum, licet imperfectum cæteris adiungere volui; necnon ſequentia eiuſdem Authoris fragmenta, videlicet* Exercitationem in librum Hippocratis περὶ φύσιος ἀνθρώπου: *cuius magnam partem publicè interpretatus eſt anno* 1586. *iuuenis & Baccalaureus,* PRO CVRSIBVS, *vt vocant; poſtea ſubiturus Examina quinque, vt moris eſt,cùm Licentiatûs gradum ambiret.* 2. Explicationem quintæ ſectionis Aphoriſmorum Hippocratis. 3. Commentarium in tertium librum ἐπιδημιῶν Hippocratis, nempe duodecim hiſtoriarum, & conſtitutionis peſtilentis. 4. Principium explicationis libri Hippocratis περὶ παθῶν, *quam perſequi & abſoluere non potuit, interpellatus precibus plurium ſtudioſorum, alium tractatum vt explicaret, obnixè rogantium.*

IOANNIS VARANDÆI

EXERCITATIO IN LIBRVM HIPPOCRATIS

ΠΕΡΙ ΦΥΣΙΟΣ ΑΝΘΡΩΠΟΥ: DE NATVRA HVMANA,

PRO CVRSIBVS.

PRÆFATIO.

DICTVRIS olim apud Athenienſes Oratoribus, (Viri clariſſimi) qui dicendi illis poteſtatem feciſſet, præfari ſolitum legimus, ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν, vt ſcilicet ſine proœmiis & affectibus cauſas coram Iudicibus agerent: Mihi contrà totum hoc legendo trimeſtre ſpatium decurſuro, & de re Medicâ, quæ vt contenta eſt doceri, ſic plerumque ornari reſpuit, apud vos Iudices conſcriptos mihi acturo, nulla ſatis conueniens aut affectibus plena præfatio occurrit, quâ tantum hoc meum inceptum excuſem, & veſtram mihi conciliem beneuolentiam, quâ potiſſimùm fretus tantum negotium ſuſcipere auſus ſum. Colueram ego diu & certo animi propoſito tutiſſima Harpocratis & Angeronæ, hoc eſt, ſilentij ſacra, cuius ἀκινδυνότατον præmium vocat maximus Philoſophorum; Cogitans nimirum apud me, nihil eſſe magis arduum aut difficile, quàm publicè profiteri, cùm non ſolùm perfectâ artis cognitione, ſed etiam ingenti facundiâ & dicendi facilitate illum inſtructum eſſe conueniat, qui peritiæ ſuæ publicum ſpecimen exhibere cupit; Qui enim quod ſciunt, id oratione perſpicuâ atque diſertâ explicare non poſſunt, idipſum quod ſciunt, iuxta Periclis apud Thucydidem ſententiam, neſcire videntur. Adde quòd multi falsâ quadam perſuaſione, dum ſe artis cognitionem aſſecutos arbitrantur, vbi ad rem acceſſerint propiùs, καθάπερ χρυσὸς φαῦλος ἐν πυρὶ κρίνεται, inquit ſummus Hippocrates, vt aurum adulterinum igne, ſic illi opere iudicantur. His ego tantis facilè territus difficultatibus, qui oraculum illud γνῶθι σεαυτὸν, quaſi mihimet reſponſum ſemper obſeruaui, decreueram perpetuò tacere, & mea exilia mihi tenuiſſimo ſolùm habere, hóſque verſiculos ad inſtituti obſeruationem crebriùs repetebam:

Stulte caue pedibus montem perrepere nudis,
Quippe rubis tribulíſque viret mons vndique denſis;

Cùm tamen derepente ſententiam mutaui, & me ad aliquid audendum excitaui. Tu mihi huius audaciæ & honeſti conatus author & dux extitiſti, diuine Stagyrita, qui in Ethico opere non minùs bona noſtra quàm defectus cognoſcenda eſſe arbitrarie, vbi etiam puſilli animi homines τὶ κακὸν ἴχνω, ἐκ τῆ μὴ ἀξιῶν ἑαυτὺς τῶν ἀγαθῶν, ἢ ἀγνῶν ἑαυτὺς, verißimè pronunciaſti. Non parum adiecit animi, quod proditum eſt à ſummo Hippocrate, Tempus ac ſtudium artem peruiam & proceſſus manifeſtos facere. Ego itaque cùm tempus & ſtudium omne in perdiſcendis Medicinæ præceptis collocarim, omnem induſtriam, non repugnante forteſſis naturâ, adhibuerim, φιλόπονος & παιδομαθὴς exiſtam. Quis me malus genius prohibeſſit, ne præmia illa conſequar, quæ vnicuique optare licet honeſte? Hæc de me dicta, ab omnibus eo animo

excipi

excipi cupio (doctiſſimi Commilitones) quo prolata ſunt. Cùm notiſſimum ſit, finem vltimum & principalem, qui eius cuius finis eſt, perfectio, & cauſa prima intentionalis dicitur, multos intermedios & ſubordinatos habere, quibus ad illum proportionatis & adeptis, nondum tamen acquieſcit efficiens, donec ad finem illum, propter quem peruenerit. Denique cùm ſciatis, finem omnium artium & diſciplinarum inuentores ad eas inueniendas tripliciter mouiſſe, vel tanquam neceſſarium, vel tanquam vtilem, vel tanquam delectabilem, Medicinam quidem neceſſariam omnes fatentur, propter ingenitam nobis contrariarum qualitatum diſcordiam, quæ à quolibet exceſſu proportionata, in gradum conuenientem per contrarium reduci exigit, niſi omnimodam diſſolutionem ſubſequi velimus; vtilem etiam dupliciter, habitá nimirum ratione ægri ac Medici. Delectabilem denique illam redditam tum demum puto, cùm primarij artis noſtræ Architectones, Scholas in quibus à Philoſophis philoſophicâ methodo & diſceretur & doceretur, legibus eximiis inſtitutas, & præmiis honeſtis decoratas reliquerunt; tanta fuit maiorum noſtrorum in hac nobiliſſimâ arte ornandâ cura & ſedulitas! Hoc fuit ſtudium ſummorum virorum, in hac inſtituendâ Academiâ Monſpelienſi, illa cautio vt nulli niſi bene merito in illam irrepere liceret. Hinc tot examina & probatoriæ cenſuræ, quibus veluti gradibus ad ſummum artis noſtræ faſtigium aſcenditur. Hinc legendi illa munera Baccalaureis ad maiora ſpirantibus impoſita, quæ vulgò Curſus *dicuntur, quaſi nullus Medici nomine ſit donandus, niſi qui totam artem à carceribus ad metam vſque decurrerit. Viam hanc olim à magnis & præſtantiſſimis viris tritam, ego veſtigia illorum colligens, hodie ingredior, à cuius tramite ſi aliquando propter imperitiam aberraro, aut propter difficultates & obices plurimos ſæpius offendero, panámne ideò an veniam potiùs merebor? cùm in rebus magnis etiam voluiſſe ſat ſit, atque difficile ſit ea ἄπρακτον præſtare, quæ vix periti practici perficere poſſunt, Philoſophiæ nimirum catholica præcepta & generales notiones particularibus & anguſtis Medicinæ theorematis appoſitè coniungere. Quicquid ſit, mihi Nulla laborum, O ſocij, noua nunc facies, inopináve ſurgit, Omnia præcepi, atque animo mecum antè peregi. Vos itaque (Commilitones & Iudices æquiſſimi) mihi iam initiaturo linguis animíſque fauete, rudiores noſtras explicationes & ſenſus ἀναισθητοτάτους benignè excipite, vt ſi quando vobis idem erit propoſitum penſum, talem conſequi poſſitis beneuolentiam, qualem mihi exhibueritis. Atque hæc præfationis gratiâ dixiſſe ſufficiat, nunc ad rem propiùs accedo. Propoſitus mihi Hippocratis de naturâ humanâ libellus, cùm in confinio naturalis ſcientiæ poſitus ſit, illi ac Medicinæ conterminus, operæ pretium eſſe videtur, vt priuſquàm ad eius interpretationem aggrediamur, πολυγαμίαν cauſâ, vulgaris illius & celebrati axiomatis veritatem inquiramus, quo aſſerunt, Phyſicum ibi deſinere, vbi incipit Medicus, viciſſimque Medicum incipere, vbi deſinit Phyſicus. Quæ ſententia eo modo accipienda eſſe videtur, quod ſcilicet Medicina ſubalternata ſit ſcientiæ naturali, tanquam ſuperiori. Dedit nobis huius diſputationis anſam Hippocrates ſtatim initio huius libri, vbi ait,* Qui de naturâ humanâ vlterius quàm ad Medicinam pertinet, diſputantes audire conſueuit, *quaſi limites quidam & fines Medicinæ à ſummo Hippocrate circumſcripti ſint, quos Medico, quatenus Medicus eſt, tranſilire non liceat, ſed quando ſuperiores ſcientiâ ſuâ quæſtiones aggreditur, tum eas vel quaſi ſuppoſitas recipere debere, vel de eis non iam prout Medicum, ſed vt Phyſicus eſt, diſputare. Non pauci primæque notæ viri huic opinioni refragantur, & contrà argumentis ſatis veriſimilibus contendunt. Medicina, inquiunt illi, non minùs ipsâ Philoſophiâ naturali eſt ſcientia, cùm in eâ & demonſtrationes & concluſiones fiant, tracténtque & Medici & Philoſophi pariter de rebus naturalibus, elementis, temperamentis, miſtionibus elementorum, nullo reſpectu habito ad ſuperiorem ſcien-*

tiam, ſed ex communibus omnium diſciplinarum principiis ſuas inferunt concluſiones. Praterea quemadmodum potentiæ ab obiectis diuerſitatem & vnitatem ſortiuntur, ſic ſcientiæ à diuerſitate ſubiecti, vtique ſenſus, ſic illæ & res de quibus extant, variè ſecantur. Cùm igitur res, de quâ Medicinâ exiſtit, ſit ab aliis rebus alia, de quibus ſcientiæ ſunt aliæ, Medicina erit ab omnibus aliis diſtincta & independens. Vrgent aliâ ratione Ariſtotelicâ, qui in proœmio operis Metaphyſici; eas ſcientias prius inuentas eſſe aſſerit, quæ generi humano magis ſunt neceſſariæ; At Medicinam ſimpliciter & magis neceſſariam naturali, quis inficiabitur? Sequitur ergo illam prius inuentam naturali ſcientiâ, & per conſequens nullo modo ab eâ dependere. Addunt authoritatem Galeni, 9. de placitis Hippocrat. *dicentis, Medicinam melius probare poſſe quæ ſunt ſuæ facultatis, quàm Philoſophiam, nimirum quòd à ſenſibus & ratione argumenta ducere poſſit, Philoſophus verò de illis agat ſæpe, quæ à ſenſibus ſunt remota, adeò vt ex illis nulla probatio ſumi valeat. Sunt qui rem iſtam vlteriùs perundeant, & cum notiſſimum ſit eam Medicinæ partem quæ Phyſiologica tractat, petitis manifestè à naturali ſcientiâ principiis, de rebus naturalibus ad hominem relatis diſputare, negant illi Phyſiologiam Medicinæ eſſe partem, ac miſeram è Medicinæ cenſu extrudunt. His ego hominibus Æſculapium cum Muſis magis propitium exopto, qui Medicinam à matris Philoſophiæ, & totius humanitatis gremio excludere conantur, vt eos qui Medicinam profitentur, vilisſimos artifices, χειροναξας, βαναυσους, & χαιροβιοτους efficiant; Qui cùm Medici ſint, ad illorum acceſſiſſe inſaniam mihi videntur, quos Galenus tam inſulſos fuiſſe ait, vt non minùs abſurdum eſſe putarent, Medicum Philoſophiæ operam dare, quàm ſi quis granum milij perforare vellet. An neſciunt, notitias illas partes eſſe artis, ſine quibus ars ipſa cognoſci vel finis artis attingi non poteſt, vt eſt apud Galenum* lib. de partibus artis Med. *At ſine notitiâ humorum, temperamentorum, partium, facultatum, de quibus in Phyſiologiâ agitur, neque Medicinæ cognitio haberi, neque finis illius attingi poteſt. Ergo pars erit Medicinæ Phyſiologia, quæ cum ſua petat à Philoſophiâ naturali principia, ſequitur totam Medicinam, quatenus theorica, hoc eſt, quatenus in precepta redacta eſt, naturali ſcientiæ ſubiacere. Quæ enim ratio eſt, cur Medicina nequit ex frequenti tantùm operatione comparari, vt aliæ artes? Nonne quia ex naturâ ſuâ ſumit principia, & maximam ſui partem, ad cuius cognitionem doctrina & naturæ explicatio, non operatio confert? Quodcunque autem accipitur in aliâ probatum ſcientiâ, id declarat & demonſtrat illam ſcientiam, in quâ illud probatum eſt, ſuperiorem; illam verò quæ accipit, inferiorem.*

Videamus igitur quomodo ſententiam noſtram ſtabilire, & aduerſantium obiectionibus reſpondere poſſimus. Si quidem authoritatibus Philoſophorum & Medicorum velut certis probationibus vti neceſſe ſit, iam cauſa peracta eſt, vicimus. Omnium enim communis conſenſus, & Medicum ibi incipere, vbi deſinit Phyſicus, & Medicinam naturali ſcientiæ ſubalternatam eſſe confirmat. Ariſtoteles hæc conceptis expreſſit verbis, lib. de longit. & breuit. vitæ, de ſenſu & ſenſili, lib. de ſanit. & ægrit. *Phyſici eſſe dixit, ſanitatis & morbi inuenire principia. Idem probare videtur* 12. Metaph. Vniuerſalia, *inquit ille,* & mediata principia ſunt omnium eadem, quæ autem ſic ſunt, vnum ab alio neceſſitate quadam dependent. *Galenus* libro qui introductio inſcribitur; *Rerum naturæ cognitionem neceſſariam eſſe Medico, hoc potiſſimùm nomine ait, quod niſi naturalibus anteà cognitis, ea quæ à naturali habitu recedunt, cognoſcere nequeat.* Tertio *autem* de criſib. *eum qui Medicinæ principia indicare cognatur, id non ſolùm vt Medicum agere, ſed vt Phyſicum aſſerit. Eadem confirmant Auicennas, Haly, & Auerrhoës,* in proœmio Collectaneorum. *Sed quid hac de re ſentiat ſummus Hippocrates, in primis conſiderandum.*

randum, cui Cornelius Celſus falsò imponere voluit, cum Medicinam à ſtudio Philoſophiæ ſeparaſſe, huiuſque rei nos ſatis ſuperque certos efficiet, huius libri, quem interpretandum ſuſcepimus, explicatio, in quo argumentis partim ex Phyſicâ petitis & creditis, partim Medicis, hoc eſt, poſterioriſticis, rerum omnium prima elementa adſtruit. Sed præterea audiamus verba illius libro de veteri Medicina. Qui de Medicinâ ſcribere aggreſſi ſunt, illi ſibi pro hypotheſi & fundamento à Philoſophiâ accepto poſuerunt, θερμὸν, ἢ ψυχρὸν, ἢ ὑγρὸν, ἢ ξηρὸν, calidum, frigidum, humidum, ſiccum: *Deinde,* Neceſſarium mihi videtur, *ait ille,* omni Medico περὶ φύσιος ἰδέαι, καὶ πάνυ ζωάνδρου ὡς εἶπεῖν, vt de naturâ ſciat, & illam cognoſcat, *non quidem ἀπλῶς, id eſt, ſimpliciter, quod eſt Phyſici; ſed vt ille adiungit,* ὡς ἔχαστα ἔχει πρὸς τὸν ἄνθρωπον, quemadmodum omnia ſe habent ad hominem. *Ergo iuxta ſummi Hippocratis ſententiam Medicina particularis eſt ſcientia, quæ vniuerſalia naturalis ſcientiæ dogmata magis ſtrictè ad hominis, proprij quippe ſubiecti, contemplationem refert. Sed apertiſſimis his authoritatum momentis; rationum pondera adiungamus, quæ commodè huius ſyllogiſmi ambitu continebuntur. Subalternata vocantur illæ ſcientiæ, quæ cum partes alterius non ſint, ab eâ tamen ſuas probationes & principia ſumunt. Medicina probationes ſuas & principia à naturali ſcientia ſumit, cùm tamen pars eius non ſit. Ergo Medicina ſcientiæ naturali eſt ſubalternata. Maioris propoſitionis veritas hinc eluceſcit, quod cùm res ſint eſſentialiter ordinatæ, vt à Metaphyſico probatur, neceſſe eſt pariter ſcientias quæ de rebus extant, ordinatas eſſe. In his autem ſic ordinatis, poſterioris cognitio perfecta, pendet à prioris cognitione, quoniam ſcire eſt per cauſæ adeptionem, vt habetur primo poſteriorum. Præterea; nulla ſcientia proprium poteſt ſtabilire aut probare ſubiectum. Si enim probaretur, hoc eſſet ex prioribus ipsâ, quid verò prius aut notius ſubiecto? Alioquin ſcientiarum fieret confuſio, vnaque in aliam coincideret, & demonſtratio de genere in genus deſcenderet per circulum, quem meritò damnauit ſummus veritatis æſymneta Ariſtoteles. Neceſſe itaque eſt ſubiectum tanquam creditum & probatum à ſuperiore ſcientiâ, in ſubordinatâ ac inferiore recipi: niſi fortaſſis dixeris etiam in eadem ſcientiâ ſubiectum probari demonſtratione quia ſeu poſterioriſtica, vt factum eſt à Galeno* 3. de arte, *quod nos tanquam nobis non repugnans concedimus, dummodò conſtet veram & prioriſticam demonſtrationem ſubiecti à ſuperiore ſcientia pendere. Hac itaque ſubalternatione probata, cui ſuperiori ſcientiæ ſubalternata & ſubiecta erit Medicina, quæ eſt omnium ſcientiarum particulariſſima, niſi ſcientiæ naturali? cuius non eſt pars, quia diuerſum à Phyſica, & proprium finem obtinet, & à qua principia ſua & notiones omnes repetit Sit ſaltem hoc nomine illi valde addicta, quod in Philoſophia naturali de motu & mutatione tractatur, quæ ſunt veluti fomenta & origines omnium noſtrarum cognitionum, adeò vt Auerrhoi hac de cauſa videatur primus Philoſophus multa à naturali accipere. Denique cùm duplex ſit ſubalternationis modus, vnus quidem ratione ſubiecti, eò quòd ſubiectum ſit ſub ſubiecto, iuxta quem diximus, Aſtronomiam ſubiici ſcientiæ naturali: Alter ratione principiorum, quæ ſcientia inferior ab alia accipit, vnde ponitur Aſtronomia ſubalternari Geometriæ & Arithmeticæ, ex quarum principiis & hypotheſibus omnia demonſtrat. Duplici hac ratione Medicina ſcientiæ naturali ſupponitur, ratione quidem principiorum, quoniam vltimæ concluſiones ſcientiæ naturalis, (vt ſatis patet) ſunt principia poſita & credita, non ratiocinatione comperta à Medico: Vnde Auerrhoës* 1. Collect. Medicina, *inquit,* eſt ars operatrix exiens ex principiis veris & naturalibus. *Ratione etiam ſubiecti. Corpus enim humanum ſanabile, quod Medicina conſiderat, ſub*

ambitu continetur ſcientia naturalis, quæ ens mobile, quatenus mobile, vel corpus mobile contemplatur. Neque hinc ſequitur, naturalem ſcientiam & Medicinam vnicam eſſe, quia idem ſubiectum materialiter ſumptum, non formaliter, poteſt à diuerſis ſcientiis conſiderari. Quamuis enim Phyſicus & Medicus corpus humanum conſiderent, Phyſicus tamen vt eſt corpus naturale, Medicus vt eſt corpus ſanabile. Et ſic differunt formali obiecto. Dicet aliquis, eſtò Medicinam Philoſophiæ naturali ſubalternatam eſſe: At Phyſiologiam Medicinæ partem eſſe non ſequitur, cùm in illa ea tractentur, quæ Ariſtoteles tractauit libris, &c. *Reſpondemus nos Phyſiologiam Medicam Medicinæ eſſe partem, & à Philoſophia naturali diſtinctam, &c. Dicet aliquis, quomodo aſſeris, ibi Medicum incipere, vbi deſinit Phyſicus, certoſque eſſe poſitos fines, qui vnum ab alio ſeiungant, cùm communis ſit illis rerum multarum tractatio, quippe Medici ab elementis, miſtionibus elementorum, temperamentis, initium ſumunt, quæ docentur ab Ariſtotele* libris de cœlo, generat. & hiſtoriâ animalium: *Huic ſic reſpondemus, Medicinam à Philoſophia differre fine, materia quæ tractatur, tractationis modo. Fine quidem, qui vt eſt in Philoſophia ad veritatem, ſic in Medicina ad ſanitatem conſequendam: materiâ quæ tractatur; Nam etſi multa habeat Medicus cum Philoſopho communia, tamen partem illam, in qua tractat de ſanitate tuenda, morbis curandis & præcauendis, conualeſcentium reſtauratione, quæ Analeptice dicitur, ſibi propriam habet. Tractationis denique modo, quia dum volunt Medici probare, quæ ſunt ſuæ tractationis, non minùs quàm Philoſophi ſua petunt ex Philoſophia principia, ſed illa contrahunt ad propriam tractationem. Probat Philoſophus omnia animalia conſtare ex quatuor elementis, ſed argumenta habet mutationem, alterationem, quæ omnibus animalibus contingunt: Hippocrates verò noſter, vbi tantùm officio Medici fungitur, hominem probat ex eiſdem elementis compoſitum, ex dolore, excretionibus humorum, diuerſis morbis, & aliis rebus, quæ propriè ad Medicinam pertinent. Neque obſtat quod obiiciebant alij, Medicinam tanquam magis humano generi neceſſariam, priùs ipsâ ſcientiâ naturali inuentam, ideoque ab illa non pendere. Concedimus quidem primò ex pluribus experientiis remedia fuiſſe comperta, quæ hominibus primariis non ſecùs quàm animalium generi, naturâ duce vel caſu cognita fuere. At præcepta Medica & vniuerſalia theoremata, quæ artem conſtituunt, nuſquam niſi à Philoſophis, & poſt inuentam naturalem Philoſophiam fuiſſe reperta. Neque vrget authoritas Galeni, quia ibi Platonem tantùm reprehendit, omnia potiùs ratione quàm ſenſibus explorantem, cùm tamen illa de quibus erat quæſtio, valde ſenſibus ſubiecta eſſent. Hiſce omnibus & authoritatibus & rationibus abundè confeciſſe videmur, Medicum ibi incipere, vbi deſinit Phyſicus, & Medicinam ſcientiæ naturali ſubalternatam eſſe. Quod vt maximè huic noſtro inſtituto faciens, demonſtrandum fuit.*

Vos interim (chariſſimi Commilitones & Iudices conſcripti) quæcunque dicta ſunt hactenus, & à me in poſterum dicentur, benevolo excipite animo, & ſiquando vobis à grauioribus veſtris ſtudiis, aliquid otij ad curſus meos honeſtandos ſuperſit, eos veſtrâ præſentiâ ornate, vt & me meorum errorum admoneatis, & diligentiæ meæ, ſiquæ fuerit, teſtimonium apud Ornatiſſimos Doctores feratis. Scio quidem viros ingenij acerrimi, atque iudicij candidiſſimi, ſi grauiora veſtra reſpiciatis, haſce meas nugas facilè & meritò contempturos. Veniat tamen vobis in mentem, interponenda aliquando ſeriis & curis ludicra. Præterea hæc mihi, qui eiſdem caſtris vobiſcum milito, amicitiæ & ſocietatis gratiâ deberi. Quod ad me; vtinam tantum poſſim, quantum cupio. Siquid de Hippocrate noſtro ſcire cupietis, id ego vobiſcum ſcire conabor.

LECTIO

LECTIO PRIMA.

περὶ φύσιος ἀνθρώπου, *De Naturâ Humanâ.*

IN primo huius libri limine, declaranda hæc quatuor veniunt, quis author, inscriptionis ratio, ordo doctrinæ cum breui huius libri summâ, & eiusdem vtilitas.

Legitimum esse hunc Hippocratis librum, tum ex ipsâ elocutione & Ioniſmo, tum quia sæpissimè de his quæ hîc præcepta tradidit, alibi mentionem faciat, clarum est atque manifestum. Hoc tamen de illâ tantùm parte dictum velimus, quæ prior est, & à nobis ζωὴ θεῷ explicabitur, omissis illis omnibus, quæ à variis authoribus huic libro annexa & interposita sunt. Ipso enim teste Galeno totus hic libellus ex multis conflatus, instructusque esse videtur. Quæ enim prima disputatio de elementis & humoribus agit, ea vt Hippocratis arti omnino consentanea recipitur, quemadmodum & secunda & breuior, quæ de morbis temporaneis tractat. Reliqua omnia dissona atque ab Hippocraticis dogmatis deuia sunt, quæ nos vt suppositicia relinquemus. Constat igitur primam huius libri partem totius Hippocraticæ artis veluti fundamentum continere, eamque nobis ab Hippocrate viro vt verè summo, sic omnium nobis bonorum authore traditam; Hippocrate, inquam illo, quem nos tanquam numen colimus, & cuius sententias oraculis Pythicis semper anteposuit Galenus; quem denique summus Aristoteles *in problem.* generi humano traditum diuinâ prouidentiâ dixit, vt nunquam peccantem & ἀμύμονα, atque ad absolutam artis medicæ perfectionem. De Coryphæi nostri laudibus agere superuacuum multis videbitur, cùm à nemine, excepto vno Thessalo imperitissimo, post hominum memoriam sit vituperatus, hæc tamen pauca quasi placandis eius manibus referam. Hippocrates Coüs ab Asclepiadarum familiâ, vir extra omnem iudicij humani aleam positus, diuinâ præditus naturâ, ex pa ruis atque ἰδιωτικοῖς ad magna & ἰσχνὰ Medicinam euexit, votumque quod sibi proposuerat, *lib de arte*, assecutus est, τὰ μὴ ἐυρημένα ἐξευρίσκων, καὶ τὰ ἡμίεργα εἰς τέλος ἐξεργάζεσθαι, *inuenit quæ nondum erant inuenta, & semiperfecta ad optatissimum finem perduxit*: nonnulla quidem obscurè, nihil tamen perperam scripsit Hippocratis μεγαλοψυχία! cuius postea interpretes fuere Plato, Aristoteles, Galenus. Quæ ille contractius dixerat, isti latiùs & fusiùs sunt persecuti, explicantes scrinia Hippocratica, quæ ille imperitis abstrusa, doctis commissa reliquerat. Denique quam inuenerat, sic tam feliciter exercuit Medicinam, vt per eum vaticinari videretur Apollo, & quibus remediis ad sanitatem ægri reuocarentur, & quâ die perfectè morbo liberarentur, non minus suis quàm posteris consulens, quos tantis affectos beneficiis, illum & coronâ aureâ donasse, & diuinis honoribus ornasse legimus. Salue senex venerande, Medicinæ parens, Philosophiæ instaurator clarissime, vtinam mihi tantum vitæ superfit, quæ ad tua fideliter ediscenda præcepta sufficiat! Tu mihi semper clarissimum eris sidus, ad cuius lucem vastissima artis nostræ maria sum per agraturus; Tu firmissima anchora, ad quam incertis opinionum fluctibus agitatus, confugere decreui. Sed hæc satis. Ad libri inscriptionem venio.

Inscribitur hic libellus περὶ φύσιος ἀνθρώπου, seu de naturâ humanâ: Ad cuius tituli dilucidam explicationem, nomen naturæ, eiusque varia significata clarius explananda.

Natura quidem vnica est, sed varia hominum ingenia, qui illam duplicem faciunt, pro diuerso eorum considerandi modo; Hinc Natura naturans, & Natura naturata; Natura Philosophica & Natura Medica; Natura indiuiduans, & Natura indiuiduata; Natura vniuersalis, & Natura particularis. Naturam illam naturantem qui dicit, quid aliud quàm Deum dicit? Qui prima est & infinita natura, prima causa omnium, naturæ particularis fatique creator & dominus, omnia per seſe, & per causas secundas faciens. De quo sic Galenus 9. *de placitis*; *Quæ substantia sit naturæ, quæ nos & finxit & gubernat, non audeo pronuntiare, sed nostræ creationis authorem,*

theorem, vt omnibus hominibus mos eſt, Deum appello. Malunt alij hanc Naturam naturantem eſſe, non Deum ipſum optimum maximum, ſed ordinariam Dei poteſtatem, vt fortunam eius voluntatem, vnde Hippocrates *de ratione victus*, Φύσιν πάντων θεοὶ διακόσμησαν, inquit, *Deus naturam ordinauit* : Alij ordinem connexionemque cauſarum cum effectibus, vt Stoici. Alij vim formarum omnium inferiorum à ſuperioribus pendentium in effectione atque conſeruatione, vt Aſtrologi : Alij animam mundi, παντοπρμίαν, vt Plato, quam ideò *in Timæo* Φύσιν διαιωνίαν, id eſt, *æternam naturam* ſeu *æternitatem* vocat, & *in Philebo*, diuinis verbis & verè Theologicis expreſſit, μετὰ λόγου καὶ ζωῆ λόγῳ καὶ νῷ τὰ πάντα διακοσμοῦσα. Sit ergo hæc Natura Deus, aut Dei poteſtas, in hiſce omnibus mundanis. Quid verò exiſtat natura illa quam naturatam vocant, videamus. Natura Φύσις παρὰ τὸ φύειν, hoc eſt, producere, parere, dicitur communiter, potentia rei innata, ingenium, indoles, virtus, natiuitas, natales, habitus, propoſitum : Quæ Philoſophis, Boëtio potiſſimùm, in quatuor ſignificata diuiditur.

Primò Natura generaliſſimè ſumpta ſignificat eſſentiam cuiuſlibet ſubſtantiæ corporeæ & incorporeæ, eſſentiam quoque cuiuſlibet accidentis ſenſibilis & inſenſibilis : tuncque planè eſt ſynonymum cum vocabulo eſſentiæ, rei, & entis; & ſic definitur, natura eſt earum rerum quæ cùm ſint, quoquo modo intellectu capi poſſunt.

Secundò generaliter Natura vocatur ſubſtantia tantùm incorporea vel corporea, ſicque ſynonymum eſt prædicamento ſubſtantiæ.

Tertiò ſumitur pro ſubſtantiâ tantùm corporeâ, quæ principium eſt motus & quietis per ſe & non per accidens, vt definita eſt ab Ariſtotele.

Quartò communiter & impropriè Natura Philoſophis ſignificat differentiam ſpecificam, vt cùm dicimus aliam eſſe auri & argenti naturam; proprium aut accidens inſeparabile, vt cùm dicimus, naturâ ignem calefacere, hominem naturâ ridere. Denique energiam & facultatem, vt cùm naturas herbarum, gemmarum, aut cuiuſlibet rei vocamus.

Sit ergo Philoſophis natura, vis quædam perpetua & certa rebus naturalibus inſita neceſſariò, & ſic inſtituta à Deo, vt eis certo curſu, virtute & exemplo ſuam materiam formamque ſuppediter, atque accidentia ſuperaddat, & cuiuſque eſſentiæ regulam in corporibus conſeruet. Atque cùm vim hanc, principium, & cauſam ſignificabit, in prædicamento *ad aliquid* refertur : vbi verò denotabit corporis partem aut eius ſubſtantiam, quæ ex materiæ & formæ vnione conſiſtit, tum in prædicamento ſubſtantiæ collocanda.

Habent Medici naturæ ſignificata, arti ſuæ magis accommodata & proxima, naturamque tantùm particularem reſpiciunt, quæ eſt in rebus ſingularibus & indiuiduis ſubſtantiæ corporeæ, ſecundùm quam nomen cauſæ vel effectus tribuitur indiuiduo, vt cùm dico, ex Socrate iſto naſci illum Calliam aut Platonem. Ideò Auerrhoës, *De tribus*, inquit, *rebus Natura dicitur, quarum vna eſt complexio, ſecunda virtus rectrix, tertia compoſitio.* Alij quatuor modis ſumunt. Primò pro complexione ſeu temperamento, verbi gratia hoc eſt naturæ calidæ. Secundò pro compoſitione & virtute quam vocant regitiuam, quæ eſt omnium facultatum congeries. Tertiò pro conſuetudine, vnde conſuetudo altera dicitur natura. Quartò impropriè admodum, pro partibus generationi dicatis, quas Plinius naturalia appellat.

Natura ſignificat Galeno facultatem, vt *lib. 3. de ſimpl. med. fac. cap. 13.* vbi medicamenta ſenſu ſimplicia, naturâ, hoc eſt, facultate compoſita eſſe ſcribit.

Natura aliquando Hippocrati denotat ingenium & indolem, vt *libro de decenti ornatu*, cùm aſſerit naturam, id eſt, ingenium ad artes ediſcendas πρωτιστάτην & principaliſſimum eſſe inſtrumentum.

Natura ſumitur pro figurâ corporis, vt *1. epid. Maximè moriebantur*, inquit Hippocrates, *quibus natura vergebat ad phthiſin*, id eſt, corporis figura, pectus ſcilicet anguſtum, collum longius, ſcapulæ πτερυγώδεις, tibiæ incuruæ, &c.

Natura accipitur pro conſuetudine, Hippocrati *lib. de alimento*, & Galeno *1. ad Glauc. Communis & propria hominum natura, id eſt, conſuetudo Medico eſt cognoſcenda.*

Natura ſignificat calidum innatum, vt *Aphoriſmo 15. libri primi.* Αἱ κοιλίαι χειμῶνος καὶ ἦρος θερμόταται φύσει, *Ventres hyeme calidiſſimi naturâ*, hoc eſt, calido innato, iuxta ipſius Galeni interpretationem, qui *2. ad Glauc.* ait calorem natiuum eſſe vel virtutum ſubſtantiam, vel primarium ipſarum inſtrumentum. Calor autem

autem iſte natiuus ideò natura vocatur, quod in mixtione omnibus præpolleat, atque cæteris collatus ſe habet vt agens & forma, cætera vt patiens & materia, propriũ quippe eius eſt homogenea componere, diſgregare heterogenea. Quo pacto mixtorum corporum fieri generationem eſt neceſſe, vt ſcilicet vi agentis ea in vnum componantur, quæ naturæ mixti conueniunt, aliena ſeparentur & ſecludantur. Itaque cùm generatio mixtorum omnium calori per ſe primò tribuatur, non immeritò calidum innatum dicitur, & à Stoicis definiebatur natura, *ignis arte progrediens ad generationem*, indicantibus rem illam quæ natura dicitur, eſſe in corporibus calorem certo quaſi modo ab æternâ mente ordinatum, qui modus eſt quaſi ars cuiuſlibet ſpeciei.

Natura denique magis propriè & accommodatè Medicis ſignificat temperiem ſeu ſubſtantiam ex primis elementis conflatam, vt apparet ex *textu & comm. Aph. 2. li. 3. & 51. lib. 2.* Quod conceptis verbis expreſſit Galen. 3. *lib. temperam.* Cuius verba propter duplex & eloquentiæ & doctrinæ nectar, referre lubet: Φύσιν, inquit ille, ὅταν εἴπω, ἢ ἄλλο τι οὐσίαν τε καὶ κρᾶσιν λέγω, τὴν ἐκ τῶν πρώτων στοιχείων, θερμοῦ, καὶ ψυχροῦ καὶ ξηροῦ καὶ ὑγροῦ, id eſt, *Naturam cùm dico, ſubſtantiam totam & temperamentum ſignifico ex primis elementis, calido, frigido, ſicco & humido conflatum.* Hoc ſignificato vtitur Hippocrates toto libro nobis propoſito, vt cùm librum *de naturâ humanâ* inſcripſerit, idem ſit ac ſi titulum illi feciſſet, *De elementis ad hominis temperiem & compoſitionem concurrentibus*; vnde Galenus fideliſſimus eius interpres, libro quem de eodem ſubiecto edidit, inſcriptionem, vt omnes ſcitis, appoſuit, *De elementis ſecundùm Hippocratis ſententiam.* Omnes veterum libri, vt idem refert Galenus, *De naturâ* inſcripti ſunt, non de elementis, vt Meliſſi, Parmenidis, Empedoclis, Alcmæonis, Gorgiæ, Prodici, Ariſtotelis, Chryſippi, quamuis in illis tractationem elementorum abſolutam tradiderint. Adde quòd hoc in libro, de multis agit Hippocrates, quæ ad elementorum tractationem non ſatis pertinere viderentur, vt humoribus, partibus, atque etiam morbis, & aliis ad Medicum maximè ſpectantibus, quæ meliùs ſub naturæ nomine continentur. Quare optimè inſcriptus eſt hic libellus, περὶ φύσιος ἀνθρώπου, ſeu *de naturâ humanâ.*

Ordinem docendi, quem Hippocrates hoc in libello obſeruat, accuratiùs tenebimus, vbi aliquatenus explicando progreſſum fecerimus. Videtur nobis methodo cõpoſitiuâ hic procedere, quòd à minimis ratione partibus incipiens, totã humani corporis compagem inſtruat, quamuis alij aliter ſentiant. Hoc interim certum ſit, omnia hoc in libello, tam eleganti, támque methodicâ tractatione doceri, vt nullus ſit liber, quem huic conferre poſſimus, ſi methodum & docendorum conſequentiam ſpectemus, atque ideò archetypus & exemplar aliorum dici poteſt. Totus hic liber in tres partes diuidi debet, facilioris doctrinæ gratiâ; in quarũ primâ poſt refutatas antiquorum de numero elementorum ineptas opiniones, docet Hippocrates, plura eſſe elementa quæ corpus humanum ſeu naturam humanam conſtituunt, idque ſex præcipuis argumentis, quæ hîc breuiter non immutato ordine, vt quidam fecerunt, recenſebimus. Primum eſt à dolore, quia vnum cùm contrario careat, dolore affici non poſſit, quia propter alterationem aut continui ſolutionem dolor contingit. Secundum à morborum & affectuum corpori noſtro contingentium varietate: ægrorum enim quidam propter frigidam, alij propter ſiccam, atque humidam intemperiem improportionatam malè habent. Tertium à remediorum diuerſitate. Ad quid enim, ſi vnũ ſit, hoc eſt, ex vno conſtet corpus humanum, vnóque corripiatur affectu, diuerſa illa & propemodum infinita remedia, quæ non ſolùm contrarietate ſpeciei, ſed etiam gradus diuiſione, morbis opponuntur? Quartum petitum eſt à veriſimili, ſi enim ipſa quæ vocantur elementa, non ſimplicia ſint, ſed quaſi ex heterogeneis compoſita, vt potiùs elementata, quàm elementa dici mereantur, quomodo corpus humanum ex vno conſtabit, cùm etiam ipſa terra, quæ elementum dicitur, diuerſis conſtet ſubſtantiis, acidâ, amarâ, dulci, & ſalsâ; ex quibus vnaquæque plantarum ſibi magis familiarem & amicum ad nutritionem ſuccum allectat? Quintum argumentum & maximè validum, ducitur à diuersâ rerum generatione. Quamuis enim mundus hic vnus ſit, propter ordinem & continuationem partium inter ſe, atque vnione principij efficiẽtis & finis, non tamen vnione formæ informantis, aut vnione materiæ, quoniam ex contrariis, ac mutuâ corruptione inter ſe graſſantibus partibus conſtitutus eſt, ac infinitas rerum ſpecies continet. quæ vno exiſtente elemento, eóque immutabili, extare non poſſent. Sextum & vltimum, à reſolutione manifeſta mixtorum, quæ fit in diuerſa elementa; vnde elegantiſſimus cecinit Poëta Lucretius:

Nam ſua cuique locũ ex omnibus omnia plagis
Corpora diſtribuuntur, & ad ſua ſecla recedunt.
Humor ad humorem, terreno corpore terra
Creſcit, & ignem ignes repetunt, atque æthera æther.

Vnde quod terrenum fuit, terram; quod aëreum aërem; quod aqueum aquam fieri; quod igneum, ſupremam ignis regionem repetere in diſſolutione vltimâ elementorum videmus. Atque hæc prima eſt libri pars, in quâ de elementis agitur.

Secunda pars diſputationem continet de humoribus, quos plures, refutatis aliorum opinionibus, & reipsâ diſtinctos ac differentes eſſe demonſtrat, idque his probationibus. Prima ab analogiâ, quia cùm priùs probatum ſit, quatuor eſſe elementa, non vnum, quæ corpus noſtrum conſtituunt, neceſſe ſit etiam humores, quæ ſenſibilia ſunt corporis noſtri elementa, plures vno eſſe, atque diſtinctos, qui diuerſas elementorum naturas referant. Secunda à temperie ducitur & intempere, quia ſi vnicus eſſet humor, vnica tantùm eſſet temperies vel intemperies, quia morbus cùm ab aliquâ fiat cauſâ, & vna cauſa vnicum producat effectum, ſi vnicus eſſet humor, vnica eſſet intemperies, quod eſt falſum. Tertia probatio petita eſt à diſſimilitudine ſubſtantiæ, quoniam alia eſt bilis, alia pituitæ, alia ſanguinis, alia melancholiæ natura: differunt enim nomine, colore, formatione, caliditate, frigiditate, & humiditate. Quarta à cauſarum conſeruantium & efficientium numero. Quinta demum probatio ſumitur à catharticorum, id eſt, medicamentorum purgantium differentiâ, quorum alia χολαγωγὰ, alia φλεγμαγωγὰ, alia μελαναγωγὰ, alia ὑδραγωγὰ exiſtunt, ſempérque humorem ſibi familiarem trahunt, quod non fieret, ſi non eſſent diuerſi humores. Sex igitur argumenta præcipua ſunt, quibus elementa quæ ratione percipiuntur, ad corporis noſtri compoſitionem concurrere probat. Quinque autem, quibus ſenſibilia corporis elementa, humores nimirum quatuor eſſe demonſtrat.

Supereſt tertia libri pars, in quâ probato elementorum & humorum numero, docet totum hoc vniuerſum, veluti teſtari de hac diuerſitate humorum, & elementorum differentia; cùm & ipſæ anni partes in exceſſu qualitatum, elementis & humoribus reſpondeant, vt æſtas igni & bilioſo humori; autumnus terræ & melancholico ſuccо; hyems aquæ & pituitæ; ver aëri & ſanguini puriſſimo: atque etiam ipſæ dierum horarúmque quadræ. Obiter etiam morborum ſecundùm anni tempeſtates vigentium, mentionem facit. Atque hæc eſt ſuccincta huius libri ſumma, partis nimirum quam mihi interpretandam commiſit Sapientiſſimus Cancellarius.

Ex his ſatis patere poteſt, quæ ſit huius tractationis vtilitas, in quâ totius Philoſophiæ & Medicinæ principia concluſa ſunt, ex quâ Plato & Ariſtoteles ſuæ Philoſophiæ exordia ſumpſerunt. Hic eſt fons limpidiſſimus, ex quo omnes riuuli illi orti ſunt, qui amœniſſimos Philoſophorum Medicorúmque hortos irrigarunt. Hoc clariſſimo latiqe ſi labra proluere, & diuturnam ſitim explere poterimus, nequis nobis iactitet, aut Parnaſſi fontẽ caballinum, aut alia muſarum pocula, tot Poëtis ac μυθολόγοις decantata, quæ nobis hîc pleno ebibenda hauſtu, ſummus præbuit Hippocrates.

LECTIO II.

TEXTVS HIPPOCRATIS.

Ὅ τις μὴ ἄκουσεν ἀκριβῶς λεγόντων ἀμφὶ τῆ φύσι τῆ ἀνθρωπίνης, οὗτος οὐ δύναται ἀκοῦσαι ὀρθῶς ἐς ἰητρικὴν ἀφῖκται, τοῦτο μὲν οὐκ ἐπιτήδειος· ὅδε ὁ λόγος ἀκριβῶς· οὔτε γὰρ τὸ παράπαν αἷμα τὸ ἀνθρώπειον ἐστι, ὅτε πῦρ, ὅτε ὕδωρ, ὅτε γῆ, οὐδ' ἄλλο οὐδὲν ὅτι μὴ φανερόν ἐστιν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ· ἀλλὰ τοῖσι βουλομένοισι ταῦτα λέγειν, παρίημι.

QVI de naturâ humanâ vlteriùs quàm ad Medicinam pertinet, diſputantes audire conſueuit, ille non eſt aptus ad audiendum hunc ſermonem. Neque enim ex toto hominem eſſe aërem dixero, neque ignem, neque aquam, neque terram, nec aliud quidpiam; quia non eſt manifeſtum vnum in homine eſſe. Sed talia dicere volentibus permitto.

Proœmium

Digitized by G

PRoœmium hoc est totius libri breuissimum, in quo Philosophorum more & finem propter quem hæc oratio sit instituta, complectitur, & auditorem Medicum à prauis antiquorum opinionibus abducit Hippocratis. Cùm enim illi sit propositum de primis elementis agere, quæ ad corporis humani constitutionem concurrunt, atque adeò aliorum malè sentientium sententias euellere, eos sibi tantùm in disciplinam committendos asserit, qui & liberam mentem, nullisque erroribus præocupatam habeant, & qui certissimis demonstrationibus, potiùs quàm vanis assertionibus fidem adhibeant. Neque enim voluit Hippocrates, eorum impugnare dementiam, qui vni tanquam scopulo opinioni adhærentes, nullâ ratione se ab eius complexu, etiam validissimâ, auelli aut abstrahi patiebantur. Tam pertinaces enim & obstinati fuerunt olim sectarum cultores, vt qui se in familiam aliquam Philosophorum dedisset, ille (vt refert Galenus 3. *de locis affectis*) patriæ suæ miseram vastationem, quàm sectæ cui se addixerat, proditionem æquiori ferret animo. Proditionem autem putabant, si vera dicendo ab his esset dissentiendum, quæ secta illa & hæresis profitebatur. Horum imperitiæ & contentioni, quoniam ne ipse quidem Æsculapius cum Musis mederi possit, tanquam insanabili correptos morbo cum prognostico relinquit Hippocrates, inquiens: *Non sunt apti ad audiendum hunc sermonem: permitto illis quæ volunt dicere.* Non tamen idcirco eorum omittit refutationem, qui philosophiæ naturalis & Medicinæ fundamenta conuellere videbantur, candidis & φιλαρέτοις auditoribus maximè profuturam, iuxta illud, quod sibi *lib. de arte* proposuerat, ἐν τῇ τῆς τέχνης προσθέσει, (ait ille) ἅμα τοὺς λόγους τῶν ἀντιχόντων αὐτῇ ἀναιρήσω id est, *in progressu artis, sermones eorum qui illam impugnare, contendunt euellam*; iuxta agricolarum morem, qui noxiis & infelicibus herbis priùs agrum expurgant & euerrunt, quàm illi bonam sementem committant. Sed quomodo hoc præstet, videamus.

[*Neque enim in totum*, τὸ πάμπαν, *hominem aërem esse dixero*, &c.] Prisci Philosophi, quicquid primum principium & elementum dixerunt, vt est 2. *Physic.* Id quoque communem esse singulorum sensibilium entium naturam statuerunt, substantiamque eam dixerunt stabilem immobilémque permanere, formis omnibus per se priuatam, sed ab eis quasi ingredientibus & exeuntibus agitatam. Hanc itaque informem substantiam, & hominis & naturalium entium omnium, veram ac totam esse naturam asserebant; alia autem omnia istius substantiæ passiones, habitus, & dispositiones esse. Quarum eas quæ facilè adimi auferríque possent, dispositiones vocarunt, eas verò quæ stabiliores erant, habitus nominabant; reiectâ omni formâ substantiali, quam neque esse, neque naturam existere contendebant, omnésque formas sub accidentibus reponebant. Primò, quòd omnis forma sit in subiecto nimirum materiâ, quod proprium est accidentis. Secundò, quòd omnis forma adsit & absit à materia sine maseriæ corruptione, pereuntibus omnibus formis incorrupta manet materia. Tertiò, quòd omnis forma sit in materiâ, neque sit pars eius, cùm materia simplex sit, nec possit esse sine materiâ, quæ sunt omnes accidens conditiones. Itaque vnam tantùm naturam, vnum principium & elementum esse concludebant, nempe materiam; Quamuis enim ex Philosophis antiquis, quidam plura asseruerunt principia, alij finita, alij verò infinita: nihilominus omnes hi qui plurima siue finita siue infinita posuerunt principia; huiusmodi omnia vnum secundùm genus & potestatem asseruere, vt videbitur. In eo igitur omnes consentiunt: vnam esse naturam constituendam: ad illam verò assignandam & nominandam varij sunt & multiplices. Alij ponebant vnum è quatuor elementis, alij duo, alij medium quid, alij atomos, alij partes similares, alij quid infinitum.

Anaximander & Melissus vnum mobile & infinitum principium ponebant, quod neque aqua sit, neque aër, neque aliquid eorum quæ elementa appellamus: sed infinita quædam natura, ex quâ omnes cœli & mundi infiniti emanarint.

Diogenes Apolloniata, medium quid inter aërem & ignem.

Thales Milesius, qui primus de naturâ scripsisse dicitur; aquam omnium principium esse statuit, quoniam ad nutritionem educationemque aptissima esse videtur, eùm calor ipse humido veluti vehiculo & pabulo viuat, & quæ interitura sunt, priùs arida & sicca euadant humidi priuatione. Præterea omnium animantium semen humidum maximè apparet, omnisque cibus & alimentum est succi & humidi plenum. Quare cùm aqua sit maximè humida & ad cunctarũ rerum formationem educationemque conferat, ideò ipsam omnium rerum principium esse arbitratus est. Atque iuxta quosdam ὕλη, quod materiam Græcis significat, apud Syros aquam designat, hinc vulgo apud Latinos; vnde nihil mirum si Græcorum sapientes aquæ naturam

cum materiæ naturâ vnam existimarint, qui linguam & literas à Cano Phœnice acceperant.

Terram,eò quòd ad motum valde est inepta,& ad mutationem segnissima, principium pauci statuerunt, vt Pherecides Syrus antiquissimus Philosophus, & Hesiodus Poëta,qui illam matrem ἀνδρῶν τε θεῶν τε,hominum & deorum vocat,vnde etiam antiquitus mater deorum Cybele pingi solebat, coronam turritam gerens.

Anaximenes vniuersi naturam, aërem esse infinitum & sempiternum docuit, ex cuius raritate densitateque, ac suarum affectionum mutatione, aliorum formas gigni putauit.

Heraclitus & Hippias Metapontinus, ignem principium mobile & finitum posuerunt Cuncta enim volebant ex ignis raritate ac densitate fieri,omniaque in eum resolui:in ipsum atque ex ipso rerum omnium mutationem fieri.Præterea dicebant illi, elementum ex quo alia oriuntur,& in quod resoluuntur, minimum esse debere. At nihil igne aut tenuius aut subtilius, qui per cuncta recipitur,omnia alterans, digerens, efficiens.

Reliqui Philosophi,qui plura quidem vno elementa & principia agnoscebant,illa tamen omnia eadem secundùm genus & potestatem asserebant; vnde nihil aut parum ab eis differunt,qui vnum tantùm elementum ponebant,v.g. Xenophanes Colophonius aquam & terram,Hippo Rheginus ignem & aquam,Cenopides Chius ignem & aërem,Empedocles solus quatuor posuit elementa notissima,tanquam materiales causas,quas primas omnium radices appellauit: In eo autem à verâ & Hippocraticâ doctrinâ discessit,quòd hæc elementa immutabilia esse, & mixta non alteratione,sed solâ horum elementorum congregatione per amiçitiam fieri,dissolui verò per litem asserebat. Neque volebat elementa hæc transmutari, sed quando ex aquâ verbi gratia fit aër, tunc aërem qui in aquâ continebatur, non gigni, sed latentem extrudi.

Rursus Philosophi illi,qui relictis elementis,alia sunt principia perscrutati,ab Hippocrate significati sunt, cum dicit,*Neque enim in totum hominem esse aërem dico,neque ignem, neque aquam, neque terram,* οὔτ' ἄλλο οὐδέν, *neque aliud quippiam.* Hi verò Philosophi, modo oppositò superioribus Philosophis, vnum statuerunt principium; illi namque ex vno multa, isti verò ex multis & infinitis vnum secundùm formam & potestatem faciunt, quales sunt, Asclepiades Bithynus, qui moles quasdam omni actione carentes; Pythagoras, qui numeros; Mathematici, qui superficies; Anaxagoras, qui infinitas particulas homæomeras & similares, vnde quidlibet ex quolibet fiat & insit.

Denique Democritus,Leucippus,& Epicurus,qui vacuum & atomos instituerunt, vocabantque atomos pusilla admodum corpuscula ἀναρῇ indiuisibilia,qualia diceres ramenta illa quæ per rimas angustas, in radiis solaribus videntur.

Hoc intra immensum spatium volitare minuta
Corpora, quæ quoniam nequeant in frusta, minores
Nec findi in partes, quàm sint ea, nomine Graij
Dixerunt atomos, atque hinc elementa parentem
Naturam, & cunctis formare exordia rebus.

Dant igitur exordia rebus, iuxta eorum sententiam, atomi, ita vt per illarum congregationem & conglutinationem fiat generatio; quando autem diuiduntur & separantur,corruptio;quando vndique se contingunt,faciant actionem & passionem, idque in vacuo;cùm penetrant se,& vna subintrat in alteram, fiat augmentatio; vbi autem ordinem & situm permutârint, tunc fiat alteratio. Atque hæc de antiquorum Philosophorum opinionibus;quas omnes reijcit Hippocrates,cùm dicit, *Neque enim in totum hominem esse aërem dico,neque ignem, neque terram,neque aquam,neque aliud quippiam*: hoc potissimùm nomine quòd scientiæ naturalis & Medicinæ principia, omnino inuertant. Physicæ quidem, quoniam illa supponit motum & μεταβολὴν, id est, transmutationem,plura esse naturalia corpora, eáque motus & quietis principia habere, duplicem esse naturam, materiam scilicet & formam. Quod si vnicum sit ens (vt priores asserebant) & vniuocè de omnibus prædicetur, ista omnia fundamenta naturalis Philosophiæ corruunt. Medicinæ verò, quia illa pro hypothesibus habet alterationem, corporum transmutationem, eorumque affectus sanitatem & ægritudinem. Quæ contingere non possunt, vno existente principio, nihil patientur corpora nostra;aut si patiantur, vnum solummodò patientur;Quare & vnum erit medicamentum, vna ægritudo, vnus medendi modus. Si hoc sit,

perit

perit tota facultas Medica, in quâ hoc maximè habetur artificioſum, propriis morbis propria & opportuna adhibere remedia, aliàs vnicuique peruia erit ars noſtra, & minimè periculoſa. De his quidem diſputare ad Medicum non pertinet, quæ pro confeſſo in Medicinâ habentur, vt neque Geometris de Geometriæ principiis, aut aliis ad Geometriam non pertinentibus; Maximè tamen conueniebat ſummum Hippocratem tanquam Herculi proximum, iſta opinionum monſtra debellare, qui Artem Medicam erat conditurus. Ideóque quamuis dicat ſe illis, ea quæ dicere volebant, permittere, aggreditur tamen ſtatim ad illorum refutationem, & adiungit: ὅτι μὴ φανερὸν ἐστὶν ἓν τῷ ἀνθρώπῳ, *Non vnum in homine eſſe apparet.* Non eſt manifeſtum, hominem vnico conſtare elemento. Dicet aliquis; Quomodo aſſerit Hippocrates, non eſſe manifeſtum hominem vnico conſtare elemento, cùm neque etiam manifeſtum ſit eum quatuor elementis conſtare? Neque enim quis in homine aut terram, aut ignem, aut aquam, aut aërem purum putum oſtendere poſſit, non magis quàm in tetrapharmaco picem, reſinam, ceram aut adipem. Reſpondemus, manifeſtum aliquid tripliciter dici, aut quod manifeſtum ſit ſenſui, vt viſui, auditui, &c. aut quod manifeſtum rationi, quandoquidem vt inquit alibi, *libro de arte*, Hippocrates, ὅσα τῶν τ ὀμμάτων ὄψιν ἐκφεύγει, ταῦτα τῇ τῆς γνώμης ὄψει κατεχράτηται, id eſt, *Quæ oculorum intuitum effugiunt, illa oculo mentis conſequenda*; Tertio dicitur manifeſtum vtrique, ſenſui quippe & rationi. Hominem vnico conſtare elemento, neque ratione conuincitur: pluribus verò conſtare, ipſi quidem ſenſui manifeſtum, propter partes ſimilares, quæ ſenſibilia elementa vocantur, & humores qui primas elementorum naturas apertè repræſentant; Rationi etiam, propter rationes quas deinceps adiungit Hippocrates.

Sed quoniam hoc nomen *elementum*, quod ſæpiùs inter loquendum vſurpamus, nobis aliquando propter homonymiam imponere poſſet, non temerè facere videbimur, ſi pro huius lectionis concluſione, varia illius ſignificata diſtinguamus.

Elementum quaſi alimentum dictum volunt Latini, eo quòd illis velut alimentis foueantur conſeruentúrque corpora miſta. Græci στοιχεῖον dicunt ab ordine, quòd illa quodam quaſi inter ſe ordine conſtent. Elementum nomen eſt relationis, & in prædicamento ad aliquid. Non enim dicitur elementum, niſi relatione factâ ad compoſitum. Dicitur itaque primò & maximè communiter elementum, pro eo quod cuiuſuis artis aut alterius rei compoſitionem ingreditur, vnde lateres, ligna, lapides, domus elementa; litteræ elementa ſyllabarum; Geometriæ elementa ſeu στοιχεῖα dicuntur γραμμαί, Σημεῖα, Πίνακες, γωνίαι, κύκλοι; lineæ, puncta, ſuperficies, anguli, circuli, &c. eiuſmodi.

Secundò elementum Metaphyſicis, pro principio ſumitur, ita vt prima & maximè vniuerſalia tam ſimplicium quàm compoſitorum corporum principia, materia, & forma dicantur elementa. Quæ ſignificatio maximè facit ad conciliandas Veterum controuerſias, quorum alij de elementis illis vniuerſalibus, alij de elementis propriè dictis intelligebant.

Tertiò, elementa Phyſicis maximè propriè ſignificant, communia omnium compoſitorum corporum fundamenta, ignem, aërem, terram, & aquam, quæ prima corpora ex materiâ & formâ conſtituta ſunt.

Quartò, elementa ſignificant magis propria & propinqua, vt ſimilares partes, quæ ſenſibilia elementa vocantur.

Quintò, horum media, animalibus omnibus ſanguineis appropriata, ſicut ſunt quatuor humores, ſanguis, pituita, bilis, & melancholia.

Ex his ſignificatis tertium nobis tantùm hîc ex vſu eſt, quando nimirum elementum Phyſicâ vſurpatione ſignificat vnum ex primis corporibus, quæ omnibus ſunt compoſitis communia; cuius exactam definitionem tradidit Ariſtoteles 5. *Metaphyſ. cap.* 3. Elementum eſt principium corporeum ſimplex, ex quo fit aliquid cùm inſit, & eſt indiuiſibile ſecundùm ſpeciem. Dicitur primò, corpus ſimplex, & principium corporeum, ad diſtinctionem aliorum principiorum, materiæ ſcilicet, formæ, & priuationis, quæ nec ſunt corpus, res nec corporea, & ad differentiã corporis miſti, quod minimè eſt ſimplex. Dicitur ſecundò, ex quo fit aliquid, quoniam elementa materiæ vicem obtinent. Dicitur tertiò, indiuiſibile ſpecie, ad differentiam materiæ, quæ cùm ſpecie careat, ſecundùm illam diuidi non poteſt, & ad differentiam corporum miſtorum, quæ partes habent diuerſas, & ſpecie differentes.

Et ſic patet, quæ ſint antiquorum de elementis opiniones, quare illas reiecerit Hippocrates, & quod ſit proprium elementi ſignificatum, eiúſque definitio.

LECTIO III.

TEXTVS HIPPOCRATIS.

Δοκέουσι δὲ μοι ἐκ ὀρθῶς γινώσκειν οἱ τὰ τοιαῦτα λέγοντες· γνώμῃ μὲν γὰρ τῇ αὐτῇ πάντες χρέονται· λέγουσι δὲ ἑ ταυτά· ἀλλὰ τὸ μὲν γνώμης τὸ ἐπίλογον, τὸν αὐτὸν ποιέονται· φασὶ γὰρ ἓν τὸ εἶναι, ὃ, τι ἔστι· καὶ τοῦτ' εἶναι τὸ ἓν τε καὶ τὸ πᾶν. κατὰ δὲ τὰ ὀνόματα ἐκ ὁμολογέουσι. λέγει δ' αὐτέων ὁ μὲν τις φάσκων, ἠέρα τοῦτο εἶναι, τὸ ἓν τε καὶ τὸ πᾶν· ὁ δὲ πῦρ· ὁ δὲ ὕδωρ· ὁ δὲ γῆν· καὶ ἐπιλέγει ἕκας@ τῷ ἑωυτοῦ λόγῳ μαρτύρια τε καὶ ἰκμήρια ἄγαν ἔστιν ἀθέα· ὅτι μὲν γὰρ τῇ αὐτῇ γνώμῃ πάντες προσχρέονται, λέγουσι δ' οὐ τὰ αὐτὰ, δῆλον ὅτι οὐδὲ γινώσκουσιν αὐτά. γνοίη δ' ἂν τῷδε τις μάλιστα παραγινόμεν@ αὐτέοισιν ἀντιλέγουσι· πρὸς γὰρ ἀλλήλους ἀντιλέγοντες οἱ αὐτοὶ ἄνδρες, τὰ αὐτέων ἐναντίον ἀκροατέων, οὐδενὸς πρεῖς ἐφεξῆς ὁ αὐτὸς ἄνθρωπ@ περιγίνεται ἐν τῷ αὐτῷ λόγῳ· ἀλλὰ ποτὲ μὲν οὕτ@ ἐπικρατέει, ποτὲ δ' οὕτ@, ποτὲ δ' ᾧ ἂν τύχῃ μάλιστα ἡ γλῶσσα ῥυεῖσα πρὸς τὸ ὄχλον· καίτοι δίκαιόν ἐστι τὰ φάσκοντα ὀρθῶς γινώσκειν ἀμφὶ τῶν πραγμάτων, περιέχειν αἰεὶ ἐπικρατέοντα τὸν λόγον τὸν ἑωυτοῦ, εἴπερ ἐόντα γινώσκει, καὶ ὀρθῶς ἐκφαίνεται· ἀλλ' ἐμοί γε δοκέουσι οἱ τοιοῦτοι ἄνθρωποι σφᾶς αὐτοὺς καταβάλλειν ἐν τοῖσι ἐνόμασι τὸν λόγων αὐτέων, ὑπ' ἀσυνεσίης· τὸν δὲ Μελίσσε λόγον ὀρθῶν·

ALIA autem dicentes, non bene ſentire mihi videntur. Vnicâ quidem vtuntur ſententiâ, non tamen eadem dicunt, ſed eundem inferunt epilogum (ſeu concluſionem.) *Dicunt enim vnum eſſe quod eſt, & idem eſſe vnum ac totum, circa autem nomina non conſentiunt. Alius enim ait, aërem hoc vnum eſſe & totum, alius ignem, alius aquam, alius terram. Addit etiam vnuſquiſque ad opinionem ſuam teſtimonia & ſigna, quæ nullius ſunt pretij. Quòd enim omnes vnâ ratiocinatione vtuntur, non autem eadem dicunt, oſtendit illos ignorare, quæ profitentur. Hoc quis maximè cognouerit, ſi illorum diſceptationibus interfuerit: Cùm enim inter ſe diſputant, iiſdem authoribus præſentibus, nunquam ter idem homo vincit in eodem ſermone, ſed modò hic, modò alter ſuperat, cui maximè fuerit lingua fluida ad populum. At æquum erat illum qui de rebus ſe rectè ſentire pronuntiaret, ſemper ſermonem ſuum victorem præbere, ſi vera cognoſceret, & rectè demonſtraret. Sed mihi videntur hi homines ſeipſos deſtruere in verbis ſuorum ſermonum propter imperitiam: Meliſſi verò opinionem ſtabilire.*

VEritas eſt adæquatio notionum quæ ſunt in intellectu, cum ipſis rebus, quam deinde oratione exprimimus, ita vt veritas primò ſit in ſpeciebus iunctis in intellectu, ſecundo loco in oratione res intellectione rectâ intelliguntur, veritas verò reflexâ, nec ſemper qui vera dicit, ſcit ſe vera dicere, niſi cum re comparet orationem. Idcirco non ignauis & otioſis, ſed diligentibus ac ſtrenuis ſeſe offert ac patefacit veritas, quæ vnica & ſimplex eſt. In eis enim quæ conſiſtunt in habitudine vnius ad alterum, duplex impedimentum ex vno vel alio contingere poteſt; oculus enim impeditur à viſione alicuius viſibilis, aut quia eſt debilis, aut quia viſibile eſt tenebricoſum: Sic veritas ſæpius difficilis eſt cognitu dupliciter, vel propter defectum qui eſt in ipſis rebus, vel eum qui eſt in noſtro intellectu. Cùm enim vnumquodque ſit cognoſcibile, in quantum eſt ens in actu, illa quæ habent eſſe deficiens, (vt aptiſſimè dicunt Philoſophi) parum ſunt cognoſcibilia, vt motus, tempus, materia prima; maior tamen defectus ſemper ex parte noſtri intellectus accidit. Ideò Veterum quamplurimi, cùm neque orationem cum ſpeciebus iunctis in intellectu, neque notiones intellectas cum rebus ipſis propter imperitiam & ἀσυνεσίαν conferre & comparare poſſent, in abſurdiſſimas lapſi ſunt de primis rerum elementis opiniones. Primò tamen illorum inſufficientiam apertè oſtendit Hippocrates, cùm dicit, *Vnicam habent ſententiam, non*

tamen

Digitized by Google

tamen vnum dicunt, ſed eandem inferunt concluſionem. Veteres hi Philoſophi mutuam elementorum inter ſe tranſmutationem conſpicati, dum circulum illum generationis perpetuum & infinitum viderent in elementis, qui ſe à primo ad vltimum, & ab vltimo ad primum conuertit, prout quiſque affectus erat magis ad hoc aut illud contemplandum, ita alius ignem, alius aërem, alius aquam, alius terram, primum elementum & rerum omnium naturam appellauit. In vno elementorum totam eſſe materiam ad alia putarunt, quoniam vterque terminorum tota eſt materia ad alterum. Habebant illi medium vnum commune, nimirum tranſmutationem, ex quo quatuor oppoſitas concluſiones inferebant. Vnde qui aërem primum dicebant elementum, ſic argumentando procedebant. Aër rarefactus ignis fit, denſatus aqua; adhuc magis condenſatus ad decuplam proportionem fit terra. Qui ignem primam materiam aſſerebant, ſic. Ignis in vnum coactus ac denſatus, fit aër: quod ſi adhuc magis comprimatur, aqua; maximè denſatus, terra. Qui aquam, ſic. Aqua denſata ac veluti compreſſa, terra fit; laxata & veluti fuſa, aër. Quod ſi magis laxetur fundatúrque, ignis. Denique qui terram elementum omnium affirmabant, eâdem ratione vtebantur. Terra ſi mediocriter fundatur, fit aqua: ſi magis rareſcat, aër: demum vbi ad vltimum raritatis & leuitatis gradum peruenerit, ignis euadit. Ergo primum eſt omnium elementum, ex quo reliqua fiunt, concludebant omnes.

Quis rationes iſtas vanas & falſas eſſe non videat, quæ ex eiſdem mediis & principiis, diuerſa & oppoſita inferunt & concludunt? Ipſe quidem Plato abſurdas iudicauit *in Timæo*, his verbis: *Videmus*, inquit, *hæc omnia quæ elementa dicuntur, circuitu quodam, ſibi inuicem vires fomentáque generationis præbere: quæ cùm nunquam eadem appareant permanere, quiſnam ſine rubore, reprehenſioniſque ſuſpicione poterit aliquid iſtorum vnum potiùs quàm aliud certò ac firmiter appellare principium? nemo certè.* Galenus eas abſurditatis plurjbus in locis damnauit, & potiſſimùm *lib. 1. de elementis* ſecundùm Hippocratis ſententiam, dum ait: *At rationum iſtarum abſurditas eſt manifeſta: Nam cùm omnes de naturali elementorum tranſmutatione primum & informe ſubiectum oſtendente loquantur, non animaduertunt ſe hoc demonſtrare, ſed ſinguli quodcunque nominant elementum, aut ignem, aut aërem, aut aquam, aut terram, id primum ſubiectum eſſe arbitrantur. Verum enimverò materiam illi primam ignorarunt, & ex quatuor vnum, quodcunque id eſſet, elementum primum ſtatuèrunt; Ij igitur omnes eaſdem præmiſſas faciunt ex eiſdem mediis & principiis ſed non conuenientem inferunt concluſionem.* Hæc Galenus, ex cuius verbis elicitur, quæ debuit eſſe argumentationis veterum Philoſophorum, & ex præmiſſis ducta concluſio. Cùm mutua ſit elementorum tranſmutatio, terminíque generationis quæ motus eſt, ſint contrarij, neceſſe eſt vnum commune omnibus eſſe ſubiectum, & vnam ſubſtantiam, quæ omnibus primis corporibus æquè ſubiiciatur. Hanc bene concluſionem intellexit Plato, inquiens: *Vniuerſi quod genitum eſt & ſenſibus omnibus manifeſtum, matrem ipſam receptaculúmque, neque terram, neque aquam, neque aërem, neque ignem dicamus, neque aliquid ex his conſtitutum, aut aliqua, ex quibus proprie hæc ipſa ſubſiſtant; ſed inuiſibilem potiùs ſpeciem quandam & informem ſinum omnium capacem.*

Scipio Cap. *Materies apta in quamuis ſe vertere formam, &*
Corpore ab informi naturæ ſemina oriri.

Ariſtoteles has omnes antiquorum opiniones, eo potiſſimùm nominè impugnat, quòd primum omnium ſubiectum, quod omnes omnium formas recepturum eſt; omnibus illis formis nudum & priuatum eſſe conueniat. Nam ſi formis quibuſdam ſit prædictum, & alicui ſimile, non poterit aliud fieri, nempe contrarium, quia vltimum eſt ſubiectum, quod iam in alia reſolui non poteſt, vt formam propriam deponat & aliam recipiat. Antiqui verò cùm vnum & omne eſſe quodcunque tandem eſt, aſſerunt, idipſum vnum & totum ex quatuor elementis vnum forma præditum: & ſic quod informe eſt, formatum illi imprudenter pronuntiant. Neque intelligunt elementis vocatis ſecundariò, & per alterum, ſcilicet per informe illud ſubiectum, non primò tranſmutationem competere. Neque vnum plus quàm alterum ad permutationes illas eſſe in potentia, ſed omnia æqualiter, quoniam omnia pari ratione materiam ipſam, vt adæquatum & immediatum ſubiectum poſſident. Elementa enim proprias formas obtinent, quas non niſi vi deponunt & mutuâ actione & paſſione, dum mixtum componitur: aliàs forma ipſa ad proprium interitum rueret. Quod eſt abſurdum. Ideò bene adiungit Hippocrates: *Hi homines ſeipſos in*

verbis

verbis ſuarum rationum deſtruunt propter imperitiam. Et Meliſſi opinionem ſtabiliunt.

Parmenides vnum voluit eſſe principium finitum, Meliſſus verò vnum infinitum & immobile, vt eſt *Phyſ.* 2. Multi ita illius ſententiam interpretantur, vt intellexerit vnum principium efficiens infinitum & immobile, quod eſt Deus, ita vt immeritò eum ab Ariſtotele & aliis reprehenſum exiſtiment, qui idem probauit 12. *Metaph.* Aliquam nimirum eſſe ſubſtantiam ſeparatam, principium vniuerſale, omnium rerum cauſam immobilem, indiuiſibilem & infinitam & immaterialem; Immobilem quidem, quia cùm in ordine mobilium & mouentium inueniantur tria, quorum vltimum eſt quod mouetur tantùm, ſupremum mouens quod non mouetur; mediam quod mouetur & mouet, neceſſe eſt vt aliquod ponatur ſempiternum mouens quod non mouetur, ne fiat proceſſus in infinitum, & reliqua quæ ibidem habentur. Nos vulgata opinione contenti dicimus, Meliſſum exiſtimaſſe ſubſtantiam quandam informem, & infinitam, & impermutabilem, vniuerſum rerum omnium eſſe principium, quod quàm abſurdum ſit, ſatis demonſtrauit in audientia naturali ſummus Ariſtoteles. Cùm enim dicebat vnum infinitum, ſubſtantiam dicebat & quantitatem, quæ idem non ſunt. Argumenta omnia Ariſtotelica nos huc non adferemus, quoniam in omnium ſunt manu: Neque etiam quomodo forma & priuatio, non ſola materia ſint principia rerum omnium, vt docet ibidem Ariſtoteles. Sufficiat nobis hoc loco oſtendere iuxta Hippocratis verba, eos qui vnum ex quatuor elementis principium faciunt, Meliſſi opinionem fulcire. Quemadmodum enim ille vnam communem informem ſubſtantiam ſtatuebat, omnium adæquatum ſubiectum & principium; ſic & iſti vnam ponunt eſſentiam, vnum ſcilicet ex quatuor primis corporibus adæquatum omnium elementum eſſe. In hoc tamen differentes, quòd hi tranſmutabilem, & particulariter hoc vel illud elementum dixerunt, quam Meliſſus ens vnum immobile & infinitum appellauit. Et ſic apertiſſimè Meliſſi ſententiam confirmant, à quâ fortaſſis ſe quàm longiſſimè abeſſe arbitrabantur.

Sed quoniam ſatis fusè ad inſtitutum noſtrum diximus de illis qui malè ſentiebant de elementis & elementorum numero, quíque principij & elementi nomen confundebant, neceſſe eſt, vt hîc breuiter de numero elementorum aliquid certi ſtatuamus, vt deinde meliùs contextum Hippocratis inſequamur, qui quatuor in homine elementa eſſe oſtendit. Diximus ad finem heſternæ lectionis, elementum nomen eſſe relationis; nam ſi ex eo aliquid non fiat, nullius rei elementum eſſe poterit; homonymum eſſe quinque potiſſimùm ſignificatis. Diximus quomodo differret elementum à principio, à proprietatibus principij, quæ ſunt *non fieri ex aliis*; at elementum fit ex aliis, materiâ & formâ; non fieri ipſa ex ſe inuicem, neque altero alterum prius eſſe; At elementa fiunt ex ſe inuicem, aër ex aquâ, aqua ex aëre, & ſic deinceps. Diximus denique quid eſſet elementum, corporeum nimirum & ſimplex principium, ex quo componitur res naturalis cui ineſt, nec diuiditur ſecundùm ſpeciem. His omnibus explicatis, iam elementorum, quæ mixtorum compoſitionem conſtituunt, numerum inquiramus breuiter.

Elementum alij vnum, vt veteres Phyſici; alij plura faciunt: Plura finita vel infinita: Infinita faciebant, Anaxagoras, Democritus, Epicurus, quoniam, dicebant illi, generatio cùm ſit infinita, ab elementis finitis perpetuari non poſſet. Qui plura finita elementa faciunt, alij duo, vt OEnopides Chius ignem & aërem, & author qui ſcripſit 1. libr. de diætâ, ignem & aquam, quia in illis elementis 4. eſſe qualitates videbant; Alij tria excluſo igne ab elementorum numero, quod fecit noſtro tempore doctiſſimus Cardanus. Alij quatuor vt Hippocrates, Ariſtoteles, Galenus, ignem, aërem, aquam, terram. Alij quinque, vt qui calorem cæleſtem ab elementari diſtinguunt. Alij ſex, vt Empedocles, qui ad quatuor elementa addidit litem & amicitiam. Alij decem, vt Pythagorici, qui omnia ſub denatio contineri arbitrantur. Nulla nobis harum opinionum arridet, exceptâ Hippocratis & Ariſtotelis, qui quatuor elementa conſtituunt, & ſuam ſententiam validiſſimis confirmant rationibus, quarum aliæ ductæ ſunt à compoſitione vniuerſi, ad quam elementa concurrunt, vt primæ partes; aliæ ab ipſa mixtione, quatenùs ſcilicet elementa concurrunt ad mixtorum compoſitionem.

Prima eſt Platonis *in Timæo*; *Mundus*, inquit ille, *debuit fieri aſpectabilis & tractabilis.* At ſine igne nihil videtur, ſine ſolido nihil tangitur. At ſine terrâ nihil eſt ſolidum. Ergo ignem & terram eſſe oportuit. Hæc cùm ſint extrema, abſque medio cohære re nequeunt. Debuit ergo aliquod eſſe medium, non quidem vnum,

ſed

ſed duplex, quia corpus vniuerſi debuit eſſe æquè latum ac longum, quod non accideret, ſi vnum ſolum eſſet medium elementum, ideò inter ignem & terram collocauit Deus aërem & aquam.

Secunda ratio, Cælum cùm ſit corpus circulare, & circulariter moueatur, neceſſariò habet centrum & circumferentiam; Itaque vnum erit elementum, quod naturaliter ad centrum mouebitur, aliud quod ad circumferentiam, vnicus enim & ſimplex eſt corporis ſimplicis motus. Ignis itaque & terra neceſſaria fuerunt, quæ cùm vniri & colligari deberent (mundus enim totus continuus) vt vnum mundum efficiant, duo poſtulabant vincula, vnicum enim non potuit ſufficere; nam illud & tenderet ad medium, & ſimul recederet à medio, Ideò neceſſaria fuerunt aër & aqua, quorum vterumque & leue & graue ſecundùm quid eſt, & à medio & ad medium mouetur. Ergo quatuor ſunt elementa, quatuor motus rectos habentia.

Tertia ratio eſt, Inter contraria ſeruari debet proportio, aliàs hæc mundi compages ſtatim diſſolueretur. Quia maius contrarium non ſeruatâ proportione ad alia, illa abſumeret. Itaque præter aquam & terrã, non oportet vnicum ponere elementũ, nimirũ aërem, quod vaſtiſſimam illam regionem, quæ eſt ab aquâ ad cælum, occupet.

Quarta ratio eſt. Quatuor ſunt primæ qualitates, actiuæ & paſſiuæ, ex quarum quatuor terminis incomplexis ſex exurgunt coniugationes, quatuor poſſibiles, duæ impoſſibiles, calida ſicca ignis; calida humida, aëris; frigida humida; aquæ frigida ſicca terræ, ſymboliſmi enim illi calida frigida; humida & ſicca; quia omnino ſunt contrarij, & in vno ſubiecto conſiſtere nequeunt, impoſſibiles ſunt.

Quinta ratio, Qualitates ſummæ & primæ, ex quibus aliæ fiunt, cùm ſint ſub genere accidentis, non poſſunt eſſe niſi in ſubiecto, eóque ſimplici. At quatuor qualitates refractæ manifeſtè videntur in mixtis. Ergo quatuor elementa ad illorum compoſitionem concurriſſe necèſſarium eſt.

Sexta ratio, Quòd terra ſit in mixtis apparet, ex eo quòd omnia mixta naturaliter quieſcunt in terra, ſicut in loco proprio. Locus autem & Locatum ſunt eiuſdem naturæ (loquor hîc de loco Phyſico, non Mathematico) & prædominatur natura loci in locato. Ergo oportet terram eſſe in quolibet mixto. Quòd verò aqua ſit in mixtis, ſic demonſtratur. Terra pura & ſimplex non habet continuitatem, nec in figurâ aliquâ poteſt conſiſtere. At partes cuiuſlibet mixti, oportet eſſe terminatas, id ergo fit per aquæ humiditatem. Quod aër etiam & ignis ſint in mixto, ſic probatur. Vnumquodque miſcibilium alteratur à ſuo contrario. At aquæ & terræ contraria ſunt ignis & aër. Ergo ad mixti compoſitionem conueniunt, vt fiat alteratio miſcibilium, & per contraria generatio.

Septima ratio petitur à diſſolutione compoſitorum, quæ manifeſtè in quatuor elementa reſolui videntur.

Octaua ratio eſt Medica & à ſenſu petita; Cùm in animantibus diuerſæ ſint partes, illæ ad ſingulorum elementorum naturas congruunt; in homine v. g. ſunt oſſa & caro, quæ terram, humores qui aquam, ſpiritus qui aërem, calidum quod ignem maximè repræſentat. Concludimus igitur quatuor eſſe elementa, quæ & vniuerſi ſunt partes, & ad mixtorum compoſitionem concurrunt, iuxta Hippocr. & Ariſtot. ſententiam.

Malè igitur illi, qui vnum tantùm eſſe elementum dicebant. Quia non poſſet corpus ei contrarium inueniri: & ſic neque alterari, neque aliqua ex parte immutari, omnia eſſent vnum, & nullum mixtum corpus effici poſſet.

Malè, qui infinita elementa ſtatuebant; Non enim requiritur, vt illi obiiciebant, Elementa eſſe infinita, quia generatio infinita. Sufficit enim Elementa actu eſſe finita, potentiâ verò, hoc eſt, per generationes ſucceſſiuas, infinita.

Malè, qui duo tantùm elementa ſtatuebant, quia qualitates primæ quatuor etiam prima ſubiecta requirunt.

Malè etiam, qui tria tantùm elementa ſtatuebant, aquam, terram, & aërem, vt Valla *in* 1. *ſuæ Dialect. cap.* 2. & Cardanus, qui ignem elementum eſſe negabant. Illius argumenta doctiſſimè ſunt refutata à clariſſimo huius ætatis viro Iul. Cæſ. Scaligero, *Exercit.* 9. *&* 61.

Malè denique Pythagoræi, qui numerum denarium, omnium rerum elementum ſtatuunt, non aduertentes numerum affectionem eſſe ſubſtantiæ, & ſubſtantiam conſequi, quæ ſubſtantia numeris prior eſt. Ergo quatuor ſunt tantùm elementa, iuxta Hippocratis ſententiam. Quod fuit demonſtrandum.

Si velitis, ego hîc ſummatim referam argumenta Cardani, quibus conatur ignem è numero elementorum expungere, & illorum refutationem breuiſſimam.

Sciendum primò, Ignem esse elementum leuissimum, rarissimum, calidum, & siccum, cuius quælibet pars est corpus simplex. Sic differt ab igne nostro, qui neque purus neque simplex est, sed commixtus viscositati & pinguedini terrestri, quâ alitur, retinetur & fouetur. Itaque elementum non est, sed quid elementatum, habens viscosum terrestre, aëreum fumosum, aquæ minimum; vnde si materiæ ignis occurrat terrestri, fit carbo; si aqueæ flamma, si aëreæ lux: Carbo, lux, flamma. Hoc posito sic argumentantur illi contra elementum ignis.

Primum, Natura semper coniungit extrema per media: igitur cùm cælum res sit purissima, non decuit sub omnis qualitatis experte corpore ardentissimum atque æstuosissimum collocare. Nos respondemus tribus modis, negantes primò, naturam semper coniungere media per extrema, præcipuè in rebus quæ tantùm vnum sunt contactu. Nam terra vbicunque est extra aquas, contrario suo est contigua, nimirum aëri: & in corpore nostro, quod vnum est coniunctione continuâ, sanguis liquidissimus continetur intra venæ parietes rigidos. Deinde dicimus, ignem à cæli natura non valde videri alienum; nam & lucis in se principia continet, & admodum mobilis est, & corporum corruptibilium purissimus, vt parum absit ab essentia formæ cuiuspiam, ita vt videatur Deus naturæ, inter purissimum simpliciter, quod est cælum; & inter hæc nostratia non pura, ignem tanquam medium corpus interposuisse. Postremò dicimus, absurdum esse existimare, cælum ab igne subiecto corrumpi posse, cùm diuersa sit materia cæli & elementorum, diuersa forma, qualitates & affectiones genere diuersæ, ita vt nulla transmutatio inter illa fieri possit.

Secundum argumentum tale est. Cometæ & faces in supremâ aëris regione apparentes, illam aëris partem calefaciunt. Quòd si totus aër, & sic reliqua elementa igneo orbe ambiantur, tam cælum quàm reliqua statim consumet. Respondemus, ignis elementum rarissimum, parum admodum habere materiæ, ideò si in propriâ consistat raritate, non comburere: Comburit enim ignis duplici de causa, idque per accidens non per se; propter alicuius solidi corporis admixtionem, & propter condensationem, quâ coactus ignis in minore spatio maiorem substantiam habet, & ideò maiorem vim. Cuius indicium est ignis nostràs, vbi in materiâ rarâ fuerit, lanâ scilicet aut aquâ ardente, tunc vix comburit: in ferro validissimus est. Ergo non timendum est aliis elementis, ne ab igne supremo absumantur.

Tertium argumentum. Elementum non eget pabulo. At ignis eget perpetuò pabulo, vt subsistat. Ergo non erit elementum. Nos negamus ignem, elementum scilicet illud supremum pabulo egere, quoniam in loco proprio & naturali, non minùs quàm reliqua elementa subsistit: In aliena quidem materia non posse subsistere, neque teneri, nisi continuò nutriatur adiecto combustibili: in suâ autem sphæra, in materiâ quippe propriâ, nullo eget pabulo, vt in proprio suo loco seruetur, nihilo magis quàm aër, aqua, vel terra.

Quartum, Ignis per noctem saltem videretur, & quò plus ascenderemus, eò plus aër, vt igni vicinior, calidus esset. At contrarium apparet, quia media regio aëris est frigidior, vbi grando, pluuia, & reliqua generantur. Respondemus, ignem non videri, quia visus non potest consistere in re rarissimâ & diaphanâ, sed corpore solido. Mediam autem regionem aëris esse frigidam concedimus propter antiperistasin, non quòd frigido approximetur; suprema enim regio est calida, vbi cometæ, faces, & ignita meteora generantur.

Quintum, Si vester hic ignis, vt vos dicitis, leuissimum esset, nusquam descenderet ad mixtorum compositionem. Respondemus, ignem vi superiorum mouentium, non naturaliter, ad rerum compositionem descendere, fortassis cum quadam aëris particula, quâ redditur grauior.

Sextum, Ars Chymica manifestè ostendit, tria tantùm esse elementa: illa enim per sublimationem ex compositis elicit aquam pro aquâ, oleum pro aëre, salem pro terrâ, nihil prætereà. Respondemus, per illam sublimationem Chymicam, igneam quoque substantiam elici, sed illam ob tenuitatem expirare & euanescere.

Et sic satisfactum sit argumentis Physicis illorum, qui Ignem ex elementorum numero remouere conantur. Nos iam ad Hippocratis contextum veniamus.

LECTIO

LECTIO IV.

TEXTVS HIPPOCRATIS.

τῶν δ' ἰητρῶν οἱ μὲν τινες λέγουσιν, ὡς ὁ ἄνθρωπος αἷμα μοῦνον ἐστίν· οἱ δ' ἀυλὸν χολὴν φασιν εἶναι τὸ ἄνθρωπον· ἔνιοι δέ τινες, φλέγμα· θηλύτερον δὲ ποιεῦσιν καὶ ἀυλοὶ πάντες τὸ αὐτὸν· ἓν γάρ μιν εἶναι φασὶν, ὅ, τι ἂν ἕκας ὀνομάσαι αὐλῶν· καὶ τοῦτο ἓν ἐὸν, μεταλλάσσειν τὴν ἰδέην καὶ τὴν δύναμιν, ἀναγκαζόμενον ὑπό τε τοῦ θερμοῦ καὶ τοῦ ψυχροῦ, καὶ γίνεσθαι καὶ γλυκὺ, καὶ πικρὸν, καὶ λευκὸν, καὶ μέλαν, καὶ πανταχῆ τἄλλα· ἐμοὶ δὲ οὐδὲ ταῦτα δοκέει ὧδε ἔχειν.

MEDICORVM verò nonnulli dicunt hominem esse sanguinem solum, alij bilem esse affirmant, alij pituitam, & iidem omnes eandem faciunt conclusionem. Vnum enim esse dicunt, quodcunque aliquis ipsorum nominare valet. Et hoc vnum existens speciem & facultatem mutare, coactum à calore & frigore, fierique & dulce, & amarum, & album, & nigrum, atque omnimodum. Mihi verò hæc non sic se habere videntur.

CONiungit Hippocrates opiniones falsas Medicorum, de humoribus, qui sensibilia sunt corporis nostri elementa, cum erroneis Philosophorum dogmatis, de numero primorum elementorum; illáque simul & passim hoc in libello impugnat, quia eisdem ferè videntur fulciri argumentis. Vt enim Philosophi transmutationem elementorum ad probandam vnitatem assumebant: sic & Medici, qui vnicum humorem astruunt. Atque ex eodem medio, vt & Philosophi, diuersas faciunt conclusiones: Ex sanguine fit melancholia, bilis, & pituita. Ergo solus sanguis est humor. Alij, ex pituitâ fit sanguis, bilis, & melancholia, & sic de reliquis. Non negabant illi reliquos humores esse in nostro corpore, sed volebant ex vno illorũ tanquam elementari reliquos exsurgere, frigore quidem si calidum, calore verò agente si frigidum humorem elementarem constituissent: Ex vno mutante sæpius ἰδέαν καὶ δύναμιν, speciem & facultatem fieri, dulce, amarum, album, & nigrum, & omnimodum, id est, ichoras, vt interpretatur Galen. Sic Medici isti humorem vnum naturam & naturale solũ appellabant; & si aliquid in corpore videbitur, ab eo figurâ, sapore, colore, aut quauis aliâ qualitate diuersum, illud idem præternaturaliter affectũ esse prædicabant.

Cur autem Hippocrates duos humores à sapore, duos verò à colore vocauerit, γλυκὺ, sanguinem, πικρὸν bilem, pituitam verò & melancholiam, λευκὸν καὶ μέλαν, sic quidam explicant, his nominibus naturalium humorum qualitates meliùs noſci: bilem enim cùm modò flaua, modò pallida, modò rufa, modò porracea, modò ἰσατώδης existat, semper tamen amaram esse sub quocunque colore: Pituitam etiam semper albam, quamuis aliquando dulcis, aliquando insipida, aliquando acida, aliquando salsa sit. Sic & melancholiam semper nigram, quamuis aliquando acida, aliquando amara sit, vt quando assata fuerit. Nos iam ad clarioris veritatis ἐξήγησιν veniamus.

Humor multis modis capitur, secundùm propria & communia significata. Primò, sumitur pro omni humiditate fluxili, vnde aqua humor dicitur. Secundò, humor sumitur etiam pro massa illa chylosa, quæ à ventriculo ad venas tendit mesaraicas; vnde Galenus *comm. ad Aphor.* 17. *lib.* 2. ait, *Virtus sanguifica nonnunquam præ imbecillitate humorem ad venas distributum non alterat.* Tertiò, humor sumitur pro quouis succo laudabili vel illaudato, figurato vel non figurato, qui in corpore nostro continetur. Quartò, magis propriè Medicis humores, laudabiles illi succi dicuntur, qui ex alimento ad corporis nostri nutritionem à calore natiuo producuntur. Sic igitur humorem definire liceat, Humor est corpus humidum & fluidum, in quod primùm alimentum transmutatur, ad corporis nostri nutritionem vel alia commoda.

Humorum alij alimentarij, alij excrementitij; híque aut vtiles, aut inutiles: Hi omnes tam alimentarij quàm excrementitij, sub quatuor nominibus continentur, sanguinis nimirum, pituitæ, bilis, & melancholiæ; ita vt vndecim sint in totum humorum tam alimentariorum quàm excrementitiorum species, vt est 2. *de facult. natur.*

natur. Pituita quatuor facit differentias. Est enim dulcis, atida, salsa, & vitrea. Bilis quatuor. Est enim flaua, vitellina, porracea, & æruginosa; sunt qui addant glasteam & cæruleam, sed sub aliis facilè contineri possunt. Melancholia duas facit differentias, melancholicum succum, & atram bilem. Postremò sanguis purus. Siquis addere velit humores secundarios Auicennæ, qui dicuntur gluten, cambium, ros, & sanguis proximus, efficiet quindecim. Sed hi humores secundarij sunt potiùs substantiæ partium corporis, & humiditates illarum, quàm humores veri. Humores istos breuiter & singulatim percurramus, initio ducto à sanguine.

Sanguis, iuxta Hippocratem, calidus humidus est naturâ, cuius duæ sunt species, naturalis & non naturalis: Naturalis est coloris rubei, odoris boni, dulcedine præditus. Huius locus arteriæ sunt & venæ. Hic homines facit blandos, venustos, floridos, & iouiales: Sanguis non naturalis rursum duplex est: alius enim à propriâ recessit temperaturâ; non propter aliquid alienum sibi admixtum, sed propter simplicem alterationem, quæ tanta non fuit, vt illum in aliud humoris genus conuerteret: Alius ideò temperiem suam amisit, quòd sit à vitioso quodam succo inquinatus, idque vel per putredinem, vel per commixtionem, vnde salsus, acidus, amarus euadit. Sanguinem excrementitium non agnoscit Hippocrates, propter eius & puritatem, & exquisitam temperiem.

Pituita frigida & humida ἄγευστος, omnis saporis est expers, pérque venas vnà cum aliis humoribus permeat, vt simùl cum illis corpus nutriat: Hæc segnes efficit, somnolentos, πολυζάρκους, & citò albescentes. Naturalis est & non naturalis. Naturalis, quam iàm diximus; Non naturalis duæ præcipuè species recensentur, acida & salsa: Acida valde cruda est, & minimam in iecore coctionem accepit, vnde aciditas: quando enim calor concoquere incipit, sed perfectam alterationem non inducit, tunc acidus gignitur sapor, vt in fructibus patet. Salsa pituita ortum habet à naturali, quæ insipida est, putrescente; partes enim assæ vi putredinis, reliquis aquosioribus permiscentur, vnde sapor ille salsus: Fit etiam dulcis & acida, propter acidi aut dulcis humoris admixtionem. Pituita excrementicia, vtilis est, & inutilis: Vtilis, quæ à venis excernitur, & ad artus & iuncturas illabitur, vt partes mobiles madefaciat, exsiccationémque prohibeat. Inutilis, quæ extra vasa reperitur, cuius species sunt; vna tenuis & aquosa, quæ aquæ modo è naribus stillat, & à cerebro in plurimas partes effusa, catarrhos gignit: Altera muco similis, quæ à calore nostro ex tenui facta est crassior ob lentorem quo est prædita. Quòd si magis crassa frigidáque reddatur, vitro fuso colore & substantiâ fit similis, vnde vitrea dicta fuit à Praxagorâ, vt est 2. *de elementis*. Quando verò eius tenuis pars omnino per caloris excessum dissoluta & absorta fuerit, tum demum fit pituita illa gypsea, quæ tandem extremam tophi & calculi duritiem assequitur. Atque hæc satis de pituita, pro instituto nostro.

Bilis naturalis calida & sicca est, flaui & splendentis coloris, leuis, tenuis, & mordax, quæ cum sanguine fertur per venas, vt eas nutriat particulas, quarum temperies ad choleram magis est propinqua. Homines efficit iracundos, ingenij celeris, agiles, macilentos, & cibum confestim concoquentes. Alia quæ ad cystim fellis amandatur, excrementitia est, sed vtilis, quia per meatum cholidochum in intestina illabens, illa ad excrementorum deiectionem stimulat, atque lentam pituitam illis adhærescentem deterget. Huic si aliquid seroſi humoris fuerit permixtum, statim & colore remissior & consistentia humidior redditur, vnde bilis pallida, iuxta Galenum *lib.* 10. *de simpl. med. facult.* Flaua bilis & pallida in vitellinam degenerant, dum caloris extranei acrimonia summè coquuntur & quasi torrentur, vt ex flauo aut pallido colore igneum colorem, & ex tenui substantiâ crassiorem consequantur, quâ vitellorum, vnde nomen habet, speciem repræsentat. Atque hæ tres bilis species, flaua scilicet, pallida, & vitellina generationem omnes in iecore & venis consequuntur: Supersunt tres aliæ, quæ à Galeno *lib. de atrâ bile*, non solùm inutiles, sed præternaturales ex totâ substantiâ nominantur, Porracea, æruginosa, & cærulea, quæ nunc in iecore & venis, nunc in ventriculo, aut aliis partibus generationem habent ob esculentorum quorumdam, vt olerum, betæ, brassicæ, alliorum cruditatem, quæ cùm non possint à ventriculo deuinci, ac in chyli naturam conuerti, calorem suum magnâ ex parte retinent, primúmque fit porracea seu viridis. Hæc si infixa diutiùs hæreat, ventriculi persistente incendio, fiet æruginosa, tandem vbi magis ad nigrum colorem verget, euadit cærulea illis deterior. Hactenus de bile, supereſt melancholia.

Melancholia

Melancholia naturalis est succus crassus, frigidus, siccus, austero sapore, & colore nigro præditus: homines efficit tardos, tristes, plumbei coloris, & verè μελαγχόλικους: Per venas vnà cum sanguine meat, necessitatis & vsûs gratiâ: Necessitatis quidem, vt tantum de eâ cum sanguine misceatur, quantum sufficit nutritioni partium, quæ cum hoc humore habent symbolum: vsûs verò, vt sanguini vim & consistentiam tribuat. Melancholia excrementitia naturalis melancholiæ est excrementum, non vt volunt Peripatetici, sanguinis ipsius: Hanc lien è iecore trahit, & in se continet, portionem quandam ad ventriculum amandans, vt ibi secundùm Auicennæ sententiam, appetentiam excitet, & suâ aciditate ventriculum quasi contrahat & coarctet ad ciborum retentionem. Humor iste melancholicus tam naturalis quàm excrementitius, non naturalis fit per adustionem & putredinem; vnde atra bilis dicitur, cuius quatuor species enumerat Galenus 2. *de natur. facult.* Prima est, quando vi putredinis & caloris, naturalis melancholia ad vltimum siccitatis peruenerit, differtque à naturali, vt fæx vstâ à non vstâ. Secunda species producitur ex vitellinâ bile, quæ exustione, primò in æruginosam, pòst in cæruleam, tandem in atram bilem omnium perniciosissimam commigrat: Hæc est quæ in terram effusa, fermenti more & quodam æstu illam excutit, quæ partes arrodit & exulcerat. Tertia species oritur ex sanguinis combustione; sanguis enim supra modum assatus, (vt est apud Galenum 3. *de diff. febr.*) parte subtiliori in flauam, crassiori in atram bilem degenerat. Quarta & vltima, fit ex pituitâ salsâ adustâ, quæ cùm exactam bilis atræ naturam non consequatur, in eius tamen confinio ponitur.

Atque hi sunt humores naturales & non naturales, quibus alij quintum addunt, serum nempe, quo tanquam vehiculo sanguis facilè & expeditè in venas exiles & minimas influit: hoc perfunctum munere ad reliqua inutile, refluit in venam cauam, à quâ trahitur per renes, & in vesicam effunditur, tandémque mejendo expellitur.

Obiiciet aliquis, quomodo humores illi, quos naturales vocas specie differentes, ab vno eodémque calore hepatis generari possunt? Respondeo, innatum hepatis & venarum calorem, vnum quidem esse vnitate temperiei & formæ: at viribus & facultatibus, quibus est præditus, reuerà varium & multiplicem esse; quare ex varia materiæ applicatione diuersos producit effectus: Alimenta enim, sicut & alia mixta ex quatuor simplicium corporum moderatione consistunt, chylus etiam ex his productus, quatuor diuersarum partium temperie constituitur, vnde ex diuersis illius partibus, diuersos ab eodem calore innato humores produci, non est inconueniens, à calidioribus quidem & siccioribus partibus, bilem, &c.

Demum dicet aliquis Peripateticus, quomodo asserere audes, humores omnes alere, cùm omnes dulci sapore non sint præditi? Respondeo sententiam Aristotelis, dulcia sola nutrire, hac in parte Medicis non arridere, absurdum enim illi putant, mixtum quidem quatuor constare elementis, vnico autem humore nutriri. Et existimant pituitam, bilem, & melancholiam naturalem ad nutritionem corporis facere, mixtum enim omne ex mixto vbique nutriri, non à simplici tantùm. Mixtum ergo quatuor nutrietur humoribus, non vnico sanguine.

Spinosa hæc & valde difficilis est quæstio, ipso teste Galeno, *comment. in hunc lib. & libro secundo de element. Non possumus*, (inquit ille) *tam bene in his ostendere veritatem, sicut in primis elementis; nam sermo vterque habet probabilitatem. Illorum enim placita, qui humorem vnum secundùm naturam in corpore esse contendunt, conuelli facilè possunt: at eorum sententia, qui sanguinem esse volunt, vix conuinci potest, & magna est contentionis.* Hæc Galenus. Mihi autem tam graue est, à summi Aristotelis sententia, & Auerrois discedere, quos maximè veneror & colo, vt bis aut ter hanc inceptam disputationem deleuerim & reliquerim: Tandem vbi cognoui me iam in Hippocratis verba iurasse, qui ait, ἐμοὶ ταῦτα δόξειεν οὐκ ὧδε ἔχειν, id est, *hæc mihi videntur non sic se habere*; conatus sum summi Aristotelis rationibus satisfacere.

Auerroës 2. *colliget.* negat bilem, pituitam, aut melancholiam esse elementa nostra sensibilia, & actu esse, sed solum sanguinem, reliquos autem tres humores, potentiâ in sanguine contineri; atque idem confirmat summus Aristoteles 2. *de partibus animal. cap.* 3. & *lib. de somno & vigil. cap.* 3. Quorum rationes tales sunt. Prima est. Fœtus nutritur in vtero solo sanguine materno. Ergo & extra vterum. Negamus nos maternum illum sanguinem esse purum aut simplicem, sed aliis commixtum humoribus fœtum alere, vt & extra vterum; sanguinem autem dici, quia in eo

plus eſt ſanguinis. Secunda nititur exemplo. Spuma & fæx non ſunt elementa vini, ſed eius excrementa, quæ ab eo dum coquitur, ſeparantur : ita vtraque bilis excrementum eſt ſanguinis. Reſpondemus, mancam eſſe hanc comparationem ; fæx enim & flos vini ab eo omnino ſecernuntur, vt id quod verè vinum eſt, poſt illorum ſeparationem, vnum & ſimilare ſit : In ſanguine autem, id eſt, in maſsâ illâ quæ in venis reperitur etiam depuratiſſima, ſemper alios humores remanere.

Tertia. Venæ ſunt vltimi alimenti conceptacula. At venæ ſanguinem continent. Ergo ſanguis ſolus vltimum eſt nutrimentum. Dicimus nos, venas non eſſe conceptaculum ſanguinis ſolius, ſed quatuor humorum ; quin potiùs, vt dicit Galenus, nunquam ſanguis eſt exquiſitè vnum.

Quarta validiſſima. Reliqui humores, bilis ſcilicet vtraque fit per corruptionem ſanguinis. Ergo non ſunt alimentarij, quia ſanguis corruptus non nutrit. Reſpondemus, bilem quidem vtramque, non naturalem fieri à corrupto ſanguine ; at naturalem vnà cum ſanguine à iecoris & venarum calore produci, flauam quidem à portione chyli calidâ magis ſiccáque ; atram, à ſiccâ & frigidâ portione.

Quinta. Quando cibus non ingeritur, corpus ſanguine vacuatur : cùm verò multus aſſumitur, repletur corpus ſanguine. Ergo ſanguis eſt vltimum nutrimentum : Oportet enim ſuccum illum qui eſt proprium corporis alimentum, augeri multo cibo. Reſpondemus, bonos cibos non ſolùm ſanguinis copiam facere, ſed & aliorum humorum ſecundùm proportionem, multum ſanguinis, minus pituitæ, parum melancholiæ, minimum bilis.

Sexta. In ſuperpurgationibus ſolus ſanguis maximè retinetur, nec ab vllo pharmaco trahitur. Ergo ſanguis ſolus corpus nutrire habet, ſi enim illi hoc cum aliis humoribus eſſet commune, cur potiùs quàm alij retineretur ? Reſpondemus, ſanguinem etiam ipſum in *διαφοράσει* tandem purgari, ideò autem magis retineri, quòd vt plurimum minùs peccat, & minùs naturæ contrarius exiſtit ; quando enim abundat, videmus illum etiam naturaliter excludi.

Septima atque vltima ratio eſt Ariſtotelis, *libro de ſenſu & ſenſibili*, quam confirmare videtur Galenus, *primo de aliment. facultat.* Omne nutriens eſt dulce. At inter humores ſolus ſanguis eſt dulcis, pituita enim inſipida, bilis amara, melancholia acida eſt, ſolus ergo ſanguis corpori nutrimentum præſtat. Reſpondemus, illud axioma, omne nutriens eſt dulce, ſic intelligi, illud quod nullatenus dulcedinis eſt particeps nutrire non poſſe, ſed quod non longiſſimè abeſt, nutrire poſſe. Itaque argumentum quidem concludit, ſanguinem plus & commodiùs cæteris nutrire ; at non conuincit, pituitam aut bilem ſanguini permixtam nutrire non poſſe. Et ſic reſpondent Medici ad Ariſtotelis opinionem, quam nos valde probabilem exiſtimamus, inſuperque ſuam fulcire argumentis conantur. Membrorum temperamenta, inquiunt illi, ſatis oſtendunt varios eſſe humores, quibus nutriuntur, quia ex modo alimenti, modum ſibi comparant ſubſtantiæ. Si itaque vnus eſſet ſanguis nutriens, vnde illa partium diuerſitas ? quarum aliæ ſanguineæ, aliæ exangues, aliæ calidæ, aliæ frigidiores, &c. Præterea ſi humores alij omnes, vno excepto ſanguine, præternaturales eſſent, quomodo in omnibus hominibus bene habitis, cuiuſuis temperamenti, ætatis, ſexûs, quouis tempore & quauis regione reperirentur ? Certum ſit ergo inter nos, qui Hippocraticam profitemur doctrinam, quatuor eſſe humores alimentarios, ſanguinem, pituitam, bilem & melancholiam. Quod fuit demonſtrandum.

LECTIO

Digitized by Google

LECTIO V.

TEXTVS HIPPOCRATIS.

Ἐγὼ δὲ φημὶ, εἰ ἓν ἐν ᾧ ὁ ἄνθρωπος, οὐδέποτ' ἂν ἤλγεεν. οὐδὲ γὰρ ἂν ἐν ᾧ ὑπό τῦ ἀλγήσειεν ἓν εἴη, εἰ οὖν καὶ ἀλγήσει, ἀνάγκη καὶ τὸ ἰώμενον, ἓν εἶναι. νυνὶ δὲ, πολλὰ. πολλὰ γάρ εἰσιν ἐν τῷ ζώματι ἐόντα. ἃ ὁκόταν ὑπ' ἀλλήλων παρὰ φύσιν θερμαίνηταί τε, καὶ ψύχηται, καὶ ξηραίνηταί τε καὶ ὑγραίνηται, νόσους φύτευει. ὥςε πολλαὶ μὲν ἰδέαι τῶν νοσημάτων, πολλὴ δὲ καὶ ἡ ἴησις αὐτέων ἐστίν.

EGO autem dico, *si vnum esset homo, nunquam doleret: neque esset vnde doleret, si vnum tantùm foret: si verò doleret, necessariò vnum tantùm esset remedium. At verò multa habentur, quia multa in corpore insunt, quæ cùm præter naturam à se mutuò, aut calefiunt, aut refrigerantur, aut siccantur, aut humectantur, morbos pariunt. Vnde multa morborum species, & diuersa illorum curatio.*

PLato, qui Philosophiam mysticis & quasi Ægyptiacis verbis tractauit, in eleganti illo dialogo, qui Timæus inscribitur, asserit, mundum ideò esse senij morbique expertem, quòd vnus sit & omnia; vnus ratione formæ, omnia verò ratione partium: nihil enim pati aut alterari posse, nisi quod contrarium habeat: At mundus vnus est & omnia, à quo igitur patietur? Hæc Platonica argumentatio conuersa contra eos facit, qui hominem, vnum esse asserunt. Vt enim mundus propter vnitatem non patitur, sic homo quia patitur, multiplex esse videtur; Contra quos nunc agit Hippocrates, qui & vnum compositionis corporis nostri elementum dicebant, & eos qui infinita quidem ponebant, sed specie eadem, vt Democritus, Leucippus, quia omnes in idem labuntur, vt bene docet Galenus 1. *de elemen.* vbi hanc contextus partem maximâ ex parte examinat. Argumentatur Hippocrates in hypotheticis. Primò, si homo esset vnum, nunquam doleret. At reuerà homo dolet. Ergo non est vnum. Secundò argumentatur, si homo vnum existens, doleret, vnico morbo afficeretur, & per consequens vnico remedio curaretur. At homo pluribus afficitur morbis, & remediis variis sanatur. Ergo homo non est vnum. Aristoteles 3. *de histor. animal.* eodem ferè modo procedere videtur à sensu tactûs, dicens: *Animal sensum habere necesse est, si nihil frustra facere videtur natura*: At si quidem sensum habeat, necesse est corpus esse simplex, aut multum; simplex autem non potest esse, tactum enim non haberet. Hoc sic reducimus. Si homo esset vnum, tactu non esset præditus, neque dolorem perciperet. At homo tactu est præditus, & dolore afficitur. Ergo homo non est vnum. Antequam istorum probationem addamus, paucis de dolore nobis est agendum, in quo totius argumentationis istius vis sita est.

Dolor à Latinis, qui in simplicitate, tanquam in nutrice virtutum viam ad felicitatem statuebant, à dolo, quem omnium rerum maximè detestabantur, dictus est: vt voluptas huius contrarium à voluntate appellata fuit. Dolor alius ad animum refertur, vt quando mœrore afficimur, nos dolere dicimur, & tunc λύπη, Græcis dicitur: Alius ad ipsum corpus, qui ἀδύνη Græcè nuncupatur, definiturque à Stoicis, λύπη σώματος, ægritudo laborioſa. De hoc postremo nobis institutus est sermo.

Dolor bifariam apud Hippocratem accipitur. Primò, pro ipso affectu, qui efficit dolorem, vt videre est *lib.6. epid. part.* 1. *aphor.* 7. cùm dicit, ἐν κρανῶν αἱ παλαιαὶ ὀδύναι ψυχραὶ, αἱ δὲ νεαραὶ, θερμαί. *In Cranone antiqui dolores frigidi, recentes verò calidi*: Vbi videmus illum manifestè per dolorem morbum significare, & affectum contra naturam, vt ipse interpretatur Galenus. Secundò accipitur pro molesto, tristi, & laborioso sensu, qui in separatione vniti, & alteratione similaris consistit, estque sub symptomatum primo genere, actionis quippe læsæ, hæcque actio est sensio depravata: Cùm enim nihil aliud sit sensio, quàm delatæ speciei in sensum impressio, species illa

illa ſi ſit naturæ conueniens, eius perceptio,voluptas erit;ſi ſit aduerſaria, eius actio erit dolor. Sic itaque definiatur dolor propriè ſumptus ; Dolor eſt ſenſatio triſtis ſenſûs tactûs,ab obiecto alterante & continuum ſoluente,confertim & violenter facta. Non pauci ſunt qui hanc impugnant definitionem.

Obiiciunt primò, dolorem non eſſe actionem læſam ; non enim,inquiunt illi,dolor eſt triſtis ſenſus,ſed triſtitia quæ ſenſum comitatur ; voluptati enim moleſtia eſt contraria,quæ ſenſui aduenit, non ipſe ſenſus. Illis nos primùm contrariam Galeni authoritatem afferimus,2.*de locis affectis,cap.*2.Vt dolor,ſenſus triſtis eſt,ſic voluptas blandus. Deinde reſpondemus, dolorem paſſionem quidem eſſe partis, actionem verò facultatis ; Prætereà triſtem ſenſum,& ſenſûs triſtitiam,non differre reipsà,ſed pro diuerſo reſpectu ſenſûs,prout nunc actio,nunc paſſio dicitur;paſſio quidem dum ab obiecto afficitur, actio verò dum affectionem illam percipit : Scimus enim ſenſum partim eſſe potentiam actiuam, quia cum ſuo obiecto ſenſionem facit ; partim potentiam paſſiuam,eò quòd à ſuo obiecto mouetur & feritur;vnde excellens ſenſile ſenſum corrumpit.

Obiiciunt ſecundò , dolorem non eſſe actionem læſam , neque abolitam, neque imminutam, neque deprauatam. Non abolitam, quia ſenſus percipit dolorem;non imminutam,quia dolor à ſenſu percipitur intensè ; non deprauatam, quia ſenſus in dolore ſentit id quod eſt , nempe obiectum dolorificum. Reſpondemus, dolorem eſſe actionem læſam , eámque deprauatam. Deprauatum enim dupliciter dicitur, ratione partis & ratione obiecti, (ratione quidem obiecti , dolorem non eſſe actionem deprauatam, quia tale percipitur quale eſt ; ſed quia partis temperies corrumpitur , actionem eſſe læſam adeóque deprauatam.) Adiecimus ſenſationem (triſtem,) quia vt naturales ſimilarium partium affectiones duæ , bona temperies , & vnitas , bonam ſemper & naturalem ſenſationem producunt ; ita duæ innaturales earundem partium diſpoſitiones,malam & triſtem ſenſationem efficiunt;vt enim affirmationis affirmatio, ſic negationis negatio cauſa dicitur.

Obiiciunt tertiò, dolorem non eſſe ſymptoma ſolius tactûs , ſed & reliquorum ſenſuum, auditûs, guſtûs, tactûs , & olfactûs,Omnes enim ab excellentibus qualitatibus corrumpi, viſum à ſplendido colore, auditum à grauiore ſono. Adferuntque Galeni verba , *libro primo de ſymptomat. Delectatio* , inquit ille , *& dolor omnibus ſenſibus contingunt, non tamen pari euidentiâ. Sed in oculis minùs quàm in cæteris euidenter ; in tactu & guſtu maximè luculenter,ab his deinceps in odorata , & poſt hunc in auditu.* Dicunt igitur illi, in organis quatuor ſenſuum, visûs, odoratûs, auditûs, & guſtûs poſſe fieri duplices dolores , quoſdam affecto in illis proprio ſenſu , quoſdam affecto tactu, quia tactus per omnes alios diſperſus eſt. Vt ſi quis ex grauiſſimo ſono , qualis eſt bombardarum , contriſtatur, auditu dolet vt auditus eſt : Si verò auris ex ictu aut vulnere moleſtetur, dolor quidem fit in organo auditûs , affectò tamen in illo tactu. Reſpondemus, dolores illos in reliquis organis impropriè dici , factâ comparatione ad illum qui tactui contingit : ipſum enim Galenum *ibidem* dicere, *Dolor eſt inſigne ſymptoma tactûs.* Prætereà quæ alii s ſenſibus obiecta ſunt, non aliter inferunt dolorem , quàm inferendo paſſiones quæ tactûs ſunt propriæ , putà diuiſiones aut condenſationes. Igitur dolores illi ſunt tactûs proprij. Album enim & ſplendidum non aliter quàm diſpergendo , nigrum condenſando; Acutus ſonus diuidendo, grauis contundendo,dolorem inferunt. Idem dicendum de ſaporibus & odoribus. Acida nimirum incîdunt,ſalſa abſtergunt,acerba conſtringunt, amara corrodunt ita vt videatur ſenſus tactûs ideò aliis communicatus,vt in illis obiectorum violentiæ & exceſſus perciperentur, quos aliâ ratione ſentire non poterant.

Obiiciunt quartò , dolorem non fieri à ſolutione continui , aut alteratione, ſed ipſum dolorem facere ſolutionem continui & alterationem , verbi gratiâ, dolor capitis permanens efficit alterationem & ſolutionem vnitatis, alliciendo humorem & materiam ad affectam partem. Reſpondemus, dolorem dupliciter conſiderari,prout eſt alicuius facultatis actio praua & aliena à propria natura : tuncque alterationem & corruptionem ſequitur ; nam priùs opus eſt partem alterari, quàm eius actio corrumpatur. Secundò, prout iam eſt affectus quidam non naturalis in ſubiecto exiſtens,& in membro quodam permanens , tuncque corruptionem præcedere poteſt,& eandem moliri.Sed vt hoc clarius fiat, de cauſis doloris agendum eſt.

Tripertita eſt authorum de cauſis doloris opinio.Alij aſſerunt ſolam alterationem dolorem facere : Alij ſolam ſolutionem vnitatis proximam eſſe cauſam doloris:Alij duas eſſe proximas , intemperiem ſcilicet,& ſolutionem continui.

Auerrhoës 3. *collig. capite* 21. vult dolorem in tactu perpetuò ex intemperie fieri, tanquam proximâ causâ; à solutione verò continui per accidens, aut mediatè. Neque enim solutionem continui, cùm non sit tactus proprium sensibile, quodque persentiri possit, tactum posse contristare, sed accedere cuique sensui dolorem ex proprij sensibilis immoderatione.

Alij verò, qui Galeni videntur niti authoritate, solutionem continui solam esse & immediatam doloris causam asserunt, constanter enim & cum demonstratione dixisse Galenus videtur, solam solutionem vnitatis dolorem facere, alterantia verò dolorem facere, quia continuum soluunt. Luculentus est Galeni textus *libello de inaequali intemperie*, vbi ait. *Neque illud dici durius ab Hippocrate videatur*, omnem morbum vlcus esse, *quippe vlcus vnitatis est diuisio. Immodicus verò calor ac frigus proximè accedunt, vt vnitatem soluant. Plurimus quidem calor dum segregat & diuidit substantia continuitatem, summum verò frigus tum constringendo, tum introrsus pariter trudendo quadam exprimit, quadam quassat.* Quid hoc apertius? Nonne euidenter asserit, intemperiem non priùs esse morbum, quàm continuum dissoluerit? Quod si dolorem faciat, talem facere, qui præ paruitate sub sensum & cognitionem nostram cadere non possit.

Tertia opinio, quæ statuit duas proximas doloris causas, alterationem scilicet; & solutionem continui, habet etiam sibi assentientem Galenum, vt 12. *meth. cap.* 7. *Porrò*, inquit ille, *naturalis notitia, docet nos vitium id corporis, ex quo sit dolitурum, aut continuitatis solutionem oportere esse, aut alterationem aliquam.* Habet etiam fautorem principem Arabum Auicennam, qui vtramque causam censet esse proximam, & dolorem nonnunquam fieri à solutione, nonnunquam ab intemperie, quæ non minùs quàm solutio potest esse doloris proxima causa. Ista opinio magis mihi probabilis videtur, hac potissimùm ratione, quia in doloris essentiâ nihil aliud requiritur, quàm vt sit tristis sensus, isque actu non potentiâ, vt voluptas sensus iucundus. Tristem autem facit sensum, quod affatim & ἀθρόως naturam partis corrumpit; vt contrà iucundum, quod subitò & affatim restituit partem sentientem naturæ suæ, atque, vt dicit Hippocrates, dum alteratur aut corrumpitur natura, dolores fiunt. At non minùs corrumpitur natura alteratione vehementi quàm solutione, constat enim natura partium, non minùs temperamento quàm vnione. Igitur alteratio dolorem excitabit, quamuis non soluat. Quòd si etiam magnam intemperiem tandem sequatur solutio continui, non tamen idcirco solutio per se, est doloris causa efficiens, sed ad dolorem sequitur. Interest enim multum dicere, dolorem fieri semper cum solutione continui, aut ex solutione continui. Dicimus itaque, dolorem à malâ temperie immediatè fieri, à primis qualitatibus actiuis naturam & temperiem sensibiliter dirimentibus, hocque à nocuo & contrario obiecto. Effici etiam immediatè à solutione continui, vt à causa proxima dirimente ac diruente naturam, à disproportionato & incongruo obiecto, forti & excellenti. Ita vt sint primæ duæ & æquè proximæ doloris effectrices causæ, vt duæ sunt bonam & naturalem sensationem producentes.

Nec sunt audiendi, qui tertiam addunt causam, nempe distensionem quæ dolorem facit, continuum soluere, quod testatur Galenus dum dicit: *Quæ tendendo, erodendo, premendo, aut conuellendo dolorem excitant, id continuum soluendo facere.*

Supereſt vt argumento Auerrhoistarum satisfaciamus.

Nam quòd dicunt, continui solutionem, cùm non sit proprium tactus sensibile, à tactu percipi non posse, magnam habet dubitationem, exigeretque vt ab illis probaretur, sensibile commune per se nunquam sentiri, nisi cum proprio sensibili. Quicquid sit, si solum sentiatur per se, contristat sensum; si cum aliquo proprio, nihil obstat vtrumque sentiri, alterum verò solum quod nimirum naturam corrumpit dolorem inferre. Præterea quod dicunt, solutionem fieri cum motu, motum autem aliquam intemperiem necessariò consequi, absurdum est. Neque enim in solutione tantus requiritur motus qui calorem efficere possit. Et sic constat, duas esse proximas & immediatas causas doloris.

Quòd siquis quærat, dolor cùm sit ab excessu rei noxiæ, quomodo fames à Philosophis dolor quidam dicitur, cùm sit defectus non excessus? Respondeo, nos per excessum intelligere, quamcumque egressionem à mediocritate ad extrema, siue ad summum, siue ad imum, vt docet Aristoteles 2. *de animâ.*

Denique, vt dolore aliquid afficiatur, necessariò debet esse alterabile, vt ait

Galenus ; & ſenſitiuum : Alterabile quidem , quia ſi nullam admitteret alterationem , eundem quem ab initio geſſit , habitum continuò ſeruaret. At quod dolet, neutiquam ſeruat, ſed mutatur & alteratur. Debet etiam habere ſentiendi facultatem , quia ſi alterabile quidem ſit,ſic autem tranſmutetur,vt ligna, lapides,oſſa,quæ frigefiunt,ſecantur,& diuelluntur ſine vllo ſenſu, quo prædita non ſunt , non ſentiet alterationem illam & mutationem , quæ dolorem inferre poteſt , vt nec ipſi phrenitici , qui præſente doloris causâ , nullatenus dolent : Duo enim hæc dolorem faciunt,& quia patitur quod paſſibile, & quia paſſio ſentitur.

Videamus iam vim argumentationis Hippocraticæ. *Εἰ ἓν εἰ ὁ ἄνθρωπος, οὐδέποτ' ἂν ἤλγησεν* , *Si homo vnum eſſet* , *nunquam doleret* , quia proximè & immediatè ex impatibili & inſenſibili compactus conſtructúſque foret , ac proinde doloris expers, quia conditionibus ad dolorem requiſitis careret , alteratione ſcilicet & ſenſatione. Si enim animal ex vno tantùm conſtaret elemento , quid illi paſſionem doloremve inferre poſſet ? Vnumquodque enim quod patitur , ab altero patitur , atque in alterum tranſmutatur. Patiens quippe omne eſt tale in potentiâ , quale eſt agens actu. At ſi vnum ponamus elementum , nullum inuenietur contrarium quod in illud agat , ideò non alterabitur , & ſic nullum dolorem ſentiet ; Non enim ſibi ipſi erit contrarium ; vt in ſeipſum agat , quoniam hoc eſt de eſſentiâ elementi , vt ſit corpus ſimplex & vniforme , ſicque erit impatibile & inalterabile , & per conſequens *ἀναίσθητον* , ſenſus & doloris expers. Bonum enim eſt argumentum.Inalterabile hoc eſt. Ergo & ſenſus expers, non contrà,quia quod prius eſt ſecundum naturam, non conuertitur cum eo quod eſt poſterius. At homo dolet, vt ſenſui eſt manifeſtum,ergo non eſt vnum.

Procedit vlteriùs Hippocrates , & conceſſo hoc, quod homo vnum exiſtens dolere poſſit , addit , *vno tantùm remedio curaretur , quia vno tantùm afficeretur morbo.* At ex falſo conceſſo , nil niſi falſum ſequitur , ideò homo & multis afficitur morbis, & variis ac oppoſitis ſecundùm ſpeciem & gradum remediis curatur. Quod autem vnum exiſtens homo , vnico afficeretur morbo , patet , quia elementum vnum , ſimplex & vniforme , ſi in ſe ageret, ageret tantùm vnico modo,& ſic vnicum eſſet doloris genus , vnumque remedium quo illi mederemur. At dij boni ! quis hominum vaſtam illam & propè innumeram remediorum ſyluam , quam natura in ſubſidium generis humani produxit,enumerare aut recenſere poſſet ? Non ſolùm quot res,ſed rerum particulæ,tot medicamina exiſtunt,quæ Deus illis tantùm patefaciet, vt dicebat Algaſel ; quibus, quando, & quomodo voluerit, ideò bene adiungit Hippocrates. At verò multa habentur ; multa namque in corpore inſunt , quæ cùm à ſe mutuò præter naturam caleſiunt,refrigerantur,ſiccantur,& humectantur, morbos pariunt ; ex quo multæ morborum ſpecies,& remedia.

Calidum,frigidum, humidum,& ſiccum, cùm inuicem mediocriter fuerint temperata , ſanum eſt animal : cùm autem vnum illorum exuperat , ſe mutuò calefaciunt , refrigerant , exiccant , & humectant ; vnde varij morbi non vno curationis modo conſanеſcentes : Alij enim curantur , ſi partes quæ dolent incaleſcant , alij ſi refrigerentur , aut ſiccentur , aut humectentur , atque hinc prima morborum differentia conſurgit , quæ intemperies dicitur ſimplex aut compoſita, cum materia & ſine materia , æqualis aut inæqualis : ex quâ multiplicitate , multitudo etiam eorum quæ in corpore noſtro continentur , denotatur , vt bene dicit Hippocrates.

Hic locus expoſcere videbatur,vt latiùs de morbis, atque eorum differentiis ageremus ; Verumtamen cùm ſperem me in ſequenti curſu , de his fusè & ex profeſſo dicturum , melius eſt vt his omiſſis , ad proximi contextus enarrationem accedamus.

LECTIO

Digitized by Google

LECTIO VI.

TEXTVS HIPPOCRATIS.

Ἀξιῶ ἤ ἔγωγε τὸν φάσκοντα αἷμα εἶναι μοῦνον τὸν ἄνθρωπον, καὶ ἄλλο μηδὲν, δεικνύναι αὐτὸν μὴ μεταλλάσσοντα τὴν ἰδέαν, μὴ ἢ γένεος παυλοῦσιν. ἀλλ' ἢ ὥρην τινὰ τοῦ ἐνιαυτοῦ, ἢ ἡλικίην τοῦ ἀνθρώπου, ἐν ᾗ αἷμα ἐνὸν φαίνεται μοῦνον ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. εἰκὸς γὰρ εἶναι μίαν τινὰ ὥρην, ἐν ᾗ φαίνεται αὐτὸ ἐν ἑωυτῷ ἓν ἐόν. Τὰ αὐτὰ ἢ λέγω καὶ περὶ τοῦ φάσκοντος φλέγμα εἶναι· καὶ περὶ τοῦ χολὴν φάσκοντος. ἐγὼ μὲν γὰρ δεικνύω ἃ ἐν φημὶ τὸν ἄνθρωπον εἶναι, καὶ κατὰ τὸν νόμον, καὶ κατὰ τὴν φύσιν· ἃ ταῦτα ἐόντα ὅμοια, καὶ νέῳ ἐόντι, καὶ γέροντι, καὶ τῆς ὥρης ἐούσης ἢ ψυχρῆς καὶ θερμῆς. καὶ τεκμήρια παρίξω, καὶ ἀνάγκας δι' ἃς ἕκαστον αὔξεταί τε καὶ φθίνει ἐν τῷ σώματι.

AT ego cenſeo eum qui aſſerit, hominem ſolum eſſe ſanguinem, & nihil aliud, oſtendere debere, eum non mutare ſpeciem, neque varium effici: Vel tempus aliquod anni, aut hominis ætatem, in quâ ſanguis ſolus in homine eſſe appareat. Conueniens enim eſt aliquod ſaltem tempus eſſe, in quo illud vnum exiſtere appareat. Eadem dico contra illos qui pituitam aut bilem ſolam eſſe contendunt. Quæ enim hominem eſſe ego dixero, ea pro lege & naturâ, in eo eſſe demonſtrabo, & iuuene & ſene, tamque frigido quàm calido tempore. Signaque afferam & neceſſitates adducam, propter quas vnumquodque augetur & minuitur in corpore.

PErmixta & connexa eſt tota hæc diſputatio, in quâ Hippocrates, nunc contra Philoſophos, nunc contra Medicos malè ſentientes agit, atque vna quod aiunt fidelia duos dealbat parietes. Iam enim Medicos exagitat, vnicum humorem eſſe in homine affirmantes: Nos lectione quæ heſternam præceſſit, diximus, quid eſſent humores, quot, quomodo inuicem differrent, eorumque proprietates, multáſque reſponſiones ad eos adduximus, qui ſolum ſanguinem alimentarium & ſecundum naturam humorem, ſuis ſe putabant confeciſſe rationibus. Nunc videndum, quomodo idem præſtet magnus Hippocrates. Duplex eſt argumentationis genus. Vnum quidem à ratione per principia ſenſui & intellectui manifeſta, validiſſimum & ἀποδεικτικὸν; Aliud ab experientia, quæ fit à memoriis per ſolum ſenſum ſæpius repetitum & ingeminatum: Hoc opinionem gignit, quæ eſt aſſenſus hominum multorum non neceſſariò neceſſarius. Sic diſtinguit Hippocrates *κατὰ νόμον καὶ κατὰ φύσιν*, *ſecundùm legem*, id eſt, ſecundùm id quod homines exiſtimant, *& ſecundùm naturam*, id eſt, ſecundùm rei veritatem. Hæc duo cùm ſint accommodata fidei faciendæ inſtrumenta, debent illi qui aliquam tuentur opinionem ſi primo non poſſint vti ratiocinandi genere propter imperitiam, ſaltem poſtremo, hoc eſt, veriſimili fidem auditoribus facere: ideò Hippocrates, qui fortaſſis ſciebat Medicos iſtos veris & *κατὰ φύσιν* argumentis vti non poſſe, vrget vt quædam etiam vulgaria & *κατὰ νόμον* ab opinione & experientiâ petita proferant. *Dent nobis*, inquit ille, *tempus aliquod, annum, aut ætatem, in quibus homo vno tantùm humore abundare viſus ſit. Si hoc non poſſint, ſaltem credant mihi, qui & rationibus & experientiis demonſtro, quatuor humores in homine, quouis temperamento, quauis ætate, quauis regione, & anni parte reperiri. Veram tandem recipiant opinionem, relictâ illâ quam vt falſam tueri non poſſunt.*

Ab ipsâ enim rerum origine argumentatur Hippocrates, hominem non eſſe materialiter vnicum & ſolum humorem; Nam ſi homo vno tantùm conſtet humore, quæ diſſimilitudo aut contrarietas in eo eſſe poterit? Diximus enim contrarietatem omnem eſſe ſemper ſecundùm diuerſas formas. At in vno humore vnica tantùm forma. Quo poſito, nulla in homine permutatio continget, & ſic inalterabilis ac

impermutabilis erit, & quoad ſpeciem & quoad reliquas diſpoſitiones. Quod quàm falſum ſit, quotidiana nos docet morborum & humorum variè dominantium experientia. Dicet aliquis, veteres illi Medici, qui vnicum in nobis humorem ſtatuebant naturaliter, non negabant alios ineſſe, ſed innaturaliter, atque ex naturali corrupto & immutato facultatem ac formam variam recipiente per caloris & frigoris exceſſum, alios non naturales humores produci volebant. Cur igitur Hippocrates dicit, *Cenſeo eum qui hominem ſanguinem ſolum eſſe dicit & nihil aliud, demonſtrare debere ipſum non tranſmutare formam, aut variari. Cùm illi hoc faterentur, humorem ſcilicet variari, & ſæpiùs formam permutare.* Bene & appoſitè hoc dixit Hippocrates. Si enim ex vno humore tanquam ex termino à quo fiunt reliqui humores per generationem, oportet ponere aliquod tempus, in quo ſolus ille humor dominetur mox mutandus: forma enim ſubſtantialis vel accidentaria mox amittenda, vocatur terminus à quo incipit motus: forma verò acquirenda vocatur terminus ad quem finitur motus. Motus autem cùm fiat in tempore, dandum eſt tempus illis, qui vnicum humorem eſſe aſſerunt, quo forma illius humoris, in formas aliorum humorum mutatur. Nam ex eſſe hoc ſolo in mutatione fit non eſſe hoc ſolum. Itaque bene dictum eſt, *cedite nobis regionem, ætatem, tempus, in quo mutatio huius humoris in alios fiat.* Si enim nullam rem aliam exiſtimatis eſſe animal, quàm ſanguinem vel vnum ex aliis humoribus, is humor in animali debuit permanere ſaltem per aliquam ætatem vel anni partem quæ potiſſimùm illi humori magis eſt ſymbola. Verbi gratia ſi pituitam ſolam ſtatuitis, hæc permanebit ſaltem per hyemem in regione frigida, homine decrepito, temperamento frigidiore, vt deinde in alios humores permutetur. At hoc falſum eſt, quia in illo ſene per ipſam hyemem in regione frigidâ, quatuor ſemper humores reperiuntur, vnde veſtri dogmatis falſitas apparet: ſicque tacitæ reſpondet obiectioni: Nam potuiſſent Medici iſti argumento priùs propoſito de tranſmutatione humorum, quæ per contraria fieri debet, obiicere, humorem iſtum qui ſolus in homine dominaretur, non quidem à ſeipſo permutari, ſed à contrariis externis, ambiente ſcilicet & reliquis procatarcticis prædominantibus. Ideò vrget Hippocrates, ſi quidem velitis humorem iſtum non quidem à ſe permutari, ſed ab externis, verbi gratia ambiente: conſtituenda vobis eſt aliqua ambientis aëris conſtitutio, in quâ ſolus iſte humor & inalterabilis exiſtat, quia ab eo non permutabitur, quod ſibi ſimile eſt.

Videbatur hic locus expoſcere, vt aliquid de anno annique temporibus & mutationibus, manifeſtis quippe & externis cauſis diceremus; ſed quoniam in alio textu, vbi de his clariùs agit Hippocrates, melior ſeſe offeret occaſio, operæ pretium eſt vt illis omiſſis, de ætatibus earumque differentiis, ſecundùm Galeni doctrinam diſſeramus exercitationis causâ: Ob id enim traditam hanc legendi prouinciam iunioribus Baccalaureis puto, vt de variis rebus diſſerendo, ſeipſos exercerent, & ad inſignia Magiſtralia conſequenda aptiores redderent. Dicamus igitur quid ſit Ætas, ætatum diſtinctiones, & τὰ κατ' αὐτὰς ὑπάρχοντα; Nec inutilis hæc eſt diſputatio Medicis, quia vt inquit Galenus, Ætatum diſtinctio confert ægritudinibus dignoſcendis, docet humorem peccantem, & quæ victus ratio ſit ægris inſtituenda.

Ætas dicta eſt quaſi æuitas ab æuo, quod propriè tempus ſeptuaginta annorum continet, τὸ μέτρον τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς, *vitæ humanæ menſura & curriculum.* Ætatem temporis ſpatium hominis vitæ præfixum, quidam definiunt, magis ad communem opinionem, κατὰ νόμον, quàm Medicè & κατὰ φύσιν; nos ſic definimus: Ætas eſt diſpoſitio quædam in animali iuxta complexionem variam ex actione calidi in humido cauſata, & temporis ſpatio menſurata, in quâ animal augetur, conſiſtit, decreſcit, & tandem interit. Perfecta eſt hæc definitio, omnia enim continet, quæ definito ſunt propria, reliquis excluſis. Aſſignamus enim illi diſpoſitionem pro genere, quia ætas eſt qualitas quædam in animantibus, quæ variam illius temperiem ab agentibus extrinſecus & intrinſecus mutatam conſequitur. Et vt illorum effugiamus errorem, qui ſub quantitate Ætatem tanquam ſub genere collocarunt, dum illam definiunt, temporis ſpatium, &c.

Ætates cùm ſint totius vitæ partes & periodi, pro diuerſitate naturarum, inæquales ſunt, neque certis annorum ſpatiis deſcribi poſſunt, quoniam alios aliis maturius conſeneſcere, iuxta variam agendi & reſiſtendi potentiam conſpicimus; Calidum

Digitized by

dum enim ſiue naturale, ſiue extraneo commixtum, cùm diuerſimodè afficiat humidum radicale pro diuersâ corporis diſpoſitione, quæ ætatum diuerſitatem efficit, Medicis ætatum terminos non exactè aut ſimpliciter, ſed cum magnâ latitudine definire licet. Nos tamen priùs aliorum diſtinctiones, mox veras & Medicas adferemus.

Iuriſperiti pro variâ actionum humanarum diuerſitate, quam leges Romanæ potiſſimùm reſpiciunt, hominis vitam in ſeptem partes diſtribuunt. Prima eſt Infantia, à primo ortu ad ſeptimum vſque annum. Secunda Pueritia, quæ à ſeptimo ad decimum quartum maſculis, fœminis ad duodecimum vſque protenditur. Tertia Adoleſcentia, quæ hinc ad vigeſimum quintum peruenit. Quarta Iuuentus, quæ hinc à vigeſimo quinto incipiens, quadrageſimo terminatur. Quinta à quadrageſimo ad ſexageſimum, Ætas conſiſtens appellatur. Sexta Ætas decidentiæ, à ſexageſimo ad ſeptuageſimum peruenieus. Septima eſt reliqua vitæ pars, ſenium ſeu extrema ſenectus, quæ aliquando ad centeſimum vſque annum producitur. Vltra enim ſæculum lex neminem viuere præſumit. Sic igitur apud Romanos, infantes ſedulâ matris atque mulierum operâ ad ſeptimum vſque annum educabantur. Pòſt magiſtris & παιδοτριβαῖς ad decimum quartum vſque tradebantur, qui eos & bonis moribus & humanioribus litteris imbuebant. A 14. ad 18. vſque, iam vmbratili palæſtrâ & armis leuioribus per athletas & gladiatores publicos exercebantur. A 18. anno, vſque ad 35. militiam Romanam faciebant. Poſteà ancipiti bellorum periculo euitato, ad ſexageſimum vſque honoribus militaribus perfungebantur, Tribuni militum, Ærarij, & Centuriones fiebant. Vbi ſexageſimum attigerant, completa erat militia, liberúmque erat illis, fixis ad Herculis poſtem armis, vel deferri ad ærarium, ibíque ſtipendiis Reipubl. viuere; vel pacis munera capeſſere ad annum vſque ſeptuageſimum. Ab hoc ad reliquum vſque tempus domi manebant, diis pro ſalute Reipublicæ vota & ſacra facientes, felicéſque illi habebantur, qui ad hoc vſque ſenium peruenerant. Atque hæc fuit ætatum diuiſio apud Romanos. Quamuis Horatius quadripartitam tantùm fecerit vitam, cuius verſus vt & elegantes, & graphicè mores hominum pro variis ætatibus dèpingentes, libet recitare.

Pueritia *Reddere qui voces iam ſcit puer, & pede certo*
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
Colligit ac ponit temerè, & mutatur in horas.

Iuuentus *Imberbis iuuenis tandem cuſtode remoto*
Gaudet equis canibúſque, & aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus prouiſor, prodigus aris,
Sublimis, cupidúſque, & amata relinquere pernix.

Virilitas *Conuerſis ſtudiis ætas, animúſque virilis*
Quærit opes & amicitias, inſeruit honori,
Commiſiſſe cauet, quod mox mutare laboret.

Senectus *Multa ſenem circumueniunt incommoda, vel quòd*
Quærit, & inuentis miſer abſtinet, ac timet vti:
Vel quòd res omnes timidè gelidéque miniſtrat,
Dilator, ſpe longus, iners, auidúſque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti,
Se puero, cenſor caſtigatórque minorum.

Pythagoras eâdem ratione ætates per vigenarium in quatuor diſtinxit, παῖδες ἔτη κ, μειράκια ἔτη κ, ἄνδρες ἔτη κ, γέροντες ἔτη κ, id eſt, *pueri per viginti annos ſumus, iuuenes per viginti, viri per viginti, ſenes per viginti.*

Plato duas tantùm fecit partes, cùm ait, *Ætas adoleſcentum inſana, ſenum auſtera.*

Ariſtoteles, Ægyptij quoque duas tantùm, idque miro reſpectu, vt videre eſt apud Plinium, *lib.* 11. vbi ait, Cor augeri per ſingulos annos in homine, ac binas drachmas ponderis ad quinquageſimum annum vſque accedere; ab eo detrahi tantundem, & idcò non viuere hominem vltra centeſimum annum defectu cordis,

Digitized by Google

Ægypti jexistimant, quibus mos est cadauera asseruare medicata. Putabant illi hominis vitam acmasticam esse vsque ad quinquagesimum annum, quamdiu cor augetur; paracmasticam vsque ad centesimum, dum cor omnino decreuerit.

Astrologi pro numero planetarum, septem quoque vitæ partes faciunt.

Prima subiicitur Lunæ, quæ vt infimus est planetarum, sic valde humida, puerique multo humido abundant.

Secunda Mercurio, qui planeta ἀδιάφορος habetur, neque malus neque bonus per se, nisi cum aliis coniungatur; sic nos dum teneri sumus, ad omnia parati discenda siue bona siue mala existimus, hæcque ætatis pars à sexto incipiens, decimo terminatur.

Tertia Veneri, quæ per octo annos dominatur, à decimo enim anno vsque ad decimum octauum, flos viget pulchritudinis.

Quarta Soli, quæ nouemdecim annis terminatur.

Quinta Marti, quindecim annorum, & hæc est ætas magnanimitatis, superbiæ & rixarum.

Sexta Ioui, annorum duodecim, qui vt planeta est benignus, sic homines relicto armorum studio, pacis & honesti amatores efficit.

Septima Saturno frigido sicco, tristi & melancholico planetæ, qui extremam vitæ partem, tristémque senectam regit, vt volunt positiones Astrologorum.

Licet vnicuique prout volet diuidere, dummodò in enarrandis temperamentis non aberret. Qui enim minores faciunt partitiones, in subdiuisionibus reliquas partes comprehendunt, ita vt nihil interfit, si quis in duas, tres, quatuor, quinque, vel alias partes diuidat, quia res ipsa non mutatur. Author definitionum Medicarum sic diuidit. Ætates quatuor sunt, prima iuuenum, secunda vigentium, tertia mediorum, quarta senum. Cui etiam Hippocrates manifestè assentitur *Aphoris.* 13. *lib.* 1. vbi recenset παιδία, μειράκια, ἀνθισηκότας, & γέροντας. Cælius Aurelianus ex Græcorum nominum diuersitate, 16. ætates numerat. Vide Card.

Nos ex Galeni sententiâ sex faciemus differentias, si priùs admonuero, nullum ætatis terminum exquisitè præfiniri posse, sed quando illos annis circumscribimus, hoc intelligi de iis quæ vt plurimùm fiunt, quia homines sub quadam latitudine temperamenti continentur. Itaque prima ætas, παιδία seu pueritia dicitur, quæ confestim ab eo tempore incipit, quo infans è materno vtero egreditur, & durat vsque ad annum decimumquintum, quo etiam frigido temperamento præditi incipiunt pubescere; vnde secunda ætatis differentia dicitur Pubertas, quæ Galeno teste, *libro* 3. *Aphorism. comment.* 27. *&* 5. *Aphorism. comment.* 7. initium capit anno decimoquinto, & ad decimumoctauum extenditur. Tertia vocatur Adolescentia, incipit anno decimooctauo, durátque ad vicesimum quintum, Galeno *comm.* 9. *in lib.* 5. *Aphorismorum.* Eam Hippocrates sub pubertate complectitur, atque etiam interdum Galenus. Quarta Iuuentus, florens ætas, orditur anno 25. & ad 35. extenditur. Quod innuit Hippocrates 3. *Prognost. Magis*, inquit ille, *expectare sanguinis eruptionem oportet in minoribus natu, quintum & trigesimum annum habentibus, in maioribus natu suppurationem.* Quinta ætas, Græcis καθεστηκυῖα, id est, constans & media scilicet inter iuuentutem & senectutem nominatur; dicitur etiam ἀνδρεία, id est, virilis, incipit anno 35. & finitur 50. Sexta demum ætatis differentia, Senectus appellatur, quæ reliqua est vitæ pars: Hanc denuò in tres partitur Galenus, *libr.* 5. *de tuen. valet.* Prima est eorum qui ἀμυγέροντες, id est, viridi senectâ prædita sunt, qui adhuc ciuilia munera obire possunt. Secunda est eorum qui cani omnino sunt. Tertia, in quâ est extrema omnium functionum imbecillitas, & hi Latinis silicernia, Græcis πάππαι dicebantur, vnde fortassis Papa appellatus, quia qui Romæ fiunt Pontifices, in extremo sunt senio: Ille hoc nomine esse poterat, de quo Homerus.

Τρὶς γὰρ δὴ μὲν φασὶν ἀνάξασθ' γένε' ἀνδρῶν.
Tria hominum peregisse secula Nestorem dicunt.

Sed ad ætatum temperamenta veniamus, quæ maximè nobis sunt cognoscenda. Quidam sic describunt; Pueri & Adolescentes calidi humidi temperaturâ, ac similes vernæ tempestati. Florentes calidi & sicci, eandem cum æstate temperiem adepti; medij frigidi & sicci, autumno consimiles; senes frigidi & humidi, hyemis temperaturam referentes; in pueris & adolescentibus abundat sanguis; in iuuenibus bilis; in mediis melancholia; in senibus pituita; quoniam calidum innatum pueris multum, florentibus intensum, mediis medium, senibus pauciſſimum.

Dissentitur, sitne puer an iuuenis calidior, & an senes frigidi sicci, an frigidi humidi

Digitized by Google

midi ; in hoc tamen conſentiunt, Iuuentutem eſſe calidam & ſiccam, Senectutem frigidam ; vnde Platoſenibus tantùm vinum concedebat, quod à diis, donatum eſſe dicit, tanquam ſalutarem medicinam contra ſenij auſteritatem ; Vino enim quaſi iuueneſcunt ſenes, animíque moleſtias deponunt, illorúmque habitus è duro mollis factus, vt ferrum igni impoſitum, ſic vino tractabilior redditur. Vtrum verò calor ſit maior puerorum aut iuuenum, nos breuiter dicemus, vtrumque calorem & puerorum & iuuenum parem eſſe ; puerorum quidem propter quantitatem, iuuenum propter intenſiorem qualitatem, & ſic caloris modo differunt. Puerilis enim mitis, ſuauis, & halituoſus eſt, vt qui in humido naturali recipiatur, & calidi innati ſit ; iuuenilis in eodem gradu mordax, acer, ac inſuauis eſt, quoniam pendet à calido adſcititio, cuius tantum eſt repoſitum, quantum innati caloris conſumptum fuerat. Itaque quantum calor iuuenis, calorem pueri vincit intenſione, tantum ab eo multitudine ſuperatur.

Ac ne longiùs procedamus, dicimus, quatuor eſſe vitæ præcipuas partes, quæ quatuor elementis, quatuor humoribus, ac quatuor anni partibus reſpondent ; Pueritia & Adoleſcentia aëri reſpondet, ſanguini, & verno tempori, temperata ſeu calida, & humida. Iuuentus reſpondet igni, flauæ bili, & æſtati, calida, & ſicca. Ætas virilis, frigida & ſicca ; ſymbolum habet cum terra, melancholico humore, & autumno : Senectus frigida & humida reſpondet aquæ, phlegmati, & hyemi ; vt verè μικρόκοσμος dictus ſit homo, & bene argumentatus ſit Hippocrates contra eos qui vnicum ſtatuebant humorem. Nobíſque iſta de ætatibus, pro inſtituto noſtro dixiſſe ſufficiat.

LECTIO VII.

TEXTVS HIPPOCRATIS.

Πρῶτον μὲν οὖν, ἀνάγκη πρὸ γένεσιν γίνεσθαι, μὴ ἀφ' ἑνός. πῶς γὰρ ἓν γ' ὄν, τί γεννήσειεν, εἰ μή τινι μιχθείη ; ἔπειτα οὐδὲ, ἂν μὴ ἀμφύλα ἐόντα μίσγηται, καὶ πρὸ αὐτὰ ἔχοντα δύναμιν, γένηται. οὐ δ' ἂν ταῦτα ἡμῖν σωμπελέοιτο· καὶ πάλιν, εἰ μὴ τὸ θερμὸν τῷ ψυχρῷ, καὶ τὸ ξηρὸν τῷ ὑγρῷ μέτριως πρὸς ἄλληλα ἔχοι καὶ ἴσως, ἀλλὰ θάτερον θατέρου πολὺ περιέχοι, καὶ τὸ ἰσχυρότερον τὸ ἀσθενεστέρου, ἡ γένεσις οὐκ ἂν γένοιτο· ὥστε πῶς εἰκὸς ἀπὸ ἑνός τι γένεσθαι ; ὅτε γε καὶ ἀπ' ὀλίγων τῶν πλείονα γίνεται, ἢν μὴ τύχη καλῶς ἐχοντα τῆς κράσιος τῆς πρὸς ἄλληλα.

PRIMVM igitur neceſſe eſt generationem non fieri ab vno. Quomodo enim vnum exiſtens, aliquid generabit, niſi alteri permiſceatur? Quin etiam nec generant, niſi eiuſdem fuerint generis ea quæ miſcentur, eandémque facultatem habuerint, nobiſque ſimilia efficiantur. Et rurſus niſi calidum cum frigido, & humidum cum ſicco mediocriter ſe ad inuicem habuerint & æqualiter, ſed ſi alterum alteri longè præualuerit, potentius imbecilliori, nunquam generatio fiet. Quomodo itaque ab vno aliquid generabitur, cùm ne à pluribus quidem generetur, niſi mutuo inter ſe temperamento conueniant ?

AVreæ ſunt & verè nobiles hæ ſententiæ, quibus & Philoſophiæ ortum dediſſe, & Medicinæ fundamenta ieciſſe videtur ſummus Hippocrates, & quæ vix bene enarrari poſſunt niſi à Platone & Ariſtotele ipſo, harum interprete, in libris de generatione, & paſſim in Phyſicis. Nobis ad iſtius contextus declarationem, primò de generatione diſputandum.

Motus qui apud Phyſicos ſimpliciter progreſſus de vna formâ in aliam, deſcribitur, vel vt Ariſtoteles ait, actus eius quod eſt in potentia ; in genere huiuſmodi, ſpecies ſex numerantur. Generatio & corruptio ad prædicamentum ſubſtantiæ ; Augmentatio & diminutio ad prædicamentum quantitatis ; Alteratio ad prædicamentum qualitatis ; Sexta eſt latio ſiue motus ad locum. Sunt qui quatuor tantùm ſpecies admittant pro quatuor ſummis generibus ; ita vt illis augmentatio & diminutio vnam tantùm ; generatio & corruptio vnicam etiam ſpeciem conſtituant, & videntur

videntur fulciri authoritate Ariſtotelis *lib.3.Phyſic.cap.1.* vbi ait ; *Quod mutatur,id ſemper vel eſſentiam mutat,vel magnitudinem , vel qualitatem,vel locum.* Sunt qui tres tantùm faciunt, iuxta Ariſtotelis textum *lib.5.de Phyſ.cap.1.Tria ſunt motus genera , neceſſe ergo quantitatis,qualitatis,& loci.* Galenus duos tantùm motus agnoſcit,(*2.Meth.*) Φορὰν, id eſt,lationem,& alterationem.Nos his omnibus omiſſis,dicimus , Philoſophos duplicem facere generationem, ſecundum quid , quæ eſt accidentis ; & generationem ſimpliciter,quæ eſt ſubſtantiæ,& propriè ſumpta generatio.De hac rurſum dicimus, generationem motus propriè dicti non eſſe ſpeciem , neque generationem fieri in tempore,quia generatio eſt formæ introductio,forma autem eſt indiuiſibilis,quæ in inſtanti introducitur. Nam quod dicunt præcedere præparationem ac præuias formas,dicimus accidentia illa eſſe non formas,túncque res non generatur, ſed generabitur,quoniam generatio eſt finis motuum aliorum, *8.Phyſ.& 6. Phyſ.* conceptis verbis ait Philoſophus , *Generatio eſt alia ſpecies à motu : quia finis eſt ſubſtantia & tranſmutatio.*

Generatio differt ab alteratione , quòd hæc fit ſecundùm qualitates tantùm ; Ab augmentatione & diminutione , quia illæ fiunt ſecundùm quantitatem tantùm : A Φορᾷ ſiue latione, quæ eſt in prædicamento quando. Generatio denique corruptioni eſt contraria , quia corruptio progreditur ab ente ad non ens : generatio contra procedit à non ente actu , & ab ente in potentia , ad ens actu.

Generatio definitur à Philoſopho , *primo de generatione* ; Tranſmutatio cuiuſcunque tranſmutabilis totius in totum. Alij deſcribunt , mutationem materiæ à forma ſubſtantiali priſtina in aliam formam ſubſtantialem : Quando enim totum ſenſibile ita mutatur,vt materia aliam ſuſcipiat formam , tunc eſt generatio ; Vbi verò ſubiectum ſenſibile permanens, in aliis quibuſlibet mutatur affectibus , reliquæ fiunt motus ſpecies.

Generatio alia vniuoca , alia æquiuoca : Æquiuoca eſt quæ cauſam tantùm vniuerſalem & communem habet , vt quando mus ex quiſquiliis , rana ex luto , à Solis calore generantur. Vniuoca verò quæ principium habet à propinquo generante, cuius vis ab extrinſecâ causâ iuuatur : Vnde Philoſophus dixit , à Sole & homine, hominem generari ; Pendent enim hæc noſtratia è ſuperioribus propter æquiuocam connexionem, non propter vniuocam effectionum communionem.

Generatio alia eſt ſimplicium corporum , vt elementorum,quando v. gr. ex aquâ fit aër,ex aëre ignis,&c. Alia compoſitorum,quæ ex quatuor fiunt elementis,eáque rurſum dupliciter,vel ex ipſis primis quatuor corporibus immediatè nullo alio intermedio,vt mineralium generatio,& eorum quæ ſine ſemine immediatè ab elementis gignuntur,vt plantæ ſponte naſcentes, & quæ per putrefactionem naſcuntur animalia: vel mediatè,quando ſcilicet ex compoſito medio compoſitum aliud generatur,vt ſanguinis generatio ex chylo,hominis ex ſemine. Hinc gradus illi generationis exurgunt in compoſitis animatis. Quædam enim gignuntur & gignunt , neque alia prouenire poſſunt ratione ,,vt homo qui ex patre homine genitus, filium hominem gignit.Quædam neque gignunt neque gignuntur,& ſic in perpetuâ æquiuocatione permanent,vt capillus Veneris,lingua ceruina, & aliæ plantæ ſponraneæ, quarum generatio eſt tranſlatitia.Quædam gignuntur & non gignunt,vt mulus ab equo genitus,ipſe infœcundus.Quædam gignunt & non gignuntur,vt mures nati ex putredine, alios vniuocè mures gignunt. Gignendi etiam ratio diuerſa, & modi varij. Quædam enim à ſimili per accidentia, ab eadem per eſſentiam ſpecie,ſicut homo. Quædam à ſimili in genere , vt ex verme. Quædam à generis poteſtate , vt ab ouo pullus. Quædam à ſimili analogo, vt è purpuræ ſaliua gignuntur purpuræ minores. Quædam à principiis occultioribus , vt mures è fimo , apes & crabrones ex boue & equo.

Cuiuſlibet generationis ſubiectum eſt materia prima;Materia enim in genito eadem eſt quæ prius fuerat in corrupto , formam aliam induens ſucceſſiuè ; quamuis enim forma non fiat ex materiâ, generatur tamen determinatiuè in materiâ;principia quidem non fiunt ex alterutris tanquam ex partibus eſſentialibus , fiunt tamen ex alterutris , tanquam ſubiectis.

Vt fiat generatio, oportet miſcibilia eſſe ὁμόφυλα, ὁμοδυνάμια , vt inquit Hippocr. *lib.de nat.hum.* Neceſſe enim eſt miſcibilium alterationem , eorumdem mixtionem, atque vnionem præcedere ,hoc eſt, quatuor primorum corporum debitam commoderationem. Qualiacunque enim fuerint genita compoſita, ſiue proximè & immediatè ex quatuor primis ſimplicibus corporibus, ſiue mediatè,alio ſcilicet compoſito medio

medio & intercedente, debent in generatione inuicem permiſceri, ac in quodam æquilibrio actionis paſſioníſque conſtitui, vt aliquid producant & generare poſſint.

Huius mixtionis ad generationem omnino neceſſariæ, efficientes cauſæ; tum vniuerſales ſunt, tum particulares. Quomodo enim vniuerſalia mundi elementa penès eorumdem particulas ad ſenſilium mixtionem accederent, vt rerum ſpecies æternæ per propagationem conſeruentur, niſi impellente & quaſi adigente ad id primâ causâ? Sit itaque primi mobilis motus diurnus, huius prima cauſa atque ſuprema. Sit ſecunda cauſa Solis motus perennis in zodiaco, qui facultate ſuâ viuificâ terram fœcundat, quæ vt grauiſſima non ſolùm Solis, ſed omnis influxus cœleſtis radios excipiens, omnium in ſe rerum ſemina continet. Vniuerſales hæ æternæ & conſtituentes cauſæ vniuerſaliter ac determinatè ordinant & conſtituunt, elementáque ipſa quamuis leuia impellunt, quamuis grauia attollunt, vt deinde quaſi coacta à propriis particularibus formis viciſſim agentibus & patientibus ad mixtionem compoſitorum concurrant.

His ita præmiſſis, veniamus ad ipſa Hippocratis verba, *Generatio ab vno fieri nequit, quo enim pacto generare aliud poſſet, niſi quid aliud admiſceatur?* Etenim ſi omne quod generatur, fit ex eo, non quatenus eſt actu ens, ſed quatenus eſt potentiâ id quod fit; Itaque non quatenus vnum, ſed quatenus aliud in potentiâ. Si enim generatio eſt tranſmutatio de non eſſe ad ens vnum ſimpliciter & perfectum, (poſito quod vnum ſit abſolutè, & vnicâ ratione omnia) tunc nulla eſſe poterit generatio: quia quamcumque in illo vno ente mutationem conſtitueris, ſemper ad idem ens præcisè reuertetur, & nunquam noui aliquid in tali mutatione acquiret, quoniam vnum illi eſt omnia vnicâ ratione: non vt nos dicimus, ſub nouis formis. Itaque nihil ab vno illo ente generari poterit, quia ſeipſum generabit: At quæ generant, ſpecie quidem ſimilia producunt, non numero, quia ſic ſeipſa generarent. At modò forma generati diuerſa eſt à generante, quia duo ſunt interna & per ſe exiſtentia tranſmutationis cuiuſlibet principia, forma ſcilicet & materia; falſum igitur illa vnum tantùm aſſerere. Hoc in omni generatione verificatur, tam ſimplicium quàm compoſitorum. Videtur tamen magis hîc agere Hippocrates de mixtorum corporum generatione, ad quam etiam ſenſibus aperta mixtio occurrit. Quis enim in animantibus ex ſolo mare, aut fœmina ſolâ, niſi amborum ſemina permiſceantur, aliquid vnquam generari conſpexit? Quis vidit ex ſemine plantam oriri, niſi priùs illud in terram coniectum fuerit, ibidémque corruptum, atque aliis permixtum? Nemo certè. Quandoquidem ſemen ipſum nimio perfuſum humore nihil producit. Ideóque ſubiungit Hippocrates; *Quinetiam neque ea quæ miſcentur, niſi ſint eiuſdem generis, eandémque habeant facultatem, quicquam generant. Tantùm abeſt vt ab vno aliquid producatur, vt ne quidem à pluribus, niſi ὁμόφυλα & ὁμοδυνάμια fuerint, quicquam oriri poſſit.* Ex quolibet ligno non fit Mercurius, vt eſt in prouerbio, quodlibet in quodlibet non eſt tranſmutabile; Omnino enim diſſimile, non patitur ab omnino diſſimili, quia agens & patiens quodammodo ſimilia & diſſimilia eſſe debent; diſſimilia quidem propter diuerſas formas; ſimilia verò, propterea quòd debet patiens eſſe in potentia tale, quale eſt agens in actu. Quamobrem nec animalia cuiuſuis generis, aut ſecum aut cum alio genere coëuntia ſemper generant. Neque enim ex aſino & gallinâ, fœtum vſquam ſuſcipies. Nec ex quibuſlibet plantis inſitis ſeu inoculatis fructum capies. Verbi gratia nuci arbori inſere ſtolonem mori, nil tibi niſi hilum producent. Conueniens à conuenienti fit, niſi enim ea quæ miſcentur, ſint conſimilis & conuenientis ſubſtantiæ, nihil generare poſſunt, neque ſi adamas ligno, aut lignum auro admiſceatur, quicquam generabitur, quia neque ὁμόφυλα, neque ὁμοδυνάμια. Fortuita eſſent omnia, & caſui ſubditæ generationes, ſi indiſcriminatim elementa ad omnium mixtionem accederent, quæ à ſuperioribus & certis lationibus rerum omnium opificibus ſub determinata quædam genera ad mundi huius perfectionem ordinata ſunt. Vnius autem generis, dixit, quia cùm naturalia agentia & patientia apud Ariſtotelem contraria ſint, & contraria ſint ſimilia in genere, & diſſimilia in ſpecie: per conſequens agentia & patientia erunt ſimilia in genere, ὁμόφυλα, & iuxta Hippocratis ſententiam ad generationem apta. Dicit ſummus Ariſtoteles, quòd non omnia quæ miſcentur, agunt

& patiuntur, ſed tantùm ea quæ ſimilia,& quodammodo diſſimilia ſunt,determinata ſcilicet & certa contraria, non quælibet. Sic & magnus Hippocrates aſſerit,omnia mixta indifferenter & indeterminatè non generare: ſed ea tantùm, quæ ſunt eiuſdem generis phyſici, eandémque & conſonam ad proprium ſubiectum facultatem obtinent: cáque temperata & in æquilibrio poſita. Ideò ſequitur: *Niſi calidum cum frigido,& humidum cum ſicco mediocriter ſe habuerint & æqualiter: ac mutuâ inter ſe κράσιν & temperamento conueniant.*

Notatu dignum eſt, nomen illud κράσεως, id eſt,temperamenti, quia vt eſt apud Galenum,primus eo eſt vſus Hippocrates, ac primus elementa κερᾶσθαι, contemperari ac alterari docuit, antequam generatio fiat,cùm priores Philoſophi,qui etiam quatuor in compoſitis prima corpora admittebant,vt Empedocles; vellent illa inalterata & impermixta,vt tritici,hordei,farris,& auenæ in cumulo, ſic elementa quatuor per exiguas partes commiſſa & ſe contingentia, corpora mixta conſtituere. Meliùs etiam declarat Hippocrates iſtam elementorum contemperationem, cùm dicit, *Calidum cum frigido, humidum cum ſicco mediocriter ſe habuerint.* Notum eſt quatuor eſſe primas qualitates,quarum duæ,calidum ſcilicet & frigidum actiuæ,duæ humidum & ſiccum paſſiuæ dicuntur, ſdque ex harum patet definitionibus: Calidum enim definitur, qualitas prima congregans homogenea, & diſgregans heterogenea: Frigidum, qualitas prima congregans homogenea & heterogenea pariter: Humidum quod difficulter termino ſuo, facilè alieno continetur: Siccum quod facilè termino proprio, difficulter alieno terminatur. Iſtæ tamen qualitates primæ in mutuâ elementorum tranſmutatione æqualiter omnes actiuæ & paſſiuæ nominantur;In mixti autem generatione, calidum & frigidum actiuæ, humidum & ſiccum paſſiuæ dicuntur, quia in mixtione humidum & ſiccum propriâ naturâ componuntur & miſcentur, vi autem ac potentiâ caliditatis & frigiditatis fit eorum mixtio & coniunctio. Dicamus igitur, cum calidum & frigidum agentis & formæ,humidum & ſiccum patientis & materiæ in compoſiti generatione rationem obtineant, illa debere ita temperari inter ſe, & ἔχειν μετρίως, vt ſit quædam inter agens & patiens æquiualentia. Iſtæ enim qualitates ſic temperatæ, mutuâ actione & paſſione,emergere faciunt formam è ſinu materiæ, vnde generatio & mixtio: quæ fit quando potentiæ contrariorum miſcibilium ita adæquantur, vt vnumquodque æqualiter dominetur, quo fic vnum ab altero in ſuâ naturâ ſecundùm aliquid tranſmutatum, fiat medium commune,omnium quæ miſcentur virtutum particeps.

Quod adiungit Hippocrates, ἴσως, *æqualiter*, quaſi omnium elementorum in mixto ſit æquale pondus, fecit vt contra hoc obiicerent Algazel & Auicennas, duo incommoda. Primum ſi miſcibilia adæquantur in mixto, mixtum eſſet immobile, non enim magis inclinaretur ſurſum quàm deorſum, vel ad aliam loci differentiam, quia nullum in illo prædominaretur elementorum. Secundum incommodum. Quia ſi æqualia eſſent, omnis mixtio eſſet vna & eadem, atque ex ſimilibus quantitate & qualitate, diuerſa generarentur, vt caro, oſſa, lapis, &c. quod eſt impoſſibile. Ad hæc reſpondemus, illud *æqualiter*, non ſic intelligendum. Cùm enim omnis mixtio naturalis ſit propter generationem, non eſt exiſtimandum qualitates, vel qualitatem miſcibilium in mixto eſſe æqualem proportione Arithmetica ſeu ponderis, ſed potiùs Geometricâ & proportione quæ requiritur ad formam ſuſcipiendam, propter quam fit mixtio. Hinc nobilis illa quæſtio orta eſt, An temperamentum ad pondus dictum dari poſſit. Nos de eâ breuiter tranſigamus.

Temperamentum ſi nominis ipſius etymon ſpectes, nihil aliud eſt quàm mixtio, vt apud Græcos κρᾶσις illud propriè ſignificat. Temperamenti definitiones varias à variis traditas, non eſt nobis propoſitum recenſere: nos veram definitionem ab Auicenna traditam recipimus; Temperamentum eſt qualitas, quæ ex mutuâ actione & paſſione primarum qualitatum prouenit. Quamuis (vt hoc obiter dicam) Fernelij definitio non ſit reiicienda, quâ definit temperamentum, proportionem calidi, frigidi, humidi, ſicci. Nec valet quod obiicit Riolanus; cùm temperamentum ſit principium functionum & facultatum, nonne dari poterit aliqua corporis pars, quæ conſtet elementis, eâ proportione miſtis, quâ ventriculus, & hepar, & tamen chylum & ſanguinem non facit? Negamus enim primò talem temperiem in aliâ parte reperiri poſſe. Deinde ſi reperiretur, partem illam non minùs ſanguinem aut chylum facturam, ſi eandem conformationem obtineat. Nec valet quod obiicit Argenterius, temperamentum

dici

dici calidum frigidum,&c.proportionem verò minimè.Fatemur quidem proportionem, quatenus eſt ad aliquid, neque frigidam neque calidam dici,neque etiam agere; At quatenus proportio illa eſt qualitas, vt doctiſſimus dicebat Auerrhoës, & frigida & calida appellabitur, & quod magis eſt,agit. Sed ad alia.

Temperamentum cuiuſuis corporis duplex eſt,aliud ad ſubſtantiam, quod habitus eſt naturalis ex proportione ſubſtantiarum elementorum reſultans; aliud quod eſt tantùm leuis diſpoſitio ex proportione qualitatum actu exiſtentium, quæ multis modis & cauſis variantur.Temperamentorum inæqualium octo, quatuor ſimplicia, & quatuor compoſita recenſentur. Nam aut vnica excedit qualitas, eáque eſt calor, frigus, humiditas, ſiccitas: aut duplex, vt calor cum humiditate, calor cum ſiccitate,frigus cum humiditate,frigus cum ſiccitate. Rurſum quia quatuor hæ qualitates contrariæ poſſunt ſub æquali intenſione ad mediocritatem reduci, hinc reſultat nonum temperamentum ex elementorum æqualibus portionibus conſtitutum, quod æquale & εὔκρατον appellatur.Et ſic nouem temperamentorum differentiæ vulgo numerantur.

Quæritur tamen,an temperamentum hoc, quod æquale vocauimus, vel ſecundùm habitum, vel ſecundùm diſpoſitionem, ſit æquale κατὰ τλὴ δικαιοζύνλω, vt loquitur Galenus,ſecundùm ſpeciem & iuſtitiam, an κατὰ σταθμὸν, ad lancem & pondus. Nos dicimus intelligi de temperamento κατὰ τλὴ δικαιοζύνλω, quia temperamentum ad pondus dari non poteſt. Vbi enim illa erit calidi & humidi æqualis proportio, quæ ſenſim ad frigus & ſiccitatem permutetur, ita vt ſint æquè veloces motus ad frigus & ſiccitatem? Nullibi certè. Ac vt iſtius opinionis fautores dicunt,hæc exacta proportio ne momento quidem perdurabit. Quid igitur illi indiuiſibilia ſcrutantur,& quæ ſub Medici cognitionem cadere non poſſunt?Meliùs qui nullum ad pondus,temperamentum dari contendunt, habéntque ſibi conſentientes Ariſtotelem 4. *Meteor. In quocunque mixto terra aut aqua redundat*, Galenum 2. *de ſimpl. faculr.* vbi ait; *Quin & hominem non abſolutè calidum vt ignem, ſed exuperantiâ calidum dicimus. Si quidem in illo maiorem calidi portionem eſſe quàm frigidi.* Auicennam & Auerrhoëm. Denique rationes validiſſimas.

Quomodo enim mixtum aliquod generabitur, niſi vnum elementorum vincat? Nullus enim ortus fieri poteſt, vbi non eſt quod vincit, & quod vincatur, quoniam debet eſſe aliquid quod vincat, quod moueat,miſceat,& generet. Sed quodcunque illud ſit,reliquis præpollet,ac æqualitatem deſtruit. Secundò,corpus humanum exactiſſimæ eſt temperaturæ.At quis negabit calidum & humidum in illo excellere? Tertiò, temperies prouenit ex actione & paſſione contrariarum qualitatum, vbicumque autem eſt actio & paſſio,neceſſario agens patiente eſt potentius.Ergo nulla æqualitas. Quartò, illa æqualitas eſſet conſtituta in puncto indiuiſibili,ita vt non eſſet in tempore. Quare melius eſt illam vt omnino non exiſtentem & fictam reiicere.Nec obſtat quod aduerſarij dicunt. Primò dato vno contrariorum in rerum naturâ, datur etiam & aliud. At datur complexio intemperata. Ergo & temperata. Reſpondemus, hoc verum eſſe ſi vtraque ſint poſitiua; Non ens enim, enti non contrariatur niſi priuatiuè. Neque ſunt ſub eodem genere.

Obiiciunt ſecundo. Motus fit ab extremo in extremum per medium. Sic quando mutabitur aliquis, v.gr. à complexione calidâ & ſiccâ ad frigidam & humidam,hoc fiet per temperiem mediam,eámque æqualem. Reſpondemus, ſi fiat iſte tranſitus, fiet per æqualem ad iuſtitiam.Deinde neceſſum non eſt, vt tranſitus iſte à complexione extremâ ad extremam fiat per intermediam; ſed in inſtanti introducitur poſt diſpoſitiones debitas acquiſitas.

Obiiciunt tertiò. Tactum eſſe proportionem quandam mediam, quâ exceſſum qualitatum diſcernit.Hoc autem fieri non poſſe,niſi adfuerit temperata complexio. Reſpondemus, temperiem ad iuſtitiam ſufficere, vt tactibilium excellentias diſcernamus.& ſufficienter iudicemus. Quod etiam patet in hominibus intemperatis,qui exquiſito ſæpiùs ſenſu præditi ſunt, vt bilioſi.

Et ſic conſtat nouem eſſe temperamenta, octo intemperata, vnum temperatum ſeu εὔκρατον, idque temperie ad ſpeciem conuenienti, κατὰ δικαιοσύνην, non ad pondus.

Digitized by Google

LECTIO VIII.

TEXTVS HIPPOCRATIS.

Ἀνάγκη τοίνυν τὴν φύσιν τοιαύτης ὑπαρχούσης, καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων, καὶ τῆς τοῦ ἀνθρώπου, μὴ ἓν εἶναι τὸ ἄνθρωπον, ἀλλ' ἕκαστον τῶν ξυμβαλλομένων εἰς τὸν γένεσιν, ἴσχειν τινὰ δύναμιν ἐν τῷ σώματι, οἵαν περ ξυνεβάλετο. καὶ πάλιν γε ἀνάγκη διαχωρεῖν εἰς τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ἕκαστον, τελευτῶντος ἀνθρώπου, τὸ, τε ὑγρὸν, πρὸς τὸ ὑγρὸν, καὶ τὸ ξηρὸν, πρὸς τὸ ξηρὸν, καὶ τὸ θερμὸν, πρὸς τὸ θερμὸν, καὶ τὸ ψυχρὸν, πρὸς τὸ ψυχρόν. τοιαύτη γὰρ καὶ τῶν ζώων ἐστὶν ἡ φύσις, καὶ τῶν ἄλλων πάντων. γίνεσθαί τε ὁμοίως πάντα, καὶ τελευτᾷ ὁμοίως πάντα. ξυνίστασθαι μὲν γὰρ ἐκ τοιῶνδε ἡ φύσις διὰ τελείων τῶν προειρημένων πάντων. καὶ τελευτᾷ καλὰ τὰ εἰρημένα εἰς τοῦτο ἐξ οὗπερ ξυνέστη ἕκαστον, ἐντεῦθεν καὶ ἀναχώρησιν.

CVM igitur talis ſit hominis natura, & aliorum omnium, neceſſe eſt hominem ex vno non conſtare; ſed vnumquodque eorum quæ ad generationem conferunt, vim aliquam habere in corpore, qualem contulerunt. Rurſus cùm hominis corpus interiit, neceſſariò vnumquodque ad ſuam naturam reuertitur, humidum ad humidum, ſiccum ad ſiccum, calidum ad calidum, frigidum ad frigidum. Talis enim eſt tum animantium, tum aliorum omnium natura, cunctáque ſimili modo naſcuntur & intereunt, quia natura illorum conſtat ex prædictis omnibus, & deſinit, vt dictum eſt, in idem: ſingula ex quo conſtituta ſunt, in id etiam recedunt.

INfert Epilogogum ex præmiſsâ diſputatione, & concludit hominem vnico non conſtare elemento, idque adiunctâ etiam nouâ ratione, quia ſcilicet vnumquodque eorum quæ ad generationem concurrunt, vim & δύναμιν qualem contulit, adhuc in compoſito retinet. Non caret difficultate hæc περιοχὴ, propter varias Philoſophorum opiniones, quia includit vulgatum illud dubium quo quæritur, vtrùm formæ elementorum, cum ſuis integris qualitatibus maneant formaliter in mixto, vtrùm elementa ſint in mixto actu aut potentiâ. Quod ſic intelligi debet; An cùm ex elementis mixtione quâdam certâ fuerit corpus mixtum generatum; formæ ſubſtantiales elementorum & qualitates primæ remaneant in illo corpore mixto; an potiùs tum formis, tum qualitatibus primis eorum corruptis, nouæ generentur.

Graue eſt certè & πάνσοφον de his differere quæſtionibus, mihi potiſſimùm, qui nouus, & vt dicitur, in primo limine ſum poſitus: ne tamen videar mihi impoſitum onus detrectare, conabor de omnibus quæ dubia erunt, in contextu Hippocratis explicando, ſi non multa & accuratè, ſaltem aliquid & breuiter dicere. Hoc mihi in hac præſtandum eſt quæſtione, quam, vt difficilem, & parum Medico, vt ait ille, neceſſariam prætermiſit Galenus, & quæ Phyſicos pariter & Medicos valde anxios habuit.

Stoici, qui elementa in actu completo ponebant in mixto, eáque ſeipſa permeare, ſatis eo videntur refutati, quòd penetrationem dimenſionum admittebant.

Empedocles elementa in minima fruſtula comminuta cum propriis formis & qualitatibus miſceri volebat, & partium tantùm approximatione compoſita conſtituere. Cuius opinionis abſurditas ſatis patet. Detur enim nobis minima carnis portio, quatuor tantùm elementorum fruſtulis minimis conflata, in illius portiunculâ aqueâ erit caro, & ſic mixtum vno conſtabit elemento, in eadémque materiâ recipientur duæ formæ ſubſtantiales, quod eſt abſurdum: aut in illa portiuncula aquea non erit forma carnis, ſic neque in ignea, neque in aërea, neque in terrea particula, neque vſquam. Et ſic cùm hoc totum dicatur caro, partes eius non dici poterunt caro, ſed aliquid aliud diſſimilare.

Auicennas parum abeſt ab hac opinione. Putauit enim in mixto corpore elementa eſſe in actu completo, quantum attinet ad formas ſubſtantiales; neque in formis

Digitized by Google

formis illis fieri mixtionem, sed elementa inuicem miſceri ob primas qualitates, illiſque mutuâ actione reductis ad temperiem, quæ alicuius corporis mixti complexioni conueniat, generare mixtum illud corpus. Hæc ſententia euidentiſſimâ ratione confutatur, quam Scotus & Metaphyſici tuentur.

Si enim formæ ſubſtantiales elementorum remaneant in actu perfecto, non poſſet fieri, vt in eo mixto alia eſſet forma præter illas; nam ex axiomate Philoſophico; *Quicquid aduenit enti & ſubſtantiæ in actu per ſe exiſtenti, accidens eſt, non ſubſtantia*: aliàs vnum idémque corpus haberet duplex eſſe, & ſic plures materiæ partes elementorum formis ſubſiſtentes, plurium corporum rationem ſuſciperent. Præterea quomodo poſſent & diuerſæ & contrariæ iſtæ formæ cum vna quinta conuenire, cùm ipſæ inter ſe conuenire non poſſint? Conantur tamen iſti qui formas ſubſtantiales elementorum in mixto formaliter manere aſſerunt, id confirmare ſeptem potiſſimùm argumentis, quibus ſatisfaciendum eſt, antequam alias opiniones recenſeamus.

Primum argumentum eſt. Ariſtoteles 5. *Metaphy.* definit elementum, id ex quo fit aliquid, cùm inſit. Ergo elementa manent in mixto. Reſpondemus, elementa ineſſe non actu, ſed potentiâ, ſiue vt loquuntur, in actu refracto. Præterea definitionem illam eſſe elementi, quatenus principium ſignificat materiam & formam.

Secundum argumentum. Idem Ariſtoteles 1. *de generation.* ait, guttam vini non miſceri cum mille amphoris aquæ, quoniam forma ſubſtantialis eius corrumpitur. Ergo elementorum formæ vt miſceantur, corrumpi non debent. Reſpondemus, elementum quod corrumpitur in mixtione, non corrumpitur in aliud elementum, ſed omnia corrumpuntur in mixtum; quare inutilis illorum conſequentia.

Tertium. Si elementa non manerent in mixto, ſequeretur quòd mixtum eſſet æquè ſimplex ſubſtantialiter ac elementum, forma tamen ſubſtantialis mixti continet in potentiâ quatuor elementa.

Quartum. In mixto manent propriæ qualitates & naturales actiones elementorum. Ergo elementa ipſa formaliter remanent, quia propriæ qualitates non poſſunt ſeruari extra ſubiecta. Reſpondemus, qualitates quidem in mixto eſſe qualitatibus elementorum ſymbolas, non eaſdem, neque in ſummo.

Quintum. Si elementa in mixto non manerent, nullum in mixto dominaretur. At dominatur. Quare manet actu. Reſpondemus, elementum non dominari in mixto, ratione ſubſtantialis formæ, ſed quia ex mutuâ actione elementorum, remanſit virtus quædam in mixto, magis conueniens cum vno aut pluribus, quàm cum alio elemento.

Sextum. In ligni combuſtione experimur quatuor eſſe actu elementa. Ex ligno enim exit aqua, eleuatur fumus loco aëris, manet cinis loco terræ, flamma exurgit quæ ignem refert. Reſpondemus, hac ligni combuſtione formas elementorum de nouo generari, atque è potentiâ in actum reduci.

Septimum & vltimum. Si formæ elementorum non remanerent, mixtum ex vno elemento generari poſſet, quia omnium eadem eſt materia. Reſpondemus, concurrentiam elementorum requiri, vt fiat mutua actio & paſſio, alteratio & mixtio. Ideò ex vno mixtum non poſſe generari. Et ſic illorum rationibus ſit ſatisfactum qui exiſtimant formas elementorum ſubſtantiales in mixto formaliter remanere. Nunc ad alias opiniones veniamus.

Auerrhois voluit formas elementorum imperfectiſſimas eſſe, inter omnes formas ſubſtantiales, ideóque plurimùm recedere à naturâ ſubſtantiæ, & accedere ad naturam accidentium, ita vt more accidentium frangi, minui atque remitti poſſint. Et rurſus ſi contingat, intendi & fieri perfectiores, prout videmus calidum & frigidum intendi & remitti. Quare cùm more accidentium poſſint elementorum formæ frangi & minui, quamuis in mixti compoſitione propter certam qualitatum remiſſionem, à ſuo eſſe ſubſtantiali deſtituantur, remanere tamen illorum formas in actu refracto; quia formæ illæ potiùs vicem habent accidentium quàm ſubſtantiarum. Hæc opinio multa abſurda recipit. Primo, quod dicat, rerum ſubſtantias intendi & remitti, vnde ſequeretur, hunc ignem verbi gratia vt octo, magis eſſe ignem, quàm vt quatuor. Et ſic daretur certus remiſſionis gradus, ſub quo minimo conſiſterent elementa, ſub minore verò conſtare nequirent: Ac ſubſtantiæ daretur vltimum inſtans, ſub quo eſſet, quod falſum eſſe docuit Ariſtoteles 8. *Phyſic.* Præterea, quòd elementorum formas tanquam imperfectas ſtatuat medias inter formas ſub-

ſtantiales & accidentia : At ridiculum eſt ponere medium inter illa quæ non ſunt eiuſdem generis. Subſtantia igitur & accidens, cùm toto differant genere, non poſſunt dici extrema quæ includant medium : nec poteſt poni medium inter ſubſtantias & accidentia.

Quarta eſt opinio iuniorum Peripateticorum, qui putant elementorum formas non manere, ſed virtutes ſolas : Et hæc mihi magis vero proxima videtur. Ariſtoteles ſic ſentire probatur, cùm ait; *Eorum quæ ſunt, alia facultate, alia actu ſunt; ſit autem vt quæ in mixtionem recipiuntur, quodammodo ſint & non ſint ; Neque actu remanent vt corpus & candor, neque alterum aut vtrumque deletur, quia illorum facultas ſalua manet.* Galenus *lib.*8. *de placitis*, commendat Hippocratem, quòd elementa prima nominibus qualitatum appellauerit, & ſecunda, humores ſcilicet nominibus ſubſtantiarum, *Poteſtate ſiquidem*, (inquit ille) *illa inſunt, non actu in corporibus.* Diuus etiam Thomas putauit in vnoquoque mixto terram, aquam, ignem, & aërem eſſe, non tamen actu, quoniam in mixto nullius elementi forma & ſubſtantia eſt actu, ſed potentiâ & δυνάμει : forma enim cuiuſque mixti quamdiu permanet, vim & perfectionem omnium elementorum continet. Hancque nos tuemur, vt multa aliarum opinionum incommoda fugiamus. Primò, ne detur penetratio dimenſionum. Secundò, ne generatio mixti, ſit generatio tantùm ſecundùm quid, non ſimpliciter. Tertiò, ne plures formæ ſubſtantiales in eadem materiâ admittantur. Quartò, ne detur intenſio formarum, & gradus quidditatis. Et ſic certum habemus formas ſubſtantiales elementorum non manere actu in mixto. Nunc de qualitatibus videamus.

Corruptis ſubſtantiis qualitates integræ manere non poſſunt. Sunt enim tales in ſummo ſub formis & per formas. Quibus corruptis eſſentias qualitatum alio ſe habere modo neceſſe eſt. Sunt enim & exiſtunt ſecundùm formarum ſuarum, à quibus ſuum eſſe habent, rationem. Quare cùm iam poſitum ſit à nobis ſubſtantiales elementorum formas in mixtorum generatione corrumpi, quæ in eorundem reſolutione de nouo generantur, neceſſe eſt etiam ipſas qualitates primas interire, remanere tamen potentiâ in qualitate illâ complexionis, quam mutua primarum qualitatum actio & paſſio peperit. Ita vt compoſitum ab vnoquoque elementorum receperit qualitates & vires planè ſimiles elementaribus, ſecundùm quas operationes ſuas exercet. Non quòd proprij elementorum actus ſint in miſto, ſed quia manent virtute, quam corporibus communicant, quibus alterata plane inſunt. Igneum in homine calfacit, ſed non extremè ; terreum in homine exſiccat, ſed non extremè. Quare bene dixit Hippocrates, vim aliquam elementa in corpore obtinere, denotans nimirum illa non formaliter aut actu completo, ſed potentiâ & qualitatibus in mixtis manere. Quare eædem qualitates erunt iuxta ſpeciem, non iuxta numerum. Sequitur.

Cùm hominis corpus demoritur, ſingula neceſſariò ad ſuam naturam redeunt, humidum ad humidum, ſiccum ad ſiccum, calidum ad calidum, frigidum ad frigidum. Similis huic eſt ſententia apud Hippocratem *lib.* 1. *de diætâ*, *Recedentibus illis huc* (inquit ille) *his verò illuc elementis, πάντα τὸν πεπρωμένον μοῖραν ἐκπληροῖ, ὅτι τε μεῖζον καὶ τε μεῖον; Vnumquodque deſtinatum fatum explet, ſecundùm maius & minus.* Hippocrates priùs argumentis à compoſitione & generatione rerum omnium petitis, probauit plura eſſe elementa, nunc per reſolutionem & corporum corruptionem idem confirmat. Confirmant id Ariſtotelis ſententiæ, 3. *Phyſic. Omne ad illud, ex quo fit, diſſoluitur*, & 3. *Metaphyſ. Omnia corrumpuntur in ea ex quibus ſunt*, Nos expendamus, an verum ſit ſingula ad ſuam naturam redire, humidum ad humidum, &c.

Rerum corruptibilium tres tantùm eſſentiæ recenſentur. Prima eſt ſimplicium corporum ; ſecunda mixtorum ex his primis elementis, tertia animatorum. Simplicium corruptio eſt tranſmutatio totius in totum, nullo ſenſibili remanente ſubiecto. Animatorum corruptio Ariſtoteli, *libro de vita & morte*, eſt abſentia animæ & calidi innati. Denique mixtorum animâ carentium corruptio, eſt miſcibilium ſecretio & diſſolutio. De hac poſtremâ corruptione loquitur Hippocrates. Neque enim ſimplicia corpora in alia reſolui poſſunt ; neque animata quatenus animata, ſed quatenus mixta. Mixtorum igitur propria eſt reſolutio quæ fit per corruptionem. Cui igitur tanquam efficienti & per ſe attribuenda erit mixti corporis diſſolutio & corruptio ? An frigori ? quia diximus generationem à calore fieri, contrariorum autem contrariæ videntur eſſe cauſæ. Minimè, niſi fortaſſis per accidens. A calore ergo mixta generantur & corrumpuntur ; generantur à naturali & proprio ; corrumpuntur

rumpuntur ab alieno & extraneo. Duo hi calores inter se pugnant, alterque ab altero dissoluitur; resoluto quippe, seu extra naturæ limites affecto naturali calore, qui amplius humidum regere non potest, mixtum ab extraneo calore corrumpitur. Forma mixti calori natiuo primò insita, per eum omnia elementa continet. Euanescente verò formâ, resolutoque calore, humidum aqueum aëreumque euaporant, terræ pars concidit, & in cineres dissoluitur.

Corruptio hæc à calore extraneo, duobus fit modis: per putrefactionem videlicet mixti, & per exustionem. Putrefactio est corruptio caloris naturalis à calore extraneo humido: ita vt necesse sit in putrefactione post immutationem caloris natiui, humidum aliquantisper remanere, nec statim resolui. Vstio verò (*vt est 4. Meteor.*) est subita & violenta segregatio sicci & humidi simul à calido vrente & vehementi. Humidum à sicco separatur tantâ vi, vt humida quasi sublimata eleuentur; terrestris verò portio descendens in cinerem conuertatur. Atque in hac exustiuâ corruptione, quatuor elementa secerni, & suæ naturæ restitui, ad sensum conspiciuntur, verbi gratia in ligni combustione. Per putrefactionem igitur & vstionem, mista dissoluuntur, & quæ in illis potentiâ continebantur elementa, denuò excitata pristinam repetunt essentiam. Videamus nunc, an elementa eadem numero, vel potiùs secundùm naturam communem, indiuidualiter aut secundùm speciem ad naturam suam redeant.

Qui elementa temperata tantùm & refracta, non corrupta, in mixto faciunt, existimant in eiusdem corruptione, vnumquodque idem numero ad propriam formam reflecti, & ad suum idem esse integrum reuerti. Qui verò ponunt illa in actu completo, nullam in illis aut in generatione, aut in corruptione alterationem amittunt, sed statim ac deperdita est illa amicitiæ vis (vt isti loquuntur) quæ illa continebat, denuò libera & dissoluta manere, qualia priùs erant & numero, & indiuidualiter. Nos verò qui elementa & alterabilia omnino & patibilia in tranſmutatione corrumpi asserimus, negamus illa secundùm numerum, sed iuxta speciem tantùm per nouam generationem in propriam naturam reuerti. Nostræque assumptionis veritas pendet ex probatione propositionis, nimirum elementa corrumpi in generatione, quam clarissimè iam confirmauimus, dum ex professo de illâ ageremus.

Sol & astra, cælique omnes, qui vniformiter & secundùm formam & materiam secundùm prius & posterius, semper eadem permanent, eadem numero exoriuntur, & eadem numero occidunt, secundùm variam loci positionem, non secundùm substantiam affecta. Corruptibiles verò substantiæ, vt particularia elementa, quæ indies corrumpuntur & generantur, hæc numero eadem non manent, sed speciem seruant in reuersione & reflexione, forma enim est indiuisibilis, etsi materia maneat. Hoc apertè confirmat Aristoteles, 2. *de generatione*, cùm dixit: *Omnia similiter non reuertuntur, sed hæc quidem numero redeunt, illa verò specie tantùm; Ea quidem quorum substantia incorruptibilis mota est, patet quod & ipsa eadem numero erunt, motus enim ipse mobile ipsum sectatur: Ea verò quorum substantia non est incorruptibilis, sed corruptibilis, necesse est specie redire, non autem numero.* Quid verbis istis summi præceptoris clarius aut apertiùs dici potest, & quod meliùs sententiam nostram confirmet? Elementa in corruptione corrupta sunt: Impossibile ergo illa eadem numero redire; aliàs esset regressus à priuatione formæ & potentiæ ad habitum.

Nec nos moueat, quod alij obiiciunt. Si elementa in corruptione denuò generentur, nullum erit Hippocratis argumentum, quo vult probare à dissolutione mixtorum, illa quatuor elementis constare. Respondemus nos, optimam esse rationem Hippocratis, quia in mixto elementa quatuor, quamuis non actu perfecto, tamen potentiâ propinquâ continentur, ideoque in dissolutione, quæ erant tantùm in potentiâ, statim ad actum reducuntur, quod nusquam fieret, si corpora vnico constarent elemento: & sic verissimum est, calidum ad calidum, frigidum ad frigidum reuerti, non numero eadem, sed secundùm speciem & communem naturam, corpusque nostrum quatuor constare elementis. Quod fuit demonstrandum.

Supereſt breuissima Hippocratis conclusio: *Talis est tum animantium, tum reliquorum omnium natura.* Vt ostendat se absurda de hominis generatione non asserere, communem & generalem esse hanc omnibus tum animantibus, tum inanimatis, elementorum mixtionem asserit. Cùm enim homo sit quasi in quodam rerum omnium medio constitutus, extrema etiam medij naturam sapiunt. Hoc Galenus

populari

populari valde & aptiſſimò exemplo demonſtrat. Ex fici ſemine, verbi gratia in terram coniecto, maxima arbor enaſcitur: Hoc incrementum à terrâ & aquâ, humore quippe in illâ contento prouenit. Atqui terra ſui ratione ſummè eſt frigida, ficus verò calorem quo viuat, plurimum obtinet, ideoque etiam ſi validiſſimâ perfrigeretur hyeme, non emoritur. Patet igitur corpus fici non ſolùm ex aquâ & terrà conflatum eſſe, ſed etiam igneæ naturæ eſſe particeps. Porrò cùm lignum ipſius non terrâ ſolùm, ſed & aquâ leuius exiſtat, quis negabit ficum bonam aëris partem recepiſſe? Ex quatuor itaque, vt & homo, ſic & ficus, & reliquæ omnes arbores, fructus & ſemina, necnon inanimata conſtituuntur. Vocat autem hic Hippocrates naturam, temperiem, quæ temperat, format & perficit quodcunque mixtum corporeum. Quam in omnibus talem eſſe aſſerit, non quòd ex eadem, ſcilicet proportione, omnia mixta elementorum conſtituta ſint, ſed quod omnia pariter concurſum quatuor primarum qualitatum requirant, vt generari poſſint.

Diſſoluuntur etiam omnia eodem modo, & tandem intereunt, *κατὰ μᾶζον καὶ κατὰ μεῖον, ſecundùm maius & minus*, vt alibi dicebat Hippocrates. Nihil eſt tam durum, tam compactum, tam firmum, quod tandem non corrumpatur: Eſt quidem quorumdam duratio, quæ eſt rei exiſtentia ſub tempore, maior atque eſſendi tractus magis continuatus, ſed perpetuitas nulla. Quæcunque ſub qualitatum contrarietate poſita ſunt, intra hunc mundi ſublunaris ambitum, propter & materiæ potentiam ad omnes formas, & mouentium ἐτεροτητα, vt orta ſunt, ſic tandem occumbunt. Atque vt lectionem verſiculis concludamus.

Nil eſt naturâ conſtans, miniméque caducum,
Et quod non vllo valeat mutarier æuo,
Corrumpatur enim prorſus, intereátque neceſſe eſt,
Quicquid mutatur, nec ſtatu conſtat eodem.

LECTIO IX.

TEXTVS HIPPOCRATIS.

Τὸ δὲ ζῶμα τῦ ἀνθρώπε, ἔχει ἐν ἑωυτῷ αἷμα, καὶ φλέγμα, καὶ χολὴν διφλὴν, ἥγουν ξανθὴν τε καὶ μέλαιναν. καὶ ταῦτ' ἐστὶν αὐτίη ἡ φύσις τῦ ζώματος· καὶ διὰ ταῦτα ἀλγεῖ καὶ ὑγιαίνει. ὑγιαίνει μὲν οὖν μάλιστα, ὅκόταν μέτριως ἔχη ταῦτα πρὸς ἄλληλα κρήσιος, καὶ δυνάμιος, καὶ τῦ πλήθεος, καὶ μάλιστα ἢν μεμιγμένα ᾖ. ἀλγέει δὲ, ὅκόταν τὸ τέλειον, ἔλασσον ἢ πλεῖον εἴη, ἢ χωρισθῇ ἐν τῷ ζώματι, καὶ μὴ κεκριμένον ᾖ τοῖσι ξυμπασιν.

CORPVS autem hominis, continet in ſe ſanguinem, pituitam, & bilem vtramque. Atque hæc illi ſunt corporis natura: & propter iſta ægrotat, ac ſanum eſt. Sanum quidem maximè eſt, quum hæc mediocriter ſe habent, temperamento, facultate ac multitudine: Et potiſſimùm ſi bene permixta fuerint; Ægrotat autem cùm horum aliquid minus aut amplius euaſerit, aut ſeparatum in corpore fuerit, nec omnibus contemperatum.

QVæ iam probauimus, apud me deinceps pro hypotheſi habebuntur. Diximus itaque de humoribus, quantum ad inſtitutum noſtrum faciebat, ſufficienter, & quinque potiſſimùm argumentis, quatuor eſſe monſtrauimus, quod ſæpiùs inculcat Hippocrates, nobis ad noua & intacta ſemper properandum. Itaque hoc probato & poſito, quatuor eſſe humores, qui ſenſibilia ſunt corporis noſtri elementa, videamus quid deinceps dicat Hippocrates. *Propter iſta ægrotat corpus, ac ſanum eſt.* Corpus noſtrum diuiditur in continentia, contenta, & impellentia. Continentia ſunt partes viuentis ſolidæ, quæ ſolæ viuere dicuntur, & propterea dicimus,

Digitized by

dicimus, ſanitatis & morbi, contrariarum ſcilicet diſpoſitionum ſuſceptiuas eſſe, quia qualitates illæ actionem iuuantes vel lædentes ſunt propriè affectus partium viuentium, quæ ſolæ actionem edunt. Contenta ſunt ſpiritus & humores. Morborum cauſæ, morbi, & ſymptomata, ſunt in contentis, partibus ſolidis, & functionibus. Symptoma enim eſt ipſa functio læſa. Morbus lædit actionem propter affectam partem. Morborum cauſæ proximæ & continentes ſunt ipſa contenta, humores ſcilicet. Idem de ſanitate, contrariâ diſpoſitione eſt intelligendum. Ideò Hippocrates dicit, *Propter iſta agrotat corpus, ac ſanum eſt*; propter ſcilicet temperamentum, quantitatem, qualitatem humorum bonam aut malam. Nos priuſquam ad contemplationem ſanitatis & morbi, nobis hîc propoſitam veniamus, vt tota hæc meliùs procedat oratio: conabimur aliquot Hippocratis ſententias huic primo intuitu contrarias conciliare, vt cùm de mente authoris conſtiterit, certi ſimus quid nobis tuendum ſit.

Hippocrates *epiſtolâ ad Democritum*, aſſerit, ipſum Æſculapium Medicinæ inuentorem, à ſeipſo in multis diſſentire; licebit fortaſſis alicui non examinanti accuratiùs, idem in ſummum Hippocratem retorquere. Hic enim manifeſtè humores ſanitatis & morbi cauſas eſſe aſſerit. *Libro* verò *de flatibus*, etiam demonſtratione conficere nititur, flatum omnium morborum authorem eſſe, his verbis, Φαίνεται ἔν αἱ φύσαι διὰ πάντων τούτων πολυτροπώτεροι πάντων νόσων αἰτίαι ἔσαι: τὰ δ' ἄλλα πάντα ζωαίτια καὶ μεταίτια, id eſt, *flatus ipſi omnium morborum omnimoda exiſtunt cauſa. Cætera verò omnia quæ cauſæ videri poſſunt, vel hos adiuuant, vel conſequenter poſt hos in corporibus morbos generant.* Et ſic duas iam diuerſas opiniones de morborum cauſis, apud Hippocratem videtis. Tertium audite *libro de affectionibus*, Νοσήματα τοῖσιν ἀνθρώποισι γίνεται ἅπαντα, ὑπὸ χολῆς καὶ φλέγματος. ἡ δὲ χολὴ καὶ τὸ φλέγμα, τὰς νόσους παρέχει, ὅταν ἐν τῷ ζώματι, ἢ ὑπερξυραίνηται, ἢ ὑπερυγραίνηται, ἢ ὑπερθερμαίνηται, ἢ ὑπερψύχηται, id eſt, *Morbi omnes hominibus à bile ac pituita fiunt. Bilis autem & pituita morbos exhibent, quum in corpore nimiùm aut reſiccantur, aut humectantur, aut incaleſcunt, aut frigeſiunt.* Quod confirmat *libro primo de morbis*; vbi duos tantùm humores, morborum cauſas conſtituit, bilem ſcilicet & pituitam.

Varius igitur & multiplex eſt Hippocrates in aſſignandis morborum cauſis, nunc flatum, nunc duos humores, nunc quatuor, vt in hoc libro, humores, morbos efficere aſſerit. In conciliandis huiuſmodi contradictionibus & ſcripturis ſatis eſt, ſi interpretatione aliqua laudabili, & mentem authoris obſeruando, pugnantiam aliquo modo tollamus; quod in hac controuerſiâ præſtabimus. Ad primam igitur opinionem, quæ libro de flatibus continetur, dicimus quòd ſicuti naturalis ſpiritus & flatus ad animantis naturam formandam, maximam ac potiſſimam vim obtinuit, ita è contrario præternaturaliter affectus, maximam ac potiſſimam vim ad illam deſtruendam obtinebit; non quòd ſpiritus ſolus per ſe morborum omnium ſit efficiens, ſed quia videtur prima quaſi cauſa & motor internus aliarum rerum, vtpote humorum qui morbos efficiunt. Quod ſatis ipſe innuit, dum *loco citato*, & ζωαιτίων & μεταιτίων, concauſarum & poſtcauſarum (vt ita loquar) meminit: quod non feciſſet, ſi ſpiritum vel flatum, ſolam eſſe morborum cauſam putaſſet. Ac ſic patet, Hippocratem libro illo generalem quandam cauſam inquirere, non cauſam proximam morborum, neque ſibi contradicere.

Maior eſt difficultas in conciliando textu illo libri περὶ παθῶν, vbi duos tantùm humores, eoſque nominibus deſignatos, cauſas morborum eſſe dicit, χολὴ καὶ φλέγμα, bilem & pituitam. Non caret tamen locus ille excuſatione. Nam quòd omiſſis ſanguine & melancholia, duas tantùm morborum intimas & conſtituentes cauſas facit, bilem ſcilicet & pituitam; videtur ibi præcipuos tantùm recenſuiſſe, à quibus vt plurimum & frequentiſſimè morbi gignuntur & fiunt, & qui reliquos vi ac poteſtate quodammodo continent. Cùm enim in libro illo ſit Hippocrati propoſitum de affectionibus agere, affectiones autem corpori noſtro frequentiùs accidant à bile & pituitâ, videtur meritò neglexiſſe ſanguinem, & ſuccum melancholicum, tanquam rariſſimas affectionum, de quibus ibi erat traditurus, cauſas. Poſſumus etiam meliùs & apertiùs locum illum conciliare. Cùm enim morbi ab humoribus præter naturam conſtitutis gignantur, veriſimile eſt Hippocratem per bilem, χολὴν ξανθὴν, καὶ μέλαιναν, flauam & nigrã intellexiſſe, & ſic habemus tres humores, bilem flauam, bilem nigrã, & pituitam, quæ ſub ſe comprehendit omnes pituitæ ſpecies præternaturales. Sanguis verò aut nunquam præter naturam eſt; aut ſi eſt, non ſub formâ ſanguinis ſenſibiliter, ſed ſub aliis formis continetur; degenerat enim in bilem &

melancholiam. Atque sic per se non est causa morborum saltem sensibilium, quos maximè Medicus curat.

In hoc autem libro cùm non tam de morbis curandis tractare, quàm de humoribus, illorumque differentiis ac naturâ agere propositum sit, ideò quatuor humores κατὰ φύσιν & παρὰ φύσιν appositè recensèt Hippocrates, & singulatim de his omnibus sermonem profert. Ex his patet, quomodo repugnantiæ illæ apud Hippocratem conciliari possint. Nos ad contextus explicationem reuertamur. *Sanum quidem maximè est, cùm ista mediocriter se habent, temperamento, facultate ac multitudine, & potissimùm si bene fuerint permixta.*

Sanitas morbo prior est, & dignitate & tempore, ideò de illa primò agit Hippocrates. Sed quia contraria iuxta se posita magis eluceſcunt, contrariorumque contraria consequentia, statim agit de morbo, dicens: *Ægrotat autem cùm horum aliquid minus aut amplius euaserit, aut separatum in corpore fuerit, nec omnibus contemperatum.*

Qui contrariorum vnum nouerit, facilè & alterum cognoscet. Sanitas ergo nobis cognoscenda, hoc potissimùm libro, in quo de rebus naturalibus agitur. Sanitas duplex est, vt docet Galenus, 1. *de sanit. tu.* vna quæ est medij temperamenti, illius scilicet quod ἔυκρατον appellauimus, nulli vitio quod sensu percipiatur obnoxia, quâ prædita functiones suas omnes obeunt perfectissimè: Altera verò intemperata, ad alia quæuis temperamenta magis deflectens, non facto tamen tanto progressu vt functiones lædat. Hoc sic explicat Aëtius. Sanitas bifariam dicitur: Quædam exquisita, optima, perfecta, & summa quædam, delinquens quidem, non adeò tamen vt propterea ægrotare dicatur. Et hæc diuersos habet gradus, maioris & minoris ratione non parum differentes. Optima & inculpata sanitas in eo corpore est, quod optimam habet structuram, quam si à rei substantiâ explorabimus, est & qualitatibus temperatissima, & partium compositione ad proprios actus exquisitissimè congrua, nec minùs numero, magnitudine, & commodo inter se earumdem partium ordine, vt singula quæque actioni aptè parata sit. Sanitas alia est καθ' ἕξιν, & est naturalis sanitas alia κατὰ φύσιν, quæ est tantùm bonus habitus. Galenus homines vocat sanos vt nunc, alios vt plurimùm, alios vt semper. Sunt qui tot sanitatis differentias faciant, quot sunt temperamenta, ita vt vna sit exacta, temperamento exquisitè temperato respondens, aliæ aliis temperamentis tam simplicibus quàm compositis analoga. Quicquid sit, sanitatis magna est latitudo, nec videtur Galeno sanitas à sanitate differre communi formâ, vnde sanitates dictæ sunt, sed maioris tantùm minorisque ratione. Sicuti niuis albedo ab eâ, quæ est in pariete, quatenus albedo est, non dissidet, sed tantùm quatenus magis est intensa. Sic Socratis verbi gratia sanitas, ab eâ quæ est in Platone, non differt quatenus sanitas, sed est cum illâ eadem; Dissidet autem quod fortassis melior sit in Socrate quàm in Platone: Illius autem perfectio iudicatur, actionum omnium non vnius integritate; quia intemperati vnam aliquando actionem perfectiùs edunt, quàm exquisitè sani. Atque idem contingit in sanitatis perfectione, quod in fidium aut citharæ consonantia: hæc vnica & insectilis, si summam & exactissimam intelligamus: quæ verò singulis diebus in chorearum festiuitatibus auditur, certè latitudinem maximam patitur. Nam sæpiùs vbi citharœdus percommodè citharam temperasse videbitur: alius peritior superueniens, exactiùs temperabit. Talis est ratio sanitatis, quæ quidem vnica est, si perfectam spectes: plures verò eius differentiæ in variis hominum naturis, idque cum maxima latitudine, ne introducatur ἀνωδυνία, perpetua inualetudo, quam meritò Medici reiiciunt, neque enim functionis imbecillitas statim morbus est, nisi præter naturam fuerit. Quis hominum etiam sanus non imperfectè audit, si cum Melampode; quis pedibus non est infirmus, si cum Iphicle; quis non manuum robore impotens, si cum Milone comparetur? Attamen perfectâ fruitur sanitate, & functiones omnes secundùm naturam exercet.

Sanitas variè definitur. Galenus aliquando per solam temperiem, vt *comment. ad Aphor. 39. sect. 4.* Quacunque parte (inquit ille) corporis, insignis caliditas aut frigiditas fuerit, hîc morbum necessarium est esse, quia discessit à temperie naturali, quæ sanitas est, & 28. ὑγιὰ ὲν ξυμμετρίης κρήσιος ὄζι; νόσος ὲ ἐξ ἀμετρίης δυσκρασίας. Aliquando per symmetriam ipsarum. Aliquando per vtrumque, vt *ex arte parua cap. 4.* colligere est, dum dicit: Sanum corpus est, quod bonam habet temperiem in simplicibus & primis particulis, & in organicis bonam commensurationem. Aliquando per actionem quæ secundùm naturam se habet: Aliquando per

constitutio

conſtitutionem ſe naturaliter habentem ; Aliquando etiam per negationem, vt *libro primo de ſan. tuend. Sanitas*, inquit, *eſt conſtitutio, in quâ nec doloribus cruciamur, nec in vita actionibus impedimur.* Dicitur ab Ariſtotele ſanitas perfectio corporis. Quidam Philoſophus definit ſanitatem qualitatem conflatam & conſtantem ex proportione qualitatum aliarum.

Nos videamus quid poſſimus. Cùm contraria inter ſe ſint, ſanitas & morbus, in quocunque genere eorum quæ præter naturam ſe habent ponetur morbus, in eodem eorum quæ naturaliter ſe habent, ponenda ſanitas. Quare ſi morbus fuerit actio præter naturam, omnino ſanitas erit actio ſecundùm naturam. Si verò morbus dicatur affectio aut conſtitutio præter naturam ; ſanitas etiam affectio aut conſtitutio naturaliter ſe habens dicetur. Sanitas autem potiùs potentia quam operatione definienda, quia non ſemper agimus, aut functiones obimus, ſatis eſt ſi obire poſſimus. Ideò cùm & morbi definitio duplex ſit, vna à ſenſu, altera ab intellectu ; à ſenſu, actionis læſio ; ab intellectu, conſtitutio præter naturam. Sanitas etiam duplex eſſe poterit, melior tamen per conſtitutionem, quæ genericè de ſanitate & morbo prædicatur. Sic igitur definitur. *Sanitas eſt conſtitutio naturalis omnium partium corporis, quæ per bonam ſimilarium temperiem & vnionem, atque organicarum ſymmetriam, functionum bonarum cauſa exiſtit.*

Nec obſtat quod obiiciunt aliqui, ſanitatem non eſſe ipſam conſtitutionem naturalem, ſed perfectionem quæ eſt in ipſa conſtitutione. Neque enim tam exactè omnia expendunt Medici, & apud Phyſicos, definitiones vt plurimùm ſunt cauſales; Sonus eſt colliſio, id eſt, ex colliſione, Epilepſia eſt obſtructio, id eſt, ex obſtructione. Addidimus *omnium partium*, quia ad bonam ſymmetriam requiritur omnium bona commoderatio. Videas multos quibus caput optimè temperatum eſt, thorax verò aut venter parum proſperâ temperie erunt præditi. Quorumdam artus intemperati ſunt. Non deſunt quorum aliquod viſcus aut alia pars pluréſve, parum ſalubri ſunt temperamento, reliquis temperatis, qui ſanitate frui idcirco non dicentur, quia nimirum *ἀτόμως* & inſignis eſt aliqua partis læſio, quæ totam labefactat ſymmetriam Adiunximus, *quæ exiſtit bonarum functionum cauſa*, quia non omnis conſtitutio aut affectus ſecundùm naturam dicitur ſanitas, v.g. Æthiopum nigritia aut Germanorum albor, affectus ſunt illis ſecundùm naturam, tamen ſanitas non dicentur, cùm in illis ea conſiſtat, quæ cauſæ rationem ad aliquod opus edendum obtinent. Vt omnis affectus præter naturam non protinus eſt morbus, niſi actionem lædat, v.g. cutis denigratio à ſole, aut candor ab vmbratili & otiosâ viuendi conſuetudine contractus, quia nullam impediunt functionem.

Quomodo fiat ſanitas, bene explicat Hippocrates, cum dicit ; *Sanum eſt cum iſta mediocriter ſe habuerint, temperamento, facultate & multitudine.* Sanitas & ægritudo cùm accidentia ſint corporis noſtri, non habent materialem cauſam ex quâ fiant, materia enim eſt pars facti ex materiâ, & propterea materiâ propriè dicta aſſignatur tantùm ſubſtantiæ compoſitæ. Subiectum igitur cùm ſit accidentibus pro cauſâ materiali, ſanitatis & ægritudinis partes viuentes (quia vt eſt apud Ariſtotelem, *de ſenſu & ſenſili*, ſanitas & morbus non fiunt in carentibus vitâ) corporis viuentis, quæ actionem edunt, ſubiectum erunt : Quarum formalis ratio erit, ſecundùm naturam & præter naturam eſſe, actiones obire & actiones lædere : Efficiens cauſa erunt humores ſecundùm qualitatem, quantitatem, & commoderationem, boni, mali, excedentes, mediocres, vel deficientes, moderati vel immoderati. Et ſic ab humoribus propriè ſanitas & morbus pendent effectiuè, vt loquuntur Philoſophi, non materialiter aut ſubiectiuè, niſi impropriè. Efficiunt autem humores ſanitatem, cùm ſub certâ quantitate & qualitate bene moderati fuerint, vnde tria ſunt apud Hippocratem, quæ ſanitatem efficiunt, *quantitas, qualitas, & debita humorum proportio.* Quantitas quidem, quia non ſub quauis copiâ & multitudine humores commixtionem & temperiem adipiſci poſſunt : Nec multa paucis, aut magna paruis adiuncta, mixtionem efficiunt, ſed ſub certâ ac menſuratâ quantitate conſiſtere, ac naturaliter agere poſſunt. Qualitas autem, quia vbi ſenſibilis fuerit qualitatis humorum à naturali ſtatu mutatio, ſtatim oritur intemperies, quæ morbus eſt. Proportio verò & bona humorum cómmiſtio, quia exacta eſt proportionatæ quantitatis & qualitatis humorum permiſtio, eſt ſanitatis efficiens cauſa perfectiſſima, primò in ſimilaribus partibus, mox in organicis & compoſitis. Neque enim ſanitas aliqua aut in ſubſtantiali temperie, aut in animati ſolidis corporis partibus efficeretur, nec tales illæ vnquam dicerentur, nî inter ſe humores priùs

fuerint optimè permixti ; ex quorum permixtione & æquali temperie facultas illa exurgit, quæ ſanitas eſt, & in quantitate vnio, in qualitate temperies appellatur.

Quod ſi obiiciat aliquis, quantitatem humorum non efficere bonam valetudinem, propterea quod quantitas non eſt inter principia actiua. Reſpondemus, quantitatem quidem primò & per ſe actionem non facere, ſed eſſe conditionem neceſſariam ad agendum, quia eſt inſeparabilis à qualitate, & in maiori quanto maior exiſtit vis agendi per qualitatem. Sicque quantitas agit non primò & per ſe, ſed vt dicebat Auerroës, reductiuè & concomitanter.

Nos itaque vt morbi, ſic & ſanitatis tria facimus genera, duo in partibus ſimilaribus, temperiem ſcilicet & vnionem: in organicis cõformationem. Sunt qui dubitant, vtrum ſanitas poſſit differentias recipere ; Nam ſi reciperet, hoc eſſet vel ratione maioris & minoris, vel ſecundùm ſubiecta corpora, vel ſecundùm proprias operationes, vel per propriam rationem & formam. Maioris quidem & minoris ratione non accipit differentias, quia magis & minus non mutant ſpeciem. Secundùm partes ſubiectas etiam non poteſt differre ſanitas, quia vt ſit ſanitas, neceſſe eſt partes omnes, tam ſimplices quàm compoſitas, ſecundùm naturam habere ; Vbi enim vna illarum actionis læſionem patitur, ſtatim labefactatur ſanitas, quæ vt perfectum quid ponitur. Secundùm operationes diuidi non poteſt ſanitas, quia nulla in bene valenti actio ad ſenſum læſa eſt inſigniter: Non igitur poteſt diuidi per operationes, cùm vnica actio læſa, morbum adeſſe ſignificet. Tanto minùs per ſuam rationem & formam, quia cùm ſanitas perfectio & commoderatio quædam ſit, quod perfectum & moderatum eſt vt medium, vnicum eſt ; imperfecta & immoderata plura. Ergo, concludunt illi, ſanitas nullâ ratione differentias accipere poteſt. Reſpondemus, ſanitatem quidem eſſe medium, non quidem exquiſitè, ſed cum magnâ latitudine, ita vt ſit vnicuique naturæ ſuum medium, ab alterius naturæ medio diuerſum, quemadmodum virtus omnis eſt medium: ſicque ſanitatem differentias non recipere ſecundùm maius aut minus, ſecundùm ſubiecta, aut operationes, ſed ſecundùm rationem propriam Sanitatis eſſentia conſiſtit in commoderatione calidi & frigidi, humidi & ſicci. Conſtat autem non eandem omnibus hominibus eſſe commoderationem ſecundùm naturam, ſed quod vni eſt ſecundùm naturam, alteri eſt morbus. Ita vt ſanitas naturâ ſuâ non ſit vnica, ſed ſecundùm temperamentorum diuerſas ſpecies multiplex eſt. Eſt nimirum bilioſo homini ſua moderatio naturalis, eſt pituitoſo ſua, atque adeò diuerſa, vt ſi pituitoſi temperies, quæ ex qualitatibus ſpectatur, transferretur ad bilioſum, quæ in illo erat ſanitas, in hoc ſit futura ægritudo, illi ad operationes obeundas commoda, huic incommoda. Atque in hoc diſcedimus à Galeni ſententiâ, qui vt anteà diximus, ſanitatem volebat à ſanitate differre ſolâ intenſione, vt niuis candor differt à parietis candore, non quòd alius ſit, ſed quòd magis intenſus.

Vt ad ſanitatem conſtituendam tria requiruntur, moderata humorum quantitas, & qualitas, atque eorumdem exquiſita mixtio : ſic contrà ad ægritudinem conſtituendam, vnica aut qualitatis, aut quantitatis, aut mixtionis euerſio ſufficit. Ad deſtruendum quippe vnum, ad conſtruendum plura requiruntur, vt ait Ariſtoteles *in topicis*. Ideò Hippocrates ſanitatis cauſas coniunctim protulit, ægritudinis autem diſiunctiuè ; dicens : *Ægrotat verò aut cùm horum aliquid minus aut maius euaſerit : aut cùm ſeparatum fuerit : aut non bene aliis temperatum.* Vbi breuiſſimè explicat trium generum morborum cauſas.

Si contigerit enim, qualitatem & quantitatem humorum in animante ſimul innaturales euadere, immoderatas ſcilicet & indebitæ proportionis, malè quoque inuicem permixtas & temperatas eſſe: tunc trium primorum generum, & intemperiei, & vnionis ſolutæ, & prauæ compoſitionis, compoſitum morbum conſtituent, veræ & exquiſitæ ſanitati oppoſitum. Si verò aut qualitas ſola, aut quantitas, aut mixtio peccet, vnum tantùm conſtituet morbi genus, qualitas intemperiem, mixtio vnionem, quantitas compoſitionem, vt ſatis conſideranti patet. Atque de his hactenus.

LECTIO

LECTIO X.

TEXTVS HIPPOCRATIS.

Ἀνάγκη γὰρ ὁκόταν τι τούτων χωρισθῇ, καὶ ἐφ' ἑαυτῷ στῇ, ἔνθεν τε ἐξίσηκεν, ὑ μόνον τοῦτο τὸ χωρίον νοσερὸν γίνεσθαι, ἀλλὰ καὶ ἔνθα ἀπιχυθῇ ὑπερπιμπλάμενον, ὀδύνην τε καὶ πόνον παρέχειν. καὶ γὰρ ὅταν τι ἰητέων ἔξω τοῦ σώματος ἐκρυῇ πλέον τοῦ ἀπιπολάζοντος, ὀδύνην παρέχει ἡ κένωσις, ἢν ταῦτα πάλιν ποιήσῃσι ἔσω τὴν κένωσιν, καὶ τὴν μετάστασιν, καὶ τὴν ἀποκρισιν ἀπὸ τῶν ἄλλων, πολλὴ ἀνάγκη διπλοῦν τὴν ὀδύνην παρέχειν κατὰ τὰ εἰρημένα, ἔνθεν τε ἐξίσῃ, καὶ ἔνθα ὑπερίβαλεν.

NECESSE est enim, cùm aliquid istorum recesserit, & per se steterit, non solùm locum illum morbidum fieri, sed etiam eum vbi constiterunt, illo effuso repletum, dolorem ac morbum exhibere; Cùm enim aliquid horum extra corpus effluxerit magis quàm redundaret, vacuatio dolorem adfert. Quòd si illa rursus fecerint intus vacuationem & μετάστασιν, transitionem, ac ab aliis secretionem, necesse est duplicem dolorem excitare, vt diximus, & vnde secessit, & vbi exuperat.

DIxit superius Hippocrates, Sanitatem & morbum ab humoribus, tanquam ab efficientibus proximis fieri; Sanitatem quidem si debita fuerit illorum quantitas, qualitas, & bona mixtio; Morbum verò si in vno istorum defecerint, aut abundarint. Nam ipsa Medicina curatrix nihil aliud est *lib. de flatib.* quàm πρόθεσις & ἀφαίρεσις, ἀφαίρεσις τῶν ὑπερβαλλόντων, πρόσθεσις δὲ τῶν ἐλλειπόντων, ablatio eorũ quæ exuperant, additio eorum quæ deficiunt. Humores siue vacuentur extrà, defectum inducunt, siue intùs partim defectum in parte illa, à qua vacuantur, partim redundantiam in parte in quam μετάστασιν, & transitũ fecerint. Quod clariùs hìc explicat Hippoc. cum dicit: *Necesse est cùm aliquid istorum recesserit, & per se steterit, non solùm illam partem morbidam fieri, sed etiam illam in quâ constiterit.* Huic valde simile est sententia apud Hippoc. *lib. de veteri medic. Est enim in ipso nomine* (inquit ille) καὶ πικρὸν, καὶ ἁλμυρὸν, καὶ γλυκὺ, καὶ ὀξύ, καὶ στυφνὸν, καὶ μαλακὸν, καὶ ἄλλα μυρία παντοίας δυνάμιας ἔχοντα, πλῆθός τε καὶ ἰσχὺν, *& amarum, & dulce, & acidum, & acerbum, & alia infinita omnigenas facultates habentia, copiámque ac vires. Quæ si bene temperata fuerint inter se, non sunt conspicua, neque hominem ledunt. Vbi verò quid illorum fuerit secretum & redundans, tunc & conspicuum est, & hominem ladit.* Hæc Hippocrates, vbi optimè declarat modos omnes quibus humores morbis originem dare possunt, per amarum, acidum, acerbum illorum præternaturales qualitates designans: per copiam & multitudinem, superuacuam quantitatem: per secretionem & incommoderationem, deniq; per fluxum. Galenus in commentario, vt iam diximus, vult omnem humorum fluxionem fieri, vel extra corpus, de quâ posteà; vel intra corpus, de quâ in primis videndum. Fluxio interna seu ῥεύματισμὸς est humoris vel in vnâ parte stabulantis, vel fluitantis, in aliam partem transitus & μετάστασις. Fluxionis istius causæ multiplices sunt, quarum aliæ sunt ex parte humorum, aliæ ex parte membri mittentis, aliæ recipientis, aliæ ex parte viarum, aliæ denique sunt causæ commouentes.

Causæ commouentes sunt *calor, frigus, & dolor.* Calor, quia in corporibus plenis, in quibus inutilis materia redundat, si caliditas adfuerit, magna humoris portio ad eas defluet partes, quæ maximè incaluerint; frigus etiam fluxionis est causa per accidens, quia vt est apud Galenum *lib. 4. de simpl. med. facult.* frigidum quæcunque contingit, eorum contrahit, condensat & constringit substantiam, omnes meatus in corporibus raris subiens, & quodammodo multis vndique ansis comprehendens, humiditates partium exprimit: vnde Aquilo catarrhos excitare, in Aphorismis legitur. Hoc diuinis verbis expressit Hippocrates *lib. de locis in homine*, quæ huc & propter illorum & Magistri dignitatem adferemus, & quia vtramque causam fluxionis motricem eleganter comprehendunt: *Fluxiones*, quas ῥόας vocat, *fiunt propter frigus,*

Digitized by Google

(inquit Hippocrat.) *quando caro & vena compressa fuerint: Ille enim horrente carne & ad minimum contracta adstrictáque* ὑγρότητα *humores exprimunt. Quicquid igitur inde expressum fuerit, idipsum quocunque contigerit, fluit.* Hæc de frigore; paulò pòst subiungit: *Fluit etiam propter calorem, cùm carnes rarefactæ* διόδους, *id est, transitum præbuerint, & ipse humor calefactus, tenuior fit, & omne lubricum fluit.* Sic igitur Calor & Frigus per se, & per accidens ῥύσεις, id est, fluxiones commouent. Dolor etiam fluxus humorum excitat, & vt vulgò dicitur, Dolor omnis trahit, ὀδύναι ἀλγήματα παραγίνεται, ἐπειδὰν ἀπορρύσεις γίνωνται; *Cùm dolores accesserint, fluxiones & destillationes fiunt.* Vnde dolentibus partibus inflammationes adueniunt, quia dum natura excernere atque expellere conatur dororificam causam, sanguinem, spiritus atque humores ad partem dolentem mittit, vt eam adiuuet. Verbi gratia aliquis exiguâ acu punctus in extrema digiti parte, primò dolet, paulò pòst pars inflammationem patitur, tandem in magnum tumorem partes omnes vicinæ attolluntur: Et sic tres sunt causæ fluxionem commouentes, Calor, Frigus, & Dolor.

Ex parte humoris causæ etiam sunt, vt humorum multitudo, illorum tenuitas & leuitas: multitudo maiorem, aliæ celeriorem faciunt fluxionem.

Propter partis mittentis robur; cuius facultas expultrix valida, ad expulsionem rei molestæ irritatur: & situm, quia pars superior in subiectam exoneratur.

Denique propter partis ipsius excipientis imbecillitatem, quæ exceptam fluxionem in alias rursus reiicere non valet; propter mollem illius substantiam, quæ faciliùs imbuitur; propter illius raritatem, quæ promptiùs humorem admittit; propter coniunctionem cum partibus mittentibus, quibus est exposita; propter figuram concauam, quâ continet; ac propter locum humiliorem, quia partes decliues humores infrà tendentes excipiunt; vel etiam quia ad locum illum feruntur ea quæ mouentur. Verbi gratia, caput sublime est, potiùs tamen impetitur vaporibus, qui à medio eleuantur, quam partes inferiores, in quas humorum grauiorum decubitus fit.

Hæ causæ aliquando omnes simul concurrunt, aliquando pauciores, aliquando vna aut duæ tantùm. Ex ipsius aliquando tantùm partis vitio, vt quando calidior reddita est, aut dolore vexatur; aliquando propter abundantem humorem ex totius corporis affectu, & reliqua prout corpus bene aut malè affectum est. Quicquid sit, humoris cuiusuis fluxio, vbi à toto corpore, siue ab vnâ tantùm parte, in aliam transitum & μετάστασιν fecerit, & ibi constiterit, vocatur κατάκλιμα seu decubitus, qui ita à Galen describitur *lib. 1. ad Glauc.* Ἀποκλίματα ὀνομάζομεν τὰς διαθέσεις ἐκείνας, ὅταν χυμοί τινες, ἐποχλοῦντες πρότερον ἑτέρῳ μορίῳ, καταλιπόντες ἐκεῖνο, εἰς ἕτερον μεταστῶσι, hoc est, *Decubitus vocantur dispositiones illæ, quando humores qui prius partem aliquam infestabant, eâ relictâ in aliam transierunt.* Nihilque differt decubitus à fluxione, nisi quòd fluxio est in fieri, decubitus verò in facto esse.

Hæc humorum ab vnâ parte in aliam fluxio duplicem excitat morbum, vnum in parte ad quam, & vt dicit Hippocrates. *Non solùm locum ex quo recessit, morbidus euasit, sed is etiam vbi constitit & influxit.* Pars, inquam, à quâ humor vel impetu proprio & per se, vel retentricis imbecillitate, aut robore expultricis, aut alienâ violentiâ recessit, malè afficitur in magnis potissimùm vacuationibus, quæ naturæ sunt molestæ: etiam humorum peccantium facta confertim vacuatio nocet, vt de pure empyicorum, & hydropicorum sero celebratum est. Præterea pars mittens per accidens in his fluxionibus afficitur, quoniam dum pars humores illos vacuat confertim, multos etiam spiritus emittit ad illorum expulsionem, vnde vires eius minuuntur, & pars ipsa intemperatior redditur. Pars verò ad quam siue excipiens, dupliciter afficitur, & quantitate, & qualitate humoris, vel etiam vtrâque.

Quantitas quidem nimia humoris fluentis facit tumores præter naturam, & tensione continuum soluit: Qualitas verò, vt caliditas & frigiditas alterationem subitam efficit: Si vtraque adfuerit, morbum constituet compositum ex triplici genere, intemperiem cum solutione continui, & conformatione vitiatâ. Verbi gratiâ, fluat calidus humor, pars intemperata tantùm efficietur, & ab ægro calidior sentietur: Vbi maior affluxerit, ima eius pars grandescit, faciéque morbum in compositione, & tandem vnitatis solutionem. Atque non solùm pars à quâ & in quam, sed etiam per quam fluit humor, aliquando morbo tentatur, si acris, calida aut sincera fuerit fluxio, quemadmodum catarrhus acrior è capite ad pulmones, sæpe asperam arteriam exulcerat, si diutiùs fluxerit,

Hæ

Hæ autem humorum fluxiones, non ſolùm parti excipienti, ſed etiam mittenti noxiæ, fiunt præternaturales, quia datur tranſitus quidam & μετάστασις humorum à parte in aliam, quæ naturalis eſt & nulli obeſt animantis functioni, vt bilis è folliculo fellis in duodenum effuſio, melancholici humoris è liene per vas breue in fundum ſtomachi immiſſio, tantùm abeſt vt obſint, vt etiam vna ad debitam fæcum expulſionem inteſtina excitet, altera in ſtomacho appetentiam prouocet, & ſuâ aciditate eundem quaſi manibus ad retinendos meliùs cibos comprimat. Prætereà in timore, pudore, mœrore, recurſus ſanguinis, & ſpiritus, ac aliorum humorum, è totius corporis circumferentia verſus principium & centrum, nullâ tamen læsâ actione aut noxâ ſenſibili illatâ, rurſúſque amotâ pudoris aut timoris causâ, fit noua illorum omnium ad externum habitum expanſio & diffuſio, ita vt conſtet non omnem humoris tranſitum, ſed illum tantùm qui quantitate vel qualitate peccet, morbos inferre, eóſque quàm plurimos, vt vult Hippocrates. Longum eſſet & fortaſſis vltra noſtrum inſtitutum omnes recenſere morbos & ſymptomata, quæ ab eiuſmodi humorum influxu & ſecretione fiunt. Quis enim non miretur, ſi attentiùs conſpiciat & aduertat, quot morbi & ſymptomata oriantur ex fluxionibus capitis, tam in ipſo mittente, quàm in ſubiectis partibus, eiuſmodi ῥευμαλισμοὺς excipientibus? Aſpice fauces, gargareonem, pulmonem, ventriculum, neruos, articulos, denique totum corpus ſubiectum, an non facilè Hippocrati concedes, tot morborum & noxarum genera, in hiſce partibus à cerebro mittente excitari, vt neceſſe non ſit alias curioſiùs recenſere? Mihi potiſſimùm, cui probaſſe ſatis eſt, ὁκόταν τὶ τουτέων χωρισθῇ, καὶ ἀφ' ἑωυτοῦ στῇ, ἐ μόνον τοῦτο τὸ χωρίον νοσερὸν γίνεσθαι, ἀλλὰ καὶ ἔνθα ἂν πέσῃ: *Quando aliquid iſtorum*, id eſt, humorum, *receſſerit & per ſe ſteterit, non ſolum locum ex quo receſſerit, morbidum fieri, ſed etiam eum vbi conſtiterit*: affectum nimirum humoris tum quantitate, tum qualitate. Nunc videamus quid adiungat Hippocrates. *Cùm aliquid horum extra corpus effluxerit magis quàm redundaret, vacuatio dolorem adfert.*

Probauit priùs Hippocrates multa incommoda & noxas in animantibus oriri ex humoribus ſecretis ab vnâ parte in aliam partem, & hoc internam vacuationem appellauimus. Nunc de vacuatione illâ agit quæ fit extra corpus, eámque non minùs priori noxiam & periculoſam aſſerit. Vacuatio enim immodica, vt inquit ille, dolorem adfert. Moderata verò & ſpontanea ſæpiſſimè bona, in quâ ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert & leuiter ferunt; Sin minùs, contrà. Hîc igitur agamus de vacuatione immoderatâ, quæ nocet, ſiue ſit humoris laudabilis, vt eſt *Aphoriſmo tertio ſectionis quintæ. Vbi plurimus ſanguis effluxerit, malum*: ſiue ſit humoris peccantis & noxij, vt eſt *Aphoriſmo vigeſimoſeptimo ſectionis ſextæ. Qui ſuppurati, aut aquâ inter cutem correpti, vruntur aut ſecantur, ſi pus aut aqua confertim effluxerit, omnino intereunt.* Omnes enim immodicæ vacuationes. præter naturam ſunt, ſiue ſuo tempore, ſiue intempeſtiuè fiant.

Differt à purgatione vacuatio, quia vacuatio eſt omnium humorum; purgatio verò illorum tantùm qui qualitate peccant. Purgatio tamen ſub generali vacuationis nomine continetur, atque ὑπερκάθαρσις nimia purgatio inter vacuationes immoderatas reponitur. Vacuatio immodica fit vel ab ipſo humoris impetu, & efferueſcentiâ eruptionem faciente per externos corporis meatus, vt aures, oculos, nares, os, ſedem, hæmorrhoidas, veſicam, vterum, & poros ipſius cutis; Vel facta illi exeundi copia per vlcus, aut vulnus violenter inflictum: Vel etiam per venæ ſectionem artificiosè adhibitam; Vel denique fit immoderata humorum vacuatio à purgante medicamento exhibito, ſi quis in ſumendis, admouendis, educendis, faciendis, error fuerit commiſſus, ſi medicamentum habuerit qualitatem alienam & deleteriam; ſi largiùs ſumptum fuerit; ſi ventriculi aut inteſtinorum villis adhæſerit; aut ſi venarum oſcula recludere aptum natúmque ſit. Tres igitur ſunt cauſæ vacuationis immodicæ, humor ipſe peccans quantitate vel qualitate, externa violentia, & medicamentum plus æquo expurgans. A quacunque iſtarum contingat, magnos inducit morbos & ſymptomata, atque etiam dolorem, continuum quippe ſoluendo, & intemperiem in partes inanitas introducendo. Adde quòd, cum ſuperuacaneis etiamnum excretis humoribus, non parum ſpiritus & caloris diffluit, quibus anima deſtituta plerumque deficit.

Mirum eſt tantum ſemper fuiſſe contradicendi ſtudium, vt etiam Galeni tempore multi fuerint, qui negarent vacuationem nimiam morbum aut dolorem facere, vt ille *comment. ad Aphoriſm. 22. ſect. 2.* ſcriptum reliquit. Vacuatio, dicebant illi,

eſt

eſt quædam humorum priuatio. Ergo vacuatio agere in corpus, aut morbum introducere non poteſt, cùm priuatio nullam efficiat actionem. Reſpondet illis Galenus eodem loco, Medicâ & appoſita ratione. Exiſtimant huiuſmodi homines, inquit ille, ſolam febrem eſſe morbum; quòd ſi didiciſſent quamlibet diſpoſitionem operationes lædentem, morbum eſſe, & quòd à vehementibus intemperaturis operationes lædantur, haudquaquam dubitarent, an immodicæ vacuationes morbos efficiant. Non vult igitur Galenus vacuationem ipſam, id eſt, quod vacuatum excretúmque fuit, morbos aut dolorem efficere, quia nullum ampliùs habet cum corpore commercium aut contactum; ſed vult diſpoſitionem relictam & excitatam in corpore, propter immoderatam cuiuſuis humoris vacuationem, actiones læd ere, & proinde morbos atque dolores, iuxta Hippocratis ſententiam, excitare. Nobis locus iſte exemplorum appoſitione eſt illuſtrandus, vt pateat clariùs, quomodo vacuatio morbos & dolorem faciat. Verbi gratia ſanguis ſupra modum, id eſt, ſupra quàm abundet, fluens ab vtero, Græci αἱμορῤῥαγίαν ὑστέρας vocant, ſi tanto impetu feratur vt naturæ robore cohiberi nullatenus poſſit, quot quantáque mala miſeris mulieribus aduehit? Nonne eas in cachexiam, refrigerationem atque etiam hydropem coniicit? Quid? nonne hæmorrhoidum fluxus, quando ſanguis propter conceptaculorum reſerationem & venarum ſedis apertionem copioſior emanat, hominibus eoſdem ferè affectus adfert, quos immodicum menſtruorum profluuium mulieribus? Deformitatem nimirum propter vitiatum colorem, & miſeram vitæ conditionem, propter totius corporis, & maximè crurum debilitatem. Denique ἐνῶν αἱμορῤῥαγία, ſanguinis è naribus profluuium perſeuerans, quot ſymptomata & noxas infert? Non pauci ab iſto in animi deliquium, multi in iecinoris infrigidationem, cachexiam demum & hydropem incidunt. Dicet aliquis, terrifica eſt omnis ſanguinis vacuatio, & periculi pleniſſima. At aliorum humorum excretio, nullum infert damnum, imò ſine noxâ effluit quiuis alius humor. Mala obiectio & inconſiderata valde. Quis enim aut non vidit, aut non audiuit quàm periculoſus ſit immodicus vrinæ fluor, qui διαβήτης ſeu διψακὸς, propter magnam vrinæ copiam, quam excernunt ægri, dicitur? Corpus enim totum breui liquefacit, & in marcorem conſumit. Notum eſt choleram morbum ſic vocatum à bile quæ per eam affectionem copioſè effunditur ſuperno infernóque ventriculi ore, tam atrocem támque acutum eſſe, vt vno aut altero die hominem rapiat, vel ſubſtantiâ corporis effuſâ ſyncopen inſignem, virium immodicam reſolutionem, & tabem abſolutam conciliet. Denique alui fluxio copioſior & diuturna, febres concitat, viréſque conſumit, pedes inflat, atque etiam mortem minatur, ſi ad ſynteſtica vſque excrementa peruentum fuerit. Certum eſt itaque non ſolam ſanguinis immodicam vacuationem, ſed cuiuſuis humoris effluxum pluſquam abundaret, pericula & morbos quàm maximos inferre. Atque hoc non ſolùm in vacuatione externâ, quando ſcilicet humor foràs protruditur, vt in vomitu nimio, deiectione diuturnâ. phlebotomiâ immoderatâ, ſudoribus nimiis, vrinæ profluuio immoderato: ſed etiam in vacuatione internâ, quando humor à parte in partem influit, in quâ & partes mittentes & recipientes, atque etiam viam præbentes, vt plurimùm afficiuntur. Quod maximè perſpicuum eſt, vbi quidam humores abundant in corpore, & quaſi ferociunt, quales ſunt bilis flaua, æruginoſa, vitellina, atra bilis ex aliarum aduſtione nata; pituita ſalſa, & reliqui præternaturales humores, à quorum vario decubitu & μεταστάσει, vt dicit Hippocrates, & nos rationibus confirmauimus, omnium morborum genera oriuntur & pullulant.

LECTIO

Digitized by Google

LECTIO XI.

TEXTVS HIPPOCRATIS.

Φημὶ δὴ εἶναι αἷμα, καὶ φλέγμα, καὶ χολὴν, ξανθὴν τε καὶ μέλαιναν. καὶ τουτέων πρῶτον μὲν κατὰ τὸ νόμιον τὰ οὐνόματα διωρίσθαί φημι, καὶ ἑκάστην αὐτέων τὸ οὖλον ἓν εἶναι. ἔπειτα τὰς ἰδέας κατὰ φύσιν κεχωρίδθαι, καὶ οὔτε τὸ φλέγμα οὐδὲν ἐοικέναι τῷ αἵματι, οὔτε τὸ αἷμα τῇ χολῇ, οὔτε ἡ χολὴ τῷ φλέγματι. πῶς γὰρ ἂν ἐοικότα εἴη ταῦτα ἀλλήλοισιν, ὧν οὔτε τὰ χρώματα ὅμοια φαίνεται πεφυκότα, οὔτε τῇ χειρὶ ψαυόντι ὅμοια δοκέει εἶναι. οὔτε γὰρ θερμὰ ὁμοίως ἐστὶν, οὔτε ψυχρὰ, οὔτε ξηρὰ, οὔτε ὑγρά. ἀνάγκη τοίνυν ὅτι τοσοῦτον διήλλαχται ἀλλήλων τῷ ἰδίῳ τε καὶ τὴν δύναμιν, μὴ ἓν αὐτὰ εἶναι, εἴπερ μὴ πῦρ τε καὶ ὕδωρ ταὐτόν ἐστι. Συγγένεται δὴ ταῦτα τὰ ἐρημένα· πῶς γὰρ ἂν ξυγγένοιτο; πρῶτον μὲν φανερόν ἐστιν ὁ ἄνθρωπος ἔχων ἐν ἑωυτῷ ταῦτα πάντα ἀεὶ, ἕως ἂν ζῇ. ἔπειτα γίγνεται ἐξ ἀνθρώπου, ταῦτα πάντα ἔχοντος. ἔπειτα τέθραπται ἐν ἀνθρώπῳ, ταῦτα πάντα ἔχοντι, ὁκόσα ἔγωγε καὶ νῦν φημί τε καὶ ἀποδείκνυμι.

DICO autem esse sanguinem, pituitam, & bilem, flauam & nigram: Et istorum nomina primò secundùm legem, id est, loquendi consuetudinem, distingui dico, & nulli horum idem nomen esse. Deinde secundum naturam, id est rei veritatem, species separari, & neque pituitam vllam sanguini similem esse, neque sanguinem bili, neque bilem pituitæ. Quomodo enim hæc inter se similia sint, quorum neque colores similes ad visum, neque manui tangenti similia apparent? Neque enim calida sunt similiter, neque frigida, neque sicca, neque humida. Necesse est igitur cum tantum inter se discrepent & formâ & facultate, non vnum esse, quandoquidem neque aqua, neque ignis, idem sunt. (Transposui hunc textum, vt meliùs omnia cohærerent.) Connata sunt autem hæc omnia prædicta. Quomodo enim connata non essent? Primò siquidem manifestum est hominem in seipso hæc omnia semper habere donec vixerit. Deinde procreatus est ex homine hæc omnia possidente. Pòst nutritus ab homine hæc omnia habente, quæ nunc ego dico & demonstro.

DEcies repetita placebunt, inquit Poëta, si vtilia & cognitu necessaria fuerint. Mirum est quàm sæpe Hippocrates noster hîc quatuor humorum numerum reperat; non leuem tunc temporis quæstionem fuisse arbitrandum est, & quam fortassis præclari viri tuerentur, quos Hippocrates vt malè sentientes ad meliorem sententiam reuocare frequenti & validâ argumentorum serie conatur. Galenus ipse scripsit, quendam Archigenis discipulum, virum non omnino contemnendum, constanter asseruisse pituitam esse primum & elementarem humorem, & alia multa absurda, quæ fortassis Hippocratis sæculo magis erant celebrata. Nec inutiliter contra huiuscemodi homines instituta est disputatio, cùm totius Medicinæ fundamenta euertant, quæ summus Hippocrates summo studio & labore iecit ac stabiliuit. Tale eius nunc est argumentum. Quæcunque differunt & nomine, quia scilicet diuersis nominibus donata sunt à communi bene loquentium vsu; quælibet autem diuisa & separata substantia, suo diuiso separatóque nomine nuncupatur, & formâ inter se distincta sunt, tam essentiali quàm accidentariâ, illa reuerà inter se differunt. Atqui humores & vario sunt ab hominibus nomine donati, & speciem habent diuersam, & colore, odore, primísque qualitatibus tactilibus distinguuntur. Ergo humores reuerà inter se differunt. Quòd humores nominibus inter se differant, patet. Quid enim illa significant, Bilis, Sanguis, Pituita, Melancholia, nisi quatuor in nobis humores? At quis negabit illos colore differre, si non lippis oculis sanguinem rubro colore faturatum inspexerit, bilem aureo quasi fulgore splendescentem, pituitã albescentem, & melancholiam nigro & quasi piceo colore imbutam? Quis etiam bilem calidiorem, pituitam frigidiorem, sanguinem temperatiorem esse negauerit? Omnes perlustra sensus. Visus tibi varios colores, auditus varia nomina, olfactus varios odores, gustus varios sapores, tactus varias tactiles qualitates humorum esse testabitur.

Quis igitur contra tam manifestum omnium sensuum in assignandis humorum differentiis consensum,argutari volet deinceps ? Præterea cùm priùs probatum sit,quatuor prima esse elementa,ex quibus reliqua omnia componũtur, verisimillimum est quatuor etiam esse humores,qui sensibilia sunt corporis nostri elementa , specie differentes,& primorum corporum naturam referentes.Hæc omnia argumenta & fusè & satis dilucidè proposita sunt à nobis,dum de humoribus ageremus. Nuncigitur aduertendum ad difficultates quasdam,quæ in ipso contextu occurrunt.Primò ad illud quod dicit,humores siccitate & humiditate differre:Nam videtur duo contraria in eodem subiecto constituere. At nos ζυζυγίας illas, scilicet calidi & frigidi, humidi, & sicci,impossibiles esse diximus. Respondemus, humores alios aliis sicciores & humidiores,dici dupliciter ; primò quod alius alio minùs vel magis sit humidus , vt bilis vitellina sicca dicetur, respectu bilis flauæ : pituita gypsea dicetur sicca, respectu pituitæ dulcis , quia minùs de humiditate participat. Aliâ ratione dici humores alios aliis sicciores,& siccitate differentes, nempe δυνάμει & potentiâ quâ exsiccant : Nam etsi humoribus omnibus commune sit,vt liquidi sint & fluidi,non tamen omnes humectant.Quantumuis aspectu humida sit flaua bilis,illa tamen calida & sicca est, atque potenter corpora exsiccat. Humores itaque cùm pura elementa non sint, sicut aqua,terra,aër,& ignis , quia ipsorum quilibet ex quatuor his simplicibus compositus est,vno tamen prædominante;quando humores istos calidos, frigidos , humidos, aut siccos dicimus,tales esse non nisi potestate & vi asserimus,non actu. Actu verò id esse dicimus,quod iam præsens est;potestate verò quod aptum est ad agendum; Vt bilis flaua,sicca dicitur,quòd siccare possit non minùs quàm aqua maris,quam siccam esse dicimus, propterea quòd talis potentiâ inuenitur ; verbi gratia dum carnes exsiccat & seruat incorruptas.Sit etiam humor potestate siccus,vt ferrum potestate liquidum existit.Nec obest,quod humor durus non sit,cùm dura omnia non sint sicca, vt patet in glacie durâ & à frigore concretâ.Bene igitur assignata sit differentia illa humorum ab Hippocrate per siccitatem & humiditatem; vel secundùm quod magis aut minùs humiditatis sunt participes,vel secundùm quod tales potestate dicuntur. Adiungit deinde;*Neque manui tangenti similia apparent*. Tactus enim,vt scitis, qualitatum istarum iudex est, qui sensus omnibus animalibus , quamtumlibet etiam imperfectis communis est , sine quo neque animal esse potest , neque aliquid habere potest tactum , quod non sit animal. Cuius organum sunt neruuli illi multiplices & ramosi, multis furculis & quasi capillatim per totum corpus sub carne & cute expansi , tanquam rete quoddam.Caro autem neruis superposita,tactus medium est, quod tangibile contingens,per illam emittit speciem qualitatis tangibilis ad neruum, proprium tangendi instrumentum.Obiectum verò tactus sunt qualitates tactiles primæ, vt calidum,frigidum,humidum,siccum:& secundæ,vt durum,molle : quarum septem oppositas coniugationes quatuordecim donatas nominibus recenset Galenus 2. *de differ. puls* Prima oppositio est calidi & frigidi. Secunda sicci & humidi. Tertia grauis & leuis.Quarta duri & mollis.Quinta lenti & friabilis.Sexta asperi & lenis. Septima crassi & tenuis. Harum qualitatum excellentia cùm per se nata sit vitam animalis corrumpere,temperiem illius labefactando ; idcircò vt temperies qualitatum primarum nulli fuit denegata membro,sic pars nulla sensu isto priuata est. In manu tamen, si quâ aliâ parte sensus tactus exquisitissimus est,præcipuè in digitorum pulpâ,& ipsâ volâ,vel quòd ibi neruorum propagines desinant , vel quòd cutis illa sit temperatissima. Vnde etiam Hippocrates qualitates hasce primas , manui tangenti potissimùm manifestas esse voluit. Hisce explicatis supereſt nobis vltima contextus pars explicanda. *Congenita sunt hæc omnia prædicta. Quomodo enim connata non essent? Primò si quidem manifestum est, hominem in seipso omnia hæc habere : Deinde procreatus est ex homine hæc omnia habente : Post nutritus, &c.* Idem ferè legitur apud Hippocratem, *lib. de genit.* Εἰσὶδὲ τέσσαρες ἰδίαι τῶ ἀνθρώπω, αἷμα , χολὴ ξανθὴ , καὶ φλεγμα. Τοσαύτας γὰρ ἰδίας ἔχει ξυμφύσις ἡ ἄνθρωπος ἐν ἑωυτῷ. Has species humorum habet congenitas homo in seipso, &c. Congeniti sunt humores isti hominibus , propterea quòd & aliis hæc habentibus procreantur, & nutriuntur illis , quæ istos in potentiâ continent. Cùm de hominis hîc procreatione obiter meminerit Hippocrates , vtile erit , si de generationis nostræ principiis latiùs tractemus , quia & iucundum est argumentum, & mihi exercitationis omne genus amplectendum est. Tractabimus igitur duas quæstiones , quibus dubitari solet , an vtrumque semen , muliebre scilicet & virile efficientiam , an muliebre solam materiam præstet ? Altera , vtrùm semen viri fœtui materiam aliquam tribuat?

Tota

Tota Philoſophorum Medicorúmque, de principiis generationis noſtræ diſputantium turba,in duas quaſi factiones diuiſa eſt,quarum principes duo ſunt,Hippocrates & Ariſtoteles.Ariſtoteles duo agnoſcit generationis noſtræ principia ſemen & maternum ſanguinem,quorum vnum efficientis & opificis,aliud materiæ tantùm rationem obtineat.Hippocrates contrà putat ſemen eſſe virile & ſemen muliebre,atque vtrumque tum materiam,tum vim ad efficiendum exhibere, vt videre eſt *lib. de genitura. Quandoque ſemen à muliere emiſſum*(inquit ille)*fortius eſt,aliquando debilius:Similiter etiam quod vir emiſit:Et eſt tum in viro fœmineum,itémque maſculum ſemen,tum itidem in muliere.* Hæc Hippocrates. Fuit etiam tertia quædã opinio Empedoclis,exiſtimantis diuulſa eſſe ſobolis membra, ita vt alia in fœminæ,alia in maris ſemine continerentur:Atque inde oriri putabat animalibus venerei complexus appetentiam, dum partes inter ſe diſtractæ vniri atque coniungi appeterent.Sed hæc opinio vt abſurda iamdudum exploſa eſt.Reliquæ duæ magnis vtrinque fulciuntur argumentis, & ferè æquali rationũ pondere librantur,vt mox videbimus. Galenus varius eſt & fluctuans, modò Hippocrati,modò Ariſtoteli fauens.*Lib.1.de ſan.tuendâ*,manifeſtè cum Ariſtot. facere videtur;*Sanguis & ſemen genitale*(ait ille) *duo ſunt generationis noſtræ primordia:ille ceu materies quædam apta concinnáque,& opifici ad quiduis ſequax:hoc ſemen ſcil.opificũ rationem obtinens.* Videtis quomodo hîc nullam ſeminis muliebris,neque *comm.ad* 14.*Aphor. ſect.*1.mentionem faciat.Attamen *lib.de ſemine*,palàm Hippocratis ſententiam tuetur, dum dicit: *Neque ſemen facultas tantùm eſt,ſed materia etiam quædam; Neque menſtruum materia ſolummodò,ſed etiam facultas.* Ancipiti itaque Galeni ſententiâ relictâ,vtriuſque opinionis argumenta & rationes adducamus, quibus & ſuam ſtabilire, & alienam conuellere nituntur. Audite inprimis Philoſophorum validiſſimas rationes.

Peripatetici primò abſurdum eſſe volunt,duo eſſe in fœminâ excrementa, cùm in homine vnicum ſit.Prætereà fruſtrà fieri per plura, quod per pauciora effici poteſt: At ex ſemine virili efficiente & menſtruo materiam præbente, generari poteſt animal, idque ex eo patet quod fœmina ſæpiùs ſine delectatione concipit. Ergo nihil ſemine muliebri opus erit,cuius ſemẽ dicitur,non vniuocè,ſed ὁμωνύμως & per quandam analogiam,quia eſt menſtrui pars magis cocta & aliquo modo dealbata. Quòd ſi mulier & materiam & facultatem in ſe haberet, vtraque ſcilicet principia ad fœtum procreandum, ſæpiùs abſque virili coitu, qui tantùm eſſet pro auctario quodam, conciperet. At hoc eſt falſum, quia fœmina abſque concubitu virili, nil niſi informia quædam carnis fruſta generat, quæ nos *Molas* appellamus. Deinde ſicut forma non poteſt eſſe niſi vna vnius rei, ita principium continens formam non poteſt eſſe niſi vnum. Vnum igitur ſemen. Forma enim cum ſit ſimplex & indiuiſibilis, ex duobus componi non poteſt. At componeretur, ſi è mare prodiret ac fœmina. Ad hæc; In omni generatione fit corruptio in termino à quo. Ergo generatio,non niſi duabus aut pluribus corruptis ſubſtantiis,poteſt vna fieri: Neque ex duabus formis tanquam partibus, poteſt vna forma fieri,ſed illis abolitis,vna quæ illarum formarum fuerit,poteſt in eam materiam introduci. Ergo vnum tantũm neceſſe eſt eſſe principium, formam conferens. Addunt etiam in vnico motu, vnum eſſe mouens proximum, motus autem ad generationem, vt eſt 2. *Phyſic.* à facultate fit quæ in ſemine ineſt. Mox validiſſimam adferunt rationem à plantarum ſimilitudine. In plantarum ſemine vnum tantùm eſt principium generationis, ſidque ex nullâ coitus participatione, quia terra, matrix eſt. Ergo & idem erit in animantium generatione, quia & rationi conſonum eſt, & cum aliarum rerum procreatione congruit. Quòd ſi aliquis obiiciat eis, ſimilitudinem matris cum fœtu, non aliunde prouenire, quàm ob effectum & abundantiam materni ſeminis. Reſpondent, multas cauſas conuenire, vt fiat iſta ſimilitudo, v. gr. cauſas vniuerſales & particulares,inter quas potẽtiſſima eſt vis illa imaginatiua, quâ operante ſæpiſſimè fœtus auis & proauis ſimilis fit,ita vt non ſit opus vi illâ ſeminali,quæ aut fœminã generet, aut maſculum fœmineis moribus & vultu præditum. Sexus enim à ſexu non fluit,ſed forma eadem eſt in vtroque.Materia ipſa in matrice variatur. Prætereà ab vnâ eâdem ſtirpe,ſemina prodeunt,quæ rurſus alias ſtirpes partim ſteriles,partim ſementiferas proferunt.Quòd ſi rurſus obiiciatur.Ad quid teſticulisnatura mulieres & ſemine donauit,ſi neque energiam habeant,neque vtilitatem?Reſpondent illi,viros etiam habere mammas,non tamen ad lactis generationem. Prætereà humiditatẽ illam quæ in mulierũ teſtibus cõtinetur,non eſſe omnino inutilem aut ocioſam:Nihil quidem ad generationem conferre,ſed quaſi acetum quoddam & cõdimentum eſſe, quo incitantur mulieres ad ſemen virile appetendum, & auidiùs retinendum. Nam

dum humiditate ſuâ turgent teſtes fœminæ, grauata quodamodo eſt, & minùs ſemen viri appetit, ſuo verò ſemine excluſo vaſiſque propriis & teſtibus vacuatis, iam habet ex quo meliùs virile ſemen expetat, & illud recipiat & admittat, conineátque auidiùs. Hiſce omnibus, atque vt videtis, firmiſſimis rationibus ſuam aſtruunt opinionẽ Philoſophi. Nunc videamus quomodo ſe tueantur Hippocratici.

Primò exiſtimant ſtultos eos eſſe, qui ſemen ſeminimiſceri negant, idque ex ſui numinis ſententiâ, Εἴ τις ἀπιστεῖ τὴν ψυχὴν μίσγεσθαι τῇ ψυχῇ, ἄφρων ἐστί. id eſt, *Si quis animam animæ miſceri non credat, inſipiens eſt.* Deinde ipſum Ariſtotelem in ſuam vel inuitum ſententiam trahunt, qui *in lib. de hiſtoria animal.* ait, Oportere vtroſque, marem ſcilicet & fœminam, ſemen ſimul emittere vt fiat conceptus. At hoc non eſſet neceſſarium, ſi ſolum ſemen virile conferret vim πλαστικὴν. Atque etiam quotidianam adferunt experientiam mulierum, quæ aſſerunt ſe emiſiſſe in illo coitu quo conceperunt. Prætereà teſtibus donatas eſſe mulieres dicunt, non vt viri mammis ad ornatum tantùm, ſed ad ſemen gignendum quo ſæpiſſimè turgent, quódque niſi vacuetur, grauiſſimis illas morbis & incommodis vexat. Rurſus cùm virile ſemen (de eo loquor, quod conceptum efficere poteſt) ſit ſpiſſum & valdè calidum, mulieris verò ſubtile magis & frigidum, debent inuicem miſceri, vt contemperentur & miſtionem faciant laudabilem. Adde quod virile ſemen non eſſet ſufficiens ad membranas omnes fœtum circumuoluentes, ad omnes partes ſpermaticas conſtituendas, ad quarum generationem ſemen muliebre concurrit. Atque ideircò verum eſſe & vniuocum ſemen, non ſaniem quandam tenuem, vt dicebant Philoſophi, & infœcundam.

Denique Philoſophorum obiectionibus ſatisfacere conantur. Nam quod dicebant illi, ſi fœmina vtrumque generationis principium in ſe contineret, ſola conciperet. Reſpondent iſti tribus modis. Primò, ſemen muliebre minoris eſſe virtutis, quàm vt ſolum ſufficiat ad conceptum, quoniam frigidius eſt virili. Secundò, ambo ſemina, virile nimirum & maternum, coniuncta eſſe debere, vt maiorem ad generandum vim obtineant, ac proinde neutrum illorum ſeparátum ſufficere ad generationem. Tertiò, vel fœmina non eſt caloris maximi, & ſic ſemen illius non eſt multæ actionis: vel calidiſſima eſt, & tunc excrementis non abundat: ac proinde nec ſatis multam habet materiæ copiam ad fœtus generationem. Quare in muliere, aut debilius eſt principium, quàm vt ſolum poſſit generationem facere: aut materia deeſt, quæ fœtui pabulum præſtet. Ampliùs ad id quod obiiciebant Philoſophi, fœminas aliquando ſine delectatione concipere, & proinde ſine ſeminis emiſſione. Reſpondent Medici; id fieri in mulieribus humidioribus, quæ nullam ferè in coitu oblectationem percipiunt, quamuis ſemen non minùs ac aliæ emittant. Vel ſemen illud ante coitum iam fuiſſe emiſſum, & in vtero contentum. Videtis quàm valida ſint vtrinque argumenta, & quæ ánimum ſuſpenſum hâc illâc ita diſtrahunt, vt vnicuique liberum ſit vtramuis tueri opinionem. Eſt tamen vnica obiectio contra Philoſophos, quam ego inuentam nunquam ſoluere potui, quamuis diu & ſæpe de illa cogitarim, quæ talis eſt. Si fœmina ſolam fœtus materiam præbeat: mas verò efficientiam, vt loquuntur, quî fit vt in coitu animalium diuerſæ ſpeciei, fœtus marem non referat? Aſinus verbi gratia cum equâ coibit, mulus fiet, qui magis naturam equæ quàm aſini referet. At hoc non fieret ſi equa materiam ſolam, aſinus verò formam ſuppeditaret. Gratiſſimum certè eſſet mihi, ſi quis veſtrum (chariſſimi Commilitones) hunc mihi inſolubilem nodum enodare poſſet, & cui ego hoc nomine maximè eſſem addictus.

Supereſt vt de vltimâ quæſtione agamus, non dubitanter, vt priùs, ſed breuiter, ne vobis ſim prolixitate nimiâ moleſtus. Quæritur, vtrùm virile ſemen aliquam materiam fœtui præbeat? Ariſtoteles negat, & vt menſtruum & ſemen muliebre materiam: ſic ſemen virile, ſolam efficientiam conferre vult. Nos dicimus, vtrumque ſemen & materiam & efficientiam conferre: Semen muliebre conferre materiam, conceſſum eſt, efficientiam conferre probauimus: Semen virile efficientiam conferre, conceſſum eſt; materiam conferre, nunc eſt probandum. Si ſemen ſolam efficientiam, nullam autem materiam generationis præſtaret; neceſſe eſſet illud, vbi ſanguini menſtruo coagulationis principium dediſſet, extra vterum mitti. At non poteſt eſſe diutiùs in vtero, quin corrumpatur, quia non commutatur, ſed commutat. At non mittitur extra vterum ſemen poſt conceptum, quia vt eſt *Aphoriſm. 51. ſect. 5. Quæcunque vtero gerunt, os habent vteri clauſum.* Vidit Hippocrates ſemen tenui pellicula contentum ſexto die poſt conceptum excidere, primóſque illos

illos aborsus, genituræ effluxus vocat: Non igitur euanescit semen, vt volebat Aristoteles, aut in halitum in verâ generatione conuertitur: fit quidem sæpe vt in hàlitum flatúmve conuertatur semen, sed tunc distenditur, vt Medici obseruant. Prætereà spermaticæ omnes partes, nerui, venæ, arteriæ, membranæ, ossa, nonne semini simillimam habent substantiam? Ad quid igitur natura, quæ nihil frustrà facit, semen illud expellat, quod partibus spermaticis generandis habet simillimam substantiam, vt deinde alterius, id est, menstrui sanguinis concoctionem, (nam id volunt Philosophi,) ad partes illas solidas generandas aggrediatur? vt partium illarum sólidarum regeneratio difficilis satis ostendit. Nec est absurdum, vt illi putant, in eodem semine virili virtutem esse formantem & eiusdem materiam ad fœtus generationem concurrere: quoniam in semine herbæ alicuius, & est vis generans, & semen ipsum in terræ quasi matrice conditum conficitur, in ipsamque mutatur plantam, vim scilicet & materiam simul conferens. Quod verò dicunt, in artefactis efficiens non ingredi rem factam. Respondent, eandem non esse naturæ & artis rationem, quia Artifex tantùm extrinsecum attingit: Natura verò materiam intùs, extrà, & vndique efformat. Quare bene concludemus, vtrumque semen & efficientiam & materiam ad generationem conferre. Atque ex his patet, optimè Hippocratem asserere, hominem ex quatuor elementis & humoribus conflatum esse, quia generationem habet ex duobus principiis, semine siquidem virili & menstruo sanguine. Quorum vtrumque constat ex eisdem genere elementis, calido, frigido, humido, sicco, seu igni, aquâ, terrâ, & aëre. Solaque differunt temperamenti mensurâ, quia in semine (vt est apud Galenum, 1. *de sanit. tu.*) plus est igneæ substantiæ & aquosæ: quamuis in hoc etiam calidum frigido, & humidum sicco præpolleat.

LECTIO XII.

TEXTVS HIPPOCRATIS.

Γινοίης δ' ἂν τοῖς δ', ὅτι ἕκαστα τοῦτα πάντα ἐστὶν, ἀλλ' ἑκάστῳ αὐτέων ἔχει δύναμίν τε καὶ φύσιν τὴν ἑωυτέου. ἢν γάρ τῳ ἀνθρώπῳ φάρμακον, ὃ, τι φλέγμα ἄγει, ἐμέεταί σοι φλέγμα. καὶ ἢν δίδως φάρμακον, ὃ, τι χολὴν ἄγει, ἐμέεταί σοι χολή. κατὰ ταῦτα δὲ καὶ χολὴν μέλαιναν καθαίρει, ἢν δίδως φάρμακον, ὃ, τι χολὴν μέλαιναν ἄγει. καὶ ἢν τρώσῃς αὐτέῳ τοῦ σώματος μέρος τι, ὥστε τραῦμα γενέσθαι, ῥυήσεται αὐτέου αἷμα. καὶ ταῦτα ποιήσει σοι πάντα πᾶσαν ἡμέρην καὶ νύκτα, καὶ χειμῶνος, καὶ θέρεος· μέχρις ἂν δυνατὸς, ᾖ τὸ πνεῦμα ἕλκειν εἰς ἑωυτὸν, καὶ πάλιν μεθιέναι. δυνατὸς δ' ἐστὶ, ἕως ἂν μὴ ἓν τούτεων στερηθῇ τῶν ξυγγεγονότων.

GNOSCES *autem quòd hæc omnia vnum non sunt, sed vnumquodque illorum habet vim & naturam propriam: quia si alicui homini medicamentum pituitam purgans dederis, tibi pituitam vomet; si bilem ducens, vomet tibi bilem; eadem ratione & atram bilem purgabit, si dederis medicamentum, quod atram bilem ducat. Quòd si partem aliquam corporis sauciaueris, ita vt fiat vulnus, effluet inde sanguis. Atque hæc omnia faciet tibi quauis nocte vel die, & æstate & hyeme, quamdiu spirare & expirare poterit: tamdiu autem poterit, donec vno istorum congenitorum (humorum scilicet) fuerit priuatus.*

EX Philosophorum senticetis ad Medicorum campos tandem descendimus. Nunc enim argumento vere Medico, atque à Medicinæ penetralibus repetito vtitur Hippocrates: Si homini, inquit ille, medicamentum exhibueris cuiusuis facultatis, quod vel bilem, vel pituitam, vel melancholiam ducat, id tibi quouis anni tempore & tempestate, talem humorem reiiciet, qualem medicamentum aptum natumque erat ad trahendum. Prætereà si homini vénam secueris, aut

Digitized by Google

vulnus inflixeris, eadem tibi prorſus ratione ſanguinem profundet, non ſolam bilem, pituitam, &c. At quomodo vacuarentur humores iſti per medicamenta purgantia, prout illis familiaria ſunt, niſi priùs in corpore conſtitiſſent? Aut vnde differentiæ iſtæ, niſi ab humoribus in corpore noſtro exiſtentibus? Sequitur, itaque cùm hæc quouis anni tempore, quauis regione, & quauis ætate ſemper contingant; hæc etiam quæ aſſerit Hippocrates ſemper & vbique vera & certiſſima eſſe.

Sed quia hæc oratio non ſatis niſi ex præcognitis, intelligi poteſt, ideò latiùs & pro noſtro inſtituto ſufficienter, de medicamentis, eorumque facultatibus dicamus.

Doleo maximè & grauiter fero, mihi nouum & inſuetum adhuc tractationis genus propoſitum eſſe à ſummo Hippocrate: Mihi inquam iam Phyſiologica tractanti, ſtatim tranſuolandum eſſe ad diſputationem Practices grauiſſimam, de medicamentis, medicamentorum generibus, facultatibus, & aliis, quæ tantum caneſcentem experientiſſimi cuiuſdam Practici barbam & animam requirunt, quantum iuniorem hanc noui Baccalaurei & faciem & mentem reſpuere videntur. Quid igitur agam? Anne propoſitum mihi penſum deſeram? Nequaquam, & quæ audentes fortuna iuuat, me ſummo labore omnia inquirentem, ſummaque diligentiâ ac ſtudio explorantem, fortaſſis non deſeret. Non dicam me vidiſſe, me expertum eſſe, me feliciter vſurpaſſe, quæ ego non feci: ſed argumenta adferam probabilia, rationes validiſſimas annectam, & nihil niſi priùs demonſtratum aſſeram: Aut ſi malitis, ſit tota hæc diſputatio, in quâ de medicamentis ac eorum facultatibus tractabimus, prorſus ἀλυτῶδες, dubia & Academica, non erit tamen inutilis omnino.

Inter ea omnia quæ aſſumuntur, quædam alimenti, quædam veneni, alia medicamenti rationem obtinent. Atque hæc nomina ad aliquid dicuntur, cùm ſcilicet referantur ad varium agendi modum, quem in corporibus noſtris exercent. Aſſumpta enim illa vel augent, fouentque ſubſtantiam noſtram, quæ continuò diſſipatur; vel deſtruunt, vel inſuperabilia manent à noſtro calore, & quadam qualitate afficiunt, vnde alimentum dicitur, quicquid ſubſtantiam noſtram auget aut fouet, idque dupliciter: Aliud enim alimenti dumtaxat rationem obtinet, quod cum medij ſit temperamenti, nulláque vincenti qualitate præditum, nullam diſpoſitionem in animantis corpore ingenerat, ſed quale fuit aſſumentis corpus, tale illud conſeruat; Aliud eſt alimentum, quod aliquâ ratione nos alterat & immutat, non quidem vt medicamentum, ſed leuiter, vnde Hippocrates dicebat, in cibo Medicinam eſſe: Tale enim alimentum excedenti aliquâ qualitate pollens, vel nos calfacit, vel refrigerat, vel humectat, vel ſiccat: vel etiam ventrem ſoluit aut cohibet, ſtomacho robur vel imbecillitatem inducit: & reliqua quæ ſatis manifeſtè alimenta iſta medicamentoſa in corporibus noſtris exercent. Primum alimenti genus omnino aſſumentis temperamento ſimile eſſe debet, ac ferè eodem gradu. Nos tamen hæc Medico more, id eſt ſenſibiliter, ad ſenſum dicimus, quæ ſi accuratâ rationis normâ metiaris, nullum tale alimentum reperietur, quod ſcilicet corpus noſtrum nullâ ratione immutet. Secundum genus alimentorum corpori noſtro diſſimile aliquatenus exiſtens, à calore noſtro vincitur & domatur, & corporis ſubſtantiam alit & auget, & quamuis illam ſuâ qualitate manifeſtè afficiat, non tamen idcircò alimenti nomen effugit.

Alimentum enim qua alimentum, tale eſt potiùs ratione materiæ, quàm qualitatum manifeſtarum, caliditatis ſcilicet, &c. Quæ enim magis ad modum mixtionis humanæ accedunt, ea magis & meliùs nutriunt, quamuis eodem ſint gradu temperata cum aliis. Verbi gratia animantia & animantium partes melius quàm vegetantia aut mineralia: Et quæ à modo illo mixtionis magis recedunt, requirunt maiorem præparationem, quò fiant apta ad nutriendum. Eſt enim partim ſimile, partim diſſimile alimentum, ideoque concoctione, alteratione, & mutatione indiget, quam cùm fuerit à variis partibus conſecutum, fit tandem propter analogiam quam habebat cum corpore idem cum eo cuius cibus eſt. Vnde illud Hippocratis *libro de alimento*, vbi vult triplex eſſe alimentum, τροφὴ τὸ τρέφον, καὶ τὸ οὗ τροφὴ, καὶ τὸ μέλλον τροφὴ, *actu nutriens, tanquam actu nutriens, & nutriturum.*

Alimento ex diametro & in genere totius ſubſtantiæ mixtæ, contrarium eſt venenum, quod ſubſtantiam noſtram corrumpere & labefactare aptum natumque eſt: atque id manifeſtâ qualitate quadam, aut occultâ. Quæ manifeſtâ qualitate id efficiunt,

ciunt, propter caloris exceſſum, euphorbium; anacardus: vel frigoris, vt opium; cicuta, hyoſcyamus, ſolanum furioſum: vel ſiccitatis, vt calx viua, plumbum vſtum, &c. non quidem verè venena, ſed potiùs deleteria & venenata medicamenta dicuntur. Quæ verò non manifeſtis qualitatibus, ſed illo mixtionis diſſidio, quod Galenus vbique totius ſubſtantiæ vocat, vitæ noſtræ primordia demoliuntur, & cœcâ vi facultatum ſubſtantiam extinguunt: illa verè venena ſunt & dicuntur, qualia ſunt napellus, aconitum, rhododendron, dryopteris, &c.

His duabus datis naturis, veluti extremis rerum mixtarum, neceſſariò medium aliquod concedendũ eſt. Inter igitur alimẽta & deleteria medio ordine poſita ſunt medicamenta, quæ neque vt alimenta in noſtram ſubſtantiã conuerti, neque hanc prorſus corrumpere aut abſumere ſolent, ſed inſuperabilia manent, habent enim naturam extremorum participem. Dumque nec vinci omnino, neque vincere poſſunt, certâ tamen qualitate nos afficiunt, & ſtatum corporis noſtri immutant, vbi à calore noſtro quodammodo immutata fuerint, attenuata ſcilicet, comminuta, & à poteſtate ad agendum reducta. Vnde apud Hippocratem *lib. de locis in homine*, *Φάρμακα εἰσὶ τὰ μεταχινέοντα τὸ παρεὸν*, id eſt, *medicamenta ſunt omnia quæ præſentem ſtatum tranſmouent*. Vbi latâ ſignificatione medicamentum dicitur quicquid naturam noſtram alterare poteſt, vel contrariam qualitatem imprimendo, vel vacuando. Hinc enim prima illa medicamentorum diuiſio in alterantia & euacuantia. Alterantia medicamenta qualitate ſolâ nos immutant, neque in ſubſtantiam noſtram vertuntur, ſed tantùm quaſi prætereuntia qualitatem nobis ſuam communicant, atque intemperiem, ſi exceſſerit, corrigunt. Atque hæc ſunt, vel calida, vt pyrethrum, ſinapi, zinziber; vel frigida, vt oxycratum, ſuccus mali punici, &c. vel humida, vel ſicca, quæ citra vllum ſubſtantiæ noſtræ incrementum exuperantes obtundunt qualitates.

Euacuantia medicamenta ſuo ambitu continent cathartica propriè dicta, quæ peculiares ſuccos è toto corpore vacuant, vel deiectione, vt rheum, ſcammonium; vel vomitu, vt aſarum, helleborus. Continent etiam illa quæ ex vnâ tantùm parte trahunt, vt ex cerebro, ex vtero: Continent etiam ſudorifica, diuretica, menſes mouentia. Continent denique ipſa alexiteria & alexipharmaca, quæ aut venenum aut medicamentum deleterium ſimilitudine quadam proliciunt, & à noſtro corpore amoliuntur. Inter omnia iſta euacuantia, illa ſolùm purgantia & *καθαρτικὰ κατ' ἐξοχήν* appellantur, quæ vt iam diximus, ſuccum aliquem è toto corpore trahunt deiectione vel vomitu, de quibus loquitur Hippocrates in hoc contextu, cùm dicit: *Si homini dederis medicamẽtum, quod pituitam educit, vomet tibi pituitam, &c.* Hæc omnia medicamenta propriè ſumpta, ſiue talia ſint à naturâ producta, quæ Medici ſimplicia vocant, quamuis in ſuâ mixtione diuerſas aliquando facultates ex diuerſo & diſſimilari ſubſtantiæ modo, & penè contrarias nacta ſint: ſiue compoſita & permixta ſint arte, facultatem illam & vim agendi, quam in nos habent, poteſtate non actu continent, eoque nomine à remediis differunt illis quæ talia ſunt actu, qualia dicuntur: vt ſunt, ignis, ferrum candens, aqua gelida, aër frigidus, & cætera ſimiliter agentia. At medicamenta non primo contactu agunt, ſed egent caloris noſtri operâ, vt conſopita illorum vis ad actum perducatur. Non enim ſcammonium verbi gratia extra corpus iuxta poſitam ſibi bilem aut alium humorem trahit, ſed trahere poteſt: Quòd ſi actu tale eſſet & traheret, cur non etiam extra corpus traheret? Non caſtoreum aut piper calfacit, non opium refrigerat, quia habent vim illam refractam & quaſi in mixtione ſuâ ſepultam. Non quòd velimus, calorem noſtrum vim aut facultatem medicamento tribuere, ſed in eum agendo eius quaſi temperamentum & naturam explicare, quâ deinde corpus noſtrum afficit. Siue enim ſit calidum, ſiue frigidum, ſiue purgans, in primis aut vltimis gradibus, hoc accipit à calore noſtro, vt diſſolutâ quaſi eius mixtione, aut ſaltem calore illo benigno, qui in omnia aſſumpta agere ſolet, vim eius eliciente per comminutionem, attenuationem, diſſolutionem, quas non poteſt concoctio & aſſimilatio ſequi, propter earum contumaciam: deinceps vires ſuas in corpora exerceat noſtra, illudque præſtet quod præſtare poterat. Hoc aptiſſimis verbis ſignificat Galenus. 1. *de fac. ſimpl.* cùm dicit; inter remedia, alia eſſe actu ſiue energiâ, alia in futuro tempore, quemadmodum de alimentis dicebamus ex Hippocrate, alia iam nutrire, alia verò nutritura, & vt inquit *lib. de alimento* idem Hippocrates, quemadmodum alimenta, quæ homini offeruntur, corpus immutant, ſic etiam oportet *τὸ προσφερόμενον μεταχειρίζειν*. Præterea hæc medicamenta

camenta non talia ſunt ſimpliciter,qualia dicuntur, hoc eſt, calida, frigida, &c. ſed comparatè. Quæ enim ſimpliciter & abſolutè dicuntur,ea vim ſummam & impermiſtam obtinent, vt ignis ſimpliciter calidus, aqua abſolutè frigida eſt. Medicamenta verò comparatè calida, frigida, humida, aut ſicca dicuntur, aut ſecundùm duas qualitates, calida & humida, calida & ſicca, frigida & humida, frigida & ſicca,quia tales exercent in corporibus noſtris operationes. Hæc autem medicamenti prima qualitas ſeu facultas ſola aut duplex, ex permiſtione primarum qualitatum proficiſcitur, atque illius qualitatis vim & naturam imitatur, quæ cæteris in temperamento præpolluit. At in quo qualitates omnes ita fuerunt refractæ & temperatæ, vt nulla excellat, quod ſcilicet nec calefacit, nec refrigerat, nec humectat, nec ſiccat inſigniter, id ſymmetrum, id eſt, temperatum medicamentum appellatur, comparatè ſcilicet ad alia medicamenta, & ad ſenſum; non ſimpliciter, quia nullum tale eſſe poteſt medicamentum, cùm iam à nobis fuerit definitum,id quod immutat, vel alterando, vel purgando: Vbi verò fuerit victoria aut exceſſus cuiuſdam qualitatis, vt iam diximus, pro intenſione aut remiſſione illius, denominatur etiam medicamentum calidum, frigidum, &c. primo, ſecundo, tertio, quarto, receſſu,quorum etiam ſunt principium, finis,& medium. Verbi gratia calidum primi ordinis vocamus, quod temperatum corpus calefacit, non tamen euidenter, ita vt ad illud probandum, opus ſit aliquâ demonſtratione rationali. Idem de frigido, humido, & reliquis dicendum. Illud verò quod manifeſtò aut calfacere, aut refrigerare, aut humectare, aut deſiccare poteſt, id in ſecundo ordine reponitur. Quod iam vehementer quidem, non tamen ſummè iſta præſtare poteſt, tertij dicitur eſſe gradus.Quæ verò ſummè,id eſt, manifeſtè & ſupra alia, corporibus noſtris qualitates imprimunt, illa in quarto & vltimo medicamentorum ordine collocantur: Quæ excedunt, inter venena reponuntur.

Medicamenta iſta ſiue primi, ſiue alterius ſint ordinis, facultátem iſtam vimque agendi, poteſtate quidem, attamen per ſe, non per accidens habere dicuntur.Non enim dices rhabarbarum frigidum eſſe, quia bilem ardoris febriſque cauſam expurgando, ex accidente ægrum refrigerat; neque dices niuem calidam, quia diutiùs manibus contrectata, cutem ſcilicet illarum denſando, & calorem internum per antiperiſtaſin intendendo,manus tandem calefacit. Sed rhabarbarum calidum, quia tale guſtu,videlicet amarum,& acre deprehenditur:Niuem frigidã,quia nos refrigerat, tactuque talis deprehenditur. Ex quibus omnibus ita de naturâ medicamentorum intellectis, licet medicamentum ita definire, *eſſe corpus mixtum poteſtate vim quandam habens immutandi corpus noſtrum per ſe alterando vel vacuando.*

Hæc à Galeno totius Medicinæ alumno tradita, & à multis deinde Medicis ſuccedentibus recepta,non pauci ſunt qui euertere conantur; multiſque contrariis argumentis, hanc caloris noſtri actuationem impugnare nituntur, quibus eſt ſatisfaciendum.

Si medicamenta actum, inquiunt illi, calfaciendi v. g. à calore noſtro adipiſcuntur, omnia æquali nos gradu calfacient aut non calfacient, quia non deducentur à calore natiuo ad maiorem intenſionem caliditatis, quam ipſe habeat Quaſi aſſeramus nos illam actionem,quam medicamenta in nobis exercent,à calore noſtro accipere. Dicimus quidem vim illam, quæ medicamentis ineſt, à calore primùm noſtro excitari,vbi verò excitata fuerit,pro vario medicamenti temperamento & qualitate in illo ſuperante,in corpora noſtra agere. V.g. aſſumitur melilotus, calefit & illius vis excitatur à calore noſtro,quia tamen valde remiſſa eſt in illo caliditas,vix ſenſibiliter calefacit nos. Aſſumatur poſteà Euphorbium, vis quidem eius eâdem ratione quâ & meliloti excitabitur,& pariter à calore noſtro caleſcet; At in reactione,quando ſcilicet Euphorbium qualitatem ſuam exercebit, væ miſero illi qui Euphorbium non magis quàm melilotum calefacere putauit, quia vtrumque à calore noſtro excitari oportet. Diuerſa ſiquidem fit ab eodem agente mutatio ex patientis naturâ,vt patet etiam in igne externo,qui dum ligna adurit promiſcuè,maiorem tamen ſentimus caliditatem ex lignorum oleoſorum, calidorum, denſiorum, ſicciorum combuſtione, quàm aliorum.Et huius rei extat apud Galenum 3.*de temperamentis luculentum exemplum.Erat* (inquit ille) *in Myſiâ domus quædam, in quâ reponebatur ſtercus columbinum ipſo reſina ſuperillita; conflagrauit domus illa radiis ſolaribus nullo admoto igne.* Quis dicet,ſtercus iſtud, ligna, & domum totam ad maiorem non fuiſſe delapſa caliditatem illã quam acceperant à radiis ſolaribus,ex materiæ ſcilicet diſpoſitione? *Nihil enim mirieſt,*

vt

vt adiungit ipſe Galenus, *ſi aliqua exiguum conſecuta auxilium, maximam à priori naturâ mutationem conſequantur.* Sic aſſumptum medicamentum incaleſcit,à calore ſcilicet noſtro, ad maiorem verò caliditatem peruenit ex proprio temperamento & materiæ diſpoſitione,ſi calidius ſit calido noſtro innato:ſi verò ſub æquali aut minori caloris gradu ſubſiſtat,calfaciet etiam additione calidi ad calidum:Sit enim v.g.in hoc cubiculo calor vt ſex,qui calfacere poſſit totum hunc locum ; apponatur deinde calor vt quatuor,nonne calidius euadet hoc cubiculum?Sic calori noſtro calido vt ſex, addatur medicamenti calor vt duo tantùm, nonne calor noſter augebitur?

Verùm de frigidis medicamentis illi ita argumentantur. Medicamenta frigida non poſſunt à calore noſtro actuationem illam recipere, quomodo enim calor noſter refrigerabit? Reſpondemus, frigida medicamenta non refrigerare, quoniam à calore noſtro refrigerantur priùs, ſed quia inſuperata ab illo manent, neque incaleſcunt.Hoc exprimere voluit Auerrhoës 5. *collig.* *Dicitur medicina,* (inquit ille) *frigida, quia conuertitur in locis digeſtionis ad diminutum calorem, magis quàm calor corporis ſit: ita quod chylus qui ex eâ generatur, eſt diminutus à calore corporis.* Quibus verbis conſtat, frigida non refrigerare, quòd à noſtro calore refrigerentur, ſed quòd ab eodem mutari non poſſint ad calorem. Id Galenus optimè docet, *libro tertio de temperament. iam citato*, dicens: *Quæ refrigerant, vt papaueris ſuccus & opium, hæc à noſtro corpore ne vel paululum quidem mutantur, à naturali ſcilicet temperie; ſi enim vincantur, calfaciunt; ſi non vincantur, refrigerant.* Deducuntur itaque medicamenta illa frigida in actum à calore noſtro, hoc eſt, attenuantur, diſſoluuntur, quæ dum calfacere & immutare nititur, ab eorum vi deinceps ipſemet oppugnatur & ſæpe expugnatur. V. g. cicuta vorata in ventriculo comminuitur & quaſi conficitur à calore noſtro, ſed parum incaleſcit, quia à calore noſtro ferè eſt inſuperabilis : atque ſic inſuperata ad cor defertur, vbi eo frigoris gradu quem retinet, vitalem incipit calorem extinguere, & ſi magis procedat,hominem tandem interimit. Sic igitur quamuis frigida incaluerunt, refrigerant:non tamen vſque adeò incaleſcunt, vt propriam temperiem amittant,ſed inuicta manent, & eum ſemper frigoris gradum retinent, quo ſuperiora ſunt calori noſtro natiuo.*Sic*, vt ait Galenus *ibidem,flammam aqua calida extinguit : ſic opium igni priùs valde calfactum, antequam aſſumatur, corpori & ſuperem & ἀψυχίαν inducit, propriâ ſuâ temperie, non acquiſitiâ.*

Verùm obiiciunt adhuc illi ; Medicamenta omnia primo ſtatim contactu agere, quia ſunt actu talia,ſed actionem infirmiorum non ſtatim percipi:Sic piper comminutum,& in os iniectum,ſtatim calfacit, ſic melilotus:Sed caliditas meliloti non ſtatim percipitur, quia imbecillis ; piperis illicò,quia vehementior. Item piper,euphorbium,ſi diu apponantur exterioribus corporis noſtri partibus calfaciunt,exulcerant, corrodunt,& verè calida ſentiuntur:vt & opium diu retentum refrigerat,mortificat. Quare actuatione non indigent. Verùm illi vnico à nobis allato exemplo facillimè confutabuntur. Sit enim piper vel minutiſſimè tritum, quod expoſitum ſit hyemali frigori, annon frigiditas ab ambiente contracta actu in illo exiſtens, ſtatim ſentitur? Cur igitur caliditas illius naturalis, comminuti, & manui per æſtatem admoti, non ſtatim ſentitur, ſed poſt diuturnam tantùm moram ; quando ſcilicet calor ille noſter etiam in exterioribus illum actuauerit, vt ita loquar? Annon opium igni calfactum ſtatim calfacit atque adurit? Cur non igitur frigori expoſitum, ſuo illo natiuo frigido ad quartum vſque gradum, obſtupefacit? Nihil certè aliud in causâ eſſe poteſt, quàm refractio illius qualitatis, ex contrariorum permiſtione, quæ explicari debet,& ex potentiâ operandi, ad operis actionem,& quaſi ex feriis ad opus excitata venire.

Bene igitur à nobis fuit propoſita medicamenti definitio ; & concluſum, medicamenta eſſe talia poteſtate non actu ; nunc de purgatione & ſuperpurgatione agamus,quarum causâ hæc ſunt à nobis dicta hactenus.

LECTIO XIII.

TEXTVS HIPPOCRATIS.

Τὸ γὰρ φάρμακον, ὁκόταν ἐσελθῇ ἐς τὸ σῶμα, πρῶτον μὲν ἄγει, ὃ ἂν αὐτέῳ καθ' φύσιν μάλιστα ᾖ, τῶν ἐν τῷ ζώματι ἐνεόντων. ἔπειτα δὲ καὶ τ' ἄλλα ἕλκει τε καὶ καθαίρει τὰ φυόμενα τε καὶ σπειρόμενα, ὁκόταν εἰς τ' γλῶ ἔλθῃ, ἕλκει ἕκαστον τὸ καθ' φύσιν ἑωυτῷ ἐὸν ἐν τῇ γῇ, (ἔνι δὲ καὶ ὀξὺ, καὶ πικρὸν, καὶ γλυκὺ, καὶ ἁλμυρὸν, καὶ παντοῖον) πρῶτον μὲν σὺν πλεῖστον τούτεων ἕλκυσιν εἰς ἑωυτὸ, ὅ, τι ἂν ᾖ ἑωυτέῳ καθ' φύσιν. ἔπειτα δὲ ἕλκει καὶ τ' ἄλλα. τοιοῦτον δέ τι καὶ τὰ φάρμακα ποιεῖ ἐν τῷ ζώματι, ὁκόσα ἂν χολὴν ἄγῃ, πρῶτα μὲν ἀκρητεστάτην ἐκάθηρε χολὴν. ἔπειτα δὲ μεμιγμένην. καὶ πάλιν τὰ τῆ φλέγματος φάρμακα, πρῶτον μὲν ἀκρητέστατον τὸ φλέγμα ἄγει. ἔπειτα δὲ μεμιγμένον. καὶ τοῖσιν χασφαζομένοισιν, πρῶτον μὲν τὸ αἷμα ῥεῖ θερμότατόν τε καὶ ἐρυθρότατον. ἔπειτα δὲ ῥεῖ φλεγματωδέστερον, καὶ χολωδέστερον.

ETENIM medicamentum vbi in corpus fuerit ingreſſum, primò quidem trahit id quod ipſi inter ea quæ corpori inſunt, maximè naturâ familiare fuerit: deinde alia etiam trahit ac purgat. Quemadmodum plantæ ac ſemina, vbi in terrâ fuerint, vnumquodque trahit id quod ſuæ naturæ familiare in terrâ exiſtit. Eſt autem in illa & acidum, & amarum, & dulce, & ſalſum, omnimodum. Primò enim quod ipſis maximè cognatum eſt, arripiunt; deinde alia quoque alliciunt. Huiuſmodi etiam quid faciunt medicamenta in corpore: Quæcunque enim bilem ducunt, primùm bilem ſincerā purgant, deinde aliis humoribus mixtā. Et rurſus phlegmagoga primùm pituitam meraciſſimam trahunt, poſteà mixtam. Illis verò quibus iugulū præciditur, primùm quidem ſanguis profluit calidiſſimus & ruberrimus, deinde pituitoſior & bilioſior.

Tranſpoſui hunc textum vt omnia melius cohærerent.

DIximus heri illa medicamenta eſſe ex Hippocratis ſententia τὰ μεταποιοῦντα τὸ σαρκίον, quæ corporis noſtri ſtatum immutant, idque vacuando aut alterando fieri diximus. Inter ea quæ vacuant, ea propriè & κατ' ἐξοχὴν purgantia ſeu καθαρτικὰ dici, quæ proprium aliquem & ſibi familiarem ſuccum è toto corpore trahunt, ſeu vomitu vt aſarum, elleborus; ſeu deiectione, vt rhabarbarum, ſcammonium. Probauimus denique medicamentum tale eſſe poteſtate & per ſe, non actu, neque per accidens, quale dicitur. Inſtat iam, vt iuxta ipſius contextus ſeriem, de purgantibus medicamentis diſſeramus.

Pugantia medicamenta dicuntur Galeno, quæ ſanguinem ab aliis humoribus purum reddunt, aliorum ſcilicet humorum inquinamenta quibus ille inficiebatur, expurgando & extrudendo: Hæc autem faciunt vel manifeſtâ qualitate, lubricando, comprimendo, abſtergendo, molliendo, pungendo & mordendo, & ſimilibus; vnde Hippocrates *lib. de loc. in homine*, vult mordacia, punctoria, calida, tenuium partium, & omnia ſalſa eſſe ſine delectu ἀνωχωρήτως: Vel occultâ, quæ qualitatibus ſcilicet manifeſtis aſcribi non poteſt. Et iſta κατ' ἐξοχὴν cathartica dicuntur. Diuiduntur que ab Hippocrate, ſecundùm humorum differentiam, in χολαγωγὰ, φλεγμαγωγὰ, & μελαναγωγὰ, quibus etiam addere poſſumus ὑδροπαγωγὰ, quæ nimirum bilem, pituitam, melancholicum ſuccum, & ſeroſos humores educunt. Huius purgationis ratio varia à variis & omnino diuerſa aſſignatur. Eraſiſtratus atque etiam Auenroës volunt, nullam eſſe purgantium differentiam, ſed vnumquodque medicamentum primò tenues humores, vt purgationi aptiores, deinde craſſos educere, ac ſic conſequutione quadā portioni vacuatę aliā ſuccedere, ne vacuum quicquā aut inane in corpore ſubſiſtat. Aſclepiades verò exiſtimabat medicamentū omne cui purgandi vis ineſt, quęcunque attigerit humorē, in ſuam naturā conuertere atque tranſmutare. Nolebat χολαγωγὸν bilē educere, ſed bilē facere, ita vt non eſſet vnius alicuius humoris purgatio, ſed omniū qui venis continentu r, tranſmutatio. Hæ duæ opiniones vbiq; à Gal. impugnantur,

pugnantur, illarúmq; assertores omnino Practices ignari & operum artis inexperti habentur : Nam siue vacui metu, siue commutatione humores expurgentur, nullus erit medicamentorum delectus. At id falsum quotidiana conuincit experientia. Detur v.g. Medico, aliquis ictero laborans, ex obstructione hepatis sine febre, huic priùs præparatis & apertis viis, medicamentum cholagogum propinetur, nonne copiosa redundantis bilis copia vacuabitur, atque sic affectus cessabit ? Eidem propinetur medicamentum phlegmagogum aut melanagogum, infeliciſſima erit purgatio, neque tolletur morbus. Idem continget, si laboranti ictero nigro melanagogum medicamentum exhibeas, aut leucophlegmatico pituitam purgans, purgabuntur enim feliciter ; si verò dissimilis facultatis medicamenta illis præscripseris, contrarium continget, neque morbis liberabuntur. Non igitur consequutione, aut vacui metu purgatur humor, sic enim quouis medicamento, & in quouis affectu, bilis priùs, deinde alij humores, prout mobiles & fluxui pariores essent, expurgarentur : sed oportet esse delectum quemdam, quo vnumquodque medicamentum familiarem sibi humorem trahit. Asclepiadis etiam commutatio ridicula est. Si enim medicamentum cholagogon bilem faceret, non educeret, quodcunque ab illo traheretur, bilis esset. At hoc falsum est. Prætereà non cessaret affectus, quia causa morbi à medicamento non tolleretur, sed augeretur. His duabus opinionibus confutatis, veniamus iam ad eos qui admittunt, medicamenta humores purgare & cum delectu, sed varios istius electiuæ purgationis modos assignant.

Epicurus, qui similibus cum Asclepiade elementis ad Physiologiam vsus est, huius effectus causam reddere per suas atomos conatur: Idem enim in medicamentorum purgationibus, atque alimenti à corporis partibus attractione contingere ait, quod in magnete lapide ferrum, succino festucas, lynceo lapide plumas alliciente. Tractionis illi igitur talis est causa, v.g. in magnete & ferro (inquit ille) atomi siue indiuidua corpuscula, quæ à lapide & quæ à ferro defluunt, figuris inter se conueniunt, ita vt facilè sese amplectantur : Hæc igitur cùm in vtraque lapidis ferrique concreta impingunt, deinde in medium resiliunt, obiter inter se connectuntur, ac illud cuius fortiores fuerint atomi, trahit, vt magnes; aliud trahitur, vt ferrum. Sic in medicamentis purgantibus. quæ illum humorem trahunt, à quo atomi suis similes & magis symbolæ emergunt, bilis quia habet atomos figuris conuenientes cum atomis rhabarbari, trahitur à rhabarbaro, vtpote plures & fortiores atomos emittente. Hæc opinio vt iucunda potiùs quàm refutatione digna, à me adducta est, cùm falsa principia ponat, & toties impugnata.

Quatuor superſunt opiniones. Prima eorum qui medicamenta humores trahere putant manifestâ qualitate. Secunda eorum qui occultâ proprietate. Tertia qui medicamenta non trahere, sed expellere & ἀνθυποφόρα humorem fugare arbitrantur. Quarta Galeni & Hippocratis, qui similitudine substantiæ purgantia proprium humorem trahere existimant.

Istæ omnes maximam habent probabilitatem, atque à summis vtrinque viris receptæ & confirmatæ sunt : Nos tamen qui nunc in Hippocratis verba iurauimus, illius sententiam stabilire conabimur. Vult Hippocrates in medicamentis purgantibus trahendi facultatem quandam esse, quæ analoga sit potentiæ tractrici, quam in singulis corporis partibus simile sibi alimentum allicientibus vigere conspicimus, idque aptissimâ stirpium & satorum similitudine declarauit ; quemadmodum & 4. *de morbis*, Rosa trahit talem sibi humorem, qualis ipsa est in potentiâ, & allium, &c. Galenus illius sententiam vbique sequutus est, *libro de facult. natur. 1.* vbi theorema hoc, quamque animantis particulam familiare nutrimentum attrahere, ex professo tractat, pluribusque contra Asclepiadem argumentis disputans, probat medicamentum omne humorem sibi conuenientem ac similem trahere. Idem agit *in libris de simpl. med. facult. in quorum tertio, capite vigesimo quarto* hæc habentur : *Purgantia medicamenta detrahendis humoribus sunt familiaria ; verùm quæ attrahunt, quodammodo efficaciora valentioraque existunt : ac sic attractiones qualitatum quæ in substantiis sunt, proprietate, ἰδιοτρόπῳ perficiuntur.* His verbis manifestè ostendit, similitudinem hanc medicamentorum non esse in primis qualitatibus, calore, frigore, humore, aut siccitate: sed in illis accidentibus quæ consequuntur ipsum substantiæ modum, qui nascitur ex modo mistionis: esse denique virtutem & proprietatem, quæ à tota temperie exurgit. Hanc similitudinem, quæ ex modo mistionis nascitur, non negamus iuuari à manifestis qualitatibus, vtpote à calore, trahit enim perpetuò calidum ; vt fiat tractio, calor adesse debet ; sed vt huius vel illius succi potiùs

tiùs quàm alterius, tractionem, facit ſimilitudo ſubſtantiæ cum vehementiori calore coniuncta. Nec ſimilitudo hîc capienda eſt pro ſola relatione quam habet ad aliud; prout enim talis eſt, neque ſimilitudo, neque proportio, vt dicebat Auerrhoës, agunt, ſed quatenus qualitates ſunt, & diſpoſitiones corporum quibus inſunt. Multa habet hæc opinio dubia, multiſque patet obiectionibus, quibus pro Hippocratis authoritate tuendâ ſatisfaciamus.

Primò, ſi ſimilitudo & naturæ conformitas, cauſa eſſet cur medicamentum humorem traheret: tunc perinde humor traheret medicamẽtum, quemadmodum medicamentum humorem. Si bilis v. g. propter ſimilitudinem trahatur à rhabarbaro, cur bilis ipſa rhabarbarum non trahet? Cur pituita agaricum ad ſe non alliciet? Reſpondemus cum Galeno, quia medicamenta humoribus ſunt efficaciora, & vt ille loquitur, δραστικώτερα, ideò trahunt, non trahuntur. Carthamus aut granum Gnidium pituitæ quidẽ ſimilia ſunt, vt etiam colore præ ſe ferunt; ſed tamen calore ipſo, quàm pituita valentiora ſunt, ὡς ἧλκον μᾶλλον ἢ ἕλκεσθαι; ita vt quæ cum ſimilitudine vehementiorem habent calorem, illud quod minoris eſt caloris trahant.

Secundò obiiciunt. Si ſimilitudo in his attractionem faciat, quæcunque maiore vi purgabunt, illa familiaria cenſebuntur. At contrarium accidit, imbecilliora enim medicamenta, ſi non purgent, alimenta fieri creduntur: fortiora verò in iuſtâ ſaltem quantitate, alendo corpori non cedunt. Reſpondemus, medicamenta fortiora, quæ ſcilicet validiùs purgant, non magis eſſe humori familiaria, quàm leuiùs purgantia: ſed propter maiorem coniunctam illis caliditatem, magis violenter humorem trahere: Non trahit ſcammonium bilem potentiùs rhabarbaro, quod ſit magis ſimile bili, ſed quia ſuperat valde caliditate rhabarbarum: neque in ſubſtantiam noſtram conuerti poteſt, quia coniunctam malignam quandam & venenoſam qualitatem habet, quâ redditur calori noſtro omnino inſuperabile. Idem dicere poſſumus de agarico & colocynthide, de ſena & helleboro.

Tertiò, ſi ſimilitudo veſtra hanc in purgantibus medicamentis tractionem faceret, ferrum, vt inquit Auicenna, ferrum traheret, & aurum itidem aurum, vbi ſuâ quantitate illi prævaleret: Sic maior quantitas ſcammonij, aliam minorem traheret. Nos vt iſtis ſatisfaciamus, adducemus locum Galeni, 3. *de ſimpl. cap.* 24. vbi hanc difficultatem clariſſimè explicat: *Poſteaquam* (inquit ille) *attractiones ſubſtantiarum fieri ſimilitudine oſtendimus, neceſſe eſt ſimilitudinem quandam ineſſe vtriſque ſubſtantiis, & eius videlicet quod purgat, & eius quod purgatur. Cum enim quod purgatur, pituita eſt; quod trahit pituitoſum ſit oportet. Pituitoſum autem eſſe oportere quod trahit, dicimus, non autem planè pituitam; etenim ſimilitudinem ineſſe ſubſtantiis diximus, non identitatem: eſt enim valde contrarium. Nam neque ferrum attrahit ferrum, neque caro carnem, ſed magnes ferrum, & caro ſanguinem. Differunt enim, meâ quidem ſententiâ, idem & ſimile. Quippe pituita pituita eadem eſt, & carthamus carthamo; ſimilis autem pituitæ carthamus, non tamen idem.* Hæc Galenus. Quibus patet, quantum differat, ſimile eſſe, & idem eſſe. Non tamen hac ſolutione contenti antagoniſtæ denuò inſurgunt: Scammonium igitur per vos (inquiunt) non trahet ſcammonium, neque agaricus agaricum. Sed tamen ſcammonium vtpote validius, rhabarbarum trahet, quæ enim vni tertio ſunt ſimilia, ſimilia ſunt inter ſe. Reſpondemus, nos vt heſternâ probauimus lectione, aſſerere, medicamenta eſſe poteſtate tantùm, qualia dicuntur, non actu. Itaque cùm ſcammonium extra corpus à nullo reducatur in actum, rhabarbarum non trahet: Quòd ſi hæc duo medicamenta forent interius liquata & redacta ad ſimilitudinem in actu: non dubitamus, quin potentius illorum debilius traheret: Prætereà non eſt neceſſe, vt quæ rei alicui tam ſunt ſimilia vt ipſam trahant, ſint tam ſimilia inuicem, vt ſeſe trahant. Hoc non verum in qualitate, ſed in quantitate, apud Mathematicos. Et ſic validiſſimum illorum argumentum diluimus, quo illi ſe totam rem confeciſſe putabant.

Quartò, cùm ſint medicamenta duos humores vacuantia, quæ erit in illis ſimilitudo cum humore duplici? Reſpondemus, in eiuſmodi medicamentis, quæ duos humores vacuant, vnam eſſe præcipuam tractionem, alteram veluti ſecundariam. Verbi gratia agaricus trahit pituitam primariò, & per ſimilitudinem, bilem verò ſecundariò, & quia illi poſt pituitam magis eſt ſimilis quàm vlli alij humori. Quòd ſi velint, vtrumque humorem pariter vacuari; neque hoc obſtat, quia vt paſſim inculcat Galenus, nullum medicamentum tam ſimplex eſt, quod non ſit natura ex diuerſis ſubſtantiis compoſitum, verbi gratia vinum, oleum, lac, acetum, diuerſis omnino ſubſtantiis conſtant. Quid igitur impediet medicamenta purgantia ex diuerſis conflata eſſe?

Quintò,

Digitized by Google

Quintò obiiciunt. Si medicamenta hu mores trahunt, iiſdem fruantur oportet; quia nihil in rerum naturâ trahit propter ipſum trahere, ὀρέξει τοῦ ἕλκειν, ſed vt eo fruatur, cuius per attractionem fit compos. Itaque delectabuntur pharmaca humoribus, quemamodum ferro magnes, & feſtucis electrum, in quibus iſta diutiùs ſeruantur integra: Inuoluendum igitur ſcammonium bile, & agaricus pituita obruẽdus vt diutiùs conſeruentur. Quid mirum, ſi homines iſti poſito priùs falſo, falſum etiam poſteà & abſurdum inferant? Ponunt illi, actu eſſe tale medicamentum, quale dicitur. Sed cùm nos illorum hypotheſin falſam monſtrauerimus, quia ſcilicet medicamenta debent à poteſtate ſimilitudinis ad actum reduci, quod non poteſt niſi à calore noſtro fieri: non eſt opus ſcammonium bile obrui, agaricum pituitâ immergi, aut aloën ſtercoribus inuolui extra corpus vt conſeruentur, quia ſimilitudinem illam tunc poteſtate tantùm obtinent.

Supereſt ſextum & vltimum argumentum, quo illi tanquam acutiſſimo telo ſeſe ſententiam Hippocratis confodiſſe exiſtimant. Medicamento, inquiunt illi, quocunque exhibito, ſi paulò plus quàm expedit, producatur expurgatio, euacuantur ſucci omnes, vel vſque ad effuſionem ſanguinis: quod tamen non oporteret fieri, ſi medicamentum familiarem humorem traheret, ſed quam primùm ſimilis illo ſuccus extractus foret, medicamentum à tractione ceſſaret. Reſpondemus, in his ſuperpurgationibus ſuccos omnes non trahi vi medicamentorum extractoriâ, ſed aut propter venarum apertionem, aut propter facultatis expultricis irritationem ab hærente medicamento factam: quod apertè docet ordo ſuperpurgationis, in qua familiaris ſuccus medicamento primùm trahitur, deinde alij, prout ſunt fluxiores aut minùs fluxi, vel plus minúſve retinentur à naturâ. Verbi gratia dato medicato φλεγμαγώγῳ extrahitur primo loco pituita, quia familiaris medicamento: deinde ſuccedit bilis, vt ſuccus fluxui aptior: deinde melancholia, poſt quam ſanguis tandem amiciſſimus nobis humor cum vitâ funditur; Et ſic de aliis quibuſuis medicamentis, ſiue χολαγώγοις ſiue μελαναγώγοις, in quibus ſemper ſimilis medicamento ſuccus primò expurgatur, poſteà alij prout magis parati ſunt ad fluendum. Quod facilè declarat & demonſtrat, reliquam humorum purgationem vſque ad ipſum ſanguinem in ὑπερκαθάρσει, non vi aut facultate medicamenti purgantis, ſed aut ipſius humoris impetu, aut expultricis irritatione, aut venarum apertione contingere. Et ſic ſalua manet Hippocratis & Galeni ſententia, contra oppugnantium obiectiones. Nam qui ad proprietatem confugiunt, hi propriâ refutatione non indigent, quandoquidem illimet ſe id ignorare fatentur, de quo maximè controuertitur Qui verò ob manifeſtam qualitatem medicamentum humorem trahere aſſerunt, verbi gratia calorem, quia nullæ aliæ qualitates tractionem efficere poſſunt. (*Aiunt enim calore Solis halitus ex terrâ in aërem ſuſtolli, tum calidioribus medicamentis, qualis eſt thapſia, frictionibus, & igne calefactas partes ob humorum affluxum intumeſcere.*) Illi reddant nobis rationem, cur medicamentum æquè calidum trahet bilem, aliud verò potiſſimùm pituitam.

Quod ſi dicant propter intenſas aut remiſſas magis medicamentorum potentias id fieri, ita vt quod trahit bilem ſit imbecillimum, quod pituitam validius, quod melancholiam fortiſſimum: Illi perturbato rerum ordine confuſionem maximam inuehunt: Conſtat enim medicamentorum potentias augeri additâ quantitate. Ergo illorum dogmate poſito, ſecundum variam quantitatem idem medicamentum omnes humores traheret, verbi gratia drachma vna rhabarbari bilem purgaret, drachmæ duæ pituitam, & ſic tres vel quatuor, melancholiam traherent; quod quàm falſum ſit, teſtantur quotidie peritiſſimi Practici, qui diuerſis morbis à vario humorum exceſſu prognatis, non diuerſam medicamenti quantitatem, ſed diuerſum medicamenti genus præſcribunt. Prætereà non valet quod rurſus iſti ad ſuam manifeſtam qualitatem probandam afferunt ex Ariſtotele; Omnis actio (inquiunt illi) fit à contrario, *vt eſt primo de generatione.* Contrarietas autem propriè reperitur in qualitate, propter naturam actiui & paſſiui priùs in illâ repertam. Tractio igitur medicamenti cùm ſit actio, fiet à contrario, nimirum qualitate, non à ſimili, vt nos volumus: Ibi enim 7. *cap.* Ariſtoteles duas veterum recenſet ſententias, quarum prima erat, nullum ſimile à ſimili quicquam pati: altera Democriti, contrarium planè aſſerentis, Agens nimirum & patiens ſimilia eſſe, atque adeò vna ſecta actionem à contrario; altera autem à ſimili fieri dicebat. Vtramque improbat Ariſtoteles tanquam veritati non ſatis conſonam, quia vt ipſemet Ariſtoteles *ibidem* demonſtrat, ea quæ agunt & patiuntur,

talia exiſtere oportet, vt quodammodo ſimilia,& quodammodo diſſimilia ſint. Non igitur actio fit à contrario ſimpliciter,ſed trahit carthamus pituitam, quòd illi partim ſimilis, partim diſſimilis exiſtat. Similis quidem ſecundùm ſubſtantiam, quia pituitoſus eſt; diſſimilis autem ſecundùm qualitatem, eò quod pituita frigida, carthamus autem calidus ſit. Velléntne illi eadem ratione dicere, nullam inter id quod nutritur, & alimentum eſſe ſimilitudinem? At hoc ſequeretur, quia vnaquæque pars alimentum ad ſe trahit. Quod cùm fieri dicant per contrarium, alimentum eſſet contrarium parti alendæ. Non fit igitur humoris à medicamento tractio à ſola qualitate manifeſta, ſed à ſubſtantiæ ſimilitudine, quæ cum excellenti calore coniuncta ſit.

Non minora iſtis incommoda incurrunt, qui medicamenta humores non trahere, ſed fugare & ἀλωσθήσα quadam excludere aſſerunt. Quomodo enim ſi medicamenta fugarent humores, diſtantiſſimæ partes expurgarentur? ibi enim humor maneret ad fugam contrarij, vel vlteriùs procederet, nunquam ad vias communes perueniret, vt fieret proximior ſuo ἀθροίσθη. Quod ſi dicant vim expultricem medicamentum excludere & abigere, quid igitur opus medicamento, quod magis excretricis opus impedire ſuâ ἀλωσθήσα, & dum humorem refugientem incuneat, quàm iuuare videbitur? Prætereà nihil intererit, quocunque medicamenti genere vtamur; nam expulſo & fugato, verbi gratia ſucco melancholico à medicamento μελαναγώγῳ, qui erat in primis viis, ceſſat per iſtos medicamenti actio, cæteríque humores conſequutione vacuantur: perinde igitur erit ſi quis aliud medicamentum exhibeat: nam quouis alio humore expulſo, reliqui conſequutione etiam, & quaſi datâ portâ vacuabuntur. Multa ſunt alia, quæ adferri poſſent ad impugnandam iſtorum ſententiam: ſed quia hæc pro inſtituto noſtro ſatis eſſe videntur, concludamus cum Hippocrate, *Medicamentum vbi corpus fuerit ingreſſum, primò trahere quæcunque ſibi magis ſunt familiaria, deinde & alia: Quemadmodum ſtirpes & ſata ex terra trahunt ſuccum ſibi magis conuenientem & familiarem.*

Hæc comparatio vt à ſummo viro prolata, ſic etiam firmâ & quotidianâ experientiâ confirmatur. Id manifeſtè declarant herbarum atque arborum folia, flores, ſemina, fructus, radices, ſucci, liquores, gummi, cortices, ligna, quæ ſingula à naturâ variis & diuerſis ſaporibus prædita ſunt: quibus perpetuò aluntur, eóſque à proprio ſolo alliciunt: Si enim in aliam regionem deferantur, vt plurimùm germano & proprio ſucco deſtituta moriuntur. Roſa, inquit Hippocrates 4. *de morb.* trahit talem humorem, qualis ipſa eſt in potentia; & allium de terrâ humorum eiuſmodi trahit, quale ipſum in potentiâ eſt, hoc eſt qualem habet facultatem. Et aliâ omnia humi naſcentia ex terrâ trahunt, ſingula iuxta ſeipſa. *Si* enim hæc res non ita ſe haberet, non naſcerentur plantæ ſimiles ſeminibus. Cui porrò plantæ vberior multò quàm conuenit humor proprius eſt, illa planta ægrotat: cui verò paucior, illa reſiccatur. At ſi ab initio non inſit terræ humor, quem planta iuxta cognationem trahat, ne germinare quidem poterit. Intelliges autem inde, quòd ſi non habeat planta humorem ſecundùm naturam, nec ab initio quidem germinat. Ioniæ regio & Peloponneſus ſecundùm anni tempora optimè calent, & à Sole illuſtrantur: attamen fieri non poteſt, multis id fruſtrà tentantibus, vt in Ioniâ aut Peloponneſo Laſerpitium ſeu Silphium naſcatur: in Libya verò ſuâ ſponte naſcitur. Neque enim eſt in Ioniâ, nec in Peloponneſo eiuſmodi humor, qui ipſum alere poſſit; cùm tamen in illis multæ aliæ plantæ ſponte naſcantur, quas alibi non reperies. Sunt etiam non pauca in hoc loco naſcentia, quæ ad ſpatium decem cubitorum tranſlata minimè naſcentur: tam multiplices ſunt & varij in terrâ ſucci, ex quibus ſingulis ſingula in eâ naſcentia nutriuntur & augentur: Hinc optimus Poëta dicebat.

Varium cali prediſcere morem
Cura ſit, & patrios cultus habitúſque locorum,
Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuſet.

Hæc omnia clariſſimè demonſtrant, ſtirpes & ſata primò alimentum è terrâ ſecundùm propriam cuiuſque naturam allicere, quod ſi defuerit, alienum ſuccum trahere, quaſi ſecundariò coguntur: atque idem de medicamentis ſtatuendum, vt iam demonſtrauimus.

LECTIO

LECTIO XIV.

TEXTVS HIPPOCRATIS.

Οἱ δὲ λέγοντες, ὡς ἓν ἐστιν ἄνθρωπος, δοκέουσί μοι ταύτῃ τῇ γνώμῃ κεχρῆσθαι. ὁρέοντες τοὺς πίνοντας τὰ φάρμακα, καὶ διαλυμένους ἐν τῇσιν ὑποκαθάρσιοι, τοὺς μὲν χολὴν ἐμέοντας, τοὺς δὲ τινας φλέγμα, τοῦτο ἱκανὸν αὐτέοισι ξύμπασιν εἶναι τὸν ἄνθρωπον, ὃ, τι καθαιρόμενον εἶδον αὐτὸν διαθανέοντα. καὶ οἱ τὸ αἷμα φάσκοντες εἶναι τὸ ἄνθρωπον, τῇ αὐτῇ γνώμῃ χρέονται, ὁρέοντες διαφθειρομένους τοὺς ἀνθρώπους, καὶ τὸ αἷμα ῥέον ἐκ τοῦ σώματος, τοῦτο νομίζουσιν εἶναι τὸ ψυχὴν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. καὶ μαστιγίοισι τελεῦσι πάσῃς χρέονται ἐν τοῖσι λόγοισι. καί τοι πρῶτον μὲν ἐν τῇσιν ὑπερκαθάρσιοισιν αὐτίκα πω ἀπέθανε χολὴν μόνον καθαρθείς. ἀλλ' ὁκόταν τις πίῃ φάρμακον, ὃ, τι χολὴν ἄγει, πρῶτον μὲν χολὴν ἐμέσει, ἔπειτα δὲ φλέγμα, ἔπειτα δὲ σὺν τῇ χολῇ ἐμέσει χολὴν μέλαιναν ἀναγκαζόμενοι. τελευτῶντες δὲ καὶ αἷμα ἐμέσει καθαρὸν. τὰ αὐτὰ δὲ πάσχουσι καὶ ὑπὸ τῶν φαρμάκων τῶν τὸ φλέγμα ἀγόντων. πρῶτον μὲν γὰρ φλέγμα ἐμέσουσιν, ἔπειτα χολὴν ξανθὴν, ἔπειτα μέλαιναν, τελευτῶντες δὲ αἷμα καθαρὸν, καὶ ἐν τούτῳ διαθνήσκουσιν.

QVI verò dicunt hominem esse vnum, hac mihi videntur vti probatione, videntes nimirum eos qui medicamenta sumpserunt, & in superpurgationibus perierunt, alios quidem bilem vomere, alios pituitam: putarunt hominem vnum illud esse, quo purgato hominem pereuntem conspexerunt. Sic qui hominem sanguinem esse dicunt, eâdem vtuntur ratione. Cùm enim viderint in hominibus iugulatis sanguinem è corpore profluentem; hunc existimant, hominis esse animam, eisdémque vtuntur testimonio inter disputandum. At primò quidem in superpurgationibus, nemo vnquam mortuus est, solâ bile purgatus. Sed cùm quis medicamentum cholagogon sumpserit, primùm certè bilem vomet: deinde pituitam; posteà præter bilem etiam melancholiam coacti, tandem moribundi ipsum sanguinem euoment. Eadem patiuntur medicamentis pituitam ducentibus. Primùm enim pituitam vomunt, deinde bilem flauam, posteà aeram, postremò sanguinem, & in hoc, dum sanguinem vomunt, moriuntur.

SImilibus omnes qui hominem vnum esse asserunt, testimoniis & rationibus vtuntur, ἐν τοῖσι λόγοισι, inquit Hippocrates, siue bilem, siue pituitam, siue melancholiam, siue sanguinem esse dicunt; atque ex eisdem præmissis diuersas inferunt conclusiones; prout vnusquisque hunc vel illum succum viderit purgatum frequentius. Itaque cùm eisdem fulciantur rationibus, vnicâ tantùm & eâdem refutatione indigent. Clara quidem erat, & ex apparentibus sumpta ratio illorum, quia scilicet in nimiis purgationibus, quamplurimos alio atque alio prorsus euacuato humore, vitam profudisse inspexissent, illum vnum humorem, hominis esse naturam & animam arbitrabantur. Et tale conficiebant argumentum: Omne illud, à cuius ablatione & amotione, animal statim aufertur & amouetur, illud est esse proprium & innata natura animalis cuiusque. At ex amotione vniuscuiusque humoris (quem alij bilem, alij sanguinem, alij pituitam faciebant) statim hominis ablatio insequitur. Ergo humor ille (quemcunque illi dixissent) est animalis cuiusque propria & innata natura. Horum argumentationem falsam demonstrat Hippocrates ex eo quod in superfluis purgationibus, non vnus solus tantùm humor vacuatur, sed quatuor, omnes ordinatim semper effunduntur: Vnde & illi falsum assumebant, in superpurgationibus in quibus mori contingeret, vnum solum humorem eiici. Homo enim ex superfluâ euacuatione moritur, non propterea quod vnus tantùm humor fuerit eiectus, sed quoniam simul cum illo reliqui omnes fuerunt effusi. Quibus

omnibus

omnibus effuſis illico mors ſuperuenit. Aſſumebant ergo illi falſum, & proinde falſum concludebant. Dicet tamen aliquis, neque bonam illorum fuiſſe argumentationem, neque bonam Hippocratis refutationem. Illi enim malè concludebant, verbi gratia bile vacuatâ moritur homo. Ergo bilis eſt natura ſeu anima hominis: Sanguine vacuato moritur homo. Ergo ſanguis eſt vita ſeu anima hominis. Cuius opinionis authores Critiam, Empedoclem, Diogenem, aſſerit Galenus *ſecundo de placitis Hippocratis*. Nam pariter dicere poſſemus, corde vulnerato ſeu ſtomacho, ſeu veſicâ, ſeu cerebro confoſſo moritur homo. Ergo cor, vel ſtomachus, vel cerebrum eſt natura hominis: Vita enim non in horum alterutro conſiſtit, ſed in omnium debitâ temperie & compoſitione, quæ cùm violetur à minimo iſtorum vel excedente vel deficiente, quid mirum ſi homo tunc deficiat, non quòd bilis, aut pituita ſola fuerit vacuata, ſed quia tota temperies corrupta & labefactata eſt? Ab euidentibus igitur iſti decipiebantur, quoniam ſenſui rationem non adiungebant.

Hippocrates etiam falſum videtur aſſerere, cùm dicit: Nullum periiſſe, qui ſolam bilem aut ſolam pituitam purgando vacuârit, quaſi gradibus quibuſdam ad ſanguinem ipſum perueniatur, vitáque non priùs amittatur, quàm ad illum deuentum fuerit. Quot enim videmus quotidie, & animo linqui, & vitam morte commutare, qui in ὑπερκαθάρσει vel bilem vel pituitam ſolam reiecerant, neque ad ſanguinem vſque peruenerant? Nonne ipſemet Hippocrates huius libri 19. docet, Omnia aboleri, & hominem viuere non poſſe, ſi vnum aliquod ex his congenitis ſcilicet humoribus in homine defecerit? At nunc etiam ad ſanguinem vſque vitam protrahi contendit. Pro Hippocrate quidem dicimus, illum & verè & certiſſimè ibi pronuntiaſſe, Deficiente vno aliquo humore animal perire, abolitâ quippe ſanguinis miſtione & temperaturâ: Hîc verò potiſſimùm, ordinem purgationum in humoribus vacuandis docere, vt illos argueret, qui in vno humore totam hominis naturam conſtituebant; neque enim in purgationibus totus aliquis humor exquiſitè vacuatur, ſed aliqua eius portio etiam tum cum ſanguine remanet, ita vt miſtio & temperatura nondum labefactata aut omnino corrupta ſit, donec ad ſanguinem fuerit peruentum. Bilis quidem primò vacuatur in ſuperpurgationibus à medicamento cholagogo, deinde pituita; ſed neque tota bilis, neque tota pituita, ita vt ſi ibi ſiſteretur purgatio, propter portionem illam quæ adhuc in ſanguine remanſiſſet, poſſet temperies & miſtio denuò inſtaurari. Bene igitur vult Hippocrates, hominem non vno, ſed quatuor humoribus conſtare, quia in ipſis ſuperpurgationibus vacuari quatuor humores conſpicimus, & ſi vires validæ fuerint, non priùs deficere hominem, quàm ipſum ſanguinem reiecerit. Probata Hippocratis ſententiâ, videndum nunc quid ſit iſta ὑπερκάθαρσις, quibúſque de cauſis contingat, quia quotidie tales ſuperpurgationes ab eradicatiuis potiſſimùm Empiricorum remediis, vt pilulis antimoniatis & hydrargyratis, quibus iſti vtuntur, excitatæ occurrunt.

Purgatio cùm ſit actio, quæ à naturâ, & vi medicamenti trahentis perficitur, imminui, aboleri, aut deprauari poteſt. Imminuitur autem & aboletur, quando ſuppreſſa eſt purgatio, quod fit tum medicamenti ipſius ratione imbecillioris; caloris noſtri vel infirmioris, qui ad actum deducere non valet & expulſionem perficere; vel robuſtioris, qui medicamenti vires ita frangit vt omnino ſuperet: Ratione denique ipſius humoris expurgandi, craſſioris, crudioris, contumacioris, obſtruentis & opplentis vias potiſſimùm, per quas perfici debet purgatio; Deprauatur autem quando fit præter modum, vt cùm dolore, lipothymia, torminibus, ſiti immenſâ & ſimilibus accidentibus, vel vltra modum, quando ſcilicet nimia & noxia purgatio conſequitur, quam ſuperpurgationem & ὑπερκάθαρσιν appellant. Languida igitur purgatio vehementiori purgationi opponitur, atque vtraque inutilis eſſe poteſt: Nam *vt eſt Aphoriſm. 23. ſect. 1. Purgationes non ſunt æſtimandæ* ἐκ πλήθει, id eſt, *multitudine; ſed ſi talia purgentur, qualia conueniant, & ægri facilè tolerent*: Sicuti enim humorem infeſtantem pro qualitatis ratione oportet vacuare; ſic etiam quantitatem vacuationis, magnitudini morbi reſpondere conuenit. Eſt itaque ὑπερκάθαρσις effrænata & immodica à medicamento exhibito vacuatio, quâ non modò peculiaris medicamento humor, ſed & reliqui omnes deinceps profluunt. Ὑπερκάθαρσις vi medicamenti & naturæ expellentis perficitur: ὑπέρχρισις verò ſolo naturæ impetu nimiùm & immoderatè vacuantis. Galen. *lib. de ſimpl. med. fac. c. 27. & 28.* vult ὑπερκάθαρσιν fieri, propter tres cauſas, vaſorum infirmitatem, oſculorum laxitatem, & purgantis pharmaci

maci malignam qualitatem, ἕξιν μόνιμον, permanentem mordicationem,quæ concitat perpetuò ad expulsionem: Ita vt aliæ duæ ab hac potissimùm fiant, & veram hypercatharsin efficere non possint, quæ ex mordicatione assiduâ & molesta potissimùm pendet. Anastomosis quidem ob vim effrænatam pharmaci mordicantis perpetuò; imbecillitas verò propter immensum laborem, qui fit in longâ illâ mordicatione ac veluti emulsione. Nos etiam dicemus, hypercatharsin istam triplici de causâ potissimùm contingere; aut ex parte sumentis, aut ex parte medicamenti; aut etiam accidentium quæ vtrique superueniunt. Ratione quidem sumentis.Primò,si excrementis ad fluendum paratissimis redundet,à longo tempore coaceruatis,quæ veluti agmine quodam facto, statim vbi patet aditus, immoderatè profluunt. Secundò,si sumentis natura infirmior fuerit,quæ purgationem moderari, & furentem humorem compescere nequeat. Tertiò, si humor nimiùm fuerit tenuis & ad fluendum aptus, venarúmque orificia nimis recluſa, aut illarum retentrix facultas exoluta. Denique si is qui medicamentum sumpsit, ex eorum sit numero, qui nullatenus purgationibus apti sunt, neque remedia quantumuis accommodata ferre possunt.Ratione verò medicamenti,vel quòd eiusmodi medicamentum qualitate alienâ & deleteriâ sit præditum; vel intensiori tantùm calore, quo intemperatum cor afficit;vel quòd largiùs sumptum sit;vel etiam quòd portione sui, intestinorum aut ventriculi villis adhæret;vel quòd eiusmodi medicamentum, facultate quadam propriâ venarum orificia pungit,mordet,& aperit. Hæc si medicamentum habuerit, immoderatam scilicet qualitatem, aut quantitatem, aut vtramque,de facili ὑπερκάθαρσιν excitabit.Sunt & alia quæ superpurgationem concitant,eáque sub accidentibus post sumptum medicamentum superuenientibus reponuntur;qualia sunt errores quamplurimi,qui in sumendis, admouendis, educendis, & faciendis sæpiùs committuntur,v.g potus aquæ frigidæ largior,constitutio temporis Australis,quæ,vt inquit Galenus, aperit, rarefacit, humoresque ad fluendum aptos nimiùm reddit. Aquilonia etiam,quæ maximas fluxiones comprimendo & exprimendo, excitat, & alia propè innumera errata in vsu rerum sex non naturalium, quæ propter Medici inscitiam,ægri intolerantiam,& astantium imperitiam committi solent. Vnde purgationes à Medicis Monspelienſibus conscriptæ,semper custodiam & artis debitum regimen habent annexum.

Cùm autem hæc superpurgatio sit actio, eáque deprauata, quæ non tantùm pendet ab externo,sed etiam ab interna affectione: huius sedes ponitur in venis illis mesaraicis, quæ vt vobis notum est, non solùm vehendo ad hepar chylo, sed etiam reuehendo sanguini ad nutritionem intestinorum, omnibúsque humoribus, qui à secundâ & tertiâ corporis regione vel attracti vel impulsi, in primam velut corporis sentinam refluunt. In his venis tunc idem accidit, quod in ventriculo, vbi vires eius in extremam inciderunt imbecillitatem: Nam si partes illius superiores fuerint exolutæ,vomitus & assumptorum ἀναγωγὴ sequitur;si inferiores,lienteria,cholera morbus,& pleraque alia.Sic in his venarum exolutionibus, cùm per initia modica fuerit apertio & imbecillitas, tum quod tenuissimum est & naturæ minùs familiare excernitur;vbi verò vtraque adaucta est,demum crassa etiam & naturæ familiarissima vacuantur, perseuerante ipsa medicamenti mordicatione.

Affectus ipse est tum similaris,intemperies frigida ex consumptione calidi innati; tum organicus,anastomosis scil.& apertio orificiorum nimia:ad quos sequuntur tum actio illa deprauata,tum sympomata in genere excretorum immodicè, toto genere præter naturam;In quo omnes humores,si eò vsque vita superfuerit, profunduntur, quorum sub certa quãtitate,natura & crasis consistere potest.De ordine verò quo humores in superpurgationibus vacuantur,sic statuunt Hippocr. & Gal. *in lib.de medic. purg.c.3.& lib.3.de simpl.med.fac.c.26.& 27.* vt primò purgentur communia illa excrementa,quæ in primis viis intestinorum restitantia,impediunt aliorum humorum expurgationem:Deinde vacuetur humor assumpto medicamento familiaris,post hunc qui tenuissimus,mox crassissimus,postremò sanguis,quem natura tanquam thesaurũ, & humidi benignioris substantiam, quamdiu valet, auidiùs amplexatur & retinet. V.g.cholagogum inprimis bilem,deinde pituitam,tertio loco atram bilem,postremò sanguinem euocat. Phlegmagogum primùm pituitam, deinde flauam bilem, posteà atram,nouissimè sanguinem.Melanagogum atram bilem primò,deinde flauam, tertiò pituitam,ad postremum sanguinem naturæ familiarissimum,qui prorsus exolutis & inanitis vasculis effluit, vbi ad extremam osculorum apertionem peruentum est. Sic iuxta Hippocratis sententiam *lib.de nat. hum.* manifestum est, postremum in su-

Digitized by Google

per purgationibus vacuari humorem naturæ familiariſſimum,aliorum autem vnumquemque prout aut craſſius eſt aut tenuis.

Hunc Hippocratis ordinem quidam Arabes improbant, quia illum quàm ſæpiſſimè inuerti contendunt. Verbi gratia ſumpto medicamento bilem atram ducente, poſt illam non quidem flauam bilem,ſed pituitam purgari volunt, ac quibuſdam argumentis fulciuntur.

Primò, dicunt illi , medicamenta ſunt quædam melancholiam & pituitam ſimilitudine purgantia , vt alia bilem & pituitam. Ergo eiuſmodi medicamenta poſt atram bilem ſtatim pituitam vacuabunt , non bilem , vt vult Galenus.

Secundò , illud maximè vacuari debet in ſuperpurgationibus, quod magis abundat. Atqui vacuato melancholico ſucco , magis abundat pituita quàm bilis. Ergo priùs vacuabitur.

Tertiò dicitis vos , inquiunt illi , medicamenta purgantia ſimilitudine quadam humores vacuare ; Itaque ſiue phlegmagogum , ſiue melanagogum medicamentum fuerit exhibitum , poſt vacuatum humorem proprium,vacuabitur phlegma vel ater bilis,quia hi duo humores in qualitatibus frigiditate & grauitate conueniunt,magiſque analogum erit medicamentum melancholiam purgans pituitæ,quam bili flauæ.

Non eſt difficile his ſatisfacere argumentis : Ad primum igitur dicimus:Medicamenta quidem quæ duplicem humorem purgant,illa priùs familiares ſuccos vacuare, quibus bilis ſuccedit. At in medicamentis ſimpliciter phlegmagogis , poſt vacuatam vel pituitam vel melancholiam , bilem vtpote magis tenuem , & ſequi parata m ante alios vacuari. Ad ſecundum , Reſpondemus falſam eſſe propoſitionem. Neque enim quod magis abundat,potiùs vacuatur , quia ſic ſanguis maximè vacuaretur , ſed quòd magis fluere paratum eſt , & minùs naturæ eſt amicum. Pituita autem apud Galenum ſæpiùs in ſanguinem conuertitur , vt ſub eo ſubſiſtit, per magnas inedias. Bilis verò nequaquam , quæ ſupra ſanguinem ſubſiſtens,cùm aliis omnibus ſuccis ſit calidior , etiam mobilior eſt & ad fluendum paratior. Ad tertium dicimus , ſimilitudinem illam medicamentorum non ſpectari penès qualitatem manifeſtam , aliàs nullum eſſet catharticum , quod pituitam aut melancholiam frigidos quippe humores educeret , cùm illa omnia calida ſint ſecundùm magis & minus ſed ſimilitudinem ſubſtantiæ totius ſic dictæ à Galeno, propter quam primò familiaris ſuccus educitur,reliqui verò non propter illam,ſed prout magis aut leues, aut tenues,aut calidi;donec ad horrendam illam & ſanguinolentam hypercatharſim deueniatur,proſtratis penitus & deiectis naturæ noſtræ viribus,quæ funeſtis comitata ſymptomatis mortem inſtare denuntiat. Atque hæc erant theoricè de purgatione ac ſuperpurgatione cognoſcenda. Quod vero ad praxim attinet, vt noſtri non eſt nunc muneris explicare , ſic Galenus eleganter perſecutus eſt *libro cui titulum fecit , quos, quibus , quantum , & quando purgare conueniat* , vt & Fernel. *in ſuâ methodo* , quos conſulere poteritis. Nunc ad Hippocratis contextum redeamus. *Mox flauam bilem , deinde atram , poſtremò ſanguinem , poſt quem moriuntur.* Morimur vbi anima noſtra priuatur præcipuo ſuo inſtrumento,calore nimirum,quo tota animantis vita conſiſtit. Viuere autem nihil aliud eſt in rebus animatis quàm eſſe : illa enim dicuntur eſſe & viuere , quæ animam habent , & quamdiu habent : mortua verò tunc ſunt & dicuntur, quando ampliùs non ſunt animata : ac tunc mori dicuntur , quando anima à corpore recedit. Quia igitur animata aliter ſunt , quàm alia quæ animâ carent, ideò illorum eſſentia & ſubſiſtentia , peculiari vitæ nomine continetur. In illis ergo animæ præſentia vitæ cauſa eſt ; illiúſque abſentia , mortis. ac ſi dicas , animam eſſe cauſam vt res ſit aut non ſit , nutriri , augeri , ſentire , moueri , ratiocinari, aut ſunt viuere ; aut ex iſtis plantæ , animalia , & homo viuere , id eſt , eſſe cognoſcuntur. Atque vt operationes iſtæ fiant , requiritur non ſolùm anima , ſed inſtrumenta corporis & calor natiuus , quorum vno deficiente deſinunt fieri operationes , & perit totum animal , animâ ſcilicet recedente. Verbi gratia , cor vnam dat atque potiſſimam ex cauſis vitæ , nempe calorem. Ventriculus , inteſtina , hepar aliam dant , nempe materiam nutritionis , quibus ablatis nequit vita perſiſtere.

Philoſophi vitæ cauſas inſtrumentales & potiſſimas ponunt in calido & humido,vt mortis in frigido & ſicco. In calido bifariam. Primò,ſi ſit pingue,firmum,non rarum aut nimis tenue. Secundò, ſi calidum ſit humori admiſtum proportione,non ſuperfluum. In humido item bifariam.Primò,ſi corporis animati humor natiuus (quẽ Medici humidũ radicale vocãt) ſit aërius,pinguiuſculus,qui nõ ita facile putreſcat aut deficcetur. Secũdò,ſi ſit proportione copioſus,non immodicus, quia immodicus humor

extinguit

extinguit calidum natiuum, calor nimius absumit humidum, non solùm alimentale, quod à cibo & potu suggeritur, sed etiam humorem natiuum & congenitum. Itaque volunt calidum quod est vitæ causa, neque igneum esse, neque aëreum simpliciter, sed quasdam habere aëreas conditiones, nimirum vt sit pingue, humidum non adustiuum; quasdam igneas, vt sit validum ad concoctiones, & minimè putredini obnoxium. Sic humidum neque aqueum, neque aëreum esse simpliciter, sed vtriusque proprietatis particeps, aquæ, vt continuum sit & spissum; aëris, vt sit pingue & congelari non possit. Calidum itaque & humidum causæ sunt vitæ instrumentales, quæ vitam longiorem efficiunt, si coadiuuent causæ conseruantes, vt debita sex rerum non naturalium administratio. Vnde Aristoteles vult eos, qui loca calida inhabitant cæteris paribus viuaciores esse reliquis, vt patet de Indis, & Æthiopibus μακροβίοις.

Quicquid sit, corpora hæc inferiora in perpetuo sunt motu in fieri vel corrumpi secundùm quid vel simpliciter, secundùm partes, vel secundùm se tota. Tum propter causas vniuersales, tum particulares omnibus moriendum est. Vitæ mors priuatiuè opposita est, quæ est transitus ab esse animantis ad non esse animal. Mortem duplicem faciunt, propter varium modum quo animantia interire contingit: Aliam vocant naturalem; aliam accidentariam seu violentam. Atque ideò mors dicitur aliquando esse secundùm naturam, aliquando verò præter naturam. Nam quæ à principiis intrinsecis fit, nullo extrinseco accedente, meritò naturalis & secundùm naturam existimatur: Quæ verò ex erroribus vel violentiâ aliquâ accidit, immatura, violenta, non naturalis, & præter naturam iudicatur esse: quoniam etsi illam fortè adiuuerint principia quæ in nobis sunt, vt calor & frigus; principium tamen motus non incepit à natura, sed ab alio quouis externo. Vel si mauis, mors omnis est secundùm naturam, si naturam vniuersalem spectes illorum omnium quæ ex contrariis sunt composita. Vel contra naturam, si particularem spectes, quæ naturam & essentiam huius & illius destruit & corrumpit. Mors definitur à Galeno 3. *de crisibus*, omnimoda naturæ prostratio; 2. *de temperamentis*, caloris natiui extinctio perfecta. Propriè tamen mors est animæ corruptio in animantibus; in homine verò commigratio animæ à corpore, & vitæ huius ad aliam commutatio. Quæ si naturaliter contingat, id est, nullo extrinseco violenter in nos agente, fit ex humidi non solùm alimentaris, sed etiam radicalis consumptione paulatim factâ: vel si calor nimius fuerit, vel humidum modicum, aut si frigus calorem superet, ita vt humidum facilius congelascat. Hæc in plantis ariditas, in animantibus extremus marcor seu mors dicitur, quæ sine vllo doloris sensu contingit, quia tunc animalia mortem obeunt sine vllo violento affectu, sed quemadmodū ellychnij oleo deficiente flāma, sic corporis humido exhausto calor exhalat, & anima recedit. Interitus istius necessitatem infert Aristoteles ex duobus potissimùm; Quod corpus scilicet contrariis constet & quod perpetuò excrementa colligat; quibus alia addere licet, materiæ ad omnes formas suscipiendas necessitatem, naturalis & finiti agentis finitam potentiam & virtutem: denique tum supremas, tum medias causas, quæ vt mixtis ortum dederunt, sic eisdem interitum adferunt.

Mors verò violenta seu accidentaria contingit, propter morbi naturam & temperiem subuertentis violentiam, quibus morbis maximè obnoxij sunt calidi & humidi intemperamenti, quos Galen. 9. *meth.* c. 1. ζωτικληρώδεις, id est, putredini obnoxios appellat, propter vacuationes immodicas, aut ingentia vulnera, quibus totum corporis humidum exhauritur. Hoc mortis genere moriuntur, qui βιοθάνατοι appellantur, id est, illi qui dicuntur ante diem præscriptum oppetere mortem, vt qui in præliis aut suppliciis, repentinis mortibus & casu aliquo lethali & improuiso vitam cum morte solent commutare. Qui suam solent Empiricis & Chymicis vitam exponere, à quibus miserè excarnificati in superpurgationibus tandem gementem & purpuream, vt loquitur Poëta, effundūt animam. Quicquid sit, in quouis mortis genere, siue naturali, seu violentâ & accidentariâ corpus refrigeratur caloris natiui extinctione, & desiccatur etiam, quia cùm humidum à calido non ampliùs contineatur aut regatur, exhalat. Sic quæuis mors animantium corpora ad frigidum siccúmque perducit. Quippe mortui, vt est apud Galenum 1. *temperam.* ἀλίβαντες vocantur παρὰ τὸ μὴ ἔχειν λιβαδίαν μήτε θερμότητα, *quasi nihil in se humecti habentes*. Ea est sors & conditio nostra, vt quæ priùs, id est, dum nascimur, dominabantur qualitates, tandem vel ætatis cursu, vel morbis, vel violentis & procatarcticis causis proterantur, & à contrariis superentur. Finitæ est virtutis calor noster, qui vbi fuerit deuictus, statim cum illo deficiente deficit & anima, quæ priùs corpori coniuncta vitam animantis constituebat. Atque

mors hoc dicitur, quâ nihil sæpiùs expetit misera mortalitas, quâque nihil magis rimet. Quamuis ex omnibus bonis, quæ homini natura tribuit, nullum tempestiuâ morte melius sit.

LECTIO XV.

TEXTVS HIPPOCRATIS.

Αὔξεται δὲ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τὸ μὲν φλέγμα χειμῶνος. τοῦτο γὰρ τῷ χειμῶνι κατὰ φύσιν μάλιστα τῶν ἐν τῷ σώματι ἐναντίον, ψυχρότατον γάρ ἐστι. τεκμήρια δὲ τούτων, ὅτι τὸ μὲν φλέγμα ψυχρότατον, εὑρήσεις εἰ ἰθέλεις ψαῦσαι φλέγματος καὶ χολῆς, καὶ αἵματος, τὸ φλέγμα ψυχρότατον ἐὸν· καί τοι γλιχρότατόν ἐστι, καὶ βίῃ μάλιστα ἄγεται μετὰ χολὴν μελαιναν. ὁπόσα δὲ βίῃ ἕρχεται, θερμότερα γίνεται, ἀναγκαζόμενα ὑπὸ τῆς βίης. ἀλλ' ὅμως καὶ πρὸς ταῦτα πάντα ψυχρότατον ἐὸν τὸ φλέγμα φαίνεται ὑπὸ τῆς φύσιος τῆς ἑωυτοῦ. ὅτι δὲ ὁ χειμὼν πλήρωσιν τοῦ σώματος φλέγματος, γνοίης ἂν τοιῇδε. οἱ ἄνθρωποι πτύουσί τε καὶ ἀποκαθαίρονται φλέγματι πολλῷ κατὰ τὸν χειμῶνα· καὶ τὰ οἰδήματα, λευκότατα γίνεται μάλιστα τούτῳ τῷ ὥρῃ καὶ τἄλλα νοσήματα φλεγματώδεα. τὸ δὲ ἦρος, τὸ φλέγμα ἔτι μὲν ἰσχυρότερον ἐν τῷ σώματί ἐστι, καὶ τὸ αἷμα αὔξεται. τότε γὰρ ψύχεα ἐξανίει, καὶ τὰ ὕδατα πίπτει γίνεται. τὸ δὲ αἷμα καὶ τότε αὔξεται, ὑπό τε τῶν ὄμβρων, καὶ τῶν θερμημερίων. καὶ φύσει γὰρ αὐτίκα τότε ἐστὶ μάλιστα τῷ ἐνιαυτῷ· ὑγρόν τε γάρ ἐστι καὶ θερμόν. γνοίης δ' ἂν τοῖς δε. οἱ ἄνθρωποι τῷ ἦρος καὶ τῷ θέρεος μάλιστα ὑπό τε τῶν δυσεντεριῶν ἁλίσκονται, καὶ ἐκ τῶν ῥινῶν αἷμα ῥεῖ αὐτοῖσι, καὶ θερμόταται εἰσὶ καὶ ἐρυθροί. τῷ δὲ θέρεος, τό, τε αἷμα ἰσχύϊ ἔτι· καὶ ἡ χολὴ ἀίρεται ἐν τῷ σώματι, καὶ παρατείνει ἐς τὸ φθινόπωρον. ἐν δὲ τῷ φθινοπώρῳ, τὸ μὲν αἷμα ὀλίγον γίνεται, ἐναντίον γὰρ αὐτὸν τὸ φθινόπωρον τῇ φύσει ἐστίν. ἡ δὲ χολὴ, τῷ θέρεϊ κατέχει τὸ σῶμα, καὶ τὸ φθινόπωρον. γνοίης δ' ἂν τοῖς δε. οἱ ἄνθρωποι αὐλόμενοι ταύτῳ τῷ ὥρῃ χολὴν ἐμοῦσι, καὶ ἐν τῇσι φαρμακοποσίῃσι χολοδέστερα καθαίρονται. δῆλον δὲ καὶ τοῖσι πυρετοῖσι, καὶ τοῖσι χρώμασι τῶν ἀνθρώπων. τὸ δὲ φλέγμα τῆς θερίης ἀσθενέστατόν ἐστιν αὐτὸ ἑωυτοῦ. χαμόθι γὰρ αὐξεται ἐν τῇ φύσῃ ἡ ὥρη ξηρή τε γάρ ἐστι καὶ θερμή. τὸ δὲ αἷμα τῷ φθινοπώρῳ, ἐλάχιστον γίνεται ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. ξηρόν τε γάρ ἐστι τὸ φθινόπωρον, καὶ ψύχειν ἤδη ἄρχεται τὸν ἄνθρωπον. ἡ δὲ μέλαινα χολὴ, τῷ φθινοπώρῳ πλείστη τε καὶ ἰσχυροτάτη ἐστίν. ὁκόταν δὲ ὁ χειμὼν καταλαμβάνῃ, ἤτε χολὴ ψυχομένη ὀλίγη γίνεται, καὶ τὸ φλέγμα αὔξεται πάλιν, ἀπό τε τῶν ὑγιέων τῷ πλήθεϊ, καὶ ὑπὸ τῷ μήκεϊ τῶν νυκτῶν.

AVGETVR autem in homine pituita per hyemem. Hæc enim hyemi maximè secundùm naturam conuenit, frigidissima enim est. Istorum signa sunt, quia si velis tangere pituitam, bilem, & sanguinem, pituitam frigidissimam reperies, quamuis viscidissima sit, & vi potissimùm post atram bilem trahatur: quæ verò per vim trahuntur, calidiora fiunt à violentiâ coacta: Sed tamen post ista omnia frigidissima esse apparet pituita ex suâ ipsius naturâ. Quòd autem hyems corpus pituitâ repleat, hinc cognoueris. Homines spuunt, reiiciúntque per nares hyeme pituitosissima: & ædemata albissima fiunt maximè hoc tempore, & alij morbi pituitosi. Vere autem pituita quidem adhuc valida in corpore existit, sed sanguis augetur: Nam frigora remittunt, & imbres superueniunt. Sanguis verò cum his augetur & à pluuiis & à diebus calidis: Nam secundùm naturam ipsi hæc ex anni tempore præcipuè insunt, vt sit calidum & humidum; quod sic cognosces. Homines vere & æstate maximè dysenteriis corripiuntur: & sanguis è naribus ipsis profluit, & calidissimi sunt & rubicundi. Æstate verò sanguis adhuc viget, & bilis in corpore inualescit, atque in autumnum vsque porrigitur. In autumno verò sanguis modicus fit, contrarius enim illius naturæ sanguis est: Bilis autem æstate & autumno corpus occupat: quod hinc cognoscere poteris. Homines suâ sponte bilem hoc tempore vomunt, & in purgationibus à medicamento assumpto factis biliosiora excernunt. Manifestum etiam est per febres & colores hominum. Pituita autem æstate senâ

debilior

debilior eſt, quia illius natura contraria eſt tempeſtas, calida & ſicca. Sanguis autem pauciſſimus autumno efficitur in homine: quoniam autumnus ſiccus eſt & hominem iam refrigerare incipit: ſed atra bilis autumno plurima & valentiſſima eſt. Vbi verò hyems aduenerit, bilis refrigerata pauca ſit, & pituita denuò augetur, tum à pluuiarum copiâ, tum propter noctium longitudinem.

TErtia hæc eſt huius libelli atque vltima pars, quam nos duabus perficiemus lectionibus: In quâ Hippocrates verè nunc Medicus à morbis & morborum temporibus, propoſitam quatuor humorum in homine probationem perſequitur. Atque mirum quâ ſerie à Phyſiologicis ad Medica deueniens, procatarcticas & magis manifeſtas morborum cauſas attingat & explicet, vt iſta videantur quaſi prima lineamenta, quibus tertiam Aphoriſmorum ſectionem graphicè deſcripſit. Etenim apertiſſimè hîc declarat vnà cum ambientis nos aëris ſtatu & temperie, etiam animalium corpora variè affici; ſi ſicca fuerit tempeſtas, ſiccari; ſi humida, humectari: & pariter ſi calida, incaleſcere, & frigida refrigerari. Atque id non propter ſimplicem intemperiem quâ nos afficiunt, ſed quia efficientes ſunt cauſæ humorum; id eſt, elementorum ſenſibilium, ſecundùm quorum exceſſum vel defectum, animantis temperies immutatur. Verbi gratia, cùm frigida & humida ſit hyems, meritò corpora noſtra refrigerat, atque pituitam frigidam & humidam in nobis gignit. Quæ ratio in omnibus aliis anni quadris veriſſima comperitur. Nam & æſtate bilis calida & ſicca, æſtatis temperamento reſpondens dominatur: & vere ſanguis calidus & humidus, cùm ipſum ver calidum ſit & humidum. Et autumno melancholia pariter cum illo temperiem frigidam & ſiccam obtinens. Sic etiam cùm humor maximè ſimilis in anni tempeſtate ſimili generetur, ſic in diſſimili valde admodum deficit, contrariorum enim contraria eſt ratio. Conſimilis atque conueniens naturæ perficit & adauget; diſſimilis igitur minuit & aufert. Autumnus ſanguini propter & frigiditatem & ſiccitatem aduerſatur omnino. Hinc ſiccando & refrigerando ſanguinem minuit & deprimit. Æſtas calida & ſicca his duabus qualitatibus pituitæ prorſus eſt contraria: Sic pituita æſtate quàm minima exiſtit, & ſic de aliis. Quæ certiſſimam habere veritatem aſſerit Hippocrates, ſecundùm vniuerſalem entium omnium ordinem & conſtitutionem, cùm ſcilicet ordinario curſu & vniuerſales & particulares iſtorum efficientes cauſæ tam intrinſecæ quàm extrinſecæ vnà ſimul omnes concurrunt. Quòd ſi aliquando, verbi gratia à mille annis ſemel, contrarium contingat, id rarò & per accidens fit, non per ſe, & vt dicebat Hippocrates *κατὰ φύσιν*, id eſt, ſecundùm rerum naturalium curſum & ordinem, quem ſummus naturæ author his omnibus impoſuit.

In his omnibus probandis vtitur Hippocrates argumentis à cauſis efficientibus & conſeruantibus, atque à ſignis & effectibus. Nam vt eſt apud Ariſtotelem 7. *Metaph.* conueniens fit à conuenienti; quia omne quod fit, ab effectiuâ causâ fit, actu exiſtente eiuſdem generis vel ſpeciei cum eo quod fit: eiuſdem quidem ſpeciei, vt cùm ignis fit ab igne; eiuſdem verò generis eſt, ſecundùm hoc ipſum per quod actu eſt ſimile ei quod fit: vt illud quod fit actu durum, à frigido fit, quod actu frigidum eſt. Quæcunque enim effectiua fuerit cauſa, illam actu eſſe oportet: fit igitur ſimile à ſimili, ſiue eiuſdem generis, ſiue eiuſdem ſpeciei. A ſimilibus autem ſecundùm ſpeciem, ſimilia maximè perficiuntur & augentur: & facillimè ſimilia eiuſdem ſpecici inuicem permutantur, quia facilius eſt vnum quàm multa permutare. In temporibus igitur illis, quæ maximam habent cognationem & ſymbolum cum elementis & humoribus, conueniens eſt etiam tunc talem humorem maximè augeri & procreari, concurrentibus etiam ſæpiùs cauſis particularibus, quæ omnes coniunctæ magis prævalent, idque à ſignis & effectibus clariſſimè innoteſcit: quod nos ſecundùm Hippocratis ordinem per anni tempora proſequamur.

Humiditate, calore, frigore, & ſiccitate, tempora anni mutuò diſtant, vt inquit Galenus *comment.* 1 *in lib.* 1 *epid.* Inter illa autem hyemem humiditate & frigore aliis præſtare nemo inficiatur. Quibus duabus qualitatibus, quoniam maximè conuenit cum pituitâ & elemento aquæ, & conueniens fiat à conuenienti, non à diſſimili, niſi per accidens, ſequitur hyemem frigidam & humidam ſibi conuenientem & ſymbolum humorem gignere, tanquam efficientem cauſam, quæ materiam

aptam & paratiſſimam tunc in nobis habet, verbi gratia humiditates crudas, à cibo & potu nimio, vel pituitoſo, & ſumptis aliis refrigerantibus vel humectantibus per ſe vel per accidens. Adde alia omnia ſumenda, admouenda, facienda, & educenda, quæ ineuitabilem hanc ambientis in nos actionem quaſi datis manibus adiuuant, atque etiam conſeruant : ita vt tunc omnia ad pituitæ generationem conſpirare videantur. Dicet aliquis, hæc nullâ ratione poſſe congruere cum *Aphor.* 15. *ſect.* 1. vbi conceptis verbis ſignificat Hippocrates, tunc temporis & calorem natiuum plurimum eſſe, & concoctionem optimè perfici, dicens; *Ventres hyeme & vere naturâ calidiſſimi ſunt, & ſomni longiſſimi, quare per ea tempora cibi copioſiores ſunt exhibendi.* Quibus patet calorem hyeme maximè augeri, refugientem ſcilicet ad interiora, propter circumſtantem extrinſecus frigiditatem : ſicuti æſtate rurſus ad ſibi cognatum protenditur Ita vt hyeme caloris natiui ſubſtantia minimè diſſipetur, ſed in profundum coacta, ibi continetur atque intenditur; vnde & coctiones, & ſanguificationes, & nutritiones illo tempore meliores fiant : quod minimè contingeret, ſi multa pituita per hyemem generaretur. At multus calor quomodo pituitam generabit ? Huic maximæ obiectioni ſic ſatisfacit Galenus *in commentario.* Ventres quidem hyeme calidiſſimos eſſe naturali calore, id eſt, temperatiſſimos: particulas autem corporis magis per hyemem refrigerari. Itaque cùm penetret omnis ambientis aëris frigiditas in corpus quàm penitiſſimè, licèt in ventriculo cibi aſſumpti probè concocti ſint, in iecinore tamen, dum mutantur, non exactam αἱμάτωσιν recipiunt, ſed aliquâ ipſius parte fruſtrantur. Prætereà tertia coctio à totius corporis particulis refrigeratis malè abſoluitur. Accedit copia maxima cibi pituitoſioris, quo ſe tunc homines opplent, verbi gratia leguminum, panis ex ſimilagine, placentarum, liborum, olerum, raparum, carnium ouillarum, ſuillarum, denique bulborum, cochlearum, caſei, & aliorum, quæ facilè in pituitam vertuntur. His omnibus adde pluuiarum multitudinem, & noctium frigidiſſimarum longitudinem. Quibus fit vt pituita per hyemem maximè abundet. Signum huius rei certiſſimum adfert Hippocrates, quòd tunc homines ſpuant & mungant maximè pituitoſa, tuncque tumores albi, & morbi frigidi vigeant. Bonum enim vult eſſe argumentum Galenus 2. *de natur. facult.* apud Medicos; Morbus hic eſt calidus. Ergo à bile; ille frigidus & humidus, ergo à pituita. Nemo autem inficiabitur, hyemis tempore homines habere capita, (vt dicit Hippocrates *lib. de aëre, aquis, & locis,*) humidiora, cùm ventres illorum frequenter turbentur, pituitâ à capite defluente. Et quamuis, vt eſt *Aphor.* 19. *ſect.* 3. morbi omnes omnibus fiant temporibus, quidam tamen magis in quibuſdam ipſorum & fiunt & exacerbantur. Non enim, vt iam diximus, ſola aëris temperatura, morborum eſt cauſa : quia ſic quolibet tempore morbos illos pateremur, qui ſunt temporum naturæ congruentes; ſed cùm multa alia concurrant, omnes quidem in omnibus fiunt morbi : vt plurimùm tamen illi morbi illo tempore contingunt, cui maximè ſunt conſentanei. Hinc hyeme pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, coryzæ, raucedines, tuſſes, dolores pectoris, laterum, lumborum, cephalalgiæ, vertigines, & apoplexiæ quàm plurimæ. Pleuritides enim & peripneumoniæ idcircò hyeme contingunt, quoniam inſtrumenta reſpirationi ſeruientia, frigiditate aëris læduntur : etſi enim alia corporis membra bene obtegere, & contra cœli inclementiam munire poſſimus, vt parum aut nihil lædantur, nullus tamen reſpirationem cohibere poteſt, neque aliunde datur reſpirandi facultas. Ob eamque ipſam refrigerationem & humectationem caput affectum grauedines, tuſſes, raucedines, catarrhos commouet.

Fiunt etiam dolores laterum, lumborum, & totius generis neruoſi, quibus infenſiſſimum eſt frigus. Fiunt denique capitis propriæ affectiones, cephalalgiæ pituitoſæ, vertigines, & apoplexiæ : In exterioribus, œdemata & tumores albi, qui ex abundanti illâ pituitæ generatione, tanquam ex ſcaturigine profluunt. Nam quæ exteriùs apparent, ſunt interiorum, vt inquit Hippocrates, μηνύματα & indicia. Horum omnium morborum cauſas & ſigna, curioſiùs perſequi nobis non eſt propoſitum, quòd hanc Medicinæ partem, nunc currendo tantùm & quaſi pede ſicco tranſire decreuimus, rem fortaſſis hanc in poſterum meliùs tractaturi. Sufficiat igitur hæc de hyeme breuiter dixiſſe, nunc etiam alia tempora percurramus ordine ab Hippocrate propoſito.

Ver calidum & humidum, atque ſanguini temperie reſpondens hîc ſtatuit Hippocrates, quod etiam nobis maximè arridet, quamuis à Galeno 2. *de temperamentis*, ver non dicatur calidum & humidum, ſed temperatum, quia, vt ille ait, ſi calidum &

humidum

humidum esset ver, maximè putredini & morbis esset obnoxium. Nos enim respondemus, calidum & humidum si valde excesserint, putredines facere, at moderatum minimè, quale est ver. Calida & humida complexio, si fuerit accidentalis & aduentitia, mala & ζητεδηνώδης; naturalis vero & ingenita, optima. Prætereà cum anni tempestates secundùm elementorum qualitates, affectæ & contemperatæ sint, ver autem aëri respondeat, certè aëris temperiem calidam & humidam ver imitabitur. Neque hinc sequitur, falsum esse quod dixit Hippocrates, ver saluberrimum, ὑγιεινότατον, & minimè lethale: Calidum enim & humidum, cùm vitæ nostræ principiis respondeant, si fuerint sub mediocritate posita, corpus nostrum salubre & ὑγιεινὸν conseruant. Sit ergo veris temperies sanguini calido & humido maxime similis: atque verno tempore sanguis maximè adolescat & augeatur, cùm simile à simili foueatur & incrementum suscipiat. Tepor ille veris benignus exsuscitat in nobis humorem benignissimum, quo tota cutis veluti suffusa efflorescit, & rubore tingitur, signumque dat omnibus certissimum, vt est *comment. ad Aphor.* 2. *sect.* 1. talem subesse humorem, nisi intrò fortassis refluxerit, qualis in supremâ superficie color apparet. Addit effectus ad confirmationem Hippocrates, morbos scilicet quosdam hoc tempore inualescentes, non quòd ver ipsum eiusmodi effectuum causas produxerit, sed quia verno tempore humores quasi concluſi & condensati hybernâ frigiditate, tunc fundantur, & ad cutem aut alias partes educantur. Sit aliquod corpus ἔυχυμον, bene contemperatum verno tempore, illud ver quale est conseruabit, nec naturam illius immutabit: æstas verò, autumnus, & hyems, non idem præstabunt: Hæc enim tempora, etsi purum corpus, & omni carens vitio excipiant: illa quidem flauam bilem vltra modum generat, iste atram, hyems verò pituitam, ver autem sanguinem generat, qui sanguis si in propriâ contineatur temperie, morbos non facit, nisi fortassis plenitudinis. Vnde ex omnibus morbis verno tempori ascriptis ab Hippocrate, *Aphor.* 20. *sect.* 3. nullus illi est proprius, nisi quatenus humores aliis temporibus procreatos, ac in profundo corporis delitescentes, foras suo calore euocat, exceptâ sanguinis profusione, quæ etiam corpus ab aliis morbis liberum reddit, vt quæ per nares, per hæmorrhoidas, per vterum fiunt, vt dysenteria illa cuius hîc Hippocrates meminit, non quæ ex bile intestina exulcerat, sed quæ cruenta aut hepatica dicitur, & quam sanguinis toto corpore redundantis copia excitat, atque è venarum orificiis apertis in intestina profluens, corpus multitudine grauatum liberat.

Sequitur æstas, quam Hippocrates veri connectit, propter dysenterias quæ vtroque tempore contingunt. Est autem æstas, anni pars æstuosissima, quæ animantium corpora supra modum calfacit: Idque propterea quòd sol tunc supra verticem nostrum emergit, diesque longiores efficit, atque aëris siccitatem caliditatemque intendit. Nam vt est apud Galenum 2. *de crisibus*, non solæ anni temporum appellationes hunc vel illum humorem producunt, sed ipsa aëris temperies hoc vel illo modo à solis radiis immutata, hunc vel illum humorem gignit, à quibus variæ ægritudines emergunt. Hippocrates *lib. de humoribus*, ait; τὸ μὲν θέρος χολοποιὸν, τὸ ἔαρ αἷμα, τὰ δὲ ἄλλα ὡς ἕκαστα, id est, *ver sanguinem, æstas bilem parit, atque alia tempora prout affecta sunt singula*: quem enim benignus veris calor sanguinem copiosum procreauit, illum æstas quasi vstrinâ quadam extorret, & in bilioſum humorem omnium humorum feruentissimum conuertit.

Signum est certissimum, color icteritius per totum sæpissimè corpus effusus, qui bilis in toto multitudinem subesse ostendit: à quâ varij etiam morbi calidi atque adeò bilioſi pullulant. Audiamus *Aphor.* 21. *sect.* 3. Æstate fiunt febres, synochi, causi, tertianæ quamplurimæ, vomitiones, diarrhœæ, ophthalmiæ, otalgiæ, oris vlcera, putredines pudendorum, & sudores. Qui omnes sunt veluti bilis propagines & soboles ampliſſima. Febres continuas seu continentes nonne bilis in maioribus vasis putrescens excitat, tertianam, extra vasa: vt solo loco & humoris quantitate differant? Nonne vomitiones tunc bilioſissimæ? nonne bilis ad intestina delabens tunc temporis diarrhœas & dysenterias plurimas excitat? Denique cùm bilis ad superiora rapiatur, nonne oculorum, aurium, orisque inflammationem facit? per totum verò corpus pustulas & sudores bilioſos ac mordaces? Ita vt & signa certissima & effectus quamplurimi testentur, bilem à consimili æstatis temperie copioſissimam generari.

E quatuor anni temporibus hyemem diximus pituitam, ver sanguinem, æstatem bilioſum humorem procreare. Superest vt idem de autumno dicamus. Galenus 1.

temperamen.

temperament. impropriè frigidum & ſiccum autumnum dici vult, ac potiùs temperatum eſſe, ſed inæqualiter : Nos quia iam ſtatuimus, ver calidum & humidum, cui opponitur autumnus, ponimus etiam autumnum, iuxta Hippocratis ſententiam frigidum & ſiccum, atque etiam iuxta Galeni, *comment. ad Aphor.* 10. *ſect.* 3. dicentis; *Patet autumnum cubidis eſſe malum, cùm ſit ſiccus ſimul ac frigidus, & inæqualis.* Autumno igitur frigido & ſicco, propter perficientes atque adaugentes cauſas, atra bilis fit plurima & ἰσχυροτάτη, quia vt pluries iam diximus, ſimilia à ſimilibus perficiuntur, atque incrementum ſuſcipiunt. Autumnus quidem frigidus eſt ob caloris abſentiam & priuationem, recedente ſcilicet ſole, & aëtem obliquis magis radiis illuſtrante: ſiccus verò ex derelictâ æſtatis ariditate, & propter propriam & innatam naturam ex omnimodâ humiditatis carentiâ. Ideò tunc temporis refrigerari incipit corpus, & ob ſanguinis imminutionem, & frigidi ſucci prædominium. Qui enim per æſtatem deurebantur humores, quod ex illis aſſatis in autumnum vſque ſupereſt, extincto calore frigidum ſtatim ſiccumque redditur : frigidum ob calorem ablatum ; ſiccum autem, quòd eius omnis dum torreretur, humor conſumptus ſit. Hinc *Aphor. ille* 9. *ſect.* 3. autumno morbi exitiales vtplurimum, tum propter illius in omnibus inæqualitatem, tum quòd humores qui æſtate ad cutem mouebantur & difflabantur, autumni frigiditate trudantur, & ad interiora impellantur, tum quòd ab atrâ bile fiant. Quorum numerum recenſet Hippocrates *Aphor.* 22 *ſect. eiuſdem. Autumno febres quartanæ & erraticæ, & lienes, aquæ inter cutem, dyſenteriæ, morbi comitiales, furores, melancholiæ.* Horum omnes vt videtis, vel plurimi morbi à ſucco melancholico tunc prædominante excitantur. Ita vt cæteris omnibus paribus & concurrentibus liceat dicere: Autumnus frigidus & ſiccus melancholicos morbos parit: &, autumnalis eſt morbus. Ergo à melãcholiâ ortum habuit. Et ſic clariſſimum euaſit, vnumquodque anni tempus conuenientem & ſibi ſimilem humorem generare, quæ cùm ſint quatuor, humores etiam corporis noſtri, quatuor illis reſpondentes eſſe conuenit, quod Hippocrati demonſtrare propoſitum fuit. Sunt autem adhuc tria hîc potiſſimùm obſeruanda.

Primò quòd quemadmodum contrariorũ contraria ſunt conſequentia, ſic contraria humori tempeſtas, illum maximè imminuit, vt ſimilem maximè auget ; hyems maximè pituitam auget, frigidam quippe & humidam; ſic bilem calidam & ſiccam maximè imminuit. Ver ſanguinem calidum & humidum auget, melancholiam frigidam & ſiccam quaſi tollit. Et ſic de aliis, in quibus vt maximè ſimilis humor dominatur, ſic diſſimilis admodum imminuitur, quod facilè ex Hippocratis contextu colligere poſſumus.

Secũdò notatu dignum eſt, extremas tempeſtatum partes, aliarum naturam ſapere, propter relictam quandam impreſſionem, quæ nondum deleri potuit, v.g. autumni extremum hyemis principium ſapit ; & hyemis extremitas veris initium redolet; ſic alia veris extremitas, æſtatem quodammodo refert ; æſtatiſque principium veris adhuc naturam retinet: ſicque humorum dominatus ſenſim tollitur, cùm contraria tempeſtas in maximo fuerit vigore conſtituta. Atque ſic temporum morbi in alia proxima tempora coincidũt, vt morbi æſtiui in autumnum, autumnales in hyemem, & ſic de reliquis. Quæ omnia accuratiſſimâ methodo tradita ſunt ab Hippocrate *ſect.* 3. *Aphoriſmorum.*

Tertiò denique obſeruandum eſt, id cuius nos potiſſimùm admonet Galen. *lib.* 8. *de placitis Hippocratis & Platonis*, quòd quamuis de temporum diuerſitate Hippocrates hîc tantùm egerit, videtur tamen ſub his comprehendere & temperamenta, & ætatem, & regionem, quæ paſſim in omnibus inſpectanda eſſe admonuit : tum ad morbos curandos & prædicendos, tum victus rationem inſtituendam. Adde quòd his adiuuantibus temporis ſtatum & temperiem, magis & facilius humor ſimilis gignatur ; contranitentibus autem minus. Æſtas nonne bilem perfectiùs generabit in regione calidiſſimâ, hominibus calidioribus, & ætate iuuenili ? Hyems pituitam in regione frigidâ, hominibus pituitoſis, & ſenili ætate ? Hæc igitur omnia complexus eſſe videtur Hippocrates, cùm, vt inquit Galenus, eandem in ætatibus rationem puer obtineat, quam in quatuor temporibus ver. Eandem iuuenis quam æſtas: Eandem conſiſtens quam autumnus. Eandem decrepitus quam hyems. Pariter & ex regionibus, temperata veris calida æſtati; quæ in caliditate & frigiditate tamen & ſiccitate exuperat, autumno: frigida & humida regio hyemi magis reſpondet. Atque iſta hactenus ad quatuor elementorum, & quatuor humorum probationem dicta ſufficiant.

LECTIO

LECTIO XVI.

TEXTVS HIPPOCRATIS.

Ἔχει μὲν οὖν ταῦτα πάντα αἰεὶ τὸ σῶμα τῦ ἀνθρώπου. ἔστι δὲ τὰ ἑκάστοισι μέρεσι ὥρης, ὁτὲ μὲν πλέω γίνεται σφέων αὐτῶν ἰδίων, ὁτὲ δὲ ἐλάσσω ἑκάστοις, κατὰ μέρος καὶ κατὰ φύσιν. ὥσπερ ὁ ἐνιαυτὸς μετέχει μὲν πάσης πάντων, καὶ τῶν θερμῶν, καὶ τῦ ψυχρῶν, καὶ τῶν ξηρῶν, καὶ τῦ ὑγρῶν. οὐ γὰρ ἂν μένοι τούτων ἕκαστον ἐν ἐόντα χρόνον, ἄνευ πάντων τῦ ἐόντων ἐν τῷδε τῷ κόσμῳ. ἀλλ' εἰ ἔν τι ἐκλίποι, πάντ' ἂν ἀφανισθείη. διὰ γὰρ τῆς ἀνάγκης, πάντα ξυνέστηκέ τε καὶ τρέφεται ὑπ' ἀλλήλων. οὕτω δὲ καὶ ἔστι ἐν τῷ ἀνθρώπῳ ἐκλίνοισι τούτων τῦ ξυγγεγονότων, οὐκ ἂν δυνατὸν ζῶον ὁ ἄνθρωπος. ἰσχύει δὲ ἐν τῷ ἐνιαυτῷ, τοτὲ μὲν ὁ χειμὼν μάλιστα, τοτὲ δὲ τὸ ἔαρ, τοτὲ δὲ τὸ θέρος, τοτὲ δὲ τὸ φθινόπωρον. οὕτω δὲ καὶ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, τοτὲ μὲν τὸ φλέγμα ἰσχύει, τοτὲ δὲ τὸ αἷμα, τοτὲ δὲ ἡ χολὴ, ὡρῶτον μὲν ἡ ξανθὴ, ἔπειτα δὲ ἡ μέλαινα καλεομένη. μαρτύριον δὲ σαφέστερον, εἰ ἐθέλοις τῷ αὐτῷ ἀνθρώπῳ δοῦναι τὸ αὐτὸ φάρμακον τέτρακις τῦ ἐνιαυτῦ, ἐμέσει σοι τῦ μὲν χειμῶνος, φλεγματωδέστατα, τῦ δὲ ἦρος ὑγρότατα, τῦ δὲ θέρεος χολωδέστατα, τῦ δὲ φθινοπώρου μελάντατα. ὀφείλει οὖν, τούτων ὧδε ἐχόντων, ὁκόσα μὲν τῶν νοσημάτων τῦ χειμῶνος αὔξεται, θέρεος λήγειν. ὁκόσα δὲ θέρεος αὔξεται, χειμῶνος λήγειν. ὁκόσα μὴ αὐτέων ἐν περιόδῳ ἡμερέων ἀπαλλάσσεται. τὰ δὲ πλείω οὐθὶς φέρτερος, τῶν τε ἡμερέων. ὁκόσα δὲ ἦρος γίνεται νοσήματα, μεσοδίκης χρὴ φθινοπώρου τὰ ἀπαλλαγήν. ὁκόσα δὲ φθινοπωρινὰ νοσήματα, τούτων τῦ ἦρος διάγκη τὰ ἀπάλλαξιν γενέσθαι. ὅτι δὲ ἂν τὰς ὥρας τάυτας ἁμαρτάλλη νόσημα, δεῖ ἐναι χρὴ ὡς ἐνιαύσιον αὐτὸ ἐσόμενον. καὶ τὸν ἰητρὸν οὕτω χρὴ ἰῆσθαι τὰ νοσήματα, ὡς ἐναίσιμα τούτων ἰσχύοντος ἐν τῷ ζώματι κατὰ τὰ ὥρια τῶν ἐνιαυτῷ κατὰ φύσιν ὄντα μάλιστα.

HABET igitur hæc omnia perpetuò corpus humanum: pro temporis autem circumstantis ratione, aliquando plura seipsis fiunt, aliquando pauciora, secundùm partem & naturam. Quemadmodum totus annus omnium est particeps calidi, frigidi, humidi, & sicci. Neque enim horum tantisper maneret sine omnibus quæ sunt in hoc mundo: sed si vnum quid defecerit, omnia statim abolebuntur, quia omnia eadem necessitate constituta sunt, & inuicem aluntur. Ita siquid ex his congenitis in homine defecerit, non poterit diutiùs viuere homo. Inualescit autem in anno, nunc magis hyems, nunc ver, nunc æstas, nunc autumnus. Sic in homine modò pituita inualescit, modò sanguis, modò alterutra bilis. Cuius rei certissimum est testimonium, quia si volueris eidem homini idem pharmacum quater in anno exhibere, vomet tibi hyeme maximè pituitosa, vere liquidissima; æstate biliosissima; autumno nigerrima. Par est igitur his se ita habentibus, morbos qui hyeme augentur, æstate finiri; qui verò æstate vigent, hyeme deficere: qui inter illos dierum periodo non soluuntur. Dicam autem aliàs, quid dierum periodus. Qui verò vere gignuntur morbi, illorum solutionem expectare oportet autumno: Autumnales autem morbos vere terminari necesse est. Qui anni tempora morbus excedit, illum annuum fore sciendum est. Atque sic Meditum morbis mederi oportet, prout vnusquisque in corpore secundùm anni tempora, & eius naturam inualescit.

EXtremam hunc Arethusa mihi concede laborem. Concede mihi extremam hanc huius libri explicationem aut aliis non inferiorem, aut potiùs superiorem esse. Cùm enim ad operis istius extrema peruenerim, incumbendum maximè est, vt finis toti huic labori veluti coronam imponat. Corpora quidem pingere, inquit Plinius *libro trigesimo quinto capite decimo*, & media rerum, est quidem magni operis, & in quo multi gloriam tulerunt; Extrema verò corporum facere

cere,& definentis picturæ modum includere,rarum in successu artis inuenitur.Ambire enim se debet extremitas ipsa, & sic desinere,vt promittat alia post se,ostendatque etiam quæ occultat. Pro totâ igitur libri istius catastrophe, duo præcipuè tractabimus,scilicet quid sit annus & quæ illius partes,demum quid morborum circuitus,& quotuplex sit. Totus annus (inquit Hippocrates) particeps est omnium,calidi,frigidi,sicci,& humidi. Annorum varia fuit ratio apud varios : Plinius *lib.7.cap.48.* Annum enim alij æstate vnum determinabant, & alterum hyeme : Alij quadripartitis temporibus, sicut Arcades, quorum anni trimestres fuere : Quidam lunæ senio, vt Ægyptij : itaque apud eos aliqui & singula millia annorum vixisse produntur. Nos hîc annum intelligimus, quem Græci ἐνιαυτὸν, quòd in seipsum redeat, appellarunt, & qui in sua se per vestigia labitur annus, Solaris dictus; & qui definitur,temporis illud spatium,quo Sol à puncto vno egressus,peragrato zodiaco,in idem punctum redit. Punctum autem illud, à quo initium anni desumitur, non idem est apud omnes:Romulus enim annum incepit à mense Martio iuxta æquinoctium vernale, quod adhuc obseruant Iudæi. Asiatici verò reliqui ab æquinoctio autumnali circa mensem Septembrem : Græci autem & Arabes ordiebantur annum à solstitio æstiuali, cùm Sol ingreditur signum Cancri. Demum Romani, & vniuersa nunc Ecclesia auspicatur anni initium à solstitio hyemali,quòd tunc Sol ad nos incipit redire, vnde Ouidius

Bruma noui prima est, veterisque nouissima Solis,
Principium capiunt Phœbus & annus idem.

Quicquid sit, vbi Sol ab vno puncto,verbi gratia primo Arietis discedens zodiaci signa omnia percurrendo, ad illud idem trecentorum sexaginta quinque dierum,& vnius ferè quartæ spatio redierit, tunc illa conuersio & reuolutio, annus appellatur. Sunt autem XII. signa zodiaci,vt his versibus patet.

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

Annum autem variè Medici atque Astronomi considerant. Astronomi varias eius partes & status faciunt,secundùm varias Solis mutationes & situs in zodiaco,v.g. in climatibus nostris citra Æquatorem versus Boream, sic anni quatuor partes describunt.Cùm Sol ad primum accedens Arietis punctum, signa Arietis,Tauri,& Geminorum peragrauerit,primum illud anni tempus constituit,quod ver appellamus.Post ingreditur, Sol primam Cancri partem, & perueniens ad finem vsque Virginis, æstatem absoluit. Sequitur autumnus, qui à Solis ingressu in Libram, vbi totum Sagittarij signum confecerit, perficitur. Demum à prima Capricorni parte ad Arietis principium, vbi denuò Sol peruenerit, hyemem constituit, & annum absoluens simul annum inchoat,perennique ac indefessa latione per hunc circulum circumuectus, æterna rerum omnium sæcula metitur. Atque hic est modus quo Astronomi diuersas anni partes distinguunt.Medici verò magis ad sensum,idque dupliciter faciunt.Primò signis ad nos & hæc inferiora relatis,vt cùm dicimus,ver illud esse tempus anni,quo & aër & omnia animantia calore modico perfusa, gratissimum anni renascentis gaudium suscipiunt, quo fata omnia veluti colorum picturis in certamen vsque luxuriant, & cœli voluptate quasi inuitata, omnigena naturæ ludentis miracula repræsentant:Eadem ratione æstas,autumnus,& hyems distinguuntur,prout tempora illa variè corpora nostra afficiunt, vel varios in hisce inferioribus effectus exercent. Secundò separant Medici hasce anni partes, secundùm ortus & occasus stellarum insignium,& vulgo magis notarum:non quòd siderum istorum ortus vel occasus sint permutationum in aëre causæ, nisi fortassis coadiuuantes, quia Sol tempestates solus efficere videtur, sunt tamen harum permutationum signa. Hanc distinctionem expressit Hippocrates *lib.3.de diætâ.* Annum (inquit ille) in quatuor partes diuidimus,quas omnes nouerunt, Hyemem, Ver, Æstatem, Autumnum. Hyemem quidem à Pleiadum occasu,vsque ad æquinoctium vernum. Ver autem ab æquinoctio, vsque ad Pleiadum exortum. Æstatem verò à Pleiadum ortu,vsque ad Arcturi exortum. Autumnum ab Arcturi ortu, vsque ad Pleiadum occasum. Atque omnia intelligit Hippocrates vera esse in Hellesponti parallelo, vt ipse interpretatur Galenus. Nos quid sit ortus cosmicus, heliacus, acronichus;vbi sitæ sint hæ stellæ notiores, & quomodo oriantur aut occidant, non dicemus pluribus, sed auditores huius rei cupidos remittimus ad ipsam sphæræ explicationem,aut Gale-

num

num hæc satis fusè tractantem *comment. 1. in libr. 1. epidem.* Satis est enim nobis monstrasse quatuor anni partes tribus potissimùm rationibus distingui. Hoc tamen notandum est, duas istarum anni partium apud Medicos aliquando subdiuidi: æstatem scilicet in duas partes; in tres autem hyemem. Æstatis prima differentia, est à Pleiadum ortu vsque ad caniculæ exortum: hancque priorem æstatem nuncupant: Secunda extenditur à canis exortu, ad ortum cosmicum Bootis. Hyemem autem in tres partes secant, in mediam quæ continetur solstitio hyberno; & alias duas extremas. Sic vt septem aliquando apud Medicos anni tempestates recensentur. Ista omnia tempora siue quatuor, siue septem numerare volueris, annum perficiunt, *qui omnium est particeps* (vt inquit Hippocrates in contextu) *calidi, frigidi, humidi, & sicci.* Totus enim hic mundus inferior, vt est 1. *Meteor.* superioribus lationibus contiguus, à cœlesti virtute regitur, & motus principium sumit. Prima quatuor elementa superioribus orbium motibus contigua sunt, vt eorum formæ & facultates à superioribus gubernentur, quibus elementorum scilicet qualitatibus, sublunaria hæc inframundana omnia temperantur & constituuntur. Est igitur iuxta Auerrhoëm, *comment. ad illum locum*; motus corporum cœlestium, & præcipuè solis motus in zodiaco, quem diximus annum nostrum constituere, causa efficiens generationis & corruptionis elementorum secundùm æqualem perpetuitatem, & vt Philosophi loquuntur, circulationem. Quæ fuit hoc loco Hippocratis sententia & intentio, vt hinc & elementorum primò, & humorum seccundariò numerum colligeret. Sit igitur Solis motus & lumen, potissima causa & conseruans primarum quatuor formarum & qualitatum in informi materiâ, penes diuersos quatuor aspectus & positiones ad illa: Ita vt annum calidi, frigidi, humidi & sicci participem efficiat, subiecta scilicet primarum istarum qualitatum augendo & minuendo. Hoc verum deprehendemus, si per singula anni tempora discurramus: Quando enim Sol à primo Arietis puncto discedens, totum Tauri & Geminorum signum peragrat, tunc calorem mediocrem cum humiditate benignâ in hac sublunari materiâ gignit. Calor quidem à Sole fit, triplici de causâ, propter accessum propinquum, aspectum rectum, ac longiorem moram supra verticem nostrum. Humiditas verò, quia dum hæc inferiora calefacit, niues & hyemis frigore concretam glaciem resoluit & fundit, quibus duobus aër perficitur: Hæc tempestas ver dicitur temperatum & saluberrimum, symbolum habens cum sanguine, & temperamento εὐκράτῳ, caloris humorisque mediocris participe: Vbi verò Sol Cancrum ingressus, tria signa illa conficit, Cancri, Leonis, & Virginis: tunc maximam siccitatem & calorem excitat: Calor quidem tunc summè intenditur à diuturnâ illâ Solis in nostro horizonte morâ, & perpendiculari aspectu, per quem radij ad angulos rectos reflectuntur: calore itaque maximo vigente, & humidum quamplurimum exhauriente, siccitas etiam summa introducitur, quibus duabus ignis elementum perfici nouimus. Et tempus hoc, æstas nuncupatur. Sol regulari illâ & continuâ latione semper vlteriùs procedens, à libræ puncto adusque sagittarij signum, siccitatem tunc & frigiditatem paulatim inducit; frigiditatem quidem, quia iam Sol breuiorem supra nos moram faciens, & debiliores obliquosque emittens radios, terræ & aquæ innata frigiditas, remotâ calefaciente causâ excellenti, augescit & perficitur. Siccitatem autem propter consumptum æstate humidum, & frigidi aduentum. Quæ duæ qualitates ad terræ constitutionem faciunt, istaque tempestas autumnus appellatur, inæqualis valde & insaluberrimus, symbolum habens cum terrâ, &c. Tribus his anni partibus peractis, Sol Capricorni caput ingreditur, ad Arietis rursus principium rediens, hyememque facit frigidam & humidam, in quâ aquæ elementum accrescit, operante frigiditate atque humiditate. Frigiditas quidem tunc ad summum crescit, ob recessum Solis, breuissimam moram, & radiorum obliquitatem: humiditas verò incrementum sumit à vaporibus plurimis autumnali tempore genitis, quos hyemis frigiditas in aquam & humorem conuertit. Vtque totus ita annus variatur, sic dies quadras habet suas, illis respondentes, matutinam veri, meridianam æstati, vespertinam autumno, conticinium seu mediam noctem hyemi; in quibus etiam congeneres humores magis moueri creduntur. Atque hæc est temporum anni ratio sub hoc nostro climate & horizonte. Quia verò respectu *situs* orbis hæc variare possunt, ideò ratio etiam habenda Medico regionum & locorum. Atque sic manifestè patet, annum, hoc est, quatuor anni partes, calidi, frigidi, humidi & sicci esse participes, constitutiones scilicet temporum varia facere quatuor elementorum augmenta, sine quibus mundi istius compages constare nequit. Atque vt in magno mundo, quatuor istæ elementorum proportiones

requiruntur, ſic in paruo mundo, homine, μικροκόσμῳ quatuor humorum, ſenſibilium quippe elementorũ (vt inquit Hippocr.) numerus & proportio neceſſaria ſunt, ſine quibus viuere non poteſt: Et quæ pro varia anni, aliarumq; conſeruantiũ cauſarũ conſtitutione variè immutantur; quamuis tamen nullum iſtorum vſquã deficiat. Huius rei ſignum à quotidianâ experientiâ petitum addit Hippocr. quia ſcilicet ſi eidẽ homini, idem medicamẽtum fuerit exhibitum, hyeme pituitoſiſſima, &c. vomet, pro ſcilicet prædominantis humoris exceſſu: quamuis enim catharticum electiuè purgãs quouis tempore proprium ſibi & familiarem ſuccum expurget: poſt hunc tamen, illã maiori copiâ trahit, qui ſecundùm anni partem magis abundat & turget. Patet igitur quomodo annus quatuor iſtarum qualitatũ ſit particeps, quas in elementis conſtituimus. His ita conſtitutis ad alteram lectionis noſtræ partem veniamus. *Quicunque*, inquit Hippocrates, *morbi hyeme augeſcunt, æſtate deſinere ſolent: quicunque verò æſtate augeſcunt, hyeme finiri conſueuerunt, niſi certo dierum circuitu diſcedant*, &c.

Morbi alij longi, alij breues dicuntur: Breues ſunt qui breuiori temporis ſpatio deſinunt, dierumque numero definiuntur: Longi verò qui per menſium & annorum computationem excurrunt. Breues ſunt multi morbi, aut quia debilẽm habent cauſam, aut quia in fluxili ſunt ſubiecto: aut quia propter humoris cui inſident, effrænatum impetum & ὀρμὴν, & propter grauiſſimorum, quibus copulantur ſymptomatum vehemẽtiam, diutiùs in corpore ſubſiſtere nequeunt, quin naturam ipſam deuincant, aut ipſi vincantur. Hi ſunt qui acuti dicuntur: quorum rurſus multas faciunt differentias. Vocant enim hoſce morbos, qui cum magnitudine quadam ac febre continuâ intelliguntur, pro variâ illorum durationis ratione: alios acutos, alios peracutos, alios perperacutos: Rurſum alios acutos adauctos, alios acutos ex conuerſione, alios denique acutos ex decidentiâ. Acuti ſimpliciter dicti, vt eſt *Aphor. 23. ſect. 2.* ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι κρίνεται, *quatuordecim diebus iudicantur*, hoc eſt, in morbis iſtis magna fit mutatio ad ſalutem vel mortem: non quòd ſtatim ſanentur aut moriantur, quia ipſemet Hippocrates docuit 1. *epidem.* quatuor eſſe celeres permutationes in huiuſmodi morbis, ad ſalutem, ad mortem, vel inclinationem ad melius, vel ad peius: Ita vt aliud ſit dicere periodum morbi, aliud verò criſim, aliud terminum, aliud iudicationem. Acuti iſti morbi ſi intra ſeptimum diem quauis iudicatione criſim fecerint, peracuti appellantur. Quòd ſi tam citatus tamque feſtinus fuerit illorum motus, vt cum grauiſſimis ſymptomatis & continuâ febre quartum diem non excedant, iſti perperacuti appoſitè à Latinis appellantur. Acutorum igitur decimus-quartus dies terminus exiſtit: ita vt ſiquis morbus hunc exceſſerit abſque vllâ ſenſibili iudicatione, ille iam ad vigeſimum vſque diem, acutus adauctus dicitur. Vbi vlteriùs progreditur, acutus ex conuerſione. Tandem acutus ex decidentiâ morbus appellatur, ſi ad quadrageſimum vſque diem appulerit, quem nulli morbi acuti excedunt. Poſt quadrageſimum etenim diem, morbi omnes chronici ſeu longi dicuntur; quorum periodi menſium & annorum numero deſcribuntur. Hi morbi longi neque continentes ſunt, neque continui, ſed per interualla affligunt, ita vt inducias aliquas dent naturæ, quibus illa veluti decepta, minùs ad illorum expulſionem contendit: Atque morbi iſti expelluntur à contrariis cauſis externis, à mutatione ætatis, temporum contrariâ diſpoſitione, locorum & victuum ratione immutatâ, vt eſt *Aphoriſmo quadrageſimo quinto ſectionis ſecundæ.* In cuius commentario vult Galenus Epilepſiam puerorum, quæ vigeſimo quinto anno non deſinit, incurabilem eſſe, propterea quòd mutatio hæc ætatis ad calidum & ſiccum, cauſæ magnitudinem ſuperare & deuincere non potuit. Audiamus Hippocratem hoc diſertis, & appoſitis verbis enarrantem, *Aphoriſmo vigeſimo octauo ſectionis tertiæ.* Plurimi morbi, diuturni, vt adiicit Galenus in comment. puerulis iudicantur, nonnulli quidem in quadraginta diebus, nonnulli in ſeptem menſibus, nonnulli verò in annis ſeptem, quidam verò iam ad pubertatem accedentibus. Qui verò permanſerint, neque pueris in pubertate finierint, & fœminis cùm menſtrua erumpunt, conſeneſcere conſueuerunt, χρονίζειν ἔωθεν, hoc eſt, perpetui ſunt vitæ noſtræ comites, & ſenectutis flagella, vt loquitur Cornelius Celſus. Videmus quomodo tota hæc periodorum in quibuſuis morbis ratio, poſita ſit in cauſarum tam efficientium quàm conſeruantium contrarietate: Contraria enim ſemper contrariorum ſunt remedia; morbis enim cauſa eſt ſalubris, non ſolum contraria aëris temperies ſuperueniens; ſed etiam ætatis mutatio, & victus ratio contraria. Itaque qui morbi æſtate fiunt, hoc eſt, à conſtitutione calidâ & ſiccâ aëris, illi deſinunt hyeme, contrariâ ſcilicet conſtitutione: Vt qui hyeme incipiunt

incipiunt, æstate desinere solent. Et sic contraria semper anni tempestas, oppositæ morbos sanat. Idque septimo mense. Sit enim verbi gratia morbus aliquis hyemalis, qui primâ Decembris inceperit, ille vt plurimùm desinet mense Iunio. Et sic de reliquis, vt cuiuis computanti patet. Qui verò morbi hunc mensium numerum euaserint, euictis nimirum & elusis omnibus contrariis causis, illi annui appellantur. Rursus morbi isti annui, propter varias ætatum mutationes, quæ septimo quoque anno vt plurimùm contingunt, septimo frequenter anno terminantur, vt clarissimè ex iam citato Aphorismo patuit. Oportet igitur Medicum omnium istarum rerum peritum ad morborum curationem accedere, vt aut morbis omnibus contraria possit adhibere remedia; vel saltem morborum communes periodos prænoscere, vbi accuratè contrarias omnes causas salubres nouerit, siue anni tempestates, siue regiones, siue ætatum mutationem, siue victus rationem, & remediorum facultatem contrariam.

Videtis igitur quomodo toto hoc libro Hippocrates, in quo propositum erat illi corporis nostri naturam inuenire, eleganti, & accuratâ methodo vsus sit. Quomodo primò primorum corporum numerum & actiones inquisierit: Quomodo his inuentis facilè ad sensibilium corporis nostri elementorum, quatuor scilicet humorum cognitionem peruenerit, quam exactissimè hîc persecutus est: Quomodo denique ex inuentâ humorum naturâ, & solutionis morborum præsagia, & curationis scopos tradiderit, in quibus tanquam fine Medicis proposito conquieuit Hippocrates. Conquiescamus igitur & nos, & tandem explicationi nostræ in hunc librum, finem optatissimum imponamus. Vtinam tam grata fuerit vobis & accepta nostra hæc excursiò, quàm iucunda mihi hæc curriculi nostri prima meta hodie obtigit. Scio quidem rem esse maximam & negotij plurimi tantis viris placere posse: hoc tamen mihi magni solatij & muneris loco erit, si me vobis non omnino displicuisse cognouero.

IOANNIS VARANDÆI
EXPLICATIO SECTIONIS QVINTÆ
APHORISMORVM HIPPOCRATIS.

PRÆFATIO.

AVREVM mehercle & penè diuinum opus Aphorismorum aggredimur explicandum, (Auditores ornatissimi) quod admirabunda antiquitas posterioribus saeculis cum summa veneratione tradidit, & sub sacrosancto Hippocratis nomine ad nos vsque transmisit. Hic enim vt reliqua omnia supereminet, sic etiam liber hic Aphoristicus omnes non solùm Medicorum, sed & Philosophorum, aliorúmque labores ac scripta longè superauit. Fuêre quidam, iique malè feriati homines, Iulianus & Lycus, quos Galenus exagitauit, qui pertinaci audaciâ aliquot Hippocratis Aphorismos conuellere & reiicere conati sunt; at nullo prorsus fructu: In altissimam enim hanc rupem impegerunt & dissoluti sunt, posterique Aphorismos veluti leges & sancita quadam, extra humanum iudicij aleam posita, & ab Hippocrate, viro prorsus admirando, conscripta receperunt.

Vt non hîc frustrà laborandum sit, inquirendúmve, an sit genuinus hic Hippocra-

eis fœtus Si enim Aphorismi præ omnibus excellant libris Medicis, Hippocratésque omnes antecedere Medicos credatur, credibile etiam est libros Aphorismorum ab Hippocrate conscriptos, vt & ipsa antiquitas testatur, & Galeni authoritas confirmat: vt si quis hoc negare audeat, is ad dementiam Anaxagoræ peruenisse existimandus videatur.

Non etiam hîc de ordine ac methodo, quâ vtitur Hippocrates disserendum, cùm sit tantùm prioris & posterioris: sed præfationis causâ dicemus, quid sit Aphorismus; quæ sit ratio doctrinæ aphoristicæ; quid contineatur hac nostrâ sectione quinta Aphorismorum; denique aliquid de nostro instituto ac methodo in explicandis Aphorismis & elucidandis disseremus. Atque hæc erit parascene nostra antequàm ad rem ipsam aggrediamur.

Rem, inquam, in Medicinâ maximè seriam & ἀνεπαίσχυντον: In quâ peragendâ vtinam mihi felicissimus ille Genius concedatur Viri, Viri, (Auditores) Hippocratici & verè ὑγιεινοτάτου, Andreæ Laurentij, Professoris & Consiliarij Regij omnium dignissimi, cuius desiderio vos omnes incensos, & absentiâ propemodum enectos video. Nec certè iniuria. Vt enim in illius sinu Charites & Suadela ludunt, in eius labiis Venus & lepor sedem posuerunt, & ex ore illo venustissimo melle Attico dulciùs fluit oratio, quâ ille concatenatos Auditorum suorum animos circumducit, & amœnitate suæ eloquentiæ maximâ pascit: Sic Hippocratis & Galeni, omniúmque authorum elegantissimorum purissimos penè fontes exhausit, vt in illo vno homine, tanquam miraculo quodam Medico, omnia propemodum reperiantur, quæ aliis sparsim tantùm concessa sunt: eloquentiæ vis maxima, pronuntiandi ratio propemodum diuina, Hippocratis grauitas, Galeni immensa & erudita copia: Omitto Botanices & Anatomices peritiam, in quibus parem ille nullum agnoscit: Omitto, inquam, cæteras eius laudes, quæ non satis aptè, nisi ipsiusmet verbis referri possent, ne videar dolorem vestrum augere, & viri absentis commemoratione animos vestros percellere. In solatium enim & doloris huius leuamen offerimus vobis lectiones nostras Laurentianis ἀντιβαλλομένας ac succedaneas, ac si quis pro cinnamomo vero aut pipere Indico, nasturtij aut viticis grana in Pharmaciâ nostrâ substituat, si quis pro Falerno vino Clarentium propinet. Id erit tamen solatij, quòd dum illius in dies reditum speramus, habebitis à me veluti epicitharisma & præludium ante fabulam. Et animis vestris, leuioribus hisce nostris, quasi velitatione præparatis, auidiùs grauissima, & aurea Laurentij dicta quasi postliminiò ad vos præfantis excipietis, & permutationem illam, χρύσια scilicet χαλκείων, aurea pro æreis recipientes, dulciorem multò ac iucundiorem sentietis. Nos igitur pensum illud Laurentianum euoluamus, & vt iam est propositum, lectionem hanc nostram anteſignanam perficiamus.

Nomen Aphorismi vix est apud alios authores Græcos reperire, quàm apud Medicos, videtúrque Hippocrates huic nomini dedisse originem, primúmque ciuitate medicâ donasse. Cùm enim vellet ille præcipua Artis Medicæ capita in breuem quandam summam reducere, & ad theoremata quædam, sententiásque reuocare compendiosas, propter vitæ breuitatem, has ille vocauit ἀφορισμούς. Quamuis enim ἀφορίζειν apud Græcos diuidere & separare denotet, non tamen ego hinc Aphorismos diuisos, diuulsos ac separatos sermones interpretandos puto, quamuis id Arabes, eorúmque interpretes Barbari censuerint. Sed potiùs limitatos ac definitos sermones, vt illud ἀφορίζειν etiam apud Græcos sonat, quibus absque demonstratione causarúmque redditione, quæstionis alicuius Medicæ difficultas definitur, atque vnico, vt ita dicam, verbo circumscribitur. An dices Aphorismorum opus esse diuulsum ac distractum, in quo Hippocrates omnia quæ ad puram putam Medicinam faciunt, complexus

est?

Digitized by Google

eſt ? In quo ſi tertiam potiſſimùm ſectionem, & hanc noſtram quintam conſideres, admirabilem ſeriem ac dicendorum dependentiam animaduertes, vt non tam Aphoriſmi ratio in diuiſione ac ſeparatione, quàm in definitione, ac breuiſſimâ rei quæſitæ circumſcriptione ponenda ſit. Quod elegantiſſimè annotauit Galenus, dum vult, Aphoriſmum eſſe ſententiam, quæ omnes rei proprietates verbis breuiſſimis complectitur. *Item Philotheo Aphoriſmus eſt* ſermo ξύντομος conciſus, per ſe plenam ſententiam, αὐτοτελῆ διάνοιαν perficiens, κατὰ τὴν φράσιν, ſecundùm locutionem pauper, πλουσίων δὲ τοῖς ἐνθυμήμασι, diues autem ſenſibus. *Nos dicere poſſumus Aphoriſmum eſſe orationem, quæ difficillimi cuiuſdam quæſiti Medici ſolutionem quaſi pronunciatum quoddam continet, abſque vllâ demonſtrationis vi, aut cauſarum appoſitione. Quamuis enim videatur aliquando Hippocrates in quibuſdam Aphoriſmis rationem cauſáſque adiungere, id tamen fit præter inſtituti rationem, motus aliquando rei difficultate, aliquando ne ambiguitas dicti dammum aliquod in faciendâ Medicinâ inſigne adferat Quæ eſt docta Galeni in hiſce commentariis ſententia.*

Porrò cùm hæc doctrina aphoriſtica non ſolùm in his libris contineatur, ſed in multis aliis Hippocraticis, multíque hanc deinceps ſint ſecuti & imitati; ideò de illa eſt quod dicamus adhuc fuſiùs.

Apud Hippocratem triplex inuenitur docendi tradendíque Medicinam methodus, prout Hippocrates variis compendiis ad artis huius cognitionem peruenerat, nunc ex particulari obſeruatione, modò ex præceptorum collectione, quæ tum ex Philoſophiæ theorematis vniuerſalibus, tum ex propriis illis & repetitis experientiis tanquam ſingularibus repetebat, modò Legiſlatoris vice defungens, quæ erant illi per propriam experientiam inuenta, & demonſtratione Phyſicâ confirmata, ſanctorum aut reſponſorum more ſtabiliebat. Hinc eſt quòd triplicem nos facimus apud Hippocratem, Medicinam docendi rationem, Aphoriſticam nimirum, Hiſtoricam, ac Methodicam.

Methodica ſeu demonſtratiua Hippocratis docendi ratio, quatenùs illud propoſitæ rei certitudo patitur (vt eleganter docet 1. Ethic. *Ariſtoteles) à primis veriſque tam ſenſui quàm intellectui notis procedit, tam reſoluendo quàm componendo. Illius enim reſolutiua methodus conſtat diuiſione vnius in multa, ita vt nihil deficiat, nihil excedat, omniáque ad infimas vſque differentias perſequatur. Hinc frequentes Hippocrati διορισμοὶ & διαιρέσεις, vt vult Galenus,* com. in lib. de victus ratione in acutis. *Atque hac maximè vtebatur Hippocrates ad artem inueniendam ex propoſito ſibi Medicinæ fine, veluti ſcopo. Ad eius verò conſtitutionem vtitur compoſitiuâ methodo, vt eleganter perſequitur Galenus* lib. de decretis, *collectione ſcilicet multorum in vnum, dum à ſimpliciſſimis exordiendo, ad compoſita magis progreditur. Quas duas methodos quamuis apud diſtinctos & ſeparatos Hippocratis libros non eſt inuenire, tamen ſi totam ſpectes ſcriptorum Hippocraticorum ſeriem, vtramque in illis perfectiſſimam inuenies. Quam deinceps imitati ſunt Plato, Ariſtoteles, Galenus, Auicennas, cæteríque omnes, qui elegantiores Medici ac φιλοσοφώτατοι fuerunt.*

At hiſtorica docendi ratio apud Hippocratem ea eſt, quæ veneranda huius ſenis particulares obſeruationes, eáſque hiſtoricè conſcriptas proponit ex notatione loci generalis, particularis, temporis, eiúſque conſtitutionis, ægri deſignato nomine, vt etiam tunc viuentibus fidem faceret & veram ſe, non fictitiam hiſtoriam conſcribere oſtenderet. Denique ex morborum, criſium, lyſiúmque variâ ſerie & ſucceſſu ἱστορικῶς, & particularium obſeruatricem Medicinam abſoluit, Libris illis potiſſimùm Epidemicis, in quibus poſita videntur fundamenta omnia doctrinæ illius certioris & Hippocraticæ: ex quo fidem ſemper fecit maximam tam methodicæ, quàm aphoriſticæ docendi rationi. Cùm etiam in Coacis Aphoriſmis, *non grauetur ſæpiùs nomen ægri addere, ex cuius hiſtoriâ præceptum illud maximè confirmari poſſe videbatur.*

Aphoriſtica

Aphoriſtica autem docendi ratio Hippocratica, quæ eſt breuium ſententiarum ſeu decretorum vel concluſionum collectio, (hinc Erotianus vocat γνωμικὰς ἀποφάσεις) fidem ex ſuperiori tam hiſtoriâ quam demonſtratione deſumens; videtur ſoli Hippocrati peculiaris, ac quaſi deorum dono conceſſa, vt Artem Medicam venerandam & auguſtam magis redderet, ſancitis his quaſi legibus & decretis. Quæ quamuis Prætorij inſtar edicti, populum minimè parere aut credere cogant, habent tamen eam vim & certitudinem, vt ab omnibus artem Medicam profitentibus ex retroactis ante ſæculis, nemo ſit qui eam non agnouerit, admiſerit, & admiratus ſit. Quod pauciſſimis ſcriptis contingere ſolet, non etiam legibus ac decretis Imperatoriis & Regiis, quorum multa antiquata abrogataque à poſteris fuerunt. Ac ſi verum eſt quod ab Ariſtotele 2. Phyſic. ſcriptum eſt, Res naturæ vel ſemper vel vt plurimùm eodem modo fieri, an non miramur Hippocratis hæc dicta, quæ in arte hac Medicâ φυσιολόγῳ vel ſempiternam vel frequentiſſimam habent veritatem?

Cùm verò multos ſcripſerit Aphoriſmorum libros Hippocrates, Prorrheticorum, Prognoſticorum, Coacarum prænotionum, habeátque in ſuis omnibus libris ſparſos eiuſmodi Aphoriſmos, vt in libro noſtro de affectibus erit videre. At certè libri Aphoriſmorum ſic per excellentiam κατ' ἐξοχὴν dicti tanto alios ſupereminent, quantò Hippocrates ſupra omnes alios Medicinæ ſcriptores excellit, vt non immeritò à quodam erudito libri iſti, Aquila Hippocratis vocentur, quæ & Solis orbitam defixâ intuetur acie, & ſola caput inter nubila condit. Conati ſunt quidam poſteriorum Hippocratem imitari, & Aphoriſmos conſcribere, vt inter alios Ioan. Meſuë, vulgò Damaſcenus dictus. Sed illos Damaſceni Aphoriſmos legenti, occurreo ſtatim illud antiquum, Muſcæ Elephantis nomen minimè eſſe tribuendum. Conatus etiam eſt Auicennas, ſummus certè in factione Mauritanâ Philoſophus ac Medicus, totam Medicinam breuiter ac aphoriſticè complecti, libro illo quem Cantica inſcripſit, verſibus & metro Arabico donatum: At non retinuit illam Aphoriſticæ doctrinæ dignitatem & maieſtatem, quæ methodum certam negligit, dictorúmque pondere ac grauitate magis quàm ſerie quadam aut conſequutione præcedentis cum ſubſequente nititur. Quam ſolus in his Aphoriſticis ſententiis admirabiliter conſequutus eſt Hippocrates.

Vt ſæpiùs mirari ſubeat Suidæ aliorúmque multorum imprudentiam, qui exiſtimarunt ſcriptiſque temerè tradiderunt, hos Aphoriſmorum ſeu ſententiarum libros in templo Apollinis & Æſculapij inuentos ab Hippocr. ibique ex anathematis appenſiſque inſcriptionibus deſumptos. Sed quàm ridicula ſit hæc ſententia, facile eſt illi cognoſcere, qui libros Hippocratis integros non leuiter legerit, ſed ſeriò perlegerit: inueniet enim hoſce Aphoriſmos vbique in aliis libris, quos διεξοδικὰς quaſi dicas, liberiore ſtylo conſcriptos lubet appellare, & in aliis libris aphoriſticis ſparſos & coniectos. Sicque videntur hi libri potiùs ab Hippocrate, aut ab alio poſt condita omnia eius opera, excerpti, factá particulari obſeruatione & demonſtratione prægreſsâ, quàm ab aliis deſumpti. Niſi fortaſſis hoc à Suidâ ita ſcriptum ſit, quod ſolerent Antiqui diis opera omnia inſigna tribuere: Lycurgus, Solon, Numa Pompilius leges ſuas à diis ſeſe accepiſſe tradiderunt. Sic fortaſſis Hippocrates ille magnus, vt tantum Dei donum ſibi conceſſum agnoſceret, maluit Deo quàm ſibi ipſi arrogare, quem ſub Apollinis & Æſculapij nomine deſignabat.

Aphoriſtica igitur doctrina Hippocratis in eo poſita eſt, vt ſententias complectatur, κατὰ λέξιν elegantes & ſignificantiſſimis verbis conſcriptas, κατὰ λέξιν breues, & grauiſſimum quæſitum Medicum ſoluentes ſine κατὰ λέξιν, hoc eſt cauſarum redditione, quæ ex aliis Hippocratis aliorúmque libris deſumi debet. Ordinem verò & ſeriem dicendorum neque negligit omnino, neque ita anxiè, vt in aliis libris obſeruat. Ideóque in varias ſectiones diſtribuitur, quæ ſectiones rurſus in varios Aphoriſmos poſterioris ac prioris ratione diſtinguuntur. Quæ omnia quàm aptè in ſeptem his Aphoriſmorum libris ſeu ſectionibus obſeruentur, videamus.

Primò

Primò igitur cum ex re & locutione, vt inquit Galenus, facile ſit ſcriptorum præſtantiam rimari, ea eſt hîc φράσις & locutionis χαρακτὴρ Hippocraticus, ea verborum ſplendidorum ſignificantiſſimorum, aptiſſimorúmque copia, vt hinc panè omnia vocabula Medica fluxiſſe videantur: hinc ſæpe ſub vnius vocula vi latet multarum ſententiarum amplitudo, hîc Ioniſmorum & Doriſmorum frequentia peculiarem Hippocrati ſtylum & idiωμα deſignat.

Quod ad rem verò attinet, quæ eſt poſita in materia & formâ, ſeu diſpoſitione dicendorum: hîc de difficillimis, grauiſſimis, vtiliſſimis Medicinæ quæſtionibus non ἀμφιδόξως & in vtramque partem agitur, ſed breuiter & definitorie, vt ideò verè hi libri acroamatici dici debeant. Cùm enim alij ſint multi apud Hippocratem ἐξωτερικοὶ, qui à tyronibus & minùs peritis intelligi poſſunt nullo docente: At certè egent ἀκροάσει & accuratiſſimâ eruditi Profeſſoris, qualis eſt Diuus ille Laurentius, interpretatione, propter varietatem profunditatémque ſententiarum, ad quarum explicationem reuocanda ſunt omnia alia Hippocratis dicta, & adhibenda ἀποδείξις, cauſarum redditio, demonſtratióque Medica ſcientifica. Scripsêre multi iique grauiſſimi viri in Hippocratis Aphoriſmos commenta ante & poſt Galenum. Ante illum Bacchius, Heraclides, qui in omnes ſcripſerunt Aphoriſmos; Marinus, Herophilus, Pelops, Lycus, Iulianus, Quintus, Zeuſis, in aliquos tantùm. Quos omnes minùs probare videtur Galenus in Commentariis ſuis in Aphoriſmos. *Poſt Galenum ex familia Græca Aphoriſmos explicarunt Oribaſius, & Philotheus; quorum fragmenta tantùm quædam extant. Ex barbarâ gente Iacobus Foroliuienſis, Vgo Senenſis, Sermoneta, & alij. Ex recentioribus etiam plerique laudatiſſimi viri operam ſuam ad hos libros explanandos contulerunt. Sed nunquam aberit illuſtrandi, interpretandi, nouáque in medium proferendi copia ad libri huius explicationem, in quo omnes Medicinæ partes veluti in penu quodam reconditæ habentur. Quemadmodum pingue ſolum frequenti culturâ minimè areſcit, ſed vberiorem fundit ſegetem. Vt hinc appareat libros Aphoriſmorum non initiantibus in arte eſſe legendos, (quod multi exiſtimârunt) ſed iam progreſſis, & non mediocrem cognitionem Medicinæ adeptis, qui ex auditis & perlectis iam aliis libris, Aphoriſticarum ſententiarum ſenſum elicere atque percipere poſſint. Quod idem exiſtimandum eſt de Arte illa Galeni, quam vocant paruam, niſi explicatione Doctoris Hippocratici, & viuo potiùs vocis oraculo, quàm ſcripto illuſtrentur.*

Quod ad formam & diſpoſitionem eorum quæ hîc proponuntur, diximus iam non tam hîc ordinem & dicendorum conſequentiam obſeruari, quàm vtilitatem & grauitatem: non tamen omnino negligi. Eſt enim hoc opus in ſeptem τμήματα ſiue ſectiones digeſtum, ſeptenarij fortaſſis numeri, quem Hippocrates in rerum mutationibus maximè obſeruat, præſtantiam deſignans, quarum vnaquæque multos Aphoriſmos continet. Prima autem ſectio ſeriatim & ordine eleganti præcepta purgationis, victúſque ægrorum continet: vt & tertia admirabili methodo tractat, quid externa mutationes in corpora noſtra poſſint, qui ſint morbi vnicuique ætati peculiares atque domeſtici. Secunda verò, quarta, ſexta, ſeptima ſectio, vt multa promiſcua & omnifaria dogmata complectuntur, ſic longè vtiliſſima ac præſtantiſſima. Hac autem noſtrâ quintâ ſectione, quam explicandam ſuſcepimus veſtris votis, (Auditores ornatiſſimi) pulcerrima artis noſtræ myſteria continentur, eáque ſatis laudabili connexione. Quamuis enim difficile ſit in horum librorum initiis totius libri intentionem breuibus edocere aut referre: poteſt tamen per certas partes & diuerſas tractationes hæc noſtra ſectio diſtribui.

Digitized by Google

Primò *enim Hippocrates noster ea quæ superueniunt* (*Græci vocant* ἐπιγινόμενα) *magnis purgationibus & vacuationibus repletionibúsque, quæ in malis sunt reputanda, recenset.*

Secundò, *cùm in morborum curandorum creandorúmque successu,* ἐπιγινομένας *& potentissimas esse sciret calidi & frigidi* δυναστείαν, *actuarum nimirum qualitatum vires, eas aliquot Aphorismis est persecutus.*

Tertiò, *mulierum passiones varias, earúmque signa explicat. Tandem*

Quartò, *redit ad* ἐπιγινόμενα *varia, quæ variis affectibus & morbis supervenire solent. Vt non frustrà dictum sit à Philotheo, diagnosticos & prognosticos canonas in hac sectione ab Hippocrate traditos esse.*

Nostrum verò in illius explicatione institutum est, vt Aphorismos omnes sigillatim interpretemur. Primùm adducta ad mentem & contextum Hippocraticum versione Latinâ. Deinde dicemus ad quam Aphorismus vel Aphorismi à nobis explicandi, Medicinæ partem referri debeant. Pòst annotabimus, an alibi ab Hippocrate sint recensiti, vel in Coacis, Prognosticis, aut alijs libris; vel si sit aliquis contextus qui ad illum referri possit, aut congeneres Aphorismi. Hoc enim maximè facit ad confirmandam Hippocratis & Aphorismi authoritatem, cùm non solùm hîc, sed alibi eandem illius fuisse sententiam appareat. Item si qui sint Aphorismi aut contextus, qui illi contrarij esse videantur, vt à nobis conciliari possint. Postmodùm omnes incomplexos Aphorismi terminos & voces explicabimus, vt posteà complexionem illius consideremus, sensúmque eliciamus, ac vnúsne sit vel multiplex sensus perpendamus. Tandem veritatem Aphorismi inquiremus, adhibitâ ἀνδείξει & demonstratione Medicâ, vbi dicetur, verúsne sit simpliciter existimandus, aut cum quadam restrictione. Atque hæc erit diexodica nostra in Aphorismos Hippocratis docendi ratio.

Ecce igitur quod sit Hippocratis, & nostrum hoc in libro institutum, ex quo satis patere potest, quæ hinc vtilitas ad nos omnes exurgat. Ediscite mecum (Auditores ornatissimi) leges Medicas, quas summus Medicinæ Dictator & Nomotheta condidit: vt possimus olim sub certâ statutorum Hippocraticorum fide, omnes Medicas nostras actiones contemplationésque, ad Dei optimi maximi gloriam sapienter dirigere. Dixi.

TEXTVS HIPPOCRATIS.

APHORIMVS PRIMVS.

SECTIONIS V.

Σπασμὸς ἐξ ἐλλεβόρου, θανάσιμος.

Conuulsio post helleborum, lethalis.

QVATVOR huius sectionis prioribus Aphorismis, Hippocrates de conuulsione, motu conuulsifico, & singultuoso agit, qui ad magnas vacuationes consequuntur, signorúmque in illis rationem habent. Cùm autem Φαρμακοσυσίη seu purgatio quæ fit per medicamenta generosa, quale est helleborus, maximum sit ad morborum curationem appositúmque instrumentum, ideò ab ipsa hellebori purgatione

tione exorditur, in quâ funeſtum eſſe vult, ſi ei conuulſio ſuperuenerit. Nos in huius Aphoriſmi explicatione propoſitam methodum proſequamur.

Inprimis Aphoriſmus hic habetur eiſdem verbis *in Epiſtolâ illâ* quam ſcripſit Hippocrates *ad Democritum* de helleboriſmo. Habetur quoque *in Coacis prænotionibus*, vbi pro ἐξ ἐλλεβόρου θανάσιμον, ponitur ἐπὶ ἐλλεβόρῳ ἀλέθριον, *ſuper helleboro mortiferum*. Vnde etiam nos multiplices ſenſus poſteà eliciemus. At hoc ſciendum priùs Aphoriſmum iſtum præcipuè referri ad eam Medicinæ partem quæ σημειωτικὴ vocatur, ſub quâ poſita eſt προγνωστικὴ, præſaga ſcilicet ars eorum quæ in morbis variè contingere ſolent. Præcipuum enim fuit inſtitutum Hippocratis, hoc nos reſponſo & veluti oraculo docere, quid ſperare debeamus, ſi aliquando ab exhibito pharmaco immoderato, conuulſionem contingere videamus. Qui error non tam peritis Medicis & Hippocraticis accidere ſolet, quàm imperitis quibuſdam circumforaneis, qui medicamentis ſæpiſſimè ad humani generis perniciem abutuntur. Periti autem Medici & Hippocratici nouerunt, quos, quando, quomodo, & quibus purgare conueniat: & in vſu potentiſſimi medicamenti cathartici, qualis eſt helleborus, habent ſuas præparationes & regimina Hippocratica: *Concocta* ſcilicet *medicanda, non cruda, neque in principiis morborum, Aphoriſmo vigeſimoſecundo ſectionis prima.* Neque *in acutis eſſe vtendum his vehementioribus cathartici, niſi cùm maturo & diligenti iudicio*, humoris cacochymi orgaſmum & feritatem, *vigeſimoquarto ſectionis prima*, & *Corpora cùm quis purgare volet, fluida eſſe facienda, decimo ſectionis ſecunda*, & *ſexageſimoſeptimo ſectionis ſeptima.* Sciunt *ſanos & prauo cibo vtentes, celeriter exolui medicamento purgante, Aphoriſmo trigeſimoſexto ſectionis ſecunda. Periculoſum eſſe purgare eos, qui bene habito ſunt corpore, trigeſimoſeptimo ſectionis ſecunda.* Neque *plurimum aut repentè vacuandum aut explendum, quinquageſimoprimo ſectionis ſecunda. Æſtate ſuperiores partes magis, hyeme inferiores purgandas, quarto ſectionis quarta. Sub cane & ante canem difficiles eſſe pharmacias, quinto ſectionis quarta. Tabidos non eſſe exercendos vomitorijs cathartici, octauo ſectionis quarta.* Denique *nec ſenes, vt nec pueros, ſupra modum purgandos eſſe, 42. ſectionis ſeptima*, & eiuſmodi vniuerſalia purgationum præcepta Hippocratica.

Habent etiam particularia de helleboro; vt *helleborum iis qui ſanæ habent carnes periculoſum, quia conuulſionem inducit, decimoſexto ſectionis quarta; prahumectanda eſſe corpora vberiore cibo & quiete ante veratri ſumptionem, decimotertio ſectionis quarta.* Item *ſi voluerint helleborum magis purgare, corpus mouens exemplo nauigationis: vbi verò ſiſtere, ſomnum conciliant & non mouent, decimoquinto ſectionis quarta.* Quibus cautionibus veri inſtructi Medici, vt & arte eligendi, præparandi, ac comparandi ritè medicamenta, nuſquam funeſta illa & calamitoſa inducunt ſymptomata: quæ carnificinam potiùs Empiricorum, quàm Dogmaticorum διαφωνίαν redolent, quorum & olim & nunc numeroſa cohors per mortes hominum, variáque pericula lucrum ſibi & vtilitatem comparant. Vidi ego, & audiui, dum ager Nemauſenſis peſte ſæuiſſimâ eſſet correptus, plureis ab eiuſmodi Empiricis, exhibito Antimonio aut præcipitato, per hypercatharſin eſſe ſublatos, quàm vi peſtilentiæ ipſius. Sed tunc neces impunè exercere licet. Illis itaque relictis cum ſuâ imperitiâ, videamus quomodo ſit interpretandus canon hic noſter Prognoſticus, vt ait Philotheus, quomodo & quàm certò ſi aliquando huiuſmodi ſuperpurgationibus ægrorum ſuperuenire contingat, de ſalute aut morte præſagire poſſimus. Id autem commodiſſimè fiet, ſi priùs de conuulſione & helleboro ea dixerimus, quæ ſunt ſcitu digniſſima. Vos interim, (Auditores ornatiſſimi) vacuo me & attento admodum animo ſuſcipite.

Σπασμὸς nomen, Latinis conuulſio, à Cornelio Celſo neruorum diſtentio dicitur, aliúdque eſt quàm Τράσμα apud Hippocratem & authores Græcos; quamuis Arabici ſcriptores videantur confudiſſe. Et multi Interpretum Hippocratis hallucinati ſunt, dum neſcirent differentiam Τρασμῶ & πάσματος, vt in Coacis frequentiſſimè, in Aphoriſmis etiam, vt videbimus *Aphoriſmo vigeſimoquinto huiuſce noſtræ ſectionis.* Σπάσμα enim ſeu πάσματα nihil aliud ſunt Galeno, quàm vulſa aut auulſiones, quæ ſcilicet in neruoſis partibus, aut fibris muſculorum fiunt diſtentiones citra vulnerationem, vbi ex irruente ma-

teriâ diſtenduntur ac veluti conuelluntur. Quem affectum reponit Galenus in numerum ſolutæ vnitatis, *libro tertio, quarto & ſexto methodi*, vúltque à recentioribus Medicis modò τίλματα, modò ῥήγματα dici, *commentario tertio in libro καὶ' ἰητρεῖον*. Hippocrates *libro primo de morbis*, vult hæc ſpaſmata naſci, tum ab externis, vt laboris contentione, lapſu & caſu, luctâ, curſu, leuatione oneris, tum ab eis quæ intus ſunt, verbi gratia, quando ex phlegmone ſyſtrophicâ muſculi, exudante humore, & fibræ ipſæ replentur, & venæ redduntur κιρσώδεις ſeu varicoſæ: ídque per appulſum vel tractum.

At longè alia eſt res σπασμὸς, conuulſio, aliud σπᾶσμα, auulſio ſcilicet. Cùm enim ſpaſma ſemper à repletione fiat, conuulſionem ab inanitione etiam fieri poſteà videbimus, nec ſede etiam aut loco affecto conueniunt. Sciendum prætereà, aliud eſſe σπασμὸν à motu conuulſiuo, quem Hippocrates σπασμώδεα πάθη vocat frequentiſſimè: In hoc enim laborat maximè & concurrit facultas; in conuulſione ceſſat, & à morbificâ causâ opprimitur. Aliud eſſe conuulſionem, aliud contractionem eam muſculorum, quæ fit ab euentu, quando ſcilicet in læſione, ſciſſione, reſolutione vnius lateris, oppoſitum antagoniſtarum muſculorum latus contrahitur & conuelli videtur, vt in percuſſione crotaphitarum recenſet Hippocrates: Cuius rationem Anatomici ad huiuſmodi muſculorum, χιασμὸν & Andreocruciaſmum referunt, καὶ τὸν ἀνδρῶνα. Denique conuulſionem propriè dictam definit Galenus, affectum muſculorum, cùm præter voluntatem ad capita ſua retrahuntur, ſecúmque trahunt partes illas quibus inſeruntur, *libro de tremore, rigore & palpitatione.* vbi omnes motus præternaturales perſequitur. Quorum alij à causâ morbificâ ſola, alij partim à facultate, partim à cauſa morbifica contendentibus fiunt. In conuulſione cauſam tantùm morbificam agnoſcit, quæ facultate omnino deuictâ & deprauatâ motum hunc contra naturam ciet. Cauſam verò illam duplicem cum Hippocrates facit, *Aphoriſmo trigeſimonono ſectionis ſextæ*, κένωσιν videlicet, & πλήρωσιν, *inanitionem & repletionem* conuulſionis primariæ dictæ; Ad quas refert inflammationem, refrigerationem neruorum, & alias omnes cauſas. Illius verò quæ motus potius eſt conuulſiuus quàm conuulſio, concurrente ſcilicet facultate, & cerebrum cum ſubiectis partibus retrahente, ad condolentiam & ſyntimoriam neruoſarum partium refert, quam Barbari vocant non proportionatam ad materiam.

Porrò cùm multiplex ſit & numeroſa muſculorum ſoboles, fit vt aliquando omnes videantur conuelli, aliquando quidam tantùm ad motum certæ *partis* deſtinati. Vnde illa diuiſio apud Galenum, conuulſionis in vniuerſalem & particularem. Vniuerſalem rurſus triplicem facit: Vel enim corpus vnà cum ceruice & capite in priora curuatur, & tunc dicitur ἔμπροσθότονος; vel in poſteriora, & ὀπισθότονος vocatur; vel æquali robore in vtramque partem diſtenditur, totúmque corpus rigens rectà intenditur, qui τέτανος, rigor Celſo appellatur. De quibus nos differentiis dicturi ſumus, dum explicabimus *Aphoriſmum ſextum huius noſtræ ſectionis.*

Particularis verò conuulſio, vel nomine caret proprio, vt in multis corporis partibus quæ conuelluntur; vel nomen eſt ſortita, in oculis στραβισμοῦ, in mandibula τρισμοῦ, in ore κυνικοῦ ζυγασμοῦ, in pudendo ζαλυριάσεως, & huiuſmodi. Atque hæc eſt Galeni de conuulſione ex Hippocrate deſumpta doctrina. Eſt tamen hic quòd nos ſubtiliùs γένεσιν conuulſionis perquiramus.

Dicamus itaque inprimis, conuulſionem eſſe propriè nomen ſymptomatis, quod in actione læsâ, deprauatâ nimirum poſitum eſt. Hæc actio eſt animalis, motus ſcilicet voluntarius προαιρετικὸς, ab animi facultate pendens, quam motricem appellamus, & in cerebro tanquam fonte collocamus, quicquid ſenſerit Ariſtoteles. Porrò in his actionibus, quæ non ſunt σύμφυτοι, ingenitæ & inſitæ ſingulis partibus, vt naturales actiones ad nutritionem facientes, ſed ἐπιφοιτῶσαι & influentes. multa ſunt conſideranda. Sæpe enim continget, vt non affecto quodam inſtrumento motorio vel ſenſorio κατὰ τὸν συμπαθητικὸν λόγον ſecundùm corporalem illam & materialem compoſitionem, lædatur tamen illius actio ob διάθεσιν & œconomiam animalem immutatam. Sic oculus ſæpe nullo neque ſimilari, neque communi, nec organico morbo affectus, ritéque diſpoſitus, ſi naturalem illius διάθεσιν conſideres non videt, impacto humore craſſo ad originem nerui optici. Sic luxatâ

xatâ vertebrâ lumborum,aut compunctâ,vel refrigeratâ tantùm, extremus pedis digitus bene & naturaliter se habens,moueri tamen aut sentire non potest.In eiusmodi igitur,vt in conuulsione considerandа anima , velut omnium actionũ in nobis indeterminata causa,cerebrum velut pars primaria,quâ vtens anima ad certas actiones determinatur, non tantùm in cerebro,animales scilicet & principes peragendas, sed etiam extra cerebrum , vi & facultate ab eo per spiritus , neruos intermedios demissa. Considerandæ item partes ministrantes cerebro , facultatem scilicet cum spiritu deferentes , vt nerui. Partes denique instrumentariæ ad hanc vel illam actionem exercendam dicatæ , vt ad motum musculi , in quibus bona & laudabilis dispositio secundùm triplicem & naturalem constitutionem,bonę actionis causa est, mala verò & præternaturalis , malæ.

Hîc verò mala est actio musculorum, quia non solùm debent contrahi,sed etiam flecti ac extendi , & in media figurâ , indolente scilicet remanere ; cùm hîc perpetuò contracti & reuulsi sub extremâ figurâ remaneant. Oportet igitur malam esse in eis dispositionem , vel secundùm eorum naturalem constitutionem , vel secundùm animalem δύναμιν , quatenus scilicet recipiunt aliquid à suo fonte ad motum peragendum. Atque vt meliùs pars affecta reperiatur musculi , sciendum est motum esse in eo actionem instrumentalem , non similarem , quia non tam à temperie , quàm ab ipsâ pendet conformatione , vt proinde tota musculi ex partibus compositio perlustranda sit , anne scilicet in aliquâ parte suâ sit læsus,hoc est,dispositio præter naturam sit posita , quæ deinde per accidens totius instrumenti actioneni destruat , vt fit in inflammationibus ; an in toto , quatenus scilicet pars est organica & instrumentaria. Partes verò musculi sunt caro, fibræ, venæ, arteriæ,tendines , nerui , ex quibus componitur.

Videamus igitur quæ harum in affectu conuulsifico patiatur. Primò animam esse immutabilem , impassibilem credimus ; vt quamuis à diuino nostro sene, *Aphor.6. sect.2.* dicatur mens ægrotare in eis,in quibus adest causa dolorifica absque doloris sensu ; tamen mentis nomine respexit ille & intellexit temperiem ac dispositionem cerebri. Non igitur accusanda anima aut facultas in conuulso , quæ nusquam oblædi potest. Cerebri verò velut fontis non est etiam in conuulsione accusandus affectus saltem primarius. Non posset enim introduci vel intemperies calida, frigida, sicca,humida,ad hunc affectum generandum,quin principes animæ functiones læderentur , vt apparet in phrenitide , caroche , apoplexia. Non mala compositio , quæ eas itidem violaret ; Non solutio continui , quæ in cerebrum per hos affectus minimè cadit. Atque oporteret in omni conuulsione etiam particulari cerebrum oblædi , si perpetua conuulsionis causa esset in cerebro , quod tamen falsum esse quotidiana conuincit experientia. Quare affectus minimè est in cerebro tanquam in sede. Non negamus tamen conuulsificos motus contingere affecto cerebro , vel per condolentiam,vt puncto vtero , ventriculo, & neruosis,inflammato neruo : vel communicatâ materiâ , maligno scilicet flatu , vapore acri , à ventriculo , vtero , aut extremis partibus , veluti contingit per epilepsias & per purgationes à maligno medicamento factas , ac in hystericis passionibus. Sed hæc non est conuulsio , quâ de nunc agimus , quamuis deinceps nobis futura sit in vsu ad explicationem nostri Aphorismi. Verùm de eâ differimus, quæ non est passio , aut fiens morbus , sed factus & inhærens.

Hic cùm non consistat in cerebro, reliquum est , vt vel in neruoso tractu , qui spiritum vehit cum imperio principis facultatis , vel in ipsum musculum inserto tantùm , vel in toto musculo:partes enim alias musculi,vt sunt venæ, arteriæ, fibræ, caro, tendines , non affici primariò patet , quia iam illos affectus συμπτώματα , auulsiones , ex Hippocrate & Galeno vocauimus ac distinximus. Et quamuis contractio illa sit totius instrumenti vitium , nimirum musculi ; non tamen hoc quærimus nunc , sed in quâ potiùs parte hæreat huius symptomatis morbus , causa scilicet illius immediata , quæ cùm non sit in toto musculo , non in venis , arteriis , carne, fibris , tendinibus , non in ipso cerebro : superest vt sit vel in toto neruo à cerebro aut spinali medulla in musculum perrepeante , vel in eâ nerui parte quæ ipsi musculo inseritur , vel in vtraque. Puto ego esse in vtraque , & in tractu , & in neruo inserto. Primò , quia nerui cùm non omnes rectà in musculos inserantur, sed aliquando obliquè , aliquando per media , semper tamen per conuulsiones retrahuntur musculi versùs suum principium ac originem , ratione tractus illius ner-

uoſi, qui eſt ad ſuperiores partes cerebrum versùs. Secundò, quia non eſt credibile per magnas repletiones ſolam nerui partem inſertam humore fluente ſaturari, aut per ſiccitates exinaniri, ſed etiam ſuperiores. Denique quia partes ſunt continuæ.

Inuentâ ſic ſede affectâ, ſciendum pariter quis ſit in eâ affectus ſiue morbus dolorifici huius ſymptomatis cauſa; cuius eſſentia non tam poſita eſt in motu, quàm in eius priuatione, quo tunc priuata pars videtur quieſcere, vt in tonico dicto motu, quamuis tunc maximè laboret. Affectus ille ſiue morbus Hippocrati, *Aphoriſmi citato*, ad intemperiem refertur duplicem, humidam ſcilicet & ſiccam, quarum illa ſit materialis & replens, organi diſpoſitionem ſuâ quantitate immutans: hæc verò ſine materiâ, ex priuatione humidi ſubſtantifici neruoſi, & eius reſiccatione. Ad quam rem percipiendam adducit Galenus exemplum accommodatiſſimum fidium & chordarum, quæ neruoſæ ſubſtantiæ maximè reſpondent. Hæ nimiâ humiditate imbutæ diſtenduntur in latum, quantumque illi dimenſioni accedit, tantum longitudini decedit; arefactæ verò contrahuntur, depaſto ſcilicet proprio humido, quo res ſiccæ dilatantur & extenduntur accommodatiſſimè.

Sic igitur per decubitus, (quos variæ cauſæ generant, crapula, ebrietas, ſuppreſſi menſes; excitant frigus externum, calor, & huiuſmodi) & rheumatiſmos pituitoſæ, copioſæ, craſſæ potiſſimùm & lentæ materiæ; ſanguineæ, ſanioſæ, ab aliis partibus in neruos, factâ eiuſmodi repletione conuellitur & retrahitur muſculus, contracto ſuo neruo versùs illius originem.

Verùm dicet aliquis, hæc repletio & paralyſin & ſpaſmum crearent, qui ſunt contrarij affectus, alius enim in τάσει, contentione ſcilicet; alius in λύσει, ſolutione poſitus eſt: Reſpondendum in paralyſi non eſſe eam repletionem, quæ ad tenſionem iſtam requiritur, ſed potiùs madefactionem ab humore liquido, quamuis craſſior aliquis in ſuperioribus partibus eſſe poſſit, qui ſpiritus intercipit, ſed non tantus, vt diſtendere valeat.

Sic exſiccatis & exhauſtis, violenter & ſubitò, non ſenſim vt per febres hecticas, humoribus neruorum per ardentes febres, purgationes nimias, & cætera huiuſmodi exhaurientia, fit vt venis exinanitis, & ab omnibus partibus rorem illum alimentarium depaſcentibus, depauperentur nerui, & ob natiuam ſiccitatem exſucti, diſtendantur citiùs, ſimulque ſecum muſculos conuellant, funeſtis ægri rebus, vt poſteà videbimus.

Atque hæc erant de ſede affectâ, genere affectus, cauſiſque conuulſionis dicenda, non ex triuio, ſed mediis Medicis laribus repetita: contra quæ ſcio multa obiici. Sed quia vel parum ſunt valida, vt ex ſuprà dictis facilè ſolui poſſint; vel quòd hic docendi modus aphoriſticus, tantam digreſſionem non pateretur, *relinquimus*, vt de elleboro atque elleboriſmo dicamus.

In hac autem elleboriſmi explicatione, non perſequemur purgationum ſuperpurgationumque generalem tractatum, quem meditamur & remittimus ad Aphoriſmum huius ſectionis quartum. Sed breuiter & compendiosè aliquid de elleboro, ac per illum purgandi ratione veteribus vſitatâ dicturi ſumus.

Dioſcorides, quem Galenus ſemper plurimi fecit inter eos qui de materia medicamentaria ſcripſerunt, duplicem facit elleborum, album ſcilicet & nigrum, album ad vomitiones magis, nigrum ad deiectiones, & humoris melancholici expurgationes; vnde antiquo dicterio furentes ſine febre, deſipientes, melancholici, amentes, ac etiam amantes, ſi oblæſo cerebro ad affectum ἔρωτα dictum peruenirent, Anticyram remittebantur, vbi magna ellebori nigri & laudatiſſimi copia ſuccreſcebat. Deſcribit autem Dioſcorides vtrumque elleborum, tanquam medicamentum acre, erodens, feruidum, malignum, quod multâ & diligenti cum cautione ſit exhibendum. Vnde etiam *libro 6.* in cenſum venenatorum reponit, quæ quamuis ferendi auxilij causâ tradantur: non minora tamen exteris venenis pericula ſæpiùs adferunt: præcipuè album ſuffocationis ſeu ſtrangulatus metu.

Sciendum porrò apud Hippocratem, ellebori ſimpliciter dicti nomine veratrum album ſignificari, cum adiectione nigrum, vt metipſe Galenus interpretatur *comment. in hunc Aphor. & in* 14. 15. *&* 16 *ſect.* 4. *& lib. de fracturis*, vbi, & *Aphor.* 13. *lib.* 4 ellebori in numero multitudinis ſeu plurali, veratrum album indicat ad ciendos vomitus potentiſſimum. *Libro* autem *de victûs ratione in acutis*, vbi agit de medicamentis deiectoriis in pleuritide cuius dolor ad hypochondria pertingit: quæ ὑπολλαγὰς appellati

pellat: *Non ego*, inquit, *noui meliora, quàm sit peplium & elleborus niger: hic autem facilius & feliciùs purgat peplio*. Itaque elleboro nigro ad deiectiones non habebat melius catharticum, vt albo ad vomitiones, quamuis permulta alia nouisset, vt ex eius scriptis est colligere. Purgat enim sesamoeide, *lib. de vict. ratione in acutis*, cocco Gnidio & tithymalide, *lib. de intern. affect.* hippophais succo, scammonio, thapsiæ radice, cneoro, lapide magnesiæ, daphnoeide, cucumere syluestri, tithymali succo. Nec ignorauit mitiora, vt agaricum, mercurialis succum, *lib. 7. epid.* carthamum, *lib. 2. de diæt.*

Verùm, vt optimè diuinus Hippocrates ait, *Quemadmodum in debilibus morbis non oportet exhibere medicamenta fortiora, sic in fortibus ac contumacibus vtendum validis ac potentissimis expurgantibus*, inter quæ elleborus primatum videtur obtinere, quoties medicamentum μοχλικὸν, quasi dicas Latinè *vectiarium*, expetitur, quod attrahendo atque ciendo, vim omnem superet symptomatici omnis motus naturam eximiè lacessentis.

Ex elleboro itaque fit elleborismus, medicata scilicet potio, cuius omnes cautiones tradidit *libello ad id dicato* Hippocrates, *& libro de vict. ratione in acutis*. Ratione morbi, contumacis scilicet & rebellis, à pituita crassa viscida, aut à melancholia geniti, cui non sit coniuncta febris, saltem magna. Ratione temporis cauet æstatem & hyemem, vere & autumno, tempestatibus scilicet ad expurgationes aptissimis, elleborismos propinat. Non pueris, mulieribus, senibus, gracilibus admodum, aut delicatis, sed robustis & carnosis. Præterea corpus ipsum expurgandum præparat & disponit, humorem etiam seu materiam excludendam cathartico, & ipsum veratrum. Corpus quidem præparat antè & post sumptionem. Antè vult præhumectari multo cibo & quiete, *Aphor.* 13. *sect.* 4. vult etiam balneo relaxari, 6. *epidem.* fluidum fieri, 9. *sect.* 2. fomentis vti, *lib.* 1. *de morbis mulierum*. Post sumptionem, si velit multum purgare, mouet: si compescere, somnum conciliat & non mouet, 15. *sect.* 4. vtiturque post aliquot dies balneo. Materiam verò purgandam præparat, vt crassam, viscidam, tenuantibus, incidentibus, detergentibus: hinc frequentissimæ illæ apud Hippocratem, aquæ mulsæ, oxymelitis, melicrati, ptisanæ descriptiones. Denique ipsum veratrum ante administrationem præparat, & certâ quadam quantitate propinat, vt *lib. de affect. intern.* veratri nigri obolorum v. pondus in vino dulci bibendum dat. *Libro* verò *de vict. ration. in acutis*, iubet medicamenta boni odoris peplio & elleboro permisceri, daucum, cuminum, anisum; quia, inquit Galenus, cùm purgantia omnia medicamenta, propriè scilicet dicta, ventriculum & præsertim os ipsius, quod maximè tum neruosum, tum sensile existit, affligant lædantque, ob id ἰνωδέων καὶ ἀρωματικῶν mixtio excogitata est, ne sola sinceraque illius vis orificium tangat ventriculi. Nostri & recentiores multas veratri præparationes & mixtiones deinceps excogitarunt, vt vnicuique videre licet in illorum libris; Dioscorides vult à Philonide Siculo Ennensi accuratè descriptas. Sed nobis satis sit hæc de elleboro ac elleborismo dixisse, ad Aphorismi istius intelligentiam, ad quam propiùs iam accedamus.

Vult Hippocrates ab assumpto elleboro conuulsionem aliquando contingere, & si contingat, esse signum mortale; signum scilicet ἐπιγινόμενον, superueniens, casuale, & præter eius qui propinat, aut assumit, institutum: Nequis inter ἀχώριστα, inseparabilia, aut συνδρόμους, concurrentia, reponendum putet. Quæ calamitas mehercle Medico, vt inquit Hippocrates *lib. de purgantibus*, turpis est, medicamento purgante dato hominem occidere.

Conuulsio autem ista, quæ est ἐπιγινομένη elleboro, vel fit ὑπὸ ἐλλεβόρου, ab ipsius malignitate, acrimoniâ & venenositate malè correcti & præparati, quâ percellitur ventriculus, eiusque orificium in primis, quod est acerrimi sensus, vt νευρωδέστατον, propterea que cerebro συμπαθέστατον ob generis societatem. Vel ἐπὶ ἐλλεβόρῳ, vt est *in Coacis*, super elleboro venit, quando elleborus cathartica suâ vi proliciens efferum & infestum humorem, fit translatio ad cerebrum maligni humoris vel vaporis, vnde συνλιμωξία & condolentia ex communicatâ materiâ accidit. Ad quas duas ellebori actiones, sequitur cerebri concussio & vibratio, perculsi re molestâ & graui, sicque conuulsifici motus, non vera conuulsio, contingunt. At ἐπὶ ἐλλεβόρῳ dum agit elleborismus, suaque vi potentissimâ humiditates totius corporis, vt in iis qui sanas habent carnes, cerebri potissimùm fundit, & in radices ac propagines neruorum adducit, fit repletio, quæ conuulsionis propriè dictæ est causa, tetanicæ, emprosthotonicæ, opisthotonicæ.

Sic alia est conuulsio, quæ fit ἐξ ἐλλεβόρου, cuius hîc meminit Hippocrates, post elleborum

elleborum ſcilicet,hoc eſt, non ratione ipſius ellebori, qua eſt malignitatis particeps; non ratione humoris efferi in ventriculum ſuâ vi adducti; non in neruorum propagines fuſi: ſed peracto ſuo munere propter hypercatharſin & ſuperpurgationem, quâ exhauſtum & depopulatum ſuâ humiditate corpus violenter areſcit, præcipuè autem nerui, vt partes inter alias ſicciores areſcunt & rigent morituro. Primi duo modi conuulſionis, mali quidem ſunt, & præter inſtitutum purgantis, ſed faciles,vt qui cauſam habent fugacem & momentaneam, quemadmodum etiam 1. *prorrhet.* Quæ cadunt in hyſtericas (ex proritatione ſcilicet) conuulſiones ſine febre, faciles. Tertius verò modus veræ conuulſionis à repletione neruorum, dicitur ab Hippocrate *in Coacis* ὀλέθρῳ pernicioſus: In tanto enim humoris decubitu periculum eſt maximum, ne ægri occumbant, priuſquam à calore natiuo abſorberi & diſſipari poſſit. Quartus autem omnium funeſtiſſimus, & proinde hîc ab Hippocrate θανάσιμος, lethalis vocatus. Quæ enim ſpes eſt vitæ, quando tanta facta eſt è naturali ſtatu egreſſio? Quæ ratio reſtituendi humidi illius primarij, cùm etiam ſicca intemperies ſit omnium contumaciſſima curatu, & propter humidorum debilem actionem, & ſiccorum ſummam reſiſtentiam? Annon difficilis planè vel potiùs impoſſibilis eius redintegratio & ἀθεράπευτος, quando & firmiter in partem ſolidam fixa eſt conuulſio, & partes velut arctiſſimo quodam vinculo conſtrictas tenet,quarum officio carere vita non potis eſt; vt prætermittam interim doloris acerbitatem, & cauſæ morbificæ inexpugnabilem contumaciam.

Hi autem quatuor modi conuulſionum, qui elleboriſmos comitantur, aliquando & alias violentas purgationes, ita diſtinguentur; quia duo primi modi fiunt cum motu & conuulſoriâ paſſione; duo verò poſtremi ſine motu cum rigiditate, quorum is, qui à repletione fit, ſuppreſſionem potiùs purgationis; qui ab inanitione, ſuperpurgationem conſequitur. Concludamus igitur cum Hippocrate (Auditores ornatiſſimi) & ex præmiſſis inferamus: Quæcunque talem lapſum ſignificant à ſtatu naturali, vt nullo modo reſtitui poſſint arte aut naturâ: & quæcunque abolitam actionem in nobis ad vitam neceſſariam oſtendunt, ea mortem ſignificant. At conuulſio omnis quæ ad ellebori ſuperpurgationes conſequitur, (non enim quæuis conuulſio lethalis ſimpliciter, imò aliquando bona,vt *in Coacis* ſoporoſæ cephalalgiæ ſuperueniens) talia demonſtrat, vt nos probauimus. Quare mortem præſignificat, eſt θανάσιμος, lethalis, quod fuit demonſtrandum.

APHORISMVS II.

Ἐπὶ τρώματι ζυασμὸς ἐπιγενόμενος, θανάσιμον.

Super vulnere facta conuulſio, mortalis.

Hic Aphoriſmus bis repetitur in Coacis prænotionibus, libro primùm ſecundo, tractatu de tremore, palpitatione & conuulſione; ζυασμὸς ἐπὶ τρώμασι, θανάσιμον. Libro verò tertio, tractatu de vulneribus capitis, ἐπὶ τρώμασι σπασμὸς ἐπιγενόμενος, θανάσιμον, vbi ille ſemper pro τραύμα nomine τρῶμα vſurpauit. Nos ſecundùm propoſitam methodum, aggrediamur explicationem huius Aphoriſmi, in quo vult Hippocrates, conuulſionem factam ſuper vulnere,malis ac funeſtis ægri rebus apparere. Cumque ſuperiore Aphoriſmo dictum ſit abundè de conuulſionis eſſentiâ, differentiis, cauſis, partibus affectis, in hac noſtrâ diexodo, de vulneribus & ſignis ægrorum mortiferis agemus, antequam ad particularem διάλυσιν & cauſarum redditionem huiuſce propoſiti Medici veniamus: quod vt & ſuperior canon prognoſticus,eſt ad Medicinæ partem σημειωτικὴν referendus.

Siue igitur τρῶμα, ſiue τραῦμα, legatur,parum intereſſe exiſtimo, quandoquidem vulnus etiam Latinis generaliore ſignificato omnem ab externâ violentiâ noxiam deſignat,ſiue ſit ea cum manifeſta ſolutione continui, ſiue cum contuſione & attritione tantùm: quod τρῶμα videtur ſignificare Hippocrati, *lib. de vulner. capitis*, & Galeno,*comment.* 5. *in lib.* 6. *epidem.* Item *comment.* 2. *in lib. de articulis*, percuſſiones ingentes,ad quas ſequuntur ecchymoſes,luxationes, fracturæ, fiſſuræ,rupturæ,ſolutiones

Digitized by Google

nes in partibus parenchymosis & musculosis, τρώματα Ionibus appellantur. Atqui malunt τρώματα, ingentes tantùm & maiores plagas significare, cùm τραύματα omnes complectantur. Philotheus contrà reuocat ad puncturas tantùm & vulnera acuto telo inflicta, νύγματα Græcis dicta, quibus nerui potissimùm configuntur conuelluntur que. Quicquid sit, vult Hippocr. in vulneribus superuenientem conuulsionem, funestam esse: τὸ ὅτι, quòd ita sit, certissimum est, & quotidianâ eorum qui τραυματίας seu τρωματίας morientes viderunt, experientiâ confirmatum. Τὸ διὰ τί ὅτι igitur, quare ita fiat, discursu rationis, & appositione causarum sciendum est.

Vulnus itaque cùm sit sub tertio morborum genere, communi nimirum partibus similaribus ac dissimilaribus, vt vult Galenus 3. *Method.* definitur propriè sumptum, continui solutio in mollioribus partibus, recens, cruentum, & sine pure, à causâ externa. Quo nomine distinguitur ab vlcere, quod vt & ab internâ plurimùm causâ, humore scilicet erodente pendet, sic etiam cum pure, virulentiâ, vel sanie est. Latè sumptum vulnus, vt & hîc ab Hippocrate vsurpari videtur, est genus ad omnem solutam vnitatem, cui subest τραῦμα, ἕλκος vlcus, ῥῆγμα ruptura, luxatio, ζάσσμα auulsio, dilaceratio, νῦγμα punctura, fissura, θλᾶσμα contusio, τηκεδὼν seu caries ossis, cæteráque eiusmodi. Quorum differentiæ sunt variæ multiplicesque apud Hippocratem & Galenum. A tribus tamen potissimùm capitibus repetuntur. Nimirum à naturâ particularum, in quibus consistunt. Ab essentiâ ipsius vulneris, & à complexu symptomatum, quibus iunguntur vulnera.

A naturâ igitur partium, vulnera alia dicuntur esse in parte similari, alia in dissimilari. Similari molli vel durâ, aut mediocri. In mollibus, vt carne aut pinguedine; in duris, ossibus, cartilaginibus, ligamentis ossium; mediocribus, membranis, neruis, tendinibus, venis, arteriis, cute. In quibus certissimum est, vulnera ea quæ in partibus duris fiunt, periculosiora difficilioraque curatu quàm mollibus, propter maiorem in illis fabricæ suæ apparatum. In eis etiam quæ acerrimo sensu præditæ sunt, maius imminere damnum, quàm eis quæ nullo aut paruo, vt in vulnere neruosi generis, cui & propter continuitatem, & generis similitudinem maximè est ζυμαθίσατον cerebrum. Quæ autem vulnera dissimilaribus aut organicis partibus contingunt, vel fiunt in parte principe, vel principi ministrante & ad vitam necessariâ, officia scilicet planè vitalia habente efficiendo vel inseruiendo, vel non ad vitam omnino necessariâ & viliori. In principe parte esse dicuntur, quæ cordi, cerebro, hepati infliguntur, de quibus dixit Hippocrates *lib. 2 prorrhet.* esse ex necessitate lethalia, si not abilem habeant magnitudinem In partibus ad vitam quidem necessariis, sed minùs præcipuis esse intelliguntur, ea quæ in asperâ arteriâ, œsophago, pulmone, ventriculo, intestinis, liene, renibus, vesica, venis arteriisque crassioribus, vt *in Coacis*, vnde excitatur hæmorrhagia ἄναυσος, & id genus reliquis resident. Quæ mo talia quidem sunt, at non simpliciter & necessariò, sed cum quadam restrictione, certisque conditionibus, vt eleganter docet Galenus *comment in Aphor. decimum octauum sectionis sextæ*, vbi ait Hippocrates, lethale esse si discissa, non tenuiter aut leuiter fuerit vulnerata vesica; (hinc *in Coacis* μεγάλας πλήγας.) cerebrum, cor, diaphragma, aliquod ex tenuibus intestinis, ventriculus vel iecur. Quæ verò vulnera, viles omnino partes occupant nullius sunt periculi, si à partibus indicationem sumas, contrariorum enim contraria sunt consequentia. Vnde istud Hippocratis proponentis damna, quæ eiusmodi partium vulnera consequuntur: *in Coacis*, illi perrarò intereunt, qui sauciantur, vbi nulla est pars corporis partium prædictarum, vel absunt ab eis longissimè; habent tamen sua incommodâ, vt *Aphorismo* 58. *sectionis sextæ. Si omentum procidat, necesse est putrescere*, & *in Coacis*; *Qui sauciantur nervis*, id est, ligamentis insignibus, *hinc fere claudicant, si obliquè illatum sit vulnus.* Idem accidit cæsis capitibus musculorum. Item visu hebescunt à vulnere, quibus in supercilium & paulò suprà illatum est, vel ob prolapsum palpebræ, vel quia resudat ichor in oculum: *Aphorismo decimo nono sectionis sextæ. Cùm discissum fuerit os, aut cartilago, aut nervus*, id est, *ligamentum, aut bucca, vel præputium, neque augetur, neque coalescit*, intentione scilicet primâ, vt loquuntur Chirurgi, sed secundâ, substituta substantia quadam simili, non eadem, in locum deperditæ, vt in ossium callo & ferruminatione.

A naturâ vulnerum seu essentiâ ipsâ, variæ etiam petuntur differentiæ: Et

quacunque tandem in parte fuerint,quædam magna, alia parua, quædam mediocria dicuntur: Magna quidem, quæ ingens partis ſpatium quantitatemque continent, & quæ facta magna diacope vel apocope,vnitatem illius inſigniter diſſoluunt; hæc videntur periculoſa, mortemque portendere ingenti illa diuiſione, vt docet Galenus, *comment.in Aphor.*18.*ſect.*6.Parua verò & mediocria per ſe non videntur tantum terrorem adferre,niſi fuerint in capite, vt eſt apud Hippocratem, in quo etiam leuiſſima vulnera mortem ſæpiſſimè intulerunt ob ſciſſuram interiorem, aut cerebri concuſſionem, quæ multos è medio etiam non cogitantes ſuſtulerunt; Aut niſi fuerint in neruo aliquo, qui punctim vulneratus, ſæpiſſimè conuulſionem, phrenitidem, febrem, mortem denique intulit; Aut in capite vel cauda muſculi alicuius tendinoſi: Nam in capitibus muſculorum, nerui muſculis adnaſcuntur, ex finibus autem chordæ oriuntur. Et in illis fiunt τετάνατα illa ἰσχυρὰ καὶ πονηρὰ ab Hippocrate dicta, fortia & praua, *Aphoriſmo ſexageſimo ſexto ſectionis quintæ*, vt interpretatur Galenus, maximeque conuulſifica & καταφθόνια. Porrò ex figura teli vulnerantis & vulneris, petuntur differentiæ vulnerum, quæ ad ipſam eſſentiam referuntur, atque ex ſitu. Vnde dicuntur longa, lata, anguſta, ſuperficialia, profunda, æqualia, inæqualia, obliqua, recta, rotunda, ſerrata, adunca, & cætera huiuſmodi. Inter quæ profunda vulnera reſpiciunt potiſſimùm interiores partes, quæ ſiue cæſim, ſiue punctim faucientur, non niſi cum periculo fauciantur, ex Aphoriſmis iam à nobis citatis. Confoſſum ex. gr. pectus acutiſſimo telo, è regione ſiniſtræ mammæ; ſanguine multo & feruentiſſimo erumpente cum arteriarum collapſu, pallore, ſyncope, ſudore frigido, cor vulneratum ſignificat, & proinde moriendum eſſe ægro,non tam quà magnum vulnus, ſi eius eſſentiam ſpectes; quàm quòd profundum. Idemque dicendum de vulneribus profundis aliàs intus poſitas partes, cerebrum, iecur, pulmonem, ventriculum, inteſtina, diaphragma,veſicam, lienem, renes penetrantibus, ſuiſque propriis ſignis internoſcendis.Item inter differentias vulnerum ab eſſentiâ petitas,vulnera, vt & vlcera rotunda aliis figuris periculoſiora habentur,& proinde permutanda, vt docet Hippocrates inſigni illo contextu,qui habetur *lib.de vulner. capit. Orbiculata*, inquit, *vulnera ut plurimùm ſubcauæ, etiam ipſa reſecare oportet, circulo diuiſim inciſo ſecundùm longitudinem, pro hominis naturâ, vt vulnus fiat longius,&c.* Quod optimè apparet in vulneribus hodiernis ſclopetorum,quæ & ob rotunditatem ſphærulæ illius plumbeæ,maiorem cõtuſionem confractionemque inferunt, quàm ſi alterius eſſent figuræ;& ob ſubcauitatem illam hîc ab Hippocrate notatam, grauiſſima inuehere ſolent ſymptomata, ſinus, fiſtulas, vlcera maligna, gangrænas, ſphacelos, & ſæpe citiſſimam mortem, etiam per thoraces ferreos ſolidiſſimos, quod antiquis temporibus non contingebat. Sed hæc eſt ſæculi noſtri miſeria.

Denique differentiæ vulnerum petuntur ab ipſis ſymptomatis ſeu concomitantibus morbis:hinc vulnera cum tumore & ſine tumore dicimus. Extatque Aphoriſmus elegantiſſimus 65.*ſect.noſtræ quintæ*, vbi vult Hippocrates,in vulneribus quando apparent tumores,rarò conuelli aut inſanire,& ſi euaneſcant,multa inſtare pericula. Dicuntur vulnera cum inflammatione, contuſione,eryſipelate, pruritu,dolore,cum conuulſione,inſaniâ, paralyſi, ſyncope, hæmorrhagia, malignitate & καταφθόνια.Quæ omnia augent periculum in vulnere pro magnitudine ſuâ & violentiâ;vt eruditè docet Galenus, *lib.*3.*meth.med.* morbum magnum & periculoſum dici triplici reſpectu, partis ſcilicet affectæ,magnitudinis ipſius affectus,& ſymptomatum complexus.Atque in iudicio vulnerum diligenter ſpectandus eſt contextus ille Hippocraticus 2.*prorrhet.Qui de vulneribus*,inquit,*cognoſcere volet,quemadmodum ſingula finient primùm oportet ideas & ſpecies particulares hominum ſpectare, quæ ſe meliùs aut deteriùs habent ad vulnera. Deinde ætates in quibus faciliùs curantur;item partes corporis habere perſpectas,quomodo aliæ aliis differant,& alia omnia tam bona vel mala, quæ vulneribus ſupernenire ſolent.* Ex quibus omnibus cognitis ſciet ille quem exitum ſint habitura, ſecùs minimè: & dies criticos obſeruare,in quibus bonæ vel malæ mutationes contingunt.

Ecce quomodo velit Hippocrates,in vulneribus naturas particulares,ætates,locos affectos ſpectari:quamuis enim ea quæ iam à nobis ſunt commemorata,veritatem in pluribus obtineant, tamen ipſo ibidem docente Hippocrate, omnibus cuiuſuis generis vulneribus etiam minimis,& in viliſſimis partibus,mori contingit,tum ob particularem conſtitutionẽ,tum ob vniuerſalem,vt ob malam fortaſſis cæli ac ſoli conditionẽ,ob venenata tela,quibus Alexandri milites ferè omnes apud Indos perierunt.

Sic

Sic Theodori filius 7. *epidem.* ex denudatione iuxta os nullius momenti, vigesima tertia die periisse affirmatur. Sic Harpali filius luxato pedis pollice atque reposito, vbi dolor remisisset, ex agro rediens in conuulsionem incidit, tertioque die mortem obiit. Thrinon autem ex vlcere in malleolo in opisthotonon vi pharmaci erodentis incidens decessit.

Contrà ingentia vulnera in aliis naturis vidit sanata Hippocrates, in historiâ Beli, qui in dorsum perculsus, ita vt spiritus multus per vulnus cum strepitu prodiret, sanguisque copiosus funderetur, congruis tamen auxiliis sanus euasit. Galenus vidit in Smyrna Ioniæ, puerum ad alterum vsque anteriorem cerebri ventriculum vulneratum atque sanatum, 8. *de vsu part. & comment. in* 18. *Aphor. sect.* 6. Item 7. *administrat. anatom.* vidit Marulli puerum, cui ex ossis pectoris sideratione, nudatum cor apparuit, & ipsum cordis inuolucrum contagione putrefactum, qui præter Galeni spem breui curatus fuit. Vt verè dictum sit ab eodem Galeno 10. *meth.* robustas vires omnia ferre, imbecillas à minimis etiam offendi. Sed nos ea quæ vtplurimùm ita sunt, in asserendâ veritate ista aphoristica consectamur, ac proinde ea vulnera lethum maximè adferre existimamus, quæ & secundùm essentiam, partem affectam, ac sæuitiam symptomatum, magnitudinem repræsentant. Inter symptomata autem vult Hippocrates noster hoc Aphorismo, conuulsionem ἐπιγινόμενον esse signum mortale. Nos causas explicabimus, si priùs dixerimus aliquid de signis mortalibus in genere, quoniam nihil est frequentius in his Aphorismis, quàm mortale, pernicioſum, malum, & similes huiusmodi notæ terrificæ; quæ non parum legentibus negotij facessere possunt. Nos rem istam quàm breuissimè expediemus.

SIGNA. Bene dictum est à Philosophis, nihil esse in intellectu, quin prius fuerit in sensu, cùm ab eo omnis cognitionis & discursus intellectualis certitudo proficiscatur. In Philosophia rerum superiorum, inferiorumque cognitio, quamuis procul à sensibus nostris sit remota, pendet tamen à certis signis & coniecturis, quæ sensuum ope & ministerio eliciuntur. In Medicinâ autem nostrâ, quæ maximè est coniecturalis scientia, dum morborum causarumque morbificarum naturam & euentus exploramus, id per signa facimus & certas notas, quæ sese sensui offerentes suppeditant intellectui fomenta, ex quibus ille eorum quæ intus latent, neque sensuum ope deprehendi possunt, cognitionem rimatur & artificiosè explorat. Quæ sæpiùs obseruatione ac memoriâ confirmata & rationis scrutinio explorata, vocantur signa seu indicia Medica, eamque Medicinæ partem constituunt, quæ σημειωτικὴ dicitur, quæ primùm vniuersaliter & quasi in genere signa omnia proponens, salubria, insalubria, & neutra, quibus triplicis illius in homine constitutionis status præsens, præteritus, & futurus internosci & prædici possit. Posteà in singulorum particulari enumeratione versatur. Atque vt salubrium signorum doctrina, in tractatum de sanitate ὑγιεινὴν referenda, neutrorum verò ratio & natura duobus extremis cognitis facilè dignosci potest, & ad ipsam adhuc ὑγιεινὴν à Medicis refertur; Sic ægra seu morbosa signa potissimam σημειωτικῆς partem explere videntur, & maximè ad Medici & Medicinæ dignitatem facere, cùm sine illis neque διάγνωσις, neque πρόγνωσις, nec θεραπεία ritè exerceri possit.

Porrò signi nomen latiùs patet apud Medicos quàm Philosophos, qui videntur tantùm ab effectis signa desumere, vt quando ex fumo flammam subesse iudicant; Medici verò non solùm ab effectis, vt ex delirio affectum cerebri, sed etiam à causis, vt ex vomitu bilioso febrem tertianam, & ab eis quæ ab eadem causa proficiscuntur cum re signata, vt ab ictero inflammationem hepatis. Denique ab ipsa rei essentia signa ducunt, magnitudine vel paruitate scilicet, specie, more, & motu morbi, causæ morbificæ & symptomatum. Item à nobilitate & ignobilitate suscipientis, partis scilicet affectæ. Ita vt signum sit Medicis, quicquid potest aliquid eorum significare, quæ fiunt in nostro corpore, vel signum Medicum est nota manifesta & sensibilis, ex quâ cognoscitur alterum quiddam latens & obscurum. Illud enim significare, vt interpretatur Galenus, nihil aliud est quàm vnum ex alio quasi admonere: Quæ tacita admonitio fit ex comparatione significantis cum significato per discursum intellectus.

Significantia verò ista vel perpetua & necessaria sunt, pendentia ex demonstratione κατ' ἀναλυθίας λογικῆς: & tunc τεκμήρια seu indicia dicuntur: Vnde illa τέκμαρσις ab Hippocrate decantata *initio libri de vict. ration. in morbis acutis*, quæ fit per signa syllogistica. Alia verò neque perpetua, neque necessaria sunt, sed ex sola ἐμπειρίᾳ & obseruatione orta, quæ σημεῖα tantùm seu ἐνδεῖα appellantur Gal. *comment.* 3.

in lib. prognoſticũ. Sub primo genere videntur ea reponenda, quæ à Medicis ἀχώριστα, συμφυόμενα, χαρακτηριστικὰ dicuntur, quaſi dicas inſeparabilia, ideam, ſpeciem, ac characterem morbi referentia, qualia ſunt in pleuritide febris acuta, tuſſis, ſpirandi difficultas, punctio lateris. Sub ſecundo verò genere reponuntur, quæ γνώρισματα, ἐπιφαινόμενα, ἐπισυνιστάμενα, καὶ ἐπιγινόμενα ſuperuenientia iam facto morbo, dicuntur Hippocrati, & quæ aliquando apparent, aliquando etiam non comitantur: talis eſt dolor in pleuritide ad iugulum vel hypochondria pertingens: in febre ardente conuulſio aut delirium, & ſimilia.

Rurſus hæc omnia ſigna morboſa, vel ſunt διαγνωστικὰ, vel προγνωστικὰ: Διαγνωστικὰ, quæ, vt docet Galenus *comment. 1. in prognoſt.* præſentium cognitionem adferunt, morbi ſcilicet, morbificæ cauſæ agentis, ſymptomatum apparentium, & partis affectæ: quæ eleganter eſt perſequutus Galenus, libro illo aureo qui primus eſt de locis affectis.

Προγνωστικὰ verò præſciam illam ſignificationem continent, quâ prædicimus prænoſcimuſque in morboſo ſtatu. Idque, vt eleganter habetur *comment. in Aphor. 12. ſect. 1.* ſalutem vel mortem prædicendo, cruditatem & coctionem prænoſcendo, & criſes, lyſes ac morborum, cauſarumque morbificarum μεταβάσεις præſagiendo: ita vt triplicia ſint ſigna illa prognoſtica, decretoria ſcilicet, cruditatis & coctionis, ac ſalutis & mortis. Signa κρίσιμα ſunt, quæcunque ſubitam mutationem & in morbo turbationem, aut paulatinam ſolutionem, vel etiam tranſpoſitionem indicant. Sunt autem duplicia, quædam enim & cauſæ & ſigna ſunt ſimul, hoc eſt, ſignificant & efficiunt iudicium, vt hæmorrhagia, ſudor, vomitus, alui profluuium. Alia ſignorum tantùm rationem obtinent, vt vigiliæ, δυσφορία, oculorum turbatio, ſcintillæ, lachrymæ, aurium tinnitus, labri inferioris agitatio, nauſea, & ſimilia: Decretoria hæc non initio morbi, ſed poſteà apparent.

Signa verò cruditatis & concoctionis materiam ipſam morbificam magis reſpiciunt, & vt in principio morbi omnia cruda, ſic in progreſſu concocta eſſe debent: & prout cruda aut cocta fuerint magis, tum morbi tempora oſtendunt, tum remediorum rationem, iudiciique ſpem immutant.

Reſtant ſigna ſalutis & mortis, quorum causâ tot à nobis dicta de ſignis fuerunt quæ vt in principiis morborum vix apparent, ſic procedente morbo magnam requirunt Medici curam & attentionem, vt in hac veluti ſpecula poſitus, morborum euentus prænoſcere poſſit, & ne mortis reus aut author habeatur quam non prædixerit. Signa hæc ſalutis & mortis οἰκεῖα domeſtica & propria: (Relinquo enim hîc ea quæ per accidens & ſecundariò duci poſſunt ex coctionis & cruditatis, ac decretoriorum ſignificatione, item ea quæ minimè ſunt artificialia, ſed ex quodam euentu deprompta, vt puſtula illa nigra Auicennæ in genu apparens, lenticula in gutture, & ſimilia.) Hæc, inquam, ſigna propria petuntur à quatuor potiſſimùm fontibus, ſpecie ſcilicet morbi, more, motu, & magnitudine.

Species morbi ſimilaris, organici & communis, ad ſalutem aut mortem iudicat; nam morbi vt plurimum organici, niſi aliud illis ſit adiunctum, vix necem inferunt: ſimilares verò & ſolutiones continui maximè poſſunt ad vitam tollendam.

Mos morbi eſt certa quædam qualitas morbis adiuncta, quâ nunc præter ſuam naturam ſæui, modò mites apparent: Sic ſæpiùs tertianæ peſtilentes malè morigeratæ apparent; ſic pleuritis mali morigerata, aliquando paruam inferens noxiam corpori. Vnde ab Hippocrate tam ſæpe morbi εὐηθεῖς, κακοήθεις appellantur, & de εὐηθείᾳ bene, de κακοηθείᾳ malè ſperat.

Motus morbi eſt violentia vel remiſſio, acceleratio aut tardatio, extenſio vel contractio ſingulorum temporum & circuituum morbi. At morbi violenti, acuti, celeres, terriculoſi, naturæque noſtræ magnum periculum minitantes; hinc apud Hippocratem, morbi acuti extremos ſtatim labores habentes periculoſi, & *Aphor. 19. ſect. 2.* acutorum morborum ambiguæ ſunt prædictiones ſalutis & mortis; cùm longi non ita vitæ immineant, ſed pedetentim tantùm natiuam noſtram conſtitutionem quaſi datis induciis violent: in quibus Hippocrates *Aphor. 6. ſect. 7.* timet cibi faſtidium & alui fluxum, quæ contingunt effœtis paulatim viribus noſtris. Sic morbi continui intermittentibus periculoſiores, vnde illud *Aphor. 43. ſect. 4. Quocunque modo febres intermiſerint, periculum abeſſe ſignificant.*

Magnitudo autem morbi ad ſalutem & mortem prænoſcendam maximè faciens, complectitur ſub ſe cauſæ morbificæ, partis affectæ, & ſymptomatum morbos concomitantium naturam, apud Galenum *4. methodi.* Sic ob cauſæ morbificæ malignitatem

tatem & copiam, extat *Aphorismo illo* 22. *sect.* 4. *Quibuscumque morbis incipientibus atra bilis suprà vel infrà exierit, lethale*, & de dysenteria, *Aphor.* 24. *eiusdem sect. atque* 69. *lib.* 7. ex strigmentis in fæcibus alui exiguitatem & magnitudinem morbi coniectat: Quod ad partem affectam attinet, si ea vel princeps, vel ad vitam necessaria fuerit affecta grauiter, non leuiter & quocunque modo (sic enim cum quibusdam concedendum esset, ephemeram febrem quia est cordis intemperies, aut leuem cephalalgiam quæ est cerebri affectus, esse magnos morbos;) periculum maximum portendit, vt ex *Aphor. suprà à nobis citatis*, apparet; quando egimus de vulnerum differentiis ac periculis, secundùm partis affectæ naturam. Supereſt adhuc symptomatum morbos comitantium syndrome, latissimus ad morborum præsagitionem campus. Cùm enim symptomata complectantur actiones læsas, excreta & retenta, & qualitates mutatas, considerat Medicus prædicturus de morbo, tres potissimùm actiones in nobis, naturalem, sub quâ est attractio, retentio, concoctio, & expulsio; tam in partibus munere publico fungentibus, quàm in omnibus aliis; vitalem, pulsum scilicet & respirationem; animalem, principem, sensificam, & motricem. Considerat excreta, excernendi tempus & modum, vrinas, deiectiones, sputa, mucos, lachrymas, hæmorrhagias, & similia. Considerat qualitates mutatas visiles, vnde illa facies Hippocratica horrenda & terrifica, totusque habitus exterior dignoscitur; audibiles, vt sonitus & tinnitus aurium, rugitus & borborygmos intestinorum; olfactiles, vt fœtidum qui perpetuò malus est, & bonum odorem ægri ac excretorum. Gustatiles, quæ in signis linguæ ab Hippocrate eleganter descriptis continentur. Vt ex omnibus his (quæ hîc minutiùs persequi non est nobis propositum) quasi syllogisticis signis, pronuntiet de morbi euentu, & ægri salute aut morte.

Salutem igitur significantia, alia sunt bona, quæ aliquid boni præsens aut futurum portendunt, non ita tamen certò, quæ Hippocrates hac notâ exprimit *ὐ θανάσιμον, non mortale, Aphor.* 1. *sect.* 2. *In quo morbo somnus laborem adfert, mortale: in quibus verò non adfert, non mortale.* Alia valde bona, quæ rarò non indicant bonum, & Hippocrates expressit his notis, λύσις, *λύσιν νοῦσον, solutio, solvit morbum*: Alia sunt optima, quæ frequentissimè bonum significant, quæ Hippocrates designat hac notâ, *ἀγαθὸν*.

Mortem & periculum significantia, alia sunt mala quæ aliquid mali portendunt, non tamen ita certò, quæ Hippocrates exprimit his notis, *πονηρὸν, κακὸν: κάκιον, κάκιστον ἐκ ἀγαθὸν, μᾶλλον κακὸν*. Alia sunt valde mala, quæ rarò non indicant malum, & ab Hippocrate sic repræsentantur, *ὀλίθριον, θανατῶδες*, quibus addit aliquando λίαν & κάρτα, vt vim significandi augeat. Alia denique sunt pessima, frequentissimam mortem ac periculum designantia, quæ ab Hippocrate sic designantur, *θανάσιμον, ἀνίλπιστον, ἀπροφύλακτον, τάχιστον, θάνατον σημαίνει, in Coacis, & in libro nostro de affectionibus, ζωῆς ἐλπὶς ἐκλείπει ἐλπὶς*. In quibus omnibus notis & signis mortiferis ad vsum reuocandis, quamuis non semper constans sit Hippocrates, & aliquando horum significata permutet, vt plurimum talia apud eum reperiuntur, & sic vsurpari debent, obseruandum est, etiamsi quid lethale est, non protinus moriendi necessitatem inferre, vt est in Prorrheticis, *lethalia quæ sine signis quiescunt, mortem significant*. Vt etiam apparuit in historia illa Nicoxeni, 7. *epidem.* qui omnibus ferè mortiferis signis apparentibus, euasit; vnde illud Hippocratis 6. *epidem. Nihil temerè affirmandum, nihil contemnendum.* Atque etiam in præsagitione mortis potentiùs significare vnicum signum maium, quàm decem communia bona, vt in pleuritide, sputi significationes & similia. De quibus sit satis dictum pro huius nostri Aphorismi, & reliquarum omnium intelligentiâ, in quibus signa prognostica, & eorum notæ habentur.

Iam igitur accedamus ad Aphorismi nostri veritatem ex causis eliciendam. Vult igitur Hippocrates, conuulsionem à vulnere esse lethalem, vt plurimùm scilicet. Periculum hîc non ab ipsius vulneris essentiâ aut magnitudine, non à partis præstantiâ afflictæ coniiciens, sed ex solo symptomate terrifico superueniente motricis facultatis, conuulsione nimirum, quæ non particularis est intelligenda, brachij putà, pedis, aut alterius minoris partis. Hæc enim quamuis non fiat bonis ægri rebus, non tamen adiunctam habere potest terrificam illam notam: Sed vniuersalis est intelligenda, affecto nimirum principio, vel per condolentiam tantùm & συμπαθείαν neruosi generis vulnerati in capite aut fine musculorũ, compuncto neruo, neruosâ aut membranosâ parte, ad cuius affectum percellitur ipsum cerebrum, totumque corpus concutit; vel etiam pure retento, sanie, virulentiâ, neruumque inficiente ac erodente, ob nimis citò clausum, aut non satis detectum vulnus, cuius vapor teterrimaque qualitas ad principium vsque delata, conuulsiuos motus, &

συσπειρομένη πάθη, ob illius agitationem inducit. At hi non ſunt veræ conuulſiones, & quamuis valde graues & κακοὶ mali, non tamen ὀλίθριοι aut θανάσιμοι, vt qui confecto muſculo, tendine, aut neruo, qui compunctus fuerat, retecto vulnere & eductâ vel conſumptâ ſanie ſæpiſſimè ſedantur, dummodò iam grauior noxia non fuerit, in ipſo principio contracta. Veræ autem conuulſiones, quas ad duplicem intemperiem retulimus, materialem vnam humidam, alteram ſine materia ſiccam ab exhauſto humido, & in abolitâ actione motrice animali poſuimus, pernicioſæ & valde lethales, & mortem vtplurimùm, ſi non vt ſemper inferentes. Si enim contigerit ex inflicto in cor, hepar, lienem vulnere, aut in venam arteriámve αἱμόῤῥουν ſanguifluam, quales ſunt iugulares, & ſub alâ, tantam concitari hæmorrhagiam & ſanguinis fluxum, qui nullis artis præſidiis contineri poterit, ſed exhauſtis & arefactis neruis ac partibus exanguioribus, conuulſio illa vera ſuperuenerit, quam non dubium eſt præceſſiſſe ſyncopes, lipothymias, ſingultus, vertigines, dementias, certiſſimum eſt mortem eſſe in propinquo, nec vllam reſtitutionem in tantâ humiditatis ſubſtantificæ iacturâ ſperari poſſe, vt nos fuſiùs dicemus *Aphoriſmo ſequente*, vbi Hippocrates generaliter de hæmorrhagia loquitur. Contrà ſi ex puncto, contuſo, colliſo, vſto, contorto neruo, chordâ, tendine, in capite aut fine muſculi, ex atrocitate doloris contingat ſanguinis feruidioris copiam irrumpentem, tumorem phlegmonoſum in partibus illis excitare, materiamque inflammantem & diſtendentem, primùm partes illas primariò affectas diſtendere, poſtmodum ſibi propinquas afficere, ac demum cerebrum ipſum per illam continuitatem in conſenſum rapere: fit conuulſio ex repletione, cui parua admodum ſalutis ſpes ſupereſſe poteſt, in tam deplorata principij inuaſione, & ortorum ab eo phlegmonoſa diſtentione. Atque de hac egiſſe in hoc Aphoriſmo Hippocratem exiſtimamus, quia de eâ quæ fit ab exhauſto per hæmorrhagiam ſtatim eſt dicturus. Atque eam lethalem, ſi non ex neceſſitate, ſaltem vtplurimùm exiſtimauiſſe. Vnde Aphoriſmus ille 66. huius noſtræ ſectionis: *Si in vulneribus malis* (quæ Galenus interpretatur de eis quæ inferuntur circa caudas & capita muſculorum) *& magnis, tumores non apparent, ingens eſt malum.* Quod multò expreſſiùs dixit *Aphor.* 65. *eiuſdem. Quibus tumores in viceribus apparent, ij rarò conuelluntur & inſaniunt; ſi verò ſubitò euaneſcant, iis quibus à tergo fuerint, conuulſiones & tetani accedunt; Quibus in anterioribus partibus, iis mania, dolor lateris acutus, ſuppuratio, aut dyſenteria, ſi rubri fuerint tumores*, hoc eſt, phlegmonoſi; ex remeante enim materiâ illâ ſanguineâ ad interiores partes, iam corruptâ & labefactatâ, fit inflammatio per totam illam continuitatem neruoſi generis, ad quam ſequitur contractio & vera vniuerſalis conuulſio ex repletione. Cuius ſpecies & idea apparet in fracturâ calcis ſeu luxatione, quam deſcripſit Hippocrates *libro de articulis*, chorda enim illa ingens, quæ nata è muſculis ſuræ primùm in ortu rotunda & craſſa, mox explicata & in πλατυτέρωσιν diducta, firmiter fixa ipſi calcaneo ſubtenditur & adhæreſcit, quam Hippocrates vocauit τένοντα ὀστέον. Hæc, inquam, luxatâ aut fractâ calce diſtenditur, contunditur, inflammatur, ſtatimque ſecum habet coniunctam febrim, aſſiduitate, feritate, ſingultu, tremore, delirio, & citâ morte funeſtam. Concludamus igitur ſyllogiſticè poſt longam noſtram digreſſionem: Quæcunque ſignificant magnum & valde dolorificum affectum in partibus maximè ſenſibilibus corporis noſtri, grauemque principis partis noxam ex communicato ei affectu, ea ſunt mortis & maximi periculi indicia. At conuulſiones, vniuerſales ſcilicet, quæ comitantur vulnera partium neruoſarum, indicant earundem inflammationem, diſtenſionem & repletionem maximam iam communicatam cerebro. Quare conuulſiones illæ ſunt lethales, ſi non vt ſemper, ſaltem vtplurimùm & frequenter. Quod fuit demonſtrandum.

APHORIS

Digitized by Goo

APHORISMVS III.

Αἵματος πολλοῦ ῥυέντος, σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγενόμενος, κακόν.

Sanguinis copioſo effluenti, conuulſio aut ſingultus ſuperueniens, malum.

APHORISMVS hic ad eandem Medicinæ partem pertinens, quam & ſuperiores, vniuerſalis eſt: vbi agit Hippocrates generatim de conuulſione vt ſigno, quæ omni immodicæ ſanguinis vacuationi, ſiue illa ſit violenta, ex inflicto vulnere (de quâ particulariter dictum eſt ſuperiore Aphoriſmo) ſiue arte facta per phlebotomiam vel arteriotomiam, reſerationémve artificialem quorumuis vaſorum: ſiue ſpõte naturæ in ſanis, & per morborum criſes, aut alio quouis modo erumpente iugi ſanguinis copia) ex naribus, ore, gingiuis, faucibus, ventriculo, pulmone, pectore, renibus, veſicâ, venis vteri, aut hæmorrhoidibus, quibus ſuperueniens conuulſio aut ſingultus, malum portendere vult Hippocrates. Habeturque *in Coacis*, parum immutatis verbis, *Ἢν αἵματος ῥύσιν πολλὴν, ἢ λυγμὸς, ἢ σπασμὸς, κακόν.* Vbi ſingultum præponit conuulſioni, vt & antiquus Aphoriſmorum contextus habebat. Eſt etiam *Aphor. 9. ſect. 7.* huic valde ſimilis, *Ἢν αἵματος ῥύσιν προσγενομένη κῆ σπασμὸς, κακόν*, quem Cornelius Celſus, accuratiſſimus Hippocratis imitator & interpres, *ſub finem capitis octaui lib. 2.* ſic vertit: *Si ſanguis profluxit, deinde ſecuta eſt dementia cum diſtentione neruorum, periculum mortis eſt.* Vbi pro ſingultu ponit ille dementiam, non incommodè, vt mihi videtur, fatuitatem ſcilicet & μώρωσιν ex impenſo refrigerato cerebro, principibuſque functionibus labefactatis.

Ad huius autem intelligentiam antequam veniamus, dicenda ſunt quædam de ſanguinis profluuio, quod hæmorrhagia dicitur, & de ſingultu: vt illorum naturis intellectis, facilius ſenſum Aphoriſmi iſtius elicere poſſimus.

Eſt igitur hæmorrhagia ſimpliciter dicta apud Hippocratem quoduis ſanguinis profluuium ex quacunque parte effuſum, copioſum & liberale, vt apparet *in Coacis*, & *Aphor. 27. ſect. 4.* exiguum enim non dignatur hoc nomine, ſed vel βεγχῶν addit, vt *in Prorrheticis*: vel στάξις καὶ ἀποστάξις, ſtillationes, ſubſtilla appellantur. Et vt partis nomine addito, ῥινὸς ſcilicet, *in Coacis* ſæpe, naris, oris, vteri, & cæterarum, redditur particularis hæc hæmorrhagia ſimpliciter dicta, intelligitur apud Hippocratem, de profluuio ſanguinis copioſo, quod fit per nares, vt docet Galenus *comment. primo in 1. epidem.* Quicquid ſit, nos hîc agimus de hæmorrhagiâ generaliter ſumptâ, pro quauis ſanguinis ex quacunque parte excretione copioſa, quæ eſt ſymptoma in genere excretorum immodicè toto genere præter naturam, vitiatâ facultate retentrice potiſſimùm, aliquando expultrice etiam deprauatâ. In quo conſideramus qualitatem, quantitatem, tempus, & excernendi modum. Subſtantia enim illius, quamuis ſit laudabilis, vtpote pars nectarei illius & viuifici ſucci, quo natura animantium perfuſa ſuſtentatur & veluti theſauro chariſſimo perfruitur, aliquando tamen ob qualitatem vitioſam, tenuitatem ſcilicet & acrimoniam, ob copiam nimiam, aut per motus illos perturbatorios contingente ſucci illius chariſſimi ebullitione effunditur. Aut ab externâ & internâ causâ τῶν φυλακῶν, dulciſſimum illum ſanguinis carcerem, venam ſcilicet, arteriam, aut cordis ventriculos, in quibus vitæ noſtræ focus reſidet, reſerante, vnde erumpere etiam inuito datur.

Sunt tamen ſani multi & conſueti, qui ſanguinem ſtatis temporibus per varia oſcula excernunt, etiam laudabili naturæ conatu, ſanguinis molem grauantis eximentis: & contingit potiſſimùm mulieribus, quæ fœcunditatis ſuæ ſignum tunc produnt, quando purpuream luxuriantis ſanguinis copiam per vterum menſtruâ periodo effundunt: tunc enim oſtendunt, non ſibi tantùm nutriendis, ſed etiam producendis animatis, vtilem ſupereſſe alimoniam, riteque diſpoſitum naturæ agrum cultore indigentem. Quibus mutilum eſt inſigni quadam parte corpus, illis enim hepar non minorem alibilis humoris copiam procreat, quàm dum eſſent integri, quæ deinde non conſumpta ad detruncatæ partis alimoniam per dyſenterias illas

αἱματηρὰς

ἀναιμωδὴς frequenter excernitur. Sic adoleſcentes,ephebi,quando hircire & Venerem experiri incipiunt, frequentes hæmorrhagias patiuntur, vt eſt *6.Epid.ſect.* 3. Atque hæc in ſanis neutríſque contingunt. In ægris verò hæmorrhagiæ etiam apparent ex variis partibus,eæque vel ſymptomaticæ vel criticæ.Symptomatica autẽ hæmorrhagia in morbis pendet, vel à reſolutione & imbecillitate partium ſanguinem generantium vel expurgantium,vt hepatis,lienis;vel à criſi fruſtrà tentata. Illic enim principiis ſuis malè affectis condoleſcunt & conſentiunt venæ, vt & nerui cerebro. Quo fit vt ex his ſanguis ſponte profluat per multa corporis noſtri loca;vnde illud *in Coacis*; *Quæ in diuturnis exigua apparent ſanguinis velut quædam effluuia, mortifera*, quia ſunt ſigna fatiſcentis naturæ, & principiorum collapſorum. Hîc verò fruſtrà ſcilicet tentatâ criſi, quia natura irrito motu, excretionem exundantis humoris aggreſſa propter oppreſſionem aut imbecillitatem, proprium opus inchoatum perficere non poteſt: Vnde στάξις *ſtillatio*, ὀλίσταξις, σάλαγμος, *parua ſtilla* Hippocrati ſemper malæ, vt nihil paucum criticum:, ῥέυσις *fluxio*,pauca,iterata,intercepta,non præcedentibus propriis ſignis, vel malo die facta, vnde multis Hippocratis reſcriptis fluxiones iſtæ quarto die contingentes,ſunt damnatæ: Signum autem hæmorrhagiæ ſymptomaticæ eſt commune,quòd non leuatur æger,ſed deteriùs ſe habet,vt in omni excretione ſymptomaticâ contingit. Parcularе verò eſt, abſentia eorum omniumquæ in criticâ adeſſe ſolent. Symptomaticæ etiam illæ omnes cenſendæ, quæ ex ruptura, ſciſſura,eroſione venæ aut arteriæ in variis partibus contingunt, vt poſteà dicemus, quia malis ſemper naturæ noſtræ rebus contingunt,vt ſiue in ſanis,ſiue in ægris, quæ bonæ ſunt hæmorrhagiæ; eæ per ἀναστόμωσιν exerceantur, quam prudens natura ad deplendam ſanguinis copiam laudabiliter inſtituit.

Critica verò hæmorrhagia, optima eſt καλῶς καὶ ἁλυκτιλέως bene ac largiter fluens, apertis venarum aſſuetarum oſculis,nimirum die critico,antegreſſis coctionis ſignis, & ſignificata ſuo ἱερώματι, vt hypochondriorum fugaci meteoriſmo ſeu borborygmo,rubore faciei, oculorum fulgore & marmarygis,pulſu aſpectabili temporalium arteriarum,& cephalalgia. Et fiens in morbo conuenienti, qui ex repletione ortum ducit particulari vel vniuerſali, cuius vacuatio per hæmorrhagiam & ſudores eſt accommodatiſſima, indéque maximum ægrotantis leuamen, & certa ſalutis ſpes affulget; vt in cephalalgia vehementiore, κεφαλαίᾳ prægrandi; In febribus ſymptomaticis quæ ſequuntur inflammationes ſyſtrophicas viſcerum interiorum, & primariis quæ fiunt tam à ζέσει quàm ἕψει ſanguinis,qui ſic attenuatus,conceptis ex putredine aut ebullitione ſpiritibus, ſurſúmque raptus venas diſtendit, earúmque oſcula reſerat,non ſecus quàm vtres aut dolia obturata,à feruente acẽruatim muſto diſrumpuntur, quamuis aliquando venas vteri aut ani ob conſuetudinem καθάρσιον aperiat.

Atque hi ſunt omnes excretionis illius ſanguineæ modi in ſanis, neutris, & ægris. In his cùm ſit ſymptoma,vt dictum iam eſt, neceſſariò ad morbum aliquem referenda,non vnicum,ſed multiplicem. Quatuor enim cauſæ ſunt ad morbos tum communes tum organicos pertinentes, huius ſanguinolenti profluuij: proximæ & immediatæ,quas continentes vocant, in venis ſcilicet & arteriis tanquam parte affectâ inhærentes,ruptis,exeſis, dilatatis, aut reſeratis: Vnde quatuor illa nomina, ῥῆξις, διάβρωσις, διαπύησις, ἀναστόμωσις. Ῥῆξιν igitur, quam Celſus ἐκπυοχασμὸν, hiantem rupturam & ſciſſuram appellat,vt & ἀναστομώσιν, aperturæ vaſculi, cauſæ tres ſunt præcipuæ, vt docet Galenus *libro* 5. *meth.* vaſorum ſcilicet imbecillitas, ſanguinis multitudo & copia, eiuſdémque mala qualitas. Adde externa omnia & interna vulnerantia,ac continuum confertim ſoluentia,aut ſanguinis copiam generantia.Sic ob ſanguinis plethoram,in mulieribus quæ non purgantur, aut hæmorrhoidum expurgationi aſſuetis, contingunt ſanguinei vomitus, hæmoptoë, & ſanguinis è naribus profluuia,ruptis aut apertis venis. Idem contingit Athletis, ruptionibus vaſorum ob humorum copiam valde obnoxiis, vt docet Galenus, *Aphoriſm.*2.*lib.*1.quando potiſſimùm commouentur irâ, vociferatione, ſaltu, caſu, ictu, crapulâ, oneris geſtatione grauioris vel ſublatione. Idem præſtat frigus vehemens conſtringendo violenter,quod ideò ab Hippocrate *Aphoriſ.*14.*lib.*5. φλέβων ῥηκτικὸν dictum eſt,& αἱμορῥαγικὸν; & vehementia æſtus,dum ebullitionem ſanguinis concitat. Vnde iuuenes ſpuitioni ſanguinis valde habentur opportuni à Galeno & Hippocrate *Aphoriſm.* 29. *lib.*3. quia eâ ætate maximè feruet ſanguis.

Διαβρώσεως autem ſeu ἀναβρώσεως, eroſionis cauſæ ſunt acria vlcerantia, erodentia putrefacientia intus vel extrà; intus, vt humor acris, mordax, ſalſus, æruginoſus, putrefactus, vaſorum tunicas corrodens ad internum vſque ſpatium,vnde vlcus excitatur

citatur Sic ex catarrho salso in pectus defluente, ac in pulmonibus coërcito, venarum illic potitarum erosio, vlcus, hæmoptoë, puris sputum, tabes, & tandem mors consequuntur. Extrà, vt à medicamentis causticis, septicis, rodentibus, & exulcerantibus, sumptis vel admotis.

Διαπήδησις verò, id est, transcolatio agnoscit vasorum raritatem & laxitatem, sanguinisque tenuitatem: tunicis enim rarefactis, sanguis præterfluit aquosus, ichorosus, sudoris instar transcolatus, vt in contusionibus, ecchymomatis, ac sugillatis accidit. Quamuis interdum Galenus ad gracilium & ferè capillarium vasorum oscula, quæ ad extremam cutem desinunt, aperta, referre videatur; quo nomine (vt obiter satisfaciamus, Galenum hac in parte culpantibus) adhuc differet ab anastomosi, quæ est maiorum osculorum in magnis vasis apertio.

Atque hæc erant de hæmorrhagiâ dicenda, ad faciliorem Aphorismi huius intelligentiam, nunc idem de singultu præstemus.

Duos esse in nobis motus, vt etiam sensus, eleganter annotauit Galenus *lib. de vsu part.* 9. Vt enim motus ille arbitrarius, qui voluntatis imperio aut appetitus subiacet, musculorum operâ omnino perficitur; sic natura in illis partibus, quæ erant eorum expertes, motum alium per suas naturales fibras fabricata est, per quas non dum volumus mouentur, sed ad rei molestantis sensum exurgunt, commouentur; & concutiuntur: Sic cerebrum naturali illo sensu præditum, vbi aliquid molestius incumbit, seipsum cogit, dilatat, & commouet per epilepsias & sternutamenta. Sic cor atris malisque melancholicis vaporibus ex liene per frequentes arterias communicatis, πάλλεται, palpitat & agitatur, non per diastolen, aut systolen, sed tremebundam concussionem, non secus quàm in illis quibus metu perculsis, τὴν καρδίαν εἰς τὸν θώρακα πάλλεσθαι. Ventriculus verò vt exquisitissimo animali non solùm naturali sensu præditus, quamuis musculus non sit.

Hic igitur singultus, cùm sit motus, id est, actio ventriculi, qui tamdiu est, quamdiu fit, non potest esse morbus, non morbi causa. Erit igitur symptoma, non sub qualitate mutatâ, non sub excretis. Ergo sub actione læsâ, non sublatâ, quia fit; non imminutâ, quia violenter fit. Erit ergo deprauatæ & contra naturam agentis, si fit in ægris; in sanis opus naturæ, id quod sibi molestum est, expellere tentantis. Sed nobis ita licet singultum definire, qui symptoma est sub actione læsâ, deprauati nimirum motus ventriculi, sursum ad originem conuersi & irritati, à causa molestante, quam excutere nititur; vnde conuulsio quædam dicitur Hippocrati & Galeno, quamuis non fit in musculo, vt vera conuulsio; sed quòd & in causis & in genere deprauati motus, cum musculorum spasmo conueniat. Vnde illud Hippocratis, *Aphorismo* 39. *sect.* 6. Singultum fieri ab inanitione & repletione, vt conuulsionem. Quæ repletio aut inanitio non in * *Desunt aliqua.* ex repletione, ab eo qui inanitione contingit, quòd singultus hic κενὸς, à Thucydide *lib.* 2. sic vocatus, pestilentium febrium ἐπιγιγνόμενα enumerante; Vacuus, est sonorus magis, & ferè clangorosus, vtpote in re distenta, & nulla materia strepitum obtundente. Plenus verò magis est interceptus & ob pauciorem spiritum qui eliditur, sine magno sonitu. Repletionis deinde triplicis signa suis sunt signis internoscenda. Atque hæc de hæmorrhagia & singultu sufficiant.

Verùm addubitabit fortassis aliquis, quomodo per magnas illas hæmorrhagias non moriatur priùs æger, effuso sanguine copioso, quàm conuellatur, aut ab exhausto singultiat? Aut saltem cur non potiùs fiat syncope, & totius exolutio corporis, quàm conuulsio? Et *in Coacis prænotionibus*, profusa narium hæmorrhagia vi suppressa, sæpe adducit conuulsionem. Quare hæmorrhagia quæ non supprimitur, sed ad ὑπόκρισιν adducit, minimè conuellet, sed exoluet. Sciendum est inprimis, conuulsionem & singultum, qui hæmorrhagiæ superuenire hîc dicuntur ab Hippocrate, ab inanitione, vtpote post magnam sanguinis vacuationem fieri. Conuulsionem autem illam, cuius meminit in Coacis, fieri à repletione, quando scilicet ad sistendum sanguinem vtuntur refrigerantibus, fronti, ceruici, capiti, naribus admotis, quorum vi fit vt repulsus intrò sanguis cerebrum ipsum & neruorum propagines impleat, conuulsionémque & alios affectus cerebri accersat: Vnde illud Hippocratis, *in prorrh.* 39. *sectionis tertiæ libri primi*, *Qui statis temporibus sanguinem fundunt, si non profundant, Epileptici fiunt.* At nos hîc de inanitione loquimur; quæ non solùm largiter & effusè, sed etiam violenter ac confertim contingit, vnde illud Hippocratis, *in Prorrhet. Si larga, si violenta effusio.*

ſanguinis eſt, interdum conuulſionem adducit. Quaſi diceret, non omnem largam effuſionem ſanguinis, conuulſionem, vt nec ſingultum accerſere, vt eam in quâ æger infirmis & proſtratis eſt viribus, & quæ ſenſim fit. Sic enim potiùs ſyncopen aut mortem ab exhauſto, vel ſaltem ἔκλυσιν inferet; ſed eam quæ in validum adhuc ægrum confertim & violenter contingit; in quo natura adhuc ſui potens noxiam illatam ſentiens, ſeſe contrahit, vt poſtmodùm procedente malo exoluatur. & omnino diſpereat. Quod dixit *Aphoriſmo nono ſectionis ſeptimæ*, idem eſt. Addidit autem Dementiam, quia ab exhauſto copioſo ſanguine & ſpiritu animalis illa & princeps functio ſuo inſtrumento priuata, deprauatur & minuitur.

Concludamus igitur, vt adhuc fecimus in aliis Aphoriſmis præcedentibus. Quæcumque conſequuntur ſummam corporis noſtri ſuo genio & laudatiſſimo ſucco priuati exſiccationem, & ſunt indicia lapſus qui reſtitui non poteſt, ea mala ſunt admodum ſigna. At conuulſiones & ſingultus ſuperuenientes largæ & violentæ hæmorrhagiæ, indicant exſiccationem venarum & arteriarum, quæ ſuo alimento fraudatæ, ab aliis partibus, neruoſo ſcilicet genere, & officina corporis noſtri primaria repetunt & in ſimilem affectum deducunt, qui & ob naturam ſuam propriam, & repentinam generationem minimè aut vix reſtitui poteſt. Quare ſanguini copioſo effluenti, conuulſio aut ſingultus ſuperueniens, malum, graue & ferè lethiferum. Quod fuit demonſtrandum.

APHORISMVS IV.

Εἰς ὑπερκάθαρσιν σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγινόμενον, κακόν.

Nimiæ purgationi conuulſio aut ſingultus ſuperueniens, malum.

EADEM eſt huius Aphoriſmi, quæ & præcedentium intelligentia ac demonſtratio, primi potiſſimùm, vbi quæ particulariter de helleboro dixit, hic generatim de omni ſuperpurgatione profert, vt ex huius propoſitionis vniuerſalis vi, illius veritas inferatur. Vnde non erit nobis hic laborandum in aſſignandis cauſis & referendis, nec in concluſione conficienda, quæ iam à nobis propoſita & illata eſt aliis Aphoriſmis, ac inde repetenda. Annotandum tamen hunc Aphoriſmum ad eandem Medicinæ partem referri, quam & ſuperiores, & haberi eiſdem verbis in Epiſtola ad Democritum: Item *Aphoriſmo vigeſimoquinto ſectionis 7.* vbi pro ὑφαρπάσαι, φαρμακοποσίαι ponit. Atque in Coacis explicatiùs, In meris, inquit, vomitibus, mortiferè habet ſingultus, mortiferè item conuulſio. Similiter & in purgationum exceſſu quem inferunt pharmaciæ. Eſt & alius Aphoriſmus in Coacis, vbi duo alia accidentia purgationis exitialia adfert, quæ lipothymias & ſyncopes comitari ſolent, Ἢν πάσῃ καθάρσει πλευραζόμενον, ψύξις μετ' ἰδρῶτος, ὀλέθριον. Vt igitur in helleboriſmi vſu, vulnere, ingenti hæmorrhagia, ſuccedens Conuulſio, ſignum eſt lethale, quia indicat lapſum à naturali conſtitutione, qui reſtitui non poteſt, & abolitam aut certè multùm deprauatam actionem primariam: Sic in ſuperpurgatione, ab exhauſtis ſpiritibus, humoribus, & humido primigenio, eadem ſignificatio fit per ſingultum atque conuulſionem. Quæ idcirco mala atque etiam lethalia cenſenda ſunt. Quod fuit demonſtrandum.

Sed quia purgationum ſuperpurgationúmque natura maximè intelligenda eſt ab eo qui futurus eſt Medicus, & catharticis generoſis in poſterum vſurus. Ideò nos non fruſtrà videbimur, de Medicamento in genere, eius definitione ac diuiſione, de cathartici natura & actione, ac de purgatione ſuperpurgationéque ea quæ ad theoriam pertinent, differere, in illorum potiſſimùm gratiam, quorum animus nuper Medicinæ incenſus amore, nondum Hippocratico aut Galenico fonte datum eſt proluiſſe labra iugiter, iſtorum cauſa has potiſſimùm digreſſiones conficimus. Doctiores enim non tam ego docere poſſum, quàm iucunda

commemora

commemoratione iam ab eis penitiſſimè cognita, in mentem quaſi poſtliminiò reuocare.

Galenus *libris de ſanit tuendâ*, omnem remediorum materiam & quaſi ſyluam, tam in ſanis, neutris, quàm ægris, ad quatuor capita eleganter reuocauit, aſſumendorum ſcil. dmouendorum, educendorum, & gerendorũ: ſub quibus nihil eſt eorum quæ in ſanitatis conſeruatione & reſtitutione, morborum præcautione & curatione vſurpantur, quòd non commodè admodum contineatur, vt ille ibidem perſequitur: At inter ea illa omnia quæ aſſumuntur, quædam alimenti, quædam veneni, alia medicamenti rationem obtinent. Atque hæc nomina ad aliquid dicuntur, cùm ſcilicet referantur ad varium agendi modum, quem in corporibus noſtris exercent. Vide quæ hac de re docuimus, lectionibus xij. xiij. & xiv. noſtræ Exercitationis in Librum περὶ φύσιος ἀνθρώπου.

APHORISMVS V.

Ἢν μεθύων ἐξαίφνης ἄφωνός τις γένηται, σπασθεὶς ἀποθνήσκει, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ, ἢ ἐς τὴν ὥρην ἐλθὼν, καθ' ἣν αἱ κραιπάλαι λύονται, φθέγξηται.

Si quis ebrius ſubitò priuetur voce, morietur conuulſus, niſi eum febris corripiat, aut circa horam illam quâ ſoluuntur crapulæ, locutus fuerit.

RESPICIENS hæc noſtra Hippocratica, non ex auium volâtu, conſpectione extorum in mactatâ pecude, aut gallorum cantu, & variâ pugnâ, ſed ex imis naturæ noſtræ penetralibus petita, & ex cognitione illâ cauſarum & effectuum in permutationibus variis humano corpori contingentibus, non paruum faceſſit illi negotium, qui vates in Medicinâ & augur Hippocraticus fieri cupit, vt connexionem iſtam & conſequutionem ex verâ cauſarum explicatione adipiſcatur, quas Hippocrates in condendis his Medicinæ legibus, vt omiſit, ſic nobis cogitandas inquirendáſque reliquit, hoc potiſſimùm Aphoriſmo, non parùm obſcuro & implicato, quem nos explicandum nunc ſuſcepimus.

In primis autem ſecundùm propoſitam à nobis methodum, ſciendum eſt Aphoriſmum iſtum cum ſuperioribus, ad eam Medicinæ partem referri, quæ Σημειωτικὴ appellatur, complectitúrque προγνωστικὸν, quâ ſalutis & mortis ſigna, in variis morborum generibus, longis ſcilicet & acutis, & aliis affectibus Medico ſcienda continentur, vt nunc in crapulæ ac temulentiæ ἀφωνίᾳ, quam ille non ſolùm valde periculoſum exiſtimat, ſed etiam genus mortis, quâ eiuſmodi homines perire ſolent, & tempus circumſcribit: Huic reſpondet *Aphoriſmus* 7. *ſectionis* 7. vbi Hippocrates vult, μελαγχολίην, in multâ potatione rigorem & deſipientiam ἐπιγινόμενα, mala eſſe admodum, quorum hæc principij, cerebri nimirum labem; ille verò caloris natiui oppreſſionem ſignificat, vnde certiſſima noxa coniectatur. At hic noſter Aphoriſmus non ſolùm relatus eſt ab Hippocrate *libro ſecundo de morbis*, ſed etiam graphicè deſcripta temulentiæ & vinoſæ crapulæ pericula, quibus auxiliari docet; *Si quis*, inquit, *ex ebrietate, voce priuetur, & ſtatim ſanè ipſum etiam febris corripiat, ſanus fit; ſi verò non corripuerit, die tertiâ moritur.* Si itaque in ita affectum incideris, multâ calidâ lauato & cætera præſidia, quæ ibi adferuntur, pro huiuſmodi veterni curatione. Ad Aphoriſmi igitur noſtri intelligentiam faciliorem de ebrietate & eius affectibus pauca, de voce & eius priuatione, vt affectu difficillimæ notitiæ, multa ſunt adferenda, vt poſtmodum ad peculiarem Aphoriſmi ſenſum eliciendum, & demonſtrationem conficiendam veniamus.

Vulgatiſſimum eſt illud, nullum eſſe bonum, quod præpoſtero vſu, malum non fiat, & maximè compertum in nectarei cuiuſdam ſucci ad hominum corpora refocillanda, deorum dono maximo conceſſi quotidianâ vſurpatione, qui ab omnibus hominum linguis, maximo omniũ conſenſu, parùm immutatè *Vinum* appellatur

Eſt autem nihil aliud vinum, quàm ſuccus ſiue liquor ex maturis vuis extractus, qui muſtum appellatur, antequàm fuerit concoctus & depuratus, vt qui ex acerbis exprimitur, omphacium vocatur, contrariis penitus viribus; qui ex putrefacto vino, & penitus corrupto, quaſi ex eius interitu rediuiuus exurgit, acetum dicitur. Vinum verò multas & propemodum infinitas differentias à colore, odore, ſapore, conſiſtentia, regionibus; ſolo, & ſimilibus nactum, quas non eſt hîc nobis propoſitum perſequi, & ad ſanitatis conſeruationem ſobriè ſumptum, & ad morborum depulſionem viriúmque promptiſſimam reparationem artificiosè præſcriptum, plurimùm conducit: at contrà immoderatè ſumptum, quod facillimè contingit propter hominum intemperantiam multorum, quibus nihil aliud eſt viuere quàm bibere, & ſucci huius ſuauitatem maximam & propè ambroſiam, quâ deliniti non ad ſitim extinguendam & corporis nutritionem, ſed ad explendam voluptatem helluones abuntur; fit vt ab illo infinitæ non ſolùm in corpus, ſed etiam in mentem inducantur noxæ. Hinc factum eſt, vt Legiſlatores multi vites radicitus reſecuerint, extirpauerintque velut tantorum malorum elementa & cauſas, ſuiſque populis vino omnino interdixerint, quo Bacchus de totâ Indiâ maximiſque regionibus triumphauerat; Lycurgus Lacedæmonios vino vti prohibuit; Plato ſenibus tantùm concedit, quorum habitus durior ficciórque, dulci hoc liquore molleſcit & incaleſcit. Impia Mahometis factio penitus abſtinet, vt mentis perturbationem, & corporis mollitiem fugeret. Certè apud Græcos tanta fuit intemperantia, vt non fruſtrà à viris illis, vini vſus ſit eis ſublatus, ne illi deinceps græcari poſſent, & vinorum generoſiſſimorum ibi naſcentium potatione diurnâ nocturnáque, quæ primâ aurorâ incepta, aliam ſcyphos exhauriendo expectabat, maximos animi corporiſque morbos incurrere.

Vinum igitur naturâ ſuâ & viribus calidum ſiccúmque, calefacit, concoctionem iuuat, facillimè mutatur, ſubſtantiæ humoralis & ſpirituoſæ damna citò reparat, & naturam ſanguinis ſubit, vtpote ſimilarium partium & bene concoctarum; ſuarum etiam tenuitate partium, ἀναδόσεως & alimenti diſtributionem adiutat, ſimediocritas acceſſerit tam in qualitate, quantitate, quàm vtendi tempore; qualitate quidem ſi temperatum lymphiſque refractum ſumatur, quod violentius & generoſius eſt; vnde Hippocrati *Aphoriſmo quinquageſimoſexto ſectionis ſeptimæ, & alibi*; οἶνος ἴσος ἴσῳ ὑπόμικτος, æqualiter aquæ permixtum, & iuuat ſanos, & ægros multoscurat. Quantitate autem, iuxta ſumentis naturam & conditionem, vndo illa binæ, ternæ, aliarúmque potationum dicteria: quæ maximè definiuntur Galeno ſedatione ſitis famiſque. Vtendi verò tempus eſſe debet conſuetum, quo ſatiari ſolent, bis aut ter in die, pro variâ hominum naturâ & laboribus, non continuus, & interruptis compotationibus, quæ maximè ventriculi focum & calorem frangunt; niſi aliæ cauſæ acceſſerint, quæ vini potum ſuadeant præſentaneum, vt ad refocillandas reuocandáſque vires. Atque in aſſuetis prandendi cœnandíque temporibus id obſeruandum, vt non ſtatim in ipſo menſæ introitu pitiſſemus ſorbeamúſque vinum potiſſimùm meracum, ſed alimentis ſolidioribus permiſceamus; illud enim ſolum, appetitum tollit, & citiſſimè ſatietatem infert: ſed etiam crudos in ventriculo ſtabulantes ſuccos præcipitat, & in alias partes deducit, vnde arthritides Galeno, cruditatéſque contingunt. Si itaque Vinum non repreſſum & ſuo correctiuo frænatum, copiâ immodicum, quauis horâ, & præpoſterè, vt ſolent helluones & temulenti homines aſſumatur, grauiſſimam illam noxam infert, quæ Hippocrati *de intern. affect.* μεθύσεως, ebrietas, οἰνοφλυγίη vinolentia, κραιπάλη, crapula, temulentia, helucus, veternus appellatur, multorum morborum parens & author, qui à vini aſſumptitam qualitate quàm quantitate excitantur. Qualitate enim ſuâ calidâ ad fumoſitates & ἀναθυμίασιν paratiſſimâ, cerebrum vaporibus implet, animíque ſedem peruertit & veluti circumagit. Hinc imaginationis, memoriæ, rationis, illa in ebrioſis deprauatio, furor, audacia, contemptus omnium, aucto & feruente circa cor ſanguine. Ebrietas animi mores detegit, qui à temperie pendent, arcana elicit non aduertente ratione quæ celari debebant; vertigines inducit, vt omnia rotari videantur ob circumactionem ſpiritus interioris; viſionem eodem modo deprauans, ac ferè omnia duplicia oſtentans, ſermoníſque & linguæ impotentiám inducens, & fluxiones concitans. Quantitate verò ſuâ replet diſtenditque vaſa, apoplexiæ, cari, ſuffocationis periculum ex repletione infert, & calorem natiuum oppreſſum tantâ vini mole extinguit, quemadmodum oleum in lucernam confertim aut nimiâ copiâ immiſſum, flammam quam augere ſolet, ſuffocat; temporiſque

temporisque successu ac morâ totum corpus debilitat & enervat, morbosque ex refrigeratione inducit, tam crudorum succorum generatione, fluxionumque è cerebro irritatione, quàm exsiccatione & consumptione caloris nostri natiui.

Ebrietatis autem trés gradus faciunt. Primus est quo tantùm ex spiritibus & sanguine aucto, hilaritas quædam inducitur, nullâ functionum animalium noxâ: Secundus, quo iam mens sibi non constare videtur, sed imaginationis depravatione, multa agere & dicere præter morem, motusque animalis, & sensuum peruersio contingit: Tertius, quando abolitio potiùs quàm depravatio functionum contingit, nausea, vomitus, dolor capitis immensus, somnolentia grauissima, & grauitas ac torpor, quo veluti sepulti iacent. Hæc vera est crapula ab eo dicta, vt inquit Galenus, quòd κάρηνα πάλλεται, caput concutit, mentisque sedem percellit; Aliquando sine periculo, vt in vaporosâ tantùm effumatione ad cerebrum, quæ certo quodam tempore discutitur; aliquando cum periculo & certissimâ morte, quando ex repletione distentis vasis, repleto cerebro, neruisque imbutis, apoplexiam repentinam, carum, aut conuulsionem inducit, quæ obmutescentiâ quadam & ἀφωνίᾳ innotescente, malæ sunt Hippocrati, vt nos posteà dicemus, si priùs de voce & eius priuatione generatim disseruerimus.

Dædaleam vocis sermonisque fabricam explicaturi, noxasque quæ illis contingunt, id in primis repetendum ex Galeno *libris de vsu partium*; naturam vniuersitatis rectricem, ita ritè omnia in nobis comparasse, vt nihil otiosum in hoc microcosmo esse voluerit, & cùm per pauciora aliquid perficere potuit, nusquam id per plura agere molita est. Nam cùm calidum illud innatum, quasi vitalis scintilla in corde residens, non nisi ventilatione quadam, refrigeratione, nouo pabulo, & fumidorum excrementorum depulsione, quæ in illa coctione generantur, foueri conseruarique posset; Totam etiam illa corporis fabricam ita instituit, vt ex continuò inspirato aëre, cordis flamma nutriretur temperareturque, non confertim appellente, sed per vias & canales ita præparato, refracto, & attenuato, vt iam commodè in cor appellere possit. Expirato autem & emisso, fuliginosis illis vaporibus qui in omni coctione generantur, liberaretur. Verùm patet hîc magna naturæ solertia, quod enim iam cordi inutile & noxium erat, dum excluditur emittiturque, in vsus præstantissimos aut potiùs diuinos conuertitur, in vocalem scilicet materiam facessit, sermoni deinde famulaturam, qui mentis nostræ & rationis character dicitur.

Vt enim omnis sonus ex aëris collisione confractioneque inter solida corpora editur; Sic vox sonus est non quiuis in animante, (sunt enim alij soni, vt in ventre ructus, crepitus, rugitus, borborygmi, & similes, tussis, stertor, gargarizatio, ploratus, sternutamenta) sed qui per vocalia & modulatoria instrumenta editur. Eum igitur habere oportet aërem pro subiecto & materiâ sine quâ edi non potest. Est enim, vt inquit Hippocrates, τὸ πνεῦμα τὸ φθεγγόμενον, aër siue spiritus vocalis, *libro de carnibus*. Quæcunque igitur materiam hanc continent, alliciunt, & eliciunt, quæcunque velut canales exitum introitumque præbent, quæcumque percutiunt & refrangunt prorumpentem illum aërem, quæ denique partes vim subministrant hisce ad motus illos, edendos, eæ omnes ad vocem edendam, earumque natiua & bona constitutio requiritur. Thorax igitur, pulmones, fauces, larynx seu guttur, epiglottis, aspera arteria, erunt instrumenta propria, thorax per suos musculos dilatatus secumque pulmones adducens, aërem trahit, compressus verò pellit, & à pulmonibus excutit. Id si leuiter & moderatè fiat, expiratio & inspiratio contingit, labente sensim aëre per arteriam, quod ad vocem minimè sufficit; ad quam non solùm aëris emissio, sed ἐκφύσησις, exsufflatio requiritur, & coacta expulsio per cannam pulmonum, ideò membranosâ, cartilaginosaque substantiâ constantem, vt neque nimis duriter, neque molliter nimis & laxè aërem elideret, sed strepitum illum ederet, qui ad superiorem eius partem, quâ larynx est prorsus cartilaginosus, musculisque propriis variè contractus diductusque, varias vocis differentias ederet. Huius rimæ epiglottis, ligula dicta, superiacet tanquam plectrum, ad modulandam, varioque impulsu permutandam vocem. Post hanc sequitur lingua, non vocis simpliciter, sed sermonis seu articulatæ vocis instrumentum, cui famulantur gurgulio, palatum, labra, nares, dentes, & cæteræ partes, quæ in hoc naturali veluti fornice, efficiunt soni illius repetitionem & echo. Caput enim, inquit Hippocrates *lib. de carnibus*, resonare facit per reflexionem illam siue refractionem; vnde lingua variâ suâ agitatione & motu, sermonis ferendi & fandi occasionem nanciscitur. Aliud enim est

by Google

vox ſiue φωνὴ, φθογγὸς, καὶ φθέγξις; aliud ἀυδὴ & λαλητὸς, loquela ſiue ſermo; aliaque ſunt vocalia, alia verò ſermocinalia inſtrumenta, quæ ſe ita conſequuntur, vt inſpiratio primùm præcedat, deinde expiratio non ſimplex, ſed cum exſufflatione per contentionem & motum thoracis, ſuorumque muſculorum, diaphragmatis, atque abdominis: Hæc ἐμφύσησις, exſufflatio ſtrepens, in cannam illabens, varieque colliſa ſtrepit, dein per rimam illius exiens, & à laryngis muſculis, ſuperiectaque epiglottide percuſſa & variè agitata, vocem propriè dictam edit; Cui ſuccedens actio linguæ, ſermonem edit, loquitur, & variâ impulſione aëris, vocabula intentionaliter ſignificantia, pro linguarum varietate & diuerſitate edit. Hæc omnia cùm vario motu muſculorum exerceantur, qui ſunt inſtrumenta motus arbitrarij; ſequitur cerebri vim concurrere, quæ per neruos illabens, in eiuſmodi muſculos influat. Nerui autem variè à cerebro oriuntur, mediatè ſcilicet, quando ab ipſo proficiſcuntur; immediatè quando à ſpinali medullâ; hîc verò nerui ſunt tum ab ipſo cerebro, tum à ſpinâ, à quâ oriuntur nerui omnes, qui in muſculos reſpirationis illabuntur circa dorſi vertebras; à cerebro autem, qui in laryngis muſculos & linguæ inſeruntur, ex ſextâ eius coniugatione, vt Anatomes perito ſatis patet. Ad hoc etiam concurrit cordis ipſius, viralis ſcilicet caloris influxus, vt communis inſtrumenti, ſine quo nullæ actiones in nobis exerceri poſſunt, quo actiones iſtæ roborantur: tum vſus ipſius inſpirationis ad refrigerium cordis: quo nomine antiqui Philoſophi exiſtimarunt, cor eſſe primarium vocis inſtrumentum, vtpote cuius causâ aër inſpiraretur, & ex quo veluti ex termino, ad guttur vocalis materia procedere videbatur: Contra quos eruditè Galenus, *lib. 2. de decretis*, diſputans oſtendit non eſſe idem, inſpirationem fieri propter cor, & vocem à corde fieri, quia inſpiratio eſt materia vocis; aër enim exiliens à corde cum vaporibus illis fuliginoſis, nullum deinceps alium motum à corpore recipit, ſed à cerebro vim illam excipiens, per muſculos thoracis expulſus, inſufflatuſque vocem edit. Quod ſatis oſtendunt mactatæ pecudes, quibus exempto corde ſæpe currere vociferarique contingit; compreſſo verò colliſóve cerebro aut ſpinali medullâ, concidunt ſtatim, & voce priuantur.

Ex prædictis conſtat, expirationem, exſufflationem, efflationem ſtrepentem, vocem, ſermonem, ſeſe ita conſequi, vt expiratio & exſufflatio per thoracis motum à muſculis factum, irrumpens in cannam pulmonum, læui ſuperficie ſiccaque conſtantem, orbiculariter cauam, ex ſubſtantiâ cartilaginoſâ membranoſaque confectam, viaque ſtrictiore, ſtrepentem exſufflationem edere: quæ in gutture ſeu larynge per muſculos mota, & percuſſa ab epiglottide, ſonum vocalem ſeu vocem edat: cui lingua per ſuos muſculos mota ſuccedens, variè articulat & efformat, ſermonemque profert, adiuta naribus, palato, labiis, & dentibus. His peragendis aſſiſtunt duo principia, cor nimirum, commune inſtrumentum omnium actionum, ſuppeditans influxum caloris innati; cerebrum verò peculiare, nimirum vim animalem motricem, quæ in muſculos illos influit, tum à ſextâ cerebri coniugatione, tum à neruis ex ſpinâ ipsâ orientibus. Inſtrumenta igitur vocis talia ſunt, talis materia vocalis, per quam vox articulata & inarticulata efformatur. Finis verò in homine eſt potiſſimùm ſermo ipſe, qui manus mentis dicitur, & ſine quo vita hæc politica conſtare non poterat: in reliquis animantibus eſt, vt cantus edant, varioſque animi motus & paſſiones prodant.

Quod ad vocis differentias attinet, variæ recenſentur, magna, parua, acuta, grauis, aſpera, lenis, rauca, clangoſa, tremula, conſtans, alta, ſubmiſſa, & ſimiles; ex quibus omnibus varios tonos Muſici conſtituerunt, & ex diſſonantiis conſonantias harmoniaſque ſunt fabricati: Harum omnium cauſæ tum ad aëris ipſius exſufflationem variam, tum organorum diſpoſitionem ſunt referendæ. Vt vocis magnæ cauſa, eſt aëris copia confertim efflati per latas arteriæ gutturiſque vias: acutæ, aër per anguſtam viam delatus, & vi incitatus: aſperæ, ipſius arteriæ inæqualitas ex ſiccitate nimiâ aut humiditate illabente, quæ raucam propriè efficit. Sed has naturales vocis differentias non eſt nobis propoſitum perſequi, quæ facilè innoteſcent ex inſtrumentorum ipſorum diſpoſitione, & variâ actione, ... quæ de vocis & loquelæ ipſius læſione, læſiſque partibus dignoſcendis, ſunt à nobis deinceps dicenda.

Eſt autem id in primis ſciendum, quod in Pathologiâ noſtrâ docuimus, morborum alios ſympathicos, alios verò idiopathicos, quorum hi propriè, eſſentialiter, & diſpoſitiuè, vt ita loquar, conſtitutionem ipſam inſtrumentorum alicui actioni

edendæ

edendæ dicatorum peruertunt & occupant: illi verò actionem quidem lædunt, sed in instrumentis secundùm *Συμμετρίαν* eorum *ἀσίαν* non sunt; verùm ob facultatis alicuius negatæ, quæ à principio per suos canales influere solebat, priuationem, aut materiæ communis vel propriæ abnegationem, fit vt non minùs instrumentalis actio lædatur, quàm affectis primariò ipsis instrumentis. Quod nos hîc luculenter demonstrabimus. In primis autem notandum in læsionibus istis, expirationem, exsufflationem, sufflationem strepentem, vocem & loquelam, sese ita consequi; vt primâ læsâ, reliquæ simul omnes lædantur: sublatâ enim expiratione, aut ex totô, aut ex parte, tolluntur exsufflatio, strepens efflatio, vox, & loquela, ac denique vita ipsa, propter priuationem refrigerij illius ad calorem cordis conseruandum necessarij: Vltimâ verò læsâ, reliquas minimè violari; obmutescentia enim neque vocem, neque sufflationem, nec expirationem ipsam tollit aut vitiat; sic læsâ secundâ reliquæ tres; læsâ tertiâ reliquæ duæ; quartâ læsâ sola vltima læditur, illæsis eis quæ illas antecedunt, vt vnicuique facile est animaduertere.

His ita intellectis certum est, vocem & loquelam, vt actiones animales tolli, minui, aut deprauari posse, vitiatis per se aut secundariò instrumentis, non solùm voci & sermoni dicatis, sed etiam expirationi, exsufflationi, & strepenti efflationi. Vocis tantùm priuationem vocat Hippocrates *ἀφωνίαν*, sermonis verò *ἀναυδίαν*, vt videre est *lib. 3. epid.* vbi Apoplecticus iacebat non solùm *ἀναυδὸς*, sed etiam *ἄφωνος*, fari impotens, sed etiam voce captus, vnde *φωνὴν*, vocem, mutis ipsis & brutis animantibus tribuit, *lib. de carnibus*. Quod accuratè & diligenter in scriptis Hippocraticis est animaduertendum, contra communium interpretum morem, qui vulgò *ἀφωνίαν*, obmutescentiam vertunt, cùm vocis silentium seu priuationem significet Hippocrati, multò scilicet grauiorem affectum, & maiores ac atrociores morbos comitantem ac prænuntiantem, vt videbimus.

Vt igitur tollitur, minuitur, & deprauatur primariò per affectus in instrumentis *ἀναπνευστικοῖς*, & *φωνητικοῖς*, respiratoriis & vocalibus inhærentes: *Ἀναπνευστικὰ* sunt, abdominis & thoracis musculi, intercostales, diaphragma, pulmo, pleura ipsa, quibus morbo similari, organico, aut communi, vel pluribus eorum obsessis, fit ista læsio: *Φωνητικὰ*, vocalia sunt propriè, arteria illa seu canna pulmonum, larynx tribus constans cartilaginibus, epiglottis, musculi laryngem & epiglottida mouentes, neruique recurrentes, qui in illos inseruntur. Quibus itidem affectis primariò vox ipsa vitiatur.

Sic ex maximâ musculorum abdominis, thoracis, aut intercostalium inflammatione, vel repletione contractoriâ seu conuulsoriâ ingenti, per morborum initia, eò confertim decumbente humore: aut posteà per *μετάστασιν* translato, vox tollitur, & ægri respiratione etiam cum dolorifico admodum affectu, sublatâ moriuntur. Quod innuit Hippocrates *in Coacis*, dum ait; *Qui ex dolore fiunt voce capti, δυσθάνατοι, ægrè & cum maximo cruciatu moriuntur*; & idem innuere videtur 1. *prorrhet.* vbi ait; *Quæ cum singultu sunt aphonia, pessima*, ex interpretatione ipsiusmet Galeni; ad repletionem hoc conuulsificam & dolorificam referentis. Vtque ex contractione istâ inuoluntariâ in musculis, qui non solùm colligi, sed etiam laxari debent ad motus suos obeundos, sic ex exolutione & paralysi, vt docet eleganter Galenus *in prorrh.* eorundem musculorum munere suo ampliùs minimè fungentium, sed obtorpescentium. vt per refrigerationes, aut natiui caloris extinctiones maximas, fit sublatio eiusdem respirationis. ac proinde exsufflationis, & vocis, vtraque ipsa tollitur, quæ sine respiratione diu durare non potest, vnde illud Hippocratis *in Coacis*; *Quæ cum exolutione veniunt aphonia, pessima & mortales*; *ἴκλυσις* enim & *ἀφωνία* eandem habent hîc hyparxin, caloris scilicet natiui extinctionem, vnde paupertas materiæ vocalis, & facultatis motricis infirmitatem, vnde instrumentorum illorum ad *ἐκφύσησιν*, exsufflationem, atque adeò expirationem impotentia. Quod si ista vel tensio vel exolutio non omnibus his musculis, sed vel superioribus non inferioribus, dextris non sinistris; vel non *κατέχως*, vt loquitur Hippocrates, continuè & firmiter, sed leuiter admodum hæreat, fiet imminutio tantùm aut deprauatio vocis.

Ex graui item inflammatione totius thoracis, diaphragmatis, pleuræ, pulmonisve in eisdem abscessu, tuberculo, vomicâ, empyemate, vulnere, certissimum est vocem vel tolli, vel minui, vel deprauari. Hinc apud Hippocratem, vox illa *περιπνευμονικὴ ἠ λιγυρώδης*, peripneumonica stridens & clangosa, ex constrictione meatuum in pulmone, & exsiccatione; vnde peripneumonici moriuntur, *libro de victus ratione in morbis acutis*, stertore, strangulatu, & *ἀφωνίᾳ* malè mulctati. Hinc empyicis apud

Hippocra

Hippocratem, quibus thorax pure eſt oppletus, vox non eſt λειὴ, clara, ſed μέλαινα, fuſca & valde obſcura: Vt & pleuritici τὴν τῆς φωνῆς λαμπρότητα, vocis ſplendorem amittunt. Quibus confoſſus eſt thorax ingenti vulnere, illi amiſsâ exſufflatione, inſpirationem quidem & expirationem habent liberam, vitaque permanet, ſed tum propter malè affectos & diſſectos muſculos intercoſtales, tum propter effluxum materiæ vocalis, ſilentio vocis integro occupantur. Per exigua verò vulnera minuitur tantùm vox aut deprauatur.

In φωνητικοῖς item ſeu vocalibus inſtrumentis, affectiones primariæ vocem meritò tollunt & lædunt, ſimilares, organicæ, communes; humectata nimiùm, exſiccata, refrigerata, aut calefacta (vt per nimias vociferationes & clamores, ex Galeno 4. *de locis affect.* canna pulmonum, larynx, epiglottis, muſculi, aut nerui, voces ſuſtulerunt & corruperunt: catarrhus ferinus è cerebro in guttur ad perpendiculum fluens, ſæpe vocem adimit, aut intercalarem facit. Aſperior reddita interior cannæ ſuperficies, quæ læuiſſima eſſe debet, propter humorem imbibitum, vt in tuſſi contingit, raucas edit voces, aliquando tollit penitus; hinc poti rauciores ieiunis, ſenes iunioribus, vdo cœlo quàm ſicco. Sic exſiccatio nimia exaſperans, vt febrientibus, per æſtum ambulantibus, clangorem oppoſitum) infert, & vt vocem emittere non poſſint, ſæpe efficit. Vidit Galenus *lib.* 3. *de locis affectis*, vocem adeò vitiatam, vt pænè perderetur, refrigeratis vehementer neruis & muſculis laryngis, ex adhibitis topicis refrigerantibus parti illi, quam calorificis remediis reſtitutâ naturali temperie, reuocauit. Tumores omnis generis phlegmonoſi potiſſimùm in larynge & muſculis exterioribus, qualis eſt cynanche & paracynanche anginæ ſpecies, non ſolùm vocem deprauant, acutam, ſtridulam & tremente reddentes ex conſtrictione faucium, ſed etiam viis impeditis, per quas fit expiratio, ſtrangulationis metum adferunt, non minùs quàm arctiora vincula gutturis, in iis qui ſuſpendio mulctantur, & gula frangitur. Neque ſolùm laryngis & cannæ inflammatio, ſed etiam ipſius œſophagi phlegmone, comprimens tunicam cannæ, quà cartilaginum ipſius partes extremæ Sigmoides vocatæ, coniunguntur. Quod etiam præſtat, idque citiſſimè luxatio ceruicis vertebrarum in interiorem partem, potiſſimùm eius quæ dens appellatur Hippocrati. Solutiones item continui exſufflationem auferunt, & vocem ex vulnere in canna aut larynge impreſſo impediunt, tum propter partium illarum violatam ξυνέχειαν, tum effluxum materiæ vocalis. Quod vidit Hippocrates *lib. de carnibus*, præſecto gutture. Nerui etiam illi recurrentes, φωναγωγοὶ, vocis authores, ſæpe per imprudentiam à Chirurgis ipſis, exſecti aut corroſi, integram ἀφωνίαν induxerunt, ſi ex vtraque parte id fieret; mediam verò, ſi ex vno tantùm latere. Quod Galenus *lib.* 1. *de locis affectis*, vidit in extirpatione χοιράδων, id eſt, ſtrumarum, quæ profundo ceruicis hærebant.

Atque hi affectus organis iſtis ἰδιοπαθικῶς inhærentes, voces tollunt, minuunt & deprauant; ξυμπαθικῶς verò frequentiſſimè ex communicatâ materiâ, negatâ facultate, aut priuatione materiæ contingunt. Communicatur materia vocem impediens per fluxionem & decubitum, vt irrumpens ex capite pituita in fauces confertim, nullo ibi affectu genito adhuc vocem ſubripere ſæpe viſa eſt illaſque deprauatæ vocis attributiones Hippocrati vſitatas plurimùm efficere, δίφωνος, μέλαινης, βαρυφώνου, ἐκλειπούσης, καταχλαμύνης, καλλιφώνης, κικλαμύνης, ὀξυλαλιμύνης, denſæ, fuſcæ, aſperæ, deficientis, perfractæ, præpeditæ, exolutæ. Tranſlato etiam ex purulento abſceſſu in palato, verbi gratia ad guttur humore, præfocantur fere ægri & voce capiuntur. At facultas ipſa negatur animalis, quâ motus iſti perficiuntur reſpiratorij & vocales, vel ob mentis peruerſionem, vt quando mens ipſa ægrotat, neque aduertit ad ea quæ ſunt agenda; Vnde Hippocrates 1. *prorrhet.* ἀφωνίας cum mentis ecſtaſi coniunctas, peſtiferas eſſe ſcribit: Vel ob affectum ipſius principij, nempe cerebri graui morbo obſeſſi. Sic ex concuſſione cerebri per ingentia vulnera, vox ſtatim tollitur, *Aphor* 58. *ſect.* 7. & *in Coacis*, ac vt eſt hoc noſtro Aphoriſmo, vbi ἀφωνία ex peſſimè affecto per ebrietates cerebro contingit, & humoris mole oppreſſo, qui in neruos deuolutus, conuulſionem citò mortiferam infert. Et 1. *prorrhet.* Quæ cum catocho fiunt aphoniæ, lethales, vt grauem principij noxam deſignantes, quâ defungi non poſſunt facilè ægrotantes. Tunc enim nullus fit influxus, neque in neruos, qui è ſpinali medullâ oriuntur ad muſculos thoracis, neque in neruos è cerebro immediatè procedentes ſextæ coniugationis, ad muſculos laryngis: Vnde non ſolùm vox, ſed etiam expiratio, reliquæque facultates animales tolluntur cum vitâ, ſi affectus perſeueret: Vnde illud elegantiſſimè dictum apud Hippocratem,

tem *lib.de victus ratione in acutis*, venarum ἐπιλήψιας, interceptiones subitam vocis defectionem faciunt, si sano hoc contingat, quando facultatis illius commeatus impeditur: Quam ἀφωνίαν etiam minuere videtur Hippocrates, quando vult eam aliquando esse τρομώδη, tremulam *in prorrhet.* ex consumptione spiritus animalis vel interruptè illabentis; vel denique facultas animalis instrumentis istis negatur, non peruersâ mente, non cerebro morbis obsesso, sed solâ spinali medullâ inflammata, obstructâ, luxatâ,, dissectâ, contusâ. Vidit Galenus *lib.* 1. *de locis affectis*, cui ex ingenti in terram casu, spina contusa & inflammata fuit circa dorsi initium, is tertio die exiguam vocem emisit, iam incipiente inflammatione, quarto verò auctâ eadem omnino obmutuit, & crura simul fuere resoluta, manibus illæsis, & spiratione integrâ. Cùm enim tota sub ceruice spinalis medulla esset resoluta, accidit thoraci, vt tum per septum transuersum & musculos superiores qui neruos excipiunt à spinæ parte superiore in ceruicis vertebris existente, moueretur sufficienter ad expirationem; ad exsufflationem verò minimè, quia intercostalium musculorum nerui omnes erant præpediti ex affectu spinæ, quæ est in vertebris dorsi. Sic igitur negatur facultas his partibus.

Materiâ verò communi vel propriâ priuatæ, tollitur etiam & deprauatur vox. Materiam illam communem appellamus calorem influentem à corde, cum spiritu vitali, quo præsente partes omnes recreantur, viuificantur, & munera sua exercere possunt: absente mortificantur & collabascunt. Sic per timores, trepidationes, syncopes, lipothymias, reuocato ad cor calore, respiratio, vox & loquela intercipitur, tollitur, deprauatur. Moribūdi hectici aut phthisici, ex iam extincto calore natiuo per πνεῦμα illam vniuersalem, vocem amittūt; Vnde apud Hippocratem, in diuturno morbo ἀφωνίαν mortem instantem denuntiant, vitalis caloris ablatione. Materia verò propria ad vocem est aër ille in pectore contentus, qui excludi debet confertim & certâ quantitate, quâ imminutâ summississimæ voces eduntur, & paulatim καταμαραίνονται contabescunt, vt loquitur Hippocrates *lib. de carnibus*, sublatâ, omnino tolluntur, vt in solutionibus continui thoracis, pulmonum, cannæ, laryngis, in quibus est affectus idiopathicus, vulnus scilicet; & sympathicus, nimirum priuatio vocalis huius materiæ, quæ in illis continebatur naturalem continuitatem seruantibus. Vidit Hippocrates *lib. de carnibus*, qui sibi guttur præsecuerant penitus, viuentes quidem & respirantes, verùm nullam vocem edentes, nisi quis gutturis vulnus constringeret, spiritumque effluentem contineret.

Ecce quomodo omnes affectus idiopathicos & sympathicos, ad vocis læsionem concurrentes & Medico diligenter animaduertendos, ad debitam diagnosin, prognosin, & therapiam, ac difficillimorum in Hippocrate cõtextuum explicationem, sumus persecuti. Qui omnes etiam loquelam, ἀναυδίαν καὶ ἀφασίαν, sermonemque tollunt, vt qui sine vocis operâ, nullo modo edi possit. Itaque sermo læditur, & vera ἀναυδία introducitur, per affectus istos tam idiopathicos & sympathicos instrumentorum ἀναπνευστικῶν καὶ φωνητικῶν. Verùm quia ab iis distincta sunt instrumenta dialectica, fit sæpissimè vt nullo existente impedimento in respiratione, exsufflatione, aut voce, tollatur aut vitietur ipsa loquela, ex affectibus peculiaribus his organis inhærentibus. Quæ organa sunt præcipua, lingua & eius musculi nouem, neruos ex septimâ coniugatione recipientes; adiuuantia, palatum, nares, dentes, & labra; lingua enim, vt ait Hippocrates *lib. de carnibus*, occurrens voci in pharynge articulat, obstruens ac impingens ad palatum & dentes: Si enim lingua non sic impingeret, non posset homo distinctè loqui, sed esset cum aliis animantibus μονόφωνα, vt in mutis à natiuitate apparet. Hæc vel ab ortu, vel post ortum à morbis affecta per protopathiam sermonem & dialecton corrumpunt. Lingua enim cùm moueri debeat à suis nouem musculis ad percutiendam & articulandam vocem, si illi inflammatione, tumore, vulnere teneantur, aut eorum nerui ex septimâ coniugatione, impossibile est, linguam moueri & fari: Si ea verò ipsa afficiatur eisdem affectibus, non poterit moueri, aut malè. Sic batrachio detenta lingua obmutescit, nec agitari commodè potest; quæ est vera ἀναυδία, fandi impotentia integra aut imminuta. Siccitas nimia & humectatio idem sæpe præstiterunt per febres & conuulsiones, vnde non solùm ἀφωνίαι, vocis priuationes, sed etiam ἀναυδίαι, malæ sunt Hippocrati per istos affectus, quamuis minùs, vt *in Coacis*, Ἀναυδίη ἐν τοῖσι ζωπυρώσιν, δὴ πολὺ κακόν. Et, Αἱ ὑπὸ πυρετοῖσιν ἀναυδίαι κακαὶ θάνατος. At loquelæ deprauatio triplex est, τραυλότης blæsities, quando certæ quædã litteræ difficulter pronuntiantur, & in aliam commutantur, vt R. in L. ψελλότης, balbuties, quando syllabæ aut litteræ quædam omittun-

tur nec proferuntur, μογιλαλία hæſitantia, quando in medio ſubſiſtit lingua; nec ſyllabas connectere poteſt continuatò. Quæ omnia proficiſcuntur à linguæ malâ conformatione naturali, & partium adiuuantium, vel morboſa; ſic lingua breuior ex conformatione aut ſiccitate nimiâ per febres, vt primores dentes attingere non poſſit, vel vinculo inferiore retenta, vel ipſi dentes malè poſiti, aut ſublati, vel palatum, ad quod fit reflexio linguæ, demiſſius, impediunt ne certæ litteræ proferri poſſint, vt T. quod pronuntiatur, dum hæret lingua primis dentibus. R. dum reflectitur ad palatum. Labra cæſa, curta, aut malè conformata, non comprimuntur ad proferenda M.B. & ſimilia. Vnde Hebræi ſuas ita litteras partiuntur, vt quædam ſint gutturis, quædam labiorum, quædam dentium, quædam palati, quædam linguæ potiſſimùm. At balbutics ex humectatione potiſſimùm linguæ maximâ procedunt: Vnde apud Hippocratem *Aphor. 36. ſect. 6.* Balbi longo alui profluuio corripi ſolent; Sic pueri, ebrij, paralytici balbè loquuntur, quia lingua firma non eſt ad percuſſionem illam & articulationem: Ex quibus etiam cauſis hæret, ſed maioribus. Palatum, nares, dentes, & labra itidem concurrunt, vt diximus. Quibus corroſum aut perforatum eſt palatum ex lue Venereâ, qui non habent conuexum, vt φοξοὶ, quibus nares ſunt obturatæ polypo, dentes malè poſiti aut ſublati, labra fiſſa aut decurtata, ij malè loquuntur & deprauatè, ex affectibus primariò locutionis organis inhærentibus. Qui etiam aliquando non quatenus loquelam lædunt, ſed quatenus vias per quas aër infertur & effertur, replent, expirationem, exſufflationem, vocemque auferunt, & ſæpe mortis periculum inferunt. Atque hæc de ἀφωνίᾳ & ἀναυδίᾳ, tanquam inſignibus admodum ſymptomatis, ſint à nobis paradigmatis inſtar, enarrata fuſiùs, vt vnicuique deinceps liceat in aliis eodem modo exerceri. Nunc verò iſtis ita de ebrietate atque ἀφωνίᾳ à nobis explicatis, facile erit Aphoriſmi noſtri abſtruſiſſimum alioqui ſenſum elicere.

Si quandoque enim per ingluuiem & generoſorum vinorum hauſtum immodicum contingat (vt ſæpe contingit apud Græcos græcari ſolitos) quoſdam etiam bene ſanos, ad eam temulentiæ & ebrietatis ſpeciem deuenire, quæ ἰσχάτη, vltima dicitur Hippocrati πρὸς ὑπερβολὴν, *lib. 3. de diæta*, ita vt non ſolùm ex ἀναθυμιάσει & effumatione, cerebrum vaporibus repleatur, ſed repentino illapſu crudioris ſucci, vini tenuitate tanquam vehiculo illuc delati, diſtendatur, venæque, arteriæ ac nerui opprimantur, fit ſtatim interceptio commeatus animalis ſpiritus & facultatis ad omnes partes, quæ voluntario motu agitantur: vnde non ſolùm vox & loquela tolluntur, ſed etiam omnis animalitas, vt ita loquar, concidit, potiſſimùm reſpiratio præpeditur, ad vitam vſque adeò neceſſaria, vt ſine auræ illius vitalis inſpiratione & expiratione liberâ diu durare non poſſit.

Hippocrates tamen noſter non ſolùm in hoc Aphoriſmo, ſed pleriſque aliis locis, vnius vocis priuatione repentinâ, tanquam actionis κατ' ἐξοχὴν animalis, omnium aliarum ſublationem, & principij ſummam læſionem deſignare eſt ſolitus, vt annotat eleganter Galenus. In 1. verò *prorrhet.* animaduertit potiùs ad ipſam reſpirationem læſam, dum ait; *Spiritus in aphoniâ, veluti his qui ſtrangulantur, promptus & elatus, malum.*

Qui igitur ebrius ita concidit repentè voce captus, is certè non ob proprium aut primarium affectum in organis anapniſticis, vocalibus, aut dialecticis exiſtentem, talia patitur. Non enim in illis ita repentè generantur grauiſſimi illi morbi vocem ἐξαίφνης tollentes. Non etiam negata eſt materiâ communis, calor ſcilicet influens è corde, vegetus adhuc atque etiamnum auctus vini potatione. Non propria, aër ſcilicet materia vocalis, qui continetur in thorace & gutture integris & bene continuis. Neceſſe eſt igitur negatam eſſe facultatem quæ ad motum muſculorum à principio, nimirum cerebro influit, atque interceptam vel in ipſo cerebro ex repletione illâ ingenti, vel in ſpinali medullâ, vel in ipſis neruis ab vtroque exorientibus. Sed non eſſe tantùm in ſpinali medullâ aut neruis, hinc patet, quòd actiones principes conciderunt in ſolo cerebro exerceri ſolitæ. Neceſſe eſt igitur affectionem ipſam in cerebro conſiſtere; vt eleganter hæc noſtra ſententia videtur confirmari *Aphoriſmo* 51. *ſectionis* 6. *Quicunque*, inquit, *ſani dolore capitis repentè capiuntur, & ſtatim voce priuantur, ac ſtertunt, in ſeptem diebus pereunt, niſi eos febris apprehenderit.* Quod manifeſtè oſtendit affectus iſtos in ipſo cerebro conſiſtere, quandoquidem Hippocrates per ὀδύνας, dolores, quoſcunque morbos ſolitus eſt deſignare.

Quæ igitur erit hæc affectio in cerebro conſiſtens, per quam voce priuantur

ægri & conuelluntur? Quidam existimant esse apoplexiam, quidam catochen, alij verò carum, quibus nos assentimur. Non enim esse potest apoplexia, quia apoplexia illa vel esset debilis, vel fortis. Si fortis, nusquam: si debilis, ægrè liberarentur. At hi sæpè, vt innuit Hippocrates, defunguntur hac molestiâ, eâ horâ quâ crapulæ solui solent. Præterea apoplexiæ ad salutem desinenti paralysis succedere solet minimè mortifera: hîc verò Hippocrates vult, nisi exurgant, conuulsione teneri & mori. Catoche etiam esse non potest, siue congelatio, catalepsis vulgò dicta, in quâ respiratio seruatur, & immobilitas sola cum oculorum apertione ex siccitate aut frigiditate inducitur, nisi quis hoc nomine vti velit, vt sæpe Hippocrates pro omni affectu capitis graui & periculoso. Erit igitur caros, hic affectus, sub quo lethargum latè comprehendimus, primò subsistens in cerebro, animales functiones principes lædens, & deuinctas humore isto detinens, ob cuius copiam, neruorum origines oppletis, fit interceptio animalis spiritus ad inferiora, vnde ἀφωνία subita & ἀναυδία, atque etiam respirationis læsio propter principium affectum. Quod Hippocrates *lib. de victus ratione in acutis*, per interceptionem venarum designat. Si malum perseuerat, illabente deinceps & influente in omnes propagines humore, conuulsionem, tetanum dictam incurrunt, & conuulsi moriuntur. Quod eleganter confirmatur ab Hippocrate nostro, *in* 1. *prorrhet.* αἱ μὴ πάνυ ἀφωνίαι ἀναυδώδεες, & illud *in Coacis*, ἐν τοῖσι ἀναυδίοισι, ἀναυδίη ὀξὺ πολὺ, κακὸν, &c. apud Duretum. Non igitur illi citò per carum oppressi, sed per succedentem vniuersalem conuulsionem citò è medio tolluntur, impeditâ respiratione aut sublatâ per contractiones istas tetanicas, quas vult Hippocrates sequenti Aphorismo, intra quatuor dies esse lethiferas. Nisi enim tanta humoris in cerebro per illas crapulas stabulantis saburra, quæ carum ingenerat grauissimum, vel à calore natiuo discutiatur dissipeturque, intra illud tempus quo temulentiæ solui solent pro variis hominum conditionibus, intra tertium scilicet diem, quod longissimum est, vt docet Hippocrates *lib.* 2. *de morbis*, vocem recuperant, τῆς γὰρ φωνῆς λυομένης, πάντα λύεται, ἡ γὰρ λύσις τῇ φθίσει ὁμοίη, inquit Hippocrates 2. *epidemiôn*. Vel à febre (quæ sæpissimè hîc oriri solet ob oppressionem & laborem totius corporis, tantum affectum dissipare & superare omni conatu molientis) ingenti scilicet & acutâ, quæ celeriter, continenter, & vehementer moueatur, sitque par conuulsificæ causæ: aliàs enim, vt est 1. *prorrhet.* lenta febris fundit, non consumit humiditates istas morbificas, & morbum auget. Vnde non solùm melius est febrem conuulsioni, quàm febri conuulsionem: sed malum est conuulsionem febri, optimum verò & optandum, febrem talem conuulsioni ex repletione contingenti superuenire, ad citam humoris morbifici resolutionem: Certissimum est, inquam, nisi à calore blando, qualis est natiuus; aut violento, qualis est febrilis, quod magis est sperandum, vinolenta illa ἴμφραξις absorbeatur, & humores discutiantur, subsecuturam conuulsionem totius corporis, ex illapsu copiosæ materiæ in spinalem medullam & neruos; quæ citissimam & certissimam mortem inferre solet. Concludamus igitur tandem syllogisticè, vt nobis est consuetum. *Quæcunque affectiones maxima ex subitâ repletione cerebri contingunt, omniumque functionum animalium statum peruertunt, ea sunt citò mortales, ob partis nobilitatem, & influxus facultatis animalis necessitatem, nisi aut à calore natiuo, aut febrili, aut arte ἴμφραξις illa tollatur promptissimè; At per ebrietates contingere aliquando solent carotica affectiones conuulsioni vniuersali innexa, ex cerebri repletione nimiâ, quæ noxam principi parti, repletioni, ac voci inferunt. Quare erunt citò mortales, conuulsionis ipsius potissimùm causâ, respirationis ac vocis libertatem tollentis: nisi aut à calore natiuo, aut à febre superueniente, aut etiam arte, ingens illa plethora cerebri promptè minuatur. Quod fuit nobis demonstrandum.*

Digitized by Google

APHORISMVS VI.

Οκόσοι ὑπὸ τετάνου ἁλίσκονται, ἐν τέσσαρσιν ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται, ἢν δὲ τούτους διαφύγωσιν, ὑγιέες γίνονται.

Qui tetano corripiuntur, intra quatuor dies intereunt: si verò hos superauerint, incolumes euadunt.

DIVINVS Hippocrates cùm superioribus Aphorismis satis de conuulsione aliis affectionibus superueniente, vt signo, egisset, nunc de omnium grauissimâ, nimirum tetanicâ, quæ est implicatio & veloci collectio omnium aliarum conuulsionum, hoc Aphorismo agit, non quatenus significare potest tetanus in aliis morbis, sed quatenus secundùm propriam naturam consideratus ex genere acutorum, & maximè lethalium morborum existit. Ita vt hic Aphorismus, non minùs quàm superiores, ad eam Medicinæ partem sit referendus, quæ θεραπευτικὴ vocatur. Et totidem verbis habetur *lib. de indicationibus, libro item de internis affectionibus*, νῦν δὲ ἐπὶ χαλεπῇ morbus est grauis, citâ curatione indigens. At *lib. 3. de morbis*, est elegantissimus contextus, quem referre huc non grauabimur, quia & descriptionem & signa, & prædictionem tetani eleganter complectitur, ad Aphorismi huius illustrationem admodum necessaria: in quibus non omnino consentire cum hac nostrâ prædictione videtur. *Tetani quando corripiunt*, inquit, *maxilla rigent vt ligna, & os aperire non possunt, & oculi illachrymantur ac distorquentur, & dorsum riget, & crura contrahere non possunt, similiter neque manus: facies rubicunda est ac valde dolet, eumque iam est moriturus, & potum & sorbitionem ac pituitam per nares reuomit. Hic tertiâ die, aut quintâ, aut septimâ, aut decimaquartâ perit. Si verò has effugerit, sanus euadit.* Ecce quomodo hîc diem tetanicorum vltimum ad decimum quartum extendit, quem hîc ad quartum præfiniuit, quod nos posteà declarare tentabimus. Ad Aphorismi autem huius intelligentiam reuocanda sunt in mentem, quæ de conuulsionis finitione, partibus affectis, differentiis, causis, in primum huius sectionis Aphorismum fusè sumus commentati. Vbi probabamus, conuulsionem nihil aliud esse, quàm inuoluntariam musculi ad suam originem contractionem, in motus sublatione potiùs quàm depravatione positam. Quæ à duobus potissimùm affectibus pendet, in neruorum propagine ac insertione, quâ oriuntur à cerebro, aut spinali medulla, & inseruntur in musculos, subsistentibus: quorum vnus est intemperies humida cum materiâ, alter sicca sine materiâ ab exhausto. Hi affectus varias multiplicesque causas internas externasque agnoscunt, & prout varias obsident musculorum regiones, ita etiam nomina atque appellationes sortiuntur varias, & differentiam illam quâ distinguuntur à Galeno, in conuulsionem vniuersalem ac particularem: Particularis est cuiusque membri, quod arbitrario motu cietur; Vniuersalis verò triplex recensetur, ἰμωσθότονος scilicet, ὀπισθότονος, & τέτανος. Quando enim musculi omnes, qui adducere corpus caputque ad anticam corporis regionem solent, ita obsessi sunt conuulsificâ illâ causâ, vt præter voluntatem homo vergere & contrahi ad anteriora cogatur, tunc fit ἰμωσθότονος ille ab Hippocrate eleganter expressus *lib. de victus ratione in acutis*, Ὁκόταν δὲ τῶν τενόντων, σφόδρης ἴμωσθεν ἀνάτασις. Quando autem musculi omnes qui ceruicem cum capite ad posteriora abducunt, ita conuelluntur vt caput inuoluntariè scapulis ferè annectant, retrorsum contrahant, ac in humeros incurrent, vt loquitur Hippocrates, 5 *epidem.* tunc fit ὀπισθότονος, conuulsionis vniuersalis secunda species, quam Cælius Aurelianus supinum raptum & posterganeum appellat, vt priorem, pronum raptum: Si verò non solùm anteriores, sed etiam posteriores antagonistæ musculi, ita repleantur aut exsiccentur, vt vtrique cõuulsione verâ tententur, tunc fit vt pari vtrinque & opposita contentione neque antrorsum, neque retrorsum inflectatur corpus, sed ex mixto affectu obrigescat, & recta distendatur violenter; Et hinc tetanos, conuulsio horrenda & admodum dolorifica, vt docet Gal *comm. in Aph. 57. sect* 4. In quo non apparet motus, non contractio, sed distentio, qualis est in tonico motu, quando sese homo secundùm naturã habet. Celsus eleganter

eleganter triplicē hunc affectum sic expressit; *Non alius*, inquit, *importunior, acutiórve morbus, est, quàm is qui quodam rigore nervorum, modò caput scapulis, modo mentum pectori annectit, modò rectam & immobilem cervicem intendit.* In quibus vniuersalis conuulsionis tribus differentiis hoc obseruandum, earum quidem distinctionem ab intentione & retractione variâ ceruicis peti, non quòd ceruix sola conuellatur, sed quia magis ad eius contractionis differentias respicit Medicus, cùm in triplici hac vniuersali conuulsione totum corpus sit conuulsum, vt ex eo videre est, quod Hippocrates *lib. 3. de morb.* de maxillæ, oris, oculorum, dorsi, crurum, ac manuum distentione, ait in tetano: Et *ibidem* de opisthotono, vbi vult vocem esse interceptam & interruptam, cubitos incuruatos, digitos in pugnum contractos, crura retracta. Quæ omnia satis ostendunt affectus istos longè latéque in totum corpus, non in solam ceruicem per istos affectus vagari: At morbi hi ingentes, qui vniuersitatem corporis obsiderunt, naturámque vndiquaque opprimunt, non sine atrocitate & celeritate id faciunt, cùm vel à natura citò collectis omnibus copiis fugari debeant, vel certè naturam, quod est frequentius, suâmet mole citò opprimant, ob suam magnitudinem, partium obsessarum præstantiam, & sæuissimorum symptomatum concomitantium calamitatem, cum quibus iuncta est præcipuarum corporis actionum ruina.

Quod Hippocrates noster in peculiari hoc Aphorismo, de tetanicà conuulsione, sub quâ alias etiam duas audit vniuersales, eleganter tradidit & expressit, dum tetanum non solùm inter acutos morbos simpliciter, qui ad decimumquartum vsque diem extenduntur, quod facere visus est *lib. 3. de morbis*, sed inter perperacutos reponit, qui quarto ad summum die finiuntur. Vt enim omnium rerum, sic etiam morborum certæ periodi, & tempora, quæ pro motu celeri, aut tardo, breui aut longo, morborum etiam differentias breuium, longorum, acutorum & tardorum constituerunt. Hæ cùm ad curationes prædictionésque morborum valde sint necessariæ, & sine his Aphorismi nostri intelligentia vix haberi possit, ideò priusquàm ad illius διάθεξιν veniamus, non erit inutile per διῃρέσεις explicare, quid sit morbus magnus & paruus, longus & breuis, acutus, & tardus, vt congeneres valde differentias, quarum aliæ intensionem & remissionem, aliæ durationem morbi respiciunt.

Vt igitur aliud est morborum genera, aliud differentias consectari, quod in Pathologia docuimus; sic certissimum est oppositas istas differentias, ex contrariarum oppositione magis innotescere, ideò simul videntur explicandæ. Atque vt à magno morbo incipiamus, illum dupliciter explicasse videtur Galenus *libro quidem quarto methodi, cap. 6.* dum vult, morbum magnum dici, vel ratione partis, vel propriæ essentiæ, vel quia cacoëthe, symptomatum videlicet vehementiâ comitatum; quod rectè dictum videtur, tam ex parte efficientium, suscipientium, quàm effectorum: Certum enim est, vt morbus est dispositio contra naturam in partibus corporis nostri inhærens, actionémque illarum lædens, & alia inducens symptomata; sic etiam morbum illum dici debere magnum, vel potiùs intensum, (si propriè loqui velis, & qualitatis naturam respicias, sub quâ continetur morbus) qui & ratione suscipientis, partis scilicet affectæ principis, aut ad vitam necessariæ quam obsidet, cuiúsque constitutionem naturalem violat; & ratione efficientium, causarum scilicet morbificarum copiâ aut qualitate, robur naturæ expugnantium, ac contrariam dispositionem inducentium, augentium atque fouentium, ad quam sequuntur deinde varia & omnigena symptomata pro naturâ causæ, partis affectæ, & affectus; certissimum est, inquam, morbum triplici hoc respectu magnum dici debere. Quod autem Galenus *libri de tertium morbi temporibus capite quinto*, vult morbum magnum esse, vel quando vires nostras superat, vel quando propria substantia magnus est, in idem penè recidit. Vires enim nostras superat morbus, quando partis publicæ œconomiam insigniter violat ac peruertit, non leuiter tantùm, (aliàs enim Ephemera febris, quæ in corde est, aut leuis hepatis intemperies, magnus morbus esset ridiculè dicendus) ac grauia inducit symptomata: propter causarum efficientium, suscipientium, suæque propriæ geneseos magnitudinem. Hinc non ineleganter à veteribus μεγάλη ἡ ἱερὸς νοῦσος dicebatur Epilepsia, quæ & partis affectæ præstantiâ, corporis nimirum arce, & copia, assiduitate, ac feritate causæ efficientis, tam horrenda veteribus excitabat symptomata, vt illorum conspectu comitia solemniter conuocata, quasi omine quodam malo perterrita soluerentur.

Vt igitur ex cauſis morbum efficientibus, materiali nimirum ſubiecto, atque formali, propriâ ſcilicet diſpoſitione, effectorúmque vehementiâ, magnitudinem morbi coniiciunt Medici; ſic paruitatem ex contrariis diſpoſitionibus deſcribere licet, quæ ſi ſimul iunctæ ſint, valde paruum efficiunt; ſi vna aut duæ adſunt tantùm, minùs paruum: vt magni eadem ſit ratio, in intenſione illarum cauſarum, ac coniunctione, vt parui in illarum remiſſione ac excluſione.

Verùm ſiue magnus, ſiue paruus ſit morbus, is vel parum vel diu durat, celeriter aut tardè mouetur, ſuáque percurrit tempora, vnde illæ differentiæ, longi & breuis, acuti & tardi. Sic epilepſia, elephantiaſis, lues Venerea, arthritis, magni morbi & longi, quorum vt γένεσις ex diuturnâ pendet temperamenti innati, & partium in nobis principum labefactatione; ſic eorum decurſus pertinax eſt ex cauſarum efficientium, fouentium, augentium, perenni conſtantiâ, quæ ſæpiſſimè non annorum numero, ſed vitæ tantùm ipſius priuatione, ac ſubiecti ſui interitu delentur. Parui verò & longi ſunt quidem in cauſarum ſuarum conſtantiâ quadam poſiti, ſed non indelebili, neque vitæ noſtræ ob partis obſeſſæ præſtantiam, propriam ſuam eſſentiam, aut ſymptomatum vehementiam imminent, ſed αἴσχεα ſunt potiùs, vt loquitur Hippocrates *lib. de affect.* incommoda & turpitudines, quàm vera νοσήματα: tales ſunt ſcabies, prurigines, aut vitiligines diuturnæ, cæteráque in cute efflorescentia, naturâ iam diu aſſuetâ deponere ac amandare cacochymiæ ſuæ magnam portionem ad exteriora & ſupremam cutem.

At parui & breues ſim ul, vt neque adiunctam habent magnitudinem, neque vehementiam, & celeritatem, ſed tarditatem potiùs in motu; ſic etiam pathemata quædam potiùs apparent, quàm veræ diſpoſitiones factæ, in fugaci & momentaneâ quadam materiâ poſiti, putâ ſpiritu, flatu aut vapore, quæ & citiſſimè reſoluuntur, & ob leuitatem ſuam, nulla relinquunt impreſſionis ſuæ veſtigia, ſed mox cum ſuæ cauſæ ſublatione, ſuâ ſponte miteſcunt, & quem inuenerant conſtitutionis natiuæ ſtatum, talem relinquentes, blandè ac repentè deſinunt, atque vt vult Galenus; *de crisibus*, de ratione breuis eſt, & citò terminari, & citra periculum, tales ſunt ephemera febris, cephalalgia leuior, &c.

Verùm magni ſimul & breues, celeres ſcilicet ac vehementes cum magnitudine, quos Hippocrates vocauit *Aphor. 7. & 6. ſect. 1.* ἴσχατα καὶ ὀξέα extremos ac celeres morbos, ſummos ſtatim labores habentes, ſunt illi qui à nobis acuti appellantur, quorum natura maximè tenenda eſt Medico, vt in quorum curatione ac prædictione tota ſit Medicinæ vis & gloria poſita: Hæc autem acuties in morbis ſtat in velocitate motus, ſicut tarditas in eiuſdem lentitiâ; ita vt breuis nõ differat ab acuto, duratione, ſed violentiâ & impetu, quandoquidem non omnis breuis, acutus, ſed omnis acutus verè dictus, breuis eſt, vt habetur *lib. 3. de dieb. decretoriis, cap. vlt. & 2. cap. 12.* Quemadmodum Ariſtoteli velox motus eſt, qui tempore æquali maius ſpatium pertranſit, vel in minori æquale vel maius, ita vt primò & per ſe breuitas & longitudo temporis, celeritas & tarditas motum reſpiciant: ob quam motus velocitatem, cui continuitas ſtatim adiuncta eſt, vt ſtatuit Galenus *Aphor. 7. ſect. 1. & 3. prognoſt.* morbi acuti periculoſi habentur Archigeni, *lib. 3. de dieb. decret.* Cùm enim nihil violentum ſit durabile, natura noſtra nullis recreata induciis ſeipſam erigit, ſummóque conatu morbum vitæ imminentem excludere nititur, aut eo fruſtrata plurimùm occumbit; hinc cita mors venit aut victoria læta. Acuti igitur iſti morbi, vt celeriter, continenter, & cum periculo mouentur *comment. in lib. de victu rat. in acut.* ſic etiam agnoſcunt cauſam morbificam celerem, violentam, mordacitate, tenuitate, orgaſmo, ac feritate quadam præditam, quod Hippocrates vocauit turgere, ad qualitatem potiùs quàm quantitatem reſpiciens. Hæc materia bilis eſt, aut ſanguis putrefactus bileſcens, aut atra bilis, ex quouis humore combuſto accenſa, quæ ſeipſam propagans, totámque humorum maſſam inficiens, efficit vt tres cauſæ funeſtæ in acutis morbis habeantur, phlegmaſiæ, ſcilicet maximæ inflammationes per διηγεσιν, & propagationem cauſæ morbificæ agentis introductæ; vnde febris continua ſemper acutos morbos comitatur, *Aphor. 7. ſect. 1. & comm. in 3. prognoſt.* μετάστασις ſeu tranſlatio ſymptomatica humoris iſtius furentis & multi ab vnâ parte in aliam derepentè: atque venenata cacochymia, ex quâ erumpente circa cor perpetuo vapore maligno, fit caloris natiui φθορὰ, & omnimoda ſuffocatio. Atque humor iſte vel vagus eſt, hac illac per maiora vaſa diſcurrens, vt in cauſo, ſynocho, & aliis primariis febribus continuis; vel certo loco potiſſimùm concluſus, inflammationes illas eryſipelatoſas interiorum

partium

partium pariens, pleuritidem, hepatitidem, perſpneumoniam, phrenitidem, & ſimiles à locis ipſis nuncupatas, in quibus humor iſte ſyſtrophicè collectus, vrentes illas ſeu lipyrias febres concitat.

Non igitur humor frigidus, craſſus, lentus, acutos iſtos morbos ingenerat, ſi illius naturam ſpectes; ſed longos potiùs tardóſque: ſit tamen aliquando, vt non humoris ipſius ratione, ſed loci ab eiuſmodi humore obſeſſi, morbi magni ſimul & acuti contingant. Ob quam cauſam exiſtimo ego, Galenum *commentario primo in ſextum Epidem. & libro ſecundo methodi cap. tertio* definiiſſe, acutum morbum, qui propria tempora vſque ad finem velociter & cum periculo pertranſit, nullâ habitâ mentione febris aſſiduæ. Atque *in Aphoriſmo vigeſimonono ſectionis ſecundæ*, ideò apoplexiam, conuulſionem tetanicam à repletione, *Aphoriſmo ſexto ſectionis quintæ*, morbos acutos vocauit ὀξέως ὀλεθρίους, acutè pernicioſos. Quamuis enim morbi iſti, ſi naturam humoris ſpectes, longi potiùs eſſe deberent, quàm acuti; ratione tamen loci affecti, & actionis ad vitam neceſſariæ, reſpirationis nimirum priuatione, citiſſima mors atque horrenda infertur. Plurimùm tamen acuti morbi ab humore furente & inflammante accenſi, comitem habent febrem, ſiue ille humor ſit vagus, ſiue certo loco concluſus.

Acuti ergo morbi, celeres, vehementes, & periculoſi, breues etiam ſunt, ac pro breuitatis maioris aut minoris varietate etiam diuerſi; vnde varia illa nomina, acutus, peracutus, perperacutus, acutus adauctus, acutus ex conuerſione, & acutus ex decidentia, à nobis inprimis explicanda. Cùm enim motus naturæ & humorum certis ephodis atque periodis contineri animaduerſum ſit, quaternariis ſcilicet & ſeptenariis, vt *libro de diebus decretoriis* fusè admodum explicatur, in quibus morbo contra naturam violenter agente, citiſſimæ mutationes ad mortem vel ſalutem fiunt: ſic etiam acuti morbi ſimpliciter ſic dicti, duobus dierum ſeptenariis iudicantur, vt eſt *Aphoriſmo vigeſimotertio ſectionis ſecundæ, & in Coacis* apertiùs, *Eorum qui ardenter febricitant, deceſſionem faciunt quatuordecim dies ad interitum aut ſalutem.* Vt duæ hebdomadæ completæ, aut quatuor quaternarij, per ζωάφθεια computati, ſint terminus acutorum, ὀξέων, ſimpliciter ſic dictorum. At ſi maior fuerit tum morbi, tum naturæ impetus, ex perpetuâ & violentâ irritatione, vt primo ſeptenario illorum certamen ſit in procinctu, atque abſoluatur, naſcuntur καλόξυς νῆσοι, peracuti Latinis dicti, qui primâ ſeptimanâ decernunt, in quibus Hippocrates *Aphoriſmo ſeptimo ſectionis prima* vult, extremos ſtatim labores adeſſe, & longè tenuiſſimo victu eſſe vtendum. Et Galenus peracutum *in commentario illo* diuidit, in non exactè peracutum, qui ſeptimo die à nobis dictus eſt terminari; & exactè peracutum, qui ad quartum vſque tantùm diem peruenit, quem Barbari noſtri ſignificantiſſimo vocabulo expreſſerunt, perperacutum appellantes: Cuius idea eſt in tetano illo, quo correptos in quatuor diebus perire ſtatuit Hippocrates, *Aphoriſmo ſexto ſectionis quintæ*, aut ſi hos effugerint, ſanari. Et meliùs adhuc in angina illa, quam deſcribit Hippocrates *in Coacis: Ea*, inquit, *angina, quæ nec in ceruice, nec in faucibus manifeſtum quid exhibet, ſed ſortem ſtrangulatum & dyſpnœam infert, eodem ipſo die, aut tertio ſaltem die interimit?* Vt enim apoplexia intercepto motu; ſyncope ſublato ſpirandi vſu; ſic angina per ἐμφραξιν muſculorum laryngis, & σύγκλεισιν obſtructi meatus ſpirabilis, citiſſimam infert ſuffocationem, niſi fortè per μετάστασιν humoris à faucibus in pulmones proruentis, mutetur in peripneumoniam, quæ intra ſeptimum diem mortifera eſſe ſolet.

Atque hi ſunt perperacuti, peracuti, & acuti propriè dicti morbi, à quibus ſi iam celeritas & vehementia quodammodo recedant, ex minori cauſæ morbificæ irritatione, in quam natura non ita intenta vel coctioni ſtudens, vel ἡμιῤῥόπως tantùm, mediatas criſes intentat, longiori temporis ſpatio cum morbo languidiore decertans; fiunt acuti illi adaucti, ad quorum iudicationem tertius ſeptenarius, ad vigeſimum ſcilicet, aut vigeſimum primum diem requiritur. Quòd ſi adhuc minor ſit impetus, tunc fiunt illa νοσήματα ὀξέα κωλυόμενα τε καὶ βραδέως κινούμενα, morbi quaſi fræno cohibiti, nec laxis habenis ad ſuum terminum properantes, qui per μετάπτωσιν, conuerſionem & decidentiam acuti vocantur, & ad quadrageſimum vſque diem excurrunt, de quibus Hippocrates *in Prognoſt.* Spirandi facilitas maximam vim ad ſalutem habere exiſtimanda eſt in omnibus morbis acutis, quibus febris copulatur, quíque quadraginta diebus terminantur.

Quod

Quod verò *in Epidemiis*, modò quadrageſimum, nunc ſexageſimum, tandem etiam criticorum dierum ſupremum conſtituit centeſimum vigeſimum ; id ideò factum eſt, quia ortum conſiderauit morbi acuti, qui ex variis conuerſionibus & ἀναπτώσεσι, recidiuis, modò ad quadrageſimum, modò ad ſexageſimum, nunc ad centeſimum & vigeſimum vſque peruenit ; vbi iam menſium quaternarius exurgit, qui morbos longos iudicare incipit. Et vt eſt apud eundem ; morbi alij dierum numero, alij menſium, alij annorum ſolui dicuntur, in triplici illâ computatione per quaternarios ſeptenariósque dierum, menſium, annorúmque numerando. In longis enim his morbis, quaſi datis induciis cùm natura parùm inſurgat, oportet expulſionem morbi fieri à contrariis cauſis externis, mutatione ætatis, temporum contrariâ diſpoſitione, locorum & victuum ratione immutatâ. Sic Hippocrates *in Epidem.* in longis morbis ſoli mutationem in contrarium ſuadet ; Et epilepſiam, quæ puerilis morbus dicitur, ſi vigeſimoquinto anno non deſinat, per calidioris ficcioríſque ætatis ἀπλαμψίαν, incurabilem putat, *Aphoriſmo vigeſimoquinto ſectionis ſecundæ.* Ac diuinè illud dictum eſt, *Aphoriſmo vigeſimooctauo ſectionis tertiæ. Plurimi morbi iudicantur, nonnulli quidem in quadraginta diebus, nonnulli in ſeptem menſibus, nonnulli verò in annis ſeptem, quidam verò iam ad pubertatem accedentibus. Quibus verò permanſerint, neque pueris in pubertate finierint, aut fœminis cùm menſtrua erumpunt, conſeneſcere conſueuerunt*, perpetui fiunt vitæ comites, ac ſenectutis flagella. Hæc enim tota periodorum in quibuſuis morbis ratio poſita eſt in cauſarum tam efficientium quàm conſeruantium contrarietate : in morbis enim cauſa eſt ſalubris, non ſolùm contraria aëris temperies ſuperueniens, quæ fit ſeptimo menſe, vt ſi quis menſe Decembri correptus ſit, hic ſanetur Iunio ; Sic etiam ætatis, victus, locíque contraria ratio, in quibus mutationes illæ contingunt ; vt morbi longi menſium, annorum, ætatum numero potiſſimùm computentur, vt acuti dierum ac ſeptimanarum.

Sed de morbo magno & paruo, breui & longo, acuto & tardo, variiſque illorum periodis hactenus. Nunc tempus eſt redire ad Aphoriſmi noſtri ἐξήγησιν, & aphoriſticæ veritatis cauſas. Certum enim eſt tetanum, vt & omnem vniuerſalem conuulſionem, ſiue illa ab exhauſto, (quod periculoſiores adhuc facit) ſiue à repletione fiat, magnum eſſe morbum, non paruum, ex cauſæ efficientis & morbificæ magnitudine, ex ſuſcipientis partis, neruorum ſcilicet præſtantiâ, exquiſito ſenſu, & longâ per totum corpus expanſione, non illæſo omnino cerebro, & ſymptomatum grauiſſimorum concurſu, dolore potiſſimùm acerbiſſimo & atrociſſimo, ex diſtractis violenter neruis, ac coactis partibus ; Item reſpirationis læſione, quâ diu vita carere non poteſt ; maxillarum luxatione, vt eſt in Coacis, forti ſcilicet contractione, quâ & ſpiritui, cibo ac potui via præcluditur. In tam vehementi igitur & continuâ naturæ noſtræ expugnatione, & hoſtili irruptione, fieri non poteſt vt diuturnus ſit conflictus, ſed naturam vires ſuas omnes colligentem, vel citò vincere, vel citò ſterni. Tantus enim cruciatus, ſi reſpiratio fuerit valde oblæſa, ſæpiſſime 20. aut 15. horis hominem tollit. Sin minùs & vires vegetæ, ad primum vſque quaternarium perueniet, qui eſt terminus perperacutorum morborum ; inter quos reponitur tetanus, non ratione cauſæ, quæ pituitoſa eſt & lenta, aut exſiccatio ; non ratione febris violentæ & continuæ, quæ ſæpe ſuperuenire ſolet, ídque bonis ægri rebus, vt dicebamus ſuperiore Aphoriſmo ; ſed ratione loci, vt dicebamus de Apoplexiâ & Epilepſiâ ; & ſymptomatum concomitantium grauiſſimorum ac acutiſſimorum, vnde illud mortis ingens periculum. Atque hoc Aphoriſmo Hippocrates de tetano potiſſimùm agit, qui ex repletione & decubitu materiæ in neruos fit, in quo aliqua eſt adhuc ſperabilis ſalus, arte aut naturæ robore comparata ; Non de eo qui ex ſummâ exſiccatione contingit, in quo nulla fieri poteſt ἀναῤῥώσις aut redintegratio ad naturalem ſtatum, ſed certo certiùs eſt moriendum, vt ex prægreſſis tribus potiſſimùm Aphoriſmis innotuit.

Verùm adhuc hîc non parua ſubeſt difficultas in plethorico tetano, quomodo ſcilicet Hippocrates, quartum diem in hoc Aphoriſmo, vltimum faciat ad ſanitatem & mortem ; cùm *libro tertio de morbis*, ad decimum quartum vſque diem extendat : deinde quomodo ex tam ſæuiſſimo morbo poſt quartum diem ſanitas ſtatim præſagiri poſſit. Certè Hippocrates in hoc Aphoriſmo, accuratè admodum ad perfecti tetani naturam reſpiciens, præfiniuit illi terminum citiſſimum

mum acutiſſimi morbi, cum quo diu vita ſubſiſtere non poteſt: Sed cùm alij tetani ſint non ita perfecti & ſæui, ſed paulò mitiores, qui & primam ſeptimanam pro virium variâ conditione, atque etiam ſecundam attingere poſſunt, ſi adhuc fuerit remiſſior tetanus: ideò *libro tertio de morbis*, eruditè terminum illis omnibus tetanis præſcripſit acutorum morborum ſimpliciter dictorum, qui ad decimumquartum vſque diem extenditur. Vt igitur ſæuiſſimus ille tetanus ante quartum diem interficere poteſt, & nuſquam illum prætergreditur, quin aut interficiat aut liberet; ſic remiſſior in valentioribus viribus, ad quintum, ſeptimum, & decimumquartum vſque peruenit, quo verè acuti morbi terminantur: Sani autem euadunt, qui in ſæuiſſimo tetano quartum diem præterlabuntur, non ita vt perfectæ ſanitati ſint redintegrati, ſed quia ex morbi ſolutione, quæ repentina eſſe debuit, natura victrix deinceps reliquias humoris quaſi reſtitantem hoſtem facillimè eſt debellatura. Ad morbi autem huius ſolutionem, & naturam adiutandam, maximè faciunt Hippocrati *in Coacis*, febris intenſiſſima ſuperueniens, per labores illos & contentiones, calore ſuo non ſolùm fundens, ſed etiam diſſipans pituitæ, aut alterius humoris craſſi collectionem per ſudores copioſiſſimos toto corpore profuſos, aut inſenſilem reſolutionem, multò potentiùs agit quàm calor noſter natiuus: Item *in Coacis*, *Aluus inſigniter fluens, vrina multa & cumulatè prorumpentes, albuminea, conuulſiones ſanant.* Eſt enim omnino duplex omnis ratio exoluendi conuulſionem, quæ fit diſtentis humore frigido neruis, conſumptio ſcilicet illius humoris, vt à calore ipſo natiuo, quem Hippocrates ideò frigidæ largâ affuſione in corpore robuſto intendere nititur, *Aphoriſmo vigeſimoprimo ſectionis quintæ*, & per febrem quæ priùs non fuit: Vel vacuatio materiæ conuulſificæ critica per ſudores copioſiſſimos, per perirrhœam, vrinæ ingentem fluxum, tranſlatâ materiâ à neruis in venas, vnde vrina illa craſſa eſſe debet, albáque, plus mucoris quàm liquoris habens; per diarrhœam, alui ſcilicet fluxum pituitoſum, quando naturæ robore cerebrum, totus habitus, neruíque materiam illam in inteſtina deponunt. Hæc ſi non contingant aut naturæ vi, aut arte, (non enim hîc ſperandus pepaſmus & concoctio ob multitudinem humoris, & naturæ oppreſſæ infirmitatem, quæ vacuare non potuit) moriendum eſt ægro, non longiore morâ, ſed quæ ad primum tantùm quaternarium extenditur. Concludamus igitur, & ſyllogiſticè tandem inferamus; Quæcunque affectiones ex copia cauſæ morbificæ, loci dignitate ac amplitudine, ſæuiſſimorúmque ſymptomatum cruciatu, continenter naturæ noſtræ ſtatum impetunt, eæ violenter & cum celeritate id agunt: vnde aut mors cita procedit, aut naturæ ſtrenuè conflictantis victoria læta. At tetanus, conuulſio ſcilicet vniuerſalis ex ingenti neruorum omnium repletione natus, totum ferè corpus obſidet, & ſæuiſſimè excruciat. Quare tetanus aut citò lethum infert, intra primum ſcilicet quaternarium, aut ſuperueniente humoris illius conſumptione vel vacuatione ſoluitur, vt natura deinceps eo ſuperior eſſe poſſit. Quod fuit demonſtrandum, & ex aphoriſticâ noſtrâ veritate eliciendum.

IOANNIS VARANDÆI
COMMENTARIVM IN TERTIVM
LIBRVM HIPPOCRATIS ΕΠΙΔΗΜΙΩΝ.

Nempe duodecim historiarum & constitutionum Pestilentium.

PRÆFATIO.

QVAMVIS diuini Hippocratis encomium seu elogia hodie meditari in hac potissimum scholâ (Viri ornatissimi) quæ senem illum admirandum pro Coryphæo & vero artis nostræ parente agnoscit, absurdum cuidam videri possit, & omnino ἀπροσδιόνυσον, vt aiunt. Quemadmodum Herculem apud Lacedæmonios olim laudaturo contigit, Ecquis enim est qui illum vituperet? *statim audiuit. Attamen cùm vestris suasionibus & hortatu libri grauissimi & vtilissimi, ex mediâ hac Apollinari paginâ explicationem suscepimus, non defuturam nobis speramus solitam fauoris vestri & beneuolentiæ auram, in percurrendis primâ hac nostrâ exercitatione quibusdam προλεγομένοις. Primò de modo seu progressu summi Hippocratis in Medicinâ stabiliendâ docendáque, vbi verum esse libri huius authorem probabimus. Secundò, de titulo seu inscriptione illius. Tertiò, de subiecto & partibus seu rebus quæ hîc tractantur. Quartò, de vtilitate tractationis istius, & de instituto nostro siue methodo, quam in hisce nostris exercitationibus supra tertium Epidemiũ sumus obseruaturi.*

Vt igitur à primo exordiar; certissimum est artes omnes & scientias generi humano ad solatium miseræ huius vitæ diuinitus concessas, vt cætera omnia sublunaria suas habuisse vicissitudines, incrementa scilicet & decrementa, ortus & abortus apud varias gentes & nationum imperia. Vt si illarum quasi progressum spectes, dicere possis, ab Oriente & Meridie exortas, in Septemtrionem & Occidentales plagas permeâsse, vt relicto tandem hemisphærio nostro ad Brasilianos, Perusianos, Iaponas, Americanos; & alios noui orbis incolas proficiscantur. Ecquis enim nescit Indos, Bracmanas, Chaldæos, Arabas, Iudæos, Phœnices, Ægyptios, Gymnosophistas Æthiopum, etiam testante Platone, primos fuisse & antesignanos bonarum artium & scientiarum cultores, qui nunc densissimâ ignorantiæ & erroris caligine opprimuntur?

Ab istis fœcundissima illa & florentissima Græcia, (quæ tamen suo fatali hodie interitu sub Turcarum tyrannide opprimitur) cùm præclarissima traxisset inuenta & quasi fomites omnis Philosophiæ, cognitionis, & industriæ, illa diligenter excolunt, in tantúmque auxit, vt à posteris omnium illarum perfectio in Græciam tanquam parentem optimam relata fuerit.

Atque vt cætera omittam, quæ parum ad rem istam faciunt, Medicina nostra soli certè tribuenda videtur Helladi, in quâ nata, educata, & suum adepta vigorem

rem eſt. Apollinis enim, Æſculapij, Chironis, Machaonis, Podalyrij; nuda ſunt tantùm nomina Græcorum hominum in medicando præſtantium, quos poſteritas ob benefacta illa θεοῖς, deorum immortalium inſtar, arâ & thure donauit; quique ſub illud inuentionis principium maximè floruerunt: at nihil quod conſtet ſcripto tradiderunt, ſed vt verisimile eſt de manu in manum poſteris, iisque Aſclepiadeis tantùm reliquerunt.

Succeſſores Medici Aſclepiadei ſibi tradita excoluerunt, ſed paulatim, vt ſub Homeri tempora Diateticem, præcipuam artis noſtræ partem nondum extitiſſe cum Platone dubitet Galenus. Iſti porrò curationum Medicarum ſucceſſus in Æſculapij ſeu Dianæ fano velut anathemata quædam appendebant: ex quibus non parùm ſequentium conatus iuuerunt, qui inuentis aliquid addentes, & ex particularibus generalia elicientes theoremata, Medicinam variis quaſi additamentis conſtituerunt, eámque Philoſophiæ tanquam matri iucundiſſimæ coniunxerunt, ſed inter priuatos & ſibi familiares aut gentilitios homines.

Tandem aperta eſt ſchola Medica, & Medicina publicè doceri cœpit, primùm apud Rhodios, (vt ex Galeni eruditis digreſſionibus conſtat.) Quâ deficiente triplex orta eſt factio inter Medicos, qui erant in Co inſula, in Cnido, & in eâ Italiæ parte, quam veteres magnam Græciam appellarunt. Italica Philiſtionem, Empedoclem, Pauſaniam præſtantiſſimos viros protulit. Cnidia librum illum apud veteres celebratiſſimum edidit, Cnidiarum ſententiarum *dictum, quarum aliquot fragmenta apud Rufum veterem authorem adhuc legere eſt. Et liber de victus ratione in morbis acutis, à quibuſdam aduersùs Cnidias ſententias inſcribitur.*

Coa autem ſchola omnium præſtantiſſima, vt Aſclepiadarum numerum produxit innumerum, ſic vnum feliciter enixa eſt tanquam Phœnicem, vnum inquam Hippocratem, quadraginta annis ante Platonis tempora, Heraclidæ filium, & Gnoſidici aui diſcipulum, qui ſummâ gloriâ & eruditione reliquorum omnium famam non ſolùm obſcurauit, ſed nomina penè aboleuit.

Hic ergo vir θεόδοτος, & vt inquit Ariſtoteles in problematis, *generi humano à diuinâ quaſi prouidentia conceſſus ad abſolutam artis Medicæ conſtitutionem, ex paruis atque ἰδιωλικοῖς ad magna & ἰατρικὰ, ἰητρικὸν, vt ille vocat, θειότερον euexit: votumque quod ſibi propoſuerat,* libro de arte *abſoluit,* τὰ μὴ εὑρήμενα ἐξευρίσκων, καὶ τὰ τὰ ἡμίεργα εἰς τέλος ἐξεργάζεσθαι.

Quod vt verum eſſe adhuc melius oſtendamus, nemo ignorat authores ex duobus potiſſimùm commendari, λέξει nimirum & λόγῳ. Quas ſi in Hippocrate ſpectare velimus, nihil Hippocrate maius reperiemus: λέξις enim, ſtylus, ſeu dicendi ratio, grauis eſt, conciſa, oracularis, verbis vtens Ionicis plerumque vt elegantioribus, non rarò tamen Doricis, vt ſignificantioribus, & ex natiuâ illi linguâ petitis, vt placet Æliano. τάξις verò *ſeu Medicinam docendi ratio Hippocratica, elegans prorſus & concinna, & ex illâ procedens methodo, quam proprio naturæ lumine vir ille ſummus, antequàm iacta eſſent adhuc ſolidiora Logica diſciplinæ fundamenta, reperit.*

Eſt autem illa triplex tam inueniendi, quàm ſtabiliendi & docendi Medicinam ratio apud Hippocratem, vt nos obſeruauimus: Methodica nimirum ſeu demonſtratiua, Hiſtorica, & Aphoriſtica. Demonſtratiua quidem, quatenus illud rei certitudo patitur, à primis & veris tam ſenſui quàm intellectui notis procedit, reſoluendo, componendo. Reſolutiua enim ſæpe vtitur per diuiſionem vnius in multa, & accuratam partium diſtributionem, ita vt nihil deficiat, nihil redundet, omniáque ad infimas vſque ſpecies & differentias perſequatur. Hinc frequentes Hippocrati διαιρέσεις & διορισμοὶ, vt docet Galenus. Atque hac vtitur

maximè Hippocrates ad artem inueniendam ex propoſito ſibi Medicinæ fine velut ſcopo ad quem cætera omnia reducantur. Ad eius verò conſtitutionem vtitur compoſitiuâ methodo, vt eſt apud Galenum lib. de decretis *; collectione ſcilicet multorum in vnum, dum à ſimpliciſſimis exordiendo ad magis compoſita ſemper progreditur, donec totius Medicinæ ſummam ſimul collegerit. Quæ duæ methodi quamuis apud diſtinctos vel ſeparatos Hippocratis libros non inueniantur : attamen ſi totam ſpectes ſcriptorum Hippocraticorum ſeriem, vtramque in illis quaſi perfectam reperies. Quam tamen deinceps accuratiùs imitati, Plato, Ariſtoteles, Eraſiſtratus, Galenus, Auicennas, cæteríque omnes συναγωγιμαῖοι, elegantiores ſcilicet Philoſophi ac Medici.*

Hiſtorica autem docendi ratio apud Hippocratem ea eſt, quæ venerandi huius ſenis particulares morborum, remediorum, & illis ſuperuenientium caſuum obſeruationes, eáſque hiſtoricè, hoc eſt, per ſimplicem enarrationem ad memoriæ ſubſidium conſcriptas continet, ex notatione loci generalis, particularis, temporis, eiúſque propriæ conſtitutionis, ægrique nomine deſignato, vt etiam tunc viuentibus fidem faceret, veram ſe, non fictitiam hiſtoriam conſcripſiſſe : ex hac enim ληπτικῇ ſeu μνημονευτικῇ Hippocraticâ, quæ in propoſitis Epidemiorum libris maximè eluceſcit, deducta fuerunt deinceps certiora omnis cognitionis fundamenta : ad confirmandam ſcilicet methodum illam demonſtratiuam, & vniuerſalia artis præcepta ex his particularibus. Ad ſanciendam etiam & promulgandam Aphoriſticam illam & legalem quaſi Medicinæ authoritatem.

Quæcunque enim illi per propriam diuturnámque apud varias gentes experientiam comperta fuêre, atque ἀπόδειξιν, cauſarum ſcilicet phyſicarum appoſitione confirmata, illa Hippocrates ſummo ingenij acumine in ἀφορισμοὺς γνωμικοὺς, velut reſponſa quædam Medica reduxit : quibus auguſtam omnino Medicinæ ſpeciem reddidit : naturæque maieſtatem corpora noſtra moderantis, omnibus oraculis omnibúſque Regiis vel Imperatoriis decretis potentiorem firmioremque repræſentauit.

Ex iſtis itaque colligere eſt, quod nobis priùs fuit propoſitum, Epidemios hoſce libros ſummâ cum laude, & ſequentium ſæculorum fruge conſcriptos, ad magnum illum Hippocratem referendos : cuius viua imago hîc conſpicitur, tam ſi loquelam ipſam, & idiomatis rationem ſpectes, quàm dictorum grauitatem & vtilitatem. Quamuis enim Galenus aliquando valde anxius ſit in cenſurâ librorum iſtorum, eorúmque fœturam ad Polybum, Theſſalum, Draconem, alióſque magni Hippocratis diſcipulos referat, propterea quod non videntur illi omnia ſatis accuratè conſcripta, aut parum Hippocratis χαρακτῆρα redolentia. Attamen ſemper in illâ fuit ſententiâ primum Epidemion librum, & tertium hunc nobis propoſitum, veros eſſe partus Hippocraticæ μεγαλοψυχίας. Et ſæpiùs tanquam ſui immemor, ex aliis omnibus Epidemicis integras transfert ſententias in libros ſuos, veluti veras & genuinas Hippocratis authoritates ad dicendorum confirmationem.

Etenim ſi verum fateri lubeat etiam aduersùs Galeni ſententiam, fieri non poteſt, ὑπομνήματα iſta ſeu ἐπιδημογραφὰ, vt loquebantur veteres, id eſt, commentariolos & aduerſaria peregrinationis Hippocraticæ, quando ex patriâ in regiones Thraciæ & Helleſponti diſcurreret, in Scythiam vſque commigraturus ; quo tempore libros iſtos conſcripſit, tam accuratè & eleganter eſſe elaboratos, ac illos quos ſummo otio & animi longâ meditatione edidit. Adde quòd in ſimplici hiſtoriâ & enarratione Medicâ eorum quæ viderat & audiuerat, non erat opus maiori lucubratione vel induſtria, quàm vt ea fideliter & vt erant geſta, ſcriptis ἀυτοχεδίοις committeret.

His

Digitized by Google

His ita positis, videamus iam de titulo librorum istorum, de subiecto, & rebus quæ hîc tractantur, necnon de partibus seu diuisione eorum quæ in libro hoc tertio potissimùm continentur. Quod ad titulum ergo seu inscriptionem spectat, quæ esse solet breuis summa seu notatio eorum quæ author sibi præcipuè tractanda proposuit: Sunt qui illud τῶν ἐπιδημιῶν dupliciter interpretentur; cùm enim sine vlla adiectione positum sit, quidam καταστάσεων siue constitutionum; alij verò νόσων siue νοσημάτων, id est, morborum subaudiendum esse putant. Quia Hippocrates statim in limine istorum librorum aggreditur ad descriptionem tempestatis quæ toto illo anno viguit in Thaso, ac deinceps maximam sequentium librorum partem impendit recensendis eiusmodi aëris constitutionibus, putant præcipuum illius intentum hîc fuisse, vt obseruaret, ac posteris suis scripto repræsentaret, quid variæ istæ καταστάσεις ac tempestatum mutationes in diuersis regionibus possent in afficiendis corporibus nostris, quod deinceps accuratiùs tertiâ Aphorismorum sectione complexus est.

Alij verò cùm videant Hippocratem in hisce libris tam sedulò ac diligenter historias ægrorum particulares recensere, vt nihil quod ad euentus illorum, crises, λύσεις, μεταστάσεις, aliaque omnia symptomata tam pathognomonica quàm σωμπαρέποντα, imò etiam remediorum aliquando præstantiorum successus, & totius morbi exitum omittat, putant præcipuum illius hîc fuisse institutum, vt ex hisce particularibus & μνημονευτικαῖς obseruationibus, viam sibi faceret ad generalia præcepta constituendæ προγνώσεως & prædictionis morborum: quæ verissima esse & à se comperta in Delo, Scythiâ, & Libyâ, variis & quasi oppositis mundi plagis gloriatur, aureo illo opere προγνωστικῶν & προῤῥητικῶν, quibus ista complexus est: & ibi Φιλιάτερος monet, in omni prædictione diligenter animaduertendum in morbis, an adsit θεῖόν τι, diuinum aliquid, ex vniuersali causâ pendens, quod omnem προγνώσεως certitudinem inuertit, vt illi ex pestilentiis illis quæ vulgò tunc grassabantur in Græciâ, constabat.

Sunt verò alij, qui neque περὶ τῶν ἐπιδημιῶν καταστάσεων, neque ἐπιδημιῶν νοσημάτων inscribendo libros hosce censeãt, sed potiùs τῶν ἀποδημιῶν, id est, de peregrinationibus Hippocraticis. Cùm enim certum sit Hippocratem, libros istos in illâ profectione ad Scythiam per Thraciæ & Hellesponti regiones, quasi in procinctu conscripsisse, nec maiorem illis operam aut diligentiam adhibuisse, quàm quæ à viatoribus impẽdi solet ad ὑπομνήματα & exarandos commentariolos præcipuarum rerum & notabilium, quæ in ipso itinere occurrunt, ideò non aliam mereri inscriptionem quàm τῶν ἀποδημιῶν. Adde quòd, aiunt illi, Hippocratem non semper hîc ἐπιδημικὰς constitutiones, vel παγκοίνους & ὁμογενεῖς, vulgares & eiusdem generis morbos conscribere, sed etiam quosuis tam ἐνδημίους quàm sporadicos dissimiles & discrepantes, prout huic vel illi acciderunt, non quatenus communiter grassati sunt: multaque alia permiscere tumultuariè, vt fit in eiusmodi profectionibus, quæ neque ad morbos, neque ad καταστάσεις illas tempestatum quicquam faciunt.

Nos autem dicamus, Hippocratis institutum perpetuò in hisce libris fuisse, siue τῶν ἀποδημιῶν, siue ἐπιδημιῶν καταστάσεων, aut ἐπιδημιῶν νοσημάτων, (à præstantiori enim hac parte denominationem factam fuisse credibile est) vt solidiora Medicinæ fundamenta ex particularibus hisce historiis ac obseruationibus eliceret, tam ad διάγνωσιν & θεραπείαν morborum, quàm ad πρόγνωσιν, velut principalem finem, cuius ille primus fuit author, & quasi ἀρχηγόν.

Subiectum verò proprium & ὑποκείμενον esse illam Medicinæ partem, quæ experientiæ potissimùm, & rebus actioni coniunctissimis inniititur, quæ Medicum à schola & otio, in ægrorum triclinia & negotium, à contemplatione Philosophica in apertum Medicinæ theatrum & arenam ipsam deducit, vnde etiam summa illius vtilitas apparet. Nam, vt docet Philosophus, si neque nauclerum, neque Medicum ex libris fieri

ſit poſſibile, certè multò minùs ex illis qui toti ſpeculandæ naturæ, ſtabiliendiſque præceptis vniuerſalibus, longè ab actione remotis, addicti ſunt omnino: potiùs autem & commodiùs ab illis qui iam actiones Medicas, ipſoſque ægros, & Medicum circa illos adſtantem repræſentant, quales ſunt iſti. Scitum eſt enim illud Auerrhois, Per ſcientias ſpeculatiuas, &c. *Hinc Galenus φιλιάτρους hortatur, vt dupliciter ſe exerceant, generatim ſcilicet in ediſcendâ totâ ad vnguem arte, & theorematis illis, ſine quibus propoſitus finis commodè obtineri nequit: ſpeciatim etiam in obſeruandis eis quæ peculiariter in ægrorum curationibus, (ſiue per ſe hoc munus obeunt, aut dum ſe comites Medicis profeſſoribus adiungunt,) contingunt, aut perlegendis hiſtoriis illis, quæ ab Hippocrate aliiſque Medicinæ proceribus conſcriptæ fuerunt.*

Accedamus itaque nunc (V. O.) alacri animo ad tertij huiuſce libri Epidemiũ, omnium elegantiſſimi & perfectiſſimi explicationem, cuius duæ ſunt præcipuæ partes: in quarum primâ duodecim ægrorum hiſtoriæ proponuntur, in ſecundâ poſt deſcriptionem ſtatus cuiuſdam peſtilentis, ſexdecim aliæ delineantur. Inuiſuri cum Hippocrate præeunte, modò Pythionem, poſtridie Hermocratem, aut mulierculam aliquam grauiter decumbentes, ſub eo cæli & orbis ſitu, qui Gallico multum reſpondet, imò ferè ſub eodem climate poſitus eſt, vt Coſmographis erit notiſſimum, Helleſponti & Thraciæ parallelos, cum Galliæ parallelis comparantibus.

In hiſce autem noſtris ſupra librum hunc exercitationibus, hac progrediemur methodo, vt in ſingulis ægrorum hiſtoriis ab Hippocrate propoſitis:

Primò, ipſam διάγνωσιν, hoc eſt, affectus ipſius deſcripti per propria ſigna dignotionem inquiramus: Vtrùm ſit vnus vel plures: quæ partes potiſſimùm affectæ, per ἰδιοπάθειαν vel per συμπάθειαν, & à quibus cauſis ſuſcitatus.

Secundò, ad ipſam πρόγνωσιν accedamus, non tam ex euentu, mortis ſcilicet vel ſalutis, quem Hippocrates ſubnectit, quàm proprio morbi & ſymptomatum χαρακτηριστικῷ, reliquiſque omnibus, ex quibus ſolemus in ægris quibuſque, potiſſimùm acuto morbo laborantibus futura præſentire.

Tertiò, θεραπείαν propoſitæ ægritudinis, per conuenientia remedia & indicationes ſubnectemus, & quid præſtandum eſſet, ſi talis iam iam occurreret æger, opem à nobis efflagitans, docebimus.

Quartò & vltimò, notabilia perſequemur, quæ in vnaquaque hiſtoriâ continebuntur, vbi omnes contextus Hippocratici difficultates pro ingenij noſtri modulo enodare conabimur. Hi ſunt igitur latices, hæc fœcunda pocula, ex quibus diuturnam noſtram Medicinæ rationalis docendæ ac faciendæ ſitim ex meris Hippocraticis fontibus, & Galeni riuulis hoc ordinario expleturi ſumus, dummodò illud mihi per vos (Auditores ornatiſſimi) veſtrámque æquanimitatem liceat: Aut certè ad perficiendos renum & veſicæ morbos, quando vobis libuerit, rediturus. Dixi.

HISTORIA

Digitized by Google

HISTORIA I.

Πυθίωνι, ὃς οἴκει παρὰ γῆς ἱερὸν ἤρξατο τρόμος ἀπὸ χειρῶν. τῇ πρώτῃ πυρετὸς ὀξύς. λῆρος, δευτέρῃ, πάντα παρωξύνθη. τρίτῃ τὰ αὐτά. τετάρτῃ ἀπὸ κοιλίης ὀλίγα, ἄκρητα, χολώδεα διῆλθε. πέμπτῃ πάντα παρωξύνθη. ὕπνοι λεπτοὶ. κοιλίη ἔρρη. ἕκτῃ πτύελα ποικίλα ὑπεφύθεσαν. ἑβδόμῃ τόμος παρειρύθη ὀγδόῃ πάντα παρωξύνθη. τρόμοι παρέμενον. οὖρα ἃ κατ' ἀρχὰς ἦν, καὶ μέχρι τῆς ὀγδόης, λεπτὰ, ἄχροα, ἐναιώρημα εἶχεν ἐπιφέρεσθαι. δεκάτῃ ἱδρῶσι. πτύελα ὑπωπίτονα. ἐκρίθη. καὶ οὖρα ὑπόλευκα σβεῖ κρίσιν. μετὰ δὲ κρίσιν, τεσσαράκοντα ἡμέρησιν ὕστερον ἐμπύημα σβεῖ ἕδρῃ. καὶ στραγγουρώδης ἐγένετο διάσεισις. ΠΡΟΓΝΩΜΑ.

PYTHIONI qui ad Telluris ſacellum habitabat : cæpit manuum tremor primâ die, febris acuta & delirium. Secundâ, omnium exacerbatio. Tertiâ, eodem modo. Quartâ, ex aluo pauca, impermixta, & biliosa prodierunt. Quintâ, omnium exacerbatio, tremores perſeverabant, & ſomni leues, ſed aluus ſuppreſſa eſt. Sextâ, excreuit ſputa varij coloris pauco rubore perfuſa. Septimâ, os diſtorquebatur. Octauâ, omnium exarcerbatio, tremores etiam perſeuerantes. Quod ad vrinas ſpectat, à principio morbi vſque ad diem octauum tenues & decolores fuerunt, cum epeoremate nebuloſo. [9] Decimâ ſudauit, & ſputa ſubcocta excreuit, ſicque iudicatus eſt, habens in ipsâ criſi vrinas ſubalbicantes. Poſt iſtam verò criſim, quadraginta diebus peractis, paſſus eſt circa ſedem empyema, exorto etiam alſceſſu ſtrangurioſo.

ΠΡΟΓΝΩΜΑ.

Abſurdum eſt illud, neque ab Hippocrate commemoratum.

QVanti fecerint veteres hiſtoricarum ab Hippocrate his libris propoſitarum ægritudinum ἐξήγησιν, ſatis docet Galenus *in commentario*, dum tot authorum recenſet nomina, Sabinum, Lycum Macedonem, Capitonem, Zeuxem Tarentinum, Heraclidem Erythræum, Bacchium, Glauciam, Quintum, & ſimiles, non ſolùm Dogmaticæ vel Methodicæ ſectæ Profeſſores, ſed etiam Empiricæ, qui ingentem operam in illis explicandis atque illuſtrandis nauarunt. Nos itaque Spartam hanc Hippocraticam nacti, eâ methodo & ordine illam exornare incipiamus, qui heri propoſitus fuit, ex ſcientificâ ſcilicet διαγνώσει, προγνώσει, & θεραπείᾳ, vnicuique hiſtoriæ ſigillatim adhibitâ : ducto initio à Pythione malè affecto, cuius morbificæ diſpoſitionis ſtatus ita ab Hippocrate in contextu repræſentatur : Πυθίωνι ὃς οἴκει παρὰ γῆς, &c.

Fingamus igitur iam illum ipſum Hippocratem, ex peregrinatione ad nos diuertentem, quærere à nobis, (quod fit ſæpe ægrorum causâ in agro degentium, aut longè hinc diſtantium, vt in conſultationibus noſtris Medicis aliquando videtis.) Quis ſit affectus in Pythione propoſitus, quid de illo ſperandum, & quibus ſit iuuandus auxiliis in tanto & tam periculoſo conflictu.

Ad primum quidem reſpondemus, typum hunc ſeu ideam morbificam ab Hippocrate repræſentatam, Phrenitidis ſpeciem referre, quæ primaria dicitur, & cerebro ἰδιοπαθικῶς inhæret, non autem eam quæ ex diaphragmatis inflammatione proficiſcitur : vel ſequitur ardentium & acutarum febrium ad ſuperiora effumationem. Illa enim propriè παραφροσύνη ſiue delirium ſimplex appellatur. Cùm ergo phrenitis duo ſupponat neceſſariò, nempe partis primariæ animalibus & principibus actionibus dicatæ, id eſt, cerebri affectuum; atque eiuſdem intemperiem calidam, eamque materialem, ab inflammatione ſyſtrophicâ, quæ non ſit tantùm φλέγμασις, exortam. Probandum iam nobis vtrumque, ex adductis ab Hippocrate ſignis.

Luculen

credibile eſt, quandoquidem ſtatim quintâ die ſuppreſſam fuiſſe aluum, annotet Hippocrates.

Vrinæ verò color albus & aquoſus, ſubſtantia tenuis per totum morbum perſeuerans, cum enæoremate tenuiſſimo, id magis confirmant, nempe raptum biliosæ materiæ versùs cerebrum: Cuius priuatione, non autem cruditate vel perfrigeratione in febris vehementiâ tales reddebantur, vt annotauit Hippocrates *Aphor. 72. ſect. 4. & in prognoſticis.*

Ex ſudore autem qui circa decimum diem erupit, nulla quidem affecti cerebri indicia propria ſuppeditat: attamen plethora totius, quæ non potuit vacuari, niſi per communia illa cutis ſpiracula, magno impetu & copiâ, vt credibile eſt; quemadmodum ſputa illa variegata & ſubrubra oſtendunt, non quidem affectos pulmones, vel vllam aliam thoracis partem, vt dicemus; ſed excrementum cerebri proprium, nimirum ichores ſanguineos bile & pituitâ multâ perfuſos, qui in thoracem prolapſi, ibique paululum concocti, foras per ſputationem ſextâ die reiiciebantur.

Ex accidentibus verò propriis, quod eſt quintum & vltimum affectæ partis τεκμήριον, nullum hîc ab Hippocrate proponitur, vt ſolet alibi; quoniam neque in aſpectu, neque in voce, aut aliis quicquam ita notabile apparuit, quod Medici animum moueret; attamen ex prædictis omnibus quaſi ſyllogiſticè concludi poteſt, cerebri adfuiſſe noxam, eamque *ἰδιοπαθῆ*; non autem diaphragmatis. Quamuis enim phrenibus inflammatis febris acuta & delirium perpetuum ſubſequantur, tamen alia ſunt accidentia propria, ex hypochondriorum contractione, ex voce, & reſpiratione, quæ omnino iſtas partes diſtinguunt. Vide Galenum 5 *de locis affectis.*

Sed cùm cerebri partis organicæ & diſſimilaris variæ ſint partes, meninges ſcilicet, mollis illa & caſeoſa ſubſtantia, nerui, venæ, & arteriæ: quærat fortaſſe aliquis, quarum hîc præcipuè ſubiectum fuerit morbificæ diſpoſitionis. Dubitant enim multi, vtrùm in phrenitide, cerebri pa[illegible]eninges, &c. Tanta materia non poteſt in meningibus tantùm contineri. [illegible]us ex phrenitide gibboſus. 4 *epid. & in prorrhet.* dolor ad coxas & crura cum [illegible] ſoluit, & in Pythione iſto. Vide Theſes noſtras. 104.

Iam igitur ad ſecundam partem diagnoſeos accedamus, quæ eſt ipſius diſpoſitionis morbificæ, hoc eſt, naturæ ſeu ſpeciei affectus, qui partem obſidet. Cùm igitur dixerimus priùs, typum huius ægritudinis ad phrenitidem, hoc eſt, inflammationem non ſolùm meningum, ſed & ipſius cerebrij iam ex eiſdem ferè ſignis, illud eſt probandum.

Actionis enim læſæ modus, ipſam morbi ſpeciem denotat. Nam vt intemperies frigidæ imminuere, ſic calidæ deprauare ſolent, apud Galenũ. At mentis allucinatio eſt ſpecies deprauatæ actionis, quia ſubiectum ſuum non percipit tale quale eſt; deinde etiam falſa repræſentantur & inania, quæ in inſaniis ipſis phreniticorum, aut etiam vigiliis, velut ſpectra apparere ſolent. Sed ipſarum deiectionum ſubſtantia & qualitas oſtendit, non immaterialem eſſe hunc affectum, ſed à materiâ biliosâ pituitæ & ſanguini permixtâ profectum, quæ intus retenta, neque per aluum expurgata refluit ad cerebrum, & quaſi furore quodam percita, vrinis ipſis, quas tenues, pellucidas & albas relinquit, per *ἀνακωχὴν* rapi in arcem totius corpõris. Adde quòd propria accidentia, nimirum febris illa ardens & continua, quæ ſymptomaticus eſt affectus ac ſecundarius, non poteſt fieri, niſi ad phlegmonas partium internarum & nobilium, quæ communicare poſſunt cordi ſuam noxam per arterias, & inde totum corpus calfacere.

Inter propria etiam accidentia phrenitidis recenſentur ab Hippocrate tremor & conuulſio. Vt enim eſt *in Coacis*, Φρενῖτιν βεβαρυμένοις, τρομώδεες καὶ ξυνασμώδεες.

Quæ verò in Pythione ſpecies fuerit inflammationis phrenitidem committentis, poteſt eſſe controuerſum, quod innoteſcet ex ipſarum cauſarum indagatione, quæ eſt tertia & vltima pars *διαγνώσεως*. Galenus 3. 4. 5. *de locis affectis*, videtur omnem inflammationem phreniticam ad bilem referre, pallidam videlicet, flauam, & exuſtam. Pallidamque, vtpote multæ pituitæ permixtam, mitiores; flauam, vt quæ meracior ſit, vehementiores; atram verò ferinas & agreſtes deſipientias excitare. Attamen Hippocrates, *περὶ νούσων*, & ab ichoribus maſſæ ſanguinariæ aliquando fieri, & ab ipſo ſanguine, *Aphor. illo quinquageſimo tertio ſect. 6.* quem ipſemet explicat Galenus, agnouit: ita vt inflammatio iſta ſiue phlegmone non tantùm pura aut eryſipelatoſa

esse possit,sed aliquando melancholica & pituitosa, vnde exoritur affectus ille apud Hippocratem τυφομανίας nomine designatus, 4. *epidem.* qualem fuisse affectum istum, à sanguine videlicet multis ichoribus biliosis & pituitosis permixto,docet delirij mediocritas sine feritate: vocat Hippocrates φρενιτικὰς ἀσαφεῖς, obscuros, *in prorrhet.* conuulsio pauca, à repletione potiùs quàm inanitione exorta, cum sputis illis variis & subrubris, defluentibus quasi & relabentibus ex capitis statione, in pectoris cauitatem; vnde *in Coacis*, phrenitici multi, sputatores euadunt. Quæ quidem omnia facilius esset dignoscere, si quidem omnes causas percensere possemus, videlicet res illas naturales, non naturales, & præter naturam, videlicet Pythionis temperamentum, ætatem, vitæ genus, progeniem, aëris in quo versabatur, constitutionem, dispositiones morbificas, plethoram videlicet aut cacochymiam, quæ hominem istum olim tunc afficere poterant. Sed cùm istarum causarum series sit nobis incomperta, sufficiat nobis ex posterioribus seu effectis, affectus istius naturam delineasse.

Ad cuius prognosin ex propositâ methodo accedamus. Omnis prognosis constat ex comparatione ægrotantis & partium affectarum cum morbo & eius causis. Quod ad ægrotantem ergo nostrum spectat, neque à viribus illius seu functionibus omnibus, neque ab externis illis, vt vultu, oculis, decubitu, mole totius corporis, & similibus datur hîc cognoscere, quis futurus sit euentus huius ægritudinis. Omnino igitur conuertendus animus ad illa signa, quæ petuntur ex specie morbi, eius more, motu, & magnitudine.

Species itaque istius morbi valde calamitosa, vt omnium inflammationum internarum, tum quòd febris illa assidua, quæ perpetuò comes esse solet illarum, potest totam humidi nostri substantiam citò exsorbere, vel certè quantitate putrentis succi suffocare. Adde quod eiusmodi tumores inflammatorij, cùm habeant materiam extra vasa in poris & substantiâ partium contentam, non ita facile potest per motus criticos vacuari, quemadmodum in febre primaria. Non tamen sunt deploratæ omnino phrenitides, ipso teste Galeno, *comment. in sect. 2. huius libri,* vt hîc verissimus sit ille Hippocratis Aphorismus, *Acutorum morborum non omnino certas esse prædictiones.*

Nos igitur ad alia conuertamur. Primò quod ad mores & motus istius ægritudinis spectat, neque κακοήθης videtur, neque ὀξύτατος & vehemens, sed satis boni moris, & cum motu illo, qui neque ad perperacutum, aut peracutum, sed acutum tantùm accedit. Vnde minus periculum. Nec pertimescendum ægrum istum moriturum esse, vel ex vehementiâ affectus, vel ex malignitate, vt sæpe contingit etiam in tertianis, aut vbi est θῆον τι; sed si vires ferant, egregiè cum morbificâ causâ decertaturum.

Videamus itaque à magnitudine propriæ essentiæ, partis affectæ præstantiâ, causarum & symptomatum constitutione, quid prædicere possimus.

Pars est nobilis, & ad vitam bene agendam, sed non simpliciter necessaria. Ergo minùs periculosus, quàm si hepar vel cor obsideret, nisi adsit consensus læsæ respirationis, vt in Apoplexiâ.

Propria essentia magna est, si quantitatem materiæ spectes, sed non ratione qualitatis, quandoquidem bilis hæc valde est permixta. Neque etiam valde est extensa in suo subiecto: Etenim Hippocrates solo nomine λῆρος, quod pertinet ad sensum communem, illam designat, cùm in aliis imaginatio, discursus, atque etiam memoria pereant vel deprauentur. Conuulsio etiam pauca, neque perseuerans, vt putà. Somni leues, sed non laborioſi, verùm peruigiles ob nimiam materiæ acrimoniam. Tremor etiam non ita pertimescendus, quandoquidem à repletione contingit.

Siquid est quod periculum hîc, aut saltem morbi longitudinem portendere possit, est ἀπεψία siue cruditas vrinarum, quæ talis ad crisin vsque, tenuis & alba perseuerauit, cum enæoremate subnebuloso & dissipato. Quæ enim crisis sperabilis est sine coctionis signis præcedentibus? Ergo in isto naturæ labore, & quasi oppressione fieri non potest, quin aut æger, si quidem vires erunt infirmæ, opprimatur, aut certè infida sequatur crisis die infausto, quæ ægrum non liberet à morbo, sed transferat in meliorem statum, à quo non liberabitur, nisi per μετάστασιν, translationem materiæ à partibus ad partes. Vt in ægro hoc nostro contigit, qui non potuit conualescere, nisi succedente abscessu in ipsam sedem, atque stranguriosâ quadam puris mictione, à quâ non parum diuexatum fuisse credibile est. Atque hic exitus est prognosticus. Pythionis ægrotantis. Iam verò ad eam partem, quæ propriè ἰατρικὴ & θεραπευτικὴ vocatur: est enim Medicina tota, vt docet Hippocrates, λογικὴ πεῖρα, & μέθοδος μετ' ἐφόδου, quia tota ad actionem illam curatoriam, & propter illam præcipuè expetitur. Itaque non est credibile Hippocratem, quamuis nullius remedij

meminerit,

meminerit, Pythionem abſque auxilio reliquiſſe, ſed ea quæ erant ex arte diligenter adhibuiſſe, illis tamen in hiſtoriâ omiſſis, quia erant ordinaria tantùm, & quæ nihil habuerunt, vel in ſuo genere aut effectu, præter id quod eſt conſuetum. Nos itaque illius imitatione dicamus in omni morbo curando, duplicem primò indicationem ſeſe offerre: conſeruationem videlicet virium, ac eorum quæ ſunt ſecundùm naturam; & expugnationem ſeu ſublationem eorum quæ ſunt contra naturam.

Conſeruatio itaque illa in omni ægrotante, fit vſu diætæ conuenientis, quæ ſuſtentandis viribus ſufficiens ſit, naturamque ſi fieri poſſit ad ſuperandum potiùs morbum iuuet, quàm impediat vel reuocet. Vnde in morbis acutis, tantâ ſedulitate præſcribit Hippocrates 1 *ſect. Aphoriſm.* ſecundùm ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, & tempus exhibendi ſiue occaſionem, quæ ſequitur morbi ſecundùm ſua tempora conſtitutionem. In hoc igitur affectu cùm ſit ex acutorum genere, febrem enim habet ardentem & partis internæ inflammationem comitem: tenuis diæta vel mediocris ſaltem inſtituenda, eaque, ex ſorbilibus potiùs quàm eduliis ſolidis, concoctu facilis & euchyma; qualitate refrigerans modicè, quia humor non eſt ſimpliciter bilioſus: Eâ autem quantitate, quæ neque ſinat vires omnino collabi, neque etiam vim naturæ aduerſus morbum conflictantis impediat: & eo præcipuè tempore alimenta exhibeantur, quo morbus miteſcit magis.

Itaque inſtituatur victus ex panatellis, hordeatis, amygdalatis, iuſculis pullorum, in quibus herbæ refrigerantes, aut ſemina frigida incoxerint: pruna acidula, poma cocta exhibeantur. Bibat aquam ex decocto radicum acetoſæ aut graminis cum ſucco limonum, granatorum, vel eorumdem ſyrupo. Vel fiat julep. Alexandrinus noſtro more, aut ſyrupus acetoſus. Si vires eſſent infirmæ, vt in declinatione concedatur vinum ὀλιγόφορον, album & auſterum, vel aliud ſimile bene temperatum. Frigidæ potio non concedatur.

Aër etiam temperatus ſit, neque æſtate nimiùm feruidus, ne inflammet magis, neque hyeme nimiùm frigidus, ne coërceat intùs vapores. Dubitant autem vtrum illuſtris an obſcurus eſſe debeat in cubiculo ægrotantis. Vide Hollerium 20. Altimarum, & Auegam. Nullæ ſint certè in cubiculi picturæ, aut in lecto ſtragulæ variegatæ, quia iſta ſolent commouere vim imaginationis iam turbatam.

Sæpe moneatur æger hic delirans, de excernendâ aluo, vrinâ reddendâ, mungendis naribus, & ſimilibus excretionibus, quarum ſolent obliuiſci: Imò etiam quando ita ſunt obliuioſi, offeratur ſæpe poculum, vt bibant, & cauſam illam ſitiferam extinguant, quâ non afficiuntur.

Contineatur in quiete & ſummo otio quantum fieri poterit: quòd ſi non pareat monitioni, contineatur à famulis, vel etiam vinculis coërceatur, quæ etiam poſſunt ad reuellendum, factis interdum frictionibus leuioribus, potiſſimùm circa declinationem, vt reuocetur materia ad inferiora.

Atque vt ſomnus excitetur, ſummum paretur ſilentium, arceantur canes, mulierculæ garrientes, & omnia alia ſtrepentia: niſi forteaſſe aliquot Syluani, ſeu vaſcula quæ aquam in peluim ſubiectam guttatim effundant, vnde ſomnus concilietur.

Nullis etiam commoueatur externis obiectis, vt præſentiâ rerum triſtium, vel hominum ſibi infenſorum: quibus ad iram vel dolorem præcipitetur. Adſint viri amici & prudentes, qui conſpectu ſuo illi ſecuritatem promittant & ſilentium imperent. Veteres etiam muſicâ ſolebant delirantes recreare, ſed hoc potiùs in maniacis & furentibus ſine febre, quàm in phrenitico, ne fiat exagitatio humorum ex iſtâ delectatione. Inſtitutâ igitur ſic diætæ & rerum non naturalium ratione, ad alia tranſeundum, maiora ſcilicet auxilia, quæ ex Chirurgiâ & Pharmaciâ repetuntur.

Ad quorum rectam vtendi rationem, ſciendum inprimis reſpectu cauſarum morbificarum, partis affectæ, affectus ipſius, & ſymptomatum, quatuor in propoſito ægrotante præcipuas intentiones exoriri, quarum prima eſt.

Vacuatio ſcilicet materiæ ſeu humoris peccantis in toto, & motu præpoſtero ſuperiora petentis per reuellentia, vt venæſectionem ex talo, hæmorrhoidibus, ligaturas, frictiones extremorum: Purgationem cum clyſteribus frequenter repetitis, medicamentis accommodatis, diaprunis, ſyrupo roſato, &c. Quibus adde præparantia, deriuantia per venæſectionem ex cubiti cephalicâ vel medianâ, cucurbitulas ſcarificatas, prouocationem ſanguinis è naribus, ſanguiſugas in occipitio, vacuationẽ ex

ipsâ parte per venam frontis, per cucurbitulam scarificatam sincipiti admotam.

Secunda intentio est, repulsio materiæ in caput fluentis per refrigerantia & modicè adstringentia futuræ coronali, toti bregmati, vbi locus est apertior; fronti, & vtrique tempori admoto, vt oleum omphacinum, rosaceum, acetum, aquam plantaginis, simul, sed inæqualiter mixta, pro ratione principij & incrementi.

Tertia, resolutio, διαφόρησις materiæ impactæ in ipso cerebro & meningibus per calfacientia & attenuantia modicè; oleum irinum, chamæmelinum, decoctum thymi, pulegij, &c. pullos columbinos, pulueres capitales, & similia. Et sub hac etiam continetur corroboratio ipsius partis, nempe cerebri, additis nuce moschatâ, garyophyllis, puluere ireos, ipsoque castoreo, ex sententiâ Galeni.

Quarta, correctio symptomatum, morborumque huic ægritudini primariæ succedentium, scilicet

Febris per refrigerantia & humectantia, julepos, condita, epithemata cordis.

Tremoris & conuulsionis, per inunctiones spinæ ex oleo nucis indicæ, lumbrici. corum, &c.

In crisi iuuandus sudor, leui quodam aperiente & attenuante.

Post crisin curandum sedis empyema, & stranguriæ labor demulcendus.

Peractis eis omnibus, quæ ad διάγνωσιν, πρόγνωσιν, & διαγωγὴν proposiți affectus spectabant; exurgunt ex contextu nostro, quatuor potissimùm notabilia seu difficultates, quæ diligentiori indigent explicatione & ἐξηγήσεως.

Hinc Hippocrates decimum diem pro infausto & calamitoso annotauit: Meminit enæorematis nebulosi, siue tenuis & nigricantis sublimamenti, in vrinâ; Vocat abscessum quendam in ano, sedis empyema: & per διόρθωσιν strangurioſam, non satis apertum quid significare voluerit. De characteribus etiam huic ægro adscriptis. Ergo hæc in eorum gratiam qui primùm Medicinæ sacris initiati sunt, paucis explicabimus.

Quod ad diem itaque decimum spectat, certum est naturam corporis nostri moderatricem, hoc habere à primordiis generationis suæ, vt quæcunque sibi infensa, morborumque causas expugnare omnibus nitatur viribus. Vnde si atrox sit pugna ex parte humoris morbifici, malignitate quadam aut ὀργασμῷ præditi, fit vt decertatio ista paucis diebus perficiatur, victa scilicet naturâ, aut exturbato hoste qui vitæ nostræ imminebat: vnde morbi acuti appellati, in quibus aut cita mors venit, aut victoria læta. Dum igitur hic conflictus peragitur, oportet naturam ita aggredi humores istos morbificos, vt primò ad πεπασμὸν, certam scilicet mitificationem deducat illos, quæ iam signum est victoriæ ex parte naturæ, deinde secernat ab vtilibus & alimentariis, tandem non sine insigni præcedente turbatione; vnde *Aphor. Nox quæ crisin, &c.* expellat extra corpus per vias solitas, hæmorrhagiam, vomitum, deiectiones, sudorem, vrinas, menstruorum, vel hæmorrhoidum profluuium, aut certè per μετάστασιν & transpositionem, quando non potest alio modo amandare eiusmodi materiam extra focum & mineram morbi, in corporis extrema, vt cutem, emunctoria, crura, coxas, dorsum, neruosum genus, vt quando ex apoplexiâ paralysis, & similes partes pro maiore eius aut minore robore. Vnde nomina κρίσεως, λύσεως, μεταστάσεως: Criseos quidem, quando fit repentina mutatio morbi per euacuationem copiosam, aliquando ad salutem imperfectam vel perfectam. Et hæc crisis κατ' ἐξοχὴν dicta, propria acutis morbis; aliàs ad mortem, quæ dicitur κρίσις δύσκριτος. Hippocr. vel ad deterius, quæ non simpliciter, sed cum adiectione ita vocantur. Λύσεως, quando fit mutatio, sed paulatina & quasi per partes. Per διάκρισιν vocant, ob paucitatem vacuationis, quæ est ferè peculiaris morbis diuturnis. Μεταστάσεως, id est, translationis, quæ si fiat operâ naturæ in externas partes, vt diximus, potest esse salutaris; aliàs verò pestifera, si vi & impetu humoris morbifici contingat, vt quando ex pleuritide fit peripneumonia vel phrenitis, ex colico affectu paralysis, & similia.

Hi omnes porrò naturæ ac humorum mòtus atque impetus, non fiunt indiscriminatim & promiscue, quouis morbi tempore, sed hoc potiùs quàm illo die: ita vt sedula illa & diligens antiquitas Hippocratis authoritate nixa, obseruauerit in morbis acutis potissimùm, certos esse dies fastos & felices, in quibus si reliqua consentiant, optimi sunt & laudabiles naturæ motus: alios verò calamitosos & infidos, in quibus nihil salutare potest contingere, ita vt nemo iam Medicorum, præcipuè vsu

&

Digitized b

& experientiâ confirmatorum nemo dubitet, τὸ ὅτι, quod ita ſit, ſed τὸ διότι, cur ſit, valde eſt dubium, & in imis naturæ penetralibus reconditum.

Omnes quidem ſciunt ſextum diem tyrannum eſſe in morbis; decimum, agreſtem: ſeptimum verò Regem propitium; decimum quartum Principem ſalutarem: Omnes etiam aſſentiuntur Hippocrati dicenti *Aphoriſm. 36. ſect. 4. Sudores die*, &c. At cur illud ita ſit, multi varias adferunt cauſas & rationes. Vide Laurentium & noſtras theſes, &c.

Iam ad enæorema illud ὑπόφυλον accedamus. Vrinarum quanta ſit vis, in iudicandis ſignificandiſque morborum conſtitutionibus, docet vbique cum Hippocrate Galenus. Cùm enim præcipua vrinæ materia, ſeu liquor, χῦμα, ſerum ſit humorum in maſsâ ſanguinariâ contentorum, quod relabitur ex maioribus illis vaſis in renes & veſicam, multis comitatum heterogeneis, contentis ſeu παρυφιστωμένοις, quæ modò ſunt à liquore illius aliena omnino; vt pinguedo innatans, furfuracea aut laminoſa corpuſcula, grumi ſanguinis, caruncułæ, ab hepate, renibus, veſicâ aut aliis quibuſcunque partibus vrinæ communicata: aliàs non ſunt ita aliena ab illius liquore, ſed cum eo quaſi nata & elaborata, craſſiores ſcilicet partes alimenti in ſanis, quæ perfectam aſſimilationem aut coctionem adipiſci non potuerunt, vel certè in ægris portio materiæ peccantis, in quam natura totis viribus incumbit concoquendam & ſubigendam. Eiuſmodi contenta in vrinis ægrorum Hippocrates triplici nomine donauit, prout vario ſitu collocantur.

Quæ enim fundum illius petunt, ὑποστάσεις. Quæ mediam regionem occupant, ἐναιώρημα, ſublimamentum: quæ in ſuperiore ſubſiſtunt, νεφέλη ſeu ὑπόφυλον nubes, nubecula dicuntur. In his porrò, vt in liquore conſiderat, conſiſtentiam tenuem vel craſſam, diuulſam vel contractam, æqualem vel inæqualem. Quantitatem paucam vel multam, & colorem. Vnde varia dignoſcendi morbos, prædicendíque ratio exurgit, vt in perfectis illis εὐρυμαθείας tractationibus docent Medici, quæ nobis nunc non eſt tota repetenda. Dicamus tantùm quid Hippocrates ſibi voluerit in hoc noſtro contextu per ἐναιώρημα illud ὑπόφυλον, quod in Pythione apparuit. Eſt enim illi parùm vſitata loquendi ratio, quod ad vrinas ſpectat: quamuis in hoc noſtro libro dum ſtatum peſtilentem deſcribit, vocet autumnum ὑπόφυλον. Exiſtimo illum duo deſignare voluiſſe per iſtud enæorema nubiloſum, nempe ſitum ſublimamenti vitioſum, & eiuſdem colorem minùs laudabilem.

Vt enim bona & laudata hypoſtaſis vrinarum alba eſſe debet, lævis & æqualis, in fundo vrinæ poſita: Sic etiam enæorema κρίσιμον ſiue εὐκρινὲς, illius medium occupare, coloréque & conſiſtentiâ ad hypoſtaſin accedere. Quod ſi propter cruditatis & flatuum copiam, neque ſitum ſuum ſeruet aut conſiſtentiam, ſed verſus extimam vrinæ regionem tendat diuulſum atque diſperſum: imò etiam colore quodammodo nigricante aut variegato ſit præditum, tunc ὑπόφυλον nubiloſum iure merito ab Hippocrate dicitur, quaſi imminuens naturam boni & fidi enæorematis, quod ad nubis ſpeciem ſitu & colore accedens, minùs perfectam eſſe coctionem deſignat, præcipuè in vrina tenui & albicante, qualis in hoc noſtro Pythione per totum morbi decurſum perdurauit. Atque hæc de enæoremate nebuloſo. Nunc videamus, quid per Empyema ſedis intelligat Hippocrates.

Nomen enim illud Empyematis in viâ Hippocratis, aliquando ſignificat materiam purulentam in aliquo loco collectam, aliàs quemcunque tumorem ſiue tuberculum quod in ſuppuratum deſinit, vt eſt *comment. in Aphor. 44. ſect. 7. Quicunque Empyici vruntur aut ſecantur, & in 1. Prorrhet.* Atque in hoc noſtro libro 3. Epid. Hippocrates paulò pòſt in ſtatu peſtilenti dicet; *Ægrotantium plurimis abſceſſus* ὑποστάσεις *in Empyemata vertebantur.* Attamen poſteriores non retinuerunt hanc Hippocratici vocabuli ſignificationem, ſed Empyema audierunt non de abſceſſibus aut tumoribus qui ſuppurantur, ſed de collectione puris in aliqua cauitate extra ſubſtantiam partis, potiſſimùm verò thoracis, vbi empyema propriè colligitur: quemadmodum ſub oculi corneâ illud ὑπώπιον dictum. Cuius ſignificationis primus videtur author Aretæus *cap. 9. lib. 3.* dum ait: *Quibus in corporis cauitate aliquâ pus colligitur, ſi illud per os reiiciant, Empyici vocantur: ſi per aluum aut veſicam, apoſtematoſi dicendi ſunt.* Itaque in hoc Hippocratis contextu, ad veterem ſignificationem recurrendum eſt, nempe tumorem ſiue abſceſſum ſedis ingentem, qui in Pythione fuerit ſuppuratus, & ex quo materiæ copia profluxerit, non ſine metu fiſtulæ in parte iſtâ decliui, & multâ excrementorum proluuie ſcatente.

Maior eſt difficultas in vocabulo illo ὑποστάσεως τραχυτερώδους. Quamuis enim

ἀπόστασις nomen Celſus vomicam vertat, & idem eſſe videatur cum apoſtemate, id eſt, tumore qui ſuppuratur, vt videre eſt in pleriſque Hippocratis locis. Attamen non eſt credibile Hippocratem hîc deſignaſſe tumorem veſicæ phlegmonoſum, ex quo genita fuerit materia purulenta ſtranguriam faciens: Nam quantum ex illius inflammatione phlegmonosâ vitæ periculum immineat, omnibus patet, & nos in tractatione morborum illorum apertè oſtendemus: vnde non potuiſſet eiuſmodi ἀπόστασις ſtrangurioſa eſſe huic ægro fauſta & ſalutaris, vt ſignificatur ex characteribus ſeu notis huic hiſtoriæ appoſitis, ΠΤ Π. Ο. Τ. Μ. & credibile eſt tandem perſanatum, profluente inſigni vrinæ copiâ, & puris ex ſede ſuppuratâ, quemadmodum habetur 1. *Epid. particul.* 2. Deinde fruſtrà Hippocrates duplici nomine fuiſſet vſus, empyematis & apoſtaſeos. Sufficiebat enim dicere empyema vel apoſtaſin ſedis & veſicæ factam fuiſſe. Vnde ego coniicio, alio modo interpretandam eſſe hanc ἀπόστασιν, idque ex variis Hippocratis locis. Nam ἀπόστασις nomen generaliter ſumptum, apud Hippocratem ſignificat quamcunque ſeiunctionem ſeu ſeceſſum rei alicuius ab aliâ. Vnde *libro de fracturis*, quando fragmentum aliquod oſſis à principali oſſe diſcedit & ſeparatur, vocat ἀπόστασιν ὀστέου. Et *lib.* 5. *Epid.* vocat ἀπόστασιν τοῦ δίσματος ἀπὸ τοῦ ὀστέου. Hinc etiam ſæpe apud eundem Hippocratem nomen hoc ἀπόστασις & μετάστασις in morborum iudicationibus pro eodem ſumuntur: Ita tamen vt ἀπόστασις in morbi iudicio aliquid melius ſonet quàm μετάστασις. Vnde Galenus *commentario in libros iſtos*, coactus eſt duplicem facere ἀπόστασιν in morbis, vnam quam vocat κατ' ἔκρυσιν, id eſt, humorum per effluuia quædam manifeſta emiſſiones & vacuationes: Aliam verò κατ' ἀπόθεσιν, per depoſitionem, quando materia morbifica in partis alicuius ſinum deponitur, ſed nondum vacuatur, cùm μετάστασις non tantùm in cauitates, ſed etiam in ſubſtantiam partium fieri poſſit, vt ſuprà dicebamus. Hac itaque ratione intelligendum eſt in Pythione noſtro factam eſſe ἀπόστασιν in veſicam, non quidem abſceſſum aut tumorem phlegmonoſum, ex quo iam fractis diuturniore morbo viribus defunctus fuiſſet: ſed per depoſitionem, primò quando materia morbifica paulatim ſeceſſit in veſicæ cauum: deinde κατ' ἔκρυσιν, per vacuationem illius, quando ſtranguria, crebra iſta meiendi cupiditas ægrum occupauit. Atque hæc de primâ hiſtoriâ ſufficiant.

HISTORIA II.

Ἑρμοκράτεϊ, ὃς κατέκειτο ἐπὶ τὸ καινὸν τοῖχον, πῦρ ἔλαβεν. ἤρξατο ἡ ἀλγήδων κεφαλῆς, ὀσφύος. ὑποχονδρίων ἔντασις λαπαρή. γλῶσσα ἡ ἀρχομένη ἐπεκαύθη. κωφώσεις αὐτίκα. ὕπνοι οὐκ ἐγένοντο. δίψος οὐ λίαν. ἕδρη παχέα ἐρυθρά. κάθαρμα ἐκ καθίσεως. οὖρα ἡ κοιλίης ὀλίγα ξυγκεκαυμένα ὀλίγα. πίμπλη οὔρησι λεπτά. εἶχεν ἐναιώρημα. οὐκ ἴδρωτο. ἐς νύκτα παρήκμασε. ἔκτῃ ἐκλειποθύμησις. πάντα παρωξύνθη. ἐ κατενόει. ἐβδόμῃ δυσφόρως. οὖρα λεπτὰ, ὁμοῖα, ταῖς ἐπομένῃσι ἀθροπλησίως. ἐκεῖ ἡ ἐνδεκάτῃ ἐόντι πάντα ἔδοξε κεφαλλῶαι. κῶμα ἤρξατο. οὖρα παχέα, ὑπέρυθρα, κάτω λεπτὰ, οὐ καθίσεως. ἠσυχῇ κατενόει. τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἄπυρος, οὐκ ἴδρωσεν. ἐκοιμήθη. καθεύδει πάντα οὖρα ἀθρόπλησια. ἐκεῖ ἐπτακαιδεκάτῳ ἐόντι, ὑπέρρεψεν. ἐδιεμάνθη. τὰς ἐπομένας πυρέξεις ὀξύς. οὖρα λεπτὰ. πάλιν ἡ εἰκοστῇ ἐκρίθη. ἄπυρος. οὐκ ἴδρωσεν. δεύτερον ἀθρόα πάντα τὸ χρόνου. καθεύδει διαλείπουσι οὐκ ἠδυνάτο. γλῶσσα ἀκμαία ἐπὶ ἐδύνει. καθεκοιμᾶτο κωματώδης. ἐκεῖ ἡ εἰκοστῷ καὶ τετάρτῳ ἐπιθερμάνθη. κοιλίη ὑγρὴ, πολλοῖσι λεπτοῖσι ῥέουσα. καὶ τὰς ἐπομένας πυρετὸς ὀξύς. γλῶσσα ξηρὴ ἐγένετο. ἐβδόμῃ καὶ εἰκοστῇ, ἀπέθανε. τούτῳ κάρφωσις ἀπὸ τέλεος παρίμφησιν. οὖρα παχέα καὶ ἐρυθρὰ, ἐ καθιζάμενα· ἢ λευκὰ καὶ ἄχρεα, καὶ ἐναιώρημα ἔχοντα. γενέσθαι ἡ ἠδυνάτο. Π. Ε. Δ. Κ. Θ.

HERMOCRATEM, *qui ad murum nuper conſtructum decumbebat, ignis (id eſt, ignea & ardens febris) inuaſit, incepitque dolere caput & lumbos. Hyponchondrij adfuit tenſio, ſed mollior. Lingua autem à principio exuſta fuit. Confeſtim ſurditas: Somni non aderant: Siticuloſus, ſed non valde: Vrinæ craſſæ & rubræ, ſed quæ in matellâ poſitæ nullam faciebant reſidentiam. Ex aluo etiam non pauca exie-*

runt

runt quaſi combuſta. Die quintâ, minxit tenues vrinas habentes eneorema, ſed non ſubſidebat. Sub noctem deliraut: Sextâ ictericus euaſit: omnia ſunt exacerbata, neque reſipuit: Septimâ, moleſtè ſe habuit: Vrina etiam tenues & iam dictis ſimiles. Sequentibus diebus ſimilia fuerunt omnia. Vndecimâ verò omnia videbantur eſſe alleuata: Sopor inuaſit: Vrina craſſa & ſubrubra, quamuis in fundo eſſent tenuiores ſine ſedimento. Paululum reſipiſcebat. Decimâ quartâ febre erat vacuus, non tamen ſudauerat; dormiuit, & iam omnia agnoſcebat. Vrinas ſimiles dictis reddebat. Verùm decimâ ſeptimâ recidiuam paſſus eſt, incaluit, & reliquis diebus acutè febricitauit. Vrináſque habuit tenues. Rurſum indicatus eſt vigeſimâ, & à febre liber euaſit, quamuis nullo erumpente ſudore: manebat tamen vt reliquis temporibus ἀπόστασις. Reſipiſcebat quidem, loqui tamen non poterat. Linguam habebat aridam, & non ſitiebat, iacebátque comatoſus. Vnde vigeſimâ quartâ incaluit: habens aluum lubricam, & multis tenuibus profluentem. Aliiſque diebus febris fuit acuta, & linguæ exuſtio. Tandem vigeſimâ ſeptimâ obiit. Huic ſurditas ad finem vſque perdurauit; vrináſque ſemper habuit vel craſſas & rubras ſine ſedimento, vel tenues & decolores cum leui eneoremate. Vix autem cibos deguſtare poterat.

Notæ adſcriptæ falſæ, quandoquidem hoc non fuit ab Hippocrate annotatum, ſuppreſſam fuiſſe aluum vigeſima ſeptima die.

TYpus eſt hepatitidos ſeu inflammationis iecoris ex phlegmonosâ vel ſaltem erysipelatosa eius conſtitutione, quam funeſtiſſimus icterus ſextâ die exortus comitatur,& tandem in exitialem vitæ periodon,Hermocratem hunc noſtrum præcipitauit. Cùm igitur primâ hiſtoriâ deſcriptam habuerimus Phrenitidem, grauiſſimum cerebri affectum,in quo illuſtrando diligenter laborauimus:par eſt vt ſimiliter acutiſſimum & frequentiſſimum excutiamus, ducto ab ipsâ diagnoſi exordio.

Quamuis iſta dextri hypochondrij tenſio dicatur ab Hippocrate λαπαρὴς fuiſſe, id eſt, mollior: tamen non eſt dubitandum ex ſignis tam comitantibus quàm ſubſequentibus, παθογνωμονικοῖς & ἐπιγινομένοις, quin verâ fuerit hepatitis. Tenſio enim illa fuit minor, vel quia illa inflammatio tendebat verſus caua hepatis & ipſam meſenterij vacuitatem, vel etiam diaphragmatis externam ſuperficiem, vt voluiſſe videtur Galenus, *lib.* περὶ ἀνατομῆς; vel quia erat erysipelaioſa ex tenui & feruido ſanguine, qui paruos tumores, tenſiones, & pondera excitare ſolet. Quod ad diagnoſin autem, prognoſin, & therapeiam iſtius affectus, necnon icteri ſuperuenientis, vide dictata noſtra peculiariter huic ægro aptanda. Iam ergo ad contextum veniamus.

Ex contextu verò tres potiſſimùm exurgunt difficultates. Primò quòd dixerit τὸ πῦρ, ignem inuaſiſſe primo ſtatim die Hermocratem. Sciendum enim quid per illud τὸ πῦρ, in natura febrili & inflammationis ſpecie audiat Hippocrates. Secundò, cùm annotauerit ἐπιχόνδριον adfuiſſe tenſionem, dubitare quis poſſet, quid per illud ἐπιχόνδριον nomen intelligere voluerit, ac propterea clariùs explanandum. Tertiò, mirari quis poſſet tam ſæpe Hippocratem hîc dixiſſe Hermocratem iudicatum fuiſſe, ſine vllâ tamen vacuatione: quomodo hoc fieri potuit, cùm in primâ hiſtoriâ diceremus, omnem criſin conſtare ſuâ ἐπισημασίᾳ, ἐριθίσμῳ & ἐκκρίσει? Et quia recidiuæ hîc ſæpiùs meminit Hippocrates, arreptâ quaſi occaſione explicabimus in gratiam neotericorum, quid ſit illa, & quibus de cauſis contingat.

A primo igitur exordiamur. Τὸ πῦρ apud Hippocratem ſæpe vſurpatur, vt annotauit Galenus, quoties exprimere vult vehementiſſimum ardorem febrilem, qui ferè ſupremum intenſionis gradum obtinuit: quemadmodum enim ignis elementum ſupremum calidorum dicitur, & ſimpliciter calidum: Sic etiam ea quæ ad eum gradum caloris peruenerunt, vt vitrâ ſuperſtite animali progredi nequeant, τὸ πῦρ, ignis, καῦσον dicuntur, eáque quæ ſequuntur tales inflammationes, τὰ καυσώδη vel πυρώδη, quaſi combuſta dicas, vt deiectiones Hippocrati *in Prorrhet.* appellantur, & hiſce noſtris libris frequenter. Quæ phraſis etiam vſitata fuit Aretæo antiquiori Medico, & veteribus omnibus,teſtante Erotiano, vt febres καυσώδεις, ἀκρητοχόλους, φοινώδεις,

Digitized by Google

ἀναύδους, κωφώδεας, πτερυγοὺς, & ἰξίας exprimerent, quæ ſine vllâ intermiſſione aut remiſſione ſenſibili fiebant: quales ſunt illæ quæ ſuam habent mineram & ſocum putredinis in maioribus illis vaſis, inter alas & inguina excurrentibus, ac propiùs ad cordis æſtuarium accedentibus: vnde exoritur immenſa illa flamma, quæ hominem breui temporis ſpatio depaſcitur. Vel certè quoties pendent ab inflammatione eryſipelatosâ vel phlegmonosâ alicuius partis internæ, cuius ἀπόκαυμα, feruor & æſtus facilè & indeſinenter toti corpori, incenſo priùs corde communicari poteſt, quemadmodum fuit illa Pythionis in primâ hiſtoriâ, & Hermocratis iſtius. Idem etiam protulit Hippocrates 2. *Epid.* de febre quæ pleuritidem ſubſequitur, aut peripneumoniam, aliiſque talibus, dummodò non degenerent in epialas, helωdes, vel lipyrias, quæ à proprio ſuo ſymptomate nomen & appellationem nactæ ſunt.

Vt igitur Hippocrates per illud τὸ πῦρ ſimpliciter appellatum, πυρετὸν ἐξὺν & καυσώδη ſignificauit: ſic etiam per adiectionem aliquando emollit iſtius nominis vim; vt *primo de morbis mulier.* πῦρ ἴσχνα βληχρὸν, id eſt, lenta: & *lib. de vlcer.*, πῦρ μαλθακὸν dixit: imò πυρὸς ἀγρίου σύσημμα, 7. *Epidem.* interpretatur Galenus *in exegeſi nominum Hippocratis*, non de febre, ſed de collectione ſiue tumore eryſipelatoſo, qui ignem ſacrum aut agreſtem repræſentat. Denique eſt locus apud Hippocratem *lib.* περὶ ἑλκῶν, vbi illud τὸ πῦρ, quod vocat ξύντροφον, accommodauit calori noſtro innato, quod in Aphoriſmis τὸ ἔμφυτον θερμὸν, & aliàs frequenter appellauit. Atque hæc de πυρὸς ſeu ignis ſignificatione apud Hipqocratem.

Nunc ad ὑποχονδρίου nomen accedamus, quod in Hippocratis πραγματείᾳ ſeu doctrinâ multò eſt frequentius. Illius enim ſcripta perpetuò hypochondrij nomine perſonant. Cùm igitur corporis noſtri partes in continentes & contentas diuidantur, ſiue externas & internas: fit ſæpe apud Hippocratem, vt contentæ pro continentibus, vel contrà vſurpentur: Vnde illud nomen χόνδρου, id eſt, cartilago, ξιφοειδὴς propriè dicta Anatomicis, pro ſubiecto pectore vel ventriculo ſumitur apud Hippocratem 2. *Prorrhet.* Sed potiſſimùm illa ὑποχονδρίου ſignificatio extenditur tam ad internas illas partes, quàm externas, quæ à nothis coſtis ad ilia vſque protenduntur. In Coacis prænotionibus hypochondrium ἀνατεταμένον, reuulſum & retractum dicitur, in hæmorrhagiæ prædictione, abſque vllâ viſcerum interiorum affectione, ſed tantùm externarum partium, dum contrahuntur ad ciendas hæmorrhagias illas criticas. Eſt & in Prorrhetico ὑποχονδρίου ἔντασις ὑπόμακρος, tenſio ſublonga, pro inflammatione ſcilicet duorum muſculorum, qui ex thoracis fine rectà ad os pubis inſeruntur, & ideò recti appellantur. At ſæpiùs, ὑποχόνδριον pro partibus contentis & internis ſumitur, quas Latini præcordia vocitant. Vnde Hippocrates *in Prognoſtico*, tam ſeduló & frequenter nos monet, vt in morbis omnibus tam longis quàm acutis hypochondriorum diligentem habeamus rationem, vt ea ſæpe Medicus contrectet & conſpiciat, quoniam in ventre illo inferiore, velut ſentinâ quadam corporis, præcipuæ morborum cauſæ ſtabulantur. Vnde 2. *de rat. vict. in morb. ac.* ὑποχόνδρια κατεξηραμένα σφοδρῶς, ἢ ἰσχυρῶς ἀυχμώδη, præcordia valde reſiccata & ſqualentia intellexit de conſtitutione totius inferioris ventris. Quemadmodum *in Prorrhet.* ὑποχόνδρια μείζονα χρονιώτερα intelliguntur, de inueteratis illis & perſiſtentibus ventris inflationibus, quæ obſtructionum copiam ſequuntur. Et *Aphor.* 64. *ſect.* 5. vbi agit de cautionibus exhibendi lactis, meminit ὑποχονδρίων διαβορβορίζόντων, obmurmurantium inteſtinorum, ſcilicet ventriculi, & aliarum meſenterij partium, in quibus lac oberrare & flatus iſtos excitare ſolet. Attamen illud hypochondrij nomen ſimpliciter prolatum, vt in hoc noſtro ægro, & aliis infinitis propè locis, deſignat propriè, κυρίως, & principaliter dextrum, nempe hepar illâ in parte contentum: quemadmodum dum lienem vult ſignificare, τὸ ἀριστερὸν ſiniſtrum adiicit. Hinc tantopere *in Prognoſticis, & alibi*, exhorreſcit Hippocrates ὑποχόνδρια ἐπώδυνα dolentia, ἀνεσπασμένα, conuulſa, ξυντάσιν vel σκλήρυνσιν affecta, intenſa & inæqualia: quoniam perturbatâ hepatis & reliquarum partium, vt lienis, nutritioni dicatarum œconomiâ, parum eſt in ægro ſperabilis ſalus, obſeſſâ quaſi functionum naturalium arce, à quibus omnis πέψις & κένωσις humorum morbificorum mitificatio & excretio expectari debet. Atque hæc de hypochondrio.

Nunc accedamus ad illud quod tertiò fuit propoſitum, de criſi ſeu iudicatione Hermocratis, quam tamen nulla κένωσις ſeu vacuatio ſecuta eſt, vt ipſemet annotat Hippocrates. Videtur enim hoc ferè impoſſibile in morbis humoralibus, vt ægri ab eis liberentur ſine ſenſibili materiæ vacuatione, quæ erat illorum cauſa interior.

Ad

Ad hoc igitur paucis reſpondemus. κρίσις nomen duo habet præcipua & prima ſignificata apud Hippocratem, quorum vnum minùs vſitatum videtur exprimere illud quod Latini iudicium ſeu mutationem vocant: quotieſcunque & quocunque modo ægri ſuſcipiunt intermiſſionem vel remiſſionem præſentis affectus, ſiue illa ſit infida & inconſtans, ſeu certa & rata; ſiue ſit cum vacuatione & cauſarum morbificarum expugnatione, ſiue abſque vllâ manifeſtâ causâ. Aliud verò κρίσεως nomen eſt illud, quod à nobis in ſuperiore hiſtoriâ fuit expreſſum, ipſam ἔκκρισιν, id eſt, vacuationem includens. Modo Hippocrates hac Hermocratis hiſtoriâ vulgare illud nomen criſeως vſurpauit pro quacunque mutatione ſeu ſenſibili intermiſſione, quâ Hermocrates febre vacuus apparuit: quamuis latitante intus foco & minerâ quamprimùm acerbiſſimè febris redierit, & hominem lecho tandem tradiderit. Illis enim quæ præter rationem contingunt in morbis, non eſſe fidendum docuit in Aphoriſmis. At quærat adhuc aliquis, quomodo hoc poſſit contingere, vt æger quiſpiam, qualis hic noſter, videatur à febre liber, & talis per aliquot horas perſentiatur, ſuperſtite, quæ incendium interius ſuſcitabat, causâ? Ad hoc dici poteſt cum Galeno, remiſſionem iſtam ſeu febris vacuitatem, non eſſe κατὰ τὴν ἀλήθειαν, id eſt, re ipsâ & verè, ſed tantùm κατὰ φαντασίαν, apparenter & imaginariè, ob caloris natiui exiguitatem, qui cùm proximus iam ſit interitui ſuo & extinctioni, non poteſt ampliùs illam σβεσιν, & contractam inflammationem ex febre externis partibus communicare: imò internæ ob incipientem illam ψυχρωσιν ſuum illum æſtum non percipiunt, & ægros quaſi ſalutis ſecuros faciunt. Vel etiam dici poteſt, naturam in ſummis illis conatibus aliquando materiam morbificam quamuis furentem & indomitam ita cohibere, aut in longinquiora à corde loca vacuationibus ordinariis amandare, in quibus per aliquot quaſi horas deliteſcens præſtet toti corpori inducias: mox tamen fatiſcente naturâ, maiori impetu reditura, quia extra corpus exturbari omnino nõ potuit, vbi de victoriâ quaſi exultans extremũ plerumq; naturæ exitium adferre ſolet. Et hoc in ægris noſtris quotidie videmus contingere. Atq; hæc poteſt eſſe ratio criſeως illius falſæ & imaginariæ.

Iam ad vltimum progrediamur, quod ex contextu noſtro propoſitum fuit, nimirum de recidiuæ naturâ & cauſis, quæ vtiliſſimam complectitur tractationem Medicam, & quaſi quotidianum euentum.

Recidiua igitur, quam Hippocrates ὑποτροφὴν & ὑποστροφιασμὸν vocat *Aphor. 36. ſect. 4.* aliquando ſumitur pro omni reditu ſiue exacerbatione morbi, qui iam inclinare videbatur, ſiue hoc contingat cum iudicatione manifeſtâ & vacuatione ſenſibili, ſiue abſque vllâ ἀποκρίσεως, vt videre eſt in hoc noſtro Hermocrate, & aliis multis ægrorum hiſtoriis ab Hippocrate deſcriptis. Aliàs verò recidiua ſumitur magis propriè pro repetitione morbi alicuius, qui iam ex declinatione vniuerſali per aliquod tempus & ſenſibilem moram intermittens, & quaſi poſtliminiò rediens, conualeſcentem hominem inuadit, ſiue illud pendeat à causâ internâ, materiali vel immateriali, ſiue externâ: ſiue ſit eiuſdem ſpeciei cum ſuperiore, ſiue alienam habeat naturam à radice ac principali morbo. Iſtarum recidiuarum exempla habentur ſæpiùs apud Hippocratem. At vera & propria recidiua κυρίως dicta, tres debet habere conditiones, vt annotant Practici noſtri.

Prima eſt, vt morbus aliquis principalis (radicem vocant barbari) præceſſerit & ſimul ceſſarit in declinatione vniuerſali, cum ſenſibili materiæ vacuatione: quâ proprietate excluduntur iſtæ recidiuæ Hermocratis, & aliorum, qui in augmento & ſtatu morbi, ὑποτροφὰς ſine vllâ criſi dicuntur paſſi, quia neque fuit debitum interuallum intermiſſionis illius, neque cauſa vlla manifeſta, quæ ἀναπτέξιον induxerit: excluduntur etiam paroxyſmi tertianæ, quartanæ, & aliarum intermittentium, qui non habent declinationem vniuerſalem, ſed tantùm periodicam, ob quam vnus morbus, non plures eſſe dicuntur: Idem dicas de Epilepſiæ inuaſionibus.

Secunda proprietas veræ recidiuæ eſt, vt habeat denominationem ſpecificam, hoc eſt, ſimilem eſſentiam cum radicali morbo: Quâ conditione excluduntur noui illi morbi, ſiue conſequentes, qui exoriuntur poſt alterius ceſſationem, quaſi per μεταβολὴν tranſmutationem, aut μετάστασιν tranſpoſitionem. Vt quando ex continuâ febre exoritur intermittens, vel tertianæ febri per exuſtionem ſuccedit quartana. Aut certè ſcirrho hepatis hydrops, vel anginæ empyema, febri diuturnæ abſceſſus in cruribus, & ſimiles.

Tertia deniq; proprietas eſt, vt morbus ille πολύμβολος, vt loquitur Hippoc. 6. *Epid.* pendeat à reliquiis materiæ præcedentis morbi, cuius ſatis magna quantitas, cauſæ potiſſimùm antecedentis relicta eſt ad repullulandum: Vel certè talis intemperies

in foco & minerâ putredinis, vt facile sit nouam denuò cacochymiam ὁμογενῆ, consimilem colligere. Et sic excluduntur omnes illi morbi, qui conualescentibus superueniunt ob causas primitiuas tantùm, vt loquuntur, verbi gratia, malum vitæ regimen, iram, mœrorem, prauam diætæ rationem, & aliarum rerum non naturalium, ex quibus fit quidem sæpe παλινδρομὴ, sed non vera ὑποστροφὴ ex superiore morbo pendens.

Vnde Hippocrates *Aphorism.* 12. *sect.* 2. veras principalis recidiuæ causas assignans: *Quæ relinquuntur*, inquit, *in morbis, recidiuas facere solent, etiam post crisim.* Illud autem quod relinquitur, interprete Galeno, duplex est, vel materiæ antecedentis portio, quæ paucis diebus pòst putrescens & exagitata, renouat typum, & committit similem priori morbum; vel certè insignis intemperies siue impressio qualitatis ex causâ prægressâ, & in foco putredinis, ex quâ facilè suscitatur consimilis materia, adueniente alimento etiam bono & laudabili, potissimùm si æger paulo liberaliùs, vt fit, profligato priore morbo, illo vtatur. Sin verò prauis cibis sese conualescens diu ingurgitet, vt per 15. vel 20. dies, ita vt nulla Medici aut adstantium monita audiens in malâ illâ diætâ perseueret: incurrere quidem poterit recidiuam, sed non veram & ex priori radice pendentem, verùm ex errore tantùm concoctricis aut expultricis, quæ in neutro illo adhuc statu, non sufficit ad perfectè assimilandum, corrigendum, aut depurandum prauum illud alimentum, & reliquias excrementosas, & περιττώματα excernenda. Vnde hæc recidiua consimilis esse potest priori morbo, sed non dependens ratione causæ efficientis. Vbi verò pathemata animi, vigiliæ, labor, aut motus inordinati, conualescentes recidiuare faciunt, si quidem morbus consequens non sit consimilis priori, sed vel ephemera tantùm, vt sæpe solet, vel dolor colicus, aut aliarum partium; credibile est illud totum de nouo fuisse suscitatum, & causæ illius procatarcticæ vi inductum. Sin verò sit eiusdem denominationis specificæ, vt loquuntur, credibile est latitasse intùs causam, quæ quamuis non esset sufficiens per se ad recidiuam faciendam, sed esset paulatim & quasi insensibiliter cessura, tamen illis adiuta perturbationibus rerum externarum, ad nouum naturæ inferendum conflictum commota fuit, satisque potens exstitit.

Hinc recidiuarum signa prognostica ab Hippocrate frequenter inculcata, & in actu prophylactico, vt loquuntur nostri, valde annotanda exurgunt, nimirum ab eis quæ præcedunt, & quæ sequuntur. Prægressa sunt præcipuè ea quæ contigerunt in priore morbo, vtpote si cessauerit quidem, sed nullâ euacuatione factâ, aut si quidem vacuatio contigerit, sed non qualis & quanta esse debuit, aut die infelici & minimè iudicatorio, recidiuam pro foribus esse prædicendum est, nisi conuenientibus illi remediis occurratur; purgantibus, vbi supersit materia vel tota, vel maior eius portio; alterantibus & præparantibus, vbi decessit quidem maior humoris morbifici quantitas, sed tamen contractum empyreuma, ita remansit, aut alia intemperies, vt neque Medicum, neque ipsum ægrotantem fugiat. Vnde Hippocrates ratione solutionis morborum quæ contingit sine crisi, aut aliâ causâ sufficiente, *Aphorism.* 27, *sect.* 2. monuit, his qui παρὰ λόγον, id est, præter iustam causam, meliùs se habent, non esse fidendum, quia sunt ἀβέβαια, non consueuerunt durare vel permanere. Ratione verò qualitatis eorum quæ vacuantur, est *Aphor.* 1. *sect.* 1. & plures alij. In vacuationibus, inquit, spontaneis siue criticis, quando talia vacuantur, qualia oportet, quæ scilicet erant pars humoris peccantis, confert & leuiter ferunt: sin minùs, contrà: vt ratione cruditatis, habentur omnes illæ crises infidæ & ὑποστροφώδεις, quæ fiunt sine apparentibus coctionis signis, in Prognosticis. Ratione quantitatis illud est axioma Hippocraticum: Nihil paucum esse posse criticum. Ratione verò temporis siue dierum in quibus illæ fiunt, sunt insignes admodum *Aphorism.* 36. *sect.* 4. de sudoribus bonis ratione diei, & eis qui labores, longitudinem, aut recidiuam inferunt. Item 61. *sect. eiusdem*, *Febricitanti*, inquit, *nisi diebus imparibus febris intermiserit, solet recidiuam facere.* In Coacis & in Prognost. *Quibuscunque desinunt febres in diebus non iudicatoriis, expectanda est recidiua.*

Ex his verò quæ consequuntur signa etiam futuræ vel imminentis recidiuæ exurgunt, vt actionibus læsis, excrementorum prauitate, & affectibus seu simplici corporis qualitate. Hinc remanens post crisin oris siccitas, & insuauitas, ciborum fastidium, sitis, pondus & grauitas totius corporis, magnum imminere periculum recidiuæ suadet. Item vrinæ perturbatæ, confusæ, vel omnino tenues & albicantes; deiectiones alui variegatæ & admodum fœtentes; sudor noctu perseuerans; color & facici

faciei habitus fœdus. Hippocrates *lib. de indicationibus. Recidiuæ*, inquit, *fiunt in his quibus deſinente febre vigilia fortes accedunt, ſomni turbulenti, corporis & animi langnor, vel dolores in aliquâ parte.* Ad hoc etiam pertinet Aphoriſmus ille 17. *ſect.* 4. & 20. *ſect. eiuſd.* quamuis ad alios etiam ſtatus pertinere videantur. *Illis*, inquit, *qui iam febre vacant, ſi διαῤῥοίλια, καρδιωγμὸς, vertigo, & oris amaror perſeueret, purgatione indigere ſignificatur.* At *in Coacis* eleganter, *Quicunque ex morbis ſe refocillantes, bene cibum accipiunt, & nihil proficiunt, hi malignè recidiuam incidunt.* Cui reſponder Aphoriſmus ille 8. *ſect.* 2. *Si quiſpiam à morbo cibum capiens, non refocilletur*, &c.

Ex his de recidiuarum naturâ, diſtinctione, cauſis, & ſignis ita explicatis, facile eſt reſpondere ad quæſita illa practicantium noſtrorum: vtrùm ſcilicet recidiua ſit deterior ſuâ radice. Vtrùm ſit vnus morbus cum priore, & vtrùm eandem debeat habere computationem, vel diſtinctam, dierum ſcilicet criticorum enumerationem. Deteriorem enim eſſe ſuâ radice recidiuam ſæpe contingit, ex conditione tam humoris quàm ægrotantis. Humoris quidem relicti, ob inſignem quandam putredinem & malitiam inductam, quæ potens fuit etiam imminutâ quantitate, vt nouum denuò morbum excitaret. Ægrotantis, ob fractas præcedenti morbo vires, & depauperatum calorem natiuum, qui non erit ferendo aut expugnando recenti huic & recrudeſcenti morbo. Sæpe tamen contingit, vt ægro adhuc valido, reliquiæ illæ humoris, aut impreſſa intemperies, leuiorem faciant recidiuam. quæ tamen deterior non eſt cenſenda radice, quia paucis & accommodatis remediis facilè cedit. Eſſe etiam vnum morbum cum priore, contingit ſæpiùs, ſi vnitatem cauſæ & eſſentiæ reſpicias. Vnitatem cauſæ, quando ſcilicet pendet omnino ab illâ materiâ quæ relicta fuit: Eſſentiæ, quando prior morbus non omnino & reuerà deſiit, ſed apparenter tantùm, vt in falsâ recidiuâ, quæ in augmento vel ſtatu accidit: quemadmodum nouum facit eſſe morbum, quando noua fuit materiæ collectio, & recidiua poſt inſignem aliquam temporis moram, atque vniuerſalem declinationem rediit. Prior enim eandem habet dierum criticorum cum priore morbo computationem, quia vnus & idem eſt motus. Hæc verò diſtinctam & peculiarem, quia incipit ſua tempora, non minùs quàm prior morbus. Alij dicunt, per ſe obſeruare propria morbi acuti tempora ad dies decretorios computandos: cum totâ autem radice tempora morbi diuturni, donec perfecta ſanitas contigerit. Atque hæc de contextu noſtro ſufficiant.

HISTORIA III. IV. & V.

Ὁ Καζανείμβρ@ ἐν τῷ Διάλλης κήπῳ, κεφαλῆς βάρ@ καὶ κρέμαφος δεξιὸν ἰσχίον ἐπώδυνον εἶχε χρόνον πυλλόν. μεθ' ἣν ἀποφάσ@, πῦρ ἔλαβε. κατεκλίθη. ἐξυπέρη ἐξ ἀριστερᾶς ὀλίγον ἄκρητον ἐρεύθη αἷμα. ὑπὸ δὲ χειλῖνα κόπρανα καλῶς διῆλθεν. ἔρεα λεπτὰ, ποικίλα, ἐναιώρημα ἔχοντα, καθ' ὁμοιρέα, οἷον κρίμνα γονοειδέα. τριτῇ πυρετὸς ἐξύς. διαχωρήματα μέλανα, λεπτὰ, ἄφορα. ὑπόστασις πυελοειδὴ διαχωρήμασιν. ὑπεκαρύετο. ἐδυσφόρει περὶ τὰς ἀνασάσιας. οὖρα ὑπόστασις πυελοειδὴ, ὑπόγλιχρ@. τετάρτῃ, ἥμισυ χολώδεα, ξανθὰ, ὀλίγα. διαλιπὼν ὀλίγον ἰώδεα ἐξ ἀριστερᾶς ὀλίγον ἄκριτον ἐρεύθη. διαχωρήματα ὅμοια, ἔρεα ὅμοια. ἐφίδρωσε περὶ κεφαλὴν καὶ κληῖδα. ἀπλῶς ἐπήρθη. μικρὰ ὀδύνη καθ' ἕξιν. ὑποχονδρίου δεξιοῦ ξυνάσεως ὑπολάπαρ@. νυκτὸς οὐκ ἐκοιμήθη. παρεκρούσει σμικρά. τετάρτῃ διαχωρήματα πυελοειδέα, μέλανα. ἄφορα. ὑπόστασις μέλαινα διαχωρήμασι. νύκτα οὐχ ὕπνωσε. παρεκρούσει. ἑκτῇ διαχωρήματα μέλανα, λιπαρὰ γλίσχρα, δυσώδεα. ὕπνωσε. καὶ νοῦ μᾶλλον. ἑβδόμῃ γλῶσσα ἐπίξηρ@. δίψωδης. οὐκ ἐκοιμήθη. παρεκρούσει. ἔρεα λεπτὰ, οὐκ εὔχροα. ὀγδόῃ. διαχωρήματα μέλαινα, ὀλίγα, σωληνοειδέα. ὕπνωσε. καὶ νοῦ. δίψωδης ὡς λίαν. ἐνάτῃ ἐπεῤῥίγωσε, πυρετὸς ἐξύς. ἱδρῶσε. ψύξις. παρεκρούσει. δεξιῷ ἴλλαρε. γλῶσσα ἐπίξηρ@. δίψωδης. ἄγρυπν@. δεκάτῃ, περὶ τὰ αὐτά. ἑνδεκάτῃ καὶ νοῦ ὅλα πάντα. ἄπυρ@ ὕπνωσεν. ἔρεα λεπτὰ περὶ κρίσιν. δύο διλίνεν ἄπυρ@. διεχρίψεν τεσσαρεσκαιδεκάτῃ. αὐτίκα ἡ νύξ οὐκ ἐκοιμήθη. δεινοῦ. πάντα παρέκρουσεν. πενταεικαιδεκάτῃ, ἔρεον θολερόν. οἷον ἐκ τῶν καθιεμένων γίνεται, ὅταν ἀναζεσχεθῇ. πυρετὸς ἐξύς. πάντα παρέκρουσεν. οὐκ ἐκοιμήθη. γονώδεα καὶ κόκκους ἐπώδυνα εἶχεν. ὑπὸ δὲ χειλῖνα βάλανον περιθερμόν, μέλανα κόπρανα διῆλθεν. ἑκκαιδεκάτῃ ἔρεα λεπτὰ, οὐχὶ δὲ ἐναιώρημα ὑπινιφέλιον. παρέκρουσεν. ἑπτακαιδεκάτῃ, πρωὶ ἄκρητα ψυχρὰ ἀπεστάλη. πυρετὸς ἐξύς. ἵδρωσε ὅλος. ἐκυφίωθη. καὶ νοῦ μᾶλλον. οὐκ ἄπυρ@. δίψωδης. ἥμισυ χολώδεα, ξανθὰ, ὀλίγα. ὑπὸ δὲ χειλῖνα

κόπρανα διῆλθε. μεθ' ὀλίγον ἡ μίλανα, ὀλίγα, λεπτά. ὕρα λεπτὰ, ἐκ εὐχροα. ἐκλιποθυμικάτη, ἐ καλενός. κωματώδης. ἑνδεκαταίκάτη, ἀφ' ἧς αὐτῶν. ὕρα λεπτά. εἰκοστὴν, ὕπνωσε. καλενόε πάντα. ἱδρωσεν ἄπυρος. ἐκ ἐδίψα. οὖρα ἡ λεπτά. εἰκοστὴ πρώτη, σμικρὰ παρέκρισεν, ὑποδίψα. ὑποχονδρίε πόνος. καὶ περὶ ὀμφαλὸν παλμὸς ἀφ' τέλεος. εἰκοστὴ τετάρτη, ὕρησιν ὑπόστασις. καλενός πάντα. εἰκοστὴ ἑβδόμη, ἰσχίε δεξιᾶ ὀδυνη. ὕρα λεπτὰ, καὶ ἔσχε ὑπόστασιν. τὰ δ' ἄλλα εἶχεν ἀπυρετίστα. περὶ ἡ εἰκοστὸν ἕνατον, ὀφθαλμῶ δεξιᾶ ὀδυνη. οὖρα λεπτά. τεσσαρεσκοστὴ, διεχώρησε φλεγματώδεα, λευκά, ὑποσυχνα. ἱδρωσε πολλῶ δι ὅλε. τελέως ἐκρίθη.

ΕΝ Θάσῳ φιλίσης κεφαλὴν ἐπόνει χρόνον πολλόν· κάμνοντι καὶ ὑποχαροῦσι, κατεκλίθη. ἐκ ἡ πότων πυρετῷ ξυνεχέων γιομένων, ὁ πόνος παρωξύνθη. νυκτὸς ἐπεθερμάνθη τὸ πρῶτον. τῇ πρώτῃ ἥμερε χολώδεα, ὀλίγα, ξανθὰ τὸ πρῶτον. μετὰ ἡ ταῦτα; ἰώδεα πλείω. καὶ ἡ κοιλίης κόπρανα διῆλθεν. νύκτα δυσφόρως. δευτέρῃ κάθαρσις. πυρετὸς ὀξύς. ὑποχονδρίου δεξιοῦ σπασταίνη. ἐρέπτεσθαι τὰ ἴσα. οὖρα λεπτὰ, διαφάνεα. εἶχεν ἐναιώρημα γονοειδὲς. σμικρὸν ἐξεμάνη, περὶ μέσον ἡμέρης. τρίτῃ δυσφόρως. τελάρτῃ ἀπασμοί. παρωξύνθη πάντα. πεμπτῇ πρωὶ ἀπέθανεν.

ΧΑιρίωνα, ὃς καλέεται πρὸς Δημαρέτῳ, ἐκ ποτὲ πῦρ ἔλαβεν. αὐλίκα ἡ κεφαλὴς βάρος ἐπώδυνον. οὐκ ἐκοιμᾶτο κοιλίη ταραχώδης, λεπτοῖσιν, ὑποχολώδεσι. τρίτῃ πυρετὸς ὀξύς. κεφαλῆς τρόμος. μάλιστα ἡ χάλιος τὸ κάτω. μετ' ὀλίγον ἦν, ῥίγος. ἀπασμοὶ πάντα παρέκρισε. νύκτα δυσφόρως. τετάρτῃ δι' ἡσυχίης. μικρὰ ἐκοιμήθη. παρέλεγε. πέμπτῃ, ἀπύρετος πάντα παρωξύνθη. λῆρος. νύκτα δυσφόρως. ἐκ ἐκοιμήθη. ἕκτῃ, ἀφ' ἧς αὐτὸν. ἑβδόμῃ ἐπεῤῥίγωσε. πυρετὸς ὀξύς. ἱδρωσε. δι' ὅλε ἐκρίθη. τούτῳ ἀφ' τελέος ἀπὸ κοιλίης ἀφεχωρήματα χολώδεα, ὀλίγα, ἄκρητα. ὕρα λεπτὰ, εὔχροα, ἐναιώρημα ἀπιτίφιλοι ἔχοντα. περὶ ὀγδόην, ὕρησεν εὐχροώτερα, ἔχοντα ὑπόστασιν λευκὴν, ὀλίγην. καλενόε. ἀπύρετος διέλιπεν. ἑνάτῃ ὑπέρριψεν. περὶ ἡ τεσσαρεσκαιδεκάτην, πυρετὸς ὀξύς. ἱδρωσεν. ἐξκαιδεκάτῃ ἥμερε χολώδεα, ξανθὰ, ὑπόσυχνα. ἑπταικαιδεκάτῃ, ἐπεῤῥίγωσε. πυρετὸς ὀξύς. ἱδρωσεν. ἄπυρος ἐκρίθη. οὖρα μετὰ ὑποστροφὴν καὶ κρίσιν, εὐχροώτερα, ὑπόστασιν ἔχοντα. ὑδὲ παρέκρισεν ἐν τῇ ὑποστροφῇ. ἡ, ἐθερμάνετο σμικρὰ. ἐπεδίψα. οὖρα λεπτά. ἐναιώρημα ἀπιφελεν. σμικρὰ παρέκρισε. περὶ ιθ', ἄπυρος. τράχηλον ἐπωδύνως ἔσχεν. οὖρησεν ὑπόστασις. τελέως ἐκρίθη εἰκοστῇ. ♃. Χ. Γ. Δ. ΟΤ. Χ. Υ.

QVI in Dealcis horto decumbebat, capitis grauitatem, & tempus dextrum doloroſum habebat multo tempore. Cum occaſione verò febris corripuit, decubuit. Secundâ die ex ſiniſtra nare modicus merus ſanguis fluxit. Ab aluo ſtercora probè prodierunt. Vrinæ tenues, variæ, in medio pendens quiddam habentes minutim diſperſum, velut farinæ craſſiores, & genituræ ſimiles. Tertiâ, febris acuta, ſeceſſus nigri, tenues, ſpumoſi, ſubſidentia ſeceſſibus liuida: ſomno grauiore aliquantulum premebatur, moleſtè ſurgebat: vrinis ſubſidentia liuida, ſubuiſcoſa. Quartâ, vomuit bilioſa, flaua, pauca, paulò pòſt æruginoſa. De ſiniſtra nare modicus merus ſanguis fluxit. Seceſſus ſimiles. Vrinæ ſimiles. Sudauit circa caput & clauiculam. Splen eleuatus eſt. Femoris dolor à directo. Præcordij dextri diſtentio ſubmollis: nocte non dormiuit: parum mente motus eſt. Quintâ, ſeceſſus plures, nigri, ſpumoſi: ſubſidentia ſeceſſibus nigra: nocte non dormiuit: mente motus eſt. Sextâ die, ſeceſſus nigri, pingues, viſcoſi, graueolentes: dormiuit: intelligebat magis. Septimâ, lingua ſicca, ſiticuloſus, non dormiuit, mente motus eſt. Vrinæ tenues, non boni coloris. Octauâ, ſeceſſus nigri, pauci, compacti: dormiuit: intelligebat: ſiticuloſus non valde. Nonâ, riguit: febris acuta: ſudauit: frigiditas: mente motus eſt: dextro oculo diſtortus eſt: lingua arida, ſiticuloſus, inſomnis. Decimâ, circa eadem. Vndecimâ, intelligebat per totum omnia, à febre liber: ſudauit: vrinæ tenues circa iudicationem. Duobus diebus à febre liber fuit: Decima quartâ redijt. Statim autem nocte non dormiuit: penitus mente motus eſt. Decima quintâ vrina turbata, qualis ex his quæ ſubſiderunt fit, quum fuerint agitata: febris acuta: penitus mente motus eſt: non dormiuit, genua & tibias doloroſa habebat: ab aluo ſubditâ glande, ſtercora nigra prodierunt. Decima ſextâ vrinæ tenues, habebant quid in medio vehens nubiloſum:

Digitize

loſum : mente motus eſt. Decima ſeptimâ manè extremitates frigidæ : contegebatur : febris acuta : ſudauit per totum : alleuatus eſt : in elligebat magis : non à febre liber : ſiticuloſus. Vomuit bilioſa, flaua, pauca. Ab aluo ſtercora prodierunt paulò pòſt nigra, pauca, tenuia. Vrinæ tenues, non boni coloris. Decima octauâ non reſipiſcebat: ſoporoſus. Decima nonâ per eadem. Vigeſima dormiuit : omnia intelligebat : ſudauit : à febre liber : non ſitiebat. Vigeſima primâ, parum mente motus eſt : paululum ſitiebat : præcordij dolor, & circa vmbilicum palpitatio perpetuò. Vigeſima quartâ, vrinis ſubſidentia: intelligebat omnia. Vigeſima ſeptimâ coxæ dextræ dolor. Vrinæ tenues, & ſubſidentiam habebant: In reliquis commodiſſimè habebat. Circa vigeſimam nonam, oculi dextri dolor. Vrinæ tenues. Quadrageſimâ egeſſit pituitoſa, alba, aliquantò plura : multum ſudauit per totum : perfectè iudicatus eſt.

IN Thaſo Philiſtes caput multo tempore dolebat : & quandoque etiam aliquanto grauiore ſomno preſſus decubuit. Quum autem ex potationibus febres continuæ obortæ eſſent, dolor exacerbatus eſt : nocte excalefactus eſt primùm. Prima die, vomuit bilioſa, pauca, flaua primùm, poſtea verò plus aruginoſa. Ab aluo autem ſtercora prodibant : noctem habuit moleſtam. Secunda die, ſurditas : febris acuta : præcordium dextrum diſtentum eſt ; declinauit ad internas partes. Vrinæ tenues, pellucidæ, habebant quiddam in medio pendens genituræ ſimile. Parum inſaniuit circa meridiem. Tertiam diem moleſtam habuit. Quarta conuulſiones : exacerbata ſunt omnia. Quintâ manè mortuus eſt.

CHærionem qui decumbebat apud Demænetum, ex potu febris corripuit. Statim autem capitis grauitas doloroſa: non dormiuit : aluus turbata ex tenuibus bilioſis. Tertiâ die febris acuta : capitis tremor, màximè autem labij inferni : paulò pòſt rigor, conuulſiones : penitus mente motus eſt. Noctem moleſtè tulit. Quarta, per quietem, parum dormiuit : parum delirauit. Quinta, laboriosè omnia exacerbata ſunt : delirium : noctem moleſtè tulit : non dormiuit. Sexta, per eadem. Septima, ſuperriguit: febris acuta: ſudauit per totum : iudicatus eſt. Huic perpetuò ab aluo receſſus bilioſi, pauci, meri. Vrinæ tenues, boni coloris, in medio nubiloſum quiddam pendens habentes. Circa octauam minxit vrinas melioris coloris, habentes ſubſidentiam albam, paucam: reſipiſcebat: febris intermiſit. Nona, rediit. Circa decimam quartam febris acuta : ſudauit. Decima ſexta vomuit bilioſa, flaua, ſatis multa Decima ſeptima, ſuperriguit : febris acuta : ſudauit: à febre liber : iudicatus eſt. Vrinæ poſt recidiuam & iudicationem, melioris coloris, ſubſidentiam habentes. Neque mente motus eſt in recidiua. Decima octaua parum calefcebat: inſuper ſitiebat. Vrinæ tenues, quod in medio pendebat, nubiloſum erat: parum mente motus eſt. Circa decimam nonam à febre liber, collum doloroſum habebat. Vrinis ſubſidentia: perfectè iudicatus eſt vigeſima. P.M.P.V.V.S. hoc eſt, probabile multitudine bilioſarum vrinarum vigeſima ſanatum.

HIſtoriæ huius libri, tertia, quarta, & quinta non habebunt fuſiorem à nobis explanationem, vel quia nihil à iam dictis nouum continent, vel quoniam in ſequentibus omnia explicabuntur, quæ in his quod ad ſucceſſum febrium ardentium & continuarum habentur. In tertiâ tamen hiſtoriâ Dealcis, duo notanda ſunt. Primum, contenta vrinæ, ſiue enæorema diſperſum & farinæ craſſiori, aut genituræ ſimile, quod diuturnitatem morbi ſignificauit, qui ante quadrageſimum diem non fuit iudicatus. Eſt enim *Aphor.* 31. *ſect.* 7. *Quibus febricitantibus vrinæ ſedimina craſſioris farinæ ſpeciem referunt, diuturnum fore morbum ſignificant*, propter materiæ iſtius crudioris & contumaciſſimæ naturam ; eſt enim pituitæ viſcidæ & putrentis portio, vel ipſa partium ſpermaticarum colliquatio, quæ non poteſt niſi longo admodum tempore concoqui, ſi vires ſunt robuſtæ, vt in propoſito ægro, vel certè præſentaneum adferunt exitium, oppreſſo & quaſi ſuffocato calore natiuo, vt contigit in hiſtoriâ

Sileni, & quartâ Philiſtidis, qui talibus apparentibus vrinis, citò ſublati ſunt è medio. Secundum notabile huius hiſtoriæ tertiæ, eſt illa vmbilici, aut circa vmbilicum palpitatio, πάλμος, quæ circa vigeſimum primum diem continuò apparuit, cum hypochondrij dolore, ad quam tamen non ea ſubſecuta ſunt, quæ habentur in Prognoſtico & Prorrheticis. Ibi enim Hippocrates ex pulſatione præcordiorum, perturbationem ac delirium, vel futuram hæmorrhagiam præſagit. Ideò ſciendum, iſtum πάλμον ſiue palpitationem in præcordiis, ſeu vmbilico dupliciter contingere poſſe, vel propter ingentes partium contentarum inflammationes, aut feruidiorem in eis ſanguinem ſubſultantem & quaſi exilientem. Vnde vult eorum oculos tunc & faciem conſiderandam. Quoties enim adeſt oculorum ſumma mobilitas, tunc metus eſt furoris & delirij. Sin rubicunda quædam illis obuerſentur, nares pruriant intùs, & facies paulò coloratior exiſtat, ſignum eſt ſanguinis profuſionem citò adfuturam. Vel poteſt ita palpitatio circa vmbilicum contingere, ex ſpiritu flatuoſo, & à multâ materiâ craſsâ, obſtructionumque copiâ ſuſcitato, qui iam exagitatus ſignificat futuram materiæ excretionem per aluum aut ſudores, quamuis tardiorem, vt contigit huic noſtro ægro circa quadrageſimum diem.

In quartâ hiſtoriâ Philiſtidos, nihil admodum notabile occurrit, præter citiſſimam illam mortem, quæ ex vehementiâ febrilis incendij circa quintam diem contigit. Vnde arreptâ quaſi occaſione æquum eſſe videtur, vt paucis de morborum acutorum naturâ, cauſis, & differentiis hodie diſſeramus.

In quintâ hiſtoriâ, Chærion mente leuiter, motus & decima nonâ dolorem habens in collo, perfectè iudicatus eſt vigeſimâ per vrinæ profluuium: ſiue dolor ille colli ſuperauerit præſens delirium, quod erat illa leuius, vt videtur velle Galenus: ſeu ſignum eſſet iam delabentis materiæ critico quodam motu, & deturbatæ verſus inferiora: vnde ſubſecuta eſt felix illa excretio. Atque hæc de illarum hiſtoriarum notabilibus ſufficiant: Nunc relictis quaſi viris, ad mulierculas conuertamur.

HISTORIA II.

Τὴν Εὐρυάνακτ[ος] θυγατέρα παρθένον, πῦρ ἔλαβεν. ἦν δ' ἀδιψ[ος] ἀπαντέλως. γλῶσσα ἀ ωρόζεσ[ε]. ἔπιε δ' κοιλίης σμικρὰ διήθ. ἔκρισις λεπτὰ, ὀλίγα, οὐκ ἀγρα. ἐχόμενα δ' τῇ πυρετῷ, περὶ ἕδρην ἐπόνει. ς', ἡ ἐοῦσα, ἀπυρ[ος]. ἐκ ἱδρωσεν. ἐκρίθη. τὸ δ' περὶ τὴν ἕδρην, σμικρὰ ἐξεπύησεν. ἐρράγη ἅμα κρίσι. μετὰ δ' κρίσιν, ζ' ἐοῦσα, ἐρρίγωσε. σμικρὰ ἐπηρμαίθη, ἱδρωσεν. μετὰ δ' κρίσιν ὀδδοάτη ἐοῦσα, ἐρρίγωσεν ἐ πολλά. ὕστερον δ' ἀκρια ψυχρὰ αἰεί. περὶ ἰ, μετὰ τὸ ἱδρῶτα τὸ γενόμενον, παρέκρουσε. καὶ πάλιν ταχὺ κατέπαυ. ἐλιγοθύμησε βόπερ[ος], ταῦτα παθών. ἀπολιποῦσα δ' ιϛ', πάλιν πολλὰ παρελήρ. κοιλίη ἐταράχθη χολώδεσιν, ὀλίγοισι καὶ ἀκρήτοισι, λεπτοῖσι, δακνώδεσι· πυκνὰ ἀνίστ[ο]. ἀφ' ἧς δ' παρέκρουσε τὸ ὕστερον ἀπεθάνε ἑβδόμη. αὕτη ἀρχομένη ἐ νοσήμα[τος], ἤλγει φάρυγα· καὶ ἀπὸ τελ[ευτῆς] ἔρυθ[ρος] ἦεν· καὶ παρωτιῶν αὐταπασμῷ[ος]. ῥεύματα πολλὰ, σμικρὰ, δριμέα. ἐξηνε. πίνοντα ὑδὲν ἀπῆγε. ἀπόσι[ος] πάντων, ὧνπερ καὶ τὰ χρόνια. ὑδὲ ἐπεθύμησεν ὑδενὸς ὑδέ[ος], ὑδὲ ἔπινεν ὑδὲν ἄξιον λόγου. ζιγάσια ὑδὲν διελάμβ[ανε]. δυσθυμίη ἀτέλεσ[τος]. αὖθις ἦεν. ἐν δὲ ᾗ καὶ ξυγγενικὸν, φθινώδες.

EVRYANACTIS *filiam virginem ignis ſeu ingens febris corripuit. Fuit perpetuò ſine ſiti, neque cibos vllos admittebat. Ex aluo pauca profluebant. Vrinæ etiam tenues, pauce, & non boni coloris. Incipiente autem febre, doluit circa ſedem. Sexta die viſa eſt libera à febre, non ſudauit tamen. Iudicata eſt, ita vt illud quod in ſede erat, fuerit paululum ſuppuratum, & profluxerit cum criſi. Poſteà verò ſeptimâ die, rigor inuaſit, & paruus calor cum ſudore. Octauâ rurſum riguit, ſed parum. Et in poſterum extremitates ſemper frigidæ manſerunt. Ad decimam poſt renouatum ſudorem, delirauit, & rurſum quaſi derepente ad ſe redibat. Dicebant autem hoc illi contigiſſe ex deguſtatis vuis. Poſt duodecimam autem rurſus multùm deliraut. Aluus conturbata, & profluens biliоſis, paucis, ſinceris, tenuibus, & mordacibus, crebrò deſurgebat. Septimâ die, à qua poſtremum deliraut, mortua eſt. Iſta ægra à quo cæpit morbus,*

morbus, ſemper doluit fauces, rubicunda fuit, vuulam habuit contractam, & rheumata multa, parua, & acria. Tuſſiebat, ſed nihil coctum expuebat. Omnes cibos auerſabatur, neque vllum appetiuit. Sine ſiti, vt nihil ἀξιολογον biberet. Taciturna erat, & non loquebatur. Mœrore & quaſi deſperatione torquebatur. Aderat etiam illi natiua quædam ad tabem propenſio.

ACerrimi & mordacis catarrhi in fauces, pectus, & totum ventrem inferiorem prolabentis, cum febre continuâ & recidiuante, quæ tandem in leipyriam degenerauit octauâ die, cum perpetuo extremitatum frigore ad vltimam vſque diem deſcriptio habetur in hac Euryanacteæ virginis hiſtoriâ, quam tabi propenſiſſimam fuiſſe ex ſuâ natura eleganter etiam annotauit Hippocrates : vt non ſolùm agentis vim, cauſarumque præſentiam morbificarum, ſed etiam patientis diſpoſitionem ſummam adfuiſſe deſignaret.

Mutuam ergo hîc operam ſibi præſtant catarrhus iſte ferinus, & febris æſtuoſa : Ille quidem inflammans & adurens partes dictas tam acrimoniâ ſuâ, quàm contractâ de nouo putredine, & fortaſſe ſubintrans ipſa vaſa, ibique morbificam cauſam adaugens, vt eleganter animaduertit Fernelius : Febris verò calore ſuo attenuans magis, & fluere faciens materiam catarrhoſam, atque per ἀναθυμίασιν illam perpetuam efficiens vt cerebrum vaporibus impleatur, eoſque in ſeroſæ ſubſtantiæ modum conuerſos, denuò in ſubiectas partes refundat.

Notæ horum affectuum & partium affectarum, ita notæ eſſe poſſunt omnibus ex deſcriptione Hippocraticâ, vt non videantur prolixiori indigere oratione. Febris enim illa ardens & æſtuoſa, ſatis ſe ſuo charactere proprio manifeſtat : caliditas enim præter naturam in corde primùm & viſceribus accenſa, deinde per totum corpus expanſa, oſtendit interiorem ſubſiſtere putredinem, quæ teterrimis ſuis vaporibus contractum illud incendium toti communicat. Vtrùm verò primaria fuerit hæc febris, ex humorum ſcilicet in maioribus vaſis putreſcentium vitio: vel ſecundaria, ex materiæ iſtius catarrhoſæ in fauces, vuulam, & thoracem decumbentis, ibique putreſcentis coaceruatione, dubitari poteſt. Non enim abſurdum eſſet credere, cacochymiam potiſſimùm melancholicam & pituitoſam in hac virgine exundantem, vt illa δυσθυμίη ἀνιλαστος, mœror & deſperatio oſtendunt, cauſarum internarum aut externarum concurſu adiutam, concepiſſe ζωψον, incendium ac putrilaginem, vnde febris hæc fuerit commota, ac deinceps catarrhus qui illi erat penè natiuus maiore vi concitatus : Attamen magis propendeo in illam ſententiam, febrem iſtam fuiſſe ſecundariam, ex affectu ſcilicet illo faucium, vuulæ, pulmonum, & thoracis exortam. Etenim magnam eò confluxiſſe ſeri acrioris copiam ſtatim à principio morbi, oſtendit tuſſicula illa inanis, quæ perpetuò hanc virginem eſt comitata, ob vellicantem ſcilicet fauces iſtam materiam, quæ expui non poterat ob defectum coctionis & maturationis : coqui enim non poterat ob ſummam tenuitatem & acrimoniam omnis πεψεως expertem. Vuulæ & faucium ſumma inflammatio cum dolore & contractione, quæ quantitatem humoris diſtendentis & implentis has partes denotabant : faciei autem rubor, additus ab Hippocrate, eſt ſignum ferè pathognomonicum inflammationis partium thoracicarum, vt docet Galenus *lib. de locis affectis*, & Hippocrates *lib. 2. de acutis paſſionibus*, ἐρυθρὸς ἢ πρόσωπα ἐπὶ ἢ μᾶλλον τὰ πλευρα, vult eſſe eos qui patiuntur inflammationes pulmonum & thoracis. His adde rigores illos quaſi ordinarios, & ſæpiùs repetitos in iſtâ virgine, ſine vllo ſudoris effluxu, qui denotant ſerum iſtud acrimoniâ ſuâ vellicans partes thoracicas, concutere totum quaſi corpus, ex ſympathiâ membranoſi generis & neruoſi. Adde etiam illam extremitatum frigiditatem immodicam & perſeuerantem, quę denotauit totum calorem iam ad interiora rapi, vt ſolet in leipyriis, ex partium internarum inflammatione obortis.

Quicquid ſit, miſera iſta grauiſſimis illis caſibus conflictata ob connatum illud tabis vitium, & prolapſum acrioris & ferini catarrhi, vt ex febre, rubore, faucium dolore, tuſſiculâ inani, & ſimilibus ſatis innoteſcit ; non potuit diutiùs ſupereſſe, vt mens ipſiuſmet ægræ mali præſaga, mœrore ac deſperatione confecta ſatis indicauit : Omnia enim ad illius certiſſimam ruinam conſentiunt, affectus partium vitalium & animalium, cerebri ſcilicet & thoracis naturales δυσκρασιαι & infirmitates, à quibus ortum ſuum ducentes cauſæ aduentitiæ, illam in mortem præcipitarunt exitioſiſſimam : febris enim illa æſtuans, inflammatio partium laryngis & thoracis,

acerrimus

acerrimus catarrhus inflammans & vellicans, tussis permolesta, rigores pertellentes totum corpus, sufficiebant ad internecionem miseræ huius virginis: Quibus iuncta δυσπεψία, ciborum auersatio crudelis, cum fluore alui symptomatico & vires exhauriente, acceleraruntilli lethum, raptâ scilicet in consensum naturali facultate, ob iam eneruatum calorem natiuum, aut certè humoris istius maligni copiâ oppressum. Non sitiebat quidem, sed hoc in malis etiam habendum in causâ sitiferâ, quia significat mentis alienationem, aut caloris natiui ἀνάψυξιν, ob quam vterque appetitus naturalis & animalis rerum liquidarum solidarumque extinguitur; Vel certè non sitiebat, quia vt est in Aphorismis, iunctus febri catarrhus fauces irrigat, & siticulosos ægros esse non sinit, non tamen periculum minuit.

Quid porrò spei esse poterat in tantâ cruditate proprij excrementi ex thorace profecti? Nihil enim coctum vnquam expuere potuit, sed crudum & serosum: communia etiam excrementa, mala, vrinæ tenues & decolores, deiectiones paucæ, tenues, sinceræ, mordaces: Illa autem extremorum frigiditas perseuerans, in acutis mortem prænuntiat, *Aphor.* 1. *sect.* 7. quemadmodum & rigor non desinente febre, aut non excitato sudore, *Aph.* 46 *sect.* 4. Omnia ergo in hac virgine lethalia: Neque in bonis habenda illa sedis suppuratio, quæ sextâ die contigit, quia nihil paucum criticum, neque quicquam eiusmodi apostema ex humoris morbifici sede vacuabat: atque hæc de prognosi & diagnosi.

Iam proponitur nobis curatio febris continuæ, ex inflammatione potissimùm partium laryngis & pectoris profectæ, cum acriore & tenui catarrho in subiecta loca prolabente. Qui casus frequens est & quasi ordinarius febribus ex magnâ insolatione, æstatis tempore obortis, ob fusum liquatumque humorem, qui in capite continebatur. Vide Practicos.

Superest vt illud iam examinemus, quod vltimæ contextus Hippocratici lineæ est additum, huic scilicet virgini adfuisse ξυγγενικὸν φθινώδης, natiuam ad tabem contrahendam propensionem. Debet enim in eo maximè laborare Medicus, vt peculiares hominum naturas agnoscat, inquit Hippocrates *lib. de aëre, &c.* tam ad præcauendos morborum illorum, quibus magis obnoxij sunt, impetus, quàm ritè curandos eos, qui iam detinentur, ex natiuæ constitutionis notitiâ.

Quid est igitur illud ξ[illegible]φθινώδης, quod *lib.* 1. *epid.* exprimit aliis verbis, ἡ φύσις τετύκοιτ' ἐξίσω[illegible]φθινώδης, natura illis vergebat ad tabem. Sciendum inprimis illud nomen φθίσις, à quo istud φθινώδης deducitur, apud Hippocratem variè sumi; quemadmodum & apud Latinos Tabes. Sæpe enim, vt docet author definitionum Medicarum, communiter sumpta vocatur πᾶσα σώματος μείωσις καὶ σύντηξις, à quocunque morbo illa consumptio proficiscatur, vt febre ardente quæ *in hecticam* desinit, colico aut arthritico dolore, & similibus, qui insignes macies diuturnitate temporis corporibus nostris inferre solent: Vnde in Coacis prænotionibus, φθινώδεας ἐκ τ μακρῶν notauit illos, qui ex longis morbis contabescunt, aut qui ex diuturnioribus interuallis quasi reditus ad tabitudinem contraxerunt, sine manifestâ causâ, quæ dicitur Hippocrati *lib. de locis in homine*, φθίσις ἀλγέα, Galeno *lib. exegeseos*, τυφλὴ καὶ ἀόρατος, cœca & incomperta: Imò non tantùm per hæc vocabula exprimit Hippocrates marcores totius corporis, sed etiam partis alicuius, quæ ἀτροφίαν & consumptionem incurrit. Vnde *lib.* περὶ ἀδένων, dicitur tabes quædam ἰσχιάδικη, coxaria, cùm ex abscessu, vt sæpe fit, vel fluxione crassioris pituitæ, quæ alimenti aduentum intercipit, coxa horrendam maciem & gracilitatem incurrit. Et *lib.* 2. *de morbis*, celebratur νωτιαία νοῦσος, tabes dorsalis, quæ fit περὶ τὰ ὀπίσθια, in partibus illis posterioribus, potissimùm ob fluxionem in eas, aut spinæ vertebras decumbentem. Adde tabem illam νεφρικὴν, *lib. de internis affect.* quæ sequitur renum colliquationes, vel exulcerationes, & λιποφθορίας, vt loquitur Galenus.

Verùm propria phthiseos & tabis significatio, denotat illos marcores & consumptiones, quæ ad pulmonum vitia consequuntur, cruda tubercula, asthmata, exsiccationes, & similia, sed potissimum illorum vlcera & putrilagines, quæ teterrimum hoc suum virus proximiori cordi per venam illam arteriosam, arteriam venosam & bronchia, vtrique parti insitas communicantes, absumunt & corrumpunt nectar illud viuificum & primigenium, quod naturas, cordis substantiæ potissimùm inseruit. Inde cæcus ille ignis dimissus per totam corporis ἀτροφίαν, non solùm viscera, sed etiam extremos artus depascitur, & mortis imaginem in viuo adhuc homine repræsentat.

Quæcunque igitur efficere possunt istas pulmonum putrilagines & sordidiora vlcera

vlcera, illa etiam ad φθόας inducendas erunt accommodata, ſiue ab ortu & primis generationis noſtræ primordiis proficiſcantur, ſiue aduentitia ſint & aliena. Hinc Hippocrates tres annotauit conſtitutiones, quæ contrahendæ tabi potiſſimùm idoneæ exiſtunt. Vnam quidem eorum, *lib. de locis in homine*, qui propter τὴν κεφαλῆς ἀσθένειαν, capitis imbecillitatem, multam pituitæ & ſeroſorum humorum copiam in cerebro colligunt, quæ inde ad fauces & pulmones precipitata, διαβρώσιος illas & ἀνατροφοφλοίσβους excitat, ſi ibi moretur diutiùs, & acrimoniam acquirat, tuſſim excitet implacabilem, aut frequenter & quaſi ex perpendiculo ſtillet, velut gutta ſæpe cadendo lapidem cauare ſolet. Iſti vt plurimùm homines amplo ſunt capite & malè conformato, vel certè frigidiore & pituitoſiore cerebro à naturâ, vel ex accidenti, propter effumationem ſubiectorum viſcerum calidiorum, quæ vaporum inſignem copiam, versùs ſublimem illam capitis arcem dimittunt: Aliquando etiam cerebrum propter calorem nimium & propriæ figuræ rationem ac ſitum, trahit inſtar cucurbitulæ, inquit Hippocrates, iſtos vapores, vbi condenſati, denuò ad inferiora, imbrium inſtar, relabuntur.

Altera conſtitutio eorum qui propenſi ſunt ad tabem, reſpicit ipſa pulmonis vaſa, quæ florentem illum ſanguinem, & in cordis ſinubus attenuatum, aërique attracto permixtum continent. Quotieſcunque enim contingit ſpumoſum illum liquorem & purpureo colore ſaturatum effundi ex iſtis vaſis, per ῥῆξιν aut ἀναχύμωσιν in parte perpetuò mobili, fit vt ibi putreſcens incendat & corrodat pulmonum ſubſtantiam, tandemque fœtore ac virulentiâ ſuâ cor ipſum perfundat. Vnde *Aphor. ille decimus ſextus ſectione ſexta. A ſanguinis ſputo puris ſputũ, & à puro ſputo phthiſis, & mors quando ſputum retinetur.* Quicunque igitur huic ſanguinis ex vaſis pulmonum extrauaſationi, vt loquuntur, magis ſunt accommodati, illi ſecundam hanc conſtitutionem, & propenſam tabi contrahendæ inclinationem habere dicuntur Hippocrati, in Aphoriſmis & Coacis prænotionibus. Inter ætates ἥκιστα εὐεπίφορα πρὸς τὴν φθίσιν, quæ ſunt ab anno decimo octauo, vſque ad trigeſimum quintum, nempe pubertas & iuuentus, propter ſanguinis efferueſcentiam & redundantem copiam, quæ diſrumpit aliquando ἀνθήματος, ſuâ tantùm multitudine, iſta vaſa adhuc rariora & teneriora: tum etiam μὲν προφάσιος, propter occaſiones illas, quas incauta & ferox iuuentus incurrere ſolet dilatandi nimiùm vaſa, diſcurrendo, ſaltando clamando, pugnando, & ſimilia agendo, quæ ætatis adhuc orgaſmos ſuadet.

Atque duæ illæ conſtitutiones, quamuis contineant duplicem cauſam efficiendæ phthiſeos maximè idoneam: attamen non dicuntur Hippocrati propriè φθινώδεις, ſeu φύσεις πρὸς φθίσιν ἐπιτήδειαι, naturæ ad tabem propenſæ: quoniam efficientium cauſarum vani ſunt conatus, niſi adſit ſubiecti & patientis accommodata ad effectum illum diſpoſitio.

Tertia itaque eſt conſtitutio, quam vbique annotat Galenus, naturam tabi idoneam vocauiſſe Hippocratem, quæ ſpectat ipſorum pulmonum & thoracis malam conformationem congenitam & natiuam, quotieſcunque propter infirmitatem propriam, aut nimiam ex peſſimâ conſtructione anguſtiam, non poſſunt collectas, vel aliunde illabentes materias per ἀναχάλασιν & ſputationem extundere, ſed intus coaceruant ac retinent. Ille ſtatus φθινώδης tabi propen us, ita delineatur à Galeno *libro de cauſis morbor. Collum habent, & ſæpe totum corpus oblongum & graciles; exilia crura inſtar fiſtularum, nares ſtrictas, oculos concauos, depreſſa tempora; ὁ θώραξ σπανὸς καὶ ἀβαθὴς εἰς τοὔσω, pectus, Φθινώδη, quaſi dicas, tabulatum, depreſſum, ſtrictum, comment. in Aphoriſm. 8. ſect. 4. contortum, aut alio modo malè conformatum, ſcapulas πτερυγώδεις, alarum inſtar prominentes & extenſas, potiſſimùm reſpirare vehementiùs coguntur.* Hæc conſtitutio cùm non tantùm vitium in ἀναπνευστικῶν ὀργάνων conformatione habeat, ſed etiam in toto corpore naturalem quandam maciem & deformitatem: ſi quidem iuncta fuerit τῇ κεφαλῆς ἀσθενείᾳ, & fluxionum ex cerebro copiæ, vix ac ne vix quidem tabem effugiet, quæ διάβρωσιν, aut ἀναχύμωσιν vaſorum pulmonis ſubſequitur. Atque hæc eſt illa, quam Hippocrates in propoſita virgine deſcribit, quámque *lib. 1. Epid. ſect. 1.* ſubnotauit, dum τὰς φθινώδεις, ægrotaſſe ſcribit, ſed non κατὰ τὸν φθινώδη τρόπον, non ſecundùm natiuam illam tabis propenſionem, ſed iuxta typum tunc vulgò graſſantis morbi. Et *lib. hoc noſtro* 3. poſt conſtitutionis illius peſtilentis deſcriptionem, vult inuaſiſſe pleróſque homines, νοτερὴν illam & exitialem tabem, potiſſimùm verò eos qui erant oculis cæſiis & albicantibus, pectore glabro & πτερυγώδει, malè conformato, vt ſup. diximus. Ex his itaq; ſatis patet,

quid significârit Hippocrates in nostro contextu per illud ξυγγενικὸν φθινῶδες. Iam ad septimam historiam progrediamur.

HISTORIA VII.

Κυναγχικὴ, ἡ παρὰ τὰ Ἀριστίωνος, ἡ πρῶτον ἀπὸ γλώσσης ἤρξατο. ἀσαφὴς ἡ φωνή. γλῶσσα ἐρυθρή. ἐπιξηράνθη τῇ πρώτῃ, φλεγμώδης ἐπεθερμάνθη. γ', ῥῖγος. πυρετὸς ὀξὺς εἴδημα ἐπεύθρου, σκληρόν, τραχήλου καὶ ὑπὸ στέρνον ἐξ ἀμφοτέρων. ἄκρα ψυχρὰ, σκελιδρά. πνεῦμα μετέωρον. ποτὸν διὰ ῥινῶν ἐχέετο. κατάπινειν οὐκ ἠδύνατο. τὰ διαχωρήματα καὶ οὖρα ἐπέσχηται, πάντα παρωξύνθη. ἑ, ἀπώλετο κυναγχικὴ. Ἀπ. Δ. Ε.

KYNAΓXIKH *illa quæ apud Aristionem habitabat, primùm ex linguâ laborare cœpit. Vox erat obscura: lingua rubens & sicca euasit. Primo die horrescens incaluit. Tertio rigor cum febre acutâ. Tumor ruber & durus colli & pectoris aderat ex utraque parte. Extremitates frigidæ liuidæque: Spiratio eleuata. Potus per nares refundebatur: nihilque deuorare poterat. Suppressæ erant deiectiones & urinæ. Quarto die omnia sunt exacerbata, & quinto ui angine perijt.*

Characteres falsi. Non enim ex suppressione alui, sed mera suffocatione mortua est.

VIx posset ex viuâ picturæ alicuius imagine meliùs repræsentari mulieris anginâ pereuntis effigies cum omnibus suis symptomatis, quàm ex Hippocraticâ istâ tabellâ, cuius nunc delineationem persequemur.

Sciendum itaque inprimis anginam, quam Græci variis donarunt nominibus, hyanches, synanches, parasynanches, cynanches, paracynanches, designare perpetuò insignem quandam spirandi difficultatem subitò factam propter constrictionem in canali illo exortam, qui à pulmonibus in oris partem internam cum œsophago desinit, & pharyngis laryngisque nominibus insignitur. Vnde frequenter non solùm respirationi, sed etiam transglutitioni magnum facessere negotium solet. Atque vt ista meliùs intelligantur, sciendum est ad respirationem, quæ inspiratione & expiratione, duobus scilicet motibus contrariis constat, tria potissimùm concurrere, nempe facultatem, vsum, & instrumenta, quorum integritate bene & conuenienter fit διαπνοὴ: vnius autem aut plurium vitio labefactatur, & à naturali statu deiicitur. Vnde à diuersis omninoque discrepantibus sede ac causâ morbificâ affectibus, illam vitiari quotidie videmus: Apoplexiâ potissimùm, syncope, vterinâ præfocatione, asthmate, peripneumoniâ, pleuritide, & anginâ. Etenim apoplexia minuit vel tollit respirationem ratione facultatis ipsius motricis interceptæ, quæ propter summam cerebri repletionem & ventriculorum στύψιν, non potest transfluere in neruos & musculosum genus. Et quamuis natura tunc magno conatu, & quantum potest, succurrat actioni huic ad vitam omnino necessariæ, vnde laboriosa illa respiratio: attamen morbo inualescente fatiscens, pereunt vtplurimùm apoplectici, vsu respirationis destituti; quod & tetanicis aliquando etiam contingit, si vehemens sit affectus. Contrà verò syncope, & vterina suffocatio, non quòd facultati ipsi motrici primariò vim inferant, vel respirationis instrumenta lædant, ideò illam tollunt vel minuunt, sed quia vsum respirandi labefactant. In syncope enim propter dissipationem spirituum summam; in vterinâ suffocatione, propter virus illud teterrimum & calori nostro natiuo infensissimum, fit vt cor summè refrigeratum, neque indigeat attractione noui aëris per inspirationem, nec vaporum expulsione fuliginosorum per expirationem. Et sic velut mortuæ eiusmodi mulierculæ per aliquot dies solâ διαπνοῇ, transpiratione sustentantur.

Asthma verò, peripneumonia, pleuritis, & nobis proposita angina respirationem lædunt,

lædunt, integrâ facultate motrice, vſu etiam illius aucto potiùs quàm imminuto, ob vitium τῶν ἀνω πνοικῶν ὀργάνων proprium & ἰδιοπαθικὸν, quia implent, obſtruunt, aut coarctant pulmones, thoracis muſculos, ſuccingentem membranam, & ductum illum aſperæ arteriæ, per quem vitalis aura attrahitur, & viciſſim fuliginoſa, quæ in cordis ac pulmonum coctione ſuſcitantur excrementa, repelluntur. Et quemadmodum illi affectus interiorem thoracis capacitatem obſident : ſic angina extremitatem illius canalis, vt diximus.

Porrò cum canalis ille, cuius caput larynx appellatur; aliquando coarctetur à cauſis externis, vt laqueo, manibus, fune in eis qui ſuſpenduntur, deuorato oſſe, carnis fruſtulo ſubſiſtente in primis faucibus, &c. aliquando internis, ſed quæ non ſunt poſitæ in ipſo canali, ſed vicinis partibus : vel certè non faciunt in eo permanentem diſpoſitionem, ſed omnino à cauſâ ſuâ dependentem, vt quando larynx obſtruitur à catarrho præfocante, id eſt, perpendiculariter & affatim irruente in illam : Vel conſtringitur à luxatione vertebrarum ceruicis, quæ rurſum duplex eſt, perfecta vel imperfecta, illiuſque tantùm vertebræ, quæ dens Hippocrati appellatur, vel aliarum quæ ſunt in collo, vt videre eſt apud illum; 2. *epidem.* vbi narrat miras iſtarum vertebrarum ſubluxationes, præ abundanti in illas fluxione, ex quâ multi, quamuis diu anginâ conflictati euadebant. Iſtæ omnes anginæ quamuis ex ſymptomate & præfocationis periculo tales videantur : tamen ratione ipſius partis & diſpoſitionis morbificæ, Hippocrati ſpuriæ ſiue falſæ appellantur : & illi tantùm anginæ veræ ac legitimæ nomen eſt relictum, quæ pendet ab inflammatione ſyſtrophicâ, id eſt, tumoribus ſanguineis & bilioſis, puris vel permixtis alteri humori, fauces ipſas & interiora illa oris loca occupantibus; ita tamen vt ſi magis pharyngem ipſum, id eſt, linguæ, œſophagi, vuulæ, & amygdalarum ſubſtantiam inuadat, ſynanche & paraſynanche appelletur, ipſam tranſglutitionem primariò lædens, reſpirationem autem ſecundariò : Contrà verò ſi muſculos laryngis proprios & internos, cynanchen ſi communes & externos, paracynanche dicatur, quia reſpirationi ex πρωτοπαθείᾳ ipſâ nocet plus minùs, deglutitioni verò propter viciniam iſtarum partium.

Cauſæ autem tam externæ quàm internæ iſtas anginas concitantes, ſiue ſynanches ſint, ſiue cynanches, ſunt eæ omnes, quæ fluxionem in hæc loca præcipitare poſſunt, aut partes iſtas ad facilè ſuſcipiendam vel attrahendam iſtam materiam diſponere, dolore aut calore ibi præter modum concitato : quorum deſcriptionem facile erit repetere ex cenſu rerum naturalium, (ſub quibus etiam violentas, nullaque neceſſitate agentes reponere licet) & præter naturam. Quæ verò ſint illius ſigna tam diagnoſtica, quàm prognoſtica, iam in ἐξηγήσει, & propoſitæ nobis hiſtoriæ explicatione videbimus.

Ægrotantem enim hanc mulierculam ſtatim in ipſius hiſtorici diſcurſus limine κυναγχικὴν vocauit Hippocrates, quoniam omnia ſigna παθογνωμονικὰ illicò adfuerunt ſæuientis anginæ ex vehementi inflammatione, tam pharyngis quàm laryngis, interiorum ſcilicet omnium oris partium, qua omni alimento & vitali aëri patet aditus : vnde ſpirandi & deglutiendi ingens illa difficultas, febris continua & ὀξὺς, caloris & doloris cum diſtentione ſenſus, vocis obſcuritas & interceptio. Quamuis enim à linguâ videatur cœpiſſe hic affectus, tam promptam tamen habuit ἐπιγένησιν καὶ διαδοχὴν in alias partes, ex magnâ fluxionis copiâ, vt etiam externa pectoris & colli ex vtroque latere ſpatia impleuerit, quod eſt maximè notandum, vt poſteà dicemus in prognoſi.

Ἐπιγινόμενα etiam multa adfuerunt, rubor ſcilicet ille & linguæ ariditas ex præurente febre quam inflammatio inferebat: horror & rigor qui ex perculſione iſtarum partium, & fluxionis impetu oriebatur : extremorum frigus & liuor, iam penè ſuffocato calore natiuo: potus & liquidorum per nares refluxus, ob ſummam aliorum ductuum anguſtiam, quod etiam 2. *epid.* notauit Hippocrates, & *lib.* περὶ νούσων. Denique deiectionum & vrinarum ſuppreſſio, ex ſummâ virium omnium deiectione, quæ fuit interitui proxima.

Quæ omnia fidem mihi faciunt ſpeciem hanc anginæ non à bilioſo ſucco, vnde eryſipelas; vel à pituitoſo, ob catarrhum ex capite prolabentem; ſed potiùs à redundante ſanguineo humore ortam, quam febris continua, ingens rubor & tumor comitata ſunt.

Atque inde prognoſin ſtabilire licet noſtram, θανάσιμον καὶ πάνυ ὀλέθριον eſſe hunc affectum : perituram eſſe certò & citò hanc mulierculam, tam propter ſpeciem

morbi, quàm ſuperuenientia ſymptomata, vt dictum eſt, cùm parua ſit ſpes reſolutionis in tantâ materiæ copiâ & oppreſſione caloris natiui; pauca etiam πεψεως, coctionis & ſuppurationis: quæ etiam non caret ſuo periculo; dum enim fit ſuppuratio, maior calor, dolor, & tenſio. Ergo ſummum moriendi tunc imminebit periculum. Quod ſi Charybdim illam euadat, incidet ſtatim in Scyllam μεταβολης conuerſionis, ex quâ non eſt emergere, vt eſt *Aphor.* 10. *ſect.* 5. *Is*, inquit Hippocrates, *ad pulmonem tranſit, &c.*

Verùm dicet aliquis, Hippocrates *in Coacis prænotionibus, libro prognoſticon, & Aphoriſ.* 37. *ſect.* 6. *necnon* 50. *ſect.* 7. dum tradit ſigna ſalutaria anginæ, ruborem tumoremque colli & pectoris ponit. Vide Reſp. Laurent. *in Anat.*

Quod ad curationem itaque ordinariam ſpectat, quæ reſpicit cauſas antecedentes & coniunctas huius affectus, ipſamque διαθεσιν morbificam: Certiſſimum eſt omni ope & induſtriâ plethoram ſanguineam tam vniuerſalem quàm particularem in hac muliere fuiſſe vacuandam, reuellendam & deriuandam primis diebus, antequam tumor nimiùm augeretur, ibi enim præcipuum fuit poſitum ſalutis fundamentum. Vnde hic quatuor agitanda: De phlebotomiâ venarum ſub linguâ & iugularium. De repellentium vſu. De laryngotomiâ, quæ exercetur ratione ſymptomatis, nempe ſuffocationis mitigandæ. De nido hirundinis. Vide Practicos.

Iam ſupereſt vt ea quæ in contextu notabiliora videntur, examinemus, quorum primum eſt illud œdematis nomen, quo vtitur Hippocrates in denotando inſigni illo tumore, quamuis ſanguineo, rubenti & dolorifico, quo mulierculæ iſtius collum & pectus affecta fuerunt: Alterum eſt, vt excutiamus paucis naturam frigoris rigoris, & horroris, quorum frequentem facit mentionem Hippocrates etiam in febribus hiſce continuis & ardentiſſimis.

Quod ad primum itaque ſpectat, τὸ οἴδημα ab eo dictum eſſe videtur, quòd ſit οἰδησις, tumor & eleuatio, quam alij ὄγκον appellant, ita vt veteres omnes cum Hippocrate, œdematis nomine, vt docet Galenus *comment. in Aphor.* 65. *lib* 5. intelligant omnes tumores præter naturam, ſiue ſint cum dolore & duritie, ſeu indolentes & molles, à quocunque tandem humore pendeant, quod infinitis penè Hippocratis locis confirmare liceret, niſi ex hac noſtra hiſtoria hoc ſatis luculenter pateret. Cùm verò cogerentur illi veteres ad diſtinctionem tumorum, adiicere alia quæ illis ſuperueniunt, videlicet οιδήματα μαλθακὰ καὶ ἀνώδυνα καὶ τοῦ δακτύλου ὑπείκοντα, vel ἀνωδυνα, σκληρὰ, φλεγμαίνοντα, & ſimilia: Ideò recentiores vt rem totam clariùs diſtinguerent, tumoreſque cauſâ materiali & ſymptomatis differentes nominibus etiam certis ſignificarent, laudabili inuento œdema, tumorem ex pituitâ, flatu, aut ſero, mollem, laxum, ſine dolore & calore, albicantem vocarunt. Scirrhum verò tumorem ex ſucco melancholico, durum, contractum, ſine dolore & calore, nigricantem Phlegmonen autem tumorem ex ſanguine, durum, renitentem, cum dolore, calore, & rubore. Eryſipelas denique tumorem ex bilioſo ſucco aut feruidiore materiâ, flaueſcentem, cum ſummo calore, ſine pulſu tamen aut renixu, qui in phlegmone eſt inſignis. Ex his quatuor ſpeciebus componuntur multæ aliæ, per κρᾶσιν & permixtionem ſcilicet & combinationem duorũ vel plurium humorum: Vnde phlegmone eryſipelatodes, œdematodes, ſcirrhodes, & ſic de reliquis. Quibus ſubſunt aliæ tumorum ſpecies peculiaribus donatæ nominibus, vt herpes, carbunculus, cancer, φυμα ſiue furunculus, & ſimilia, quorum particularem explicationem non eſt propoſitum nunc perſequi, qui ad ſecundum contextus noſtri notabile properamus.

Rigoris igitur, horroris, & frigoris ſignificationes in morbis petitæ ſunt ex ſimilitudine affectuum illorum, quibus corpus noſtrum ex ſenſu rei alicuius externæ illi inſenſæ percutitur.

Vbi enim res horrenda aut formidabilis nobis obiicitur, toti horreſcere. contractis ſcilicet ſpiritibus ad interiora & variè commotis, ac contremiſcere ſolemus. Ex dolore etiam à rebus procatarcticis inducto, vt tormentis, &c. horror rigorque excitatur. Vbi frigidioris auræ, aquæ gelidæ, & ſimilium contactu afficimur, ſi quidem leuior ille ſit, frigere dicimur ex ſolo ſenſu & perceptione qualitatis iſtius: ſi grauior fuerit, ita vt non ſolùm ſit illius ſenſus, ſed etiam contingat motus partium & caloris natiui ſeſe contrahentium naturali quodam motu, vt aduerſarij ſui aduentum refugiant, aut certè vt coadunata & fortificata, deinceps maiore impetu illius progreſſum impediant, tunc horrere dicimur, ſi quidem ille motus externas tantùm partes vt cutem afficiat; rigere autem ſi totum corpus concutiat agitetque. Eadem ratione

ratione in morbis, potiſſimùm in febribus continuis & intermittentibus, hæc nomina ſunt vſurpata : Frigus enim in illis contingens, eſt ſimplicis illius qualitatis ſenſus in extremitatibus potiſſimùm, vt manibus, pedibus, naſo, auriculis & ſimilibus, ab ægrotante ipſo, vel etiam à Medico, & aliis contingentibus perceptus. Horror autem eſt inæqualis & leuior concuſſio totius cutis & externi habitus, ob rei moleſtantis ſenſum, cuius expulſioni natura incumbit. Rigor verò vibratio totius corporis vehemens cum doloris & frigoris ſenſu ad expellendum aliquid noxium, cui natura incumbit agitatione muſculorum & caloris influentis vario motu.

Quæ omnia vt meliùs intelligantur, ſciendum eſt rigorem, (ex illius enim explicatione horroris & frigoris natura ſatis innoteſcet) morboſum aut in morbis contingentem, triplicem eſſe pro variâ morbi & cauſarum morbificarum à quibus fit conſtitutione, nimirum periodicum, criticum, & ſymptomaticum. Periodicus enim ille dicitur, qui febrium intermittentium, præcipuè autem tertianæ ἀπυρεξίας & nouos inſultus certis interuallis repetentes comitatur. Quoties enim materia illa febrilis potiſſimùm bilioſa ex ſuo foco, minoribus ſcilicet venis, in habitum corporis tranſfertur, vt voluit Galenus; vel cum Fernelio ex viſceribus illis ventris inferi in membranoſarum partium ſuperficies : tunc pro ratione qualitatis ſuæ, copiæ, & motus maioris vel minoris, percellit membra illa, potiſſimùm ſi ſint ἀναλὰ, ἀήθεα, καὶ ἀντικτα, vt vult Hippocrates, & dolorem infligit, ad cuius ſenſum ſanguis & calor noſter cum ipſis partibus, primò verſus ſuum fontem retrahitur, quæ exangues ſunt tunc, & calore quaſi deſtitutæ percelluntur, donec recurrat idem calor, variiſque hinc inde motibus & aggreſſionibus, tandem quaſi duplicatis viribus hoſtem iſtum excutiat, & totum corpus ſummo æſtu perfundat, donec diſcuſſa illa cauſa periodi febrilis, denuò redeat ad ἀπυρεξίαν & intermiſſionem manifeſtam, quæ interiecta eſt ſingulis periodis. Secùs enim contingit in continuis. Quamuis enim in principio rigore afficiantur, dum natura conatur portionem materiæ morbificæ in habitum deponere : tamen copiâ illius & impetu victa cedit quodammodo, & relicto vacuationis impetu, conuertitur ad coctionem & ſeparationem illius, donec illis peractis inſurgat commodè & die fauſto nouum aggrediatur motum expulſiuum, quem rigor etiam comitatur aut præcedit.

Atque hic eſt quem criticum appellauimus, anteambulonem vacuationum illarum inſignium, ſudoris, hæmorrhagiæ, & ſimilium, quibus acutæ illæ & continuæ febres ſoluuntur. De quo Hippocrates tot verba facit in Aphoriſmis, Coacis prænotionibus, & opere Prognoſtico.

Cuique opponitur ſymptomaticus, quotieſcunque ſit quidem conatus ex parte naturæ, ſed imperfectus, quia debilior exiſtit in propriâ ſuâ ſubſtantiâ, vel oppreſſa à quantitate, vel malignâ humoris conſtitutione : Et tunc rigorem neque vacuatio ſufficiens, neque febris ſolutio, niſi fortaſſe falſa & imaginaria, vt præcedentibus hiſtoriis docuimus, ſubſequitur. Vnde Aphoriſmus ille 46. *ſect.* 4. *Si rigor incidit febre non deſinente, & ægro iam debilitari, lethale.* Et in Coacis, *Rigores omnes cum ſudatiunculâ, mortiferi.*

Et quemadmodum rigor iſte ſymptomaticus eſt, qui pendet ab irrito naturæ conatu, ſic etiam alij multi, quicumque ſequuntur vim cauſæ morbificæ : Vnde Hippocrates, *Rigores*, ἢ ἀπὸ τῶν ἀγγείων, ἢ ἀπὸ τῶν ἑλκέων, *à vaſis*, inquit, *aut ab vlceribus*; à vaſis quidem dum defluit materia quædam inſolens aut maligna quaſi ſtillatim in partes, ibíque vel inflammationes facit & tumores, vel pungit & vellicat ſubſtantiam partium : Vnde iſti omnes ab Hippocrate deſcribuntur horriduli & rigentes in febre continuâ; quemadmodum in propoſitâ nobis hiſtoriâ patet, & aliis infinitis : Vel horror ille & rigor ſymptomaticus contingit ἀπὸ τῶν ἑλκέων, ab vlceribus, idque duplici modo, vel ratione materiæ quæ ab illis profluens reliquas partes impetit : Vnde qui poſt anginam vel pleuritidem ſuppuratam, empyema incurrunt, perpetuo quaſi horrore afficiuntur : quemadmodum illi, in quibus à vomicâ hepatis vel meſenterij diſruptâ pus per inteſtina aut vias vrinæ affatim expurgatur, potiſſimùm in principio, dum adeſt adhuc viarum integritas, & exquiſitus tactus : ſenſim enim aſſueſcunt huic purulentæ materiæ, nec tantopere ab illâ afficiuntur. Alio etiam modo ab vlcere fit rigor & horror, quatenus eſt ſolutio continui dolorifica, & materias quaſdam acres ſuſcipiens à toto corpore vel partis vicinæ cacochymia : hinc quicunque vlcere veſicæ aut inteſtinorum tentantur, quaſi perpetuo horrore detinentur, præcipuè dum eſt meiendum vel cacandum.

Atque vt iſta de rigoris horroríſque naturâ & cauſis annotantur ab Hippocrate:

ſic etiam de frigore, quod omnibus hiſce permiſceetur perpetuò: Nullus enim rigor aut horror ſine ſenſu doloris & frigoris. Sciendum eſt ergo frigus iſtud duplex eſſe, vel certè duplici de cauſa in morbis contingere, aut ex parte caloris natiui, aut humoris naturâ ſuâ frigidi præſentiâ ſuâ talem qualitatem inferentis: Vnde barbari appoſitè vocarunt frigus aliud priuatiuum, aliud poſitiuum. Eſt enim priuatiuum duplex adhuc, vel extinctione caloris natiui, vt in morituris, qui etiam frigidum expirant: vel ſanguinis & caloris influentis retractione ad interiora: vnde partes externæ quaſi exangues & perfrigeratæ ſentiuntur initio; quod duplici modo contingere poteſt. Vel enim eiuſmodi calor influens retrahitur ad interna, vi doloris & inflammationis viſceris alicuius recondiri in penetralibus corporis noſtri, vnde recurrere deinceps non poteſt ad exteriora: quemadmodum contingit in malignis illis febribus, quas lipyrias vocant; vel poteſt denuò recurrere, imò ſæpe reditque frequentiùs ad expugnandam cauſam morbificam, nullo alligatus impedimento, ſed tantùm concentratus ad maiorem vnionem & potentiam, vt in acceſſionibus febrium intermittentium viſitur, & ſimilibus.

Poſitiuum verò frigus ex præſentiâ humoris frigidioris factum alterantis partes, vel fit in toto, vt quando vitrea illa pituita ſparſa per totum corpus & inæqualiter putreſcens, algore ſimul & calore totum afficit, vt in epialis. Vel in extremis tantùm partibus & certis membris, in quæ ille humor pituitoſus vel melancholicus potiſſimùm influit. Atque de propoſitis contextus noſtri notabilibus hæc ſufficiant.

HISTORIA VIII.

Τὸ μειράκιον ὁ καθίκετο ἐπὶ ψευδέων ἀγορῇ, πῦρ ἔλαβεν ἐκ κόπων καὶ ὀίνου, καὶ ἀρώμων ἀρχὴ τοῦ ἰθυ. τῇ α', κοιλίη ταραχώδης χολώδεσι, λεπτοῖσι, πολλοῖσιν. οὖρα λεπτὰ ὑπομέλανα. οὐχ ὕπνωσε. δι ψώδης. β', πάντα παρωξύνθη. διαχωρήματα πλείω ἀκράτεα. οὐχ ὕπνωσε. τὰ τῆς γνώμης ταραχώδεα. σμικρὰ ἐφίδρωσε γ'. δυσφόρως δι ψώδης. ἀσώδης. πυλὺς βλησμούς. ἄσιτίη παρέκρουσεν. ἄκρεα σπλιδνά, καὶ ψυχρά. ἐπεχόρησε ἐπὶ τὰ ἄκρα ὑπολάπαρα. ἐξ ἀμφοτέρων. δ', οὐχ ὕπνωσεν, ἐπὶ τὸ χεῖρον. ζ', ἀπέθανε. ἡλικίαν ἐχέτω ἐτέων κ'. ΠΓ. Ξ. Ζ. Θ.

ADOLESCENTEM qui decumbebat in Mendacium foro, febris corripuit ex laſſitudinibus & laboribus, ac curſibus inſolitis. Primâ die aluus turbata eſt bilioſis, tenuibus, multis. Vrinæ tenues, ſubnigræ: non dormiuit: ſiticuloſus. Secundâ, omnia exacerbata ſunt. Seceſſus plures, intempeſtiuiores: non dormiuit. Mens turbata: parum ſudauit. Tertiâ, moleſtè habuit: ſiticuloſus: anxius: multa iactatio: deſperatio: mente motus eſt. Extremitates liuidæ ac frigidæ: præcordij intenſio ſubmollis vtrinque. Quartâ, non dormiuit. Malum in peius procedebat. Septimâ, mortuus eſt. Ætate circa vigeſimum annum erat

HIſtoria hæc octaua complectitur deſcriptionem febris continuæ, quâ correptus eſt adoleſcens quidam viginti annos natus ex violentis laboribus, curſibus, & laſſitudinibus. Itaque cùm nihil aut parum diſcrepans à ſuperioribus contineat, non habebit à nobis fuſiorem explicationem, quod ad διάγνωσιν, πρόγνωσιν θεραπείαν ſpectat. Attamen quoniam laſſitudinum frequens eſt apud Hippocratem & Galenum mentio, & in artis noſtræ vſu quotidie de illis diſceptatio proponitur: ideò hac lectione propoſitum eſt nobis illius naturam, cauſas, & differentias accuratè perſequi.

Omnibus itaque notiſſimum eſt, animalia ſaltem perfecta, præter actiones plantis proprias, prædita eſſe motu voluntario, qui muſculorum operâ & faculcatis illius à cerebro per neruos influentis vi perficitur. Vnde quæcunque grata & appetita proſequuntur, aduerſa verò & ingrata fugiunt ac euitant. Fit autem vt hunc arbitrarium motum, vt & alias actiones, aliquando liberè & conuenienter exerceant, aliàs verò imminutè aut deprauatè, quoties vi externarum aut internarum cauſarum, ſimul

Digitized by Google

ſimul aut ſeparatim concurrentium impetu, deprauantur organa huic actioni dicata, per ſe & ἰδιοπαθικῶς, vel per accidens & ζυμπαθικῶς, vt in totius corporis mole immensâ, vel humorum inſolitâ plethorâ.

Quæcunque igitur vitia & deprauationes in hoc motu voluntario contingunt, extra malas figuræ, numeri, ſolutæ vnitatis, vt vulnerum, luxationum, tumorum, & ſimilium diſpoſitiones contingunt, defatigationes & laſſitudines nobis appellantur, Hippocrati verò & Galeno κόποι, vt eſt *comment. in Aphoriſm. 3. ſect. 4.* Ita vt illæ quæ ſequuntur πολλὴν ἢ μεγίστην κίνησιν, propriè & ſimpliciter κόποι dicantur: quæ verò ſine motionibus aut exercitationibus violentis contingunt, μὴ πονήσεις cum adiectione κόποι αὐτόματοι, ſpontaneæ laſſitudines dicantur. Ita vt hæc prima ſit laſſitudinum differentia, quarum nunc cauſas & ſubdiuiſiones indagamus.

Quamuis igitur illud vulgatum ſit omnibus: non bene conuenire animæ cum corpore: eò quod anima quieſcendo ſit ſapiens: corpus exercendo, ſanum & robuſtum: & ipſemet Hippocrates 6. *Epidemion*, duos ſanitatis conſeruandæ cardines poſuerit, alimentis frugaliter vti, & ad labores eſſe impigrum: Attamen certum eſt labores & exercitationes, ſi modum exceſſerint, ſummam toti corpori reſolutionem, ſpirituum & humidi primigenij diſſipationem adferre, ex ſummâ viſcerum calfactione, excitatiſque ſudoribus copioſiſſimis: vnde ſequitur laſſitudo illa arefactiua Arabibus noſtris dicta, quæ non ſolùm quiete, ſed etiam alimentis euchymis atque eupeptis eſt ſubleuanda.

Et hæc laſſitudinis ex immoderatâ exercitatione ſpecies, poteſt inuadere tam aſſuetos quàm inſuetos hiſce laboribus. Quamuis enim dixerit Hippocrates, *Aphoriſm. 49. ſect. 2.* aſſuetos laboribus quamuis ſenes aut imbecilles, inſuetis, quamuis robuſtis & iuuenibus, faciliùs ferre: attamen certum eſt in diuturniore ac vehementiore motu quoſcunque homines reſolui atque fatigari: vnde idem Hippocrates generaliter pronunciauit 48. *ſect. 2. In omni corporis motu, vbi laborare & fatigari cœperit, quies medelam adfert.* Et *lib. 2. de diatâ. Homines*, inquit, *inexercitati ab omni labore laſſantur, quia nulla corporis pars comparata eſt ad illum ſuſcipiendum* Corpora autem exercitata ab inſuetis laboribus delaſſantur: aliqua verò etiam à conſuetis exercitiis laſſantur, ſi modum exceſſerint. Ergo hæc eſt prima laſſitudinis ſpecies à labore immodico, quæ tam aſſuetis quàm inſuetis contingere poteſt.

Inſuetis verò etiam à mediocri labore & exercitatione moderatâ contingit alia laſſitudo, quæ non fit ab exhauſto, vt ſuperior, ſed à colliquatione potiùs & repletione membrorum, vt idem Hippocrates *ibidem* docet, ex quâ frequentiſſimè morbi oriuntur, vt in hoc noſtro adoleſcente annotauit. Otio enim deditæ partes, & ſuccis refertæ, vbi primùm incaleſcere & agitari cœperint, diffundunt materias iſtas in muſculoſum præcipuè genus, motus iſtius præcipuum inſtrumentum, ibíque fixæ faciunt tenſionis ſenſum, vbi quis primùm quieſcere cœpit. Vnde non tam quiete ſedatur eiuſmodi laſſitudo, vt ſuperior, quàm exercitatione nouâ, frictionibus, oleis & ſimilibus, quæ digerunt collectos in muſculis humores, & partium ſubſtantiam laxant. Quemadmodum enim vapores illi & cruditates ex immenſa crapulâ aut ebrietate collecti, diſſipantur meri potione moderatâ ſequentibus diebus vſurpatâ: etiam docet Hippocrates iſtas laſſitudines exercitatione moderatâ, conſimili vel diſſimili corrigere & ſubleuare. Conſimili quidem, ſi totum corpus æqualiter ſit oppletum illâ colliquatione. Diſſimili autem ad reuulſionem quodammodo faciendam illius materiæ, quæ in alterutram partem influxit: Vnde Hippocrates *de vict. in acut. Qui delaſſatus fuit currendo, luctet; qui verò luctando, currat.* Atque hæ laſſitudines ex laboribus contractæ, vt plurimùm poſitæ ſunt ſub latitudine ſanitatis.

Αὐτόματοι δὲ, ſpontaneæ verò laſſitudines, quas otium potiùs quàm labor contraxit, omnes ad ſtatum neutrum referendæ, qui decidentiæ vocatur Galeno: Vnde *Aphor. 5. ſect. 2.* ſpontaneæ laſſitudines morbos prænunciant. Et Galenus totum librum quartum ſanitatis tuendæ, in tollendis hiſce laſſitudinibus conſumpſit, ne inde morborum varia genera exorirentur. Eſt autem ſpontanea illa laſſitudo, vt docet Galenus, corporis neutri affectus citra laborem ex internâ cauſâ originem trahens, à quo prodit ad motum impotentia: & ſi moueri velint, moleſta in corpore ſenſatio. Ex hac definitione eliciuntur cauſæ & differentiæ laſſitudinum iſtarum frequenter à Galeno commemoratæ. Cùm enim dictum ſit internam cauſam, hiſce laſſitudinibus originem præſtare, id de humorum conſtitutionibus intelligendum eſt, ſecundùm ſuam qualitatem, quantitatem, vel vtramque. Quotieſcunque enim plethora

ſimplex

ſimplex, aut cacochymia ingens, vel plethora cacochymica dicta in nobis abundarint, & præ copiâ ſuâ non ſolùm venarum cauitates occuparint, ſed etiam in genus illud muſculoſum & neruoſum ex parte effuſa fuerint: hinc illæ laſſitudines exoriuntur, moleſtam in corpore ſenſationem facientes: quæ pro varietate huiuſce ſenſationis dolorificæ in nobis ſuas etiam differentias ſortitæ ſunt. Tres enim recenſentur, τυπώδης, ἑλκώδης, & φλεγμονώδης. Tenſiua enim fit à ſimplici plethorâ, multitudine ſcilicet ſanguinis redundantis & diſtendentis, id eſt, ſuâ tantùm quantitate moleſti. Vlceroſa verò contrà non diſtendendo, ſed pungendo & vellicando moleſtiam infert, à cacochymia potiſſimùm bilioſa & ichoroſa: ex qua homines iſti velut acuum aut culicum morſus in toto corpore perſentiunt. Quòd ſi plethora cacochymiæ iuncta abundet, vtpote ſanguis bilioſus, ichoroſus, aut etiam pituitæ vel melancholiæ iunctus, facit phlegmonoſam laſſitudinem ex vtraque mixtam, ad hanc verò vel illam magis accedentem, prout illius magis vel minùs fuerit particeps: Vnde morbos eiuſmodi laſſitudines prænuntiant, quia cauſas morborum effectrices potentiſſimas intùs latitare oſtendunt: quas ideò purgatione, phlebotomiâ, diætâ conueniente, exercitationibus, & ſimilibus ſoluere docet Galenus, *lib.4. de ſanit.tuend.* vt προφύλαξιν faciat imminentium iſtorum affectuum.

Vt igitur prædictæ laſſitudines in ſano & neutro ſtatu reperiuntur, ſic etiam aliæ ſunt laſſitudines in ægrotantibus: ex quibus ſigna tam διαγνωστικὰ quàm προγνωστικὰ deſumit Hippocrates, vbique febres κοπώδεις in malis habendas cenſet: Et vbi ſomnus in morbo laborem infert, periculoſum eſſe ſcripſit *Aphoriſ. 1. ſect.* 2. Item *Aphor.* 31. *ſect.* 4. *Quicunque per febres laſſitudinibus tenentur, illis ad articulos & iuxta maxillas potiſſimùm, abſceſſus contingunt.* Omnes enim hæ laſſitudines in ægrotantibus maximam materiæ morbificæ copiam, aut eiuſdem malam qualitatem oſtendunt, quâ calor natiuus & corporis noſtri partes degrauantur. In quartanâ peculiariter eſt laſſitudo illa ὀστεοκοπώδης, quaſi oſſa contundens, ob materiæ frigiditatem, & neruoſi generis atque oſſei præcipuam condolentiam; quia frigidum illis valde inimicum, vt patet per *Aphor.* 18. *ſect.* 5. Atque hæc de laſſitudinibus ſufficiant.

HISTORIA IX.

Ἡ παρὰ τισαμένῳ γυνὴ κατέκειτο, ἣ τὰ εἰλεώδεα, δυσφόρως ἤρμησεν. ἔμετοι πολλοί. τὸ σιτίον κατέχειν οὐκ ἠδύνατο. πόνοι περὶ ὑποχόνδρια. καὶ ἐν τοῖσι κάτω κατὰ κοιλίην, σῖτοι, τρόφοι ξυνηχέες. ἀ δηρώδης. ἐπιθερμαίνετο ἄκρια ψυχρὰ ἀεὶ τελεῶς. ἀσώδης. ἄχυμος. ὀλίγα, λεπτά. διαχωρήματα ὠμὰ, λεπτὰ, ὀλίγα. ὠφελίην οὐκ ἔτι ἠδύνατο. ἀπέθανεν.

MVLIER illa quæ apud Tiſamenum decumbebat, correpta fuit volumlo & grauiter affecta: Vomitiones enim multæ, & potum continere non poterat. Dolores circa hypochondria, & in inferioribus etiam ventris partibus. Continua aderant tormina. Non erat ſiticuloſa, & tamen valde æſtuabat. Extrema perpetuò frigida: Torquebatur anxietate & vigiliis. Vrina pauca & tenues. Quemadmodum deiectiones crudæ, tenues, & pauca. Nihil illam iuuare potuit. Mortua eſt (ſecundo aut tertio die, vt adiicit Galenus in commentario.)

DVo ſunt crudeliſsimi & funeſtiſsimi ob vehementiſsimum dolorem & citam internecionem inteſtinorum affectus, nempe morbus cholera dictus, & volululoſa ſeu ileoſa conſtitutio: cuius in hac ægrotante deſcriptionem ſuſcepit Hippocrates. Nos itaque vt rem totam accuratiùs explicemus, ab ipſo primordio illius naturam & cauſas primum repetemus Vide noſtram Praxim. Iſta paſſa eſt volumlum vt coniicio ex inflammatione inteſtinorum eryſipelatoſa, quæ febrem acutam intulit, ſed non perfectam obſtructionem, vt patet ex illis excrementis, quæ per aluum effluebant, &c.

HISTORIA

HISTORIA X.

Γυναῖκα ἐξ ἀποφθορᾶς πρώτης τῶν παρὰ Παντιμίδῃ, τῇ α', πῦρ ἔλαβεν. ἡ γλῶσσα θηλερὰ. ὑπνώδης. ἄγρυπνος. κοιλίη ταραχώδης λεπτοῖσι, πολλοῖσι, ὠμοῖσι. β', ἐπιδιήγωσε. σπυρίδες ὀξύς. δεύτερα κοιλίης πολλά. οὐκ ὕπνωσε. τρίτη, μείζους αἱ πόνοι. τετάρτη παρέκρουσεν. ἑβδόμη, ἀπέθανεν. ἡ κοιλία διὰ παντὸς ὑγρή. Διεχωρήσατο πολλοῖσι, λεπτοῖσι, ὠμοῖσι. οὖρα ὀλίγα, λεπτά. πυρετὸς καῦσος.

MVLIERVM vnam earum quæ apud Pantimedem degebant, ex infantuli abortu, primâ die febris corripuit. Lingua arida, ſiticuloſa, & inſomnis. Aluus conturbata ex multis tenuibus & crudis. Secundâ die exortô denuò rigore, febris fuit acuta, venter multa reddidit, & non dormiuit. Tertia dolores vehementiores. Quarta deliranit. Septima moritur. Aluus per totum morbi decurſum fuit illi lubrica & profluens, multis ſeceſſibus tenuibus & crudis. Vrinæ verò pauca & tenues. Febris iſta erat καῦσος.

HISTORIA XI.

Ἑτέρου ἐξ ἀποφθορῆς περὶ πεντεκαιδεκάτην, πῦρ ἔλαβεν· ἀρχομένη ἦ, καυσώδης λιπῶ. καὶ ἄγρυπνος πάλιν. ὀσφύος ὀδυνη. κεφαλῆς βάρος. β', κοιλίη ἐπελαράχθη ὀλίγοισι λεπτοῖσιν, ἀχρήτοισι τὸ πρῶτον. τρίτη, πλείω, χείρω. νυκτὸς οὐ κατεμίχθη. τετάρτη, παρέκρουσε. φόβοι, δυσθυμία. δεξιῷ ὄμματι. ἴδρωσε δὲ κεφαλὴ ὀλίγῳ ψυχρῷ. ἄκρα ψυχρά. παρωξύνθη. πολλὰ παρέλεγε. καὶ πάλιν ταχὺ καλεπόν. ἄδυ. ἄγρυπνος. κοιλίη πολλοῖσιν ἀκαίροισι διὰ τέλους οὖρα ὀλίγα, λεπτὰ, ὑπομέλανα. ἄκρα ψυχρὰ, ὑποπέλιδνα. ἕκτη, διὰ τῶν αὐτῶν. ἑβδόμη, ἀπέθανε φρενιτικῶς.

ALTERAM etiam ex abortiuo fœtu circa quintum menſem, febris ignea corripuit. Primo comatoſa fuit, deinde inſomnis: Lumborum aderat dolor, & capitis grauitas. Secundo die aluus turbata eſt paucis, tenuibus, & ſinceris primùm. Tertio omnia plura & peiora. Noctu non dormiuit. Quarto deliranit. Metus & triſtitia aderant, ac dexter oculus conuulſus. Sudauit circa caput paucum & frigidum. Extremorum frigiditas. Quinto exacerbata ſunt omnia. Multa extra rem loquebatur. Deinde ad ſe redibat. Sine ſiti & ſomno degebat. Aluus perpetuò multis & intempeſtiuis profluxit. Vrina verò pauca, tenues, & ſubnigræ: extrema frigida & ſublunda. Sexto eadem perſeuerarunt. Septimo mortua eſt φρενιτικῶς, *phrenitica.*

HAſce duas hiſtorias libuit coniungere & ſimul explicare, quoniam exempla duo ſunt ferè ſimilia muliercularum ex febre poſt abortum ſimili ferè modo & die pereuntium: Vnde Galenus illarum hiſtorias coniunctim citat *libro* 2. *de diebus decretoriis*, & *libr.* περὶ δυσεντερίας, vtrique ex vteri phlegmone creatum fuiſſe periculum exiſtimauit.

Ve igitur rem iſtam meliùs intelligamus, & quomodo mulieres iſtæ in exitium præci patatæ fuerint, tam abortus illius, quàm febris & phrenitidis poſt illum abortum: oportet primùm ſcire quid ſit illa ἀποφθορὰ, id eſt, abortus, à quibus cauſis excitetur, & quas ſecum calamitates inuehere ſoleat. Certum eſt muliercu-

las, quæ fœcunditatis laudes & commoda reportare debent, non ſolùm debere immiſſum ſemen virile intra vteri clauſtra retinere, & ex eo concipere, ſed etiam iam efformatum fœtum ad illud vſque tempus aſſeruare, quo perfectionem ſuam, motus & exitus naturales adipiſcantur, quod frequentiùs nono menſe, aliis ſeptimo, vel etiam decimo contingere ſolet. Quæcunque ergo ante hunc terminum conceptos embryones excutiunt, potiſſimùm poſt quadrageſimum diem, quo humanus omnis fœtus creditur eſſe efformatus, non parientes, ſed abortientes vocantur: Circa primos verò dies non tam ſunt Hippocrati aborſus, *libro de ſeptimeſtri partu*, quàm ἐκκύησις, (*faux germe* vulgò) & ſeminis effluxus. Itaque aborſus (Hippocrates ἀποφθορὴν, διαφθορὴν; *in Coacis*; ἀποφθορὴν, τρωσμὸν, καὶ ἐκτιτρώσκειν, *in Aphoriſm.* 54. *ſect.* 5. *in* 6. *Epidem.* ἄμβλωσιν vocat) nihil eſt aliud quàm præceps & intempeſtiua concepti fœtus & iam efformati excluſio ob cauſas totum corpus, vel vterum ipſum cum fœtu afficientes præter naturam. Diximus itaque eſſe excluſionem, quia hæc actio poſita eſt potiſſimùm ſub genere facultatis expultricis, quamuis etiam ex concurſu retentricis debilitatæ, vt poſteà videbimus. Atque etiam eſſe fœtus iam efformati, vt diſtingueremus ab illis effuſionibus ſeminis nondum elaborati, quæ circa primos dies contingunt. Vnde etiam apud Iuriſperitos, is non habetur mortis reus, qui prægnanti mulieri vim intulerit, & ex vtero contentum fœtum deturbarit ante quadrageſimum diem, quia nondum homo perfectus cenſetur, neque rationali animâ donatus. Diximus deinde iſtos aborſus contingere ob cauſas totum corpus vel ipſum fœtum cum vtero præter naturam afficientes. Oportet enim ſemper iniuriam aliquam inferri, aut matri, id eſt, totius corporis materni conſtitutioni; aut ipſi vtero aliquid præter naturam contingere, vel fœtui ipſi ad commouendam matricem, vt blandulum illum fructum in ſuis finibus genitum quaſi coacta excutiat.

Vnde Arabs ille Serapio doctè de cauſis aborſus pronuntiaſſe videtur: Quod ſi primis contingat menſibus, vt ſecundo & tertio, cauſam eſſe flatum quendam aut vehementem agitationem, tenuiſſimas adhuc vaſorum fibras diſrumpentem: Si mediis, vt quarto, quinto & ſexto ſine manifeſtâ causâ, eſſe accuſandos potiſſimùm mucores illos, & nimias humiditates, quæ acetabula vteri relaxant, vt eſt *Aphoriſm.* 45. *ſect.* 5. In poſtremis verò menſibus cauſam eſſe vt plurimùm inopiam alimenti, vel vteri anguſtiam. Sed quoniam multò plures adhuc ſunt cauſæ, quæ in quibuſcunque menſibus tales διαφθορὰς excitare poſſunt: & quia recenſitæ cauſæ, ſi multùm exceſſerint, poſſunt tam in primis, mediis, quàm vltimis, aborſum præſtare: ideò rem totam & cauſarum ſeriem accuratiùs percurramus, ex Hippocratis potiſſimùm ſententiâ.

Ergo illud inprimis in memoriam reuocemus, partum naturalem feliciter ſuccedere, quoties matris, vteri, & fœtus bona eſt conſtitutio. Ac proinde ratione contrariorum, ex axiomate illo Pathologico: Quoties iſta præter naturam, vel aliquod eorum immutata fuerint, toties etiam aborſus aut difficiles & laborioſos partus contingere, de quibus ſequenti agemus hiſtoriâ, σὺν θεῷ. Immutantur autem iſta à cauſis internis & externis. τὰ ἔξωθεν igitur, vel ſunt contingentia & non neceſſaria, vt loquuntur Practici; caſus, occurſus, ictus, veſtium preſſus & coarctationes, &c. morſus, vulnera, & ſimilia, quorum violentiâ certum eſt non ſolùm maternum corpus concuti, ſed ipſum vterum, atque in eo poſitum fœtum tantâ perturbatione affici, vt ab illis ſæpe præcociter excutiatur. Ad quæ etiam referri poſſunt tetri odores, vt candelæ extinctæ & ſimilium, aſſumpta vel admota venena aut medicamenta malignâ qualitate prædita, cathartica vehementiora, aperientia & detergentia potenter, cæteráque Abortiua dicta, quibus peſſimæ quædam mulierculæ ſæpe vtuntur ad perdendos ſuos fœtus. Eodem modo vſurpata poſtremis potiſſimùm menſibus phlebotomia copioſior, id præſtat, ex *Aphoriſm.* 31. *ſect.* 5. tam ex brachio, quæ alimoniam eripit fœtui; quàm ex malleolis, quæ menſtruas purgationes proritare ſolet, & ipſius fœtus excluſionem. Necnon balneum, nimium humectando & relaxando partes illas, quibus vterus corpori, ac fœtus vtero connectitur; vel deducendo humores & quaſi colliquando verſus vterinam regionem.

Vel ſunt ex rebus neceſſariis petita, & quæ in quotidianum vitæ vſum venire ſolent, ſed tamen malè vſurpata, ratione indiuidui, vt loquuntur. Talia ſunt aëris conſtitutiones humidiores, quas excipit ſumma frigiditas, vt annotauit Hippocrates *tertio Aphoriſmorum*, *& in Epidemiis*. Vel etiam ſumma caliditas, abſorbendo alimoniam

alimoniam fœtus & fœtæ, atque etiam ſuffocando propter auctum reſpirandi vſum: quibus addunt Aſtrologi malignas quaſdam conſtellationes, propter quas nullâ exiſtente aliâ causâ manifeſtâ exiſtimant illi certis temporibus tot aborſus tam in validis quàm inualidis, tam iuuenibus quàm proiectioribusindiſcriminatim contingere. Idem præſtare poſſunt cibi & potus nimiâ ſumpti copia: vnde grauantur, vel ad vomitiones violentas, aut alui fluxus copioſiores, & teneſmos, proritantur, *Aphoriſm. 34. ſect. 5. & 27. ſect. 7.* Vel parciùs ſumpti, vt contingit per illas ἀνωσίλας diuturniores, quibus inediam ferè integram celebrant, & embryoni ſuum eripiunt nutricatum: Vel certè deterrimis cibis ſubſtantiâ & qualitate ſeſe ingurgitant, vt ſolet per illas picas & malacias grauiores, quibus grauidæ frequenter torquentur: Ex illis enim, ſuccreſcente inutili ſucco, non poteſt ſuppeditari conueniens fœtibus alimonia. Vigiliæ immenſæ potiſſimùm ex violentis animi pathematis ortæ, idem præſtare ſolent: cùm ſola ira, terror ſubitus, ingens rei alicuius denegatæ appetitus (qui præter aborſum, fœtui quoque imprimit notas cibi illius denegati, & hîc mixtum eſt animi pathema) inuidia, zelotypia, amor furibundus, & ſimilia, multas in eiuſmodi periculum quotidiè præcipitent. Quibus adde exercitationes intempeſtiuè & violenter factas, equitationes, choreas, ſaltus, vt de meretrice illâ narrat Hippocrates. Imò etiam quædam ſunt ita delicatulæ, vt ex leuiori quouis motu abortiant, & certis temporibus ad ſeruandos ſuos conceptus cogantur ſeſe diutiùs in lecto continere. Excretiones etiam immodicæ id ſæpiùs efficiunt, vt iam ſuprà de alui fluxu & vomitu annotauimus, ſed potiſſimùm menſtrui ſanguinis per vterum, quo diutiùs apparente, impoſſibile eſt fœtum in vtero ad præfixum vſque terminum contineri. Coitus immoderati ſub hunc numerum referendi, potiſſimùm vltimis menſibus celebrati.

Internæ autem diſpoſitiones, quibus aborſus excitatur ex parte matris, ſunt etiam plurimæ. Sæpe enim plethora ingens opprimendo & ſuffocando, & cacochymia varia illud præſtare poſſunt, Omnes etiam morbi acuti ob triplicem cauſam. Primò, quia vehementer totum corpus, ac proinde vterum cum fœtu commouent & affligunt. Secundò, quia cibi ingens faſtidium inferunt, propter quod alimonia vtrique eripitur. Tertiò, quod ſoluuntur inſignibus vacuationibus artificialibus vel ſpontaneis, quas omnes fœtui periculoſas eſſe dicebamus. Eodem modo morbi diuturniores, aut doloribus iuncti, aut agitationibus vt tuſſi & ſternutationibus, iſtud efficiunt: febres quartanæ & quotidianæ, obſtructiones inueteratæ hepatis, lienis, aut meſenterij, magni ex cerebro catarrhi, tuſſes inueteratæ, ventriculi ἀτονίαι, & ſimiles, qui ſummas imbecillitates adferunt, arthritides, dyſenteriæ, teneſmi, colici dolores, phthiſis, & ſimiles: quia impoſſibile eſt fœtum bene ſe habere, dum mater tot exercetur cruciatibus, vel imbecillitate totius aut partis alicuius ad vitam neceſſariæ tenetur.

Quemadmodum ex parte vteri, morbi ſimilares, organici, & communes abortui cauſam frequentiſſimam ſuppeditare ſolent. Nam intemperies inſignes illius, humorales potiſſimùm, vt eryſipelata, inflammationes, & tumores omnes præter naturam, humiditates pituitoſæ, quæ acetabula mucoribus irrigant, vlcera, vulnera, præcipitationes, relaxationes, diſtortiones, & ſimilia. Ex parte autem fœtus, ſi quidem quantitate vel qualitate peccet. Quantitate quidem, vt numero, magnitudine, & pondere. Numero; nam ſi duo, tres, aut plures in vtero ſint fœtus, periculum eſt ne excutiantur ſuomet preſſu, & quaſi colliſione: vnde gemellorum frequens aborſus. Magnitudine, vt ſi moles ſit maior & amplior, quàm par ſit ratione continentis vteri: hinc videmus mulieres puſillas frequenter abortire, potiſſimùm ſi viris iunctæ ſint procerioribus, quorum ſoboles magnum & citum in vtero incrementum ſuſcipit. Pondere autem, idque dupliciter, vel ratione virtutis ipſius vteri, & ligamentorum, quæ infirmior ob varias cauſas, ne leuiorem etiam ſarcinam ſuſtinere poteſt; vel reſpectu ipſius fœtus, membranarum & ſeroſi illius excrementi in eis collecti, quæ grauitatem aliquando immoderatam adipiſcuntur. Qualitate verò fœtus peccare poteſt multiplici, vt quando exſiccatus & veluti marcidus, atque etiam mortuus, *le vif chaſſe le mort*, non ampliùs continuitatem phyſicam ſeruat cum vtero, tanquam fructus illi areſcentes ſponte decidit, vel putredine affectus, acri & mordaci humore, aut certè venenata qualitate & nobis prorſus infenſa præditus, irritat vim vteri excretricem, vt foras quamprimùm expellatur.

Ad huius autem expulſionem varia ſequuntur incommoda & graues noxæ, vt

eleganter annotauit Hippocrates, *libro de natura pueri*; dum vult aborsum multò esse periculosiorem & deteriorem naturali partu, vtpote à causis violentis & morbificis excitatum. Quemadmodum igitur naturalem partum etiam felicem videmus sæpissimè puerperas in varios affectus præcipitare: sic aborsus si ab externis potissimùm violenter commouentibus causis accidant, largas efficiunt hæmorrhagias, vteri præcipitationes, suffocationes, exulcerationes, & similia: Si ab internâ, potissimùm plethorâ & cacochymiâ tam vniuersali quàm particulari, febres acutas, phrenitidas, vteri tumores, inflammationes, & similia, ob raptum in istas partes humorem putredinosum aut erodentem, quo vteri non solùm superficies, sed etiam tota substantia afficitur, potissimùm si post excitatum eiusmodi abortum non expellantur illa ἀφεστώματα & illuuies materni sanguinis, quæ lochia Hippocrati dicuntur: intus enim subsistentes hos omnes morbos parere possunt, quemadmodum contigit hisce duabus mulierculis, quarum historias morbosas, & exitiales tandem, proposuit hîc Hippocrates.

Ponamus igitur, quod ipse voluit Galenus *libro citato*, istas duas mulierculas ob aborsum illum inflammationes vteri incurrisse, ad quas ingens illa & æstuosa febris, deliria, dirrhœæ, dolores sæuissimi, conuulsiones, & similia symptomata sunt subsecuta, quæ διάγνωσιν & πρόγνωσιν in illis valde periculosam statuunt. Iam quod est in vtraque grauius & magis expetitum inquiramus, vt scilicet διαγνώσις Medicâ si fieri possit, ex tam imminenti periculo liberentur, aut certè ea omnia fiant, quæ sunt necessaria, & ex artis præcepto ad illud consequendum. Ergo. Vide Practicos de inflammatione vteri.

HISTORIA XII.

Γυναῖκα, ἥτις κατέκειτο ἐπὶ ψευδίων ἀγορῇ, τότε τεκοῦσαι πρῶτον ἄρσεν, πῦρ ἔλαβεν. αὐλὸς ἐξεχρήθη, ὀφθαλμὸς. ἀσώδης. καρδίαν ἔπόνει. γλῶσσα ἐξηράνθη. κοιλίη ἐπιτα ἐσχέθη λεπτὸν, ὀλίγιστον. οὐχ ὕπνωσε. β', σμικρὰ ἐπεῤῥίγωσε. πυρετὸς ἐξύς. μικρὰ περὶ κεφαλὴν ἱδρῶσε ψυχρῷ. γ', ἐπιπόνως ἐπὶ κοιλίας ὠμὰ, λεπτὰ, πολλὰ ἐπέη. οὐ', ἐπεῤῥίγωσε. πάντα παρωξύνθη. ἄγρυπνος. έ, ἐπιπόνως. ς', ἀφ' ἑαυτῶν. ἐπὶ κοιλίης ἦ ἦλθε ὑγρὰ πολλά. ζ', ἐπεῤῥίγωσε. πυρετὸς ὀξύς. δίψα πολλή. βλητερισμοί. περὶ θώλην, ἱδρῶσε δὲ ὅλῳ ψυχρῷ. ψύξις. ἄκρεα ψυχρὰ. οὐκ ἔτι ἀνεθερμαίνετο. καὶ πάλιν εἰς νύκτα ἐπεῤῥίγωσεν. ἄκρεα οὐκ ἀνεθερμαίνετο. οὐκ ὕπνωσε. σμικρὰ παρέκρουσε. καὶ πάλιν ταχὺ κατενόει. ή, περὶ μέσον ἡμέρης, ἀνεθερμάνθη. διψώδης. κωματώδης. ἀσώδης. ἤμεσε χολώδεα, μικρὰ, ὑποξανθα. νύκτα δυσφόρως οὐκ ἐκοιμήθη. ἄρητε πολὺ ἀθρόον οὐκ εἰδῦα. θ', ξυνέβηκε πάντα. κωματώδης. πρὸς θώλην, σμικρὰ ἐπεῤῥίγωσεν. ἤμεσε μικρὰ, χολώδεα. ι, ῥίγος, πυρετὸς παρωξύνθη. οὐκ ὕπνωσεν ὀδύν. πρωΐ, οὖρησε πολὺ, ὑπόστασιν ἔχον. ἄκρεα ἀνεθερμάνθη. ια', ἤμεσε ἰώδεα, χολώδεα. ἐπεῤῥίγωσεν οὐ μετὰ πολύ. καὶ πάλιν, ἄκρεα ψυχρά. ἐς θώλην, ἱδρώς. ῥῖγος. ἤμεσε πολλά. νύκτα ἐπιπόνως. ιβ', ἤμεσε πολλὰ, μέλαινα, δυσώδεα. λυγμὸς πολύς. δίψος. ἐπιπόνως. ιγ', μέλαινα, δυσώδεα, πολλὰ ἤμεσε. ῥῖγος. ἐκ δὲ μέσου ἡμέρης, ἄφωνος. ιδ', αἷμα ἀφ' ἑαυτῆς. ἀνέθανε. ταύτῃ ἀφ' ἑτέρου, κοιλίη ἐγένετο. φρενώδης. ἰλιγγιὴ ἐκ ἔτεα ιζ'.

MVLIEREM *quæ decumbebat in Mendacium foro, tunc primùm laboriosè enixam masculum, febris ignea corripuit. Status incipiens siticulosa fuit, anxia, & cardialgiam patiebatur; Lingua erat resiccata, aluus perturbata tenuibus & paucis, neque dormiuit. Secundâ die parum riguit, febricitauit acutè, & parum circa caput sudauit, idque frigidum. Tertiâ non sine dolore ab aluo cruda, tenuia, & multa demissa sunt. Quartâ riguit demùm, omnia exacerbata sunt, & vigil permansit. Quintâ malè etiam se habuit. Sexta perseuerarunt omnia: Tum etiam ab aluo multa liquida profluxerunt. Septima rursum riguit, febris est exacerbata, sitis ingens & iactatio: Circa vesperam demum*

exortus

exortus eſt per totum ſudor frigidus cum perfrigeratione ſumma: Extremorúmque tanta frigiditas, vt recaleſcere non poſſent. Non dormiuit, riguit adhuc, fuítque deliraus, ſed breui reſipuit. Octaua circa diei medium calorem recuperauit, ſitiuit, comatoſa, faſtidioſáque fuit. Vomuit bilioſa, pauca, & ſubflaua. Noctem habuit inquietam, ſine ſomno, multúmque vrinæ confertim reddidit non ſentiens. Nonâ, omnia videbantur remiſſa, fuit comatoſa, & circa noctem parum riguit, deinde vomuit pauca bilioſa. Decimâ rigor & febrilis paroxyſmus: neque potuit dormire: Manè autem vrinam reddidit multam, quæ habebat hypoſtaſin, & extrema recaluerunt. Vndecimâ vomuit virulenta & bilioſa: Non diu pòſt riguit, & rurſum extremitates refrigeratæ ſunt: Sub noctem ſudor & rigor. Vomuit multa, & noctem habuit laborioſam. Duodecimâ, vomuit denuò multa nigra & fœtida, ſingultus multum fatigauit & ſitis. Decimatertiâ rurſum nigra, fœtentia, & multa vomuit, riguítque, & circa meridiem voce deſtituta fuit. Decimaquarta ſanguis effluxit per nares, & mortua eſt. Huic per totum morbum horroris ſenſus adfuit cum aluo humida. Ætas circiter ſeptemdecim annorum.

GRauiſſima laboriosè parturientis mulieris ſeu puerperæ ſymptomata, ac tandem miſerandum exitium deſcribit hac hiſtoriâ Hippocrates. Cuius ἐξήγησιν & explicatio, eò facilior erit nobis, quò difficilis eiuſmodi partus & laborioſus, quem δυσκύιαν vocat Hippocrates, magis ad aborſum, iam ſuperioribus hiſtoriis à nobis ſat copiosè enarratum, accedit.

Vt enim aborſus præceps eſt immaturi adhuc fœtus excluſio à cauſis præter naturam agentibus: ſic illa δυσκύια nihil eſt aliud, quàm laborioſa & periculi plena excluſio fœtus iam maturi, ob cauſas præter naturam in illo partu concurrentes. Siue enim fœtus intus omnino moretur, aut diutiùs moretur, quàm par ſit, ita vt ad auxilia pharmaceutica vel chirurgica ad illum iuuandum recurrere oporteat, vel certè cum maiore quàm par ſit dolore, aut aliquâ vteri noxâ: vel fœtus, vt ſolet, excludatur: toties ex iſtâ actione imminutâ vel deprauatâ, oriuntur multæ morborum ſpecies, quæ ægras iſtas miſerè diuexant, aut etiam in mortis periculum conficiunt.

Cauſæ autem difficilis partus, quemadmodum dicebamus de abortu, ſunt externæ, fortuitæ, ex rebus rarò contingentibus petitæ; vel neceſſariæ & ex rebus non naturalibus dictis repetitæ. Aut ſunt internæ, & reſpiciunt ipſius matris conſtitutionem ſecundùm totum corpus, vel aliquam partem inſigniter læſam: aut reſpiciunt ipſum vterum & fœtum, ſub quo ligamenta, membranas, & ſimilia complectimur. Iſta enim omnia debent ſecundùm naturalem partum concurrere, vt feliciter fiat. Ergo quoties aliqua iſtorum conſtitutio vel plures, præter naturæ limites egreſſæ fuerint, toties etiam labor & dolor eximius, id eſt, qui naturali partui coniunctum laborem & dolorem excedant, exoriuntur.

Quæ cùm ſatis accuratè à nobis de aborſu nuper agentibus pertractata fuerint, non lubet in illis recenſendis diutiùs hac lectione immorari, neque etiam in ſtabiliendâ διαγνώσει affectus miſeræ huius iuuenculæ, qui omnibus palam eſt notus, febris nimirum continua, ex ſumma humorum agitatione & putredine orta, vt docet luculenter Galenus *in commentar.* Neque in aſſignandâ προγνώσει, cùm res ipſa per ſe loquatur, θανάσιμον καὶ πάνυ ὀλέθριον eſſe hunc affectum, tot horrendis ſymptomatis comitatum. Vt enim docuit Hippocrates in Aphoriſmis, grauidam aliquo acutorum morborum affici, eſſe omnino lethale: ſic etiam puerperas, quæ in tantâ viriũ deiectione poſt labores illos partûs, vix poſſunt eſſe ferendo grauiſſimum, quo deinceps vrgentur, ex nouo morbo conflictum, potiſſimùm ſi tunc temporis graui cacochymia laborarint, vel purgationes illæ lochiorũ non feliciter ſucceſſerint. Quæ omnia huic miſellulæ contigiſſe probabile eſt, cui in extremis & irritis naturæ conatibus, tot fœtentium & virulentorum humorum vomitus, deiectiones coactæ, ſudores frigidi, ſanguiniſque eruptiones contigerunt, quarum impetum ad decimumquartum

vſque diem ſuſtinere potuit, ætatis & virium beneficio, vt bene annotauit Hippocrates.

Eodem modo cùm θεραπεία, quæ huic mulierculæ admoueri potuit, non valde diſcrepet abeâ quam ſuperioribus ex aborſu laborantibus præſcribendam fuiſſe docuimus: Ideò ad perfectionem huius noſtræ lectionis, propoſitum eſt nobis breuiter diſſerere de partu quem Cæſareum appellant, quia in ſuppreſſo omnino partu frequenter de eo dubitari ſolet, & à recentioribus valde agitatur hodie illa quæſtio. Vide noſtras theſes, & Roſſetum.

Et ſic abſoluimus σὺν θεῷ explicationem primæ partis libri tertij Epidemion, vſque ad ſtatum peſtilentem.

ΚΑΤΑΣΤΑΣΙΣ ΛΟΙΜΩΔΗΣ.

De Peſte.

Textus Hipp. ΕΤΟΣ νότιον ἐπομβρον. ἄπνοιαι καὶ τίλεος. αὐχμοὶ ἢ ὑγρασίαι, &c.

PRiuſquàm peſtilentis iſtius ſtatus deſcriptionem, peſtiſque naturam & cauſas perquiramus, lubet illud exagitare, quod eſt in procemio operis prognoſtici, nempe animaduertendum eſſe Medico diligenter, vtrùm in morbis, quorum πρόγνωσιν eſt facturus, ſit θεῖόν τι, *diuinum quid*, quod ſolet omnem prædicendi rationem inuertere.

Etenim ſi qui ſint morbi, quibus iſtud diuinum adſcribi debeat, certum eſt peſtilentes eſſe potiſſimùm, qui velut flamma quædam æſtuans, promiſcuè homines inuadunt, tam ſenes quàm iuuenes, vt inquit Hippocrates, *lib. de nat. hum.* tam viros quàm mulieres, tam validos quàm inualidos, tam bonâ & laudabili diætâ vtentes, quàm nullum alimentorum delectum obſeruantes. Imò quod crudelius eſt, ingentem populi morientis ſtragem concitantes, & paucis relictis, maiorem eorum partem qui peſte afficiuntur, è medio tollentes.

Ergo videamus quid Hippocrates, per illud diuinum in morbis intellexerit, & vtrùm θεῖόν τι in illis reperiatur. Vide noſtras quæſtiones.

PESTIS NATVRA ET CAVSÆ. Peſtis ſeu peſtilentiæ nomen, quod Græcis λοιμὸς appellatur, varia apud vulgus & authores noſtros deſignare ſolet. Aliquando enim ſignificat certum quendam aëris ſtatum & κακοχυμίαν perniciioſam, per quam morbi pernicioſiſſimi vulgò graſſantes multos è medio tollunt, qualis eſt hæc quam hîc deſcribit Hippocrates. Sic enim peſtem vigere, & per duos aut tres annos durare aſſerimus. Aliàs non tantùm hoc nomine ſignificamus aëris corruptelam, aut malignam illius exhalationem, ſed etiam ea omnia quæ in fonte cauſam iſtam deleteriam circumferunt & aliis communicant: vnde vulgò peſtis illa tranſlata dicitur, quæ in propinquas vel longinquas etiam regiones diuagatur, non ex aëris vitio, aut vniuerſali conſtitutione, ſed contactu mercium, hominum, & aliarum rerum, quæ eiuſmodi ſeminaria contagioſa continent, & aliis communicant. Atque iſta eſt frequentiſſima diſſeminandi huius morbi ratio, quâ funeſtiſſimos quoſdam non homines, ſed portenta hominum, vſos fuiſſe aliquando compertum eſt.

Præterea peſtis ſumitur pro effectu ſeu quouis morbo, vt febre malignâ, exanthematis, carbunculo, & ſimilibus, quæ ſubſequuntur actionem illius virulentiæ in corpora noſtra. Et quoniam valde eſt proprium his affectibus, vt naturæ impulſu materia hæc venefica, quamprimùm poteſt, in emunctoria demandetur: vnde bubones & φύματα exoriuntur ſub alis, inguinibus, & poſt aures: ideò vulgus ferè nomen illud contraxit ad iſtos tumores, qui in peſte correptis apparere ſolent. Ac proinde peſtem exiiſſe, peſtem ſuppurari, peſtem fluere dum dicunt, intelligunt de hiſce bubonibus prorumpentibus, ſuppuratis, & materiam aliquam eructantibus.

Dicamus igitur nos, peſtis nomen propriè cauſam morbificam denotare, & eſſe malignam & occultam labem aëri impreſſam, aut fomitibus variis communicatam, quæ morbos epidemicos, contagioſos, malignos, acutos, & valde lethales inducit. Diximus itaque eſſe malignam labem, vt oſtenderemus hanc qualitatem ſeu conſtitutionem

ſtitutionem aëris, non tam ad vulgares qualitatum elementarium exceſſus eſſe referendam, vt frigiditatem, caliditatem, humiditatem vel ſiccitatem ſimplices aut permixtas, quàm ad certam ſubſtantiæ & totius mixti corruptelam, quæ vi quadam occultâ perniciem infert generi humano & cordi, ſicut alia venena, potiùs quàm aliis animantibus, aut partibus corporis noſtri. Quamuis enim Hippocrates & Galenus, vt poſteà adhuc videbimus, putrilagines ſummas in hoc affectu agnoſcant, & quæcunque ſitum ac calorem humori coniunctum inducere poſſunt in aërem, vt auſtrina tempeſtas, æſtas pluuioſa, & ſimilia, maximè peſtem conciliare poſſint: Attamen hæc non tam inducunt ſuis qualitatibus malignam illam diſpoſitionem ſeu διάθεσιν τῆ ἀέρος, quàm præparant ad illam φθορὰν & corruptelam, quæ deinceps inducitur, vbi contracta eſt ſemel νοσερὰ illa δύσκρασις, venenata & totius ſubſtantiæ diſſidio nobis infenſa.

Eſſe enim tales cauſas nobis ex proprietate & totius mixtionis merito infenſas vel amicas, docent non ſolùm venena aut cathartica medicamenta, ſed etiam alimenta, quorum multa cùm intenſiores habeant qualitates rebus minimè ad alendum comparatis, vt panis ligno comparatus, &c. nobis tamen alendis quàm illæ ſunt aptiores. Nemo eſt etiam hodie, qui rei euidentiâ conuictus non confiteatur liberè, eſſe multos morbos & eorum cauſas, vt elephantiaſin, luem Veneream, epilepſiam, & ſimiles, inter quos peſtilentia inprimis eſt recenſenda, qui antidotis certiſque alexipharmacis potiùs curantur, quàm remediis vulgari qualitatum dote pugnantibus. Conſtitutiones ergo aëris calidæ, frigidæ, humidæ vel ſiccæ morbos quidem inferre poſſunt, eoſque validiſſimos, & aliquando epidemios, vt rectè docuit Hippocrates 3. *Aphoriſmorum*; ſed non peſtilentes, & ita exitiales, quique tantam ſeſe propagandi vim obtineant. Adde quòd ordinarium illum iſtarum qualitatum motum ſequuntur, qui contrarij ſui adæquati exhibitione refringitur: & facit conſtitutas humorum vacuationes, coctiones, & agitationes, ordinariæ Medicorum προγνώσεις conſentaneas: cùm in peſte omnium ſit confuſio, & ſumma tam Medici, quàm ægrotantis perturbatio.

Diximus autem hanc labem aëri eſſe impreſſam. Cùm enim aër in ſuâ naturâ corpus ſit ſimplex & elementare ſibique continuum, vix poſſum adduci, vt credam ab interioribus cauſis ſibique propriis vitium hoc exoriri: ſed ab externis & violentis, quæ aut ἐπιγενικῶς aut ζωματικῶς illum afficiunt & inficiunt. Vnde Arabes noſtri dicunt, aliquando peſtem à radice ſuperiori, aliàs ab inferiori pendere, id eſt, cœleſtibus cauſis & impreſſionibus, vel elementariis inquinamentis. Quamuis enim cœlum naturâ ſuâ potiùs beneficum quàm veneficum exiſtimarim: attamen certum eſt & à noſtris authoribus obſeruatum, ſæpe peſtilentiam accidere, nullâ noxâ aut inſigni vitio apparente in hiſce corporibus inferioribus, quæ poſſit eſſe cauſa tanti mali: ſed potiùs certis conſtellationibus & planetarum dominiis, quibus recurrentibus obſeruarunt Aſtrologi magnas clades bellorum, famis, peſtilentiæ, & ſimilium accidere. Siue ergo illud ἐπιγενικῶς fiat tantùm per vim delapſam ab ipſo cœlo, & ipſi aëri communicatam, Deo optimo maximo ita diſponente ad punienda hominum ingratiſſimorum ſcelera: vel potiùs per accidens, propter agitationem variam corporum inferiorum, quæ à ſuperioribus pendent: aut communicationem primarum qualitatum, caloris videlicet nimij aut humoris, quam ſupernæ illæ cauſæ ſuis aſpectibus & luminibus in materiâ hac elementari excitare poſſunt: Certum eſt frequentiſſimè corruptelas haſce aëris pendere à ſublimi illâ mundi parte, quæ etiam mutationes facit, & corruptiones elementorum iſtorum viciſſitudinarias, vt tota hæc moles immenſa, quamuis per partes mutata, tota tamen integraque perſeueret.

Ab inferiori autem radice pendet peſtis, quoties teterrima illa inquinamenta quibus inficitur & corrumpitur, expirarunt primò ab aliis elementis & elementatis. Sic enim obſeruatum eſt, aliquando iſtam luem ex eadem regione communicari: aliàs ex longinquis & remotiſſimis transferri. Ex eadem enim regione communicatur, quoties inſignes terræmotus contingunt, ex quorum vi dehiſcente tellure ventorum teterrimorum in terræ viſceribus concluſorum halitus expirant, & per aërem diſſeminantur: Sic apertis barathris, lacunis, mineris, & ſimilibus locis terræ concluſis, obſeruatum eſt ab hiſtoricis, ſubſecutas eſſe peſtilentias; ex aquis etiam ſtagnantibus, ibique putreſcentibus piſcibus, herbis virulentis, vt cannabe, braſſicâ, & ſimilibus ſæpe totus aër regionis alicuius inficitur. Quemadmodum ex interfectorum hominum, reliquorumque cadauerum inſepultorum multitudine, viſum

eſt ſæpiùs inſignes illas corruptelas exoriri poſt commiſſa ingentia prælia, poſt grauiores pecudum morbos,quæ hinc inde per agros demortuæ ſparguntur. Hinc enim fit plurimùm vt peſtilentiæ humano generi infenſæ, poſt peſtes aliorum animantium graſſentur, vt in hiſce regionibus nuper eſt viſum.

Ad id plurimùm iuuat & diſponit conſtitutio aëris, vt diximus, propria regioni calida humidaque, vt Ægypto, vbi frequentiſſimè peſtis graſſatur; vel priuatio ventorum ſeptemtrionalium ob montes oppoſitos, vt in Sardiniâ: vel certè priuatio ventorum illorum æſtatis tempore, qui eteſiæ ſeu ſcopæ & verricula aëris dicuntur, vt hîc annotat Hippocrates; vel etiam diuturnus circa autumnum & ver, ventorum meridionalium afflatus, qui omnia putreſcere & quaſi colliqueſcere faciunt.

Quòd ſi illa lues non ſit nata in ipsâ regione quam nunc infeſtat, ſed aliunde originem ſuam repetat: quemadmodum ſæpe videmus ortam à meridie poſtem in ſeptemtrionales plagas, ab occidente in orientales velut mortiferam quandam ſagittam penetrare: tunc oportet vel illam labem tantæ eſſe actiuitatis, vt ſe per aëris continuitatem multiplicare poſſit, vel certè ventorum ex illa mundi parte ſpirantium afflatu, illa inquinamenta deriuari: quemadmodum ex Æthiopiâ Romam vſque tranſlata fuiſſe ſuo tempore annotauit Galenus; Vel certè ſi minor ſit peſtilentia, neque ſe propagabunt ſuâ vi per mediam aëris continuitatem, nec ventorum impetu in remotas regiones transferentur, quia in tam longo tractu vel diſperguntur, vel ſuas amittunt vires illa μιάσματα & inquinamenta, ſed communicabuntur per fomites & corpora illa quæ inquinamentis illis imbuta in alias regiones deferuntur:vt ſæpe Venetis ac Maſſilienſibus contigit ob merces ex Alexandriâ vectas.

Quod genus ſeminarij aut propagationis peſtilentiæ, cùm ignotus eſſet antiquioribus, vel certè neglectus, tam magnis calamitatibus & peſtilentiis, quæ ſuo tempore viguerunt, ortum dediſſe credibile eſt: Ex quibus noſtri ſapientiores redditi hodie magnam iſtius fomitis & ſeminarij rationem habere ſolent, nequid vel mercibus vel hominum ex infectâ regione in ſanam transferatur.Ideoque illam particulam noſtræ etiam definitioni addimus.

Verùm dicet aliquis, aëri velut rei communiſſimæ, & valde hominibus reliquiſque animantibus neceſſariæ, iure merito à nobis primariam peſtilentiæ & potentiſſimam adſcribi cauſam: attamen non eſſe ſolam ex ipſomet Hippocrate, qui ſcripſit *lib.de naturâ humanâ*, duas eſſe communiſſimas cauſas ad morbos epidemios inferendos, nempe aërem quem inſpiramus, & diætam ſeu alimenta: Quæ ſi corrupta fuerint, vt ſæpe contingit; vel pauca, vt per ſterilitates illas & cariores annonas, quibus cogitur miſerrima plebecula abſurdiſſimis quibuſque rebus & nocentiſſimis vti ad vitam ſuſtentandam; non eſt dubium quin poſteà communes & lethaliſſimi morbi exoriantur: vnde illud etiam Hippocratis, μὴ λιμὸν ὁ λοιμὸς: Imò etiam ipſemet Galenus videtur ad peſtilentes morbos conſtituendos, aliquando ſolam cacochymiam in corporibus hominum redundantem agnoſcere;vt 3. *de præſag.expulſion.* vocat febres quaſdam λοιμώδεις ἄνευ λοιμοῦ, quia nullum eſt tunc in aëre vitium, ſed potiùs ingens malorum in corporibus ſuccorum prouentus, qui ab aliis cauſis poteſt exoriri.

Ad hoc itaque reſpondemus, aliquando ab Hippocrate, & authoribus noſtris, illud peſtis nomen, ſeu peſtilentium morborum, latiùs extendi ad quoſcunque epidemicos & communes, qui magnam habent ſui propagationem. Vnde Arabes nomine epidemiæ non ſolùm graſſantia exanthemata, morbillos, & ſimilia, ſed etiam peſtem ipſam propriè dictam complexi ſunt: & tunc ſub hac ſignificatione non ſolùm malefica illa aëris labes, ſed etiam praua diæta & cacochymia poſſunt peſtilentes morbos inferre, ita dictos per ſimilitudinem quandam, quam habent cum verâ peſtilentiâ. Vel certè dicamus, malum diætæ vſum aut cacochymiam in regione aliquâ regnantem, primum dare poſſe ortum veræ peſtilentiæ: Vbi enim plura ægrotantium ac morientium corpora tetras ſuas exhalationes diutiùs aëri communicarint, non eſt mirum illis tandem infici, ac deinceps concepto vitio veram excitare peſtilentiam. Aliàs non videtur poſſibile ex cauſis illis duabus, niſi concurſu tandem aëreæ corruptelæ,vitium tam latè patens inferri poſſe: cùm ſterilitates illæ aut cacochymiæ regnantes, vix vnicam regionem tranſcendant. Vnde Gal.optimè vocauit peſtilentes illas febres, per quandam analogiam, ſed ſine peſte, hoc eſt,verâ illâ & communiſſimâ cauſâ,quæ morbos iſtos exitialiſſimos inferre ſolet.

Atque

Digitize

Atque hæc ex parte agentium cauſarum ſeu inducentium peſtilentiam. Ex parte verò ſuſcipientium, ſeu corporis quod ab illis afficitur: multa etiam ſunt, quæ diſponunt & præparant ad peſtem faciliùs ſuſcipiendam: quemadmodum temperamenta hominum humidiora cum quadam caliditate, quæ ideò Συνοδικὰ à Galeno vocantur: & mulierculæ, pueri, aut adoleſcentes, hoc nomine magis diſpoſiti eſſe cenſentur ad peſtem ſuſcipiendam. Quicunque habent rarum, tenuem, & laxum corporis habitum, præcipuè verò cordis ſubſtantiam, ob quam facillimè imprimitur iſta labes: ſic aëris omnes exceſſus calidiores humidioreſque vel inæquales, debilitando corpora & relaxando: Vnde æſtate humidâ aut autumno magis ſæuire ſolet peſtis, quàm hyeme aut vere: ſilente aut plenâ lunâ, propter humorum agitationem, vel caloris imbecillitatem: ingluuies & crapula, vacuationes ordinariæ ſuppreſſæ, dum implent corpus multorum copiâ humorum: vigiliæ immenſæ, exercitationes vehementiores, quia cogunt aërem inſpirare frequentiùs & copioſiùs: animi mollities, & terror, & ſimilia quæ deinceps in prophylaxi dicentur, quibus addere potes morbos alios præcedentes vel præſentes, tam acutos quàm diuturnos, quibus afflicta corpora etiam vim impreſſionis iſtius malignæ faciliùs recipiunt. Vnde obſeruatum eſt apud nos, omnes ferè morbos etiam mitiſſimos, vt tertianas intermittentes, &c. tempore peſtis in malignos illos, lethiferos, & contagioſos conuerti. Atque hæc de cauſis, nunc ad explicationem definitionis propoſitæ redeamus.

Addidimus ergo hanc malignam qualitatem, inferre morbos epidemios, contagioſos, malignos, acutos, & valde lethales: νοσερὰ enim hæc λοιμικὰ, & venenata aëris labes, vt maximè communis eſt & extenſa, ſic etiam inſpirata morbos communes inducit, & in populum graſſantes, qui omnes ſunt illius corruptelæ participes, & vulgò ἐπιδημιοὶ, πάνδημοι, & epidemij vocantur: Sunt etiam contagioſi; nam præter illud aëris vitium, habent hoc etiam proprium, vt ſeipſos propagent, ac aliis communicentur, non ſolùm contactu mathematico corporum, ſed etiam per fomitem, necnon ad diſtans, quæ eſt peſſima conditio morborum contagioſorum. Ac præter illas conditiones vulgò graſſandi, & contagium inferendi, habent etiam illud proprium & quaſi verum potentiæ ſuæ characterem, vt ſint valde exitiales, & multos interficiant; Quia, vt dicebamus ex Hippocrate *lib. περὶ κρίσιμων*, non poteſt humana natura ſuperare τὴν τῆ ὅλῃ νοσερὴν κατάστασιν, id eſt, reſiſtere conſtitutioni illi vniuerſali morboſæ, quæ nos perpetuò afficit. Atque vt hæc meliùs intelligantur, oportet de iſtis morborum appellationibus, epidemicorum, contagioſorum, & lethalium paulò accuratiùs differere. Vide librum noſtrum.

DIFFERENTIÆ PESTIS, ET MORBORVM PESTILENTIVM. Atque hæc de propoſitâ definitione: ex cuius ἐξηγήσει oriuntur illæ vulgares differentiæ peſtis & morborum peſtilentium, quas lubet paucis recenſere.

Ex vario itaque peſtilentiæ ortu, prout aër ab his vel illis cauſis primò fuit infectus, vel certè illa ſeminaria & inquinamenta fuerint in locum aliquem propagata; dicitur peſtis vna à radice ſuperiori, alia à radice inferiori pendere, ſiue hoc ſit ab elementis vel mixtis putrefactis, & vapores ſuos tetros aëreæ ſubſtantiæ communicantibus. Dicitur peſtis primaria, quoties fit immediatè ab ipſo aëris vitio, in hac regione verbi gratia corrupti: vel ſecundaria & tranſlatitia, quoties aër puriſſimus alterius regionis inquinatur per afflatum venti alicuius, qui ex infectâ regione ſpirat: vel certè quando per fomitem, veſtes, corpora humana, & ſimilia defertur.

Ratione autem euentus: peſtis alia multum duratura dicitur, ob diſpoſitiones idoneas, quæ ad illam fouendam diutiùs apparent: alia parum, ex contrariâ ſcilicet ratione. Quædam eſt rediuiua, renaſcens, & ita contumax, vt ne ab aduerſis quidem cauſis, frigore videlicet, vento ſalubri, & ſimilibus omnino diſcutiatur: ſed per aliquot menſes deliteſcens denuò renouetur: alia per ſeipſam definit, & quaſi ſponte. Quædam præterea eſt quaſi vniuerſalis, quia extenditur & propagatur in multas mundi partes. Alia vni tantùm regioni aut oppido infeſta eſt, & non progreditur vlteriùs.

Præterea ratione vehementiæ & actiuitatis ſuæ, alia dicitur magna, vt quando ſummam edit hominum morientium ſtragem: fuerunt enim multæ à veteribus & recentioribus recenſitæ tam atroces peſtilentiæ, quæ vix quartam hominum partem in illis Prouinciis, quas infeſtarunt, ſuperſtitem reliquerunt. Aliæ dicuntur paruæ, non

tantùm

tantùm ratione durationis, vt ſuprà diximus; ſed etiam potentiæ, vt quando pauci ægrotant ex illâ peſtilentiâ,aut certè multi euadunt reſpectu ſuperioris. Et hæ plurimùm peſtes paruæ ortum habuerunt à cauſa particulari, vt fomite tranſlato, vitiatis cibis & ſimilibus, ſine magnâ aut nullâ aëris corruptelâ, quæ poſſet illam ſubitò & multum propagare. Inde etiam dicuntur peſtilentiæ mediocres, quæcunque inter has duas ambigunt,& neque omnino mites, neque etiam ita horridæ ſunt vt ſuperiores,ſed quæ tamen maiorem eorum partem interficiunt, quibus acciderunt.

Quoniam verò diximus,peſtilentiam proprietate quadam & occulto qualitatum diſſidio, animantium generi huic modò magis, quàm illi eſſe infeſtam : hinc fit vt ratione ſubiectorum, quæ primò & præcipuè inuadit, quædam dicatur boûm, porcorum; alia ouium, canum, auium, & ſic de reliquis, quæ ſi longiùs propagentur & durent,poſſunt tandem auctâ illâ corruptelâ aut mutata,humanum genus inficere; quicquid dicat Villanouanus, qui exiſtimauit,hominum peſtem nunquam pecudes inuadere, neque pecudum peſtilentiam homines. Quamuis enim venenum illud pecori infenſum primariò homines non inuadat : fit tamen vt vel propter morientium eiuſmodi animalium multitudinem aër denuò inficiatur:vel certè communicetur idem contagium diuerſis animantibus,atque etiam homini,ſi diutiùs perſeueret,vt ipſa atteſtatur experientia. In humanâ etiam ſpecie reperiuntur peſtes magis pueris infeſtæ quàm viris,vt illa quæ exanthematum multitudine luxuriat;aliæ mulieribus quàm viris, &c.

At verò ratione effectuum,ſeu morborum & ſymptomatum,quæ morbificam illam & deleteriam cauſam conſequuntur,pro vario illius agendi modo & diuerſitate corporum ab eâ correptorum,multæ exoriuntur differentiæ : Quædam enim peſtis ita tenuiter & rapidè defertur ad ipſam cordis ſubſtantiam, vt eam abſque ſenſibili mutatione temperamenti,aut calfactione violet & corrumpat,quemadmodum videmus in multis venenorum ſpeciebus : vnde peſtem ſine febre aliquando ſubſiſtere agnouit Galenus, *comment.5.in 1.de victus ratione in acutis*, omnium perniciosiſſimam,quia homines quaſi inſenſibiliter necat.Imò etiam,vt à nobis in Occitaniâ hac noſtrâ peſtilentiâ ante x i i.annos eſt obſeruatum, ex leuiore corrupti aëris vel contagioſi fomitis impreſſione afficiuntur aliquando multi,ſed ita leuiter, vt inquinamenta illa facilè ſuperata,ſine vllo æſtu cordis,aut febrili incendio, depellantur in emunctoria aut extremas partes ſalutariter : ſic enim vidimus multos bubonibus aut carbunculis affectos, vel etiam papulis & morbillis illis cutaneis infectos, qui tamen non febricitarunt,& leuiter iſtos affectus tulerunt.

Aliàs verò luis iſtius ſeminaria craſſiora lentioraque,non ita rapidè cordis ſubſtantiam & ventriculos inuadere poſſunt : Vnde cor veneno iſto laceſſitum, conatur illud ſummâ humorum ſpirituumque perturbatione depellere, ſicque agitatum febrem atque incendium concipit;quam ego puto ſine putredine vulgari aliquando poſſe ſubſiſtere.Si enim contigerit corpora tunc temporis pura & parum excrementis ſcatentia exiſtere, aut potiùs ſi talis fuerit morbidorum ſeminariorum, & peculiaris in ſpiritus *ἀνθρακώδεα*, illi ſuccenduntur potiſſimùm atque exardeſcunt.Non eſt igitur putandum ideò ſpiritus putreſcere,vt quidam voluerunt:ſufficit enim illos incandeſcere & affici à malignâ illâ labe:vnde ephemera peſtilens ſuſcitatur, quæ die vnâ aut hominem dimittit copioſiſſimis ſudoribus excitatis,aut frequentiſſimè perdit:vt in Belgio & Angliâ hoc noſtro ſæculo contigiſſe notiſſimum eſt.

Si verò malum grauius fuerit,vel certè peculiarem habeat vim, vt fulminis inſtar ſolidiores cordis partes impetat,& illis inhæreſcat, hecticarum peſtilentium ſpecies fit,quam Galenus *lib.1.de differ.febr.& lib.3.de præſag.ex pulſ.*longo ſermone agnouit.

Nec obeſt quod dicit Aponenſis,& alij.Hæc enim febris hectica non eſt poſita in putredine cordis ſubſtantiæ, ſub quâ viuum non poteſt ſubſiſtere animal, ſed calore ac venenatâ qualitate fixa & firma, quæ deleri non poteſt:Deinde quamuis aliæ hecticæ vulgares ſint morbi diuturni & marcorem inducentes : attamen hæc hectica,quia in primo gradu aut initio ſecundi interficit, non ſolet eò vſque deuenire.

Contrà verò corpore cacochymo vel plethorico exiſtente,aut aliàs putredini obnoxio : vel potiùs propter ipſam inquinamentorum *ἀνθρακώδεαν*, tunc corruptela & putrilago humores occupat,lata,profunda & maligna,non certum aut determinatum humorem aggrediens, ſed omnes ſummâ perturbatione,& quaſi æqualiter:quamuis ille qui tunc fortè redundarit, magis peccare videatur : vnde vir experientiſſimus Rhaſius in ſuo de peſtilentiâ tractatu,febres iſtas peſtilentes,ad ſynochos,eaſque acmaſticas referre auſus eſt,quia deprehenderat communem hanc cauſam humores,id

eſt,

est, totam illam massam sanguinariam conturbare & putrefacere indiscriminatim. Rhasio maximè fauet Hippocrates noster in hisce descriptionibus febrium & morborum pestilentium, quos omnes summæ putrilagini, & quasi sphacelismo partium coniunctos fuisse annotauit.

Quamuis igitur Galenus, *lib. 1. de differ. febr.* videatur omnes pestilentes putridas appellasse, & vulgò illud rectè dicatur, *τὸ θερμὸν ζωποιητικὸν*, vel *τὸ θερμὸν πολέμιον τοῦ ἐμφύτου ζωποιητικοῦ*, esse vnicum pestilentiæ parentem: attamen hoc ita intelligendum est, vt fateamur raras esse sine febre pestilentias, raras febres spirituosas sine putredine, aut hecticas pestilentes: dari tamen posse aliquando, vt ex superioribus exemplis & rationibus conuincitur.

Vtrùm autem inter putredinosas pestilentes, quædam interpolatæ seu intermittentes aliquando contingere possint, dubitatur.

Atque hæ sunt differentiæ pestis, ratione febrium quas excitare solent: Ratione etiam symptomatum propè infinitorum, quæ illam & febres istas comitari aut consequi visuntur: innumeræ etiam differentiæ exoriuntur: Aliæ enim magis ad comatosos affectus, aliæ ad phreniticos accedunt, quemadmodum vomitus & diarrhœas, aliaque vacuationum genera. Aliæ suppressiones summas earumdem excitant pro vario motu naturæ & humorum impulsu. Vnde quibusdam vrinæ perturbatæ, & iumentorum vrinis simillimæ visuntur: in aliis coctæ, probè coloratæ, & sanis simillimæ, quãdo natura nihil audet aggredi aduersùs infensissimum & potentissimum hũc hostem, neque vllum reactionis suæ fulgorem in pulsu facit apparere. Sed præcipua ratione symptomatum in peste differentia petitur ex papulis & tuberculis exorientibus per hosce affectus. Papulæ enim illæ minimæ & vix cutem attollentes, purpura & morbilli vulgò appellantur: paulò maiores, ecthymata & rosaria vocantur, quæ pro varietate colorum, pallidæ, rubræ, virides, liuidæ aut nigræ visuntur, eæque raræ ac dispersæ, vel frequentes & collectæ, perpetuò apparentes etiam in demortuis: quibus aliquando exoriri post lethum visæ sunt; vel mox delitescentes & incentratæ.

Tubercula autem siue tumores duorum sunt generum, nempe Carbunculi & Bubones. Carbunculi seu anthraces quamcunque inuadunt corporis partem. Bubones autem, (quos pestem peculiariter vocari à populo diximus) sub axillis & inguinibus, & iuxta aures erumpunt, prout materia illa venenata magis impetit cordis, cerebri, vel hepatis substantiam. In quibus neque papulæ, neque tubercula exoriuntur, fit aliquando decubitus in extremas partes, vt annotat Hippocrates in hac *κατακλίσει*, & Galenus *lib. 3. de vsu part.* quæ putrefactæ & gangrænâ affectæ decidunt. Atque hæ sunt præcipuè pestis differentiæ, & explicatio contextus Hippocratis.

RELIQVA DESIDERANTVR; *non sine culpâ Studiosorum, & magnâ rei Medicæ iacturâ. Nisi enim* Varandæus *tunc temporis interpellatus, aliam materiam quam ij poposcerant, prælegisset, vtique reliquum tractatum de Peste numeris omnibus absolutum, addidisset: vtilissimum quidem, & eò magis necessarium, quòd in eâ luc dignoscendâ, præcauendâ, & profligandâ, eiusdemque μιάσματα extinguendis & auerruncandis, plerique hodie grauiter hallucinentur. Ne autem reliquum huiusce pagina vacaret, libuit hìc paucis describere feralem ac planè barbarum veterum quorumdam ritum ac modum expurgandi eas ciuitates quæ Peste infestabantur.*

Moris fuit antiquissimi, cum ciuitas aliqua fame, aut pestilentiâ, aut aliquâ enormi calamitate laboraret, disquirere hominem in eâ turpissimum, quem Catharmum, & Pharmacum appellabant; eúmque ad locum quemdam sacrificio illi constitutum deducebant, manu tenentem caseum cum placentâ, & siccas ficus; quem postmodum septies caprifico, & agresti scyllâ, aliisque virgultis syluestribus, partes pudendas verberatum, scrobe eo loci factâ, lignis syluestribus comburebant, confectumque cinerem, pro vrbis illius expurgatione, & piaculo, in mare proiiciebant. Moris huius meminit Lycophron de Locride, necnon Hipponax in Iambis suis, aliquot locis, vt author est Cecis.

IOANNIS

IOANNIS VARANDÆI

EXPLICATIO LIBRI HIPPOCRATIS
ΠΕΡΙ ΠΑΘΩΝ.

DE GRAVISSIMIS MORBIS.

PRÆFATIO.

PROFVNDVM Medicinæ pelagus ingressi sumus, (Auditores ornatissimi) quum librum Hippocratis περὶ παθῶν, *vestris suasionibus optationibusque explicandum suscepimus. In quo dubium est magisne nominis Hippocratici authoritate, an dictorum profunditate, difficultate, utilitateque vrgeamur. Cùm enim certissimum sit Hippocratem Medicorum coryphæum artem nostram ex paruis & ἰδιωτικοῖς (quæ erat communis illa, & minimè ad propria peculiariaque perueniens, omnibus hominibus, aut saltem Asclepiadeis, & confusa Medicinæ cognitio) ad magna & τεχνικὰ euexisse: votumque quod sibi libro de arte proposuerat, absoluisse, τὰ μὴ ἐυρήμενα ἐυρεῖσθαι, καὶ τὸ τὰ ἡμίεργα εἰς τέλος ἐξεργάζεσθαι, inuenire quæ non erant inuenta, & semiperfecta ad optatissimum finem perducere: Sic etiam certum est, vt ex frequentibus fidem faciemus, nullum esse ex libris Hippocratis, qui ad nos peruenerunt, libro huic περὶ παθῶν comparandum, si artis summam spectes, ex quâ frugem maximam auditori reportare liceat.*

Explicuit Hippocrates, literisque felicissimè mandauit, quæ ad omnes Medicinæ partes illustrandas faciebant, Physiologiam scilicet, Pathologiam, Σημειολογίαν, Τεκμηρίων, ac Therapeuticen: idque modò concisis admodum contractisque sententiis quasi oracularibus responsis Aphoristicos agens: modò historias Medicas, longamque morborum & ægrorum, in eisque mutationum, quasi periculosissimæ peregrinationis successus contexens: aliàs verò methodicè & demonstratiuè, quatenus id Medicæ rei certitudo patitur, diuinam hanc artem pertractans, & à primis veriſque tam sensui quàm intellectui notis perdocens, siue resoluendo, siue componendo procedat, vt nos olim de methodo Hippocraticâ differentes probauimus.

At nullibi est, vbi ille tam eleganter totam artis vim in vnum contulerit, vbi particularem diagnosin & prognosin, peculiari therapeiæ coniunxerit, vbi tam elegantem obseruauerit methodum in pertractandis particularibus corporis nostri affectibus, non leuissimis, sed omnium perniciosissimis ac maximè Medicam curam exposcentibus, quod nos posteà sumus ob oculos proposituri. Cumque liber hic ad varias Medicinæ partes, easque præcipuas pertinere videatur; sic nobis amplissimam patere ad Medicinam pertractandam, sub Hippocraticis vexillis, aciem, sub quibus hìc tantùm militare licet: Non enim Galeni commentantis in hoc libro sententiam explorare, non aliorum interpretum opem implorare datur, sed id totum ex ipso Hippocrate repetendum & ex secretioribus illius scriptis, genuinaque lectione depromendum.

Librum autem hunc Hippocratis illius Coi esse, quem Aurelianus miraculum Medicum

dicum appellat, quanquam Galenus ad Polybum eius discipulum referre videatur, ego tam locutione quam re motus credere cogor: λέξιν quidem & dicendi charactere, quia vt Græca scientibus satis patere poterit, hic Φράσιν Ionicarum & Doricarum frequentia, vocabulorúmque Hippocrati in aliis libris genuinis assuetorum similitudo facilè conuincit, ab ipso esse Hippocrate (eóque seniore post multos alios) conscriptum. Scimus enim eiusdem authoris non semper eundem esse stylum, vt nec etiam Hippocratis, quod eleganter annotauit Soranus: Nunc enim pleno velut alueo exundat, nunc leuiter decurrit, nunc occultos quasi sinus subit, nunc iuuenis ætatis vigor, nunc consistentis splendor, & decrescentis grauitas apparet, nunc sublimior, nunc remissior: At nunquam ita demissus, vt Medici styli dignitatem amittat, quam maximè hîc retinuit, vt nos in progressu libri, omnibus planum faciemus.

Si rem verò spectes, hoc est, materiam tractandam, & Τάξιν, dispositionem scilicet ac ordinem dicendorum, procul dubio Hippocratem, non ex vnguibus, quod aiunt, sed ex merâ doctrinâ, tractandique modo agnosces, vt dum partes istius libri posteà proponemus, clarum fiet: Nunc verò ea quæ Hippocrati vult maximè esse propria Galenus in hoc opere annotemus. Ex paucis, *inquit ille*, multa significare: ea quæ iam sunt nota aut alibi demonstrata omittere, ac veluti præsupponere. Denique grauissimis quibusdam sententiis dicta sua demonstratiua intermiscere. *Quæ omnia hîc elegantissimè Hippocrates est exequutus. Cùm enim illi esset hoc libro propositum de grauissimis affectibus tam internis, quàm externis, qui omnes corporis nostri partes miserrimè excruciant, disserere, eâ ratione vt eorum διάγνωσιν & θεραπείαν traderet; Diagnosin quidem exhibitâ morbi descriptione, causis peculiaribus, signisque tum diagnosticis tum prognosticis: Therapeian verò ex triplici instrumento Medico, Pharmaceutico, Chirurgico, Dietetico; ita rem istam exequitur, vt primùm ex paucissimis propositis, omnia & ferè infinita Medica præcepta complectatur, vt nihil eorum, quæ in aliis libris dicta sunt, repetat, sed ad libros illos familiariores remittat. Denique grauissimas in hoc libro sententias & aphorismos reperire est, (Auditores ornatissimi) quibus Hippocrates noster veluti micantibus quibusdam stellis huic suæ tractationi ornamentum addidit, & vt illi hæc tribuatur fœtura iure merito effecit.*

Est igitur partus hic Hippocraticus, (Auditores ornatissimi,) quem nos obstetricio quasi munere perfungentes, sumus in propatulum, & lucem edituri, quam adhuc à nullo alio, quod sciam, accepit, eámque non ex propriis nostris laribus obscurissimis medius fidius, sed ex Hippocrate ipso repetemus, vt Hippocratem illustrare possimus. Atque vt Lucretij lib. 3. *verbis vtar,*

Te sequor, ô Graïæ gentis decus, inque tuis nunc
Fixa pedum pono pressis vestigia signis.
Tu pater es, rerum inuentor, tu patria nobis
Suppeditas præcepta, tuísque ex inclyte chartis,
Floriferis vt apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea perpetuâ semper dignissima vitâ.

Quod vt facilius præstare possimus, & προλεγόμενα in hunc librum necessaria absoluamus, dicemus hac lectione, de libri huius titulo, partibus, & de nostro in explicatione illius instituto.

ΠΕΡΙ ΠΑΘΩΝ.

INSCRIPSIT Hippocrates librum hunc περὶ παθῶν, *quem nos legitimum titulum esse existimamus, non immutatum aut aliis substitutum, vt plerisque libris contigit, quod factum est à Capitone & Dioscoride. Cùm enim tituli sint veluti breues quædam summa eorum, quæ ab authore in libris proponuntur, quibus maximè institutum suum patefaciunt: sic putamus Hippocratem hoc nomine* παθῶν, *aptissimè & materiam quam tractandam susceperat, & intentum suum patefecisse. Est alius liber Hippocraticus qui hunc sequitur,* περὶ ἐντὸς παθῶν *inscriptus, quasi dicas,* de internis affectionibus. *Est & alius qui hunc præcedit,* περὶ νούσων, de morbis *dictus, vbi Hippocrates omnigenas morborum ideas persequitur. At in hoc libro, vbi Hippocrates summâ methodo erat propositurus passiones omnes, quæ corpori nostro non tantùm in internis, sed externis partibus contingunt, cum peculiari therapeiâ, quæ magnitudini affectus respondeat, videtur optimè librum hunc* περὶ παθῶν, de morbis grauissimis *inscripsisse: illud nomen* πάθος *secundùm antiquam, non nouam significationem vsurpans, quæ idcirco nobis est explananda, vt res hæc fiat planior.*

Notandum autem in primis, in perscrutandis nominum significationibus, aliud esse siquis quosuis authores consulat, aut si Medicos tantùm, eósque probatissimos. Fit enim sæpissimè, vt in arte aliquâ peculiarem certa nomina sortiantur significationem, quæ apud alios minimè sit vsitata: Vnde non immeritò multi putant, eum iam profecisse in arte, qui illius vocabula & proprios terminos intelligere ac distinguere potest.

Πάθος *enim nomen apud authores Græcos dicebatur de omni motu passiuo, qui ab altero in alterum fiebat, etiam naturaliter sese habente, siue esset in loco, substantiâ, qualitate, aut quantitate, vt fusissimis & disertissimis verbis explicat Galenus* lib. 2. meth. *quando docet differentiam inter* πάθος *&* διάθεσιν, *à neotericis Medicis inuectam. Sic Plato ipsas sensuum alterationes,* πάθη, *hoc est, passiones appellat: Sic Medici pathemata animi, Euclides* τὰ τῆς Σελήνης πάθη, *Lunæ passiones vocauit.*

Ex hoc significato apud Græcos omnes vsitato, factum est vt iuniores Medici, translato hoc nomine in ciuitatem Medicam, illius significationem ad solum eum motum qui in corporibus nostris fit passiuum, vel potiùs passionem quæ ad causæ morbificæ agentis ἐνέργειαν *& effectionem sequitur, contraxerint. Sic Herophilus, qui primus Medicinam in certam methodum reuocasse videtur, & ex quo Galenus optima quæque ad definitiuam methodum in suam illam artem paruam transcripsit, diuino præditus ingenio, (vt ego coniicio ex variis contextibus illius à Galeno relatis) contemplatus ea quæ in corporibus nostris contingunt præter naturæ illius particularis institutum, primus quinque illa in Pathologiam Medicam inuexit vocabula, & propria fecit Medicis,* αἴτιον, ἐνέργειαν, πάθος, διάθεσιν ἢ νόσον, καὶ σύμπτωμα, *causam scilicet, actionem, passionem, affectionem seu morbum, & symptoma: Quæ quamuis omnes in hoc communi conueniant, vt qualitates existant, differunt tamen in dispositione & habitu, passione ac patibili qualitate.*

Cùm itaque Græcis authoribus πάθος *motum designet, qui ex eorum numero est quorum esse non est absolutum, sed in alteratione ac mutatione, quasi dicas* ἐν τῷ γίνεσθαι, *in fieri positum: aptissimè videtur Herophilus nomen hoc in Medicinam transferens, aptasse passionibus leuioribúsque affectionibus, quibus quotidie corpus nostrum externis interníque causis agentibus subiicitur: distinxítque* πάθος *propriè sumptum à* νόσῳ, *id est, morbo, vt motum à fine & termino motus.*

motùs. Quamuis enim corpus noſtrum perpetuis illis paſſionibus impetatur, non tamen perpetuò morbo laborat, ſed habet prænias iſtas paſſiones, quæ ſi ex virtute, actione, ac ἐνεργείᾳ cauſæ efficientis, aut diſpoſitione patientis, impreſſionem quaſi veſtigium faciant, & in μονιχὸν affectum per ſe ſubſiſtentem degenerent, tunc fiunt morbi: ad quos ut proprias cauſas multa variáque ſymptomatum genera conſequuntur: Reliqua 4. nomina ſuis locis & peculiaribus tractatibus explicabuntur.

Atque hæc fuit τῦ πάθους ſignificatio, ut deſignaret ἔυλυτόν τι ἢ ἐυκίνητον, quid facilè ſolubile & mobile morbum præcedens, poſt Herophili doctrinam, quam Galenus cæterique poſteriores Medici ſunt amplexati. At ſi Hippocraticos conſulas libros, diligentérque euoluas, ut nobis quondam otio Nemauſenſi fruentibus licuit, inuenies tria ſignificare. Aliquando πάθη ſiue παθήματα apud Hippocratem eſſe ea quæ morbis accidunt, velut accidentia propria, attributiones, & affectiones quaſdam, quæ Galenus lib. 12. de loc. aff. *conſtituit quintum ſignorum fontem ad dignoſcendam ſedem affectam & affectum, ut* lib. 1. Epidem. Sunt, *inquit ille,* febribus ardentibus ſua pathemata: & lib. 2. Anginâ laborantibus talia accidebant pathemata. *Frequentiùs autem apud Hippocratem πάθος ſiue πάθημα generaliore ſignificato quæcunque præter naturam corporibus noſtris contingunt, ſiue paſſiones ſint proprie ſumptæ, ſiue actiones cauſæ, ſiue morbi, ſiue ſymptomata deſignat, ut annotat Galenus* comment. 1. in lib. 1. Epidem. & 3. de præſag. ex pulſ. *Ego etiam religioſiùs Hippocratis oracula olim reuoluens, obſeruaui quandoque eum promiſcuè nominibus νοσημάτων, ἀλγημάτων, παθημάτων, συμπτωμάτων, item νόσε, λύπης, πόνε, πάθους, συμπτώσεως ut ſic quandoque eum rebus differentibus tribuere nomina differentia. Itaque affectio quælibet, quatenus corpori præter naturam ineſt, πάθος affectus illi dicitur: quatenus verò intellectu comprehenditur, & veluti abſtrahitur, πάθημα, affectio appellatur: ut hæc duo ſint veluti genera ad alia omnia. Si enim ſit affectio illa morbis actu inhærens, νόσος dicitur: cuius abſtracta conſideratio, vel ſaltem impreſſio in corpus facta, νόσημα conſtituit. Si ſit accidens morboſum, actu inhærens, σύμπτωσις, ut* comment. de humoribus, *appellatur. Si ratione abſtractum & conſideratum, σύμπτωμα vocatur. Hoc ſi ſit læſio ſecundùm actiones, Hippocrati dicitur πόνος labor, ἀῤῥώστημα infirmitas; ſecundùm paſſiones, λύπη triſtitia, & ἄλγημα dolor. Sed hoc, eſt ſubtiliùs doctrinæ Hippocraticæ vocabula conſectari, quæ quamuis hominibus Hippocratis amore perculſis gratæ eſſe poſſint, aliorum tamen animis non ita fortaſſis arridebunt. Satis hoc ſit ſcire, frequentiſſimè apud Hippocratem, τὰ πάθη ſignificare omnes affectus præter naturam, & eſſe genus ad alia præternaturalia.*

At aliis locis libríſque maximè genuinis, πάθος nomen, ut etiam in huiuſce noſtri libri titulo, deſignat morbos eóſque grauiſſimos tam acutos quàm diuturnos, maximè ſub Medici curam & cognitionem venientes, ut patet ex Aphor. 4. ſect. 1. *vbi vult Hippocrates, victum tenuem & exquiſitum periculoſum eſſe in longis & acutis πάθεσιν, ſi non conueniat, quæ ſunt grauiſſimi & exitioſiſſimi morbi.* Aphor. 24. lib. eiuſd. *vbi acutos morbos vocat ὀξέα πάθη, &* 28. ſect. 3. *aliíſque plurimis locis, quæ non lubet nunc recenſere: Vt cùm hoc libro Hippocrates de grauiſſimis atque exitioſiſſimis affectibus, eorúmque aptiſſimâ curatione eſſet acturus, aptiſsimè librum hunc, iuxta aſſuetam ſibi ſignificationem περὶ παθῶν inſcripſit. Quæ etiam Galeno non eſt inſueta, ut videre eſt* cap. 88. artis paruæ.

Atque hæc de libri titulo ſufficiant. Quod verò ad ταξιν & diſpoſitionem illius attinet, vtitur hîc Hippocrates ratione eâ & methodo, quam omnes deinceps in morborum tractatione ſequuti ſunt, ſecundùm ſcilicet partium & ſubiecti morbifici conſtitutionem, ut ex partibus huius libri propoſitis patebit.

Hic enim liber diuiditur, vt & reliqui omnes, in προλεγομενον & λογον: προλεγομενον quidem est ἀσκησις, ab eo quod tractandum est desumptum, quasi habitâ ad omnes cohortatione, vt sanitatem rem tanti pretij diligenter conseruent, quæ facilè à tantis causis, támque grauissimis morborum generibus deinceps ab illo tractandis impetitur ac violatur. Λόγος verò seu tractatio huius libri, tota à nobis in sex partes, facilioris doctrinæ causâ, distinguetur, quarum talis est œconomia.

In primâ Hippocrates exorsurus morborum grauissimorum descriptionem, & curationem, primò motus axiomate illo Philosophico, nihil sine causa fieri, proponit causarum morbos istos generantium naturam ac numerum effectúsque varios. In secundâ parte iam ad rem ipsam aggreditur & affectus qui in toto capite consistunt grauissimos explicat, cerebri scilicet, auium, faucium, gingiuarum, linguæ, vuluæ, dentium, narium: exceptis oculorum affectibus, quos ob multitudinem in peculiarem tractatum remittit, vbi ait, ταῦτα ἰδίως γεγράψεται. Atque hæc est superior corporis nostri regio, quâ perlustratâ secundam aggreditur in tertiâ operis istius parte, thoracis nimirum partiúmque contentarum affectus, pleuritidem, peripneumoniam, phrenitidem, causum siue febrem ardentem, vbi sumptâ occasione omnium febrium historiam absoluit, & dolores alios, qui eiusmodi partes occupant, præcipuè æstatis tempore. Quo peracto in quartâ parte, ventris inferioris præcipuos morbos persequitur, & artuum seu extremitatum corporis, qui potissimùm interiores sunt: leucophlegmatiam, lienis magnitudinem, ileon, hydropas, dysenteriam, lienteriam, diarrhœam, tenesmum, choleram, stranguriam, sub quâ omnes vesicæ affectus complectitur: Denique ischiada, arthritidem, podagram, ictterum. Qui omnes morbi, eorúmque causæ in profundo corporis latent. Relinquit autem mulierum morbos, quia de eis seorsim scripsit, libris qui ad nos vsque peruenerunt. Vnde facilè coniicies, hunc librum esse genuinum. At ne quid in hoc libro intactum relinqueret Hippocrates post grauissimos illos affectus internos, subiungit in quintâ parte externos, tumores scilicet contra naturam, & tubercula, lepram, pruritum, psoram, lichenem, alphum, fauum, strumam, panos, furunculos, carbones: Mox agit de vulneratis, sub quibus vulnera, vlcera, fracturas, luxationes complectitur, de eorum regimine & propriis remediis.

Sed cùm dieta ratio congrua, maxima sit ad tanta morborum monstra debellanda, & efficacissima therapeutica pars, eam explicandam suscipit, vltimâ huius libri parte, quæ omnium est longissima. Non enim solùm in genere secundùm naturam diuersorum affectuum, & alimentorum, sed etiam in specie multa alimentorum genera persequitur, quæ tunc in vsum ægrorum potissimùm veniebant. Huic tractationi interim multos Aphorismos, eósque elegantissimos permiscet, dierum criticorum meminit, & insignia proponit remedia, tam Chirurgica quàm Pharmaceutica, vulgaria & omnibus nota omittens, aut ad libros pharmaceuticos à se conscriptos auditorem remittens.

Atque hæc est huius libri œconomia, tractandique modus Hippocraticus, ex quo patet quàm ampla hîc contineatur supellex Medica, quam exornandam poliendámque suscepimus. Hîc est certissima diagnosis grauissimorum affectuum, prognosis admiranda & parum aliis vsitata, therapeia denique non vulgaris, sed exquisitissima, maximéque affectui accommodata, ex triplici instrumento Medico, chirurgico, scilicet, dietetico, & pharmaceutico. Nostrum autem propositum est præcipuum, vt Pathologiam explicemus, quæ est pars Medicinæ nostræ difficillima & vtilissima. Quæ generatim primò morbum, morbi causam, & symptomata definit, diuidit, & differentias assignat, & speciatim omnes corporis nostri morbos à capite ad calcem internos & externos explicat, adhibitâ cuiusque notatione, descriptione,

Digitized b

ſcriptione, aſſignatis cauſis, prolatiſque ſignis tam diagnoſticis quàm prognoſticis: vt hanc tractationem ſequatur ſtatim medicatio, therapeia artificiosè ex indicationibus deſumpta.

Nos itaque qui frugem hinc referre cupimus vberrimam, propoſitâ nobis Fernelianâ methodo, quia in omnium eſt nunc manibus, totam Pathologiam explicabimus, relictâ Σημειωτικῇ, quam Fernelius permiſcuit non ſatis apte, & nos eam in ſequentem annum meditamur. Idque prælio ſemper Hippocratis lumine, cuius contextus & authoritates frequentiſſimè adducemus, vt his quaſi fomentis generoſos veſtros animos ad multò meliora cogitanda olim excitemus. Nec negligemus quæ à Galeno, aliiſque antiquis & recentioribus Medicis in hanc rem commodè dicta, & eleganter ſcriptis tradita ſunt: vt cogitationes noſtræ poſteriores, aliquid lucis prioribus adferre poſſint.

Atque hæc in operis iſtius introitu, quaſi ſacrarij Medici limine, præfari lubuit: cras ad rem ipſam veniemus. Dixi.

CONTEXTVS HIPPOCRATIS.

ΑΝΔΡΑ χρὴ ὅστις ὀρθῶς συνετὸς λογιζόμενος, ὅτι τοῖσιν ἀνθρώποισι πολλῷ ἄξιον ὑγιείη, ἐπιμέλειαν ἔσεσθαι τῆς ἰδιωτικῆς γνώμης ἐν τῇσι νούσοισιν ὠφελίμου. & quæ ſequuntur.

PORTET virum quicunque prudentior eſt, cogitantem quòd multi facienda eſt hominibus ſanitas, quomodo ſibi ipſi ex propriâ intelligentiâ in morbis prodeſſe poſſit. Ita vt cognoſcat & diiudicare poſſit ea quæ à Medicis proferuntur, ſuóque exhibentur corpori. Cognoſcere inquam, quatenus homini Medicinæ imperito licet. Qui verò perfectè volet cognoſcere, is ſciens ac meditans, quæ à me hîc dicentur, poterit illud aſſequi.

HOc eſt proœmium huius libri elegantiſſimum, in quo Hippocrates auditores præparat ad attentionem ex rei vtilitate & commoditate. Si enim ſanitas tanti res eſt pretij, vt reliquis tam corporis quàm fortunæ bonis meritò præferri debeat, conſentaneum videtur, vt vnuſquiſque etiam extra Medicinæ profeſſionem poſitus, huic rei plurimum curæ & ſtudij adhibeat, quo poſſit ingruentes iſtos affectus, ſanitatíque ruinam inferentes arcere, naturalíque ſolertiâ euitare. Ac etiam ſi Philoſophiæ operam dederit, poſſit de eis iudicare, quæ à Medicis ad ſanitatis conſeruationem, morborúmque curationem proferuntur. Hinc Heraclitus hydrope aſcite laborans, conuocatos ad ſe Medicos, nihílque de morbi naturâ & cauſis diſſerentes, reiecit; cùm ab eis quæſiuiſſet, *an ex vdo ſudum facere poſſent*, neque illi quidquam reſpondiſſent, aut de cauſis naturáque morbi diſſeruiſſent. Sic diuinus Ariſtoteles Medicum curaturum & ad remedia feſtinantem retinuiſſe dicitur, vulgato illo dicto, *Ne me velut ruſticum tractes.* Atque vtinam tales haberemus ægros, qui poſſent Medicos togâ tenùs perſonatos à peritis dignoſcere, nec liceret cuilibet illotis manibus ad diuinam hanc artem conuolare: cui ſanitas humani generis pro ſcopo & fine eſt propoſita: Sanitas, inquam, quæ ab antiquis in publicis conuentibus & conuiuiis proclamari erat ſolita: in quâ omnem vitæ iſtius dulcedinem poſitam eſſe arbitrabantur: Philemon ὑγιείαν πρῶτον exoptat, Pindarus ſanum ſi diuitias cum bonâ famâ, εὐλογίᾳ mediocres habeat, Deo immortali comparat. Socrates Æſculapio gallum album ante mortem ſacrificauit ob ſanitatem integram quâ erat in vitâ vſus. Pyrrhus etiam Rex Epirotarum, vir poſt Alexandrum in re caſtrenſi nulli ſecundus, qui multas fortunæ viciſſitudines

Digitized by Google

expertus eſt, quum diis vota faciebat, aut victimas immolabat, nunquam aut victoriam, aut regni incrementa, aut gloriam, aut opes rogauit, ſed firmam tantùm ac perpetuam valetudinem. Cætera enim omnia facilia atque expedita ſibi fore putabat, dum hac conſtanter frueretur. Hac verò depulsâ, dura ac difficilia omnia exiſtimabat. Vnde Hippocrates *in Medico*, εὐχρηστοτέρῳ & elegantiore requirit duplicem ſanitatem, vt ſcilicet ſit ὑγιαρκὴς γνώμης, καὶ ὑγιαίνοντος σώματος, ſine quâ vix munia ad communem hominum ſanitatem tuendam exercere poteſt. Imo Hippocrati ipſi *lib. 3. de diætâ*, neque diuitiarum, neque corporeæ formæ, nec alterius vllius rei vlla eſt vtilitas citra ſanitatem.

Verumenimverò non ſatis eſſe videtur, ſi ſanitatem vobis tanquam πάνυ ἄξιόν τι, Hippocratis verbis commendemus, quæ ab omnibus hominibus & precе & pretio exoptatur, niſi de ſanitate hîc diſſeramus, ex Hippocratis, Galeni, aliorumque ſententiâ, vt ſanitatis naturâ cognitâ, quaſi contrarij appoſitione, morbus reliquæque affectiones præter naturam meliùs eluceſcant: tum de eo quod eſt ſecundùm, præter, & contra naturam, ac de ſtatu ſalubri, inſalubri, & neutro, quia hæc omnia ad morbi, cauſarum morbificarum, & ſymptomatum cognitionem maximè faciunt. **. Reliqua deſunt.

A01 1461071

INDEX

INDEX
RERVM, ET VERBORVM.

A

ABORSVS varia nomina 601. quid ſit ibid. & 818. cauſæ ibid. & 812. diagnoſis 604. prognoſis 605. curatio ſeu prophylaxis 605.

Abſio à totâ ſubſtantiâ quid ſit cxxv.

Actionibus partium principum læſis, eas læſas eſſe neceſſe eſt 302

Actio læſa eſt primum ſymptomatum genus clv. quot modis lædatur clvj.

Actionum abolitio, imminutio, & depravatio à quibus fiat clviij.

Actu aut poteſtate eſſe xxviij.

Acutus morbus quid cxlij. eius ſigna clxxvij. & clxxviij. & 289.

Adeps xliij.

Adſtrictio nimia quid 89. à quibus cauſis fiat ibid. quomodo curanda 91.

Ægyptius quidam immortalitatem pollicebatur 16.

Æqualis morbus quid cxl. & 287.

Aer & eius qualitates xv.

Aëris conſtitutio quid faciat ad prognoſim ccxxiv. noſter purus non eſt 12. eius ſubtilitas ibid. neceſſitas ibid. impuritas 13. craſſities ibid. tenuitas ibid. facile omnium qualitatum redditur particeps ibid.

Aër ſerotinus quare noxius ibid. ſecundum tempeſtates & regiones & ventos varius ibid. & 24. eius quantitas ibid.

Aëris temperati ſigna ex Galeno 44.

Æſtatis temperies 743. cur calida & ſicca ibid. quos producit morbos ibid.

Ætatum temperamenta xxviij. & 702.

Ætas quid xxix. & 700. eius diviſiones ibid & xxx.

Ætas vnde dicta 700

Ætatum differentiæ vix determinari poſſunt ibid. ſeptem faciunt Iuriſperiti 701. quatuor Pythagoras ibid. duas Plato ibid. ſeptem Aſtrologi 702. ſex Galenus ibid.

Affectus quicunque operationes lædens morbus non eſt cx.

Affectus ſuperioris animæ in liberos per traducem non tranſeunt cxliv.

Alimenta quid in prognoſi valeant ccxxv.

Alimenti nomen homonymum eſt 25. eorum ſubſtantia ad tria refertur ibid. ἐνώσιμα & δύσπεπτα, καθαρμὰ & ἰχῶρια, πολύτροφα & ὀλιγότροφα quæ ibid & 26. debent viuentia fuiſſe ibid. firmiſſima quæ ibid. infirma quæ ibid. media quæ ibid.

Alimentum quid propriè Hippocrati ibid.

Alimentorum qualitas ibid. quid poſſit 27 quantitas quæ eſſe debeat ibid.

Alimentorum ordo ibid. varietas ibid.

Alimentum quid 726. duplex eſt ibid. quomodo alat ibid. huic contrarium venenum ibid.

Alteratio Medica quid 82. nudis qualitatibus vt fieri poſſet eſſet optandum ibid. quid circa eam conſiderandum ibid.

Aluus ſuppreſſa. Vide ſuppreſſa aluus.

Amazones cur dextram ſibi mammam adurebant 636.

Amoris effectus 38

Anacreon Philoſophus præ corporis gracilitate ſoleas ferreas geſtare cogebatur cxxxj.

Analogiſmo quando vti debeat Medicus 32.

Anaſarca Vide *Hydrops*.

Angina quid 810. eius ſpecies ibid. cauſæ 811. ibid. ſigna ibid. prognoſis ibid.

Animæ humanæ dotes 14. omnium actionum author ibid.

Animalia quædam cur diu inediam tolerent 169.

Annus climactericus quid xxxj.

Annus quid & eius partes xxxv.

Anni variæ acceptiones 736. quid ſit ibid. eius partes ſecundum Aſtronomos & Medicos ibid.

Anorexia varia nomina 168. quid ſit ibid. cauſæ 169. & ſeq. eius diagnoſis 170. & ſeq. prognoſis 171. curatio anorexiæ ab intemperie calida ſtomachi 172 curatio anorexiæ ab intemperie frigida ſtomachi 174.

Antecedens cauſa morbi cl.

Ἀντιπάθεια quid cxcj.

Antiquorum circa rerum principia error 686. & ſeq. Item circa numerum humorum 691

Apepſia quid 190. Vide *Dyſpepſia*.

Aporia quid denotet cxcix in ebriis quando mala 771. quomodo ebriis contingat 778.

Aphoriſmorum Hippocrat. encomium 749

Aphoriſmi nomen vnde 750. quid ſit 751. eorum commentatores 753

Ἀφωνία quid 168. quid differat ab anorexia ibid. iis contingit quibus ſplen obduruit 170.

Appetitiua facultas lxxxiv. & lxxxv.

Appetitus duplex 38. concupiſcibilis paſſiones ibid. iraſcibilis ibid.

Appetitus animalis in orificio ſuperiore ventriculi ſedet 168. quæ ſint huic excitando neceſſaria 169.

Appetitus imminutio 168.

Appetitus depravatio 176. & 181.

Appetitus duplex, vnus ad ſolida, alter ad liquida 185.

Argenterij opinio de ſymptomatum generibus refutatur clvij.

Argumenta

Digitized by Google

Index Rerum,

Argumenta Fernelij pro morbis materiæ & formæ, & eorum ſolutiones cxxij. & ſeq.
Argumentationis duplex genus 699
Ariſtoteles cur Theophraſtum Lesbium ſucceſſorem ſcholæ ſuæ deſignarit 2.
Ariſtotelis egregium dictum 833
Arteria xliij.
Artes actiuæ & factiuæ quæ cxiv.
Ars coquinaria cur conſtituta 27.
Artium & ſcientiarum primi cultores 786.
Aſcites Vide *Hydrops.*
Aſclepiada Medici iij.
Aſperitas nimia quid 92. à quibus fiat ibid. quomodo curetur ibid.
Aſſumendorum differentiæ 726.
Athenienſis vetula cicutam innoxiè comedebat 28.
Atomos rerum principia eſſe qui dixerint inter antiquos 684
Atra bilis ſigna & effectus clxxiv.
Ab atro ſanguine quomodo diſtinguatur clxxiv.
Atra bilis quatuor differentiæ 693.
Ατρίτος quæ 549.
Audacia effectus 39
Auditus & eius organum lxxx.
Auenionenſis Medici error 666
Auerrhois & Argenterij ſententiæ de morbo communi confutantur cxxxvj. & cxxxvij.
Augmentum morbi quid & vnde cxlv. & ſeq.
Aures in morbis quæ ſigna dent prognoſtica cxcvj.
Autumni temperies 744. cur frigidus & ſiccus ibid. exitiales morbos excitat ibid.

B

Bilis lij. eiuſdem differentiæ liij. & 692
Bilis redundantis ſigna clxxiv. cur morbos acutos producat clxxix.
Bilis indiget præparatione 83.
Bilem præparantia & euacuantia in capite 12. in pectore 113. in corde ibid. in ventriculo ibid. in hepate 114 in liene ibid. in renibus & veſica 115. in vtero ibid. in iuncturis & habitu corporis 116.
Βυθάσατος qui 739.
Βραδεπεψία quid 190. Vide *Dyſpepſia.*
Βέλιμος quid 176. quomodo fiat 176. quid differat à fame canina 176. eius cauſæ 177. à frigore non fit niſi per accidens 177. diagnoſis 178. prognoſis 178. curatio. 178.
Βραχυσάρκη qui, cxciij
Brevis morbi cauſæ 748.

C

Cachexia euexiæ opponitur 380. quid ſit 380. cauſæ 380. diagnoſis 381. à quo humore fiat 381. quę pars primario affecta 382. prognoſis 382. curatio 383.
Cacochymia quid & quotuplex clxix. & 77. varias corporis regiones occupat ibid. quam indicationem ſuppeditet. ibid.
Κακοήθεια in morbis vnde cxc.
Cæſarens partus an ſuſcipiendus 614.
Calculus renum. Vide *Renum calculus.*
Calculus & lapis ſecundum magis & minus differunt 422.
Calculo gignendo quælibet cauitas corporis fat inſignis eſt idonea 421.
Calculoſa diſpoſitio quid ibid.
Calculus non ſemper incipit in renibus 424.
Calculi cauſa materialis ibid. efficiens 425. eius generandi modus 427. differentiæ 428.
Calidum innatum lviij. quid ſit lxiv. eius origo, reparatio & conſeruatio ibid. an elementare vel cœleſte. lxv.
Calidum quid 706.
Calor noſter per accidens ſui interitus cauſa 16.
Cardanus ignem è numero elementorum expungens refutatur 650.
Cardialgia varia nomina 156. quid differat à Cardiogmo 156. quid ſit 156. eius cauſæ internæ & externæ ibid. & 157. ſigna 157. ſympathica ab idiopathica diſtinctio 158. eius ſignum, à vermibus 158. eius ſignum à flatibus 158. eius ſigna ab exulceratione, ibid. ſigna eius à mordicatione humorum ibid. ab inflammatione 159. prognoſis ibid.
Cardialgiæ curatio ex humorum vitio ibid. & ſeq.
Cardialgiæ curatio ex ventriculi phlegmone 164. huic venæ ſectio prodeſt 165.
Cardialgiæ curatio ab exulceratione ſtomachi 166.
Caro xliij
Cartilago xliij.
Caſtratio an elephanticis conueniat 514.
Cataplaſmatum materiæ & formulæ 150. & ſeq.
Catapultarum aqua 134.
Catharticorum purgandi ratio ſit per attractionem humorum 730 & ſeq. eorum exhitionis cautiones 755.
Canitas quid 89 huius tres affectus præter naturam ibid.
Cauſa propinquiſſimæ, morbi nomen eſt impoſitum cix. à cauſa primitiua ſanitas & morbus non pendent cx.
Cauſa morbi efficiens præcipuè à Medicis conſideratur ibid. ea quid ſit & quotuplex clvij.
Cauſa morbi externa quid & an detur ibid. & clix. eius diuiſio ibid. Interna cl. Antecedens ibid.
Continens clj. quid ſit ibid. datur in quouis genere morbi clj.
Cauſa vniuſcuiuſque morbi clj.
Cauſæ ſymptomatum clviij.
Cauſa morborum diagnoſis clxix.
Cauſa quare dicatur ſalubris, &c. 10.
Cauſarum ſalubrium tractatio, inſalubrium explicationem præcedere debet 14.
Cauſæ ſalubres quæ 19. quot ſint 20. quid in vnaquaque conſiderandum 21.
Cauſa morbi eſt præcipuum indicans, ſed non ſolum 57
Celſus explicatur 718.
Ceratorum materia & formulæ 152.
Cerebrum quid xliv.
Chalybs quid 487. eius effectus ibid. ad chlorotica ibid.
Chalybis vſus diuturnior ſteriles facit 566.
Chamæleon ſolo aëre nutritur. 15.
Chirurgia quid viij. & 8.
Chloroſi affectæ quando concubitu ſanentur 385. & 487.
Chloroſeos varia nomina 483. nouus morbus ibid. quid ſit ibid.
Cauſa ibid. diagnoſis 485 prognoſis 485.
Curatio ibid. ætate præcipuè curanda ibid. eius medicamen chalybs 486.
Cholera morbi varia nomina 210. affectus eſt ventriculi ibid. quid ſit ibid. duplex eſt ex Hippocr. ibid.
Cauſa ibid. diagnoſis 211. prognoſis ibid.
Curatio ibid.
Cryſtallina 665.
Cibus quid 25. ſine cibo quomodo quidam diu vixerit ibid.

Digitized by Google

& Verborum.

Cibus solidus & liquidus quid ibid. quare illius habenda ratio ibid.
Cibi substantia ad tria refertur ibid. δυνατὸς & ἀδύνατος quis ibid.
Κακόχυμος & ἰσόχυμος quis ibidem. πολυτροφος & ὀλιγότροφος quis 26. ex solis viuentibus prouenit ibidem. firmissimus quis ibidem. infimus quis ibidem. medius quis ibidem.
Ciborum qualitas ibid. quis possit 27. quantitas quæ esse debeat ibid.
Ciborum ingestorum iustæ quantitatis signa ibid. & 28. quid obseruandum in ea præscribenda ibid.
Ciborum ordo ibid.
Cur potum præcedere debeat ibid.
Ciborum varietas ibid.
Cibus offerendus numquam in paroxismis nisi debilibus viribus 74.
Circino partem affectam velle designare absurdum clxvj.
Circuitus morborum quid & quotuplex 748.
Ciuitates à peste repurgandi antiquorum mos 827.
Clitoris prominens quid 562. quomodo curetur 563.
Clyster quid 130. eius materia, formulæ & intentiones 130. 140. 141. & 142.
Coctio humorum crisim antecedere debet ccvj.
Coctionis humorum conditiones ibid.
Coctio seu πέψις quid sit 84.
Coctio seu πεπασμὸς quid ibid.
Coctio humorum morbificorum cur excretionem præcedere debeat 84.
Coctio quando in morbis non expectanda 85. quot modis à Medico iuuari possit ibidem. quousque coctioni insistendum ibid.
Cogitatiua facultas lxxxij.
Coindicatio quid 55.
Coindicans quid 54. & 55. & 58.
Coindicantia quænam sint ibid.
Colici doloris varia nomina 214. nouus morbus non est ibidem. quid sit cur colon hoc dolore præcipuè affligatur ibid.
Colici doloris causæ 215. diagnosis 217. quomodo distinguatur à nephritico 218. ab iliaco ibidem. ab uterino ibid. prognosis ibid.
Curatio à phlegmone 219.
Curatio à mordacibus & biliosis succis 221. à causa frigida 222. an qui à frigida causa, calefacienti us curandus. ibid.
Colores eorumque differentiæ lxxxj.
Color mutatus quomodo symptoma sit 388.
Collyriorum materia & formulæ 134.
Communis morbi species & differentiæ cxxxiv. & seq.
Compositus morbus quid cxxxviij. & 104. eius differentiæ ibidem. & curatio 105. & 286.
Conceptio & prima hominis delineatio xc.
Conceptio quid, & eius signa ibid. quomodo fiat xcj. quomodo fiat plurium fœtuum xcij.
Conformationis morbus eius species cxxix. & 86. & seq.
Congestionis causæ cliv. & 106.
Connexi morbi quid cxxxviij. & 34. & 104. eorum differentiæ ibid.
Curatio 105. & 94.
Consentaneus morbus quid cxxxix. & 287.
Consequentes morbi quid cxxxviij. & 104. eorum curatio 105.
Constitutio corporis nostri triplex, salubris, insalubris, & neutra ciij. eius ratio 10. quid per neutram constitutionem intelligatur civ. & 11. quorsum ista triplex constitutio ibid. neutra varios recipit modos ibid. quot ex harum trium constitutionum latitudine fiant aliæ constitutiones cv.
Constitutio salubris quæ & quotuplex 14. & 15.
Contagiosus morbus quid cxl. & 288.
Contagium non prouenit ex violentiâ morbi cxlj. nec effectus magnæ inflammationis ibid.
Contagij conditiones quot ibid. & 289.
Continens morbi causa clj. quid per eam intelligatur ibid. quid sit ibid. datur in quouis genere morbi ibid. & clij.
Continui solutio quid & à quibus fiat cxxxv. & 96. & cxxxv. eius nomina ibid. & 96. eius species 96.
Continuus morbus quid cxlij. & 289.
Contra indicans quid 54. & 55. & 58.
Contra indicantia quænam sint ibid.
Contra indicatio quid 55.
Contraria contrariorum sunt remedia indubitatum est principium 59. in illud principium soluuntur obiectiones ibid. & 60.
Contraria medica quæ sint 60.
Contraria in sanatione debent esse æqualia 61.
Contrariorum æqualitas duplex 62.
Contrariorum æqualitas vnde sumatur ibid. In eam obiectiones soluuntur ibid.
Contusio quid 99. quomodo accidat ibidem. quomodo curetur ibid. in eius curatione annotatio ibid.
Conuulsio post helleborum lethalis 754. quid differat à motu conuulsiuo 756. quid sit ibidem. a sola causa morbifica sit ibidem. vniuersalis & particularis ibidem. vniuersalis differentiæ ibidem. ad quod symptomatum genus referatur ibidem. quæ pars musculi per eam laboret 757. eam quis morbus excitet 758.
Conuulsionis & paralyseos causæ quî differant 758. eam quot modis excitet helleborus 759. super vulnere facta lethalis 760. & 765. à fluxu sanguinis lethalis 767.
Conuulsio in hæmorrhagiis cur mortem præcedat 769. differentia triplex 770.
Conuulsio & conuulsiui motus in morbis quid significent cc.
Cor xliv. natiui caloris metropolis ibid.
Corpus est subiectum denominationis morborum & pars affecta inhæsionis ccxiij.
Corporis humani conditio 14.
Correpugnans quid 54. & 55.
Correpugnantia quænam sint 58.
Corroboratio quare à Medico instituatur 86. per quæ fiat ibid.
Corruptio mixti fit dupliciter 711.
Crisis quid ccvj. eius differentiæ ccvij bonæ crisis conditiones, ibid. omnium crisium optima fit per sudorem ccxiij.
Crudæ quæ sint 84.
Cucurbitarum materia & formulæ 140. & seq.

Curare tutò,citò, & iucundè quid 51.
Cutis ex carne & neruo compoſita eſt cxcvij.
Cutis faciei arida quid denotet ibid. eius ἐπιπλοκὴ quid præſagiat ibid.

D

Declinatio morbi quid & vnde cxlv. & cxlvj.
Decolla varia ad fotus, lotiones, inſeſſus & balnea 135. & ſeq.
Decubitus qui bonus & contra cxcv.
Definitiones quæ perfectæ iv.
Deiectio alui optima quæ ccxj. quæ mala ibid. & ccxij.
Deiectionis criticæ futuræ ſigna ibid.
Delirium incipiente morbo malum cxciij. cum riſu tutius quam cum ſtudio ibidem. taciturnum, malum ibidem. cum ictero malum cxciv.
Delirantes qui cxciij. cur aliquando mira vaticinantur ibid.
Dentium ariditas, lentor, ſtridor quid in febribus ſignificent cc. & ccv.
Derivatio vnde 81. quid ſit ibid. poteſt in eadem parte fieri, vel in diuerſa ibid.
Deſiderij effectus 38.
Deſperationis effectus. 39.
Deſperati non ſunt curandi. 64.
Diabetes rariſſimus eſt affectus 461. vnde dictus ibidem. quid ſit ibidem. pars affecta quæ ibidem. cauſa immediata eſt calor 462. hunc dypſas ſerpens morſu excitat 463.
Diagnoſis ibidem. prognoſis ibidem. curatio 464.
Diæta quid viij. & 8.
Diæta tenuis quando periculoſa, quando vero non 28.
Diæta ægrorum quomodo inſtituenda 68. ſine diæta in morbis remedia parum poſſunt ibid.
Diæta varietas in morbis à quibus dependeat 69. & ſequent.
Diæta triplex fortis, infirma, & media ibid. in diætam ægrorum ſoluuntur dubia 73.
Diæta tenuior pleniore quando periculoſior ibid. & 7.
Diæta non ſemper in ſtatu morbi tenuior eſſe debet, & quando 74.
Diagnoſis Medico neceſſaria clxiij. eius partes clxiv.
Diagnoſis partis affectæ clxiv.
Diagnoſis partis affectæ in morbis vniuerſalibus vtilis ibid. à quinque petitur clxv. & ſeq.
Diagnoſis partis primariò vel ſecundariò affectæ clxvij.
Dignoſis cauſæ morborum clxix. vnde ducatur ibid.
Diagnoſis temporum vniuerſalium morborum clxxviij. cl xix. & clxxx.
Diagnoſis temporum particularium morborum clxxix & ſeq.
Diarrhœa vnde dicta 251. quid ſit ibid. ad quod ſymptomatum genus referatur ibid ſymptomaticæ à periodica & critica diſtinctio ibid. & 252.
Diagnoſis 253. quæ curatione indigeat & quando ibid. & 254.
Diarrhœa ex toto corpore curatio 255. an huic vomitus conueniat ibid.
Diarrhœa ex iecore, ſplene, & meſaraicis curatio ibidem. ex ventriculo & inteſtinis 259.
Dies & eius partes xxxvj.
Dies ſexageſimus, centeſimus, centeſimus vigeſimus quomodo dicantur critici cxcj.
Dierum in morbis differentiæ cxcij.
Dies decimus cur infauſtus ad criſim 796.
Dilatatio nimia quid 89. quibus contingat ibidem. & eius cauſæ ibidem. quomodo curanda 90.
Diſiuncti morbi quid cxxxviij.
Diſſentaneus morbus quid cxxxix. & 287.
Diuiſio morborum formæ à Fernelio allata vana eſt cxxvij & cxxviij.
Diuiſio morborum occultorum in venenatos, contagioſos & peſtilentes bona non eſt cxxviij.
Dolor ſymptoma grauiſſimum clix. alter animum, alter corpus ſpectat ibidem. & 696.
Dupliciter ab Hippocrate ſumitur clx. & 695. quid ſit ibidem. & 695. ex ſenſilibus non eſt ibidem. eſt accidens ſenſitricis animæ ibidem. eſt actio atque paſſio clxj. eſt ſymptoma ſenſus tactus ibid. pendet à cauſa ἀφόρου agente ibid. & 215.
Duplex eſt illius cauſa, ſolutio continui & intemperies clxij.
Doloris immediata cauſa eſt tertium vnum quid ibid.
Dolor varius vnde clxvj.
Dolorem non ſentire malum cxcviij.
Dolor capitis in morbo acuto quid præſagiat ibid. vnde dictus 695.
Dolorum à lue Venereâ curatio 345.
Dracunculus quid 116.
Dubia in morbos ſimilares cxvij. & ſeq.
Dubia in morbos organicos cxxxij. & ſequent. in morbos communes cxxxvj.
Dubia de recidiua ſoluuntur ccxix.
Dubius morbus quid cxl. clxxxvij. & 282.
Dulcibus ſolis nos nutriri quid 37.
Dulcia cur generant vermes 219.
Duritiei vnde cxxvj.
Dypſas ſerpens morſu diabetem excitat 463.
Dyſenteria generaliter ſumptæ quot differentiæ 266.
Dyſenteria vera quid ſit 267. eius gradus ibid. cauſæ 268. Toloſæ cur familiares ibid.
Diagnoſis 269. prognoſis 271. curatio ibid. an purgatio conueniat 273. an venæ ſectio conueniat 274.
Diæta ibid. an lac conueniat 275. aſſumpta 276. iniecta 279. admota 280.
Δυσπάθεια quid cxij.
Dyſpepſia quid 191. eius cauſæ ibid.
Differentia 191.
Diagnoſis ibid. prognoſis 193. therapeia ibid. & ſequent.
Dyſuria quid 469. cauſæ 471.
Diagnoſis cauſarum ibidem. prognoſis 472. curatio 473.

E

Ebrietatis effectus 772. quomodo fiat 772.
Eius tres ſunt gradus 773.

Ebriorum

Digitized by

& Verborum.

Ebriorum mortis signa 771.
Eclegmatum varia nomina, natura, materiæ, effectus, & formulæ 136. & 137.
Ecsoprotica quæ 77.
Echo lxxx.
Elementum xj. quid & quotuplex xiij. & 685. qualia sint elementa xiv. sunt mixtorum materia ibid.
Eorum formæ xv.
Elementa quid in nos agunt 22. plura esse probantur 681 & 684. de elementorum numero plurium antiquorum opinio 683.
Elementi variæ significationes 685. quatuor elementa esse octo rationibus probatur 689.
Elementorum formæ an maneant formaliter in mixtis 708. & seq.
Elementorum qualitates an maneant in mixtis ibid.
Elementa regenerantur in resolutione mixtorum 711.
Elephantiasis appellationes 302. differt ab elephante crurum 302. quid sit 303. non est vniuersalis cancer 303. pars in ea primario affecta est lecur ibid.
Eius differentiæ 305. causæ 306.
Elephanticorum signa ac iudicia 307. quot iudiciorum genera solent de elephanticis dari 312.
Elephanticorum præseruatio 311.
Elephanticorum dicta 312. remedia Chirurgica 314. an castratio conueniat 314. an venæ sectio & cauteria conueniant 314. remedia pharmaceutica interna 315. remedia pharmaceutica externa 317. palliatio seu correctio accidentium in elephanticis 319.
Empirici Medici iij.
Empirici plures homines Nemausi occiderunt 755.
Emplastrorum materia & formulæ 152.
Empyema quid 797.
Enarema ἔμπυημα quid 797.
Enarema dispersum morbi longitudinem significat 805.
Endemius morbus quid cxxxix. & 287.
Enixarum mulierum naturaliter se habentium regimen 617. victus quis 618. lactis in mammas copiosius irrumpentis curatio 618. torminum curatio 618.
Enixarum male se habentium regimen 620. hæmorrhagiæ vterinæ curatio 620. Lochiorum suppressionis curatio 620. Lochia suppressa quæ mala pariant 622. in enixa febricitante an dies à partu vel à morbi principio computandi 622.
Enixa mulier pleuritica quomodo curanda 623. in enixâ alui fluxus quomodo curandus 624. Item hæmorrhoides 624. vterina suffocatio 627. coxendicus dolor 627.
Epicurus omnino venerem interdicebat 30.
Epidemius morbus quid cxxxix. & 287.
Epithematum liquidorum & solidorum materia & formulæ 139.
Erysimachus Medicus Aristophani singultienti quid consuluerit 198.
Erysipelas quid 107. & 108.
Eius signa, causæ & curatio ibid.
Errhinorum materia & formulæ 133.
Essentiæ tres rerum corruptibilium 710.
Excrementorum vitium est secundum symptomatum genus clvj. quot modis accidat clvj. à quibus causis fiat clx.
Excrementa quæ sint 29. & 30.
Eorum non minus necessaria euacuatio, quam alimentorum ingestio ccvj. & 29. vniuersalia excrementa quæ ibid.
Excrementum varium pro numero coctionum 194
Eorum excretio & retentio necessaria 29. quid in vnoquoque spectandum 29. & 30. vniuscuiusque redundantis euacuatio quomodo tentanda 30.
Excreta quæ clxv.
Exercitium quid, & qua de causa fiat 31. immodici effectus 31. ad exercitium temporis occasio & ordo necessaria 33. in eo repletio & nimia inanitio vitanda ibid.
Experientiâ quando vti debeat Medicus 32.
Experientiâ duplex 32. & 33.
Externa morbi causa quid, & an detur cxlviij. & cxlix.
Eius diuisio cxlviij. & cxlix.
Externa fortuita quid in prognosi valeant ccxxv.
Externus morbus quid. cxxxix. & 287.
ἔνεξις quid 43.
Est regula sanarum constitutionum 44. quomodo conseruanda per res non naturales 44. & sequent.

F

Faciei varij colores 387.
Factus morbus quid cxl. & 287.
Facultates lxviij. quid sint lxix. quot sint lxx. earum principia & instrumenta in corpore lxxj. an & quomodo à suis principiis in totum corpus influant, quemque sibi vlum inuicem præstent lxxiij. naturalis facultas & eius species lxxiv. auctrix ibid. procreatrix, conformatrix ibid. nutrix, attractrix, retentrix, alteratrix & expultrix lxxv. vitalis & eius species lxxvij. animalis & eius species lxxviij. sensitiuæ interiores lxxxij. earum instrumenta lxxxiij. appetitiua & motiua lxxxiv.
Facultatis principis affectus in liberos per traducem non transeunt cxliv.
Fames & vigilia quomodo febrem inducant cliij.
Fames quid in morbis præsagiat ccij. quæ mala pariat 28.
Famis caninæ varia nomina 176. quid differat à boulimia ibid. vnde dicta 177. quid sit ibid. eius causæ 178. diagnosis ibid. prognosis ibid. curatio 185.
Fœcum modus quis esse debeat. 29.
Fascinatio in viris sterilitatem inducit. 663.
Fernelij de morbis materiæ & formæ sententia cxxj.
Fernelius à Varandæo excusatur cxxij. & cxxiij.
Fernel. Argumenta pro morbis materiæ & formæ & eorum solutiones ibid, & cxxiv. cxxv. cxxvj. cxxvij. & cxxviij.
Ferneliana morborum occultorum diuisio in venenatos, contagiosos & pestilentes bona non est. cxxviij.
Fiens morbus quid cxl. & 287.
Figura morbi quomodo curandi 88.
Flatus signa clxxij.
Flatuum reiectio in morbis quid denotet ccxij.
Flatus quomodo omnium morborum author 713.
Fluxus muliebris varia nomina 509. quid sit ibid. quomodo à menstruis distinguendus ibid. à pute ibid. à gonorrhœa ibid. causæ 510.

Index Rerum,

diagnosis 511. prognosis 512. curatio. ibid.
Fluxionis causæ 106.
Fluxio duplex 717. causæ eius commouentes ibid. aliæ causæ quæ 718. duplicem excitat morbum ibid. à decubitu quid differat. ibid.
Fluxiones dantur naturales 719
Fœmina primario à natura intenditur lxxxvj. & 478. cur Aristoteli ἀπέρικακος ibid. & 478. quare domi manet ibid. præstantior est mare ibid. est mare temperatior 479. bellicosior sæpe mare ibid. non est subdita mari nisi lege & consuetudine ibid.
Fœmina, in virum non transit ibid. & 666.
Fœmine Indicæ menstrua non patiuntur 492. cur fœminæ iuuenes nouâ Lunâ, veteres veteri repurgentur 493.
Fœminam sine congressu virili concipere impossibile est 565.
Fœtus tria tempora xc. eius conceptio ibid. eius motus ac perfectio xcij. quomodo in vtero naturales, vitales & animales actiones exerceat xciij. & xciv.
Fœtus Senonensis lapideus 423.
Forma morbi non dantur cxxij & seq.
Forma elementorum an formaliter maneant in mixtis 710. & seq.
Forma omnes accidentales esse quî probentur ab Antiquis 683.
Fractura quid 100. eius differentiæ ibid. curatio ibid.
Fricatio quid 34. eius differentiæ ibid.
Frigidi & ἀνφακτοι qui 661.
Frigidum quid sit 706
Frigus triplex apud Hippocratem cciij. symptomaticum semper malum ibid.
Frontalium materia & formulæ 140 & seq.
Functiones lxviij. & lxix.
Furor vterinus quid 516. quæ sit pars affecta 517. causæ ibid. diagnosis 518. prognosis ibid. curatio 519.

G

Γαλακτοποιητικὰ quæ 647.
Galenus Romæ prædicens pro Mago habitus clxxxiij.
Galeni laus 1. eiusdem præceptores ibid. Imperatorum Archiater ibid. quando & cur lib. de Arte Medica edidit ibid. & 4. lib. de Arte Medica scripsit 9. assumpto pauco pipere singultiebat 198.
Galli Lusitaniam adeuntes in catarrhos & phthisim facile incidunt clxxj. & seq.
Gargarismatum materia & formulæ 132. & 133.
Gaudij effectus 39
Gemelli quomodo generentur 599. causæ ibid. diuersi sexus raro vitales ibid. eorum diagnosis 601. prognosis ibid.
Gemellos gestans quomodo regenda ibid.
Genera prima morborum cxv.
Generatio duplex 704. differt ab alteratione, ab augmentatione & diminutione, & a latione 704. quid sit ibid. vniuoca & æquiuoca quid ibid.
Generationis varij modi ibid. subiectum ibid.
Generanda miscibilia esse debent ibid.
Generatio non fit de omnibus in omnia 705.
Geometria apud Ægyptios primùm inuenta iij.
Gonorrhœa virulentæ curatio 343.
Gonorrhœa quid 670. causæ ibid. diagnosis 671. prognosis ibid. curatio 672
Gonorrhœa muliebris. Vide Muliebris fluor.
Graiditatis signa à retento semine 581. ab attractione seminis ab vtero ibid. ab horrore fœminæ ibid. à conniuentia orificij vteri cum mollitie tractabili ibid. à retentione mestruorum ibid. ab inappetentia, pica, & nausea superuenientibus ibid. ab acuminata ventris mole. ibid. à motu fœtus palpitante ibid. ab augmento mammarum & nigritie aut rubore papillarum ibid. à minore coitus appetitu, ab oculis mutatis, à pulsu, ab vrina ibid. ab hydromelite dormituræ exhibito 582.
Graiditatis euentus prosperi & infausti signa 583.
Grauis morbus quid cxlij. & clxxvij.
Grauidarum mulierum regimen naturaliter se habentium 584. prauis accidentibus infestatarum 586. morbis acutis correptarum 590. an tunc phlebotomia eis conueniat 591. item purgatio 592.
Gemellos gestans quomodo regenda 601.
Gustus quid lxiij.
Gustus læsus quid significet cxcv.

H

HABITVS corporis quid denotet clx.
Hæmorrhagia quid 767. ad quod symptomatum genus referatur ibid. circa eam considerandæ ibid. triplex est 768. eius quatuor causæ ibid. in magna hæmorrhagia cur ante mortem fiat conuulsio aut singultus 769.
Hæmorrhagia sola per anastomosin critica ccxv. criticæ conditiones & signa ibid. quæ mala sit ibidem.
Hæmorrhoides quid 185. quem vsum præstent moderatè fluentes 186. quos affectus gignant p. n. constitutæ ibid. cæcæ quid ibid. cæcarum differentiæ ibid.
Hæmorrhoidum causæ 187. diagnosis ibid. prognosis 188. ab hæmorrhoidibus præseruatio 189. suppressarum curatio 191.
Hæmorrhoidum excisio 192.
Hæmorrhoidum symptomatum mitigatio 193.
Hæmorrhois serpentis morsus effectus 185.
Helleborus duplex 758. vtriusque qualitates ibid. Albus vomitum, niger deiectionem præcipuè inducit ibid. quot modis conuulsionem excitet 758
Helleborismi propinandi cautiones 758.
Hepar xlv. eius temperamentum xlix.
Hepatis morbi quomodo pertractandi 354 & sequent.
Hepatis calor naturales humores specie differentes quomodo generet 695.
Hepatis inflammatio quid 356.
Hepar cur facile inflammationem patiatur ibid. quæ sit pars mittens 357. causæ 357. diagnosis 358. quomodo idiopathica hepatis inflammatio à sympathica distinguatur ibid. prognosis 361. curatio 364. purgatio in initione conuenit 369.
Hepatis obstructio à scirrho quid differat 370. quid sit ibid. causæ ibid & 371. qui huic affectui obnoxij ibid. diagnosis 372. prognosis 373. curatio 374
Hepatis scirrhus quid 370. confirmatum mox necessariò cõsequitur 370. præ cæteris tu- morbus

Digitized by Google

& Verborum.

moribus durus eſt ibid. cauſæ ibid. diagnoſis 372. prognoſis 373. curatio 374.
Hepatitis pro quo ſumatur 348. quid ſit 349. cauſæ ibid. diagnoſis 350. prognoſis 352. curatio ibid.
Heraclidi egregium interrogatum 396.
Hereditarius morbus quid & quomodo propagetur cxliij. & 300.
Hermaphroditi 656.
Hernia ſcroti quid 674. quomodo fiat ibid. eius ſpecies ibid. quid ſit 675. cauſæ ibid.
Hippocratis loci de internis cauſis explicantur cl. & clj. in prognoſi & Galenus in diagnoſi imitandus clxiv. eius loci de prognoſi explicantur clxxv.
Hippocratis facies ccv.
Hippocratis Aphoriſmus *in morbis minus periclitantur* explicatur ccxxj.
Hippocratis laus 3. & 679. quid exquiſitum victum damnans intelligat 18. plura probat eſſe elementa 694. & alibi. Hippocrates omnes qui Aphoriſmos ſcripſerunt, ſuperauit 752.
Hiſpanorum mos 180.
Hominis prima conformatio lxxxv.
Hominis animæ dotes 14.
Homo μικροκόσμος 225. & 422.
Homo ſi vnum eſſet non doleret 695. & 698.
Homo ſi vnico conſtaret elemento, vnico morbo laboraret ibid. ſi vnum eſſet non generaret 703.
Horror quid 813. cauſæ 812.
Humidum primigenium lxiv.
Humidum quid ſit 706.
Humores xlvj. quid & quotuplices ibid. naturales, alibiles & excrementitij xlvij. eorum generatio xlviij. proportio & motus lvj. ſecundarij lvij.
Humores non ſunt morbi ſubiectum cxv.
Humorum dominantium ſigna vnde clxix.
Humorum motus clxx.
Humorum ſigna in ſpecie clxx. & ſeq.
Humorum coctio quid ccvj. plures eſſe probantur 682. de humorum numero antiquorum error 691.
Humoris variæ ſignificationes ibid. eorum ſpecies ibid.
Humores naturales inter ſe ſpecie differentes quomodo ab hepate generentur 693. an humores naturales omnes nos alant 693. plures eſſe probatur 699.
Humores morborum cauſæ 712.
Humores quomodo ſiccitate & humiditate differant 722.
Humorum numerus ex hypercatharſi colligitur 736.
Humorum purgandorum in hypercatharſi ordo 737.
Hydrops quid ſignificet 396. particularis & vniuerſalis ibid. vniuerſalis triplex 397. quid ſit ibid. ſine hepatis noxa non contingit ibid. cauſæ 398 calida intemperies quomodo eum accerſat 399. Tympanites non fit à præferuido calore 400. Aſcites non fit ab hepatis ſciſſuris ibid. Leucophlegmatia quomodo fiat 402. Tympanites quomodo fiat ibid. Aſcites quomodo fiat ibid. diagnoſis 403. prognoſis 404. quis hydropum periculoſior ibid. curatio 406. Aſcitis curatio 408. παρακέντησις an inſticuenda 409. Tympanitis curatio 413. Leucophlegmatiæ curatio 414.
Hyemis temperamentum 741. pituitæ parens eſt, licet per eam ventres ſint calidiſſimi 742. cur pleuritidem excitet. ibid.
Hygieine quid viij. ſub eâ Prophylactice, Euectice, Gymnaſtice, Paidotrophe, Gerocomice, Analeptice, Commotice, & Coſmetice viij. & 8.
Hygieines neceſſitas 16. & 17. in eam ſoluuntur obiectiones ibid.
Hypercatharſis quatuor humores euacuat 736. quid ſit 736. eius cauſæ 737. in eâ pars affecta ibid. eam quis affectus ſequatur ibid. quo ordine humores euacuet 737.
Huic conuulſio ſuperueniens lethalis 715.
Hyperſarcoſis poſt gonorrhœam quomodo curetur 344.
Hypochondriorum exploratio in prognoſi plurimum valet cciv.
Hypochondriorum malè affectorum varia nomina 395.
Hypochondria quid ſint 809.

I

Ichores lv.
Icteri variorum nominum ratio 387. quid ſit ibid. duplex ibid. generationis icteri modus 388. cur dum ſit rigorem non excitat ibid. cur eryſipelata non facit ibid. cur tertianam non excitat ibid. cur pilos non tingit ibid. cauſæ 389. diagnoſis 390. prognoſis 392. therapeia ibid.
Ἰδιοσυγκρασίας vis cxxvj.
Ignis noſter verum elementum non eſt 690.
Ignis purus verum eſt elementum ibid.
Ilei varia nomina & eorum ratio 244. quid ſit ibid. an obſtructo pyloro contingere poſſit 245. cauſæ ibid. non fit à bile ibid. *dignoſis* 246. prognoſis 247. curatio 248. à tumore phlegmonoſo ibid. ab obſtructione 249. ab adſtrictione ibid.
Immaterialis morbus quid cxxxix. & 286.
Immoderantiæ materiæ à Fernelio adſtructa reprobatur cxxv. & cxxvj.
Impliciti morbi quid cxxxvij & 104. eius ſpecies ibid. & curatio 105.
Impotentia à ſymptomate diſtinguenda cx.
Inæqualis morbus quid cxl. & 287.
Incubus in morbis periculum minatur cxcv.
Incurabilis morbus quid cxl. & 288
Indicans quid 54. & 55. non indicat remedia per ſe ibid. ſæpe ab arte ſola, ſæpe à naturâ ſolâ, ſæpe ab vtraque perficitur 63.
Indicationes ſanatiuæ 41. generales in hygieine, quæ ibid. particulares quæ ibid. quomodo explendæ ibid. circa exacte ſanos quæ 43. & 44. circa ſanos ſecundum temperiem lapſos duplices ſunt indicationes 46. circa ſanos ſecundum conformationem & continui vnionem lapſos 48.
Indicationes curatiuæ in genere 50.
Indicatio quid ſit 54. & 55. quomodo Medicos ab idiotis faciat differre ibid.
Indicationes quot ſint & à quibus petantur 56. non à ſola cauſa morbi petuntur ibid. & 57.
Indicatio curatiua communiſſima 59. circa eam ſoluuntur obiectiones 59. & 60.
Indicatio quid differat à ſcopo 63.
Indicationes conſeruatoriæ curatiuis permiſcentur 68.

Index Rerum,

Indicationes dietæ ægrotum ibid. vnde petendæ ibid.
Indicatio qualitatis victus in morbis duplex 70.
Indicatio quæ à viribus ſumitur omnium nobiliſſima 74.
Indicationes curatiuæ in ſpecie 75.
Indicationes ab intemperie quomodo eliciendæ & explendæ 75. & 76.
Indicatio à morbis materiæ & formæ vana eſt ibid.
Indicationes morborum organicorum 86.
Indicationes figuræ vitiatæ 87.
Indicationes cauitatis, meatus & orificij male affectorum 89.
Indicatio læuitatis & aſperitatis præter naturam 92.
Indicationes morborum numeri & magnitudinis 93.
Indicationes mali ſitus & connexus 94.
Indicationes morbi communis 95. vulnerum indicationes 97.
Indicationes contuſionis 99.
Indicationes fracturarum 100.
Indicationes morborum mixtæ 104.
Indicationes tumorum præter naturam 106.
Indicatum quid 55.
Infantes in ortu qui robuſti & qui debiles 626.
Infantis nuper nati debilioris regimen 627.
Item robuſtioris ibid. quis victus 629.
Infantem matrem alere vel nutricem vtrum melius ibid.
Infantis in vtero mortui ſigna 611.
Inflammatio hepatis. Vide *Hepatis inflammatio.*
Inflammatio renum. Vide *Renum inflammatio.*
Inflammatio veſicæ. Vide *Veſica inflammatio.*
Infœcunda mulieres quæ dicantur 565.
Iniectiones variæ & earum materia 333.
Inſomnia lxxxiv. vnde fiant ſanis & ægris cxciv. & ſeq. bonæ quæ cxcv.
Inſtrumenta φωνητικὰ quæ 775. *Ἀναπνευστικὰ* quæ ibid.
Intemperies ſimplex & compoſita, materialis & immaterialis cxvj. fiens & facta, æqualis & inæqualis cxvij.
Intemperies immaterialis dari probatur ibid. ſimplex probatur cxviij.
Itemque calida & humida: & frigida & ſicca ibid. quomodo calida & humida morboſa fiat ibid. an detur calida & frigida: item frigida & ſicca cxix. & cxx.
Intemperiei calidæ cauſæ clij. frigidæ clij. ſiccæ cliij. humidæ ibid.
Intermittens morbus quid cxlij & 289.
Interna cauſa morbi cl. cur ita dicta ibid.
Internus morbus quid cxxxix. & 287.
Ira effectus 39. caret contrario 40.
Iſchuria quid 469. differentiæ ibid. cauſæ 470. & diagnoſis cauſarum ibid. prognoſis 472. curatio 473.
Iudæi menſtruatam mulierem non tangunt 306. cur hæmorrhoidibus obnoxij. 287.

L

Labor quid 31.
Lac quid 631. ex eo tres ſubſtantiæ educuntur ibid. in fœminis quando appareat ibid.
Lacte viri & virgines naturaliter carent ibid. an in mammis per concoctionem fiat 632. cur grauidæ lac habeant 632. eius materia quæ 632. an ſit ſanguis dealbatus ibid. ſanguine non eſt calidius 633. eius non eſt eadem ratio ac ſeminis 633.
Lactis boni ſigna 634.
Lactis defectus 646. cauſæ 646. diagnoſis 647. prognoſis 647. curatio ibid. & ſeq.
Lac generantia quæ 648.
Lactis redundantia quid 651. cauſæ 651. correctio ibid.
Lac depranatum quid 652.
Lactis craſſities quid 653. an in proprio loco alienam qualitatem induat ibid. eius in mammis caſeatio vnde ibid.
Lactis alienæ qualitates 655.
Lætitas præter naturam quid 92. à quibus fiat 92. quomodo curetur ibid.
Languidus morbus quid cxlij. & 289.
Laſſitudo quid & quotuplex clxx. in morbis quid ſignificet cc.
Laſſitudo ex exercitio 815. ſpontanea 815. ſpontaneæ ſpecies 816.
Laurentij laus 750.
Legitimus morbus quid cxxxviij. & 286.
Lethalis morbus quid cxl. & 287.
Leuis morbus quid cxlij.
Lien xlv.
Lien phlegmone ratius hepate tentatur, obſtructionibus vero magis 416. quomodo fiat eius inflammatio & cognoſcatur 416. eius prognoſis 417. curatio quæ 417.
Lienis obſtructio quomodo fiat 418. quomodo cognoſcatur 418. quomodo curetur ibid. & 419.
Lienteria vnde dicta 260. quid ſit 260. cauſæ ibid. & 261. diagnoſis 261. prognoſis ibid. & 263. curatio ibid.
Ligamentum xliij.
Lingua & reliquæ oris partes in morbis cur maxime afficiantur cxcviij. alienis coloribus infecta, ſcabra, fiſſa, ſicca, tremula, exerta, quid ſignificent. cc.
Lingua ſignum bonum ex Dureto ibid.
Lingua eſt ſermonis organum 773.
Linimentorum materia & formulæ 145.
Λιθοτομίδιον Senonenſe 424.
Lippyria comitatur ventriculi phlegmonem 159.
Lochiorum per quadraginta dies cur fiat expurgatio 612.
Λοιμομαχία fugienda eſt cix.
Lombardicæ mulieres molis obnoxiæ 591.
Loquela organum 773. à quomodo vitietur 777.
Lues venerea. Vide *Venerea lues.*
Lugdunenſes virgines vterino furore correptæ in flumen ſe præcipitarunt 516.
Lumbricorum reiectio in morbis quid denotet ccxj.
Lumbrici vnde dicti 225. eorum varia nomina 225. quid ſint 225. ſunt animalia ſenſitiua 226. eorum ſpecies 226. gignuntur in pluribus corporis partibus ibid. raro gignuntur in ventriculo 227. cauſæ formalis, materialis, & efficiens 227. & ſeq. an inter cauſas morbificas, vel morbos, vel ſymptomata ponendi 229. diagnoſis 230 prognoſis 231 curatio 231. & ſeq.
Lupi quare pauci 478.
Luxatio quomodo curanda 91.

& Verborum.

M

Μακροκεφαλοὶ populi 87.
Magnitudo aucta vel imminuta quomodo curetur 93.
Magnus morbus quid cxxxviij. & cxciij. quomodo cognoscatur clxxvj. & clxxvij. & 186.
Malacia vnde dicta 181. Vide *Pica.*
Maleficium vxoratis impositum quid 580. à quo proueniat ibid. quomodo detegendum & amouendum ibid. & 581.
Malignus morbus quid cxl. eius signa clxxvij. & 288.
Mamma quid 631. earum in mulieribus vsus ibid.
Mammarum bona constitutio 635. earum immodica magnitudo quid 636. causæ 637. curatio 638.
Mammarum gracilitas quid 636 causæ 637. curatio 638.
Mammarum tumor œdematosus 639.
Mammarum tumor scirrhosus & cancrosus 639. quid sit ibid. causæ 640. signa ibid. curatio ibid.
Mammarum inflammatio quid 641. duplex est ibid. causæ ibid. curatio ibid.
Mammarum vlcerum differentiæ 643. quomodo curentur 644.
Manifestum esse quot modis quid dicatur 683.
Manuum gesticulatio in morbis quid denotet ccj.
Masticatoriorum materia & formulæ 132.
Materialis morbus quid cxxxix. & 186.
Materie & formæ morbi cxxj. de his sententia Fernelij cxxj.
Materie morbi non dantur cxxiij. & seq. à materiæ & formæ morbis quæ sumitur indicatio vana est 76.
Matrem infantem alere, vel nutricem vtrum præstet 629.
Means quid 89. huius tres affectus præter naturam ibid.
Medicina an sit j. eius authores diuini ibid. tres scholæ celeberrimæ ibid. Physicæ subiecta ij. non semper finem consequitur. ibid. sine illa nulli morbi curantur ibid. antiqua & à necessitate & experientiâ iij. à medendo dicta, rationi & experientiæ innixa: non tantum præcepta curatiua continet, sed ea omnia quæ ad curationem prænosse oportet ibid. definitio eaque multiplex ibid. & iv. & 10. ex Herophilo 11. lv.
Medo ars dicitur, modo scientia ibid. subiectum & finis, item scopus v. partes vj. præcipuæ actiones quinque, conseruatio, reductio, præseruatio, curatio, & mitigatio viij. eius tria principia, inuentionis, constitutionis & interpretationis c.
Medicina professor quas dotes habere debeat 1.
Medicina quinque partes 7.
Medicina principiorum certitudo 10.
Medicinam docendi methodus triplex 17.
Medicinæ instrumenta 52. an Medicina Physicæ subalternata 778. quomodo inceperit & accreuerit 786.
Medicamenta cathartica peculiarem sibi humorem alliciunt 725.
Medicamenta cathartica inter alimentum & venenum ambigunt 727. quid sint ibid. eorum diuisio ibid. euacuantia plura ibid. simplicia quæ ibid. quid differant a remediis ibid. ea calor noster actuat ibid.
Medicamenta actuare quid ibid. quomodo calida frigida, &c. temperata dicantur ibid. frigida quomodo actuentur 729. purgantia medicamenta quot modis agant 730. cathartica eorum diuisio ibid. eorum purgandi ratio ut per attractionem humorum 730. & seq. cathartricorum exhibitionis cautiones 755.
Medico in prognosi frequenter errante nihil ineptius clxxxvj.
Medici actiones 50 duplices sunt in statu sano ibid triplices in statu ægro ibid.
Medici actionum conditiones 51. quando officio perfunctus ibid.
Medici instrumenta 52.
Medicus analogismo vbi vti debet ibid. quando vero ratione & experientia ibid. quomodo differat ab idiota in curando. 55.
Medicus ægrum inuitens quomodo se gerere debeat clxxxvij. naturæ motus obseruare debet 83.
Medicus ibi incipit vbi definit Philosophus 680.
Medicorum tres scholæ 787.
Melancholia liv.
Melancholiæ naturalis signa clxxiij.
Melancholiæ ingeniosæ signa & effectus clxxiij. & clxxiv.
Melancholiam præparantia & euacuantia in capite 116. in pectore ibid. in corde 117. in ventriculo ibid. in hepate 118. in liene ibid in renibus & vesica ibid in vtero 119. in habitu & iuncturis ibid.
Melancholiæ duæ differentiæ 692.
Melancholici flatulenti clxxiij.
Melissi de principiis opinio 683. quomodo excusetur. 688.
Melissi fulciunt opinionem qui aliquod ex elementis principium rerum faciunt ibid.
Membrana xliij.
Memoria lxxxij. & lxxxiij. huic morbi pestilentes præcipuè obsunt cxciij.
Menstruorum immodicus fluxus quid 501. quot modis accidat 502. causæ immediatæ ibid. causæ aliæ internæ & externæ 503. diagnosis affectus, partis affectæ & causarum 503. prognosis 504. curatio 505.
Menstrua suppressa quis affectus 493. causæ 494. diagnosis 495. prognosis 496. curatio 497.
Mentæ effectus 662.
Mercurialis accuratè de excrementis egit clxxxj.
Mereuices cur non concipiant 567.
Methodus docendi Medicinam triplex 4. & seq.
Methodus quid ibid. Thessalica mala ibid. vniuscuiusque methodi commoda 6. diuisiua vana est ibid.
Methodus medendi quid 53. eius diuisio ibid. per indicationes absoluitur. 54.
Methodum suam particularem curandi morbos à ventre inferiore cur incipiat Varandæus 154.
Methodus docendi Medicinam Hippocrati triplex 751.

Millius

Index Rerum,

Mictus sanguinis quid 446. causæ 447. pars affecta 448. diagnosis causarum 449. prognosis 450. curatio 451.

Mictus purulentus quid sit 454. ab vlcere prouenit ibid. causæ 455. diagnosis partis affectæ & causarum 456. prognosis 457. curatio 458.

Milesiæ virgines vterino furore correptæ sese suspenderunt 516.

Mitigatio symptomati debetur 57. quot modis fiat ibid.

Mitis morbus quid cxl. & 288.

Mixtio elementorum xvj. quid sit propriè & quomodo fiat ibidem. causa primaria ibidem. efficientes causæ 705. quomodo fiat 706.

Mixtorum propria est resolutio 710.

Mixti corruptio fit dupliciter 711.

Mechlici medicamenti vsum quæ cautiones præcedere debent 755.

Mola quid xcij. & 594. quomodo fiat, & eius signa ibid. & 596. causæ 594. an sine virili semine generari possit ibid.

Mola diagnosis 596. prognosis 597. curatio 598. prophylaxis ibid.

Moles corporis immensa Nicomacho Smyrnæo & Dionysio Heracleotæ cxxxj.

Monspelienſis Medicæ facultatis origo & laus 1.

Monstrum quid xcj. & 593.

Morbus quid sit cvij.

Morbi notio à læsâ actione ibid.

Morbi definitionis explicatio cviij. in morbi definitionem obiectionum solutio cix.

Morbi natura non consistit in simplici relatione ibid. cur morbi nomen causæ propinquissimæ fuerit impositum cix. à morbo symptomata omnia fiunt mediatè vel immediatè cx.

Morbus per consensum, & varij compatiendi modi cxij.

Morbus factus & fiens cxiv.

Morborum prima genera cxv.

Morbus non consistit in spiritu & humore ibid.

Morbi similaris species & differentiæ cxvj. in morbos similares dubia cxvij. an morbus similaris organicarum organicus similarium partium actiones per se lædat cxx.

Morbus materiæ & formæ cxxj.

Morbi formæ non dantur cxxij. & cxxvij. & sequenti.

Morbi materiæ non dantur cxxiij. & seq.

Morborum organicorum quod subiectum cxxxiv.

Morbi communis species & differentiæ ibid. & sequent.

Morborum communes differentiæ cxxxvij. ab essentiâ ibid. vnde morbus vnus, simplex, compositus, plures siue multi, impliciti, consequentes connexi, disiuncti, legitimi, spurij, magni, parui ibid. & cxxxviij.

Morborum communes differentiæ, à causis cxxxix. Vnde morbus ab aëre, potu & cibo, materialis, immaterialis, vniuersalis, particularis: externus, internus, consentaneus, dissentaneus, senilis, puerilis, muliebris cxxxix. &c. A modo grassandi epidemius, endemius & sporadicus cxxxix.

Morborum differentiæ à varietate inhærendi vnde morbus fiens & factus, æqualis & inæqualis cxl. *Ab exitu* vnde salutares, dubij lethales & incurabiles cxl. *Ab effectu* vnde morbus mitis & malignus, pestilens, venenatus & contagiosus cxl.

Morborum differentiæ ab effectis & ex motu. Vnde vehemens & languidus, velox & tardus, acutus & obtusus, grauis, & leuis, continuus & intermittens, ordinatus & inordinatus cxlij. *A tempore* vnde morbus primarius, secundarius, idiopathicus, protopathicus sympathicus, deuteropathicus, hæreditarius, congenitus, connutritus, aduentitius, recens inueteratus, breuis, longus, æstiuus, hyemalis, cxliij. & cxliv.

Morbi tempus quid & eius diuisio cxlv.

Morbi principium, augmentum, status & declinatio quid & vnde cxlv.

Morbi salutares quatuor percurrunt tempora: lethales verò non: cxlvj. & cxlvij.

Morbi causa quid & quotuplex cxlvij. externa quid & quotuplex cxlviij. & cxlix. interna cl. Antecedens ibid. continens cli. quid sit ibid. datur in quouis genere morbi ibidem. & cliij.

Morborum causæ diagnosis clxix.

Morbi species quid clxxxvij. complicati morbi vix curantur clxxxviij. & seq.

Morbi quidam secundum causam tardi, secundum paroxysmum acuti cxcj.

Morborum similarium cum materia duæ generales causæ 72.

Morborum circuitus quid & quotuplex 748.

Morborum formæ diuisio à Fernelio allata vna est cxxvj. & cxxvij.

Morbi organici species & differentiæ cxxvij.

Morbus in conformatione & eius speciei cxxx. in magnitudine, in numero, & situ cxxxj.

Mortis necessitas demonstratur ab internis & externis 16.

Mors quando aduenial 738. quid sit 739. duplex est ibid.

Mortis necessitas ibid.

Mors omnia ad frigidum & siccum perducit ibidem.

Mos benè precandi sternutantibus vnde cxcvij.

Motiua facultas lxxxiv. & lxxxv.

Motus apud Medicos quid cxcj.

Motus periodici in prognosi vtilis contemplatio cxcij. ex motu læso signa prognostica cc. inter res non naturales reponitur 31. quotuplex ibid. alius corpus vniuersum, alius certas partes commouet 32. eius commoda ibid. eius differentiæ ratione qualitatis ibid. ratione quantitatis ibid. occasio & ordo 33. duplex est in nobis 192.

Motus quot species 704.

Mulier in coitu cur semen non admittat 566. cur semen non retineat 567. semen cur non foueat & suscitet 567. cur semen non adaugeat & quasi in vtero nutriat 568. quæ aptat ad concipiendum gracilis an obesa 575. ex ictu abortiens homicidium non committit ante 40. diem graviditatis 182. grauida quandoque menses patitur ibid.

Mulier an marem gerat 583.

Mulier sterilis quæ 592.

Muliebres morbi dupliciter sumuntur 481. eos quo ordine tractet Varandæus 481.

Mundus

& Verborum.

Mundus cur à Platone ſenij expers dictus 695.
Mundum inferiorem à cœleſti regi quid 747.

N

Narium ſigna prognoſtica cxcvj.
Naſcalium materia & formulæ 135.
Natura quid ix. & ccxxj. variæ eius acceptiones ibid. & x. & 681. quid ſit ſecundum præter & contra naturam cj.
Nihil eſt contra naturam vniuerſalem multa contra particularem ibid. quomodo id quod eſt contra naturam poteſt diſtingui ab eo quod eſt contra naturam cij.
Naturæ moroſæ in morbis placidis magis periclitantur ccxxij.
Naturæ actionum ordo 83. & 84.
Naturæ quomodo aberret 593.
Nauſea. Vide vomitus.
Nerui xliij.
Neutra conſtitutio quomodo debeat intelligi civ. varios recipit modos ibid.
Nullus in morbi declinatione moritur cxlvij.
Numerus auctus vel imminutus quomodo curetur 93.
Nuptiæ cur menſe Maio non conſulantur.
Nutricis bonæ dotes & victus 630.

O

Obeſitatem in morbi definitionem ſolutio cix. Item in morbum ſimilarem cxvij. in morbum organicum cxxxij. necnon in morbum communem cxxxvj.
Obſtetricis munus 609.
Obſtructio quid, & à quibus cauſis fiat 89. & 90. dupliciter fit ibid. quibus contingat ibid. quomodo curanda 91.
Obtuſus morbus quid cxlij.
Oculi in morbis quæ dent ſigna prognoſtica cxcv.
Oculorum frigus in morbo acuto, malum ibid.
Oculi radiantes mali cxcvj.
Odij effectus 18.
Odoramentorum materia & formulæ 141.
OEdema quid 107. & 108. eius ſigna, cauſæ & curatio ibid. quid ſignificet apud Hippocrat. 812.
Oleum quid 143. eius vſus in Medicina ibid. eius materia & formulæ ibid. & 144.
Olfactus lxxix. quæ in morbis ſigna prognoſtica ſuppeditet cxcv.
Operis de arte Medicinali author quis 9. eius tituli ratio & præſtantia 10. ars parua cur vocetur ibid. in eo definitiuam methodum obſeruauit Galenus ibid. eiuſdem operis ratio & diuiſio 11.
Organici morbi ſpecies & differentiæ cxxviij. quot ſint eius primæ ſpecies cxxix.
Organi eſſentiam ingrediaturne calidum & ſubſtantiæ portio cxxxij. & ſeq.
Organicorum morborum quod ſubiectum cxxxiv.
Organici morbi qui graues clxxxviij.
Organicorum morborum indicationes 86.
Oribaſij de vermium generatione opinio 217.
Os xliij.
Oſſium corruptionis à lue Venereâ curatio 346.
Oxymel tuſſim excitat & ſedat 60.

P

Paparatio quas qualitates reſpiciat 83. circa quid verſetur ibid. ante purgationem adhibenda ibid.
Praparatione bilis indiget ibidem. non ſolum iuuat purgationem ſed humorum coctionem ibidem.
Παλμὸς vmbilici 806.
Paracelſici Galenicos Humoriſtas vocant clxix.
Principia medica euertunt 59. elephanticos curaſſe falsò gloriatur Paracelſus 111.
Paroxyſmis incipientibus & vigentibus ratione tantum virium cibus offerendus 74.
Partes corporis quid & quotuplices xxxvj. & xxxvij. ſimilares & diſſimilares ibidem. & xxxviij. organicæ xxxix. earum temperamentum xl.
Partis affectæ diagnoſis clxiv.
Partis affectæ ſignorum quinque fontes clxv. & ſequent.
Partis primariò vel ſecundariò affectæ diagnoſis clxvij. quid in parte conſiderandum ccxxiij.
Partium ventris inferioris tres claſſes 154.
Partes nobiles cur quandoque inflammationem patiantur 557.
Partes pudendæ cur obſcænæ habeantur 657. Item quæ ſint ibid. illis qui morbi accidant ibidem.
Particularis morbus quid cxxxix. & 287.
Partus quid 607. & xciv. quomodo fiat ibidem, & xcvj.
Partus difficilis quis ibid. cauſæ 608. Item cauſarum diagnoſis ibid.
Partus fauſti inſtantis ſigna 610.
Partus laborioſi ſigna ibid.
Partus difficilis prognoſis 611. curatio 612.
Partus cæſareus an ſuſcipiendus 614. quam cum figuratione & motu fœtus in vtero proportionem habeat xciv. an octimeſtris vitalis xcvj.
Parvus morbus quid cxxxix. & 286.
Pathemata animi è rebus non naturalibus 38. fiunt cum alteratione caloris & ſpirituum ibidem.
Pathemata appetitus concupiſcibilis ibid. iraſcibilis ibid.
Pathemata mixta quæ ibidem. ad pathemata quæ concurrant 40.
Pathologia quid? vij. de quibus agat 7. eius nomen vnde cj.
Penis erectio quid 661.
πέψις quid 190. huius duplex cauſa efficiens ibidem.
Peripneumonia cur hyeme accidat 741.
Peſſariorum materiæ & formulæ 135.
Peſtis natura & cauſæ 811. differentiæ peſtis & morborum peſtilentium 815.
Peſtilens morbus quid cxl.
Peculiariter memoriæ obeſt cxciij. & 288.
Phantaſia lxxxij.
Pharmacia quid viij. ſub eâ Chymia ibid. & 8.
Phlebotomia magnum plethoræ remedium 77. quæ eius vicem ſuppleant ibid. an grauidis morbo acuto correptis conueniat 591.
Phlegmone quid 107. & 108. eius ſigna, cauſæ

& curatio ibid.
Phlegmone Lienis. Vide *Lienis Phlegmone.*
Φλεγμονὴ & phlegmones differentia 529.
Phrenitis primaria quæ 789. eius signa 790. eius causæ 791. Prognosis 794. curatio 795.
Phreniticus quomodo curatus ccxxv.
Φθίσις quid significet 808. causæ ibid.
Φθίσει qui obnoxij 809.
Physiologia pag. 1. quid sit vj. an Medicinæ pars x. de quibus agat 7.
Pica vnde dicta 181. quid sit ibidem. eius causæ ibidem. an in ea similia vel contraria appetantur 181. diagnosis 183. Prognosis ibid. curatio ibid.
Pili xliij.
Pilorum defluuij à lue venerea curatio 345.
Pituita lj. eius differentiæ lij. & 692.
Pituitæ redundantis & eius specierum signa clxxj. & sequent.
Pituitæ salsæ effectus clxxij.
Pituitæ serosæ effectus ibid.
Pituitæ vitreæ in corpore cur actu frigida ibidem.
Pituitam præparantia & euacuantia in capite 120. in pectore ibidem. in corde 121. in ventriculo ibidem. in hepate ibidem. in liene 122. in renibus & vesica ibidem. in vtero 123. in habitu & iuncturis 123. esse primum & elementarem humorem quidam asserebat 721.
Plethora & cacochymia duæ vniuersales morborum causæ clxix. & 77.
Plethora duplex ibid. & 77. quam indicationem suppeditet ibid.
Pleuritide correpti circa statum morbi plenius alendi 74.
Pleuritis hyeme cur fiat 742.
Pleuritici cur vinum expoſcant, hepatitide verò correpti abhorreant cxcix.
Plures siue multi morbi quid cxxxviij. & 286.
Pollutio nocturna quid 670. causæ ibidem. diagnosis 671. Prognosis ibidem. curatio 672.
Poma an conferant vel noceant veneri 662.
Potus quid 25. immoderatus malus 28.
Priapismus vnde dictus 667. à satyriasi quid differat ibidem. quid sit ibidem. causæ 668. diagnosis ibidem. Prognosis ibidem. curatio 669.
Principia rerum omnium quomodo ab antiquis indagata xj. & xij. Chymicorum sal, sulphur & mercurius examinata ibid.
Principiorum Medicinæ certitudo 10.
Principium primum antiquis quid 683. alij alia statuebant 684.
Principium morbi quid & vnde cxlv. & cxlvj.
Proœmij libri de natura humana ratio 683.
Prognostice quid vij.
Prognosis Medica ad quid vtilis clxxxij. & clxxxiij. eius varia nomina ibidem. in eâ error non artis sed Medici est ibid.
Prognosis Medica quid clxxxiv. in omnibus morbis vtilis ibid.
Prognosis Medica vnde petenda clxxxv.
Prognoseos vis ex virium comparatione cum morbo pendet ibid.
Prognoseos regulæ & cautiones clxxvj.
Prognosis ex specie morbi clxxxvj.
Prognosis ex more morbi cxc. ex motu morbi ibidem. ex magnitudine morbi cxij. ab actionibus principibus cxciij. ex sensu interno, vbi ex somno, vigilia, insomnis, & decubitu prædicitur cxciv. à sensuum externorum organis & actionibus cxcv. ex natibus, olfactu & sternutatione cxcvj. ex cute & sensu tactus cxcvij.
Prognosis ex variarum partium dolore cxcviij. ex oris partibus, ac proinde ex voce & loquelâ ibidem. ex motu & partibus illi dicatis cc ex actionibus vitalibus ccj. ex tussi ccij.
Prognosis ex actionibus naturalibus ibid.
Prognosis ex tactilibus primis & secundis cciij. ex sapore & odore cciv. ex flatu sono & crepitu ibidem. ex stridore dentium & aurium tinnitu ccv. ex colore ibid. ex more & charactere ibid.
Prognosis ex excretis & retentis, vbi de crisi ccvj.
Prognosis ex vrina & aliis quæ per vesicam profunduntur ccvij. ex deiectione & lumbricis ccxj. ex vomitu ccxij. & ccxiij.
Prognosis ex sudore & ictero ccxiij. ex hæmorrhagia per nares, vterum, & hæmorrhoidas ccxv. ex abscessu, pustulis, pure, sanie, vlcere, &c. ccxvj.
Prognosis ex sputo, saliua, spuma oris, muconarium, lachrymis, auribus sordibus, excretione lactis, seminis, &c. ccxix. ex natura & viribus ægrotantis ccxj.
Prognosis ex varia partis affectæ constitutione ccxxij. ab externis concurrentibus ccxiv.
Prognoseos Medicæ ἀναπολαίωσις ccxv.
Pudendi caries à lue venerea quomodo curetur 341.
Pudendi verrucæ à lue venerea quomodo curentur 342.
Pulmo xlv.
Pulsus, eiusque causæ lxxvij.
Pulsum nouit Hippocrates cc. inter pulsum & palpitationem quæ differentia ibid. ex pulsu signa prognostica ibid.
Pulsium materia & formulæ 150. & seq.
Pulverum materia & formulæ 144.
Purgatio magnum cacochymiæ remedium 77.
Purgatio grauidis morbo acuto correptis an conueniat 592.
Purgantium differentiæ 77.
Puris laudabilis conditiones ccxvij.
Putrefactio quid 711.
Πῦρ quid sit apud Hippocrat. 799.

Q

Qualitates secundæ excedentes, vt lassitudo, mollities, &c. vel sunt organicarum non similarium partium morbi, aut causæ morbificæ, aut symptomata, contra Fernel. cxxv. an qualitates secundæ & tertiæ ingrediantur organi naturam cxxxij
Qualitas mutata est tertium symptomatum genus clxv.
Qualitatum mutatio à sensibus percipitur clx. à quibus causis fiat clx. calor & frigus actus

Digitized by Google

actiuæ humor & ſiccitas paſſiuæ cur dicuntur 706.
Qualitates elementorum an maneant in mixtis 710.
Qualitatum tactilium oppoſitiones 722.
Quies inter res non naturales reponitur 31.

R

Ratio facienda ſemper inuenire non poteſt 52.
Ratio quid 53. quem vſum præſtet in Medicinâ ibid.
Recidiua quid & eius conditiones ccxvij. & ccxviij. 802.
Recidiuam quod facit duplex eſt ibid.
Recidiua ſigna ibid. & ccxix. de recidiua dubia ſoluuntur ibid.
Recidiua quid præſagiat ibid.
Reductio in hygeine ſit contrariis gradu æqualibus 41. & 42. à therapeia parum differt ibidem. quando adhibenda & quomodo ibidem. ſecundum temperiem quæ & quibus indicationibus impleatur 46. eius quantitates, tempus & modus 47.
Reductio inæqualiter temperatorum quomodo facienda ibid. & 48.
Reductio ſanorum ſecundum conformationem & continui vnionem laſorum 48.
Regiomontanus ex ſyderibus luis Venereæ exortum prædixiſſe dicitur ccxxiv.
Regiones corporis quæ 77.
Remediorum multitudo vnde c.
Remedia quid in prognoſi valeant ccxxv.
Remedia ſunt inſtrumenta medica 52. eorum claſſes & differentiæ ibid. quibus rationibus inueniantur ibid.
Remedium ſæpe optimum nullo vti remedio 63.
Renes xlv.
Renum calculus 422. quid ſit ibid. quem morbum conſtituat ibid. quis locus gignendo calculo aptus 423.
Renes & veſica calculo præcipue ſunt obnoxia ibid.
Renes ſenum calculo magis, veſica puerorum, obſeſſa 424. quæ ſit cauſa materialis ibid. efficiens 425. eius generandi modus 427. differentiæ 428. diagnoſis 428. prognoſis 430. prophylaxis 431. curatio 434.
Renum inflammatio quid 439. differentiæ ibid. cauſæ 440. diagnoſis ibid. prognoſis 441. curatio 442.
Reſolutio eſt tantum mixtorum 710. à quo fiat 711. quot modis fiat ibid. in eà elementa regenerantur ibid.
Reſpiratio eiuſque cauſæ & inſtrumenta lxxvij. an purè animalis ibid. ex reſpiratione ſigna prognoſtica ccj. & ccij.
Reſpirationis vſus 773.
Reuulſio quid 79. debet fieri ad oppoſita diſtantiſſima ibid. in ea debet haberi ratio fluxus originis, rectitudinis & communitatis vaſorum ibid. & 80.
Rigor quid 813. in morbis triplex ibid. cauſæ ibidem.
Ruſtici cur vrbanis ſaniores 18.

S

Sacculorum materia & formulæ 140. & ſequenti.
Salmaris morbus quid cxl. & clxxxvij. & 287.
Salubres cauſæ quæ 19.
Salubre idem inſalubre eſſe poteſt ibid.
Salubres cauſæ quot ſint 20. quid in vnaquaque conſiderandum 21.
Sanatio quid 54. eius cauſa, finis & ſubiectum ibid.
Sanguis xlviij. an ſolus alat ibidem. propriè dictus quid 1. eius fibræ lj. maternus eſt principium generationis materiale lxxxix. idem cum menſtruo qui in ſana muliere, qualitate non peccat xc.
Sanguinis redundantis ſigna clxx.
Sanguis vitiatus quando pernicioſus lxxxix.
Sanguinis menſtrui vtilitas 492. quid ſit ibidem quando & quibus fluat ibidem. cur menſtruatim fluat 493. quâ menſura debeat fluere 501.
Sanguificationis perfectio à quibus pendeat 348.
Sanitas quid ſit cv. & 15. & 715. melius potentiâ quam operatione definitur ibid. eius cauſæ cvj. eius differentiæ ſigna ſi quæ ſint ratione maioris minoriſque dicuntur ibid. & 15. in indiuiſibili non conſiſtit 15. & 714. arte Medica regi debet 16. propter quæ negligenda 17. cauſa materiali caret 715.
Subiectum eſt corpus ibid. eius cauſa formalis ibid. efficiens quæ ibid.
Sanitatis genera 716.
Sanitatis conſeruandæ modi 815.
Sanitatis encomium 833.
Sanorum conſeruatio fit ſimilibus gradu æqualibus 41. & 42. quando adhibenda & quomodo ibid. de hac dubia ſoluuntur 43. dupliciter ſumitur 46.
Satyriaſis vnde dicta 667. à priapiſmo quid differat ibidem. quid ſit ibidem. cauſæ 668. diagnoſis ibidem. prognoſis ibidem. curatio 669.
Scabioſi dum ſe ſcalpunt, voluptatem & dolorem ſentiunt cxix.
Scirrhus quid 107. & 108. eius ſpecies, ſigna, cauſæ & curatio ibid.
Scopus quid differat ab indicatione 63.
Scopi curatiui vnde & quot ſint ibidem. ad rem ipſam vel ad inſtrumenta medica referuntur ibidem. primus ſcopus an agendum ibid.
Scopus ſecundus quid ſit agendum 64.
Scopus tertius & quartus *quibus agendum & qualibus* ibid. & 65.
Secundarij ſcopi qui 66. & ſeq.
Scytharum viri molles, mulieres vegetæ xxxiij.
Scytha cur infœcundi 573. & 662.
Secundina retenta quid 615. cauſæ 616. cauſarum ſigna ibidem. putreſcentis ſecundinæ ſigna ibidem. quibus remediis excludatur 616.

Index Rerum,

Semeiotice quid vij. de quibus agat 7. & 8. ad quid vtilis clxiij. eius diuiſio ibid.
Seminis vtriuſque natura lxxxvj.
Semen quid ibid. à teſtibus elaboratur lxxxvij. quæ eius materia & vnde ibidem. an actu animatum ibid. an non ſolum efficiens ſed etiam materiale generationis ſit principium lxxxviij. & 728. an detur muliebre ſitque illud prolificum ibid. & lxxxix. & 723.
Seminis excretio conualeſcentiæ ſignum ccxxj.
Semen virile quot modis peccare poſſit 658. excretio feminis corpori debili nocua 670.
Senſus communis lxxxij. ex eo prognoſis cxciv.
Serotinus aër quare noxius 23.
Serum lv.
Seri redundantis ſigna clxxij.
Serum præparantia & euacuantia 123. & 124.
Seri officium 421.
Sexus temperamentum xxxij.
Siccum quid 706.
Signum Medicum quid clxiij. connectitur cum re ſignificatâ neceſſariò vel vt plurimùm clxiv.
Signorum partis affectæ quinque fontes clxv. & ſequent.
Signa humorum in ſpecie clxx. & ſeq.
Signa flatus clxxiij.
Signa ſpeciei morbi clxxv.
Signa differentiarum morborum clxxvj.
Signa prognoſtica quot clxxiv.
Signum qui dicatur ſalubre. &c. 10.
Signa diagnoſtica, prognoſtica, anamniſtica vij. vnde petantur ibid.
Signum quid 763. vnde petantur ibid.
Signorum diuiſio 764. & ſeq.
Signum bonum ex lingua cc.
Similares partes xxxvij. peculiare earum temperamentum xlij.
Similaris morbi ſpecies & differentiæ cxvj. an ſimilaris morbus organicarum, organicus ſimilarium partium actiones per ſe cædat cxx.
Similitudo natorum cum parentibus xcvj. triplex eſt ſpeciei, ſexus, & effigiei ibid.
Speciei vnde xcvij.
Sexus vnde ibid. effigiei vnde ibid. & xcviij. & xcix.
Simplex morbus quid cxxxviij. & 286.
Sinapiſmorum materia & formulæ 150. & ſequent.
Singultus quis motus 197. quid ſit 197. & 769. an eius maior motus quam vomitus ibid. cauſæ ibid. diagnoſis 199. prognoſis ibid.
Singultus rarum exemplum 199. curatio ibid. in hæmorrhagiis cur motum præcedat 759.
Sitis quid in morbis præſagiat cciij.
Sitis primario humida, ſecundario frigida expoſcit 185. in illius generatione quæ concurrant ibid. poteſt aboleri, imminui & deprauari ibid. quid ſit ibid. cauſæ ibid. & ſeq. diagnoſis 186. prognoſis 187.
Sitis curatio à ſiccitate ſtomachi 183.
Sitis curatio à calida ſtomachi intemperie 188.
Situs morbi qui 94. à quibus cauſis ibid. quomodo curentur ibid.
Soli mutatio in morbis ſæpe confert ccxxv.
Solutio continui fit à ſecantibus, erodentibus contundentibus & diuellẽtibus cxxxv. Item in ſolutione continui quid ſectio, erosio, contuſio & diuulſio ibid.
Solutiones continui quæ graues clxxviij.
Somnus lxxxiv. immoderatus, malus cxciv. in ſene periculoſior vigilia ibidem. cur noctu citius accidat. ibid. non proficiens malus ibid. qui ſecurus & contra ibid. inter res non naturales reponitur 34. in ſomno quæ actiones quieſcant, quæ vero non ibid. eius cauſæ ibid. & 35. non naturalis cauſæ ibid.
Somni effectus ibid. poſt phlebotom. interdicitur ibid. immodici & parcioris mala ibid.
Somni finis 36. quando poſt cibum imperandus ibidem. quamdiu durare debeat ibid.
Somno tempus idoneum 36. diurnus ſomnus malus ibidem. meridianus quibus vtilis 37. veſpertinus malus ibidem. circa ſomnum cautiones ibid.
Spaſmus à ſpaſmate differt 755.
Spei effectus 39.
Spermatica partes xliij.
Spiritus lviij. quid ſint ibid. & lix. numerus, cauſæ & effectus lx.
Spiritus non eſt morbi ſubiectum cxv.
Spiritus inſitus & influens quid in nobis agat 14.
Sporadicus morbus quid cxxxix. & 287.
Spuma quomodo fiat & quid ſignificet ccix.
Spurius morbus quid cxxxviij. & 286.
Sputi & ſaliuæ differentia ccix.
Status morbi quid & vnde cxlv & cxlvj.
Sterilitas muliebris quot modis accidere poſſit 565. quid ſit ibidem. cauſæ generales quatuor ibid.
Sterilitas in coniugibus diſproportionatis 569.
Sterilitas ſæpius ex muliere quam viro 569.
Sterilitatis quandoque nullæ cauſæ apparent ibidem. diagnoſis ibidem. & ſeq. prognoſis 571. curatio 572.
Sterilitas virilis quid 658. dependet potiſſimum à ſemine peccante ibidem. diagnoſis 659. prognoſis 660. curatio ibid.
Sternutamenti excitandi cautio ccxvij.
Sternutatoriorum materia & formulæ 133.
Stranguria quid 469. cauſæ 471. diagnoſis cauſarum ibid. prognoſis 472. curatio 473.
Sudor duplex ex Hippocrat. ccxiv. criticus quo die morbi fiat ibid.
Sudor malus quis ibid.
Sudoris critici ſigna ibid.
Sudor per ſomnum copioſus quare 35.
Sudorificorum materia & formulæ 125. 126. & 127.
Suffitum materia & formulæ 141. & ſeq.
Suffocationis matricis varia nomina 520. quid ſit ibidem. in ea ſæpe reſpiratio abolescit ibidem. huius affectus gradus 521. cauſæ ibidem. fit à ſemine & menſtruo corruptis & venenatis ibidem cur pulſus imminuatur 522. cur viri non tententur 523. cur hunc affectum ſuaues odores naribus excepti excitent, tetri ſedent: ſuaues contra ſuppoſiti vuluæ mitigent 524. diagnoſis 525. quomodo diſtinguatur à ſyncope apoplexia & Epilepſia ibid. prognoſis 526. curatio 526. an vinum in paroxyſmo conueniat

ueniat 527. prophylaxis ibid.
Suidæ error 572.
Superfœtatio quomodo fiat xcij. an dari possit 599.
Superfœtatio vitalis fœtus quando fieri debeat 600.
Superpurgatio vide *Hypercatharsis.*
Suppositoriorum natura, materia, & formulæ 130.
Suppresse alui varia nomina 236. ad quod genus symptomatum referatur ibidem. causæ 237. diagnosis 238. prognosis 239. curatio ibid. & seq.
Suppuratio quomodo fiat 84.
Surditas in morbis acutis mala cxcvj.
Sympathia quid cxij. fit dupliciter positiuè vel priuatiue ibidem. eius tres sunt causæ vicinia, generis communitas & officij societas ibid. & clxvij.
Sympathici morbi qui & quot cxij. dependent immediate à propria dispositione partis cuius actiones lædunt cxiij.
Symptomata omnia mediatè vel immediatè à morbo fiunt cx. à symptomate impotentia distinguenda ibid.
Symptomatis variæ significationes cliv. quid sit clv. differt à causa morbi & morbo clv.
Symptomatum differentiæ ibid. & exiciij.
Symptomatum causæ clviij.
Symptoma grauissimum, dolor clix. à symptomate vera indicatio non sumitur 57.
Symptomati mitigatio debetur ibid.

T

Tactus an temperamenti Iudex xxvj. quid sit lxxix. ex tactu signa prognostica cxcvij.
Tactus quarum qualitatum Iudex 722. eius necessitas ibid. organum ibid. Medicum ibid. obiectum ibid. qua in parte sit exquisitissimus ibid.
Tardus morbus quid cxlij. & 289.
Temperantia quid ex Hippocr. 17.
Temperamentum quid sit xviij. & xiv. & 706. eius differentiæ xx. an detur simplex xxj. *ἐυκρατον* xxiij. ad pondus & ad Iustitiam xxiij. xxiv. & xxv. quid Iudex temperamenti xxvj.
Temperamenta ætatum xxviij.
Temperamentum sexus xxxij.
Temporum & regionum xxxiv. partium xl. peculiare similarium xlij. dissimilarium xliij. cerebri & spinalis medullæ xliv. Iecoris xlix.
Tempestas vnaquæque nos alterat, & sibi analogos humores producit 740. & seq.
Tempestatum temperies 741.
Tempestatum quatuor ratio 747.
Tempus quid xxxiv.
Tempus morbi quid & eius diuisio cxlv.
Temporum morborum cognitio ad quid vtilis ibid.
Temporum morborum diagnosis clxxviij.
Tempora aërem mutant 24.
Tenesmus vnde dictus 280. quid sit ibid. differentiæ 281. causæ ibid. diagnosis 282. prognosis ibid. curatio tenesmi à frigore 283.
Tenesmi curatio à pituita salsa ibid. ab inflammatione & tumore 284. à bilioso humore, ibid. ab vlcere, vermibus, hæmorrhoidibus & fæcibus induratis 284.
Tendo xliij.
Testes & pudenda conuulsa, & flaccida quid in morbis significent cc.
Tetanus prognosis 780.
Tetanus quid ibid eius signa ibid. cur periculosus 781. aut intra 4. dies interimit aut ex eo saluantur ægri 784.
Thalis Milesij de elementis opinio 683.
Therapeutice quid viij. eius partes Diæta, Chirurgia & Pharmacia ibid. & 8.
Theriacâ opportunè data quartanam curauit Galenus 60.
Tholosæ familiares dysenteriæ 268.
Tiberius Cæsar colicum dolorem primus expertus dicitur à Plinio 414.
Timoris effectus 39.
Τὸ θεῖον in prognosi considerandum clxxxvj.
Tremor quid in morbis significet cc.
Tribades quæ 564. & 656.
Tristitia effectus 39.
Tumorum omne genus in principio morbi apparentium, malum præter variolas & morbillos ccxvj.
Tumorum criticorum conditiones ibid.
Tumoris critici signa ibid.
Tumor quid 106. eius causæ ibid. differentiæ 107. curatio ibid.
Tumor quare dicatur vnus tantum morbus 356.
Turcæ vtuntur opio ad venerem excitandam 662.
Turcæ à vino penitus abstinent 772.
Tuto cito & iucunde curare quid 51.
Tympanites. Vide *Hydrops.*

V

Vacuatio generalis & particularis 78. generalis præcedere debet particularem ibid. particularis quid & quot modis fiat 82.
Vacuatio immodica dolorem affert 719.
Vacuatio quomodo differat à purgatione ibid. immodicæ vacuationis causæ ibid. morbum facit 720.
Varandæ in docendo fidelitas 2. & 13. cur tertium librum artis Medicæ Galeni explicandum susceperit 13.
Vasorum rectitudo & communitas quid 80.
Vehemens morbus quid cxlij. & 289.
Velox morbus quid cxlij. & 289.
Vena xliij. à Iecore, non à corde lxxij.
Venenatus morbus quid cxl. & 288.
Venena præparata possunt esse remedia 62.
Venenum duplex 726.
Venereæ luis exortum ex syderibus prædixit Regiomontanus ccxxiv.
Venereæ luis ortus & appellationes 320. non est elephantiasis 321. non est sahafatum Auicennæ ibid. definitio 322. non est aggregatum multorum morborum ibid. dependet ab occulta qualitate 323. hepar est præcipua pars affecta 323. cur hoc venenum non exulceret hepar 324. cur vrinæ laudabiles ibidem.
Venereæ luis causæ ibidem. fiens quando 325.

Digitized by Google

dolores nocturni vnde ibid. tumores gummatoſi vnde 325. qui hac lue facile tententur 326. diagnoſis luis venereæ eiúſque graduum & differentiarum 326. prognoſis luis venereæ 329. præſeruatio à lue venerea 330. curatio luis venereæ 332. quomodo ſudor excitandus 335. hydrargyri vſus 332. correctio accidentium luis venereæ 341.

Venereorum impotentia quid 663. cauſæ ibid. diagnoſis 662. Auicennæ ſterilitatis virilis termatſis 664. therapeia 665.

Venus an exercenda & quando 30. plures morbos ſanat ibidem. in febribus fugienda 31.

Venerem omninò interdicebat Epicurus 30.

Ventriculi duæ partes præcipuæ 154. eius actiones 155. affectus ibid.

Ventriculi dolor cur ſub mucronata cartilagine ſentiatur 157.

Ventriculi phlegmonem lipyria comitatur 158.

Ventris varia ſignificatio 154.

Veritas quid 686. cur difficile cognoſcatur ibidem.

Veris temperies 742. quomodo calidum & humidum 743. quomodo ſalubertimum ibid.

Veſicatoriorum materia & formulæ 150. & ſequenti.

Veſica calculus 422.

Veſica calculo pueri, ſenes renum citius laborant 424.

Veſica non ſemper à renibus ibid. quæ ſit cauſa materialis ibid. efficiens 425.

Veſica calculus quomodo generetur 427. differentiæ 428. diagnoſis 429. prognoſis 430. prophylaxis 431. curatio 437. λιθοτομία 438.

Veſica inflammatio quid 439. differentiæ ibidem. cauſæ 440. diagnoſis ibid. prognoſis 441. curatio 442.

Vigilia lxxxiv. immoderata, mala cxciv. in lutene periculoſior ſomno ibid. inter res non naturales reponitur 34.

Vigilia effectus 35. immodicæ aut parcioris mala ibid.

Vigiliis tempus idoneum 36. nocturna vigilia mala ibid.

Vinum quomodo famem ſedet 28.

Vinum quid 772. à muſto, omphacio & aceto quid differat ibid. eius vſus quis ibid. & 772. calidum & ſiccum eſt ibid.

Vires non ſolum præſentes ſed futuræ inueſtigandæ) ccxxij.

Virium languidorum ab oppreſſis diſtinctio ibidem.

Virium labor quid denotet ccxxiij.

Viri à fœminâ differentia xxxij.

Vterque congreſſum appetit lxxxvj.

Vir ſterilis qui 638.

Viri ſcythæ quare ſteriles 662.

Viſus lxxxj. quid eiúſque organum lxxxj.

Vita noſtra in quo poſita 20.

Vita cauſæ inſtrumentales 738.

Vlcus quid 101. eius differentiæ 102. curatio 103.

Vnguentorum materia & formulæ 146. & ſeq.

Vngues xliij.

Vniuerſalis morbus quid cxxxix. & 287.

Vnus morbus quid cxxxvij. & 104. & 286.

Vomitus quis proficuus ccxxij. & ſeq.

Vomitus critici futuri ſigna ccxij.

Vomitus varia nomina 201. quid ſit ibidem. differentiæ 202. cauſæ ibid. diagnoſis 203. prognoſis ibid.

Vomitus curatio ex materia calida, tenui & biliosa 204.

Vomitus curatio in materia frigida & craſſa 205.

Vomitus ſanguinei cauſæ 207. diagnoſis 98. prognoſis ibid. curatio ibid.

Vomitoriorum materia & formulæ 127. & 128.

Vox interrupta, acuta, planctum referens, catulina, vulpina, quid ſignificent cxcix.

Vocis materia quæ 773. non quilibet ſonus eſt ibid.

Vocis inſtrumenta quæ ibidem. quomodo fiat 774.

Vocis differentiæ ibidem. quomodo vitietur 775.

Vrina quarum affectarum partium ſigna præbeat ccvij. in vrinæ inſpectione abuſus ibid. quæ circa vrinam conſideranda in prognoſi ccviij.

Vrinæ incontinentia quid 465. cauſæ 466. diagnoſis 467. prognoſis ibidem. curatio ibidem.

Vrina valet ad morborum diagnoſim 797. in ea contenta quæ ibid.

Vrinæ hypoſtaſis quæ eſſe debeat ibid.

Vterus deſcendit in coitu 544.

Vteri inflammatio quid ſit 529. cauſæ 530. diagnoſis 530. prognoſis 531. curatio 532.

Vteri hydrops eſt particularis 535. quid ſit ibidem. quomodo materia, vteri hydropem faciens in vtero contineatur ibidem. cauſæ 536. diagnoſis 537. qui diſtinguatur ab imprægnatione ibidem. quomodo diſtinguatur ab *vniuerſali* 538. prognoſis ibidem. curatio ibidem. an venæ ſectio conueniat 539.

Vteri ſcirrhus quid ſit 540. cauſæ 741. diagnoſis ibidem. prognoſis 542. curatio ibidem.

Vteri cancer quid ſit 540. cauſæ ibid. diagnoſis 542. prognoſis ibid. curatio 544.

Vteri procidentia quid ſit 544. ſimilis eſt herniæ inteſtinali ibid. cauſæ ſunt ruptio vel relaxatio ligamentorum 545. diagnoſis 546. prognoſis 546. curatio 547.

Vteri clauſura quid 549.

Vteri clauſura tribus in locis præcipue ſolet aduenire ibidem. eſt completa vel incompleta 550 cauſæ ibidem. diagnoſis ibidem. an vteri clauſura laborantes poſſint menſtrua pati & concipere 551. prognoſis ibidem. curatio ibidem. in clauſuræ vteri operatione Chirurgicâ facienda magna adhibenda cautio 551.

Vteri vlcus quid 553. cauſæ ibidem. differentiæ 554. diagnoſis ibid. prognoſis 555. curatio ibid.

Vteri rhagades quid 560. cauſæ ibidem. diagnoſis

Digitized by Google

Index Rerum, & Verborum.

diagnosis 561. prognosis ibid. curatio ibid. & sequenti.

Uteri verruca quid 560. causæ ibidem. diagnosis 561. prognosis ibidem. curatio 16. & sequenti.

Uteri condyloma quid 560. causæ ibidem. diagnosis 561. prognosis 561. curatio ibid. & sequenti.

Uterus cur semen in coitu non admittat 566. cur semen non retineat 567. cur non foueat & suscitet 567. cur semen receptum non adaugeat & quasi nutriat 569.

Vstio quid 711. in ea quatuor elementa secernuntur ibid.

Vulnus quid 97. & 760. eius differentiæ 97. & 761. à natura partium ibidem. ab essentia vulnerum ibidem. à symptomatis 762.

FINIS.

Errata sic corrigantur.

Pag. cvij. *lin.* 15. *pro* ridiculas quasdam *lege* ridiculam quandam. *pag.* cxxviij. *lin.* 55. *pro* camento, *lege* cæmento. *pag.* clxxiij. *lin.* 55. *pro* asinionum, *lege* asininum. *pag.* clxxxij. *lin.* 10. *pro* subito, *lege* celerius. *pag.* 93. *lin.* 38. *pro* Pureur, *lege* Paræus. *pag.* 99. *lin.* 14. *pro* partas, *lege* partes. *pag.* 109. *lin.* 47. *pro* expellendis, *lege* explendis. *pag.* 113. *lin.* 16. *pro* scamm. præpar. p. iij. *lege* grana iij. *pag.* 118. *lin.* 56. *pro* vesicæ, *lege* vesica. *pag.* 133. *lin.* 17. *pro* ∋ j. *lege* ∋ ß. *pag.* 303. *lin.* 24. *pro* imminuti, *lege* hallucinati. *pag.* 371. *lin.* 21. *pro* vorocitatem, *lege* voracitatem. *pag.* 442. *lin.* 29. *pro* συνθιμαρία, *lege* συνθημαρία. *pag.* 650. *lin.* 14. *pro* prohibent, *lege* præscribunt. *pag.* 722. *lin.* 52. *pro* seiso, *lege* seipso. *pag.* 730. *lin.* 32. *pro* pugantia, *lege* purgantia. *pag.* 772. *lin.* 34. *pro* nericulosum, *lege* periculosam. *pag.* 775. *lin.* 27. *pro* ἀναστυχικὰ, *lege* ἀναστυχικὰ. *pag.* 786. *lin.* 4. *pro* constitutionum pestilentium, *lege* constitutionis pestilentis. *pag.* 817. *lin.* 40. *pro* præcipatatæ, *lege* præcipitatæ.

AOI 1461071

Digitized by Google



Digitized by Google

VIN.LO FREDO

Digitized by Google